



37
17 E
6

# R. P. NATALIS ALEXANDRI

ORDINIS FF. PRÆDICATORUM,

IN SACRA FACULTATE PARISIENSI DOCTORIS

ET EMERITI PROFESSORIS

# HISTORIA ECCLESIASTICA VETERIS NOVIQUE TESTAMENTI

Ab orbe condito ad Annum post Christum natum millesimum sexcentesimum:

Et in loca ejusdem insignia Dissertationes Historicæ, Chronologicæ, Criticæ, Dogmaticæ.

IN OCTO DIVISA TOMOS:

Ante quidem per partes, nunc autem conjunctim & accuratiùs edita:

*Rerum novarum accessione, Scholiis, & Indicibus locupletissimis aucta, illustrata, ornata.*

TOMUS TERTIUS.

Sæculum Primum, Secundum, & Tertium continens.




PARISIIS,

Sumptibus ANTONII DEZALLIER, in Vico San-Jacobæo, sub signo Coronæ Aureæ.

M. DC. XCIX.

*Cum Privilegio Regis Christianissimi.*

# INDEX

## CAPITUM, DISSERTATIONUM, QUÆSTIONUM, Articulorum, Propositionum, Voluminis tertii Historiæ Ecclesiasticæ I. II. & III. Sæculum continentis.

FINIS.



# HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ PRIMI SÆCULI SYNOPSIS.

## CAPUT PRIMUM.

## De Christo Jesu Domino nostro.

### ARTICULUS I.

*De Oraculis quibus Christi in mundum adventus prænuntiatus est.*



HRISTI Adventum Prophetica Oracula multa prænuntiarunt: Hæc inter illustrius est illud Jacobi morientis, *Non auferetur sceptrum de Juda, & Dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio Gentium.* (Genes. 49. 10.) Quod de tota Gente Judaïca, cui Judas nomen dedit, non de singulari Tribu Juda intelligere par est: cùm supremus Principatus penes eam Tribum diu non fuerit. Primi namque Hebræorum Principes Moyses & Josue, non fuerunt ex Tribu Juda, sed Moses ex Tribu Levi, Josue ex Tribu Ephraim. Deinde Principatus fuit penes Judices usque ad Saülem Regum I. At inter xv. Judices duo tantùm fuerunt è Tribu Juda, Othoniel, & Abesan, per annos 47. principatu defuncti. Saül Regum primus, è Tribu Benjamin oriundus erat. Huic successit David ex Tribu Juda, qua in Tribu regia dignitas ad captivitatem usque Babylonicam permansit. Post reversionem Hebræorum ex Babylone, usque ad Herodem, Principatus fuit penes Pontifices (qui erant è Tribu Levi.) Ex horum numero Zorobabelem excipias. Assamonæos ex Tribu Juda maternum genus duxisse, sunt qui respondeant. Sed neque id certum. Solitos enim Pontifices uxores ducere ex Tribu Juda, non habetur ex Scripturis. Duo solùm istius rei exempla proferri possunt. 1. Aaronis, qui duxit Elizabetham filiam Aminadab. 2. Joïadæ, qui duxit Josabetham filiam Joram Regis Juda. Et quanquam obtinuisset mos ille, generis materni rationem nullam habitam fuisse in nomenclatione & jure Tribuum, exploratum est. Accedit, quod ratio sancti Pauli ad Hebr. 2. quâ Christum non fuisse Sacerdotem secundùm ordinem Aaron, ex eo probat, quòd fuerit ex Tribu Juda, ex qua nullus unquam altari præsto fuit, nullius esset roboris. Elidi enim posset, dicendo, Matrem Christi, secundùm maternum genus fuisse ex Tribu Levi, & idcirco Christum participem fuisse utriusque Tribus. Demum *Dux de femore Juda* in Machabæis defecisset: qui in Judaïca Gente, ad Herodem usque, in quo deficere cœpit, Rempublicam administravit.

In Herode itaque Sceptri Judaïci defectio, ille enim alienigena fuit, non Judæus. Qua in re Josepho lib. 14. *Antiquitatum Judaicarum*, cap. 2. & c. 27. & cap. ultimo, & lib. 1. *De Bello Judaico*, cap. 5. asserenti ipsum Idumæum genere fuisse, potius quàm Nicolao Damasceno, Herodis ignavo assentatori, qui ipsum Judæum fecit, credendum est. Josepho suffragantur Patres, Julius Africanus ab Eusebio laudatus, & Eusebius ipse lib. 1. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 6. S. Epiphanius Hæresi 20. ubi Herodianos Hæreticos Herodem pro Messia & Christo agnovisse narrat, sacrosque illi honores detulisse, quòd illius temporibus sceptrum Judæ defecisset: tantùm abest ut eum Judæum esse crederent, sicut contendit Casaubonus. *Exercit. 1. in Baronium.* Josepho pariter subscribunt, Herodemque alienigenam cum ipso asserunt S. Hieronymus, S. Ambrosius lib. *De Benedictionibus Patriarcharum*, cap. 4. S. Augustinus lib. 18. *De Civitate Dei*, cap. 45. S. Cyrillus Alexandrinus lib. 7. *In Genesim*. & alii. Nec Herodis in Judæorum Gentem insitio, aut Judaïcæ professio politica religionis obstat quominus alienigena fuerit, & in illo adimpleri cœperit oraculum illud Propheticum.

Aliud non minus illustre, sed majoribus implicitum difficultatibus vaticinium, quo Christi Nativitas prænuntiata est, *Danielis 9.* legitur. *Septuaginta*

# INDEX

CAPITUM, DISSERTATIONUM, QUÆSTIONUM, Articulorum, Propositionum, Voluminis tertii Historiæ Ecclesiasticæ I. II. & III. Sæculum continentis.

FINIS.

HISTORIAM



# HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ PRIMI SÆCULI SYNOPSIS

## CAPUT PRIMUM.

## De Christo Jesu Domino nostro.

### ARTICULUS I.

*De Oraculis quibus Christi in mundum adventus prænuntiatus est.*



HRISTI Adventum Prophetica Oracula multa prænuntiarunt: Hæc inter illustrius est illud Jacobi morientis, *Non auferetur sceptrum de Juda, & Dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio Gentium.* Quod de tota Gente Judaïca, cui Judas nomen dedit, non de singulari Tribu Juda intelligere par est: cùm supremus Principatus penes eam Tribum diu non fuerit. Primi namque Hebræorum Principes Moyses & Josue, non fuerunt ex Tribu Juda, sed Moses ex Tribu Levi, Josue ex Tribu Ephraim. Deinde Principatus fuit penes Judices usque ad Saülem Regum I. At inter xv. Judices duo tantùm fuerunt è Tribu Juda, Othoniel, & Abesan, per annos 47. principatu defuncti. Saül Regum primus, è Tribu Benjamin oriundus erat. Huic successit David ex Tribu Juda, qua in Tribu regia dignitas ad captivitatem usque Babylonicam permansit. Post reversionem Hebræorum ex Babylone, usque ad Herodem, Principatus fuit penes Pontifices (qui erant è Tribu Levi.) Ex horum numero Zorobabelem excipias. Assamonæos ex Tribu Juda maternum genus duxisse, sunt qui respondeant. Sed neque id certum. Solitos enim Pontifices uxores ducere ex Tribu Juda, non habetur ex Scripturis. Duo solùm istius rei exempla proferri possunt. 1. Aaronis, qui duxit Elizabetham filiam Aminadab. 2. Joïadæ, qui duxit Josabetham filiam Joram Regis Juda. Et quanquam obtinuisset mos ille, generis materni rationem nullam habitam fuisse in nomenclatione & jure Tribuum, exploratum est. Accedit, quod ratio sancti Pauli ad Hebr. 2. quâ Christum non fuisse Sacerdotem secundùm ordinem Aaron, ex eo probat, quòd fuerit ex Tribu Juda, ex qua nullus unquam altari præsto fuit, nullius esset roboris. Elidi enim posset, dicendo, Matrem Christi, secundùm maternum genus fuisse ex Tribu Levi, & idcirco Christum participem fuisse utriusque Tribus. Demum *Dux de femore Juda* in Machabæis defecisset: qui in Judaïca Gente, ad Herodem usque, in quo deficere cœpit, Rempublicam administravit.

Gen. 49.10.

In Herode itaque Sceptri Judaïci defectio, ille enim alienigena fuit, non Judæus. Qua in re Josepho lib. 14. *Antiquitatum Judaicarum*, cap. 2. & c. 27. & cap. ultimo, & lib. 1. *De Bello Judaico*, cap. 5. asserenti ipsum Idumæum genere fuisse, potius quàm Nicolao Damasceno, Herodis ignavo assentatori, qui ipsum Judæum fecit, credendum est. Josepho suffragantur Patres, Julius Africanus ab Eusebio laudatus, & Eusebius ipse lib. 1. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 6. S. Epiphanius Hæresi 20. ubi Herodianos Hæreticos Herodem pro Messia & Christo agnovisse narrat, sacrosque illi honores detulisse, quòd illius temporibus sceptrum Judæ defecisset: tantùm abest ut eum Judæum esse crederent, sicut contendit Casaubonus, *Exercit. 1. in Baronium.* Josepho pariter subscribunt, Herodemque alienigenam cum ipso asserunt S. Hieronymus, S. Ambrosius lib. *De Benedictionibus Patriarcharum*, cap. 4. S. Augustinus lib. 18. *De Civitate Dei*, cap. 45. S. Cyrillus Alexandrinus lib. 7. *In Genesim*, & alii. Nec Herodis in Judæorum Gentem insitio, aut Judaïcæ professio politica religionis obstat quominus alienigena fuerit, & in illo adimpleri cœperit oraculum illud Propheticum.

Aliud non minus illustre, sed majoribus implicitum difficultatibus vaticinium, quo Christi Nativitas prænuntiata est, *Danielis 9.* legitur. *Septua-*

*ginta hebdomades abbreviatæ sunt super populum tuum, & super urbem sanctam tuam, ut consummetur prævaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur justitia sempiterna, & impleatur visio & Prophetia, & ungatur Sanctus Sanctorum. Scito ergo & animadverte: Ab exitu sermonis, ut iterum ædificetur Jerusalem, usque ad Christum Ducem, hebdomades septem, & hebdomades sexaginta duæ erunt: & rursum ædificabitur platea & muri in angustia temporum. Et post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus: & non erit ejus populus, qui eum negaturus est. Et Civitatem & Sanctuarium dissipabit Populus cum Duce venturo: & finis ejus vastitas, & post finem belli statuta desolatio. Confirmabit autem pactum multis hebdomada una: & in dimidio hebdomadis deficiet Hostia & Sacrificium.* Annorum, non dierum hebdomades intelligendæ, non decenniorum, Jubilæorum, aut centenariorum, cùm in Scriptura sacra nullo alio sensu sumatur hebdomadis nomen, quàm pro dierum, vel annorum septenario.

Unde hatum Hebdomadarum septuaginta initium duci debeat, non consentiunt Interpretes. Celebriores hæ sunt sententiæ. Prima Tertulliani *Libro adversùs Judæos*, & Origenis *lib.* 10. *Stromatum* à S. Hieronymo laudari *in cap.* 9. *Danielis*, qui eas ab anno I. regni *Cyri* numerandas censent. Altera est Eusebii lib. 8. *de Evangelica Demonstratione*, & S. Cyrilli Hierosolymitani *Catechesi* 12. earum initium repetentium ab anno Darii Hystaspis secundo. Severus Sulpitius earum exordium ducit ab anno secundo *Darii Nothi*, seu, ut ipse vocat, *Ochi*. Alii ab anno septimo *Artaxerxis Longimani*, quo Rex ille Esdram in Judæam misit, omnibusque ejus votis ac petitionibus annuit, ut refertur 1. *Esdræ* 7. Alii ab anno ejusdem *Artaxerxis* XX. quæ Julii Africani, sancti Joannis Chrysostomi *Oratione* 2. *adversùs Judæos*, Theodoreti *in cap.* 9. *Danielis*, aliorumque clarissimorum Interpretum sententia est. Hanc probabiliorem esse fatebitur, qui Danielis oraculum cum Nehemiæ Historia contulerit. (*Libr.* 2. *Esdræ.*) Juxta hanc numerandi rationem, Christus in medio ultimæ Hebdomadis passus est. De his porrò aliisque Prophetarum oraculis, quibus Jesu Christi Salvatoris nostri prænuntiatus est Adventus, prædictaque Mysteria, uberiùs egimus in Historia veteris Testamenti.

Non solùm Propheticis vaticiniis Judæorum Genti prænuntiatus est Christi in mundum adventus: sed & Sibyllarum oraculis Gentibus prædictus est. Quorum in veritatem ac sinceritatem singulari Dissertatione inquirimus.

### ARTICULUS II.

*De Christi Genealogia.*

CHristi genus ac stirpem SS. Matthæus & Lucas Evangelistæ variè descripserunt. Eos inter se dissentire objecerunt jam olim adversarii Religionis Christianæ. Præcipuum apparentis dissensionis caput illud est, quòd varios Christi parentes enumerent, & quòd Lucas Joseph filium Heli fuisse dicat, quem Matthæus ait filium fuisse Jacob. Varias conciliationis utriusque Evangelistæ vias antiqui Patres tentarunt. Celeberrima illa est, quam ex Julio Africano *in Epistola ad Aristidem* refert Eusebius, *lib.* 1. *Historia Ecclesiastica*, cap. 7. scilicet apud Israëlitas generationum nomina, vel ex naturæ, vel ex legis ordine censeri. Naturæ quidem, cùm legitimi filii parentibus succedunt. Legis verò, quoties quis in nomen ac familiam fratris sine liberis defuncti filios sustulit. Neutrum itaque Evangeliorum falsum est, cùm alterum naturam, alterum legem in majoribus Christi enumerandis sequatur. A Davide per Salomonem generationes numerat S. Matthæus; ab eodem per Nathan filium ejus alterum eas ducit S. Lucas. Secundùm priorem ordinem Joseph filius fuit Jacob: secundùm posteriorem, filius fuit Heli. Scilicet cùm Heli sine liberis decessisset, Jacob viduam ejus sibi conjugem accipiens, ut suscitaret semen fratris sui, ex mandato Legis, Josephum ex ea genuit, naturali quidem ratione filium suum; unde scriptum est, *Jacob autem genuit Joseph*: sed secundùm legem filius erat Heli, quippe cujus semen Jacobus frater suscitaverat. Id à cognatis Christi Domini se accepisse testatur Julius Africanus. Cui tamen ita se non adhærere ait conciliandi Evangelistas rationi, ut aliam non sequatur, si melior inveniri posset. *Proinde*, inquit, *hæc nobis sufficiat, tametsi nullo testimonio fulta, quando nec meliorem aliam, nec veriorem proferre possumus.* Hanc Africani responsionem amplexi sunt SS. Ambrosius, Hieronymus, & demum S. Augustinus lib. 2. *Quæstionum Evangelicarum Quæstione* 5. ubi & duas alias affert: prima est, Joseph unius quidem natura, scilicet Jacob, alterius autem, scilicet Heli, adoptione filium fuisse. Quam magis probat, & solam prosequitur lib. 2. *De consensu Evangelistarum cap.* 3. Altera est, vel avum maternum Joseph, vel aliquem ex majoribus, loco patris à sancto Luca positum. Hæc solutio viris eruditis ansam dedit conjiciendi, Heli fuisse ipsum S. Joachimum B. Virginis Patrem, qui propterea dictus sit Pater Joseph, quia socer erat. Hunc & Heli & Joachim vocatum. S. Matthæus tres Reges, Ochosiam, Joam, Amasiam, in recta Genealogiæ linea prætermisit. Joram enim genuit Ochosiam, Ochosias Joasum, Joas Amasiam, Amasias Oziam. Id autem consilio factum. Scilicet cùm constituisset Evangelista omnes illas generationes in certas Tessaradecadas referre, & in secunda serie septemdecim Generationes reperirentur, aliqui fuerunt prætermittendi, & quidem tres, ut numerus ille constaret. Hi autem præ aliis prætermissi fuere, ob maledictionem peculiarem, quam Deus bis pronuntiat effundendam super domum Achab, (3. *Regum* 21. & 4. *Regum* 9.) Quidquid videlicet Achabi esset, excisum iri usque ad mingentem ad parietem. Quam maledictionem hîc ratam esse voluit Deus, tres hos Reges, qui erant ex posteritate Achabi (nam Ochosias à Joramo ex Athalia Achabi filia genitus fuit) prorsus expungendo ex Catalogo Regum antecessorum Christi. Et quamvis regnarint actu tres illi Reges, tamen ob singularem illam maledictionem censentur quasi capite minuti non regnasse. Ita hunc nodum solvunt SS. Hilarius & Hieronymus. Pro *Joachimo* Josiæ filio, vicinitate vocis, & amanuensium errore, *Jechoniam* substitutum, cùm tamen *Joachimus* & propter Historicam veritatem, & ad tessaradecadem implendam, omnino sit inserendus, viri eruditi conjiciunt. Cæteras, quæ circa sacram Genealogiam occurrunt, difficultates, hîc persequi non patitur nostri Instituti ratio, cum Commentaria, vel Quæstiones Evangelicas non scribamus.

### ARTICULUS III.

*De Beata Virgine Maria Christi Matre.*

JOseph Genealogiam Matthæus describit, quia non erat in more positum apud Hebræos Generationum Catalogum per fœminas texere, & quia contextâ Josephi Genealogiâ, inde Mariæ

genus

*Virginis Deiparæ genus.*

genus dignosci poterat, cùm nuptiæ non quærerentur extra Tribus, secundùm legem latam *Numer.* 36. Joseph enim Mariam, de qua natus est Jesus, conjugem duxit. Ex Tribu Juda oriunda erat. Quamvis enim dicatur Cognata Elisabeth onius ex filiabus Aaron, non est consequens quòd fuerit ex Tribu Levitica. Dicitur namque Cognata Elisabeth, quia aliquis ex Elisabethæ majoribus uxorem ex Tribu Juda duxerat, & ex Familia David. Quamobrem iis assentiri non possum, quanquam maximis viris, & sanctissimis Patribus, qui Lucam genus Sacerdotale Christi descripsisse aiunt; Matthæum verò genus regale. Nam Christus *est ex semine David secundùm carnem*, quam traxit ex Maria. Et Apostolus ad Hebræos 7. de ipso scribit: *In quo enim hæc dicuntur, de alia Tribu est, de qua nullus altari præsto fuit. Manifestum est enim quod ex Juda ortus sit Dominus noster: in qua Tribu nihil de Sacerdotibus Moyses locutus est.* At infirma foret Apostoli ratio, qua probat Christi Sacerdotium Leviticum non esse, si aliqua ratione ex genere Sacerdotali duxisset originem, scilicet secundùm lineam maternam. Accedit quòd sanctus Lucas in Genealogia Christi nullum recenset Sacerdotem. Tandem Evangelista uterque probare debebat Jesum esse Messiam Patribus promissum, atque à Prophetis prænuntiatum, adeoque oriundum esse ex Tribu Juda, etiam secundùm maternum genus. Cùm enim ex Spiritu sancto sit in Maria conceptus, & de illa natus; non esset ex Tribu Juda, nisi ex ea Tribu fuisset Virgo Mater. Hinc S. Augustinus lib. XXIII. *Contra Faustum*, cap. VIII. *Cùm unus idemque narrator*, inquit, *utrumque dicat, utrumque commendet & virum Mariæ Joseph & Christi Virginem Matrem, & Christum ex semine David, & Joseph in serie progeneratorum Christi ex David: quid restat ut credat, qui vult divino Evangelio, quàm Hæreticorum fabulis credere, nisi & Mariam non fuisse extraneam à cognatione David, & eam Joseph conjugem non frustra appellatam, propter ordinem sexûs, & animorum confœderationem, quamvis ei non fuerit carne commixtus; & Joseph potiùs propter dignitatem virilem ab ordine generationum illarum non fuisse separandum, ne hoc ipso videretur ab illa femina separatus, cui eum conjungebat mentis affectus; & ne homines fideles Christi, id quod sibi conjuges carne miscemur, tam magnum in conjugio deputarent, ut sine hoc conjuges esse non crederent, sed potiùs discerent fideles conjugia, multò familiariùs se adhærere membris Christi, quantò potuissent imitari parentes Christi. Nos ergo credimus etiam Mariam fuisse in cognatione David, quia Scripturis eis credimus, quæ utrumque dicunt, & Christum ex semine David secundùm carnem, & ejus Matrem Mariam, non cum viro concumbendo, sed virginem. Quisquis itaque dicit Mariam ad consanguinitatem David non pertinuisse, manifestum est quod istarum Scripturarum tam excellenti auctoritati obluctetur: ipse ergo convincat non eam pertinuisse ad semen David, & hoc ostendat; non ex quibuscumque litteris, sed Ecclesiasticis, Canonicis, Catholicis.*

*Virginis Deiparæ parentes.*

II. Beatæ Virginis Mariæ parentes *Joachim* & *Anna*. Joachim, *præparationem Domini*: Anna, *Gratiam* significat. Dubiæ fidei sunt quæ vel Græci de illis ex apocrypho quodam libello *De Ortu Virginis*, S. Jacobo fratri Domini perperam adscripto delibarunt, vel *Seleucus* impostor sub sancti Evangelistæ Matthæi nomine est ementitus. Videsis Commentarium Historicum de S. Joachimo apud Bollandi Continuatores, inter Acta Sanctorum mensis Martii, Tom. III. ad diem XX. Annam sterilitate divinitus depulsâ Mariam concepisse, S. Gregorius Nyssenus, *Oratione in Natale Christi*, & S. Epiphanius Hæresi LXXVIII. tradunt. Ab Apostolica Sede meritò damnatus est anno millesimo sexcentesimo septuagesimo septimo error Neapolitani cujusdam, cui nomen *Imperiali*, qui asserere non dubitaverat, beatam *Annam* integra virginitate *Mariam* peperisse. Maria Virgo sororem habuit *Mariam Cleophæ*, teste *S. Joanne*, cap. XIX. Evangelii sui: quod *S. Hieronymus* in cap. XXVII. *S. Matthæi*, & lib. *contra Helvidium*, cap. VII. & Epistola CL. quæstione IV. *Theodoretus* in Epistolam ad Galatas, *S. Petrus Chrysologus* Sermone XLVIII. & Venerabilis *Beda* in cap. III. *S. Marci* confirmant.

*Virginis Deiparæ sponsus.*

III. Beatæ Virginis Mariæ sponsus *S. Joseph*, quem perpetuò virginem mansisse, *S. Hieronymus* libro *Adversùs Helvidium*, & *B. Petrus Damiani* Opusculo XVII. asserunt: & hæc Ecclesiæ Latinæ pia credulitas est. Quod ergo primam uxorem *Escam* duxerit, ex eâque susceperit Jacobum Minorem, & alios, qui Fratres Domini in Evangelio appellantur, fabula est ex apocryphis desumta. De *S. Josephi* cultu lege *Bollandi* Continuatores ad diem Martii XIX.

IV. Maria Jesu Christi Mater votum Virginitatis emiserat, antequam Josepho nuberet, quod manifestè probant ejus verba & interrogatio: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Hoc enim absurdè diceret, *si virum cognoscere*, hoc est nuptiarum opus exercere decrevisset. Quod item confirmat S. Gregorii Nysseni auctoritas, *in Oratione de die Natali Domini*, & S. Augustini *libr. de sancta Virginitate, cap.* 4. quibus subscribunt Beda, sanctus Anselmus, Rupertus, & sanctus Bernardus. Quos Calvino, Bezæ, & Magdeburgensibus Centuriatoribus opponimus. At hoc propositum animi duntaxat fuit, non votum Virginitatis absolutum, ac præcisum: quod prima omnium Maria nuncupasse creditur. Sed accedente Josephi consensu simul cum eo votum Virginitatis ipsam emisisse, docet S. Thomas, post Magistrum Sententiarum. Non ita certum, quod narrat sanctus Gregorius Nyssenus, ipsam, statim atque ablactata est, à parentibus fuisse ad Sacerdotes adductam, in Templo oblatam, ibique ad nubilem usque ætatem educatam. Hæc enim ex Historia quadam incerti Auctoris se hausisse Gregorius testatur, & assertio Baronii Cardinalis de Cellulis circa Templum in quibus Virgines reclusæ essent, à Viris Eruditis rejicitur. Frustra verò id colligere sibi visus est Annalium Parens ex lib. 2. Maccabæorum cap. 3. ubi dicitur. *Sed & Virgines quæ conclusæ erant, procurrebant ad Oniam.* Loquitur enim illius Libri Auctor de omnibus urbis totius puellis honestioris loci, quæ educabantur in domibus Parentum, & propriis sibi cubiculis, neque prodire foras sinebantur. Adde quòd in Textu Græco nulla *Oniæ* mentio habetur, nec in Latino *Templi*, quam de suo ingerit Baronius. SS. Joannem Damascenum & Germanum, Constantinopolitanum, & post illos Andream Creteosem, Georgium Episcopum Nicomediensem, Cedrenum, Nicephorum laudat Baronius, asserentes beatam Virginem trimulam in Templum allatam, undecim illic egisse annos: sed hi recentioris sunt ætatis Scriptores, quàm ut illis certò fides adhibenda sit de rebus, de quibus est altum apud veteres Patres & Authores Historiæ Ecclesiasticæ silentium. Testimonium quod laudatur Evodii, primi post S. Petrum Antiocheni Episcopi, confictum est à Græculis: nec enim S. Gregorius Nyssenus de fide illius Historiæ ab incerto Authore acceptæ dubitasset, si Authorem illius habuisset Evodium. Sed & absurda fabula est, quòd beata Virgo educata fuerit in Sancto Sanctorum.

*Luc. I. 34.*

*Virginis Deiparæ votum.*

ctorum, quò nemini mortalium patuit unquam aditus, præter quàm summo Judæorum Pontifici, & quidem semel in anno tantùm, ut expressè notat Apostolus cap. 9. Epistolæ ad *Hebræos*, & Josephus testis est libro 2. *De Bello Judaico*, capp. XIV. & XV.

V. Quot annos in terris vixerit Deipara Virgo, incertum. Apud S. Joannem Evangelistam Ephesi vixisse dicitur, qui *illam accepit in sua*, ex quo illi à Christo moriente commendata est. Id tamen certò perspectum & exploratum non est. Beatam Virginem S. Joannem in Asiam comitatam fuisse, negat S. Epiphanius Hæresi LXXVIII. quæ est Antidicomarianitarum. *Ac cùm Joannes* (inquit) *interim in Asiam profectus sit, nusquam tamen beatam Virginem itineris comitem secum illum habuisse significat.* Ubi obierit, pariter incertum. Jerosolymis obiisse, & Gethsemani sepultam fuisse, Marciano & Pulcheriæ Augustis respondit Juvenalis Jerosolymorum Episcopus, si Euthymio Historico fides, à S. Joanne Damasceno citato Oratione secunda *De Dormitione Deiparæ*. Idque confirmat Andreas Jerosolymitanus Cretensis Episcopus. Attamen SS. Epiphanio & Hieronymo ignotum id fuit, quamvis hic Jerosolymis, ille non longè à sancta Civitate vitæ partem non minimam egerint. Quid quòd S. Leo ad Juvenalem scribens Epistolam CX. aliàs LXXII. ex sacris Locis quæ in ejus Diœcesi extabant, & fidelium devotione, frequentabantur, veritatem corporis Christi probat, sepulcri Deiparæ Virginis tam opportunâ occasione datâ non meminit. Ephesi mortuam colligunt alii ex Epistola Concilii Ephesini ad Clerum & populum Constantinopolitanum scribentis, ea in urbe damnatum Nestorium, *in qua Theologus Joannes, & Dei Genitrix Virgo sancta Maria.* Verùm hæc non significant extare Ephesi S. Joannis & Deiparæ Virginis sepulcra, vel corpora, sed ibi Templa Deo in eorum memoriam erecta. Sanè Polycrates Ephesiorum Episcopus in Epistola ad Victorem Pontificem Romanum, quam refert Eusebius libro V. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. XXIV. ubi magna sanctitatis Lumina in Asia extincta commemorat, & sepulta, ac nominatim unam ex Philippi Apostoli filiabus, quæ Spiritu sancto afflata vixit, Ephesi requiescere: & S. Joannem qui in sinu Domini recubuit, Ephesi extremum diem obiisse, non meminit Deiparæ Virginis, cujus certè meminisset eo loci ad Ecclesiæ suæ commendationem, si illam Ephesi obiisse ac sepultam fuisse novisset. Certius est illam redivivo corpore in cœlos assumptam fuisse. Piam hanc sententiam in Ecclesia Occidentali sexto sæculo jam invaluisse constat ex S. Gregorio Turonensi libro I. *De Gloria Martyrum*, cap. IV. & ex antiquo Missali Gothico-Gallicano, quod *Thomasius* & *Dom. Mabillonius* luce donarunt.

*Joan. 19. 27.*

*Ubi vixerit Virgo Deipara post Christi Ascensionem, & ubi obierit?*

## ARTICULUS IV.

### *De Christi Nativitate, Baptismo, Prædicatione.*

I. CHristus Jesus æternus Deus, æternique Patris Filius in Bethleem Judæ natus est in diebus Herodis Regis, cùm descriptio œcumenica Imperii fieret ex Edicto Augusti, & Quirinius in Syria & Judæa Provinciam illam census universalis obiret.

Natum esse Consulibus Augusto Cæsare XI. sive XII. & L. Cornelio Sulla II. propria Dissertatione probabimus. Partum sacratissimum enixa est Deipara in spelunca Bethleemo vicina, ut Justinus Martyr in *Dialogo cum Tryphone* asserit, & Eusebius lib. 7. *Evangelicæ Demonstrationis*. Quamobrem immeritò Baronium vellicat Casaubonus, quòd extra urbem natum Christum asseruerit, ac perperam colligit in aliqua urbis domo natum, ex his Evangelii verbis, *Et reclinavit eum in Præsepio, quia non erat eis locus in diversorio:* quasi nullum quidem vacuum in diversorio aliquo fuerit cubiculum, aliquod tamen fuerit Præsepe.

*Luc. 2. 7.*

II. Octavo die circumcisus est Christus, & Jesu nomen suscepit. 13. die, vel saltem ante quadragesimum à Nativitate, adoratus est à Magis. Ad vim locutionis Evangelicæ, quæ sic habet; *Cùm natus esset Jesus*, &c. *ecce Magi ab Oriente venerunt:* non satis attendit S. Epiphanius, cùm scripsit, exacto demum biennio venisse Magos ad Christum adorandum, & Josephum ac Mariam cum infante, quotannis, vel certè primo & secundo anno, Bethleemum ventitasse, tempore illo quo Puer erat natus.

*Matth. 2.*

III. Ante beatæ Virginis Purificationem Christum à Magis adoratum, censet *S. Augustinus*, Libro secundo *De Consensu Evangelistarum*, cap. undecimo. Qui fuerint Magi, & unde venerint, intricata quæstio. Quidam ex Arabia Orientali & Felice oriundos asserunt, partim auctoritate fulti, partim ratione. Testimonia pro hac sententia proferuntur *S. Justini* Martyris, *Tertulliani*, *SS. Hilarii* & *Epiphanii*. Rationes sumuntur primò à Vaticiniis Propheticis. Psal. LXXI. *Reges Tharsis & insulæ munera offerent: Reges Arabum & Saba dona adducent.* Item, Isaïæ VIII. ubi Messiam ablaturum *fortitudinem Damasci* Propheta prædicit. Damascus verò Arabum civitas S. Justino & Tertulliano. Secundò, à muneribus Magorum. Arabia enim, auri; Sabæorum regio thuris ferax. Tertiò, à donis olim Cethuræ filiis ab Abrahamo datis, quorum posteri Arabiæ incolæ ea refuderunt Christo. *Madian* enim & *Epha*, & *Saba*, ab Abrahamo ex Cethura oriundi, & ad Orientalem plagam dimissi. Quartò, à Vaticinio *Balaami* in Arabis olim edito, *Num.* XXIV. Moab enim, secundùm S. Hieronymum in Libello *De Locis Hebraicis*, Arabiæ civitas & regio est. At rationes illæ non adeò firmæ. Laudata enim Vaticinia, vel de vocatione Gentium omnium ad fidem Christi intelliguntur, ut illud Psalmi LXXI. vel de excidio prope diem futuro hostium Ecclesiæ, scilicet Regnorum Syriæ & Samariæ. Munera à Magis oblata, regionibus Orienti vicinis, sive Persis, sive aliis non defuere. Ceteris argumentis parum roboris inest, leves sunt conjecturæ. Magorum nomen apud Arabes inauditum. Arabia disertè nominatur in novo Testamento, ubi ejus mentio fit, ùt Epistolæ ad Galatas capp. I. & IV. quod hîc non fit; sed *ab Oriente* venisse dicuntur, non designatâ particulatim regione.

*Magorum adoratio, qui fuerint, & unde venerint?*

Alii ex Mesopotamia Magos arcessunt, & ex posteritate Balaami: quæ opinio patronos habet *Origenem*, *S. Basilium*, & alios: & hac ratione firmatur, quòd Vaticinium *Balaam* de Stella aliquando ex Jacob oritura, in posterorum ejus memoria viguerit. Hinc Magos ad novi sideris exspectationem erectos, eo affulgente novum Regem sibi quærendum duxisse. Sed minùs probabilis ista opinio est: Tum quia Mesopotamiæ nomen adhibetur in novo Testamento ad regionem illam designandam, *Act.* II. & VII. Tum quia vicina fuit Judææ, non remotior, qualem Magorum patriam Evangelista designat: Tum quia Magis, id est, Astrologiæ peritis hominibus abundasse Mesopotamiam non legimus. Vaticinium porrò Balaami, non in Mesopotamia, sed apud Moabitas editum. Nec verò credibile est ab illo

reduce

reducet Vaticinium inter suos commendatum, quem ad finem usque vitæ nefariis studiis vacasse, & vindice Deo malè periisse, ex Scriptura sacra constat.

Ex Chaldæa oriundos Magos quidam asseruerunt, favétque Magorum nomen genti familiare: sed Chaldæa vicina Judæis & notissima, obscuro nomine designata non fuisset. Præterea, dicitur Aquilonaris respectu Judææ, non Orientalis, phrasi Scripturæ sacræ: unde toties Prophetæ malum *ab Aquilone* populo Dei prænunciant.

Alii probabiliùs opinantur Magos Persas fuisse, & è Perside venisse. Placuit hæc sententia *S. Clementi Alexandrino*, *S. Joanni Chrysostomo*, *S. Cyrillo Alexandrino*, *Theodoreto*, & aliis. Favet Magorum nomen apud Persas celebre. Deinde Persidem Judææ Orientalem fuisse, nemo negaverit: *Magi* autem *ab Oriente venerunt.* Tertiò, Regis adoratio cum oblatione munerum mos Persarum fuit. Quartò, munera, scilicet aurum, thus, & myrrham, vel ex sua, vel ex vicina Arabiæ regione habere facilè potuerunt.

Reges fuisse Magos, non omninò certum. Reges fuisse, non scripsit Evangelista, quod tamen ad cunabula Christi illustranda conducibile fuisset. Secundò, per stellam vocati; sidera scilicet contemplabantur, & eorum motus observabant, quod Astrologorum & Philosophorum potiùs, quàm Regum est. Tertiò, descriptio adventûs illorum simplex, sine ullo apparatu. Aliter Scriptura sacra loquitur de adventu Regum, ut de Regina Saba, III. *Reg.* X. cujus Jerosolymam ingressæ comitatus & apparatus describitur. Nec tale quid à *S. Matthæo* dissimulátum fuisset ad novi Salomonis gloriam illustrandam, si revera id contigisset. Quartò, pro imperio cum illis agit Herodes: *Ite*, inquit, *interrogate diligenter de puero, & cùm inveneritis, renunciate mihi:* adeóque ut cum privatis, non ut cum Regibus agit. Viros tamen potentes & divites, Toparchas fortè vel Dynastas fuisse, probabile est. Prophetarum oracula, scilicet illud Psal. LXXI. *Reges Tharsis & insulæ munera offerent, Reges Arabum & Saba dona adducent:* & illud Isaiæ LX. *Ambulabunt gentes in lumine tuo, & Reges in splendore ortûs tui:* Magos solos non spectant, sed vocationem Gentium, ac Regum ipsis dominantium, ad fidem Christi, & ad Ecclesiam: cujus tamen vocationis primitiæ Magi extiterunt. Unde Ecclesia sacro Epiphaniæ Officio oracula illa accommodat. Hinc *S. Leo* Sermone V. *De Epiphania*, ait: *Hæc igitur divinæ gratiæ Mysteriis eruditi, diem primitiarum nostrarum, & inchoationem vocationis Gentium, rationabili gaudio celebremus*, &c. quod & alii Patres confirmant.

Plures fuisse Magos qui Christum adoraverunt, certum est; tres fuisse, vulgaris opinio, *S. Leonis* & Auctoris Sermonum, qui *Eusebio Emisseno* tribuuntur, suffragiis confirmata. Horum incerta nomina.

IV. Post Magorum discessum, Angelo monente, Joseph cum Maria & Puero Jesu in Ægyptum fugit, ut Herodis persecutioni ipsum eriperent. Ad Christi adventum in terram Ægypti, Perseam arborem proceram se inclinasse, & statuas omnes concussas esse, Sozomenus scribit, *lib. 5. cap. 21.* Unde id habuerit, an ex certis monumentis, an ex apocryphis narrationibus, incertum.

*Matth. 2. 16.*

V. Interea cædem infantium imperat Herodes *in Bethleem, & in omnibus finibus ejus, à bimatu & infrà, secundùm tempus quod exquisierat à Magis.* Græci in Menologio suo, Æthiopesque in sua Liturgia, quatuordecim millia puerorum jussu crudelis Tyranni cæsa commemorant, quod parum probabile videtur. Celebre est Augusti dictum de Herodis sævitia in Judæorum infantes, ipsúmque ejus filium, quod refertur à Macrobio libro II. *Saturnalium* cap. IV. *Cùm audisset*, inquit, *inter pueros, quos in Syria Herodes Rex Judæorum intra bimatum jussit interfici, filium quoque ejus occisum, ait: Melius esse Herodis porcum esse, quàm filium.* Quis fuerit filius ille Herodis inter pueros Judæos Bethleemitas à patre interfectus, inter Eruditos non convenit. Lege quæ ea de re scripsimus in Synopsi Historiæ veteris Testamenti, sextæ mundi Ætatis, cap. I. Art. IV. Num. XIII.

*SS. Innocentium Martyrum.*

*Christi Baptismus.*

VI. Baptizatus est Christus anno Imperii Tiberii XVI. ætatis suæ XXXIV. ineunte, quod singulari Dissertatione probamus: Anno uno postquam S. Joannes ministerium suum inchoasset. Quod anno XV. Tiberii Cæsaris, sub Principibus Sacerdotum Anna & Caïpha consignatur. Princeps Sacerdotum dicitur Annas æquè ac Caïphas ab Evangelista, non quòd duo simul Summi Pontifices essent, sed quòd Annas fuerat revera Summus Pontifex, etsi esse desierat. Constat enim ex Josepho, iis qui eam dignitatem semel adepti essent, nomen remansisse, etiam post rem sublatam. Præponitur autem Annas Caiphæ, non solùm ut socer genero; verùm etiam ut is penes quem summa in populo Judaïco potestas erat.

*Primum Christi Miraculum.*

VII. Primum signum fecit Jesus in Cana Galilææ, ubi ad Nuptias vocatus, aquam in vinum mutavit. Atque in hunc modum gloriâ ejus manifestatâ, crediderunt in eum Discipuli ejus. Opinionem de Joannis Apostoli Nuptiis in Cana, cujus nonnulli S. Hieronymum perperam Auctorem faciunt, optimè refellit Baronius testimoniis Veterum, præsertim Epiphanii, Hieronymi, Augustini, qui ipsum Cœlibem ac Virginem fuisse asserunt. Nicephorus Calistus lib. VIII. cap. 30. scribit Simonis Cananæi fuisse has Nuptias, quas primo suo miraculo Dominus decoravit. Ejus error ex eo ortus est, quòd Simon vocatus sit Cananæus, quod cognomen non animadvertit Auctor ille, non à Patria Simonis, sed ab ipsius pietate & zelo sumptum esse, unde quem *Cananæum* vocat S. Matthæus, eundem *Zelotem* nuncupat S. Lucas. Sed multo acriori dignus reprehensione est Nicephorus, quòd Christi miraculum evacuet, & *ex occultis incertisque botris vinum ab ipso factum* dicat. Publicum Christi Ministerium, Prædicationem, Itinera, Miracula, quatuor Evangelistæ describunt. Post secundum Pascha Ministerii sui XII. ex Discipulis suis elegit, quos & Apostolos nominavit, quos binos misit, mandatis & potestate instructos ad prædicandum & sanandum. Post tertium Pascha Ministerii sui, in monte sublimi transfiguratus est: postquam Petro Primatum in Ecclesia sua dedit (*Matthæi* 16.) quem & post Resurrectionem suam ipsi confirmavit (Joan. 21.) De Primatu porrò S. Petri, & Romani Pontificis, agimus Dissertatione singulari.

## ARTICULUS V.

### *De Christi Passione.*

I. IN quarto & postremo sui Ministerii Paschate, Christus instituto Corporis & Sanguinis sui Sacramento in ultima Cœna, quam suis cum Apostolis celebravit die legitimâ, in qua eorum pedes lavit, & Corpore Sanguineque suo recreavit, ac Novæ Legis creavit Sacerdotes; à Juda Iscariote traditus, passus est, & Cruci affixus, anno ætatis suæ trigesimo septimo inchoato,

S. Sulpitio Galba, & L. Cornelio Sulla Coss. ut singulari probamus Dissertatione. Passionis Christi Historiam IV. Evangelistæ accuratè descripserunt. Rejiciendæ quæ in Scriptura sacra, vel ex Traditione non habentur, illius circunstantiæ, etiamsi privatis revelationibus nitantur, nisi Ecclesiæ judicio probatæ sint.

*Quid de Veronica sentiendum?*

II. Istius generis videntur eruditis viris quæ de *Veronica* circumferuntur, scilicet religiosam fuisse feminam Jerosolymitanam, quæ Christi crucem gestantis, atque ad montem Calvariæ properantis faciem videns impiè tractatam ac deformatam, propiùs accessit, capitisque velum detractum ei porrexit, quo faciem sudore & cruore defluentem detergeret. Cui mox Christus imaginem vultûs sui perfectè huic velo impressam, in amoris sui pignus atque monumentum reddidit. *Marianus Scotus* in Chronico ad annum Christi XXXIX. ex Methodio quodam hanc Historiam refert, quem magnum *Methodium* Martyrem Tyri Episcopum falsò putat *Bollandus* in Commentario Historico *De sancta Veronica*, ad diem quartam Februarii. Certum tamen est, Romæ in Vaticana Basilica Principis Apostolorum S. Petri religiosè asservari & coli Christi Salvatoris nostri imaginem in sudario expressam, quam antiquiores Autores *Veronicam* vocant. *Petrus Mallius* in libro inedito *De Basilica S. Petri ad Alexandrum III.* & post eum *Romanus* S. Petri ante annos quingentos Canonicus, scribunt: *Sudarium Christi, quod vocatur Veronica.* Petrus Diaconus Monachus Casinensis in libro MS. *De Locis sanctis*, ita scribit: *Sudarium verò cum quo Christus faciem suam extersit, quod ab aliis Veronica dicitur, tempore Tiberii Cæsaris Romam delatum est.* Matthæus Westmonasteriensis in Floribus Historiæ Anglicanæ, ad annum 1216. *Eodem tempore*, inquit, *dum Papa Innocentius Processionem faceret solemnem Romæ, & illa effigies Dominici vultûs, quæ Veronica nuncupatur, populo aspicienda veneranter deportaretur, ipso Papa ipsam loco solito aptavit.* Nicolaüs Quartus Pontifex Maximus Literis apud S. Mariam Majorem Idibus Aprilis, anno Christi millesimo ducentesimo nonagesimo datis, quarum hoc exordium est: *Ille qui solus Romanam fundavit Ecclesiam*; de Vaticana S. Petri Basilica scribit: *In ea sui pretiosissimi vultûs imaginem, quam Veronicam fidelium vox communis appellat, in singularis amoris insigne tribuit venerari*, &c. Immo plurimos Pontifices, *Clementem Sextum*, *Clementem Septimum*, *Clementem Octavum*, *Gregorium Decimum-tertium*, aliosque sacrum sudarium in quo imago vultûs Christi impressa est, appellare *Veronicam*, refert *Jacobus Grimaldus* Basilicæ Vaticanæ Charthophylacii Propræfectus, apud *Bzovium*, in Annalibus ad annum millesimum ducentesimum decimum-sextum, Num. XVI. *Augustinus Patricius* in descriptione adventûs *Friderici III.* in Urbem, tempore *Pauli II.* ait Pontificem cum Imperatore accessisse *Ad Salvatoris nostri faciem adorandam, in sudario expressam, quam Veronicam appellant.* Idem confirmat *Jacobi de Trecis*, tunc Archidiaconi Laudunensis, & Capellani Innocentii Quarti, qui postmodum Pontifex Maximus fuit *Urbanus Quartus*, Epistola ad Abbatissam & Sanctimoniales *Monasterioli*, seu *Monstrolii* ad radices Montis Laudunensis, anno millesimo ducentesimo quadragesimo-nono. Hæ ab eo enixè petierant, ut sibi depingi curaret *Faciem & figuram nostri Salvatoris, secundùm illam* (inquit) *quam in nostra habemus custodia.* Piis earum votis obsecutus *Jacobus*, sacram mittit imaginem, rogans ut propter reverentiam illius quem repræsentat, recipiant eam *ut sanctam Veronicam, seu veram ipsius imaginem & similitudinem.* Ex his omnibus intelligitur, Veronicæ vocabulum esse imaginis, non mulieris, inde tracto etymo, quasi diceretur *Vera Icon* seu *Iconia*, & contractis in unum vocabulum literis, *Veronica*.

*Solis Eclipsis Christo moriente.*

III. Mirabilis illa Solis defectio, & ingens terræ motus, quæ Christo moriente contigerunt, à *Phlegonte* Hadriani Imperatoris liberto narrantur Lib. *Olymp. Chron.* cap. XIII. *Quarto*, inquit, *anno ducentesimæ secundæ Olympiadis, magna & excellens inter omnes quæ ante eam acciderunt, defectio Solis facta. Dies horâ sextâ ita in tenebrosam noctem versus, ut stellæ in cælo visæ sint, terræque motus in Bithynia Nicææ urbis multas ædes subverterit.* Hanc ecclipsim *Thallum* ethnicum pariter Scriptorem Libro III. Historiarum suarum memorasse, testis est *Julius Africanus*. Eandem autem notari ab Evangelistis & à *Phlegonte* Historiam, tria potissimùm ostendunt. Primùm, quòd in eumdem annum incidat, *Tiberii* scilicet decimum-nonum. Secundùm, quòd eadem horâ diei, sextâ nimirum, contigerit. Tertium, quòd insignis terræ motus utramque comitatus fuerit. *Hinc Tertullianus* caussam Christianorum apud Ethnicos agens, *Apologetici* cap. XXI. miraculi illius testes profert ipsorum tabularia & publica instrumenta. *Eodem momento*, inquit, *dies medium orbem signante Sole subducta est; deliquium putaverunt, qui id quoque super Christo prædicatum non scierunt, & tamen eum Mundi casum relatum in Archivis vestris habetis.* Horum Archivorum fidem Nicomediæ coram Præside jam ante appellaverat *Lucianus* Martyr. *Consulite*, inquit, *Annales vestros, & invenietis Pilati temporibus, dum pateretur Christus, media die fugatum Solem, & interruptum diem.* Idem Miraculum commemorat *S. Dionysius Areopagita* Epistola ad *Polycarpum*, rem à se, & ab *Apollophane* Sophista observatam narrans. Falluntur *Scaliger* & *Gerardus Vossius*, qui *Phlegontem* significasse volunt naturalem ecclipsim. Scripsit quidem *Origenes* Tractatu XXXV. in *S. Matthæum*, non adnotasse *Phlegontem* plenilunio casum hunc contigisse: sed nec interlunio factum adnotavit, hâc circumstantiâ fortè non observatâ, quòd Rerum Astrologicarum esset ignarus. Longè tamen aliter verba Phlegontis interpretatus est *Julius Africanus*, cujus verba refert *Georgius Syncellus* in Chronographia: *Narrat Phlegon*, inquit, *imperante Tiberio Cæsare Solis ecclipsim plenilunio contigisse.* Et *Philoponus*, Lib. II. *De Mundi creatione*, scribit: *Harum tenebrarum, vel hujus potiùs noctis meminit & Phlegon in Olympiadibus. Ait enim, Anno quarto ducentesimæ secundæ Olympiadis contigisse ecclipsim Solis, cujusmodi nulla ante cognita est. Meminisse autem Phlegontem ejus ecclipseos quæ contigit cùm Christus Dominus de Cruce penderet, & non alterius, liquet primùm ex eo quod ait, superioribus temporibus cognitam non esse ecclipsim hujusmodi.*

*Christi sepulcrum.*

IV. Mortui Christi Corpus in monumento novo sepultum est, quod Josephus inciderat in petra. De Christi sepulcro scriptum *Sophoniæ III.* juxta Versionem LXX. Interpretum: *Propterea exspecta me; dicit Dominus, in diem Resurrectionis meæ in Martyrium*: quem locum ita etiam vertunt *Aquila*, *Theodotion*, & *Symmachus*. His autem verbis prædictum fuisse Augustum illud & magnificum Templum, quod à Constantino Imperatore ad Christi sepulcrum excitatum est, censet *S. Cyrillus Jerosolymitanus*, Catechesi XIV. Illuminatorum. Christi sepulcrum in petra, seu rupe excisum inconsideratè negat Salmasius, testimoniis Brocardi in Descriptione Terræ Sanctæ, Joannis Phocæ, aliorumque testium oculatorum, sed moltò

*Salmasius in Solinum pag. 1209.*

Matth. 27. 60. magis *S. Matthei* verbis confutatus.

Descendit ad inferos. V. Anima Christi sanctissima, corpusque, personæ Verbi unita in triduo mortis mansere. Secundùm animam ad inferos descendit, ut Ecclesia in Symbolo confitetur. Quod fidei caput esse egregiè probat doctissimus *Petavius*, Lib. *De Incarnatione* Tom. v. *Theologicorum Dogmatum*.

Mors magni Panos denunciata. VI. Ethnicis stupendo miraculo mors Christi Jesu significata est, quod in Libello *De Oraculorum Defectu* Plutarchus refert. Cùm in Italiam tenderet *Thamus* Ægyptius, navis Rector, jamque Echinadas præternavigaret, subitò remisit ventus, & ad Paxas Insulas audita vox est, quæ *Thamum* appellaret, juberetque simul ac appulisset ad portum Pelodem, clamare, Magnum *Pana* esse mortuum. Paruit *Thamus*, eáque, quam jussus fuerat, edita voce, ejulatus auditi sunt, quasi *Panos* obitum mirantium & gementium. Vectores Romam delati portentum vulgarunt. Pervenit illud ad *Tiberium* Cæsarem, qui & à *Thamo* ipso de re gesta certior factus, hominum eruditorum sententiam super ea rogavit. Id convenit in tempus mortis Christi Jesu, qui verus *Pan* est rerum omnium parens, ac naturæ totius Auctor, quam *Panos* symbolo Mythologi. significarunt. Hunc *Plutarchi* locum refert *Eusebius* Libro v. *Præparationis Evangelicæ*, cap. XVII. sed dæmonis interitum, seu Regni ipsius eversionem hac voce prodigiali significatam interpretatur, non ipsius Jesu Christi mortem. *Sed opera pretium fuerit*, inquit, *tempus observare, quo Dæmonis istius interitum contigisse narrat. Id enim imperante Tiberio factum est, quo tempore dæmones à Servatore nostro inter homines agente jam tum ex humana vita pelli ejicique cœpisse divina scribit Historia: cùm etiam genuflexo nonnulli jam Eum obsecrarent, uti ne expectantibus sese inferis addiceret.*

ARTICULUS VI.

*De Christi Resurrectione & Ascensione.*

I. Die tertia surrexit à mortuis Christus Salvator, quæ prima erat hebdomadis dies, *Una Sabbatorum*, sive, *Extreme Sabbatho, vel exacto intercedente Sabbatho*, ὀψὲ σαββάτων, quod vulgatus Interpres vertit, *Vespere Sabbathi*: Cùm in primam Sabbathi, id est, in primam Christianorum Dominicam lucesceret. Decem Christi post Resurrectionem apparitiones Evangelistæ referunt. Binæ factæ sunt mulieribus, prima soli Mariæ Magdalenæ sub Hortulani specie, cùm ipsam proprio nomine compellavit, *Maria*: Et dixit ei, *Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum: sed vade ad Fratres meos, & dic eis*, &c. Altera, cùm mulieribus à monumento redeuntibus occurrens, dixit eis, *Avete*. Illæ verò accesserunt, & prehenderunt pedes ejus, & adoraverunt eum. B. Virgini Christum apparuisse omnium primæ quidam asserunt. Id olim scripsit Sedulius Poëta, & Rupertus lib. 7. *De Divinis Officiis* cap. 25. Contra est Scriptura sacra, Scribit enim S. Marcus cap. 16. Magdalenæ primò Christum apparuisse. Extant apud Patres Græcos & Latinos accuratæ Disputationes super Christi apparitionibus post Resurrectionem: & harum manifestationum sanctus Augustinus numerum atque ordinem sollicitè investigat, lib. 3. *De Consensu Evangelistarum*. Sed neque hic, neque alius quisquam ex antiquis Patribus, hujus apparitionis meminit. Quòd autem sanctissimæ suæ Matri primò non apparuerit, inde factum conjiciunt Viri pii, quia firmior erat illi fides, quàm ut ipsi hac apparitione opus esset. Sic Joanni, quem dilige-

Christus Matri suæ primùm non apparuit.

bat, non statim apparuit. Nec tamen primò apparuit B. Magdalenæ, quòd dubitaret; sed ob alias rationes, quas conjicere possumus, at non assequi. Chrodobertus Episcopus Turonensis, *In judicio de muliere adultera*, asserit quòd *Maria Magdalena ipsa prima post Resurrectionem, & antequam ullus Apostolorum, & antequam Mater Domini gloriosissima Maria semper Virgo, & Angelos, & Dominum meruit videre.* De contraria Sententia, doctissimus Estius in *Annotationibus suis ad Marcum*, ait: *Afferuntur pro hac sententia rationes quædam congruentiæ: sed circa hujusmodi rationes notandum est, ante omnia respiciendum ad id, quod Scriptura, vel Ecclesia docet; &, eo cognito, rationes convenientiæ adhibendas ad id probabilius reddendum: non autem è contrario aliquid statuendum ex hujusmodi rationibus contra id, quod vel Scriptura, vel Ecclesia dicit, aut tenet. Quale est, ex quibusdam rationibus congruentiæ velle probare Christum à morte redivivum primò suæ Matri apparuisse: cùm Scriptura tam clarè dicat, eum apparuisse primò Mariæ Magdalenæ, nec usquam alibi diversum insinuet. Quod si secundùm hujusmodi ratiunculas procedendum sit, oportebit ut Christus etiam Matrem suam adhibuerit Cœnæ novissimæ, eamque primò locò, honoris causâ collocaverit; & ei primùm Corpus & Sanguinem suum distribuerit.*

Marci 16. dicit Angelus mulieribus, quæ ad Christi monumentum accesserant, *Ite, Dicite Discipulis ejus & Petro, quia præcedit vos in Galilæam, ibi eum videbitis.* Cur Petrus seorsim à cæteris Apostolis nominetur, duas rationes affert Theophilactus: primam petit ex ejus excellentia & dignitate. Cùm enim seorsim aliquis inter cæteros nominatur, id fit honoris caussâ. Sic *Actuum* 1. Maria Mater Jesu seorsim ab aliis mulieribus nominatur. Secunda ratio est, Christum nominatim Petri meminisse, ut scrupulus illi adimeretur, quo poterat jure solicitari; ne propter trinam abnegationem Discipuli jure excidisset. Eandem rationem & sanctus Gregorius Magnus *Homilia* 21. *in Marcum*, & Victor Antiochenus afferunt.

Tertia Christi à morte redivivi apparitio facta est Discipulis euntibus Emmaüm (*Marci* 16. & *Lucæ* 24.) S. Lucas Discipulorum alterum Cleopam vocat. Alterius nomen ex Scriptura sacra incertum, quem sanctus Epiphanius Nathanaëlem, sanctus Ambrosius Ammauntem nuncupant. Alii è S. Lucæ silentio, Lucam ipsum fuisse conjiciunt.

Quarta apparitio fuit, cùm Petro soli se conspicuum præbuit. Quinta cùm omnibus Discipulis visus est, ipsa die Dominicæ Resurrectionis ad vesperam: & stans in medio dixit eis, *Pax vobis*. Et quærenti an aliquid esculentum haberent, ipsi apposuerunt partem piscis assi, & favum mellis. Qua in manifestatione ipsos Evangelicæ legis Prædicatores ac Ministros rite solenni constituit, eisque potestatem concessit remittendi peccata per Baptismum, & Pœnitentiam. Sic Jesus ipso primo Resurrectionis die quinquies apparuit.

Octo post diebus, Thoma cum cæteris congregato, venit Jesus foribus clausis, stetitque in medio, dicens, *Pax vobis*: Thomæque incredulitati satisfaciens, Ecclesiæ fidem roboravit. Hæc sexta Christi post Resurrectionem apparitio. Post hæc undecim Discipulis in Galilæam profectis, in montem ubi illis constituerat aspectabilem se præbuit, dixitque eis: *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra, Euntes ergo, docete omnes Gentes*, &c. *Et ecce ego vobiscum sum, usque ad consummationem Sæculi.* Hæc septima apparitio. Matth. 28. 20. Octava est, quâ quingentis Discipulis & amplius semel

ſemel & ſimul apparuit : deinde Jacobo. ( 1. *Corinth.* 15. ) Nona, cùm ſe conſpiciendum præbuit Diſcipulis piſcantibus ad mare Tiberiadis. Quo tempore ter interrogato Petro an ipſum diligeret, Agnorum, Oviumque paſcendarum curam ipſi demandavit. Mortis genus eidem prænuntiavit. Et quæſtioni ejus de Joanne reſponſionem dedit, à Fratribus non rectè perceptam. Decimò, Hieroſolymis Jeſus apparens Diſcipulis, eduxit eos foras Bethaniam uſque : & ſublatis manibus benedixit eis, & disjunctus ab eis, aſcendit in cælum, ſacratiſſima veſtigia lapidi impreſſa relinquens, quæ priſtinum ſtatum continuò ſervaverunt, quicquid homines molirentur : & Eccleſia ibi extructa concamerari nunquam potuit, quà Chriſtus elatus in cælum eſt, ( Ex ſancto Hieronymo in lib. *De Locis Hebraicis*, & ſancto Paulino Epiſt. XI. *ad Severum.* ) Idem de Dominicis veſtigiis teſtantur *S. Optatus Milevitanus*, lib. VI. *Sulpitius Severus*, lib. II. cap. XLVIII. *S. Auguſtinus* Tractatu XLVII. in *Joannem*, & Venerabilis *Beda*, lib. *de Locis Sanctis*, cap. VII. De hoc Miraculo ſcribit *Caſaubonus* Exercitatione XVI. adversùs *Baronium*, §. CLIV. *Miraculum de Sanctis Domini veſtigiis priſtinum ſtatum continuò recipientibus, quicquid homines molirentur, propter conſenſum tot Scriptorum, & in his magni Hieronymi, qui fuit oculatus teſtis, fide mihi quidem videtur digniſſimum.*

Aſcenſio Chriſti.

II. Sacrum illud quadraginta dierum intervallum, quo Chriſtus redivivus in terris manſit, & Diſcipulis ſuis conſpicuum ſe præbuit, illos de regno Dei edocens, recolebat olim Gallicana Eccleſia Diſciplina ſingulari. Nam Epiſcopus Sacerdotes ordinans, ſingulis Hoſtiam in pergameno puro involutam dabat, ex quâ per dies quadraginta particulam ſumerent in glorioſæ illius Quadragenæ memoriam. Quo de ritu Fulbertus Carnotenſis *Epiſtola* 2. *ad Finardum* data hæc ſcribit : *Epiſcopus qui vices Chriſti tenet, Sacerdotales viros in plebem ſubjectam miſſurus, ſacri Corporis Euchariſtiam per quadragenos dies ſumendam diſtribuit, ut dum quotidie cæleſtis Panis alimonia reficiuntur, tempus illud in mente habeant, quò per quadraginta dies Dominus Diſcipulis apparens & conveſcens, deſiderata viſionis ſatietate refecit.*

## CAPUT II.

### *De Electione ſancti Matthiæ.*

ELECTUM fuiſſe ſanctum Matthiam in locum Judæ proditoris, ſtatim poſt Aſcenſionem Chriſti, & ante viſibilem Spiritûs ſancti deſcenſum, dum adhuc in Cœnaculo collecti eſſent Apoſtoli, conſtat ex Actis Apoſtolorum cap. 1. Unus ex ſeptuaginta Chriſti Diſcipulis fuit, ut ex eo loco colligitur. Sorte in ſanctiſſimum illum cœtum adlectus eſt. Eam eligendi viam iniiſſe Apoſtolos exiſtimat ſanctus Ambroſius in cap. 1. Lucæ, *Ne Apoſtoli electio à mandato diſcrepare Legis veteris videretur.* In veteri namque Lege, ex numero Sacerdotum, ſorte eligebatur unus, qui incenſum adoleret ante altare Domini, ut conſtat ex his quæ de Zacharia S. Joannis patre ſcribit ſanctus Lucas Evangelii ſui cap. 1.

Quanquam ſortem propriè dictam non fuiſſe, quidam Patres innuunt, ſed ſignum aliquod è cælo datum, puta radium cœlitus adlapſum in Matthiæ caput, aut quidpiam ſimile. Sic ſanctus Dionyſius lib. de Eccleſiaſtica Hierarchia cap. 5. p. 3. *Cùm autem de divina illa ſorte, quæ divinitus ſuper Matthiam cecidit, alii ab aliis diverſa ſenſerint, meam ipſe ſententiam exponam. Mihi enim videtur Scriptura ſortem appellare divinum illud munus, quo declarabatur choro hierarchico, quiſnam divino ſuffragio electus erat.* Ut ut eſt, exemplum S. Matthiæ non probat licitas eſſe ſortes in electionibus ſacris; quarum uſum improbavit Honorius III. Pontifex Maximus ad Lucanum [a] Capitulum ſcribens, ut habetur cap. *Eccleſia, de Sortilegiis*, Tit. 21. lib. 5. Decretal. Iſtud namque ſingulare fuit Matthiæ privilegium : quia enim cæteri Apoſtoli à Chriſto immediatè vocati erant, voluit & Chriſtus electionem Matthiæ ſibi vendicare, ne collegis inferior ſuis videretur. Ideo Apoſtolis internæ inſpirationis afflatu author fuit, ut ſortem ea in electione adhiberent. At iſtud in exemplum trahi nequaquam debere docet ſanctus Hieronymus in cap. 1. Jonæ, *Cùm privilegia ſingulorum*, inquit, *non poſſint legem facere communem.*

a De Lucano.

Quidni verò & citra privilegium ſortes adhibere Apoſtoli præfata in electione potuiſſent ? Siquidem Matthias, & Barſabas, qui vocabatur Juſtus, adeò pares erant ſanctitate, aliiſque dotibus Apoſtolicis, ut humano judicio diſcerni non poſſet quis Epiſcopatum Proditoris pro altero accipere deberet. Cùm autem ita res ſe habet, licitè ſortes in ſinum mitti poſſunt, ut à Domino temperentur, tum quia non tentatur Deus, cùm ejus providentiæ committitur quod humano judicio cognoſci non poteſt : tum quia nullum imminet Eccleſiæ, vel Eccleſiaſtico cœtui periculum, in quemcunque ſors cadat, cùm Eccleſiaſticæ dignitatis candidati meritis pares agnoſcuntur. Quam hypotheſim ſpectat Canon 3. Concilii Barcinonenſis [b], habiti anno 599. ſub Reccaredo Rege, tempore ſancti Gregorii Magni. Non enim ſortem probat in electionibus Epiſcoporum, niſi cùm duo aut tres meritis pares Cleri ſuffragiis, populique votis deſignantur, ex quibus Metropolitanus & Comprovinciales Epiſcopi, præmiſſo jejunio & oratione, unum ſeligunt, quem Eccleſiæ vacanti præficiant.

Tom. II. [illegible] Concil. b De Barcelone.

Eam theſim confirmat regula quam ſtatuit ſanctus Auguſtinus Epiſtola 180. quæ eſt ad Honoratum, de Miniſtris ſorte deligendis, qui in urbibus maneant, fervente perſecutione, dum alii, fugâ, ſe ſervabunt Eccleſiæ.

## CAPUT III.

### *De prima Evangelii Prædicatione.*

CHRISTO in cœlos recepto, illapſoque in Apoſtolos atque Diſcipulos Paracleto Spiritu, variorum cum effuſione chariſmatum, ſanctus Petrus, cui Eccleſiæ ſuæ regendæ provinciam Dominus demandaverat, ad ejus ſubinde ſucceſſores propagandam, primus omnium Apoſtolorum concionem habuit, cujus meminit ſanctus Lucas Actuum 2. cap. Hac audita Judæi compuncti ſunt corde, & audito Petri conſilio de agenda pœnitentia, déque ſuſcipiendo baptiſmate, converſa ſunt ad Chriſtum tria circiter hominum millia. De qua concione ſanctus Chryſoſtomus Homilia 4. in Acta, ait : Apoſtoli *communem vocem edebant, ac Petrus omnium erat os ; ſed aſtabant illi undecim, teſtimonio ſuo comprobantes ea quæ ab illo dicebantur.*

## CAPUT IV.

*De Christi fama tunc temporis longè latèque diffusa.*

I. CHRISTI nomen anno vulgaris Æræ 34. (ut Annales Ecclesiastici notant) non apud eos duntaxat, qui Apostolorum Prædicationi auscultantes, religionem nostram amplexi sunt, celebre fuit: verùm etiam apud Judæos ac Romanos illustre, adeò ut Divinum quid in ipso suspexerint. Ex Judæis Christo testimonium perhibet Josephus nobilis Historicus libro 18. Antiquitatum Judaïcarum capite 4. ubi postquam seditionem Judæorum contra Pilatum Præsidem Judææ narravit, hæc subjungit: *Eodem tempore fuit Jesus, Vir Sapiens, si tamen Virum eum fas est dicere. Erat enim mirabilium operum patrator, & doctor eorum qui libenter vera suscipiunt: plurimosque tam de Judæis, quàm de Gentibus, Sectatores habuit. Christus hic erat, quem accusatum à nostræ Gentis Principibus, Pilatus cùm addixisset cruci, nihilominus non destiterunt eum diligere, qui ab initio coeperant. Apparuit enim eis tertia die vivus; ità ut divinitus de eo vates hoc & alia multa miranda prædixerunt: & usque in hodiernum, Christianorum genus ab hoc denominatum non deficit.* Illud Josephi testimonium Eusebius capiti 11. lib. 1. Historiæ suæ Ecclesiasticæ inseruit. Illud idem refert Sanctus Isidorus Pelusiota, lib. 4. Epistola 225. Illud *Josepho* vindicavimus in Historia Ecclesiastica Veteris Testamenti, Ætate VI. Articulo IX. & totius Operis postremo.

II. Romam autem citò pervasit Christi fama, Pilato de ejus resurrectione à mortuis, de miraculis, de nova religione eorum qui ipsum velut Deum colerent, ad Tiberium scribente. Acceptis Pilati literis, quarum exemplar describit Hegesippus in Anacæphaleosi librorum suorum de excidio urbis Hierosolymitanæ (germanum, an falsum, nescio) Tiberius ad Senatum de Christo retulit, ut in Deorum numerum adscriberetur. Non annuit Senatus; sed Imperator eam nihilominus opinionem quam de Christo combiberat, constantissimè tenuit, nihilque contra Christianos molitus est. De hoc legendi Hegesippus loco citato, Eusebius lib. 2. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 2. & ante hos Tertullianus in Apologetico cap. 5. *Vetus erat Decretum* (inquit) *ne quis Deus ab Imperatore consecraretur, nisi à Senatu probatus. Scit M. Æmilius de Deo suo Alburno. Facit & hoc ad causam nostram, quòd apud vos de humano arbitratu Divinitas pensitatur. Nisi homini Deus placuerit, Deus non erit: homo jam Deo propitius esse debebit. Tiberius ergo, cujus tempore nomen Christianum in seculum intravit, annunciata sibi ex Syria Palæstina, quæ illic veritatem istius Divinitatis revelarant, detulit ad Senatum, cum prærogativa suffragii sui. Senatus, quia non in se probaverat, respuit. Cæsar in sententia mansit, comminatus periculum accusatoribus Christianorum.*

Apud Hegesippum Epistola Pilati inscribitur ad Claudium Imper. sed error in titulo evidens est, per Tertullianum corrigendus: nisi Claudii nomine Tiberium Hegesippus ipse designarit, qui ante Imperium Claudius etiā vocabatur, ut noscat Annalium Patens.

Et cap. 21. postquam de Christi Passione, Resurrectione, Ascensione, & Christianæ Religionis per selectos Apostolos Prædicatione, sermonem instituit, hæc habet: *Ea omnia super Christo Pilatus, & ipse jam pro sua conscientia Christianus, Cæsari tunc Tiberio nunciavit: sed & Cæsares credidissent super Christo, si aut Cæsares non essent seculo necessarii, aut si & Christiani potuissent esse Cæsares.*

Acta Pilati.

II. Acta *Pilati* appellat etiam *Justinus* Martyr in Apologia ad Impp. *De Tiberii* Relatione ad Senatum, ut Christus inter Deos referretur, scribit *S. Joannes Chrysostomus*, Homilia XXVI. in Epistolam II. ad Corinthios. *Romanorum Senatus*, inquit, *hanc potestatem habebat ut Deos crearet atque conscriberet. Quippe cùm res omnes à Christo gesta nunciata sunt, Romam misit is qui Judæorum Nationi præerat, sciscitans ex ipsis num eum quoque Deum creare placeret. Id verò illi facere recusarunt, quòd iniquo atque infenso animo ferrent, ante Decretum suum atque sententiam, Crucifixi potentiam effulgentem universum orbem ad sui cultum & venerationem attraxisse. Hoc porrò vel invitis ipsis ita divinitus procurabatur: ut ne humanis suffragiis atque sententiis Christi Divinitas promulgaretur, atque unus è multis illis ipse censeretur, qui ab ipsis creati ac designati fuerant.* Idem postea tradiderunt *Orosius*, *Gregorius Turonensis*, *Cedrenus*, *Nicephorus*. A *Tertulliano* id primùm scriptis proditum est.

III. *Tertulliani* auctoritatem elevat *Tanaquillus Faber* Epist. XII. libri II. bis conjecturis. Primò, quòd ex *Pilati* Actis apocryphis id *Tertullianus* hauserit. Secundò, quòd verisimile non sit *Tiberium* Religioni minimè addictum de Christo tantopere curasse, ut de illo retulerit ad Senatum. Tertiò, quòd vix credibile sit Senatum respuisse quod Tiberio placuit. Quartò, quòd tantus rumor de Christo deferri non potuerit in Aulam Tiberio vivente, quia nomen Christianum postea apud Antiochiam ortum est.

Tanaquilli Fabri objectionibus respondetur.

IV. Verùm facilè difflantur illæ *Fabri* conjecturæ pro sua levitate. *Tertullianus* narrat quid à *Tiberio*, quid à Senatu Romæ factum sit; hæc igitur non hausit ex Actis *Pilati* in Judæa conscriptis, sed ex Actis diurnis Senatûs Romani. Sub *Tiberio* neque tam parvum quidquam neque tam magnum publici privarique negotii fuisse, de quo non ad Senatum referretur, testis est *Suetonius*: & quòd *quædam adversùs sententiam suam decerni ne questus quidem est.* Cui consonat illud Tertulliani: *Senatus, quia in se non probaverat, respuit.* Senatus antea *Tiberio* Divinitatem obtulerat, quam ille sibi oblatam respuit. Templa, Flamines, Sacerdotes decerni sibi prohibuit, etiam statuas atque imagines, nisi permittente se poni; permisitque ea solùm conditione ne inter simulacra Deorum, sed inter ornamenta ædium ponerentur, ut refert *Suetonius*. Quia igitur Divinitatem in se non probaverat *Tiberius*, sed oblatam rejecerat, tutissimum putabat Senatus alium neminem in Deorum suorum numerum referre, ne eum *Tiberio* majorem efficere videretur. Denique hîc non agitur de nomine Discipulorum Christi, sed de ipso Christo Jesu, cujus admiranda opera, mors, Resurrectio, & Ascensio, & à *Pilato* cognosci, & ad *Tiberium* referri potuerunt. Immo non potuit *Pilatus* officii sui rationem tantopere negligere, ut tantæ rei in sua Provincia gestæ Relationem ad Imperatorem non mitteret. Sic fermè *Fabro* respondet *Pearsonius* Lectione IV. in Acta Apostolorum, §. XIV.

V. Quædam tamen Acta *Pilati* ab Hæreticis interpolata fuisse, non inficior, qualia ostentabant Quartodecimani, de quibus *S. Epiphanius* Hæresi quinquagesima: *Sunt inter eos nonnulli, qui unam eamdemque diem observant, & unà eademque jejunant & Mysteriis operantur. Nam ex Actis Pilati accuratam se hujus instituti rationem didicisse gloriantur; in quibus scriptum est, VIII. Kal. Aprilis Salvatorem esse passum. Quamobrem illa ipsa die celebrare Pascha volunt, in quamcumque demum Luna XIV. dies incurrerit...... Nos Actorum ejusmodi Pilati Exemplaria quædam invenimus, quæ A. D. XV. Kal. Aprilis Passionem Domini Christi contigisse*

*gisse narrabant.* Præter hæc fuerunt etiam alia *Pilati* Acta ab Ethnicis conficta, plena impietatis adversùs Christum, quæ ex mandato *Maximini* Tyranni publicè tum in agris, tum in civitatibus proponebantur, & à Ludimagistris pueris discenda tradebantur, teste *Eusebio*, libro IX. *Historiæ Ecclesiasticæ*, cap. v. Hinc *Maximinus* Tyrannus, in Actis Passionis *SS. Tarachi*, *Probi*, & *Andronici*, ait: *Iniquissime, non scis quem invocas, Christum hominem quemdam factum, sub custodia Pontii Pilati positum, cujus Acta reposita sunt?* Horum Actorum *Pilati* falsitatem ex *Tiberii* Consulatu probat *Eusebius*, lib. I. *Historiæ Ecclesiasticæ*, cap. IX. *Josephus*, inquit, *in octavo-decimo Antiquitatum Libro, anno duodecimo Principatus Tiberii Pontium Pilatum Procurationem Judææ accepisse auctor est, ibique decem annis usque ad Tiberii fere exitum permansisse. Ex quibus manifestè convincitur commentum eorum qui Acta adversus Servatorem nostrum nuperrimè ediderunt. In quibus primùm ipsa temporis ratio Actis prænotata, Auctores mendacii coarguit. Quippe Consulatu Tiberii Augusti quarto, qui incidit in septimum ejus Imperii annum, ea quæ isti in Salvatoris Domini nostri Passione ausi sunt confingere, gesta dicuntur. Quo quidem tempore nondum in Judæam venisse Pilatum satis constat, si testimonio Josephi fides adhibenda est. Qui in libro jam supra laudato disertè indicat, anno Principatus Tiberii duodecimo Pilatum Judææ Procuratorem à Tiberio factum fuisse.*

Porrò Pilatus Imperante Caio, in tantas incidit calamitates, ut mortem sibi consciscere, suorumque ipse scelerum vindex esse coactus fuerit. (ex Eusebio lib. 2. Historiæ.)

## CAPUT V.

### *De septem Diaconorum Electione.*

CRESCENTE in dies Credentium numero, septem Diaconi ab Apostolis electi sunt, scilicet Stephanus, Philippus, Prochorus, Nicanor, Timon, Parmenas, & Nicolaüs. Occasionem huic electioni dedit murmur Græcorum adversùs Hebræos, eo quòd despicerentur in ministerio quotidiano, id est, in eleemosynarum quotidiana distributione, viduæ eorum. Eorum electio & ordinatio facta est ab Apostolis, populo fideli testimonium de eorum sanctitate perhibente, ut colligitur ex Actuum cap. 6. *Ne quis indignus obreperet*, ut S. Cyprianus notat Epistola XXVIII.

Hinc ortum habit veteris Ecclesiæ praxis, quâ electiones Episcoporum fiebant suffragante Christianæ plebis testimonio. Unde S. Cyprianus loco mox laudato ait: *Diligenter de traditione divina, & Apostolica observatione servandum est, & tenendum, quod apud nos quoque, & ferè per universas Provincias tenetur, ut ad Ordinationes ritè celebrandas, ad eam plebem, cui Præpositus ordinatur, Episcopi ejusdem Provinciæ proximi quique conveniant; & Episcopus deligatur plebe præsente, quæ singulorum vitam plenissimè novit, & uniuscujusque actum de ejus conversatione perspexit.* Quo ex loco Sancti Cypriani, Ministrorum sacrorum electionem ad plebem pertinere, perperam Hæretici colligunt, cùm solum testimonium plebis desideret. Cujus adhuc disciplinæ quædam supersunt in Ecclesia vestigia: siquidem designatio Clerici ad Ordines sacros palam in conventu Christiani populi denuntiatur, ut si quid in ipso agnoscat aliquis, quo sacro fiat indignus Ordine, illud Ecclesiæ significet, antequam inauguretur.

Porrò electi non fuerunt Diaconi, ut mensis tantùm communibus ministrarent, sed Mensis sacris, in quibus divinus panis frangebatur, id est, Corpus Christi ab Apostolis consecratum dividebatur Fidelibus juxta illud I. ad Corinthios 10. *Panis quem frangimus, nonne participatio Corporis Domini est?* Enimverò quid ad cibaria mensis communibus inferenda opus fuisset Ministris tanta solicitudine delectis, tam sacris ritibus initiatis? Quid prævia oratione eligi, & manuum impositione illos consecrari necessum fuisset, si mensarum duntaxat communium ministerio præpositi fuissent? Hinc S. Ignatius Martyr in Epistola ad Trallianos, ait: *Oportet & Diaconos Mysteriorum Christi Ministros per omnia placere: nec enim ciborum & potuum ministri sunt, sed Ecclesiæ Dei administratores. Quid verò Diaconi, quàm imitatores Angelicarum virtutum: qui purum & inculpatum ministerium illis exhibent?* nimirum Sacerdotibus.

## CAPUT VI.

### *De Sancti Petri Gestis post Ascensionem Christi.*

SANCTI Petri Apostolorum Principis Prædicatio, miracula, persecutiones in Actis à S. Luca memorantur. Cap. 3. refert ipsum cum Joanne in Templum ascendentem, claudum à matris utero sanasse, ac docuisse ipsos id fecisse per fidem nominis Christi, quem ostendit esse Messiam promissum per Moysen & Prophetas. Hoc in miraculo Sancti Petri, mysterium agnoscit Sanctus Ambrosius Sermone 12. in Natali Apostolorum Petri & Pauli, sive potiùs *S. Maximus*, cùm ait ipsum priùs pedes sanasse, ut *Sicut in Ecclesia fidei fundamentum continebat, ita & in homine membrorum fundamenta consignaret.*

> Ananiæ & Sapphiræ pœnam, non crudelitatis fuisse, sed præsentis doctrinæ, multa hominum pœnitentia profuturam, ostendit Sanctus Isidorus Pelusiota lib. 1. Epist. 151.

Cap 5. Ananiam, & uxorem ejus Saphiram, divenditi agri pretium sibi ex parte servantes, & mentientes Spiritui sancto, verbo interfecit; ut hoc severitatis exemplo disciplina Christiana sanciretur. Cæterùm hanc pœnam, non ad supplicium sempiternum, sed ad expiationem peccati, à Domino esse illatam, existimarunt Origenes Tract. 8. in Matthæum, & Sanctus Augustinus lib. 3. contra Parmenianum, cap. I. Ibidem, scilicet cap. 5. Actuum jam citato, umbra Petri languentium immensum numerum sanasse dicitur, quibus miraculis Deus Apostolorum Principem celebrem fecit, ut qui Primatu in Ecclesia eminebat, miraculis quoque præfulgeret.

Cap. 8. S. Petri cum Simone Mago congressus recensetur, quem quòd Spiritus sancti donum sive miraculorum virtutem emere vellet, acerrimè corripuit.

> Tabitha. Syriaco nomine, Græco Dorcas, id est, Caprea.

Cap. 9. refertur curatio Æneæ Paralytici, Lyddæ facta à Petro; & suscitatio Tabithæ, quæ & Dorcas vocata est, in Joppe, impetrata lacrymis & precibus viduarum ostendentium tunicas quas mulier illa sanctissima ipsis texuerat, & dederat, quâ de re Sanctus Cyprianus lib. de Opere & Eleemosynis egregiè ait: *Sensit Petrus impetrari posse quod sic petebatur: nec defuturum Christi auxilium viduis deprecantibus, quando esset in viduis ipse vestitus. Mors itaque suspenditur, & spiritus redditur. Tantùm potuerunt misericordiæ merita; tantùm opera justa valuerunt. Quæ laborantibus viduis largita fuerat subsidia vivendi, meruit ad vitam viduarum petitione revocari.*

Sub id tempus, anno scilicet Æræ vulgaris 38. S. Petrus Antiochenam Ecclesiam fundavit, quam rexit septem annis. Quam ob Petri sessionem potissimùm Ecclesia illa Patriarchica evasit. Ibi primùm

mùm cognominati sunt Discipuli Christiani, ut dicitur *Actuum* 11.

Anno Christi 41. per lintei de cælo descendentis, & omne genus animantum continentis, visionem admonitus est Sanctus Petrus, Evangelium Gentibus esse prædicandum. Hinc à Cornelio Centurione jussu Angeli accersitus, venit ad illum, ipsumque & alios compluses visibili Sancti Spiritûs adlapsu sanctificatos, baptizari jussit. (*Act.* 10. *cap.*)

Anno Claudii Imperatoris 2. Christi 44. S. Petrus Romam profectus est: ibi debellavit Simonem Magum, fundavit Ecclesiam, Cathedram B collocavit, in qua sedit ad mortem usque, 25. annorum spatio. De Petri adventu Romam, déque ejus prædicatione, legatur Eusebius libr. 2. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 11.

Antiochenæ, quam deserebat Ecclesiæ, Evodium præfecit S. Petrus: cui Sanctus Ignatius successit. Alexandriam verò direxit Sanctum Marcum, cui Anianus successit, teste Eusebio lib. 2. cap. 23. Aniano verò Cerdo (ut idem scribit libr. 3. cap. 16.) De institutione Alexandrinæ Ecclesiæ à Sancto Marco, & de moribus Christianorum, quos ipse formavit, lege Eusebium lib. 2. Historiæ cap. C 15. & 16. ubi & multa præclaraque refert ex Philone Judæo, de Religiosis, qui jam tum in Ægypto florebant, quibus obstruitur os recentiorum negantium Monachos in ipsis Ecclesiæ incunabulis extitisse. Alexandrina porro Ecclesia à Marco Sancti Petri nomine fundata, secundum à Romana locum semper obtinuit.

Anno Christi 51. Claudii Imperatoris 9. cùm Judæi Cæsaris Edicto Româ pulsi essent, ac inter illos Petrus, opportunè accidit ut Sanctus Petrus Hierosolymam veniret, celebraturus Apostolorum Concilium, cui occasionem dedit seditio orta D Antiochiæ propter Judæos volentes ut Gentibus ad Deum conversis lex Circumcisionis, Legisque Moysi servandæ obligatio imponeretur. Re ad Apostolos per Paulum & Barnabam relatâ, Concilium actum est, in quo Petrus pro jure Primatûs sui, prærogativâ suffragii potitus est. *In cujus sententiam Jacobus Apostolus, & omnes simul Presbyteri transierunt*, inquit Sanctus Hieronymus Epistolâ 89. quæ est ad Sanctum Augustinum. Finitâ consultatione Concilii, decretum editum est hoc tenore: *Visum est Spiritui sancto, & nobis, nihil ultra imponere vobis oneris, quàm hæc necessaria: ut abstineatis vos ab immolatis simulachrorum, & sanguine, & suffocato, & fornicatione: à quibus custodientes vos, bene agetis.* Missa est autem Epistola Synodica ad Fideles Antiochiæ degentes per Judam cognomento Barsabam, & Silam viros primarios. Hæc referuntur Actuum 15. Abstinentia porro à sanguine & suffocato præceptum fuit tantùm ab Apostolis datum ad tempus, ut faciliùs ex Gentibus & Judæis Ecclesia coalesceret: quam tamen legem semper observavit Ecclesia Græca, & primis nominis Christiani sæculis universim Latina; imò, provectâ jam Ecclesiæ ætate, multis in regionibus, Pontifices & Concilia, Christianis suffocatorum & sanguinis esu interdixerunt.

Martyrium Romæ subiit Sanctus Petrus anno Neronis 14. ut Eusebius testatur in Chronico, seu 13. cadente. Ad duodecimum Neronis annum hoc referunt Sanctus Epiphanius Hæresi XXVII. & Prologus Anonymi Auctoris Græci Commentario OEcumenii in Acta præmissus. Uno tempore, uno eodemque die cum *S. Paulo* Romæ Martyrium obiit, ut *Eusebius* in Chronico, *S. Dionysius* Corinthiorum Episcopus, apud eumdem *Eusebium* lib. 11. Historiæ, cap. 25. *S. Epiphanius* Hæresi XXVII. S. Hieronymus in Catalogo Virorum

A Illustrium, *S. Asterius* Homiliâ VIII. & Concilium Romanum sub Gelasio testantur. Ea dies fuit vigesima-nona Junii, qua eorum natale celebrat Ecclesia. Quamvis porro in Fastis *Ptolemæi Silvii* vigesimâ secundâ Februarii legatur adscripta: *Depositio SS. Petri & Pauli*, nullâque de ipsis mentio habeatur ad vigesimam-nonam Junii, id non cogit ut à communi ac receptâ sententiâ discedamus, cùm in veteri Kalendario Romano à *Bucherio* edito ad diem Junii vigesimam-nonam legatur: *Petri in Catacumbas, & Pauli Ostiense, Tusco & Basso Coss.* Ad diem verò vigesimam secundam Februarii: *Natale Petri de Cathedra.* Cruci suffixus est S. Petrus capite deorsùm demisso; sic enim ut in Cruce collocaretur oraverat, cùm ad dolorem augendum, tum ne Christo crucifixo planè similis in mortis genere videretur.

## CAPUT VII.

### *De Gestis Sancti Pauli.*

PAULUS, qui & Saulus dictus est, conversio C mirabilis facta est anno Christi, secundùm Æram vulgarem, 34. post Servatoris in cælos Ascensum primo; Domino ipsi aspectabilem se præbente, & Anania ad ipsum misso, à quo baptizatus, cœpit acerrimè tueri divinitatem Christi. Cùm autem Judæi ipsi molirentur insidias, Discipuli per murum ipsum demiserunt, in sporta. Hunc Barnabas Hierosolymam duxit ad Apostolos, ut ejus doctrina ab Ecclesia probaretur, unde ut sibi rursus structas insidias evaderet, Cæsaream, & hinc Tarsum deductus est. (*Act. c.* 9.)

Anno Christi 43. Barnabas, qui Antiochiam D ab Ecclesia Hierosolymitana missus, multùm ibi populum Christo pepererat, Paulum, Tarso, Antiochiam secum abduxit, ubi cùm anno solido conversati docuissent, anno sequenti missi fuot à Discipulis Hierosolymam, ut deferrent collectas eleemosynas ad succurrendum Christianis inopiâ laborantibus, grassante fame, quam Agabus Propheta Antiochiæ prædixerat. (*Act.* XI.)

Anno Christi 45. Antiochiam reversi, jubente Spiritu sancto ut ad opus Evangelii inter Gentes prædicandi segregarentur, præmissâque oratione & jejunio, ad Apostolici muneris executionem, E manuum impositione consecrati sunt. (*Act.* XIII.)

Anno Christi 46. cùm Paulus Barnabâ comite, peragratâ Seleuciâ, Cyprum navigasset, Paphum veniens, Sergium Paulum Proconsulem ad Fidem convertit, excæcato ad tempus Barjesu, Pseudopropheta Judæo, qui & Elymas Magus dictus est, eò quòd ejus Prædicationi resisteret, ac Proconsulem avertere à fide conaretur. (*Ibidem.*)

Cypro deinde navigans Paulus, Pergen Pamphiliæ venit, indéque Antiochiam Pisidiæ; ubi cùm ingressus esset Synagogam, die Sabbathi invitatus ad concionem habendam coram plebe, F multos ad Christi fidem perduxit; quod cùm sequenti Sabbatho, coram universâ penè civitate, iterum præstitisset, Judæis blasphemantibus, & persecutionem in eum moventibus, juxta Isaiæ vaticinium, conversus est ad Gentes. *Vobis*, inquit, *primùm oportebat loqui verbum Dei: sed quoniam repellitis illud, & indignos vos judicatis æternæ vitæ, ecce convertimur ad Gentes. Sic enim præcepit nobis Dominus: Posui te in lucem Gentium, ut sis in salutem usque ad extremum terræ.* Itaque religiosarum mulierum tumultu, & primorum civitatis auctoritate expulsus cum Barnaba Paulus, Iconium, quæ Lycaoniæ civitas est, anno sequenti venit. (*Ibidem.*)

Anno itaque Christi 47. Paulo Iconii prædicante, ingens Judæorum ac Ethnicorum numerus Christo nomen dedit. Ibi Theelam ad fidem & virginitatis propositum convertit, cùm sponso nobili ac diviti nupta esset, ut testantur Sanctus Epiphanius Hæresi 78. Ambrosius libr. 2. de Virginibus, & Sanctus Augustinus libr. 30. contra Faustum cap. 4. nequaquam ab isto Hæretico id asserente dissentiens. Verùm cùm varia in studia scissi essent Iconienses, & in Paulum concitata esset à Judæis persecutio, ipse Lystram fugit. Ibi claudum ex utero matris cùm sanasset, divinos ipsi & Barnabæ honores deferre voluerunt Lystrenses, quos illi conscissis vestibus constantissimè repulerunt. Demum concitatâ à Judæis turbâ Paulus lapidibus appetitus, ac pro mortuo relictus, Deo illum servante, evasit, & Derben, Antiochiam, regionesque finitimas docens lustravit. (*Act.* xiv.)

Porro cùm anno Christi 51. Petrus Antiochiæ, quò recèns advenerat post Hierosolymitanum Concilium, primò cum Gentibus cibum sumeret, postea verò quibusdam a Jacobo advenientibus sese segregaret, ne offendiculo esset iis qui ex Circumcisione erant, Paulus in faciem ei restitit, quia reprehensibilis erat (Epistolæ ad Galatas 2. cap.) Quod non simulatoriè, sed sincerè à Paulo factum est, ut Sanctus Augustinus probat contra Sanctum Hieronymum, Epistola præsertim 19. sed & Sanctum Petrum verè legalia observasse, non ex honesta dispensatione eorum observantiam simulasse (ut Hieronymus contendebat) ibidem & in præcedentibus Epistolis ostendit.

*Tom. I. Annalium ad an. Chr. 51. Baronius emendatur.*

Hic meritò notandus venit Baronius, qui scripsit Sanctum Augustinum nunquam satis exploratam habuisse Hieronymi sententiam, quippe qui in eo versetur semper, Apostolum non esse mentitum, sed eâdem Epistola, quæ vera essent, scripsisse ad Galatas. At (inquit Annalium Parens) Hieronymus non dicebat Paulum esse mentitum; quod tunc contigisset, si quæ minimè facta essent, ea perinde ac facta scripsisset, vel aliter quàm gesta fuissent: quorum neutrum Hieronymus impingit Apostolo; sed ipsum quæ verè facta, & ut facta essent, scripsisse nullatenus dubitavit. At longè aliud est (inquit Baronius) à Paulo vera esse narrata; aliud ea quæ sunt ut vera narrata, per simulationem, ex composito, facta; quod Hieronymus, & citati omnes affirmabant Auctores.

At perperam id notat Baronius: licèt enim noo asseruerit Hieronymus mentitum esse Paulum; id tamen ex ejus sententia evidenter sequebatur, ut evincit Augustinus; quia si Petrus à rectitudine Evangelii nullatenus deviaverat errore conversationis, consequens erat Paulum falsò scripsisse, quòd ipsum vidisset non rectè ambulantem ad veritatem Evangelii. Præterea si Petrus ne minimùm quidem peccavit (ut contendit Annalium Ecclesiasticorum Parens,) noo igitur erat reprehensioni verè obnoxius. Eccur ergo Paulus Apostolorum Principem coram omnibus objurgasset, eique in faciem restitisset? Meritò igitur Augustinus ait: *Si hoc fecit Petrus, quod facere debuit, mentitus est Paulus, quòd eum viderit non rectè ingredientem ad veritatem Evangelii. Quisquis enim id facit, quod facere debet, rectè utique facit, & ideo falsum de illo dicit, qui dicit eum non rectè fecisse, quod eum novit facere debuisse. Si autem verum scripsit Paulus, verum est quod Petrus non rectè tunc ingrediebatur ad veritatem Evangelii.*

Nec refert, quòd occasione operis, jure ritéque ex dispensatione patrati (ut loquitur Baronius) res, quæ reprehendenda meritò foret, esset oborta, nimirum quòd ejus exemplo Gentes ad judaïzandum impellerentur. Non, inquam, id refert: quia injusta fuisset Pauli libertas, suæ animadversionis aculeum in Petrum distringentis, nisi aliquatenus deliquisset. Injustè enim quis ob aliorum peccatum reprehenditur, cujus nulla ratione sit particeps. Sane actionibus Christi multoties Judæi offensi sunt, an ideo quis reprehensioni obnoxium fuisse Salvatorem dixerit?

Denique, quòd Hieronymus officiosum mendacium, ex dispensatione quâdam licuisse Apostolis revera existimaverit; ejusque mentem planè assecutus sit S. Augustinus, cùm ejus sententiam eo nomine sugillavit, quòd officioso mendacio patrocinaretur, ex eo probari potest, quod Hieronymus ipse scribit in Epistolis ad Augustinum suis, cùm Origenis Commentarios, & Græcorum aliorum sententias se asserit secutum; quos mendacii officiosi causam egisse, ac exemplo Petri legalium observationem simulantis roborasse, eruditorum nemo nescit.

In illa verò Petri à Paulo reprehensione, tum Pauli libertatem ac zelum, tum Petri humilitatem æquo jure miteris. De quibus Sanctus Augustinus Epistola 19. jam laudatâ hæc habet. *Ipse verò Petrus quod à Paulo fiebat utiliter libertate charitatis, sancta ac benigna pietate humilitatis accepit, atque ita rarius & sanctius exemplum posteris præbuit: quo non dedignarentur (sicubi forte recti tramitem reliquissent) etiam à posterioribus corrigi; quàm Paulus, quò confidenter auderent etiam minores majoribus, pro defendenda Evangelica veritate, salva fraterna charitate obsistere. Nam cùm satius multò sit à tenendo itinere in nullo, quam in aliquo declinare; multò est tamen laudabilius & mirabilius libenter accipere corrigentem, quàm audacter corrigere deviantem. Est laus itaque justæ libertatis in Paulo, & sanctæ humilitatis in Petro.*

His Antiochiæ peractis, post aliquot dies Paulus Barnabam hortatus est, ut lustrarent simul Ecclesias, quas doctrinâ Evangelicâ imbuerant. Sed cùm Barnabas Joannem cognomento Marcum suum consobrinum, assumere vellet socium peregrinationis & ministerii, renueretque Paulus ejus societatem, quia ipsos olim deseruerat Pamphyliam peragrantes; facta est dissensio inter Apostolos, non animorum, sed consiliorum. Hinc monente Spiritu sancto, ab invicem discesserunt; & Barnabas quidem, assumpto Marco, navigavit Cyprum: Paulus verò, electo Sila, aliò profectus est; perambulavit scilicet Syriam & Ciliciam, confirmans Ecclesias, & præcipiens custodire præcepta Apostolorum & Seniorum. (*Act.* xv.)

Subinde cùm Lystram Paulus pervenisset, assumptum Timotheum discipulum circumcidit. (*Act.* xvi.) Quod præstitit, quia filius erat mulieris Judææ fidelis, quamvis patre Gentili, ut ita circumcisus *Ostenderet cognatis suis, ad eos lucrifaciendos, non hoc se didicisse in Disciplina Christiana, ut illa Sacramenta, quæ Legis veteris erant, abominaretur: utque demonstraret* (Paulus) *Judæis, non ideo Gentes non ea suscipere, quia mala sunt, perniciosè à Patribus observata; sed quia jam saluti non necessaria, post adventum tanti Sacramenti, quod per tam longa tempora tota vetus illa Scriptura propheticis figurationibus parturivit*, (inquit S. Augustinus libr. de Mendacio cap. 5.)

Hinc cùm in Asiam & Bithyniam iter meditaretur Paulus, prohibuit ipsum Spiritus sanctus, ne illas in regiones Evangelium inferret. Mox auditâ per visum voce supplici cujusdam viri Macedonis, stantis & dicentis; *Transiens in Macedoniam, adjuva nos*: comite Lucâ, Philippos, quæ est prima partis Macedoniæ civitas, colonia, appulit. Ibi coovertit, baptismoque initiavit Lydiam purpurariam:

*Pythonem, id est, qui pythonis [illegible].*

putatiam: & spiritum Pythonem, seu dæmonem divinationis in puella, quam obsidebat, auctorem, ejecit. Ob id à puellæ dominis, qui spem omnem quæstûs ex illius divinatione colligendi sibi ademptam dolebant, concitata in Paulum seditio est, quasi in Novatorem. Conjectus est in carcerem cum Sila, virgis cæsus. Terrâ magno motu concussâ, solutisque divinitus eorum vinculis, carceris custodem ad Christum converterunt. Postero die Magistratibus eorum dimissionem per lictores imperantibus, Paulus magnanimitate incredibili ductus exire noluit, nisi ipsi eorum innocentiam impræsentiarum & palam promulgarent. *Cæsos*, inquit, *nos publicè indemnatos, homines Romanos, miserunt in carcerem, & nunc occultè nos ejiciunt? Non ita; sed veniant, & ipsi nos ejiciant. Nuntiaverunt autem Magistratibus Lictores verba hæc: timueruntque, audito quòd Romani essent: & venientes deprecati sunt eos, & educentes, rogabant ut egrederentur de urbe.* ( Act. xvi. )

Eodem anno Christi 51. Paulus venit Thessalonicam, ubi erat Synagoga Judæorum, ex quibus non paucos, & Gentium ingentem numerum, & multas mulieres nobiles Christo adjunxit. Quapropter seditio in Paulum concitata est à Judæis: quorum furori ut ipsum eriperent Fideles, noctu dimiserunt illum, cum Sila, Berœam. Ibi fructum non exiguum collegit: sed conspiratione rursus in ipsum facta à Judæis Thessalonicensibus, hinc evasit, remanentibus ibi Sila & Timotheo. Ipse verò Paulus Athenas profectus est, ubi Christum Jesum, Ignotum *a* Athenensibus Deum, & mortuorum resurrectionem Areopago coram prædicavit, & Dionysium Areopagitam convertit ad Christum. ( *Act.* xvii. )

*Anno Christi 52.*

*a Judæorum Deus, ἄγνωστος, incertus, innominatus Deus, apud Gentes vocabatur. Cui Athenienses Aram in media sua urbe posuerunt sine ullo simulachro. Quò spectans ille Statii versus, lib. 12. Thebaidos:*

*Nulla autem effigies, nulli commissa metallo, Forma Dei: mentes habitare & pectora gaudet. Aræ originem inscriptionis hujus Atheniensis aræ aperit S. Isidorus Pelusiota Epist. 69. lib. iv.*

Post hæc, Paulus Corinthum perrexit, ibique manens apud Aquilam Judæum, Ponticum genere, singulis Sabbathis disputabat in Synagoga, D divinitatem Christi prædicabat, exercebat interim artem scenofactoriam, ne alicui oneri esset. Judæis contradicentibus Evangelicæ prædicationi, Paulus excutiens vestimenta sua, dixit ad eos, *Sanguis vester super caput vestrum: mundus ego ex hoc ad Gentes vadam.* Statim inde migravit in domum Titi Justi, Deum colentis. Crispum Synagogæ Primarium, cum omni ejus familia, Christo lucratus est: ac cœlesti visione recreatus, bonoque jussus esse animo, quòd multus Domino populus hac in civitate acquirendus esset, mensibus octodecim ibi mansit, verbum Dei continuò docens. ( *Act.* xviii. )

Accusatus interim est Paulus ad Gallionis *b* Proconsulis tribunal à Judæis: at ille causæ cognitionem suscipere noluit, quòd de verbo & Lege Mosaica quæstio esset. *Ibidem.*

*b Gallio Achaiæ Proconsul, ?L. Annæi Senecæ frater natu major, Novatus appellatus, quod à Junio Gallione adoptatus esset, Gallionis nomen obtinuit.*

Anno Christi 53. vertente Paulus navigavit in Syriam, Priscilla & Aquila comitibus; cùm antè, propter voti religionem, sibi caput in Cenchris totondisset: ubi Priscilla & Aquila relictis, venit Ephesum, ibique Synagogam ingressus disputationem iniit cum Judæis ( Act. 18. ) Ephesi diu moratus non est; sed postquam Cæsaream ascendisset, deinde Antiochiam, ubi aliquandiu mansit; ac demum Galatiam & Phrygiam lustrasset, discipulos ut confirmaret universos, reversus est Ephesum. Ibi quosdam discipulos Joannis tantùm baptismate initiatos, baptizari jussit in nomine Jesu, & manuum impositione Spiritum sanctum illis impetravit. Biennio ibi mansit, quotidie disputans in schola Tyranni cujusdam. Prædicationem Pauli insignibus miraculis confirmavit Christus, ita ut ejus sudaria & semicinctia ægrotos curarent, energumenos liberarent. Quæ validissimum adversùs hæreticos cultum reliquiarum sacra-

A rum damnantes, præbent argumentum. ( *Act.* xix. )

Ibidem, Judæi quidam, Scevæ Principis Sacerdotum septem filii, Exorcistarum munia usurpantes, dæmonesque adjurantes in nomine Jesu, quem Paulus prædicabat, malè ab Energumeno quodam excepti sunt, anno Christi 56. cujus claritate miraculi, multi Credentium commoti, veniebant confitentes & annuntiantes actus suos. Multi etiam ex iis, qui fuerant curiosa sectati; putà qui magicis artibus, vel Astrologiæ judiciariæ operam dederant, contulerunt libros, & combusserunt coram omnibus. ( *Ibidem.* )

B Anno Christi 57. S. Paulus audito Corinthii incestuosi nefario facinore, ipsum excommunicavit. Qua de re lege 1. ad Cor. cap. 5. Inflixit autem illud anathema per Epistolam tunc ad Corinthios datam. Post hæc, excitata est seditio adversùs Paulum à Demetrio, opifice argentario, & aliis ejusdem artis hominibus, qui quæstum imminui suum prædicatione Pauli dolebant; quia stabilito veri Dei cultu, tot Dianæ statuas argenteas & ædiculas, quot antea, non conflabant. Alexander Scriba tumultum prudenter, sed ægrè sedavit. ( *Act.* xix. )

C Rebus pacatis, relicto Ephesi Timotheo, quem primum illius Ecclesiæ constituit Episcopum, ut scribit Eusebius libr. 3. Histor. Eccl. cap. 4. varias Macedoniæ & Græciæ partes peragravit. Troade in mediam noctem concionatus, Eutychum adolescentem, qui è tertio cœnaculo ruens mortuus erat, suscitavit. Variis deinde locis lustratis, Miletum pervenit. ( *Act.* xx. )

Anno Christi 58. alteram ad Corinthios Epistolam scribens, incestuosum illum, quem priori Epistola tradiderat Sathanæ, indulgens absolvit. ( 2. *Cor.* 2. )

Porro cùm Mileti ageret Paulus, Ecclesiæ Ephesinæ Primores illuc vocavit, ipsosque ad regendam summâ vigilantiâ Ecclesiam adhortatus est. ( *Act.* 20. )

Inde profectus, post varias navigationes venit Cæsaream, ubi hospitio exceptus est à Philippo uno ex septem Diaconis, *c* cui quatuor filiæ virgines erant, dono prophetiæ insignes. Ibi Agabus Propheta vaticinatus est Paulo persecutiones quæ ipsum manebant Hierosolymis, quò iter meditabatur: nec tamen amicorum precibus & lacrymis eo ab itinere averti potuit, ad mortem pro Christo obeundam paratissimus. ( *Act.* xxi. )

*c Hunc cum Philippo Apostolo confundit Eusebius, lib. 3. Histor. Eccles. cap. 30. & 31. Clementem Alexandr. & Polycratem secutus.*

Hierosolymam igitur Paulus pervenit: ibi Jacobi E consilio, votum Nazaræatus, quod in capillorum rasura, in abstinentia à vino ad certum tempus, & quarumdam victimarum oblatione positum erat, ( ut constat ex Lege Numeror. 6. ) cum quatuor viris ejusdem voti religione obstrictus exsolvit, ut se Legis Mosaïcæ observantissimum probaret; atque confunderet eos, qui Judæis persuadere nitebantur ipsum discessionem docere à Moyse. ( *Ibidem.* )

Interim plebe à Judæis Asiaticis concitata, raptus est Paulus extra Templum, & verberibus afflictus. Ex eorum manibus ereptus est à Tribu- F no, cujus jussu catenis duabus alligatus, in castra ductus est; & obtenta ab ipso loquendi ad populum facultate, causam suam egit. Cùm autem indignè ferrent Judæi, quòd se à Deo missum ad Gentes diceret, & ipsum clamoribus, vestium scissione & jactu pulveris in aërem hujus usura lucis indignum significarent, ad flagella damnatus est à Tribuno: sed Romanum se civem contestatus, horum inflictionem evasit. ( *Act.* xxi. & xxii. )

Postera die diligentiùs inquirere volens Tribunus qua ex causa Paulus accusaretur à Judæis, solvit illum, & convocato Sacerdotum Concilio,

 quod

quod Sanedrin vocabant, coram isto tribunali ipsum produxit. Cùm perorare causam inciperet, Princeps Sacerdotum Ananias jussit ipsum in faciem percuti; quem ideo vocavit parietem dealbatum. At cùm ipsi improperassent adstantes maledicentiam in Summum Sacerdotem, statim se excusavit ex ignorantia dignitatis qua exornatus erat. *Nesciebam*, inquit, *quia Princeps est Sacerdotum. Scriptum est enim: Principem populi sui non maledices.* Porro cùm ex Pharisæis, & Saducæis constare Concilium Paulus animadverteret, ut sibi conciliaret Pharisæos, dixit: *Viri fratres, ego Pharisæus sum, filius Pharisæorum, de spe & resurrectione mortuorum ego judicor.* Secundùm Pauli votum res cessit: nam facta est dissensio inter Saducæos & Pharisæos, quorum aliqui patrocinium ipsius susceperunt. Quadraginta subinde conjuratorum insidiis in Pauli vitam ab ipsius nepote detectis, & ad Tribunum delatis, ipsum Tribunus Cæsaream militibus stipatum misit ad Felicem Præsidem, datâ ad ipsum Epistola, quam cùm legisset Felix, jussit Paulum in Prætorio Herodis custodiri. (*Act.* xxiii.)

Post quinque dies, Princeps Sacerdotum Ananias, cum Senioribus nonnullis Synagogæ, & Tertullo quodam Oratore, Præsidem adiit. Tertullus adversùs Paulum peroravit. Paulus diluit crimina sibi afficta, coram Felice, & Drusilla [a] ejus uxore, quæ erat Judæa; disseruit de fide in Christum Jesum. Sermo à Paulo habitus de justitia, de castitate, & de judicio futuro, timore affecit Felicem: qui spe pecuniæ, quam ab Apostolo captivo aucupabatur, frustratus, ipsum vinctum reliquit, Judæis ut faveret. (*Act.* xxiv.)

[a] Filia hæc erat Agrippæ Regis, alia à Drusilla Felicis uxore altera, Jubæ Mauritaniæ Regis filia, Antonii & Cleopatræ nepte.

Felici Præsidi in Præfectura successit Portius Festus, qui Judæorum votis, rogantium ut Paulum Hierosolymam perduci juberet, annuere noluit; sed ejus accusatoribus, illiusque responsione Cæsareæ auditis; cùm à Festo rogatus esset vellet ne Hierosolymis ab ipso judicari, Cæsarem appellavit. Tum Præses cum Concilio locutus dixit: *Cæsarem appellasti? ad Cæsarem ibis.* (Act. xxv.)

Post dies aliquot, Festus Agrippæ Regi, qui ipsum salutationis ergo convenerat, Pauli causam exposuit. Postera die, Rex, qui ipsius audiendi desiderio incredibili tenebatur, à Festo obtinuit, ut se coram, & Bernice sorore, in auditorio sisteretur. Ibi Paulus gravissimam habuit coram Festo & Agrippa Orationem, quâ suæ ad Christum conversionis ordinem narravit, rationemque reddidit religionis, quam hucusque prædicaverat. Hunc, post multa, interturbavit Festus, dicens: *Paule, multæ te literæ ad insaniam convertunt.* Cui Paulus: *Non insanio*, inquit, *optime Feste, sed veritatis & sobrietatis verba loquor. Scit enim de his Rex: ad quem & constanter loquor: latere enim eum nihil horum arbitror; neque enim in angulo quidquam horum gestum est. Credis, Rex Agrippa, Prophetis? Scio quia credis.* Cui Agrippa respondit: *In modico suades me Christianum fieri.* Reposuit Paulus: *Opto apud Deum, & in modico, & in magno, non tantum te, sed etiam omnes qui audiunt, hodie fieri tales, qualis & ego sum, exceptis vinculis his.* Tum Agrippa Festo dixit, Paulum dimitti potuisse, si Cæsarem non appellasset. (*Act.* 26.)

Post hæc Paulus, custodiæ Julii Centurionis traditus, navi impositus est Romam ut perduceretur. Cùm per varia loca navigassent, adverso vento, vix ad quemdam in Creta locum pervenerunt: à quo licèt periculosam navigationem esse Paulus moneret, solventes, tempestate magna jactati sunt: tandemque Pauli consolatione recreati, ex naufragio incolumes evasere. (*Act.* xxvii.)

Allisa est autem navis prope Melitam [a] Insulam, in qua Paulus, cæterique ipsius comites, ab incolis perhumanè excepti sunt. Paulus à vipera percussus, nihil mali passus est, summa cum spectantium admiratione, qui ipsum numen quoddam esse suspicabantur, cùm antea homicidam existimarent. Neque verò hoc solùm facinore celebre ibi factum est Pauli nomen, nam patrem Publii, Principis insulæ, graviter laborantem, ac multos alios, pristinæ sanitati restituit. (*Act.* xxviii.)

[a] Maltha.

Anno Christi 59. Paulus cum sociis ex Melita Insula Romam adnavigavit; ubi, convocatis Judæorum primoribus, causam ipsis exposuit cur Cæsarem appellasset. Stata die, ad ipsos concionem habuit, in hospitio, de Christo Jesu, ejus divinitatem & mysteria, ex Lege Moysi, & Prophetis, à mane ad vesperam, probans. Multi ad fidem conversi; multi Evangelicæ doctrinæ cor occluserunt, quod ab Isaia Propheta prædictum Paulus ostendit. Denique solido biennio fidem Christi prædicavit omnibus, qui ad eum accederent, in proprio conducto, seu hospitio, ubi catena vinctus, cum custodiente se milite degere permissus est. (*Act.* xxviii. & *ult. cap.*)

Paulum autem nonnullos etiam ex aula & familia Neronis ad Christum convertisse, constat ex ipsius Epistola ad Philippenses cap. 4. ubi ait: *Salutant vos omnes Sancti, maximè autem qui de Cæsaris domo sunt.* Cæterùm cùm Paulus ad Cæsarem provocasset, Romamque à Festo missus esset, Judæi qui insidias ipsi struxerant, spe suâ frustrati, in Jacobum Fratrem Domini, cui Episcopalis Hierosolymorum sedes ab Apostolis tradita fuerat, rabiem converterunt, eumque è fastigio Templi præcipitatum, ac lapidatum, fullo fuste quo vestes exprimere solebat, in capite percutiens, interfecit. Ejus Martyrium ex Hegesippo prolixè refert Eusebius *lib. 2. Historiæ Ecclesiasticæ* cap. xxiii.

Jacobi fratris Domini Martyrium.

Multa in hoc Hegesippi loco reprehendit Scaliger *in Animadversionibus Eusebianis.* Præcipua hæc sunt. 1. Quod Jacobo scribit Hegesippus in Sancta Sanctorum ingredi licuisse: quod uni Summo Pontifici, idque semel in anno concessum erat. 2. Quòd Gentes cum Judæis convenisse: quod absurdum est: neque enim Gentiles ad ullum Judæorum Festum confluebant. Quemadmodum & illud falsum, quòd xii. Tribus adfuisse dicit; cùm per illud tempus duæ tantùm forent; reliquæ x. pridem in captivitatem abductæ. 3. Osanna refert à Judæis acclamatum: quod in Scenopegia solùm clamabant, cùm ramos ex arboribus defringerent. 4. Jacobum Nazaræum extitisse dicit: ideoque carnibus ac vino temperasse. Ex quo sequeretur illum neque Agnum Paschalem comedisse, neque poculum in extrema Cœna sumpsisse. Verùm hæ Scaligeri rationes non cogunt ut Hegesippi narratio fabulæ instar habeatur. Apud eum namque tantùm legitur, licuisse Jacobo *in Sancta* ingredi, εἰς τὰ ἅγια: non utique Sancta Sanctorum, sive arcana illa sanctioraque penetralia, quæ soli Pontifici semel quotannis patebant; sed quæ Sancta simpliciter nominantur: in quibus mensa, & panes Propositionis, & candelabrum, ac Altare suffitus: quem in locum Sacerdotes quotidie ingredi solebant. Huc ut admitteretur Jacobus, singularis honor fuit delatus ejus sanctitati. Cujus tanta fuit apud Judæos veneratio, ut propter ejus cædem excidium Hierosolymorum contigisse Josephus scripserit. Gentiles Hierosolyma diebus Azymorum confluxisse adorandi causâ, constat ex Joannis XII. *Erant quidem Gentiles ex iis, qui ascenderant ut adorarent in die Festo.* Quamvis abductæ essent x. Tribus non pauci tamen ex illis, vel duabus aliis Tribubus immisti, vel utcunque liberati, manserunt. Et Jacobus Apostolus Epistolam

Refellitur Scaliger.

lam Canonicam *duodecim Tribubus* inscribit. Et S. Paulus Actuum xx. v. 6. *duodecim Tribus sperare* ait *in repromissionem quæ Patribus à Deo facta est.* Ramorum fractio, quanquam in Scenopegiæ tantum festo fieri solita, cum acclamatione *Osanna*, extraordinaria tamen occasione à Judæis fieri potuit, ad publicam testificandam lætitiam. Denique Nazaræi in communi quotidianoque victu carnibus & vino abstinebant; non in Cœna Paschali, in qua esus agni Lege præceptus erat. Lege Petavium in Notis ad Hæresim 78. S. Epiphanii.

*S. Jacobi* fratris Domini necem paulò aliter ac *Hegesippus*, refert *Josephus*, atque id facinus bonos omnes detestatos esse ait; & hanc potissimùm fuisse causam cur Deus hujusmodi impietatem ulciscens, Hierosolymitanum excidium decerneret. Testimoniorum *Josephi* alterum profert *Origenes* lib. 1. & 11. *contra Celsum*, quod sic habet: *Hæc autem contigerunt Judæis in ultionem Jacobi Justi fratris Jesu, qui dicitur Christus, quoniam eum, cùm justissimus esset, Judæi interfecerunt.* Qui locus è Josephi libris expunctus est.

Anno Christi 61. Paulus biennio in vinculis exacto, libertate donatus est. An autem in Hispanias postea profectus sit, quæri solet. Profectum esse, singulari Dissertatione demonstrabimus, ubi agemus de initio prædicationis Evangelicæ in Hispaniis.

Gladio cæsus est Romæ Sanctus Paulus Neronis jussu, anno Christi 69. Neronis ipsius 13. cadente.

## CAPUT VIII.

*Apud quas Gentes Apostoli prædicaverint, & quo genere mortis obierint?*

I. SANCTUS *Petrus* in Ponto, Galatia, Bithinia, Cappadocia atque Asia, Judæis qui in dispersione erant, Evangelium prædicavit, eùm Ecclesiam Antiochiæ fundavisset, quod ex illius Epistola 1. cap. 1. & ex *Eusebio* lib. III. *Historiæ Ecclesiasticæ* cap. 1. constat. Postremò trophæum Crucis Christi Romanis Arcibus intulit, quò illum divinis præordinationibus antelbant & honor potestatis, & gloria Passionis, ut loquitur *S. Leo* Sermone LXXX.

II. *S. Paulus* ab Hierosolymis usque ad Illyricum munus Evangelicæ prædicationis implevit, ut ipse testatur, Epistolæ ad Romanos cap. xv. 19. & confirmant *Eusebius*, *S. Hieronymus* Epistola CXLVIII. *S. Chrysostomus* Homilia XXIX. in Epistolam ad Romanos, illum in Cappadocia, Ponto, & Thracia etiam prædicasse subjungens. Antiochiæ, Iconii, Lystris, Thessalonicæ, Corinthi, Athenis, Ephesi, Lycaonibus, Phrygibus, Galatis, Macedonibus, Philippensibus, Cretensibus, Christum prædicavit, ac demum Romanis. Gladio cæsum Romæ ad Aquas Salvias, constat ex Ecclesiastica Traditione. Mirum quòd *S. Gregorius Nyssenus*, Oratione VIII. *De beatitudinibus*, S. Paulum Martyrium in cruce consummasse scribat: *Crucem*, inquit, *Paulus excipit, gladium Jacobus, lapides Stephanus, capite deorsum verso crucifixionem beatus Petrus.*

III. *S. Andreas* frater *S. Petri* Scythis, Sogdianis, & Saccis, & in Augusta civitate, quæ cognominatur Magna, sive Sebastopolis, ubi est irruptio Apsari, & Phasis fluvius, prædicavit. Id testatur *Sophronius* in Additionibus ad Catalogum Virorum Illustrium S. Hieronymi, & confirmat Prologus *Oecumenii*. De Scythia idem testatur *Origenes* apud Eusebium lib. III. Historiæ cap. 1. Græciam addit Theodoretus in Psalmum CXVI. Epirum *S. Gregorius Nazianzenus* Oratione XXV. Achaiam *S. Hieronymus* Epistola CXLVIII. & alii. S. Andreæ Apostoli Episcopatus sive Cathedra Patris urbe Achaiæ die quinta Februarii consignatur in vetustis Martyrologiis, MS. *S. Hieronymi*, sive veteri Romano, MS. Trevirensi, *Beda* vulgato, *Rabani* & *Notkeri*. S. Andream Ecclesiam Byzantinam sive Constantinopolitanam fundasse, *Nicephorus Constantinopolitanus* in Chronico, *Nicephorus Callistus* lib. II. cap. XXXIX. *Codinus* in Originibus Constantinopolitanis, Græcorum Menæa, ipsúmque Romanum Martyrologium ad diem XXXI. Octobris commemorant; sed veterum Græcorum ea de re silentium, præsertim *S. Gregorii Nazianzeni* Oratione XXV. & *S. Procli* Oratione XX. fidem recentiorum hac in re suspectam faciunt. Gregorius Nazianzenus æmulis suis respondens, qui illum peregrinum Prædicatorem Constantinopolim accessisse objiciebant, meminit prædicationis *S. Andreæ* in Epiro, mentionem non facit prædicationis ejus in Thracia & Constantinopoli; facturus utique si aliqua ejus memoria extitisset. Meminisset etiam *S. Proclus* Constantinopolitanus Episcopus Oratione in laudem *S. Andreæ* Apostoli, si Ecclesiam Constantinopolitanam ab illo fundatam agnovisset. Sed & *Nicolaus I.* Pontifex Maximus Ecclesiam illam à nemine Apostolo fundatam asserit; & *Agapetus* olim in literis quas de *Menna* à se ordinato Episcopo Constantinopolitano scripsit ad Petrum, quæ postea fuerunt in Quintâ Synodo Oecumenica Actione II. recitatæ, scribit: *Et hoc dignitati suæ addere credimus, quòd à temporibus Petri Apostoli, nullum alium unquam Orientalis Ecclesia suscepit Episcopum manibus nostræ Sedis ordinatum. Et forsitan ad demonstrationem laudis ipsius, vel ad destructionem inimicorum instans res tanta provenit, ut illis ipse similis esse videatur, quos in his quandoque partibus Apostolorum primi electio ordinavit.* Ecclesia igitur Thraciæ & Constantinopolitana imprimis, à *S. Andrea* Apostolo instituta non fuit, nec ab illo Episcopum accepit. Denique Byzantium prima Sedes ejus Provinciæ instituta non fuit, sed Heraclea, ut *Gelasius* Papa in Literis ad Episcopos Dardaniæ testatur. Probabile porrò est quòd Ecclesia Byzantina Dignitate Metropolitica aucta fuisset, potiùs quàm Heraclea, si ab Andrea Apostolo fundata fuisset. Patris in Achaia crucifixus est Ægæi Proconsulis mandato, ut ejus Acta, & Sophronius, S. Petrus Chrysologus, S. Bernardus, & alii testantur. Crux quæ Martyrii ejus instrumentum fuit, in Cœnobio Massiliensi *S. Victoris* dicitur asservari, cujùsdem figuræ cum Dominica Cruce.

IV. *S. Jacobus Major*, S. Joannis Evangelistæ frater, cùm Evangelium in Judæa prædicasset, ante profectionem Apostolorum ad Gentes, jussu *Herodis Agrippæ* Judæorum Regis gladio cæsus est Jerosolymis, ut scriptum est in Actibus Apostolorum cap. XII. non Cæsareæ, ut in Basilii Menologio habetur. Refert *Clemens Alexandrinus* in septimo Institutionum libro, citatus ab *Eusebio* lib. II. *Historiæ Ecclesiasticæ* cap. IX. Eum qui « Jacobum judicio obtulerat, cùm illum vidisset « Christi fidem liberè confitentem, commotum vi- « ri constantiâ, se quoque Christianum esse affirmas- « se. Ambo igitur simul ad supplicium ducti sunt. « Cùmque inter eundum rogasset *Jacobum* comes ut « sibi veniam daret, paulisper moratus Jacobus, « *Pax tibi*, inquit, statimque illum osculatus est. Ita « simul ambo capite truncati interiere. «

V. *S. Joannes Evangelista* migravit in Asiam Minorem, & Ephesinam, aliásque Asiæ fundavit aut excoluit & rexit Ecclesias, ut testantur *Sanctus Irenæus* lib. III. cap. III. *Tertullianus* lib. IV. contra Marcionem, *Eusebius* lib. III. *Historia* cap. I. & lib. V. cap. XXIV. ex Polycrate, *S. Joannes Chrysostomus* Homilia I. in Epistolam ad Ephesios, & Homilia XXXIV. in Acta, *S. Epiphanius* Hæresi LI. *S. Hieronymus* in Catalogo Virorum Illustrium, &c. Parthis prædicasse; probat titulus primæ ipsius Epistolæ, quæ olim ad Parthos inscripta legebatur, teste *S. Augustino*, lib. II. Quæstionum Evangelicarum cap. XXIX. In Ecclesiæ persecutione sub *Domitiano* Romam perductus, ac in olei ferventis dolium propter Christi confessionem & Evangelii prædicationem conjectus, purior inde & vegetior exivit, ex *Tertulliano* lib. *De Præscriptionibus Hæreticorum* cap. XXXVI. *S. Hieronymo* lib. I. *contra Jovinianum*, cap. XIV. & in cap. XX. S. Matthæi, & aliis. Inde in Pathmos Insulam relegatus, sub *Nerva* Imperatore Ephesum rediit, ibique ad extremam usque senectutem vixit, placidáque morte obiit, atque ibi sepultus est sub Imperio Trajani, ut constat ex *Polycrate* Ephesino Episcopo, in Literis ad *Victorem* Episcopum Romanum, apud *Eusebium* lib. III. *Historia* cap. XXXI. *S. Hieronymo* in cap. VI. Epistolæ ad Galatas; *Celestino I.* in Epistola ad Patres Ephesini Concilii *S. Epiphanio* Hæresi LXXIX. *S. Augustino* Tractatu CXXIV. in Joannem. Mortuum S. Joannem disertè etiam asserunt *Tertullianus* lib. *De Anima*, cap. L. *S. Hippolitus* libro *De Antichristo*, Origenes apud Eusebium lib. III. *Historia* cap. I. *Dionysius Alexandrinus* apud eumdem lib. VII. cap. XXV. *S. Joannes Chrysostomus* Homilia XXVI. in Epistolam ad Hebræos. Ex quibus refelluntur qui S. Joannem mortuum non esse propugnant, freti his Christi verbis, *Sic eum volo manere donec veniam, quid ad te?* Quod etiam *S. Hilarii* testimonio lib. VI. De Trinitate, *S. Ephræmii* Antiocheni Episcopi, apud *Photium* Cod. CCXXIX. *S. Joannis Damasceni*, & *Andreæ Cæsareensis* confirmant. Quin & *S. Ambrosium* huic opinioni favere contendunt *Sermone* XX. in Psalmum CXVIII. qui tamen ibi solùm asserit quosdam de morte ejus dubitasse. Et quod à Christo dictum est, *Sunt de hic stantibus qui non gustabunt mortem*, &c. non minùs Petro & Jacobo, quàm Joanni convenire asserit *lib. VII. in Lucam*, & spiritaliter intelligendam Christi sententiam, non corporaliter. *Itaque*, inquit, *non de uno, sed de pluribus dicit, neque enim Petrus mortuus est, cui juxta Dominicam sententiam inferi portæ prævalere non potuit. Nec Jacobus & Joannes mortui filii tonitrui, quibus in usum gloriæ cælestis assumptis non prævalent terrena, sed subjacent.... Ergo ut scias quia Petrus, Jacobus, & Joannes mortem non gustaverunt, gloriam Resurrectionis videre meruerunt; solos enim tres istos post hæc fere verba in diebus octo assumsit & duxit in montem.* Enarratione quidem in Psalmum XLV. vers. X. apud *S. Ambrosium* legitur: *Nam & bestia illa Antichristus ex abysso ascendit, ut adversùs Eliam, atque Enoch, atque Joannem, qui propter testimonium Domini Jesu terris sunt redditi, prælietur, ut legimus in Joannis Apocalypsi.* Sed hæc verba, *atque Joannem*, intrusa esse verisimillimum est, cùm in uno solùm Codice Regio legantur, in aliis omnibus MSS. & editis soli *Elias* & *Enoch* memorentur, ut observarunt doctissimi Ascetæ Benedictini in Editione novissima Operum *S. Ambrosii*. Et revera duorum dumtaxat testium & Prædicatorum, qui adversùs Antichristum pugnaturi sunt *S. Joannes* in Apocalypsi meminit, & in Evangelio eorum

A ipse refellit sententiam, qui mortuum non esse existimaturi erant, cùm ait: *Et non dixit Jesus, Non moritur, sed, Sic eum volo manere donec veniam, quid ad te?* Quod verò Græci recentiores, *Fulbertus Carnotensis*, *Petrus Damiani*, Revelationes Sanctarum *Brigittæ* & *Gertrudis*, &c. S. Joannem Evangelistam anticipatæ Resurrectionis gloriâ à Deo donatum asserunt, antiquiorum testimoniis, & argumentorum pondere destitutum est.

VI. *S. Philippus* Apostolus in Scythia, & in in utraque Phrygia Evangelium prædicavit. Obiit Hierapoli, quæ Phrygiæ Pacatianæ civitas est. B Duas ipsum filias habuisse quæ Virgines ibidem consenuerunt, & alteram Spiritu sancto afflatam, quæ Ephesi requiescit, *Polycrates* Ephesiorum Episcopus in Epistola ad *Victorem* Episcopum Romanum testatur, cujus fragmentum referunt *Eusebius* libro III. Historiæ Eccles. cap. XXXI. & lib. V. cap. XXIV. *S. Hieronymus* lib. *De Scriptoribus Eccles.* cap. XLV. *Ruffinus* lib. III. *Historia Ecclesiastica* cap. XXXI. Id confirmat *Papias* Hierapolitanus Episcopus, apud *Eusebium* lib. III. cap. XXXIX. asserens, se à *Philippi* filiabus accepisse, mortuum ab eo Hierapoli resuscitatum. Idem C confirmat *Clemens Alexandrinus*, lib. III. *Stromatum*, asserens *Petrum & Philippum liberos ex legitimis Nuptiis procreasse: Philippum etiam filias Nuptiis collocasse*, ut refert *Eusebius*, lib. III. *Historiæ*, cap. XXX. Sed & *Proculus* Montanista in Dialogo quem *Caius* vir Catholicus sub *Zephirini* Pontificatu adversùs illum conscripsit, ait: *Quatuor post hæc Philippi filiæ prophetides fuerunt Hierapoli Asiæ civitate, ubi etiam earum & Patris Philippi sepulcrum visitur.* Refert *Eusebius* libro III. cap. XXXI. Verùm *Polycratem*, *Clementem Alexandrinum*, & *Eusebium*, Philippum è duodecim Apos-D stolis unum confudisse cum Philippo uno è septem Diaconis, qui Apostolus etiam appellatus est, probabile admodum videtur, ibidem enim subjungit Eusebius: *Lucas verò in Actibus Apostolorum, Philippi filiarum meminit, quæ dono prophetiæ ornatæ apud Cæsaream Judææ tunc temporis cum patre degebant. Venimus, inquit, Cæsaream: & ingressi in domum Philippi Evangelistæ, qui erat unus è septem, mansimus apud eum. Huic autem erant quatuor filiæ virgines prophetantes.* Hinc *Valesius* in Notis: *Vetus hic error fuit, ut Philippum Diaconum & Evangelistam cum Philippo Apostolo* E *confunderent. Et quia in Actibus Apostolorum, cap. XXI. Philippi Evangelistæ quatuor filias Virgines prophetasse legerant, Philippum Apostolum conjugem habuisse, & filias suscepisse dixerunt. Ita præter Polycratem Clemens Alexandrinus, & Papias. Verùm ex Actibus Apostolorum manifestò colligitur, Philippum Diaconum, eum à quo Eunuchus baptizatus est, & qui quatuor habuit filias prophetantes, alium fuisse à Philippo Apostolo. Vide Isidorum Pelusiotam lib. I. Epistola 447. & sequentibus, ubi id apertissimè demonstrat. Quæri meritò potest, cur Polycrates tres dumtaxat Philippi filias memoraverit, cum* F *in Actibus quatuor numerentur? Respondeo, Polycratem earum dumtaxat mentionem fecisse, quæ in Asia mortuæ sepultæque essent. Cùm igitur una ex quatuor illis filiabus Cæsareæ aut alibi mortua esset, ideo nullam ejus mentionem fecit Polycrates.* Cæterùm in MS. Synaxario Græco Claromontano, sive Collegii Parisiensis PP. Societatis Jesu, & in Menæis Græcis, de *S. Philippo* hæc verba leguntur: *Virginem totâ vitâ fuisse, pro certo habetur.*

Quo mortis genere *S. Philippus* Apostolus obierit, certum non est. *Baronius* Cardinalis ad annum Christi LIV. & *Claudii* Imperatoris XII. ista Num. III. scribit: *Hoc eodem anno, Olympiade CCVIII. anno quarto, inquit Eusebius in Chronico: Philippus*

*Philippus Apostolus Christi, apud Hierapolim Asiæ civitatem, dum Evangelium populo annuntiaret, Cruci affixus, lapidibus opprimitur.* Verùm hæc desunt in Scaligerana Editione Chronici *Eusebii*, tam in Græco Textu quàm in Latino: Desunt & apud *Miræum* in eodem Chronico cum variis antiquis Codicibus collato: & in octodecim MSS. à se visis ea pariter deesse testatur *Arnaldus Pontacus* Episcopus Vasatensis. Eadem in tribus MSS. Chronicis *Eusebii* venerandæ antiquitatis, quæ apud se habent, quorum unum ante annos mille conscriptum est, deesse testantur *Bollandi* Continuatores in Commentario de *S. Philippo* Apostolo, ad diem primam Maii. *Pseudo-Hippolytus* Hierapoli capite inverso crucifixum *S. Philippum* sub *Domitiano*, & ibidem sepultum asserit. *Florus* qui nono sæculo scribebat, *Hierapoli passum* affirmat. *Rabanus* ætate proximus, *quievisse in pace*. Usuardus, *glorioso fine quievisse*. Ado Viennensis, *apud Hierapolim Asiæ civitatem dormivisse cum patribus suis, beato fine sepultum*. In Martyrologio Romano hodie legitur, *Apud Hierapolim cruci affixus & lapidibus obrutus, glorioso fine quievit.* Ex Chronico *Eusebii* interpolato id acceptum videtur. Funibus per talos trajectis suspensum in altum, legitur in Actis à Bollandi Continuatoribus editis ex Metaphraste.

VII. *S. Bartholomæum* Apostolum Lycaonas Majoris Armeniæ populos veritatem evangelicam docuisse, ait Auctor Homiliæ de XII. Apostolis *S. Joanni Chrysostomo* tributæ. Albanos insuper Christiana fide imbuisse, tradit *Sophronius*. In Indias penetravit, secumque tulit Evangelium *S. Matthæi* Hebraïcè scriptum, quod ibidem centum post annos reperit *Pantænus* Philosophus Christianus, ut testantur *Eusebius* lib. v. *Historiæ* cap. x. & *S. Hieronymus* in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum. In India citeriore, Æthiopiæ finitima *S. Bartholomæum* Evangelium prædicasse confirmant *Ruffinus* lib. x. Historiæ cap. IX. & *Socrates* libro I. cap. XIX. in Arabia Felice, in India, & Æthiopia Orientali ipsum fidem prædicasse, *Nicetas* asserit. Albanopoli in Armenia vivo detracta cute, capite truncatum, *Theodorus Studites* & *Josephus* quidam testantur. Urbanopoli in Armenia majore, extrema senectute, flagellis cæsum, clavisque confixum cruci, Martyrium consummasse asserit *Nicetas Paphlago*, quem *Nicephorus Callistus* lib. II. cap. XXXIX. & alii sequuntur. In Auctario *Flori* ad Martyrologium *Bedæ* legimus *S. Bartholomæum Apostolum decollatum in India interiore pro Christo jussu Regis Astiagis.* At *Pseudo-Isidorus* lib. *De Vita & Morte Sanctorum*, & alii, pelle vivo detractâ occisum; *Pseudo-Abdias*, flagellis cæsum, & capite truncatum commemorat.

VIII. *S. Matthæus* Apostolus in Æthiopia prædicavit, ut *Socrates* scribit lib. I. cap. XIX. & *Ruffinus* libro X. Apud Parthos mortuum scribit *S. Paulinus*, carmine XXVI. ipsi Persidem patuisse *S. Ambrosius*, ait Enarratione in Psalmum XLV. n. 21. *Heracleo* Valentini Hæresiarchæ discipulus apud *Clementem Alexand.* lib. IV. *Stromatum*, S. Matthæum Martyrio non obiisse, sed in pace defunctum affirmat, idque *Basilii* Imperatoris Menologium etiam innuit. Græcorum *Menæa* illum igne Martyrium consummasse memorant ad diem XVI. Novembris. *Nicephorus* lib. II. Historiæ cap. XLI. ignem circa illum incensum, ejus precibus extinctum fuisse scribit, ac demum illum animam in pace reddidisse. *Florus*, *Usuardus*, *Ado*, alüque Latini, Martyrio obiisse consentiunt.

IX. *S. Thomas* Apostolus Parthis, Medis, Persis, Brachmanis, Indis, aliisque Nationibus finitimis Parthorum Imperio subditis Evangelium prædicavit, ut *Origenes* apud *Eusebium* lib. III. *Historiæ Ecclesiasticæ* cap. I. *Sophronius*, Recognitionum Auctor libro IX. cap. XXIX. *S. Gregorius Nazianzenus* Oratione XXV. *S. Hieronymus* Epistola CXLVIII. *S. Ambrosius* in Psalmum XLV. *S. Gaudentius* Homilia XVII. *Fortunatus* lib. V. cap. I. aliique testantur. S. Thomam tres illos Magos qui Christum natum adoravere, baptizasse, ac socios in prædicatione Evangelii assumsisse, scribit Auctor Operis imperfecti in Matthæum, Homilia II. Martyrio obiisse agnoscunt *Theodoretus*, Græcarum Affectionum lib. VIII. *S. Gaudentius* Hom. XVII. *S. Asterius* Hom. X. *S. Nilus* apud *Photium* Cod. CCLXXVI. & *Gregorius Turonensis* lib. *De gloria Martyrum*, cap. XXXII. Calaminæ in India obiisse testatur *Sophronius*. Est autem Calamina, quæ nunc *Malipur*, & Lusitanis civitas *S. Thomæ*, quem ibi lanceâ confossum, traditio popularis est.

X. *S. Jacobus*, filius *Alphæi*, & *Mariæ Cleophæ*, (ita nuncupatæ vel à patre, vel à priori conjuge, vel ab ipso *Alphæo*, qui & Cleophas vocatus sit, quæ & *Jose* & *Judæ* mater) *Minor* appellatus, & *Justus*, frater Domini, id est cognatus, extra Judæam non prædicavit. Jerosolymorum Episcopus ab Apostolis ordinatus est. Quomodo Jerosolymis Martyrium obierit, supra diximus ex *Hegesippo* & *Eusebio*. Utrum *S. Jacobus Alphæi* sit idem ac frater Domini Jacobus Minor, quidam dubitant. Illos distinguit *S. Gregorius Nyssenus* Oratione II. in Christi Resurrectionem, *S. Joannes Chrysostomus* Homil. V. in Matthæum, Jacobum Jerosolymorum Episcopum ex eorum numero esse ait, qui in Christum Jesum non crediderunt ante illius Resurrectionem, quòd in Evangelio scriptum sit, *Fratres ejus non credebant in eum*: sed cùm *S. Judam Apostolum* excipere necesse sit, cur non & *S. Jacobum Minorem* excipiamus? S. quidem *Hieronymus* in Commentario Epistolæ ad Galatas, & in prima expositione capitis XVII. *Isaiæ*, S. Jacobum fratrem Domini & Jerosolymorum Episcopum extra numerum duodecim Apostolorum recenset cum S. Paulo. Verùm sententia quam in Opere dogmatico contra *Helvidium* propugnavit, firmiori nititur fundamento. *Nulli dubium est*, inquit, *duos fuisse Apostolos, Jacobi vocabulo nuncupatos, Jacobum Zebedæi, & Jacobum Alphæi: Istum nescio quem Minorem Jacobum, quem Mariæ Filium, nec tamen Matris Domini, Scriptura commemorat, Apostolum vis esse, an non? Si Apostolus est, Alphæi filius erit: & credidit in Jesum, & non erit de illis fratribus de quibus scriptum est:* Neque enim fratres ejus credebant in eum. (Joan. 7.) *Si non est Apostolus, sed tertius nescio quis Jacobus; quomodo est frater Domini putandus? & quomodo tertius ad distinctionem Majoris appellabitur Minor? Cùm Major non inter tres, sed inter duos soleat præbere distantiam, & frater Domini Apostolus sit, Paulo dicente:* Deinde post triennium veni Jerusalem videre Petrum, & mansi apud illum diebus quindecim. Alium autem Apostolorum vidi neminem nisi Jacobum fratrem Domini. (Galat. 1.) *Et in eadem Epistola:* Et cognitâ gratiâ quæ data est mihi, Petrus, & Jacobus, [illegible] nes, qui videbantur columnæ esse: [illegible] *putes Jacobum filium Zebedæi, lege* [illegible] *lorum: Jam ab Herode fuerat* [illegible] gustinus lib. II. *contra Cresconium* cap. [illegible] & alibi S. Jacobum Jerosolymitanum Episcopum & Epistolæ Catholicæ Scriptorem, simpliciter *Apostolum* vocat. Legitur quidem apud *Eusebium* lib. I. *Historiæ Ecclesiasticæ*, cap. XII. de Jacobo Minore: *Unus hic ex septuaginta Discipulorum numero*,

*mero ; ac præterea ex fratribus Domini fuisse perhibetur.* Verùm in uno duntaxat Codice Regio hæc habeantur, desunt in reliquis Codicibus, teste *Valesio* in Notis, nec *Ruffinus* illa agnoscit. Sic enim vertit : *Post etiam dicit eum visum esse Jacobo, qui erat unus ex his qui Fratres Salvatoris appellabantur.* Sanctus Cyrillus Jerosolymitanus Catechesi XIV. de Christi Resurrectione disserens, ait : *Nunc verò, Christus resurrexit à mortuis, primitia dormientium, & apparuit Cepha, posteà duodecim Apostolis : si enim uni testi non credis, habes duodecim testes : deindè apparuit plusquàm quingentis fratribus simul. Si illis duodecim non credant, quingentos testes recipiant. Posteà visus est à Jacobo fratre, primo hujus Parœcia Episcopo.* Verùm hinc tam malè colligitur *Jacobum* fratrem Domini non esse unum ex duodecim Apostolis, quàm malè colligeretur *Sanctum Petrum* è numero duodecim Apostolorum non esse, quia Sanctus Paulus scribit : *Visus est Cepha, & post hoc undecim :* sicut scribit, *Visus est Jacobo, deindè Apostolis omnibus.* In Constitutionibus, quæ falsò Apostolicæ inscribuntur, lib. II. cap. LV. & in Libris *Recognitionum Sancto Clementi* falsò inscriptis, *Jacobus* frater Domini inter septuaginta duos Discipulos numeratur & ab Apostolis distinguitur, eamdémque sententiam sequitur *Pseudo-Dorotheus* in Synopsi de LXX. Discipulis. Ex apocryphis hujusmodi Libris hæc opinio derivata, & à *Michaele Glyca*, Græcísque recentioribus arrepta : Qui Jocobum Alphæi filium, unum ex duodecim Apostolis, Gazæ primùm, deindè Eleutheropoli, & in vicinis civitatibus Evangelium prædicasse ; deindè Ostracinæ pro Christo passum esse, crucique affixum asserunt, cùm Jacobus frater Domini aliud Martyrii genus Jerosolymis subierit, ut Hegesippus, Clemens Alexandrinus, & Eusebius testantur. Sed hujus commenti primus Auctor *Nicetas David* Paphlago, qui nono sæculo scripsit, quem *Nicephorus Callistus* lib. II. *Historia* cap. XL. secutus est. In Menologio *Basilii* Imperatoris nulla Ostracinæ mentio, sed Jacobus Alphæi dicitur scipionibus interemptus à Judæis, quod ex Actis Martyrii Jacobi Jerosolymorum Episcopi sumtum nemo non videt. Exemplaria tria Hieronymiani Martyrologii Natale Sancti Jacobi Alphæi Apostoli in Perside consignant. In MS. Romano Ducis Altempsii, loco *Persidis*, scribitur *Gallia*. Adeò incerta est fides monumentorum, quibus nititur trium Jacoborum assertio, seu distinctio Jacobi Alphæi unius ex duodecim Apostolis, à Jacobo fratre Domini. In Vita *Sancti Euthymii*, apud *Bollandum* ad diem Januarii XX. cap. XVI. *Jacobus Episcopus Jerosolymorum* dicitur *clarus in Choro Discipulorum :* Sed hæc Vita à Metaphraste interpolata est. In sincera & originali *Sancti Euthymii* Vita non habentur, quam scripsit *Cyrillus* Scythopolitanus Monachus, qui sæculo sexto floruit, quam Ascetæ Benedictini Sancti Germani à Pratis in Analectis Græcis ediderunt.

1. Cor. 15. 5. & 7.

XI. *Sanctus Simon Chananæus*, qui & *Zelotes*, in Mesopotamia prædicavit, si venerabili *Beda* fides, Retract. in Acta Apostolorum. Addunt alii Ægyptum, ut *Pseudo-Isidorus* lib. *De vita & morte Sanctorum :* Alii Africam & Britanniam, ut *Pseudo-Dorotheus*, & *Nicephorus Callistus*, Græcorumque Menologia : sed hæc incerta. *Fortunatus* lib. VIII. cap. IV. in Perside sepultum scribit. Beda *Retractat. in Acta Apostolorum* cap. I. id ex apocryphis acceptum agnoscit, ex fabulosa scilicet *Abdiæ* Historia.

XII. *Sanctus Judas*, qui & *Thadæus* nuncupatur, *Jacobi Minoris* frater, in Lybia prædicavit, ut scribit *Sanctus Paulinus*, carmine XXVI. Alii in Mesopotamia, in Arabia, & Idumæa prædicasse aiunt. Quas regiones fide Christi imbuerit, incertum. Cum *Thaddæo* uno ex LXX. Discipulis, quem ad *Abgarum* Regem in Syriam Edessam à Christo missum ferunt, ipsum confundit *Sanctus Hieronymus* in cap. X. Sancti Matthæi; illum sibi vindicant Apostolum Armeni & in Armenia Majori obiisse credunt. *Fortunatus* lib. VIII. cap IV. in Perside sepultum scribit. Sagittis confixum, Græcorum Menologia tradunt. *Usuardus & Ado*, Martyrio illum obiisse confirmant. Illum conjugem habuisse non sequitur ex eo quòd Nepotum ipsius meminerit *Hegesippus* apud *Eusebium*, lib. III. *Historia* cap. XX. Delati ad *Domitianum*, & ab illo interrogari utrum ex Stirpe Davidis oriundi essent, id verissimum esse confessi sunt. Deinde sciscitatus est ex illis *Domitianus*, quantas possessiones, quantúmve pecuniæ haberent. Illi verò novem tantummodo Denariorum millia sibi ambobus suppetere dixerunt, quorum dimidia pars singulis competeret : eas verò facultates nequaquam se in argento habere, sed in æstimatione agrorum, novem scilicet ac triginta soli jugerum ; ex quorum fructibus & tributa persolverent, & sibi ipsis non sine proprio labore, victum compararent. Simúlque manus ostendere cœperunt, duritiem cutis, impressúmque altè manibus callum ex laboris assiduitate, in testimonium operis sui proferentes. Postremò interrogati de Christo & de Regno illius, responderunt, Non hujus Mundi nec terrarum Imperium illud esse, sed angelicum & cæleste, quod in fine sæculorum futurum esset ; tunc cùm Christus adveniens cum gloria vivos & mortuos judicabit, & unicuique operum suorum mercedem tribuet. His auditis, Domitianus nihil adversùs illos asperius decrevit, sed vilitatem hominum aspernatus, liberos abire jussit. Dimissi, Ecclesiis postea præfuerunt, & pace demum Ecclesiæ reddita ad *Trajani* tempora vitam perduxerunt.

XIII. *Sanctus Matthias*, in locum Judæ proditoris post Ascensionem Christi subrogatus, in Judæa primùm prædicavit, ut habent Martyrologia *Bedæ*, *Usuardi*, *Rabani*, *& Notkeri* ; deinde ad Gentes profectus est, & plurimos Ethnicos ad fidem Christi convertit, ut scribit *Autpertus* Casinensis Abbas in Sermone de Sancto Matthia. In Æthiopia exteriore prædicasse, Menologia & Menæa Græcorum, *Nicephorus Callistus* lib. II. *Historia Ecclesiastica* cap. XL. & *Sophronius* his antiquior testatur. Quod spectat mortis genus, *Autpertus* Abbas passionem ejus in Christi imitatione & continua mortificatione positam significat. *Passio illius*, inquit, *si quæritur haberi, sicut cæterorum Apostolorum, manifestissimè constat quòd ipse sibi intulerit passionem, & Crucem suam ferendo Christum fuerit secutus ; dicendo cum Apostolo : Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.* Pro Evangelii prædicatione Martyrium subiisse, Romanum Martyrologium asserit, crucifixum canunt Græci in suis Menæis. Lapidatum à Judæis & securi percussum, testantur Acta ab Anonymo olim Hebraicè conscripta, ab Interprete Monacho Trevirensi aucta, à *Bollando* edita ad diem XXIV Februarii, quæ tamen ipse suspectæ fidei esse meritò censet, & à nonnullis apocrypha haberi.

## CAPUT IX.

*De Pontificibus, qui Romanam Ecclesiam primo sæculo rexerunt.*

ROMANÆ Ecclesiæ præfuit Sanctus Petrus annis viginti quinque; post hunc Linus, annis duodecim; tum Cletus, seu Anacletus, *a* annis item duodecim; demum Clemens novem annis, ex Eusebio libr. 3. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 28. A Clemente missus est in Gallias Dionysius Areopagita. Unde Gallia primo sæculo Evangelii lucem aspexit, ut singulari Dissertatione demonstrabimus. In assignandis horum Pontificum annis, nonnulla est apud Chronologos varietas; in eorum gestis narrandis vix aliquid certi, si gesta *Sancti Petri* excipias in Scripturis sacris consignata. Romæ viginti quinque Pontificatûs annos S. Petro constanter tribuit vetus Romanorum Pontificum Catalogus à *Bucherio* editus, & ab Henschenio in Propylæo ad Acta Sanctorum mensis Maii, necnon Catalogus alter ad *Felicem Quartum* ac tempora Justiniani Imperatoris perductus, & in Bibliotheca Reginæ Suecorum *Christinæ* repertus.

*a* à Anacleto non diversum esse probat Valesius ex Nicephoro Constantinopolitano in Chronologia, et MSS. Codicibus Rufini, aliisque monumentis.

*Linum* temporibus *Neronis* sedisse, à Consulatu *Saturnini & Scipionis*, usque ad Consulatum *Capitonis & Rufi*, Catalogus Bucherianus notat, annis duodecim: quæ temporum ratio difficultate non caret, maximè si *Floro* Lugdunensi credatur, asserenti *Sanctum Linum* tempore *Neronis* Martyrio coronatum.

*Cleto* sive *Anacleto* duodecim annos Pontificatûs adscribit vetus Catalogus Pontificum: Auctor veteris indiculi *Nicephoro* Constantinopolitano Patriarchæ tribuit, *Georgius Syncellus* in Chronico, & *Eutychius* Alexandrinus, duos tantùm annos ipsi tribuunt. Fertur in Epistolis suis primus omnium usus illis verbis, *Salutem & Apostolicam benedictionem*: quod absque ullo veterum Scriptorum testimonio à *Martino Polono* scriptum est. Nullæ habentur *Cleti* sive *Anacleti* Epistolæ, quæ hujus rei fidem faciant. Ante *Joannem V.* & *Sergium* I. quorum Diplomata formulam istam habentia Eruditus Dom. *Mabillonius* libro *De Re Diplomatica* refert, Romanos Pontifices hanc in litteris suis adhibuisse non legimus. Ante *Leonem IX.* vel certè ante *Gregorium VII.* stabili usu receptam non fuisse, *Bollandi* Continuatores censent in Propylæo ad Acta Sanctorum mensis Maii.

*Sancto Clementi* annos octo antiquus Catalogus tribuit. Solidos annos tredecim Pontificatûs illi tribuunt, qui *Eutychium* sequuntur, ut *Pearsonius*, ab anno scilicet Christi sexagesimo-nono exeunte vel septuagesimo ineunte ad annum octogesimum-sextum, Domitiani secundum, *Domitiano IX.* & *Rufo II.* Coss. Eo enim anno ordinatum *Evaristum* tradit *Eutychius*. Anno tertio *Trajani* Imperatoris Martyrium obiisse creditur Chersonesi *Sanctus Clement*. Quamquam verò Martyrem *S. Irenæus* non dicat, neque *Clemens Alexandrinus*, nec *Origenes*, nec *Eusebius*, nec *S. Hieronymus*; tameti *Ruffinus*, *S. Gregorius Turonensis*, vetus Indiculus Bucherianus *Depositionis Martyrum*, & Ecclesiasticæ Tabulæ, Sacérque Missæ Canon, Martyribus annumerant; quorum Monumentorum fidem argumentum inficiale non convellit. Infirmior sanè est *Pearsonii* conjectura, quàm ut ipsâ moveamur, qui *Fabium Clementem* Consulem, *Domitiani* Cæsaris consobrinum, cujus neptis Domitilla in Insulam Pontiam ob confessionem Christi, *Domitiano* persecutionem movente deportata est, Martyrologiorum Auctores cum *Clemente Romano* **(A)** Pontifice confudisse infeliciter auguratur, Dissertatione *De annis priorum Romæ Episcoporum*, Capite VI.



## CAPUT X.

*De Persecutionibus, quibus Ecclesia primo sæculo jactata est.*

PRIMA persecutio in Christianos mota est à Saulo, qui deinde ex persecutore factus est Vas **(B)** electionis. In hac lapidatus est Sanctus Stephanus, & dispersi sunt omnes Fideles, qui erant Hierosolymis, per regiones Judææ & Samariæ, præter Apostolos (Actuum 8.) imò & Palestinæ fines egressi, externas quoque regiones peragrarunt, teste Sancto Lucâ Actuum 11. *Illi quidem*, inquit, *qui dispersi fuerant à tribulatione, quæ facta fuerat sub Stephano, perambulaverunt usque ad Phœnicem, & Cyprum, & Antiochiam, nemini loquentes verbum, nisi solis Judæis*. Ingens etiam numerus eorum, qui hac in persecutione dispersi sunt, migravit in Asiam; qui ob id vocati sunt advenæ dispersionis, **(C)** ad quos Sanctus Petrus priorem suam Epistolam potissimùm dirigit, hanc eo titulo notans: *Petrus Apostolus Jesu Christi, electis, advenis dispersionis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Asiæ, & Bithyniæ.* Probabile est hac etiam in persecutione Mariam Magdalenam unà cum Lazaro fratre, & Martha sorore, Hierosolymis pulsam, Deo duce, Massiliam appulisse. Porrò sanctarum sororum, unà cum fratre, appulsum in Provinciam, singulari Dissertatione probabimus, & Magdalenæ Reliquias Sammaximinensibus vindicabimus.

Secunda persecutio desæviit etiam Hierosolymis, **(D)** authore Herode Agrippa. In ea occisus est gladio Jacobus frater Joannis: vinctus & Sanctus Petrus, ut refertur Actuum 12. De Jacobi etiam martyrio legendus Eusebius lib. 2. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 8. Exarsit hæc persecutio anno Christi 44. Claudii Imp. 2. Cæterùm cùm ante hunc annum facta non fuerit Apostolorum divisio; verisimile est Sanctum Jacobum nusquam in Hispanias profectum esse. Sed de hoc quæstionem propriam movebimus.

Porrò qua ratione Herodes, post Apostolorum persecutionem, divinam statim ultionem expertus **(E)** sit, narrat Eusebius libr. 2. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 9. & miserrimam ejus mortem ex Josepho describit libro 19. Antiquitatum cap. VII.

Tertiam in Christianos persecutionem excitavit Nero, quæ ab Authoribus Ecclesiasticis prima vocari solet, quia revera prima est quam Ethnici Principes adversùs Ecclesiam moverint. De hac Tertullianus Apologetici cap. 5. *Consulite*, inquit, *commentarios vestros: illic reperietis primum Neronem in hanc sectam cum maximè Romæ orientem Cæsariano gladio ferocisse. Sed tali dedicatore damnationis nostræ etiam gloriamur. Qui enim scit illum, intelligere potest nonnisi grande aliquod bonum à Nerone* **(F)** *damnatum.*

De hac persecutione & Eusebius legendus est lib. 2. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 24. Hac in persecutione Principes Apostolorum, Petrus & Paulus, martyrio coronati sunt. Fervere cœpit anno Christi 66. Neronis ipsius decimo. Lege Tacitum lib. 15. Annalium ubi Neronis sævitiam in Christianos arguit, quamvis in illos sit iniquior Historicus ethnicus. Ait illum ut incendii urbis invidiam à se averteret, Christianos reos statuisse & exquisitis suppliciis affecisse, quæ ibidem describit; atque quòd erga ipsos quanquam adversùs sontes, & novissima exempla meritos, miseratio oriebatur: *tanquam*

*quam non utilitate publica, sed in sævitiam unius absumerentur.*

Quartam in Christianos persecutionem accendit Domitianus, imperii sui anno decimo, Christi verò 92. de qua legendus est Eusebius, libr. 3. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 13. De qua ita scribit Tertullianus Apologetici cap. 5. *Tentaverat & Domitianus, portio Neronis de crudelitate; sed qua & homo, facilè cœptum repressit, restitutis etiam quos relegaverat. Tales semper nobis insecutores, injusti, impii, turpes, quos & ipsi damnare consuestis, à quibus damnatos restituere soliti estis.* Nec in Christianos solùm; sed in Judæos etiam stirpis Davidicæ, Domitiani persecutio desæviit, ut refert Eusebius libr. 3. Historiæ cap. 15. Delati sunt ad tyranni tribunal nepotes Judæ, qui frater Domini secundùm carnem, id est cognatus fuit, ut ibidem ex Hegesippo refert Eusebius. Hac in persecutione Sanctus Joannes in insulam Pathmos relegatus est, postquam Romæ in ferventis olei dolium immissus esset. Qua in insula scripsit divinam Apocalypsim. In exilium detrusa est & Flavia Domitilla, ex sorore Flavii Clementis, tum Romæ Consulis, prognata. De his Eusebius libr. 3. Historiæ cap. 14. Quoniam verò de Joanne Apostolo mentionem injecimus, notandum est illum edicto novi Imperatoris Nervæ ab exilio revocatum, vitam ad Trajani usque tempora produxisse. Præclara est historia quam ex Clemente Alexandrino refert Eusebius lib. 3. Historiæ cap. 23 de quodam adolescente, Sancti Joannis charitate incredibili revocato ad Ecclesiam, cùm dux latronum factus esset. Quo ex facto innotescet, Apostolicis temporibus pœnitentialem disciplinam non admodum austeram fuisse; siquidem Apostolus insignem illum prædonem, cùm pro culpa, fletu & mœrore, quoad poterat, satisfecisset, amplexus, cùm Deum continuis precibus pro illo invocasset, continuis jejuniis cum eo se macerasset, & ejus animum variis divinæ Sapientiæ sententiis fuisset consolatus, ipsum in Ecclesiam reduxit. Hæc ibi indicasse sit satis; legatur Eusebius loco laudato.

---

## CAPUT XI.

### *De Hæresibus primi sæculi.*

NON solùm sævierunt in Ecclesiam Imperatores ethnici, Tyrannique occisores Christianorum, sed & Hæretici *interfectores veritatis* (sic eos vocat Tertullianus.) Horum agmen ducit Simon Magus; hunc excepêre Menander, Saturninus, Basilides, Cerinthus, Ebion, Nicolaïtæ. Hujus & sequentis sæculi Hæretici penè omnes magi & malefici, in omnem libidinem effusi, fanatici. Illorum omnium historiam & errores sequentibus Articulis sigillatim exponemus.

## ARTICULUS I.

### *De Simone Mago, & ejus erroribus.*

PRimus in Hæreticorum grege numerandus est SIMON MAGUS, Gitthis oriundus, vico Samariæ. Magicas hic artes exercuit, quibus Samaritanos in stuporem admirationemque sui conversos impulit ut pro Deo ipsum colerent, dicentes: *Hic est virtus Dei, quæ vocatur magna.* A Philippo Diacono cum aliis Samaritanis baptizatus, illi se adjunxit. Ob sacrilegam, quam tentavit, nundinationem potestatis, quâ Spiritum Sanctum per manûs impositionem, Apostolorum instar dare valeret, à Sancto Petro meritò increpitus est his verbis: *Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecuniâ possideri.* (Actuum VIII.) Hinc Simoniacæ Hæreseos origo. Hinc, inquam, Simoniam plerique Veterum hæresim vocant, quorum testimonia Joannes Launoius congerit in libro *De veneranda Romana Ecclesia circa Simoniam traditione.*

Ejuratâ Christianâ fide, docuit semetipsum esse, qui inter Judæos quidem quasi Filius apparuerit; in Samaria autem, quasi Pater descenderit; in reliquis verò gentibus quasi Spiritus Sanctus adventaverit. (Ex Sancto Irenæo lib. 1. adversùs hæreses capite XX.) Quod paulò aliter Sanctus Augustinus refert lib. de Hæresibus ad Quodvultdeum capite 1. Simonem scilicet dixisse, *se in monte Sina legem Moysi in Patris persona dedisse Judæis, tempore Tiberii in Filii persona putative apparuisse, postea se in linguis igneis Spiritum Sanctum super Apostolos venisse: Christum autem nec venisse, nec à Judæis quidquam pertulisse.*

II. Helenam à Tyro civitate Phœnices quæstuariam meretricem secum circumducebat, effutiens hanc esse primam suæ mentis conceptionem, matrem omnium, per quam initio Angelos creandos mente concepit, qui postea mundum atque homines condiderunt. Addebat ipsam Angelos mutuam in pugnam excitasse, illius captos illecebris: ab ipsis detentam, ne sursum evolare posset; ideoque cum ea in varia mulierum corpora transmigrante congressos. Eandem esse aiebat Helenam, propter quam bellum Trojanum exarsit. Eam appellabat Minervam. De hac dictum blasphemabat à Paulo Ephesiorum 6. cap. *Induite loricam justitiæ, sumite scutum fidei, & galeam salutis assumite.* Ovem errabundam illam esse asserebat, cujus gratiâ è cœlo descendisset. Simulachrum suum sub nomine Jovis, scorti sui, sub nomine Minervæ discipulis proponebat adorandum. Hæc habentur ex Sancto Irenæo loco citato, ex Epiphanio Hæresi 21. ex Cyrillo Hierosolymitano Catechesi 6. Illuminatorum, ex Theodoreto lib. 1. Hæreticarum Fabularum capite 1.

Eadem elegantiori stylo persequitur Tertullianus lib. de Anima capite 34. *Simon Samarites, in Actis Apostolorum redemptor Spiritûs Sancti, posteaquam damnatus ab ipso cum pecunia sua in interitum, frustra flevit, conversus ad veritatis expugnationem, quasi pro solatio ultionis; fultus etiam artis suæ viribus, ad præstigias virtutis alicujus, Helenam quandam Tyriam, de loco libidinis publicæ, eâdem pecuniâ redemit, dignam sibi mercedem pro Spiritu Sancto, & se quidem finxit summum Patrem; illam verò, injectionem suam primam, quâ injecerat Angelos & Archangelos condere. Hujus eam propositi compotem, exiluisse de Patre, & in inferiora desultasse; atque illic, prævento Patris proposito, Angelicas Potestates genuisse, ignaras Patris artificis mundi hujus: ab his verò per invidiam retentam, ne digressâ eâ, alterius genimina viderentur; & idcirco omni contumeliæ addictam, ut nusquam discedere depretiatam liberet, humana quoque forma succidisse, velut vinculis carnis coercendam: ita multis ævis per alios atque alios habitus fœmineos volutatam, etiam illam Helenam fuisse, exitiosissimam Priamo, & Stesichori postea oculis, quem & excæcasset ob convitium carminis, dehinc reluminasset ob satisfactionem laudis: proinde migrantem eam de corporibus in corpora, sub titulo prostitisse Helenam viliorem. Hanc igitur esse ovem perditam, ad quam descenderit Pater summus, Simon scilicet, & primùm recuperatâ eâ & revectâ, nescio an humeris, an feminibus, exinde ad hominum respexerit salutem, quasi per vindictam liberandorum ex illis Angelicis Potestatibus, quibus fallendis & ipse configuratus, æquè & hominibus*

*tibus hominem ementitus, in Judæa quidem Filium, in Samaria verò Patrem gesserit. O Helenam inter Poëtas & Hæreticos laborantem, tunc adulterio, nunc stupro infamem! nisi quòd de Troja gloriosius eruitur quàm de lupanari, mille navibus de Troja, nec mille denariis forsitan de lupanari.*

III. Asserebat Simon Legem non à Deo, sed à sinistra quadam Intelligentia latam. Hinc Marcionitæ, & Manichæi. (Ex Epiphanio.)

IV. Addebat Prophetas non à bono Deo, sed à variis Intelligentiis afflatos, & omnes qui Veteri Testamento fidem adhibebant, mortem incurrere. (Ex eodem.)

V Eos qui in ipsum & ejus Helenam spem haberent, Legis præcepta curare non debere, nec ejus minas pertimescere, sed liberam habere faciendi quæ vellent potestatem. *a* (Ex Sancto Irenæo & Theodoreto locis citatis.)

*a* Hæreticorum licentia.

VI. Secundùm ipsius gratiam salvari homines, non secundùm opera justa. (Ex iisdem Authoribus.) Unde constat ex quo fonte manaverit error Hæreticorum nostri sæculi, *b* qui fidem sine operibus ad salutem sufficere commenti sunt.

*b* Nostri sæculi Hæretici à Simone Mago acceperunt.

VII. Præcepta de bonis operibus exercendis, ab Angelis mundi opificibus data esse, ut homines servitum subjicerent, à quorum imperio suos se liberaturum discipulos dissoluto mundo pollicebatur.

VIII. Negabat carnis resurrectionem. (Ex Sancto Augustino loco laudato.)

IX. Promiscuam docebat libidinem, & mysteria quædam spurcitiæ viros inter & mulieres, quæ recensere modestia vetat. Hæc autem mysteria vitæ esse dicebat, & perfectissimæ cognitionis; nullumque hominum salutem consequi posse, nisi obscœna illa didicisset. (Ex SS. Epiphanio, Augustino, Theodoreto, Eusebio & Irenæo.)

X. Amatoria quædam, & ad libidinem pellicentia discipuli Simonis usurpabant; & quæcunque alia incantatores solent, obibant velut divina mysteria. (Ex iisdem.)

XI. Barbara quædam Angelorum nomina commentus est Simon Magus; nec aliter obtineri posse salutem asseveravit, quàm si quis summo Parenti per eos sacrificium offerret. (Ex Sancto Epiphanio.) Hinc Tertullianus lib. de Præscriptionibus cap. 33. ait: *Simoniana autem magia disciplina Angelis serviens, utique & ipsa inter idololatrias deputabatur, & à Petro Apostolo in ipso Simone damnabatur.* Immeritò itaque Baronius ad annum Christi 60. *c* negat Simonem Magum ullum cultum Angelorum introduxisse. Nec obstat quòd Angelos, quos mundi conditores se fecisse jactabat, detestatus sit; eosque docuerit contemnendos, & se ideo descendisse in mundum, ut eos malè moderantes terrarum orbem, corriperet. Utrumque enim facilè conciliari potest. Angelos mundi conditores contemnendos esse docuit Simon eatenus, ut illius discipuli se supra illos attollendos esse crederent, & ad summum illum Patrem emersuros; quos nihilominus, quandiu in hac vita degerent, execrandis illis mysteriis ac ritibus deberent placare, ne evolantes è corporibus animas pro suo jure retinerent.

*c* Baronius emendatus.

XII. Discipulos suos, quibus Christus putatitius erat, tempore persecutionis negare docuit Simon; & si opus esset etiam idola colere. Id testatur Origenes lib. 6. contra Celsum pag. 492. *Nunc*, inquit, *nusquam gentium extant Simoniani, quamvis Simon, quo plures sibi pararet discipulos, sustulerit è sua doctrina mortis periculum, quod Christiani docebantur contemnere, dicens indifferentem rem esse idololatriam.*

Denique Simon Magus Romam se conferens, Neronem Imperatorem, Romanumque populum solitis præstigiis delusit; qui volatum pollicitus, cùm in sublime elatus esset, Sancti Petri oratione prostratus est, confractisque cruribus extinctus, ut testantur Arnobius lib. 2. adversùs Gentes, Sanctus Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 6. Illuminatorum, Eusebius lib. 2. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 12. Sanctus Epiphanius Hæresi 21. Sanctus Augustinus lib. de Hæresibus, Theodoretus loco citato, & Sanctus Maximus Taurinensis Sermone 5. in Natali Apostolorum, qui & Sancto Ambrosio adscriptus, inter ejus Sermones de Sanctis duodecimus legitur.

Porro Simonem Magum, ante casum illum, Romæ tantam sibi celebritatem nominis peperisse, ut statuâ sit donatus, quæ ad Tiberim inter duos pontes erecta erat, cum hac inscriptione; *Simoni Deo Sancto*, testatur Sanctus Justinus Apologia 2. Hoc autem honore sub Claudio Cæsare affectus est. Sunt *d* qui Justinum deceptum esse putent similitudine inscriptionis, & statuam quæ visebatur cum hac epigraphe, *Semoni Deo Sango*, *e* tribuisse Simoni Mago; sed nequaquam ita esse suadent tum Justini in Gentium historia eruditio, tum accurata rerum Simonis notitia, cum quo patriam habebat communem Samariam: Et qui etiam in urbe Roma domicilium habuit, teste Eusebio lib. IV. cap. XI. tum Tertulliani testimonium Apologetici cap. XIII. dicentis: *Simonem Magum statuâ & inscriptione Sancti Dei, inauguratis.* Et Eusebii loco suprà citato. Idemque confirmant *Sanctus Irenæus* lib. I. cap. XX. *Sanctus Cyrillus Hierosolymitanus*, Catechesi VI. *Theodoretus* libr. I. *Hæreticarum Fabularum* cap. I. & *Sanctus Augustinus* lib. *De Hæresibus*.

*d* Rigaltius, Valesius, &c.

*e* Effossa quidem ex antiquis rudeïbus statua cû hac inscriptione, *Semoni Sango, Deo Fidio.* Sancus Deus erat apud Sabinos à Lacedæmoniis sedentibus dictus, quibus præerat. Unde etiam *Deus Fidius* vocabatur à fide; sed alia fuit statua, quæ Simoni Mago consecrata est.

Aliquos scripsisse contra fidem Christi Sermones Simonem Magum, author est Dionysius lib. de divinis Nominibus cap. 6. cùm ait: *Quamobrem vesania Simonis contradictorii sermones procul à divino cætu tuâque spiritali animâ repellantur.*

Mirùm est quòd ita memoriâ lapsus sit Clemens Alexandrinus lib. VII. Stromatum pag. 549. ut Simonis hæresim recensuerit inter eas, quæ circa tempora Adriani Imperatoris emerserunt; & scripserit, ipsum post tempora Marcionis audivisse Petrum paulisper prædicantem contra Simonis Magi errorem, quo Legem à Deo non latam, nec Prophetas ab eo inspiratos effutiebat. Lege Sanctum Epiphanium ubi suprà. Contra ejusdem errorem, quo metempsycosim adstruebat, lege Sanctum Irenæum lib. I. cap. XVIII. Contra errorem, quo Angelos mundi conditores esse contendebat, lege eundem Irenæum lib. I. capite 2.

## ARTICULUS II.


### *De Menandro, & ejus erroribus.*

MENANDER Simonis Magi discipulus, pariter Samaritanus, circa annum Christi 74. Vespasiani Imperatoris I. Ecclesiam suâ hæresi infestavit. Insana Simonis dogmata propugnabat, iisdemque præstigiis deditus erat, nisi quòd se majorem jactabat præceptore. (Ex Epiphanio *Hæresi* XXII.)

II. Docuit se Servatorem ad hominum conservationem & salutem cœlitus demissum. (Ex Irenæo lib. I. cap. XXI. & Eusebio lib. 3. Historiæ cap. XX.)

III. Neminem ex Angelorum mundi hujus conditorum dominatione eripiendum prædicabat, nisi magiæ præceptis imbutus esset, & suo baptismate initiatus. (Ex iisdem.)





IV. Perpetuam in hac vita immunitatem à senio & à morte illis pollicebatur, qui ejusmodi lavacro tincti essent. (Ex iisdem, & ex Sancto Justino Martyre Apologia 2. & Tertulliano lib. de Anima cap. 50.) *Publica*, inquit, *totius generis humani sententia, mortem naturæ debitum pronuntiamus. Hoc stipulata est Dei vox: hoc spopondit omne quod nascitur, ut jam hinc non Epicuri stupor suffundatur, negantis debitum istud ad nos pertinere: sed hæretici magis Menandri Samaritani furor conspuatur, dicentis mortem ad suos non modò non pertinere, verùm nec pervenire. In hoc scilicet se à superna & arcana Potestate legatum, ut immortales, & incorruptibiles, & statim resurrectionis compotes fiant, qui baptisma ejus induerint. Legimus quidem pleraque aquarum genera miranda; sed aut ebriosos reddit Lyncestarum vena vinosa, aut lymphaticos efficit Colophonis scaturigo dæmonica, aut Alexandro accidit Nonacris Arcadiæ venenata. Fuit & Judæa lacus medicus ante Christum. Planè Stygias paludes Poëta tradidit mortem diluentes. Sed & Thetis filium planxit: quanquam si & Menander in Stygem mergit, moriendum erit nihilominus ut ad Stygem venias; apud inferos enim dicitur. Quænam & ubinam ista felicitas aquarum, quas nec Joannes Baptizator præministravit, nec Christus ipse Discipulis demonstravit? Quod hoc Menandri Balneum? Magicum credo. Sed cur tam infrequens, tam occultum, quo paucissimi lavant? suspectam enim faciam tantam raritatem securissimi atque tutissimi Sacramenti, apud quod nec pro Deo ipso mori lex est, cùm contra omnes jam nationes ascendant in montem Domini, & in ædem Dei Jacob, mortem per martyrium flagitantes, quam de Christo etiam suo exegit. Nec magia tantum dabit quisquam, ut eximas mortem, aut repastinet vitis modo vitam ætate renovatâ. Hoc enim ne Medeæ quidem licuit in hominem, etsi licuit in vervecem. Translatus est Henoch & Helias, nec mors eorum reperta est, dilata scilicet. Cæterùm morituri reservantur, ut Antichristum suo sanguine extinguant. Obiit & Joannes, quem in adventum Domini remansurum frustra fuerat spes. Postremò ubi sunt illi, quos Menander ipse perfudit, quos in Stygem suam mersit? Apostoli perennes veniant, adsistant: videat illos meus Thomas, audiat, contrectet, & credidit.*

## ARTICULUS III.

### *De Saturnino, & ejus erroribus.*

QUamvis Annales Ecclesiastici hanc hæresim ad tempora Adriani Imperatoris referant, id est ad annum Christi circiter 120. cum Eusebio lib. 4. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 6. uti & hæresim Basilidis: de his tamen hîc agimus opportunè, quia cùm Menandri hæresi, cujus uterque Heresiarcha discipulus fuit, ortæ videri possunt.

SATURNINUS genere Antiochenus, in Syria scholam erroris & impietatis instituit. (Ex Irenæo lib. 1. cap. 22. ex Epiphanio Hæresi 23. & ex Eusebio loco mox citato.)

A pluribus ex Antiquis, Saturnilus vocatur. Simonis hæresim propagans, docuit primò, unum esse Patrem protsus ignotum, & hunc Angelos creasse aliasque Potestates.

II. Septem ex horum numero mundum condidisse, hominemque finxisse.

III. Aspectabilis hujusce mundi suam quemque Angelum partem divisione sortitum.

IV. Ipsos lucidæ cujusdam imaginis, quæ illis è cælo apparuerat, & quam detinere apud se minimè potuerant, exprimendæ desiderio, ad hominem fingendum fuisse excitatos, & dixisse: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem.* Sed cùm figmentum illud erigi non posset, neque quicquam agere, ac reptantis instar vermiculi jaceret; divinam virtutem, cujus in similitudinem esset factus, scintillam vitæ immisisse, quæ ipsum animavit, erexit, perfecit. Hanc porro scintillam vitæ post dissolutionem animalis reverti ad cælestem illam, à qua prodierat, virtutem, asserebat.

V. Judæorum Deum, unum ex Angelis esse dixit. Salvatorem verò de communi virtutum sententia à Patre missum, ut & Judæorum Deum in ordinem redigeret, & iis qui sibi crederent, salutem afferret, id est, iis qui scintillam vitæ ejus obtinuissent.

VI. Duo hominum genera ab Angelis condita esse effutiit, alios naturâ bonos, alios naturâ malos: quia verò dæmones adjuvabant malos, venisse Salvatorem, bonis hominibus ut succurreret, malosque cum dæmonibus profligaret. Hæc habentur ex Irenæo, Epiphanio & Theodoreto locis supra citatis; ex Philastrio lib. de Hæresibus in *Saturnino*, & ex Sancto Augustino lib. de Hæresibus ad Quodvultdeum.

VII. Prophetias partim à mundi opificibus Angelis prolatas dixit, partim à Sathana; & hunc ipsum Sathanam Angelum esse, qui Angelis mundi conditoribus, necnon Judæorum Deo imprimis adversetur. (Ex Irenæo, Epiphanio, & Theodoreto.)

VIII. Christum Servatorem non solùm factum esse, sed etiam ingenitum asseruit, & incorporeum, & informem, specie autem potius, quàm reipsa hominibus apparuisse [a]; omniaque ab eo specie tenus peracta, cujusmodi fuit, nasci, ambulare, videri, pati. (Ex iisdem Authoribus, & ex Philastrio.)

[a] Hinc Marcion & Manes hausêre.

IX. Nuptias & generationem ex dæmonis doctrina profectas, primus inter Hæreticos propugnavit. (Ex iisdem.)

X. Multi ex ejus discipulis ab animatorum esu abstinebant, ut ficta hujusce abstinentiæ religione faciliùs hominibus imponerent. (Ex iisdem.)

Contra errorem Saturnini, quo duo hominum genera admittebat, unum naturâ malum, aliud naturâ bonum, disputat Irenæus libr. 4. adversùs Hæreses cap. 72.

## ARTICULUS IV.

### *De Basilide, & ejus erroribus.*

BASILIDES genere Alexandrinus, condiscipulus Saturnini, Menandri auditor, gloriabatur se Glauciam habuisse præceptorem, Interpretem Apostoli Petri, teste Clemente Alexandrino lib. 7. Stromatum pag. 549. Profectus in Ægyptum, ibi hæreseos suæ venena sparsit, quam ad Simonis Menandrique ineptias majoribus additis nugis commentus fuerat.

I. Ingenitum unum Principium adstruxit, sive summam Virtutem, quam barbaro vocabulo, *Abrasax*, nominabat. Ab hac procreatam Mentem, à Mente Verbum, à Verbo Prudentiam, à Prudentia Virtutem, & Sapientiam prodiisse; ab utraque porro conditos fuisse Principatus, Potestates, & Angelos; ab his supremum cœlum conditum, & alios rursus Angelos propagatos; ab illis alterum cœlum, & aliam rursus Angelorum propaginem: atque ita deinceps, donec 365. cœli perfecti essent.

II. Ab Angelis citimo huic cœlo, nobisque proximo attributis, ac Virtute quæ illic residet, creata postmodum hæc inferiora censebat omnia; eosque terrarum orbem inter se distribuisse.

III.

III. Horum Angelorum Principem Deum esse Judæorum commentus est, à quo conditus sit homo. Eum reliquis Angelis longè audaciorem esse, ac virium suarum præstantia fretum, Israëlitas ex Ægypto liberasse, ac reliquas gentes suis subjicere voluisse Israelitis; eam ob causam cæteros Angelos ejus consiliis adversatos fuisse, ac subditas sibi gentes in Judaïcam armasse. Ingenitum verò Patrem primogenitam Mentem suam misisse, quæ Christus vocata est, ut sibi credentes à potestate Angelorum mundi hujus conditorum liberaret.

IV. Christum specie tenus mortalibus apparuisse, neque hominem revera extitisse, aut induisse carnem asserebat; ipsumque neutiquam esse passum, sed Simonem illum Cyrenæum, cui cùm Judæi Christi crucem imposuissent, hunc Jesus in suam commutavit figuram, & ejus vicissim propriam induit effigiem, atque ita propè stans, nec oculis aspectabilis, Judæorum irrisit elusitque conatum.

V. Martyrium damnavit, nullum præmium consequi martyres contendens, ut qui se Christi causâ mortem obire imprudentes profiterentur, cùm revera pro Simone Cyrenæo occumberent.

VI. Credendum non esse in Crucifixum, sed in eum qui visus erat crucifigi: qui enim ita crederent, à potestate Angelorum mundi hujus conditorum liberandos.

VII. Soli animæ repromissam esse salutem, corpus verò minimè resurrecturum.

VIII. Prophetias ab Angelis factas; Legem verò à Principe Judæorum latam esse.

IX. Barbara Angelorum nomina commentus est. ( Quæ omnia habentur ex Irenæo libr. 1. adversùs hæreses cap. 23. ex Epiphanio Hæresi 24. ex Theodoreto lib. 1. Hæreticarum Fabularum cap. 4. ex Philastrio libr. de Hæresibus, in Basilide, & ex Augustino lib. de Hæresibus ad Quodvultdeum. )

X. Aiebat animas in altera vita peccasse, *a* ob idque hîc pati supplicium: electam quidem, ut puniatur honorificè per martyrium; aliam autem, ut suo purgetur supplicio. Ex Clemente Alexandrino lib. 4. Stromatum pag. 369. ubi & illum errorem egregiè refellit.

*a* Id ex Platone haustum, unde meritò Plato Hæreticorum Condimentarius à Tertulliano dictus, & Philosophi Hæreticorum Patriarchæ.

XI. Dicebat non omnia peccata dimitti à Deo, sed sola involuntaria. ( Ex eodem lib. 4. Stromatum pag. 390. )

XII. Deum esse naturâ cognitum, fidemque naturæ proprietatem ac dotem esse, non autem animæ libero arbitrio præditæ rationalem assensionem. ( Ex eodem lib. 5. Stromatum pag. 398. & libro 2. pag. 265. )

XIII. Animi perturbationes esse quosdam spiritus animæ rationis composi appensos, per quandam conturbationem & confusionem; & alias rursus spirituum adulterinas & diversi generis naturas iis adnasci, utpote lupi, simiæ, leonis, ursi, quorum affectionibus, quas anima visione apprehendit, cupiditates, animantium similitudinem contraherent. ( Ex eodem lib. 2. Stromatum pag. 599. )

XIV. Non esse alias peccatorum pœnas, nisi transmigrationes animarum post mortem corporis. ( Ex Origene Homilia 28. in Matthæum. )

XV. Ausus fuit Basilides componere Evangelium, & suo illud nomine inscribere. ( Ex eodem Homil. 1. in Lucam. ) Scripsit etiam viginti libros in Evangelium. ( Ex Castore Agrippa apud Eusebium libr. 4. Historiæ Eccles. cap. 7. ) Scripsit etiam libros Exegeticon, quorum 23. citat Clemens Alexandrinus lib. 4. Stromatum pag. 368.

XVI. Discipulos suos tempore persecutionis docuit ejerare Deum, nec peccare contra illud Scripturæ oraculum, *Qui negaverit me coram hominibus, negabo & eum coram Patre meo.* Se enim suosque tantùm homines esse, adeoque satis esse coram ipsis confiteri; alios verò sues esse & canes, de quibus dictum sit in Scriptura; *Nolite projicere margaritas ante porcos; nolite dare sanctum canibus:* adeoque licitum esse coram ipsis Deum negare. ( Ex Irenæo, Epiphanio & Eusebio locis citatis, & Origene Homilia 1. in Lucam. )

XVII. Suis discipulis, cùm primùm se illius in disciplinam tradebant, quinquennii silentium Pythagoræorum more instituoque præcipiebat. ( Ex Eusebio. ) Illis & hoc dedit præceptum; *Date operam ut omnia cognoscatis, nemo verò vos cognoscat.* Tam nefaria namque erant ipsorum sacra, tam obscœna facinora, ut suæ impuritatem disciplinæ evulgari formidaret. ( Ex Irenæo & Epiphanio, necnon ex Theodoreto locis citatis. ) Universæ enim libidinis usum permittebat, inquit Irenæus.

XVIII. Usum ciborum idolis immolatorum indifferentem esse Basilides docebat. (Ex iisdem Authoribus.)

XIX. Magicis sacris, incantationibus & imaginibus, seu amuletis Basilidiani utebantur. ( Ex iisdem. ) Harumce imaginum exemplar ex antiquis gemmis exhibet Baronius tom. 2. Annalium ad annum Christi 120. p. 65.

XX. Basilidem negasse realem Christi præsentiam in Eucharistia; idque ex sancto Ignatio Epistola ad Smyrnenses Theodoretum Dialogo 3. recitare, notat Annalium Ecclesiasticorum Parens loco mox citato *a*; sed Theodoretus ibi nequidem loquitur de Basilide, aut de illo locutum esse indicat sanctum Ignatium, cùm scripsit in Epistola quam citat, ad Smyrnenses; *Eucharistias & oblationes non admittunt, quòd non confiteantur Eucharistiam carnem esse Salvatoris nostri Jesu Christi, quæ pro peccatis nostris passa est, quam Pater sua benignitate suscitavit.* Probabile tamen est his verbis sanctum Ignatium perstrinxisse Basilidis, Menandri & Simonis discipulos: ex quorum dogmate, quo veritatem carnis Christi negabant, consequens erat ut sacratissimæ etiam Eucharistiæ veritas damnaretur.

*a* Baronius [illegible]

XXI. Novos Prophetas ad errorem suum nobilitandum excogitavit Basilides, eosque *Barcabam* & *Barcoph* appellavit, novis & barbaris nominibus.

Fuit Basilidi filius Isidorus nomine, paternæ impietatis hæres & propagator, ut testantur Clemens Alexandrinus & Theodoretus. Scripsit ille Moralem impuram, cujus fragmentum citat idem Clemens Alexandrinus lib. 3. Stromatum pag. 311. Librum etiam edidit de adnata Anima, in quo duas cuilibet homini animas inesse asseruit. ( Ex eodem libro 2. Stromatum pag. 299. ) Scripsit denique libros expositionum Prophetæ *Parchor*, quo nomine commentitium vatem ad terrorem ignarorum nuncupabat: ex quibus libris nonnulla citat deliramenta Clemens Alexandrinus lib. 9. Stromatum pag. 462.

Adversùs Basilidis errores scripserunt S. Ignatius Martyr in Epistola præsertim ad Trallianos, ubi Christum verè, non hominum opinione crucifixum & mortuum probat, & in Epistola ad Smyrnenses; necnon Castor Agrippa scriptor præstantissimus, & ipsius Basilidis coævus. qui refutationem contra illum edidit, qua subtile præstigiarum & captionum illius acumen apertissimè detexit patefecitque, inquit Eusebius lib. 4. Historiæ cap. 7. Meminit lucubrationum Agrippæ Castoris in Basilidis 24. volumina & Sanctus Hieronymus in Catalogo Scriptorum Ecclesiast. in *Agrippa*. Denique adversùs errores Basilidis scribunt Clemens Alexandrinus & Epiphanius locis citatis; & ante hos Irenæus

næus lib. 3. cap. 18. quod inscribitur *Adversùs eos qui dicunt Christum putativè apparuisse*. Christum item putativè non apparuisse probat idem Irenæus libr. 5. cap. 2. Quæ verò de cælorum fabricatione commentus est, ipse refellit lib. 5. c. 65.

## ARTICULUS V.

### *De Cerintho, & ejus erroribus.*

CERINTHUS Philosophiæ in Ægypto operam dedit: deinde Hierosolymis, Cæsareæ, Antiochiæ frequenter Apostolis ipsis restitit. Hunc esse, qui sub Apostolis quæstionem illam movit de Circuncisione, ac cæteris Legis Mosaïcæ adhibendis cæremoniis, ad quam disceptandam Concilium Hierosolymitanum ab Apostolis habitum est, scribunt Epiphanius *Hæresi* 28. & Philastrius *lib. de Hæresibus, in Cerintho.*

In Asiam profectus, virulentam doctrinam profudit, cujus hæc sunt capita. Primò docuit unum quidem universorum Deum esse; non ipsum tamen conditorem esse mundi, sed separatas quasdam Potestates, quæ illum penitus ignorant. (Ex Irenæo lib. 1. cap. 25. & ex Theodoreto lib. 2. Hæreticarum Fabularum cap. v.)

II. Legem cum Evangelio necessariò servandam esse ut salutem quis consequeretur, & Circuncisionem suscipiendam. (Ex SS. Epiphanio & Augustino lib. de Hæresibus.)

III. Christum merum hominem esse docuit a, ex Josepho & Maria genitum; vel potius duas in Christo personas introduxit, docuitque Christum in Jesum jam adultum descendisse, à summo Deo delapsum, cùm in ipsum Spiritus sanctus ad Jordanem in columbæ specie illapsus est; ob idque, mox ut in ipsum cœlestis illa virtus sese infudit, portenta ac miracula patrasse; ac demum posteaquam passus est, quod è cœlo venerat, eodem relicto Jesu, illuc revolasse: Jesum verò Maria & Josepho progenitum, & obiisse mortem, & ad vitam excitatum esse: Christum qui descenderat, pœnæ omnis expertem, eò unde venerat reversum, utpote spiritalem & impassibilem. (Ex Irenæo, Epiphanio & Theodoreto.) Quanquam ipsum asseverasse, *non surrexisse Jesum, sed resurrecturum esse*, S. Augustinus & Philastrius scribunt.

IV. Evangelium Christi secundùm Matthæum mutilabant Cerinthi sectatores; & propter genealogiam Christi, quæ ejus est secundùm carnem propria, illud ex parte admittebant. Explodebant Epistolas Pauli, quòd scripserit, Christum iis qui Circuncisionem necessariam existimarent, nihil profuturum. (Ex sancto Epiphanio.) Actus Apostolorum rejiciebant; contumeliis afficiebant Martyres; Judam traditorem honore singulari prosequebantur. (Ex Philastrio.)

V. Illorum nomine baptizabantur, qui sine baptismo excessissent, ne in extrema resurrectione baptismi non suscepti darent pœnas, & ejus qui mundum condidit dominationi subjicerentur; & illud Apostoli. 1. ad Corinthios cap. 15. ad sui trahebant erroris patrocinium, *Si mortui non resurgunt, ut quid baptizantur pro ipsis?*

VI. Cerinthus falsas revelationes, quasi ab Angelo sibi factas ostentabat; ut ex disputatione Gaii veteris Scriptoris Eusebius refert lib. 3. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 28.

VII. Post resurrectionem carnis humanæ regnum Christi terrestre futurum; & Hierosolymis homines carnis cupiditatibus & voluptatum illecebris servituros effutiebat: & numerum mille annorum in nuptiarum festis & celebritate consumendum; hinc ejus erroris sectatores Chiliastæ, id est Millenarii, sunt nuncupati. De hoc Cerinthi errore lege Eusebium lib. 3. Historiæ Ecclesiasticæ c. 28. ubi & Gaii disputationem, & Dionysium Alexandrinum libr. 2. de Promissionibus, de hoc uberiùs disserentes laudat. De Cerinthi cum Joanne Apostolo congressu memorabile quiddam narrat Eusebius ibidem ex sancto Irenæo; Joannem scilicet, cùm lotum ad balnea venisset, animadverso qui tum eodem accesserat, Cerintho, statim se inde proripuisse, dicentem: *Fugiamus extemplo, ne balneum in quo Cerinthus veritatis hostis moratur, subitò concidens nos opprimat.* Eandem historiam refert Theodoretus.

Adversus Cerinthum disputat sanctus Irenæus lib. 3. c. 19. ubi ostendit Christum non descendisse in Jesum, sed Spiritum sanctum in specie columbæ. Cap. 18. ubi ostendit Christum non esse alium à Jesu, sed eumdem qui natus sit, mortem obierit & resurrexerit. & cap. 21. ubi ostendit Christum non esse purum hominem, neque ex Joseph genitum: Et sanctus Epiphanius loco citato. Cerinthi discipuli dicti sunt etiam Merinthiani; quod nomen an ab ipso Cerintho acceperint, qui alio nomine Merinthus dictus sit; an ab alio, qui Cerinthi in propagandis erroribus socius extiterit, incertum est, ut ait sanctus Epiphanius.

## ARTICULUS VI.

### *De Ebione, & ejus erroribus.*

EBION Hebraïca linguâ *Mendicum* sonat; quod nomen huic, de quo agimus, Hæresiarchæ apprimè convenit, siquidem mentis & intelligentiæ inops erat, quippe qui de Christo & ejus doctrina tenuiter nimis & abjectè statueret, inquit Eusebius lib. 3. Historiæ Ecclesiasticæ c. 27. Hos autem Ebion errores evomuit.

I. Christum simplicem, vulgarem, & solum hominem censuit, & ex Josephi cum Maria consortio genitum: quem propter progressum in virtute, hominem justum habuit, attamen merum hominem. (Ex Tertulliano lib. de Carne Christi cap. 18. ex Eusebio loco citato, ex Epiphanio Hæresi 30. ex Theodoreto lib. 2. Hæreticarum Fabularum c. 1. ex Philastrio lib. de Hæresibus in Ebione, ex S. Augustino lib. ad Quodvultdeum & ex Mario Mercatore Dissertatione in 12. Anathematismum Nestorii.) Eum tamen errorem non omnes constanter propugnarunt Ebionæi: aliqui enim ex Virgine & Spiritu sancto Christum conceptum fatebantur, quem tamen Deum, Verbum, & Sapientiam Patris ante sæcula extitisse, æquè negabant. (Ex Eusebio.) Quem errorem omnibus Ebionitis communem fuisse indicat etiam Hieronymus in Catologo Scriptorum Ecclesiasticorum *in Joanne*, ubi de sancto illo Evangelista hæc habet: *Novissimus omnium scripsit Evangelium adversùs Cerinthum aliosque Hæreticos, & maximè tunc Ebionitarum dogma consurgens, qui asserunt Christum ante Mariam non fuisse.*

II. Duos à Deo constitutos asseruerunt Ebionitæ, Christum & Diabolum; quorum uni futuri, alteri præsentis sæculi potestas esset commissa. (Ex Epiphanio.)

III. Mosaicæ Legis ritus & Sacramenta, Circuncisionemque imprimis, Ebion cum Christiana professione conjunxit. (Ex Authoribus citatis.) Unde in ipso impleri ait sanctus Epiphanius, quod Proverb. 5. scriptum est: *Paulominus versatus sum in omni malo, in medio Ecclesiæ & Synagogæ.*

IV. Solum Evangelium Matthæi admittebant Ebionitæ, illudque vocabant Evangelium secundùm Hebræos; quòd unus Matthæus Evangeli-

cam

a Hinc Ebion & Nestoriana hæresis.

tam Historiam Hebraïcè scripserit. Testatur Marius Mercator Ebionem asseruisse se Matthæi, Marci & Lucæ authoritatem secutum. In quo ut concilietur cum Epiphanio, dicendum est, vel Mercatorem locutum esse de Ebionitis, Epiphanium verò de Ebione; aut è contra: vel horum authoritatem ipsum esse secutum, non quòd ipsam vereretur, sed quòd ea uteretur quandoque ad hominem contra Catholicos. Sancti Pauli Epistolas etiam rejiciebant, apostatam Legis eum vocantes. (Ex Irenæo, Epiphanio, Eusebio, & Theodoreto.)

v. Abraham, Isaac, Jacob, Moysen & Aaronem admittebant, unà cum Jesu, qui Moysis duntaxat successor, nihilque amplius fuisset. Prophetarum præterea recipiebant neminem, sed universos deridebant & execrabantur. (Ex sancto Epiphanio.) Integrum Moysis Pentateuchum non admittebant, sed expungebant ex eo nonnulla; præsertim quæ animatorum esum licitum esse persuadent. (Ex eodem.)

vi. Christum, qui virtute & meritis Filius Dei evasisset, Prophetam esse veritatis dicebant; alios verò non veritatis Prophetas, sed intelligentiæ. (Ex eodem.)

vii. Alios Apostolorum Actus à Canonicis obtrudebant, figmentis erroribusque scatentes. In iis legebatur Paulum Gentilem fuisse, & utroque parente Gentili procreatum: cùmque Hierosolymam accessisset, ibique aliquandiu fuisset moratus, Pontificis filiam ipsum postulasse uxorem, illiusque spe conjugii ipsum nomen dedisse inter Proselytos, ac Circumcisionem suscepisse; postea verò irà percitum, quòd ab expetitis nuptiis excidisset, adversùs Circumcisionem & Sabbatum, Legemque totam scripsisse. (Ex S. Epiphanio.)

viii. Utebantur Ebionitæ Petri Itinerario, quod à Clemente conscriptum jactabant; quod sive integrum concinnarint ac supposuerint, sive depravaverint duntaxat, ut indicare videtur S. Epiphanius, constat plurimis mendaciis & erroribus infartum ab ipsis esse. Hujusmodi est, quod de sancto Petro commenti sunt: *Ipsum quotidie castimoniæ causâ corpus lavisse*; quem ipsi ritum usurpabant; ac *à carnibus animatisque omnibus sibi temperasse*: quam & ipsi abstinentiam profitebantur, & prædicabant necessariam. (Ex S. Epiphanio.)

ix. Baptismo quodam singulari, præter quotidianum illum initiabantur, & ex Christianorum imitatione mysteria quædam quotannis celebrabant, in quibus panes azymi, & mera aqua adhibebantur. (Ex sancto Epiphanio.)

x. Sabbatum, secundum legem Mosaïcam, observabant, & Dominicam, Christianorum more, sanctificabant Ebionitæ. (Ex Eusebio & Theodoreto.)

xi. Adolescentulos citra maturam ætatem ad nuptias compellebant; &, si cui divortium facere libuisset, ac novum inire matrimonium, ad tertias, & septimas usque nuptias ad permittebant. (Ex S. Epiphanio.)

Ebionem in Asia, necnon Romæ suos errores prædicasse, cùm in Syria, & Nabatea, & Moabitide auspicatus esset, scribit S. Epiphanius; qui de Ebione narrat, quod articulo præcedenti de Sancti Joannis Evangelistæ, & Cerinthi fortuito congressu, ex Irenæo & Eusebio, à nobis notatum est.

Contra errorem Ebionis, quo Christum ex consortio Mariæ cum Joseph genitum effutiit, disputat egregiè Sanctus Irenæus lib. 3. cap. 24. 26. & seqq. usque ad 32. Tertullianus lib. de Carne Christi cap. 17. & 18. & lib. de Virginibus velandis cap. 6. Epiphanius Hæresi 30. hunc & alios Ebionis errores accuratè refellit.

## ARTICULUS VII.

*De Nicolaitarum erroribus, & illius Sectæ Auctore.*

NICOLAITÆ nomen sumpserunt à Nicolao, genere Antiocheno, uno ex septem Diaconis. Promiscuos mulierum amplexus, & magis obscœna tum peregère, tum docuère. Unde Sanctus Irenæus lib. 1 cap. 17. scribit, *Nicolaitas indiscretè vivere*. 2. Idolothytorum esum indifferentem existimabant. (Ex eodem Irenæo.) 3. Fabulas ineptissimas de mundo venditabant, barbara quædam Principum nomina commenti, ut imperitis imponerent: & libros fingentes sub nomine *Ialdabaoth*, unius ex illis mundi principibus. (Ex sancto Epiphanio Hæresi 25.) 4. *Prunicum*, fictitiam mulierem, & *Calaucauch*, unum ex præfatis Principibus, impensiùs colebant. Porro *Prunicum*, nihil aliud significare, quàm rem veneream, ex Græcorum usu, Sanctus Epiphanius ostendit: vocabulo verò *Calaucauch*, quod ab Isaia usurpatur cap. 18. & significat *spem super spem*, eos esse abusos. 5. Quidam ex iis aiebant initiò tenebras ac voraginem fuisse, & aquam, à Spiritu deinde secretas: verùm tenebras contra Spiritum commotas, sursum excurrisse, & cum eo congressas fuisse. Ex hoc consortio produisse Matricem quandam, quæ rursus eidem Spiritui juncta, quatuor Æones peperit. Hi 4. alios procrearunt; Dextram, & Sinistram; Lucem, & Tenebras. Ex his, inquiebant, genitus est turpis Æon: ex cujus cum præfata Matrice consortio, Dii, Angeli, Homines, & septem Spiritus Dæmoniorum, ortum habuere. (Ex Epiphanio & ex Philastrio lib. de Hæresibus cap. 5.)

Nicolaïtarum soboles existimatur Gnosticorum hæresis. (Ex Sancto Epiphanio, ex Philastrio; & ex Sancto Augustino libr. de Hæresibus ad Quodvultdeum.)

Hæc hæresis damnatur Apocalypsis 2. cap. ubi Angelo Ephesi scribere jubetur Sanctus Joannes; *Scio quia odisti facta Nicolaitarum, quæ & ego odi.*

Cæterùm an verè istius Hæresis Author fuerit Nicolaus unus è septem Diaconis, in dubium revocatur. Nonnulli ex Antiquis ipsum Hæreseos caput asserunt; alii hanc ab ipso labem depellunt. Quid sentiamus, exponemus in Dissertationibus.

---

# CAPUT XII.

*De Monumentis Auctorum Ecclesiasticorum primi Sæculi.*

## ARTICULUS I.

*De Scriptis Christo Domino suppositis.*

QUÆDAM monumenta sunt ipsi Christo supposita, ut Epistola ipsius ad Abgarum, quam describit Eusebius lib. 1. Historiæ cap. XIII. quod singulari Dissertatione ostendemus. Ethnici quosdam etiam libros Christo affingebant, arcana magiæ continentes, quibus miracula fecisset; & hos dicebant scriptos ad Petrum & Paulum, de quibus S. Augustinus lib. 1. de Consensu Evangelistarum cap. 7. hæc habet: *Aut si aliquos se habere dicunt, quos eum scripsisse asserunt, prodant eos nobis. Profectò enim utilissimi & saluberrimi sunt, quos ut ipsi fatentur, Vir sapientissimus scripsit. Si autem timent eos proferre, utique mali sunt.* Porrò

*si mali sunt, non eos sapientissimus scripsit. Sapientissimum autem Christum fatentur; non ergo Christus tale aliquid scripsit. Ita verò isti desipiunt, ut in illis libris, quos eum scripsisse existimant, dicant contineri eas artes, quibus eum putant illa fecisse miracula, quorum fama ubique percrebuit.... Et certè qui tales Christi libros se legisse affirmant, cur ipsi nulla talia faciunt, qualia illum de libris talibus fecisse mirantur? Quid quòd etiam divino judicio sic errant quidam eorum; qui talia Christum scripsisse vel credunt, vel credi volunt, ut eosdem libros ad Petrum & Paulum dicant, tanquam Epistolari titulo prænotatos. Et fieri potest ut sive inimici nominis Christi, sive qui ejusmodi execrabilibus artibus de tam glorioso nomine pondus authoritatis dare se posse putaverunt, talia sub Christi & Apostolorum nomine scripserint.*

## ARTICULUS II.

### *De Libris Canonicis Novi Testamenti.*

### §. I.

### *De quatuor Evangeliis.*

AB Evangelio incipit Novi Testamenti Canon, quia *inter omnes divinas Auctoritates, quæ sanctis Literis continentur, Evangelium meritò excellit. Quod enim Lex & Prophetæ futurum esse prænuntiaverunt, hoc redditum atque completum in Evangelio demonstratur* (inquit *S. Augustinus* lib. 1. *De consensu Evangelistarum*, cap. 1.) Evangelium, si vis nominis, & Ecclesiæ usus spectentur, Bonum est nuntium, quo peccatores ad indulgentiam per Christum vocantur. At quatuor modis in Novo Testamento usurpatur Evangelii nomen. Primò pro re ipsa læta quæ nunciatur, ut Matth. 4. *Circuibat Jesus prædicans Evangelium Regni*, Secundò, pro doctrina Christi, Matth. 24. *Prædicabitur hoc Evangelium in universo orbe.* Tertiò, pro ipsa Prædicatione, quæ significatio apud S. Paulum frequentissima est. Quo sensu usurpatur, Evangelii nomen, cùm ait 1. ad Corinthios IV. *In Christo Jesu per Evangelium ego vos genui.* Quartò, sumitur pro Historia qua Jesu Christi ad nos adventus & vita narratur. Marci 1. *Initium Evangelii Jesu Christi Filii Dei.* Hoc sensu S. Paulus de S. Luca loquens: *Misimus fratrem*, inquit, *cujus laus est in Evangelio per omnes Ecclesias.* Quod *S. Hieronymus* & alii de Evangelio à S. Luca scripto interpretantur. Hoc postremo sensu quatuor Evangelia dicuntur. Quamquam latiori quadam significatione omne Testamentum Novum Evangelium dici potest, eâ nimirum quâ diximus, prout doctrinam Christi significat. Quo sensu *Origenes* in Præfatione Commentarii in *Joannem*, ait: *Omnia quæ ipsius Christi confirmant adventum, & quæ stabiliunt præsentiam illius, quæque inducunt ipsam in animos cupientium suscipere sermonem Dei stantem pro foribus & pulsantem, & ingredi volentem in animos, sunt Evangelium.* Plura de Evangelii nomine habet ibi *Origenes*.

II. Nec plura nec pauciora quàm quatuor Evangelia Ecclesia ab initio agnovit, admisitque. Hæretici sacratum illum numerum pro suo quique ingenio vel minuere vel augere ausi sunt. Quidam solum Evangelium secundùm *Marcum* recepere, quorum *S. Irenæus* meminit libro III. cap. XI. Alii solum Evangelium secundùm *Lucam*, idque truncatum & interpolatum, ut Marcionitæ; alii solum *Joannem*, ut Manichæi; quidam Evangelistas omnes præter *Joannem*, ut Alogi, de quibus *S. Epiphanius* Hæresi 51.

III. Ex quatuor Evangelistis duo res Christi gestas, ut viderant, enarrarunt, scilicet *SS. Matthæus* & *Joannes*; alii duo, scilicet *SS. Marcus* & *Lucas*, ut ex oculatis testibus acceperant. *Quod divinâ Providentiâ per Spiritum sanctum procuratum est; ne putaretur quod attinet ad percipiendum & prædicandum Evangelium interesse aliquid, utrum illi annuntient qui eumdem Dominum hîc in carne apparentem secuti sunt, an hi qui ex illis fideliter comperta crediderunt;* (inquit *S. Augustinus* libro 1. *De consensu Evangelistarum*, cap. 1.)

IV. *Isti quatuor Evangelistæ universo terrarum orbe notissimi, & ob hoc fortasse quatuor, quoniam quatuor sunt partes orbis terræ, per cujus universitatem Christi Ecclesiam dilatari, ipso sui numeri sacramento declararunt* (inquit S. Augustinus,) Hoc ordine scripsere. Primùm *Matthæus*, qui & *Levi*, gente Galilæus, ex Publicanorum professione & telonio ad Apostolatum à Christo vocatus: deinde *Marcus*, discipulus & interpres *S. Petri*, à quo missus in Ægyptum est, ut in ea regione Evangelium Christi prædicaret, Ecclesiamque Alexandrinam fundaret. Tertiò, *Lucas*, Antiochenus Medicus, *Pauli* Apostoli discipulus & comes; Ultimò *Joannes* filius Zebedæi, Jacobi Majoris frater, virgo electus ad Apostolatum, Christo Jesu singulariter dilectus, qui in cruce pendens Matrem Virginem eidem virgini commendavit. Solus *Matthæus* scripsit Hebraico vel Syriaco potiùs sermone, quo tunc utebantur Judæi; & quidem Jerosolymis, antequam inde Gentibus prædicaturus discederet. Qua de re *Eusebius* libro III. *Historia Ecclesiastica* cap. XXIV. ait: *Matthæus cùm Hebræis primum fidem prædicasset, inde ad alias quoque gentes profecturus, Evangelium suum patrio sermone conscribens, id quod præsentia sua adhuc superesse videbatur, scripto illis quos relinquebat, supplevit.* Cæteri Græcè scripserunt, [a] quæ tunc lingua latissimè per omnes ferè gentes audiebatur. De his ita scripsit S. Irenæus lib. 5. *adversùs hæreses* c. 1. apud Eusebium *lib.* 5. *Historia Ecclesiastica* cap. 8. *Matthæus apud Hebræos propriâ eorum linguâ conscriptum Evangelium edidit, dum Petrus ac Paulus Romæ Christum prædicarent, & Ecclesiæ fundamenta jacerent. Post horum verò interitum Marcus Discipulus atque Interpres Petri, quæ à Petro prædicata fuerant, perscripta nobis tradidit. Lucas quoque sectator Pauli, Evangelium à Paulo prædicatum literis mandavit. Joannes denique Domini Discipulus, qui etiam in ejus sinu recubuerat, Evangelium edidit, cùm Ephesi in Asia moraretur.* Eum scripsisse Evangelium contra recèns ortas Ebionis & Cerinthi hæreses, quæ Christi divinitatem impugnabant, tradunt Veteres: nec priùs tantum opus suscepisse, quàm indicto Ecclesiæ jejunio, publicisque precibus, *Lucis veræ* auxilium implorasset.

De his Origenes apud eumdem Eusebium lib. 6. cap. 25. *Sicut ex traditione*, inquit, *accepi de quatuor Evangeliis, sola in universa Dei Ecclesia quæ sub cœlo est, citra controversiam admittuntur, primum scilicet Evangelium scriptum esse à Matthæo, priùs quidem Publicano, postea verò Apostolo Jesu Christi, qui illud Hebraico sermone conscriptum, Judæis ad fidem conversis publicavit. Secundum fuisse accepimus Evangelium Marci, qui prout Petrus ipsi exposuerat, in literas retulit. Atque idcirco Petrus in Epistola Catholica eum filium suum agnoscit his verbis: Salutat vos electa Dei Ecclesia quæ est Babylone, & Marcus filius meus. Tertium Evangelium Lucæ, quod à Paulo commendatur, in gratiam Gentilium conscriptum. Postremum verò Evangelium Joannis.*

De his Sanctus Gregorius Nazianzenus in Carminibus:

*Matthæus Christi Hebræis miracula scripsit.*

*Ausonibus*

[a] Ita censent SS. Hieronymus & Augustinus. Nonnulli tamen Auctores Latinè scripsisse putant S. Marcum, quos inter Baronius, ad annum Christi 45. secutus Syrum Interpretem.

[b] *E Marcus Interpres S. Petri, Matthæus* [illegible]

*Ausonibus Marcus, Lucas at doctus Achivis:*
*Canctis Johannes penetrant cœlestia mente.*

De his S. Hieronymus *Præfatione in Evangelistas ad Damasum*, ita scribit: *De novo nunc loquor Testamento: quod Græcum esse non dubium est, excepto Apostolo Matthæo, qui primus in Judæa Evangelium Christi Hebraicis literis edidit.* Lege eundem in Epistola *ad Paulinum* & *in Prologo Commentariorum in Matthæum.* Lege & S. Epiphanium *Hæresi* 51. & S. Joannem Chrysostomum *Homilia* 1. *in Matthæum.*

Licet porrò nominum Hebraicorum Interpretationes in Evangelio S. Matthæi legamus, ut *Emmanuel, id est, nobiscum Deus.* Et, *Eli, Eli lamma sabacthani, quod est, Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* colligi hinc non debet quòd Hebraicè non scripserit. Alioqui eadem ratione sequeretur nec Vetus Testamentum Hebraicè, nec Novum Græcè scriptum esse. Nam & in Veteri aliquando Hebraica Græcè, ac Latinè, & in Novo Græca Latinè reddita legimus Genesis 35. *Vocavit nomen filii sui Benoni, id est, Filius doloris mei: pater verò appellavit eum Benjamin, id est, filius dextræ.* Et Exodi 16. *Manhu, quod significat, Quid est hoc?* Et Apocalypsis 9. *Cui nomen Hebraicè Abadon, Græcè autem Apollyon, Latinè habens nomen, Exterminans.* Hæ igitur nominum explicationes sunt Interpretis, non Auctoris. Nec tamen ad quidquam de Scripturæ sacræ auctoritate minuit: cùm eadem Græcè, vel Latinè dicantur, quæ Hebraicè. Adde quòd non est absurdum Hebraica verba Hebraicè scribentem aliis verbis Hebraicis interpretari: Id enim cùm aliquod verbum compositum est, aut minùs usitatum, etiam vernaculâ loquentes linguâ, facere solemus. Quale erat nomen *Emmanuel*, quod etiam Hebraicè exponi potest. Et, *Eli, Eli, lamma sabacthani*, quod cum Syriacum sit, Hebraicè verti poterat. Evangelium S. Matthæi, eâ quâ scriptum est linguâ, non extat: Nam illud Hebræum à Munstero editum, prorsus spurium: Syriacum verò quod circumfertur, S. Matthæi sæculo longè recentius est.

5. Quatuor Evangelistarum proprios characteres, Veterum verbis exprimere malim, quàm meis. S. Irenæus *lib. 3. adversùs Hæreses, cap. xj.* ubi præmisit ipsos Hæreticos qui Evangelia aliqua circumcidunt, id est, mutilant, vel rejiciunt, iis quæ admittunt, convinci posse, hæc habet: *Neque autem plura numero quàm hæc sunt, neque rursus pauciora capit esse Evangelia. Quoniam enim quatuor regiones mundi sunt in quo sumus, & quatuor principales spiritus, & disseminata est Ecclesia super omnem terram; columna autem & firmamentum Ecclesiæ est Evangelium, & Spiritus vitæ: consequens est quatuor habere eam columnas, undique flantes incorruptibilitatem, & vivificantes homines. Ex quibus manifestum est, quòd qui est omnium artifex Verbum, qui sedet super Cherubim & continet omnia declaratus hominibus, dedit nobis quadriforme Evangelium, quod in uno Spiritu continetur. Quemadmodum & David postulans ejus adventum, ait: Qui sedes super Cherubim, appare. Etenim Cherubim quadriformia, & formæ ipsorum, imagines sunt dispositionis Filii Dei. Primum enim animal, inquit, simile Leoni efficabile ejus, & principale, & regale significans. Secundùm verò simile Vitulo, sacrificalem & Sacerdotalem ordinationem significans. Tertium verò animal habens faciem quasi Humanam, eam, quæ est secundùm hominem adventum, ejus manifestè describens. Quartum verò simile Aquilæ volitanti, Spiritus in Ecclesiam advolitantis gratiam manifestans. Et Evangelia his consonantia, in quibus insidet Dominus Jesus: Aliud enim illam, quæ est à Patre, principalem, efficabilem, & gloriosam generationem ejus enarrat, dicens sic: In principio erat Verbum, &c. Id verò quod est secundùm Lucam, quoniam quidem Sacerdotalis characteris est, Zacharia Sacerdote sacrificante Deo inchoavit. Jam enim saginatus parabatur Vitulus, qui pro inventione minoris filii inciperet mactari. Matthæus verò eam, quæ est secundùm hominem, generationem ejus enarrat:* Liber (*dicens*) generationis Jesu Christi, filii David, filii Abraham. *Et iterum:* Christi autem generatio sic erat. *Humana forma igitur hoc Evangelium. Marcus verò à Prophetico Spiritu ex alto adveniente hominibus initium fecit:* Initium (*dicens*) Evangelii quemadmodum scriptum est in Isaia Propheta, *volatilem & pennatam imaginem Evangelii monstrans: propter hoc & compendiosam, & præcurrentem annuntiationem fecit: Propheticus enim character est hic. Et ipsum autem Verbum Dei, iis quidem qui ante Moysen fuerunt, Patriarchis, secundùm Divinitatem & gloriam colloquebatur. His verò qui in Lege, Sacerdotalem & ministerialem actum præbebat: post deinde nobis Homo factus, munus cœlestis Spiritus in omnem misit terram, protegens nos alis suis. Qualis igitur dispositio Filii Dei, talis & animalium forma: & qualis animalium forma, talis & character Evangelii. Quadriformia autem animalia, & quadriforme Evangelium, & quadriformis dispositio Domini. Et propter hoc quatuor data sunt Testamenta humano generi, unum quidem ante cataclysmum, sub Adam, secundum verò post cataclysmum, sub Noe; tertium verò legislatio sub Moyse: quartum verò quod renovat hominem, & recapitulat in se omnia, quod est per Evangelium, elevans & pennigerans homines in cœleste regnum.*

Origenes *in Præfatione Commentariorum in Joannem*, ejus Evangelium cum cæteris conferens, sic loquitur: *Totius Scripturæ primitiæ est Evangelium, actionumque omnium, quæ ex animi sententiâ nobis cessata sunt, primitias facimus in primitiis Evangelii. Arbitror verò ego, etiamsi quatuor sint Evangelia, veluti elementa fidei Ecclesiæ, ex quibus elementis totus constat hic mundus Deo per Christum reconciliatus..., Evangeliorum primitias Evangelium esse Joannis nobis propositum.... Idque arbitror considerans genealogiam texentem, & incipientem ab eo qui genealogia caret. Nam Matthæus quidem cùm scriberet Hebræis, qui venturum ex Abrahamo & Davide expectabant: Liber,* inquit, *generationis Jesu Christi filii David, filii Abraham. Marcus verò sciens id quod scribit,* Initium *enarrat* Evangelii, *fortassis quod inveniamus finem ipsius apud Joannem, qui In principio Verbum Deum fuisse inquit. Lucas etiam cùm dixisset.... Sed nimirum majores perfectioresque sermones reservat ei qui supra pectus Jesu recubuit: Nullus enim illorum adeo purè manifestavit divinitatem ut Joannes. Audeamus igitur dicere primitias Scripturarum omnium Evangelium esse. Evangeliorum verò primitias, Evangelium à Joanne traditum; cujus sensum percipere nemo potest, nisi qui supra pectus Jesu recubuerit, vel acceperit à Jesu Mariam, quæ etiam ipsius mater fiat: adeo talem tantumque esse necesse est, qui Joannes alius sit futurus, ut quemadmodum Joannes, itidem etiam & iste à Jesu Jesus existere ostendatur. Nam si nullus est Mariæ filius, judicio eorum qui de ipsa sanè senserunt, præterquàm Jesus; dicitque Jesus Matri:* Ecce filius tuus, *& non, etiam hic est filius tuus: perinde est ac si dixisset: Ecce hic est Jesus quem genuisti.*

Eusebius *libro III. Historia Ecclesiastica*, cap. 24. ubi de Evangelio Matthæi dixit, quæ suprà retulimus, hæc subjungit: *Postea verò cùm Marcus jam & Lucas Evangelia sua seorsum singuli edidissent; aiunt Joannem, qui hactenus Evangelium nudâ voce prædicaverat, tandem ob hujusmodi causam*

*ad scribendum se contulisse. Perlatis jam in omnium, ipsiusque adeo Joannis notitiam supradictis tribus Evangeliis, approbavisse ea Joannes, & veritatem Scriptorum suorum testimonio confirmasse dicitur: solam vero narrationem earum rerum, quas Christus circa predicationis initium gesserat desiderasse. Et prefectò ita se res habet: nam superiores quidem tres Evangelistas, ea duntaxat quæ post conjectum in vincula Joannem-Baptistam, unius anni curriculò à Servatore nostro gesta sunt, litteris mandasse perspicuum est; idque ipsum in principio operis sui apertè significasse. Matthæus certè post quadraginta dierum jejunium, & post illam tentationem quæ jejunium subsecuta est, Historia sua tempus designat his verbis: Audiens, inquit, quòd Joannes traditus erat, ex Judæa secessit in Galilæam. Similiter etiam Marcus: postquam, inquit, traditus est Joannes, venit Jesus in Galilæam. Sed & Lucas antèquam res à Christo gestas ordiatur, eodem modo tempus designat, cum ait: Adjecit & hoc Herodes cæteris quæ gesserat malis, & conclusit Joannem in carcerem. His de causis aiunt Joannem ab amicis rogatum, & tempus ipsum quod superiores Evangelistæ silentio prætermiserant, & res tunc à Servatore nostro gestas, eas videlicet quæ Joannis-Baptistæ carcerem præcesserant, in Evangelium suum conjecisse; idque ab ipso indicari primùm cùm dicit: Hoc initium miraculorum fecit Jesus; deinde cum in ipso progressu narrationis rerum à Jesu gestarum mentionem interserit Joannis-Baptistæ tanquam in Ænon juxta Salem etiamnum baptizantis. Quod quidem apertissimè ostendit his verbis: Nondum, inquit, Joannes conjectus erat in carcerem. Proinde Joannes quidem res à Christo gestas priusquam Joannes-Baptista custodia mancipatus fuisset, Evangelio suo complectitur. Reliqui verò tres Evangelistæ res Christi gestas, ex quo Baptista conjectus est in carcerem, persequuntur... Et seriem quidem ipsam generis Christi secundùm carnem utpote à Matthæo & Luca priùs traditam, Joannes meritò prætermisit. Ab ipsa verò ejus divinitate sumsit initium, quippe quæ à Spiritu Sancto ipsi tanquam præstantiori fuisset reservata.*

De Sancti verò Marci Evangelio, *lib. 2. cap.* 15. hæc habet: *Tantus veritatis fulgor emicuit in mentibus eorum qui Petrum audierant, ut parum haberent semel audisse, nec contenti essent cœlestis verbi doctrinam vivâ voce, nullis traditam scriptis accepisse, sed Marcum Petri sectatorem, cujus hodieque extat Evangelium, enixè orarent ut Doctrinæ illius, quàm auditu acceperant, scriptum aliquod monumentum apud se relinqueret: Nec, priùs destiterunt quàm hominem expugnassent, auctoresque scribendi illius, quod secundum Marcum dicitur, Evangelii extitissent. Quod cùm Petrus per revelationem Sancti Spiritûs cognovisset, delectatus ardenti hominum studio, Librum illum auctoritate suâ comprobasse dicitur, ut deinceps in Ecclesia legeretur. Refertur id à Clemente in sexto Institutionum libro. Cui testis etiam accedit Papias Hierapolitanus Episcopus. Porro Marci mentionem fieri aiunt à Petro in priore Epistola, quam Romæ scriptam esse contendunt, idque Petrum ipsum innuere, qui Romam figurate Babylonem appellat his verbis: Salutat vos Babylonis Ecclesia à Deo perinde ac vos electa, & Marcus filius meus.*

De Lucæ tandem Evangelio hæc habet, lib. 3. cap. 24. *Lucas in ipso Evangelii sui exordio, quæ sibi scribendi causa esset, exposuit: Ait enim multos temerè atque imprudenter aggressos fuisse narrationem earum rerum, quas ipse exploratas haberet; ac proinde se necessitate adductum, ut nos ab incertis opinionibus liberaret, certissimam ac fidelissimam narrationem earum rerum, quarum ipse veritatem partim ex Pauli contubernio, partim ex reliquorum Apostolorum sermonibus hauserat, Evangelio suo tradidisse.*

His consonant Sanctus Hieronymus *in Prolego Commentariorum in Matthæum*, & Sanctus Augustinus *lib. 1. De Consensu Evangelistarum, cap. 6.* ubi ait: *Mihi videntur, qui ex Apocalypsi illa quatuor animalia ad intelligendos quatuor Evangelistas interpretati sunt, probabilius aliquid attendisse, illi qui Leonem in Matthæo, Hominem in Marco, Vitulum in Luca, Aquilam in Joanne intellexerunt: quàm illi qui Hominem Matthæo a Aquilam Marco b, Bovem Lucæ, Leonem Joanni tribuerunt. De Principiis enim librorum quamdam conjecturam capere voluerunt, non de tota intentione Evangelistarum, quæ magis fuerat perscrutanda. Multo enim congruentiùs ille qui regiam Christi personam maximè commendavit, per Leonem significatus accipitur; unde in Apocalypsi, cum ipsa Tribu regia Leo commemoratus est, ubi dictum est: Vicit Leo de Tribu Juda: Secundùm Matthæum enim & Magi narrantur venisse ab Oriente ad Regem quærendum, & adorandum... Quod autem per Vitulum Lucas significatus sit, propter maximam victimam Sacerdotis, neutri dubitaverunt. Ibi enim à Sacerdote Zacharia incipit sermo narrantis. Ibi cognatio Mariæ & Elizabeth commemoratur. Ibi Sacramenta primi Sacerdotii in infante Christo impleta narrantur. Marcus verò qui neque stirpem regiam, neque Sacerdotalem vel cognationem, vel consecrationem narrare voluit, & tamen in eis versatus ostenditur, quæ homo Christus operatus est, tantùm hominis figura in illis quatuor animalibus significatus videtur. Hæc autem animalia tria in terra gradiuntur (*Leo, vitulus, homo*) unde isti tres Evangelistæ in his maximè occupati sunt, quæ Christus in carne operatus, & quæ præcepta mortalis vitæ exercendæ carnem portantibus tradidit. At verò Joannes super nubila infirmitatis humanæ velut Aquila volat, & lucem incommutabilis veritatis acutissimis atque firmissimis oculis cordis intuetur.*

> a Sanctus Hieronymus Prolego in Matthæum. Hominé Matthæo tribuit, quia quasi de homine scribere exorsus est *Liber generationis Jesu Christi Filii David, &c.*
> b Sanctus Irenæus Sancto Marco tribuit Aquilam, Sancto Joanni Leonem.

Legatur & *Tractatu 1. in Joannem*, ubi ait, Evangelistas qui susceperunt pacem nuntiandam populo, contemplatos esse ipsam sapientiam, quantùm humanis cordibus potuit contingi, quod *nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit.* Tum de Sancto Joanne hæc subdit: *Si in cor hominis non ascendit, quomodo ascendit in cor Joannis? An non erat homo Joannes? An fortè nec in cor Joannis ascendit, sed cor Joannis in eam ascendit? Quod enim ascendit in cor hominis, de imo est ad hominem: quò autem ascendit cor hominis, sursum est ab homine.... Si aliquo modo potest dici, in tantum ascendit in cor Joannis, in quantum ipse Joannes non erat homo. Quid est, non erat homo? In quantum cœperat esse Angelus.* Et Tractatu 36. *De Domini Nativitate, quomodo nullus alius est locutus, hoc ructabat quod biberat. Non enim sine causa de illo in isto ipso Evangelio narratur, quia & in convivio super pectus Domini discumbebat. De illo ergo pectore in secreto biberat, sed quod in secreto bibit, in manifesto eructavit.*

VI. Objectiones Fausti Manichæi contra Sanctum Matthæi Evangelium quod ab ipso scriptum negabat, & contra Christi Genealogiam, quam Evangelium dicendam inficiabatur, aut Evangelii partem, sed *Genesidium* potiùs appellari volebat, eversas vide à Sancto Augustino *lib. 2. contra Faustum, cap. 6.* ubi ostendit Evangelium vocari quasi bonum nuntium; nullum autem lætius esse generatione Christi secundùm carnem, quâ nostra sanatur infirmitas. Si propterea vocari non debeat Evangelium Matthæi liber, quia non incipit sicut ille Marci, *Initium Evangelii Jesu Christi*; pari ratione Joannis Evangelio hoc nomen esse negandum, ac illud vocandum secundùm elegantem Fausti Grammaticam, *Verbidium*, quod à Verbi generatione incipiat; sicut illud, *Genesidium*. Ob-

jectionem verò ex Matthæi & Lucæ in Christi generatione describendâ, apparenti discordiâ petitam diluit, *Libro* III. Lege & lib. 17. cap. 4. ubi ostendit summæ esse imperitiæ, vel fallaciæ alteram objectionem Fausti petitam ex eo quòd Auctor istius Evangelii de Matthæo ut de tertia persona loquatur, quod Matthæus ipse non præstitisset. Istud enim Scriptoribus familiare esse ait, ut de se ipsis hoc modo loquantur; id ex rerum sæcularium Historia probari posse: quædam Mosis testimonia, quæ illius esse non negabat Faustus, de ipso velut de altera persona loqui, Sanctum Joannem sic de se ipso locutum: imo & Christum ipsum Servatorem.

Mirum est quòd Sancti Marci Caput ultimum Canonicum non esse suspicatus fuerit Sanctus Hieronymus *Epistola* CL. *ad Hedibiam*, *Quæstione* III. Proposuerat Hedibia quæstionem de discordia apparenti Sancti Marci à Sancto Matthæo, circa tempus Resurrectionis Christi, quam ille *vespere Sabbati*, hic *una Sabbati manè*, factam asserere videtur. Sanctus Hieronymus duplicem afferri solutionem posse respondet. Primam his verbis exprimit: *Aut non recipimus hoc Marci testimonium, quod in raris fertur Evangeliis, omnibus Græciæ libris penè hoc Capitulum in fine non habentibus: præsertim cùm diversa atque contraria Evangelistis ceteris narrare videatur.* Sanctum Hieronymum fefellit additamentum quoddam apocryphum, quod in nonnullos Codices Græcos Evangelii secundùm Marcum irrepserat, de quo ipse *libro* 2. *Dialogorum adversùs Pelagianos*. Quod ipsi de totius Capitis auctoritate dubitationem movit. At fugit proculdubio Sanctum Hieronymum cùm hæc ad Hedibiam scribebat, Sancti Irenæi locus insignis *lib.* III. *adversùs Hæreses cap.* XI. ubi Caput illud postremum à Sancto Marco scriptum esse agnoscit: quod argumento est, in antiquioribus Codicibus Græcis illud non fuisse desideratum, & ab Ecclesia fuisse receptum ut partem Evangelii secundùm Marcum, duobus ante Sanctum Hieronymum sæculis. Illud agnoscit & Sanctus Athanasius *in Synopsi*; nec de eo dubitasse *Ecclesiam* Sancti Hieronymi tempore, constat ex Sancto Augustino *lib.* 3. *de Consensu Evangelistarum* cap. 24. illud cum aliorum Evangelistarum dictis conciliante.

VIII. Quæ ex Sancti Lucæ Evangelio Marcion resecuerit, quæve corroserit *Mus* ille *Ponticus*, ex Sancto Epiphanio disces *Hæresi* XLII.

IX. Historiam de Angeli ad Christi consolationem apparitione, à plurimis Ecclesiæ Codicibus, cùm Græcis, tum Latinis olim abfuisse testantur Sanctus Hilarius *lib.* X. *de Trinitate*, & Sanctus Hieronymus *Dialogo* 2. *adversùs Pelagianos*. Sed hanc quoque esse Historiæ Evangelicæ partem, Sancti Epiphanii auctoritas *in Ancorato*, & Sancti Augustini *libro* III. *de Consensu Evangelistarum* cap. 4. & Codicum Græcorum qui nunc extant, ac Latinorum omnium, necnon Syriacorum, & Arabicorum consensus, & Ecclesiæ universæ fides, evincunt.

X. Adulteræ mulieris Historiam, Joannis VIII. Capite, quanquam in Codicibus nonnullis defuerit olim, ac desit etiamnum, & illam Origenes & Sanctus Chrysostomus aliique nonnulli, in suis Commentariis prætermittant, & in Evangelio secundùm Hebræos, non item in Evangelio Joannis scriptam Eusebius significare videatur *libr.* III. *Historiæ Ecclesiasticæ cap.* 39. Canonicam esse fides vetustissimorum Codicum MSS. 16. quos contulit Robertus Stephanus, item omnium quos contulere Bibliorum Polyglottorum doctissimi & diligentissimi Editores Anglicani: Tatiani, & Ammonii Alexandrini *Harmoniæ*; S. Athanasii *in Synopsi*; Ambrosii Epistola *ad Studium* 51. *lib.* 6. Hieronymi *lib.* 2. *contra Pelagianos*; Augustini *Tractatu* 33. *in Joannem*, & *lib.* 2. *de Adulterinis conjugiis*, *cap.* 6. & 7. testimonia diserta; necnon Ecclesiæ Catholicæ auctoritas demonstrant. Quod autem ait Eusebius loco mox laudato, nescio an de mulieris adulteræ Historia intelligi debeat, an potiùs cujusdam alterius, non adulterii tantùm, sed aliorum criminum accusatæ, cujus solum Evangelium secundùm Hebræos meminisset En Eusebii verba de Papia loquentis: *Aliam quoque exponit Historiam de muliere, quæ multorum criminum coram Domino accusata est. Quæ quidem Historia in Evangelio secundùm Hebræos scripta habetur.*

## §. II.

### *De Actibus Apostolorum.*

Hic Liber Græcè primitus conscriptus, Proto-Canonicus est, de quo scilicet à nemine fuit unquam in Ecclesia dubitatum. Qui enim illum rejecerunt, æquè propter hunc, ac propter alios errores damnati sunt ut Hæretici. Tales fuere Severiani à Severo quodam nuncupati, qui Sectæ Encratitarum vires ac robur addidit: de quibus Eusebius *libr.* 4. *Historiæ Ecclesiasticæ cap.* 29. scribit: *Hi Legem quidem & Prophetas cum Evangeliis admittunt, sed proprio quodam sensu sacras Scripturas exponunt. Paulum autem Apostolum maledictis impetentes, Epistolas ejus repudiant, ac ne Apostolorum quidem Actus suscipiunt.* Tales fuere & Manichæi, qui cùm Autoris sui Manichæi personam in Apostolorum numerum inducere molirentur, & Spiritum Sanctum, quem Dominus Discipulis se missurum esse promisit, per ipsum ad nos venisse effutirent, è re sua esse putarunt Actus Apostolorum rejicere, in quibus adventus Spiritûs Sancti tam evidenter prædicatur. Ita refert Sanctus Augustinus, *libro de Utilitate credendi*, *cap.* 3. Hunc librum Syri *Historiam Apostolorum* vocant. Sanctus Chrysostomus *Librum dogmatum de Spiritu Sancto*: OEcumenius, *Evangelium Spiritûs Sancti*, quòd in eo narrentur, quæ Spiritûs Sancti afflatu Apostoli maximè memoranda gessere. Hîc admirabilem Ecclesiæ Christi infantiam, ejusque in omnes Gentes propagationem per Apostolos, & præcipuè per Apostolorum Principes Petrum & Paulum, à Christi scilicet Ascensione usque ad biennium illud quod Romæ in libera custodia consumsit Sanctus Paulus, triginta ferè annorum spatio, Sanctus Lucas Antiochenus Medicus, Sancti Pauli comes individuus & adjutor, qui horum non modò testis, sed & minister aliquando fuit, commemorat. De hoc Libro, *Sanctus Hieronymus* in Epistola ad *Paulinum* scribit: *Actus Apostolorum nudam quidem sonare videntur Historiam & nascentis Ecclesiæ infantiam texere; sed si noverimus Scriptorem eorum esse Lucam Medicum, cujus laus est in Evangelio, animadvertemus pariter omnia verba illius, animæ languentis esse medicinam.*

Sanctus Lucas hujus Libri Auctor.

## §. III.

### *De Sancti Pauli Epistolis.*

Sanctus Paulus Apostolus extra numerum XII. Apostolorum, de tribu Benjamin, & oppido Gischalis fuit: quo à Romanis capto, cum parentibus suis Tarsum Ciliciæ commigravit, à quibus ob studia Legis missus Hierosolyma, à Gamaliele viro doctissimo, cujus Lucas meminit, eruditus est. Cùm autem interfuisset neci Martyris

Stephani, & acceptis à Pontifice Templi epistolis, ad persequendos eos qui Christo crediderant, Damascum pergeret, revelatione compulsus ad fidem, in vas electionis de Persecutore translatus est, inquit Sanctus Hieronymus in *Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum.* De præcipuis ipsius gestis egimus *in Synopsi Historiæ Ecclesiasticæ primi sæculi.* Quatuordecim scripsit Epistolas, scilicet *ad Romanos*, duas *ad Corinthios*, *ad Galatas*, *ad Ephesios*, *ad Philippenses*, *ad Colossenses*, *duas ad Thessalonicenses*, *duas ad Timotheum*, *ad Titum*, *ac Philemonem*, *ad Hebræos*: Quam Africani Patres in Concilio Carthaginensi III. Canone XLVII. seorsim à reliquis recensent his verbis, *Epistolæ Pauli tredecim; Ejusdem ad Hebræos una*: quia fuit aliquando in Ecclesia dubitatum an Pauli esset: id verò Africanæ Ecclesiæ ex traditione esse persuasum, significare voluerunt. Divinas illas Epistolas penitus rejecerunt Ebionitæ, ut Sanctus Irenæus *lib.* 1. *cap.* 26. Eusebius *lib.* III. *Historiæ Ecclesiasticæ cap.* 27. Sanctus Epiphanius *Hæresi* XXX. testantur. Helcesaitæ: ex Eusebio *lib.* 6. *cap.* 38. Severiani: Ex Eusebio *lib.* 4. *cap.* 29. Marcionitæ Epistolas duas ad Timotheum, ad Titum, & ad Hebræos, rejecerunt: Decem alias à Marcione truncatas & adulteratas recepêre: ut testatur Sanctus Epiphanius *Hæresi* XLII. Anonymus ille, sive Marcionita, sive Manichæus, quem Sanctus Augustinus libris duobus refellit sub nomine *Adversarii Legis & Prophetarum*, multa in Paulinis Epistolis rejiciebat, quæcunque scilicet erroribus suis contraria erant. Quod ut colore aliquo obduceret, aiebat Apostolum pro qualitatibus ingeniorum quinque personas assumpsisse, in quibus loqueretur; atque ita non ex propria sententia, sed ex eorum, cum quibus loquebatur, ingenio, multa dixisse. Has autem quinque personas designabat, in quibus locutum effutiebat Apostolum, unam Judæorum, alteram eorum, qui sub Lege sunt, tertiam eorum qui sine Lege, quartam Infirmorum, quintam perfectorum. Istud erroris monstrum, quod non dico sensus Christianus, sed qualiscumque humanus exhorreat, disertè confutavit Sanctus Augustinus lib. 2. *contra Adversarium Legis & Prophetarum*, *cap.* 2.

Decem Sancti Pauli Epistolæ ad octo Ecclesias scriptæ, quatuor verò ad ipsius Discipulos.

Manichæi, cùm Sancti Pauli testimoniis errores suos jugulari viderent, ejus Epistolas interpolatas esse effutiebant, illudque quod contra ipsos à Catholicis Doctoribus proferebatur, addititium esse. Quos Sanctus Augustinus egregiè refellit *lib.* XI. *contra Faustum*, cap. II. *Tu et ergo*, inquit, *regula veritatis: quicquid contra te fuerit, non est verum..... Vides in hac re quid Ecclesiæ Catholicæ valeat auctoritas, quæ ab ipsis fundatissimis Sedibus Apostolorum, usque in hodiernum diem, succedentium sibimet Episcoporum serie, & tot populorum consensione firmatur. Itaque si de fide exemplarium quæstio verteretur, sicut in nonnullis, quæ & pauca sunt, & sacrarum Litterarum studiosis notissima sententiarum varietates: vel ex aliarum regionum Codicibus, unde ipsa doctrina commeavit, nostra dubitatio dijudicaretur: vel si ibi quoque codices variarent, plures paucioribus, aut vetustiores recentioribus præferrentur: & si adhuc esset incerta varietas, præcedens lingua unde illud interpretatum est, consuleretur. Hoc modo quærunt, qui quod eos movet in Scripturis sanctis tantâ auctoritate firmitatis invenire volunt, ut habeant unde instruantur, non unde rixentur. Hoc autem quod adversùs impietatem vestram ex Apostoli Pauli Epistolâ profertur*, Filium Dei ex semine David esse secundùm carnem, *omnes Codices & novi, & veteres habent, omnes Ecclesiæ legunt, omnes linguæ consentiunt.*

Aëtiani, ut Sanctus Epiphanius *Hæresi* LXXVI. testatur, Sanctum Paulum plurima Spiritus Sancti afflatu dixisse fatebantur, sed nonnulla Spiritu divino destitutum scripsisse asserebant, quæ proinde recipienda non essent. *Apostolus hoc ut homo dixit*, aiebat impudens Aëtius. Sic & Anonymi illi Hæretici, quos Sanctus Hieronymus perstringit in procœmio *Epistolæ ad Philemonem*, qui sententias illas Apostoli: *Utinam abscindantur qui vos conturbant.* (ad Galatas 5.) *Penulam quam reliqui Troade apud Carpum, veniens tecum affer, similiter & libros, maximè autem membranas.* (2. ad Timotheum 4.) *Para mihi hospitium.* (ad Philemonem.) humanæ infirmitati, non divino Spiritui tribuebant.

II. In ordinandis Sancti Pauli Epistolis dignitatis potius eorum ad quos scriptæ sunt, quàm temporum habita est ratio. Hinc prima posita est quæ ad Romanos, ob regnatricis urbis, & Ecclesiæ principalis amplitudinem. Data est anno Æræ vulgaris 57. post Christi Passionem 24. quo tempore cum collectis in Macedonia & Achaia eleemosynis profectus erat Apostolus Hierosolymam, ut colligitur ex *cap.* 5. *v.* 25. & 26. Scriptam fuisse Corintho, pluribus probat Origenes: quòd scilicet missa fuerit per Phœbem Diaconissam Ecclesiæ, quæ erat Cenchreis, portu Corinthiorum; quod Caium qui Corinthi morabatur, (1. *ad Corinthios* 14.) hospitem suum vocet; quòd in salutationibus quæ habentur *cap.* 16. eorum meminit, qui cum ipso iter Hierosolymitanum susceperunt, qui Corintho cum Sancto Paulo dicuntur profecti, (*Actuum* XX.) Epistolæ ad Romanos argumentum hâc includi quæstione ait Sanctus Augustinus: *Utrum Judæis solis Evangelium Domini nostri Jesu Christi venerit propter merita operum Legis, an verò nullis operum meritis præcedentibus, omnibus Gentibus venerit justificatio fidei: ut non quia justi erant homines, crederent: sed credendo justificati, deinceps justè vivere inciperent? Hoc ergo docere intendit Apostolus, omnibus venisse gratiam Evangelii Domini nostri Jesu Christi. Quam propterea etiam gratiam vocari ostendit, quia non quasi debitum justitiæ redditum est, sed gratuitò datum.* Scilicet ortâ contentione inter Fideles tum Judæos tum Gentiles qui Romæ degebant, de justificatione, cùm utrique suis meritis Evangelii gratiam arrogarent: hujus controversiæ disceptator Sanctus Paulus interveniens, *ea moderatione utitur, ut nec Judæos superbire permittat, tanquam de meritis operum Legis, nec Gentes meritò fidei adversùs Judæos inflari, quod ipsi receperint Christum, quem illi crucifixerunt*: inquit Sanctus Augustinus.

Epistola ad Romanos.

Libro 1. Expositionum Epistolæ ad Romanos inchoatæ, 14.

III. Epistola prima ad Corinthios exarata est circa annum Vulgaris Æræ 57. scripta Epheso, ubi se usque ad Pentecosten permansurum ait, (*cap.* 16.) & inde ad eos venturum, ut quæ supererunt ordinet ac disponat. (*cap.* 4. & 11.) perlata est per Stephanam, Fortunatum, & Achaicum, quos Corinthii ad visendum Apostolum miserant. Illud verò Epistolæ est argumentum:

1. Ad Corinthios.

Cùm Sanctus Paulus accepisset ortas inter Christianos Corinthios ex nimio erga Magistros studio contentiones; admissum à quodam ex illis gravissimum scelus, Patris uxore sibi incestis nuptiis copulatâ, quosdam de resurrectione corporum dubitare, multos impudicitiæ deditos, quosdam litibus, plurimos ad Eucharistiam indignè accedere, quosdam imprudenter ac temerè cibos idolis immolatos comedere, nonnullos spiritalibus donis ordinatè non uti: hanc ad illos Epistolam dedit, quâ ipsos increpat ob studia erga Magistros ferventiora, quæ in factiones vertebantur: sæcularem sapientiam humilitati crucis Christi, & mysteriis ejus, sæculo incognitis, postponendam docet. Hominem incestûs reum Satanæ tradit. Quod Judiciis inter se contendant, idque apud Infideles, improbat

improbat. De Matrimonii legibus, & quâ ratione sanctè in eo versentur, edocet: Cæterùm virginitatis & perpetuæ continentiæ professionem præ matrimonio consulit. Cibos idolis immolatos non esse comedendos, repugnante conscientiâ, aut cum infirmorum fratrum offensione tradit. Eucharistiæ à Christo institutionem commemorat, & scelus ac pœnam indignè ad illam accedentium, ob oculos ponit. Varia dona recenset, quibus tamen omnibus charitas nunquam intermoritura præcellit. Mulieres velato capite orare, & in Ecclesiis silere jubet. Resurrectionem corporum probat, ac modum ejus exponit. Ad eleemosynas pro pauperibus Christianis qui Hierosolymis degebant, die Dominica colligendas, & seponendas hortatur.

II. Ad Corinthios.

IV. Secunda ad Corinthios Epistola scripta est anno nondum elapso quàm priorem scripserat; è Maredonia: quâ ex urbe, non constat. Græca, Syriaca, & Latina quædam exemplaria Philippis scriptam indicant: per Titum & Lucam missa est. Epistolæ argumentum, est Apostolatûs sui ac personæ defensio contra Pseudo-Apostolos, quorum obtrectationibus respondet, ministerium suum commendans, labores, ærumnas, solicitudinem omnium Ecclesiarum, divinas visiones & revelationes, propter quas etsi posset adversùs falsos Apostolos non imprudenter gloriari, in solis tamen infirmitatibus gloriatur, non deficiens in tribulationibus, quas existimat momentaneas & leves, quantumvis graves sint, spectatâ gloriâ cujus æternum pondus io nobis operantur. Suam verò in munere Apostolico obeundo sinceritatem ex eo maximè probat, quòd animum habeat à quæstu penitùs alienum; quòd nemini fuerit oneri, nec res eorum quærat, sed ipsos. Corinthium incestûs reum in gratiam recipit, donans ipsi reliquum pœnæ in persona Christi. Prohibet ne cum Infidelibus jugum ducant, neque eorum convictu & consortio polluantur. Ad eleemosynam pauperibus Christianis qoi Hierosolymis degebant, celetiter, abundanter, & hilariter tribuendam adhortatur.

Ad Galatas. Galatæ, Asiæ minoris regio, quæ & Gallo-Græcia.

V. Epistola ad Galatas, Epheso scripta est, ut ex Sancti Pauli peregrinatione intelligitur, & argumenta Latinis exemplaribus præfixa indicant; anno Æræ vulgaris 56. à Christi morte 23. Græcorum Codicum inscriptio missam Româ significat, quod minùs verisimile est; siquidem in ea non meminit Apostolus vinculorum suorum, ut in aliis hac ex urbe scriptis facere solet. Hoc autem est argumentum Epistolæ. Cùm Sanctus Paulus certior factus esset, Galatas quos in fide Christi instituerat, à falsis fratribus deceptos esse, qui hominem ex operibus legis justificari docerent, eósque sic ad Circumcisionem & cæteras Legis ceremonias traducerent, ut Legem cum Christo conjungendam arbitrarentur, hunc eorum errorem hâc Epistolâ corrigendum suscepit, ostenditque non ex Legis ceremoniis, sed ex fide, ipsos Spiritum Sanctum accepisse, & benedictionem merito fidei consecuturos, exemplo Abrahami. Ante Christum natum, Judæos sub Lege fuisse, sicut parvulus sub tutore est: sed ubi Deus misit Filium suum in terras, qui nobis adoptionem filiorum tribueret; nos à Christo fuisse libertate donatos, nec Circuncisionem, nec præputium prodesse, sed fidem quæ per charitatem operatur. Quia verò Pseudo-Apostoli Sancti Pauli auctoritatem elevare modis omnibus tentaverant, quasi aliis Apostolis longè inferior esset, atque eorum doctrinæ contraria prædicaret, sui dignitatem Apostolatûs, & auctoritatem prædicandi, atque Doctrinam immediatè à Christo traditam tuetur: ejusdemque Doctrinæ cum reliquis Apostolis concordiam ex habitâ cum ipsis collatione comprobat; & ex dexteris societatis sibi datis à Jacobo, & Cepha, & Joanne, qui videbantur columnæ esse. Carnis denique recenset opera, quæ à regno Dei excludunt; fructus verò Spiritûs, quibus illud consequimur.

Ad Ephesios.

VI. Epistola ad Ephesios Româ scripta est à Sancto Paulo, ex vinculis, quorum ter meminit *cap.* 3. & iterum *cap. ultimo*, per Tychicum Diaconum transmissa, anno circiter 62. Æræ vulgaris, à Christi morte 29. Epistolæ argumentum istud est. Fideles Asiaticos fidei per ministerium suum susceptæ retinentissimos, præcipua Christianæ religionis Mysteria edocere satagit, scilicet justificationem nostram per mortem Christi, vocationem Gentium, Prædestinationem ex mera gratia Christi, & Corporis ejus, quod est Ecclesia, glorificationem. Quæ cùm maximè sublimia sint, non mirùm quod implexus & involutus sit sermo, sensusque obscurus & explicatu difficilis priorum Capitum, quibus illa argumenta tractantur, ut Sanctus Hieronymus notat. Subinde varios Ordines à Christo in Ecclesia institutos, seu varia ministeria recenset, ad ædificationem Corporis ipsius, in finem usque sæculi destinata. Post hæc vitæ Christianæ præcepta tradit: Redimendum tempus: Vitandam ebrietatem luxuriæ matrem: Mulieres viris suis subditas esse debere sicut Domino, & sicut Ecclesia subjecta est Christo: Viros uxores suas diligere debere, sicut Christus dilexit Ecclesiam: Filios parentibus obedire in Domino: Patres educare filios suos in disciplina & correptione Domini: Servos obedire dominis carnalibus, cum timore, & tremore, in simplicitate cordis, sicut Christo: dominos servis remittere minas, scientes quia & illorum & suus est in cœlis Dominus: omnes denique docet quibus armis instructi, tentationibus dæmonum resistere debeant.

Ad Philippenses.

VII. Epistola ad Philippenses eodem anno scripta est quo superior, & ex eodem carcere, quò Romæ detinebatur. Scribendæ porro occasio ea fuit. Philippenses ab Apostolo, cùm primùm Macedoniam cœlesti monitu ingressus est, conversi, singulare in ipsum studium ostenderunt ac opere comprobarunt, ipsi Romæ vincto subsidium mittentes, quô se in carcere sustentaret, sicut ante fecerant Thessalonicæ degenti. Detulerat subsidium illud Epaphroditus, qui cùm ex morbo gravissimo convaluisset, ad suos cum his literis à Sancto Paulo remissus est, quibus ipsis constantiam in fide & charitate gratulatur: suum cum illis gaudium communicat de fructu Evangelico vinculorum suorum, quæ facta esse ait celebria in toto Prætorio; nonnullis ex Cæsaris quoque Palatio ad fidem Christi conversis. Hortatur ipsos ad mutuam dilectionem, concordiam & humilitatem, qua fratres seipsis superiores arbitrentur, exemplo Christi, qui semetipsum exinanivit. Monet ipsos ne Pseudo-Apostolis Judaizantibus fidem habeant, quos canes vocat, malos operarios, inimicos Crucis Christi. Denique ad perseverantiam, spiritale gaudium, modestiam, orationem, obsecrationem, gratiarum actionem, pacem Dei quæ exuperat omnem sensum; & ad omne virtutis officium adhortatur.

Ad Colossenses.

a Colossæ, urbs Phrygiæ magnæ in Asia minori, ad Lycum fluvium, non longè ab loco ubi in Meandrum influit. Sita erat inter Hierapolim & Laodiceam, ut docent Herodotus, Strabo, Plinius & alii. Hodie vulgò *Chonæ* appellatur.

b Illa Angelorum religio, quæ ipsos præ Christo Mediatores adhibebat, à Simone Mago ducebat originem.

VIII. Epistola ad Colossenses *a* ex Romano pariter carcere scripta est, eodem anno, & per Tychicum & Onesimum transmissa. Instituti erant in fide Colossenses, non à S. Paulo, sed ab Epaphra, ut constat ex *cap.* 1. *v.* 7. verùm post acceptum Evangelium, quidam, *b* quorum studium erat sinceritatem Apostolicæ doctrioæ corrumpere, ipsis persuadere conati erant, accessum ad Deum quærendum, non per Filium, sed per Angelos. Filium autem Dei esse majorem, quàm ut eo Mediatore ac deprecatore uti nobis liceat. Accedebant

observationes

observationes ac superstitiones à Judæis, aut Philosophis acceptæ, ac Evangelicæ doctrinæ penitùs repugnantes. Contra primum errorem, docet non nisi per Christum Dei Filium; qui est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturæ, in quo condita sunt universa, qui est caput corporis Ecclesiæ, principium, primogenitus ex mortuis, nos instaurari, & reconciliari Deo. Proinde monet ne se in religione Angelorum decipi patiantur. Contra secundam corruptelam ipsos adhortatur ne se decipi sinant per Philosophiam & inanem fallaciam, secundùm traditionem hominum, secundùm elementa mundi, & non secundùm Christum. Ipsos denique ad omnem virtutem informat, maximè ad charitatem, quæ est vinculum perfectionis: & ut supportent invicem, & donent sibimetipsis, si quis adversus aliquem habet querelam, sicut & Dominus donavit nobis.

*I. ad Thessalonicenses.* IX. Epistola prima ad Thessalonicenses, missa est anno vulgaris Æræ 52. post Christi mortem 19. scripta est Corintho. Hanc S. Chrysostomus & Theodoretus omnium Paulinarum primam censent. Quod nemo negabit, qui contulerit ea quæ habentur *Actuum* 17. & 18. cum hujus Epistolæ *cap.* 3. Hæc autem est summa Epistolæ. Thessalonicenses à se in fide institutos, & à Timotheo in ea confirmatos, laudat quòd in acceptâ fide constanter permanserint, eisque gratulatur quòd imitatores facti sint ipsius, & Domini, & forma omnium Credentium in Macedonia, & in Achaia. Sinceritatem in Evangelico ministerio suam, charitatem erga ipsos, labores pro ipsorum susceptos conversione & institutione commemorat. A fornicatione & omni immunditia, à cupiditate rerum alienarum, à nimia tristitia quâ in suorum obitu conficiebantur, eos deterret, ac certissimâ spe resurrectionis consolatur. Ex eo quòd judicii dies incertus sit ac incognitus, monet semper esse vigilandum, ac bonis operibus incumbendum, ne imparatos opprimat. Denique hortatur ut majori charitate prosequantur eos qui ipsis præsunt in Domino, ut sine intermissione orent, ut omnia probent, quod bonum est teneant, ab omni specie mali abstineant.

*II. ad Thessalonicenses.* X. Epistola II. ad Thessalonicenses eodem loco & anno data est, quô prior, cùm Silvanum & Timotheum sibi in ministerio Evangelii conjunctos haberet S. Paulus. Hæc autem Epistolæ summa. Cùm in priori Epistola diem judicii imminere innuisset Apostolus, ac falsi nonnulli Doctores terrerent animos, quasi proximus esset mundi finis, & supremi judicii dies, ex ipsius sententiâ: operæ pretium duxit mentem illis aperire suam, eos ut nimio terrore turbatos & dejectos liberaret. Docet itaque non priùs Christum venturum ad judicium, quàm venerit discessio, id est, quàm omnia penè regna à fide, & ab Ecclesia defecerint, & revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis; id est, Antichristus apparuerit; quem Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui. Hortatur subinde Thessalonicenses Apostolus, ut traditiones, sive per sermonem, sive per Epistolam acceptas teneant ac servent: inquietos arguit, & laborem fugientes: ad laborem ipsos exemplo suo adhortatur, monet denique ne cum iis qui mandatis suis hac in Epistola exaratis non paruerint, societatem ineant: ita tamen ut eos non habeant inimicorum loco, sed corripiant ut fratres.

*I. ad Timotheum.* XI. Epistola I. ad Timotheum Philippis scripta videtur, anno Æræ Christianæ 66. post Christi mortem 33. Scilicet Ephesi aliquandiu moratus S. Paulus, Timotheum ibi, cùm inde in Macedoniam proficisceretur, reliquerat Ordinatum à se Episcopum, ut eam Ecclesiam se absente adminis-A tratet (1. *ad Timotheum* 1. *v.* 3. & 3. *v.* 14. & 15.) In Macedonia verò apud Philippenses permansit, sicut eis ipse antea promiserat (*ad Philippenses* 1. *v.* 25. & 26. & 2. *v.* 24.) Hinc istam ad Timotheum scripsit Epistolam: cujus hæc summa est. Demandatum à se Timotheo docendi munus commemorat, ut Pseudo-Magistros Ephesi coërceret, qui Fabulis & Genealogiis interminatis intendebant; quæ quæstiones præstant magis, quàm ædificationem quæ est in fide. Docet finem præcepti esse charitatem de corde puro, & fide non ficta, & conscientia bona, quam repellentes Hymenæus B & Alexander, naufragium fidei fecerunt, quos Apostolus tradidit Satanæ, ut castigati discerent non blasphemare. Orationes fundi jubet pro omnibus hominibus, pro Regibus, & omnibus in sublimitate constitutis; quia hoc acceptum est coram Salvatore nostro Deo, qui vult omnes homines salvos fieri, & qui unus Mediator est Dei & hominum: In omni loco docet orandum, & levandas puras manus sine ira. Mulierum Christianarum mores informat, modestiam in ornatu, silentium, subjectionem viris, imperans. Post hæc Episcopi & Diaconi dotes describit, & officia C explicat, ut sciat Timotheus, quomodo debeat in Ecclesia Dei conversari, quæ est columna & firmamentum veritatis. Futuros prædicit Doctores erroris, qui nuptias prohibeant, & abstinentiam imperent à cibis quos Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione. Monet ut ad pietatem se exerceat, quæ ad omnia utilis est, & corporali exercitationi præferenda. De viduarum institutione sanctissimas regulas tradit: Presbyteros qui benè præsunt, duplici honore dignos: accusationem adversùs Presbyterum non facilè recipiendam; manus nemini citò imponendas docet. D Formam doctrinæ divitibus hujus sæculi prædicandæ tradit. Denique Discipulum adhortatur ut depositum custodiat, devitans profanas vocum novitates.

XII. Epistola II. ad Timotheum Romæ à Sancto Paulo scripta est, in secundis vinculis, paulò ante martyrium, per Tychicum missa Ephesum, ubi erat Onesiphori familia, quem laudat ob subsidia, & obsequia sibi in vinculis præstita. De Hymenæo & Phileto Timotheum admonet, qui à veritate exciderunt, dicentes resurrectionem jam esse factam, & quorumdam subverterunt fidem. De vasis E in honorem, & in contumeliam quæ in magna domo habentur, disserit. Hypocritas vitari jubet, qui specie pietatis domos penetrant, & captivas ducunt mulierculas oneratas peccatis. Ejus animum adversùs persecutiones obfirmat, dicens: omnes qui piè volunt vivere in Christo, persecutionem pati. Sacræ Scripturæ studium commendat, quæ utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitiâ, ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus. Vitandum etiam monet Alexandrum fabrum ærarium, qui multa mala ipsi exhibuit, & sermonibus ipsius vehementer restitit. *II. Ad Timotheum.*

F XIII. Epistola ad Titum eodem anno & loco data est, quo prior ad Timotheum, & ejusdem penè est argumenti. De Presbyteris sive Episcopis Ordinandis, deque dotibus ad sacrum illud munus necessariis Titum admonet: Judaizantes increpari præcipit: ad obedientiam Principibus & Potestatibus præstandam incitandos Fideles, & ad mansuetudinem erga omnes homines exhibendam. Gratiæ Dei præclaram admiscet mentionem, quâ, nullo nostro merito, per Christum salvamur. Hæreticos post unam & alteram correptionem devitari jubet. Rogat denique Titum, ut cùm ad eum Artemam, vel Tychicum miserit, veniat ad eum Nicopolim, *Ad Titum.*

Nicopolim, ubi hybernare constituerat; simulque Zenam Legis peritum, Apollo studiosè præmittat, & curet ne quid illis desit.

*Ad Philemonem.*

XIV. Epistola ad Philemonem Romæ scripta est ab Apostolo, è prioribus vinculis, anno vulgaris Æræ 62. Erat autem Philemon vir clarus apud Colossenses, S. Pauli discipulus, cujus servus Onesimus Phrix genere, furto facto, ut ex v. 18. S. Hieronymus & Theodoretus colligunt, Romam profugerat. Mox verò criminis pœnitentiâ ductus, ad Paulum captivum, quem hero suo noverat amicum, se contulit. Ab eo susceptus, & in fide institutus, baptizatus est: cui etiam ministravit in carcere, donec satis in pietate confirmatum ad Philemonem remisit cum hâc Epistola commendatitia, quâ hortatur ut illum recipiat, jam non ut servum, sed pro servo charissimum fratrem.

*Ad Hebræos.*

XV. Epistola ad Hebræos circa idem tempus scripta est, solutô jam è vinculis Timotheo, ut colligitur ex cap. 13. v. 23. Tota est in Christi dignitate & Divinitate, Officio, Sacerdotiique ejus & sacrificii supra Leviticum excellentia demonstrandis, præcepta etiam saluberrima Hebræis tradit, quos hortatur ad hospitalitatem sectandam, quâ quidam Angelos recipere meruerunt, ad obedientiam Præpositis præstandam: & ne beneficentiæ & communionis obliviscantur, quibus hostiis Deum nos promereri docet.

XVI. Hanc Epistolam Canonicam esse, contra Lutherum facile probatur ex Clemente Alexandrino, apud Eusebium *lib. 6. Historiæ Ecclesiasticæ cap.* 14. Origene apud eumdem, cap. 25. ejusdem libri, quamvis an sit Pauli dubitet: Concilio Laodiceno, S. Athanasio libro *De Synodi Nicæna Decretis*, lib. *De Synodis*, & in Synopsi Scripturæ sacræ; S. Basilio *Constitutionum Monasticarum* cap. 22. S. Gregorio Nysseno lib. *De Hypostasi*, S. Gregorio Nazianzeno in carmine *de Scripturis authenticis*, Amphilochio in *Carmine ad Seleucum*. Innocentio I. in *Epistola ad Exuperium*. Concilio Carthaginensi III. S. Augustino lib. 2. *De Doctrina Christiana cap.* 8. & in *Speculo*. S. Cyrillo Alexandrino in *Anathematismo* x. *Adversus Nestorium*, dicente: *Pontificem & Apostolum confessionis nostræ factum esse Christum, divina Scriptura commemorat.* Quòd in hac Epistola legitur. Ephesina Synodo Oecumenica, quæ III. S. Cyrilli Anathematismos, sive Capitula judicio suo comprobavit. Theodoreto in *Argumento Epistolæ ad Hebræos*, ubi Arianos refellit, qui ipsam adulterinam appellant; aitque eos, *si nihil aliud, temporis certè diuturnitatem revereri debuisse, quò hanc Epistolam in Ecclesiis perpetuò legerunt alumni veritatis. Ex quo enim Litterarum Apostolicarum fuerunt Dei Ecclesiæ participes, ex eo etiam Epistola ad Hebræos utilitatem percipiunt.* Profert denique contra eos testimonium Eusebii Cæsariensis, hominis ipsi addictissimi, *qui divinissimi Pauli hanc esse Epistolam confessus est, & Veteres omnes hanc de eâ sententiam habuisse asserit*: Libro scilicet III. *Historiæ Ecclesiasticæ cap.* 25. ubi inter Scripturas omnium consensu receptas, omnes S. Pauli Epistolas commemorat. Hanc pariter in Canone conscripsit Gelasius Papa in Romana Synodo; denique Avitus Viennensis *in Carmine*, Cassiodorus lib. 1. *Divinarum Lectionum cap.* 4. S. Isidorus Hispalensis *lib. 6. Originum*. S. Joannes Damascenus *lib.* IV. *de Fide Orthodoxa c.* 18. & alii Patres, Canonicam Epistolæ ad Hebræos auctoritatem venerati sunt, & agnoverunt. Meritò itaque Eugenius IV. in Decreto *pro Jacobitis*, & Concilium Tridentinum *Sessione* IV. illam in Canone sacrorum Librorum descripserunt, ac recipiendam cum aliis decreverunt.

Fatendum tamen est illam ad secundum tantùm Canonem pertinere, quia de illius auctoritate fuit aliquando in Ecclesia Latinâ à nonnullis Doctoribus Catholicis dubitatum. Id constat ex S. Hyppolyto Portuensi Episcopo, qui *in libro adversus Hæreses*, Epistolam ad Hebræos Pauli Apostoli non esse affirmavit, teste Photio *in Bibliotheca Codice* 121. item ex Caio disertissimo viro, in Disputatione contra Proclum Montanistam in quâ dum Hæreticorum in componendis novis Scripturis temeritatem & audaciam sugillat, *tredecim solùm divini Apostoli commemorat Epistolas: eam quæ ad Hebræos inscripta est, cum reliquis non adnumerans*. Ita refert Eusebius *lib. 6. Historiæ Ecclesiasticæ cap.* 20. & addit: *Sanè hæc Epistola etiamnum à quibusdam Romanis Apostoli esse non creditur.* Et *lib. 3. cap. 3.* ait: *Pauli verò quatuordecim Epistolæ notæ sunt omnibus & perspicuæ. Sciendum tamen est Epistolam ad Hebræos à nonnullis ideò esse repudiatam, quòd dicerent eam ab Ecclesia Romana pro certâ ac genuinâ Pauli Epistolâ non haberi.*

Idem constat ex S. Hieronymo in Epistola ad Paulinum: *Paulus*, inquit, *Apostolus ad septem scribit Ecclesias; octava enim ad Hebræos, à plerisque extra numerum ponitur*: Et *in cap. 8. Isaiæ*, hanc allegans Epistolam, ait: *Licet eam Latina consuetudo inter Canonicas Scripturas non recipiat.* Et in cap. 8. Zachariæ; *Si tamen*, inquit, *in suscipienda Epistola Græcorum auctoritatem Latina lingua non respuit.* Hanc tamen consuetudinem totius Ecclesiæ Latinæ non fuisse, imò nec celebriorum Ecclesiarum, constat ex Innocentii I. *Epistola ad Exuperium*, ex Concilio Carthaginensi III. & ex S. Augustino. Ubi est igitur Latina illa consuetudo, si nec in Romana, nec in Africana Ecclesia hisce temporibus apparet, nisi apud paucos admodùm, & à traditione imprudenter deviantes Latinæ Ecclesiæ homines? Quod S. ipse Hieronymus *in Epistola ad Dardanum* disertè significat. *Illud*, inquit, *nostris dicendum est, hanc Epistolam, quæ inscribitur ad Hebræos, non solùm ab Ecclesiis Orientis, sed ab omnibus retro Ecclesiis, & Græci sermonis Scriptoribus, quasi Pauli Apostoli suscipi, licet plerique eam vel Barnabæ, vel Clementis arbitrentur: & nihil interesse cujus sit, cùm Ecclesiastici viri sit, & quotidie Ecclesiarum lectione celebretur. Quod si eam Latinorum consuetudo non recipit inter Scripturas Canonicas: nec Græcorum quidem Ecclesia Apocalypsim Joannis eadem libertate suscipiunt: & tamen nos utraque suscipimus; nequaquam hujus temporis consuetudinem, sed veterum Scriptorum auctoritatem sequentes; qui plerumque utriusque testimoniis abutuntur, non ut interdum de Apocryphis facere solent: quippe qui Gentilium literarum rarò utantur exemplis, sed quasi Canonicis & Ecclesiasticis.*

Objicies, hanc Epistolam Novatianis favere, cùm lapsos veniam consequi posse neget post Baptismum, cap. 6. *Impossibile est eos qui semel sunt illuminati, iterum renovari ad pœnitentiam*; & cap. 10. *Voluntariè peccantibus post acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccato hostia.* Itaque hæc Epistola non est Canonicæ auctoritatis.

Respondeo hæc Novatianis nequaquam favere, ut ostendo *Dissertatione XXII. in Historiam Ecclesiasticam* III. *Sæculi*. Ex quâ repetas velim horum expositionem locorum. Non est porrò hominis Catholici ex Canone expungere librum ab Ecclesia pro Canonico receptum, quia in eo aliqua sunt loca speciè tenus hæreticis faventia, alioqui vix ullus liber agnosceretur Canonicus, cùm vix ullus sit cujus auctoritate Hæretici non abutantur.

*Objectio Cajetani, qui de hujus Epistolæ auctoritate perperam dubitavit.*

Objicies secundò, Auctorem Epistolæ ad probandam Christi divinitatem hæc adhibere Scripturæ verba, quæ de Salomone secundùm literam dicta sunt II. Regum cap. 7. *Ego ero ei in patrem, & ipse erit mihi in filium.* Post quæ verba ibi sequitur: *Qui si inique aliquid gesserit, arguam eum in virga virorum.* De mero igitur homine, & quidem peccatore hæc dicta sunt: adeòque Scriptor sacer intus dictante Spiritu sancto scribens hæc verba Christo non accommodasset, nec iis fuisset usus ad ejus divinitatem probandam.

Respondeo hæc de Salomone, & de Christo Servatore nostro dicta: de Salomone secundùm literam, de Christo secundùm sensum mysticum, ex quo argumentum petere poterat Apostolus cum Hebræis Fidelibus agens. Non tamen omnia quæ loco laudato lib. II. *Regum* leguntur, de Christo esse intelligenda: In hujusmodi dictis quædam esse & typo, & antitypo communia; quædam quæ singulariter alteri tantùm conveniunt: quomodo & in Parabolis non omnes circunstantiæ ad similitudinem pertinent. Itaque Salomoni & Christo conveniunt hæc verba; *Ipse ædificabit domum nomini meo, & stabiliam thronum regni ejus usque in sempiternum. Ego ero ei in patrem, & ipse erit mihi in filium.* Sed hæc filii appellatio non convenit æquo jure Salomoni & Christo: convenit enim Salomoni solo adoptionis jure; Christo æterna generatione: ut ex verbis antecedentibus S. Pauli, & ex Psalmo 2. liquet; *Cui dixit aliquando Angelorum, Filius meus es tu, ego hodie genui te?* Soli verò Salomoni hæc conveniunt; *Si aliquid iniquè gesserit, arguam eum in virga virorum.*

*Objectio Cajetani.*

Objicies tertiò, hujus Epistolæ Autorem à consilio Dei in Mose, *Exodi* 24. & ab etymo propriáque significatione vocis *Berith* discessisse, transeundo à pacto, vel fœdere, de quo semper in Lege fit sermo, ad Testamentum quod intercedente morte Testatoris confirmatur. (*cap. 9. v. 15. & sequentibus.*)

*Habentur in Criticis Londinensibus post L. Tena Commentar. in hanc Epistolam.*

Respondeo, vocem Hebræam *Berith*, & vocem Græcam *diathecen* interdum *fœdus*, quandoque *testamentum* significare, ut probat eruditè Guilardus *in Vindiciis testamentariis* * adversùs Coduicum. S. Hieronymum quandoque *Berith*, vertisse *fœdus*, quandoque *Testamentum*. Zachar. 9. *Tu quoque in sanguine testamenti eduxisti vinctos de lacu.* Sponsionem illam, sive dispositionem Dei de vita æternâ conferendâ per mortem Christi, adumbratam promissione & pacto de danda terra Canaan, Testamentum aptiùs appellari, quàm fœdus. Namque fœdus conditiones habet mutuas, quas si altera pars non præstet, irritum evadit: Testamentum vero est liberalitatis & gratiæ citra ullam conditionem instrumentum. Deinde sanguis, & mors illius qui fœdus contrahit, non est adjunctum fœderis, (Quid enim cum homine moriente fœdere opus est?) sed testamenti. Tandem cùm fœdus Novi Testamenti, id est promissio gratiæ & vitæ æternæ nobis à Deo facta, non sancitum sit ac ratum, nisi morte Filii Dei, Mediatoris ac Testatoris; & fœdus, & testamentum non immeritò vocari potest.

*Objectio Cajetani.*

Objicies quartò. Hujus Epistolæ *cap.* 9. dicitur fuisse in arca testamenti, *Urna aurea habens manna, & virga Aaron quæ fronduerat, & tabulæ Testamenti.* At istud manifestè repugnat Scripturæ sacræ, III. *Regum cap.* 8. dicenti: *In Arca autem non erat aliud nisi duæ tabulæ lapideæ, quas posuerat in eâ Moyses in Oreb.* Quod repetitur *secundi Paralipom.* 5. Præterea, urna Man continens, reponenda erat *coram Domino*, & posuit illam Aaron *in Tabernaculo.* (Exodi 16.) non in Arca. Suffragatur & Josephus *lib.* III. *Antiquitatum cap.* 6. *lib. 4. cap. 8. & lib. 8. cap. 2.*

Respondeo, Apostolum verè scripsisse, urnam & virgam fuisse in Arca, quia juxta arcam erant, vel cum Arca in tabernaculo. More enim loquendi Scripturæ sacræ solemni, aliquid esse in loco dicitur, quod juxta illum est: sic *Jeremiæ* 35. de Rechabitis dicitur: *Et introduces eos in domum Domini, in unam exedram thesaurorum, & dabis eis bibere vinum.* Sic & S. Joannes cap. 10. Evangelii. *Ambulabat Jesus in Templo, in Porticu Salomonis:* Cùm tamen neque exedra, neque porticus partes Templi essent, sed conjuncta ædificia. Sic ementes & vendentes in Templo fuisse dicuntur, *Matthæi* 21. & *Marci* 11. qui erant in porticibus ejus. Sic Lucæ 9. *Dicebant excessum ejus, quem completurus erat in Jerusalem.* Id est prope Jerusalem, in monte Calvariæ. Hoc ergo sensu ab Apostolo dictum est, urnam, virgam, & tabulas testamenti fuisse in arca; tabulas quidem ut intra arcam inclusas; urnam verò & virgam ut juxta positas: quod alibi dicitur, *in latere arcæ:* ut *Deuteronomii* 31. ubi Moyses præcepit Levitis, ut volumen Legis ponerent *in latere arcæ fœderis Domini:* id est, foris juxta arcam.

*Objectio Cajetani.*

Objicies postremò, nisi hæc Epistola sit S. Pauli, non est Canonica. Porrò non est certum hanc Epistolam à S. Paulo scriptam esse. Quamobrem non est Canonica: Non est, inquam, certum hanc Epistolam esse S. Pauli, nam Tertullianus libro *de Pudicitia, cap,* 20. eam S. Barnabæ tribuit. Quidam Veterum eam S. Lucæ, alii Clementis Romani fœtum esse senserunt, teste S. Hieronymo in *Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum, in Paulo.* Et styli sermonisque à Paulino discrepantia eam alterius esse demonstrat: nam cæteris S. Pauli Epistolis longe eloquentior est. *Epistola autem quæ fertur ad Hebræos,* inquit S. Hieronymus, *non ejus creditur propter styli sermonisque distantiam: sed vel Barnabæ, juxta Tertullianum; vel Lucæ Evangelistæ juxta quosdam; vel Clementis Romanæ postea Ecclesiæ Episcopi, quem aiunt sententias Pauli proprio ordinasse & ornasse sermone.* Accedit S. Augustini auctoritas *lib.* 16. *de Civitate Dei, cap.* 22. ita scribentis: *De quo in Epistola quæ inscribitur ad Hebræos, quam plures Apostoli Pauli esse dicunt, quidam verò negant, multa & magna conscripta sunt.* &c. Præterea Pauli nomen non præfert hæc Epistola, ut cæteræ. Denique hujus Epistolæ Scriptor iis se annumerat, qui non à Christo, sed ab ejus Discipulis notitiam Evangelii accepere. *Quomodo,* inquit, *effugiemus si tantam neglexerimus salutem? Quæ cùm initium accepisset enarrari per Dominum, ab eis qui audierunt in nos confirmata est.* At S. Paulus *non ab hominibus, neque per hominem* se accepisse profitetur.

Respondeo falsam esse primam propositionem. Non enim interest cujus sit, cum sit Auctoris sacri, & ex Traditione atque Ecclesiæ auctoritate constet eam esse Canonicam. Certè plures sunt Scripturæ sacræ libri, quorum incerti sunt Auctores, ut libri Judicum, Job, Tobiæ, Judith, Esther, Regum, Paralipomenon, Sapientiæ, &c. nec tamen incerta est in Ecclesia eorum auctoritas. Cùm enim Spiritum Sanctum libri Auctorem esse constat, de calamo quo exaratus est non adeo est solicita, ut de libro Job ait Sanctus Gregorius Magnus. Ex Traditione autem certum est Epistolam ad Hebræos esse Canonicam. Unde etsi non esset Pauli, non sequeretur eam expungendam esse è Canone.

Respondeo secundò, falsam esse propositionem, scilicet quòd certum non sit hanc Epistolam à S. Paulo scriptam esse. Nam omnia penè monumenta antiquitatis, quæ eam Canonicam esse probant,

pariter

pariter asserunt eam esse Paulinam. Præterea id perspicuè colligitur ex Epistola II. S. Petri cap. 3. *Sicut*, inquit, *& charissimus Frater noster Paulus, secundum datam sibi sapientiam scripsit vobis, sicut & in omnibus Epistolis, loquens in eis de his, in quibus sunt quædam difficilia intellectu.* S. Petrus hanc Epistolam ad eosdem scripsit ad quos primam dederat, scilicet ad *Electos advenas dispersionis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Asiæ, Bythiniæ:* cùm initio hujus capitis dicat : *Hanc ecce vobis, Charissimi, secundam scribo Epistolam.* Porro nomine advenarum dispersionis, intelliguntur Judæi per orbem dispersi ; nam Gentiles non erant advenæ illis in regionibus quas S. Petrus nominat ; sed Judæi in illis commorantes. Unde & cap. 2. ait ; *Conversationem vestram inter Gentes habentes bonam.* Itaque S. Petri secunda Epistola, sicut & prima, scripta est ad Hebræos. Ait autem S. Paulum ad eos scripsisse : quod singularem quandam Epistolam ad Hebræos ab ipso datam significat. Quænam porro illa, nisi quam Ecclesia cum cæteris Pauli Epistolis in Canone sacrorum Librorum conscripsit ? Secundò de plerisque Epistolæ suæ capitibus, locutum esse Paulum in suâ ad Hebræos Epistola, S. Petrus testatur : *Loquens in eis de his.* At in Epistola S. Petri & in illâ ad Hebræos non pauca gemina sunt, ut ostendit Sphanhemius vir inter Heterodoxos eruditus, diligenti locorum collatione, in Dissertatione de hujus Epistolæ Authore. Tertiò, Paulus ad eos scripsisse dicitur, *secundùm datam sibi Sapientiam :* Hæc autem cœlestis & recondita Pauli Sapientia quamvis in omnibus ejus Epistolis effulgeat : in hâc tamen eminenti quadam promicat ratione, sive in rerum sublimitate, sive in majestate sententiarum, sive in vi incredibili ratiociniorum, sive tandem in apposita & eleganti collatione typorum cum rebus. Quartò quia & in hac præsertim Epistola multa sunt *difficilia intellectu.* Quintò hanc Epistolam S. Pauli genuinam esse ostendunt ejus circumstantiæ, scilicet vinculorum mentio, & Timothei in eis societas. (*cap.* 13.) Epistolæ methodus, in quâ primùm dogmata traduntur, deinde exhortationes & morum præcepta adjunguntur. Vocum, phrasium, sententiarum cum aliis S. Pauli Epistolis summa similitudo, de qua lege Sphanhemium. Idem qui in aliis Epistolis claudendi modus, scilicet salutatione, glorificatione, & voto his verbis concepto : *Gratia cum omnibus vobis. Amen.*

Sextò nec Barnabæ, nec Lucæ, nec Clementi Romano convenit, quibus illam nonnulli tribuerunt. Non Barnabæ, qui non ita disertus erat ac Epistolæ istius Author. Unde Lystrenses *Barnabam vocabant Jovem, Paulum verò Mercurium, quoniam ipse erat dux verbi.* Adde Antiquos, qui Barnabæ Epistolam illam tribuerunt quæ ejus nomine inscripta circumfertur, eam manifestè distinxisse ab Epistola ad Hebræos, quam S. Paulo tribuere : quod ex Clemente Alexandrino *lib.* 2. *Stromatum* perspicuum est. Accedit, quòd Barnabas nusquam tam acriter in Legis Mosaicæ ritus decertasse legitur ; imò à S. Petro Legalia imprudenter observante, *in eamdem simulationem abductus est*, teste S. Paulo *ad Galatas cap.* 2. Non convenit S. Lucæ, cujus tanta non erat apud Hebræos authoritas, cùm origine Proselytus & Gentilis esset. Tam gravi autem Epistolâ convenire Hebræorum Ecclesias, Apostolicæ erat auctoritatis, & officii. Non convenit denique Clementi Romano, quod ait Author Epistolæ, cap. 13. *Amplius autem deprecor vos hoc facere, quò celerius restituar vobis.* Præterea dictionis character, & argumentum è penetralibus Hebræorum ut plurimùm erutum, probat hujus Auctorem Epistolæ Hebræum fuisse. Denique cùm in suâ ad Corinthios Epistola Clemens *plurimas sententias desumptas ex Epistola ad Hebræos inserat, iisdemque interdum verbis utatur*, ut notavit Eusebius *lib.* III. *Historia Ecclesiastica cap.* 38. satis indicat alterius eam esse Auctoris.

Quæ verò proferuntur argumenta, non probant eam esse S. Paulo abjudicandam. Primum enim & alterum jam olim à Veteribus egregiè solutum est hoc modo : *Quia Paulus scribebat ad Hebræos, propter invidiam sui apud eos nominis titulum in principio salutationis amputaverat : scripserat ut Hebræus Hebræis Hebraicè, id est, suo eloquio disertissimè ; ut ea quæ eloquenter scripta fuerant in Hebræo, eloquentiùs verterentur in Græcum ; & hanc causam esse quòd à cæteris Pauli Epistolis discrepare videatur.* (Ex S. Hieronymo in *Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum, in Paulo.*)

Licet porrò Sanctus Paulus à Christo immediatè edoctus esset, postea tamen *confirmatus* est ab aliis Apostolis quibuscum doctrinam, quam prædicabat, contulit. (Ut constat ex Epistola *ad Galatas cap.* 2.) Præterea hæc verba, ὑπὸ τῶν ἀκουσάντων εἰς ἡμᾶς ἐβεβαιώθη, convenientiùs sic reddi volunt Viri quidam eruditi : *Ab his qui audierunt, usque ad nos confirmata est :* id est, ad nostra usque tempora.

Sunt tamen Viri eruditi qui censeant, Epistolæ quidem istius argumentum, ordinem, ratiocinia, sententias, esse S. Pauli, non verò dictionem, & ornatum, sed vel S. Lucæ, vel Clementis Romani qui suam in ea scribenda S. Paulo commodaverint operam, ideóque non Hebraicè, sed Græcè scriptam esse, quod & Scripturæ veteris allegatio secundùm Versionem LXX. Interpretum probare videtur, & Hebraicorum nominum explicatio, *Melchisedech*, & *Salem* ; quæ Epistolæ Interpreti tribuenda non est, ut in aliis libris sacris, sed Autori, ut contextus & series orationis demonstrat : Argumentatur enim Apostolus ab ipsa nominum interpretatione ; ut S. Chrysostomus & alii Expositores Græci annotarunt. Hasselius, Estius.

Origenis auctoritate hæc nititur sententia, apud Eusebium *lib.* 6. *Historia Ecclesiastica* cap. 25. *Ego verò*, inquit, *ita censeo : sententias quidem ipsas Apostoli esse : dictionem autem & compositionem verborum esse alterius cujusdam, qui dicta Apostoli commemorare, & quasi in Commentarios redigere voluerit ea quæ à Magistro audiverat. Proinde si quæ Ecclesia hanc Epistolam pro Paulina habet, eo nomine laudetur. Neque enim temerè majores eam Pauli esse tradiderunt. Quis autem revera illam scripserit, soli Deo notum esse opinor.*

At Clemens Alexandrinus apud eumdem Eusebium *lib.* 6. *cap.* 14. solam Versionem Græcam hujus Epistolæ S. Lucæ tribuit, quæ *Hebraico primùm sermone, utpotè ad Hebræos scripta fuerit. Quamobrem in hac Epistola & in Actibus Apostolorum, eumdem dictionis colorem reperiri.* Hanc autem inscriptionem, *Paulus Apostolus*, prudenter ab Apostolo omissam, ne sui nominis inscriptione, quod Hebræis invidiosum noverat, eos ab ejus lectione absterreret. Addit ex beati cujusdam Presbyteri sententiâ : *Quandoquidem Dominus omnipotentis Dei Apostolus ad Hebræos missus fuerat, præ modestiâ Paulus, utpote qui ad Gentes erat directus, Hebræorum Apostolum se minimè inscribit ; tum ob suam erga Dominum reverentiam, tum quòd ex abundanti ad Hebræos ipse Gentium præco, & Apostolus scriberet.*

De eodem Eusebius lib. 3. cap. 38. *Cùm ad Hebræos patrio sermone scripsisset Paulus, alii Lucam Evangelistam, alii hunc, de quo loquimur, Clementem, Epistolam illam esse interpretatum ferunt. Quod quidem verius videtur, cùm præsertim & Cle-*

*nomine, & illa ad Hebræos Epistola eumdem habeat stylum, nec utriusque scripti sententia valde inter se discrepent.*

### §. IV.

### *De Canonicis Epistolis SS. Petri, Joannis, Judæ, & Jacobi.*

*Catholicæ etiam dicuntur, id est universales, quòd non ad unam Civitatem vel personam, sed ad omnes ubique dispersos Fideles scriptæ sint, si secundam & tertiam S. Joannis excipias.*

SEPTEM istas Epistolas meritò *Canonicas*, appellari, & divinæ esse auctoritatis, constat ex Concilio Laodiceno, ex S. Athanasio *in Synopsi*. ex S. Gregorio Nazianzeno in Carmine, Sancto Hieronymo in Epistola *ad Paulinum*, dicente: *Jacobus, Petrus, Joannes, Judas, septem Epistolas ediderunt, tam mysticas, quàm succinctas, & breves pariter ac longas: Breves in verbis, longas in Sententiis, ut rarus sit qui non in earum lectione cæcutiat.* Ex Innocentio I. *Epistola ad Exuperium.* Ex S. Augustino, *lib. 2. de Doctrina Christiana, cap. 8.* Gelasio Papa in Synodo Romana, & aliis Patribus, qui Canonicarum Scripturarum ordinem postea texuerunt, & sacra Synodo Tridentina, *Sessione IV*. Non tamen conscriptæ fuerunt omnes in primo Ecclesiæ Canone. Quod enim spectat Sancti Petri Epistolas, sic de illis pronuntiat Eusebius lib. 3. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 3. *Una ejus Epistola, quæ prior dici solet, tanquam germana ab omnibus sine controversia admittitur. Cujus etiam testimonio veteres religionis nostræ Antistites, utpote extra omnem dubitationem posita, in scriptis suis frequentissimè usi sunt. Quæ vero secunda appellatur, eam quidem inter sacros Novi Testamenti Libros censitam non esse, à majoribus accepimus. Sed tamen cùm utilis esse videretur quamplurimis, unà cum reliquis sacræ Scripturæ libris studiosè lectitata est.*

Cap. verò 25. ubi agit de Divinis Scripturis omnium consensu receptis, & de his quæ non sunt ejusmodi, hæc habet: *Ex iis vero quæ in dubium revocantur, à multis tamen commemorari videmus, est Epistola quæ dicitur Jacobi, & quæ Judæ, & secunda Petri. Joannis item altera & tertia, sive illa ab ipso revera Evangelista, sive ab altero ejusdem nominis composita sunt.* Et lib. 6. cap. 14. de Clemente Alexandrino sic loquitur: *In libris Hypotyposeōn, omnium utriusque Testamenti Scripturarum compendiosam instituit enarrationem; ne illis quidem prætermissis Scripturis, de quibus inter multos ambigitur. Judæ Epistolam ac Barnabæ, & reliquas Catholicas Epistolas intelligo.*

Idem lib. 6. cap. 25. hæc Origenis verba refert: *Petrus cui tanquam fundamento superstructa est Ecclesia Christi, adversus quam nec ipsæ inferorum portæ prævalituræ sunt, unam duntaxat omnium consensu receptam reliquit Epistolam. Concedamus verò & secundam ejus esse. De hac enim ambigitur.* Sancti verò Joannis Apostoli Scripta recensens, ait: *Scripsit etiam Epistolam admodum brevem. Sed concedamus si placet, & secundam, & tertiam ab illo scriptas esse: Neque enim has geminas illius esse omnes consentiunt.*

II. *Epistolæ Jacobi* Author, non est Jacobus frater Joannis, sed Jacobus frater Domini, Minor appellatus, Jerosolymorum Episcopus, qui inter Columnas à S. Paulo nominatur, *ad Galatas* II. cui perperam & contra Scripturæ testimonium, Apostoli nomen quidam negaverunt: cùm S. Paulus dicat: *Præter Petrum, alium Apostolorum vidi neminem, nisi Jacobum fratrem Domini.* Et in Decreto sive Epistola Concilii Hierosolymitani, *Act.* 15. Apostolorum mentio fiat; cui tamen præter Petrum & Jacobum adfuit Apostolorum nemo. Fuere qui non à Jacobo, sed ab alio quodam sub nomine ejus, Epistolam editam assererent, licet paulatim, tempore procedente, obtinuerit auctoritatem, teste S. Hieronymo. Sed hi obscuri nominis Autores fuerunt, quibus contra Ecclesiæ auctoritatem non credendum: Præsertim cùm hanc Epistolam inter Canonicas disertè recenseant *S. Athanasius* in Synopsi, *Cyrillus Jerosolymitanus* Catechesi IV. & VII. Concilia Laodicenum & Carthaginense III. *SS. Gregorius Nazianzenus & Amphilochius*, *S. Hieronymus* in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum, *Ruffinus* in Expositione Symboli, *S. Augustinus* lib. II. *De Doctrina Christiana*, & *Innocentius I.* Epist. ad Exuperium. Sub Apostoli *Jacobi* nomine citatur ab *Origene* Homilia III. in *Exodum*, & in Comment. cap. V. Epistolæ ad *Romanos*, à Sancto *Athanasio* Oratione IV. *contra Arianos*, & libro *De Synodi Nicænæ Decretis*, à *S. Hilario* lib. IV De Trinitate, *S. Cyrillo Jerosolymitano* Catechesi Mystagogica quarta, *S. Basilio* libro I. *De Baptismo*, cap. II. *S. Epiphanio* Hæresi LXX. *S. Hieronymo* Epist. CIII. lib. *contra Jovinianum* cap. XXIV & Dialogo II. adversùs Pelagianos, cap. VII. & Auctore librorum *De Vocatione Gentium*, lib. I. Duo præcipuè agit S. Jacobi Epistola. Primum ut Christianos ad modestiam erudiat, à vanâ confidentiâ revocet, & ad petendam à Deo sapientiam hortetur. Alterum, ut doceat fidem sine operibus nihil ad salutem prodesse, contra Simonianos recentes Hæreticos. Denique Extremæ-Unctionis promulgat Sacramentum.

III. *Prima S. Petri Apostoli*, scripta est postquam Discipuli jam incœperant cognominari Christiani. Quod nono circiter anno post Christi mortem factum est. Quo præcisè data sit anno, non constat. In tradendis vitæ Christianæ præceptis tota versatur, patientiæ scilicet in adversis, obedientiæ Magistratibus præstandæ, honestæ & Christianæ conjugum inter se conversationis, vitandæ cum Gentibus familiaritatis. Romæ scripta est, quam Babylonis nomine typicè designat, quia cùm omnibus dominaretur Gentibus, omnium Gentium serviebat erroribus.

IV. *Secunda S. Petri Epistola*, ad eosdem scripta est ad quos præcedens, scilicet ad Fideles ex Circuncisione. Anno vitæ suæ ultimo eam scripsit, cùm revelatione divinâ certus esset *de veloci depositione tabernaculi sui*, id est corporis. In hac Fideles hortatur ut fidem, etiam se mortuô, firmiter retineant, errorumque Magistros fugiant, quorum mores & studia depingit. Stylo discrepat à priori: quòd diverso Interprete usus sit Sanctus Petrus, ut Sanctus Hieronymus notat in Epistola ad *Hedibiam* Quæstione II. *Duæ*, inquit, *Epistolæ quæ feruntur Petri, stylo inter se & charactere discrepant, structuraque verborum. Ex quo intelligimus, pro diversitate rerum, diversis eum usum Interpretibus.* Quamvis de hujus Epistolæ auctoritate dubitatum sit à nonnullis, eam tamen in Scripturarum sacrarum Canone recensent *Sanctus Athanasius* in Epistola Festali, in Synopsi, & in Oratione II. contra Arianos, *S. Cyrillus Jerosolymitanus* Catechesi IV. Concilium Laodicenum, Canone LX. Carthaginense III. Canone XLVII. *S. Gregorius Nazianzenus*, carmine XXXIV. *S. Augustinus* libro II. *De Doctrina Christiana* cap. VIII. *Innocentius I.* Epistola ad Exuperium. Eamdem citant *Origenes* Homilia VII. in Josue, *S. Hilarius* lib. I. de Trinitate, *S. Macarius* Hom. XXXIX. *S. Ambrosius* lib. De Incarnatione, cap. VIII. *S. Ephrem* Sermone contra Impudicos, *S. Hieronymus* libro I. *contra Jovinianum* cap. XXIV. *S. Augustinus* Enarrationibus in Psalmos LXXVI. & CXLII. & lib. XI. *De Civitate Dei*, cap. XXXIII. Auctor Librorum *De Vocatione Gentium*, lib. I. cap. VIII. & *S. Gregorius M.* Hom. XVIII. in *Ezechielem*,

dem, ubi hanc Epistolam *S. Petro* vindicat invicto argumento. *Fuerunt quidam*, inquit, *qui secundam Petri Epistolam, in qua Epistolæ Pauli laudatæ sunt, ejus dicerent non fuisse. Sed si ejusdem Epistolæ verba laudare voluissent, longè aliter sentire poterant. In ea quippe scriptum est:* Voce delapsa ad eum hujuscemodi à magnifica gloria: Hic est Filius meus dilectus; in quo mihi complacui. *Atque subjungitur:* Et hanc vocem nos audivimus, cùm essemus in Monte sancto. *Legimus itaque Evangelium, & protinus agnoscimus, quia, cùm vox ista de cælo venit, Petrus Apostolus cum Domino stetit. Ipse ergo hanc Epistolam scripsit, qui hanc vocem in Monte de Domino audivit.*

*Grotius rejicitur.*

Ex his refellitur *Grotii* temeritas, qui asserere non dubitavit, Scriptorem hujus Epistolæ esse *Simeonem* sive *Simonem* Episcopum post S. Jacobi mortem Jerosolymis, ejusdemque Jacobi successorem & imitatorem. Titulum autem Epistolæ fuisse, *Simeon Jesu Christi:* Sed eos qui spectabiliorem voluerunt facere hanc Epistolam, adjecisse, *Petrus*. Mirum est id tam confidenter asseri à viro cæteroquin erudito, contra Manuscriptorum omnium Codicum, & editorum Exemplarium fidem. Levissimo porrò nititur argumento. *Petrus*, inquit, sub *Nerone* mortem obiit: At hæc Epistola scripta est post excidium Jerosolymitanum, ut ex cap. tertio colligitur. Nemo enim Christianus ultimum mundi diem venturum credidit, nisi postquam evenisset eversio Judaïci Statûs. Post eam verò brevi admodum futuram Mundi ruinam multorum animo obversabatur. Hic verò Scriptor Christianos vult patientes adhuc esse in illius diei expectatione, si fortè sperato tardiùs adveniat: Esse hoc signum magnæ Dei patientiæ, qui adhuc multos ex Gentibus & Judæis ad se velit converti. Futile, inquam, hoc argumentum est. Hæc enim apud Christi Discipulos, etiam dum in terris mortalem vitam ageret, invaluerat opinio, eversionem Templi, finémque Mundi esse conjuncta. Unde Christus cum Templi ruinam, & *Abominationem desolationis stantem in loco sancto* illis prædixisset, *Matt. xxiv.* Finis mundi ultimique judicii mentionem subjunxit, ne post Templi eversionem exspectationem in longum porrigentes securi essent. Quamvis ergo *S. Petrus* Christianos eversionem Templi, & quem non multo post tempore futurum existimabant, finem Mundi impatienter exspectantes hortetur ad patientiam & spem; *Quia unus dies apud Dominum sicut mille anni, & mille anni sicut dies unus: & non tardat Dominus promissionem suam, sicut quidam existimant, sed patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti:* Hinc nullatenus sequitur hanc Epistolam ante Jerosolymitanum excidium scriptam non fuisse. Felicior non fuit *Didymi Alexandrini* veteris Scriptoris Ecclesiastici conjectura, qui ex Mundi revolutione & immutatione hîc prædictâ colligit, *præsentem Epistolam esse falsatam, quæ licet publicetur, non tamen in Canone est.*

*Didymus errat. in secundam S. Petri Epistolam.*

V. *Epistolam I. S. Joannis*, ad Parthos missam tradunt Veteres; quo nomine & Persæ quoque, & aliæ plures Orientis nationes intelliguntur; apud quas etiam plurimi Judæi ex antiquâ dispersione. Versatur autem potissimùm in astruendâ Christi Domini verâ œconomia, ad quam pertinent imprimis hæc fidei mysteria: Jesum esse Christum, verum Deum, ac Dei Filium; eumdemque esse verum hominem, verâ carne præditum: nostrum advocatum ad Patrem, & propitiatorem pro peccatis nostris: quæ Dogmata per totam fere Epistolam traduntur, contra Simonianos, Ebionem, Cerinthum, aliosque postmodum erupturos Hæreticos, quos *Antichristos* vocat, eosque *solvere Jesum* dicit, id est, Incarnationis ejus Mysterium evertere.

Quamvis autem in nonnullis Codicibus Græcis MSS. capite v. hujus Epistolæ desit hæc sententia, *Tres sunt qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus: & hi tres unum sunt:* Nihilominus Canonica est, & secundùm meliorum atque emendatiorum Codicum fidem, Ecclesiæque judicium retinenda, ut à Spiritu Sancto dictata. Unde Prologus antiquus Epistolis Canonicis in Bibliis *Caroli Calvi* præfixus, qui in Regia Bibliotheca servantur, & *Sancto Hieronymo* à viris aliquot eruditis tributus, hæc habet: *Illo præcipuè loco ubi de unitate Trinitatis in prima Joannis Epistola positum legimus. In qua etiam ab infidelibus translatoribus multùm erratum esse à fidei veritate comperimus, trium tantummodo vocabula, hoc est, aquæ, sanguinis, & Spiritus, in ipsa sui Editione ponentibus, & Patris ubique ac Spiritus testimonium omittentibus, in quo maximè & Fides Catholica roboratur, & Patris & Filii & Spiritus Sancti una Divinitatis substantia comprobatur.* In quibusdam Codicibus, Arianorum fraude resectam hanc Sancti Joannis sententiam, quam *SS. Athanasius, Gregorius Nazianzenus, Chrysostomus, Didymus, Augustinus*, non legerunt, *S. Cyprianus* in suo Codice habuit & citavit libro *De Unitate Ecclesiæ*, in quo hæc legimus: *De Patre & Filio & Spiritu Sancto scriptum est,* ET HI TRES UNUM SUNT. Eumdem locum citavit *Sanctus Fulgentius* Libro Responsionum contra Arianos: *In Patre ergo*, inquit, *& Filio, & Spiritu sancto unitatem substantiæ accipimus, Personas confundere non audemus. Beatus enim Johannes Apostolus testatur dicens:* TRES SUNT qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & tres unum sunt. *Quod etiam Beatissimus Martyr Cyprianus in Epistola de Unitate Ecclesiæ confitetur, dicens: Qui pacem Christi & concordiam rumpit, adversùs Christum facit: Qui alibi præter Ecclesiam colligit, Christi Ecclesiam spargit. Atque ut unam Ecclesiam unius Dei esse monstraret, hæc confestim testimonia de Scripturis inseruit. Dicit Dominus*, Ego & Pater unum sumus. *Et iterum de Patre & Filio & Spiritu Sancto scriptum est:* ET TRES UNUM SUNT. Hinc *Erasmus* priorem emendans errorem, hunc Versum *S. Johannis* posteriori suæ Novi Testamenti Editioni inseruit.

VI. *Secunda Sancti Johannis Epistola* in eodem argumento versatur. Gratulatur insuper S. Joannes Electæ, nobili mulieri, ac filiis ejus, quòd rectam de Jesu Christo fidem teneant, hortatur ut in ea perseverent, & eam per charitatem atque obedientiam bonis moribus constanter exornent. Suadet denique ut hæreticos summo studio devitent, nec *Ave* eis dicant.

In III. *Epistola*, Caium collaudat Apostolus, quòd in veritate ambulet, ac rectam fidem teneat, eamque charitate exornet. Hortatur ut constanter perseveret, neque moveatur pravo exemplo Diotrephis: quin potiùs accendatur exemplo Demetrii, viri sincerè Christiani.

*Epistola S. Judæ Apostoli* Fratris Sancti Jacobi, scripta est post aliorum Apostolorum mortem, uno S. Joanne excepto, ut constat ex his verbis v. 7. *Vos autem Charissimi, memores estote verborum, quæ prædicta sunt ab Apostolis Domini nostri Jesu Christi, qui dicebant vobis, quoniam in novissimo tempore venient illusores, secundùm desideria sua ambulantes in impietatibus.* Quod S. Petrus in secundâ sua Epistola prædixit. Librum Enoch, qui apocryphus est citat; ac Michaëlis altercationem cum Diabolo, de Moysi corpore, quæ de apocryphis etiam sumpta videri potest. Id tamen non imminuit illius Episto-

læ auctoritatem. In apocryphis enim non omnia sunt apocrypha. Discrevit autem divino lumine Apostolus certa ab incertis, vera à falsis. Certè si S. Paulus quasdam Ethnicorum sententias suis Epistolis inserendo consecravit, potuit Judas testimonia ex apocryphis accepta, quorum veritatem illustrante Spiritu Sancto cognovis, pariter consecrare. Argumento similis est hæc Epistola secundæ S. Petri. Simonianos, & Nicolaïtas præcipuè insectatur, *Dei gratiam transferentes in luxuriam, & solum Dominatorem, & Dominum nostrum Jesum Christum negantes.*

Quamvis de Epistola *S. Judæ*, an canonica esset, à nonnullis fuerit dubitatum, ut testantur *Eusebius* lib. III. *Historia Ecclesiastica*, cap. XXV. *S. Amphilochius in* Carmine ad *Seleucum*, & *S. Hieronymus* in Catalogo Virorum Illustrium, cap. IV. Illam tamen in sacrarum Scripturarum Canone recensent Concilium Laodicænum Canone LX. & Carthaginense III. Canone XLVII. *S. Athanasius* in Epistola Festali, & in Synopsi, *S. Cyrillus Hierosolymitanus*, Catechesi IV. *S. Gregorius Nazianzenus*, Carmine XXXIV. Ruffinus in Expositione Symboli, *S. Augustinus* lib. II. *de Doctrina Christiana*, cap. VIII. *Innocentius I.* in Epistola *ad Exuperium*. Illam pariter laudant sub *S. Juda* Apostoli nomine *S. Clemens Alexandrinus* libro III. *Pædagogi*, cap. VIII. lib. III. *Stromatum*, & in libris *Hipotiposeon*, *Origenes*, Homilia VII. in *Josue*, & lib. V. in Epistolam ad Romanos, *Lucifer Calaritanus*, in Tractatu De non conveniendo cum Hæreticis, *S. Ambrosius* in *Luca* VIII. vers. 24. *S. Hieronymus* in cap. XXIX. Jeremiæ, *S. Epiphanius* Hæresi XXVI. *S. Augustinus* libro *de Fide & Operibus* cap. XXV. & libro II. *Retractationum* cap. XXVII. Perperam itaque *Grotius* hanc Epistolam esse asserit *Judæ* Episcopi Hierosolymitani, qui fuit *Adriani* temporibus, paulò ante *Barchochebam*, temeréque affirmat hæc verba, *Frater autem Jacobi*, initio Epistolæ addita esse à Scribis, ut *Judas* hic Apostolus esse crederetur.

Grotius notatur.

## §. V.

### *De Sancti Joannis Apocalypsi.*

APOCALYPSIM Marcionitæ, Theodotiani, Alogi olim rejecerunt, quam sacrum esse librum testimoniis Veterum demonstratur, *S. Justini* in Dialogo cum Tryphone, pag. 308. *S. Irenæi* libro IV. cap. XXXVII. *Tertulliani* in *Scorpiaco*, lib. III. *contra Marcionem* cap. XIV. & lib. *de Præscriptionibus*, cap. XXXIII. S. Hippolyti Episcopi & Martyris, lib. de Antichristo, SS. Cypriani libro de Exhortatione Martyrii, *Dionysii Alexandrini* lib. *de Promissionibus*, apud Eusebium *lib. 7. cap. 25.* Ubi enim præmisit Dionysius nonnullos ex iis qui ipsum præcesserunt, librum hunc repudiasse penitus & refutasse, ac tribuisse Cerintho, quòd regno Christi terreno per mille annos in corporearum voluptatum fruitione futuro favere videretur, subdit: *Ego verò librum illum rejicere omnino non ausim, præsertim cùm multi ex fratribus eum magni faciant. Sed hujusmodi de illo opinionem concipiens, quasi sensus mei modum excedat, arcanam quamdam planéque admirabilem singularum rerum intelligentiam latere existimo.* Cajus antiquus Scriptor Apocalypsim sub Joannis Apostoli nomine à Cerintho editam sensit, apud Eusebium *lib. 3. Historia Ecclesiastica cap. 28.* cujus sententiam hic rejicit Dionysius Alexandrinus. At licèt fateatur *Sancti cujusdam & divino Spiritu afflati viri id opus esse*: & Libri Authorem vocatum Joannem, negat tamen esse Joannem Evangelistam. Id probat ex styli varietate in Apocalypsi, & in Evangelio & Catholica Epistola Sancti Joannis: & quòd illis Operibus nomen suum non inscripserit, sicut fecit Auctor Apocalypsis: Quòd dictio Evangelii & Apocalypsis sit elegans, Apocalypsis barbarismis & solœcismis interdum inquinata. Tum etiam quòd nec in Apocalypsi Epistolæ, nec in Epistola Apocalypsis ullatenus meminerit: cùm S. Paulus in Epistolis revelationes suas commemoret. Quamobrem hunc librum alterius esse Joannis putat, qui in Asia versatus sit. *Duo enim*, inquit, *apud Ephesum sepulcra esse traduntur; utrumque Joannis nomine insignitum.* Origenes *Homilia 7. in Josue*, & *in Psalmum* 1. Apocalypsim Joanni Apostolo tribuit, & apud Eusebium lib. 6. cap. 27. S. Athanasius *in Synopsi* ipsam Canonicum esse librum, & Joannis Apostoli docet. Eusebius lib. 3. cap. 25. loquens de Scripturis omnium consensu receptis, ait; *Postremò adjungenda est, si ita videbitur, Joannis Revelatio. Et hæc quidem communi omnium consensu recepta sunt.* Sed nondum eliquatam de libri hujus auctoritate quæstionem significat, siquidem ubi spurias Scripturas recensuit, subdit: *His adjunge, si lubet, Joannis Revelationem: quam nonnulli ex albo Scripturarum expungunt; alii inter libros omnium consensu probatos annumerant.* Et cap. 24. *De Revelationis autem libro*, inquit, *adhuc in utramque partem opinionum varietate certatur.* S. Hilarius lib. VI. *de Trinitate*, & Præfatione in Psalmos, S. Epiphanius Hæresi LI. & LXXVI. S. Basilius lib. contra Eunomium, S. Gregorius Nyssenus, Homilia de Ordinatione sua, S. Pacianus Epistola I. Sulpitius Severus lib. II. *Historia Ecclesiastica*, divinam Apocalypsis auctoritatem agnoscunt. S. Hieronymus *in Epistola ad Paulinum*, hoc de libro sic loquitur. *Apocalypsis Joannis, tot habet Sacramenta, quot verba. Parum dixi, & pro merito voluminis laus omnis inferior est. In verbis singulis multiplices latent intelligentiæ.* Ecclesia Africana in Concilio Carthaginensi III. & S. Augustinus *lib. 2. de Doctrina Christiana cap. 8.* lib. 20. *de Civitate Dei*, cap. 7. & sequentibus, & alibi, Apocalypsim inter libros Canonicos conscribunt. Sic Innocentius I. in Epistola ad *Exuperium*, Gelasius Papa in Romana Synodo, Cassiodorus, Isidorus Hispalensis, & alii Patres usque ad sacram Synodum Tridentinam, quæ inter libros quos sub anathematis pœna, ceu Canonicos suscipi jubet, numerat *Apocalypsim Joannis Apostoli.*

Scripta est Apocalypsis 14. anno Imperii Domitiani, quando in Patmos Insulam relegatus est S. Joannes, ut testantur Sanctus Irenæus *lib. 5.* Eusebius *lib. 3. Historia Ecclesiastica cap. 18.* & S. Hieronymus in *Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum.* Propheticus liber est, de illis rebus quæ erant eventuræ Ecclesiæ, usque ad ultimum judicii diem. Non mirum itaque quòd S. Joannes nomen suum adscripserit in Apocalypsi, quod in Evangelio & in Epistolis non fecit. Nam Prophetæ suis Prophetiis nomen suum inscripserunt, & illud sæpius inculcarunt: ob eam utique rationem, quòd Prophetiæ auctoritas ex Authore pendeat, quo incognito, nutare videretur. Non mirum etiam quòd stylus hujus libri sit à stylo Evangelii, & Epistolarum diversus: cùm alius sit stylus Historiæ, alius Prophetiæ. In secundo Canonicorum librorum Ordine duntaxat, non in primo fuisse conscriptam, constat tum ex iis quæ diximus, tum ex Laodiceni Concilii Patribus, ex *S. Cyrillo Hierosolymitano*, Catechesi IV. & ex *S. Gregorio Nazianzeno* Carmine XXXIV. qui in Catalogo Librorum Canonicorum illam non recensent.

De

## §. VI.

*De suppositiis Apostolorum Scriptis.*

APocrypha sunt *Evangelia secundum Ægyptios*, & *secundum Hebræos*. Primum citant *Clemens Alexandrinus* & *S. Epiphanius* Hæresi LXII. ubi Sabellianos hoc Pseudo-Evangelio ad errorem suum confirmandum abusos esse scribit. Eodem abutebantur & Valentiniani. Alterum quod Syriaco idiomate, sed Hebraicis characteribus scriptum testatur *S. Hieronymus*, qui & ipsum Græcè Latinéque reddidit, citant *Hegesippus* apud *Eusebium* lib. IV. *Historiæ Ecclesiasticæ*, cap. XXII. *S. Ignatius* Epistola ad Smyrnæos, *Clemens Alexandrinus* lib. II. Stromatum, *Origenes* Tractatu VIII. in Matthæum, & Tom. II. in Joannem, *S. Hieronymus* lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis, verbo *Ignatius*, & verbo, *Jacobus*, Comment. in cap. VII. & XII. S. Matthæi, & lib. III. contra Pelagianos. Evangelium secundùm Hebræos idem fuisse cum Evangelio Nazaræorum, constat ex *Eusebio* & *S. Hieronymo*. Illo abusi sunt Ebionitæ ad errores suos confirmandos.

Apocryphum quoque est *Proto-Evangelium S. Jacobi*, quod publici juris à *Neandro* factum & inter *Orthodoxographa* editum est cum Evangelio *Nicodemi* pariter apocrypho. Fabulis innumeris scatet uterque libellus. Apocrypha pariter Evangelia à veteribus Hæreticis supposita venerandis nominibus *SS. Petri, Thomæ, Matthiæ*, quorum meminit *Eusebius*, lib. III. *Historiæ Ecclesiasticæ* cap. XXV. *S. Bartholomæi* & *duodecim Apostolorum*, quorum meminit *S. Hieronymus* Præfatione Commentarii in S. Matthæum; *S. Philippi*, quo abutebantur Gnostici, Ebionitæ, Basilides, Apelles, teste *S. Epiphanio* Hæresi XVI. *Judæ*, à Gajanitis confictum, qui Proditorem illum colebant, *S. Epiphanio* & *Theodoreto* testibus. Hæc & alia *Gelasius I.* Pontifex Maximus in Synodo Romana velut Apocrypha confixit.

Idem esto judicium de Actis *SS. Petri & Pauli, Andreæ, Joannis*, Manichæorum fraude suppositis, ut testantur *Philastrius* Hæresi XLVIII. *S. Epiphanius* Hæresi XLVII. & *S. Augustinus* libro *de Fide contra Manichæos*. Eodem loco & numero habendi sunt *Actus Apostolorum* ab Ebionitis compositi, teste *S. Epiphanio*. Item, *SS. Philippi & Thomæ*, quibus Encratitæ & Apostolici Hæretici utebantur, teste *S. Epiphanio* Hæresibus XLVII. & LXI. In eumdem censum sunt referendæ *Revelationes S. Pauli* & *S. Thomæ*, à *Gelasio I.* inter apocrypha proscriptæ; *Apocalypsis S. Petri*, cujus meminit *Eusebius* libro III. *Historiæ Ecclesiasticæ* cap. XXV. Ejusdem est farinæ liber inscriptus, *Sortes Apostolorum*.

Sunt alia Apostolorum nominibus insignita, de quibus viri eruditi dubitant utrum ab Apostolis scripta sint, vel doctrinam saltem ab illis acceptam contineant; nimirum Canones Apostolorum, Constitutiones Apostolicæ, & novem Canones Antiochenæ Synodi sub Apostolis, ut quidam putarunt, habitæ. Hæc omnia fœtus esse Apostolis suppositos, propriis Dissertationibus ostendemus.

De Symbolo Apostolorum, quæstionem moverunt ex Heterodoxis nonnulli: hoc Sanctis Apostolis propria etiam Dissertatione vindicabimus. De aliis quæ prolixiorem tractationem non postulant, singulis Articulis agemus, antequam finem imponamus huic Synopsi.

## ARTICULUS III.

*De Liturgiis Sanctorum Petri, Jacobi, Matthæi, & Marci.*

*Utrum genuina sint illorum Opera?*

I. DIco primò, Sancti Petri Liturgiam ipsi affictam esse. Primò, quia in ea occurrit vox Θεοτόκου, Deiparæ; quod nomen si Apostoli suis in scriptis tradidissent, Ecclesia in Synodo Ephesina congregata adversùs Nestorium, eorum authoritatem protulisset; Cœlestinusque Pontifex Maximus, tunc sedens in Cathedra Petri, tam luculento Principis Apostolorum testimonio Hæreticos prostravisset. Secundò quia Sanctorum Pontificum & Martyrum, qui longo post Petrum annorum tractu floruerunt, hæc Liturgia memoriam celebrat, *Xisti* scilicet, *Cornelii*, *Cypriani*, *Laurentii*, *Chrysostomi*, *Cosmæ & Damiani*. Tertiò, quia Romana Ecclesia Petri Liturgiam proculdubio sacros in usus assumpsisset, si agnovisset genuinam germanamque Petri.

II. Dico secundò Liturgiam Sancti Jacobi, quæ extat tomo 2. Bibliothecæ Patrum Græco-Latinæ, ipsi pariter fuisse suppositam. Primò, quia & in illa Beatæ Virgini tribuitur Deiparæ nomen, ante Concilii Ephesini tempora valde infrequens: nec illud Concilium, in quo prolata sunt omnia antiquitatis monumenta, quæ huic appellationi patrocinabantur, hujus Liturgiæ meminit, quæ in Oriente tamen nota fuisset, si genuinum esset Sancti Jacobi Opus; maximè si Proclo Constantinopolitano Episcopo, qui eidem Concilio interfuit, accepta fuisset, ut scribit Sixtus noster Senensis lib. 2. Bibliothecæ Sanctæ, in *Jacobo*. Certè nihil adversùs Nestorium proferre potuissent luculentiùs Ephesini Patres his verbis ex Liturgia illa Sancto Jacobo adscripta. *Dignum est ut te verè beatam dicamus Deiparam, semper beatam, & omnibus modis immaculatam, & Matrem Dei nostri, honorabiliorem quàm Cherubim, & gloriosiorem quàm Seraphim: quæ sine corruptione Deum Verbum peperisti: te reverâ Deiparam magnificamus.* Cùm itaque Patres Ephesini hæc verba non laudaverint, argumento est hanc Liturgiam tunc ignotam fuisse, & postea S. Jacobi nomine confictam.

Secundò, ante Nicænam Synodum τὸ ὁμοούσιον, *consubstantiale*, non erat consecratum usu solemni Ecclesiæ, licèt aliqui Patres illo usi essent vocabulo: cùm itaque non semel in Liturgia Jacobi usurpetur, & *Verbum consubstantiale Patri, & Spiritus Sanctus consubstantialis*, & *consubstantialis Trinitas*, signum est illam nonnisi post Nicænam Synodum fuisse fabricatam. Certè si temporibus Arianorum extitisset ista Liturgia, Patres qui adversùs illos scripserunt, ejus authoritatem in ipsos protulissent. Nec enim indignus erat Apostolus, qui ab ipsis citaretur: nec minimum poterant conferre præsidium causæ Catholicæ hæc verba, si Jacobi extitissent: *Et erit gratia & misericordia sanctæ & consubstantialis, increatæ & adorandæ Trinitatis, cum omnibus nobis.* Et hæc ad Verbum divinum Oratio; *Domine Deus noster, Verbum Dei incomprehensibile, & consubstantiale Patri & Spiritui sancto, coæternum & inseparabile, suscipe incorruptum hymnum in sanctis & incruentis sacrificiis tuis.*

Item illa verba, quæ Sp[iri]tum Sanctum vivificantem & consubstantialem Patri prædicant, hujus Liturgiæ natalem posteriorem esse Constantinopolitana Synodo manifestè arguunt. Quid enim opus esset tot ad expugnandos Macedonianos sulcipere

suscipere labores, qui prostrati facilè fuissent, prolatâ hâc Oratione Jacobææ Liturgiæ? *Abs te omnes quærimus in omnibus auxilium, & subsidium, ab unigenito Filio tuo, & à bono & vivificante, & consubstantiali Spiritu, nunc & in sæcula.*

Tertiò, Τρισάγιος hymnus, seu hæc verba, *Sancte Deus, Sancte fortis, Sancte immortalis, miserere nostri*: & hæc; *Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabbaoth*; quæ hac in Liturgia leguntur, probant ipsam fuisse concinnatam circa tempora Felicis III. qui Pontifex creatus est anno Christi 483. siquidem Ecclesia hunc Hymnum ab Angelis didicit anno Christi 446. & laudatus Pontifex testatur hunc hymnum suo tempore in Ecclesia fuisse decantatum, cùm arguit damnatque Petrum Cnaphæum Episcopum Antiochenum, quòd huic hymno addidisset hæc verba, *Qui crucifixus es pro nobis.* Sic enim aperit hujus laudationis originem Felix III. Epist. 5. ad Petrum data ex Romana Synodo. *Denique cum terræ motu Constantinopolis quateretur; populúsque in campo oraret; infantulus toto populo spectante, cum Proclo civitatis Episcopo, in cœlum per unam horam raptus est, ibique hujusmodi didicit hymnum. Rursúmque descendens, nunciavit quæ in æthere audierat, dicens de cœlo, quasi de multitudine psallentium, hujusmodi laudes insonuisse auribus suis; dictúmque sibi, ut eam laudationem populo indicaret.* Ex quibus constat, Apostolorum temporibus hunc hymnum usurpatum in sacris ritibus non fuisse, adeòque Liturgiam Jacobi, quæ illum habet, esse tanto Apostolo affictam.

Quartò, hujus Liturgiæ contextus pluribus sententiis ex Epistolis Sancti Pauli decerptis ornatus est, quarum multas post martyrium Jacobi scriptas esse, eruditorum virorum nemo nescit. Unde Bellarminus Cardinalis lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis in *Jacobo*, ait: *Extat etiam Liturgia sancto Jacobo attributa, quæ à posterioribus ita locupletata est, ut non sit facile dijudicare, quæ pars hujus Liturgiæ Sanctum Jacobum habeat authorem.*

Objicies. Synodus Trullana Sancti Jacobi Liturgiam citat, ex eaque probat vinum aquâ mixtum in Sacrificio Missæ offerendum esse. Sic enim habet Canone 32. *Nam & Jacobus Christi Domini nostri secundum carnem frater, cui & Hierosolymitanæ Ecclesiæ thronus primum est creditus, & Basilius Cæsareensium Archiepiscopus, cujus gloria omnem terrarum orbem pervasit, mysticè nobis in scriptis tradito sacrificio, ita consecrandum in divina Missa ex aqua & vino sacrum Calicem ediderunt.* Ergo Liturgia Sancti Jacobi genuinus est ipsius fœtus.

Respondeo, nego consequens. Nulla enim est istius Synodi authoritas, quæ universæ Ecclesiæ consensu, & Sedis Apostolicæ suffragio probata non fuit. Unde sicut 85. Canones Apostolorum non recipit Romana Ecclesia, quamvis illos omnes receperit ista Synodus; imò nec illos Apostolorum esse putant eruditi: ita Liturgiam præfatam Sancti Jacobi non esse contendimus, ista licèt Synodo reclamante: quam miror à Sixto nostro Senensi tantæ doctrinæ viro Concilii universalis nomine laudatam.

III. Dico tertiò, Liturgiam Sancti Marci perperam sub S. Evangelistæ nomine fuisse obtrusam, ob easdem fermè rationes. Nam in ea & ὁμοούσιον, & τρισάγιον legimus: & hæc verba ex Concilii Constantinopolitani Symbolo ferè exscripta, *Spiritum Sanctum Dominum vivificantem, qui in Lege, & Prophetis, & Apostolis locutus est, sibi consubstantialis, ex te procedens.*

Secundò, quia in ea fit mentio Sancti Marci Martyris & Evangelistæ: *Protege civitatem istam, propter Martyrem tuum & Evangelistam Marcum, qui nobis viam salutis demonstravit.*

Tertiò, quia vocat Pontificem, *Sanctissimum & Beatissimum Papam, & Episcopum Reverendissimum*; quæ nomina & epitheta tribus primis Ecclesiæ sæculis usurpata non fuerunt.

Quartò, quia patenarum & calicum meminit. Patenarum verò nomen recentius est.

Quintò, quia hac in Liturgia pro Rege funditur oratio. At Regem Alexandriæ dominatum Marci tempore commentum est: siquidem Augustus post victoriam de Marco Antonio & Cleopatra reportatam, universam Ægyptum Imperio Romano vectigalem fecit, ejúsque administrationem Cornelio Gallo Equiti Romano commisit, ut Romanæ Historiæ Scriptores memoriæ prodiderunt.

Sextò, quia Balsamon Patriarcha Antiochenus in Responsione ad Quæstiones Marci Alexandrini, ait: Liturgiam Sancti Marci nomine inscriptam, recipiendam non esse, quia nec sacra Scriptura, nec ulla Synodus testatur, *sacrum Ministerium à Sancto Marco traditum*: Et quia Laodicæna Synodus, *enumerans Veteris & Novi Testamenti, ipsósque Apostolicos libros, qui in usu nobis esse debent, nullam Sacrificii Sancti Marci, vel Sancti Jacobi, mentionem facit; neque Constantinopolitana Ecclesia ullo modo illas Liturgias agnoscit.* At verò si Orientalibus Ecclesiis, & ipsi Alexandrinæ persuasum fuisset hancce Liturgiam genuinum esse Sancti Marci Opus, hæc Antiochenus Patriarcha ad Alexandrinum non scripsisset.

IV. Dico quartò, Missam Æthiopum Sancto Matthæo adscriptam, non esse Sanctissimi Apostoli & Evangelistæ Opus. Primò, quia Christum vocat Filium Patris & Spiritûs Sancti; qui manifestus error est. *O Princeps noster Jesu Christe*, inquit, *cujus substantia creata non est, sed es purum Verbum: tu es Filius Patris & Spiritus Sancti.* Tom. 6. Biblioth. P.P.

Secundò, quia Pontificum, Regum, Patriarcharum, Archiepiscoporum, & Episcoporum dormientium in Christo memoriam celebrat. Porro nec tempore S. Matthæi Pontifices ulli, aut Reges Christiani obierant, siquidem superstes erat totius Ecclesiæ Pontifex Sanctus Petrus, neque Rex ullus Christi fidem amplexus erat. Nomen etiam Patriarchæ, & Archiepiscopi quatuor primis Ecclesiæ sæculis inauditum.

Tertiò nonaginta novem Ordines Angelorum invocat, cùm novem duntaxat Ecclesia agnoscat.

Quartò, duodecim Apostolos apud Deum patronos adhibet, & Sanctum Jacobum Episcopum Hierosolymitanum, necnon Sanctum Paulum, extra eorum ordinem numerat.

Quintò, LXX. Discipulis quingentos socios adjungit, nescio qua auctoritate. Dixerit quispiam, Auctoritate S. Pauli 1. ad *Corinthios* xv. scribentis *Christum esse visum* post Resurrectionem suam *plusquàm quingentis fratribus.* Sed illos plusquàm quingentos fratres septuaginta Discipulorum socios fuisse non ait, nec verè propriéque dici potest, cùm septuaginta, non plusquam quingentos, binos & binos ante faciem suam Christum misisse, Evangelium commemoret. Præterea verisimile est LXX. Discipulos ex illorum plusquam quingentorum fratrum numero fuisse, quibus Christum redivivum apparuisse S. Paulus scribit. Non videtur ergo quòd S. Matthæus in Liturgia, si quàm scripsisset, quingentos socios septuaginta Discipulis adjunxisset.

Sextò, memoriam agit Evangelistarum, quorum Matthæus ipse unus est.

Septimò, sacras Synodos, Nicænam, Constantinopolitanam, & Ephesinam recenset, sanctósque Athanasium, Se Gregorium, Basilium, Cyrillum, Chrysostomum, tribus sæculis ab Apostolorum ætate disjunctos.

Octavò

Octavò, post istos, fit memoria Pontificum, inter quos numerantur Matthæus, Gabriel, Bartholomæus, Isaac, & Marcus.

Nonò, monetur Sacerdos ut declaret Epactam, Aureum Numerum, Mobilia & Immobilia Festa; quæ temporibus Apostolicis non conveniunt.

Decimò, anathema dicitur eis, *qui non credunt in Sanctam Mariam Virginem*: cùm solus Deus sit objectum fidei nostræ.

Undecimò, habetur hymnus *ter Sanctus*, multis post Apostolicam ætatem sæculis in Ecclesia cantari cœptus.

Duodecimò, nominatur hac in Liturgia, *Rex Claudius, Princeps Archiepiscoporum Dominus Gabriel, & Caput patria venerandus Archiepiscopus Marcus*. Theatricæ proculdubio personæ, si ad Apostolica tempora referantur.

Decimo-tertiò, habetur in ea Symbolum Nicænum, cum additione, *Filióque*: ex qua colligitur ipsam fuisse posterioribus Ecclesiæ sæculis ab homine Latino fabricatam.

Decimo-quartò, *Urielis* ignoti in Ecclesia Angeli nomen celebrat. Ex quibus omnibus constat hancce Liturgiam nec S. Matthæi Opus esse, nec probati Scriptoris Ecclesiastici, nec admodum antiquam.

Denique has omnes Liturgias supposititias esse probat insignis *Sancti Basilii* locus, libro *de Spiritu Sancto* cap. XXVII. preces quæ in Eucharistiæ consecratione recitantur, ad Traditionem non scriptam referentis. *Invocationis verba*, inquit, *cùm conficitur Panis Eucharistiæ, & Poculum benedictionis, quis Sanctorum in scripto nobis reliquit? Nec enim his contenti sumus quæ commemorat Apostolus aut Evangelium, verùm alia quoque & ante & post dicimus, tamquam multùm habentia momenti ad Mysterium, quæ ex Traditione citra scriptum accepimus.*

Idem confirmat primævæ Liturgiæ simplicitas, ex Apologia *S. Justini* pro Christianis comprobata, necnon ex *S. Gregorio* libro VII. Epistola LXIII. ad *Joannem Syracusanum* scribente: *Mos Apostolorum fuit, ut ad ipsam solummodò Orationem* (Dominicam) *oblationis Hostiam consecrarent.*

*Sanctus Justinus* ait, Christianos die Dominica ad Liturgiæ celebrationem convenire solitos: Liturgia verò quæ *S. Jacobi* nomine inscribitur, singulis diebus. *Atque id fit*, inquit, *singulis diebus in sacra Missa*. Ex Actis quidem Apostolorum colligitur, Christianos per hebdomadam aliâ quàm Dominicâ die congregatos, sed tamen certum est sacram Synaxim singulis diebus non fuisse celebratam.

## ARTICULUS IV.

### *De Actis Sancti Pauli & Sanctæ Theclæ.*

ACTA THECLÆ & PAULI apocrypha esse & conficta testatur Eusebius lib. 3. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 3. ubi de scriptis Sancti Pauli agens, hæc habet: *Illa quæ ejus Acta vocantur, in Scripturarum illarum numero, de quibus nulla est omninò dubitatio, habita esse, non equidem accepi.*

Secundò, Gelasius in Concilio Romano, *Acta Theclæ & Pauli apocrypha* pronuntiavit.

Tertiò, Sanctus Hieronymus in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum in *Luca*, ait: *Periodos Pauli & Theclæ, & totam Leonis baptizati fabulam, inter apocryphas Scripturas computamus. Quale enim est, ut individuus comes Apostoli inter cæteras ejus res hoc solum ignoraverit? Sed & Tertullianus vicinus eorum temporum, refert Presbyterum quemdam in Asia convictum apud Joannem, quòd Auctor esset libri, & confessum se hoc Pauli amore fecisse, & ob id excidisse.*

Objicies, Sanctorum Patrum plurimos Theclæ, & Passionis ejus meminisse, & multa memorare quæ in Actis illis habentur; scilicet Sanctum Gregorium Nyssenum, Oratione 14. in Cantica, S. Epiphanium Hæresi 78. S. Chrysostomum Homilia 25. in Acta, & Homilia 22. ad Populum Antiochenum, Sanctum Ambrosium lib. 2. de Virginibus, & alios: Præterea Sanctus Basilius Seleuciensis Episcopus duos libros conscripsit, *de Rebus gestis Sanctæ Apostolæ ac Protomartyris Theclæ*, in quibus eadem recensentur, quæ in Actis Theclæ & Pauli exarata sunt. Ergo Acta illa non sunt rejicienda.

Respondeo, non rectè colligi Acta illa genuina esse, quòd Patres nonnulli aliquam narrationem ex illis usurpaverint, maximè in Homiliis & Orationibus, quas ad populi mores informandos declamaverunt.

Respondeo secundò, horum Actorum consarcinatorem ex laudatis Patribus forsan plurima deflorasse, quæ illius adornando figmento serviebant: non verò Patres ex hujusmodi Actis illa hausisse.

Respondeo tertiò, his omnibus Ecclesiæ authoritatem, apocryphorum notam ipsis inurentis, esse anteponendam; necnon antiquiorum, vel doctiorum hominum judicia, scilicet Tertulliani, Eusebii & Hieronymi.

Respondeo quartò, nos minimè inficiari Theclam vixisse Sancti Pauli temporibus, ab Apostolo conversam, sponsum reliquisse, martyrium subiisse, & si quæ sunt istius generis, quæ à Sanctis Patribus celebrantur (quòd in nostra Synopsi innuimus) sed non admittimus propterea Acta Pauli & Theclæ, & commenta quibus infarta sunt.

Quod spectat libros Sancti Basilii Seleuciensis de Gestis Sanctæ Theclæ, respondeo illos Basilii non esse, & à Petro Pantino, Tiletano, Decano Bruxellensi, non multis abhinc annis primùm editos ex Codicibus non satis probatis. Sanè Basilii non esse, colligitur ex Photio in Bibliotheca, Codice 168. ubi de Basilii Seleuciensis Scriptis agens, ait: *Idem verò Basilius ille est, qui primæ Martyris Theclæ præclarè gesta & certamina, atque victorias, metris prosequitur.* Porro non metro, sed solutâ oratione conscripti sunt libri quos edidit Petrus Pantinus: non sunt igitur Basilii Seleuciensis. Videntur porro esse ipsa Acta quæ Gelasius Pontifex proscripsit, & quæ Sanctus Hieronymus post Tertullianum consorio stigmate inussit. Nam ibi Theclæ prædicatione, Tryphæna, & numerosissima ejus familia scribitur conversa ad fidem, & baptismo tincta, quod in supposititiis Theclæ & Pauli Actis Tertullianus notavit lib. de Baptismo cap. 17. his verbis: *Quod si quæ Paulo perperam adscripta sunt, ad licentiam mulierum docendi, tingendique defendunt; sciant in Asia Presbyterum, qui eam Scripturam construxit, quasi titulo Pauli de suo cumulans, convictum, atque confessum id se amore Pauli fecisse, loco decessisse. Quàm enim fidei proximum videretur, ut is docendi & tingendi daret fœminæ potestatem, qui ne discere quidem constanter mulieri permisit. Taceant*, inquit, *& domi maritos suos consulant.* (1. ad Corinthios 14.)

Denique quòd Thecla jam à Paulo in Christiana Religione instituta, jamque multis certaminibus pro fide susceptis clara, tonso capite, & virili veste induta ipsum adierit: quòd pro Falconilla, quæ infidelis obierat, adeoque inferni pœnis erat addicta, preces fuderit: quòd Thecla ipsa mortua non sit, sed viva subsidens, in terram ingressa: quæ, Deo ita volente, se illi aperuit eo in loco, quo sacra Liturgiæ Mensa constructa est, & alia

istius generis, redolent potiùs calamum & ingenium nugacis alicujus Scriptoris, qui vetera Acta Theclæ & Pauli dudum proscripta, eruit è tenebris, quibus damnata erant, & Basilii nomine inscripsetit, quàm ipsius Basilii ingenium stylúmque referant. In his enim libris non promicat, *figurata illa, atque incitata oratio*; non *genus illud dicendi tropologicum, perspicuitatem, atque suavitatem retinens*; non *accelerata membra atque periodi*: qui Basiliani styli caracteres sunt à Photio descripti.

Respondeo secundò, quòd etsi horum librorum Author esset Basilius Seleuciensis, non inde colligi deberet Acta Pauli & Theclæ genuina esse; sed accuratum criterium defuisse Basilio tot fabulas obtrudenti.

## ARTICULUS V.

### *De Epistolis Sancti Pauli ad Senecam, & Senecæ ad Paulum.*

Licet Epistolas ad Senecam, & Senecæ ad Paulum, quæ nunc extant, & quas refert Sixtus noster Senensis lib. 2. Bibliothecæ Sanctæ, genuinas esse non contendam, imò suspectas habeam cum viris eruditis; quòd nec Pauli, nec Senecæ stylum referant; quodque illa in qua de Neroniano Urbis incendio ad Paulum scribit Seneca, manifestæ arguatur falsitatis, ex Authoribus Historiæ Romanæ, ut Baronius Tom. 1. Annalium ad annum Christi 66. annotavit: licèt Passio Pauli Lino adscripta non me movest ut quasdam Epistolas à Seneca datas ad Paulum, & alias à Paulo scriptas ad Senecam existimem: quia Acta illa Passionis Pauli non ignoro nomine Lini conficta fuisse: tamen inficiari non ausim Senecam quasdam ad Sanctum Paulum Epistolas dedisse, & Paulum vicissim quasdam scripsisse ad Senecam.

Id ut asseram, adducor authoritate Sanctorum Doctorum Hieronymi & Augustini, cui majorem opponet hac in parte nemo. Sanctus Hieronymus porro in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum in *Seneca*, hæc habet: *Lucius Annæus Seneca Cordubensis, Sotionis Stoici discipulus, & Patruus Lucani Poëta, continentissima vita fuit: quem non ponerem in Catalogo Sanctorum, nisi me illa Epistola provocarent, quæ leguntur à plurimis, Pauli ad Senecam, & Seneca ad Paulum. In quibus, cùm esset Neronis Magister, & illius temporis potentissimus, optare se dicit, ejus esse loci apud suos, cujus sit Paulus apud Christianos.*

De his verò Sanctus Augustinus Epistola 54. ad Macedonium datâ, scribit: *Meritò ait Seneca (qui temporibus Apostolorum fuit, cujus etiam quadam ad Paulum Apostolum leguntur Epistola;) Omnes odit, qui malos odit.*

Objicies. Sanctus Augustinus lib. 6. de Civitate Dei cap. 11. ait Senecam nusquam Christianos commemorasse, *Ne vel laudaret, contra sua patria veterem consuetudinem, vel reprehenderet contra propriam forsitan voluntatem.* Atqui Christianorum meminisset Seneca, si scripsisset ad Sanctum Paulum: nullas igitur ad ipsum dedit Epistolas.

Respondeo, distinguo Minorem. Christianorum meminisset in privatis Epistolis ad Paulum datis, concedo; in Epistolis ad Ethnicos scriptis, vel in aliis Operibus, nego. Igitur non meminit Christianorum Seneca, nisi in privatis illis Epistolis; quia licèt erga ipsos ipsorumque religionem optimè affectus esset, quòd Philosophiam suam cum Christianæ Religionis institutis videret ut plurimùm convenire, (unde Tertullianus ait lib. de Anima, *Seneca sæpe noster:*) tamen Christo nomen non dedit; neque suam illam de Christianis existimationem iis scriptis commendare voluit, quæ lucem aspectura essent, ne invidiam Neronis ac Romanorum in se acccoderet.

Objecies secundò. Si Sanctus Paulus Epistolas aliquas scripsisset ad Senecam, illæ essent Canonicæ: atqui non sunt Canonicæ; ergo nec sunt Sancti Pauli.

Respondeo, nego Majorem. Non enim Canonica sunt quæcunque scripta sunt ab Authoribus sacris, nisi in arcem Canonicæ authoritatis ab Ecclesia suscepta sint. Notum est illud Sancti Augustini lib. contra Epistolam Manichæi cap. 5. *Evangelio non crederem, nisi me Catholica Ecclesia commoveret authoritas.* Cùm itaque agnoverit Ecclesia Epistolas Pauli ad Senecam singulari Spiritûs Sancti afflatu scriptas non fuisse, nec eas de fidei nostræ dogmatibus, aut de præceptis morum Christianos universim spectantibus agere, sed esse meros urbanitatis Apostolicæ fœtus, & litteras privatas ad virum clarissimum & doctissimum datas; ipsi visum est eas non esse referendas in Canonem.

## ARTICULUS VI.

### *De Epistola S. Pauli ad Laodicenses.*

Marcionem titulum Epistolæ Sancti Pauli ad Ephesios interpolasse, & eam inscripsisse ad Laodiccoses, testis est Tertullianus lib. 5. contra Marcionem cap. 17. Testis est & S. Epiphanius Hæresi 42. *Neque enim*, inquit, *infelici Marcioni visum est ex Epistola ad Ephesios authoritatem illam afferre: sed ex eâ ad Laodicenos, qua nusquam apud Apostolum cernitur.* Sixtus noster Senensis lib. 2. Bibliothecæ Sanctæ in *Paulo*, describit exemplar illius ad Laodiccoses Epistolæ, ex vetusto Codice M S. Hîc quærimus an genuina sit, an supposititia, & apocrypha.

Respondeo, Epistolam ad Laodicenses S. Paulo adscriptam, supposititiam esse & apocrypham. Hæc censura nititur Ecclesiæ authoritate, quæ quatuordecim duntaxat Epistolas Pauli admittit, quas inter nulla occurrit ad Laodicenses. 2. Authoritate Sanctorum Patrum, qui nunquam eam citarunt. 3. Testimonio Sancti Hieronymi in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum, ubi recensitis Sancti Pauli Epistolis, subjungit, *Legunt quidam & ad Laodicenses, sed ab omnibus exploditur.*

Objicies verba Sancti Pauli in Epistolà ad Collossenses, cap. 4. scribentis: *Et cum perlecta fuerit apud vos Epistola, facite ut etiam in Laodicensium Ecclesia recitetur, & eam qua scripta est Laodiceæ, ut vos quoque legatis.* Ex quibus colligitur Sanctum Paulum scripsisse ad Laodicenses.

Respondeo, his verbis non intelligi Epistolam quam Sanctus Paulus ad Laodicenses dederit, sed quæ ad Paulum ipsum scripta sit ex Laodicea. Ita hunc locum interpretatur Theodoretus in Epistolam ad Colosseoses cap. 4. *Quidam*, inquit, *existimarunt ipsum* (Paulum) *etiam scripsisse ad Laodicenses, Itaque fictam etiam Epistolam proferunt. Divinus autem Apostolus non dixerit eam qua est ad Laodicenses, sed eam qua est ex Laodicea. Illi enim de aliquibus rebus ad eum scripserant. Verisimile est autem eos vel ea accusasse, qua Colossis falsa fuerant, vel eodem cum his morbo laborasse. Et ideo dixit hanc quoque Epistolam eis esse legendam.* Idem notat Sanctus Chrysostomus Homilia 12. in Epistolam ad Colossenses.

Objicies, Philastrium innuere Epistolam Pauli ad Laodiccoses ideo tantùm non legi in Ecclesia, quia fuit adulterata; ergo censet Sanctum Paulum revera ad Laodicenses scripsisse.

Respondeo,

Respondeo, Philastrium, non suo, sed Hæreticorum nomine, hæc referre, qui nequidem Paulo, sed Lucæ eam adscribebant. *Alii autem*, inquit cap. 41. *Lucæ Evangelistæ aiunt Epistolam, etiam ad Laodicenses scriptam. Et quia addiderunt in ea quædam non bene sentientes, inde non legitur in Ecclesia: & si legitur à quibusdam, non tamen legitur à populo.*

Objicies Sanctum Thomam Lectione 1. in cap. 4. Epistolæ ad Colossenses asserentem S. Paulum *scripsisse alias Epistolas*, scilicet, *illam de qua fit mentio hic, scilicet Laodicensium, & unam aliam ad Corinthios, præter primam & secundam.... Sed ratio est duplex quare non sunt in Canone, quia non constabat de earum authoritate, quia fortè erant depravatæ, & perierant in Ecclesiis, vel quia non continebant aliud quàm ista.*

Respondeo, nobis satis esse quòd Epistola ad Laodicenses apocrypha sit ac supposititia, prout circumfertur, vel prout extabat antiquitus; an autem aliam quandam ad ipsos Epistolam dederit, necne, res non tanti momenti est. Non dedisse, longè videtur probabilius ex Theodoreto & Sancto Chrysostomo, quos sibi subreponi passus esset Sanctus Thomas. Sensit quidem Angelicus Doctor datam esse à S. Paulo ad Laodicenses Epistolam: at unde istud habuerit, nescio. Doceat me qui noverit, amabo. Vir quidam eruditus existimat eam, quæ ad Ephesios inscribitur, Epistolam, uno eodemque tenore simul, & ad Laodicenses scriptam esse. In Antiquis enim nonnullis Codicibus, ut ex Sancti Basilii libro adversùs Eunomium, & S. Hieronymi Commentario constat, inscriptam fuisse, *Sanctis qui sunt... & Fidelibus in Christo Jesu.* Sicque Ephesum primò ut præcipuam Asiæ Metropolim missam esse; transmittendam inde ad cæteras, interiectis singulorum nominibus, ejusdem Provinciæ Ecclesias. Unde Marcionem adeo coarguendum non fuisse, quòd Epistolam illam velut ad Laodicenses datam laudaret, nisi ipsam interpolasset.

## ARTICULUS VII.

### *De Prochoro, Lino, & Abdia Babylonio*

I. PROCHORUS unus è septem Diaconis fertur discipulus fuisse Sancti Joannis Evangelistæ, & ejusdem Amanuensis. Extat sub ejus nomine Historia de vita, miraculis & assumtione Sancti Joannis Tom. VII. Bibliothecæ Patrum Editionis Parisiensis: sed rectè monet Censura Magistri sacri Palatii ibidem juncta, hanc Historiam *falsò adscriptam sancto Prochoro Diacono de septem primis, & esse apocrypham, fabulosam, prorsusque indignam quæ legatur.* Nonne enimverò Apostolo indignum est in Christi amore tam constanti, quod ipsi affingit: illum, cùm Asia ipsi Evangelio imbuenda sorte obtigisset, ægrè id tulisse, & propterea fuisse reprehensum à Sancto Petro: subindèque cùm mare conscendisset, tempestate jactatum? Id autem scribit Author ille nugivendus cap. 1.

Nonne etiam evidenter falsum est quod scribit cap. 46. S. Joannem Evangelium edidisse suum in Pathmo insula, cùm Eusebius & sanctus Hieronymus asserant ipsum in Asia illud scripsisse, ex exilio reducem, & sub extremum tempus vitæ suæ? Lege Sanctum Hieronymum in Catologo Scriptorum Ecclesiasticorum in *Joanne*, & Eusebium lib. 3. Historiæ Ecclesiasticæ.

Nonne æquè falsum est quod scribit cap. 11. Fideles Joanni statim atque è dolio ferventis olei illæsus exivit, Ecclesiam erexisse, & ejus nomine consecrasse ante Portam Latinam? Scilicet id passus esset Domitianus! id tulisset Senatus Populusque Romanus! id Sacerdotes Ethnici permisissent! id non prohibuisset Joannis humilitas!

Denique ejusdem furfuris est, quod narrat cap. 2. Joannem, & Prochorum ipsum, Romæ à Balneatrice conductos, operas ei suas locasse, & Joannem quidem fuisse incensorem fornacis, Prochorum verò infusorem aquæ. Apage nugas.

II. LINUS primus post Sanctum Petrum Romanæ Ecclesiæ Pontifex, ille ipse est, cujus nomine S. Paulus Timotheum in posteriore ad ipsum Epistola salutat. Circumferuntur duo libri nomen ejus præferentes Tom. VII. Bibliothecæ Patrum Parisiensis. Primus inscribitur, *Historia Passionis Sancti Petri*, alter, *Historia Passionis Sancti Pauli*. Ambo *sunt pseudepigraphi, multos errores continent, nec ullius censetur authoritatis, ut jam, eruditorum consensu, nimis exploratum habetur*; inquit Censura illis præfixa. Et revera quis credat, contra totius antiquitatis fidem, S. Petrum ab Agrippa Urbis Præfecto, invito Nerone, interfectum; & ob id fictitium illum Præfectum in ordinem redactum esse? Quis sibi persuadeat Petrum Xandippem Albini uxorem à viri sui consortio & thoro, contra præceptum Evangelicæ legis abstraxisse? At hæc & alia non minus absurda habet Pseudo-Linus.

III. ABDIAS (ut nonnulli volunt) Apostolorum discipulus, & ab iis primus Babyloniorum Episcopus ordinatus, fertur scripsisse Vitas Apostolorum, Hebraico quidem idiomate, quas Eutropius Abdiæ discipulus transtulerit ex Hebræo in Græcum; Julius verò Africanus Latinitate donaverit. Id asseruerunt Jacobus Genuensis Archiepiscopus lib. Annuarum Solemnitatum, & Petrus Episcopus Equilinus lib. 9. Catalogi Sanctorum. Sed nemo non videt quantùm aberraverint, qui Julium Africanum Græcè scripsisse non Latinè, minimè animadverterunt; nec Sanctum Hieronymum hujusmodi lucubrationem, inter Opera ipsius recensuisse. Accedit, hujus Authoris, hujusque Operis nullam haberi omnino apud Antiquos memoriam, quod suppositionis evidentissimum argumentum est. Sed quamvis eloquentissimum sit Veterum hac in causa silentium, id altiùs clamant mendacia & nugæ quibus refertum est istud Opus. Citat namque Clementem, Hegesippum, & Julium Africanum; & nihilominus se Christum in carne vidisse gloriatur. 2. Septuaginta quinque Ecclesias una in Provincia extructas mentitur; cùm nec Apostolicis temporibus nec multò post, sævientibus Ethnicorum Imperatorum in religionem Christianam persecutionibus, ulla templa fuerint, à Christianis extructa, sed sacri conventus ab iis, privatis in ædibus, & subterraneis plerumque locis, celebrarentur. Multa alia mendacia, vel absurda notarunt viri Criticæ periti. Denique cùm libri decem de Historia certaminis Apostolici, sub Abdiæ Babylonii nomine, ex Germania prodiissent, eos Paulus IV. Pontifex Maximus explosit, damnavitque, ut testatur Sixtus noster Senensis lib. 2. Bibliothecæ Sanctæ.

## ARTICULUS VIII.

### *De Epistola Sancti Barnabæ.*

JOSEPH Levites, genere Cyprius, unus ex LXX. Discipulis Domini, cum Sancto Paulo Gentium Apostolus ordinatus, cognomen Barnabæ ab Apostolis tulit, quod idem est ac *Filius consolationis, & exhortationis*, ut notat Sanctus Joannes Chrysostomus Homilia 21. in Acta, & *à virtute nomen assumpsit, quòd ad illud aptus esset ac idoneus* (inquit idem Pater.)

Sub nomine ipsius fertur Epistola primùm edita à viris doctissimis Hugone Menardo, & Isaaco Vossio; deinde à viro clarissimo & multæ lectionis atque doctrinæ, Joanne Baptista Cotelerio, inter Opera Patrum, qui temporibus Apostolicis floruerunt, Tom. I. An sit apocrypha, vel genuina, impræsentiarum quærimus.

Respondeo esse apocrypham & supposititiam. Ita S. Hieronymus in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum in *Barnaba*, ubi de hacce Epistola ait: *Inter apocryphas Scripturas legitur.* Et lib. 13. Commentarii in Ezechielem ad vers. 19. cap. 43. *Vitulum autem*, inquit, *qui pro nobis immolatus est, & multa Scripturarum loca, & præcipuè Barnabæ Epistola, quæ habetur inter apocryphas, nominat.* Et ante Sanctum Hieronymum Eusebius lib. 3. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 19. istud tulit judicium: *Inter Scripturas autem, quæ falsò inscriptæ, minimèque germanæ dicuntur, Pauli Acta numerantur, & liber qui vocatur Pastor, & Epistola nomine Barnabæ edita, & quæ dicitur Doctrina Apostolorum.*

Secundò. Si hæc Epistola esset Barnabæ, recepta esset ab Ecclesia; hæc enim consecutio optima est. Unde Sanctus Augustinus lib. 1. contra Adversarium Legis & Prophetarum, cap. 20. ut apocrypha sub nominibus Andreæ, Joannisque scripta exsibilet atque explodat, hoc argumento nititur: *Si illorum essent, recepta essent ab Ecclesia.* Cùm igitur Epistola Barnabæ jamdudum inter apocryphas Scripturas recensita sit, dubium esse non debet quin sit illegitimus fœtus.

Tertiò, Apocrypha bifariam sumuntur (ut legentibus Romanam sub Gelasio Synodum perspicuum est) vel pro pseudepigraphis, & quorum secreti Authores atque incogniti: vel pro iis quæ notam aliquam merentur erroris aut impietatis, ideoque abscondi debent & ignorari, nec in publica versari Ecclesiæ luce, sicut libri Canonici Scripturarum, vel Tractatus Ecclesiastici Sanctorum Patrum, qui inoffenso pede decurri queunt. Atqui Sanctus Hieronymus & Eusebius non amandant Epistolam Barnabæ ad apocryphas Scripturas, quia notam aliquam erroris aut impietatis mereatur: quinimò testatur Sanctus Hieronymus illam, *ad ædificationem Ecclesiarum pertinere.* Ergo censent illam apocrypham esse, quòd sit pseudepigrapha, & Sancto Barnabæ supposita. Quod omnino confirmat notio apocryphorum tradita à Sancto Hieronymo Epistola 7. ad Lætam: *Apocrypha sciat non eorum esse, quorum titulis prænotantur.* Itaque cùm Sanctus Hieronymus hanc Epistolam compositam dicit à Sancto Barnaba, (in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum) titulum spectat Epistolæ, non rei veritatem: & statim innuit illegitimam se prolem illam suspicari, quam inter apocrypha recenset.

Quartò, vix credi potest, quòd adeo eximius Apostolus, tantoque Spiritûs Sancti & fidei lumine collustratus, ea scripserit quæ ista complectitur Epistola; coactas nimirum allegorias, enarrationes Scripturarum minùs verisimiles, fabulas de animalibus, ut illud quod tradit, *hyænam alternare sexum.* Cujus contrarium docent omnes rerum naturalium periti, nempe Aristoteles lib. de Generatione Animal. cap. 6. & lib. 6. de Historia Animal. cap. 32. Diodorus Siculus Histor. lib. 32. apud Photium in Biblioth. Cod. 244. Plinius lib. 8. Naturalis Historiæ. cap. 30. & lib. 28. cap. 8. quibus adde Clementem Alexandrinum lib. 2. Pædagogi. c. 10.

Non videtur etiam Barnabas rem tam evidenter falsam de Apostolis scripturus, quòd scilicet *essent iniquissimi hominum, quando vocavit eos Christus, & super omne peccatum peccatores.*

Supposita videtur hæc Epistola post excidium Hierosolymitanum, sed ante finem secundi sæculi: nam sub initium tertii citata non semel est à Clemente Alexandrino. Sic enim ille lib. 2. Stromatum p. 373. Edit. Paris. *Meritò igitur Apostolus Barnabas ait: Ex ea parte, quam accepi, studui pauca ad vos mittere, ut cum fide vestra perfectam etiam habeatis cognitionem.*

Et p. 410. *Non mihi pluribus verbis opus est, si adduxero testem Apostolicum Barnabam (erat autem is ex LXX. Discipulis, & Pauli auditor) his verbis sic dicentem*, &c.

Hanc etiam Epistolam eodem sæculo laudavit Origenes libr. 3. de Principiis cap. 2. *Eadem quoque*, inquit, *Barnabas in Epistola sua declarans*, &c. Fuit igitur hæc Epistola maximo in pretio apud Veteres: & Stichometria Latina, seu Index librorum sacrorum, qui extat in duobus libris MSS. altero Christianissimi Regis, altero Monachorum Sancti Germani, collocat Barnabæ Epistolam, inter Epistolam Judæ, & Joannis Apocalypsim.

## ARTICULUS I.

### *De Libro Pastoris.*

LIBER, qui vocatur PASTORIS, ab antiquis Patribus citatus interdum videtur ut sacra Scriptura. Sic Sanctus Irenæus lib. 4. adversùs Hæreses cap. 3. *Bene*, inquit, *pronuntiavit Scriptura, quæ dicit: Primò omnium crede, quoniam unus est Deus, qui omnia constituit, & consummavit, & fecit ex eo quod non erat, ut essent omnia; omnium capax, & qui à nemine capiatur.* Qui locus extat lib. 2. Pastoris, Mandato 1.

Eo numero & loco à nonnullis habitum fuisse suadent antiqui quidam Bibliorum Codices manu exarati, qui Pastorem quoque complectuntur, ut MS. Bibliothecæ Sancti Germani. Idem probant veteres Stichometriæ MSS. qualis ea est, quæ extat in eadem Bibliotheca, & in Regia.

Heterodoxi Critici librum illum exagitant ut Novatianorum & Pelagianorum fontem, ut Montanisticarum superstitionum gurgitem, insuperque fautorem Arianorum, ut fabulosum, ut, proh nefas! liberi arbitrii, solitudinis Monasticæ, necnon Purgatorii adstructorem; ut pseudepigraphum & suppositinum, & diversum ab ea lucubratione, quam ex Patribus nonnulli laudarunt. Quid sentiam, breviter expono.

Dico itaque primò Librum Pastoris non esse Canonicum. Hunc enim ex Canone Librorum sacrorum expunxit Gelasius in Concilio Romano, his verbis: *Liber, qui appellatur Pastoris, apocryphus.*

Idem constat ex Eusebio libr. 3. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 3. *Et quoniam*, inquit, *Apostolus ipse, in salutationibus, quas extremæ Epistolæ ad Romanos perscriptæ attexit, inter alios etiam Hermæ cujusdam, cujus Opus esse ferunt, qui Pastoris libellus inscribitur, mentionem facit; intelligendum est justum: tametsi in quæstionem à nonnullis vocatur, ac propterea Scripturis omnium assensu approbatis nullo modo annumerandus ducitur.*

Idem habemus ex Sancto Hieronymo in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum, in *Herma*, ubi de Libro Pastoris ait: *Apud Latinos penè ignotus est.* Et in Prologo Galeato: *Igitur*, inquit, *Sapientia, quæ Salomonis inscribitur, & Jesu filii Sirach liber, & Judith, & Tobias, & Pastor, non sunt in Canone.* Quæ sententia Sancti Hieronymi licèt vera non sit de cæteris libris ibi nominatis, nisi intellexerit duntaxat non esse Protocanonicos: vera tamen est de

Libro

Libro Pastoris. Unde porro habemus veram esse quoad posteriorem illum, non quoad priores? Ex Ecclesiæ judicio, quæ in Concilio Carthaginensi III. approbato à Sede Apostolica per Leonem IV. (ut habetur in Decreto Dist. 20. cap. *De Libellis*) & oraculo Innocentii I. Epistola 3. ad Exuperium Tolosanum Episcopum datâ; & Decreto Synodi Romanæ, Gelasiique I. Pontificis etiam Maximi, necnon secutorum Conciliorum, præsertim Tridentini, memoratos libros in Canonem sacratum Scripturarum retulit, in quo vel prætermisit Librum Pastoris, vel disertè ad apocrypha amandavit. Denique idem Hieronymus libr. 2. Commentariorum in Oseæ, ad cap. 7. citat librum Pastoris, ut Opus cujus non sit necessariò recipienda authoritas, adeoque ut minimè Canonicum. *Unde*, inquit, *& in Libro Pastoris, si cui tamen placet illius recipere lectionem, Herma primùm videtur Ecclesia cano capite, deinde adolescentula, & sponsa crinibus adornata.* Quæ verba extant lib. 1. Pastoris, Visione 1.

Idem indicavit ante Hieronymum & Eusebium Origenes lib. 4. de Principiis, in Philocaliæ cap. 1. dicens: *Quare hoc nos in libro vulgaris apud aliquos pretii, qui Pastor inscribitur: quod datum esset Hermæ negotium, ut duos libros scriberet, ipseque postea Senioribus Ecclesiæ annuntiaret quæ à spiritu didicerat, de eo sic differimus*, &c.

Dico secundò, Librum Pastoris esse librum Ecclesiasticum, optimæ notæ, & Ecclesiæ utilem. Id suadet primò Sancti Athanasii authoritas, lib. de Incarnatione Verbi, dicentis: *Sed enim divina doctrina, & Christiana fides ait, per Moysen quidem*, &c. *per utilissimum verò Pastoris Librum: Primùm omnium credo quòd unus est Deus, qui omnia creavit, & consummavit, & ex nihilo, ut essent, fecit.*

Idem constat ex Eusebio libr. 3. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 3. dicente, Librum Pastoris à multis *Pernecessarium, iis præsertim, qui jam primis fidei elementis imbuendi sunt, judicatum esse. Unde*, inquit, *hoc quidem tempore eum non modò in Ecclesiis palam pervulgatum, verùm etiam ejus testimonia à nonnullis veterum Scriptorum in suis libris citata animadvertimus.*

Idem confirmatur ex Sancto Hieronymo in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum, in *Herma*, ubi de Libro Pastoris ait: *Apud quasdam Græciæ Ecclesias etiam publicè legitur. Revera utilis liber, multique de eo Scriptorum veterum usurpaverunt testimonia.*

Objicies verba Sancti Hieronymi lib. 1. in Habacuc ad cap. 1. dicentis: *Ex quo liber ille apocryphus stultitiæ condemnandus est, in quo scriptum est, quemdam Angelum nomine Tyri præesse reptilibus.* Quod habetur libro 1. Pastoris Visione 4. Atqui liber apocryphus, & stultitiæ condemnandus, non est utilis: ergo, &c.

Respondeo, Sanctum Hieronymum retexuisse dictum illud per suum Catalogum Scriptorum Ecclesiasticorum, quem conscripsit post Commentaria in Habacuc, ut constat ex fine Catalogi, ubi Opera hactenus à se edita recenset.

Objicies secundò, Liber à Gelasio & Synodo Romana inter apocrypha amandatus, non est Ecclesiasticus, optimæ notæ, & Ecclesiæ utilis: sed Liber Pastoris à Gelasio & Synodo Romana inter apocrypha est amandatus; nemo igitur illum jure Ecclesiasticum & optimæ notæ duxerit.

Respondeo, distinguo Majorem: Si apocryphus dictus sit à Gelasio propter noxiam doctrinam, concedo: si ob eam duntaxat rationem quòd non sit Canonicus, nego. Gelasius autem non proscripsit Librum Pastoris ut apocryphum, quòd falsi esset nominis, aut noxiæ doctrinæ; sed quòd extra Canonem esset collocandus. Quòd autem inter libros Ecclesiasticos Pastorem Veteres disertè numeratint, testis est, Rufinus Expositione in Symbolum, dicens: *Alii libri sunt, qui non Canonici, sed Ecclesiastici à Majoribus appellati sunt, ut est Sapientia Salomonis, &c. in Novo verò Testamento liber qui dicitur Pastoris.*

Objicies tertiò Tertulliani authoritatem, Librum Pastoris sugillantis libr. de Pudicitia cap. 10. his verbis: *Sed cederem tibi, si scriptura Pastoris, quæ sola mœchos amat, divino instrumento meruisset incidi, si non ab omni Concilio Ecclesiarum etiam vestrarum inter apocrypha & falsa judicaretur, adultera & ipsa, & inde patrona sociorum. à qua & aliàs initiaris, cui ille si fortè patrocinabitur Pastor, quem in Calice depingis, prostitutorem & ipsum Christiani Sacramenti, meritò & ebrietatis idolum, & mœchiæ asylum post calicem subsecuturæ, de quo nihil libentiùs bibas, quàm ovem pœnitentiæ secundæ. At ego ejus Pastoris Scripturas haurio, qui non potest frangi.*

Respondeo, Tertullianum hoc in libro audiendum non esse, quem Montanista factus adversùs Ecclesiam conscripsit. Ex ejus verò verbis colligitur Catholicos authoritatem Pastoris Montanistis objecisse, ut mœchos ad pœnitentiam recipiendos evincerent, & potestatem dimittendi peccata vindicarent Ecclesiæ. Quod non leve est pro libro isto testimonium. Illum autem proferebant Catholici non ut canonicum, sed ut Ecclesiasticum, & optimæ notæ, ut jam monuimus. Cæterùm Tertullianus nondum Montanista, sed Catholicus, Librum Pastoris, cujus ipse sibi authoritatem objecerat, tantùm abest ut sugillet, quin potiùs reverenti expositione illustrat lib. de Oratione cap. 12. *Item*, inquit, *quòd assignatâ oratione assidendi mos est quibusdam, non perspicio rationem, nisi Hermas ille, cujus scriptura ferè Pastor inscribitur, transactâ oratione non super lectum assedisset, verùm aliud quid fecisset, id quoque ad observationem vindicaremus. Utique non. Simpliciter enim & nunc positum est, Cùm adorassem, & sedissem super lectum, ad ordinem narrationis non ad instar disciplinæ. Alioquin nusquam eris adorandum, nisi ubi fueris lectus.*

Objicies quartò verba Sancti Prosperi Cassianum notantis, quòd Pastoris Librum citasset, lib. contra Collatorem cap. 30. *Post illud autem*, inquit, *nullius authoritatis testimonium, quod disputationi suæ de libello Pastoris inseruit.*

Cassianus Collat. 13. c. 12.

Respondeo, non esse mirum quòd Prosper inter Latinos suos vivens, quibus penè ignotum fuisse Pastorem Sanctus Hieronymus refert, nullam authoritatem Operi ignorato tribueret.

Objicies quintò, hunc librum favere Novatianis, & unam duntaxat post Baptismum pœnitentiam admittere: unde qui Librum Pastoris edidit in Bibliotheca Patrum Parisiensi Tom. 5. sæpius ad marginem monet cautè legendum esse, quia Author *Novatianorum dogma probare videtur, vadit semper ad Novatiani errorem, hæret semper in eodem Novatianismo.* Ad Visionem 2. lib. 1. & ad Similitudinem 6. & 8. libri 3.

Respondeo falsò objici Novatianismum Libro Pastoris: nam illa omnia loca vel intelliguntur de iis qui voluntatem peccandi nunquam deponunt; vel id vult tantum Author, ægrè admodum pœnitentiam agere eos, qui eadem semper in peccata relabuntur. Certè si Pastoris Liber alteram post Baptismum pœnitentiam rejecisset, Catholici ejus authoritatem Montanistis non objecissent: & Tertullianus in lib. de Pudicitia hanc in ipsos retorsisset. Denique luculenta sunt & diserta Pastoris verba, ad alterius, etiam post Baptismum, pœnitentiæ commendationem citata à Clemente Alexandrino

lib. 2. Stromatum p. 385. *Annon tibi videtur, pœnitentiam agere, magnam sapientiam esse, quoniam qui pœnitentiam agit, sensum magnum adipiscitur? sentit enim se peccasse, & fecisse nequiter in conspectu Domini, & recordatur intellectu quod deliquit, & pœnitentiam agit, & amplius non operatur nequiter, sed operatur bene, & humiliat animam suam, & torquet eam quia peccavit. Vides ergo quod pœnitentia sensus est magnus.* Habentur autem hæc verba lib. 2. Mandato 4. non iisdem apicibus, sed eodem sensu à Clemente citata.

Quod autem addit Pastor, *Aliam pœnitentiam non esse, nisi illam, cùm in aquam descendimus*: intelligitur de pœnitentia quæ fiebat ante Baptismum, & cujus Baptismus sigillum & complementum erat, imò omnis virtutis illius fons & origo. Hæc enim una erat, sicut Baptismus unus est Hunc Pastoris sensum aperit ibidem Clemens Alexandrinus: *Eum ergo qui accepit remissionem peccatorum, non oportet amplius peccare, nempe in prima & sola peccatorum pœnitentia: ea autem fuerit eorum quæ prius fuerunt in gentili & prima vita: ea, inquam, quæ fuit in ignorantia. Jam iis qui vocati sunt proponitur pœnitentia expurgans locum animæ à peccatis, ut fides fundetur.* Et infrà, *Dedit cùm sit multa misericordia, iis etiam qui in fide incidunt in aliquod peccatum, secundam pœnitentiam: quam, si quis tentatus fuerit post vocationem, & coactus, & callide circumventus, unam adhuc non pœnitendam accipiat pœnitentiam.... Continue autem, & se invicem excipientes propter peccata pœnitentiæ, nihil differunt ab iis qui omnino non crediderunt, præterquam in eo solo quod se peccare senserunt.*

Tandem idem est sensus verborum Pastoris, qui verborum Pauli ad Hæbræos 6. *Impossibile est eos qui semel sunt illuminati, &c. rursùs renovari ad pœnitentiam.* Unde hi & similes loci movere nos non debent ut asseramus, quod compilator Bibliothecæ Patrum Editionis Parisiensis, Librum Pastoris hæresibus scatere; & quod alii è recentioribus Criticis scripserunt, violentas & corruptrices manus ipsi ab Hereticis fuisse illatas.

Dico tertiò, Authorem libri Pastoris esse Hermam, Sancti Pauli discipulum, cujus ipse meminit Epist. ad Romanos ultimo capite. Ita Eusebius loco suprà citato, & Sanctus Hieronymus in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum, in *Herma*. Non est igitur ejus author Hermes frater Pii Papæ I. Scriptor libri quo continebatur Mandatum Angeli visi in habitu Pastoris, de Paschate die Dominica celebrando. cujus meminit Author Pontificalis Damaso adscripti: quamvis illud asseruerint Poëta sub nomine Tertulliani latens, lib. 3. adversùs Marcionem, in fine; Fabricator Epistolarum Papæ Pii Epist. 2. Beda, Ado, & alii in Martyrologiis, & in Chronicis. Sed enim Pastoris Liber ignotus penè Latinis non fuisset, si fratrem Romani Pontificis habuisset authorem, imò Græcis minùs fuisset notus quàm Latinis. Cùm itaque Sanctus Hieronymus illum apud Latinos penè ignotum fuisse scribat, argumento est ipsum Hermetis illius fœtum non esse, qui centum annis post Hermam Apostolicum virum vixerit.

Liber Pastoris divisus est in tres partes, seu in tres libros totum Opus. Primus inscribitur, *Visiones*, secundus, *Mandata*, tertius, *Similitudines*. Habetur Tom. V. Biblioth. PP. Editionis Parisiensis. Ipsum etiam edidit inter Opera Patrum qui temporibus Apostolicis floruerunt, & notis doctissimis illustravit vir eruditus Joannes Baptista Cotelerius.

## ARTICULUS X.

### *De Passione Sancti Andreæ, ab Achaiæ Presbyteris conscripta.*

PRESBYTERI & Diaconi Ecclesiarum Achaïæ, paulò post medium primi sæculi, scripserunt ad universas Ecclesias Encyclicam Epistolam de Passione Sancti Andreæ Apostoli, cui præsentes interfuerant, anno Christi 59. Neronis Imperatoris 6. Hoc antiquitatis monumentum nobis eripere nituntur heterodoxi Critici, quia veritatem, & realem præsentiam Corporis Christi in Eucharistia disertè testatur his verbis: *Ego omnipotenti Deo, qui unus & verus est, immolo quotidie non taurorum carnes, nec hircorum sanguinem, sed immaculatum Agnum in altari, cujus carnem posteaquam omnis populus credentium manducaverit, Agnus, qui sacrificatus est, integer perseverat ac vivus.* Hoc monumentum quanquam Ecclesiæ necessarium non sit ad Catholicum istud dogma adstruendum, quod Scriptura & Traditio tota tam disertè, tantaque consensione confirmant, illud tamen nobis iniquè eripi non patiemur ab hostibus veritatis.

Dico igitur Acta Passionis Sancti Andreæ ab Achaïæ Presbyteris conscripta, genuina esse & sincera. Id authoritate Patrum, & Authorum Ecclesiasticorum, qui septingentis ab annis ad hæc usque tempora floruerunt, probatur. Quos inter mihi primùm occurrunt Etherius Uxamensis Episcopus, & Beatus Presbyter, qui anno 788. aut 89. contra Elipandi errorem scripserunt Ita enim habent lib. 1. p. 585. in Bibliotheca Patrum Parisiensi, Tom. IV. *Iste* (Christus) *est Agnus immaculatus, qui quotidie, ut beatus Andreas ait, in altare crucis sanctificatur: cujus carnes posteàquam omnis populus credentium manducaverit, & ejus sanguinem biberit, Agnus, qui sacrificatus est, integer perseverat, & vivus.*

Occurrit secundò, sub finem 9. sæculi Remigius Monachus Antisiodorensis, Commentario in Psalmum 21. ubi de Sacramento Eucharistiæ scribens, ait: *Quamvis hoc Sacramentum à pluribus accipiatur, non tamen, ut videtur, in partes est divisum, sed totum singulis est indivisum, Andrea Apostolo sic testante: Agnus, quanquam sacrificatus est, integer perseverat, & vivus.*

Tertiò, idem probatur authoritate Beati Petri Damiani Sermone 2. in Natali S. Andreæ, ubi de S. Apostolo ait: *Cujus Passio tanta spiritûs devotione distillat, ut mentes audientium adipe & pinguedine replere videatur: unde non immeritò in singularem authoritatis arcem suscepta est, quam qui viderunt, scripserunt orbi, & ministri fuere sermonis.*

Quartus testis accedit Beatus Wolphemus Abbas Bruvilerensis in Epistola ad Meginardum Abbatem Gladebacensem: *Hoc autem Corpus*, inquit, *post expletam more Catholico Communionem, sanum & incolume, vivum & integrum se recipit ad Patrem. Sic enim testatur Ecclesia Achaïa, Beatum Andream dicere: Postquam omnis populus credentium Agni carnes comederit, & sanguinem biberit*, &c.

Quintus hunc sequitur Lanfrancus Cantuariensis Archiepiscopus lib. de Corpore & Sanguine Domini: *Christus*, inquit, *resurgens ex mortuis, jam non moritur; sed, sicut dicit S. Andreas Apostolus, Cùm verò in terris carnes ejus sint comesta*, &c.

Sextus, Sanctus Bernardus Sermone 1. de S. Andrea: *Andreas*, inquit, *homo erat similis nobis, passibilis, & tam vehementi ardore spiritûs crucem sitiebat... O crux*, inquit, *diu desiderata, & jam concupiscenti*

*concupiscenti animo præparata! securus & gaudens venio ad te, ita & tu exultans suscipias me.... Amator, ait, tuus semper fui, & desideravi amplecti te.* Et infra: *Clamans magis affectione, quàm voce: Salve crux speciosa, quæ decorem, & pulchritudinem de membris Dominicis accepisti: salve crux, quæ in Corpore Christi dedicata es; & ex membris ejus tamquam margaritis ornata.* Quæ totidem verbis extant in Epistola Presbyterorum Achaiæ.

Septimus, Ivo Carnotensis Sermone de convenientia veteris & novi Sacrificii: *Ecce*, inquit, *ad memoriam veniunt verba B. Andreæ Apostoli, quibus asserit, & in cœlis esse Corpus Domini, & de altari posse sumi Corpus Domini, cujus carnes, cùm sint comesta*, &c.

Ultimò Ecclesia hæc Acta legit in Officio S. Andreæ, nec in iis aliquis notatur error. Cur igitur illa ab Hæreticis explodi pateremur? Num quòd Apostolum jussu Ægeæ funibus alligatum cruci tradant, ut velut in equuleo tenderetur, quem tamen clavis affixum longè sit probabilius, cùm sic figerentur omnes cruciarii? quasi verò singulari supplicii genere, vel in eodem genere potiùs, singulari modo occidi Andream non potuerit jubere exquisita Ægeæ crudelitas, ut diutius cruciaretur. Certè quòd biduò vivens in cruce penderit, argumento est eum funibus potiùs distentum, quàm suffixum clavis.

Nec rationabiliùs arguunt heterodoxi Critici, quòd noluerit Sanctus Andræas è cruce deponi, vel quòd illud memoret Presbyterorum Achaïæ Epistola: cùm Apostolum sibi ipsi fuisse mortis authorem, incredibile protsùs sit. Quasi verò sibi ipsi sit author mortis, qui suum pro Christo sanguinem fundere peroptat, & martyrii coronam amittere metuit. Certè si Christo improperare non possint quòd è cruce descendere noluerit, à Sancto Andreæ sanctitate ne putent alienum, quòd Deum precatus sit, ne è cruce solveretur ac demitteretur.

Ipsos etiam non juvat quod Baronius in Notis ad Martyrologium ad XXX. Novemb. scripsit, irrepsisse in hæc Acta Græcismum de Spiritu Sancto, quem dicunt *à Patre procedere, & in Filio permanere*: cur enim dissimulant quod idem Cardinalis addit, hæc verba in antiquis MSS. non reperiri, nec in editis à Mombritio Tom. 1. Vitæ Sanctorum?

Objicies, Acta Sancti Andreæ fuisse proscripta censuris Gelasii I. & Innocentii I. Romanorum Pontificum, ut constat ex Synodo Romana sub Gelasio, & ex Epistola 3. Innocentii ad Exuperium data. Addes ex Philastrio libro de Hæresibus, Numer. 40. Manichæos Andreæ Acta ab ejus discipulis conscripta corrupisse, adeoque non esse genuina quæ penes nos sunt, nec ullius planè fidei. Denique Sanctum Augustinum oppones lib. *de Fide contra Manichæos*, illa explodentem, cap. 38.

Respondeo, Acta S. Andreæ, quæ Gelasius & Innocentius inter apocrypha proscripserunt, esse illa *quæ à Xenocharide & Leonide Philosophis conscripta sunt*, ut ex Innocentio constat; non verò quæ à Presbyteris Achaïæ fuerunt posteritatis memoriæ commendata.

Philastrius non loquitur de Actis Passionis Sancti Andreæ, quæ propugnamus, sed de iis, quæ in itinere à Ponto in Græciam facta sunt, in quibus nulla mortis ejus, passionisve mentio. Nec verò quidquam apparet in Epistola Presbyterorum Achaïæ, quo Manichæismus stabiliri queat, quem in scopum illa, quæ Philastrius explodit, collineabant. Id constat ex Philastrii verbis: *Manichæi*, inquit, *apocrypha Beati Andreæ Apostoli admittebant; id est, Actus quos fecit veniens de Ponto in Græciam, quos conscripserunt tunc discipuli sequentes Apostolum. Unde & habent Manichæi, & alii tales Andreæ beati, & Joannis Actus Evangelistæ, Beati Petri similiter Apostoli, & Pauli pariter Apostoli, in quibus, quia signa fecerunt magna, & prodigia ut & pecudes, & canes, & bestiæ loquerentur, etiam & animas hominum tales, velut canum & pecudum similes imputaverunt esse hæretici perditi.*

Denique Sanctus Augustinus rejicit Acta Apostolorum à Leucio conficta, non Acta Passionis S. Andreæ ab Achaïæ Presbyteris & Diaconis conscripta. Sic enim alloquitur Manichæos Augustinus: *Attendite in Actibus Leucii, quos sub nomine Apostolorum scribit, qualia sint quæ accipitis de Maximilla uxore Egetis; quæ cum nollet marito debitum reddere, cùm Apostolus dixerit, Uxori vir debitum reddat, similiter & uxor viro: illa supposuerit marito suo ancillam suam, Eucliam nomine, exornans eam, sicut ibi scriptum est, adversariis lenociniis & fucationibus, & eam nocte pro se vicariam supponens, ut ille nesciens, cum ea tamquam cum uxore concumberet. Ibi etiam scriptum est, quòd cùm eadem Maximilla & Iphidamia simul essent ad audiendum Apostolum Andream, puerulus quidam speciosus, quem vult Leucius vel Deum, vel certè Angelum intelligi, commendaverit eos Andreæ Apostolo: & perrexerit ad Prætorium Egetis, & ingressus cubiculum earum, finxerit vocem muliebrem, quasi Maximillæ murmurantis de doloribus sexus fœminei, & Iphidamiæ respondentis. Quæ colloquia cùm audisset Egetes, credens eas ibi esse, discesserit. Quid ad hoc dicetis, rogo vos? Quare non timuit Maximilla per turpissimum lenocinium ancillæ suæ, ligare animas in carne?* Sanctus igitur Augustinus Acta S. Andreæ, quæ propugnamus, non explodit, cum in iis nihil legatur fabulis illis Manichaïcis simile, aut Manichæorum hæresi favens: nec illa sint à Leucio conscripta, sed à Presbyteris & Diaconis Achaïæ exarata.

## ARTICULUS XI.

### *De Sancti Martialis Epistolis.*

SANCTUS MARTIALIS unus fuit ex LXX Discipulis Christi, missus in Gallias primo Ecclesiæ sæculo, ubi Lemovicensem fundavit Ecclesiam. Ejus nomine duæ feruntur Epistolæ, quæ extant Tom. 3. Bibliothecæ Patrum Edit. Paris. una ad Burdegalenses, altera ad Tolosanos: de quarum fide impræsentiarum disceptamus; quærimusque an genuinæ sint.

Respondeo, illas Epistolas supposititias esse: primò, quia sacræ Scripturæ testimonia citant secundum S. Hieronymi Versionem; secundò, quia se Apostolum Christi nominat, quem titulum verus Martialis sibi non arrogasset, cùm tantùm esset Discipulus. Tertiò, quia Symbolum S. Athanasii a imitatur, & Processionem Spiritus Sancti similibus verbis exprimit, cap. 10. *Itaque Spiritus Domini non genitus, non factus, non creatus, sed procedens est à Patre & Verbo.* Quartò, istæ Epistolæ à nullo Authorum Ecclesiasticorum, sive qui primis nominis Christiani sæculis, sive qui media ætate floruerunt, sunt usquam laudatæ. Primùm emerserunt in lucem anno 1521. obstetricante Badio Ascensio: primùm inventæ sunt anno circiter M L X. (ut testatur Gaufridus, Prior Vosiensis, in Chronico) & erutæ ex Sacrario S. Petri Lemovicensis. Quintò, harum Epistolarum Author sibi nomen Cephæ tribuit: at nedum Apostolorum, sed & Discipulorum nemo nomen illud cum S. Petro Apostolorum Principe commune habuit: Hujus rei testis est S. Hieronymus lib. 1. Commentarii in Epistolam ad Galatas, ad cap. 2. *Sunt*, inquit, *qui Cepham, cui hic in faciem Paulus restitisse se scribit, non putent Apostolum Petrum, se alium de LXX.*

a Sive S. Athanasio adscriptum.

Discipulis

*Discipulis isto vocabulo nuncupatum: quibus primùm respondendum, alteriùs nescio cujus Cepha nescire nos nomen, nisi ejus qui & in Evangelio & in aliis Pauli Epistolis, & in hac quoque ipsa, modo Cephas, modo Petrus scribitur. Non quo aliud significaret Petrus, aliud Cephas; sed quod, quam nos Latinè & Græcè Petram vocamus, hanc Hebræi, & Syri, propter linguæ viciniam, Cepham nuncupent.*

Sextò, in Epistola ad Tolosanos cap. 13. dicit Authör, Se cum aliis Discipulis præsentem fuisse, cùm Christus Judæ proditori osculum dedit. *Nobis*, inquit, *trementibus & intuentibus.* Istud porro Evangelio repugnat, duodecim duntaxat Apostolos cum Christo in ultima Cœna discubuisse tradenti, nec LXX. aut aliquem ex illorum cœtu ibi adfuisse usquam memoranti. Lege 26. Matthæi caput, 22. Lucæ, & Marci 14.

Alias rationes falsi profert Bellarminus: sed ipsæ falsæ mihi videntur, ut quod ait Martialem missum non fuisse Lemovicas ante Decii & Grati Consulatum, adeoque hunc qui se cum Christo vixisse scribit, non esse verum Martialem Lemovicensis fundatorem Ecclesiæ. Hanc, inquam, rationem non admitto, quia tum Martialem, cùm alios viros Apostolicos primo sæculo Galliis nostris Evangelii lumen intulisse contendo, & singulari Dissertatione demonstrabo. Non probatur etiam mihi alia ratio falsi prolata à doctissimo Cardinali, quòd nulli ante Marci Antonini Imperium in Galliis Martyres occubuerint; adeoque fictitium sit Valeriæ, cujusdam, cujus Epistola ad Tolosanos meminit, martyrium. Nam primo pariter nominis Christiani sæculo Galliam nostram sanguine Martyrum irrigatam fuisse ostendemus.

In dictis tamen *Pseudo-Martialis* Epistolis nihil est fidei aut pietati adversum; imò ex his monumentis sacrosanctum Missæ Sacrificium, Signum Crucis, Sanctorum cultus, & alia Christianæ Catholicæque Religionis dogmata probari possent, si certum esset illa priorum sæculorum fœtus esse.

## ARTICULUS XII.

### *De Epistolis Sancti Clementis, & priorum Pontificum Romanorum, usque ad Siricium.*

SANCTUS CLEMENS, de quo Apostolus Paulus ad Philippenses 4. scribens, ait, *Cum Clemente & cæteris Adjutoribus meis, quorum nomina sunt in libro vitæ*, quartus fuit post Sanctum Petrum Romæ Episcopus. Multa sub ejus nomine feruntur Scripta; de solis Epistolis nunc agimus, easque revocamus ad examen, probaturi an genuinæ sint, an supposititiæ.

Dico primò, Epistolam Sancti Clementis ad Corinthios, quam publici primùm juris fecit vir clarissimus Patricius Junius ex Bibliotheca Serenissimi Magnæ Britanniæ Regis, anno 1633. cum fragmento Epistolæ secundæ ad eosdem, genuinum esse Sanctissimi Pontificis Opus.

Id probatur Veterum testimonio, qui multa ex illa citant, quæ in ea, quam habemus, totidem verbis leguntur.

Illam ut traditionis promptuarium citat S. Irenæus lib. 3. adversùs Hæreses cap. 3. *Sub hoc igitur Clemente*, inquit, *dissensione non modica inter eos qui Corinthi essent, fratres facta, scripsit, quæ est Romæ Ecclesia, potentissimas litteras Corinthiis ad pacem eos congregans, & reparans fidem eorum, & annuntians quam in recenti ab Apostolis receperant traditionem, annuntiantem unum Deum omnipotentem, factorem cæli & terræ, plasmatorem hominis, qui induxerit cataclysmum, & advocaverit Abraham, qui eduxerit populum de terra Ægypti, qui collocutus sit Moysi, qui Legem disposuerit, & Prophetas miserit, qui ignem præparaverit diabolo & Angelis ejus. Hunc Patrem Domini nostri Jesu Christi ab Ecclesiis annuntiari, ex ipsa Scriptura, qui velint, discere possunt; & Apostolicam Ecclesiæ traditionem intelligere, cùm sit vetustior Epistola his qui nunc falsò docent*, &c.

Origenes lib. 2. de Principiis cap. 3. eandem Epistolam citat his verbis: *Meminit sanè Clemens Apostolorum discipulus etiam eorum, quos* ἀντίχθονας *Græci nominant; atque illius partes orbis terræ, ad quas neque nostrorum quisquam accedere potest, neque ex illis, qui ibi sunt, quisquam transire ad nos, quos & ipsos mundos appellavit, cùm ait: Oceanus intransibilis est hominibus, & hi qui trans ipsum sunt mundi, qui his ejusdem dominatoris Dei dispositionibus gubernantur.* Habentur autem hæc verba cap. 20. Epistolæ 1. S. Clementis ad Corinthios.

Clemens Alexandrinus hanc ipsam Epistolam laudat lib. 1. Stromatum pag. 289. *Jam*, inquit, *Clemens in Epistola ad Corinthios, his verbis inquit, exponens differentiam eorum qui sunt probati in Ecclesia: Sit aliquis fidelis, sit potens in explicanda cognitione, sit sapiens in discretione sermonum, sit stupendus in operibus*, &c. Quæ verba habentur Epistola 1. cap. 48. Lege eundem lib. 4. pag. 516. & lib. 6. pag. 647. ubi pariter hanc Epistolam laudat, & illius verba recenset.

Eidem Epistolæ testimonium perhibet Eusebius lib. 3. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 12. *Cujus verò Clementis*, inquit, *una fertur esse Epistola omnium judicio approbata, illustris illa quidem, & digna planè admiratione, quam tanquam ex Romana Ecclesiæ persona ad Corinthiorum Ecclesiam tum quidem exaravit, cùm jam Corinthi gravis esset inflata seditio. Hanc sanè cùm Veterum, tum nostra ipsorum memoriâ, plurimis in Ecclesiis publicè lectam, usurpatamque cognovimus.* Et cap. 32. ait se, cùm omnes Pastores recensere non posset, qui in Ecclesiis per orbem dispersis proximè Sanctis Apostolis successerunt, eorum solùm nomina scriptis & memoriæ prodidisse, *quorum doctrina Apostolica* ad suum usque tempus *per commentarios & monumenta ab ipsis edita reservata est: ut Ignatii & Clementis, in ea Epistola, quæ est omnium consensu approbata, quam sub Romanæ Ecclesiæ persona ad Corinthiorum Ecclesiam exaravit.* Et lib. 4. cap. 22. recensens Epistolam S. Dionysii Corinthiorum Episcopi ad Romanos, ait: *In hac eadem Epistola, etiam Clementis ad Corinthios Epistolæ mentionem facit, declaratque ex pristino more ab antiquis temporibus repetito eam in Ecclesia legi solere. Sic enim loquitur: Hodie sacrum diem Dominicum celebravimus, in quo vestram Epistolam legimus; quam semper sicut etiam priorem nobis à Clemente missam, ad nostram institutionem legere solemus.*

Sanctus Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 18. Editionis Parisiensis, pag. 213. narrat Historiam Phœnicis ex Clementis Epistolæ 1. ad Corinthios cap. 25.

Sanctus Epiphanius Hæresi 27. num. 6. *Ita enim Clemens in quadam Epistola scripsit: Recedo, exeo, instet populus Dei.* Quæ leguntur laudatæ Epistolæ cap. 54.

Sanctus Hieronymus in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum in Clemente, *Scripsit*, inquit, *ex persona Romanæ Ecclesiæ, ad Ecclesiam Corinthiorum, valde utilem Epistolam, quæ & in nonnullis locis publicè legitur; quæ mihi videtur characteri Epistolæ, quæ sub Pauli nomine ad Hebræos fertur, convenire. Sed & multis de eadem Epistola non solùm sensibus, sed juxta verborum quoque ordinem abutitur*

*uelur : omnino grandis in utraque similitudo est.* At hi caracteres in Epistola prima Clementis ad Corinthios, quam præ manibus habemus facilè conspiciuntur. Illa itaque genuinum est Clementis Opus.

Idem lib. 14. Commentarii in Isaïam, ad cap. 52. *Clemens*, inquit, *vir Apostolicus, qui post Petrum Romanam rexit Ecclesiam, scribit ad Corinthios : Sceptrum Dei Dominus Jesus Christus, non venit in jactantia superbiæ, cùm possit omnia ; sed in humilitate.* Quæ habentur in Epistola I. Clementis cap. 16.

Photius in Bibliotheca Codice 113. recensens Opera Sancti Clementis Romani, ait : *Scripsit idem* B *magnifaciendam ad Corinthios Epistolam, quæ à plerisque tanto in pretio est habita adeoque laudata, ut etiam publicè legi soleret.* Et Codice 126. *Legi*, inquit, *libellum quo Clementis Epistolæ duæ ad Corinthios continebantur, quarum primâ ipsos accusat, quòd seditionibus, turbis, ac schismatis violarint, quam inter eos servari oportuerat, pacem concordiamque, hortaturque ab hoc malo temperare. Simplex ejus oratio est ac perspicua ad Ecclesiasticam, & inelaboratam accedens dicendi formam. Reprehendat verò hoc in illa quispiam, quod extra Oceanum mundos aliquos collocet. Deinde forte & illud, quòd Phœni-* C *cem avem unicam tanquam pro verissimo adhibet argumento : tertiò, quòd summum Sacerdotem, Præsidemque Dominum nostrum Jesum Christum appellans, ne illas quidem Deo convenientes, & sublimiores de eo voces pronuntiet, tametsi nec apertè ipsum ullibi in his blasphemet.* At plurium mundorum mentio, & exemplum Phœnicis, & illæ de Christo Jesu (ut Photio videtur) non satis magnificæ voces, inveniuntur in Epistola Clementis ad Corinthios, quam habemus. Illa igitur genuina est.

Sed quod reprehendi posse Photius notat in illa Epistola, nulli revera est reprehensioni obnoxium. D Nam de Christi divinitate ut explicatiùs scriberet, non postulabat argumentum Epistolæ ; & satis alioqui magnificè divinitatem illius prædicat, cùm omnium hominum Redemptorem dicit, quod mero homini convenire non potest. Sic enim habet cap. 7. *Fixis oculis respiciamus in sanguinem Christi, cernamusque quàm pretiosus Deo sit ejus sanguis, qui propter nostram salutem effusus, toti mundo pœnitentiæ gratiam obtulit.* Et cap. 12. de Rahab, cujus exploratores ab Jesu missi ad Jericuntem dixerunt, *Ut signum daret, nempe funiculum coccineum appenderet de domo sua*, ait : *Manifestum facientes,* E *quod per sanguinem Domini facturа esset redemptio universis credentibus, & sperantibus in Deum.*

Quòd verò Historiam Phœnicis protulerit Clemens ad Resurrectionis fidem illustrandam, nullam reprehensionem meretur. Alioqui arguendi erunt omnes Patres, qui receptissimum exemplum apud Ethnicos, adhibuerunt etiam ad Resurrectionem exponendam : quamvis vel Phœnix avis fictitia videri possit, vel fabulosa saltem quæ de ejus morte, & propriis ex cineribus reproductione vulgò dicuntur.

Denique mundos extra Oceanum impropriè plu- F res intellexit, dixitque Sanctus Clemens ; id est, regiones à nobis ita dissitas, ut ad eas vix nobis pateat aditus. Ita ipsum interpretatus est Origenes lib. 2. de *Principiis* cap. 3. *Ex his tamen*, inquit, *quæ Clemens visus est indicare, cùm dicit : Oceanus intransmeabilis est hominibus, & hi mundi qui post ipsum sunt : qui post ipsum sunt mundos pluraliter nominans, quos & eadem Dei summi providentiâ agi regique significat, semina quædam nobis hujusmodi intelligentiæ videtur aspergere, quò putetur omnis quidem universitas eorum quæ sunt atque subsistunt, cœlestium & supercœlestium, terrenorum, infernorumque*

A *unus & perfectus mundus generaliter dici : intra quem, vel à quo, cæteri, si qui illi sunt, putandi sunt contineri.*

Quæres, quando scripta fuerit illa Epistola ?

Respondeo, ipsam scriptam fuisse desinente persecutione Domitiani, circa primi sæculi finem. Subindicat enim capitibus 1. 5. & 6. aliam persecutionem ab illa prima Neronis. Post Neronem autem Domitianus, primus Christianos persecutus est. Præterea illud desinentis persecutionis tempus aptius fuit ad destinandos cum litteris quinque Legatos ad Corinthiorum Ecclesiam, qui in fine Epis- B tolæ nominantur.

Dico secundò, fragmentum Epistolæ secundæ S. Clementis ad Corinthios, quod habemus, genuinum esse. Ratio est, quia eædem in eo apparent antiquitatis notæ ; eadem iterum verba usurpantur, ac in priori Epistola. Eandem recenset Photius in Bibliotheca Codice 126. ubi postquam præmisit se legisse Clementis Epistolas duas ad Corinthios, & suum de prima judicium tulit, de secunda hæc subjungit : *Altera verò Epistola*, inquit, *& ipsa institutionem admonitionemque vitæ continet melioris : atque ipse mox initio Christum Deum prædicat, etsi* C *dicta quædam peregrina velut è Scriptura subinducit, quibus ne prima quidem Epistola omnino vacat.*

Sanctus etiam Epiphanius Hæresi XXX. num. 15. plurium S. Clementis Epistolarum meminit ; de Ebionitis enim ait : *Ipse Clemens omnibus illos modis redarguit in Epistolis circularibus, quas scripsit, quæque in sanctis Ecclesiis leguntur*, &c.

Objicies, Photium in Bibliotheca Codice 113. asserere, *Secundam Clementis ad Corinthios Epistolam, ut spuriam rejici.* Idem de illa judicium Sanctus Hieronymus tulerat in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum dicens : *Fertur & secunda ejus no-* D *mine Epistola, quæ à veteribus reprobatur.*

Respondeo, Photium & S. Hieronymum non loqui ex propria sententia, sed ad mentem Eusebii, qui illam Epistolam spuriam existimare visus est. Sed cùm suam, non Eusebii proponunt opinionem, hanc Epistolam seu genuinum opus agnoscunt, ut constat ex Photio loco mox citato ; & ex Sancto Hieronymo lib. 1. adversùs Jovinianum cap. XII. ubi de spiritualibus eunuchis hæc habet : *Ad hos & Clemens, successor Apostoli Petri, cujus Paulus Apostolus meminit, scribit Epistolas, omnemque penè sermonem suum de virginitatis puri-* E *tate contexuit.* Plures autem Clementis Epistolas non memoraret Sanctus Hieronymus, nisi secundam illam ad Corinthios, genuinum etiam illius fœtum agnosceret.

Dices, Eusebius testatur secundam Clementis ad Corinthios Epistolam notham esse, & ab Antiquis reprobatam ; nec ullum extat monumentum antiquius Eusebio, quo contrarium evincamus ; Ergo revera spuria est.

Respondeo, Eusebium non asserere illam Epistolam notham esse, & ab Antiquis reprobatam. Dicit solummodò non fuisse æquè approba- F tam ac priorem, id est, à plerisque Veterum ignoratam, in dubium ab aliis revocatam, ideoque in citationibus prætermissam. Fieri autem potuit ut Opus genuinum in controversiam venerit, & à primis Ecclesiæ Scriptoribus non fuerit celebratum. Verba Eusebii hæc sunt lib. 3. cap. XXII. *Porro*, inquit, *intelligendum est, posteriorem quandam esse Epistolam, quæ Clementis dicitur : verùm eam ut priorem, non perinde approbatam cognoscimus, proterea quòd animadvertimus, Veteres illius testimonia non aliquando suis scriptis intexuisse.*

Dico tertiò, cæteras Epistolas, quæ sub nomine S. Clementis circumferuntur, suppositicias & apocryphas

cryphas esse. De hoc omnes Eruditi conveniunt. Et certè duas ad Jacobum fratrem Domini suppositiтias clamat ipsa inscriptio; siquidem post obitum Sancti Petri datas, ex ipsarum exordio & serie constat; adeóque ad Jacobum scriptæ esse non possunt, qui septem ante Petri martyrium annis Hierosolymis occisus est, anno scilicet Neronis septimo. II. Prior Epistola ad Jacobum Pontificum Romanorum ita seriem invertit, ut nullum Lino, & Cleto locum relinquat. III. Quia probat Itinerarium Petri, scriptum nugis & fabulis repletum, & veteris Ecclesiæ cauterio inustum.

Secunda verò Epistola, de Sacramentis, vestibus & vasis sacris Jacobum Apostolum docet. An, quæso, verus Clemens de Sacramentis & sacris ritibus edocuisset Apostolum? Næ temerarium illum Pseudo-Clementem.

Tres alias in apocryphorum classem pariter conjiciendas constat; quia nec Antiqui illarum meminerunt, nec stylus geminæ ad Corinthios Clementis Epistolæ ullatenus similis est, & ex libris Recognitionum sunt consarcinatæ; ex cœnoso gurgite impuri rivuli. Tertia præterea ad cunctos Principes majores minorésve scripta supponitur, (ut præfert titulus) cùm nulli Clementis sæculo religioni Christianæ nomen dedissent Principes majores, vel minores. Quinta scribitur ad Fratres Hierosolymis habitantes cum Jacobo, jam mortuo, & uxorum communitatem adstruit. Prima primis Ecclesiæ sæculis Clementi supposita est: quam latinitate donavit Ruffinus, suo tempore Græcam; quam & Concilii Vasionensis Patres anno 442. citarunt cap. VI.

Dico quartò, Epistolas omnes priorum Pontificum, (nonnullis exceptis, quæ ab Authoribus Historiæ Ecclesiasticæ, vel à Sanctis Patribus priorum sæculorum citantur, scilicet Epistolis S. Cornelii, apud S. Cyprianum; Julii I. ad Orientales, & ad Clerum Populumque Alexandrinum, quæ referuntur à S. Athanasio Apologetica 2. & à Socrate libro 2. cap. XVIII. & Liberii Epistolis, quas S. Hilarius in Fragmentis recenset; necnon Epistolâ Damasi, Synodique Romanæ ad Illyrici Episcopos, quam Theodoretus Historiæ suæ libro 2. cap. XXII. inseruit, & aliis ejusdem Pontificis, apud S. Hieronymum) supposititias esse & apocryphas. Id propria Dissertatione ostendam, ubi & inquiram in impostoris nomen personamque, qui has merces in Ecclesiam intulit.

## ARTICULUS XIII.

### *De Libris Recognitionum, cæterisque Sancto Clementi adscriptis.*

RECOGNITIONUM S. Clementis ad Jacobum fratrem Domini libros decem, velut apocryphos omnes eruditi explodunt: quos hoc nomine Eusebius libro 3. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 33. sugillat, Clementique suppositos esse asserit. *Jam verò quidam*, inquit, *alia item Opera, verbosa illa quidem & prolixa, heri propè & nudiustertius, perinde quasi illius essent, introduxerunt, quæ quidem disputationes Petri & Appionis continent, quorum apud Veteres nulla omnino fit mentio. Nam puram illam, & sinceram Apostolicæ orthodoxæque doctrinæ notam minimè retinent.*

Suffragatur Eusebio S. Hieronymus in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum in *Clemente*, ubi ait ferri sub nomine Clementis *& disputationem Petri & Appionis longo sermone conscriptam, quam Eusebius in tertio Ecclesiasticæ Historiæ volumine coarguit.* Et lib. 1. adversùs Jovinianum cap. 14. quàm floccifaciat hujus libri authoritatem, satis ostendit, ita scribens, *Possumus autem de Petro dicere, quòd habuerit socrum eo tempore quo credidit, & uxorem jam non habuerit; quanquam legatur in Periodis & uxor ejus, & filia: sed nunc nobis de Canone omne certamen est.*

Ante hos S. Athanasius libros illos nigro calculo notat, dum ipsis ab Ecclesia contradici non solùm ait, sed etiam asserit ex iis veriora quædam electa esse, & translata: hoc ipso indicans multa in illis falsa esse & fabulosa, quæ perpetuis tenebris damnari mererentur. *Iterum*, inquit in Synopsi, *Libri Novi Testamenti quibus contradicitur, sunt Circuitus Petri, &c. ex quibus veriora, & à Deo inspirata, electa sunt ac translata.*

Sanctus Epiphanius censet libros illos à Sancto Clemente conscriptos, sed ab Ebionitis violatos fuisse, & multa sub honesto Sanctissimi Pontificis nomine ab illis fuisse intrusa. Quæ cùm ab aliis discerni non possint, ex hoc colligitur nullam esse Recognitionum authoritatem. Sic porro scribit Sanctus Epiphanius Hæresi XXX. quæ est Ebionitarum: *Utuntur autem & aliis quibusdam Libris, nempe iis, qui vocantur Circuitus Petri, à Clemente conscripti: atque ea quidem quæ in illis continentur, corruperunt, pauca autem vera reliquerunt. Quemadmodum eos ipse Clemens omnibus modis redarguit per Epistolas circulares, quæ ab eo scriptæ in Sanctis Ecclesiis leguntur. Quia alium habet characterem fides illius ac oratio, ab iis, quæ sub nomine ejus isti in Circuitibus supposuerunt.*

Ruffinus, qui hos libros latinitate donavit, eorumque versionem Gaudentio nuncupavit Episcopo, in eandem abit cum Epiphanio sententiam. Sic enim scribit in Opere de adulteratione librorum Origenis: *Clemens Apostolorum discipulus, qui Romanæ Ecclesiæ post Apostolos & Episcopus & Martyr præfuit, libros edidit, qui appellantur* ἀναγνωρισμὸς, *id est, Recognitio. In quibus cùm ex persona Petri Apostoli doctrina quasi verè Apostolica in quamplurimis exponatur; in aliquibus ita Eunomii dogma scribitur, ut nihil aliud quàm ipse Eunomius disputare credatur, Filium Dei creatum ex nullis extantibus asseverans; tum deinde etiam illud adulterii inseritur genus, ut naturam diaboli, cæterorumque dæmonum non propositi voluntatisque malitia, sed excepta ac separata creaturæ produxerit qualitas. Sunt etiam alia nonnulla libris ejus inserta, quæ Ecclesiastica Regula omnino non recipit. Quid, quæso, de his sentiendum est, quod Apostolicus vir, imò penè Apostolus, non ea scribit quæ Apostoli dicunt? An id potiùs credendum est, quod suprà diximus, quòd perversi homines ad assertionem dogmatum suorum, sub virorum Sanctorum nomine, tanquam faciliùs credenda inseruerunt ea, quæ illi nec sensisse, nec scripsisse credendi sunt?*

Photius in Bibliotheca, Codice 113. ubi Opera Clementis Romani criticum ad examen vocat, de Recognitionibus ita censet: *Refertum hoc Opus*, inquit, *absurdis nugis, non sine plurimis ex Arii opinione in Filium blasphemiis.* Et infrà ait; *Ut spuriam rejici longam illam disputationem Beati Petri & Appionis nomen falso præferentem.* Tum denique libros Recognitionum cum libris Constitutionum Apostolicarum componens, ait: *Ipsos perspicuitate ac gravitate, ad hæc, puritate & vehementia; aliisque orationis dotibus; rerum item variarum doctrina, tantùm Constitutiones ipsas superare, nulla ut hos inter comparatio ad sermonem quod attinet, fieri debeat.*

Humbertus Cardinalis, Episcopus Silvæ-Candidæ, in Responsione ad Nicetam, librum Clementis,

mentis inscriptum, *Itinerarium Petri*, ad apocrypha amandat.

Denique, præterquam quòd multa in Recognitionibus sub persona Petri Apostoli, ex intima Platonis & Aristotelis Philosophia referuntur, duo quoque integra folia transcripta sunt ad verbum ex libro *de Fato*, quem edidit Bardesanes Syrus adversus Abydam Astronomum: qui Bardesanes sub Marco Antonino Imperatore floruit, ut testatur Eusebius libro 4. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 28.

Dico secundò, libros Recognitionom Clementi Romano secundo sæculo jam affictos fuisse, nam Origenes, qui tertio sæculo ineunte floruit, illud Opus citat Tractatu 33. in Matthæum his verbis: *Tale aliquid dicit & Petrus ad Clementem; Quoniam opera bona, quæ fiunt ab Infidelibus, in hoc sæculo eis prosunt; non in illo, ad consequendam vitam æternam*, &c. Habetur autem hic locus lib. 7. Recognitionum num. 38.

Non mirum itaque quòd & alii è Veteribus fraudem non subodorati, Opus illud velut Clementis citaverint. Multa ex illo usurpat Author Operis Imperfecti in Matthæum cum S. Chrysostomo editus. Ad Matthæi scilicet x. verba laudat nomine Petri apud Clementem, quæ inveniuntur libro 7. Recognitionum Num. 38. & ad Matthæi 24. plura citat ex lib. 3. Num. 3. 59. & 60. Venerabilis Beda in Retractationibus ad Actorum 5. locum citat ex Clemente, qui invenitur libro 1. Recognitionum Num. LXVI.

Duos olim fuisse Recognitionum Codices in pluribus variantes, notant Ruffinus in Præfatione ad Gaudentium horum librorum versioni præfixa, & Photius loco citato.

Dico tertiò, Homilias undeviginti, nomine Clementis inscriptas, quas librum illum esse putat vir eruditus Joannes-Baptista Cotelerius, qui ab Antiquis vocatus est *Clementina*; & Epitomem *de Gestis Petri*, apocrypha esse ac supposititia. Ita docti omnes de his Operibus sentiunt; quæ Cotelerius in lucem edidit inter Opera Patrum qui Apostolicis temporibus floruerunt, tum genuina, tum apocrypha. Idem esto de Liturgia S. Clementi adscripta judicium, quam Bessario Cardinalis in libro de Sacramento Eucharistiæ, *inter apocrypha commemorari solere*, scribit.

## ARTICULUS XIV.

### *De Epistola S. Polycarpi, necnon de Epistola Encyclica Smyrnensis Ecclesiæ.*

QUAMVIS non ignorem S. Polycarpum usque ad Imperium Marci Antonini & Lucii Aurelii Commodi vitam produxisse, quibus quartam post Neronem adversùs Christianos persecutionem moventibus, Smyrnæ, sedente Proconsule, & universo Populo in Amphiteatro adversùs eum personante, igni traditus est, ut ait S. Hieronymus in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum in *Polycarpo*: hîc tamen de Scriptis ejus agimus, quia maximam vitæ partem primo Ecclesiæ sæculo egit. Joannis Apostoli fuit discipulus, & ab eo Smyrnæ Episcopus ordinatus est. Fertur sub illius nomine Epistola ad Philippenses, quam Joannes-Baptista Cotelerius integram exhibet inter Opera Sanctorum Patrum, qui temporibus Apostolicis floruerunt. De hac modò, an legitima sit, disputamus.

Illam esse legitimum Sanctissimi Episcopi & Martyris fœtum contendo, fretus authoritate S. Irenæi libro 3. adversùs Hæreses cap. 3. *Et Polycarpus*, inquit, *non solùm ab Apostolis edoctus, & conversatus cum multis ex eis qui Dominum nostrum viderunt; sed etiam ab Apostolis in Asia, in ea quæ est Smyrnis, Ecclesia constitutus Episcopus, quem & nos vidimus in prima nostra ætate: multùm enim perseveraverat, & valdè senex gloriosissimè & nobilissimè martyrium faciens, exivit de vita. Hic docuit semper quæ ab Apostolis didicerat, quæ & Ecclesia tradidit, & sola sunt vera: & testimonium his perhibent, quæ sunt in Asia, Ecclesiæ omnes, & qui usque adhuc successerunt Polycarpo... Est autem & Epistola Polycarpi perfectissima, ad Philippenses scripta, ex qua & characterem fidei ejus, & prædicationem veritatis, qui volunt, & curam habens suæ salutis, possunt discere.* Et in Epistola ad Florinum, cujus fragmentum refert Eusebius libro 5. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 19. cùm multa de Polycarpo dixisset, testatur eum Epistolas plures scripsisse: *Itemque ex Epistolis, quas cùm ad vicinas Ecclesias, quò eas confirmaret; tum ad quosdam fratres, quò eos tum admoneret, tum cohortaretur, misit, ista ita se habere, manifestè cognosci poterit.* Hæc Irenæus. Extat porro sola Epistola ad Philippenses, & nonnulla fragmenta ex aliis, quæ ex veteri Catena MS. super quatuor Evangelia, in qua velut à Victore Capuano laudata referebantur, exscripsit Franciscus Feuardentius, post cap. 3. lib. 3. S. Irenæi. Florebat autem Victor Capuanus Episcopus circa annum Domini 480. Nolim tamen pertinaciter asserere hæc Fragmenta excerpta esse ex Epistolis S. Polycarpi: citantur namque ex *Responsionibus Capitulorum* illius. Quas Responsiones an in Epistolis, an seorsim ab illis scripserit Sanctissimus Episcopus & Martyr, planè nescimus.

Idem probatur ex Eusebio lib. 3. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 30. *Adde huc Polycarpum*, inquit, *qui de illis ipsis Ignatii rebus in illa Epistola, quæ fertur ab eo ad Philippenses scripta sic verba facit: Obsecro vos omnes, ut obsequium, quibus debetur, præstetis, ut omnem patientiam exerceatis: cujus exemplum oculis aspexeritis, non in Beatis solùm Ignatio, Ruffo & Zosimo, verum etiam cùm in aliis è vobis, tum in ipso Paulo & reliquis Apostolis: pro certo persuasi, quod omnes hi non in vanum cucurrerunt, sed in fide & justitia, & quòd in locum illis debitum profecti sunt, jamque versantur cum Domino*, &c. Hæc autem & alia ibidem ab Eusebio laudata, leguntur in Epistola S. Polycarpi, quam præ manibus habemus: quod argumento est illam genuinam esse. Et lib. 4. cap. 13. *Polycarpus quidem*, inquit, *in ea Epistola, quam diximus ad Philippenses scriptam, quæque adhuc extat, quibusdam prioris Epistolæ Divi Petri testimoniis utitur.*

Idem constat ex Sancto Hieronymo in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum in *Polycarpo*, ubi de illo hæc habet: *Scripsit ad Philippenses valdè utilem Epistolam, quæ usque hodie in Asiæ Conventu legitur.*

Denique idem constat ex Photio in Bibliotheca, Codice 126. ubi libellum expendens, quo S. Clementis Epistolæ duæ ad Corinthios continebantur, hæc habet: *Legebatur autem in eodem libello & Polycarpi Epistola ad Philippenses, multis referta admonitionibus, cum perspicuitate, ac simplicitate, Ecclesiastici more Interpretis. Refert quoque Divini Ignatii litteras ad illos se misisse, postulatque certior vicissim fieri, si quid fortè de eo inaudierint.* Porro his characteribus genuina agnoscitur Epistola S. Polycarpi quam habemus.

Objiciunt Heterodoxi, illam Epistolam pugnantia loqui, Ignatium scilicet viventem & mortuum simul insinuere: prius, per hæc verba: *& de ipso Ignatio, & de his qui cum eo sunt, quod certiùs agnoveritis, significate.* Posterius, per ea quæ habet de Ignatio aliisque Martyribus, quòd

cuocti post agones suos, *in loco sibi debito sint apud Deum*, Ex quibus colligunt hanc Epistolam esse suppositítiam.

Respondeo, illa verba nullo modo innuere Ignatium tunc in vivis fuisse. Poterant enim audire Philippenses aliquid de Ignatio vivo & ad martyrium properante, quod illo jam defuncto cuperet ab illis discere S. Polycarpus. Ignatius (ut illius Acta testantur) *per Philippenses pertransivit Macedoniam pedes.* A Philippensibus missi sunt aliqui, qui eum bonoris & consolatioois caosâ in itinere deducerent, ut innuit Polycarpus ipse in ista Epistola. Hi igitur Philippos ab Ignatio reversi, multa sine dubio de ipso narrabant, multa de comitibus, quæ S. Polycarpum ab ipsis scire voluisse, post illius martyrium, verisimile est. Prætetea nunquid non audire poterant Philippenses aliquid de Ignatio mortuo, æquè ac de vivo? Nunquid non credere par est Polycarpum scire exoptasse quæ ad vincula & ad maryrium Ignatii pertinebant; quàm præclarè in martyrio se gessisset; quid ejus comites fecissent, aut passi essent; quid de Sancti Martyris corpore actum esset? Num aliquæ ejus superessent reliquiæ à Fidelibus collectæ? quorum omnium certa nuntia priùs ad Philippenses in Macedoniam, quàm ad Smyrnenses in Asia pervenire potuerant. Nulla igitur illis in verbis contrarietas est.

Objiciunt secundò, Nicephorum Patriarcham Coostantinopolitanum, in Stichometria, & Anastasium Bibliothecarium, Epistolam S. Polycarpi apocryphorum notâ inurere.

Respondeo primò, etsi ita esset, standum potiùs esse judicio Veterum, scilicet Irenæi, Eusebii, Hieronymi, Venerabilis Bedæ, quàm Nicephori & Anastasii, qui nono tantùm sæculo floruerunt: standùm potiùs esse judicio Photii viri doctissimi, Nicephoro supparis, qui eodem loco suæ Bibliothecæ expendens priorem Sancti Clementis ad Coriothios Epistolam, & S. Polycarpi Epistolam ad Philippenses, objectiones aliquas adversùs illam S. Clementis factas memorat; adversùs hanc Polycarpi oullas omnino. Photio suffragantur qui post Nicephorum Constantinopolitanum vixerunt, Usuardus & Ado Viennensis in Martyrologio ad 15. Calendas Januarii, Actorum S. Ignatii Scriptor Anonymus, Suidas, Georgius Pachymerios, Honorius Augustodunensis, & Nicephorus Callistus. Denique Nicephori Patriarchæ & Anastasii Bibliothecarii judicio, Ecclesiarum Asiaticarum anteponimus authoritatem, quæ tot sæculis S. Polycarpi Epistolam publicè atque solenniter legerunt.

Respondeo secundò, Stichometriam ad tempora Nicephori Constantinopolitani & Anastasii Bibliothecarii nequaquam pertinere: neque enim nono sæculo Ecclesia Græca & Romana dubitarunt de tot Scripturarum libris, quot eo in Indice in dubium revocantur, scilicet de libris Esther, Judith, & Tobiæ, de Sapientia Salomonis, & de Sapientia Jesu-Sirach. Unde obscuri Authoris est illa Stichometria, cui fidem non adhibuit Anastasius Bibliothecarius, sed eam duntaxat Latinitate donavit.

Respondeo tertiò, Stichometriam non loqui de Epistola Sancti Polycarpi, sed de Polycarpi *Didascalia*.

Respoodeo quartò, quamvis Author Stichometriæ Sancti Polycarpi Epistolam intellexisset, non propterea explodendam fore, aut Polycarpo abjudicandam: quia non simpliciter dicitur apocrypha, sed tantùm numeratur inter apocrypha Novi Testamenti, hoc est, è Canooe Sacrorum Librorum expungitur; quod noo impedit quin inter Ecclesiasticos libros recepta & numerata sit.

Dico secundò, Epistolam Encyclicam Smyrnensis Ecclesiæ de S. Polycarpi martyrio, genuinam esse. Id authoritate Eusebii certissimè constat, lib. 4. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 14. ubi hæc scribit: *Antonino cognomento Pio, cùm 22. annum Imperii sui confecisset, M. Aurelius Verus, ejus filius, qui & Antoninus dictus est, cum Lucio fratre successerunt. Eodem tempore Polycarpus, cùm Asia maximis persecutionum procellis turbaretur, martyrio supremum diem vita egit. Cujus quidem vita exitum, litterarum monumentis adhuc conservatum in hac nostra Historia memoria prodere cumprimis necessarium arbitror. Est autem Epistola ex persona Ecclesia Smyrnensis, cui præfuit Polycarpus, Ecclesiis Ponti scripta, qua ea qua ad ejus martyrium spectant, perspicuè docet his verbis*, &c. Refert deinde Eusebius multa ex ista Epistola. Illam edidit iotegram Cotelerius inter Opera Sanctorum Patrum qui temporibus Apostolorum floruerunt. Hoc antiquitatis monumento facet cultus Martyribus, & eorum Reliquiis ab Ecclesia delatus egregiè confirmatur.

Hujus porro hic meminimus, quamvis ad secundum Sæculum spectet jam provectum, ad annum scilicet circiter 169. quia de Polycarpi Epistola tractantibus, visum est examen istius monumenti adjungere, quod Polycarpi martyrium posteritatis commendavit memoriæ.

## ARTICULUS XV.

### *De Scriptis Sancti Dionysii.*

FERUNTUR sub Dionysii Areopagitæ, qui B. Pauli discipulus extitit, nomine, libri *De Cœlesti Hierarchia, de Ecclesiastica Hierarchia, de Divinis Nominibus, de Mystica Theologia, & Epistolæ decem:* quæ omnia an sint Areopagitæ Diooysii, cujus nomine inscribuntur, ab Eruditis ultrò, citroque disputatum est. Viri doctissimi Morinus & Launoius, & ex Heterodoxis Scultetus, Dallæus, Rivetus, & alii, hæc Opera abjudicant Areopagitæ Dionysio Morinus & Launoius ab Authore, qui initio quinti sæculi floruerit, elucubrata esse volunt. Illa S. Diooysio Areopagitæ singulari Dissertatione vindicabimus. Sed in antecessum.

Dico falsum esse quod scripsit Dallæus, neminem ex Catholicis, ante annum Christi 630. S. Dionysium Areopagitam horum Authorem Operum credidisse vel affirmasse, neque horum Authorem aote annum Domini 520. floruisse: id, inquam, falsum est. Nam Leontius, qui librum de Sectis scripsit ante annum Domini 608. (ut constat ex eo quòd meminerit Eulogii tunc temporis Alexandrini Patriarchæ, qui illo anno diem supremum obiit) Diooysium inter Patres antiquissimos oominat alibique cum ætatis Apostolorum fuisse notat, & sub ejus nomine citat librum de diviois Nominibus. Ergo saltem pluribus quàm 20. annis ante annum 630. libri illi existimati sunt ab Authoribus Ecclesiasticis esse S. Dionysii Areopagitæ.

Secundò, multis ante Leontium annis, Ephræmios Patriarcha Antiochenus in Apologia quadam Concilii Calchedonensis, quæ ioscribitur, *De sacris Antiochia Legibus* (ut vertit Interpres Photii) nostrum citavit Areopagitam: *Unam*, inquit, *personam, hoc est, Verbi Incarnati hypostasim pronuntiamus, quandoquidem simplicem ponit Jesum S. Dionysius Areopagita.* Hic autem Ephræmius ad Antiochenum Patriarchatum provectus est circa exordia Imperii Justiniani; ut testatur Theophanes

nes, hoc est, antequam Severiani hæretici illius A authoritate coram Hypatio abuterentur, circa annum Domini 526. & mortuus est ante annum 543. Ergo falsum est hos libros ante annum Domini 630. à nemine Authorum Ecclesiasticorum Areopagitæ Dionysio fuisse adscriptos.

Tertiò, Andræas Cæsariensis Episcopus, quem circa annum quingentesimum scripsisse ex eo constat, quòd neminem Patrum citet S. Cyrillo juniorem, ad cap. decimum Apocalypsis, agens de senis alis quatuor animalium, Dionysium nostrum citat: *Hæc ait magnus Dionysius.* Et ad cap. 45. Phialas observans à quatuor animalibus Angelis B datas, hæc habet: *Significat agendorum notitiam in cælis à primis ad secunda derivari, secundùm magnum Dionysium.* Ergo toto sæculo sexto libri illi ut S. Dionysii Areopagitæ laudabantur.

Tertiò S. Joannes Scytopolitanus, qui sapienter & piè pro Synodo Calchedonensi scripsit (ut Sophronius apud Photium Cod. 231. testatur) quique ante sextum sæculum, vel eo jam ineunte, floruit, scripsit Scholia in libros S. Dionysii Areopagitæ, ut testatur Anastasius Bibliothecarius in Epistola ad Regem Carolum, de Areopagiticis datâ. Scholia autem non scribuntur in Authorem, nisi C cui jam nomen aliquod peperit antiquitas: ergo ante sextum sæculum editi erant illi libri sub nomine Dionysii Areopagitæ: ergo falsò scripsit Dallæus, illos sub tanti nominis larva primùm prodiisse circa annum DXX.

Quartò Sanctus Gregorius Nazianzenus, qui ante finem quarti sæculi mortuus est, ex illis libris plurima usurpavit, tacito licèt Authoris nomine, ut notavit doctissimus Billius in Observationibus ad Sanctum Gregorium Nazianzenum: & inter alia, Oratione 38. in Theophania, & 42. in Pascha hæc habet: *Sic nimirum Sancta Sanctorum,* D *quæ etiam à Seraphinis obteguntur, ac tribus sanctificationibus celebrantur, in unam dominationem & deitatem coeuntibus, quemadmodum & Alius quidam ante nos pulcherrimè & subtilissimè philosophatus est.* Porrò hunc *Alium quendam*, Dionysium esse, Budæus vir Græcæ linguæ peritissimus observavit: quamvis Sanctum Athanasium bis verbis significari existimaverit Elias Cretensis. Et certè hæc verba in Athanasium non quadrant, qui ante Gregorium Nazianzenum diu non vixit, ut Græca verba sonant, & cui grande & sublime dicendi genus, quale his verbis significatur, *subtilissimè philosophatus* E *est*; minimè convenit, nec ipsi fuit unquam, vel à Sancto Gregorio Nazianzeno, vel ab alio quopiam attributum.

Quintò, Sanctus Dionysius Alexandrinus, qui tertio sæculo floruit, scripsit Scholia in hosce libros, ut testatur Sanctus Maximus ad cap. v. Cœlestis Hierarchiæ: *Magnus igitur Dionysius*, inquit, *Alexandriæ Episcopus, è Rhetoribus, in Scholiis, quæ in B. Dionysium sibi Cognominem fecit, ita dicit*, &c. Namque per Dionysium illum Alexandrinum cognominem non intelligit Corinthiorum Episcopum, sed Areopagitam, ut colligitur ex F Joanne Cyparissioto Decade 1. cap. 1. ubi cùm sententiam Dionysii nostri, ex Epistola ad Titum protulisset, subjungit: *Hoc dictum sanctus Maximus & Dionysius Alexandrinus annotarunt.*

Hæc ibi notasse sufficiat, antequam illos libros Areopagitæ Dionysio singulari Dissertatione vindicemus; & virorum doctissimorum, qui has ipsi lucubrationes abjudicant, argumenta diluamus.

## ARTICULUS XVI.

### *De Epistolis Sancti Ignatii.*

SANCTUS IGNATIUS, discipulus Sancti Joannis Evangelistæ, tertius Antiochenæ Ecclesiæ Episcopus: anno Trajani undecimo Romæ martyrium fecit, damnatus ad bestias. *Theophorus* appellatus est, sive quòd à Christo portatus sit, sive quòd Christum ipse portaverit, ejusque templum fuerit. Priori significationi Græci favent, qui parvulum, quem Dominus advocatum statuit in medio dicens: *Nisi conversi fueritis, & efficiamini sicut hic parvulus, non intrabitis in Regnum Cœlorum*, fuisse dicunt Sanctum Ignatium, unde addunt, Apostolos ausos non fuisse ei, cùm ad Ecclesiæ Præsulatum promoveretur, ampliùs manus imponere; nimirum quem ore Dei laudatum, & ipsius tactu sanctificatum cognovissent. Matth. 18. 3.
Hæc quidem refert Anastasius Bibliothecarius in Notis ad VIII. Synodum. At Græci illi quos laudat, erant proculdubio Græci recentiores, quorum opinionem Simeon Metaphrastes, trutio decimi sæculi, scriptis consignavit. Nam Antiqui, ut Sanctus Chrysostomus & Theodoretus, Ignatium Apostolorum manibus consecratum tradiderunt. Unde viri eruditi hanc posteriorum Græcorum de illo narrationem fabulam redolere pronuntiant: ac posteriorem θεοφόρου significationem amplectuntur, ut dictus sit Ignatius Theophorus, quasi Christum in se portans, ut constat ex vetustissimis Actis martyrii ipsius, in quibus Trajano illum cacodæmonem vocanti, respondisse dicitur; *Nemo Theophorum Cacodæmonem vocat*: & interroganti, quis esset Theophorus, iterum respondisse, *Qui Christum habet in pectore.* Unde Trajanus his verbis dixisse fertur in illum sententiam: *Ignatium præcipimus in seipso dicentem circumferre Crucifixum, vinctum à militibus, duci in magnam Romam*, ut eadem Acta testantur. Atque sic usurpatum fuisse *Theophori* nomen ab antiquioribus Græcis, constat ex Sancto Maximo, qui in Scholiis ad cap. VII. Cœlestis Hierarchiæ Sancti Dionysii, observat eum *Thronorum ordinem* θεοφόρον *nominasse, veluti ferentem intellectualiter residentem Deum.* Unde & Sanctus Cyrillus ad hujus vocis significationem attendens, anathemate ferit eum, qui Christum dixerit ἄνθρωπον θεοφόρον (Anathematismo 5.)

Sub Sancti Ignatii nomine quindecim feruntur Epistolæ: de quibus quærimus an genuinæ sint, an Martyri sanctissimo affictæ.

Dico primò, tres Epistolas Sancti Ignatii nomine inscriptas, quæ Latinè tantùm editæ sunt, unam scilicet ad beatam Mariam, duas alias ad Sanctum Joannem, supposititias esse, & pseudepigraphas. Primò quia citantur à nemine Antiquorum, præterquam à Sancto Bernardo Sermone 7. in Psalmum 90. Secundò quia Græcis omnibus incognitæ fuerunt, nec Græcismum ullatenus redolent, unde ab Authore Latino videntur profectæ. Tertiò, quia in vetustissimis vulgatæ versionis Ignatianarum Epistolarum MSS. Codicibus non inveniuntur. Quartò, quòd vix rationi temporum consentire videantur, & cum institutis Ignatii quidquam commune habere. Unde jam ab omnibus exploduntur illæ Epistolæ ut subdititii fœtus, & ut Ignatio perperam adscriptæ.

De iis legitur in Manuscriptorum Ecclesiæ Sancti Petri Bellovacensis Catalogo: *Epistolæ duæ, aut tres beati Ignatii Martyris ad beatam Mariam Virginem, & ad S. Joannem Evangelistam, quæ inventæ fuerunt Lugduni, tempore Concilii Innocen-*

*tii Papa IV. & de Græco in Latinum conversa.* Sed hic Catalogus in duobus peccat : primò quòd nusquam Græcè extiterint illæ Epistolæ, nec Græcam referant originem. Secundò, quòd à Sancto Bernardo multò ante Innocentium IV. laudatæ sint, Unde nec tunc primùm inventæ fuerunt, nec de Græco in Latinum conversæ.

Dico secundò, ex aliis duodecim Epistolis, quinque adscriptas perperam esse Sancto Ignatio, scilicet Epistolas, *ad Mariam Cassabolitem, ad Tarsenses, ad Antiochenos, ad Heronem, & ad Philippenses.* Ratio est, quia nec ab Eusebio, qui septem aliarum meminit, sunt recensitæ, nec ab antiquis Patribus laudatæ, nec Ignatii stylum & ingenium referentes, nec Ecclesiæ nascentis moribus & institutis convenientes. Nam in Epistola ad Antiochenos, salutat *Hypodiaconos, Lectores, Cantores, Janitores, Laborantes, Exorcistas, Confessores.* At Hypodiaconorum, Cantorum, Janitorum & Laborantium nomen atque Ordo primo sæculo incognitum. Secundò, in Epistola ad Philippenses dicitur eum, *Qui cum Judæis Pascha celebrat, participem esse eorum qui Dominum occiderum, & Apostolos ejus.* Quæ à Sancto Ignatio scripta esse, nemo sapiens sibi persuaserit, siquidem Sanctus Polycarpus, quo cum maxima intercessit Ignatio familiaritas, & Asiaticæ omnes Ecclesiæ, adeóque & ipse ( ut credere par est ) Ignatius, Pascha eodem cum Judæis die celebrabant. Nec ab Aniceto Romano Pontifice adduci potuit Sanctus Polycarpus, ut morem illum deponeret, quem illas Ecclesias à S. Joanne accepisse contendebat. An autem, amabo te, Ignatius participem existimasset vel scripsisset Polycarpum eorum qui Dominum occiderunt, & Apostolos ejus ? Tertiò in eadem Epistola scribitur, *Christi interfectorem esse, qui Sabbatum, uno excepto, jejunaverit.* Quod convincitur erroris ex Ecclesiæ Romanæ consuetudine, & ex Sancto Augustino Epistola LXXXVI.

Dico tertiò, septem alias Ignatii Epistolas, scilicet *Ad Ephesios, ad Magnesianos, ad Trallianos, ad Romanos, ad Philadelphios, ad Smyrnæos, & ad Sanctum Polycarpum*, in Editione Græco-Latina vulgata, secundùm quam repræsentantur in Bibliotheca Patrum, interpolatas & corruptas fuisse. Ratio est, quia loca à veteribus Patribus ex Ignatianis Epistolis adducta, vel in ea Editione non comparent, vel aliis longè verbis referuntur. Secundò, quia multa illas in Epistolas intrusa sunt ab Ignatii ætate aut institutis aliena.

Dico quartò, septem illas Sancti Ignatii Martyris Epistolas Editionis Græcæ, quam vir doctissimus Isaacus Vossius ex Codice MS. Bibliothecæ Mediceæ summo studio summâque diligentiâ paravit ; & Editionis Latinæ, quam Usserius Armachanus ex duobus Codicibus MSS. in Anglia repertis, publici juris fecit, genuinas esse, Sancti Ignatii, puras, atque ab omnibus assumentis liberas : quod contra Salmasium, Blondellum, Dallæum, aliosque magni nominis Calvinistas, propria Dissertatione ostendemus.

## ARTICULUS XVII.

### *De libris Sibyllinis, & Mercurii Trismegisti Pimandro.*

LIBROS Sibyllinos, & Pimandrum Mercurii Trismegisti, primo, vel secundo nominis Christiani sæculo à Christianis confictos, viri quidam eruditi existimarunt. De his ita sentimus.

Octo libri Sibyllini, qui extant Tomo 8. Bibliothecæ Patrum Parisiensis, ex parte conficti sunt: non verò conficta ideo censenda sunt Sibyllarum Carmina ; quæ à Sanctis Patribus, & Authoribus Ecclesiasticis priorum sæculorum sunt laudata, imò genuina omnino existimanda sunt : cùm in eis firmissimum posuerint religionis Christianæ adversùs Ethnicos præsidium, & eos confutarint, qui ficta à Christianis mentiebantur. Cæterùm quo præcisè tempore sub nomine Sibyllarum suppositi sint, certò definiri non potest. Sed de his propria Dissertatione agemus.

Quod verò spectat Mercurii Trismegisti Pimandrum, dico illud Opus Mercurii non esse, quamvis nec certò definiri possit tempus quo vixit illius Author. Non est ( inquam ) Mercurii Trismegisti ; sed Authoris longè posterioris, & quidem Christiani, quod multis evinco rationibus.

Primò, Mercurium Trismegistum antiquiorem fuisse Moyse, omnes consentiunt. At Author Pimandri Moyse juniorem se prodit, siquidem multa ex Genesi imitatur & exprimit. Capite scilicet primo oblatam sibi per visum speciem refert orbis conditi ; cujusmodi magna ex parte à Moyse 1. cap. Genesis exponitur ; tum se Pimander *Sermonem Domini* esse prædicat : quæ loquendi ratio, & appellatio non alibi quàm in sacris Literis usurpata legitur. Noverat igitur ille sacras Scripturas : ac proinde Mercurius Trismegistus non fuit.

Ibidem hæc habet : *Extemplo Deus verbo suo clamavit, Pullulate, adolescite, propagate, universa germina, atque opera mea.* Quibus disertè exprimit atque imitatur verba illa Dei in Genesi : *Crescite, & multiplicamini, & replete terram.*

Item quis, nisi sacros Codices pervolverit, ita locutus esse potest, quemadmodum Mercurius ille ? *Mens autem Deus*, inquit, *utriusque sexûs fæcunditate plenissimus, vita & lux, cum Verbo suo mentem alteram opificem peperit : qui quidem Deus ignis, atque Spiritus numen.* Et rursus : *Distincta quoque sunt inter se aqua & terra, eum in modum qui Menti placuerat. Terra post modum animantia, quæ intus habuerat, peperit : quadrupedia videlicet, serpentia, fera, agrestia pariter atque domestica. At Pater omnium, intellectus, vita, & fulgor existens, hominem sibi similem procreavit : atque ei tanquam filio suo congratulatus est : pulcher enim erat, & patris sui ferebat imaginem.*

Item cap. 1. citato, scribit, *Sermonem, & Mentem, à Patre genitum esse, Deum ignis & spiritus.* In quo sanè ad id respexit quod Joannes Baptista de Christo, Matth. & Lucæ 3. prædicat ; *Eum baptizaturum in Spiritu Sancto, & igne.* Addit illum *ὁμοιὸν* esse Patri ; quod nemo nisi Christianis imbutus Mysteriis cogitare potuit.

Narrat præterea Deum hominem à se conditum adamasse, eique opera sua omnia commisisse. Nonne istud ex Moyse depromptum Genesis 1. ubi hominem ait à Deo procreatum, ut piscibus ac bestiis dominaretur, & cæteris quæ terra suo ambitu continet ?

Item illud capitis 4. *Nisi, ô fili corpus tuum oderis, teipsum amare non potes* : Nonne imitatio est Evangelicæ sententiæ, *Qui odit animam suam, in vitam æternam custodit eam ?*

Nonne rursus Christianum sapiunt, quæ scribit cap. 13. *Justificati sumus, ô fili, injustitiâ absente.* Et hæc : *Nemini regenerationis prodens mysterium, ne tanquam diaboli habeamur.*

Denique, cap. 16. ait, libros suos à Græcis in linguam suam translatos, obscuriores fore. Quare

prohibet

prohibet ne cum illis communicentur ; quia doctrinæ suæ vis ac majestas Græcæ elegantiæ fuco enervaretur. *Quantum igitur potes, ô Rex*, loquit, *nam omnia potes : orationem hanc ab nemine interpretatam conserva, uti nec ad Græcos mysteria ista perveniant : neve Græcorum superba & dissoluta loquendi ratio, ac velut ornamentis fucata, majestatem illius, & gravitatem, & efficacem vocabulorum locutionem enervet.... Græci enim, ô Rex, orationes habent probationibus vacuas, minimèque efficaces : talisque Græcorum est Philosophia inanis, ut sit strepitus verborum.*

Ex quibus colligitur, totum hoc Opus suppositicium esse, nec illius ætatis quam Mercurio Trismegisto vulgò tribuunt viri eruditi, Mose nimirum, ac Pharaone superioris. Nam quo tempore vixit verus Mercurius, ne ipsum quidem Græcorum nomen auditum erat, quod decimo-quinto circiter ante Christum sæculo, post aditam Chanaanæam, exortum est, eo tempore, quo Israëlitæ sub Judicibus esse cœperunt. Qua de re legendus est doctissimus Petavius libr. 1. Rationarii temporum, cap. VII.

Multa alia probant bonc Authorem fuisse religione Christiana initiatum, ut illa oratio, quam habet ad finem cap. 1. *Quamobrem omnibus animi viribus Patri Deo gratias ago. Sanctus Deus Pater omnium : Sanctus Deus, cujus voluntas à propriis potestatibus adimpletur : Sanctus Deus, qui suis familiaribus innotescis : Sanctus es, qui verbo cuncta constituisti. Sanctus es, cujus imago est omnis natura. Sanctus es, quem nunquam natura creavit. Sanctus es, omni potestate validior. Sanctus es, omni excellentiâ major. Sanctus es, omni laude melior. Excipe verborum sacrificia sancta, ab animo & corde debito tibi manantia. Ineffabilis, solo silentio prædicandus ab eo, qui fallacias veræ cognitioni contrarias declinavit. Annue, corrobora me, atque hujus gratia participes effice eos, qui in ignorantia versantur, cognatione quidem mihi fratres, tibi autem filii. Etenim fidem tibi præsto, testimonium de te perhibeo. In vitam ac lumen assurgo. Ipse Pater es venerandus : homo autem tuus sanctitate unà tecum potiri desiderat, cùm potestatem illi omnium, arbitriumque concesseris.*

Quid hac etiam sententiâ magis Christianum ? *Si Deum quæsieris, pulchritudinem ipsam quæres : qua autem ad id ferat, unica via est, pietas cognitioni conjuncta.* (cap. 6.)

Nonne & illa verba capitis 12. de animabus improborum, *Dimittit eas Mens*, id est, Deus, *cupiditatum imperio, ad quarum expletionem ardenti quodam impetu feruntur*, &c. Nonne, inquam, hæc verba imitantur & exprimunt has Apostoli sententias, ad Romanos 1. *Tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, tradidit illos in reprobum sensum, ut faciant quæ non conveniunt. Tradidit illos in passiones ignominiæ ?* &c.

Non ita tamen Christianum fuisse Pimandri Authorem fateor, quin plura hauserit ex Hæreticis, vel ex Platone *Hæreticorum condimentario*, ut Tertullianus vocat, quæ à veritate Christiana longè absunt. Hujusmodi est, quod ait cap. 2. *Extrema omnium calamitas & impietas accidit illi, qui absque filiis è vita decedit, quâ de causâ dæmonibus dat pœnas post obitum. Supplicium denique hujusmodi est, ut sterilis anima in corpus quoddam per judicium migret, cui nec maris, nec fœminæ natura insit, quod quidem à sole elevatum est, atque contexum. Igitur, ô Æsculapi, cum homine qui nullos genuit filios, nullum habeto commercium : infelicitatis tamen ejus miserere, cùm noveris quæ hunc mala post interitum maneant.*

Illius tamen libri Authorem paulò post Apostolorum tempora floruisse constat, ex eo quòd Sanctus Justinus illum citaverit in calce Cohortationis ad Græcos. Illius etiam testimonio usus est Lactantius lib. 4. Divinarum Institutionum cap. 6. & Sanctus Augustinus libr. de quinque Hæresibus cap. 3. & Sanctus Cyrillus Alexandrinus lib. 1. contra Julianum pag. 30.

Objicies, Patres citatos hunc librum citasse ut Mercurii Trismegisti celeberrimum opus ; adeoque illum non esse abjudicandum Mercurio.

Respondeo ; Patres illum hoc nomine citasse, quia illum Mercurio Gentiles tribuebant, illumque magno habebant in pretio : unde ex illo contra Ethnicos, ad hominem (ut loquuntur) arguebant. Cæterùm an Mercurii revera esset, necne, Patres non expenderunt, majora in studia incumbentes.

---

## CAPUT XIII.

### *De Imperatoribus, qui primo Ecclesiæ Sæculo regnaverunt.*

Augustus.

I. SUb Augusto Christum natum esse, ex Evangelica Historia constat. Is Imperatorum fuit maximus, & potentissimus. Sub ejus Imperio multa contigerunt prodigia, vel contigisse feruntur, quæ Scriptores Ecclesiastici, partim veteres, partim recentiores, Christi adventûs esse prænuntia existimarunt. Inter alia refert Nicephorus ; cùm ad Oraculum Pithii Apollinis venisset, ipsum oblato sacrificio omnium maximo, quod Hecatombe dicebatur, quæsivisse quisnam post eum Romanum administraturus esset Imperium ; at cùm nullum ederetur responsum, alterum quoque adjecisse sacrificium, denuoque rogasse cur Oraculum sileret ; tum illud respondisse ad hunc modum :

*Me puer Hebræus, divos Deus ipse gubernans,*
*Cedere sede jubet, tristemque redire sub orcum.*
*Aris ergo dehinc tacitus abscedito nostris.*

Tali responso accepto, Cæsarem Romam reversum esse, atque ibi in Capitolio Aram maximam extruxisse, cum ejusmodi Latina Inscriptione : *Ara primogeniti Dei.* Hæc quidem refert Nicephorus libr. 1. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 17. Verùm cùm ea nemo veterum Historicorum memoret ; cùm Eusebius Scriptor diligentissimus ea silentio prætereat ; cùm prisci Patres qui Christiana pro Religione Apologias ediderunt, nihil de his prodigiis insinuaverint, res tanti ad suum institutum momenti verisimiliter non omissuri ; cùm denique Nicephorus recentior sit Historicus, & unde illa hauserit, non dicat, suspectæ fidei mihi videntur.

Alterum in cœlo visum est sub eodem Imperatore Phænomenon admirabile, circulus scilicet Iridis in speciem, Solem ambiens, sereno cœlo ; de quo Paulus Orosius antiquus & diligens Scriptor, qui suam Sancto Augustino Historiam nuncupavit, hæc scribit libr. 6 cap. 18. *Hoc autem fideliter memorasse ideo par fuit, ut per omnia, venturi Christi gratiâ præparatum Cæsaris Imperium comprobetur. Nam cùm primùm Gaio Cæsare avunculo suo interfecto, ex Apollonia rediens, Urbem ingrederetur : horâ circiter tertiâ, repente, liquido ac puro sereno, circulus ad speciem cœlestis arcus orbem Solis ambiit, quasi unum eum ac potissimum in hoc mundo, solumque clarissimum in orbe monstraret : cujus tempore venturus*

*venturus esset, qui ipsum Solem solus, mundumque totum & fecisset, & regeret.*

Aliud Romæ prodigium visum est, cùm triginta servorum legiones dominis suis restituisset Augustus, & superiora populi Romani Imperatori debita abolevisset; *Fons scilicet largissimus olei de Taberna meritoria per totum diem fluxit* (ut scribit Paulus Orosius cap. 19. libri citati.) *Quo signo, quid evidentius, quam in diebus Cæsaris toto orbe regnantis futura Christi nativitas declarata est? (Christus enim linguâ gentis, in qua & ex qua natus est, Unctus interpretatur.) Itaque cùm eo tempore quo Cæsari perpetua Tribunitia Potestas decreta est, Romæ fons olei per totum diem defluxit, sub principatu Cæsaris, Romano Imperio, per totum diem, hoc est, per omne Romani tempus Imperii, Christum, & ex eo Christianos, id est Unctum, atque ex eo Unctos, de meritoria Taberna, hoc est de hospitali largaque Ecclesia, affluenter atque incessabiliter processuros.*

Aliud prodigium nonnulli retulerunt de Pacis Templo eâ nocte collapso, quâ natus est Christus; sed istud commentitium esse facilè probatur: quia Templum Pacis Christi tempore nullum Romæ fuerat erectum, quod à Vespasiano Imperatore, domitis per Titum Judæis, constructum fuisse, Suetonius in Vespasiano cap. 9. & Josephus lib. 7. de Bello Judaico cap. 24. memoriæ prodiderunt.

Certius est sub id tempus recusasse Cæsarem nomen Domini, ut refert Paulus Orosius libr. 6. cap. 20. *Eodem tempore*, inquit, *hic ad quem rerum omnium summa concesserat, Dominum se omnium appellari non est passus, immò non ausus: quia verus Dominus totius generis humani inter homines natus erat.*

Favisse Judæis Augustum, testis est Philo Judæus lib. de Legatione ad Caium; & jussisse ut in Templo Hierosolymitano quotidianæ victimæ suis sumptibus Deo altissimo mactarentur.

Regnavit Augustus annis 56. à primo inito Magistratu, ab Antonii nece tres & quadraginta solidos. Mortuus est anno ætatis suæ 76.

Tiberius.

II. Successorem habuit Tiberium, cujus sub Imperio Christus baptizatus est, & pro generis humani salute cruci suffixus. Judæis infensus fuit Tiberius, & quatuor millia juvenum, illa ex gente, in Insulam Sardiniam amandavit, sub specie coërcendorum latrociniorum, reipsâ tamen ut ob aëris gravitatem interirent. Cæteros Urbe submovit, sub pœna perpetuæ servitutis. Hujus adversùs Judæos sævitiæ causa fuit falsus ille Mosaïcæ Legis Interpres, qui pecuniam immensam à Fulvia nobili muliere, prætextu religionis extorserat: de quo legendus est Josephus libr. 18. Antiquitatum cap. 5. Contigit id anno 5. Imperii Tiberii. Quo etiam circiter tempore, in Paulinam clarissimam mulierem Decius Mundus, Romanus Eques, conniventibus & juvantibus Isidis Sacerdotibus, ejus Numinis in Templo, scelus immane perpetravit, ejus pudicitiæ, assumptâ Isidis personâ, illudens. Quam historiam refert Josephus libr. 18. Antiquitatum cap. IV.

Tacit. lib. 1 Annal.

Mitigatus tamen est in Judæos Tiberii animus; & Sejano, cujus calumniis & malis artibus adversum experti erant Imperatorem, occiso, res illorum feliciorem in statum restitutæ sunt, teste Philone in lib. de Legatione ad Caium. Leges tulit sanctissimas in Magos & quoslibet divinationem exercentes Tiberius: Populi etiam Romani luxum cohibuit, usu sericæ vestis, & vasorum aureorum, nisi in sacris, interdicens, ut testatur Dio lib. Historiæ 57. Imperii sui anno 23. mortuus est, nec magnum sui populo reliquit desiderium. De Tiberii gestis lege Tacitum in Annalibus: à quo discimus hunc Principem in Histriones, in Adulteros, in Fœneratores, & in Libellorum famosorum Authores Leges severissimas tulisse. Res odiosas ad Senatum retulisse: cuncta per Consules incœpisse, tanquam vetere Republica: nunquam cunctabundum, nisi cùm in Senatu loqueretur: quod præstabat tum ad introspiciendas Procerum voluntates; tum ex formidine, ne Germanicus habere Imperium, quàm expectare mallet. Moderationem affectasse singularem. Cùm Patres clamarent corpus Augusti ad rogum ferendum esse humeris Senatorum, ipsum remisisse *arroganti moderatione*. Modestè semper de magnitudine Imperii disseruisse: dixisse sæpius, *Solam divi Augusti mentem tantæ molis capacem. Se ut non toti Reipublicæ parem: ita quæcunque pars sibi mandaretur, ejus tutelam suscepturum*: & rogante Asinio Gallo, quam partem Reipublicæ mandari sibi vellet, respondisse: *Nequaquam decorum pudori suo legere aliquid, aut evitare ex eo cui in universum excusari mallet*. Reposuisse Gallum, Non idcirco interrogatum à se Principem ut divideret quæ separari non possent; sed ut sua confessione argueretur, *Unum esse Reipublicæ corpus, atque unius animo regendum*. Cùm Rubrius Romanus Eques in judicium vocatus esset ob violatum perjurio nomen Augusti, scripsisse Tiberium Consulibus: *Non ideo decretum Patri suo cælum, ut in perniciem Civium is honor verteretur: jusjurandum perinde æstimandum, quàm si Jovem fefellisset. Deorum injurias Diis curæ.* Hortalum Hortensii Oratoris nepotem ab eo superbiùs exceptum, cùm in paupertate manifesta aliquid à Senatu peteret: sic petere nihil aliud esse dixisse, quam *veluti perfringere ærarium, quod si*, inquit, *ambitione exhauserimus, per scelera supplendum erit*. Clam ejus jussu occisum Agrippæ servum, qui se verum Agrippam mentiebatur, & percuntanti ipsi Tiberio quomodo Agrippa factus esset, responderat: *Quomodo tu Cæsar?* Sub eo fœliciter gestum in Germanos bellum, Germanico Duce: in quem nimiâ invidiâ flagravit Tiberius. Lectis Adgandestrii Principis Cattorum in Senatu literis, quibus mortem Arminii Reipublicæ hostis promittebat, si patrandæ neci venenum mitteretur, responsum esse, Authore Tiberio: *Non fraude, neque occultis, sed palam & armatum populum Romanum hostes suos ulcisci. Validum spernendis honoribus* fuisse Tiberium. Templum ab Hispanorum Legatis sibi oblatum respuisse, alia præter subditorum animos templa non ambientem. Delatorum licentiam sub ejus Imperio Civibus exitiosam fuisse. Nefariæ indulsisse libidini Principem illum. Adulationem odisse, & quoties Curiâ egrederetur, dicere solitum: *O homines ad servitutem paratos!* Scilicet, inquit Tacitus, illum qui libertatem publicam nollet, tam projectæ servientium patientiæ tædebat. Nullam æquè Tiberium ex virtutibus, ut credebat, suis, quàm dissimulationem dilexisse. Jam Tiberium corpus, jam vires, nondum dissimulatio deserebat (inquit Tacitus.) Sejanum Tiberii gratia ad eum potentiæ gradum extulit, quæ ipsius Imperatoris generi fuit exitiosa. Siquidem Drusum, corruptâ Liviâ ejus uxore, veneno sustulit. Eversio Sejani & ruina ipsius ac liberorum, *Tutam non esse potentiam*, & gratiam apud Principem ostendit, *ubi nimia est*, maximè cùm eâ quis abutitur, ut Sejanus: quem cùm honoribus immodicis auctum populus videret, *Unam ipsi precandam modestiam* dicebat, *ut contentus esset*.

III. Tiberio successit Caius Caligula, Princeps immanissimus, cujus inter alia crudelitatis indicia, vox illa feralis excepta est, Suetonio teste, *Utinam* Caligula.

*populus*

*Populus Romanus unam cervicem haberet.* Pro Deô coli se toto orbe terrarum, ac templa sibi constitui, jussit; statuamque Hierosolymitanum in Templum inferri suam, illudque sibi dedicari sub titulo *Novi Jovis, illustris Caii.* Eam impietatem cùm execrarentur Judæi, Caium infensissimum experti sunt, ejus iram suis adversùs illam gentem calumniis incendente Appione: quam ut averteret Philo Judæus, Legationem obiit ad Caium, qua de re legendus est liber quem de ea Legatione conscripsit: & Josephi libri duo contra Appionem. De Caio refert Dio, libr. 59. pag. 662. quòd sui ipsius, quasi Numinis, se creaverit Sacerdotem, & equum suum collegam Sacerdotii asciverit. Lunaticus sanè Princeps, qui sibi rem esse cum Luna gloriabatur. Occisus est Caius conjuratione Chæreæ Cassii, Tribuni Cohortis Prætoriæ, Imperii sui anno 4. ad extremum vergente, ætatis suæ 29.

Claudius Nero.

IV. Caio è vivis sublato, ad Imperii fastigium Claudius Nero ejus patruus evectus est. Judæis favit Alexandrinis, rescissisque Edictis Caii, liberam ipsis suæ religionis professionem, rituumque patriorum usum permisit. Idem beneficium non concessit iis qui Romæ degebant, imò ipsos Urbe ejecit anno Imperii sui 9. ut diximus. Infausta iniit connubia. Messalinam primùm habuit uxorem, stupris celebrem ac flagitiis, quæ omnibus nota, unum Claudium latebant, donec Silio Equiti palam nubere ausa est, teste Tacito lib. 11. Alteram, occisâ Messalinâ, duxit uxorem, Agrippinam, Germanici fratris filiam, quæ eum veneno peremit, anno Imperii ipsius 14. ætatis 64. Legem Cinciam adversùs Advocatos instauravit rogante Senatu, quâ cautum erat, ne quis ob causam orandam, pecuniam donumve acciperet.

Domitius Nero.

V. Post Claudii mortem, Domitius Nero cepit Imperium, annos duntaxat 17. natus. Egregia virtutis specimina initio Imperii dedit, Senecæ præceptis ac monitis ausculans: deinde libidine & crudelitate, monstri, quàm hominis similior extitit. Agrippinam matrem occidi jussit, & Octaviam conjugem, inductâ Poppæâ Othonis etiamnum viventis uxore; quam & postea gravidam ictu calcis peremit. Senecam Præceptorem, & Lucanum Poëtam morte affecit. Histrionem, citharœdum, & aurigam palàm agebat. Viro publicè nupsit. Ut ardentis Trojæ speciem velut per ludicrum exprimeret, Romam incendit. Anno Imperii ejus 12. Bellum Judaïcum cœptum est, Cestii Flori tyrannide ad rebellionem incitatis Judæis. Plurimæ Palestinæ urbes à Floro Syriæ Præside devastatæ, obsessa Hierosolyma, multa Judæorum millia variis in locis cæsa. Legendus his de rebus Josephus lib. 2. de Bello Judaïco cap. 17. & seqq. Sub Neronis Imperio celebris fuit insignis ille Magus, Apollonius Tyanæus, qui præstigiis suis egit ut Numen haberetur. Ejus famam propagavit Philostratus, res illius gestas conscribens, & mendaciis amplificans. Illum Ephesii ut Deum coluerunt, sub nomine Herculis Alexiaci. Hierocles Philosophus, unus ex Areopagitis Judicibus, Commentario in Christianos edito ostendere agressus est, Apollonium æqualem Christo extitisse. Alexander Imperator Christi & Apollonii imagines inter Deorum suorum simulacra collocavit, pari honore utrumque dignatus. Apollonii præstigias recenset, detegitque Eusebius, ut & Philostrati mendacia, edito ea de re libro contra Hieroclem. Annis quatuordecim Nero imperavit, ac anno ipso decimo-quarto Imperii, ab omnibus desertus, mortem sibi ipsi conscivit. De Neronis Imperio & gestis lege Tacitum lib. Annalium 13. 14. & 15.

Galba.

VI. Extincto Nerone, Sergius Galba Hispanias administrans, Imperium arripuit, illudque tenuit mensibus circiter 7. in foro à militibus occisus. Hic, ut Tacitus ait lib. 1. Historiæ, *Major privato visus, dum privatus fuit, omniumque consensu Imperio dignus, nisi imperasset. Pecuniæ alienæ non appetens, suæ parcus, publicæ avarus.* Post ipsum Silvius Otho Imperator acclamatus est. Huic perbreve fuit imperandi spatium, trimestre duntaxat. Voluntariam hic necem sibi intulit, cùm Vitellium à Germanicis Legionibus, quibus præerat, Imperatorem salutatum videret. Octo porrò post Othonem mensibus Vitellius Imperium gessit. Romæ bello civili occisus est, cùm Vespasianus, qui ad comprimendos Judæos à Nerone missus fuerat, suscepisset Imperium.

Vespasianus.

VII. Vespasiano Imperatore Bellum Judaïcum confectum est, obsessa per Titum ejus filium Hierosolyma, vastata, solo æquata: Judæorum undecies centena millia, fame, pestilentia, bello perierunt. Templum incendio deletum, sacra vasa direpta, Judæi vectigales effecti, quibus imperatum est ut didrachma, quod in Templum quotannis inferre solebant, a Jovi Capitolino penderent. De calamitatibus Judæorum illa in obsidione & excidio, deque rebus singulis in eo gestis, ac prodigiis quibus prænuntiatum est, lege Josephum testem oculatum lib. 6. & 7. de Bello Judaico, & Eusebium lib. 3. Historiæ Ecclesiasticæ capp. 6. 7. & 8. multa ex eo referentem.

a Extat adhuc Romæ ad radices montis Palatini arcus triumphalis Tito erectus: ex quo instrumentorum Templi, in triumpho, qui ipsi decretus est, traductorum, ectypon à Villalpando habetur expressum, Tomo 2. Explanat. in Ezechielem, lib. 5. cap. 7.

Addit Eusebius cap. 12. Vespasianum jussisse post vastationem Hierosolymorum, ut omnes ex Davidis genere prognati conquirerentur, nemo ut è regia stirpe superesset. Contigit autem Hierosolymitanum Excidium annis 35. post Christi mortem.

Sueton. in Vespas.

Mortuus est Vespasianus anno Imperii sui 10. ætatis 69. Ex morbo decessit, dum legationibus operam daret, asserens, *Imperatorem stantem mori oportere.* Ipsum visum cœco restituisse mentitur Tacitus lib. 4. Historiæ.

Titus.

VIII. Ipsi successit Titus filius, Princeps cùm virtutum omnium, tum præcipuè mansuetudinis ac beneficentiæ laude commendatissimus. Nulli negare quidquam solitus aiebat, *Neminem à Principe tristem oportere discedere.* Et cùm super cœnam recordatus esset nihil se cuiquam eo die præstitisse beneficii, dixit: *Amici, diem perdidi.* Quam sententiam Sanctus Hieronymus in cap. 6. Epistolæ ad Galatas celebravit. *Pontificatum maximum ideò se professus accipere, ut puras servaret manus, præstitit fidem: nec author post hæc cujusquam necis, nec conscius, quamvis interdum ulciscendi caussa non deesset: sed periturum se potiùs, quàm perditurum adjurans.* Mortuus est Titus anno 3. Imperii ineunte, non sine suspicione veneni à fratre Domitiano propinati.

Domitianus.

IX. Iniit igitur Imperium Domitianus post obitum Titi, anno Christi 83. Leges sanctissimas tulit pessimus Princeps. Legem Juliam de adulteriis restituit, gravissimasque pœnas decrevit in ingenuas & nobiles potissimùm fœminas, quæ violatæ pudicitiæ convincerentur: probrosis autem lecticæ usum ademit, jusque capiendi legata & hæreditates. Eunuchos etiam fieri prohibuit, quòd sciret hujusmodi semiviros solere esse in deliciis dominarum, unde Martialis hæc ejus in laudem scribit:

*Nec spado jam, nec mœchus erit, te Præside, quisquam:*
*At prius, ô mores! & spado mœchus erat.*

Et rursus:

*Plusque tibi debet Roma pudica quòd est.*

Verùm non amore virtutis, sed gloriæ duntaxat cupiditate has leges tulisse Domitianum constat ex Dione, qui testatur ipsum nepti suæ Juliæ stuprum intulisse, illaque velut conjuge usum fuisse, imò & puerorum in amorem exarsisse. Deus ac Dominus vocari voluit, Suetonio teste; unde illud Martialis:

*Edictum Domini, Deique nostri.*

A Domitiani crudelitatem non Christiani duntaxat experti sunt; sed eam Ethnici quoque exhorruerunt in damnatione Corneliæ, Virginum Vestalium maximæ, quam absentem inauditamque damnavit incesti, & vivam defodi jussit; ut testatur Eusebius in Chronico ad annum Christi 95. Qua de re legendus est Plinius Junior, Epistola ad Minutianum, quæ est undecima lib. IV.

Occisus est Domitianus à Stephano Flaviæ Domitillæ clarissimæ, & Christianæ fœminæ, quam ad Insulam Pontiam relegaverat, Procuratore; anno Imperii sui 15. ætatis 45.

B X. Domitiano successit Coccejus Nerva, Princeps optimus. Omnia Domitiani Acta rescidit. Trajano adoptato, mortuus est anno Imperii sui secundo ineunte, ætatis suæ LXXII. Nerva.





# IN HISTORIAM ECCLESIASTICAM SÆCULI PRIMI DISSERTATIONES SELECTÆ

## DISSERTATIO I.

### *De Libris Sibyllinis.*



SIBYLLARUM Oracula ad nostræ Religionis confirmationem antiqui Patres non semel protulerunt. Extant illa octo libris Carminum inspersa, qui Sibyllini inscribuntur, in Bibliotheca Patrum. Porro controversia movetur inter eruditos, utrùm hi libri, hæcque oracula, sint genuini Sybillarum fœtus, Duæ sunt hac de re sententiæ. Quidam & libros illos, & in his descripta oracula, penitus respuunt: alii non solùm oracula, sed libros integros Sibyllis vendicant. Nos mediam opinionem duplici Propositione proponemus, & propugnabimus.

## PROPOSITIO I.

*Quæ ab antiquis Patribus, & Authoribus Ecclesiasticis laudantur Sibyllarum Oracula, non sunt figmenta Christianorum.*

Probatur. Monumenta quæ à Patribus eruditissimis laudata sunt adversùs Ethnicos, & in quibus firmissimum illi collocarunt religionis Christianæ præsidium, quibus tandem objectam suppositionis notam diluerunt, non sunt figmenta Christianorum: hæc enim est legitimi Operis nota, si Antiqui laudent illud Opus sub nomine illius Authoris cui inscriptum est. Et hac splendidissima ratione septem S. Ignatio Martyri Epistolas adversùs Heterodoxorum plurimos vindicamus. Atqui illa Sibyllarum Oracula Patres eruditissimi laudarunt adversùs Ethnicos, in ipsis Christianæ religionis firmissimum posuere præsidium, & objectam adversùs ipsa suppositionis notam diluerunt: ergo non sunt figmenta Christianorum.

Probatur Minor primò authoritate sancti Justini Philosophi & Martyris in Apologia 2. ad Antoni-



A num Pium Imperatorem, dicentis: *Operâ autem & instinctu malorum dæmonum, mortis supplicium adversùs librorum Hydaspis, aut Sibyllæ, aut Prophetarum lectores constitutum est, ut per timorem homines ab illis, quominus, scripta ea legentes, rerum bonarum notitiam percipiant, sed in servitute eorum retineantur, absterreantur. Quod certè quidem efficere, & ad finem suum perducere nequiverunt, Non enim absque timore tantùm hujusmodi scripta legimus: verùm etiam vobis, ad inspiciendum, quæ in eis traduntur, ut videtis, offerimus; grata acceptaque omnibus fore scientes.*

B Hujus porro lectionis librorum Sibyllinorum Christianis vetitæ monumentum locupletissimum est L. Domitii Aureliani Imperatoris Rescriptum ad Senatum, anno Christi 271. *Miror vos*, inquit, *Patres sancti, tandiu de aperiendis libris Sibyllinis dubitasse, perinde quasi in Christianorum Ecclesia, & non in Templo omnium Deorum tractaretis.*

Probatur secundò testimonio ejusdem Sancti Justini in Cohortatione ad Græcos, pag. 34. & seq. ita scribentis: *Perfacile autem vobis erit, rectam religionem ex parte aliqua, & ea, quæ proximè ad Prophetarum accedunt doctrinam, à veteri Sibylla,*
C *ex afflatu quodam mirifico, per sortes ac responsa vos docente, percipere. Hanc Babylone ortam, Berosi, qui Chaldaicam Historiam scripsit, filiam, ad Campaniæ oras, nescio quo modo, pervenisse ferunt; ubi responsa dedit, in urbe cui Cumæ nomen est........ Hujus Sibyllæ, tanquam fatidicæ, cùm permulti alii meminere Scriptores, tum etiam Plato in Phædro..... ........ Relictâ deinceps carminum & orationum exquisita ratione, ad dicta Sibyllæ, citrà contentionis studium, animadvertentes, cognoscite tandem quorum vobis illa bonorum futura sit conciliatrix, Servatoris nostri Jesu Christi adventum disertis verbis clarè prædicens; qui cùm Dei sit Verbum virtute ac potentiâ*
D *ab eo indiscretum, homine, qui juxta imaginem & similitudinem Dei conformatus est, assumpto, ad memoriam nos priscorum parentum nostrorum religionis revocavit....... Itaque, Viri Græci, si falsam de eis, qui non sunt, Diis, imaginem saluti vestræ antiquio-*

*rem non habetis: credite, sicut dixi, antiquissima &* A *prisca admodum Sibilla, cujus libri in universo extant orbe, de iis, qui dicuntur, non sunt autem, Diis, mirifico quodam præfati Numinis afflatu, sortibus vos datis docenti; de futuro autem Servatoris nostri Jesu Christi adventu, ac de rebus ab eo gerendis, liquido & apertè vaticinanti.*

Probatur tertiò ex Theophilo, qui sextus à Sancto Petro Ecclesiæ Antiochenæ Patriarcha fuit, libro 2. ad Autolycum. *Cæterum*, inquit, *Prophetæ illi, quorum mentio facta est, fuere in populo Israelitico illiterati, pastores & idiotæ. Verùm etiam Sibylla Græcorum, & reliquarum Gentium Prophetissa, in principio suæ Prophetiæ invehitur in mor-* B *talium genus, dicens:*

*Viri mortales, & carnei, nihil existentes,*
*Quomodo statim exaltamini, vitæ finem non inspicientes?*
*Nec contremiscitis, nec timetis Deum inspectorem vestri?*
*Unus Deus, qui solus regnat, magnitudinem excedens, & increatus,*
*Omnipotens, invisibilis, videns ipse solus omnia*
&c.

Probatur quartò, ex Clemente Alexandrino C libr. 6. Stromatum pag. 136. *Quo modo*, inquit, *Deus Judæos salvos esse voluit, dans eis Prophetas; ita etiam Græcorum spectatissimos, propria sua lingua exercitatos, prout poterant capere Dei beneficentiam, à vulgo secrevit: præter Petri prædicationem, declaravit Paulus Apostolus dicens, Libros quoque Græcos sumite, agnoscito Sibyllam, quomodo unum Deum significet, & ea quæ sunt futura. Hydaspem sumito, & legite, & invenietis Dei Filium multo clariùs & apertiùs esse scriptum.* Quæ verba, non ex Epistolis Sancti Pauli, sed ex concionibus ejus ad populos habitis, recitavit Clemens Alexandrinus; quarum nonnulla verba sic D esse illapsa putandum est in audientium aures & animos, ut nunquam ea deleverit oblivio.

Probatur quintò, ex Origene libro septimo contra Celsum, pag. 516. sic Philosophum illum perstringente. *Deinde nescio quid ei venit in mentem, ut censeret Sibyllam à nobis, potius quàm Jesum, appellandam fuisse Dei Filiam, asseverans nos multa ejus versibus inseruisse maledica, non tamen indicans quæ sint illa, quæ inseruimus. Indicasset autem, si antiqua habuisset incorruptiora exemplaria, in quibus non reperiantur quæ putat à nobis interpolata: quod tamen non fecit.*

Probatur sextò, ex Lactantio Firmiano, lib. 4. E de Vera Sapientia cap. 15. ubi cùm Sibyllæ carmina recensuisset, quibus miraculum quinque panum & duorum piscium, quorum multiplicatione Christus quinque millia hominum in deserto satiavit, clarissimè prædictum est, & alia ejusdem Sibyllæ vaticinia de miraculis Christi retulisset, subdit: *His testimoniis quidam revicti, solent eò confugere, ut aiant: non esse illa carmina Sibyllina, sed à nostris ficta atque composita. Quod profectò non putabit, qui Ciceronem Varronemque legerit, aliosque Veteres, qui Erythræam Sibyllam, cæterasque commemorant, ex quorum libris* F *ista exempla proferimus. Qui authores obierunt, antequam Christus secundum carnem nasceretur.*

Et lib. 1. cap. 6. postquam singularum Sibyllarum nomina recensuit, hæc habet: *Omnes igitur hæ Sibyllæ unum Deum prædicant, maximè tamen Erythræa, quæ celebrior inter cæteras, ac nobilior habetur; siquidem Fenestella diligentissimus scriptor de Quindecimviris dicens, ait: Restituto Capitolio, retulisse ad Senatum C.* A *Curionem Consulem, ut legati Erythras mitterentur, qui Carmina Sibyllæ conquisita Romam deportarent. Itaque missos esse P. Gabinium, M. Otacilium, L. Valerium, qui descriptos à privatis versus circa mille Romam deportarunt. Idem suprà ostendimus dixisse Varronem. In his ergo versibus, quos legati Romam attulerunt, de uno Deo hæc sunt testimonia.* Plura alia Sibyllarum testimonia passim Lactantius usurpat adversùs Gentiles.

Probatur septimò ex Constantino Augusto in Oratione ad Sanctorum Cœtum, apud Eusebium cap. 18. ubi de Sibylla Erythræa hæc habet: B *Divino quodam instinctu afflata, versibus ea quæ erant de Deo futura prædixit, notisque, & ordine primarum litterarum (quæ ἀκροστιχὶς dicitur) historiam de Jesu adventu declaravit. ἀκροστιχὶς hæc quidem est, Ἰησοῦς Χριστὸς Θεοῦ υἱὸς, σωτὴρ, σταυρός. Jesus Christus Dei filius, Servator, Crux.* Ejus Acrostichi 34. Carmina ibidem refert, quorum ultima duo clarissima sunt, sic autem habent:

*Unus & æternus Deus hic, Servator & idem,*
*Christus pro nobis passus, quem carmina signant.*

Et cap. 19. *Verùm*, inquit, *multi sunt, qui nul-* C *lam fidem ei adjungunt: idque cùm fateantur Sibyllam vatem Erythræam extitisse; imò verò suspicantur quemdam nostræ religionis Professorem, Poetica non ignarum, ista carmina contexuisse: falsòque inscripta esse, & inter Sibyllæ Oracula numerata..... Verùm de hujus rei veritate satis constat, quippe nostri homines tempora adeò accuratè & magno studio collegerunt, ut nemo possit suspicari hoc Poëma post Christi in terras descensum, editum fuisse: atque illi propterea mendacii perspicuè convincuntur, qui ista carmina non olim à Sibylla condita esse prædicant. Perspicuum est enim Ciceronem, istud Poëma cùm fortè perlegisset, in Latinum convertisse sermo-* D *nem, suisque scriptis attexuisse, quem ab Antonio rerum summâ potito interfectum esse constat: Antonium autem ab Augusto, qui 56. annos regnavit, superatum: Augusto autem successisse Tiberium, cujus temporibus Servatoris adventus mundo illuxit.*

Sic autem habet Cicero lib. 2. de Divinatione Num. 111. & 112. *Sibyllæ versus observamus, quos illa furens fudisse dicitur. Quorum interpres nuper falsa quadam hominum famâ, dicturus in Senatu putabatur, eum, quem reverà Regem habebamus, appellandum quoque esse Regem, si salvi esse vellemus. Hoc si est in libris, in quem hominum, & in* E *quod tempus est? Callidè enim, qui illa composuit, perfecit, ut quodcunque accessisset, prædictum videretur, hominum & temporum definitione sublatâ. Adhibuit etiam latebram obscuritatis, ut iidem versus aliàs in aliam rem posse accommodari viderentur. Non esse autem illud carmen furentis, cùm ipsum Poëma declarat: (est enim magis artis & diligentiæ, quàm incitationis & motûs.) Tum verò ea quæ ἀκροστιχὶς dicitur, cùm deinceps ex primis versus litteris aliquid connectitur: id certè magis est attenti animi, quàm furentis. Atque in Sibyllinis, ex primo versu cujusque sententiæ primis litteris illius sententiæ,* F *carmen omne prætexitur. Hoc scriptoris est, non furentis, adhibentis diligentiam, non insani. Quamobrem Sibyllam quidem sepositam, & conditam habeamus, ut, id quod proditum est à majoribus, injussu Senatus ne legantur quidem libri, valeantque ad deponendas potius, quàm ad suscipiendas religiones. Cum Antistitibus agamus: ut quidvis potius ex illis libris, quàm Regem proferant: quem Roma post hæc, nec Dii, nec homines esse patientur.* Hæc Tullius.

Nec uni Ciceroni, verùm & Virgilio, illud Acrostichon, & alia Sibyllæ de Christo Vaticinia nota fuere: quamvis mysteriorum nescius ea Asinii Pollionis novi Consulis filio Salonino accommodaverit, Eclogâ IV.

*Jam nova Progenies cælo demittitur alto,*
*Ultima Cumæi venit jam carminis ætas.*
*Magnus ab integro sæclorum nascitur ordo:*
*Jam redit & Virgo, redeunt Saturnia regna,* &c.
*Tu modò nascenti Puero, quò ferrea primùm*
*Desinet, ac toto surget gens aurea mundo,*
*Casta Lucina, fave ....*
*Hoc duce, si qua manent sceleris vestigia nostri,*
*Irrita, perpetuâ solvent formidine terras.*

Quæ carmina uti & alia ejusdem Poëtæ illa in Ecloga, maxè Christo accommodat Constantinus Magnus Oratione laudatâ ad Sanctorum Cœtum, cap. 20.

Probatur octavò authoritate Sancti Augustini lib. 18. de Civitate Dei cap. 46. dicentis: proinde *cum Scripturis nostris non credunt* (Ethnici) *complentur in eis sua, quas cæci legunt. Nisi fortè quis dixerit, illas Prophetias Christianos finxisse de Christo, quæ Sibyllæ nomine vel aliorum proferuntur, si quæ sunt quæ non pertinent ad populum Judæorum.*

Et cap. 47. *Sed quæcumque aliorum Prophetiæ de Dei per Christum Jesum gratiâ proferuntur, possunt putari à Christianis esse conficta. Ideo nihil est firmius ad convincendos quoslibet alienos, si de hac re contenderint, nostrosque fulciendos, si rectè sapuerint, quàm ut divina prædicta de Christo ea proferantur, quæ in Judæorum scripta sunt Codicibus.*

Quanquam verò dixerit S. Augustinus objici posse ab Ethnicis Sibyllarum Oracula fuisse à Christianis conficta, non tamen existimavit ipse quòd Christianorum figmenta essent, ut ex aliis rursus ejus testimoniis probatur, nimimirum ex cap. 23. ejusdem libri, ubi hæc habet: *Erythræa Sibylla quædam de Christo manifesta conscripsit, quæ etiam nos in Latina lingua, versibus malè Latinis, & non stantibus, legimus, per nescio cujus Interpretis imperitiam, sicut post cognovimus. Nam vir clarissimus Flaccianus, qui etiam Proconsul fuit, homo facillima facundia, multæque doctrina, cùm de Christo colloqueremur, Græcum nobis Codicem obtulit, carmina esse dicens Sibyllæ Erythrææ, ubi ostendit quodam loco, in capitibus versuum, ordinem literarum ita se habentem, ut hæc in eo verba legerentur,* Ἰησοῦς Χρειστὸς Θεοῦ υἱὸς σωτήρ, *quod est Latinè, Jesus Christus Dei Filius, Salvator. Horum autem Græcorum quinque verborum si primas literas jungas, erit* ἰχθὺς, *id est, piscis, in quo nomine mysticè intelligitur Christus, eo quòd in hujus mortalitatis abysso, velut in aquarum profunditate vivus, hoc est, sine peccato, esse potuerit.*

Et libro primo Expositionis inchoatæ Epistolæ S. Pauli ad Romanos exponens illa verba Apostoli: *Segregatus enim in Evangelium Dei, quod antè promiserat per Prophetas suos*, ait: *Fuerunt enim & Prophetæ non ipsius, in quibus etiam aliqua inveniuntur, quæ de Christo audita cecinerunt, sicut etiam de Sibylla dicitur. Quod non facilè crederem, nisi quod Poëtarum quidam in Romana lingua nobilissimus, antequam diceret ea de innovatione sæculi, quæ in Domini nostri Jesu Christi regnum satis concinere & convenire videantur, præposuit verbum dicens:*

*Ultima Cumæi venit jam carminis ætas.*

*Cumæum autem Carmen Sibyllinum esse, nemo dubitaverit. Sciens ergo Apostolus ea in libris Gentium inveniri testimonia veritatis, non solum ait, per Prophetas suos, ne quis à Pseudoprophetis, per quasdam veritatis confessiones, in aliquam impietatem seduceretur; sed addit etiam, in Scripturis Sanctis, volens utique ostendere literas Gentium superstitiosa idololatria plenissimas, non ideò sanctas haberi oportere, quia in eis aliquid, quod ad Christum pertinet, invenitur.*

Denique Epistola 155. ad Martianum ita scribit: *Nam omnino non est cui alteri, præter Dominum Christum dicat genus humanum:*

*Te duce, si qua manent, sceleris vestigia nostri,*
*Irrita, perpetuâ solvent formidine terras.*

*Quod ex Cumæo, id est, Sibyllino carmine, se fassus est transtulisse Virgilius, quoniam fortassis etiam illa Vates aliquid de unico Salvatore in spiritu audierat, quod necesse habuit confiteri.*

Objicitur primò. Sibyllarum Oracula ab Augusto Cæsare duobus forulis auratis condita sunt sub Apollinis Palatini basi, Suetonio teste. Igitur libri Sibyllini Christianis ad manum non erant; atque adeo ea quæ ab Authoribus Ecclesiasticis laudantur, Sibyllarum Oracula, conficta sunt. Præterea, libri Sibyllini, Sullæ temporibus, cremato Capitolio, Olympiade 153. Scipione & Norbano Consulibus, ab Urbe condita anno 671. conflagrarunt. Ergo supposititia sunt Oracula, quæ veteres Patres venditant sub nomine Sibyllarum.

Respondeo ad primum, solius Sibyllæ Cumææ carmina hoc pacto obserata fuisse, non verò aliarum Oracula Sibyllarum: sic namque Lactantius lib. 1. de Falsa Religione cap. 6. postquam decem Sibyllarum nomina & patriam recensuit: *Harum omnium Sibyllarum carmina, & feruntur & habentur, præterquam Cumææ, cujus libri à Romanis occuluntur, nec eos ab ullo, nisi Quindecim viris inspici fas est. Et sunt singularum singuli libri, qui, quia Sibyllæ nomine inscribuntur, unius esse creduntur, suntque confusi, nec discerni, ac suum cuique assignari potest, præter Erythrææ, quæ & nomen suum carmini verum inseruit, & Erythræam se nominatum iri prælocuta est, cùm esset orta Babylonia.* Patres autem ante Constantini Magni tempora aliarum Sibyllarum Oracula, non verò Cumææ, citarunt.

Respondeo secundò, Sibyllæ Oracula etiam nota fuisse ex Cicerone & Virgilio, qui Regis venturi, ex illius vaticinatione meminerunt, à quo scelera nostra abolenda essent. Unde ex horum Scriptis illud Oraculum hauserunt Authores Ecclesiastici. Christianissimus verò Imperator Constantinus, non solùm apud Oratorem, & Poëtam memoratos; verùm etiam in libris ipsis Cumææ Sibyllæ illos versus quos in Oratione ad Sanctorum Cœtum laudavit, legere potuit. Licèt enim in vulgus non proferrentur, Imperatori tamen denegari non poterant, illos inspicere, legere, & exscribere volenti.

Ad secundum respondeo, restituto Capitolio, sub Consulatu Curionis, tres Legatos, ex Senatusconsulto, Erythras missos esse, qui Carmina Sibyllina conquisita Romam portarent, qui scriptos à privatis versus circa mille detulerunt, ut testatur Lactantius supra laudatus ex Varrone.

Nec verò Erythris duntaxat, sed in aliis etiam regionibus ab iisdem esse quæsita, ac Romam delata, Author est Tacitus lib. 6. Annalium. *Relatum inde ad Patres à Quintiliano Tribuno plebis, de libro Sibyllæ, quem Caninius Gallus Quindecimvir recipi inter cæteros ejusdem Vatis, & ea de re Senatusconsultum postulaverat. Quo per discessionem facto, misit literas Cæsar modicè Tribunum increpans, ignarum antiqui moris, ob juventam: Gallo exprobra-*

*bat quòd scientia cæremoniarumque vetus, incerto Authore, ante sententiam Collegii, non (ut assolet) lecto per Magistros, æstimatoque carmine, apud infrequentem Senatum egisset. Simul commonefecit, quia multa vana sub nomine celebri vulgabantur, sanxisse Augustum, quem intra diem ad Prætorem Urbanum deferrentur, neque habere privatim liceret. Quod à majoribus quoque decretum erat, post exustum sociali bello Capitolium, quæsitis Samo, Ilio, Erythris, per Africam etiam, ac Siciliam, & Italicas colonias, carminibus Sibyllæ, seu una, seu plures fuere; datoque Sacerdotibus negotio, quantùm humana ope potuissent, vera discernere.*

Adde, quod etsi Cumææ Sibyllæ carmina unà cum Capitolio conflagrarint, non tamen interiêre penitus, nullum ut illorum exscriptum exemplar remaneret. Constat enim, etsi non ab alio, certè ab Atilio Duumviro privatim exscripta fuisse, qui eam ob causam Tarquinii Regis jussu insutus in culeum est, & in mare injectus, ut Dionysius Halicarnasseus, lib. 4. & Valerius Maximus lib. 1. testantur.

Objicitur secundò. Si genuina essent Sibyllarum Oracula, quæ à Patribus laudata sunt, & quæ de Christo tam clarè vaticinabantur, feliciores fuissent in Dei cognitione assequenda Gentiles, quàm Judæi, seu mediis efficacioribus ad ejus notitiam perducti essent: siquidem nulla sunt Oracula Prophetarum, quæ Sibyllinorum adæquent claritatem. Atqui istud repugnat Scripturæ sacræ; dicitur enim Psalmo 147. *Qui annunciat verbum suum Jacob, justitias & judicia sua Israel. Non fecit taliter omni nationi, & judicia sua non manifestavit eis.* Et ad Romanos 3. *Quid enim amplius Judæo est? Aut quæ utilitas Circumcisionis? Multùm per omnem modum. Primò quidem, quia credita sunt illis eloquia Dei*, &c. Ergo Sibyllarum Oracula, etiam illa quæ à Patribus laudata sunt, figmenta sunt Christianorum prioris sæculi.

Respondeo, quòd etsi clara videantur Sibyllarum Oracula, non tamen Gentiles feliciores in Dei cognitione assequenda, Judæis extiterunt: primò quia vera falsis immixta erant illis in Oraculis. Unde ex illis civilium cæremoniarum sacrilegos ritus Romani eruebant: quam ob causam à Quindecimviris curâ tam religiosâ servabantur. Secundò, quia Ethnici excæcati erant, & obscuratum erat insipiens cor eorum: unde quamvis clarissima essent Sibyllarum Oracula, ea non intelligebant. Hinc Virgilius vaticinium Sibyllinum de Christo venturo, Salonino filio Asinii Pollionis tribuit. Id animadvertit Lactantius lib. de Vera Sapientia cap. 15. *Non dubito*, inquit, *quin illa carmina prioribus temporibus pro deliramento habita sint, cùm ea nemo intelligeret: demonstrabant enim monstruosa quædam miracula, quorum nec ratio, nec tempus, nec Author designabatur.* Tertiò, quia Gentibus Lex Dei non est data, sed Judæis: nec ad Gentes, sed ad Judæos, Prophetæ missi sunt, quorum certiora sunt Oracula vaticiniis, quantumlibet evidentibus, Sibyllarum.

## PROPOSITIO II.

*Non sunt prorsus genuina & incorrupta Sibyllarum Carmina, quæ octo libris continentur, in Bibliotheca Patrum.*

Probatur primò. Constans est omnium fermè Patrum sententia, nullum ante Moysen, Scriptorem extitisse, sive sacrum, sive profanum. Qua de re legendi sunt S. Justinus Martyr in Cohortatione ad Græcos, Eusebius Cæsariensis lib. 10. de Præparatione Evangelica cap. 9. Lactantius lib. de Vera Sapientia cap. 5. S. Augustinus lib. 18. de Civitate Dei cap. 38. & ante hos Tertullianus Apologetici cap. 19. At Author libri tertii Sibyllini Moyse antiquiorem se facit; nam & Moysis ortum, & populi Israelitici liberationem vaticinatur his Versibus:

*Cùm verò Ægyptum linquet, desertaque vadet,*
*Per loca bis sena populus de prole creatus,*
*Sub Ducibus missis divinitùs usque columnâ*
*Ignitâ per iter noctis gradietur opaca.*
*Per totumque diem nebulæ pereunte columnâ.*
*Huic populo ductor dabitur, vir magnus ab illo.*
*Moses, quem inventum propter Regina paludem*
*Sustulit, & natis, nutritum nomine dixit.*

Probatur secundò, Sibyllas Gentilium Prophetissas passim vocant Sancti Patres, & ex Gentibus fuisse asserunt. At Sibylla Erythræa, ad finem libri tertii, dicit se Nurum Noe.

*——— Siquidem cùm dilueretur*
*Mundus aquis, cùm vir solus probus exuperavit*
*Quidam, quem per aquas rexit domus eruta sylvis,*
*Ejus ego Nurus, ejus item de sanguine nata.*

Probatur tertiò. Sibyllæ virgines fuerunt, atque Prophetiæ dono ipsorum est munerata virginitas, teste Sancto Hieronymo contra Jovinianum. At vile scortum se fuisse ait, quæ librum 4. scripsisse supponitur Vates.

*——— Nam quæ scelera antè patravi*
*Prudens, & studio peccandi perdita feci?*
*Mille mihi lecti, connubia mille fuerunt,*
*Jureque jurando quosvis perjura ligavi.*

Probatur quartò. Propriis oculis se conspexisse testatur Author libri quinti secundum incendium Templi Vestæ, quòd post Christum natum contigit, Imperante Commodo, ut testatur Eusebius in Chronico.

*Deplorata Sile scelerata urbs luxuriosa.*
*Non jam perpetuo servatas fomite flammas*
*Virgineæ invenient in te diasque puellæ.*
*Extincta est isthic ædes peramabilis olim:*
*Tum cùm præcipitem flamma superante secundam*
*Vidi labentem manibus crudelibus ædem,*
*Ædem perpetuo florentem.*

Probatur quintò. Mundi Genesis, & primæ secundæque Mundi ætatis Historia ita accuratè & clarè describitur, ut videatur potius conscripta illa narratio, quæ librum primum implet, à viro docto, qui Moysis libros evolverit, quam à muliere gentili, divino licèt numine afflata: Ergo non est genuinus Sibyllæ fœtus.

Probatur sextò. Nomen Adami derivatur ab Ἅδης lib. 1.

*Est Ἅδης, quòd eò primus descenderit Adam.*

Quasi verò Græca esset illius nominis origo. Hæc igitur est sexta nota suppositionis.

Probatur septimò. Nomen hoc Adam, librorum illorum Author ait esse Tetragrammaton, & quatuor litteris, quibus constat, quatuor Mundi partes significare ἀνατολή, δύσις, ἄρκτος, μεσημβρία.

*Nimirum Deus is finxit Tetragrammaton Adam,*
*Qui primus fictus fuit, & qui nomine complet*
*Ortus, Occasus, Austrum, Boreamque rigentem.*

At nomen Adam, Hebræo, Chaldaicoque idiomate, quod Sibyllæ nativum ac vernaculum fuit, si vel Noë nurus, vel Berosi Chaldæi filia fuit,

ut placet Sancto Justino, triliterum duntaxat est. A
Probatur octavo. Montem Ararath, in quo quievit Arca, in Phrygia collocat lib. 1.

*Assurgit Phrygiæ mons quidam in finibus atra*
*Arduus alta petens, Ararath quem nomine dicunt.*

At ex omnibus Geographis constat Ararath montem esse Armeniæ, non Phrygiæ.

Nonò, ait Noë diebus tantùm 41. mansisse in Arca lib. 1.

*Noë igitur cunctos homines justissimus inter,*
*Exiit octavus, vicenos cùm bis & unum*
*Complesset Soles (Deus ipse volebat) in undis.*

At constat ex Scriptura sacra Noë anno solido in Arca fluctuasse.

Decimò, Titanum fabulas, ceu veras Historias obtrudit, ibidem, & lib. 3.

Undecimò, fingit Eurotam fluvium Laconiæ in Peloponneso, Dodonæ in Epiro scaturiginem habere suam.

C *Tertius editus est Pluto illi prætereunti*
*Dodonam, unde liquens Eurota defluit amnis*
*Fluminis, inque maris salsas provolvitur undas,*
*Mixtus Peneo.*

Qui fluvius est in Thessalia.

Duodecimò, Gog, & Magog Scythiæ populos (Josepho teste lib. 1. Antiquitatum cap. 6.) in Æthiopia constituit, lib. 3.

*Heu tibi Gog, tractusque Magog, qui dividis amnes*
*Æthiopum medius.*

D Decimo-tertiò, falsò vaticinatur Italos Asiaticis servituros, ibidem.

*Verùm Asia veniet vel tripla pecunia rursum*
*A Roma, perdetque atrox injuria pœnas.*
*Ac quot sunt Italis Asianorum famulati,*
*Viceni toties Asiæ cogentur in oris*
*Pro mercede graves Itali tolerare labores.*

Decimo-quartò, Josue suscitandum comminiscitur, ut Judæorum instauret Rempublicam, lib. 5.

E *Existetque olim quidam vir ab æthere præstans,*
*Cujus frugifera distendit in arbore palmas*
*Optimus Hebræus, licuit cui sistere Solem*
*Clamando pulchris verbis, castisque labellis.*

Decimo-quintò, Tiberium, Persidem & Babyloniam expugnaturum vaticinatur, lib. 5.

—— *Cui prima valebit*
*Littera ter centum, qui carum nomen habebit*
*Fluminis, & Persas, Babylonemque aggredietur.*

At istud omnibus Historiis repugnat.

F Decimo-sextò, Trajanum Imperatorem vocat Gallum Montivagum, lib. 5. at Italica in Hispaniis oriundus erat Trajanus.

Decimo-septimò, Romam perituram esse ait, anno à conditione sua 948. anno scilicet Christi 195. Severi Imperatoris tertio, lib. 8.

*Porro quater decies complebit, terque trecentos*
*Annos atque octo, cùm te pertingere metam*
*Tristia fata, tuo completo nomine cogent.*

Decimo-octavò, supponit, secundùm hæresim Chiliastarum, non solùm Hierusalem reædificandam, ac restaurandam, verùm etiam futuram sedem Imperii Filii Dei, ubi Sancti omni deliciarum cùm spiritualium, tum corporearum genere perfruentur, lib. 2.

A *Ast alios qui jam æquum coluere, bonumque,*
*Et quibus & pietas, & mens fuit optima cordi,*
*Sublatos geniis, rapidum per fluminis æstum,*
*Ducent in lucem, & secura munera vitæ,*
*Immortalis ubi magni via trita Tonantis;*
*Fontibus & trinis vinum, lac, mella scatebunt:*
*Terraque par cunctis, non ullis invia muris,*
*Aut interseptis, fructus feret uberiores*
*Sponte sua; victus communis, opesque beatæ, &c.*

Lege & librum 3. pag. 34.

Ultimò, illorum librorum Author sese Christianum profitetur, lib. 8. pag. 66. B

*Nos igitur sanctâ Christi de stirpe creati*
*Cælesti, nomen retinemus proximitatis,*
*Lætitiâ memores servantes religionem.*

Ex quibus omnibus colligitur Authorem octo librorum qui *Sibyllini* inscribuntur, professione Christianum fuisse, linguæ Hebraicæ, veræ Theologiæ, imò Historiæ & Geographiæ penitùs ignarum.

C

## DISSERTATIO II.

### *De Annis Nativitatis, Baptismi, Mortisque Christi.*

AD hujus Chronologiæ notitiam multa præmittere operæ pretium est. Sciendum enimverò, I. quid sit annus Julianus, II. quid Cyclus novemdecim annorum, qui & *Aureus numerus* vocatur; III. quid Cyclus Solaris; IV. quid Indictio; V. quid Periodus Juliana; VI. quid Æra Christiana, VII. quid Olympias.

D I. Cùm solaris annus dupliciter accipiatur, unusque sit exactus, qui Solis circuitu definitus est, & Tropicus, sive Astronomicus dicitur, qui constat diebus 365. horis 5. scrupulis 49. alter civilis, qui ad usum popularem accommodatus est, & constat diebus 365. & horis præcisè sex; quæ tandiu differuntur, dum collectæ diem efficiant; qui quarto quoque anno accedens ad summam, bissextilem annum facit; hic posterior annus Julianus appellatus est, quòd eum Julius Cæsar ad communem usum Romani orbis transtulerit. Hanc anni formam Cæsar introduxit operâ *Sosigenis* Mathe-
E matici insignis, anno Urbis conditæ vulgò septingentesimo-septimo, *Julio* ipso III. Consule, cum Collega *M. Æmilio Lepido*, sed & illo Pontifice Maximo ac Dictatore. Unde anni Juliani incipiunt à Calendis Januariis anni illius, quo Julius Cæsar quartum iniit Consulatum, qui quadragesimus quintus numeratur ante Æram vulgarem. Ista constant ex *Censorino* cap. XXII. *de Die Natali*, ex *Suetonio*, *Dione*, *Solino*, *Macrobio*, &c. Causa verò emendati à *Julio Cæsare* Kalendarii fuit fœda ejus corruptio, vitio priorum Pontificum, penes quos erat apud Romanos intercalandi, & annum
F lunarem (quo utebantur Romani, inde à *Numa Pompilio*) revocandi ad Solarem, cura. Quamobrem *Julius Cæsar* de anno solari ex Ægyptiorum consuetudine certior factus, coactus est intercalare in anno restituti Calendarii dies totos octoginta-novem, secundùm *Scaligerum* ex *Macrobio*; vel dies nonaginta, secundùm *Censorinum*: ita ut annus fuerit tum mensium quindecim, dierum 445. Calendis Januariis incidentibus in XIII. Octobris. Menses additi, fuere Macedonius dierum XXIII. tum duo menses interpositi inter Novembrem & Decembrem, seu dies LXVI. in menses duos tributi. Hinc annus ille vocatus à Scriptoribus, *Annus confusionis*: reverà confusionis ultimus; etiam *Annus*

*nus restitutionis*, proximè antecedens Julianum primum.

II. *Cyclus novem-decim annorum*, est periodus seu revolutio annorum Julianorum novemdecim. Dictus est annus Methonicus à *Methone* Atheniensi Astrologo, filio *Pausania*, qui primus eum docuisse fertur anno quarto Olympiadis LXXXVI. emendante postea *Calippo*, ac in quatuor Cyclis decennovalibus diem demente, cùm sex horæ in singulis Cyclis Methonicis abundarent. Ratio inventi hujus Cycli multiplex fuit. Prima quòd elapsis annis novemdecim cùm Novilunia, tum Plenilunia ferè ad eumdem terminum redeant. Altera, quòd beneficio Cycli hujus Lunaris termini Paschales, seu Lunæ Paschales singulorum annorum deinceps constitutæ fuerint, certæ illæ ac recurrentes Cyclo exacto. Traductus est ad usum Christianorum ab Alexandrinis primùm, diu ante Synodum Nicænam, præeunte istis *Anatolio Alexandrino* in Canonibus Paschalibus, teste *Eusebio libro* VII. *Historiæ Ecclesiasticæ*, cap. XXXII.

III. *Cyclus Solaris* est quidam veluti circulus, qui 28. annorum periodo continetur, quâ absolutâ ad eundem deinceps literarum Dominicalium ordinem regredimur. Nam ut in Calendario singulorum mensium dies à primo ad ultimum designantur: ita hebdomadarum dies septem primariis Alphabeti literis exprimuntur; quarum prima primo anni diei assignatur, ac aliæ deinceps aliis. Hæ porro literæ singulis feriis hebdomadis certâ quadam ratione illigatæ essent, ut sunt diebus mensis, si certo hebdomadum numero annus præcisè finiretur: id est, quemadmodum, *A*, primo diei Januarii semper affigitur, *B*, secundo; sic idem *A*, diem Dominicam semper notaret, *B*, feriam secundam & sic deinceps. Verùm quia dies anni sunt saltem 365. qui per septem distributi, hebdomadas 52. conficiunt, & diem unum superfluum: inde contingit, ut in eandem feriam, literamve annus desinat, à qua duxit exordium, adeoque sequens annus non jam ab eadem feria, sed à sequenti sumat initium; unde litera *A*, quæ primo Januarii diei affixa est, non jam eandem feriam designat.

Attamen si Bissextilis annus intercederet nusquam, orbis ille hebdomadicus septem annis absolveretur: atque ita singulo quoque septennio singulæ per orbem literæ vicissim Dominicam diem designarent. Verùm annus Bissextilis quarto quoque anno recurrens hujus æquabilitatem cursus interpellat: quia in eandem, unde incœpit, feriam non terminatur, sed in sequentem, quòd eo anno duæ sint literæ Dominicales. Unde fit ut orbis iste literarum Dominicalium, non jam septem annis, sed quater septem, hoc est, 28. annis definiatur.

IV. *Indictio* periodus est annorum quindecim. Hujus obscura origo. Illius non meminit *Censorinus*. Apud Ecclesiasticos Scriptores ante S. Athanasium, nulla ejus mentio. Is Synodum Antiochenam habitam scribit Indictione XIV. *Marcellino & Probino Coss.* Triplex vulgò distinguitur Indictio 1. Cæsarea, seu Constantiniana, quæ instituta fuit à *Constantino M.* anno Imperii septimo, Æræ vulgaris ter-centesimo-duodecimo, Septembris die XXII. qui dies cladis & interitûs *Maxentii* Tyranni, unde & incipiunt Indictiones Cæsareæ. 2. Constantinopolitana, sive Græca, quæ incipit à Calendis Septembris, & inde numerari cœpit sub Imperio *Justiniani*, ut idem esset Græcis Indictionis quod anni principium. 3. Pontificia sive Romana, quæ incipit à Calendis Januarii; quod auctoritate Pontificiâ factum est, ut Indictiones cum anni Juliani principio concurrerent.

V. *Periodus Juliana* est quidam orbis annorum ex triplici illo Cyclorum genere conflatus, scilicet Aureo numero, Cyclo Solari, & Indictione, ex quibus inter se multiplicatis resultant anni 7980. Hanc artificialem Periodum adinvenit Scaliger vir temporum peritissimus, vocavitque Julianam, quòd certo Julianorum annorum numero sit circumscripta, & ad trium Cyclorum methodum, quibus illi anni inter se distinguuntur, accommodata.

VI. *Æra Christiana* est numerus annorum à Christo nato. Æræ Christianæ institutum Dionysio Exiguo tribuitur, qui primus abolitâ annorum Diocletiani Epochâ, fastu & edicto Tyranni introducta, & annis Actiacis substituta, Cyclos suos Paschales annis ab Incarnatione Christi prænotatis consignavit. In hac porro Epocha omnes conveniunt, annosque Christi eodem modo computant, quamvis de anno quo reipsa natus est Dominus, magna inter Eruditos contentione, & opinionum dissensione certetur. Æræ nomen alii deducunt à voce *Æra*, quæ supputationem sive computum, aut summam significat apud Rufum Festum in Breviario Rerum Romanarum. *Parebo lubens Præceptis tuis, quippe cui desit facultas latiùs eloquendi, ac morem secutus calculonum, qui ingentes summas æris brevioribus exprimunt, res gestas signabo, non eloquar.* Alii derivant à compendiis antiquæ scriptionis A. ER. A, id est, Annus ERat, Augusti. Censent alii derivandam vocem ab Arabica, *Arach*, notavit tempus, adscripsit ætam, epocham, mensem. Unde Latina terminatione *Æra*, id est, numerus vel principium unde numerantur anni. Et revera ab Hispanis hæc vox primùm usurpata in signandis annis Æræ Hispanicæ, quibus Arabicæ multæ voces, in linguam suam (sed tamen seriùs, & post usurpatam jam vocem Æræ) hinc in Europæas alias traductæ fuerunt.

VII. *Olympias* est quatuor annorum solidorum decursus. Nomen sumpsit à Ludis Olympicis quinto quoque anno ineunte, magnâ frequentiâ celebrari solitis in Pisaride Peloponnensi regione, ad urbem Pisam, sive Olympiam. Dicuntur etiam Olympiades anni Iphiti, ab Iphito Rege Elidis, qui certamina illa instauravit anno ante æram Christi 776. periodi Julianæ 3938. 3228. ab Orbe condito. Chronologia porro per Olympiadas ducta celebratissima fuit apud Antiquos; unde Eusebius lib. decimo de Præparatione Evangelica, cap. decimo, ex Julio Africano hæc habet: *Ante Olympiadum seriem, Græcorum in Historia certi nihil, exploratique reperias: usque adeo perturbata sunt omnia, nec ulla secum ex parte consentiunt, quæ antea contigisse memorantur. At in Olympiadibus digerendis accuratè multi, diligenterque versati sunt, quòd non longo intervallo, sed tantùm suo cujusque res quadriennio definitas Græci, comprehensasque perscripserint.*

Hinc etiam Sanctus Augustinus lib. 2. de Doctrina Christiana cap. 28. ait: *Quicquid de ordine temporum transactorum indicat ea, quæ appellatur Historia, plurimùm nos adjuvat ad Sanctos Libros intelligendos. Nam & per Olympiadas, & per Consulum nomina, multa sæpe quæruntur à nobis, & ignorantia Consulatûs quo natus est Dominus Jesus, & quo passus est, nonnullos coegit errare, ut putarent 46. annorum ætate passum esse Dominum.*

QUÆSTIO

## QUÆSTIO I.

*Quo anno Christi Domini consignanda sit Nativitas.*

SUPPONENDUM est primò, ex Ecclesiæ judicio, id est, ex Conciliorum, Summorumve Pontificum Decretis, nihil haberi quo verus Christi Natalis annus certò cognoscatur.

Supponendum secundò, maximam esse Sanctorum Patrum inter se, & præcipuorum etiam, per omnes ætates, Scriptorum in assignando Natali Christi anno dissensionem: ex quo evidentissimè colligitur, nec illorum, nec istorum authoritate litem hanc dirimi posse. Quemadmodum enim ex pugnantibus testimoniis, judex nihil in utramvis partem statuere potest: ita ex diversis planeque discrepantibus hac in Chronologia Patrum, recentiorumque Doctorum placitis, accuratè dirimi non potest hæc, quam agitamus, controversia. Præcipuas illorum hoc de argumento opiniones recensere breviter non pigebit. Christi Natalem anno Juliano 42. seu 4. ante Æram vulgarem affixerunt Severus Sulpitius, dum libr. 2. Historiæ Sacræ asserit, anno Imperii Herodis 33. (post depulsum nempe Antigonum, annos ejus numerando) Christum natum esse, Sabino & Rufino (seu Rufo) Consulibus 8. Calendas Januarii. Chronicon Alexandrinum, Nicetas, Nicephorus Callistus (ut colligitur ex libr. 1. Historiæ ipsius Ecclesiasticæ cap. 10.) Cedrenus in Compendio Historiarum & Glycas 3. parte Annalium.

Sacrum Natale consignavit anno Juliano 43. seu 3. ante Æram vulgarem Tertullianus lib. adversùs Judæos, annum 41. Imperii Augusti (quo Consulatum primum, ac deinde Triumviratum invasit) ortui Christi assignans. In eadem sententia fuit Clemens Alexandrinus lib. 1. Stromatum. Eam secutus est & Sanctus Hieronymus in cap. 2. Isaiæ, & aliis in locis. Eidem sententiæ suffragantur S. Chrysostomus Homilia in illud, *Exiit edictum à Cæsare Augusto.* Tom. 6. Editionis Græco-Latinæ, Cassiodorus in Fastis, ubi disertè ait, Christum natum C. Lentulo & Messala Consulibus, anno Imperii Augusti 41. In eundem annum conveniunt è recentioribus nec pauci, nec ignobiles Authores, Eminentissimus Annalium Ecclesiasticorum Parens Baronius, in Apparatu, Scaliger libr. 6. de Emendatione Temporum, Torniellus in Annalibus, Vossius in Dissertatione de anno Christi Natali, & alii.

Christi Nativitatem anno Juliano 44. ante Æram vulgarem 2. addixerunt, Sanctus Hippolitus Portuensis in suo Canone Paschali, Sanctus Epiphanius Hæresi 51. ubi Augusto & Silano (seu Silvano) Consulibus, ante 8. Idus Januarii, Christum natum asserit; Eusebius Cæsariensis, qui annum 42. Imperii Augusti, & 28. ab Ægypto subjugata, & Antonii ac Cleopatræ morte, assignat Natali Christi, lib. 1. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 5. & annum tertium Olympiadis 194. in Chronico. Idem sentit Alexander Monachus Græcus, cujus extat Oratio de Sanctæ Crucis Inventione, apud Gretserum Tom. 2. de Cruce. Eidem Chronologiæ inhærent Paulus Orosius lib. 1. Historiæ cap. 1. & lib. 7. capp. 2. & 3. Freculphus Tom. 2. Chronologiæ lib. 1. cap. 2. & S. Isidorus Hispalensis, in Chronico.

Anno Juliano 45. ante Æram vulgarem primo, Christum natum existimasse videntur Apollinarius Laodicænus, apud Sanctum Hieronymum Com-

A mentar. in cap. 9. Danielis, & Julianus Pometius Episcopus Toletanus lib. 3. contra Judæos. Hanc sententiam sequuntur Tostatus parte 2. Defensorii, Capp. 11. & 12. Genebrardus in Chronico, Lucidus lib. 7. de Emendatione Temporum cap. 2. Labbeus in Concordia Chronol. aliique viri eruditi.

Epocham Nativitatis Christi fixerunt anno Juliano 46. Æræ nostræ vulgaris primo, Julius Africanus in fragmento, quod Petavius recitat lib. 8. Auctarii cap. 4. Panodorus Monachus Ægyptius, qui Arcadii Imperatoris ætate floruit, teste Syn-
B cello in Chronographia. Dionysius Exiguus, qui ab hoc anno suam Incarnationis Christi Æram orditur; Beda lib. de Temporum Ratione cap. 45.

Christi Natalem in annum Julianum 54. vulgaris Æræ nonum, protruserunt quidam antiqui innominati, de quibus agit Sanctus Epiphanius Hæresi 51. dixerunt enim Christum natum Sulpitio Camerino, & Cneo Poppæo Sabino Consulibus (sic enim legendum est, & ex Fastis Consularibus emendandus Epiphanii Textus, in quo habetur pro *Cneo Poppæo*, *Bœteo Pompeiano.*) In eadem sententia fuerunt S. Maximus parte 1. Computi
C cap. 32. Georgius Syncellus in Chronographia pagg. 515. & 316. Anastasius Nicænus lib. 7. in Hexaëmeron; Epiphanius Diaconus in VII. Synodo Tom. 2. Nicephorus Patriarcha Constantinop. in sua Chronographia. Hi enim omnes Christum natum asserunt anno mundi 5501. qui cum anno 9. Æræ vulgaris convenit.

Ab his omnibus Antiquorum sententiis recesserunt viri inter recentiores doctissimi Deckerus, Kepplerus, Petavius, Tirinus, Usserius, & Author Chronologiæ Sacræ, quæ ad calcem Bibliorum extat, apud Antonium Vitré excusorum an-
D no 1660. Has cùm veterum, tum recentiorum Authorum de Anno Natali Christi tam pugnantes opiniones summa diligentia refert eruditus Seneschallus Societatis Jesu Professor, in Triade Evangelica, Quæstione 1. à cap. primo ad decimum, singulasque exponit, ac suis vindicat Authoribus.

Ex his colligitur nonnullam opinandi libertatem hac in controversia Chronologica relictam nobis esse, cùm tantam sibi cùm Antiqui, tum Recentiores permiserint.

Hæc in antecessum notata velim, ut diluantur argumenta quæ adversùs mox à nobis stabiliendam
E Propositionem quidam ex Veterum autoritate objicerent importuniùs. Fatebimur namque nos ab Antiquis discedere, non levibus ductos rationibus. Nec vitio nobis verti poterit quòd Antiquitati refragemur in quæstione, quæ ad fidem minimè pertinet, & in qua non satis ipsa sibi constat, sed in studia planè contraria incerta scinditur. Tenemur enim duntaxat Veteres sequi, cùm in eandem sententiam conspirant vel omnes, vel saltem plurimi: at ubi ita dissentiunt ab invicem, ut quivis fere suæ sit opinionis Author, ipsos deserere licet. His positis sit.

F

### PROPOSITIO.

*Christus natus est anno Juliano quadragesimo primo desinente; ante Æram vulgarem, quinto Imperii Augusti quadragesimo à conducto Exercitu, seu vigesimo sexto à morte Cleopatræ; regni Herodis trigesimo quarto à morte Antigoni, vel trigesimo septimo à concesso sibi regno; urbis Romæ conditæ septingentesimo quadragesimo nono; Olympiadis centesima nonagesima tertia anno quarto; à Diluvio, bis millesimo, ter centesimo quadragesimo quarto; à Mundi creatione, quater millesimo; Periodi Julianæ,*

*quater millesimo, septingentesimo nono; Hebdomadum Danielis anno quadringentesimo quinquagesimo. Consulibus Augusto Cæsare XI. sive XII. & L. Cornelio Sulla II.*

Probatur. Christi Natalis mortem Herodis anno fermè integro antevertit: Atqui Herodes mortuus est anno Juliano 42. ante Æram vulgarem 4. ergo Christus natus est anno Juliano 41. ante Æram vulgarem quinto.

Major constat ex Scriptura sacra, quæ testatur Christum natum *in diebus Herodis Regis*, Matth. 2. & Infantium cædem post Natale Christi aliquanto tempore perpetratam; siquidem non ante ipsam aggressus est Herodes, quam Magi ad Christi præsepium, stella duce, pervenissent; quamque sat temporis elapsum esset, ut se ab illis delusum agnosceret. Cùm igitur hæc anno ipso fatali Herodis contigerint, nec dierum 5. intervallo potuerint peragi; hinc evidenter colligitur plures quàm quinque dies inter mortem Herodis, & Christi Nativitatem intercessisse: adeoque Christus natus non est anno 42. Juliano exeunte. Cùm igitur Christum mense Decembri, & 25. hujus mensis die natum ex traditione constet, sequitur illum anno integro fermè ante mortem Herodis natum.

Præterea dies mortis Herodis assignatur septimo mensis Casleu, id est, circa Novembris nostri diem 25. qui ideò à Judæis festivus habetur, quòd *in eo Herodes, qui sapientes odio prosecutus est, mortem obierit*, ut ex Judæorum Jejunii volumine annotat Usserius. Ergo necesse est Christum natum esse Decembri præcedente, anno scilicet Juliano 41.

Probatur Minor ex Josepho lib. 17. Antiquitatum Judaïcarum cap. 10. *Defunctus est Herodes post detrusum regno Antigonum anno 34. ex quo autem à Romanis Rex declaratus est, anno 37.* In Græco textu habetur, Βασιλεύσας μὲν ἀφ' οὗ ἀνεῖλεν Ἀντίγονον, &c. id est, *cùm regnasset, postquam sustulit Antigonum, annos 34.* Atqui Herodes salutatus est Rex à Romanis circa Autumnum anni Juliani 6. (quo de anno inter omnes convenit Eruditos) & tertio post anno, hoc est Juliano nono, devicto interfectoque Antigono, rerum potitus est, ut Josephus mox laudatus testatur. Igitur ab hoc anno Juliano nono, 34. vel à sexto illo 37. numerandi sunt anni, quorum ultimus est annus Julianus 42. ante vulgarem Æram 4. adeoque hoc anno consignanda est mors Herodis.

Confirmatur primò eadem Minor. Eo anno mortuus est Herodes, quo Eclipsis Lunæ contigit conspicua Hierosolymis, & adeò funesta, ut Dei vindicis iram in Tyrannum testari videretur, atqui hæc Eclipsis contigit anno Juliano 42. circa Pascha, Martii 13. tribus circiter horis ante ortum Solis, ut constat ex Tabulis Astronomicis. Nam eclipses, quas annis Julianis 43. & 44. notant nonnulli, ut his Herodis mortem illigare possint, vel eclipses veræ non fuerunt, sed plenilunia minimè ecliptica; vel Hierosolymis visæ non sunt (ut demonstrat ipsis sensibus Tabularum Astronomicarum fides.) Visa quidem est eclipsis Hierosolymis anno Juliano 45. seu primo ante Æram vulgarem; sed hæc non est illa, quam memorat Josephus anno fatali Herodis. Contigit quippe eclipsis à Josepho memorata, & proximi obitûs Herodis prænuntia, ipsa nocte qua Matthiam Margalothi, & ejus socios, ob deturbatam Aquilam auream, quam supra majorem portam Templi ipse contra legem erexerat, flammis addixit. At citra omnem fidem est id ab Herode imperatum esse ut fieret illa nocte qua contigit eclipsis anno Juliano 45. seu 1. ante vulgarem Æram: nam deliquium istud Lunæ, quod decimâ Januarii die visum est, incidit in noctem qua inchoabatur Sabbathum; cujus proinde religionem, apud Judæos sacratissimam, nemo facilè credat fuisse ab Herode, tam nullâ urgente causâ, funestatam vivicomburio sapientum & religiosorum juvenum, qui auream Aquilam deturbaverant; imò tam fœdè violatam, contra privilegia genti Judaicæ à Romanis concessa, ne Sabbatis in jus trahi posset, aut suppliciis affici.

Adde, quod hujus eclipsis annus regni Herodis quadragesimus esset à priori epocha, trigesimus verò septimus à posteriori; quod repugnat Chronologiæ vitæ Herodis à Josepho diligenter descriptæ, secundùm quam 37. anni regni duntaxat ab epocha priore, 34. verò à posteriore, ipsi conceduntur. Ergo eclipsis, quæ contigit anno Juliano 45. & 1. ante Æram vulgarem, connexionem habet nullam cum Herodis morte. Itaque sola illa defectio Lunaris, quæ Hierosolymis visa est anno Juliano 42 ante Æram vulgarem 4. palmaris & invictus character est, quo annus fatalis Herodis certò cognosci possit: adeòque asserendum est ipsum eodem illo anno mortuum fuisse.

Major constat ex Josepho lib. 17. Antiquitatum Judaicarum cap. 8. *Cæterùm* inquit, *Herodes post multatum Matthiam sacerdotio, alterum Matthiam seditionis authorem, ejusque socios vivos exussit: in quam noctem etiam defectus Lunæ incidit. Regi verò morbus factus est gravior, pœnam impietatis exigente Numine.*

Confirmatur secundò eadem Minor ex epocha principatus Archelai. Hic scilicet, post obitum Herodis parentis, dimidia parte ditionis illius ab Augusto donatus, & Ethnarcha declaratus est, qui cùm novem annos principatus explevisset, ac decimum inchoasset, à Primoribus cùm Judæorum, tum Samaritanorum, non ferentibus ejus tyrannidem, delatus ad Cæsarem est, & Viennam Galliæ urbem relegatus, cùm priùs omni pecuniâ multatus esset; ut constat ex Josepho lib. 2. de Bello Judaico cap. 6. & lib. 17. Antiquitatum cap. 15. Contigit autem Archelai exauctoratio & exilium sub finem anni quo Romæ Consules fuerunt M. Æmilius Lepidus, & L. Aruntius, ut testatur Dio lib. 55. qui Consules anno Juliano 51. Æræ vulgaris 6. Magistratum gesserunt. Jam ab annis 51. novem tolle, (decimo enim ineunte Archelaus exulare jussus est) relinquetur annus quadragesimus secundus Julianus, ante vulgarem Æram quartus, qui primus fuit Principatûs Archelai, adeòque fatalis Herodis.

Præterea Josephus lib. 18. Antiquitatum cap. 3. testatur, *Quirinium*, tum ab Augusto in Judæam missum, *vendidisse, & fisco addixisse Archelai facultates, censumque peregisse. qui incidit in annum 37. post victum à Cæsare in Actiaca pugna Antonium.* Hæc porrò victoria contigit C. Cæsare III. & Messala Corvino Consulibus, die secunda Septembris. Qui Consules Magistratum gessere anno Juliano decimo-quinto. Jam 37. ad 15. adjice, exorget annus Julianus 52. qui cum Archelai decimo ineunte concurrit. Rursus ex 52. deme decem, manebit annus 42. initio Principatûs Archelai, adeòque Herodis morti assignandus.

Confirmatur tertiò eadem Minor, ex iis quæ narrat Josephus de Philippo, altero Herodis Ascalonitæ filio, qui paterni regni partem, Tetrarchiæ nomine, à Cæsare obtinuit; quod scilicet *rebus sua Tetrarchia ordinatis & compositis, vico Bethsaida, in ripa lacûs Genesarethini, urbis speciem addidit, frequentato incolis, & aucto opibus, quem Juliæ Cæsaris filiæ cognominem esse voluit.* Lib. 18. Antiquitatum cap. 3. Porrò ultra evulgatam Juliæ infamiam, propalataque ejus adulteria; differri urbis illius dedicationem, nullo mo-

Augusti in Julianum testantur Suetonius in Octavio. & Tacitus 1. Annal.

do

do patitur Augusti animus, usque adeo à filia tantis probris fœdata abalienatus, ut ne minimam quidem ejus mentionem ferre posset. Neque etiam id patitur politicum Philippi ingenium, qui filiam ita parenti exosam tanto honore prosequi ausus non fuisset, cùm gratiæ Cæsaris aucupandæ unicè studeret.

Detecta sunt autem Juliæ flagitia Augusto XII. sive XIII. & M. Plautino Silvano Consulibus; cui Silvano C. Caninius Gallus in Consulatu, eodem anno suffectus est, ut colligitur ex Velleio Paterculo lib. 2. Horum verò Consulatus incidit in annum Julianum 44. ante Æram vulgarem 2. Ergo hoc ipso anno propalata est Juliæ infamia, sub Autumnum. Cùm igitur solidum saltem biennium opus fuerit Philippo primùm ad res suæ Tetrarchiæ ordinandas; deinde ad novæ urbis opus perficiendum, antequam Juliæ crimina in publicum proferrentur: hinc colligere est Philippum Tetrarchiam iniisse anno Juliano 42. ante Æram vulgarem 4. adeóque hunc annum Herodis illius parentis fatalem fuisse.

Confirmatur ultimò eadem Minor ex Chronologia vitæ & principatus ejusdem Philippi Tetrarchæ. Is enim obiit *anno Imperii Tiberii* 20. *cùm ipse præfuisset* 37. *annis Trachonitidi, & Gaulanitidi, ac Batanea*, ut testatur Josephus lib. 18. Antiquitatum cap. 6. Porrò cœpit regnare Tiberius anno Juliano 59. Æræ vulgaris 14. die 19. Augusti, ut ex Fastis Consularibus constat. Ergo ejus annus vigesimus concurrit cum anno Juliano 79. *Æræ* vulgaris 34. Cùm igitur 37. annis Tetrarchiam suam rexerit Philippus; si hos de 79. demas, supererit annus Julianus 42. adeóque hic annus primus fuit principatûs Philippi, & ultimus Herodis.

Cùm igitur à nobis statutum sit, Christum anno fermè integro ante mortem Herodis natum esse, compertum est sacram ejus Nativitatem anno Juliano 41. desinente, & 5. ante Ætam vulgarem, esse consignandam. Porrò, fatentibus omnibus Chronologis, hic annus Augusti Imperatoris 40. erat à conducto Exercitu, seu 26. à morte Cleopatræ; ab Urbe condita 749. Olympiadis 193. quartus; à Diluvio 2344. à Mundi creatione quater millesimus: Periodi Julianæ quater millesimus septingentesimus nonus; Hebdomadum Danielis quadringentesimus quinquagesimus. Eoque annô Consulatum gesserunt Augustus Cæsar XI. sive XII. & Lucius Cornelius Sulla II. Ergo his omnino annis consignandum est Christi Natale.

Objicitur primò. Eo anno Christus natus est, quo descriptio facta est à Præside Syriæ Quirino: atqui hæc facta est anno Juliano 43. ante Ætam vulgarem tertio: ille igitur verus est annus Natalis Christi.

Major constat ex Evangelio S. Lucæ cap. 2. scribentis: *Factum est autem in diebus illis, exiit Edictum à Cæsare Augusto, ut describeretur universus orbis. Hæc descriptio prima, facta est à Præside Syriæ Cyrino, & ibant omnes ut profiterentur singuli in suam civitatem. Ascendit autem & Joseph à Galilæa de civitate Nazareth, in Judæam, in civitatem David, quæ vocatur Bethleem: eò quòd esset de domo & familia David, ut profiteretur cum Maria desponsata sibi uxore prægnante. Factum est autem, cùm essent ibi, impleti sunt dies ut pareret.*

Probatur minor. Illa descriptio facta est anno 2. Olympiadis 194. ut statuit Eusebius in Chronico, pro quo, Typographorum oscitantiâ, positus est Domitu Natalis anno 3. ejusdem Olympiadis. Atqui annus 2. Olympiadis 194. concurrit cum anno Juliano 43. ante vulgarem Ætam 3. Ergo descriptio, cujus meminit S. Lucas, isto anno facta est.

Confirmatur. Christus natus est Consulibus Cn. Cornelio Lentulo, & M. Valerio Messala, sive Messalino, ut testatur Cassiodorus, qui Fastos Consulares accuratissimè conscripsit. Sed illorum Consulatus incidit in annum 2. Olympiadis 94. seu Julianum 43. & 3. ante Æram vulgarem: hoc itaque anno Christus natus est.

Respondeo, distinguo Majorem. Eo anno quò descriptio facta est à Præside Syriæ Cyrino, id est, quo descriptionem illam ab Augusto indictam, & à Cyrino primùm cœptam, alter Præses aliquot post annis absolvebat, concedo. Id est, eo anno, quo Cyrinus ipse descriptionem illam perfecit, nego. Minorem pariter nego, scilicet quòd anno Juliano 43. sive 2. Olympiadis 194. facta sit illa descriptio à Cyrino. Nec movet me Eusebii authoritas, cui multa alia repugnant; præsertim series annorum Herodis à Josepho longè antiquiori Authore, & Herodis fermè synchrono, accuratè consignata.

Ut solutio intelligatur, notandum est Augustum Cæsarem, à subacta Ægypto, *Censum populi ter egisse; primum ac tertium cum Collega: secundum, solum*: ut testatur Suetonius in Octavio, cap. 27. & ut disertissimè tradit Monumentum Ancyranum à Busbequio descriptum, & à Lipsio illustratum; ex quo constat primum Censum universalem, indictum ab Augusto, inchoatum fuisse Romæ anno Juliano 18. ante Æram vulgarem 28. ab Augusto & Agrippa Consulibus: secundum ab Augusto solo, anno Juliano 38. ante Vulgarem Æram 8. tertium anno Juliano 59. Æræ vulgaris 14. ab Augusto & Tiberio jam tum Imperii consorte.

Horum Censuum generalium primus & tertius, non sunt indices Nativitatis Christi, ut per se perspicuum est, sed secundus duntaxat, à Sancto Luca proculdubio indicatus his verbis: *Exiit edictum à Cæsare Augusto ut describeretur universus orbis.*

Sed quòd Census ille à Cyrino perfectus asseratur, non omnino necesse est. Habet quidem Sanctus Lucas, secundum Editionem nostram Vulgatam; *Hæc descriptio prima facta est à Præside Syriæ Cyrino.* Sed Vulgata Editio ex Græco S. Lucæ textu emendanda est, in quo omissa præpositione, sic legitur; Ἡγεμονεύοντος τῆς Συρίας Κυρηνίου, id est, *Præside Syriæ Cyrino.* Quibus significatur Censum illum peractum esse, dum Quirinus Syriæ præesset, non tamen ab ipso Quirino: sed potuisse ab alio peragi. In expunctionem præpositionis, A, cum Græco textu conspirant Versiones Syriaca, Arabica, Persica, & Æthiopica. Conspirant & Latini Codices nonnulli, quos castigatiores existimat Pamelius in Notis ad lib. 4. Tertulliani adversùs Marcionem, num. 276. ubi & Sanctum Ambrosium, & Julianum Pomerium, Græco textui suffragari notat. His calculum suum adjicit sacræ Scripturæ clarissimus Interpres Maldonatus. Certè Tertullianus lib. 4. adversùs Marcionem cap. 19. disertè scribit censum, de quo agimus, actum per Sentium Saturninum, *Constant*, inquit, *census acti sub Augusto, tunc in Judæa, per Sentium Saturninum, apud quos genus ejus*, nempe Christi, *inquirere potuissent.* Id ex ipsis Tabulis Censualibus hausisse videtur Tertullianus, cùm asserat cap. 7. ejusdem libri, *Censum Dominicæ Nativitatis testem fidissimum in Romanis Archivis custodiri.*

Census igitur ille nec à Cyrino perfectus est, nec ipso propriè Præside Syriæ, sed Censore duntaxat inchoatus. Namque M. Titium præfuisse Syriæ, annis Julianis 36. 37. & 38. Sentium Saturninum annis proximè sequentibus: hujus verò successorem Quinctilium Varum aliquandiu ante mortem Herodis, & post eam, Syriæ Præsidem egisse,

se, clarè ex Josepho, Strabone & Appiano demonstrat Casaubonus Exercitatione 1. Num. 30. adeò ut nullus sub illud tempus Quirini Præfecturæ locus relinquatur. Accedit, quòd Josephus, qui honorificè meminit Quirini lib. 17. Antiquitatum cap. 15. & lib. 18. cap. 1. nullam Præfecturæ Syriæ, aut census ab ipso acti per Judæam, sub mortem Herodis, mentionem facit; cùm id locus ille flagitaret, si ita se res habuisset.

Census itaque universalis ab Augusto indictus anno Juliano 38. perfectus non est Cyrino verè proprieque Præside Syriæ; sed Cæsaris Legato ad censum illum ineundum. Vox enim Græca, Ηγεμονεύοντος, quâ Sanctus Lucas Quirini munus significat, de quavis potestate paulò majore promiscuè usurpatur, ut norunt quotquot Græcè norunt: unde S. Lucas Pilatum vocat Ηγεμόνα, qui propriè Præses non erat Judææ, sed tantùm Procurator; & Josephus eodem titulo ornat Volumnium Saturnini Legatum. Hinc S. Justinus Apologia 2. Quirinum vocat Επίτροπον, id est, *Procuratorem*, non *Præsidem*.

Igitur missus est ab Augusto in Syriam cum extraordinaria potestate Quirinus, & in alias fortassis Orientis provincias; ad censum peragendum, cùm Saturninus jam Syriæ Præses, & ordinarius Moderator esset. Sed negotium census vix incœptum, statim intermittere coactus est ob turbas Homonadensium, qui tum adversùs Romanos rebellarunt. Promovit autem, atque absolvit Saturninus censum à Quirino inchoatum, cui ad tam arduum faciliùs exequendum munus (ut credere par est) adjuncti sunt à Cæsare Volumnius Procurator, & Pedanius Legatus, quorum Josephus meminit lib. 1. de Bello Judaïco cap. 17. Porro Sanctus Lucas descriptionem factam sub tempus Natalis Christi, scribit factam à Quirino, quia ab ipso cœpta est. Tertullianus ait, ipsam per Saturninum actam, quia is ipsam promovit, & absolvit. Josephus honores Quirini memorans, eam prætermisit, quia statim ab ipso fuit interrupta.

Respondeo secundò, negando Majorem. Non eum enim esse verborum Sancti Lucæ sensum dici potest, quòd natus sit Christus eo anno, quo descriptio prima facta est *à Quirino*: vel *Cyrino Syriæ Præside*: sed quo facta est descriptio prior illa, quam post Archelai relegationem Quirinus instituit, perfecitque, novem jam annis ab Herodis morte exactis; de qua Josephus lib. 18. Antiquitatum cap. 1. ita scribit: *Interea Quirinius Senator Romanus, per omnes honorum gradus ad Consulatum usque provectus, & imprimis clarus, à Cæsare mittitur in Syriam, ut jura populis redderet, facultatesque censeret omnium: & cum eo venit Coponius Præfectus turmæ Equitum, penes quem esset totius Judææ rerum administratio. Quin & ipse Quirinius in Judæam venit jam attributam Provinciæ Syriæ, ut percenseret facultates ejus regionis civium, & Archelai pecunias in potestatem suam redigeret.*

Hanc itaque descriptionem à Natali Christi remotiorem ut excludat Sanctus Lucas, scribit eam, quæ sub tempus Nativitatis Christi peracta est, priorem fuisse eâ, quam Quirinus jussu Augusti instituit, abdicato jam Archelao, quæ recentioris erat memoriæ; nimirum eam quæ per Sentium Saturninum sub mortem Herodis peracta est. Unde Græcus S. Lucæ textus, qui sic habet: αὕτη ἡ ἀπογραφὴ πρώτη ἐγένετο ἡγεμονεύοντος τῆς Συρίας Κυρηνίου. Hunc Latinè sensum reddit: *Hæc descriptio prior facta est, quam Syriæ præesset Quirinius.* Ita ut nomen positivum πρώτη, vim habeat comparativi προτέρα, qui loquendi modus Scriptoribus Græcis solennis est, ut multis probat vir eruditus Hervartus, novæ Chronologiæ cap. 541. Duo ex Evangelio Sancti Joannis exempla præsto sunt. Cap. 1. Joannes Baptista de Christo ait: πρῶτός μου ἦν: quod noster Interpres rectè vertit: *Prior me erat*. Et cap. 15. Christus de seipso ait: ἐμὲ πρῶτον ὑμῶν μεμίσηκεν, quod ita reddit Vulgatus Interpres: *Me priorem vobis odio habuit.*

Ad confirmationem, nego quòd iis Consulibus natus sit Christus, sub quibus illius sacrum Natale Cassiodorus notat, quia Collegium illud Consulum incidit in annum secundum post mortem Herodis. Nam Herodes Romæ declaratus est Rex Cn. Domitio Calvino II. & C. Asinio Pollione Consulibus mense Octobri, anno scilicet Juliano 6. ante Æram vulgarem 40. Mortuus verò est C. Calvisio Sabino, & L. Passieno Rufo Consulibus, ante Pascha scilicet anni Juliani 42. & ante Æram vulgarem 4. (triginta namque & septem anni, quibus circumscribitur regnum Herodis, utrumque illum terminum interfluxerunt.) Cornelius autem Lentulus, & Valerius Messalinus, Calvisio Sabino, & Passieno Rufo in Consulatu successerunt. Igitur si sub illorum Consulatu constituatur Christi Natale, sequitur illum post mortem Herodis natum esse, quod è regione repugnat Evangelio asserenti Christum natum esse *in diebus Herodis Regis*. Ob eandem rationem deserimus Eusebium consignantem Nativitatem Christi sub iisdem Consulibus, anno scilicet 2. Olympiadis 194.

Contra. Ecclesia Romana in suo Martyrologio Chronologiam Eusebii sequitur; legit enim quotannis nono Cal. Januarii, *Christum natum esse Olympiade* 194. Ergo Ecclesia Romana probat ipso suo usu Eusebii Chronologiam; adeoque illa cæteris anteponenda est, nisi Ecclesiæ sententiam deserere velimus.

Respondeo; distinguo antecedens: Sequitur Chronologiam Eusebii, quia recepta erat à pluribus, quo tempore Martyrologium editum est; & in ratione temporum sese populari usui accommodat, concedo. Quia illam Chronologiam judicio suo probaverit, Nego. Neque enim ad hujusmodi controversiarum disceptationem judicium suum interponit Ecclesia, nec ad eas minutias & tricas gravitatem majestatemque suam demittit. Quemadmodum igitur Ecclesia 70. Seniorum Chronologiam sequitur in suo Martyrologio, cùm Dominicam Nativitatem his verbis annunciat: *Anno à creatione mundi quinquies millesimo centesimo nonagesimo nono, à diluvio verò anno bis millesimo nongentesimo quinquagesimo septimo* &c. *Jesus Christus in Bethleem Judæ nascitur factus homo.* Et tamen Eruditi hanc, quam Patres omnes secuti sunt, & quam tot sæculorum usus probavit, numerandi rationem ut falsam vitiosamque rejiciunt, & Hebraici Textus, Vulgatæque nostræ Editionis Chronologiam amplectuntur; nec id religioni ducunt, quia minimè curat Ecclesia quot ante Christum annis reipsa sit mundus conditus. Ita licèt Ecclesia sese olim accommodaverit Chronologiæ Eusebii, & juxta eam recitetur in Martyrologio, *Christum natum esse Olympiade* 194. citra pietatis & venerationis, quam erga Matrem nostram Sanctam Ecclesiam profitemur, dispendio impugnare possumus Eusebii Chronologiam, & aliam sectari, quia has quæstiones filiorum suorum disceptationi permittit Ecclesia.

Contrà. Chronologia Eusebii cum Evangelica magis convenit Historia, quàm alia ratiocinia. Cæteris igitur anteponenda est.

Probatur antecedens. Annus 15. Imperii Tiberii Cæsaris, quo baptizatus est Christus, incidit in annum 4. Olympiadis ducentesimæ primæ: atqui baptizatus est anno ætatis suæ trigesimo, ut colligitur ex Evangelio, Lucæ 3. ergo ab eo tempore Olympiades enumerans, invenies Christum natum

Olympiadis

Olympiadis 194. anno 2. Ab isto namque anno ad 15. Tiberii cum septem plenæ Olympiades intercedant, & duo reliqui sint anni 194. Olympiadis, septenario quater revoluto, illisque duobus annis superadditis, trigesimus Christi annus expletur.

Respondeo, nego antecedens. Ad ejus probationem dico, ex cap. 3. S. Lucæ non posse de ætate Christi Domini, cùm à Joanne tinctus est in Jordane, certi aliquid erui; imò verò si solus Evangelii Textus spectetur, probabilius est ipsum infra trigesimum annum, aut paulò supra tum fuisse, quàm præcisè trigesimum absolvisse. Non enim ait S. Lucas Christum fuisse annorum triginta; sed, quasi annorum triginta, cùm Joannes ministerium obire suum cœpit. Præterea, quamvis trigesimum annum definivisse Evangelistam existimemus, non hinc tamen ætas ipsa aut Natalis annus Domini colligi certò potest. Ad hoc enim necesse esset Epocham Baptismi Christi anno 15. Tiberii Cæsaris à S. Luca fixam esse; quod nequaquam ita est: quippe anno 15. Tiberii Joannem duntaxat ad ministerium prodiisse scribit. At quantum inter initium prædicationis Joannis, & Baptismum Christi, tempus intercesserit, res est quæ ex Evangelio definiri non possit. Denique quis ariolari possit, unde S. Lucas initium duxerit annorum Tiberii? Num à 14. Calendas Septembris, quo imperare cœpit? Num ab initio anni civilis? quod fieri potuit trifariam: More Romano, à Calendis Januariis; more Judaico, à mense Nisan; more Antiocheno, vel Syriaco, à mense Hyperberetæo, sive Octobri. Nullum igitur Eusebiana Chronologia in Evangelio præsidium habet.

Objicitur secundò. Christus natus est anno 42. Imperii Augusti, ut testantur Eusebius in Chronico, & lib. 1. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 5. & S. Epiphanius Hæresi 51. quæ est Alogorum. Sed annus 42. Imperii Augusti concurrit cum anno 2. Olympiadis 194. & cum Consulatu Cornelii Lentuli, & Valerii Messalini, cum anno denique Juliano 43. ante vulgarem Æram 3. hoc igitur anno consignanda est Christi Nativitas.

Respondeo, nego Majorem. Neque me movet Eusebii & S. Epiphanii authoritas; à quibus ut discedam, non levis est ratio. Mortuus enim est Herodes ante Pascha anno 1. Olympiadis 194. Imperii Augusti Cæsaris 41. Consulibus Sabino & Rufo; adeóque si Christus natus asseratur anno 42. Imperii Augusti, consequens est ut dicatur natus anno fermè integro post mortem Herodis; quòd Evangelicæ Historiæ repugnat. Et certè quavis ratione anni Augusti Imperantis numerentur, in 42. incidisse Christi Natale, ut Eusebius ejusque sectatores contendunt, evinci nequaquam potest. Id ut manifestum fiat, notandum est Augusti primordia quadruplici ratione numerari.

Primò namque numerari possunt anni Augusti à nece Julii Cæsaris, & à conducto exercitu. Secundò à primo ejus Consulatu. Tertiò ab Actiaca victoria. Quartò à morte Antonii & Cleopatræ.

A nece Julii Cæsaris, & à conducto exercitu, Augusti imperantis annos numerat Josephus lib. 18. Antiquitatum Judaïcarum cap. 3. ubi scribit, ipsum *præfuisse Reipublicæ annos 57. 6. mensibus, ampliùs & diebus 2. in quo numero 14. sunt anni, quibus Antonius ei fuit imperii socius & particeps.* Sic etiam numerat annos Augusti Maximus Monachus in Computo, cùm ejus principatui 57. annos assignat. Occisus autem est Julius Cæsar Idibus Martiis, anno Juliano 2. ante vulgarem Æram 44. & eodem anno ante diem 29. Calendas Octobris, exercitum privato consilio & privatis impensis Augustus comparavit, annos tantùm unde viginti natus, ut ipse in Breviario rerum suarum Ancyrano Marmori insculpto indicat (Gruteri Inscriptionum pag. 230.) Unde cùm necesse sit Christum natum asserere 25. Decembris, anni Juliani 41. ante vulgarem Æram 5. (si ante mortem Herodis consignetur ejus Natale, ut omnino consignandum est) secundùm eam numerandi rationem consequens est Christum natum esse anno 40. Imperii Augusti.

Annos Augusti à primo ejus Consulatu numerant, Author libri de Claris Oratoribus, Chrysoros M. Aurelii Veri libertus, & Nomenclator apud Theophilum, lib. 3. ad Autolycum, & alii, qui ejus Imperium 56. annis circumscribunt. Consulatum autem invasit Augustus 19. Augusti, anno Juliano 3. ante Æram vulgarem 43. quo Hirtius & Pansa Consules in bello adversus Antonium mortui sunt, ut scribunt Suetonius in Octavio cap. 8. & Eutropius lib. 7. Id confirmat ex ipsius Augusti Commentariis Plutarchus, in Bruto; *Circumfuso, inquit, urbi exercitu, Consulatum accepit, vix dum adolescens, & vigesimum annum agens, ut in Commentariis ipse retulit.* Eodem anno cum Lepido & Antonio conspirans, Triumviratum suscepit. At si ita numerentur anni Augusti, à primo scilicet ejus Consulatu & Triumviratu, ejusque principatui anni 56. assignentur; consequens est Christum natum esse anno illius 41. (quod asserunt Sanctus Irenæus lib. 3. adversùs Hæreses cap. 25. Tertullianus lib. adversùs Judæos cap. 8. & S. Hieronymus in cap. 2. Isaiæ) quamvis Sanctus Irenæus videri possit nostræ opinioni suffragari, siquidem non ait absolutè Christum natum esse anno 41. sed circa annum 41. Imperii Augusti. Tertullianus verò lapsus sit memoriâ; siquidem primordium annorum 56. quos tribuit Augusto, accersit à morte Cleopatræ, cui 43. duntaxat annis vixit superstes. Sed Christum natum non esse anno 41. Imperii Augusti, hoc est Juliano 42. ante Æram vulgarem 4. ex eo probavimus, quòd hoc ipso anno mortuus sit Herodes mense Novembri. Unde consequens est Christum natum esse anno præcedenti, 25. Decembris, id est anno Augusti 40. cadente.

Annos Augusti ab Actiaca victoria numerat Dio, lib. 56. scribens: *Solus summum imperium gessit à victoria apud Actium, annos 44. minus diebus 13.* Et Suetonius in Octavio cap. 8. *Atque ab eo tempore*, id est, à morte Julii Cæsaris, inquit, *exercitibus comparatis, primùm cum M. Antonio, Marcoque Lepido; dein tantum cum Antonio, per 12. fere annos: novissime per 44. solus Rempublicam tenuit.* Victoriam porrò de Cleopatra & Antonio reportavit Augustus anno Juliano 15. ante Æram vulgarem 31. die 2. Septembris, à quo tempore Monarchiæ Augusti anoi sunt 44. & secundùm istam numerandi rationem Christus natus est anno Augusti 27. non 28. ut Esebius & Clemens Alexandrinus volunt: nam annus 28. Augusti ab Actiaca pugna est annus ipse fatalis Herodis. Evicimus porrò Christum anno fermè integro ante mortem Herodis natum esse.

Denique annos Augusti à morte Cleopatræ numerasse videri potest Horatius lib. 4. Ode 14. cùm ita cecinit;

*——— Nam tibi quo die*
*Portus Alexandrea supplex,*
*Et vacuam patefecit aulam;*
*Fortuna lustro prospera tertio*
*Belli secundos reddidit exitus:*
*Laudemque, & optatum peractis*
*Imperiis decus arrogavit.*

Quibus innuit Horatius, eodem die, quo Ale-

 xandria

xandria & Ægypto potitus est Augustus, post Antonii & Cleopatræ necem, & solus imperium universum moderari cœpit, Rhætos Vindelicos à Druso & Tiberio superatos, Romanoque Imperio subjectos fuisse, anno 15. labente.

Sic etiam annos Augusti numerat Philo Judæus lib. de Legatione ad Caium, ubi scribit Augustum per annos tres & quadraginta Ægyptum tenuisse. Porrò sibi mortem intulerunt Antonius & Cleopatra anno Juliano 6. ante Æram vulgarem 30. quo si exordium Monarchiæ Augusti figatur, annis 43. ejus definitur Imperium ex quo solus regnare cœpit, mortuo ejus hoste iofensissimo, & æmulo Imperii Antonio. At secundùm istam numerandi rationem, Christus natus est anno Augusti 26.

Itaque ex bis omnibus colligitur falsum esse quod Eusebius & Epiphanius scripserunt, quodque post eos viri propugnatunt alioquin eruditi, Christum anno 42. Imperii Augusti natum esse.

Objicitur tertiò. Vulgaris Æra, cujus Author est Dionysius Exiguus, Ecclesiæ authoritate & usu probata est. Atqui juxta illam Christus natus est anno Juliano 46. Claudio Cæsare nepote Augusti, & Lucio Æmilio Paulo Consulibus, anno Imperii Augusti 44. Olympiadis 194. anno 4. Igitur hoc anno coosignanda est Christi Nativitas; alioqui cum Æra vulgaris à Natali Christi ducat exordium, numerari jam deberet, secundùm nostram sententiam, annus Christi 1678. cùm numeretur tantùm 1674.

Respondeo, nego Majorem. Non enim Ecclesiæ usus in rebus merè chronologicis argumento est banc vel illam Chronologiam ab Ecclesia probari, vel improbari. More namque receptis utitur Ecclesia, nec solet ad ejusmodi minutias tam diligenter disquirendas, majestatem ac dignitatem suam demittere. Sic ad Gregorii XIII. tempora, usa est Ecclesia Calendario noo satis accurato; quamvis ejus vitia nec ignoraret ipsa, nec approbaret. Sic etiamnum tempore Passionis, ex antiquo Hymno canit Christum in Cruce passum, *Lustris sex peractis*, hoc est annis 30. vitæ suæ adimpletis, quia quo tempore Hymnus ille, sive à Sancto Ambrosio, sive à Sedulio concinnatus est, ea maximè vigebat opinio, quæ Christo 30. tantùm annos vitæ mortalis tribuebat. Unde eodem modo factum est, ot Æra vulgari jam suis in Diplomatibus dandis, Jubilæisque assignandis, utatur Ecclesia, quòd ea vulgò recepta sit: quamvis nemo ferè sit eruditorum, qui eam non fateatur justo breviorem. Unde & Baronius illam biennio integro antevertit, cùm Christum natum asserit Lentulo & Messalino Consulibus. Et Marcus Antonius Capellus, qui solido quinquennio discrepat ab Æra vulgari, Nativitatem Christi consignans anno Juliano 40. libri sui *De Cœna Christi suprema*, approbationem summis ordinatam laudibus à Censoribus Romanis, & à Magistro sacri Palatii retulit, quamvis cap. 2. scripsisset, *Liberum semper in Ecclesia fuisse de Æra vulgari & sentire, & dicere quod liberet. Inter eos, qui de ratione & emendatione temporum scripserunt, vix unum aut alterum reperiri, qui omni conatu ei non reluctetur. Neminem omnium esse, qui falsam non putet. Illam stare non posse cum antiqua Ecclesiæ traditione.* Denique *errasse Dionysium.* Alii etiam non incelebres Authores, damnatâ Dionysii epochâ, natalem Christi 22. annis tardiùs posuerunt. Ita Sigebertus ad annum 532. & 1076. Marianus Scotus ad annum 532. Matthæus Paris ad annum 1076. quòd notatum velim, non quòd vera sit eorum sententia; sed ut notum sit illos religioni non duxisse sequi vulgarem Æram. Idem asseruit Paulus Frosemproniensis, vir cæteroquin pereruditus, & Mathematicarum artium

A atque Historiæ peritissimus, illudque commentum usque adeo ipsi placuit, ut id se per somnium à Paulo Apostolo didicisse finxerit, aut vigilans somniarit: multisque rationibus hanc suam revelationem vero calculo congruere, sit probare conatus libro decimo partis 2. à qua tamen opinione postea recessit, & vulgarem Æram biennii tantùm [illegible] peccare contendit, libro 13.

Neque verò consuetudo numerandi annos juxta Epocham vulgarem, à Natali Christi, perpetuò viguit in Ecclesia, sed à duobus circiter sæculis introducta est, Eugenio IV. Pontifice Maximo, ut B notat Blondus Forolivienlis, qui Pontificii Collegii à Secretis Notarius erat; cùm hactenus soli Pontificum anni in Diplomatibus adscriberentur. Antiquitus verò nec Pontificum anni in literis notabantur; sed characteres temporum à Conciliis & Pontificibus usurpati, erant Consules, anni Imperatorum, aut Regum, & anni Incarnationis. Certè in Gallia nostra olim anni ab Incarnatione, non verò à Nativitate Christi numerabantur, annusque civilis à Paschate incipiebat. Unde in vetustissimis Francorum Annalibus, qui ab anno Christi 742. ad 812. ferè perveniunt, anni singuli C à Paschate ducuntur. Ideo post mentionem factam Paschatis, identidem illud repetitur: *Et immutavit se annus*, velut anno 368. *& Pascha*, inquit, *in Rodomo civitate. Et immutavit se numerus annorum in* 369. Qui loquendi modus manifestè transitum ab uno anno in alterum significat. Duravit ille mos in Galliis ad annum usque vulgarem 1567. quo Christianissimi Regis Caroli IX. Edicto sublatus est, annique caput, eodem numero retento, ad præcedentes Calendas Januarias revocatum. Adeo apud nos recens est hodierna secundùm Æram vulgarem supputatio.

D Objicitur quartò. Herodes magnus annis duntaxat 36. regnavit, siquidem Romæ creatus est Rex anno Juliano 6. mense Octobri, mortuus est verò anno Juliano 42. circa Novembrem. Ergo falsò scripsit Josephus ipsum regnasse 37. annis, falsoque asserimus & nos Christum natum esse anno Herodis xxxvii.

Respondeo, distinguo antecedens. Herodes regnavit annis duntaxat 36. completis, concedo. Tam completis quàm incompletis, nego. Porro Josephus annos incompletos velut completos numeravit, primum scilicet, & postremum Herodis: E quæ numerandi ratio & à Josepho ipso passim usurpata est; & Scripturæ Sacræ, ejusque Interpretibus solennis. Quoad Josephum quidem, id pluribus illius testimoniis comprobatur. Primum petitur ex lib. 7. Antiquitatum cap. 11. ubi ait, Sacerdotum classes, *per octo dies* ministerium suum obire: quas tamen lib. 2. contra Appionem, asserit meridie Sabbathi ministerium inchoare suum, & meridie sequentis Sabbathi absolvere. Priore itaque loco dies incompletos, primum, & postremum, pro completis usurpavit.

Secundum petitur ex lib. 14. Antiquitatum F capite ultimo, collato cum cap. 8. ejusdem libri. Hoc enim posteriori capite scribit Josephus expugnatam à Pompeio Hierosolymam *mense tertio, die Jejunii, Cajo Antonio & Marco Tullio Cicerone Consulibus*, seu anno Periodi Julianæ 4651. Priori verò capite scribit urbem ab Herode & Sosio expugnatam, *Agrippa & Gallo consulibus*, seu anno Periodi Julianæ 4677. eodem mense tertio, eodemque die Jejunii solennis recurrente, additque calamitatem illam huicce posteriori similem, ante annos 27. contigisse: cùm tamen evidens sit inter utramque oonmsi 26. annos integros intercessisse, & unicum insuper diem. Itaque, ut secum ipse concilietur Josephus, dicendum est ipsum

sum annos incompletos sumpsisse ut completos.

Istam verò numerandi rationem in Scripturis Sacris frequentem esse, egregiè demonstrat vir temporum peritissimus Petavius lib. 9. de Doctrina Temporum cap. 55. ex Chronologia Regum Judæ & Israëlitis, quæ difficultates parit insuperabiles, nisi anni labentes & inchoati pro completis in numerum procedant. Et verò quidni annos incompletos pro completis usurpaverit Scriptura Sacra, quæ hac methodo in diebus numerandis usa est? Nonne Matthæi 12. Christus ipse ait: *Erit Filius Hominis in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus*: Et Marci 8. *Oportet Filium Hominis occidi, & post tres dies resurgere?* Nec tamen tres dies completi à Christi morte ad Resurrectionem repeniuntur: siquidem feriâ sextâ, *horâ quasi sextâ*, in Crucem actus est; & Dominica die *valde mane* surrexit à mortuis. Unde Sanctus Augustinus lib. 3. de Consensu Evangelistarum cap. 13. ait: *Habent istum morem Scripturæ, ut à parte totum ponant, maximè in temporibus*.

Denique aliis etiam Authoribus hæc numerandi ratio familiaris est. Sic Sanctus Hieronymus libro de Scriptoribus Ecclesiasticis dicit S. Antonium vixisse annos centum & quinque; quem in Chronico, ad annum 19. Constantii, scribit centesimo & quinto ætatis anno mortuum. Nil mirum igitur quòd Josephus 37. annos regnâsse Herodem scripserit, extremos annos quantumvis incompletos, sumendo ut completos.

Objicitur quintò. Anni regni Herodis ex eo solùm tempore numerandi sunt, quo Augustus post victoriam à se reportatam de Antonio & Cleopâtra apud Actium, regiam dignitatem Herodi singulari gratiâ servavit. Cùm enim Herodes (ipso Josepho teste) Marci Antonii autoritate ac præsidio, sceptrum Judaicæ Gentis à Romano Senatu sibi delatum devicto Antigono obtinuisset, ac Augustus deinde omnia Antonii Acta in irritum misisset, non licuit Herodi, homini imprimis politico, & Cæsaris adulatori, annos regni sui numerare, nisi ab eo tempore, quo Augusti gratiâ Judææ sceptrum servatum ipsi fuit. Id autem contigit anno 2. Olympiadis 187. Juliano 16. ante Æram vulgarem 30. Ergo Christus natus est anno Herodis duntaxat 26. non 37. ut statuimus; neque Herodes 37. annis regnavit, ut scribit Josephus, sed tantùm 27.

Respondeo, nego antecedens. Hæc mera Eminentissimi Annalium Parentis conjectatio est, nullo solido nixa fundamento: neque enim speciem veri habet ullam, quòd evectio Herodis regiam ad dignitatem Romæ facta novem ante pugnam Actiacam annis, rescissa fuerit à Senatu cum aliis M. Antonii Actis; quandoquidem ejus unâ cum Antonio fuerat Author Augustus, & Senatus ipsam boni publici respectu decreverat. Certè in toto Herodis cum Augusto victore congressu reperies nihil quòd præcedentes illius principatûs annos expungendos persuadeat, & regni illius Epocham hinc instituendam. Nam amicitiam cum Antonio suam non excusavit apud Cæsarem, nec supplex accessit, quasi veniam pro obsequiis Antonio delatis flagitaret; sed (ut scribit Josephus lib. 15. Antiquitatum cap. 10.) *Posito tantùm diademate, de cætero paratu regio nihil mutavit: admissusque ad colloquium, tum maximè ostendit animi sui magnitudinem: neque ad supplicationes, (ut in tali fortuna mos est) versus, neque preces adhibens, quasi rogando veniam, sed facti sui rationem reddens intrepidè. Fatebatur enim apud Cæsarem, & amicitiam sibi intercessisse maximam cum Antonio, & totis viribus se conatum, ut penes illum esset rerum imperium, &c.* Tanta verò animi magnitudine delectatus Cæsar, *Imo verò*, inquit, *salvus esto, & nunc regnato certiùs: nam*

A *meritus es qui plurimos regas, cùm amicitiam tantâ fide tuearis*. Ex his porro omnibus, non regni interruptio, aut annorum præcedentium, quibus imperaverat Herodes, abolitio; sed mera continuatio exsurdi potest.

Præterea si Herodes annos regni, quod ab Antonio obtinuerat, numerare noluisset, ne invisus esset Augusto; multò minùs postea memoriam Antonii publicis Monumentis suscitare ac colere voluisset, ob eandem rationem: at nullo metu id præstitit Herodes; siquidem paucis post illum suum cum Augusto congressum annis, arcem illam,
B quam Hierosolymis ad novi Templi muros extruxit, *in memoriam amici sui Antonii, vocavit Antoniam*, teste Josepho lib. 15. Antiquitatum cap. 14. Citra omnem igitur fidem est, quòd priores regni sui annos expunxerit, quòd illud ab Antonio accepisset; maximè cùm Augustus ad illius promotionem operam quoque suam contulisset. Nam, ut Josephus scribit lib. 14. Antiquitatum cap. 26. *Cæsar quoque, partim propter Antipatri militiam in Ægypto cum patre ipsius toleratam, & hospitii jus, ac reliquam benevolentiam; partim ut Antonio gratificaretur, quem valde studiosum Herodis sciebat, ad dignitatem*
C *ipsius tuendam, & conatus promovendos erat paratissimus. . . . Cæterùm, dimisso Senatu, Antonius & Cæsar, medium habentes Herodem, exiverunt, Consulibus cæterisque Magistratibus deducentibus: ascenderuntque in Capitolium, sacra ibi facturi, & Senatusconsulta deposituri: & novus Rex, primo regni sui die, convivio exceptus est ab Antonio.*

Objicitur sextò. Josephus in his, quæ ad Herodianam Chronologiam spectant, immaniter aberravit à vero; ergo in consignandis annis Herodis illius authoritati standum non est, neque ex Epocha mortis illius à Josepho constituta colligendus
D annus Natalis Christi.

Probatur antecedens. Josephus lib. 14. Antiquitatum cap. 17. scribit Antipatrum Herodi filio suo *commisisse curandam Galilæam, existenti omnino juveni; quindecim enim illi anni erant.* Quod si quis conferat cum totius Historiæ contextu, contigisse reperiet anno 47. ante Æram vulgarem. Cùm igitur Josephus lib. 1. de Bello Judaico cap. 21. & lib. 17. Antiquitatum cap. 8. asserat Herodem obiisse dum esset *septuaginta fere annorum*, seu dum ageret *circiter septuagesimum annum*; aut sibi apertè contradicit, si anno Juliano 42. ante Æram vul-
E garem 4. mortuus sit; cùm ex illa hypothesi agere tunc non posset nisi annum 59. aut certè mors Herodis in annum Julianum 52. vulgaris Æræ 7. erit conjicienda, si verùm utrobique scripsisse dicatur Josephus.

Respondeo primò, cum Viris Doctissimis, in istum Josephi Textum mendum irrepsisse Exscriptorum & Typographorum oscitantiâ, & pro ιέ, id est, 15. reponendum κέ, id est, 25. quòd gratis non fingitur, sed firmissimis adstruitur conjecturis.

Prima est; tota Josephi de Herode narratio & ætas propè septuagenaria bis in diversis Operibus
F plenis verbis expressa, cùm ætas quindecim annorum nonnisi semel expressa sit, & quidem per compendiarias numerorum notas, in quibus Exscriptores & Typographi facillimè labuntur.

Altera conjectura petitur ex Gestis Herodis Galilæam administrantis, quæ memorat Josephus cap. 17. suprà laudato. Quòd scilicet Ezechiam Judæum, qui cum magno latronum agmine Syriæ fines incursare solebat, comprehensum cum multis sociis interfecit; quo facto magnam sibi apud Syros & Romanos conciliavit gratiam. II. Quòd Optimates Judæorum, Antipatri & filiorum ejus potentiâ & favore offensi, Herodem apud Hircanum accusaverint, quòd nulla ab eo potestate accepta, &

juris

& juris ordine contempto, Ezechiam, cum plerisque aliis interfecisset. Quibus rebus permotus Hircanus, Herodem ad judicium & causam dicendam vocavit. III. Quòd Herodes ordinatis rebus Galilææ ad judicium, non privati more, sed cùm modico præsidio venerit; & sententiam capiti suo imminentem, tum arte & magnitudine animi, cùm etiam Sexti Cæsaris Syriæ Præsidis minaci potentia, tum denique fuga declinaverit. IV. Quòd Sextus Cæsar, acceptâ pecuniâ, Herodem Cœlesyriæ præfecerit, isque impatienter ferens vocationem in judicium suam, & conjurantes suam in perniciem Primorum è Judæis animos, exercitum contra Hircanum moverit, sed fratris patrisque precibus placatus, terrere satis habuerit. Certè hæc omnia quæ memorat Josephus ab Herode acta eo ipso anno quo Galilææ præfectus est, in puerum 15. annorum non cadunt; nec verisimile est Sextum Cæsarem provinciæ & exercitûs administrationem tantulæ quindecim annorum ætati commisisse, cùm id à moribus Romanis maximè abhorreret; ut ostendit Caii Cæsaris exemplum, cui in Orientem proficiscenti Rectorem assignavit Augustus, licet conjugato, & octodecim annos nato, & candidato Consulatus. Manifestum igitur est huic Josephi loco mendum inesse.

Respondeo secundo, quòd etsi hoc in loco aberrasset *Josephus*, non ideo tamen toti ejus Chronologiæ fidea esset deroganda, sed ex aliis ejus locis levis hæc hallucinatio corrigenda esset. Iniquum enim est authoritatem abrogare Scriptori doctissimo, & aliàs accuratissimo, quòd aliqui in libris illius nævi reperiantur. Certè Josephi in conscribendis rebus Herodis veracitati attestatus est Rex Agrippa junior, Herodis pronepos, qui 62. Epistolas ad Josephum dedit, veritatis narratæ testes, quarum aliquas recitat *Libro de Vita sua*. Attestati sunt, qui libros ipsius approbarunt, non Romanæ duntaxat, sed Judaicæ Gentis Proceres; quos utique res Herodis omnium sermonibus celebratæ in Judæa, latere non poterant. Attestata sunt præsidia, quibus instructus fuit ad Historiam suam concinnandam: habuit enim penes se ipsa Herodis Acta, & Nicolai Damasceni Commentaria, (qui Herodi fuit ab intimis Consiliis, soloque adulandi studio peccavit) eaque per annos Herodis, ut credere par est, digesta. Josephi præterea Historiæ fidem conciliarunt suffragia Imperatorum Vespasiani, & Titi, à quibus & statuâ Romæ donatus est, ob ingenii gloriam, ut testatur Sanctus Hieronymus in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum in *Josepho*. Et Titus libros ejus manu propria exaratos in publicam Bibliothecam inferri jussit, & ex iis solis rerum, quæ ibi narrantur, notitiam peti, ut ipse testatur Josephus libro de Vita sua. Cui ob res cæteras verissimè scriptas, etiam hac in causa fides adhibenda est, inquit Eusebius lib. 3. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 9. ubi Josephi Historiam magnificè commendat. His adde S. Hieronymi testimonium, qui Epistola 22. ad Eustochium datâ Josephum honorifico *Græci Livii* nomine exornat. Quæ omnia ostendunt, nullam Baronii & Sectatorum ejus habendam esse rationem, qui nobilem Historicum passim proscindunt, & ejus in iis, quæ vitam & mortem Herodis spectant, Chronologiam aspernantur.

Instabis contra primam responsionem: Si Josephus scripsisset Antipatrum Herodi 25. annum agenti Galilæam curandam commisisse; non erat cur tantopere virtutem Herodis exaggeraret, diceretque, ætatem illi non obfuisse: nam annorum 25. ætas rebus agendis idonea est; nec, qui illam attigit, *omnino juvenis* dici debet. Cùm ergo Josephus scribat Herodem tum fuisse omnino juvenem, & ætatem illi non obfuisse quominus res magnas gereret; verisimile est laudatum Authorem scripsisse Herodem quindecim duntaxat annorum, non viginti quinque fuisse, cùm Galilææ à parente Antipatro præfectus est.

Respondeo, nego antecedens. Nam 25. annorum ætas tanto gerendo muneri adhuc videri poterat immatura. Porro juvenes admodum appellari qui provectioris etiam sunt ætatis, quam 25. annorum, non uno Scriptorum cùm profanorum, tum sacrorum exemplo ostendi potest. Polybius Hieronem vocat *admodum juvenem*, lib. 1. cùm esset annorum triginta quinque, ut observat Casaubonus Exercitatione 1. Idem lib. 17. scribit, *Titum Flaminium* ducem adversùs Philippum Macedonem designatum fuisse, *quamvis adhuc admodum juvenis esset: plures enim, quàm triginta annos non habebat*. Hippocrates, ut Philo testatur lib. *De Mundi Opificio*, vitam hominis per septenaria partitus, juvenculos vocat à tertio septenario ad quartum, id est, à 21. ad 28. annum. Cicero lib. de Oratore seipsum vocat adolescentulum, cùm annum 27. jam attigisset. Augustus Cæsar vigesimum annum agens *puer* ab omnibus passim vocabatur; atque ita invaluerat ea appellatio, ut Senatusconsulto eam prohiberi opus fuerit, ut observat Servius in illa verba Eclogæ 1. Virgilii: *Hunc ego vidi juvenem*. Tubero apud Aulum Gellium lib. decimo, cap. 28. asserit juventutem à Servio Tullio usque ad 46. annum fuisse productam. Et, ut profanis sacra subjungamus exempla, Josue, Exod. 33. *puer* vocatur, sive, juxta Textum Hebraicum, *juvenis*, quamvis jam 59. annum attigisset (ut Tostatus observat) & difficili cum primis bello contra Amalecithas jam fuisset præfectus. Absalon jam trium filiorum pater, lib. 2. Regum cap. 18. *puer* vocatur. Sanctus Paulus Actuum 7. dicitur *Adolescens*: cùm tamen annos circiter 33. natus esset. Denique Lactantius lib. 14. Institutionum cap. 15. scribit Christum Dominum baptizatum fuisse, *cum primum cœpit adolescere*. Quid mirum igitur si Josephus Herodem 25. annos natum, *admodum juvenem* vocavit, habita ratione muneris, quod ipsi ab Antipatro imponebatur?

Porro si legatur in Textu Josephi 25. loco 15. rectè quadrat quod scribit idem Josephus, Herodem mortuum fuisse propè septuagenarium. Nam ipsi ab Antipatro commissa est Galilææ administratio anno Periodi Julianæ 4668. ante Julianam correctionem 1. ante vulgarem Æram 46. septem post annis Rex declaratus est Romæ, anno scilicet Juliano 6. ante Æram vulgarem 40. Tum igitur annum agebat 31. regnavit deinde 37. annis: mortuus quippe est anno Juliano 42. ante vulgarem Æram 4. Ergo tunc agebat annum 67. adeoque erat propè septuagenarius.

Objicitur septimò. Herodes mortuus non est nisi post cædem Puerorum: at hanc imperavit Herodes biennio post Natale Christi; ergo post Natale Christi vixit. Ergo si mortuus est 37. regni sui anno, sequitur Christum natum esse anno regni Herodis 35. vel dicendum erit ipsum regnasse annos 39. adeoque tota Josephinæ Chronologiæ machina subruetur.

Probatur Minor ex illis verbis S. Matthæi cap. 2. *Tunc Herodes, videns quoniam illusus esset à Magis, iratus est valde, & mittens occidit omnes pueros, qui erant in Bethleem, & in omnibus finibus ejus, à bimatu & infra, secundùm tempus, quod exquisierat à Magis.*

Respondeo, nego Minorem. Nam cædem Infantium edixit Herodes paulò post adventum Magorum. Magi verò adoraturum venerunt Christum paulò post ejus Natalem. Idque indicant verba S. Matthæi cap. 2. *Cùm ergo natus esset Jesus in Bethleem*

A *leem Juda in diebus Herodis Regis, ecce Magi ab Oriente venerunt,* &c. ubi τὸ *ecce*, celeritatem itineris ab ipso Christi ortu suscepti significat: & inventus in Bethleem à Magis Deus infans, argumento est illos paucis ab ipsius ortu diebus illuc advenisse. Siquidem Bethleemi non mansit Maria cum Jesu & Josepho, nisi ad quadragesimum diem, quo Hierosolymam ad Templum venit ut puerum Jesum sisteret Domino. *Et ut perfecerunt omnia secundum legem Domini, reversi sunt in Galilaam, in civitatem suam in Nazareth*, ut dicitur Lucæ 2. cap. Itaque Magi, ante Purificationem B. Virginis adoratum venerunt. Hinc Sancti Patres Hieronymus B Epistola 18. quæ ad Marcellam data est; Gregorius Nyssenus Oratione in Christi Natalem; & Augustinus Sermonibus 1. & 3. de Epiphania, Christum Jesum in præsepi adoratum à Magis dicunt, & quidem vagientem: atque ita non bimulum, sed recèns natum. Hinc ante illos Sanctus Justinus Martyr, in Dialogo cum Triphone, ait: *Simul atque natus est Christus, Magi ab Arabia venientes adoraverunt eum, cùm priùs ad Herodem in terra vestra tunc regnantem adiissent.* Et hujus itineris celeritatem his verbis significatam ostendit, Isaiæ. 8. *Voca nomen ejus, accelera spolia detrahere festina prædari. Quia* C *antequam sciat puer vocare patrem suum & matrem suam, auferetur fortitudo Damasci, & spolia Samaria*, &c.

Ad probationem respondeo, hæc verba, *à bimatu & infra, secundum tempus quod exquisierat à Magis*, non significare quòd occisi sint pueri biennio post adventum Magorum; sed quòd Herodes tempus à Magis designatum uno & altero anno antevertisset. Huic responsioni suffragatur Sancti Joannis Chrysostomi authoritas Homiliâ 7. in Matthæum dicentis: *Convenerunt in eum tyrannum pavor & furor, pro abundantia cautionis,* D *& licentia persecutionis, majus tempus includit, ne quis profectò hujus ætatis; & fortè is, propter quem interimuntur, effugiat.* Sicut cùm nulla subesset ratio, ut qui extra Bethleem nati essent, occiderentur; cùm ex divina Scriptura per Scribas & Pharisæos certior factus esset quòd Christus in Bethleem nasceretur, omnes tamen, qui in finibus ejus erant, infantes enecari præcepit.

Respondeo secundò. Hæc verba, *Secundum tempus quod exquisierat à Magis*, indicare tempus quo stella Magis apparuit. Ipsam autem biennio circiter ante Christum natum apparere cœpisse, proba- E bile est. Nec propterea torporis & ignaviæ incusandi sunt, quòd statim ad iter sese non accinxerint; quia vel priùs illis significatum non erat ad Messiæ Regis ortum pertinere stellam: vel, si antea moniti fuerant cujus prænuntium sidus illud esset, unà & tempus indicatum est, quo se ad iter compararent.

Scio aliquos ex Antiquis scilicet Origenem & Eusebium in Catena Græca MS. Regiæ Bibliothecæ, ad locum illum cap. 5. S. Matthæi laudatos, & S. Epiphanium Hæresi 51. censuisse Magos bien- F nio post Christum natum venisse. Verùm illos deserere religioni non ducimus, ut amplectamur sententiam Evangelicæ Historiæ magis consonam, & ab aliis Patribus propugnatam; cui etiam suffragatur S. Thomas 3. p. Q. 36. Art. 6. dicens: *Magi pervenerunt ad Christum decimatertia die Nativitatis ejus, quo die festum Epiphania celebratur. Si enim revoluto anno, vel etiam duobus annis, venissent, non invenissent eum in Bethleem, cùm scriptum sit* Lucæ 2. quòd *postquàm perfecerunt omnia secundum legem Domini* (offerentes scilicet puerum Jesum in Templo) *reversi sunt in Galilaam, in civitatem suam Nazareth.*

A Scio rursus S. Thomam eodem in articulo, in responsione ad tertium, scripsisse: Herodem, *Non statim recedentibus Magis, sed post biennium, pueros interfecisse: vel quia dicitur interim accusatus Romam ivisse: vel, aliquorum periculorum terroribus agitatum, à cura interficiendi Puerum destitisse*, &c. Sed S. Thomas hanc responsionem secundo tantùm loco profert, & in eam sententiam magis propendisse videri potest, juxta quam primò respondet, quòd *Herodes statim post recessum Magorum, videns se ab eis illusum, mandavit occidi pueros.* Adde quòd S. Thomæ institutum non B erat expendere quæstiones chronologicas & historicas, unde pronum fuit ut à vera temporum & Historiæ ratione recederet, ad quam si attendisset, novisset proculdubio Herodem anno proximè sequenti Natalem Christi mortuum fuisse, adeoque pueros non diu post ortum ejus fuisse mactatos.

Objicitur octavò. Christus natus est die 6. Januarii: ergo non est natus anno Juliano 41. vertente, sed 42. ineunte; nec Augusto Cæsare & L. Cornelio Sulla, sed C. Calvisio Sabino, & L. Passieno Rufo Consulibus: quorum Magistratus incidit in C annum ipsum fatalem Herodis.

Probatur antecedens authoritate Sancti Epiphanii Hæresi 51. Cassiani Collatione 10. cap. 2. ubi testatur Ægyptios simul cum solennitate Epiphaniæ 6. Januarii, Christi Natalem celebrare solitos fuisse; Stephani Gobari, apud Photium Cod. 32. inter sua problemata proponentis illud, quòd Virgo pepererit Christum die quinta Januarii, media nocte.

Respondeo, nego antecedens. Ad probationem respondeo, Sanctum Epiphanium & alios Orientales à vero aberrasse in die Natali Christi statuenda D & celebranda; quod constat ex cæterorum Patrum, & utriusque Ecclesiæ cùm Latinæ, tum Græcæ, in 25. Decembris summo consensu. Qua de re extat disertissimus apud Sanctum Chrysostomum Sermo, Tom. 5. 31. qui inscribitur, *In Servatoris nostri Jesu Christi Natalem*: in quo testatur, cùm hunc pronuntiaret, nondum decimum annum fuisse, ex quo dies Natalis Christi Orientalibus innotuerat; ipsumque ab exordio his, qui in Occidente habitant, cognitum fuisse. Tum multis probat 25. Decembris verum esse diem Natalem Christi, præsertim verò ex Tabulis Censua- E libus Romæ asservatis. *Et cui*, inquit, veteres Historiarum *Codices, qui Romæ publicè asservantur, lectitare libeat, perfacile etiam tempus hujus descriptionis accuratè discere poterit. Cæterùm quid hoc ad nos, dicat aliquis, qui illic neque sumus, neque fuimus unquam? ausculta, neque diffidas, si ab illis, qui exactam hujus rei cognitionem habent, quique illam urbem inhabitant, hunc diem accepimus. Nam illi ipsi, qui illic commorantur, multò antè, & ex antiqua traditione ipsum celebrantes, ad nos usque illius notitiam nunc transmiserunt.*

Stant pro eodem die 25. Decembris Sanctus Am- F brosius Sermone 8. (sive alius Autor) & Sanctus Hieronymus, qui contrariam sententiam rejicit in Commentario ad cap. 1. Ezechielis, ubi explicans illa verba Prophetæ, *Cùm essem in medio captivorum, juxta fluvium Chobar, aperti sunt cæli, & vidi visiones Dei, in quinta mensis*, quarti qui dicitur apud nos a Januarius, ait: *Quintam autem diem mensis adjungit, ut significet Baptisma, in quo aperti sunt Christo cæli, & Epiphaniorum dies hucusque venerabilis est. Non, ut quidam putant, Natalis in carne: tunc enim absconditus est, & non apparuit.*

Et Sanctus Augustinus lib. 4. de Trinitate cap.

a Secundùm supputationē Orientalium, apud quos, post frugum collectionem, & torcularia, quando decimæ in Templum deferebantur, Octobet erat primus mensis.

5. ait, *Christus natus traditur 8. Calendas Januarias.* Et in Psalmum 132. de S. Joannis & Christi Natali, ait: *Num ille natus est, sicut tradit Ecclesia, 8. Calendas Julias, cum jam incipiunt minui dies; Dominus autem natus 8. Calendas Januarias, quando jam dies incipiunt crescere.* In eandem 25. diem Decembris conspirant Græcæ Ecclesiæ Menologia cum Latinæ Martyrologiis.

Sic autem innotuisse verum diem Natalem Christi scribit Joannes Archiepiscopus Nicænus in Epistola ad Zachariam Catholicum majoris Armeniæ, de festo die Natali, quæ habetur Tom. 2. Auctarii Bibliothecæ Patrum, quod Combefisii nostri eruditioni & labori Respublica literaria debet. Ait scripsisse ad Julium Romanum Pontificem Cyrillum quendam Hierosolymitanum Episcopum, illius, qui Catecheses scripsit, successorem; illumque adhortatum fuisse, ut scripta omnia Judæorum scrutaretur, quæ Titus Cæsar in obsidione Hierosolymorum prædatus Romam deferri curaverat; ex quibus fortè verum diem Nativitatis Christi erueret. Cyrilli monitis auscultans Julius, in quodam Josephi Codice Angelum Zachariæ Nativitatem S. Joannis Baptistæ nuntiasse mense septimo, invenit, in Solemnitate Tabernaculorum, ac die Expiationis, id est die 10. mensis Tisri, seu 23. Septembris nostri. Quod Josephi testimonium cum Evangelio componens Romanus Pontifex, invenit sextum mensem, de quo Angelus Beatæ Virgini ait, *& hic mensis est sextus illi, quæ vocatur sterilis*, fuisse mensem Nisan, cujus 4. die, id est 25. Martii nostri, Angelus Conceptionem Filii Dei beatissimæ Virgini Mariæ annuntiavit. A quo tempore si numerentur novem menses, partus Deiparæ, & Christi Domini Natalis incidit in diem 25. Decembris. Ab hac porrò Julii Romani Pontificis inquisitione, cœpit Romana Ecclesia lætis gaudiis celebrare Natalem Salvatoris diem 25. Decembris: tradiditque celebrandum universis Ecclesiis, inquit Joannes Nicænus.

Addit ibidem laudatus Author, quòd Sanctus Basilius scripsit in libro Moralium, Natalem Salvatoris diem 25. Decembris; mandavitque Gregorio Theologo in Synodo Constantinopolitana promulgari ac celebrari 25. Decembris: quidam tamen non assensere. Post hæc Honorius Imperator Româ veniens Constantinopolim, matri, fratrique Arcadio, Romanæ Ecclesiæ morem in celebranda Nativitate Christi statâ die 25. Decembris commendavit. Res ad S. Joannem Chrysostomum ab Imperatore delata est. Accersitus ex Cypro Sanctus Epiphanius, ut qui in Judaïcis Monumentis versatissimus erat, utpote Judæus genere, ex Hebræorum scriptis, ac Josephi historia sermonem confirmans, Domini Natale definit 25. Decembris. Alii quoque Episcopi congregati, sanxerunt in Regia Urbe eo die celebrandum, quemadmodum Romæ celebrabatur: scripseruntque ad Theophilum Patriarcham Alexandrinum, ad Joannem Hierosolymitanum, ac Flavianum Antiochenum, qui Romanam Ecclesiam summo consensu secuti sunt. Addit denique laudatus Author, ipsos hæreticos, Nestorianos, Jacobitas, Gaianitas, Severianos, hunc celebrandi Natalis Dominici ritum amplexos esse.

Soli posterioribus sæculis Armeni schismatici à totius Ecclesiæ more defecerunt, & die 5. Januarii Solemnitatem illam incelebri ritu peregerunt: quos eo nomine insectatur Isaac majoris Armeniæ Catholicus, Oratione 1. Invectivâ in Armenos cap. 3. Tom. 1. Auctarii Bibliothecæ Patrum P. Combefis. *Tum rursus*, inquit, *ab Annuntiatione, numeratis novem mensibus, celebranda erat Christi Nativitas: nunc autem, cum neque meminerint Conceptionis Elizabeth, nec sexto mense ab ejus conceptione celebrent Dei Genitricis Annuntiationem, nec post novem menses ab Annuntiatione, Christi Nativitatem festam agant; quin potius, Judæorum more, mœsti ac tristes, sancta ipsa ac læta Festivitate, in ictu oculi, die quinta Januarii vesperascente, non festivè quidem celebrent: absit: sed velut specie tenus, ac obscurè, cùm Annuntiationem, tum Nativitatem, ac Baptismum recolant; planè arguuntur apparentiâ tantum, ac inani specie, utramque jactare celebritatem.*

Objicitur ultimò. Nascente Christo Pastores ovium *custodiebant vigilias noctis super gregem suum*, ut dicitur Lucæ 2. cap. Atqui rigente hyeme, cum suis gregibus non pernoctassent. Ergo Christus verno tempore potiùs natus est, quàm mense Decembri. Ergo anno Juliano 45. Sabino & Rufo Consulibus. Ita argumentatur Scaliger.

Respondeo, nego Minorem. In Anglia namque armenta toto anno in agro pernoctant, neque propter frigus, aut pluviam, aut ventos, ulli unquam tecto subeunt, ut asserit Casaubonus oculatus testis, Exercitatione 2. ad annum Christi 1. Et Langius lib. 2. de Annis Christi, p. 2. cap. 2. testatur, in Dania patria sua, oves tota hyeme in agris degere, nisi terra ita penitus nive tecta sit, ut nihil pabuli extra villas habere possint. Quid mirum igitur si in Judæa longè temperatiori regione, & Orientali, greges media hyeme in agris pernoctarent? Certè Jacobum curantem Labanis greges de nocturno gelu querentem audimus Genes. XXXI. 40. *Die*, inquit, *noctuque æstu urebar, & gelu, fugiebatque somnus ab oculis meis.* Quod argumento est in Mesopotamia Pastores & oves hibernis noctibus sub dio egisse. Nec firmius videtur argumentum ex censu petitum, qui hyeme commodè agi non potuit. Nam tempus censûs non aliunde quàm ab Imperatoris voluntate suspensum erat, pro cujus arbitrio nomina erant proferenda Judæis, sive commodo, sive incommodo tempore. Nec adeo Romanis in pretio erant Judæi, ut illorum commoda vel incommoda attenderentur. Accedit, regionem quam incolebant Judæi, temperatam fuisse, adeoque minùs incommodam itineri faciendo sub tempus Hibernum, cùm menses November & December in tractibus multis, etiam Europæis, satis amœni sint & temperati. Præterea, cùm Judæa tota exiguis finibus circumscripta fuerit, longinquo itinere non fuit opus. Denique illa anni tempestas libera ab operibus rusticis, genti integræ ad censum satis commoda fuit.

## SCHOLION.

Annus Natalis Christi à me consignatus invictè confirmatur ex Nummo Herodis Antipæ, Galilææ Tetrarchæ, qui Nummus pro anno Principatus ejus seu Tetrarchiæ XLIII. obsignatus est. Is annus fuit 792. Urbis Romæ conditæ. Eo anno exauctoratus est & in exilium missus à Caio apud Baias diversante. Unde annum 43. Principatus non iniit. Jam ab anno 792. colligas annos 43. retrocedendo pervenies ad annum Urbis conditæ 750. quo Magnus Herodes mortuus est: ac proinde ante hunc annum consignandus est annus Natalis Christi, prout consigno anno V. C. 749. De hoc Nummo Herodis Antipæ legatur Dissertatio eruditissimi Viri *Henrici Norisii* nunc S. R. E. Cardinalis ad P. Antonium Pagium, ubi difficultates omnes circa exquisitum illum Nummum emergentes egregiè diluit; simulque *Ex Herodiana Tetrarchia anni probabiliorem de anno Natali Christi Domini sententiam novo testimonio demonstrari*, ait, *nempe illam, quam primus omnium Joannes Dekerius docuit, ac postea cæteris anteponendam duxerunt Petavius lib. 12. Doctrina Temporum cap. 7. Bucherius in Canonem Paschalem Victorii cap. 12. pag. 322. Senescallus in Triade Evangelica Quæst. 1. Natalis Alexander* 1. p. *Dissert.* 2. *Quæst.* 1. quorum sententiam probabiliorem censet eruditus *Pagius* pag. 291. *Dissertationis Hypaticæ*, ipse verò Eminentissimus & Eruditorum Italiæ Princeps *Norisius* etiam amplexus est in *Cenotaphiis Pisanis Dissertat.* 2. *cap.* 5. extremo. Et si *Nummus iste Herodis Antipæ legitimus sit* (inquit) *in posterum cæteris de Natali Christi opinionibus antiquatis, unica prævalebit.*

QUÆSTIO

## QUÆSTIO II.

*De anno Baptismi Christi.*

IN hac, ut in præcedenti controversia, nihil Antiquorum suffragiis decerni potest, cùm in varias abierint sententias: nam Baptismum Christi ad annum Julianum 73. Æræ vulgaris 28. referunt S. Clemens Alexandrinus lib. 1. Stromatum Tertullianus lib. 1. adversùs Judæos cap. 8. Eusebius Cæsariensis in Chronico, S. Chrysostomus Homiliâ in illud, *Exiit edictum à Cæsare Augusto*, Lactantius lib. 4. Institutionum cap. 10. & Cassiodorus in Fastis.

Annum Baptismo Christi, Julianum 74. Æræ vulgaris 29. assignat Apollinarius Laodicænus, apud S. Hieronymum in cap. 9. Danielis.

Anno Juliano 75. Æræ vulgaris 30. Christi Baptismum tribuit Julius Africanus in fragmento, quod refert Georgius Syncellus, in sua Chronographia. Has Veterum opiniones fusiùs exponit, suisque Authoribus vendicat eruditus Pater Seneschallus Societatis Jesu Professor, Quæst. 2. Triadis Evangelicæ capitibus 2. & 3.

Non magis in ætate Christi ad Baptismum accedentis definienda conveniunt Recentiores. Quidam enim 29. alii trigesimo ineunte, plurimi 30. expleto, & 31. per aliquot dies inchoato, alii 32. nonulli denique anno 33. completo definiunt. Pro anno 29. stant Caietanus & Petavius, pro 30. Jansenius Gandavensis, pro 31. Baronius & ejus sectatores, pro 32. Deckherus & Tirinus, pro 33. multi è Parisiensi Facultate doctissimi Theologi, quorum in sententiam descendimus.

### PROPOSITIO.

*Christus baptizatus est anno Juliano septuagesimo quinto; Æra Christiana trigesimo; Imperii Tiberii decimo-sextò; ætatis suæ trigesimo-quarto ineunto.*

Probatur. Inter initium ministerii Sancti Joannis Baptistæ, & Christi Baptismum annus integer intercessit: atqui cœptum est Joannis ministerium anno Juliano 73. Vulgaris Æræ 28. Tiberii 15. Ergo anno sequenti baptizatus est Christus. Cùm ergo ab anno Juliano 41. quo Natalem Christi posuimus, ad annum Julianum 75. 34. anni numerentur, consequens est Christum anno ætatis suæ 34. baptizatum fuisse.

Minor evidenter probatur ex Evangelio S. Lucæ cap. 3. *Anno quinto-decimo Imperii Tiberii Cæsaris... factum est verbum Domini super Joannem Zachariæ filium in deserto. Et venit in omnem regionem Jordanis, prædicans Baptismum Pœnitentiæ, in remissionem peccatorum.* Porro Imperium Tiberii cœpit præcisè anno Juliano 59. Æræ vulgaris 14. die 19. mensis Augusti, quo Augustus Cæsar mortuus est: annus igitur Tiberii decimus-quintus præcisè sumptus incœpit à mense Augusto anni Juliani 73. Æræ vulgaris 28. & desiit in Augustum anni Juliani 74. Æræ vulgaris 29. Ergo ministerium sancti Joannis cœptum est anno Juliano 73. vulgaris Æræ 28. adeoque si inter illius exordia, & Christi Baptismum annus solidus intercesserit, sequitur Christum baptizatum non fuisse ante annum Julianum 75. Æræ vulgaris 30. ineuntem. Siquidem Christum baptizatum esse die 6. Januarii antiqua & constans est Sanctorum Patrum & Ecclesiæ sententia. Unus S. Epiphanius Hæresi 51. Christi Baptismum refert ad diem 8. Novembris.

Probatur Major, scilicet quòd inter annum ministerii Sancti Joannis & Baptismum Christi, annus integer intercesserit. Inter vocationem Sancti Joan-



A nis & Baptismum Christi multa intercessisse, quæ spatium saltem unius anni postularent, probabiliter colligitur ex Evangelio, Lucæ 3. maximè cùm Christus priùs ad Joannem non accesserit, quàm omnis populus esset baptizatus. Id quoque ex verbis Gabrielis Archangeli ad Zachariam de Joanne conjicitur. *Et multos*, inquit, *filiorum Israël convertet ad Dominum Deum ipsorum: & ipse præcedet ante illum in spiritu & virtute Eliæ, ut convertat corda patrum in filios, & incredulos ad prudentiam justorum parare Domino plebem perfectam*, sive instructam, at spatio paulò longiori opus erat, ut sic Christo B Israëlem prepararet. Nam qui *in desertis semper fuerat* abditus *usque ad diem ostensionis suæ*, quique *nullum fecerat signum*, tantæ authoritatis, tam subito vix evadere poterat, ut *populus existimaret, & cogitarent omnes in cordibus suis, ne fortè ipse esset Christus*, Lucæ 3. Denique non modicum spatium, sed plenum prædicationis circulum ante Christi adventum, à Joanne fuisse confectum, Sancti Pauli verba indicare videntur Actuum 13. *Cum impleret Joannes cursum suum, dicebat: Quem me arbitramini esse, non is sum ego: sed ecce venit post me, cujus non sum dignus calceamenta pedum solvere.*

C Objicitur primò. Christus cùm à Joanne baptizatus est, *Erat quasi annorum triginta incipiens.* Ergo vel annum tantùm 29. agebat, vel 30. incipiebat. Nam particula ὡσεὶ, *quasi*, vel sumitur ut diminuens, & sic significat Christum tum egisse annum 29. & proximum fuisse trigesimo; vel sumitur ut absolutè affirmans, sicut cùm dicitur Christus Joan. 1. *Quasi unigenitus à Patre*, & sic illa vocula indicat Christum jam cœpisse 30. annum agere.

Respondeo, nego consequens. Nam illi voculæ, *quasi*, cùm nota est affirmationis, non respondet in Græco ὡσεὶ, ut in eo, quem tractamus, S. Lucæ D Textu, sed ὡς, ut patet in cap. 1. Sancti Joannis. Neque etiam necesse est illam diminutivo sensu usurpari, nisi affirmativo accipiatur: sed plerumque nota est ambiguitatis, idemque significat ac τὸ *circiter, plus minus.* Sic cùm recensetur miraculum multiplicationis quinque panum, viri numero *quasi quinque millia*, saturati dicuntur. Matth. verò 14. cap. numerantur rotundo numero, *quinque millia virorum, exceptis parvulis & mulieribus.* Hoc etiam sensu usurpatur illud, *quasi*, Lucæ 22. cùm dicitur Christus avulsus à tribus selectis Apostolis, *quasi jactu lapidis.* Sic cùm apud Matthæum cap. E 17. legatur Christum *post dies sex*, (à sermone scilicet quem capite præcedenti recenset) transfiguratum fuisse; Sanctus Lucas ait id *factum esse post hæc verba*, ὡσεὶ, *quasi* (seu ut habet Vulgata Editio) *ferè dies octo.* Ex quibus colligitur eam esse particulæ istius, *quasi*, potestatem & notionem, præcipuè cùm numeris rotundis præfigitur, ut numerum præcisè sumptum non indicet, sed libertatem permittat, vel coarctandi rem, de qua agitur, ad numerum paulò minorem, vel extendendi ad paulò majorem, & hic loquendi modus humanus est, ac vulgaris; ut, cùm dicimus, in Exercitu Regis Christianissi-F mi pugnare quasi centum millia hominum; his verbis vel paulò plures, vel paulò pauciores significantur. Valde igitur verisimile est, non tam certum ætatis annum hìc præcisè definire voluisse S. Lucam quàm illam annorum decadem, à qua tum propiùs aberat Christus, indicare. Quod eo præstitisse consilio videtur, ut hac triplici annorum decade, mysterium sanctissimæ Trinitatis, quod in Baptismatis splendescit Sacramento, indicaret: & ob hanc fortè rationem Christus ad Baptismum accessit, non tantùm post tres annorum decadas, sed etiam post tres monadas, hoc est post annos ætatis triginta tres completos.

Præterea Authoribus sacris solemne esse ut aliquid



omittant,

omittant, cùm rotundo numero utuntur, nemo est qui ignoret, id nos docente S. Augustino Quæst. 47. in Exodum, his verbis: *Scriptura soles tempora ita nuncupare, ut quod de summa paulatim aut excrescit, aut infra est, non computetur.* Sic etiam dicuntur *septuaginta Discipuli Christi*, & *septuaginta Interpretes* sacrorum Codicum, qui revera fuerunt septuaginta duo. Sic etiam apud Romanos Collegium *Centumvirûm* olim dicebatur, cùm tamen constet in eo fuisse centum & quinque Judices; tres nempe ex singulis Tribubus, quæ erant triginta quinque. Pari ratione Evangelista numerum triginta hîc usurpavit, non ut certum numerum designaret, sed ut ætatem non longè ab annis triginta remotam indicaret; hinc non dixit simpliciter Christum fuisse *triginta annorum*, cùm ad Baptismum accessit, *sed quasi annorum triginta*. Ita hunc locum exposuit S. Justinus in Dialogo cum Tryphone, *Et triginta plus minus annis manens*, inquit, *donec prodiit Joannes ipsius Præco.*

Adde quòd hoc participium, *incipiens*, non ad ætatis Christi annum refertur, sed ad ejus ministerium. Unde Phrasis Græca de verbo ad verbum reddita sic habet: *Erat Jesus quasi annorum triginta, incipiens*, καὶ αὐτὸς ἦν ὁ Ἰησοῦς ὡσεὶ ἐτῶν τριάκοντα, ἀρχόμενος. Igitur τὸ *incipiens*, interpunctione à superioribus distinguendum est, ut videre est apud Origenem; & fit sensus eâ fuisse ætate Christum Dominum quando cœpit ministerium suum obire, & palam prodire. Mentem suam ipse alibi satis aperit Sanctus Lucas, cùm de Vita publica & Ministerio Jesu agens eodem verbo utitur Actuum cap. 1. *In omni tempore, quo intravit, & exivit inter nos Dominus Jesus, incipiens à Baptismate Joannis.* Et cap. 10. *Incipiens à Galilæa post Baptismum.*

Contra Sanctus Ignatius Martyr, qui Christum post resurrectionem in carne vidit (ut ipse de se testatur in Epistola ad Sanctum Polycarpum, referente Sancto Hieronymo in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum in *Ignatio*) scribit in Epistola ad Trallianos: *Christum expletis tribus annorum decadibus esse baptizatum; ac deinde cùm triennium prædicasset, cruci affixum.* Ergo anno trigesimo ad Baptismum accessit Christus, & 33. mortuus est.

Respondeo, hunc non esse genuinum Sancti Ignatii locum, licet vulgò ut Ignatii laudetur, quòd ut asseram, duplici moveor ratione. Prima est, quòd in antiquis Codicibus non extet, neque in Græco Codice Florentino, quem edidit Isaac Vossius; neque in vetustissimis Exemplaribus Latinis duobus in Anglia repertis, quæ publici juris fecit Usserius. Secunda est, quòd subsequentes Patres, qui Sancti Ignatii Epistulas sedulò legerunt, tam expresso detulissent testimonio, si Ignatianis in Epistolis extitisset, nec in alias longè opiniones de Christi Baptismo & ætate abiissent, præsertim Sanctus Irenæus, qui Christum *in ætatem seniorem* declinasse scribit, cùm doceret, idque à discipulis Sancti Joannis, & aliorum Apostolorum se accepisse profitetur. Sanè S. Polycarpus, ad quem hanc traditionem referri necesse est, siquidem Irenæi Præceptor fuit, aliud non accepit ab Apostolis, quàm S. Ignatius; nec vicissim hic aliud quàm Polycarpus, siquidem & Joannis Apostoli discipulus erat (ut ipsius Acta testantur) & S. Polycarpo inter amicos præcipuus.

Respondeo secundò, vim non inesse majorem huicce testimonio, cujuscunque sit, quàm verbis Evangelii. Unde eandem admittit expositionem. Certè qui 34. ætatis anno ad Baptismum adiit, verè dicitur post tres annorum decades baptizatus.

Contra. Concilium Neocæsariense in Palestina, habitum anno Domini 314. Canone 11. ita decernit: *Presbyter ante annos 30. non ordinetur, etiamsi fuerit homo valde dignus; sed reservetur. Dominus enim Jesus Christus in anno trigesimo & baptizatus est, & cœpit docere.* Ergo hæc verba, *quasi annorum triginta*, significant Christum anno præcisè trigesimo accessisse ad Baptismum.

Respondeo, sensum Concilii Neocæsariensis esse quòd Christus ante annum trigesimum baptizatus non fuerit, non verò quod anno præcisè trigesimo adierit ad Baptismum. Istius namque Decreti vis in eo est, ut nolit Presbyterum ante annos 30. ordinari; eaque ratione nititur, quòd probari non possit Christum citiùs docuisse. Stat autem hæc ratio inconcussa, neque ulla fit injuria hujusce Concilii Patribus, etiamsi ante 34. annum ministerio non functum suo Christum asseramus.

Præterea hæc propositio, *Christus in anno trigesimo est baptizatus*, incidens est in Decreto Concilii, non præcipua. Neque definire voluerunt Neocæsarienses Patres quo tempore Christus ministerium suum obire cœpisset; sed solùm decernere ætatem Sacerdotum inaugurationi convenientem.

Objicitur secundò. Anni Tiberii numerandi sunt ab anno Juliano 57. Æræ vulgaris 12. quo Germanicus Cæsar, & C. Fonteius Capito Consulatum gesserunt. Ergo annus decimus-quintus Imperii Tiberii incidit in annum Julianum 72. vulgaris Æræ 27. quo Consules fuere M. Licinius Crassus, & L. Calphurnius Piso; adeóque Christus baptizatus est anno Juliano 73. Æræ vulgaris 28.

Probatur antecedens. Biennio ante mortem Augusti factus est Imperii consors Tiberius: cùm igitur Augustus mortuus sit anno Juliano 59. Æræ vulgaris 14. anni Imperii Tiberii arcessendi sunt ab anno Juliano 57. Æræ vulgaris 12.

Probatur antecedens ex multis antiquitatis monumentis. Luculentum est ea de re Suetonii testimonium in Tiberio cap. 21. *Dedicavit* (Tiberius) *& Concordiæ Ædem*: (quod Dio l. 56. Tauro & Lepido Consulibus, seu anno vulgari 11. factum scribit) *ac non multò post lege per Consules lata ut provincias cum Augusto communiter administraret, simulque censum ageret, condito lustro in Illyricum profectus est.*

Expressiùs de suprema illa potestate loquitur Velleius Paterculus libr. 2. in hæc verba: *Cum Senatus, populusque Romanus, postulante patre ejus* (Augusto) *ut æquum ei jus in omnibus provinciis exercitibusque esset, quàm ipsi.* Id egregiè confirmat Tacitus Annalium 1. ubi ait, *Tiberium ab Augusto assumptum Collegam Imperii, & consortem Tribunitiæ potestatis.*

Respondeo, nego antecedens. Ad ejus probationem distinguo propositionem: biennio ante mortem Augusti factus est Imperii consors Tiberius: designatione, concedo: supremæ potestatis communione, & actuali exercitio, nego. Porro prælaudata testimonia probant quidem pleraque summi Imperii & potestatis ornamenta in Tiberium collata ante mortem Augusti, ut Tribunitiam, & Proconsularem potestatem. Sed hæ dignitates citra summum Imperii fastigium aliis delatæ sunt, ut ex Romanæ Historiæ Scriptoribus constat. At non satis erat ad Imperatoriam dignitatem ut par Augusto in Provincias & Exercitus obtineret Imperium Tiberius: ad id enim præterea necesse fuit, ut in Urbe, ac domi, idem honoris & potestatis fastigium haberet, quod Augusto mortuo, non antea consecutus est.

Quòd autem vivente Augusto Imperium jam & summum Principatum consecutus non esset Tiberius, multæ probant ex Historia Romana petitæ rationes. Primò illa in celanda Augusti morte Liviæ solicitudo, quæ statim atque e vivis excessit Augustus, *Acribus custodiis domum & vias sepsit, donec*

Tiberius

*Tiberius advenisset. Ac tum simul excessisse Augustum, & rerum potiri Neronem, fama eadem tulit*, inquit Tacitus lib. 1. Annalium cap. 5. At nullam metuendi causam habuisset Livia, si jam supremo jure Rempublicam Tiberius administrasset, neque eadem fama tulisset excessisse Augustum, & rerum potiri Tiberium, si jam antea summum principatum consecutus esset. Secundò, quia ibidem Tacitus vocat cædem Posthumi Agrippæ, *Novi principatûs novum facinus*. At si ante mortem Augusti solido biennio Imperator fuisset Tiberius, non caperetur novi principatûs exordium, neque novus principatus vocaretur. Tertiò, quia Consules tum primùm *in verba Tiberii juravere* (ut ait idem Tacitus cap. 7.) *& de renovando per annos sacramento in nomen Tiberii*, actum est, ut addit cap. 8. at duorum annorum præcedentium Consules etiam in nomen Tiberii jurassent, ipsique fidem & obsequium solenni obstrinxissent sacramento, si jam Imperatorem egisset. Quartò, quia Tiberius in speciem detrectabat Imperium, &, ut Tacitus ait cap. 4. *Cuncta per Consules incipiebat, tanquam vetere Republicâ; & ambiguus imperandi, ne Edictum quidem, quo Patres in Curiam vocabat, nisi Tribunitia potestatis præscriptione posuit sub Augusto acceptæ.* Ad extremum *fessus clamore omnium, expostulatione singulorum, flexit paulatim; non ut fateretur suscipi à se Imperium, sed ut negare, & rogari desineret.* Et cap. 11. refert dixisse Tiberium rejiciendo per speciem Imperium, *Solam divi Augusti mentem tantæ molis capacem.* At si ipse cum Augusto administrasset Imperium, non verò Augustus solus, hæc dicere & agere non potuisset. Quintò, quia Pannonicarum Legionum seditio, ex lascivia militum ortum habuisse dicitur: Cùm Junius Blæsus *fine Augusti, & initiis Tiberii auditis, ob justitiam & gaudium intermisisset solita munia*; ut scribit Tacitus cap. 5. Ergo finis Augusti, & initium Tiberii nullo intervallo dividuntur. Sextò, quia Suetonius & Velleius Paterculus exordia Imperii Tiberii ab Augusti morte disertè arcessunt: *Post mortem Augusti*, inquit Suetonius, *tandem quasi coactus, & quærens miseram & onerosam servitutem, recepit Imperium.* Et Velleius lib. 2. *Una tamen veluti luctatio civitatis fuit, pugnantis cum Cæsare Senatûs, populique Romani, ut stationi paternæ succederet.* Septimò, quia Spartianus in Adriano, de Marco Aurelio Antonino Philosopho & Lucio Vero loquens ait: *Hi sunt qui postea duo pariter Augusti primi Rempublicam gubernaverunt.* At ut id verum sit, necesse est Tiberium cum Augusto Imperatorem non fuisse. Ultimò, quia ipsæ quoque nummorum & marmorum inscriptiones ad decimam-sextam usque Tribunitiam Tiberii potestatem, qua mortuus est Augustus, Tiberium *Augusti filium*, ac deinceps etiam *Augustum* appellant. Ergo ante mortem Augusti summum non consecutus est principatum; ergo Imperii ejus anni præcisè ab Augusti morte sunt dinumerandi.

Præterea, etsi biennio ante mortem Augusti figi posset initium Imperii Tiberii, non esset inde consequens Sanctum Lucam hanc Epocham inivisse, quam Recentiores commenti sunt, atque ab hac annum illius decimum-quintum duxisse.

---

## QUÆSTIO III.

*De tempore mortis Christi, ac de ætate qua mortuus est.*

MAJOREM ad hanc dirimendam controversiam, quàm ad priores, Antiqui lucem non afferunt; siquidem pugnantes sunt de hoc argumento ipsorum sententiæ. Mitto eos quos Eusebius lib. 1. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 9. & lib. 9. cap. 4. ait suâ ætate confinxisse impia quædam Christi & Pilati Acta, quibus Passio referebatur ad quartum Tiberii Consulatum, adeoque ad annum Æræ vulgaris 21. quos ex eo rectè refellit Eusebius, quòd Pilatus, ut ex Josepho constat, in Judæam non venerit ante annum 12. Tiberii, seu 25. Æræ vulgaris.

Anno vulgari 24. aut 25. passum Christum innuit Philippus Solitarius lib. 3. Dioptræ cap. 8. Cùm enim Natalem Christi statuat anno ante Æram vulgarem 9. & post annos 33. mortem; alterutro horum annorum Christum mortuum sensisse necesse est.

Anno Æræ vulgaris 28. Passionem Christi illigavit Hegesippus in Anacephalæosi Excidii Hierosolymitani, qui à Christi Passione ad vastationem Hierosolymorum numeravit annos 42. quot revera ab anno illo 28. ad cladem illam intercesserunt. In eadem sententia fuit Victorius Aquitanus in suo Canone Paschali, affigens Christi mortem ei anno bissextili, cujus Calendæ Januariæ inciderunt in feriam 5. & Lunam 19. Pascha autem Christianum in diem 28. Martii, & Lunam 16. qui omnes characteres conveniunt anno 28. Æræ communis. Victorii vestigia premit Prosper in auctiore Chronico.

Christum anno 29. Æræ vulgaris mortuum statuunt, quotquot sub Geminorum Consulatu, 8. Calendas Apriles mortuum scripsere, nimirum Tertullianus lib. 8. adversùs Judæos cap. Lactantius lib. 4. Institutionum cap. 10. S. Augustinus lib. 18. de Civitate Dei cap. ultimo. Severus Sulpitius lib. 3. Historiæ sacræ. Pro eodem stant anno, qui asserunt Christum passum esse, vel anno 15. Tiberii, ut Julianus Africanus; vel 8. Calendas Apriles, ut Auctor Homiliæ de Nativitate Sancti Joannis, inter Opera Sancti Chrysostomi, Gregorius Turonensis lib. 10. cap. ultimo, Martyrologia Bedæ, Adonis, & Usuardi; vel qui Christum eodem die conceptum & passum asserunt, ut Sanctus Cyrillus in Epistola ad Synodum Carthaginensem.

Passionem Christi in annum 31. vulgaris Æræ confert Concilium Cæsariense anno 196. sub Victoris Pontificatu in causa Paschatis habitum, ubi dicitur *Passus Dominus ab undecimo Calendas Aprilis, qua nocte à Juda est traditus; & ad 8. Calendas Aprilis resurrexisse.* Porro ut Christus 22. Martii fuerit comprehensus, 23. mortuus, 25. à mortuis suscitatus, debuit tum in usu fuisse litera Dominicalis, G. quæ ab obitu Augusti ad obitum Tiberii non est usurpata, nisi anno Æræ vulgaris 25. 31. & 36. Cùm igitur priori & posteriori repugnet omnino Lunæ situs, respexerunt proculdubio Episcopi Palæstini ad annum vulgaris Æræ 31. In eadem sententia fuisse Julium Africanum, Eusebium Cæsariensem, qui anno Tiberii 18. & 3. Olympiadis 202. Passionem Christi alligat, Apollinarium Laodicenum, apud S. Hieronymum Commentario in cap. 9. Danielis, S. Epiphanium Hæresi 51. S. Chrysostomum Homilia in illud, *Exiit edictum*, &c. Chronicon Alexandrinum, Menæum Græcorum, S. Hieronymum in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum, Orosium lib. 7. Historiæ cap. 4. Cassiodorum in Fastis, Isidorum Hispalensem in lib. de Vita & Morte Sanctorum Novi Testamenti, latè probat Seneschallus in Triade Evangelica Quæstione 3. cap. 4. §. 1. 2. 3. & 4.

Anno 32. Æræ vulgaris nullus ex Antiquis patrocinatur, sed illum Baronius & alii Recentiores propugnant.

Anno 33. Æræ vulgaris Passionem Christi affigunt Tostatus, Onuphrius, Genebrardus, Cappellus, Usserius, aliiqui inter Recentiores eruditi, nullo, quod expressum sit ac evidens, antiquitatis muniti suffragio.

Anno Æræ vulgaris 34. Passionem Christi fixit Panodorus Ægyptius Monachus; eidemque suffragatus est Hugo Flaviniacensis in Chronico. Anno 35. eam illigavit Author Opusculi de Argumentis Lunæ inter Opera Bedæ Tom. 1. §. de Solstitiis & Æquinoctiis. Annum 36. amplexus est è recentioribus Forosemproniensis, quem nonnulli secuti sunt.

Passionem Christi in annum vulgarem 42. distulerunt S. Maximus parte 1. Computi cap. 32. Georgius Syncellus in sua Chronographia, Nicetas Pectorams in Opusculo quod extat ad calcem Tomi. XI. Annalium Baronii, & Nicephorus Patriarcha Constantinopolitanus in Chronico.

Ex his constat quàm nihil certi, hac in Controversia, ex Veterum authoritate, imò nec ex Recentiorum suffragiis colligi possit. Sed ut ampliùs innotescat quantam sibi permiserint Veteres hac in re opinandi libertatem, & quanta proinde oobis concedatur, sit.

## PROPOSITIO PRIMA.

*Quot anni vitæ mortalis Christo assignandi sint, ac proinde quo anno mortuus sit, ex sacra Traditione certò colligi non potest.*

Probatur. In Quæstione circa quam Sancti Patres, & Veteres Authores Ecclesiastici dissentiunt, nihil certi colligi potest ex Traditione. Illud enim propriè traditum est, *quod semper, quod ubique, quod ab omnibus fuit propugnatum*, ut ait Vincentius Lirinensis in Commonitorio. Atqui in numero annorum Christi Sancti Patres, & Veteres Authores Ecclesiastici dissentiunt: Ergo colligi certò non potest ex Traditione, quot anni vitæ mortalis Christo assignandi sint.

Probatur Minor, singulorum sententias & testimonia subjiciendo.

Sanctus Irenæus lib. 2. contra Hæreses cap. 39. ita loquitur: *Triginta annorum ætas prima indolis est juvenis, & extenditur usquè ad quadragesimum annum. A quadragesimo, aut quinquagesimo anno, declinat jam in ætatem seniorem, quam habens docebat,* Christus, *sicut Evangelium & omnes Seniores testantur, qui in Asia apud Joannem Discipulum Domini convenerunt, idipsum tradidiße eis Joannem..... Quidam autem non solum Joannem, sed & alios Apostolos viderunt, & hæc ab eis audierunt, & testantur de ejusmodi relatione.* Et cap. 40. *Quinquaginta annos nondum habes, & Abraham vidisti? hoc dicitur ei, qui jam 40. annos excessit, 50. autem nondum attigit; non tamen multùm à quinquagesimo abstitit,* &c. Ubi notes velim, priores illos discipulos simpliciter non affirmasse quòd Christus ad 40. aut 50. annum pervenerit, sed tantùm *quod in seniorem ætatem declinaret*, cùm docebat. Hanc autem seniorem ætatem pro suo arbitrio interpretatus est S. Irenæus, & supra 40. annum extendit.

Sanctus Clemens Alexandrinus lib. 1. Stromatum, de Christo ita loquitur: *Erat autem Jesus, cùm ad Baptismum venit, quasi annorum 30. quòd autem uno duntaxat anno prædicaturus esset, & hoc ita scriptum est: Annum acceptum Domino prædicare misit me: hoc & Propheta dicit, & Evangelium. Quinto-decimo itaque anno Tiberii, & quinto-decimo Augusti, hoc modo 30. complentur anni, donec passus est.*

Tertullianus lib. contra Judæos cap. 8. ait supervixisse Augustum post Christi Nativitatem annos 15. eique Tiberium successisse; & addit: *Hujus decimo-quinto anno Imperii passus est Christus, annos habens quasi triginta cùm pateretur.*

Origenes Tractatu 35. in Matthæum, de proditione Judæ ita loquitur: *Ac illi statuerunt ei triginta stateres, tantam ei damnationem constituentes, quantos annos Salvator peregrinatus fuerat in hoc mundo. 30. enim annorum baptizatus cœpit Evangelium prædicare.* Et lib. 4. de Principiis, cap. 1. ait, *Christum uno anno & aliquot mensibus docuisse.*

Julius Africanus, Origeni æqualis, Christum passum ait, *anno Tiberii decimo-quinto* atque adeò anno ætatis suæ circiter trigesimo. Lege hunc locum apud S. Hieronymum in cap. 9. Danielis.

Lactantius Firmianus lib. 4. Institutionum cap. 8. ait, *Tiberii Cæsaris anno decimo-quinto, id est, sub Geminis Consulibus, ante diem 10. Calendas Apriles, Judæi Christum Cruci affixerunt.* Et cap. 14. *Ante annum*, inquit 15. *Tiberii Cæsaris, quo Christus crucifixus est.*

Eusebius Cæsariensis io Chronico, ita Christi ætatem componit, ut eum ad Passionem venisse velit, *anno Tiberii*, ut multi legunt, *decimo-octavo*: vel, (ut repooendum censent Scaliger aliique) *decimo-nono*. Si primum numerum admittamus, sequitur Dominum, juxta Eusebii sententiam, vixisse annos duntaxat 31. cum tribus meosibus; si secundum, sequitur ipsum vixisse annos 32. siquidem, ex Eusebii mente, natus est Dominus anno Augusti 42. cui annos 56. tribuit. Itaque annos 14. egit sub Augusto, & 17. vel 18. sub Tiberio, cum tribus mensibus, juxta Eusebium.

Philastrius Brixiensis Episcopus, lib. de Hæresibus Art. 58. asserit Christum ad Baptismum venisse *anno ætatis trigesimo*; & subjungit: *Postea uno anno docuit usque ad Passionem & Resurrectionem, sicuti Beatissimi tradiderunt.*

Sanctus Epiphanius, Hæresi 51. Num. 28. ubi Dominum statuit natum die 6. Januarii, sic tandem concludit; *ut totum ejus vitæ tempus ab Ortu usque ad Passionem, usque ad annos 32. & dies 74.* colligat.

Sanctus Joannes Chrysostomus Homiliâ 54. in cap. 9. Joannis ubi legimus, *Quinquaginta annos nondum habes*, legit, *quadraginta*, & ait; *ut intelligi detur, propè jam Christum quadraginta annorum fuisse.*

Severus Sulpitius lib. 2. Historiæ Ecclesiasticæ, scribit *Dominum crucifixum fuisse Furio Gemino, & Rubellio Gemino Consulibus*, hoc est, 15. anno Tiberii. Atqui, ex eodem Sulpitio, natus est Christus Sabino & Rufino Consulibus. Inter utrumque autem Consulatum anni duntaxat 31. & menses tres intercedunt. Ergo secundùm Severum Sulpitium, plures annos vitæ mortalis Christus non exegit.

Author Hymni perantiqui, quem Ecclesia canit tempore Passionis, quemque alii S. Ambrosio, alii Sedulio tribuunt, hæc habet:

*Lustris sex qui jam peractis,*
*Tempus implens corporis:*
*Se volente natus ad hoc,*
*Passioni deditus,*
*Agnus in Crucis levatur*
*Immolandus stipite.*

Sex porro lustra annos 30. sigoificant, quibus completis significare voluit hujus Hymni Author Christum immolatum fuisse.

Sanctus Hieronymus Epistolâ 22. quæ est ad Eustochium: *Dei Filius*, inquit, *pro nostra salute Hominis factus est Filius.... usque ad 30. annos ignobilis,*

*Ignobilis parentum paupertate contentus est, verberatur, & tacet; crucifigitur, & pro crucifigentibus deprecatur.* Lege ejusdem Epistolam 127.

Sanctus Augustinus lib. 18. de Civitate Dei, cap. ultimo: *Mortuus est Christus*, inquit, *duobus Geminis Consulibus.* Et lib. 22. cap. 15. *Quod commemoravit Apostolus de mensura ætatis plenitudinis Christi*, inquit, *si de resurrectione corporum dictum est, sic accipiamus dictum, ut nec ultra, nec infra juvenilem formam resurgant corpora mortuorum; sed in ætate ac robore usque ad quam Christum hic pervenisse cognovimus. Circa 30. quippe, aut paulo plures annos definierunt esse etiam Sæculi hujus Doctissimi Homines juventutem; quæ cùm fuerit spatio proprio terminata, inde jam hominem in detrimenta vergere gravioris ac senilis ætatis: ideo non esse dictum, in mensuram corporis, vel in mensuram staturæ; sed in mensuram ætatis plenitudinis Christi.* Lege eundem lib. 2. de Doctrina Christiana cap. 28. & Epistolâ 80. ad Hesychium.

Sanctus Petrus Chrysologus Sermone 151. *Christus*, inquit, *Crucem supra 30. annum vitæ corporalis ascendit.*

Prosper in Chronico majore: *Quidam*, inquit, *putant Dominum nostrum Jesum Christum 15. anno Regni Tiberii Cæsaris, id est, duobus Geminis Consulibus, crucifixum: quo anno, secundùm indubitabilem Lucæ Evangelistæ authoritatem baptizatum eum esse, manifestum est, & Evangelium regni cælorum prædicare cœpisse. Secundùm verò Joannis Evangelium, festivitati Paschæ Judæorum ter Dominum interfuisse agnoscimus, ut appareat tertium fuisse illud Pascha, quod verus Agnus suo Sanguine consecravit. Proinde Consules quidem à manifestatione Domini, in Rufino Gemino, & Rubellio Gemino Consulibus, inchoamus. Sed tertios ab iis Consules Dominicæ Passioni adscribimus, sequentes quod authoritas tradit & ratio.*

Author libri de Prædictionibus, sub nomine S. Prosperi, cap. 1. *Propter quod*, inquit, *& ipsum Caput nostrum triginta annorum dignatus est crucifigi.*

Victorius Aquitanicus, in Canone suo Paschali, quem scripsit anno 457. *Crucifixio Christi*, inquit, *Consulibus duobus Geminis, Rufio, & Rubellio?*

Cassiodorus in Chronico, censet Christum 33. annum inchoasse, cùm Crucis patibulum ascendit.

Annis 32. vixisse tantùm Christum in carne passibili censent S. Isidorus Hispalensis in Chronico Ætate 6. Ado, Regino Abbas Prumiensis, Lambertus Scafnaburgensis.

Chronicon Alexandrinum quod septimo Sæculo exaratum est, annos Christi 33. & menses 3. assignat; sic enim ait: *Versatus est nobiscum in terris, & morborum languorumque omnis generis mala curavit, annos 33. & menses 3. quarto verò anno comprehensus, & in Crucem sublatus 23. Martii die Lunæ 14. cùm esset Parasceve.*

Sanctus Maximus Martyr, Parte 1. Computi Ecclesiastici, cap. 34. scripsit Christum in carne vixisse *annos* 33. *& dies* 89. quot scilicet dies fluxerunt à 25. Decembris ad 23. Martii.

Sanctus Bernardus Sermone 2. in hæc Apostoli verba: *Non est regnum Dei esca & potus*, de Christo ita loquitur: *Triginta annos operatus est salutem in medio terræ, affixus Cruci, addictus morti, ludibriis deputatus.* Et Sermone 1. de Circumcisione: *Salvator noster & circumcidi 8. die, & post annum 30. dignatus est crucifigi.* At Sermone 2. in Pentecoste, in aliam abit sententiam, dicens: *Triginta & tribus* & 3. *annis super terram visus, & cum hominibus conversatus.* Nisi forsan illud vocabulum, tribus, intrusum sit in textum S. Bernardi.

Ex his omnibus colligo, nihil certi ex Traditione erui posse de tempore Passionis Christi, deque ætate ipsius, cùm humani generis causâ mortem oppetiit. Quamobrem nullus nobis obstrepat, nobisque insultet velut venerandæ Antiquitatis desertoribus. Nullus nobis opponat authoritates Patrum, & veterum Authorum Ecclesiasticorum, qui in tam varias, tamque pugnantes sententias abierunt. Nullus opinionem nostram nomine traducat novitatis, quam & Scripturæ Sacræ, & hypothesibus à nobis statutis ac probatis, consonam, & Astronomicis rationibus magis convenientem ostensuri mox sumus. Eam autem sequenti subjicimus Propositione.

## PROPOSITIO II.

*Christus mortuus est anno Juliano septuagesimo-octavo: Æræ vulgaris trigesimo-tertio: Consulibus Servio Sulpitio Galba, & Lucio Cornelio Sulla Olympiadis ducentesimæ secundæ anno quarto: Imperii Tiberii decimo-nono: Hebdomadum Danielis, quadringentesimo octogesimo-septimo, in medio scilicet Hebdomadis septuagesimæ & ultimæ: anno ætatis suæ trigesimo-septimo inchoato.*

Probatur primò ex Prophetia Danielis cap. 9. de 70. Hebdomadibus, per quas significari septimanas annorum, inter omnes Catholicos convenit. Christus passus est in medio Hebdomadis septuagesimæ & ultimæ: Atqui medium septuagesimæ & ultimæ Hebdomadæ est annus Julianus 78. Æræ vulgaris 33. ætatis Christi 37. inchoatus: hoc igitur anno Christus mortuus est.

Major constat ex verbis Prophetiæ. *Ab exitu sermonis ut iterum ædificetur Jerusalem, usque ad Christum ducem, Hebdomades septem, & Hebdomades sexaginta duæ erunt. Et rursum ædificabitur platea, & muri in angustia temporum. Et post Hebdomades sexaginta duas occidetur Christus, & non erit ejus populus qui eum negaturus est. Et civitatem & sanctuarium dissipabit populus cum duce ejus venturo, & finis ejus vastitas, & post finem belli statuta desolatio. Confirmabit autem pactum multis Hebdomada una, & in medio Hebdomadis deficiet Hostia & Sacrificium, & erit in Templo abominatia desolationis: & usque ad consummationem & finem perseverabit desolatio.*

Probatur Minor. Ab ultimo Artaxerxis Longimani Edicto, quod de urbe & muris ædificandis loquitur, duci debet initium 70. Hebdomadum Danielis. Exivit autem illud Artaxerxis Edictum anno Imperii ejus 20. mense Nisan, ut refertur Nehemiæ cap. 2. Porro Artaxerxes Longimanus regnum iniit anno Periodi Julianæ 4241. ante Æram Christianam 473. ita ut 20. ejus annus sit Periodi Julianæ 4260. ante Æram Christianam 454. Mundi 3550. Si ergo dictis numeris adjicias 69. Hebdomadas annorum; hoc est, annos 483. conficient anni Mundi 4033. Periodi Julianæ 4743. Æræ vulgaris 30. quo tempore baptizatum esse Christum, & Ducem statim egisse prædicationem auspicando suam, supra demonstravimus. Cùm igitur mense Nisan exierit illud Edictum Artaxerxis, ab eodem mense Nisan anni hujus, quo baptizatus est Christus, id est, à primo Paschate, quod post Baptisma celebravit, incipit primus annus septuagesimæ & ultimæ Hebdomadis. Christus autem immolatus est ineunte anno 4. sive in medio ultimæ Hebdomadæ, tuncque defecit Hostia & Sacrificium, ut Angelus prædixerat. Ergo cùm annus ille quartus concurrat cum Juliano 78. Æræ vulgaris 33. ætatis Christi 37. sequitur Christi mortem anno Juliano 78. Æræ vulgaris 33. ætatis ipsius 37. inchoato esse alligandam.

Probatur

Probatur Major, scilicet quòd ab ultimo Artaxerxis Longimani Edicto, duci debeat initium 70. Hebdomadum Danielis. Quatuor reperiuntur Edicta Regum Persarum data in Judæorum gratiam. Primum Cyri (1. Esdræ cap. 1.) II. Darii Hystaspis, (1. Esdræ cap. 6.) III. & IV. Artaxerxis, (1. Esdræ cap. 7. & 2. Esdræ, seu Nehemiæ cap. 2.) At Cyri & Darii Edicta jubent tantùm ac permittunt restaurationem Templi, non reædificationem urbis. Primum verò Artaxerxis, quod anno 7. regni ejus, Esdræ datum est, Templum duntaxat & Sacrificia spectat. Ergo Prophetia Danielis de ultimo Artaxerxis Edicto intelligi debet, quo potestas Judæis facta est Urbis reædificandæ, murorumque restaurandorum. Quod autem Artaxerxes ille sit Longimanus, ita probatur. Tres, inter Reges Persarum, Artaxerxes, post Darium Hystaspis numerantur; nempe Longimanus, Mnemon, seu Memor, & Ochus. At ille à quo illud exiit Edictum, non fuit Mnemon, nam Mnemon regnum obtinuit anno Periodi Julianæ 4310. ante Æram Christianam 404. adeòque annus ejus 20. incidit in annum Periodi Julianæ 4329. ante Æram Christianam 384. quo anno superstes non fuit Nehemias, nisi vitam illius ad ducentesimum & trigesimum-nonum annum producamus. Siquidem ille unus fuit eorum, qui sub Cyro cum Zorobabele ascenderunt anno Periodi Julianæ 4178. ante Christianam Æram 536. Præterea, si dicto anno Periodi Julianæ 4310. (in quem incidisse vigesimum Mnemonis diximus) addantur anni 486. quot ab Edicto illo ad mortem Christi fluxerunt, fiet annus Periodi Julianæ 4814. qui est trigesimus-primus post Hierosolymitanum excidium: at LXX. Hebdomades completæ sunt quadriennio saltem post mortem Christi, & ante Hierosolymitanum excidium multis annis; Ergo Nehemias non loquitur de Artaxerxe Mnemone, neque de Artaxerxe Ocho ejus filio: Ergo de Artaxerxe Longimano, Darii Hystaspis nepote, sermonem institui loco laudato evidens est.

Probatur secundò. Eo anno figenda est mors Christi, quo Eclipsis illa adeò apud Antiquos celebrata, præter naturæ leges contigit, & quam designant Evangelistæ his verbis: *A sexta autem hora tenebræ factæ sunt super universam terram usque ad horam nonam*, (Matthæi 27. & Lucæ 23.) Atqui hæc contigit anno 4. Olympiadis 202. qui concurrit cum anno Juliano 78. Æræ vulgaris 33. Tiberii Cæsaris 19. ætatis Christi 37. inchoato. Ergo hoc anno mors Christi consignanda est.

Probatur Minor, testimonio Phlegontis, cujus verba referunt Chronicon Alexandrinum, & ante ipsum Eusebius & S. Hieronymus in Chronico. Et Chronicon quidem Alexandrinum hæc habet, ad annum Tiberii 19. pag. 521. *Quin & Gentium Scriptores hunc annum signarunt, & constanter affirmarunt terræ motum extitisse; quos inter speciatim est Phlegon, is qui Olympiadas concinnavit. Hic in tertio-decimo Volumine ita scribit:* 202. *Olympiade, anno* 4. *Eclipsis Solis maxima fuit, quanta nunquam antea contigisse legitur. Nox enim horâ sextâ diei tanta fuit, ut etiam astra in cælo apparerent, ingentique tremore terra concussa est circa Bithyniam. Hæc Phlegon, qui norat extraordinariam hanc, & planè inusitatam Solis defectionem fuisse.*

Eadem refert Eusebius in Chronico, quod S. Hieronymus Latinè vertit, ad annum 18. Tiberii: *Jesus-Christus Filius Dei, secundum Prophetias, quæ de eo fuerant prælocutæ, ad Passionem venit. Quo tempore, etiam in aliis Ethnicorum Commentariis hæc ad verbum scripta reperimus: Solis facta defectio, & tenebræ super universam terram. Bithynia terræ motu concussa; & in urbe Nicæna ædes plurimæ corruerunt. Quæ omnia his congruunt, quæ in Passione Salvatoris acciderunt. Scribit verò super his & Phlegon, qui Olympiadarum egregius supputator est, in tertio-decimo libro, ita dicens: Quarto autem anno* 202. *Olympiadis magna & excedens inter omnes, quæ ante eam acciderant, defectio Solis facta est. Dies horâ sextâ ita in tenebrosam noctem versus, ut stellæ in cælo visæ sint, terræque motus in Bithynia Nicænæ urbis multas ædes subverterit. Hæc supradictus vir.* Porrò licèt S. Hieronymus hæc ad annum 18. Tiberii referre videatur, tamen revera ad annum Tiberii 19. ex ejus sententia referenda sunt, & mendum in numeros irrepsisse meritò conjicimus. Siquidem Hieronymus anno 4. Olympiadis 202. insolentem hanc eclipsim, & consequenter Passionem Christi tribuit. Annus autem 4. Olympiadis 202. est 19. non verò 18. Tiberii. Adde quòd ad marginem horum Phlegontis verborum, in Latino Eusebii Chronico, se in pluribus MSS. annum Tiberii 19. legisse monet Doctissimus Arnaldus Pontacus, Vasatensis Episcopus. Et Anastasius Bibliothecarius in sua Chronologia, ipsa Eusebii verba referens de anno mortis Christi; non 18. sed 19. Imperii Tiberii annum legit (ut notat idem Pontacus in Notis ad Chronicon Eusebii;) atque ita emendandum Eusebium censent cum Scaligero Viri Eruditi. Quod ex ipsius Eusebii Chronico Græco satis persuadetur: siquidem ille exordia Imperii Tiberii figit anno 2. Olympiadis 198. à quo usque ad 4. Olympiadis 202. annos 19. reperire est.

Respondent nonnulli, Phlegontem de prodigiis Christo patiente factis nullam prorsus fecisse mentionem, sed de alia Eclipsi ipsum loqui.

Contrà. Veteres de Eclipsi quæ Christo moriente contigit, Eclipsim illam intellexerunt. Ut enim S. Dionysium Areopagitam omittam, præter Eusebium, & Chronici Alexandrini Authorem, jam laudatos, Julius Africanus verba Phlegontis in illam Eclipsim quadrare profitetur in Fragmento quod profert Georgius Syncellus in Chronographia pag. 322. *Narrat Phlegon*, inquit, *sub Tiberio Cæsare, in pleni-lunio Eclipsim Solis factam perfectam ab hora sexta usque ad nonam: manifestum est autem, quòd illam; nempe quæ Christo moriente contigit.*

Ita quoque Origenes lib. 2. contra Celsum. *De defectu Solis*, inquit, *sub Tiberio Cæsare, quo Imperante Jesum constat crucifixum, deque magnis ejus temporis motibus terræ, scripsit etiam Phlegon in 13. ut opinor, Chronicorum*. Et Tertullianus Annales Gentium hujusce defectionis Solaris generatim testes advocat, Apologetici cap. 21. *Eodem momento*, inquit, *dies, medium orbem signante Sole subducta est. Deliquium putaverunt, qui id quoque super Christo prædicatum utique non scierunt: ratione non inventa, negaverunt, & tamen eum mundi casum relatum in arcanis vestris habetis.*

Probatur tertiò Propositio prima. A Baptismo Christi ad ejus mortem, quatuor Paschata intercesserunt: Ergo cùm baptizatus fuerit anno Juliano 75. vulgaris Æræ Christianæ 30. Imperii Tiberii 16. mortuus est anno Juliano 78. vulgaris Æræ Christianæ 33. Tiberii 19. cumque 34. ætatis suæ anno baptizatus sit, consequens est ipsum mortem subiisse anno ætatis suæ 37. inchoato.

Probatur Antecedens ex Evangelio, totidem Paschata ministerii Christi recensente. Primum illud est, quod Joannis 2. describitur, in quo vendentes ejecit de Templo. Secundum est illud quod in cap. 5. habetur, in quo Languidum 38. annorum sanavit. Nam per *diem Festum*, hîc *Pascha* intelligi antiquissimus Author est Irenæus lib. 2. adversùs Hæreses cap. 29. Eusebius Demonstrationis

nis Evangelicæ lib. 8. S. Hieronymus & Theodoretus in cap. 9. Danielis. Et certè nomine *Diei festi* simpliciter, significari in Evangelio festum Paschatis, constat ex Marci 14. v. 2. & ex ejusdem cap. 15. v. 6. ex Lucæ cap. 23. v. 17. & Joannis cap. v. 4. Denique idem constat, quia cùm Christus venit Samariam, quod cap. 4. narrat S. Joannes, tempus Paschatis & messis intra quatuor menses futurum erat; dixit enim Jesus: *Nonne vos dicitis, quia adhuc quatuor menses sunt, & messis venit?* Quæ autem ex hoc ad curationem usque Paralytici præstitit Jesus, quatuor mensium spatio perfici facilè potuerunt.

Tertium Pascha ministerii Christi, est illud quod Joannis 6. notatur, quando quinque panibus quinque millia hominum satiavit.

Quartum Pascha est illud, in quo oblatus est Christus, de quo Matthæi 26. Marci 14. Lucæ 22. Joannis xiii.

Probatur quartò. Christus mortuus est Lunâ 15. feriâ 6. postquàm die præcedente, id est Lunâ 14. primi mensis ad vesperam, feriâ 5. Pascha cum Discipulis suis immolasset (ut antiqua & constans habet totius Ecclesiæ Fides.) Atqui ex omnibus iis annis, qui modò in controversiam veniunt, putà ab Æræ vulgaris 31. usque ad 35. nullus reperitur alius, cujus prima, vel etiam secunda Luna (ne quis frugum immaturitatem causetur, ob quam Pascha differebatur interdum in Lunam sequentem,) nullus, inquam, est, cujus prima, vel secunda Luna plena esse potuerit feriâ 5. vel 6. nisi annus Æræ 33. vulgaris: huic igitur illiganda est Passio Christi.

Major constat. Nam ut ait Venerabilis Beda lib. de Temporum Ratione, cap. 45. *Quòd Dominus Lunâ 15. feriâ 6. Crucem ascenderit, & unâ Sabbatorum, id est, die Dominicâ resurrexerit à mortuis, nulli licet dubitare Catholico.*

Probatur Minor. Plenilunium vel ad astronomicum rigorem attenditur, vel ex Lunæ apparitione; ita ut Luna plena sit 15. die post verum novilunium; vel post primam novæ Lunæ apparitionem: quo posteriori modo Judæi plenilunia observarunt: nam illos juxta φάσιν, sive aspectum Neomenias suas celebrasse, vix est aliquis inter Eruditos, qui non fateatur. Certè Philo qui Christi temporibus vixit; *In Neomenia*, inquit, *Sol incipit sensibili splendore Lunam illustrare*; id est, splendore qui sub aspectum mox cadat. Idem constat ex pervetusta cujusdam Petri Concione apud S. Clementem Alexandrinum lib. Stromatum, quæ quàm antiqua sit, inde patet, quòd multi S. Petro Apostolo hanc adscripserint: in hac autem de Judæis sic habetur; *Et nisi Luna appareat, Sabbatum non celebrant quod primum dicitur, neque Neomeniam agunt, neque Azyma, neque festum, neque magnam diem.* Atqui, sive plenilunium ad astronomicum rigorem, sive ad Lunæ φάσιν attendatur, non contigit feriâ 5. vel 6. ullo ex his annis, qui vulgò in controversiam veniunt, nisi anno Æræ vulgaris 33. Ergo, &c.

Minorem sensibus ipsis demonstrant Astronomicæ Tabulæ. Nam ut ab anno Æræ vulgaris 31. incipiamus: Neomenia Nisan incidit hoc anno in diem 12. Martii, horâ sextâ post mediam noctem, feriâ secundâ, cùmque hora ad summum 27. à conjunctione necessarius sit Lunæ aspectus: imò cùm doceat Beda lib. de Ratione Temporum cap. 41. *sextâ, vel septimâ post ascensionem horâ Lunam videri, maximè cùm ea posita est in Ariete*: sequitur Lunam quæ iniit die 12. Martii horâ sextâ post mediam noctem, feria secunda videri potuisse ipsâ die 12. Martii, vel saltem 13. atque adeo Lunam 15. incidisse in 26. Martii feriâ secundâ, vel in 27. fe-

A riâ tertiâ. Cùm igitur Christum Lunâ 15. & feriâ 6. mortuum esse constet, colligitur hoc anno mortem ejus non esse consignandam.

Dices forsan, Lunam recentem quæ 12. Martii orta est anno illo, & cujus *plenilunium* incidit in 26. Martii feria secunda, non fuisse Nisan, propter immaturas fruges, sed Adaris reperiri; Nisan verò in sequentem Lunam rejectum, ut primitiæ novarum frugum Domino in Solennitate Paschali, secundùm Legem, offerri possent.

Contrà. Secundùm istud *novilunium* contigit anno illo die 10. Aprilis nostri, feria 3. horâ 19. post mediam noctem. Videri ergo potuit die 11. feriâ

B 4. Ergo *plenilunium* contigit 25. Aprilis, feria item 4. Cùm igitur Christus mortuus non sit feria 4. sed 6. Christus hoc plenilunio passus dici non potest.

Quoad annum 32. Æræ vulgaris idem constat. Hoc namque anno novilunium Nisan contigit die 30. Martii, horâ 4. feriâ 1. adeoque ante vesperam Luna facilè videri potuit in terra Israëlis, ubi purior est aër; vel saltem die 31. sequenti. Ergo 15. Luna incidit in 13. Aprilis, feria prima, vel 14. die, feriâ secundâ, quod nequaquam congruit anno Dominicæ Passionis: nec etiam Luna proximè sequens, cujus Neomenia incidit in 28 Aprilis.

C De anno 34. Æræ vulgaris idem perspicuum est, quo novilunium contigit die 8. Martii, feria 2. horâ 21. post mediam noctem. Videri itaque potuit Luna die 9. Martii, feria 3. & sic plenilunium fuit 23. Martii, feria etiam 3. ad quam Passio Christi Salvatoris referri non potest. Sequens verò novilunium incidit in 7. Aprilis, feria 4. horâ 10. unde videri potuit, vel ipso die, vel saltem Aprilis 8. feria 5. & sic Luna 15. incidit vel in 21. Aprilis feriâ 4. vel in 22. feriâ 5. Cùm igitur Christus nec feriâ 4. nec feria 5. mortuus sit, sed feria 6. hoc anno Passio Christi consignari non potest.

Idem de aliis annis, qui in controversiam ve-

D niunt, facilè demonstrari potest; Ergo ratum est plenilunium non contigisse his annis feria 6. sive ad astronomicum rigorem, sive ad Lunæ φάσιν exigatur. Cùm itaque plenilunium contigerit feria 6. anno 33. Æræ vulgaris, hoc anno Passio Christi consignanda est.

Respondent nonnulli, Neomeniarum & pleniluniorum rationem penitus incertam apud Judæos fuisse Christi temporibus: quòd nec ea ex Astronomicis Tabulis, neque ex prima Lunæ visione determinarent, sed ex quibusdam Cyclis Lunaribus popularem ad usum accommodatis, qui Dominicæ Passionis tempore totò triduo Neomenias

E cælestes præverterent. Eorumque Cyclorum apud Judæos usum probant authoritate Sancti Epiphanii, Hæresi 51. ubi Cycli cujusdam Judaïci annorum 84. meminit.

Verùm adductis in præcedenti probatione testimoniis, hæc responsio satis eliditur. Neque ex turbatissimo obscurissimoque S. Epiphanii loco ullum ipsi præsidium quæri potest. Certè multa involvit Epiphanii contextus, quæ defendi non possint. Nam §. 26. significat Judæos uno die in celebratione Paschatis aberrasse, Christum verò biduo integro, & feriâ tertiâ Cœnam celebrasse, eâdemque

F vesperâ comprehensum. Deinde §. 37. ita concludere videtur, ut Judæos velit biduo vel triduo Pascha legitimum antevertisse. At certum est Christum epulum Paschale celebrasse feriâ quintâ, eademque nocte à Judæis fuisse comprehensum; nec verisimile est Christum à legitimo Paschate aberrasse. Non est igitur standum huic S. Epiphanii loco, præsertim cùm omnibus Eruditis vel nullus videatur, vel ita implicatus & obscurus, ut vix aliquis sensus ex eo extundi possit.

Præterea Cyclum hunc 84. annorum, de quo subobscurè S. Epiphanius loquitur, non fuisse à Judæis usurpatum, sed à Catholicis inventum ut Judæorum pravitati responderent: testatur S. Cyrillus Alexandrinus, homo in hoc genere versatissimus, & ex ea Schola, atque Ecclesia, in qua Peritissimi temporum semper floruerunt, in Prologo sui Cycli Paschalis. Et Prosper hujusmodi quoque scientiarum Peritissimus, in suo Chronico majori, hujus Cycli originem ab anno Æræ vulgaris 46. deducit. Denique Paschasinus Lilibætanus Episcopus, qui à S. Leone his de rebus consuli meruit, in quadam Epistola ad Sanctissimum illum Pontificem data anno 443. ait, *se à Romana supputatione, qua Cyclo concluditur* (illo nempe 84. annorum, ut disertè probat Bucherus) *quod dubitationem afferret, ad Hebræorum, hoc est legalem supputationem, confugisse, quæ à Romanis ignorabatur.* Ex quibus colligitur Cyclum illum à Judæis usurpatum non fuisse, cùm ille Antistes huic legalem Judæorum supputationem manifestè opponat.

Objectio prima petitur ex Concilio Cæsariensi, quod anno 196. Victore I. Romano Pontifice, celebratum est, ut de legitima celebrandi Paschatis ratione decerneretur, in quo, Theophilo Cæsareæ Metropolita Præside, statutum est, ut Pascha ab undecimo Calendas Apriles ad undecimum Calendas Maias celebraretur; idque ob rationem, quæ ut vulgò isthic nota, & Majorum constanti Traditione accepta, citra ullam controversiam, & nemine contradicente, à Theophilo prolata est his verbis: *Passus namque est Dominus ab undecimo Calendas Aprilis, qua nocte à Juda est traditus, & ad octavum Calendas Aprilis resurrexit.* Porro ut Christus die 22. Martii comprehensus fuerit, 23. mortuus; 25. à mortuis suscitatus, debuit tum in usu fuisse litera Dominicalis, G, quæ ab excessu Augusti ad excessum Tiberii usurpata non est, nisi annis vulgaris Æræ 25. 31. & 36. Horum primus & postremus rejiciendus necessariò est ob repugnantem Passioni Dominicæ Lunæ ætatem; quæ feria 6. plena non fuit annis modò notatis. Conveniunt autem hi characteres anno vulgaris Æræ 31. Ergo hoc anno consignanda est Passio Christi, non verò 33. dicendumque ipsum 35. non verò 37. ætatis suæ anno passum fuisse.

Respondeo, Concilium Cæsariense Christi mortem adscripsisse die 23. Martii, ex opinione tum pervulgata, sed minimè excussa, & probata: nec mirum est quòd Palestinæ Antistites hac in re decepti fuerint, qui in Paschatis figendo limite aberrarunt; ut ex eo constat, quòd anno 455. consenserit S. Leo ut Pascha juxta Cyclum Alexandrinæ Ecclesiæ celebraretur 8. Calendas Maias, hoc est, die 24. Aprilis; & nunc 25. ejusdem mensis ultimum Pascha notatur: cùm Cæsariense Concilium 21. Aprilis Paschalem limitem definierit. Ut igitur Ecclesia in figendo limite Paschatis à Cæsariensis Concilii Patribus discessit; ita in die mortis Christi designando ipsos deserere, Viri Eruditi religioni minimè duxerunt. Et certè 23. Martii passum esse Christum anno 35. Æræ vulgaris, tam repugnat, quàm aliis à 33. pro quibus stant Viri Eruditi; siquidem anno illo plenilunium mensis Nisan, cujus pridie Christus Cœnam legalem celebravit, incidit in 26. Martii feria secunda, vel in 27. feria tertia, quibus feriis Christum non esse passum Traditio docet.

Accedit quòd dies 22. Martii anno vulgaris Æræ 31. non fuerit ille, in quo *necesse esset occidi Pascha*, ut Evangelium testatur. Lege siquidem apud Judæos cautum erat, ne occideretur, & manducaretur Agnus ante Vernum Æquinoctium, & ingressum Solis in Arietem, ut testantur Josephus lib. 3. Antiquitatum cap. 10. & Anatolius apud Eusebium lib. 7. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 26. citans Aristobulum & duos Agathobulos, qui diu ante Christum vixerunt. Atqui constat ex Tabulis Astronomicis, Æquinoctium vernum, & ingressum Solis in Arietem non ante diem 23. Martii eo anno peractum: Ergo Christus hoc anno Æræ vulgaris 31. Sacrum epulum non celebrasset ante diem 23. Nisan, adeoque non fuisset Cruci suffixus ante diem 24. quod hypothesim Cæsariensis Synodi penitus evertit.

Contrà, si Christus passus est anno vulgaris Æræ 33. necesse est ipsum passum fuisse die 3. Aprilis, qua plenilunium Nisan contigit. Atqui istud falsum est: Ergo Christus passus non est anno Æræ vulgaris 33.

Probatur Minor. Christum namque passum fuisse mense Martio, die 25. seu, quod idem est, 8. Calendas Aprilis, ex Ecclesiæ Traditione constat, quam non solùm Concilium Cæsariense asserit quoad mensem, verùm & quoad diem ipsum Tertullianus lib. adversùs Judæos. *Passio*, inquit, *perfecta est sub Tiberio Cæsare, Consulibus Rubellio Gemino, & Rufio Gemino, mense Martio, temporibus Pascha die 8. Calendas Aprilis.* Et Lactantius lib. 4. Institutionum cap. 10. ait Christum passum esse *anno Tiberii* 15. *Geminus Consulibus ante diem* 8. *Calendas Aprilis.* Et S. Augustinus lib. 18. de Civitate Dei, cap. ultimo: *Mortuus est ergo Christus*, inquit, *Geminis Consulibus, 8. Calendas Aprilis.* Et lib. 4. de Trinitate cap. 5. *Octavo Calendas Aprilis conceptus creditur, quo & passus... natus autem traditur 8. Calendas Januarii.* Et Venerabilis Beda lib. de Ratione Temporum cap. 5. postquam dixit sibi videri Adamum & Evam die 23. Martii, feriâ 6. creatos fuisse, subjungit: *Unde meritò creditur quòd Beatus Theophilus cum cæteris non solùm Palestinæ, sed & permultis aliarum regionum Episcopis, de Pascha disputans scripsit, eodem die 10. Calendas Aprilis Dominum fuiße crucifixum.* Et cap. 45. ejusdem libri scribit, olim *Gallos quocunque die octavus Calendas Aprilis fuisset, quando Christi Resurrectio fuisse tradebatur, Pascha semper celebrasse.* Ecclesia etiam Græca in suo Menæo die 23. Martii, *Crucifixionem Domini nostri Jesu Christi in Dominico Paschate*, adscribit: & die 25. Martii, *Resurrectionem Domini nostri Jesu in Dominico Paschate.*

Denique Tostati Episcopi Abulensis tempore, in hominum ingeniis adeo infixa permanserat hæc opinio de Christi morte 25. Martii assignanda, & de annis ejus 33. completis; ut etiam ipse, cùm Senis in Etruria, ubi Romani Pontificis Eugenii IV. Curia tum erat, inter Capita, quæ adhuc juvenis disputanda de more proposuerat, edidisset, Christum 25. Martii non esse mortuum, sed 3. Aprilis, idque anno ætatis suæ 33. non completo, sed ineunte, multorum animos, quasi perniciosæ novitatis Author esset, adversùm se commoverit, à quibus ad Summum Pontificem delatus est. Adversarium autem præ cæteris habuit Joannem à Turrecremata, Cardinalem ex Ordine Prædicatorum assumptum, qui priùs non destitit, quàm datis Judicibus Tostatus postulatus sit atque damnatus.

Respondeo, nego Minorem. Ad probationem dico Traditionem illam nutare, imò (ut ingenuè loquar) Traditionis nomine sententiam illam non esse exornandam. Namque si Tertulliani, Lactantii & aliorum Veterum opinio, qui Christum duobus Geminis Consulibus passum scripserunt, & anno Imperii Tiberii 15. ætatis suæ 30. nedum Traditionis loco non habetur, sed deseritur ab omnibus; cur iisdem adhibeatur fides diem Passionis Christi mense Maio adscribentibus, cùm in anno assignando tam graviter aberrarint?

Ad

Ad Sanctum Augustinum, dico ipsum sibi evidenter in priori loco contradicere: ibidem enim addit, annum 365. à Christi Passione, (sive præcisiùs loquendo) à prima post ejus Ascensionem Pentecoste, qua Lex Christiana palam promulgata est, completum fuisse Idibus Maii, Honorio & Eutychiano Consulibus, id est, anno Æræ vulgaris 398. quo ex numero si demantur anni 365. pleni, Christus reperitur passus anno Æræ vulgaris 33. Verùm nec hujus anni litera Dominicalis D, nec Lunæ ætas pati possunt ut Pascha in 8. Calendas Apriles, & Pentecoste in Idus Maias inciderit. Ergo in designando anno Passionis Christi, atque die, minùs accuratus fuit Sanctus Augustinus, & pugnantia eodem in loco scripsit.

Quod autem in secundo loco de traditione, & Ecclesiæ authoritate præmittit Sanctus Doctor, ad Conceptionem, & Nativitatem Christi pertinet, non ad Passionem. Id enim solum hoc in loco sibi sumit probandum; perfectionem corporis Domini novem mensibus & sex diebus ad partum perductam, *sicut à majoribus traditum*, inquit, *suscipiens Ecclesia custodit authoritas*. Quod ut stet, sufficit Christum 25. Martii conceptum, & 25. Decembris natum. Quod autem addidit, *quo & passus*, quasi ex occasione dixit, ut receptam opinionem innueret, non ut Ecclesiæ authoritatem in hoc quoque urgeret. Et certè non defuerunt etiam ex Antiquis, qui ab hac opinione recederent, & inter alios vetus Author Opusculi, cui titulus, *De Pascha Computus*, quod inter Sancti Cypriani Opera legitur, in quo sic habet: *Dominus Jesus manducavit Pascha 7. Idus Aprilis. 5. feria, & passus est altera die 6. feria.*

Ad authoritatem Venerabilis Bedæ, respondeo ipsum id non asserere absoluiè, sed ex hypothesi, quòd contrarium ratio, aut major authoritas non persuadeat. *Meritò creditur*, inquit, *si non verior sententia vincit, quod B. Theophilus cum cæteris non solum Palestinæ, sed & permultis aliarum regionum Episcopis, de Pascha disputans scripsit*, &c.

Ad Menæum Græcorum respondeo, opinionem illam invaluisse apud Græcos, quia rem, quæ tanti non est visa, haud satis accuratè expenderunt. Inde autem illa persuasio, quòd Christus mense Martio mortuus esset, orta est, quòd Apostoli anno Æræ vulgaris 34. Passionem Christi proximè sequenti, primam (ut conjicere par est) mortis Christi memoriam peregerint ipso die quo Judæi Pascha suum celebravere, nempe 14. Lunâ, quæ eo anno in 23. Martii nostri, & feriam tertiam incidebat; quia his primis annis Christiani nullam habere potuerunt temporum rationem, quàm quæ apud Judæos erat usurpata. Unde eo anno Resurrectionis Christi memoriam 25. Martii celebrarunt, quæ eò altiùs eorum infixa mentibus est, quòd eodem die Dominicam Incarnationem recolerent. Eam conjecturam juvat mos antiquus, qui adhuc in quibusdam viget Ecclesiis; ut *Annotinum Pascha*, quod vocant, singulis annis celebrent: hoc est, ejus diei memoriam agant, quo sacta Festivitas anno præcedenti occurrerat. Cùm ergo primi hujus Christianorum Paschatis celebritas apud Fideles percrebuisset, qui successu temporis, post rerum Judaïcarum subversionem, novamque temporum institutam rationem, quo præcisè anno Christus passus esset, ignorabant; tenui adhuc hujus diei 25. Martii allucente memoria, hunc ad ipsummet Passionis tempus referendum existimarunt; cùm potiùs ad primum Christianorum Pascha referendum fuisse videatur. Hinc quidam ex antiquis Christum 25. Martii mortuum, alii ea die ipsum resurrexisse scripserunt, quia spatium illud temporis quod Christi

A Passione & Resurrectione consectatum est, instar unius diei habitum fuit, propter unitatem oblationis, quæ die Parasceves est incœpta, & die Resurrectionis completa. Hanc autem fuisse mentem Veterum, constat ex Tertulliano lib. de Baptismo cap. 19. dicente: *Diem Baptismo solemniorem Pascha præstat; cùm & Passio Domini, in quam intinguimur, adimpleta est.* Constat & ex Sancto Augustino, qui dies 50. perinde à Passione, ac à Resurrectione, ad Pentecostem usque numerat lib. de Spiritu & Litera cap. 16. *Ab occisione*, inquit, *& resurrectione illius quinquaginta diebus completis, congregatos in* B *unum fideles Spiritus Sanctus implevit.*

Ad id quod objicitur de Tostato, respondeo; ejus ab adversariis propositiones de Christo passo tertiâ Aprilis, & anno ætatis suæ 33. non completo, præsumptionis quidem & superbiæ fuisse insimulatas, cùm Itali Censores multorum dierum laboriosam operam in earum examine consumpsissent, nusquam tamen eis falsitatis notam inurere ausos fuisse, ut in Defensorio, seu Apologia hac de re edita ipsemet testatur. Hanc autem Apologiam scripsit jubente Cardinale à Sancto Angelo, qui Sanctæ Sedis Apostolicæ in Hungaria Le- C gatus, fortiter pugnans contra Turcas occubuit. Adeò non curavit Eminentissimus Cardinalis Censorum Italorum de hisce Tostati propositionibus judicium. Nec Summi Pontifices Apologiam illam ullatenus improbarunt, quæ ad calcem Operum Tostati legitur. Denique, ut ait Petavius lib. 12. de Doctrina Temporum, cap. 13. *Paulatim efferentibus sese hominum ingeniis, ac majori doctrinarum omnium luce perfusis, vetus illa*, de Christo passo 25. Martii, *exolevit opinio, paucos ut hac ætate patronos ac defensores habuerit.*

Objicitur secundò authoritas venerabilis Bedæ lib. de Ratione Temporum cap. 45. dicentis: *Habet* D *ni fallor, Ecclesiæ fides, Dominum in carne paulò plusquam triginta tribus annis, usque ad sua tempora Passionis vixisse: quia videlicet 30. annorum fuerit baptizatus, sicut Evangelista Lucas testatur; & tres semis annos post baptisma prædicaverit.* Et paulò post subjungit: *Sancta siquidem Romana & Apostolica Ecclesia hanc se fidem tenere, & ipsis testatur indiculis, quæ suis in Cereis annuatim scribere solet, ubi tempus Dominicæ Passionis in memoriam populis revocans, numerum annorum triginta semper & tribus annis minorem, quam ab ejus Incarnatione Dionysius posuit, adnotat. Denique anno ab ejus Incarnatione, juxta Dionysium, 701. Indictione 14. fratres nostri* E *qui tunc fuere Romæ, hoc modo se in Natali Domini in Cereis Sanctæ Mariæ, scriptum vidisse, & inde descripsisse referebant: A Passione Domini nostri Jesu Christi, anni sunt 668.*

Respondeo, Bedam perperam opinionem suam velut Ecclesiæ fidem venditare, cùm nihil ex Scriptura, aut ex traditione, certi colligi possit, quo Christi ætas innotescat. Præterea ipse Beda suam illam hypotesim evertit: siquidem annos Christi ab Incarnatione, id est, à 25. Martii, anni vulgaris primi ad diem 25. ejusdem mensis anni vulgaris 34. quo Passionem ejus adscribit, dinumerat. Secun- F dùm autem istud ratiocinium, anni præcisè triginta tres completi Christo assignandi sunt, non paulò plus (ut vult Beda.) Ad hæc impropriè, nec usitato hominum more & consuetudine loquitur, dum ætati, vitæque Christi tempus illud imputat, quo in utero Virginis Matris inclusus est.

3. Pugnat in eo Beda secum, quòd anno Christi 34. 9. Calendas Aprilis Lunam 14. in feriam quintam incidisse ait; adeóque 8. Calendas Aprilis passum esse Christum. At ista hypothesis astronomicæ rationi planè repugnat. Ut enim ita esset, debuisset litera Dominicalis B, tunc esse in usu: at

anno Christi 34. notata est litera Dominicalis C.

4. Adhuc se implicat Beda, cùm ait, anno Æræ vulgaris 701. Romæ in Cereis Paschalibus fuisse annotatum annum à Passione 668. nam de 701. si demas 668. reliqui fient solùm 33. imo cùm Beda annos Christi ab Incarnatione deducat, jam non 33. sed solùm 32. annos vixisse Christum consequens erit, juxta Bedæ sententiam.

Denique argumentum ex Indiculis, quos Monachi Angli Romæ viderunt, quosque forsan oscitanter & minùs accuratè exscripserunt, nullius momenti est; cùm nemini compertum non sit Ecclesiam Romanam nihil unquam hac in parte decrevisse; sed, ut summum, in similibus Inscriptionibus secutam esse id, quod videbat illis temporibus apud multos esse receptum.

Objicitur quartò. Sanctus Hieronymus libro de Scriptoribus Ecclesiasticis, ait Sanctum Paulum Romam vinctum venisse anno Neronis 2. post Christi Passionem 25. Fluebat tum annus vulgaris 56. deme annos 25. supererit 31. Rursùs ibidem asserit Apostolum capite plexum anno 14. Neronis, & post Passionem 37. Contigit hoc anno vulgari 67. sed juxta Chronicon Eusebii, quem hîc Hieronymus sequi videtur, anno 68. Subductis 37. ex 68. supersunt 31. totidemque, extremis comprehensis, erunt residui, si subtractio fiat ex 67. Ergo Christus anno Æræ vulgaris 31. passus est.

Respondeo cum ea, qua tantum Doctorem prosequi par est, veneratione, Chronologiam Eusebii, quam interpretatur potiùs, quàm sequatur, Sancti Pauli primam in vinculis profectionem Romam falsò notare anno secundo Neronis, quæ anno ejusdem 7. & Æræ vulgaris 61. contigit, anno post Passionem Christi 28. non 25. ut Eusebius notat: quod ex Historiæ Apostolicæ Chronologia continuâ serie exposita, facilè demonstrari posset. Quòd autem additur, Chronologiæ nostræ favet: nam si 14. annus Neronis, quo capite plexus est S. Paulus, fuit Æræ vulgaris 67. sequitur evidenter Christum anno Æræ vulgaris 33. passum esse. Nam regnavit Nero 14. annis: Claudius ante Neronem annis rursus 14. Tiberius post Passionem Christi annis 4. siquidem imperavit annis 23. & 19. Imperii ejus anno Christus mortuus est. Post Tiberium Caligula annis 4. ex quibus omnibus confiunt anni 34. exclusis extremis, quos si addideris annis 33. Æræ vulgaris, habebis annum vulgarem 67.

Dixi S. Hieronymum Chronologiam Eusebii veruisse, non verò in omnibus secutum esse: quod ex ejus testimoniis inter priores Propositionis probationes relatis compertum est. Annos namque 30. duntaxat vitæ mortalis Christo assignat, cùm Eusebius ipsi adscribat triginta-tres inchoatos.

Objicitur ultimò. Hæc opinio, quæ Christo 37. annos tribuit, Authorem suum primùm agnoscit Philopponum Hæreticum Tritheitam, à Sexta Synodo damnatum Actione 11. ibique vocatum *inaniter seu ineptè laborantem*. Is enim sexto demum Sæculo hunc errorem propugnavit lib. 2. de Creatione Mundi cap. 21. Fuit autem cum eo sepulta, & omnium silentio damnata per annos septingentos, donec à Baccone, ac deinde majore strepitu à Tostato suscitata, legitimo judicio reprobata est, maneteque etiamnum (ut cum Jurisconsultis loquar) *in reatu*.

Respondeo, negari posse Antecedens. Quidni enim eam in sententiam ivisse existimemus Apostolos, Discipulosque, qui Christum in carne viderunt; cùm tradiderunt Christum in ætatem seniorem, quando passus est, declinasse? Secundò, etsi primus Philopponus hujus opinionis Author videretur, non ideo insimulari debet erroris: siquidem amanda est etiam in Hæreticis veritas, cùm eam detegunt; nec spernenda est sententia quæ nullatenus fidem spectat, etiamsi ab Hæreticis asserta primùm fuerit, modò validis momentis probetur. Quot enim nunc ut apocrypha rejiciuntur, quæ legimus inter Authorum Ecclesiasticorum fœtus, nullo refragante, censebantur, antequam Viri ex Hæreticorum castris Doctissimi, uolissima Reipublicæ literariæ Critica Opera in lucem emisissent? Quot item recentioribus temporibus nova emerserunt arcana, experientiâ duce, quæ Veteribus prorsus incognita fuerunt? Ita de Chronologia dicendum est, in qua Viri posteriorum Sæculorum Eruditissimi, lapsus Antiquorum immanes adnotarunt, & emendarunt. Denique non sequimur Philopponum Tritheitam, Hæreticum, à VI. Synodo damnatum, sed eundem Mathematicum Peritissimum, & Chronologum Egregium.

## SCHOLION.

• Veterum Patrum plurimorum sententiam amplexus essem de morte Christi sub duorum Geminorum Consulatu, si cum S. Lucæ epocha conciliari posset. Joannis Ministerium anno decimo-quinto Imperii Tiberii Cæsaris consignantis, qui vigesimus octavus Æræ vulgaris fuit; & cum Evangelistis cæteris, ex quibus quatuor Paschata Ministerii Christi, id est, ab ejus Baptismo ad mortem evidenter colliguntur. At nullâ ratione conciliari posse mihi visum est. Quod enim S. Lucam & Patres illos numerasse annos Tiberii ab Imperii ejus Proconsularis exordio, Viri quidam Eruditi confidentius asserunt, improbabile censui. Quod S. Lucam spectat, persuadere mihi non potui, illum repudiatâ vulgatâ, publicâque epocha Imperiali, quam Historici Romani & Judæi in numerandis annis Tiberii usurpabant, obscuram ignotamque adhibuisse in Evangelio, ubique Gentium legendo & prædicando. Aliàs insolitâ, novâque numerandi ratione & popularium suorum & Romanorum animos perturbasset. Romani porro Historici ab Augusto Imperio, non à Proconsulari Tiberianos annos deduxerunt. Suetonius cap. 73. *Obiit in villa Lucilliana octavo & septuagesimo ætatis anno, tertio & vigesimo Imperii.* Tacitus Lib. X. Annalium: *Dein Rhodo regressus, vacuos Principis Penates duodecim annis, mox rei Romanæ arbitrium tribus ferme & viginti obtinuit.* Victor utérque: *Imperavit annos viginti-tres.* Dio lib. LVIII. *Imperavit annos 22. menses 7. ac dies totidem.* Eadem epochâ usos fuisse Judæos, constat ex Josepho Libro secundo *De Bello Judaico*, cap. 8. *Sed defuncto Tiberio*, inquit, *post Regnum annorum duorum, & viginti-sex mensium, & trium dierum, &c.* Patres quod attinet, novam epocham illi non excogitarunt, sed quam in Historiis Annalibusque usurpatam legerant, eadem in suis Operibus usi sunt. Sanè, cùm epocha Proconsularis Imperii Tiberii Augustæam tribus annis superet, Patres Imperio Tiberii sex & viginti annos tribuissent, si à Proconsulari ejus Præfectura illos numerassent. Verùm non sic numeravit *Clemens Alexandrinus lib. 1. Stromatum* pag. 249. *Natus est*, inquit, *Dominus noster 28. anno, cùm primum jusserunt Censum Describtionemque fieri, tem ore Augusti, quòd autem hoc verum sit, sic scriptum est in Evangelio secundum Lucam: Anno autem quinto decimo Imperii Tiberii Cæsaris factum est Verbum Domini super Joannem Zachariæ filium. Et rursus in eodem: Erat Jesus veniens ad Baptisma, quasi triginta annorum: & quòd anno solo oporteret eum prædicare, hoc quoque sic scriptum est: Annum acceptabilem Domini prædicatum me misit: Hoc & Propheta dixit & Evangelium: quinto-decimo ergo anno Tiberii, & quinto decimo Augusti, sic implentur triginta anni usque ad tempus quo passus est.* Si à Proconsulari Tiberii Imperio annos ejus Clemens Alexandrinus numerasset, *Annorum triginta numerus*, ex quindecim Tiberii & totidem Augusti, secundùm ejus calculos constans, non compleretur: Tres enim Imperii Proconsularis Tiberii cum tribus Augusti ultimis currunt, collaterales, non succedanei. Quindecim igitur anni Tiberio à Clemente Alexandrino adscripti, à Proconsulari Præfectura non ducuntur, utpote qui ab Augusti annis reipsa distinguantur. Nec etiam à Proconsulari Præfectura Tiberii annos ejus numeravit *Tertullianus* libro *Adversus Judæos* cap. 8. scribens: *Post Augustum, qui supervixit post Nativitatem Christi, anni quindecim efficiuntur, cui successit Tiberius Cæsar, & Imperium habuit annis viginti duobus, mensibus septem, diebus viginti. Hujus quinto-decimo anno Imperii passus est Christus, annos habens quasi triginta cùm pateretur.* Tiberius certè non successit Augusto in Imperio Proconsulari; nec Proconsularis Tiberii Præfectura annorum viginti-duorum, mensium septem, dierum viginti spatio definita est: nec denique vox, *Imperium*, simpliciter & absolutè usurpata *Proconsulare* significat, sed *Augustæum*. Proconsulare Tiberii Imperium non attendit, *Lactantius* lib. 4. cap. 10. scribens,

scribens : *Tiberii Cæsaris anno decimo-quinto, id est, duobus Geminis Consulibus, ante diem decimum Kalendas Aprilis, Judæi Christum crucifixerunt.* Augusteum Tiberii Imperium expressiùs notare non poterat Lactantius : siquidem decimus-quintus annus Proconsularis illius Præfecturæ Consules *duos Geminos* non habuit. Eusebio denique, & S. Epiphanio ignota fuit imperii Proconsularis Tiberii epocha. Sic Eusebius in Chronico : *Tiberius annos viginti-tres, cujus an. 15 Christus crucifixus est.* Et lib. 11. Historiæ cap. 4. *interea, Tiberius cùm duorum circiter ac viginti annis imperasset extremum diem obiit.* Ita S. Epiphanius lib. *de Mensuris & Ponderibus*, pag. 169. *Tiberius annos viginti-tres, cujus anno decimo-octavo Christus crucifixus est.* Si numerassent annos Tiberii ab Imperio Proconsulari illum annos viginti-sex imperasse dixissent. Denique Josephus & Eusebius præsertim, quibus nonnulla erat Chronologiæ peritia, geminam illam Epocham Tiberiani Imperii alicubi indicassent, si olim in usu fuisset. Augusti multiplex fuit Epocha ; illam non omisit Eusebius lib. 1. Historiæ cap. 5. *Annus*, inquit, *jam agebatur secundus & quadragesimus imperii Augusti, à subacta Ægypto octavus ac vigesimus, cùm Servator natus est.* Herodis Magni Epocha gemina extitit, altera ab anno Juliano sexto, altera à nono : Priore, Rex à Senatu renuntiatus est ; posteriore, solus ac sublato Competitore regnavit. Id non prætermisit Josephus : Quidni similiter Geminam Tiberii Epocham distinxerunt, Proconsularem & Augusteam, si publico in usu fuit apud profanos sacrósve Scriptores ?

A Præterea, falsa est annorum nota. Hæc enim gesta anno quadringentesimo trigesimo Edessenorum, qui cadit in Olympiadem ducentesimam secundam, & decimum quintum *Tiberii*, Græcus Textus habet : quo anno *Sanctus Joannes* Ministerium suum obire cœpit. Tunc autem Christum fama ubique nondum loquebatur.

Probatur quartò. Vix credi potest Christum, qui præsentissimam tulit opem omnibus qui in ipsum crediderunt, Abgaro credenti illum esse Deum & Servatorem, distulisse beneficium sanitatis post suum in cœlos Ascensum. Vix etiam credi potest B Christum saltem non dedisse in mandatis alicui Apostolorum, ut ad illum Principem se conferret, & Thomam misisse Thadæum ex Discipulorum numero unum, ut fidem Christi liberaret. Atqui Epistola illa Jesum inducit promittentem restitutionem sanitatis Abgaro, post suum duntaxat in cœlos reditum : & Historia, cui dicta Epistola inserta est, refert Thadæum missum à S. Thoma Apostolo, non immediatè à Christo : ergo illa Epistola est supposititia.

Probatur quintò. Si genuina visa fuisset Patribus Epistola Abgari ad Jesum, illam certè contra Aria- C nos produxissent, cum divinitati Christi disertè attestetur. *Quæ quidem*, inquit, *cùm de te audivissem, de duobus hisce alterum verum esse cogitabam ; te aut Deum esse, & è cœli fastigio delapsum ; aut Dei Filium, qui tam stupenda edas miracula.* Atqui nemo Patrum eam produxit contra Arianos, aut alios hæreticos : ergo ipsis visa est apocrypha.

Probatur sextò testimonio S. Thomæ 3. p. Quæst. 42. Artic. 4. ubi nihil à Christo scriptum probat, & conveniens fuisse ut doctrinam suam scripto non traderet. Atqui id minimè sensisset S. Thomas, si D Patres, quorum erat studiosissimus, & Ecclesia, cujus sensum ubique sectabatur, Epistolam Jesu ad Abgarum genuinam existimassent ; sed illam à generali propositione excepisset : ergo illa Epistola nedum S. Tho..æ, sed Ecclesiæ & Patribus apocrypha visa est.

Objicitur. Illa Epistola genuina est, quam Authores quarti sæculi & eruditionis non vulgaris laudarunt, quamque descripserunt ex monumentis publicis civitatis Edessenæ. Atqui Epistolam Jesu ad Abgarum Authores eruditissimi quarti sæculi E laudarunt, eamque descripserunt ex publicis monumentis Ecclesiæ Edessenæ : ergo genuina est, non apocrypha & supposititia.

Probatur Minor. Eusebius lib. 1. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 13. eam integram refert, atque se eam descripsisse ex veteribus Annalibus Edessenorum, & eam ad verbum ex lingua Syriaca in Græcam se vertisse. Præterea S. Ephrem Syrus, & Ecclesiæ Edessenæ Diaconus, qui tempore Constantini Magni vixit, ejusdem Epistolæ meminit in suo Testamento, ubi Edessenos sic alloquitur : *Et benedicta vestra sit civitas, in qua ha-* F *bitatis. Ipsa enim sapientum est civitas, & mater Edessa : quæ quidem etiam palam atque manifestè, ex ore Christi Domini benedicta est per suos discipulos, nostros verò Apostolos. Nam quando Rex Abagarus, qui hanc civitatem extruxit, rogabat, exciperet eum qui peregrinus in terris apparuerat ; Salvatorem, inquam, universorum, & Dominum Christum, dicebat : Omnia audivi, quæ à te facta sunt, & quæcunque à reprobis, & aspernantibus te Judæis passus es. Veni igitur huc, & nobiscum habita*, &c.

III. Quinto sæculo, Darius Comes ad Sanctum Augustinum scribens, hujus Epistolæ meminit : *Fertur*, inquit, *Satrapæ, seu Regis potiùs cujusdam Epistola. Deum Dominum Christum deprecantis, cum intra Judææ regiones adhuc versaretur, quo-*

---

# DISSERTATIO III.

## *De Epistola Jesu ad Abgarum.*

ABGARUM Principem Edessenorum, auditis Christi miraculis ad ipsum literas dedisse, quibus rogabat, ut sibi sanitatem restituere dignaretur, scribit Eusebius lib. 1. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 13. & Christum mutuas ad illum Principem dedisse litteras, quibus se missurum ad ipsum unum ex Apostolis suis pollicitus est, qui ipsum curaret, & vitam illi subditisque ipsius im- D pertiretur. Utriusque Epistolæ exemplar describit Eusebius loco citato : missumque narrat à Thoma Apostolo, post Ascensionem Christi, Thadæum, unum ex LXX. Discipulis, qui promissa Servatoris impleret. De harum Epistolarum fide controversia movetur inter Eruditos, quam sequenti Propositione dirimemus.

### PROPOSITIO.

*Epistola Abgari ad Jesum, & Jesu ad Abgarum,* E *supposititiæ sunt, & apocrypha.*

Probatur primò ex Concilio Romano, anno Domini 494. celebrato, in quo Gelasius Pontifex Maximus unà cum LXX. Episcopis istud de illis Epistolis tulit judicium : *Epistola Jesu ad Abgarum Regem, apocrypha. Epistola Abgari ad Jesum, apocrypha.*

Probatur secundò. Si Epistolam illam Christus scripsisset, ejusdem esset, imò majoris authoritatis, quàm Evangelia, & in Canone Scripturarum sacrarum censeretur : atqui nemo unquam ausus est ipsam habere ut Scripturam Canonicam : ergo F Christus eam non scripsit.

Probatur tertiò. Illa Epistola in qua inducitur Christus citans verba Evangelii de se scripti, est supposititia, & apocrypha : sed in illa Epistola Christus inducitur citans verba Evangelii de se scripti, ergo est supposititia, & apocrypha.

Major constat, quia nullum Evangeliorum scriptum est Christo Domino in terris degente.

Probatur Minor ex Epistolæ verbis : *Abgare* ; inquit, *beatus es, qui cum non videris me, in me credidisti. De me enim scriptis proditum est, eos qui me viderunt, in me non credere : ut hi qui me non viderunt, credant, & vitam consequantur.*

*niam is ad eum ire ac pergere per agritudinem præpediretur, & sanari aliter se posse non crederet, ad se, si dignaretur, mundi Salus ac Medicina decurreret.... Adfuit Deus Regi, sanatus est & amplificato petitionis munere, per Epistolam non modo salutem ut supplici, sed etiam securitatem, ut Regi, transmisit.* Extat hæc Epistola inter Augustinianas CCLXIII.

IV. Evagrius lib. 4. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 26. scribit, *Procopium literis mandasse ea qua sunt de Edessa, & Abgaro à Veteribus commemorata, & quemadmodum Christus ad Abgarum scripserit Epistolam.*

His adde Sanctum Joannem Damascenum lib. 4. Fidei Orthodoxæ cap. 17. Theodorum Studitam in Epistola ad Paschalem Pontificem Maximum quam ex Vaticano Codice citat Baronius ad annum Christi 31. Septimam Synodum Oecumenicam Act. 5. & Cedrenum in Compendio Historiarum Tom. 2.

Respondeo, distinguo Majorem: Si Authores illi hujusmodi monumentorum fidem expenderint, concedo; si minùs expenderint, vel in eorum censura sint decepti, nego. Porrò Eusebius, Sanctus Ephrem, & alii qui ipsos secuti sunt Scriptores, illas Epistolas & Annales Ecclesiæ Edessenæ, in quibus exaratæ erant, tanta cum accuratione & diligentia non expenderunt, ac Gelasius & LXX. Synodi Romanæ Patres. Unde nulla nobis debet esse religio ipsos deserere, ut Gelasii, Synodique illius Decreto adhæreamus. Nam in iis quæ librorum delectum & censuram spectant, potior est Ecclesiæ authoritas privatorum Historicorum, vel Patrum suffragiis. Quamvis igitur Eusebius Epistolas Jesu ad Abgarum, & Abgari ad Jesum, in sua descripserit Historia, non ideo ipsas admittemus, quia hæc una fuit rationum, quæ Gelasium Pontificem moverunt, ut Eusebii ipsius Historiam inter apocrypha referret. Quod notavit Melchior Canus lib. 11. Locorum Theologicorum cap. 6. Porrò Eusebium has Epistolas imprudenter vendicasse, ac si genuinæ essent, subodoratus est Sanctus Hieronymus, qui cùm in suo Scriptorum Ecclesiasticorum Catalogo neminem eorum prætereat, quorum meminit Eusebius, Abgari; illarúmque Epistolarum nequidem nomina memoravit.

Adde quòd *Haymo* Halberstatensis Episcopus, in Epitome Historiæ Ecclesiasticæ *Eusebii*, lib. 1. cap. IV. non obscurè significat has Epistolas in omnibus Eusebii Codicibus inventas non fuisse. *Hujus rei*, inquit, *prolixiorem in aliquo Scripto reperi Historiam, sed nescio si apocrypha est, Deus scit: qua quia de fidei pietate descendit, necessariò duxi eam huic Operi inserere. Dicitur enim quia de Salvatore nostro adhuc in carne degente, cùm de miraculis ejus felix ubique fama loqueretur, misit ad eum Abgarus Rex Edessenorum Epistolam*, &c.

*Eusebium* cùm *Evagrius*, aliique secuti sint, majorem fidem non merentur.

Sanctus Ephrem Annalibus Edessenæ civitatis faciliùs credidit, quibus illud insertum jam erat commentum.

Darius Comes ad Sanctum Augustinum scribens, Historiæ Abgari, & Epistolæ à Christo ad ipsum datæ, velut rei incertæ, & quæ sola mendacis famæ levitate jactaretur, meminit. *Fertur*, inquit, *Satrapa, seu Regis potiùs cujusdam Epistola*, &c. Sanctus verò Augustinus disertè asserit Christum nihil scripsisse, lib. 1. de Consensu Evangelistarum cap. 7.

Sanctus Joannes Damascenus, & Synodus Septima meminerunt quidem imaginis à Christo missæ ad Abgarum, non Epistolæ. *Quin etiam*, inquit Damascenus, *historia proditum est, cùm Abgarus Edessæ Rex eo nomine Pictorem misisset, ut Domini imaginem exprimeret, neque id Pictor, ob splendorem ex ipsius vultu manantem, consequi potuisset, Dominum ipsum divina sua ac vivifica faciei pallium admovisse, imaginémque suam ei impressisse, sicque illud ad Abgarum, ut ejus cupiditati satisfaceret, misisse.*

Prætetea, Septima Synodus multa alia monumenta apocrypha laudavit: unde quamvis Epistolam Christi ad Abgarum laudasset, illam nihilosecius rejiceremus.

His denique omnibus opponimus luculentissimam Sancti Augustini authoritatem, loco mox indicato, lib. scilicet primo de Consensu Evangelistarum, cap. 7. *Sed illud prius discutiendum est*, inquit, *quod solet nonnullos movere, cur ipse Dominus nihil scripserit, ut aliis de illo scribentibus necesse sit credere: hoc enim dicunt illi vel maximè Pagani, qui Dominum ipsum Jesum Christum culpare, aut blasphemare non audent, eique attribuunt excellentissimam sapientiam, sed tamen tanquam homini; Discipulos verò ejus dicunt Magistro suo amplius tribuisse, quàm erat..... Cùm ergo quærunt quare ipse non scripserit, videntur parati fuisse hoc de illo credere, quod de se ipse scripsisset, non quod alii de illo pro suo arbitrio prædicassent.* Christum igitur nihil scripsisse, constans est Sancti Augustini sententia.

Accedit, quòd ex Archivis Edessenis depromtæ dicantur Epistolæ, Abgari videlicet & Christi. Unde porrò contigit ut Epistola Christo in Judea agenti missa, ad hanc urbem quasi jure postliminii redierit? Quâ etiam ratione tam honorificam Christo legationem à Rege decretam omnes Evangelistæ oblivione intercipi passi essent? Narratio etiam de Thaddæi peregrinatione Edessam, nugis scatet. Mittitur ad Regem Thaddæus, qui provinciæ suæ veluti ignarus, ad Tobiam filium Tobiæ rectà divertens, multa edidit miracula antequam conveniret Abgarum, cujus tamen causâ Edessam contenderat. Cùm Thadæus esset ingressus, Abgarus Proceribus circumseptus, in ipso intrantis Thaddæi vultu divinum nescio quid videre sibi visus est, *quo conspecto statim Thaddæum adoravit*. Exhibitam sibi à Rege adorationem abnuisse non dicitur Thaddæus: cùm tamen Princeps Apostolorum Petrus Cornelium Centurionem genibus ejus advolutum erexerit, dicens: *Surge, & ego ipse homo sum.* Abgarus rogaverat Thaddæum, ut de Christi potentia, gloria, adventu verba faceret: Respondit Thaddæus: *Nunc quidem parcam dicere, quandoquidem ad verbum Dei palam omnibus annuntiandum sum destinatus.* Paulus & Silas familiæ Commentariensis *subitò locuti sunt sermonem Domini*: & Thaddæus horam prædicandi Evangelium prorogat in Aula Regia audiendi avida? An verò Apostolica phrasis hæc est? *Divinitatem suam Christus ipse minuit?*

Nec spernendum augmentum est, quod Vir Eruditus arcessit ex Dione lib. LX. Imperante Trajano, Edessam regebat Regulus à Christianæ Religionis institutis alienus, nomine Abgarus. (Ut enim Ægypti Regibus commune nomen *Pharao*, Imperatoribus Romanis *Cæsar*; sic Edessæ Principibus *Abgarus*.) Huic Abgaro filius fuit Arbandes, egregiâ formâ Princeps, & hoc nomine Trajano carissimus. Abgarus partim à filio persuasus, partim Imperatoris jam præsentis metu percussus, advenienti obviam profectus est, ejúsque gratiam promeruit. *Nam filius ei splendida supplicationis instar aderat.* Ad cœnam invitavit Trajanum, in qua *filium Barbarico quodam more saltantem produxit.* Nefariis in deliciis Trajano fuisse Regium puerum Dio subindicat. Ut or est,

Barbarica

Psrbarica illa saltatio satis probat, Christianam Religionem in Aula Edessena non viguisse. Et tamen Rex ille Arbandis Principis pater Abgarum, ad quem Jesum scripsisse, & quem à Thaddæo Christiana Religione imbutum volunt, genitorem aut decessorem habere debuit? An verò simile est, tam subitò prædicationis ac miraculorum Thaddæi, ac Epistolæ Christi Jesu ad Abgarum scriptæ memoriam abolitam? Religionis a Rege & subditis non ita pridem susceptæ tam citò deleta vestigia? Quæ tamen (si credere fas est) *Monumentis publicis* Edessenæ civitatis inhærebant.

---

## DISSERTATIO IV.

### *De Sancti Petri, & Romanorum Pontificum Primatu.*

CHRISTUS Dominus fundaturus Ecclesiam, Apostolos qui eam propagarent ac regerent, elegit, quibus Episcopi successerunt. Sanctum Petrum inter Apostolos primum fuisse tota clamat Traditio, Summumque Pontificem inter Episcopos supremum prædicat. Id cùm diffiteri non possint Heterodoxi, Primatum illum jurisdictionis esse negant, ac primos duntaxat ordine agnoscunt cùm Sanctum Petrum, tum Romanos Pontifices illius successores; primos, inquam, inter pares: & illum quantuluscunque est, Romani Pontificis primatum, juris esse divini inficiantur. Horum errorem sequenti Propositione profligabimus.

PROPOSITIO.

*Sanctus Petrus jure divino Apostolorum omnium Princeps fuit: eodemque jure Episcopus Romanus omnium Episcoporum primus est.*

§. I.

*Sancti Petri Primatus demonstratur.*

SANCTI PETRI Primatum demonstrant, verba Christi, Matthæi 16. cap. Cùm enim interrogasset Discipulos suos, *Quem dicunt homines esse Filium Hominis?* & respondentibus aliis, variasque de Christo hominum opiniones referentibus, denuò interrogavit eos, *Vos autem, quem me esse dicitis?* Tunc Petrus in illa verba celeberrimæ Confessionis erupit: *Tu es Christus Filius Dei vivi.* Protinus rependit ei vices Christus, & ait: *Et, ego dico tibi, Quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Atqui his verbis Sanctus Petrus Rector universalis Ecclesiæ, & Apostolorum Princeps designatur; ergo Sanctus Petrus, ex institutione Christi, Apostolorum omnium Princeps fuit.

Ecclesia super Sanctum Petrum à Christo fundata.

Probatur Minor. Hæc namque verba, *Et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, ad singularem Sancti Petri personam, non verò ad ejus Confessionem, aut ad Christum ipsum, referenda esse, evidenter ostendit tota series contextûs. Verba enimverò antecedentia, scilicet: *Beatus es Simon Barjona, quia caro & sanguis non revelavit tibi,.... Et ego dico tibi, quia tu es Petrus*, spectant singularem Petri personam: ergo & sequentia verba, *& super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, quæ veluti coronidis vice adjicit, ad ipsum quoque Petrum pertinent. Præterea valde implicata esset ac perturbata series verborum Christi, nisi eodem tenore orationem ad unum Petrum flexisset. Hic enim esset illorum sensus: *Tu*, mi Apostole, *es Petrus, & super hanc petram*, id est, supra me, *ædificabo Ecclesiam meam; & tibi*, Petro Apostolo, *dabo claves regni cælorum.* Quibus verbis quid intricatius proferri possit, non video.

II. Quocircà Sancti Patres communi suffragio Sanctum Petrum illam esse petram asserunt, super quam Ecclesia fundata sit.

Sic Origenes apud Eusebium lib. 6. cap. 19. *Petrus*, inquit, *super quem Christi Ecclesia, contra quam Inferorum portæ non prævalebunt, ædificata est, unam Epistolam omnium asseveratione approbatam reliquit.*

Sanctus Basilius ad cap. 2. Isaïæ: *Illico*, inquit, *per hanc vocem, Petrus, intelligimus Jonæ filium, qui fuit ex Betsaida, Andreæ fratrem, qui ex Piscatore in Apostolatus ministerium vocatus est. Qui quoniam fide præstabat, Ecclesiæ ædificationem in seipsum recepit.*

Sanctus Gregorius Nazianzenus Oratione 26. *Vides*, inquit, *quemadmodum ex Christi Discipulis, magnis utique omnibus, & excelsis, atque electione dignis, hic petra vocatur, atque Ecclesiæ fundamenta in fidem suam accipiat; ille impensius ametur, & supra pectus Jesu requiescat, ac reliqui Discipuli eos sibi præferri æquo animo ferant.*

Sanctus Joannes Chrysostomus Homiliâ 2. de Pœnitentia, in Psalmum quinquagesimum: *Columna illa Ecclesiæ*, inquit, *illa fidei basis, illud Apostolici chori caput, Petrus, annon semel, & iterum, & tertiò, Dominum abjuravit?*

Sanctus Cyrillus Alexandrinus lib. 2. in Joanne cap. 12. hæc scribit de Christo: *Discipulum instruit eum se esse, qui cuncta, etiam antequam fiant, novit; nec Simon fore jam nomen sibi, sed Petrus, prædicit: vocabulo ipso commodè significans, quòd in eo tanquam in petra lapidéque firmissimo, suam esset ædificaturus Ecclesiam.*

Sanctus Epiphanius Hæresi 59. *Princeps Apostolorum Petrus*, inquit, *qui quidem, solida petra instar, nobis extitit, cui velut fundamento Domini fides innititur: supra quam Ecclesia modis omnibus extructa est. In primis quidem quod Christum Dei vivi Filium esse confessus est, idque vicissim audiit: Supra hanc solida fidei petram ædificabo Ecclesiam meam.*

Tertullianus lib. de Præscriptionibus adversùs Hæreticos cap. 21. *Latuit aliquid Petrum*, inquit, *ædificandæ Ecclesiæ petram dictum, claves regni cælorum consecutum, & solvendi & alligandi in cælis & in terris potestatem.*

Sanctus Cyprianus Epistolâ 57. *Petrus, super quem ædificata à Deo fuerat Ecclesia, unus pro omnibus loquens, & Ecclesiæ voce respondens, ait: Domine, ad quem ibimus?* Et Epistola 71. *Petrus, quem primum Dominus elegit, & super quem ædificavit Ecclesiam.* Et Epistolâ 40. *Deus unus est, & Christus unus, & una Ecclesia, & Cathedra una super Petrum Domini voce fundata.*

Sanctus Hieronymus lib. 1. adversùs Pelagianos cap. 4. *Ut Plato Princeps Philosophorum, sic Petrus Apostolorum fuit, super quem Ecclesia Domini stabili mole fundata est.*

Sanctus Hilarius Canone 16. in Matthæum: *O in nuncupatione novi nominis felix Ecclesiæ fundamentum, dignaque ædificatione illius petra, quæ infernas leges, & tartari portas, & omnia mortis claustra dissolveret.*

Sanctus Augustinus in Psalmum 69. *Petrus*, inquit, *qui paulò antè Christum confessus erat Filium Dei, & in illa confessione appellatus erat petra, supra quam fabricaretur Ecclesia, paulò post, Domino dicente de futura Passione sua, ait: Absit à te Domine*, &c.

Sanctus Prosper, vel quisquis Author est librorum

rum de Vocatione Gentium, Sancto Prospero Aquitanico inscriptorum, lib. 2. cap. 28. de Sancto Petro ita scribit: *Quis ergo ambigat, quis ignoret hanc fortissimam petram, quæ ab illa principali petra communionem & virtutis sumpsit, & nominis, hoc desiderium semper habuisse, ut ei moriendi pro Christo constantia donaretur.*

Sanctus Leo Magnus Sermone 2. in Anniversario Assumptionis suæ ad Pontificatum: *Manet dispositio veritatis*, inquit, *& beatus Petrus in accepta fortitudine petra perseveravit, suscepta Ecclesiæ gubernacula non reliquit; sic enim præ cæteris est ordinatus, ut dum petra dicitur, dum fundamentum pronuntiatur...... qualis ipsi cum Christo esset societas, per ipsa appellationum ejus mysteria nosceremus.*

Ligandi & solvendi potestas singulari quadam ratione S. Petro tradita.

III. Probatur secundò eadem prima pars Propositionis, ex verbis Christi æquè ad Sanctum Petrum directis cap. 16. S. Matthæi: *Et tibi dabo claves regni cælorum, & quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis; & quodcunque solveris super terram, erit solutum & in cælis.* Quibus verbis, singulari quadam ratione promittitur Sancto Petro procuratio clavium, non solùm cum amplitudine potestatis ligandi, atque solvendi: hoc enim ad Apostolos spectat universos: sed etiam cum dignitate Capitis, ut quædam hujus Imperii vis in cæteros etiam Apostolos transfunderetur; sed quam nonnisi ordine quodam ad Petrum, unitatis Ecclesiasticæ fontem à Christo constitutum, obtinerent. Quam in expositionem cùm omnes fermè sancti Patres conspirent, luculentiùs illam adstruunt Tertullianus, Optatus Milevitanus, & Sanctus Leo.

Tertullianus lib. Scorpiaci cap. 10. *Nam etsi adhuc clausum putas cælum*; inquit, *memento claves ejus hic Dominum Petro, & per eum Ecclesiæ reliquisse.*

Optatus verò Milevitanus lib. 2. contra Parmenianum. *Bono unitatis*, inquit, *beatus Petrus, cui satis erat si, postquàm negavit, solam veniam consequeretur, & præferri omnibus Apostolis meruit, & claves regni cælorum communicandas cæteris, solus accepit.*

Denique Sanctus Leo, Sermone 3. in Anniversario die Assumptionis ad Pontificatum suæ: *Transivit quidem etiam in alios Apostolos vis potestatis illius*, inquit, *& ad omnes Ecclesiæ Principes Decreti hujus constitutio commeavit: sed non frustra uni commendatur, quod omnibus intimetur. Petro enim ideo hoc singulariter creditur, quia cunctis Ecclesiæ Rectoribus Petri forma præponitur. Manet ergo Petri privilegium, ubicumque ex ipsius fertur æquitate judicium. Nec nimia vel severitas, vel remissio, ubi nihil erit ligatum, nihil solutum, nisi quod Beatus Petrus aut solverit, aut ligaverit.*

Sacer super omnes Fideles, & super ipsos Apostolos Principatus S. Petro à Christo traditus.

IV. Probatur tertiò eadem veritas ex Evangelio Sancti Joannis cap. 21. ubi Christus brevi remeaturus ad Patrem, Simonem Petrum his verbis convenisse legitur: *Simon Joannis, diligis me plus his?* Quod cùm iterum & tertiò rogavisset, ac toties respondisset Petrus; *Domine, tu scis quia amo te*: toties illi dixit, *Pasce agnos meos*, vel, *pasce oves meas*: quibus verbis summa rerum in Ecclesia, & sacer nedum super cæteros Fideles, sed etiam super Apostolos ipsos principatus Sancto Petro à Christo Servatore collatus est.

Ita hunc locum exponunt SS. Patres, & veteres Authores Ecclesiastici.

Origenes in cap. 6. Epistolæ ad Romanos: *Petro*, inquit, *cùm summa rerum de pascendis ovibus traderetur, & supra ipsam velut petram fundaretur Ecclesia, nullius confessio virtutis alterius ab eo, nisi charitatis, exigitur.*

Sanctus Ambrosius lib. 10. in Lucam ad cap. 24. *Dominus non dubitabat*, inquit, *qui interrogabat, non ut discederet, sed ut doceret, quem elevandus in cælum amoris sui velut Vicarium relinquebat..... quia solus profitetur ex omnibus, omnibus antefertur..... Tertiò Dominus, non jam diligis me? sed amas me? interrogavit: & jam non agnos, ut primò, quodam lacte pascendos; nec oviculas, ut secundò: sed oves pascere jubetur, perfectiores ut perfectior gubernaret.* Quænam porro sunt perfectiores oves, nisi ipsi Apostoli?

Sanctus Eucherius Episcopus Lugdunensis, seu alter Episcopus Gallicanus antiquus, in Sermone de Natali Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, qui cum aliis sub nomine Eusebii Emisseni falsò circunfertur: *Priùs agnos*, inquit, *deinde oves commisit ei; quia non solum Pastorem, sed Pastorum Pastorem eum constituit. Pascit igitur Petrus agnos, pascit & oves; pascit filios, pascit & matres; regit & subditos, & Prælatos. Omnium igitur Pastor est, quia præter agnos & oves, in Ecclesia nihil est.*

Sanctus Gregorius Magnus lib. 4. Epistolâ 32. ad Mauritium Imperatorem data: *Cunctis*, inquit, *Evangelium scientibus liquet, quòd beatissimo, omnium Apostolorum Principi Petro, Dominica voce totius Ecclesiæ cura commissa est.*

Denique Sanctus Bernardus lib. 2. de Consideratione cap. 8. expendens verba illa Christi ad Sanctum Petrum directa, *Pasce oves meas: QUAS?* inquit, *illius, vel illius populos civitatis, aut regionis, aut certi regni? Oves meas, inquit. Cui non planum non designasse aliquas, sed assignasse omnes? nihil excipitur, ubi distinguitur nihil. Et fortè præsentes cæteri Condiscipuli erant, cùm committens uni, unitatem omnibus commendaret in uno grege, & in uno Pastore, secundùm illud; Una est columba mea, perfecta mea. Ubi unitas, ibi perfectio..... Reliqui numeri perfectionem non habent, sed divisionem, recedentes ab unitate.. Inde est quod alii singulas sortiti sunt plebes, scientes sacramentum. Denique Jacobus, qui videbatur columna Ecclesiæ, una contentus est Hierosolyma, Petro universitatem cedens.*

V. Probatur quartò eadem veritas ex prærogativis Sancto Petro concessis. Primò ex nominis mutatione, Joannis enim 1. cùm ab Andrea fratre suo adductus esset ad Jesum, dixit illi Servator: *Tu es Simon filius Jona: tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus.* Hujus autem impositione nominis factam esse Petro quandam dignitatis accessionem, vel potiùs prænuntiatam, SS. Patres contendunt; tum quòd nomen istud Syriacè Petram, Græcè Caput significet; tum quòd unum sit ex Christi nominibus, *Petra enim erat Christus, & lapis angularis, qui fecit utraque unum.* Christus ergo suum nomen communicans cum Petro, quid aliud significare voluit, quàm ipsum vice sua, Fundamentum & Caput Ecclesiæ institutum? Id innuunt Sanctus Cyrillus Alexandrinus lib. 2. in Joannem, cap. 12. & Sanctus Augustinus Tractatu 7. in eundem Evangelistam. Sed longè evidentiùs ac luculentiùs Sanctus Leo Sermone 3. de Assumptione sua ad Pontificatum: *Sicut*, inquit, *Pater meus tibi manifestavit divinitatem meam: ita & ego tibi notam facio excellentiam tuam, quia tu es Petrus. Id est, cùm ego sim inviolabilis petra, ego lapis angularis, qui facio utraque unum: ego fundamentum, præter quod nemo potest aliud ponere: tamen tu quoque petra es, quia mea virtute solidaris, ut quæ mihi potestate sunt propria, sint tibi mecum participatione communia.*

Eximiæ S. Petri prærogativæ.

Altera prærogativa est, quòd primus inter Apostolos semper recensetur, præsertim Matth. 10.

Duodecim

*Duodecim autem Apostolorum nomina sunt hæc*, inquit Evangelista: *primus Simon, qui dicitur Petrus.* Neque enim primatus vocationis aut ætatis obtrudi potest, cùm Andreas prior vocatus esset, nec primus tamen nominetur; nec in cæterorum enumeratione ulla vocationis ætatisve habeatur ratio.

Tertium dignitatis supremæ & singularis in S. Petro indicium est, quòd primum Ecclesiæ Concilium convocaverit, proposueritque Apostolis reliquis electionem alicujus è Discipulis in Judæ proditoris locum, Actuum 1. cap. ubi Sanctus Joannes Chrysostomus ait, Homilià scilicet 3. in Acta Apostolorum. *Quàm est fervidus*, inquit, *quàm cognoscit creditum à Christo gregem! quàm in hoc choro Princeps est!* Et inferiùs: *Meritò primus omnium, auctoritatem usurpat in negotio, ut qui omnes habeat in manu. Ad hunc enim dicit Christus: Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Addit Sanctum Petrum solum, non rogatis aliorum suffragiis, Apostolum in locum Judæ eligere potuisse. *Quid*, inquit, *an non licebat ipsi Petro eligere? Licebat, & quidem maximè. Verùm id non facit, ne cui videretur gratificari.*

Idem colligitur ex Apostolorum Synodo, in qua de Legalium observantia quæstio habita est. In ea enim primus omnium sententiam dixit Sanctus Petrus, Authorque fuit Decreti ac Princeps, pro summa, qua pollebat, in Ecclesia authoritate; cui propterea alii omnes, etiam ipse Jacobus Hierosolymorum Episcopus, assensi sunt. Unde Sanctus Hieronymus Epistola 89. ad Sanctum Augustinum data, ait: *Tacuit omnis multitudo, & in sententiam ejus Jacobus Apostolus, & omnes simul Presbyteri transierunt. Hæc non debent esse molesta Lectori, sed & mihi, & illi utilia, ut probemus, ante Apostolum Paulum non ignorasse Petrum Principem esse hujus Decreti, Legem post Evangelium non esse servandam. Denique tantæ Petrus auctoritatis fuit, ut Paulus in Epistola sua scripserit: Deinde post annos tres veni Hierosolymam videre Petrum*, &c. Quibus verbis refelluntur Hæretici, qui non alia ratione Sanctum Petrum illa in Synodo primum sententiam dixisse volunt, quàm Decanus in quovis collegio primus suffragium ferat.

Quartum supremæ dignitatis indicium est, quòd illæ duntaxat Sedes primæ & Patriarchicæ primitus habitæ sunt, quas Sanctus Petrus fundavit, Romana scilicet, & Antiochena, quas per se ipsum; Alexandrina verò, quam per Sanctum Marcum Discipulum suum constituit. Qua de re lege Sanctum Gregorium Magnum lib. 6. Epistolà 37.

VI. Probatur quintò Concilii Chalcedonensis authoritate Actione 3. ubi Legati Apostolici in sententia adversùs Dioscorum lata hæc habent: *Unde sanctissimus & beatissimus Archiepiscopus magnæ & senioris Romæ Leo, per nos, & per præsentem sanctam Synodum unà cum ter beatissimo, & omni laude digno Petro Apostolo, qui est Petra & Crepido Catholicæ Ecclesiæ, & rectæ fidei Fundamentum, nudavit eum tam Episcopatus dignitate, quàm etiam & ab omni sacerdotali alienavit ministerio.*

Sanctus Petrus Caput Apostolorum & Princeps, unitatis Ecclesiasticæ centrum.

VII. Probatur sextò. Qui caput Apostolorum, & unitatis Ecclesiasticæ centrum & custos constitutus à Christo fuit, ille jure divino cæterorum extitit Apostolorum Princeps: atqui Sanctus Petrus à Christo constitutus fuit caput Apostolorum, & Ecclesiasticæ unitatis centrum ac custos; ergo jure divino cæterorum extitit Apostolorum Princeps.

Probatur Minor authoritate Sanctorum Patrum, & Sancti imprimis Cyrilli Alexandrini lib. 12. in Joannem cap. 64. *Ut Princeps*, inquit, *Caputque cæterorum primus exclamat: Tu es Christus Filius Dei vivi.*

Secundò, Sancti Hieronymi lib. 1. adversùs Jovinianum cap. 14. *At dicis*, inquit, *Super Petrum fundatur Ecclesia; licet idipsum alio in loco super omnes Apostolos fiat, & cuncti claves Regni Cælorum accipiant, & ex æquo super eos Ecclesiæ fortitudo solidetur; tamen propterea inter duodecim unus eligitur, ut Capite constituto, schismatis tollatur occasio.* Ex quibus colligitur, quòd, licèt Apostoli omnes æquo jure fuerint Ecclesiæ fundamenta ratione Apostolatus, doctrinæ & prædicationis, solus tamen Petrus constitutus est Ecclesiæ Caput, unusque præ cæteris electus, qui procurando Ecclesiasticæ unitatis negotio, ex officio advigilaret.

Tertiò, authoritate Optati Milevitani lib. secundo contra Parmenianum. *Igitur negare non potes*, inquit, *scire te, in urbe Roma Petro primò Episcopalem Cathedram esse collatam, in qua sederit omnium Apostolorum caput Petrus, unde & Cephas appellatus est: in qua una Cathedra unitas ab omnibus servaretur; ut jam schismaticus & peccator esset, qui contra singularem Cathedram, alteram collocaret. Ergo Cathedra unica est, quæ est prima de dotibus; sedit prior Petrus*, &c.

Ex quibus constat Sancto Petro singularem Cathedram, & cæteris superiorem constitutam fuisse, quæ unitatis Ecclesiasticæ centrum esset, ipsumque fuisse caput huic unitati servandæ à Christo præpositum. Quo in munere, Primatûs ratio potissimùm splendescit.

S. Petri Principatus cuilibet Episcopatui anteponendus.

VIII. Probatur ultimò. Qui à Christo electus est ut Pastores Ecclesiæ regeret universos, cujusque Principatus cuilibet Episcopatui est anteponendus, ille jure divino Primatum supra cæteros Apostolos & supremam Ecclesiæ administrationem obtinuit: atqui Sanctus Petrus à Christo electus est ut universos Ecclesiæ Pastores regeret, ejusque Principatus cuilibet Episcopatui anteponendus est; ergo Sanctus Petrus jure divino Apostolorum Princeps, & supremus Ecclesiæ Pastor extitit.

Probatur Minor testimoniis Sanctorum Patrum, primò Sancti Augustini lib. 2. de Baptismo contra Donatistas cap. 1. ubi cùm retulisset illa Sancti Cypriani verba ex Epistola ad Quintum: *Nam nec Petrus, quem primum Dominus elegit, & super quem ædificavit Ecclesiam suam, cùm secum Paulus de Circumcisione disceptaret, postmodum vindicavit sibi aliquid insolenter, aut arroganter assumpsit, ut diceret, se primatum tenere, & obtemperari à novellis, & posteris sibi debere*..... Cùm, inquam, illa verba Sanctus Augustinus retulisset, ait: *Ecce ubi commemorat Cyprianus, quod etiam nos in Scripturis sanctis didicimus, Apostolum Petrum, in quo Primatus Apostolorum tam excellenti gratia præeminet, aliter quàm veritas postulabat, agere solitum de circumcisione, à posteriore Apostolo Paulo esse correctum.* Et inferiùs: *Puto quod sine ulla contumelia Cyprianus Episcopus Apostolo Petro comparatur, quantum attinet ad martyrii coronam: cæterùm magis vereri debeo ne in Petrum contumeliosus existam. Quis enim nescit illum Apostolatus Principatum cuilibet Episcopatui præferendum? Sed etsi distat Cathedrarum gratia; una est tamen Martyrum gloria.*

Secundò eadem minor propositio probatur authoritate Sancti Leonis Magni Sermone 3. de Assumptione sua: *De toto*, inquit, *mundo unus Petrus eligitur, qui & universarum gentium vocationi, & omnibus Apostolis, cunctisque Ecclesiæ Patribus præponatur: ut quamvis in populo Dei multi Sacerdotes sint, multique Pastores, omnes tamen propriè regat Petrus, quos principaliter regit & Christus.*

*Magnum & mirabile, dilectissimi, huic viro consortium potentiæ suæ tribuit divina dignatio : & si quid cum eo commune cæteris voluit esse Principibus, nunquam nisi per ipsum dedit, quidquid aliis non negavit.*

§. II.

*Primatus Romani Pontificis demonstratur.*

I. PRIMA ratio. Christus Ecclesiam fundavit in æternum tempus duraturam ; ergo in ipsa instituit perpetuam regiminis formam, quæ non in Sancto Petro duntaxat, sed in ejus successoribus eluceret : at regimen Ecclesiæ ex Christi institutione monarchicum est, quamvis sit aristocratiâ quadantenùs temperatum ; ergo debet esse perpetuò monarchicum. In Monarchia porrò unus extat supremus Princeps, qui rerum summam administret. Ergo in Ecclesia summum Principem extare necesse est, qui illam regat ; is verò est Romanus Pontifex, successor Petri, tota traditione consentiente : ergo Romanus Pontifex primatum super Episcopos universos in Ecclesia obtinet.

*Regimen Ecclesiæ Monarchicum, Aristocratia temperatum.*

Prima propositio subsumpta, scilicet quòd Ecclesiæ regimen ex institutione Christi sit monarchicum, multis probatur. Primò, optima regiminis forma in Ecclesia instituta à Christo est. Sed Monarchia omnibus regiminis formis antecellit, ipsa natura teste, quæ Regem unum apibus, gregibus ducem unum, armentis rectorem unum præficit ; ipso namque Authore demonstrante, qui in cœlestibus Hierarchiis unum Angelum constituit cæterorum Ducem ac Præsidem : ergo Ecclesiæ regimen ex Christi institutione monarchicum est. Hoc ratiocinium colligitur ex Sancto Gregorio Magno lib. 4. Epistolâ 52. ubi ab ordine cœlestis Jerusalem, quæ est mater nostra, argumentum trahit ad Ecclesiæ hierarchiam, seu Ecclesiasticæ hierarchiæ ordinem comprobandum : ut sicut in aula cœlesti unus est Angelus, qui cæteris præsidet vice Dei ; ita in Ecclesia cæteris Episcopis unus præsideat vice Christi.

Secundò. In Ecclesia Veteris Testamenti, ab Aarone præfuit semper unus summus Pontifex, seu Princeps Sacerdotum, idque ex divinæ legis decreto, Deuteronomii cap. 17. unde Josephus lib. 2. contra Apionem, ait : *Lex Sacerdotibus in communi quidem res præcipuas dispensare permittit : summo verò Pontifici aliorum Sacerdotum Principatum competenter injungit.* Cùm itaque illius temporis Ecclesia figura fuerit Ecclesiæ per Christum constituendæ, ratio postulat, ut sicut in illa, præter Deum invisibilem rectorem, fuit semper unum caput visibile ; ita & Ecclesia, præter Christum, Pastorem atque rectorem supremum & aspectabilem obtineat, ne minor sit illius quàm Synagogæ gloria ; & ne societas ministrorum Veteris Testamenti magis perfecta, ordinataque magis, quàm societas ministrorum Novi Testamenti censeatur.

Tertiò idem probatur ex similitudinibus, sub quibus in Veteri & Novo Testamento adumbratur Ecclesia. *Terribilis* dicitur *ut castrorum acies ordinata.* (Cantic. 6.) At in acie ordinata, præter Tribunos, & inferioris ordinis Duces, unus esse debet Imperator, ad quem summa rei militaris referatur, quique exercitui, quod facto opus sit, significet ac decernat. *In quamvis grandi exercitu, unius signum expectatur* (inquit Sanctus Hieronymus Epistolâ 4.) Ecclesia regnum est, Danielis 2. prædictum his verbis : *In diebus regnorum illorum, suscitabit Deus Cœli regnum, quod in æternum non dissipabitur,* &c. Cùm itaque regnum Christi sit præsentis temporis Ecclesia, in ea summus Princeps esse debet, qui ipsam regat ac moderetur. Ecclesia navis est, in qua per Baptismum salvamur, in similitudinem eorum, qui in Arca Noë salvabantur, (1. Petri 3.) Navi porrò unus summus Nauclerus præesse debet, qui singulis nautis sua munia præscribat.

Ecclesia ovile est. (Joannis 10.) *Fiet unum ovile, & unus Pastor.* Nunquid verò in ovili, præter minores opiliones, non est aliquis summus Pastor, cui incumbat ovium curam gerere, easque universim regere ac fovere ? Quapropter Sanctus Cyprianus Epistolâ 76. quæ ad Magnum data est, de Novatiano loquens, qui Romanum Episcopatum sedente jam Cornelio invaserat, ait : *Idcirco Dominus insinuans nobis unitatem de divina authoritate venientem, ponit, & dicit : Ego & Pater unum sumus. Ad quam unitatem redigens Ecclesiam suam, denuò dicit : Et erunt unus grex, & unus Pastor. Si autem grex unus est, quomodo potest gregi annumerari, qui in numero gregis non est ? aut Pastor haberi quomodo potest, qui manente vero Pastore, in Ecclesia Dei ordinatione succedanea præsidente, nemini succedens, & à se incipiens, alienus fit & profanus, Dominicæ pacis, ac divinæ unitatis inimicus ?*

Ecclesia domus est. Nomne igitur unus esse non debet illius dominus, unusque in ea œconomus constitui ? Id certè innuunt verba Christi Lucæ 12. *Quis, putas, est fidelis dispensator, & prudens, quem constituit Dominus supra familiam suam ?* Quæ verba Sanctum Petrum spectant. Nam cùm paulò antè Dominus dixisset, *Beati servi illi, quos, cùm venerit Dominus, invenerit vigilantes,* &c. ait ei Petrus : *Domine, ad nos dicis hanc parabolam ? an & ad omnes ?* Dixit autem Dominus : *Quis putas, est fidelis dispensator, & prudens ?* &c. quasi diceret : Ad te in primis, Petre, hæc verba direxi, cui præsertim incumbit attendere, quæ dotes necessariæ sint servo fideli, quem constituit dominus super familiam suam. Quæ verba Sanctus Joannes Chrysostomus libro secundo de Sacerdotio cap. 1. sic exponit, atque illum in scopum urget : *Quanam de causa ille* (nempe Christus) *sanguinem effudit suum ? Certè ut oves eas acquireret, quarum curam tum Petro, tum Petri Successoribus committebat. Jure igitur ac meritò sic loquebatur Christus : Quisnam fidelis servus & prudens, quem dominus super familiam suam constituit ? ....... Non hoc ait, quòd ei ignotus sit fidelis ac prudens servus : sed quòd exprimere velit, tum hoc opus quàm rarum sit : tum quæ sit functionis hujus amplitudo. Contemplare itaque & præmium quantum : Super omnia, inquit, bona sua constituit eum. Etiamne nunc nobiscum contendens, fraudem istam sibi non bene ac feliciter cessisse, qui per eam universis Dei Optimi Maximi bonis sit præficiendus : cùm præsertim ea agat, quæ cùm Petrus ageret, illum Christus auctoritate præditum esse voluit, ac reliquos item Apostolos longe præcellere ?*

Ex quibus Sancti Joannis Chrysostomi verbis colligo, S.nctum Petrum illiusque Successores, Pontifices Romanos, supremos in domo Dei, quæ est Ecclesia, dispensatores à Christo constitutos esse : illorúmque tam latè fundi potestatem, quàm latè funditur Christi redemptio. Unde cùm nullus omnino sit in Ecclesia, pro quo sanguinem suum non fuderit ; nullus omninò est, qui curæ Petri & Successorum ipsius non sit subditus.

Ecclesia denique unum corpus est. (Ad Romanos 12.) *Sicut in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent : ita multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra.* Quemadmodum igitur in

membrorum

membrorum multitudine caput unum est, quod omnia membra nectit ac regit; ita in Ecclesia Christi unum caput supremum esse debet. Quodnam porro illud est, nisi Romanus Episcopus? Hinc Sanctus Gregorius Nazianzenus, in brevi Homilia de creatione Episcopi Doarorum, de Romano Pontifice ita scribit: *Non venimus in magni illius Pastoris contemptum & ignominiam, qui splendidæ Civitati præsidet. Honorabilem scimus, caput agnoscimus, sanctum vocamus, tametsi injuriâ affecti: tantùm indulgentem, & humanum patrem filiis se præbeat, totique Ecclesiæ sedulò prospiciat.* Quæ verba licèt aliò detorqueant nonnulli, illa tamen de Romano Pontifice intelligenda esse ingenuè fatetur vel ipse Casaubonus, vir ex Hæreticorum castris doctissimus, Exercitatione 15. cap. 16. Hinc Patres Concilii Calchedonensis, in Relatione Synodica ad Sanctum Leonem, ita de Christo scribunt: *Si enim ubi sunt duo vel tres congregati in nomine ejus, ibi se in medio eorum fore perhibuit: quantam circa quingentos viginti Sacerdotes familiaritatem potuit demonstrare? ..... Quibus tu quidem, sicut membris caput, præeras in his, qui tuum tenebant ordinem, benevolentiam præferens ..... Rogamus igitur, & tuis Decretis nostrum honora judicium, & sicut nos Capiti in bonis adjecimus consonantiam; sic & Summitas tua filiis, quod decet, adimpleat.*

Romanus Pontifex Ecclesiæ Caput.

Hinc integro & ampliùs ante Chalcedonensem Synodum sæculo, Patres Concilii Sardicensis in Epistola Synodica ad Julium Pontificem Maximum ita scribebant: *Hoc optimum & valde congruentissimum esse videbitur, si ad Caput, id est, ad Petri Apostoli Sedem, de singulis quibusque provinciis referant Domini Sacerdotes.*

Hinc Archimandritæ & Monachi secundæ Syriæ, in Epistola ad Hormisdam Episcopum Romanum ita scribunt: *Deprecamur, Beatissime, supplicantes & rogantes ut exurgatis cum fervore & zelo, & condoleatis justè pro corpore laniato; nam Caput estis omnium; & vindicetis fidem contemptam, Canones conculcatos, Patres blasphematos, & talem Synodum anathemate impetitam.*

Hinc Theodorus Studita, Epistola ad Leonem III. Pontificem Romanum, ipsum vocat; *Divinissimum omnium Capitum Caput*; id est, omnium Patriarcharum.

Hinc Concilium Florentinum in Definitione Fidei, hæc constituit: *Diffinimus sanctam Apostolicam Sedem, & Romanum Pontificem, in universum orbem tenere Primatum, & ipsum Pontificem Romanum Successorem esse Beati Petri Principis Apostolorum, & verum Christi Vicarium, totiúsque Ecclesiæ Caput, & omnium Christianorum Patrem ac Doctorem existere; & ipsi in Beato Petro pascendi, regendi, ac gubernandi universalem Ecclesiam, à Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse, quemadmodum & in gestis œcumenicorum Conciliorum, & in sacris Canonibus continetur.*

II. Respondent Heterodoxi, Ecclesiæ Caput esse Christum. Fateor; & addo Christum non tantùm esse caput, sed & membra corporis sui mystici. Nam 1. Cor. 12. dicitur: *Sicut enim corpus unum est, & membra habet multa, omnia autem membra corporis, cùm sint multa, unum tamen corpus sunt: ita & Christus. Etenim in uno spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus*, &c. Ecce Christum hîc ita unum dixit Apostolus, quemadmodum corpus ex multis membris constans unum est. Ad quæ proculdubiò verba attendens Sanctus Augustinus in Psalmum 3. ait: *Totus Christus caput, & corpus.* Quemadmodum ergo licèt Christus non solùm Ecclesiæ caput dicatur, sed & corpus; tamen, præter Christi personam, alia sunt Ecclesiæ membra, quæ Christum induerunt; sic etiam, præter Christum, qui solus invisibile ac æternum totius Ecclesiæ caput est, aliud temporale & visibile Ecclesiæ Caput venerari debemus. Certè hoc Caput spectasse videtur Apostolus loco mox laudato, cùm ait: *Non potest caput dicere pedibus; Non estis mihi necessarii.* Sanè Caput æternum, scilicet Christus, manibus ac pedibus mystici corporis sui dicere potest; *Non estis mihi necessarii*: at caput temporale & aspectabile hæc verba usurpare absque præsumptione non posset. Hinc Sanctus Basilius Magnus Epistolâ 77. hæc ipsa Sancti Pauli verba refert ad visibile Ecclesiæ Caput, dum in mediis Orientalis Ecclesiæ turbis, quæ valde ipsum angebant, ad Romanum Pontificem, & Occidentis Episcopos ita scribit: *Sive caput vos ipsos universalis Ecclesiæ reputatis, non potest pedibus dicere caput: Non est mihi opus vobis; sive in reliquum vos Ecclesiasticorum membrorum ordinem locatis, non potestis nobis dicere, qui in eodem vobiscum corpore constituti sumus: Non estis nobis necessarii.*

Corpus igitur Ecclesiæ partim invisibile est, partim visibile. In externis quippe actionibus visibile est: at per spei expectationem, & charitatis internæ flammam, quadamtenus invisibile; quia, quæ sursum sunt, quærit, ubi Christus est ad dexteram Dei sedens, non quæ super terram: & vita ejus abscondita est cum Christo in Deo. Qua parte Ecclesiæ corpus spiritale est & invisibile, à solo Christo regitur. Qua parte visibile est, visibile caput sibi vendicat, ne corpus in ullo gradu sit sine capite, quod in eodem gradu sibi aptum sit & conveniens. Cùm ergo Ecclesia unum sit corpus, non multa corpora, unum caput habet, non multa & sibi invicem æqualia capita. Quod etiam evincit fidei unitas, quæ servari non potest, nisi sit supremus aliquis controversiarum Ecclesiasticarum judex, cujus definitionibus acquiescere Fideles omnes teneantur.

III. Secunda ratio pro Romani Pontificis Primatu. Ille in quem Sancti Petri authoritas velut in Successorem transfusa est, Primatum obtinet jure divino in omnes Ecclesiæ Episcopos, & Fideles universos: atqui Sancti Petri authoritas in Romanum Pontificem velut in Successorem ac hæredem transfusa est: ergo Primatum obtinet jure divino in Ecclesia.

S. Petri authoritas in Romanum Pontificem jure successionis transfusa.

Probatur Minor testimoniis locupletissimis Sanctorum Patrum, qui Sedem Romanam, Cathedram Petri, & Romanos Pontifices Petri Successores appellarunt. Occurrit primò Sanctus Cyprianus Epistolâ 52. ubi de Cornelii Romani Pontificis Electione ita scribit: *Factus est autem Cornelius Episcopus de Dei & Christi ejus judicio, de Clericorum penè omnium testimonio, de plebis, quæ tunc adfuit, suffragio, & de Sacerdotum antiquorum, & bonorum virorum collegio, cùm nemo ante se factus esset, cùm Fabiani locus, id est, cùm locus Petri, & gradus Cathedræ sacerdotalis vacaret.* Et Epistolâ 55. de Felicissimo & Fortunato Schismaticis Africanis ad Cornelium Romanum Pontificem scribens, ait: *Post ista adhuc insuper Pseudo-Episcopo sibi ab Hæreticis constituto, navigare audent, & ad Petri Cathedram, atque ad Ecclesiam principalem, unde unitas sacerdotalis exorta est, à Schismaticis & profanis literas ferre, nec cogitare eos esse Romanos (quorum fides, Apostolo prædicante, laudata est) ad quos perfidia habere non possit accessum.*

Sedes Romana, Cathedra Petri.

Et Optatus Milevitanus lib. 2. contra Parmenianum. *Cathedra unica est*, inquit, *quæ est prima de dotibus..... Sedis Prior Petrus, cui successit Linus; Lino successit Clemens, Clementi Anacletus*, &c. *Julio Liberius, Liberio Damasus, Damaso Siricius, hodie qui noster est socius, cum quo nobis totus orbis commercio Formatarum, in una communionis societa-*

Probatur Major, scilicet quòd ab ultimo Artaxerxis Longimani Edicto, duci debeat initium 70. Hebdomadum Danielis. Quatuor repetiuntur Edicta Regum Persarum data in Judæorum gratiam. Primum Cyri (1. Esdræ cap. 1.) II. Darii Hystaspis, (1. Esdræ cap. 6.) III. & IV. Artaxerxis, (1. Esdræ cap. 7. & 2. Esdræ, seu Nehemiæ cap. 2.) At Cyri & Darii Edicta jubent tantùm ac permittunt restaurationem Templi, non reædificationem urbis. Primum verò Artaxerxis, quod anno 7. regni ejus, Esdræ datum est, Templum duntaxat & Sacrificia spectat. Ergo Prophetia Danielis de ultimo Artaxerxis Edicto intelligi debet, quo potestas Judæis facta est Urbis reædificandæ, murorumque restaurandorum. Quod autem Artaxerxes ille sit Longimanus, ita probatur. Tres, inter Reges Persarum, Artaxerxes, post Darium Hystaspis numerantur; nempe Longimanus, Mnemon, seu Memor, & Ochus. At ille à quo illud exiit Edictum, non fuit Mnemon, nam Mnemon regnum obtinuit anno Periodi Julianæ 4310. ante Æram Christianam 404. adeóque annus ejus 20. incidit in annum Periodi Julianæ 4329. ante Æram Christianam 384. quo anno superstes non fuit Nehemias, nisi vitam illius ad ducentesimum & trigesimum-nonum annum producamus. Siquidem ille unus fuit eorum, qui sub Cyro cum Zorobabele ascenderunt anno Periodi Julianæ 4178. ante Christianam Æram 536. Præterea, si dicto anno Periodi Julianæ 4310. (in quem incidisse vigesimum Mnemonis diximus) addantur anni 486. quot ab Edicto illo ad mortem Christi fluxerunt, fiet annus Periodi Julianæ 4814. qui est trigesimus-primus pòst Hierosolymitanum excidium: at LXX. Hebdomades completæ sunt quadriennio saltem post mortem Christi, & ante Hierosolymitanum excidium multis annis; Ergo Nehemias non loquitur de Artaxerxe Mnemone, neque de Artaxerxe Ocho ejus filio: Ergo de Artaxerxe Longimano, Darii Hystaspis nepote, sermonem institui loco laudato evidens est.

Probatur secundò. Eo anno figenda est mors Christi, quo Eclipsis illa adeò apud Antiquos celebrata, præter naturæ leges contigit, & quam designant Evangelistæ his verbis: *A sexta autem hora tenebræ factæ sunt super universam terram usque ad horam nonam*, (Matthæi 27. & Lucæ 23.) Atqui hæc contigit anno 4. Olympiadis 202. qui concurrit cum anno Juliano 78. Æræ vulgaris 33. Tiberii Cæsaris 19. ætatis Christi 37. inchoato. Ergo hoc anno mors Christi consignanda est.

Probatur Minor, testimonio Phlegontis, cujus verba referunt Chronicon Alexandrinum, & ante ipsum Eusebius & S. Hieronymus in Chronico. Et Chronicon quidem Alexandrinum hæc habet, ad annum Tiberii 19. pag. 521. *Quin & Gentium Scriptores hunc annum signarunt, & constanter affirmarunt terræ motum extitisse: quos inter speciatim est Phlegon, is qui Olympiadas concinnavit. Hic in tertio-decimo Volumine ita scribit: 202. Olympiade, anno 4. Eclipsis Solis maxima fuit, quanta nunquam antea contigisse legitur. Nox enim horâ sextâ diei tanta fuit, ut etiam astra in cælo apparerent, ingentique tremore terra concussa est circa Bithyniam. Hæc Phlegon, qui norat extraordinariam hanc, & planè insusitatam Solis defectionem fuisse.*

Eadem refert Eusebius in Chronico, quod S. Hieronymus Latinè vertit, ad annum 18. Tiberii: *Jesus-Christus Filius Dei, secundum Prophetias, quæ de eo fuerant prælocutæ, ad Passionem venit. Quo tempore, etiam in aliis Ethnicorum Commentariis hæc ad verbum scripta reperimus: Solis facta defectio, & tenebræ super universam terram. Bithynia terræ motu concussa; & in urbe Nicæna ædes plurimæ corruerunt. Quæ omnia his congruunt, quæ in Passione Salvatoris acciderunt. Scribit verò super his & Phlegon, qui Olympiadarum egregius supputator est, in tertio-decimo libro, ita dicens: Quarto autem anno 202. Olympiadis magna & excedens inter omnes, quæ ante eam acciderant, defectio Solis facta est. Dies horâ sextâ ita in tenebrosam noctem versus, ut stellæ in cælo visæ sint, terræque motus in Bithynia Nicænæ urbis multas ædes subverterit. Hæc supradictus vir.* Porro licèt S. Hieronymus hæc ad annum 18. Tiberii referre videatur, tamen revera ad annum Tiberii 19. ex ejus sententia referenda sunt, & mendum in numeros irrepsisse meritò conjicimus. Siquidem Hieronymus anno 4. Olympiadis 202. insolentem hanc eclipsim, & consequenter Passionem Christi tribuit. Annus autem 4. Olympiadis 202. est 19. non verò 18. Tiberii. Adde quòd ad marginem horum Phlegontis verborum, in Latino Eusebii Chronico, se in pluribus MSS. annum Tiberii 19. legisse monet Doctissimus Arnaldus Pontacus, Vasatensis Episcopus. Et Anastasius Bibliothecarius in sua Chronologia, ipsa Eusebii verba referens de anno mortis Christi; non 18. sed 19. Imperii Tiberii annum legit (ut notat idem Pontacus in Notis ad Chronicon Eusebii,) atque ita emendandum Eusebium censent cum Scaligero Viri Eruditi. Quod ex ipsius Eusebii Chronico Græco satis persuadetur: siquidem ille exordia Imperii Tiberii figit anno 2. Olympiadis 198. à quo usque ad 4. Olympiadis 202. annos 19. reperire est.

Respondent nonnulli, Phlegontem de prodigiis Christo patiente factis nullam prorsus fecisse mentionem, sed de alia Eclipsi ipsum loqui.

Contrà. Veteres de Eclipsi quæ Christo moriente contigit, Eclipsim illam intellexerunt. Ut enim S. Dionysium Areopagitam omittam, præter Eusebium, & Chronici Alexandrini Authorem, jam laudatos, Julius Africanus verba Phlegontis in illam Eclipsim quadrare profitetur in Fragmento quod profert Georgius Syncellus in Chronographia pag. 322. *Narrat Phlegon*, inquit, *sub Tiberio Cæsare, in pleni-lunio Eclipsim Solis factam perfectam ab hora sexta usque ad nonam: manifestum est autem, quòd illam; nempe quæ Christo moriente contigit.*

Ita quoque Origenes lib. 2. contra Celsum. *De defectu Solis*, inquit, *sub Tiberio Cæsare, quo Imperante Jesum constat crucifixum, deque magnis ejus temporis motibus terræ, scripsit etiam Phlegon in 13. ut opinor, Chronicorum*. Et Tertullianus Annales Gentium hujusce defectionis Solaris generatim testes advocat, Apologetici cap. 21. *Eodem momento*, inquit, *dies, medium orbem signante Sole subducta est. Deliquium putaverunt, qui id quoque super Christo prædicatum utique non scierunt: ratione non inventa, negaverunt, & tamen eum mundi casum relatum in arcanis vestris habetis.*

Probatur tertiò Propositio prima. A Baptismo Christi ad ejus mortem, quatuor Paschata intercesserunt: Ergo cùm baptizatus fuerit anno Juliano 75. vulgaris Æræ Christianæ 30. Imperii Tiberii 16. mortuus est anno Juliano 78. vulgaris Æræ Christianæ 33. Tiberii 19. cumque 34. ætatis suæ anno baptizatus sit, consequens est ipsum mortem subiisse anno ætatis suæ 37. inchoato.

Probatur Antecedens ex Evangelio, totidem Paschata ministerii Christi recensente. Primum illud est, quod Joannis 2. describitur, in quo vendentes ejecit de Templo. Secundum est illud quod in cap. 5. habetur, in quo Languidum 38. annorum sanavit. Nam per *diem Festum*, hîc *Pascha* intelligi antiquissimus Author est Irenæus lib. 2. adversùs Hæreses cap. 29. Eusebius Demonstrationis

nis Evangelicæ lib. 8. S. Hieronymus & Theodoretus in cap. 9. Danielis. Et certè nomine *Diei festi* simpliciter, significari in Evangelio festum Paschatis, constat ex Marci 14. v. 2. & ex ejusdem cap. 6. 15. v. 6. ex Lucæ cap. 23. v. 17. & Joannis cap. v. 4. Denique idem constat, quia cùm Christus venit Samariam, quod cap. 4. narrat S. Joannes, tempus Paschatis & messis intra quatuor menses futurum erat; dixit enim Jesus: *Nonne vos dicitis, quia adhuc quatuor menses sunt, & messis venit?* Quæ autem ex hoc ad curationem usque Paralytici præstitit Jesus, quatuor mensium spatio perfici facilè potuerunt.

Tertium Pascha ministerii Christi, est illud quod Joannis 6. notatur, quando quinque panibus quinque millia hominum satiavit.

Quartum Pascha est illud, in quo oblatus est Christus, de quo Matthæi 26. Marci 14. Lucæ 22. Joannis XIII.

Probatur quartò. Christus mortuus est Lunâ 15. feriâ 6. postquàm die præcedente, id est Lunâ 14. primi mensis ad vesperam, feriâ 5. Pascha cum Discipulis suis immolasset (ut antiqua & constans habet totius Ecclesiæ Fides.) Atqui ex omnibus iis annis, qui modò in controversiam veniunt, putà ab Æræ vulgaris 31. usque ad 35. nullus reperitur alius, cujus prima, vel etiam secunda Luna (ne quis frugum immaturitatem causetur, ob quam Pascha differebatur interdum in Lunam sequentem,) nullus, inquam, est, cujus prima, vel secunda Luna plena esse potuerit feriâ 5. vel 6. nisi annus Æræ 33. vulgaris: huic igitur illiganda est Passio Christi.

Major constat. Nam ut ait Venerabilis Beda lib. de Temporum Ratione, cap. 45. *Quòd Dominus Lunâ 15. feriâ 6. Crucem ascenderit, & unâ Sabbatorum, id est, die Dominicâ resurrexerit à mortuis, nulli licet dubitare Catholico.*

Probatur Minor. Plenilunium vel ad astronomicum rigorem attenditur, vel ex Lunæ apparitione; ita ut Luna plena sit 15. die post verum novilunium; vel post primam novæ Lunæ apparitionem: quo posteriori modo Judæi plenilunia observarunt: nam illos juxta φάσιν, sive aspectum Neomenias suas celebrasse, vix est aliquis inter Eruditos, qui non fateatur. Certè Philo qui Christi temporibus vixit; *In Neomenia*, inquit, *Sol incipit sensibili splendore Lunam illustrare*; id est, splendore qui sub aspectum mox cadat. Idem constat ex pervetusta cujusdam Petri Concione apud S. Clementem Alexandrinum lib. Stromatum, quæ quàm antiqua sit, inde patet, quòd multi S. Petro Apostolo hanc adscripserint: in hac autem de Judæis sic habetur; *Et nisi Luna appareat, Sabbatum non celebrant quod primum dicitur, neque Neomeniam agunt, neque Azyma, neque festum, neque magnam diem.* Atqui, sive plenilunium ad astronomicum rigorem, sive ad Lunæ φάσιν attendatur, non contigit feriâ 5. vel 6. ullo ex his annis, qui vulgò in controversiam veniunt, nisi anno Æræ vulgaris 33. Ergo, &c.

Minorem sensibus ipsis demonstrant Astronomicæ Tabulæ. Nam ut ab anno Æræ vulgaris 31. incipiamus: Neomenia Nisan incidit hoc anno in diem 12. Martii, horâ sextâ post mediam noctem, feriâ secundâ, cùmque hora ad summum 27. à conjunctione necessarius sit Lunæ aspectus: imò cùm doceat Beda lib. de Ratione Temporum cap. 41. *sextâ, vel septimâ post ascensionem horâ Lunam videri, maximè cùm ea posita est in Ariete*; sequitur Lunam quæ iniit die 12. Martii horâ sextâ post mediam noctem, feria secunda videri potuisse ipsâ die 12. Martii, vel saltem 13. atque adeo Lunam 15. incidisse in 26. Martii feriâ secundâ, vel in 27. feriâ tertiâ. Cùm igitur Christum Lunâ 15. & feriâ 6. mortuum esse constet, colligitur hoc anno mortem ejus non esse consignandam.

Dices forsan; Lunam recentem quæ 12. Martii orta est anno illo, & cujus *plenilunium* incidit in 26. Martii feria secunda, non fuisse Nisan, propter immaturas fruges, sed Adaris repetiti; Nisan verò in sequentem Lunam rejectum, ut primitiæ novarum frugum Domino in Solennitate Paschali, secundùm Legem, offerri possent.

Contrà. Secundùm istud *novilunium* contigit anno illo die 10. Aprilis nostri, feria 3. horâ 19. post mediam noctem. Videri ergo potuit die 11. feriâ 4. Ergo *plenilunium* contigit 25. Aprilis, feria item 4. Cùm igitur Christus mortuus non sit feria 4. sed 6. Christus hoc plenilunio passus dici non potest.

Quoad annum 32. Æræ vulgaris idem constat. Hoc namque anno novilunium Nisan contigit die 36. Martii; horâ 4. feriâ 1. adeoque ante vesperam Luna facilè videri potuit in terra Israëlis, ubi purior est aër; vel saltem die 31. sequenti. Ergo 15. Luna incidit in 13. Aprilis, feria prima, vel 14. die, feriâ secundâ, quod nequaquam congruit anno Dominicæ Passionis: nec etiam Luna proximè sequens, cujus Neomenia incidit in [illegible] Aprilis.

De anno 34. Æræ vulgaris idem perspicuum est, quo novilunium contigit die 8. Martii, feria 2. horâ 21. post mediam noctem. Videri itaque potuit Luna die 9. Martii, feria 3. & sic plenilunium fuit 23. Martii, feria etiam 3. ad quam Passio Christi Salvatoris referri non potest. Sequens verò novilunium incidit in 7. Aprilis, feria 4. horâ 10. unde videri potuit, vel ipso die, vel saltem Aprilis 8. feria 5. & sic Luna 15. incidit vel in 21. Aprilis feriâ 4. vel in 22. feriâ 5. Cùm igitur Christus nec feriâ 4. nec feria 5. mortuus sit, sed feriâ 6. hoc anno Passio Christi consignari non potest.

Idem de aliis annis, qui in controversiam veniunt, facilè demonstrari potest; Ergo ratum est plenilunium non contigisse his annis feria 6. sive ad astronomicum rigorem, sive ad Lunæ φάσιν exigatur. Cùm itaque plenilunium contigerit feria 6. anno 33. Æræ vulgaris, hoc anno Passio Christi consignanda est.

Respondent nonnulli, Neomeniarum & pleniluniorum rationem penitus incertam apud Judæos fuisse Christi temporibus: quòd nec ea ex Astronomicis Tabulis, neque ex prima Lunæ visione determinarent, sed ex quibusdam Cyclis Lunaribus popularem ad usum accommodatis, qui Dominicæ Passionis tempore toto triduo Neomenias cælestes præverterent. Eorumque Cyclorum apud Judæos usum probant authoritate Sancti Epiphanii, Hæresi 51. ubi Cycli cujusdam Judaïci annorum 84. meminit.

Verùm adductis in præcedenti probatione testimoniis, hæc responsio satis eliditur. Neque ex turbatissimo obscurissimoque S. Epiphanii loco ullum ipsi præsidium quæri potest. Certè multa involvit Epiphanii contextus, quæ defendi non possint. Nam §. 26. significat Judæos uno die in celebratione Paschatis aberrasse, Christum verò biduo integro, & feriâ tertiâ Cœnam celebrasse, eâdemque vesperâ comprehensum. Deinde §. 37. ita concludere videtur, ut Judæos velit biduo vel triduo Pascha legitimum antevertisse. At certum est Christum epulum Paschale celebrasse feriâ quintâ, eademque nocte à Judæis fuisse comprehensum; nec verisimile est Christum à legitimo Paschate aberrasse. Non est igitur standum huic S. Epiphanii loco, præsertim cùm omnibus Eruditis vel mutilus videatur, vel ita implicatus & obscurus, ut vix aliquis sensus ex eo extundi possit.

Præterea Cyclum hunc 84. annorum, de quo subobscurè S. Epiphanius loquitur, non fuisse à Judæis usurpatum, sed à Catholicis invectum ut Judæorum pravitati responderent: testatur S. Cyrillus Alexandrinus, homo in hoc genere versatissimus, & ex ea Schola, atque Ecclesia, in qua Peritissimi temporum semper floruerunt, in Prologo sui Cycli Paschalis. Et Prosper hujusmodi quoque scientiarum Peritissimus, in suo Chronico majori, hujus Cycli originem ab anno Æræ vulgaris 46. deducit. Denique Paschasinus Lilybætanus Episcopus, qui à S. Leone his de rebus consuli meruit, in quadam Epistola ad Sanctissimum illum Pontificem data anno 443. ait, *se à Romana supputatione, quæ Cyclo concluditur* (illo nempe 84. annorum, ut disertè probat Bucherius) *quod dubitationem afferret, ad Hebræorum, hoc est legalem supputationem, confugisse, quæ à Romanis ignorabatur.* Ex quibus colligitur Cyclum illum à Judæis usurpatum non fuisse, cùm ille Antistes huic legalem Judæorum supputationem manifestè opponat.

Objectio prima petitur ex Concilio Cæsariensi, quod anno 196. Victore I. Romano Pontifice, celebratum est, ut de legitima celebrandi Paschatis C ratione decerneretur, in quo, Theophilo Cæsareæ Metropolita Præside, statutum est, ut Pascha ab undecimo Calendas Apriles ad undecimum Calendas Maias celebraretur; idque ob rationem, quæ ut vulgò istbic nota, & Majorum constanti Traditione accepta, citra ullam controversiam, & nemine contradicente, à Theophilo prolata est his verbis: *Passus namque est Dominus ab undecimo Calendas Aprilis, qua nocte à Juda est traditus, & ad octavum Calendas Aprilis resurrexit.* Porro ut Christus die 22. Martii comprehensus fuerit, 23. mortuus; 25. à mortuis suscitatus, debuit tum D in usu fuisse litera Dominicalis, G, quæ ab excessu Augusti ad excessum Tiberii usurpata non est, nisi annis vulgaris Æræ 25. 31. & 36. Horum primus & postremus rejiciendus necessariò est ob repugnantem Passioni Dominicæ Lunæ ætatem, quæ feria 6. plena non fuit annis modò notatis. Conveniunt autem hi characteres anno vulgaris Æræ 31. Ergo hoc anno consignanda est Passio Christi, non verò 33. dicendumque ipsum 35. non verò 37. ætatis suæ anno passum fuisse.

Respondeo, Concilium Cæsariense Christi mortem adscripsisse die 23. Martii, ex opinione tum pervulgata, sed minimè excussa, & probata: E nec mirum est quòd Palestinæ Antistites hac in re decepti fuerint, qui in Paschatis figendo limite aberrarunt; ut ex eo constat, quòd anno 455. consenserit S. Leo ut Pascha juxta Cyclum Alexandrinæ Ecclesiæ celebraretur 8. Calendas Maias, hoc est, die 24. Aprilis; & nunc 25. ejusdem mensis ultimum Pascha notamr: cùm Cæsariense Concilium 21. Aprilis Paschalem limitem definierit. Ut igitur Ecclesia in figendo limite Paschatis à Cæsariensis Concilii Patribus discessit; ita in die mortis Christi designando ipsos deserere, Viri Eruditi religioni minimè duxerunt. Et certè 23. F Martii passum esse Christum anno 31. Æræ vulgaris, tam repugnat, quàm aliis à 33. pro quibus stant Viri Eruditi; siquidem anno illo plenilunium mensis Nisan, cujus pridie Christus Cœnam legalem celebravit, incidit in 26. Martii feria secunda, vel in 27. feria tertia, quibus feriis Christum non esse passum Traditio docet.

Accedit quòd dies 22. Martii anno vulgaris Æræ 31. non fuerit ille, in quo *necesse esset occidi Pascha*, ut Evangelium testatur. Lege siquidem apud Judæos cautum erat, ne occideretur, & manducaretur Agnus ante Vernum Æquinoctium, & ingressum Solis in Arietem, ut testantur Josephus lib. 3. A Antiquitatum cap. 10. & Anatolius apud Eusebium lib. 7. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 26. citans Aristobulum & duos Agathobulos, qui diu ante Christum vixerunt. Atqui constat ex Tabulis Astronomicis, Æquinoctium vernum, & ingressum Solis in Arietem non ante diem 23. Martii eo anno peractum: Ergo Christus hoc anno Æræ vulgaris 31. Sacrum epulum non celebrasset ante diem 23. Nisan, adeoque non fuisset Cruci suffixus ante diem 24. quod hypothesim Cæsariensis Synodi penitus evertit.

Contrà, si Christus passus est anno vulgaris B Æræ 33. necesse est ipsum passum fuisse die 3. Aprilis, qua plenilunium Nisan contigit. Atqui istud falsum est: Ergo Christus passus non est anno Æræ vulgaris 33.

Probatur Minor. Christum namque passum fuisse mense Martio, die 25. seu, quod idem est, 8. Calendas Apriles, ex Ecclesiæ Traditione constat, quam non solùm Concilium Cæsariense asserit quoad mensem, verùm & quoad diem ipsum Tertullianus lib. adversùs Judæos. *Passio*, inquit, *perfecta est sub Tiberio Cæsare, Consulibus Rubellio Gemino, & Rufio Gemino, mense Martio, temporibus* C *Pascha die 8. Calendas Aprilis.* Et Lactantius lib. 4. Institutionum cap. 10. ait Christum passum esse *anno Tiberii 15. Geminis Consulibus ante diem 8. Calendas Aprilis.* Et S. Augustinus lib. 18. de Civitate Dei, cap. ultimo: *Mortuus est ergo Christus*, inquit, *Geminis Consulibus, 8. Calendas Aprilis.* Et lib. 4. de Trinitate cap. 5. *Octavo Calendas Aprilis conceptus creditur, quo & passus... natus autem traditur 8. Calendas Januarii.* Et Venerabilis Beda lib. de Ratione Temporum cap. 5. postquam dixit sibi videri Adamum & Evam die 23. Martii, feriâ 6. creatos fuisse, subjungit: *Unde meritò creditur quòd Bea*D*tus Theophilus cum cæteris non solum Palestinæ, sed & permultis aliarum regionum Episcopis, de Pascha disputans scripsit, eodem die 10. Calendas Aprilis Dominum fuisse crucifixum.* Et cap. 45. ejusdem libri scribit, olim *Gallos quocunque die octavus Calendas Aprilis fuisset, quando Christi Resurrectio fuisse tradebatur, Pascha semper celebrasse.* Ecclesia etiam Græca in suo Menæo die 23. Martii, *Crucifixionem Domini nostri Jesu Christi in Dominico Paschate*, adscribit: & die 25. Martii, *Resurrectionem Domini nostri Jesu in Dominico Paschate.*

Denique Tostati Episcopi Abulensis tempore, E in hominum ingeniis adeo infixa permanserat hæc opinio de Christi morte 25. Martii assignanda, & de annis ejus 33. completis; ut etiam ipse, cùm Senis in Etruria, ubi Romani Pontificis Eugenii IV. Curia tum erat, inter Capita, quæ adhuc juvenis disputanda de mote proposuerat, edidisset, Christum 25. Martii non esse mortuum, sed 3. Aprilis, idque anno ætatis suæ 33. non completo, sed ineunte, multorum animos, quasi perniciosæ novitatis Author esset, adversùm se commoverit, à quibus ad Summum Pontificem delatus est. Adversarium autem præ cæteris habuit Joannem à Turrecremata, F Cardinalem ex Ordine Prædicatorum assumptum, qui priùs non destitit, quàm datis Judicibus Tostatus postulatus sit atque damnatus.

Respondeo, nego Minorem. Ad probationem dico Traditionem illam nutare, imò (ut ingenuè loquar) Traditionis nomine sententiam illam non esse exornandam. Namque si Tertulliani, Lactantii & aliorum Veterum opinio, qui Christum duobus Geminis Consulibus passum scripserunt, & anno Imperii Tiberii 15. ætatis suæ 30. nedum Traditionis loco non habetur, sed deseritur ab omnibus; cur iisdem adhibeatur fides diem Passionis Christi mense Maio adscribentibus, cùm in anno assignando tam graviter aberrarint?

Ad

Ad Sanctum Augustinum, dico ipsum sibi evidenter in priori loco contradicere: ibidem enim addit, annum 365. à Christi Passione, (sive præcisiùs loquendo) à prima post ejus Ascensionem Pentecoste, qua Lex Christiana palam promulgata est, completum fuisse Idibus Maii, Honorio & Eutychiano Consulibus, id est, anno Æræ vulgaris 398. quo ex numero si demantur anni 365. pleni, Christus reperitur passus anno Æræ vulgaris 33. Verùm nec hujus anni litera Dominicalis D, nec Lunæ ætas pati possunt ut Pascha in 8. Calendas Apriles, & Pentecoste in Idus Maias inciderit. Ergo in designando anno Passionis Christi, atque die, minùs accuratus fuit Sanctus Augustinus, & pugnantia eodem in loco scripsit.

Quod autem in secundo loco de traditione, & Ecclesiæ authoritate præmittit Sanctus Doctor, ad Conceptionem, & Nativitatem Christi pertinet, non ad Passionem. Id enim solum hoc in loco sibi sumit probandum; perfectionem corporis Domini novem mensibus & sex diebus ad partum perductam, *sicut à majoribus traditum*, inquit, *suscipiens Ecclesia custodit authoritas.* Quod ut stet, sufficit Christum 25. Martii conceptum, & 25. Decembris natum. Quod autem addidit, *quo & passus*, quasi ex occasione dixit, ut receptam opinionem innueret, non ut Ecclesiæ authoritatem in hoc quoque urgeret. Et certè non defuerunt etiam ex Antiquis, qui ab hac opinione recederent, & inter alios vetus Author Opusculi, cui titulus, *De Pascha Computus*, quod inter Sancti Cypriani Opera legitur, in quo sic habet: *Dominus Jesus manducavit Pascha 7. Idus Aprilis. 5. feria, & passus est altera die 6. feria.*

Ad authoritatem Venerabilis Bedæ, respondeo ipsum id non asserere absolutè, sed ex hypothesi, quòd contrarium ratio, aut major authoritas non persuadeat. *Meritò creditur*, inquit, *si non verior sententia vincit, quod B. Theophilus cum ceteris non solùm Palestinæ, sed & permultis aliarum regionum Episcopis, de Pascha disputans scripsit*, &c.

Ad Menæum Græcorum respondeo, opinionem illam invaluisse apud Græcos, quia rem, quæ tanti non est visa, haud satis accuratè expenderunt. Inde autem illa persuasio, quòd Christus mense Martio mortuus esset, orta est, quòd Apostoli anno Æræ vulgaris 34. Passionem Christi proximè sequenti, primam (ut conjicere par est) mortis Christi memoriam peregerint ipso die quo Judæi Pascha suum celebravere, nempe 14. Lunâ, quæ eo anno in 23. Martii nostri, & feriam tertiam incidebat; quia his primis annis Christiani nullam habere potuerunt temporum rationem, quàm quæ apud Judæos erat usurpata. Unde eo anno Resurrectionis Christi memoriam 25. Martii celebrarunt, quæ eò altiùs eorum infixa mentibus est, quòd eodem die Dominicam Incarnationem recolerent. Eam conjecturam juvat mos antiquus, qui adhuc in quibusdam viget Ecclesiis; ut *Annotinum Pascha*, quod vocant, singulis annis celebrent: hoc est, ejus diei memoriam agant, quo sacra Festivitas anno præcedenti occurrerat. Cùm ergo primi hujus Christianorum Paschatis celebritas apud Fideles percrebuisset, qui successu temporis, post rerum Judaïcarum subversionem, novamque temporum institutam rationem, quo præcisè anno Christus passus esset, ignorabant; tenui adhuc hujus diei 25. Martii allucente memoria, hunc ad ipsummet Passionis tempus referendum existimarunt; cùm potiùs ad primum Christianorum Pascha referendum fuisse videatur. Hinc quidam ex antiquis Christum 25. Martii mortuum, alii ea die ipsum resurrexisse scripserunt, quia spatium illud temporis quod Christi

A Passione & Resurrectione consectarum est, instar unius diei habitum fuit, propter unitatem oblationis, quæ die Parasceves est incœpta, & die Resurrectionis completa. Hanc autem fuisse mentem Veterum, constat ex Tertulliano lib. de Baptismo cap. 19. dicente: *Diem Baptismo solemniorem Pascha præstat; cùm & Passio Domini, in quam tingimur, adimpleta est.* Constat & ex Sancto Augustino, qui dies 50. perinde à Passione, ac à Resurrectione, ad Pentecostem usque numerat lib. de Spiritu & Litera cap. 16. *Ab occisione*, inquit, *& resurrectione illius quinquaginta diebus completis, congregatos in* B *unum fideles Spiritus Sanctus implevit.*

Ad id quod objicitur de Tostato, respondeo; ejus ab adversariis propositiones de Christo passo tertiâ Aprilis, & anno ætatis suæ 33. non completo, præsumptionis quidem & superbiæ fuisse insimulatas, cùm Itali Censores multorum dierum laboriosam operam in earum examine consumpsissent, nusquam tamen eis falsitatis notam inurere ausos fuisse, ut in Defensorio, seu Apologia hac de re edita ipsemet testatur. Hanc autem Apologiam scripsit jubente Cardinale à Sancto Angelo, qui Sanctæ Sedis Apostolicæ in Hungaria Legatus, C fortiter pugnans contra Turcas occubuit. Adeò non curavit Eminentissimus Cardinalis Censorum Italorum de hisce Tostati propositionibus judicium. Nec Summi Pontifices Apologiam illam ullatenus improbarunt, quæ ad calcem Operum Tostati legitur. Denique, ut ait Petavius lib. 12. de Doctrina Temporum, cap. 13. *Paulatim efferentibus sese hominum ingeniis, ac majori doctrinarum omnium luce perfusis, vetus illa*, de Christo passo 25. Martii, *exolevit opinio, paucos ut hac ætate patronos ac defensores habuerit.*

Objicitur secundò authoritas venerabilis Bedæ lib. de Ratione Temporum cap. 45. dicentis: *Habet* D *ni fallor, Ecclesiæ fides, Dominum in carne paulò plusquam triginta tribus annis, usque ad sua tempora Passionis vixisse: quia videlicet 30. annorum fuerit baptizatus, sicut Evangelista Lucas testatur; & tres semis annos post baptisma prædicaverit.* Et paulò post subjungit: *Sancta siquidem Romana & Apostolica Ecclesia hanc se fidem tenere, & ipsis testatur indiculis, quæ suis in Cereis annuatim scribere solet, ubi tempus Dominicæ Passionis in memoriam populis revocant, numerum annorum triginta semper & tribus annis minorem, quàm ab ejus Incarnatione Dionysius ponit, adnotat. Denique anno ab ejus Incarnatione, juxta Dionysium, 701. Indictione 14. fratres nostri* E *qui tunc fuere Romæ, hoc modo se in Natali Domini in Cereis Sanctæ Mariæ, scriptum vidisse, & inde descripsisse referebant: A Passione Domini nostri Jesu Christi, anni sunt 668.*

Respondeo, Bedam perperam opinionem suam velut Ecclesiæ fidem venditare, cùm nihil ex Scriptura, aut ex traditione, certi colligi possit, quo Christi ætas innotescat. Præterea ipse Beda suam illam hypotesim evertit: siquidem annos Christi ab Incarnatione, id est, à 25. Martii, anni vulgaris primi ad diem 25. ejusdem mensis anni vulgaris 34. quo Passionem ejus adscribit, dinumerat. Secun- F dùm autem istud ratiocinium, anni præcisè triginta tres completi Christo assignandi sunt, non paulò plus (ut vult Beda.) Ad hæc impropriè, nec usitato hominum more & consuetudine loquitur, dum ætati, vitæque Christi tempus illud imputat, quo in utero Virginis Matris inclusus est.

3. Pugnat in eo Beda secum, quòd anno Christi 34. 9. Calendas Aprilis Lunam 14. in feriam quintam incidisse ait; adeóque 8. Calendas Aprilis passum esse Christum. At ista hypothesis astronomicæ rationi planè repugnat. Ut enim ita esset, debuisset litera Dominicalis B, tunc esse in usu: at

anno Christi 34. notata est litera Dominicalis C.

4. Adhuc se implicat Beda, cùm ait, anno Æræ vulgaris 701. Romæ in Cereis Paschalibus fuisse annotatum annum à Passione 668. nam de 701. si demas 668. reliqui fient solùm 33. uno cùm Beda annos Christi ab Incarnatione deducat, jam non 33. sed solùm 32. annos vixisse Christum consequens erit, juxta Bedæ sententiam.

Denique argumentum ex Indiculis, quos Monachi Angli Romæ viderunt, quosque forsan oscitanter & minùs accuratè exscripserunt, nullius momenti est; cùm nemini compertum non sit Ecclesiam Romanam nihil unquam hac in parte decrevisse; sed, ut summum, in similibus Inscriptionibus secutam esse id, quod videbat illis temporibus apud suos esse receptum.

Objicitur quartò. Sanctus Hieronymus libro de Scriptoribus Ecclesiasticis, ait Sanctum Paulum Romam vinctum venisse anno Neronis 2. post Christi Passionem 25. Fluebat tum annus vulgaris 56. deme annos 25. superest 31. Rursùs ibidem asserit Apostolum capite plexum anno 14. Neronis, & post Passionem 37. Contigit hoc anno vulgari 67. sed juxta Chronicon Eusebii, quem hîc Hieronymus sequi videtur, anno 68. Subductis 37. C ex 68. supersunt 31. totidemque, extremis comprehensis, erunt residui, si subtractio fiat ex 67. Ergo Christus anno Æræ vulgaris 31. passus est.

Respondeo cum ea, qua tantum Doctorem prosequi par est, veneratione, Chronologiam Eusebii, quam interpretetur potiùs, quàm sequatur, Sancti Pauli primam in vinculis profectionem Romam falsò notare anno secundo Neronis, quæ anno ejusdem 7. & Æræ vulgaris 61. contigit, anno post Passionem Christi 28. non 25. ut Eusebius notat: quod ex Historiæ Apostolicæ Chronologia continuâ serie exposita, facilè demonstrari posset. Quòd autem additur, Chronologiæ nostræ favet: nam si D 14. annus Neronis, quo capite plexus est S. Paulus, fuit Æræ vulgaris 67. sequitur evidenter Christum anno Æræ vulgaris 33. passum esse. Nam regnavit Nero 14. annis: Claudius ante Neronem annis rursus 14. Tiberius post Passionem Christi annis 4. siquidem imperavit annis 23. & 19. Imperii ejus anno Christus mortuus est. Post Tiberium Caligula annis 4. ex quibus omnibus conflunt anni 34. exclusis extremis, quos si addideris annis 33. Æræ vulgaris, habebis annum vulgarem 67.

Dixi S. Hieronymum Chronologiam Eusebii vertisse, non verò in omnibus sequutum esse: quod ex ejus testimoniis inter prioris Propositionis E probationes relatis compertum est. Annos namque 30. duntaxat vitæ mortalis Christo assignat, cùm Eusebius ipsi adscribat triginta-tres inchoatos.

Objicitur ultimò. Hæc opinio, quæ Christo 37. annos tribuit, Authorem suum primùm agnoscit Philopponum Hæreticum Tritheïtam, à Sexta Synodo damnatum Actione 11. ibique vocatum *inaniter seu ineptè laborantem*. Is enim sexto demum Sæculo hunc errorem propugnavit lib. 2. de Creatione Mundi cap. 21. Fuit autem cum eo sepulta, & omnium silentio damnata per annos septingentos, F donec à Baccone, ac deinde majore strepitu à Tostato suscitata, legitimo judicio reprobata est, manetque etiamnum (ut cum Jurisconsultis loquar) *in reatu*.

Respondeo, negari posse Antecedens. Quidni enim eam in sententiam ivisse existimemus Apostolos, Discipulosque, qui Christum in carne viderunt; cùm tradiderunt Christum in ætatem seniorem, quando passus est, declinasse? Secundò, etsi primus Philopponus hujus opinionis Author videretur, non ideo insimulari debet erroris: siquidem amanda est etiam in Hæreticis veritas, cùm eam de-

A tegunt; nec spernenda est sententia quæ nullatenus fidem spectat, etiamsi ab Hæreticis asserta primùm fuerit, modò validis momentis probetur. Quot enim nunc ut apocrypha rejiciuntur, quæ legitimos inter Authorum Ecclesiasticorum fœtus, nullo refragante, censebantur, antequam Viri ex Hæreticorum castris Doctissimi, utilissima Reipublicæ literariæ Critica Opera in lucem emisissent? Quot item recentioribus temporibus nova emerserunt arcana, experientiâ duce, quæ Veteribus prorsus incognita fuerunt? Ita de Chronologia dicendum est, in qua Viri posteriorum Sæculorum Eruditissimi, B lapsus Antiquorum immanes adnotarunt, & emendarunt. Denique non sequimur Philopponum Tritheitam, Hæreticum, à VI. Synodo damnatum, sed eundem Mathematicum Peritissimum, & Chronologum Egregium.

## SCHOLION.

» Veterum Patrum plurimorum sententiam amplexus essem de morte Christi sub duorum Geminorum Consulatu, si cum S. Lucæ epocha conciliari posset, Joannis Ministerium anno decimo quinto Imperii Tiberii Cæsaris consignantis, qui vigesimus octavus Æræ vulgaris fuit; & cum Evangelistis cæteris, ex quibus quatuor Paschata Ministerii Christi, id est, C ab ejus Baptismo ad mortem evidenter colliguntur. At nullâ ratione conciliari posse mihi visum est. Quod enim S. Lucam & Patres illos numerasse annos Tiberii ab Imperii ejus Proconsularis exordio, Viri quidam Eruditi confidentiùs asserunt, improbabile censui. Quod S. Lucam spectat, persuadere mihi non potui, illum repudiatâ vulgatâ, publicaque epocha Imperiali, quam Historici Romani & Judæi in numerandis annis Tiberii usurpabant, obscuram ignotamque adhibuisse in Evangelio, ubique Gentium legendo & prædicando. Aliàs insolitâ, novâque numerandi ratione & popularium suorum & Romanorum animos perturbasset. Romani porro Historici ab Augusto Imperio, non à Proconsulari Tiberianos annos deduxerunt. Suetonius cap. 73. *Obiit in villa Luculliana octavo & septuagesimo ætatis anno, tertio & vigesimo Imperii*. Tacitus Lib. 6. Annalium: *Dein Rhodo regressus, vacuos Principis Penates duodecim annis, mox rei Romanæ arbitrium tribus* D *formè & viginti obtinuit*. Victor uterque: *Imperavit annos viginti-tres*. Dio lib. LVIII. *Imperavit annos 22. menses 7. ac dies totidem*. Eadem epocha usos fuisse Judæos, constat ex Josepho Libro secundo *De Bello Judaico*, cap 8. *Sed defuncto Tiberio*, inquit, *post Regnum annorum duorum, & viginti-sex mensium, & trium dierum, &c.* Patres quod attinet, novam epocham illi non excogitarunt, sed quam in Historiis Annalibusque usurpatam legerant, eadem in suis Operibus usi sunt. Sanè, cùm epocha Proconsularis Imperii Tiberii Augusteam tribus annis superet, Patres Imperio Tiberii sex & viginti annos tribuissent, si à Proconsulari ejus Præfectura illos numerassent. Verùm non sic numeravit *Clemens Alexandrinus lib. 1. Stromatum* pag. 249. *Natus est*, inquit, *Dominus noster 28. anno, cùm primum jusserunt Censum Descriptionémque fieri, tum ora Augusti, quòd autem hoc verum sit, sic scriptum est in Evangelio secundùm Lucam: Anno autem* E *quinto decimo Imperii Tiberii Cæsaris factum est Verbum Domini super Joannem Zachariæ filium*. Et rursus in eodem: *Erat Jesus veniens ad Baptisma, quasi triginta annorum & quòd anno solo oportebat eum prædicare, hoc quoque sic scriptum est: Annum acceptabilem Domini prædicatum me misit: Hoc & Propheta dicit & Evangelium: quinto-decimo ergo anno Tiberii, & quinto decimo Augusti, sic implentur triginta anni usque ad tempus quo passus est*. Si à Proconsulari Tiberii Imperio annos ejus Clemens Alexandrinus numeraret, *Annorum triginta numerus*, ex quindecim Tiberii & totidem Augusti, secundùm ejus calculos constans, non completetur: Tres enim Imperii Proconsularis Tiberii cum tribus Augusti ultimis currunt, collaterales, non succedanei. Quindecim igitur F anni Tiberio à Clemente Alexandrino adscripti, à Proconsulari Præfectura non ducuntur, utpote qui ab Augusti annis reipsa distinguantur. Nec etiam à Proconsulari Præfectura Tiberii annos ejus numeravit *Tertullianus* libro *Adversus Judæos* cap. 8. scribens: *Post Augustum, qui supervixit post Nativitatem Christi, anni quindecim efficiuntur, cui successit Tiberius Cæsar, & Imperium habuit annis viginti duobus, mensibus septem, diebus viginti. Hujus quinto-decimo anno Imperii passus est Christus, annos habens quasi triginta cùm pateretur*. Tiberius certè non successit Augusto in Imperio Proconsulari; nec Proconsularis Tiberii Præfectura annorum viginti-duorum, mensium septem, dierum viginti spatio definita est: nec denique vox, *Imperium*, simpliciter & absolutè usurpata *Proconsulare* significat, sed *Augusteum*. Proconsulare Tiberii Imperium non attendit, *Lactantius* lib. 4. cap. 10. scribens,

scribens : *Tiberii Cæsaris anno decimo-quinto, id est, duobus Geminis Consulibus, ante diem decimum Kalendas Aprilis, Judæi Christum crucifixerunt.* Augusteum Tiberii Imperium expressiùs notare non poterat Lactantius : siquidem decimus-quintus annus Proconsularis illius Præfecturæ Consules duos Geminos non habuit. Eusebio denique, & S. Epiphanio ignota fuit imperii Proconsularis Tiberii epocha. Sic Eusebius in Chronico : *Tiberius annos viginti tres, cujus an. 15 Christus crucifixus est.* Et lib. 11. Historiæ cap. 4. *interea, Tiberius cùm duobus circiter ac viginti annis imperasset extremum diem obiit.* Ita S. Epiphanius lib. *de Mensuris & Ponderibus*, pag. 549. *Tiberius annos viginti-tres, cujus anno decimo-octavo Christus crucifixus est.* Si numerassent annos Tiberii ab Imperio Proconsulari illum annos viginti-sex imperasse dixissent. Denique Josephus & Eusebius præsertim, quibus nonnulla erat Chronologiæ peritia, geminam illam Epocham Tiberiani Imperii alicubi indicassent, si olim in usu fuisset. Augusti multiplex fuit Epocha ; illam non omisit Eusebius lib. 1. Historiæ cap. 5. *Annus*, inquit, *jam agebatur secundus & quadragesimus Imperii Augusti, à subacta Ægypto octavus ac vigesimus, cùm Servator natus est.* Herodis Magni Epocha geminos extitit, altera ab anno Juliano sexto, altera à nono : Priore, Rex à Senatu renuntiatus est ; posteriore, solus ac sublato Competitore regnavit. Id non prætermisit Josephus: Quidni similiter Geminam Tiberii Epocham distinxerunt, Proconsularem & Augusteam, si publico in usu fuit apud profanos sacrósve Scriptores ?

## DISSERTATIO III.

### *De Epistola Jesu ad Abgarum.*

ABGARUM Principem Edessenorum, auditis Christi miraculis ad ipsum literas dedisse, quibus rogabat, ut sibi sanitatem restituere dignaretur, scribit Eusebius lib. 1. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 13. & Christum mutuas ad illum Principem dedisse litteras, quibus se missurum ad ipsum unum ex Apostolis suis pollicitus est, qui ipsum curaret, & vitam illi subditisque ipsius impertiretur. Utriusque Epistolæ exemplar describit Eusebius loco citato : missumque narrat à Thoma Apostolo, post Ascensionem Christi, Thadæum, unum ex LXX. Discipulis, qui promissa Servatoris impleret. De harum Epistolarum fide controversia movetur inter Eruditos, quam sequenti Propositione dirimemus.

PROPOSITIO.

*Epistola Abgari ad Jesum, & Jesu ad Abgarum, suppositititiæ sunt, & apocryphæ.*

Probatur primò ex Concilio Romano, anno Domini 494. celebrato, in quo Gelasius Pontifex Maximus unà cum LXX. Episcopis istud de illis Epistolis tulit judicium ; *Epistola Jesu ad Abgarum Regem, apocrypha. Epistola Abgari ad Jesum, apocrypha.*

Probatur secundò. Si Epistolam illam Christus scripsisset, ejusdem esset, imò majoris authoritatis, quàm Evangelia, & in Canone Scripturarum sacrarum censeretur : atqui nemo unquam ausus est ipsam habere ut Scripturam Canonicam : ergo Christus eam non scripsit.

Probatur tertiò. Illa Epistola in qua inducitur Christus citans verba Evangelii de se scripti, est suppositutia, & apocrypha : sed in illa Epistola Christus inducitur citans verba Evangelii de se scripti, ergo est supposititia, & apocrypha.

Major constat, quia nullum Evangeliorum scriptum est Christo Domino in terris degente.

Probatur Minor ex Epistolæ verbis : *Abgare*, inquit, *beatus es, qui cùm me non videris, in me credidisti. De me enim scriptis proditum est, eos qui me viderint, in me non credere : ut hi qui me non viderint, credant, & vitam consequantur.*

Præterea, falsa est annorum nota. Hæc enim gesta anno quadringentesimo trigesimo Edessenorum, qui cadit in Olympiadem ducentesimam secundam, & decimum quintum *Tiberii*, Græcus Textus habet : quo anno *Sanctus Joannes* Ministerium suum obire cœpit. Tunc autem Christum fama ubique nondum loquebatur.

Probatur quartò. Vix credi potest Christum, qui præsentissimam tulit opem omnibus qui in ipsum crediderunt, Abgaro credenti illum esse Deum & Servatorem, distulisse beneficium sanitatis post suum in cœlos Ascensum. Vix etiam credi potest Christum saltem non dedisse in mandatis alicui Apostolorum, ut ad illum Principem se conferret, & Thomam misisse Thadæum ex Discipulorum numero unum ; ut fidem Christi liberaret. Atqui Epistola illa Jesum inducit promittentem restitutionem sanitatis Abgaro, post suum duntaxat in cœlos reditum : & Historia, cui dicta Epistola inserta est, refert Thadæum missum à S. Thoma Apostolo, non immediatè à Christo : ergo illa Epistola est supposititia.

Probatur quintò. Si genuina visa fuisset Patribus Epistola Abgari ad Jesum, illam certè contra Arianos produxissent, cum divinitati Christi disertè attestetur. *Quæ quidem*, inquit, *cùm de te audivissem, de duobus hisce alterum verum esse cogitabam ; te aut Deum esse, & è cœli fastigio delapsum ; aut Dei Filium, qui tam stupenda edas miracula.* Atqui nemo Patrum eam produxit contra Arianos, aut alios hæreticos : ergo ipsis visa est apocrypha.

Probatur sextò testimonio S. Thomæ 3. p. Quæst. 42. Artic. 4. ubi nihil à Christo scriptum probat, & conveniens fuisse ut doctrinam suam scripto non traderet. Atqui id minimè sensisset S. Thomas, si Patres, quorum erat studiosissimus, & Ecclesia, cujus sensum ubique sectabatur, Epistolam Jesu ad Abgarum genuinam existimassent ; sed illam à generali propositione excepisset : ergo illa Epistola nedum S. Thomæ, sed Ecclesiæ & Patribus apocrypha visa est.

Objicitur. Illa Epistola genuina est, quam Authores quarti sæculi & eruditionis non vulgaris laudarunt, quamque descripserunt ex monomentis publicis civitatis Edessenæ. Atqui Epistolam Jesu ad Abgarum Authores eruditissimi quarti sæculi laudarunt, eamque descripserunt ex publicis monumentis Ecclesiæ Edessenæ : ergo genuina est, non apocrypha & supposititia.

Probatur Minor. Eusebius lib. 1. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 13. eam integram refert, atque se eam descripsisse ex veteribus Annalibus Edessenorum, & eam ad verbum ex lingua Syriaca in Græcam se vertisse. Præterea S. Ephrem Syrus, & Ecclesiæ Edessenæ Diaconus, qui tempore Constantini Magni vixit, ejusdem Epistolæ meminit in suo Testamento, ubi Edessenos sic alloquitur ; *Et benedicta vestra sit civitas, in qua habitatis. Ipsa enim sapientum est civitas, & mater Edessa : quæ quidem etiam palam atque manifestè, ex ore Christi Domini benedicta est per suos discipulos, nostros verò Apostolos. Nam quando Rex Abagarus, qui hanc civitatem extruxit, rogabat, exciperet eum qui peregrinus in terris apparuerat ; Salvatorem, inquam, universorum, & Dominum Christum, dicebat : Omnia audivi, quæ à te facta sunt, & quæcunque à reprobis, & aspernantibus te Judæis passus es. Veni igitur huc, & nobiscum habita*, &c.

III. Quinto sæculo, Darius Comes ad Sanctum Augustinum scribens, hujus Epistolæ meminit : *Fertur*, inquit, *Satrapa, seu Regis potiùs cujusdam Epistola, Deum Dominum Christum deprecantis, cum intra Judææ regiones adhuc versaretur, quo-*

*niam is ad eum ire ac pergere per agritudinem præpediretur, & sanari aliter se posse non crederet, ad se, si dignaretur, mundi Salus ac Medicina decurreret. ... Adfuit Deus Regi, sanatus est & amplificato petitionis munere, per Epistolam non modo salutem ut supplici, sed etiam securitatem, ut Regi, transmisit.* Extat hæc Epistola inter Augustinianas CCLXIII.

IV. Evagrius lib. 4. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 26. scribit, *Procopium litteris mandasse ea quæ sunt de Edessa, & Abgaro à Veteribus commemorata, & quemadmodum Christus ad Abgarum scripserit Epistolam.*

His adde Sanctum Joannem Damascenum lib. 4. Fidei Orthodoxæ cap. 17. Theodorum Studitam in Epistola ad Paschalem Pontificem Maximum quam ex Vaticano Codice citat Baronius ad annum Christi 31. Septimam Synodum Oecumenicam Act. 5. & Cedrenum in Compendio Historiarum Tom. 2.

Respondeo, distinguo Majorem: Si Authores illi hujusmodi monumentorum fidem expenderunt, concedo; si minùs expenderint, vel in eorum censura sint decepti, nego. Porrò Eusebius, Sanctus Ephrem, & alii qui ipsos secuti sunt Scriptores, illas Epistolas & Annales Ecclesiæ Edessenæ, in quibus exaratæ erant, tanta cum accuratione & diligentia non expenderunt, ac Gelasius & LXX. Synodi Romanæ Patres. Unde nulla nobis debet esse religio ipsos deserere, ut Gelasii, Synodique illius Decreto adhæreamus. Nam in iis quæ librorum delectum & censuram spectant, potior est Ecclesiæ authoritas privatorum Historicorum, vel Patrum suffragiis. Quamvis igitur Eusebius Epistolas Jesu ad Abgarum, & Abgari ad Jesum, in sua descripserit Historia, non ideo ipsas admittemus, quia hæc una fuit rationum, quæ Gelasium Pontificem moverunt, ut Eusebii ipsius Historiam inter apocrypha referret. Quod notavit Melchior Canus lib. 11. Locorum Theologicorum cap. 6. Porrò Eusebium has Epistolas imprudenter vendicaste, ac si genuinæ essent, subodoratus est Sanctus Hieronymus, qui cùm in suo Scriptorum Ecclesiasticorum Catalogo neminem eorum prætereat, quorum meminit Eusebius, Abgari; illatúmque Epistolarum nequidem nomina memoravit.

Adde quòd *Haymo* Halberstatensis Episcopus, in Epitome Historiæ Ecclesiasticæ *Eusebii*, lib. 11. cap. IV. non obscurè significat has Epistolas in omnibus Eusebii Codicibus inventas non fuisse. *Hujus rei*, inquit, *prolixiorem in aliquo Scripto reperi Historiam, sed nescio si apocrypha est, Deus scit: quæ quia de fidei pietate descendit, necessariò duxi eam huic Operi inserere. Dicitur enim quia de Salvatore nostro adhuc in carne degente, cùm de miraculis ejus felix ubique fama loqueretur, misit ad eum Abgarus Rex Edessenorum Epistolam.* &c.

*Eusebium* cùm *Evagrius*, aliique secuti sint, majorem fidem non merentur.

Sanctus Ephrem Annalibus Edessenæ civitatis faciliùs credidit, quibus illud insertum jam erat commentum.

Darius Comes ad Sanctum Augustinum scribens, Historiæ Abgari, & Epistolæ à Christo ad ipsum datæ, velut rei incertæ, & quæ sola mendacis famæ levitate jactaretur, meminit. *Fertur*, inquit, *Satrapæ, seu Regis potiùs cujusdam Epistola*, &c. Sanctus verò Augustinus disertè asserit Christum nihil scripsisse, lib. 1. de Consensu Evangelistarum cap. 7.

Sanctus Joannes Damascenus, & Synodus Septima meminerunt quidem imaginis à Christo missæ ad Abgarum, non Epistolæ. *Quin etiam*, inquit Damascenus, *historia proditum est, cùm Abgarus Edessæ Rex eo nomine Pictorem misisset, ut Domini imaginem exprimeret, neque id Pictor, ob splendorem ex ipsius vultu manantem, consequi potuisset, Dominum ipsum divina sua ac vivifica faciei pallium admovisse, imaginémque suam ei impressisse, sicque illud ad Abgarum, ut ejus cupiditati satisfaceret, misisse.*

Præterea, Septima Synodus multa alia monumenta apocrypha laudavit: unde quamvis Epistolam Christi ad Abgarum laudasset, illam nihilosecius rejiceremus.

His denique omnibus opponimus luculentissimam Sancti Augustini authoritatem, loco mox indicato, lib. scilicet primo de Consensu Evangelistarum, cap. 7. *Sed illud priùs discutiendum est*, inquit, *quod solet nonnullos movere, cur ipse Dominus nihil scripserit, ut aliis de illo scribentibus necesse sit credere: hoc enim dicunt illi vel maximè Pagani, qui Dominum ipsum Jesum Christum culpare, aut blasphemare non audent, eique attribuunt excellentissimam sapientiam, sed tamen tanquam homini; Discipulos verò ejus dicunt Magistro suo ampliùs tribuisse, quàm erat ..... Cùm ergo quærunt quare ipse non scripserit, videntur parati fuisse hoc de illo credere, quod de se ipse scripsisset, non quod alii de illo pro suo arbitrio prædicassent.* Christum igitur nihil scripsisse, constans est Sancti Augustini sententia.

Accedit, quòd ex Archivis Edessenis depromptæ dicantur Epistolæ, Abgari videlicet & Christi. Unde porrò contigit ut Epistola Christo in Judæa agenti missa, ad hanc urbem quasi jure postliminii redierit? Quâ etiam ratione tam honorificam Christo legationem à Rege decretam omnes Evangelistæ oblivione intercipi passi essent? Narratio etiam de Thaddæi peregrinatione Edessam, nugis scatet. Mittitur ad Regem Thaddæus, qui provinciæ suæ veluti ignarus, ad Tobiam filium Tobiæ rectà divertens, multa edidit miracula antequam conveniret Abgarum, cujus tamen causâ Edessam contenderat. Cùm Thadæus esset ingressus, Abgarus Proceribus circumseptus, in ipso intrantis Thaddæi vultu divinum nescio quid videre sibi visus est, *quo conspecto statim Thaddæum adoravit*. Exhibitam sibi à Rege adorationem abnuisse non dicitur Thaddæus: cùm tamen Princeps Apostolorum Petrus Cornelium Centurionem genibus ejus advolutum erexerit, dicens: *Surge, & ego ipse homo sum.* Abgarus rogaverat Thaddæum, ut de Christi potentia, gloria, adventu verba faceret: Respondit Thaddæus: *Nunc quidem parcam dicere, quandoquidem ad verbum Dei palam omnibus annuntiandum sum destinatus.* Paulus & Silas familiæ Commentariensis *subitò locuti sunt sermonem Domini*: & Thaddæus horam prædicandi Evangelium prorogat in Aula Regia audiendi avida? An verò Apostolica phrasis hæc est? *Divinitatem suam Christus ipse minuit?*

Nec spernendum augmentum est, quod Vir Eruditus accessit ex Dione lib. LX. Imperante Trajano, Edessam regebat Regulus à Christianæ Religionis institutis alienus, nomine Abgarus. (Ut enim Ægypti Regibus commune nomen *Pharao*, Imperatoribus Romanis *Cæsar*; sic Edessæ Principibus *Abgarus*.) Huic Abgaro filius fuit Arbandes, egregiâ formâ Princeps, & hoc nomine Trajano carissimus. Abgarus partim à filio persuasus, partim Imperatoris jam præsentis metu percussus, advenienti obviam profectus est, ejúsque gratiam promeruit. *Nam filius ei splendidæ supplicationis instar aderat.* Ad cœnam invitavit Trajanum, in qua *filium Barbarico quodam more saltantem produxit*. Nefariis in deliciis Trajano fuisse Regium puerum Dio subindicat. Ut ut est,

Barbarica

Parbatica illa salutatio satis probat, Christianam Religionem in Aula Edessena non viguisse. Et tamen Rex ille Arbandus Principis pater Abgarum, ad quem Jesum scripsisse, & quem à Thaddæo Christiana Religione imbutum volunt, genitorem aut decessorem habere debuit ? An verò simile est, tam subitò prædicationis ac miraculorum Thaddæi, ac Epistolæ Christi Jesu ad Abgarum scriptæ memoriam abolitam ? Religionis a Rege & subditis non ita pridem susceptæ tam citò deleta vestigia ? Quæ tamen ( si credere fas est ) *Monumentis publicis* Edessenæ civitatis inhærebant.

# DISSERTATIO IV.

## *De Sancti Petri, & Romanorum Pontificum Primatu.*

CHRISTUS Dominus fundaturus Ecclesiam, Apostolos qui eam propagarent ac regerent, elegit, quibus Episcopi successerunt. Sanctum Petrum inter Apostolos primum fuisse tota clamat Traditio, Summumque Pontificem inter Episcopos supremum prædicat. Id cùm diffiteri non possint Heterodoxi, Primatum illum jurisdictionis esse negant, ac primos duntaxat ordine agnoscunt cùm Sanctum Petrum, tum Romanos Pontifices illius successores; primos, inquam, inter pares : & illum quantuluscunque est, Romani Pontificis primatum, juris esse divini inficiantur. Horum errorem sequenti Propositione profligabimus.

### PROPOSITIO.

*Sanctus Petrus jure divino Apostolorum omnium Princeps fuit : eodemque jure Episcopus Romanus omnium Episcoporum primus est.*

### §. I.

### *Sancti Petri Primatus demonstratur.*

SANCTI PETRI Primatum demonstrant, verba Christi, Matthæi 16. cap. Cùm enim interrogasset Discipulos suos, *Quem dicunt homines esse Filium Hominis ?* & respondentibus aliis, variasque de Christo hominum opiniones referentibus, denuò interrogavit eos, *Vos autem, quem me esse dicitis ?* Tunc Petrus in illa verba celeberrimæ Confessionis erupit : *Tu es Christus Filius Dei vivi.* Protinus rependit ei vices Christus, & ait : *Et, ego dico tibi, Quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Atqui his verbis Sanctus Petrus Rector universalis Ecclesiæ, & Apostolorum Princeps designatur; ergo Sanctus Petrus, ex institutione Christi, Apostolorum omnium Princeps fuit.

Ecclesia super Sanctum Petrum à Christo fundata.

Probatur Minor. Hæc namque verba, *Et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, ad singularem Sancti Petri personam, non verò ad ejus Confessionem, aut ad Christum ipsum, referenda esse, evidenter ostendit tota series contextûs. Verba enimverò antecedentia, scilicet ; *Beatus es Simon Barjona, quia caro & sanguis non revelavit tibi,.... Et ego dico tibi, quia tu es Petrus,* spectant singularem Petri personam ; ergo & sequentia verba, *& super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam,* quæ veluti coronidis vice adjicit, ad ipsum quoque Petrum pertinent. Præterea valde implicata esset ac perturbata series verborum Christi, nisi eodem tenore orationem ad unum Petrum flexisset. Hic enim esset illorum sensus : *Tu*, mi Apostole, *es Petrus, & super hanc petram*, id est, supra me, *ædificabo Ecclesiam meam ; & tibi*, Petro Apostolo, *dabo claves regni cælorum.* Quibus verbis quid intricatius proferri possit, non video.

II. Quocircà Sancti Patres communi suffragio Sanctum Petrum illam esse petram asserunt, super quam Ecclesia fundata sit.

Sic Origenes apud Eusebium lib. 6. cap. 19. *Petrus*, inquit, *super quem Christi Ecclesia, contra quam Inferorum portæ non prævalebunt, ædificata est, unam Epistolam omnium asseveratione approbatam reliquit.*

Sanctus Basilius ad cap. 2. Isaïæ : *Illico*, inquit, *per hanc vocem, Petrus, intelligimus Jonæ filium, qui fuit ex Bethsaida, Andreæ fratrem, qui ex Piscatore in Apostolatus ministerium vocatus est. Qui quoniam fide præstabat, Ecclesiæ ædificationem in seipsum recepit.*

Sanctus Gregorius Nazianzenus Oratione 26. *Vides*, inquit, *quemadmodum ex Christi Discipulis, magnis utique omnibus, & excelsis, atque electione dignis, hic petra vocatur, atque Ecclesiæ fundamenta in fidem suam accipiat : ille impensius ametur, & supra pectus Jesu requiescat, ac reliqui Discipuli eos sibi præferri æquo animo ferant.*

Sanctus Joannes Chrysostomus Homiliâ 2. de Pœnitentia, in Psalmum quinquagesimum : *Columna illa Ecclesiæ*, inquit, *illa fidei basis, illud Apostolici chori caput, Petrus, annon semel, & iterum, & tertiò, Dominum abjuravit ?*

Sanctus Cyrillus Alexandrinus lib. 2. in Joanne cap. 12. hæc scribit de Christo : *Discipulum instruit eum se esse, qui cuncta, etiam antequam fiant, novit ; nec Simon fore jam nomen sibi, sed Petrus, prædicit ; vocabulo ipso commodè significans, quòd in eo tanquam in petra lapidéque firmissimo, suam esset ædificaturus Ecclesiam.*

Sanctus Epiphanius Hæresi 59. *Princeps Apostolorum Petrus*, inquit, *qui quidem, solidæ petræ instar, nobis extitit, cui velut fundamento Domini fides innititur : supra quam Ecclesia modis omnibus extructa est. In primis quidem quod Christum Dei vivi Filium esse confessus est, idque vicissim audiit : Supra hanc solidæ fidei petram ædificabo Ecclesiam meam.*

Tertullianus lib. de Præscriptionibus adversùs Hæreticos cap. 22. *Latuit aliquid Petrum*, inquit, *ædificandæ Ecclesiæ petram dictum, claves regni cælorum consecutum, & solvendi & alligandi in cælis & in terris potestatem.*

Sanctus Cyprianus Epistolâ 57. *Petrus, super quem ædificata à Deo fuerat Ecclesia, unus pro omnibus loquens, & Ecclesiæ voce respondens, ait : Domine, ad quem ibimus ?* Et Epistola 71. *Petrus, quem primum Dominus elegit, & super quem ædificavit Ecclesiam.* Et Epistolâ 40. *Deus unus est, & Christus unus, & una Ecclesia, & Cathedra una super Petrum Domini voce fundata.*

Sanctus Hieronymus lib. 1. adversùs Pelagianos cap. 4. *Ut Plato Princeps Philosophorum, sic Petrus Apostolorum fuit, super quem Ecclesia Domini stabili mole fundata est.*

Sanctus Hilarius Canone 16. in Matthæum: *O in nuncupatione novi nominis felix Ecclesiæ fundamentum, dignaque ædificatione illius petra, quæ infernas leges, & tartari portas, & omnia mortis claustra dissolveret.*

Sanctus Augustinus in Psalmum 69. *Petrus*, inquit, *qui paulò antè Christum confessus erat Filium Dei, & in illa confessione appellatus erat petra, supra quam fabricaretur Ecclesia, paulò pòst, Domino dicente de futura Passione sua, ait : Absit à te Domine*, &c.

Sanctus Prosper, vel quisquis Author est librorum

rum de Vocatione Gentium, Sancto Prospero Aquitanico inscriptorum, lib. 2. cap. 28. de Sancto Petro ita scribit: *Quis ergo ambigat, quis ignoret hanc fortissimam petram, quæ ab illa principali petra communionem & virtutis sumpsit, & nominis, hoc desiderium semper habuisse, ut ei moriendi pro Christo constantia donaretur.*

Sanctus Leo Magnus Sermone 2. in Anniversario Assumptionis suæ ad Pontificatum: *Manet dispositio veritatis*, inquit, *& beatus Petrus in accepta fortitudine petræ perseverans, suscepta Ecclesiæ gubernacula non reliquit: sic enim præ cæteris est ordinatus, ut dum petra dicitur, dum fundamentum pronuntiatur...... qualis ipsi cum Christo esset societas, per ipsa appellationum ejus mysteria nosceremus.*

Ligandi & solvendi potestas singulari quadam ratione S. Petro tradita.

III. Probatur secundò eadem prima pars Propositionis, ex verbis Christi æquè ad Sanctum Petrum directis cap. 16. S. Matthæi: *Et tibi dabo claves regni cælorum, & quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis: & quodcunque solveris super terram, erit solutum & in cælis.* Quibus verbis, singulari quadam ratione promittitur Sancto Petro procuratio clavium, non solùm cum amplitudine potestatis ligandi, atque solvendi: hoc enim ad Apostolos spectat universos: sed etiam cum dignitate Capitis, ut quædam hujus Imperii vis in cæteros etiam Apostolos transfunderetur; sed quam nonnisi ordine quodam ad Petrum, unitatis Ecclesiasticæ fontem à Christo constitutum, obtinerent. Quam in expositionem cùm omnes fermè sancti Patres conspirent, luculentiùs illam adstruunt Tertullianus, Optatus Milevitanus, & Sanctus Leo.

Tertullianus lib. Scorpiaci cap. 10. *Nam etsi adhuc clausum putas cælum*: inquit, *memento claves ejus hic Dominum Petro, & per eum Ecclesiæ reliquisse.*

Optatus verò Milevitanus lib. 1. contra Parmenianum. *Bono unitatis*, inquit, *beatus Petrus, cui satis erat si, postquàm negavit, solam veniam consequeretur, & præferri omnibus Apostolis meruit, & claves regni cælorum communicandas cæteris, solus accepit.*

Denique Sanctus Leo Sermone 3. in Anniversario die Assumptionis ad Pontificatum suæ: *Transivit quidem etiam in alios Apostolos vis potestatis illius*, inquit, *& ad omnes Ecclesiæ Principes Decreti hujus constitutio commeavit: sed non frustra uni commendatur, quod omnibus intimetur. Petro enim ideo hoc singulariter creditur, quia cunctis Ecclesiæ Rectoribus Petri forma præponitur. Manet ergo Petri privilegium, ubicumque ex ipsius fertur æquitate judicium. Nec nimia vel severitas, vel remissio, ubi nihil erit ligatum, nihil solutum, nisi quod Beatus Petrus aut solverit, aut ligaverit.*

Sacer super omnes Fideles, & super ipsos Apostolos Principatus S. Petro à Christo traditus.

IV. Probatur tertiò eadem veritas ex Evangelio Sancti Joannis cap. 21. ubi Christus brevi remeaturus ad Patrem, Simonem Petrum his verbis convenisse legitur: *Simon Joannis, diligis me plus his?* Quod cùm iterum & tertiò rogavisset, ac toties respondisset Petrus; *Domine, tu scis quia amo te*: toties illi dixit, *Pasce agnos meos*, vel, *pasce oves meas*: quibus verbis summa rerum in Ecclesia, & sacer ordum super cæteros Fideles, sed etiam super Apostolos ipsos principatus Sancto Petro à Christo Servatore collatus est.

Ita hunc locum exponunt SS. Patres, & veteres Authores Ecclesiastici.

Origenes in cap. 6. Epistolæ ad Romanos: *Petro*, inquit, *cùm summa rerum de pascendis ovibus traderetur, & supra ipsum velut petram fundaretur Ecclesia, nullius confessio virtutis alterius ab eo, nisi charitatis, exigitur.*

Sanctus Ambrosius lib. 10. in Lucam ad cap. 24. *Dominus non dubitabat*, inquit, *qui interrogabat, non ut discederet, sed ut doceret, quem elevandus in cælum amoris sui velut Vicarium relinquebat...., quia solus profitetur ex omnibus, omnibus antefertur..... Tertio Dominus, non jam diligis me? sed amas me? interrogavit: & jam non agnos, ut primò, quodam lacte pascendos; nec oviculas, ut secundò: sed oves pascere jubetur, perfectiores ut perfectior gubernaret.* Quænam porro sunt perfectiores oves, nisi ipsi Apostoli?

Sanctus Eucherius Episcopus Lugdunensis, seu alter Episcopus Gallicanus antiquus, in Sermone de Natali Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, qui cum aliis sub nomine Eusebii Emisseni falsò circumfertur: *Prius agnos*, inquit, *deinde oves commisit ei: quia non solum Pastorem, sed Pastorum Pastorem eum constituit. Pascit igitur Petrus agnos, pascit & oves: pascit filios, pascit & matres: regit & subditos, & Prælatos. Omnium igitur Pastor est, quia præter agnos & oves, in Ecclesia nihil est.*

Sanctus Gregorius Magnus lib. 4. Epistolâ 32. ad Mauritium Imperatorem data: *Cunctis*, inquit, *Evangelium scientibus liquet, quòd beatissimo, omnium Apostolorum Principi Petro, Dominica voce totius Ecclesiæ cura commissa est.*

Denique Sanctus Bernardus lib. 2. de Consideratione cap. 8. expendens verba illa Christi ad Sanctum Petrum directa, *Pasce oves meas: QUAS? inquit, illius, vel illius populos civitatis, aut regionis, aut certi regni? Oves meas, inquit. Cui non planum non designasse aliquas, sed assignasse omnes? nihil excipitur, ubi distinguitur nihil. Et fortè præsentes cæteri Condiscipuli erant, cùm committens uni, unitatem omnibus commendaret in uno grege, & in uno Pastore, secundùm illud; Una est columba mea, perfecta mea. Ubi unitas, ibi perfectio..... Reliqui numeri perfectionem non habent, sed divisionem, recedentes ab unitate. Inde est quod alii singulas sortiti sunt plebes, scientes sacramentum. Denique Jacobus, qui videbatur columna Ecclesiæ, una contentus est Hierosolyma, Petro universitatem cedens.*

Eximiæ S. Petri prærogativæ.

V. Probatur quartò eadem veritas ex prærogativis Sancto Petro concessis. Primò ex nominis mutatione, Joannis enim 1. cùm ab Andrea fratre suo adductus esset ad Jesum, dixit illi Servator: *Tu es Simon filius Jona: tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus.* Hujus autem impositione nominis factam esse Petro quandam dignitatis accessionem, vel potiùs prænuntiatam, SS. Patres contendunt; tum quòd nomen istud Syriacè Petram, Græcè Caput significet; tum quòd unum sit ex Christi nominibus, *Petra enim erat Christus, & lapis angularis, qui fecit utraque unum.* Christus ergo suum nomen communicans cum Petro, quid aliud significare voluit, quàm ipsum vice sua, Fundamentum & Caput Ecclesiæ institutum? Id innuunt Sanctus Cyrillus Alexandrinus lib. 2. in Joannem, cap. 12. & Sanctus Augustinus Tractatu 7. in eundem Evangelistam. Sed longè evidentiùs ac luculentiùs Sanctus Leo Sermone 3. de Assumptione sua ad Pontificatum: *Sicut*, inquit, *Pater meus sibi manifestavit divinitatem meam; ita & ego tibi notam facio excellentiam tuam, quia tu es Petrus. Id est, cùm ego sim inviolabilis petra, ego lapis angularis, qui facio utraque unum; ego fundamentum, præter quod nemo potest aliud ponere: tamen tu quoque petra es, quia mea virtute solidaris, ut quæ mihi potestate sunt propria, sint tibi mecum participatione communia.*

Altera prærogativa est, quòd primus inter Apostolos semper recensetur, præsertim Matth. 10.

*Duodecim*

*Duodecim autem Apostolorum nomina sunt hæc*, inquit Evangelista: *primus Simon, qui dicitur Petrus.* Neque enim primatus vocationis aut ætatis obtrudi potest, cùm Andreas prior vocatus esset, nec primus tamen nominetur; nec in cæterorum enumeratione ulla vocationis ætatisve habeatur ratio.

Tertium dignitatis supremæ & singularis in S. Petro indicium est, quòd primum Ecclesiæ Concilium convocaverit, proposueritque Apostolis reliquis electionem alicujus è Discipulis in Judæ proditoris locum, Actuum 1. cap. ubi Sanctus Joannes Chrysostomus ait, Homiliâ scilicet 3. in Acta Apostolorum. *Quàm est fervidus*, inquit, *quàm cognoscit creditum à Christo gregem! quàm in hoc choro Princeps est!* Et inferiùs: *Meritò primus omnium, auctoritatem usurpat in negotio, ut qui omnes habeat in manu. Ad hunc enim dicit Christus: Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Addit Sanctum Petrum solum, non rogatis aliorum suffragiis, Apostolum in locum Judæ eligere potuisse. *Quid*, inquit, *an non licebat ipsi Petro eligere? Licebat, & quidem maximè. Verùm id non facit, ne cui videretur gratificari.*

Idem colligitur ex Apostolorum Synodo, in qua de Legalium observantia quæstio habita est. In ea enim primus omnium sententiam dixit Sanctus Petrus, Authorque fuit Decreti ac Princeps, pro summa, qua pollebat, in Ecclesia authoritate; cui propterea alii omnes, etiam ipse Jacobus Hierosolymorum Episcopus, assensi sunt. Unde Sanctus Hieronymus Epistola 89. ad Sanctum Augustinum data, ait: *Tacuit omnis multitudo, & in sententiam ejus Jacobus Apostolus, & omnes simul Presbyteri transierunt. Hæc non debent esse molesta Lectori, sed & mihi, & illi utilia, ut probemus, ante Apostolum Paulum non ignorasse Petrum Principem esse hujus Decreti, Legem post Evangelium non esse servandam. Denique tantæ Petrus auctoritatis fuit, ut Paulus in Epistola sua scripserit: Deinde post annos tres veni Hierosolymam videre Petrum*, &c. Quibus verbis refelluntur Hæretici, qui non alia ratione Sanctum Petrum illa in Synodo primum sententiam dixisse volunt, quàm Decanus in quovis collegio primus suffragium ferat.

Quartum supremæ dignitatis indicium est, quòd illæ duntaxat Sedes primæ & Patriarchicæ primitus habitæ sunt, quas Sanctus Petrus fundavit, Romana scilicet, & Antiochena, quas per se ipsum; Alexandrina verò, quam per Sanctum Marcum Discipulum suum constituit. Qua de re lege Sanctum Gregorium Magnum lib. 6. Epistolâ 37.

VI. Probatur quintò Concilii Chalcedonensis authoritate Actione 3. ubi Legati Apostolici in sententia adversùs Dioscorum lata hæc habent: *Unde sanctissimus & beatissimus Archiepiscopus magnæ & senioris Romæ Leo, per nos, & per præsentem sanctam Synodum una cum ter beatissimo, & omni laude digno Petro Apostolo, qui est Petra & Crepido Catholicæ Ecclesiæ, & rectæ fidei Fundamentum, nudavit eum tam Episcopatus dignitate, quàm etiam & ab omni sacerdotali alienavit ministerio.*

Sanctus Petrus Caput Apostolorum & Princeps unitatis Ecclesiasticæ centrum.

VII. Probatur sextò. Qui caput Apostolorum, & unitatis Ecclesiasticæ centrum & custos constitutus à Christo fuit, ille jure divino cæterorum extitit Apostolorum Princeps: atqui Sanctus Petrus à Christo constitutus fuit caput Apostolorum, & Ecclesiasticæ unitatis centrum ac custos; ergo jure divino cæterorum extitit Apostolorum Princeps.

Probatur Minor authoritate Sanctorum Patrum, & Sancti imprimis Cyrilli Alexandrini lib. 12. in Joannem cap. 64. *Ut Princeps*, inquit, *caputque cæterorum primus exclamat: Tu es Christus Filius Dei vivi.*

Secundò, Sancti Hieronymi lib. 1. adversùs Jovinianum cap. 14. *At dicis*, inquit, *Super Petrum fundatur Ecclesia: licet idipsum alio in loco super omnes Apostolos fiat, & cuncti claves Regni Cælorum accipiant, & ex æquo super eos Ecclesiæ fortitudo solidetur; tamen propterea inter duodecim unus eligitur, ut Capite constituto, schismatis tollatur occasio.* Ex quibus colligitur, quòd, licèt Apostoli omnes æquo jure fuerint Ecclesiæ fundamenta ratione Apostolatus, doctrinæ & prædicationis, solus tamen Petrus constitutus est Ecclesiæ Caput, unusque præ cæteris electus, qui procurando Ecclesiasticæ unitatis negotio, ex officio advigilaret.

Tertiò, authoritate Optati Milevitani lib. secundo contra Parmenianum. *Igitur negare non potes*, inquit, *scire te, in urbe Roma Petro primò Episcopalem Cathedram esse collatam, in qua sederit omnium Apostolorum caput Petrus, unde & Cephas appellatus est: in qua una Cathedra unitas ab omnibus servaretur: ut jam schismaticus & peccator esset, qui contra singularem Cathedram, alteram collocaret. Ergo Cathedra unica est, quæ est prima de dotibus: sedit prior Petrus*, &c.

Ex quibus constat Sancto Petro singularem Cathedram, & cæteris superiorem constitutam fuisse, quæ unitatis Ecclesiasticæ centrum esset, ipsumque fuisse caput huic unitati servandæ à Christo præpositum. Quo in munere, Primatûs ratio potissimùm splendescit.

S. Petri Principatus cuilibet Episcopatui anteponendus.

VIII. Probatur ultimò. Qui à Christo electus est ut Pastores Ecclesiæ regeret universos, cujusque Principatus cuilibet Episcopatui est anteponendus, ille jure divino Primatum supra cæteros Apostolos & supremam Ecclesiæ administrationem obtinuit: atqui Sanctus Petrus à Christo electus est ut universos Ecclesiæ Pastores regeret, ejusque Principatus cuilibet Episcopatui anteponendus est; ergo Sanctus Petrus jure divino Apostolorum Princeps, & supremus Ecclesiæ Pastor extitit.

Probatur Minor testimoniis Sanctorum Patrum, primò Sancti Augustini lib. 2. de Baptismo contra Donatistas cap. 1. ubi cùm retulisset illa Sancti Cypriani verba ex Epistola ad Quintum: *Nam nec Petrus, quem primum Dominus elegit, & super quem ædificavit Ecclesiam suam, cùm secum Paulus de Circumcisione disceptaret, postmodum vindicavit sibi aliquid insolenter, aut arroganter assumpsit, ut diceret, se primatum tenere, & obtemperari à novellis, & posteris sibi debere*..... Cùm, inquam, illa verba Sanctus Augustinus retulisset, ait: *Ecce ubi commemorat Cyprianus, quod etiam nos in Scripturis sanctis didicimus, Apostolum Petrum, in quo Primatus Apostolorum tam excellenti gratia præeminet, aliter quàm veritas postulabat, agere solitum de circumcisione; à posteriore Apostolo Paulo esse correctum.* Et inferiùs: *Puto quod sine ulla contumelia Cyprianus Episcopus Apostolo Petro comparatur, quantum attinet ad martyrii coronam: cæterùm magis vereri debeo ne in Petrum contumeliosus existam. Quis enim nescit illum Apostolatus Principatum cuilibet Episcopatui præferendum? Sed etsi distat Cathedrarum gratia; una est tamen Martyrum gloria.*

Secundò eadem minor propositio probatur authoritate Sancti Leonis Magni Sermone 3. de Assumptione sua: *De toto*, inquit, *mundo unus Petrus eligitur, qui & universarum gentium vocationi, & omnibus Apostolis, cunctisque Ecclesiæ Patribus præponatur: ut quamvis in populo Dei multi Sacerdotes sint, multique Pastores, omnes tamen propriè regat Petrus, quos principaliter regit & Christus.*

membrorum multitudine caput unum est, quod omnia membra nectit ac regit; ita in Ecclesia Christi unum caput supremum esse debet. Quodnam porro illud est, nisi Romanus Episcopus? Hinc Sanctus Gregorius Nazianzenus, in brevi Homilia de creatione Episcopi Doarorum, de Romano Pontifice ita scribit: *Non venimus in magni illius Pastoris contemptum & ignominiam, qui splendidæ Civitati præsidet. Honorabilem scimus, caput agnoscimus, sanctum vocamus, tametsi injuria affecti: tantum indulgentem, & humanum patrem filiis se præbeat, totique Ecclesiæ sedulo prospiciat.* Quæ verba licèt aliò detorqueant nonnulli, illa tamen de Romano Pontifice intelligenda esse ingenuè fatetur vel ipse Casaubonus, vir ex Hæreticorum castris doctissimus, Exercitatione 15. cap. 16. Hinc Patres Concilii Calchedonensis, in Relatione Synodica ad Sanctum Leonem, ita de Christo scribunt: *Si enim ubi sunt duo vel tres congregati in nomine ejus, ibi se in medio eorum fore perhibuit: quantam circa quingentos viginti Sacerdotes familiaritatem potuit demonstrare? .... Quibus tu quidem, sicut membris caput, præeras in his, qui tuum tenebant ordinem, benevolentiam præferens .... Rogamus igitur, & tuis Decretis nostrum honora judicium, & sicut nos Capiti in bonis adjecimus consonantiam, sic & Summitas tua filiis, quod decet, adimpleat.*

*Romanus Pontifex Ecclesiæ Caput.*

Hinc integro & ampliùs ante Chalcedonensem Synodum sæculo, Patres Concilii Sardicensis in Epistola Synodica ad Julium Pontificem Maximum ita scribebant: *Hoc optimum & valde congruentissimum esse videbitur, si ad Caput, id est, ad Petri Apostoli Sedem, de singulis quibusque provinciis referant Domini Sacerdotes.*

Hinc Archimandritæ & Monachi secundæ Syriæ, in Epistola ad Hormisdam Episcopum Romanum ita scribunt: *Deprecamur, Beatissime, supplicantes & rogantes ut exurgatis cum fervore & zelo, & condoleatis justè pro corpore laniato; nam Caput estis omnium: & vindicetis fidem contemptam, Canones conculcatos, Patres blasphematos, & talem Synodum anathemate impetitam.*

Hinc Theodorus Studita, Epistola ad Leonem III. Pontificem Romanum, ipsum vocat; *Divinissimum omnium Capitum Caput*; id est, omnium Patriarcharum.

Hinc Concilium Florentinum in Definitione Fidei, hæc constituit: *Diffinimus sanctam Apostolicam Sedem, & Romanum Pontificem, in universum orbem tenere Primatum, & ipsum Pontificem Romanum Successorem esse Beati Petri Principis Apostolorum, & verum Christi Vicarium, totiúsque Ecclesiæ Caput, & omnium Christianorum Patrem ac Doctorem existere; & ipsi in Beato Petro pascendi, regendi, ac gubernandi universalem Ecclesiam, à Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse, quemadmodum & in gestis œcumenicorum Conciliorum, & in sacris Canonibus continetur.*

II. Respondent Heterodoxi, Ecclesiæ Caput esse Christum. Fateor; & addo Christum non tantùm esse caput, sed & membra corporis sui mystici. Nam 1. Cor. 12. dicitur: *Sicut enim corpus unum est, & membra habet multa, omnia autem membra corporis, cùm sint multa, unum tamen corpus sunt; ita & Christus. Etenim in uno spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus*, &c. Ecce Christum hîc ita unum dixit Apostolus, quemadmodum corpus ex multis membris constans unum est. Ad quæ proculdubiò verba attendens Sanctus Augustinus in Psalmum 3. ait: *Totus Christus caput, & corpus.* Quemadmodum ergo licèt Christus non solùm Ecclesiæ caput dicatur, sed & corpus; tamen, præter Christi personam, alia sunt Ecclesiæ membra, quæ Christum induerunt; sic etiam, præter Christum, qui solus invisibile ac æternum totius Ecclesiæ caput est, aliud temporale & visibile Ecclesiæ Caput venerari debemus. Certè hoc Caput spectasse videtur Apostolus loco mox laudato, cùm ait: *Non potest caput dicere pedibus; Non estis mihi necessarii.* Sanè Caput æternum, scilicet Christus, manibus ac pedibus mystici corporis sui dicere potest; *Non estis mihi necessarii*: at caput temporale & aspectabile hæc verba usurpare absque præsumptione non posset. Hinc Sanctus Basilius Magnus Epistolâ 77. hæc ipsa Sancti Pauli verba refert ad visibile Ecclesiæ Caput, dum in mediis Orientalis Ecclesiæ turbis, quæ valde ipsum angebant, ad Romanum Pontificem, & Occidentis Episcopos ita scribit: *Sive caput vos ipsos universalis Ecclesiæ reputatis, non potest pedibus dicere caput. Non est mihi opus vobis: sive in reliquum vos Ecclesiasticorum membrorum ordinem locatis, non potestis nobis dicere, qui in eodem vobiscum corpore constituti sumus: Non estis nobis necessarii.*

Corpus igitur Ecclesiæ partim invisibile est, partim visibile. In externis quippe actionibus visibile est: at per spei expectationem, & charitatis internæ flammam, quadamtenus invisibile; quia, quæ sursum sunt, quærit, ubi Christus est ad dexteram Dei sedens, non quæ super terram: & vita ejus abscondita est cum Christo in Deo. Qua parte Ecclesiæ corpus spiritale est & invisibile, à solo Christo regitur. Qua parte visibile est, visibile caput sibi vendicat, ne corpus in ullo gradu sit sine capite, quod in eodem gradu sibi aptum sit & conveniens. Cùm ergo Ecclesia unum sit corpus, non multa corpora, unum caput habet, non multa & sibi invicem æqualia capita. Quod etiam evincit fidei unitas, quæ servari non potest, nisi sit supremus aliquis controversiarum Ecclesiasticarum judex, cujus definitionibus acquiescere Fideles omnes teneantur.

III. Secunda ratio pro Romani Pontificis Primatu. Ille in quem Sancti Petri authoritas velut in Successorem transfusa est, Primatum obtinet jure divino in omnes Ecclesiæ Episcopos, & Fideles universos: atqui Sancti Petri authoritas in Romanum Pontificem velut in Successorem ac hæredem transfusa est: ergo Primatum obtinet jure divino in Ecclesia.

*S. Petri authoritas in Romanos Pontifices jure successionis transfusa.*

Probatur Minor testimoniis locupletissimis Sanctorum Patrum, qui Sedem Romanam, Cathedram Petri, & Romanos Pontifices Petri Successores appellarunt. Occurrit primò Sanctus Cyprianus Epistolâ 52. ubi de Cornelii Romani Pontificis Electione ita scribit: *Factus est autem Cornelius Episcopus de Dei & Christi ejus judicio, de Clericorum penè omnium testimonio, de plebis, quæ tunc adfuit, suffragio, & de Sacerdotum antiquorum, & bonorum virorum collegio, cùm nemo ante se factus esset, cùm Fabiani locus, id est, cùm locus Petri, & gradus Cathedræ sacerdotalis vacaret.* Et Epistolâ 55. de Felicissimo & Fortunato Schismaticis Africanis ad Cornelium Romanum Pontificem scribens, ait: *Post ista adhuc insuper Pseudo-Episcopo sibi ab Hæreticis constituto, navigare audent, & ad Petri Cathedram, atque ad Ecclesiam principalem, unde unitas sacerdotalis exorta est, à Schismaticis & profanis literas ferre, nec cogitare eos esse Romanos (quorum fides, Apostolo prædicante, laudata est) ad quos perfidia habere non possit accessum.*

*Sedes Romana, Cathedra Petri.*

Et Optatus Milevitanus lib. 2. contra Parmenianum. *Cathedra unica est*, inquit, *quæ est prima de dotibus...... Sedit Prior Petrus, cui successit Linus; Lino successit Clemens, Clementi Anacletus*, &c. *Julio Liberius, Liberio Damasus, Damaso Siricius, hodie qui noster est socius, cum quo nobis totus orbis commercio Formatarum, in una communionis societa-*

*ciate concordat. Vestra Cathedra vos originem reddit, qui vultis vobis sanctam Ecclesiam vindicare.*

Sanctus Petrus Chrysologus in Epistola ad Eutychetem, quæ refertur t. p. Concilii Chalcedonensis, Numero 15. *In omnibus autem*, inquit, *hortamur te, frater honorabilis, ut his, quæ à beatissimo Papa Romanæ Civitatis scripta sunt, obedienter attendas; quoniam B. Petrus, qui in propria Sede & vivit & præsidet, præstat quærentibus fidei veritatem. Nos enim pro studio pacis & fidei, extra consensum Romanæ Civitatis Episcopi, causas fidei audire non possumus.*

Et Sanctus Hieronymus Epistolâ 57. quæ est ad Damasum: *Beatitudini tuæ, id est, Cathedræ Petri, communione consocior. Super illam petram ædificatam Ecclesiam scio. Quicunque extra hanc domum agnum comederit, profanus est. Si quis in Arca Noe non fuerit, peribit regnante diluvio. Et quia pro meis facinoribus ad eam solitudinem commigravi, quæ Syriam juncto Barbariæ fine disterminat, nec possum sanctum Domini tot interjacentibus spatiis à sanctimonia tua semper expetere, ideò hic collegas tuos Ægyptios Confessores sequor, & sub onerariis navibus parva navicula delitesco. Non novi Vitalem, Meletium respuo, ignoro Paulinum. Quicunque tecum non colligit, spargit, hoc est, qui Christi non est, Antichristi est...... Quamobrem obtestor Beatitudinem tuam per Crucifixum, per mundi salutem, per homousion Trinitatem, ut mihi literis tuis, sive tacendarum, sive dicendarum hypostaseon datur auctoritas.* Quibus verbis alia satis luculenta præmiserat Hieronymus: *Quamquam igitur*, inquit, *tui me terreat magnitudo; invitat tamen humanitas. A Sacerdote victimam salutis, à Pastore præsidium ovis flagito. Cum Successore Piscatoris, & Discipulo Crucis loquor. Ego nullum primum, nisi Christum sequens, Beatitudini tuæ, id est, Cathedræ Petri*, &c.

Sanctus Augustinus eidem veritati suffragatur, Pontificesque Romanos Petri in suprema potestate Successores agnoscit: ita nimirum scribit in Psalmo contra partem Donati: *Numerate Sacerdotes vel ab ipsa Sede Petri: & in ordine illo Patrum, quis cui successit, videte. Ipsa est petra, quam non vincunt superbæ inferorum portæ.*

Et in Epistola ad Generosum, quæ 165. est. *Si ordo*, inquit, *Episcoporum sibi succedentium considerandus est, quantò certiùs, & verè salubriter ab ipso Petro numeramus, cui totius Ecclesiæ figuram gerenti, Dominus ait: Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferorum non vincent eam. Petro enim successit Linus, Lino Clemens, Clementi Anacletus*, &c. *Damaso Siricius, Siricio Anastasius, in hoc ordine successionis nullus Donatista Episcopus invenitur...... In illum autem ordinem Episcoporum, qui ducitur ab ipso Petro usque ad Anastasium, qui nunc eandem Cathedram tenet, etiamsi quisquam traditor per illa tempora subrepsisset, nihil præjudicaret Ecclesiæ, & innocentibus Christianis*, &c. Hinc etiam Epistolâ 162. idem Augustinus scribit; *In Romana Ecclesia semper Apostolicæ Cathedræ viguit Principatus.*

Denique Sanctus Bernardus lib. 2. de Consideratione cap. 8. *Age*, inquit, *indagemus adhuc diligentiùs quis sit, quam geras videlicet pro tempore personam in Ecclesia Dei. Quis es? Sacerdos Magnus, Summus Pontifex. Tu Princeps Episcoporum; tu hæres Apostolorum: tu primatu Abel, gubernatu Noë, patriarchatu Abraham, ordine Melchisedech, dignitate Aaron, authoritate Moyses, judicatu Samuel, potestate Petrus, unctione Christus. Tu es, cui claves traditæ, cui oves creditæ sunt. Sunt quidem & alii cœli Janitores, & gregum Pastores: sed tu tantò gloriosius, quantò & differentius præ illis nomen hæreditasti. Habent illi assignatos greges, singuli singulos: tibi universi crediti, uni unus. Nec modo ovium, sed & Pastorum omnium tu unus Pastor. Unde id probem, quæris? Ex verbo Domini. Cui enim, non dico Episcoporum, sed etiam Apostolorum, sic absolutè & indiscretè tota commissæ sunt oves? Si me amas, Petre, pasce oves meas. Quas? Illius aut illius populos civitatis, aut regionis, aut certi regni? Oves meas, inquit. Cui non planum, non designasse aliquas, sed assignasse omnes? Nihil excipitur, ubi distinguitur nihil.... Ergo juxta Canones tuos; alii in partem sollicitudinis, tu in plenitudinem potestatis vocatus es. Aliorum potestas certis arctatur limitibus: tua extenditur in ipsos, qui potestatem super alios acceperunt. Nonne, si causa extiterit, tu Episcopo cœlum claudere; tu ipsum ab Episcopatu deponere, etiam & tradere Satanæ potes? Stat ergo inconcussum privilegium tuum, tam in datis clavibus, quàm in ovibus commendatis.*

IV. Tertia ratio pro Romani Pontificis Primatu petitur ex Traditione, ex qua constat Romanam Ecclesiam semper Primatum supra cæteras Ecclesias habuisse; Romanos Episcopos controversias Fidei diremisse ut judices, post œcumenica Concilia supremos; appellationes dejectorum Episcoporum suscepisse; restituisse suis Sedibus, qui exauctorati erant immeriti; mulctasse excommunicatione aliarum Ecclesiarum Antistites, etiam Orientalium, vel eos communione donasse; jus denique dixisse cæteris Patriarchis: quæ omnia Primatus argumenta invictissima sunt. Sic Romanam Ecclesiam vocat Sanctus Irenæus Ecclesiam cui potentior convenit Principatus, & ad quam propterea Ecclesiæ orbis confugiunt universæ, libro tertio adversùs Hæreses cap. 3. *Quoniam*, inquit, *valde longum est, in hoc tali volumine omnium Ecclesiarum enumerare successiones, maximæ, & antiquissimæ, & omnibus cognitæ, à gloriosissimis duobus Apostolis Petro & Paulo Romæ fundatæ, & constitutæ Ecclesiæ, eam, quam habet ab Apostolis traditionem, & annunciatam hominibus fidem, per successiones Episcoporum pervenientem usque ad nos, indicantes; confundimus eos, qui quoquomodo, vel per sui placentiam malam, vel vanam gloriam, vel cæcitatem, & malam sententiam, præterquam oportet, colligunt. Ad hanc enim Ecclesiam, propter potentiorem principalitatem, necesse est omnem convenire Ecclesiam.*

Romana Ecclesia supra cæteras omnes Ecclesias Primatum semper habuit.

V. Sic Tertullianus ait Romanum Pontificem revocasse literas communicationis, quas Phrygum Ecclesiis dederat; & Montanum, suadente Praxea damnasse. Porrò in communionem recipere non potuisset Montanistas obrepentes Episcopus Romanus, nisi superior extitisset Episcopis Phrygiæ, à quibus fuerant anathemate confixi. En Tertulliani verba Praxeam describentis: *Nam idem tunc Episcopum Romanum, agnoscentem jam prophetias Montani, Priscæ, Maximillæ, & ex ea agnitione pacem Ecclesiis Asiæ & Phrygiæ inferentem, falsa de ipsis Prophetis & Ecclesiis eorum asseverando, & Prædecessorum ejus auctoritates defendendo, coëgit & literas pacis revocare jam emissas, & à proposito recipiendorum charismatum cessare.*

Et lib. de Pudicitia cap. 1. vocat Romanum Episcopum *Pontificem Maximum & Episcopum Episcoporum*. Licèt enim his cum nominibus per deridiculum insignire videatur, indicat tamen ita jam à Catholicis communi consensione & suffragio vocatum.

VI. Idem probatur ex facto Sancti Irenæi, qui Victorem Episcopum Romanum, de Asiaticis Episcopis anathemate percellendis, ob controversiam de Paschate, cogitantem, adhortatus est, ne tot Ecclesias à communione suspenderet, teste Eusebio lib. 5. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 24. *Victorem*, inquit, *monuit de hoc, videlicet ne tam*

S. Irenæus agnovit in Romano Pontifice authoritatem excommunicandi Asiaticos Episcopos.

*tam multas Ecclesias omninò, propter Traditionis ex antiqua consuetudine inter illas usurpata, observationem, à corpore universæ Christi Ecclesiæ penitus amputet.* Agnovit igitur S. Irenæus supremam in Romano Pontifice potestatem, quæ in Asiaticos Episcopos sese funderet, & qua posset eos à reliquæ Ecclesiæ more recedentes excommunicatione mulctare.

Stephanus I. Primatum exercet in Episcopos Africæ.

VII. Id etiam probatur ex facto S. Stephani Pontificis Romani, qui S. Cypriano, & Africanis, necnon S. Firmiliano, aliisque Orientalibus, errorem de rebaptizandis Hæreticis propugnantibus acerrimè, intentatis minis anathematis, & objecta Traditione, vehementiùs restitit, Primatûs authoritatem exercens, ut egregiè advertit Vincentius Lirinensis in Commonitorio I. adversùs Hæreses, cap. 5. *Tunc*, inquit, *beatæ memoriæ Stephanus Apostolicæ Sedis Pontifex, cum cæteris collegis suis, sed tamen præ cæteris restitit, dignum, ut opinor, existimans, si reliquos omnes tantùm fidei devotione vinceret, quantùm loci authoritate superabat.*

Idem probatur authoritate S. Cypriani Epistolâ 52. dicentis, S. Cornelium Romanum Pontificem *sedisse intrepidum Romæ in Sacerdotali Cathedra eo tempore, cùm Tyrannus infestus Sacerdotibus Dei, fanda atque infanda comminaretur; cùm multò patientius & tolerabiliùs audiret levari adversùs se æmulum Principem, quàm constitui Romæ æmulum Sacerdotem.* At minùs rectè diceretur Sacerdos æmulus Imperatoris, qui & Summum apud Ethnicos Sacerdotium gerebat, nisi tam latè protensa fuisset Summi Pontificis, ac Imperatoris authoritas, imò latiùs diffusa, quàm latè scilicet propagata erat Christiana Religio.

S. Cyprianus Romani Pontificis Primatum, Romanam Ecclesiam ut cæterarum Radicem & Matricem agnoscit.

Et idem S. Cyprianus Ecclesiam Romanam cæterarum omnium Radicem & Matricem agnoscit, Romanumque Pontificem ut vinculum Sacerdotalis Collegii, & unitatis centrum veneratur. Sic de Schismaticis Romæ degentibus ad Cornelium scribens Epistolâ 42. ait: *Miseramus nuper Collegas nostros Caldonium & Fortunatum, ut non tantùm persuasione Litterarum nostrarum, sed præsentiâ suâ, & consilio omnium vestrûm niterentur, quantùm possent, & elaborarent, ut ad Catholicæ Ecclesiæ unitatem scissi corporis membra componerent, & Christianæ charitatis vinculum copularent. Sed quoniam diversæ partis obstinata & inflexibilis pertinacia non tantùm radicis & matris sinum atque complexum recusavit; sed etiam recrudescente in pejus discordia, Episcopum sibi constituit, & contra Sacramentum semel traditum divinæ dispositionis, &* a *Catholicæ unitatis, adulterum & contrarium a Caput extra Ecclesiam fecit, acceptis litteris, tam tuis, quàm Collegarum nostrorum...... secundùm quod Divinæ Traditionis, & Ecclesiasticæ Institutionis sanctitas pariter & veritas exigebat, Litteras nostras ad te direximus.*

a Scilicet Novatianum.

Et Epistolâ 45. quæ est ad Cornelium de Polycarpo Hadrumetino: *Nos enim*, inquit, *singulis navigantibus, ne cum scandalo ullo navigarent, rationem reddentes, scimus nos hortatos eos esse, ut Ecclesiæ Catholicæ Radicem & Matricem agnoscerent ac tenerent. Sed quoniam latiùs fusa est nostra Provincia, ne in Urbe schisma factum absentium animos incerta opinione confunderet: placuit ut per Episcopos, retenta à nobis rei veritate, & ad comprobandam Ordinationem tuam facta authoritate majore, tum demùm scrupulo omni de singulorum pectoribus excusso, per omnes omninò istic positos litteræ fierent (sicuti fiunt) ut te universi Collegæ nostri, & communicationem tuam, id est, Catholicæ Ecclesiæ unitatem, probarent firmiter ac tenerent.*

IX. Idem probatur ex facto S. Dionysii Alexandrini, quem Catholici, quasi de Filio Dei malè sentiret, illumque in ordinem redigeret, coram Dionysio Romano Pontifice accusarunt. Is verò ab eo fidei suæ rationem postulavit. Quapropter ille codicillos apologeticos misit ad Apostolicæ Sedis Antistitem, ut Hæresis suspicionem à se depelleret. Cur verò ambo, Dionysium Alexandrinum Patriarcham Orthodoxi coram Pontifice Romano accusassent, nisi exploratum ipsis fuisset illum Primatu Jurisdictionis in Ecclesiæ universæ Episcopos, & in ipsos frui Patriarchas? Hujus facti testem habemus S. Athanasium libro de Synodis Arimini & Seleuciæ: *Cùm quidam*, inquit, *Alexandrinum Episcopum, apud Romanum accusarent, quasi qui Filium opus, & non consubstantialem Patri diceret, & Synodus Romæ coacta indignè tulit, & Romanus ad cognominem sibi Episcopum omnium sententiam perscripsit; ac jam inde ille se ad defensionem parans, libello suo titulum refutationis & Apologiæ indidit.*

Romani Pontificis Primatus à S. Dionysio Alexandrino agnitus.

X. Idem probatur ex facto Aureliani Imperatoris, qui domum Patriarchæ Antiocheni, quam Paulus Samosatensis, à duplici Synodo proscriptus & exauctoratus, Domno Patriarchæ suum in locum canonicè substituto dimittere nolebat, illi tradi jussit, cui Episcopus Romanus cum Italiæ Episcopis illam adjudicaret. Idque convenienter ab Imperatore constitutum scribit Eusebius, id est, secundùm ordinem juris, quo judicium de ipsis Episcopis, & Synodis Orientalibus, Romano Pontifici tribuebatur. En verba Eusebii libro 7. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 24. *Ubi Paulus igitur, simul cum Orthodoxa Fide, Episcopatum amisisset, Domnus ministerium Ecclesiæ apud Antiochiam suscepit. Verùm cum Paulus ex Episcopi domo ejus Ecclesiæ propria exire nollet; Imperator Aurelianus de ea re rogatus sententiam, sanctissimè quid esset agendum decrevit. Præcepit enim ut domus Ecclesiæ illis tribueretur, quibus Christiani Italiæ & urbis Romæ Episcopi per litteras tribuendam præscriberent.*

XI. Idem probatur ex eo quòd Concilia Orientis irrita haberentur, nisi Romani Episcopi authoritate firmarentur; quod Concilii Antiocheni ab Arianis habiti occasione Socrates, & Sozomenus notarunt. Sic namque Socrates lib. 2. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 5. scribit: *Julius Romanus Episcopus neutiquam aderat; neque quemquam, qui ejus locum suppleret, eo miserat, idque cùm Canon Ecclesiasticus jubeat, Non oportere absque sententia Episcopi Romani, decreta Ecclesiis sancire.*

Sozomenus verò lib. 3. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 9. *Julius*, inquit, *certior factus non tutum esse Athanasio in Ægypto vitam agere, eum ad se accersivit. Ad illos autem, qui Antiochiæ in unum convenerant, scripsit, atque adeo incusavit, quòd clam contra fidem Concilii Nicæni novas res moliti fuerant, quodque contra leges Ecclesiæ ipsum ad Concilium non vocarant. Nam legem esse ad Sacerdotii dignitatem spectantem, quæ pronuntiat acta illa irrita esse, quæ præter sententiam Episcopi Romani constituuntur.*

Julii I. Gesta in causa S. Athanasii Primatum Romani Pontificis probant.

XII. Idem probatur ex iis quæ gessit Julius Romanus Pontifex in causa S. Athanasii ab Arianis è Sede sua detrusi, eum in communionem suscipiendo, eumque simul & ejus hostes ad Apostolicum Tribunal vocando. Quæ supremam Romani Pontificis in Orientis Episcopos & in cæteros Patriarchas authoritatem probant. Sed de his alio in loco opportuniùs agemus. Hîc tantùm advertere sufficiat subjectionem illam Orientalium Ecclesiarum Romanæ, & in judiciis ferendis dependentiam, S. Athanasii tempore longo jam usu fuisse firmatam, ut colligitur ex Epistola Julii, quam refert S. Athanasius Apologiâ secundâ; *An ignari estis*, inquit, ad Orientales scribens, *hanc*

*consuetudinem esse, ut primum nobis scribatur, ut hinc quod justum est, definiri possit? Quapropter si isthic hujusmodi suspicio in Episcopum concepta fuerat, id huc ad nostram Ecclesiam referri oportuit. Nunc autem nos, quos certiores minimè fecerunt, postquam jam egerint quod libuit, suffragatores suæ damnationis, cui non interfuimus, esse volunt. Non ita se habent Pauli ordinationes, non ita Patres docuerunt, sed fastus iste & novum studium est. Obsecro vos cum alacritate, pro publico bono ista scribe. Quæ enim accepimus à Beato Petro Apostolo, ea vobis significo, non scripturus alioqui, quæ nota apud vos esse arbitror, nisi facta ipsa nos conturbassent.*

XIII. Idem probatur ex facto ejusdem Julii Romani Pontificis, quo S. Athanasium Patriarcham Alexandrinum, Paulum Episcopum Constantinopolitanum, Marcellum Ancyranum, & Asclepam Gazensem, ab Arianis exauctoratos, suis Sedibus restituit: de quibus ita scribit Socrates lib. 2. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 11. *Eodem tempore Paulus Episcopus Constantinopolitanus, Asclepas Gazæ, Marcellus Ancyræ, & Lucius Adrianopolis, alius ob aliam causam accusati, & Ecclesiis suis ejecti, apud Romam omnium civitatum facilè Principem versantes, Julium Episcopum Romanum de suo ipsorum statu certiorem faciunt. Ille verò quoniam Ecclesia Romana privilegium præter cæteras obtinebat, litteris suis ad Episcopos Orientales liberiùs præscriptis, illorum partes tueri studet: in Orientem literas mittit, quò & suus cuique locus restitueretur: & eos, qui illos temerè abdicaverant, graviter reprehenderet.*

De iisdem verò ita scribit Sozomenus lib. 3. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 7. *Quorum criminationes cum Episcopus Romanus intellexisset, & omnes fidei Concilii Nicæni consentientes reperisset, in communionem recepit. Ac cum propter Sedis dignitatem cura omnium ad ipsum spectaret, singulis suam Ecclesiam restituit: scripsitque ad Episcopos Orientis, eosque incusavit, quod inconsultò de hisce viris judicassent, Ecclesiasque perturbassent, cùm Decretis Concilii Nicæni stare nollent. Deditque Mandatum, ut quidam illorum, omnium nomine, ad diem constitutum accederent, perspicuè declaraturi sententiam, quam de his tulerant, æquam justamque esse. Quin etiam minatus est, se de reliquo non passurum eos inultos esse, nisi novis rebus studere desisterent.*

*Jus Appellationis ad Romanum Pontificem Primatûs illius argumentum.*

XIV. Idem probatur ex jure Appellationum ad Romanum Pontificem in omnium Episcoporum judiciis, quod Canonibus Concilii Sardicensis confirmatum potiùs, quàm constitutum. Appellatum namque à primis Ecclesiæ Sæculis non fuisset, ab Episcopis exauctoratis, Romani Pontificis Tribunal, nisi supremam in Episcopos universos, & in Concilia Nationalia authoritatem obtinuisset. Hoc autem de jure Romani Pontificis, agimus in Historia Ecclesiastica Sæculi IV. Dissertatione ad Canones Sardicenses.

XV. Idem probatur ex facto Eustathii Sebasteni, qui cùm à Concilio Melitinensi in Armenia fuisset exauctoratus, literis Liberii Pontificis Romani, quibus suam restituebatur in Sedem, coram Concilii Tyanensis in Cappadocia Patribus prolatis, Ecclesiam suam recepit, nulla quæstione habita. Hujus rei testis est S. Basilius Magnus, Epistolâ 74. ad Occidentales Episcopos de Eustathio Sebasteno data: *Episcopatu*, inquit, *ejectus, propterea quòd jam Melitinæ depositus esset, viam sibi ipsi, per quam restitueretur, excogitavit, eam videlicet ut ad vos proficisceretur. Quæ verò sint illi à Beatissimo Episcopo Liberio proposita, & ad quæ consenserit, nobis clam est; nisi quòd Epistolam attulit, per quam restituebatur: Eam ubi Synodo Tyanensi exhibuit, in suum locum restitutus est......*

*Quoniam igitur isthinc vires accepit lædendi Ecclesias, ac publicandæ suæ impietatis fiduciâ, quam vos dedistis, ad subversionem multorum usus est, necesse est ut isthinc quoque veniat malorum istorum correctio, scribaturque Ecclesiis, quibus quidem conditionibus ad communionem susceptus sit: simul verò adjiciatur; quomodo jam immutatâ sententiâ gratiam à Patribus, qui tum erant, acceptam, irritam reddat.*

*S. Damasus Primatum exercet in causa Vitalis.*

XVI. Idem probatur ex facto Damasi Romani Pontificis, qui Vitalem cùm in communionem recepisset, deceptus Fidei professione in speciem Catholicâ, quam emiserat, illum postea exauctoravit, & anathemate confixit. Qua de re S. Gregorius Nazianzenus Epistolâ 2. ad Cledonium ita scribit: *Ne autem nos hoc nomine accusent, quòd Vitalis viri nobis charissimi, fidem, quam, ita postulante Beato Damaso Romæ Episcopo, literis consignatam edidit, priùs quidem probaverimus, nunc verò repudiemus...... Quoniam igitur eadem voces, si rectè intelligantur, cum pietate conjunctæ sunt, si perperam exponantur, impietate non carent: quid mirum si Vitalis quoque verba nos quidem ita suadente voluntate, in pium sensum accepimus: alii autem, ad eorum, quæ scripta sunt, mentem exasperantur & inflammantur? Quod etiam in causa fuisse reor, cur ipse quoque Damasus, cùm postea rectiùs edoctus fuisset, simulque in pristinis eos expositionibus perstare audisset, eos ab Ecclesiæ cœtu abdicarit, fideique libellum cum anathematismo deleverit.*

*Secunda Synodus Oecumenica Romani Pontificis Primatum agnoscit & veneratur.*

XVII. Idem probatur ex facto Synodi Secundæ OEcumenicæ, seu Constantinopolitanæ primæ, quæ suorum confirmationem Decretorum, maximè quantùm ad Timothei Episcopi Apollinaristæ exauctorationem, à Damaso supplex postulavit. Qua de re Damasus ipse ad Orientales Episcopos ita scribit apud Theodoretum lib. 5. cap. 10. *Quod vestra charitas*, inquit, *debitam Sedi Apostolicæ reverentiam tribuit, filii honoratissimi, vobis ipsis quoque maximo sanè honori est...... Itaque quid est quòd abdicationem Timothei à me rursus requiratis, qui etiam hic judicio Sedis Apostolicæ, Petro quoque Episcopo Alexandriæ præsente, abdicatus est, unà cum Magistro suo Apollinari, qui item in die judicii debitas pœnas & supplicia persolvet?*

XVIII. Idem probatur ex Patribus illius Concilii, id est, ex Episcopis totius Orientis, qui Romanum Pontificem velut Caput suum venerati sunt, in eoque agnoverunt potestatem convocandi generalia Concilia: ita enim scribunt in suo Libello Synodico, apud Theodoretum lib. 5. cap. 9. *Jam verò, quoniam Vos quo fraternam vestram erga nos charitatem declaretis, Concilio Dei voluntate ac nutu Romæ coacto, nos velut membra propria per Imperatoris Sanctissimi literas accersivistis...... Est certè nobis in optatis, si posset fieri, Ecclesiis penitus relictis, vestro desiderio, aut necessario potius Ecclesiæ negotio inservire...... Verum quoniam hoc modo Ecclesiæ nuper renovatæ nudarentur, & nos à plerisque fieri omnino non queat, propterea quòd Constantinopoli mandato literarum, superiore anno à vestra Reverentia, post Concilium Aquileiense ad Sanctissimum Imperatorem Theodosium missarum, ad iter duntaxat Constantinopolim usque faciendum nos præparavimus, atque de hoc uno Concilio celebrando consensum Episcoporum, qui in Provinciis manserant, unà nobiscum attulimus. Idcirco neque longiore itinere opus esse expectabamus, neque de ullo alio omnino ante acceperamus, quàm Constantinopoli in unum conventum esset.*

*S. Ambrosius Romani Pontificis Primatum colit.*

XIX. Idem probatur ex S. Ambrosio Epistolâ 78. ad Theophilum data, cui Capuana Synodus provinciam commiserat judicandi de Ecclesiæ Antiochenæ dissidiis. Agnoscit namque Theophilum judicii sui Relationem ad Sedem Apostolicam mit-

terè

tere debere, & nullius fore roboris prolatam ab ab illo sententiam, nisi à Pontifice Romano probetur: *Sanè*, inquit, *referendum arbitramur ad Sanctum fratrem nostrum Romanæ Sacerdotem Ecclesiæ, quoniam præsumimus ea te judicaturum, quæ etiam illi displicere nequeant. Ita enim utile erit consultum sententia; ita pacis & quietis securitas, si id vestro statuatur Concilio, quod communioni nostræ dissensionem non afferat, ut nos quoque accepta vestrorum serie statutorum, cùm id gestum esse cognoverimus, quod Ecclesia Romana haud dubiè probaverit, læti fructum hujusmodi examinis adipiscamur.*

S. Joannes Chrysostomus eumdem agnoscit.

XX. Idem probatur ex S. Joanne Chrysostomo, qui Innocentio I. Romano Pontifici libellum supplicem porrexit, ut rescinderet exauctorationis sententiam in se latam à Theophilo Alexandriæ Patriarcha, & Episcopis in Synodo ad Quercum congregatis. Ita enim ad ipsum scripsit Epistolâ 1. *Scribite, precor, & auctoritate vestra decernite, hujusmodi iniquè gesta, nobis absentibus, & judicium non declinantibus, nullius esse roboris. Porro qui talia gessere, eos Ecclesiæ censura subjicite. Nos autem insontes, neque convictos, neque deprehensos, neque ullius criminis reos comprobatos, Ecclesiis nostris jubete restitui.*

S. Augustinus Primatum Romani Pontificis asserit.

XXI. Idem probatur ex S. Augustino multis in locis Romani Pontificis Primatum agnoscente & commendante, Epistolâ 92. ad Innocentium I. Pontificem Maximum, nomine Concilii Milevitani data: *Quia*, inquit, *te Dominus gratiæ suæ præcipuo munere in Sede Apostolica collocavit, talemque nostris temporibus præstitit, ut nobis potius ad culpam negligentiæ valeat, si apud tuam Venerationem, quæ pro Ecclesia suggerenda sunt, tacuerimus, quàm ea tu possis vel fastidiosè, vel negligenter accipere: magnis periculis infirmorum membrorum Christi Pastoralem diligentiam quæsumus adhibere digneris. Nova quippe Hæresis, & nimiùm perniciosa tempestas surgere inimicorum gratiæ Christi cœpit, qui nobis etiam Dominicam Orationem impiis disputationibus conantur auferre..... Sed arbitramur, adjuvante misericordiâ Domini nostri Jesu Christi, qui te & regere consulentem, & orantem exaudire dignatur, authoritati Sanctitatis tuæ de Sanctarum Scripturarum authoritate depromptæ facilius eos, qui tam perversa & perniciosa sentiunt, esse cessuros.* An Innocentius Pastoralem curam ad compescendos Pelagianos adhibere potuisset? An Apostolicam authoritatem in Ecclesiis Africanis exercere, nisi Summus Ecclesiæ universæ Pastor extitisset? An verò ejus authoritatem ex Scripturarum Sacrarum authoritate depromptam dixisset, nisi juris esset divini Pontificis Romani Primatus?

Et Epistolâ 157. ad Optatum data: *Me*, inquit, *apud Cæsaream præsente venerunt, quo nos injuncta nobis à Venerabili Papa Zosimo Apostolicæ Sedis Episcopo, Ecclesiastica necessitas traxerat.* An porro injungere potuisset Zosimus Africanis Episcopis ut ad Concilium venirent? An parendum necessariò S. Augustinus existimasset, nisi agnovisset supremam ipsius in Ecclesia universa authoritatem? Et Epistolâ 162. *In Romana*, Inquit, *Ecclesia semper Apostolicæ Cathedræ viguit Principatus.* Et lib. 1. ad Bonifacium, cap. 1. de Pelagianis ita scribit;

a Contra duas Epistolas Pelagianorum.

a *Cùm verò non desinant fremere ad Dominici gregis caulas, atque ad diripiendas tanto pretio redemptas oves, aditus undecumque rimari, communisque sit omnibus nobis, qui fungimur Episcopatûs officio, quamvis ipse in eo præmineas celsiore fastigio, specula Pastoralis: facio quod possum, pro mei particula muneris ut pestilentibus & insidiantibus eorum scriptis medentia & munientia scripta prætendam, quibus rabies quâ furiunt, aut ipsa sanetur, aut à lædendis aliis repellatur.*

XXII. Idem probatur ex S. Prospero, in Carmine de Ingratis, ita canente:

*Sedes Roma Petri, quæ Pastoralis honoris*
*Facta Caput mundo, quicquid non possidet armis,*
*Religione tenet.*

Cælestini I. gesta in causa Nestorii Romanum Episcopum probant.

XXIII. Idem probatur ex gestis Cælestini I. in damnatione Hæreseos Nestorianæ. Nestorius Constantinopolitanus Antistes in Hæresim labitur. Certior factus de ejus impietate Cælestinus Romanus Pontifex, vices suas committit Cyrillo Episcopo Alexandrino, ut eum communione, & Episcopatu privet, si fuerit in errore propugnando pertinax. *Quamobrem*, inquit Cælestinus in Epistola ad Cyrillum, quæ refertur 1. parte Concilii Ephesini cap. 15. *nostræ Sedis authoritate adscita, nostraque vice & loco cum potestate usus, ejusmodi, non absque exquisita severitate, sententiam exequeris: nempe ut nisi decem dierum intervallo ab hujus nostræ admonitionis die numerandorum, nefariam doctrinam suam conceptis verbis anathematizet..... Illico Sanctitas tua illi Ecclesiæ prospiciat. Is verò modis omnibus se à nostro corpore segregatum esse intelligat.*

Ephesina Synodus Œcumenica Romani Pontificis Primatum veneratur.

Demonstrat quoque Romani Pontificis Primatum Ephesina Synodus, quæ officii loco duxit obsequi Epistolæ Cælestini I. qua Nestorium damnabat. Sic enim habent Patres in Sententia depositionis in illum Hæresiarcham lata, Actione 1. Concilii: *Coacti per Sacros Canones & Epistolam Sanctissimi Patris nostri & Comministri Cælestini Romanæ Ecclesiæ Episcopi, lacrymis subinde perfusi ad lugubrem hanc contra eum sententiam venimus.* Animadverte hîc Episcopos Œcumenico in Concilio congregatos Romanum Pontificem honorifico Patris nomine compellare, ejus Epistolam æqua veneratione cum sacris Canonibus prosequi, ac se vi illius mandatorum coactos contestari ad Nestorium anathemate percellendum.

His consonat omnino Philippi Presbyteri, & Sedis Apostolicæ Legati interlocutio, Actione 2. *Gratias agimus*, inquit, *sanctæ, venerandæque Synodo, quod literis Sancti Beatique Papæ nostri vobis recitatis, sanctos cantus, sanctis vocibus vestris, sancto Capiti vestro, sanctas etiam acclamationes exhibueritis. Non enim ignorat vestra Beatitudo, totius fidei, vel etiam Apostolorum Caput esse B. Apostolum Petrum.* Viden' ut Concilii Œcumenici Caput, nemine omnium Patrum reclamante, Romanus Pontifex appellatur? Luculentior est ejusdem Philippi interlocutio Actione 3. *Nulli dubium, imò Sæculis omnibus notum est, quòd Sanctus Beatissimusque Petrus Apostolorum Princeps & Caput; Fideique columna, & Catholicæ Ecclesiæ fundamentum, à Domino nostro Jesu Christo Salvatore humani generis, ac Redemptore, claves regni accepit, solvendique ac ligandi peccata potestas ipsi data est, qui ad hoc usque tempus, & semper, in suis Successoribus vivit, & judicium exercet. Hujus itaque secundùm ordinem Successor, & locum tenens Sanctus Beatissimusque Papa noster Cælestinus Episcopus, nos ipsius præsentiam supplentes ad hanc Synodum misit.*

Id ipsum ex interlocutione Juvenalis Hierosolymorum Episcopi, Actione 4. compertum est: *Oportebat quidem*, inquit, *Joannem Reverendissimum Antiochiæ Episcopum, hac sancta, & magna, & Œcumenica Synodo considerata, confestim accurrere, ut de illis, quæ ei objiciuntur, se purgaret: & ad Apostolicam Sedem magnæ Romæ nobiscum considentem; & obedientiam ac honorem deferre Apostolicæ Sanctæ Dei Ecclesiæ Romanorum, apud quam maximè mos est ex Apostolico ordine & Traditione, ut ipsa Sedes Antiochena dirigatur, & apud eam judicetur.*

*judicetur, &c.* Quod porro splendidius argumentum Primatûs, quàm potestas judicandi Patriarcham totius Orientis, Traditione confirmata?

Hinc Cælestinus Pontifex Maximus in Epistola ad Sanctam Synodum Ephesinam 3. parte Concilii Ephesini cap. 20. ait: *Longiùs quidem sumus positi: sed per sollicitudinem totum propiùs intuemur. Omnes habet Beati Petri Apostoli cura præsentes.*

Concilium Chalcedonense Romani Pontificis Primatum agnoscit & veneratur.

XXIV. Id probatur authoritate Concilii Chalcedonensis, in quo Legati S. Leonis sententiam in Dioscorum Alexandrinum Patriarcham his protulere verbis, quæ ipse refert in Epistola ad Episcopos Galliæ: *Unde Sanctus ac Beatissimus Papa, Caput universalis Ecclesiæ Leo, per nos Legatos suos, Sancta Synodo consentiente, Petri Apostoli præditus dignitate, qui Ecclesiæ fundamentum, & petra Fidei, & cælestis regni janitor nuncupatur, Episcopali eum dignitate nudavit, & ab omni Sacerdotali opere fecit extorrem.* Ex quibus constat S. Leonem Primatum exercuisse in Synodo Chalcedonensi: cùm sententia ejus nomine & authoritate lata sit in secundum Ecclesiæ Patriarcham, tota consentiente Synodo, & summam illius potestatem agnoscente.

Agnita est ab eadem Synodo suprema Romani Pontificis authoritas, cùm præcipuum illud prolatum est adversùs Dioscorum accusationis caput, quòd Pontificiam læsisset Majestatem, & Synodum absque Romani Episcopi authoritate, contra Traditionem & Ecclesiæ consuetudinem celebrare ausus esset; quod ex Lucentii Legati Apostolici interlocutione constat, Actione 1. *Judicii sui*, inquit, *necesse est eum reddere rationem, quia dum personam judicandi non haberet, præsumpsit, & Synodum ausus est facere sine authoritate Sedis Apostolicæ: quod nunquam licuit, nunquam factum est.*

Hinc Synodus universa, in Relatione ad S. Leonem, recensitis Dioscori excessibus in damnatione Flaviani, & Eutychetis restitutione, subjungit: *Insuper & contra ipsum, cui vineæ custodia à Salvatore commissa est, extendit insaniam, id est, contra tuam quoque Apostolicam Sanctitatem.*

Agnovit eundem Primatum laudata Synodus Actione 2. cùm Leonis Epistolam solenni judicio probavit, universo Patrum cœtu acclamante; *Petrus per Leonem locutus est.*

Hinc iidem Patres in Relatione ad S. Leonem, ipsum præfuisse illi Synodo scribunt, ceu Caput membris: *Quibus tu*, inquiunt, *sicut membris Caput præeras in his, qui tuum tenebant ordinem, benevolentiam præferens. Imperatores verò fideles, ad ordinandum, decentissimè præsidebant, sicut Zorobabel & Jesus, Ecclesiæ tanquam Hierusalem ædificationem renovare circa dogmata, adnisi.*

XXV. Idem probatur ex verbis Eugenii Carthaginensis Archiepiscopi, quem cùm Hunnericus Rex Vandalorum urgeret, ut Collationem de fide haberet cum Arianis, ita ipsi respondit, teste Victore Vitensi lib. 2. de Persecutione Vandalica; *Si nostram fidem, quæ una & vera est, potestas Regia cognoscere desiderat, mittat ad amicos suos. Scribam & ego fratribus meis, ut veniant Coepiscopi mei, qui vobis nobiscum communem fidem nostram valeant demonstrare, & præcipuè Ecclesia Romana, quæ Caput est omnium Ecclesiarum.*

XXVI. Idem probatur ex S. Fulgentio lib. de Incarnatione & Gratia Christi, scripto ex sententia Ecclesiæ Africanæ ad Petrum Diaconum cap. 11. ubi exposita fide Ecclesiarum Africæ circa Incarnationem Verbi, subjungit; *Quod duorum magnorum luminarium, Petri scilicet, Paulique verbis, tanquam splendentibus radiis illustrata, eorumque decorata corporibus, Romana, quæ mundi Cacumen est, tenet & docet Ecclesia.*

XXVII. Idem probatur ex facto & verbis venerabilis cujusdam Episcopi Patareni, qui Sylverio Romano Pontifice apud Pataram exule jussu Justiniani Imperatoris, *venit ad Imperatorem, & judicium Dei contestatus est de tanta Sedis Episcopi expulsione, multos esse dicens in hoc mundo Reges, & non esse unum, sicut ille Papa est, super Ecclesiam mundi totius, à sua Sede expulsus.* Ita refert Liberatus in Breviario de Causa Nestoriana & Eutychiana cap. 22.

Ecclesia Constantinopolitana ex...

XXVIII. Idem probatur ex Epistola Eutychii Patriarchæ Constantinopolitani ad Vigilium Romanum Pontificem, quæ extat inter Acta Quintæ Synodi, qua agnoscit Summum Pontificem Conciliorum Œcumenicorum Præsidem: qua in re maximè splendescit Primatus. *Et ideo*, inquit, *petimus, præsidente nobis vestra Beatitudine, sub tranquillitate & sacerdotali mansuetudine, propositis sanctis Evangeliis, communi tractatu eadem capitula in medio proponenda quæri, & conferri, & finem quæstioni imponi.*

Ecclesia Hierosolymitana, Romani Pontificis Primatum agnoscunt & olim.

XXIX. Idem probatur ex Libello supplici Episcopi Dorensis, è Patriarchatu Hierosolymitano, qui recensitus est in Concilio Lateranensi adversùs Monothelitas, sub Martino I. Consultatione secunda; ubi agens de Hæreticorum in universo orbe damnatione à Sede Apostolica, hæc habet: *Quoniam hoc potestativè olim & antiquitùs facere per Apostolicam, sive canonicam consuevit authoritatem, dum non solùm claves Regni Cælorum credita sunt ei, atque ipse tantummodo ad aperiendum eas, Fidelibus quidem, dignè, minimè autem Evangelio gratiæ credentibus justè claudere, magnus secundum veritatem & Princeps Apostolorum meruit Petrus; sed etiam & pascere primus jussus est oves Catholicæ Ecclesiæ, cùm Dominus dixit: Petre, amas me? Pasce oves meas. Et iterum ipse præcipuè ac specialiter firmam præ omnibus habens in Dominum Deum nostrum, & immutabilem fidem, convertere aliquando & confirmare exagitatos consortes suos & spirituales meruit fratres, utpote dispensativè super omnes ab ipso qui propter nos incarnatus est Deus, potestatem accipiens & Sacerdotalem authoritatem. Quod utique sciens beatæ memoriæ Sophronius quondam Patriarcha Sanctæ Christi Dei nostri Civitatis, sub cujus Diœcesi fungebar Sacerdotali officio, studuit meam humilitatem, sine mora, pro hujusmodi tantùm capitulo, ad hanc Apostolicam magnamque dirigere Sedem, in scripto, atque sine scripto, per me supplicem vestrum omnium prædictorum virorum adaperiens novitatem, quam videlicet contra Orthodoxam Fidem memorati viri exponere ausi sunt.* Et infrà refert verba quibus ipsum compellavit Sophronius, quæ Sedis Apostolicæ Primatum luculenter demonstrant: *Quantocius ergo*, inquit, *à finibus terræ ad terminos ejus deambula, donec ad Apostolicam Sedem, ubi Orthodoxorum dogmatum fundamenta existunt, pervenias, non semel, non bis, sed multò sæpius aperiens Sacris Viris ibidem consistentibus omnia, secundùm veritatem, quæ in istis partibus mota sunt, & non quiescas, instantiùs exorans eos, donec ex Apostolica providentia, quæ in Deo est, ad victoriam judicium perducere debeant, & noviter introductorum dogmatum perfectam faciant secundum Canones destructionem.*

XXXI. Idem probatur ex Libello Abbatum & Monachorum Græcorum ibidem perlecto, cujus inscriptio talis est: *Sanctæ Dei & Apostolicæ Synodo, ex Dei voluntate & gratia, atque indivisa communione Sancti Spiritus, in hac consonanter & unanimiter congregatæ antiquæ almæ urbe Romæ, ad confirmationem sacram & erectionem immaculatæ, necnon piæ Christianorum nostræ fidei,*

per

*per jussionem sanctam divinitùs præsidentis vobis, atque omnibus his præeminentis, Sacerdotis Sacerdotum, & Patris Patrum, Domini nostri Martini ter Beatissimi Papæ.* Et infrà: *Necnon anima nostra, ipsius Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi omnibus modis sanctam præponentes fidem, & priùs quidem communiter, dum Afrorum habitaremus provinciam, hanc Apostolicam & summam expetivimus Sedem.* Quo Græcorum hominum testimonio Sedem Romanam summam Sedem vocantium, & Romanum Pontificem Sacerdotem Sacerdotum, & Patrem Patrum, luculentius splendidiusque nihil excogitari potest.

Ecclesia Cypri Romani Pontificis Primatum commendat.

XXXII. Idem probatur ex literis Sergii Cypriensis Episcopi ad Theodorum Pontificem Romanum datis, & ibidem recensitis, quæ ita inscribuntur: *Sanctissimo & Beatissimo à Deo nostro honorabili Domino meo, Patri Patrum, universali Papæ Theodoro.* Postea verò subjungit: *Firmamentum verè à Deo fixum & immobile, atque tituli formam lucidissimam fidei, vestram Apostolicam Sedem constituit, ô Sacer Vertex, Christus Deus noster. Tu es enim, sicut divinum veraciter pronuntiat Verbum, Petrus, & super fundamentum tuum Ecclesiæ columnæ confirmatæ sunt. Tibi & claves Regni Cælorum commisit, atque ligare & solvere potestativè, quæ in terra & in Cælis sunt, promulgavit. Tu profanarum Hæreseon depositor existis, ut Princeps & Doctor Orthodoxæ & immaculatæ fidei.*

Ecclesia Africana Romani Pontificis Primatum prædicat & colit.

XXXIII. Idem probatur ex Epistola Africanorum Antistitum ex tribus Conciliis, ad Theodorum Pontificem Romanum directa, cujus cùm inscriptio, tum priora verba, Sedis Apostolicæ Primatum magnificentissimè commendant. Et inscriptio quidem sic habet: *Domino Beatissimo Apostolico culmine sublimato, Sancto Patri Patrum, Theodoro Papæ, & Summo omnium Præsulum Pontifici.* Deinde verò hæc subjungunt: *Magnum & indeficientem, omnibus Christianis fluenta redundantem, apud Apostolicam Sedem consistere fontem, nullus ambigere possit, de quo rivuli prodeunt affluenter, universum largissimè irrigantes orbem Christianorum, cui etiam, in honore Beatissimi Petri, Patrum Decreta peculiarem omnem decrevere reverentiam in requirendis Dei rebus, quæ omnino & sollicitè debent, maximè verò, justèque ab ipso Præsulum examinari vertice Apostolico, cujus vetusta sollicitudo est tam mala damnare, quàm probare laudanda. Antiquis enim regulis sancitum est, ut quicquid, quamvis in remotis vel in longinquo positis ageretur provinciis, non priùs tractandum, vel accipiendum sit, nisi ad notitiam almæ Sedis vestræ fuisset deductum, ut hujus authoritate, juxta quæ fuisset pronuntiatio, firmaretur, indéque sumerent cæteræ Ecclesiæ, velut de natali suo fonte, prædicationis exordium, & per diversas totius mundi regiones puritatis incorruptæ maneant fidei Sacramenta salutis. Quocirca humillimum vestro Apostolico Culmini persolventes obsequium, cum lacrymis suggerimus, quòd sine cordis gemitu reticere non valemus, ante hoc temporis spatium, exosum apud Constantinopolitanam civitatem novitatis commentum ad nos usque opinanter fuisse delatum.*

Sexta Synodi Oecumenicæ observantia in Romanum Pontificem, & Primatûs consessio.

XXXIV. Idem probatur ex Synodo Sexta OEcumenica in Literis Synodicis ad Agathonem, quæ extant post Actionem 18. in quibus Patres ita Romanum Pontificem alloquuntur. *Maximi morbi majoribus indigent auxiliis, atque idcirco Christus verus Deus noster sapientem dedit Medicum vestram à Deo honoratam Sanctitatem contagia hæretica luis fortiter propulsantem remediis Orthodoxiæ, ac valetudinis robur membris Ecclesiæ largientem. Itaque tibi, ut primæ Sedis Antistiti universalis Ecclesiæ, quid gerendum sit, relinquimus, stanti super firmam fidei petram. Libenter perlectis veræ confessionis literis à vestra paterna Beatitudine ad piissimum Imperatorem missis, quas ut à Summo Apostolorum vertice divinè perscriptas agnoscimus, per quas exortam nuper multiplicis erroris sectam depulimus........ Hæreticorum nefariam doctrinam quasi obsidione adorti........ ac ipsos eos lapsos circa fidem, & peccatores, in matutinis extra castra atriorum Dei, ut Davidicè loquamur, anathematibus interfecimus, ex sententia per sacras vestras literas de iis priùs lata.* Et infrà: *Orthodoxæ fidei splendidam lucem vobiscum clarè prædicavimus: quam ut iterum per honorabilia vestra rescripta confirmetis, vestram oramus paternam Sanctitatem.*

Immensus essem, si monumenta Antiquitatis Ecclesiasticæ proferre vellem universa, quibus Romani Pontificis Primatus asseritur; librùmque scriberem, potiùs quàm Dissertationem. Quapropter his impræsentiarum supersedeo.

Summus Pontifex Primatum habet Monarchicum & Regalem in Ecclesiastica Hierarchia.

Cæterùm temperare mihi non possum quin subjiciam locum insignem Venerabilis *Gersonii* Doctoris & Cancellarii Sacræ Facultatis Parisiensis, ex Tractatu *De Statibus Ecclesiasticis*, Consideratione prima super Statu Romani Pontificis. *Status Papalis*, inquit, *institutus est à Christo supernaturaliter & immediatè tanquam Primatum habens Monarchicum & Regalem in Ecclesiastica Hierarchia, secundum quem statum unicum & supremum Ecclesia Militans dicitur una sub Christo; quem statum quisquis impugnare vel diminuere, vel alicui Ecclesiastico statui particulari coæquare præsumit, si hoc pertinaciter faciat, Hæreticus est, Schismaticus, Impius atque Sacrilegus. Cadit enim in Hæresim toties expressè damnatam à principio nascentis Ecclesiæ usque hodie, tam per institutionem Christi de Principatu Petri super alios Apostolos, quàm per Traditionem totius Ecclesiæ in Sacris Eloquiis suis & Generalibus Conciliis.* Denique Sacra Facultas Parisiensis in Articulis contra *Lutherum* declarat: *Unum esse Jure Divino Summum in Ecclesia Christi Militante Pontificem: cui omnes Christiani parere tenentur.* Et in Censura edita die decima-octava Maii anno 1683. profitetur, *Unum esse Jure Divino Summum in Ecclesia Pontificem &c. qui immediatè à Christo, non honoris solùm aut dignitatis, sed & potestatis ac Jurisdictionis Primatum habeat in tota Ecclesia.* Suam item doctrinam de Romani Pontificis Primatu eadem Sacra Facultas expressit anno 1656. in causa Magistri *Francisci Guillon* primi ordinis Baccalaurei, Thesim ejus pro Minore Ordinaria, de qua illustrissimus *S. Brioci* Episcopus jure merito conquestus fuerat ob errores in ea contentos, sic per Deputatos suos corrigens: *Sanctus Petrus totius Ecclesiæ fundamentalis Petra, & Pastor universalis, Apostolorum Princeps à Christo constitutus est. Successores habet Romanos Pontifices cum plenitudine potestatis. Ecclesia de jure Divino Monarchia est, tametsi Aristocratiâ temperata, &c.* Atque in eo cum Parisiensibus Doctoribus Theologi omnes Catholici consentiunt, ut *Bellarminus* Cardinalis observat lib. 1. *De Romano Pontifice* cap. v. *Doctores Catholici*, inquit, *in eo conveniunt omnes, ut Regimen Ecclesiasticum hominibus à Deo commissum, sit illud quidem Monarchicum, sed temperatum, ut suprà diximus, ex Aristocratia & Democratia. Id quod præcipuè tractant Beatus Thomas in 4. Contra Gentes cap.* LXXVI. *Joannes de Turrecremata* lib. II *De Ecclesia*, cap. II. & *Nicolaus Sanderus in libris De visibili Monarchia Ecclesiæ.* Atque ad hanc sententiam revocanda est *Pauli Germani Mildeburgii* Sempronienfis Episcopi inscriptio, qui libros suos *De Recta Paschæ Celebratione*, à *Petro Bembo* probatos, ac *Leoni X.* Pontifici

Summi Pontificis status alicui Ecclesiastico statui particulari coæquari sine Hæresi non potest.

Ecclesia Jure Divino Monarchia est, Aristocratiâ temperata.

Maximo dicatos, sit inscripsit: *Ad Summum Christianæ Aristocratiæ Principem, Maximumque Sacrorum Antistitem Leonem X.* Ecclesiam enim Monarchiam esse significavit, cùm *Leonem X.* Summum ejus Principem appellavit, sed Aristocratiâ tameo temperatam.

§. III.

*Diluuntur argumenta in priorem partem Propositionis militantia.*

I. OBJICITUR primò. Sancti Petri super cæteros Apostolos Primatus ex Scriptura Sacra demonstrari noo potest: igitur oon erat Jure Divino Apostolorum Princeps.

Hæreticorū Objectiones contra S. Petri Primatum solvuntur.

Probatur Antecedens. Si quis enim Sacræ Scripturæ textus id evinceret, maximè qui prolatus est ex cap. 16. S. Matthæi; *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.* Atqui hæc Christi verba non probant Primatum Sancti Petri: Ergo ex Scriptura Sacra demonstrari non potest.

Probatur Minor. Locus ille non probat Primatum S. Petri, nisi hæc verba referantur ad S. Petrum, *Et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam:* Atqui non referuntur ad S. Petrum, sed ad Christum, qui Petra est, & Fundamentum Ecclesiæ, præter quod oemo potest aliud ponere; Ergo &c.

Probatur Minor ex Apostolo 1. ad Corinthios 10. dicente; *Petra autem erat Christus.* Et ex S. Augustino Sermone 13. de Verbis Domini, dicente: *Hoc autem nomen ei ut Petrus appellaretur, à Domino impositum est, & hoc ut ea figura significaret Ecclesiam: quia enim Christus Petra, Petrus populus Christianus (Petra enim principale nomen est, ideo Petrus à petra, non petra à Petro) quomodo non à Christiano Christus, sed à Christo Christianus vocatur. Tu es ergo, inquit, Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: super me ædificabo te, non me super te.* Et Tractatu 124. in Joaonem: *Ecclesia*, inquit, *fundata est super petram, unde Petrus nomen accepit...... Ideo quippe, ait Dominus: Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Petra enim erat Christus, super quod fundamentum etiam ædificaturus esset Petrus: Fundamentum quippe aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Jesus. Ecclesia ergo quæ fundatur in Christo, claves ab eo Regni Cælorum accepit in Petro, id est, potestatem solvendi ligandique peccata. Quod enim est per proprietatem in Christo Ecclesia, hoc est, per significationem Petrus in petra; quâ significatione intelligitur Christus petra, Petrus Ecclesia.*

Respondeo primò. Esto Antecedens, nego Consequentiam. Quamvis enim ex Scripturis ooo probaretur Primatus S. Petri, quod tamen non concesserim, non minùs esset Jure Divioo stabilitus, cùm Traditione, quæ altera Fidei regula est, nitatur.

Respondeo secundò. Nego Antecedeos, ad ejus probationem nego Minorem. Nego pariter hæc verba, *Et super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam*, ad S. Petrum oon referri. Nam etsi Christus intelligatur nomioe petræ ab Apostolo scribente, *Bibebant de spiritali consequente eos petra, Petra autem erat Christus:* Non seqoitur nomine petræ Christum intelligi ubicumque nomen illud in Sacra Scriptura usurpatur. Istud enim metaphoricorum nominum proprium est, quòd non eodem sensu semper usurpaorur, sed in diverso sæpius, secundùm varias relationes. Sic in Textu S. Pauli; cùm dicitur, *Petra autem erat Christus*, ibi petræ nomen adhibetur ut relatiooem dicit ad aquas è rupe scaturientes, & Christo accommodatur, ut significetur ipsum fontem fuisse gratiarum, quas Justi etiam Veteris Testamenti perceperunt, qui oonnisi per Fidem Christi venturi salutem consecuti fuere; Matthæi autem decimo-sexto usurpatur secundùm quòd nomen istud, Petra, relationem dicit fundamenti ad ædificium; unde noo sequitur quòd ad Christum ibi referri debeat.

Nec obstat quòd Christus sit fundamentum Ecclesiæ: nam præcipuum quidem fundameotum est, propter supremam illam potestatem, quam Theologi excellentiæ vocant. Sanctus verò Petrus fuodamentum est secundum à Christo, & ministeriale, ut loquuntur. Christus igitur petra: sed & S. Petrus petra est, super quam Ecclesiæ ædificium fundatum assurgit. Sua enim suit cum Ministris communicare nomina Christus assolet. Exemplum occurrit ex Sacra Scriptura insigne & appositum. Jacob unxit lapidem Bethel, in figuram Christi, ut habetur Geneseos 28. Hoc ritu vaticinatus Christum fore lapidem de quo Spiritus Sanctus per Isaiam dicit, cap. 28. *Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem, lapidem probatum, angularem pretiosum, in fundamento fundatum.* Et nihilominus ipse Jacob benedicens Joseph, illum vocat, *lapidem Israel.* Geneseos 49. Simili ratione Christus nomen suum, quod est Petra, commuoicavit cum Sancto Petro. Unde S. Hieronymus in cap. 16. S. Matthæi ait: *Sicut ipse lumen, Apostolis donavit ut lumen mundi appellarentur, cæteráque ex Domino sortiti sunt vocabula: ita & Simoni, qui credebat in petram Christum, Petri largitus est nomen. Ac secundum metaphoram petræ, rectè dicitur ei: Ædificabo Ecclesiam meam super te.* Hinc etiam S. Basilius Homilia de Pœnitentia, quæ est 28. ait: *At Petrus dixerat jam antea, & Beatus pronuntiatus fuerat, cùm dixisset, Tu es Filius Dei excelsi; & vicissim audierat se esse petram, laudatus à Domino: licèt enim & ipse petra esset, non tamen petra erat ut Christus. Ut Petrus petra erat. Nam Christus verè est immobilis petra; Petrus verò propter petram. Dignitates namque suas Jesus largitur aliis; largitur autem eas, nec illis spoliatur. Lux est. Vos estis lux mundi, inquit, Sacerdos est, & facit Sacerdotes; ovis est, & dicit: Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum. Petra est, & petram facit. Quæ sua sunt, largitur servis suis.*

Ad authoritatem S. Augustini respondeo, ipsum, & nonnullos alios Patres, qui hæc verba, *Et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, ad Christum interdum referunt, non excludere aliam expositionem, quâ ad S. Petrum convenientiùs referuntur à cæterorum Patrum choro; imò utrumque sensum adstruere. Quod S. Augustioi locuplete testimonio ostenditur lib. 1. Retractationum cap. 21. ubi, quæ scripserat in libro contra Epistolam Donati, accuratiùs expendit: *In hoc libro*, inquit, *dixi in quodam loco de Apostolo Petro, quòd in eo, tanquam in petra fundata sit Ecclesia, qui sensus etiam cantatur ore multorum in Versibus Beati Ambrosii, ubi de gallo gallinaceo ait, Hoc, ipsa Petra Ecclesiæ canente, culpam diluit; sed scio me postea sæpissimè sic exposuisse, quod à Domino dictum est: Tu es Petrus & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, ut super hanc petram intelligeretur, quam confessus est Petrus dicens: Tu es Christus Filius Dei vivi, ac si Petrus ab hac Petra appellatus personam Ecclesiæ figuraret, quæ super hanc petram ædificatur, & accepit claves regni cælorum: non enim dictum est illi; Tu es petra: sed Tu es Petrus. Petra autem erat Christus, quem confessus Simon, sicut eum tota Ecclesia confitetur, dictus est Petrus,*

*Petrus Harum autem duarum ſententiarum, quæ ſit probabilior, eligat Lector.* Videtur autem probabilior illa, quæ verba illa ad Petrum refert, cùm & Scripturæ Textui magis accommodata ſit, & pluribus atque luculentioribus Sanctorum Patrum teſtimoniis nitatur. Hanc itaque meritò eligimus, & alteri anteponimus; quanquam prior illa poſteriorem iſtam, ut dixi, non excludat.

Ideo autem S. Auguſtinus hæc verba, *Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*, ad Chriſtum quandoque retulit, quia contra Donatiſtas agebat, qui Sacramentorum vim in Miniſtrorum ſanctitate collocabant; unde timens, ne ſi Eccleſia in Petro fundata diceretur, homines de ſanctitate Miniſtrorum Eccleſiæ præſumerent, ac ſuper eos ſpiritale fundarent ædificium, totam fundamenti rationem ad Chriſtum revocavit. Hoc ſcrupulo adductum S. Auguſtinum eam amplexum fuiſſe interpretationem, conſtat ex loco in objectione laudato Sermone 13. de Verbis Domini, ubi poſt verba ibidem recenſita, ſubjungit: *Nam volentes homines ædificari ſuper homines, dicebant. Ego quidem ſum Pauli, ego autem Apollo: ego verò Cepha: ipſe eſt Petrus: Et alii, qui nolebant ædificari ſuper Petrum, ſed ſuper petram: Ego autem ſum Chriſti. Apoſtolus autem Paulus, ubi cognovit ſe eligi, & Chriſtum contemni; Diviſus eſt, inquit, Chriſtus? Nunquid Paulus pro vobis crucifixus eſt, aut in nomine Pauli baptizati eſtis? Quomodo non in Pauli, ſic nec in Petri, ſed in nomine Chriſti: ut Petrus ædificaretur ſupra petram, & non petra ſuper Petrum. Idem ergo Petrus à petra cognominatus Beatus, Eccleſiæ figuram portans, Apoſtolatûs Principatum tenens, continuò poſt pauluIum jam audito quòd Beatus eſſet, poſteaquam audivit futuram Domini Paſſionem, diſplicuit ei. Timuit ne perderet morientem, quem confeſſus fuerat vitæ fontem: turbatus eſt: Abſit à te, inquit, Domine.* Itaque S. Auguſtinus, ad errorem Donatiſtarum revincendum, oſtendit Eccleſiam ex firmis infirmiſque membris conſtare, Sanctumque Petrum hujus rei inſignem quandam figuram, modò fidere, modò titubare; nunc Chriſtum vitæ fontem confiteri, nunc timere ne moriatur: tandémque colligit: *In illo ergo uno Apoſtolo, id eſt, Petro, in ordine Diſcipulorum primo & præcipuo, in quo figurabatur Eccleſia; utrumque genus ſignificatum fuit, id eſt, firmi & infirmi, quia ſine utroque non eſt Eccleſia.* Quibus verbis Donatiſtarum error evertitur, qui hominum tantopere fidebant ſanctitati, cùm nequidem ſupra Petrum ædificare deberent Fideles, quippe qui infirmus fuiſſet ac peccator, cui dextera Chriſti fuiſſet opus, quæ illum erigeret, titubantémque fulciret. Quamobrem illa S. Auguſtini expoſitio, quâ hæc verba Chriſti, *Et ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*, ad Chriſtum ipſum refert, eò tantùm ſpectat ne exiſtimemus Petrum propria virtute, & ſeorſim à Chriſto Eccleſiam ædificaſſe. Chriſtum itaque cauſam principem, & præcipuum in ædificatione Eccleſiæ fundamentum Sanctus Auguſtinus agnoſcit, ſed Sanctum Petrum fundamentum eſſe à Chriſto ſecundum, præcipui miniſterii ratione, minimè diffitetur. Unde hoc ipſo in loco Sanctum Petrum *Primum & præcipuum Apoſtolorum* vocat, & ejus *Apoſtolatûs Principatum* verbis magnificis commendat.

II. Objicitur fecuodò. Hæc verba, *Et ſuper hanc petram*, ad fidem & confeſſionem Petri referenda ſunt, ut Eccleſia ſuper confeſſionem illam & fidem ædificata intelligatur; non verò ad Petrum ipſum: Ergo ex iſtis verbis demonſtrari non poteſt S. Petri Primatus.

Probatur Antecedens authoritate Sanctorum Patrum, qui ita hunc locum interpretati ſunt: Sancti ſcilicet Hilarii lib. 6. de Trinitate dicentis: *Super hanc igitur confeſſionis petram Eccleſiæ ædificatio eſt..... Hæc fides Eccleſiæ eſt fundamentum. per hanc fidem infirmæ adverſus eam ſunt portæ inferorum.* Sancti Cyrilli Alexandrini, lib. 4. de Trinitate dicentis: *Petram opinor, nihil aliud quàm inconcuſſam & firmiſſimam Diſcipuli fidem vocavit.* Sancti Chryſoſtomi Homiliâ 55. in Matthæum dicentis: *Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, id eſt, fidem & confeſſionem.*

Reſpondeo. Nego primum Antecedens, quòd nimirum verba illa ſic ad fidem Petri referenda ſint, ut ad Petrum ipſum minimè referantur. Ad probationem reſpondeo, Sanctos Patres laudatos referre iſta verba ad fidem & confeſſionem Petri, non quidem ſolam & ſeorſim ſpectatam, ſed prout edita eſt ab ipſo Petro, ſuumque meritum in illum refudit. Sive (ut clariùs dicam) hæc verba, *Et ſuper hanc petram*, ita intelligunt de Petri confeſſione, ut illa etiam de Petro ipſo exponant; & cùm ſupra fidem & confeſſionem Petri fundatam ſcribunt Eccleſiam, cauſam meritoriam indicant, ob quam Sanctus Petrus eam ſit conſecutus dignitatem, ut fundamentum eſſet Eccleſiæ. Cùm verò ſupra Petrum fundatam dicunt, ſubjectum notant illius dignitatis. Sicut igitur, cùm Sanctus Hieronymus ſcribit Epiſtolâ 61. quæ eſt ad Pammachium; *Super aquas Petri corpus non ambulaſſe, ſed fidem*, non negat Sanctum Petrum verè & realiter aquis inambulaſſe, ſed tantùm ſignificat non agilitati corporis, ſed virtuti Fidei illud tribuendum miraculum: ita cùm Sancti Patres Eccleſiam ſupra Sancti Petri confeſſionem fundatam prædicant, ſupra Petrum fundatam non inficiantur; ſed innuunt duntaxat meritum fidei, hanc ipſi ſupremæ dignitatis acceſſionem procuraſſe.

Quod unus inſtar omnium Sanctus Hilarius facilè perſuadebit: is enim Capite decimo-ſexto in Matthæum ait: *Dignum planè confeſſio Petri præmium conſecuta eſt, quia Dei Filium in homine vidiſſet. Beatus hic eſt, qui ultra humanos oculos intendiſſe, & vidiſſe laudatus eſt..... O in nuncupatione novi nominis felix Eccleſiæ fundamentum, dignaque ædificatione illius petra, quæ infernas leges, & tartari portas, & omnia mortis clauſtra diſſolveret.* Ubi vides utramque expoſitionem adſtrui, & Eccleſiam fundatam dici ſupra Petrum formaliter (ut Theologi de Schola loquuntur) ſupra confeſſionem verò Petri, cauſaliter.

Itaque duplex illa horum verborum, *Et ſuper hanc petram*, expoſitio, Catholica eſt; cùm ea quæ de fide Petri ipſa interpretatur, tum quæ ad ipſam Petri perſonam illa refert, eo ſenſu quem jam dicebamus. Sed inter utramque expoſitionem id intereſt diſcriminis, quòd iſta immediata eſt; illa mediata: iſta primitiva & perpetua; altera adventitia, & temporanea: iſta ab initio Eccleſiæ, quatuor ſæculorum ſerie, ſola tradita; altera verò data occaſione prolata. Nam ante Arianæ Hæreſcos ortum illa ſola expoſitio viguit, quæ verba illa refert ad ipſam Petri perſonam, ut conſtat ex Tertulliano, Origene, & Sancto Cypriano, quorum verba in probationibus Propoſitionis adducta ſunt. Cùm verò Ariani Chriſti divinitatem palam impugnaſſent, Sancti Patres, qui firmiſſimum Catholicæ cauſæ præſidium in iſtis Sancti Petri verbis, *Tu es Chriſtus Filius Dei vivi*, poſitum animadververterunt, iſtius confeſſionis dignitatem ſummis laudibus extulere. Unde quia Sanctus Petrus illius in gratiam & ob illius meritum, conſtitutus fuerat fundamentum Eccleſiæ, ipſammet confeſſionem fundamentum Eccleſiæ nuncuparunt, metonymicè, id eſt, tranſlato nomine effectûs ad cau-

sam; ut Arianos illius impugnatores liberiùs ac veriùs velut fundamenti Ecclesiæ destructores insectari possent.

III. Objicitur tertiò. Apostoli sunt etiam fundamenta Ecclesiæ, secundùm illud Psalmi 86. *Fundamenta ejus in montibus sanctis*, id est, (ut exponit Sanctus Augustinus) in Apostolis & Prophetis; unde ad Ephesios 2. dicitur, *Superædificati super fundamentum Apostolorum & Prophetarum.* Ergo S. Petri singularis non est dignitas ut sit fundamentum Ecclesiæ; neque colligi ex eo potest ipsius super cæteros Apostolos Principatus.

Respondeo Apostolos dici Ecclesiæ fundamenta multiplici sensu: primò, quia Ecclesias ubique fundarunt. Hinc Paulus ad Romanos decimoquinto *Sic prædicavi*, inquit, *non ubi nominatum est Christus, ne super alienum fundamentum ædificarem.* Sunt præterea Ecclesiæ fundamenta ratione doctrinæ divinitus revelatæ. Tertiò, dicuntur Ecclesiæ fundamenta ratione gubernationis. Si duo priores modi spectentur, æquo jure Ecclesiæ fundamenta nuncupari possunt Apostoli, atque ita ædificamur super fundamenta Apostolorum & Prophetarum. Si tertius attendatur, id soli Petro velut ordinario Pastori concessum est; aliis autem jure quodam extraordinario, ut Legatis pro Christo. Hanc responsionem firmat suprà laudata Sancti Hieronymi authoritas lib. 1. contra Jovinianum. *Licèt*, inquit, *super omnes Apostolos ex æquo Ecclesiæ fortitudo solidetur: tamen propterea inter duodecim unus eligitur, ut capite constituto, schismatis tolleretur occasio.*

IV. Objicitur quartò. Sancto Petro non sunt collatæ claves nisi nomine Ecclesiæ, cujus personam gerebat: igitur ex hoc Evangelii loco, *Tibi dabo claves regni cælorum*, perperam colligitur S. Petri Primatus.

Probatur Antecedens ex S. Augustino Tractatu 50. in Joannem dicente: *Si hoc Petro tantùm dictum est, non facit hoc Ecclesia. Si autem & in Ecclesia fit, ut quæ in terra ligantur, in cælo ligentur; & quæ solvuntur in terra, solvantur in cælo; quia cùm excommunicat Ecclesia, ligatur in cælo excommunicatus; cùm reconciliatur ab Ecclesia, in cælo solvitur reconciliatus. Si hoc ergo in Ecclesia fit; Petrus, quando claves accepit, Ecclesiam Sanctam significavit.* Non absimilia habet Tractatu 124. in Joannem, & in Psalmum CVIII.

Quo sensu claves Ecclesiæ nomine, sive ut Ecclesiæ personam gerens, Sanctus Petrus acceperit.

Respondeo, distinguo Antecedens. Petr non sunt collatæ claves, nisi nomine Ecclesiæ, id est, ut Ecclesiæ duntaxat Legato, nego; id est, ut Ecclesiæ Supremo, post Christum & sub Christo, Rectori ac Moderatori, concedo. Illius itaque propositionis duplex potest esse sensus: primus quòd S. Petrus Ecclesiæ nomine claves acceperit, quemadmodum Regius Orator nomine Regis alicujus civitatis claves accipit, in quam propterea nullam habet potestatem. At nequaquam ita est. Secundus, quòd Ecclesiæ nomine claves acceperit, ut illius Rector ac Moderator: quomodo Princeps populi nomine gladium accipit, & ad ejus tuitionem totum regni splendorem convertere tenetur. Quo sensu S. Petrum claves nomine Ecclesiæ accepisse dixit S. Augustinus. Namque personam Ecclesiæ gessisse visus non est S. Augustino, nisi quia Apostolorum Princeps erat. Unde Tractatu 124. in Joannem hac de re ita scribit: *Petrus Apostolus, propter Apostolatûs sui Primatum, Ecclesiæ gerebat figurata quadam generalitate personam. Quod enim ad ipsum propriè pertinet, natura unus homo erat, gratiâ unus Christianus: abundantiore gratiâ unus idémque primus Apostolus: sed quando ei dictum est: Tibi dabo claves &c. universam significabat Ecclesiam.* Hinc idem S. Augustinus Sermone 13. de Verbis Domini, Petri super Apostolos Principatum cum Ecclesiæ repræsentatione conjungit: *Petrus*, inquit, *Ecclesiæ figuram portans, Apostolatûs Principatum tenens.*

Certè sensus allegoricus, cui Sanctus Augustinus insistit, ut in cæteris Tractatibus in Joannem, historiæ veritatem non destruit. Sicut enim ex hoc quod dixerit lib. 15. de Trinitate cap. 26. *Christum gessisse figuram Ecclesiæ, quando baptizatus est*; ineptè colligeretur ipsum personaliter baptizatum non fuisse: ita licèt S. Petrus Ecclesiæ figura fuerit, cùm ipsi dictum est; *Tibi dabo claves Regni Cælorum*: non sequitur quòd ipsi claves verè, realiter, & personaliter collatæ non fuerint.

Præterea. Ita Sanctus Petrus figura fuit Ecclesiæ, cùm accepit claves, quomodo Judas figura fuit impiorum, quando Christum prodidit. Unde Sanctus Augustinus in Psalmum 108. ait: *Judas malus corpus malorum significat, quomodo Petrus corpus bonorum, imò corpus Ecclesiæ, sed in bonis. Nam si in Petro non esset Ecclesiæ Sacramentum, non ei diceret Dominus: Et tibi dabo claves Regni Cælorum.* Sicut ergo Judas verè & in propria persona prodidit Servatorem, licèt proditionem impleverit suam ut figura impiorum: ita Sanctus Petrus verè & personaliter Regni Cœlorum claves accepit, licèt gestaret personam Ecclesiæ.

Denique eo modo Sanctus Petrus gessit personam Ecclesiæ militantis, cùm accepit claves, quo Sanctus Joannes gessit personam Ecclesiæ triumphantis, cùm recubuit supra pectus Domini; (ut egregiè persequitur Sanctus Augustinus Tractatu ultimo in Joannem.) An verò Joannes supra pectus Domini personaliter non recubuit? Igitur & Petro personaliter traditæ sunt claves Regni Cœlorum.

Contrà. Cæteris etiam Apostolis datæ sunt claves in Petro & cum Petro: & quod ipsi dictum est, *Tibi dabo claves Regni Cælorum*, cæteris etiam dictum est, ut testantur Origenes Tract. 1. in Matthæum, Sanctus Hilarius lib. 6. de Trinitate, Sanctus Augustinus Sermone 30. de Diversis, Sanctus Ambrosius in Psalmum 38. Ergo inefficax est iste locus ad probandum S. Petri Primatum.

Respondeo, distinguo Antecedens. Cæteris Apostolis datæ sunt claves cum dependentia à Petro, & cum subordinatione ad ipsum, concedo: æquo jure cum Petro, nego. Ista responsio fundata est in doctrina Sanctorum Patrum, quorum testimonia ad primæ Propositionis probationes adducta sunt, maximè Tertulliani in Scorpiaco, Optati Milevitani lib. 1. contra Parmenianum, & S. Leonis Sermone 3. in anniversario die Assumptionis suæ ad Pontificatum.

V. Objicies, Lucæ 22. cap. de Apostolis habetur, quòd *Facta est contentio inter eos, quis eorum videretur esse major.* Ipsos autem increpuit Christus dicens: *Reges Gentium dominantur eorum, & qui potestatem habent super eos, benefici vocantur. Vos autem non sic: sed qui major est in vobis, fiat sicut minor: & qui præcessor est, sicut ministrator.* Et Matth. 18. quærentibus Discipulis, *Quis major est in Regno Cælorum?* statuto parvulo in medio, docendæ humilitatis occasionem arripuit, dicens: *Amen dico vobis, nisi conversi fueritis, & efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in Regnum Cælorum. Quicumque ergo humiliaverit se sicut parvulus iste, hic est major in Regno Cælorum.* At si Petro collatus fuisset à Christo Primatus, non fuisset ista inter Apostolos nata contentio: nec eos redarguens Christus dixisset, Neminem inter eos esse altero majorem: imò potiùs eos ad parendum Petro, & ad Primatum ejus reverendum fuisset adhortatus.

hortatus. Itaque Petro Primatum Christus non contulit.

Respondeo, nego Minorem. Hæc enim Christi verba Primatum omnem Apostolis non negant, sed ambitione quæsitum, & qui quodam superbiæ typho exerceatur, quique merum sit imperium, non ministerium: quale Gentium Reges in subditos exercebant. Unde ait: *Reges Gentium dominantur eorum: Vos autem non sic.* Jubet namque Christus, ut qui inter eos major est, infra eos se humilitate dejiciat, nec præesse ambiat, sed prodesse curet; non dominari, sed fratribus ministrare. Cæterùm supponit aliquem esse inter eos cui conveniat Primatus. Non enim ait: *Nemo inter vos major est, nemo præcessor*: sed, *Qui major est in vobis, fiat sicut minor, & qui præcessor est, sicut ministrator.* Tum suo exemplo eos ad serviendum fratribus invitat: *Nam quis major est*, inquit, *qui recumbit, an qui ministrat? Nonne qui recumbit? Ego autem in medio vestrûm sum sicut qui ministrat.* Certè ministerium illud, cujus exemplum Christus præbebat, non prohibebat quin Discipulis suis major esset: nec itaque prohibebat simile, ad quod ipsos adhortabatur, ministerium, ne aliquis inter ipsos Primatum obtineret. Contendebant porro Apostoli de temporalis dominationis Primatu. Inter eos namque orta contentio est, propterea quòd in solutione tributi Petrus Christo fuisset æquatus, seu quòd idem pro se, & pro Petro pendi tributum Dominus imperasset (*Matth.* 17. Joannem verò super Christi pectus recumbentem viderent in novissima Cœna (de qua *Lucæ* 22.) quæ humanæ ambitionis labes Apostolorum animos adlapsu Spiritûs sancti nondum illuminatos, & in schola humilitatis Christi nondum omnino consummatos, tunc paulisper infuscavit: cùm præsertim eximiam dignitatem Petro collatam nondum intelligerent, quam tunc promissione tantùm & designatione Christi, non actuali exercitio obtinebat: quod demum post ipsius Resurrectionem consecutus est. Sed post Spiritûs Sancti descensum, nulla inter eos fuit ampliùs æmulatio. Imò Joannes, qui primas, cum Jacobo fratre, in regno Christi, ore, precibúsque maternis flagitaverat, Petri Primatum agnovit, suóque consignavit Evangelio (*Joannis* xxj.)

V. Objicitur quintò. Divisa fuisse videtur jurisdictio inter Petrum & Paulum, ut illi Gentium, illi Judæorum cura demandaretur: ergo universæ Christi oves non sunt concreditæ Sancto Petro.

Probatur antecedens ex Epistola ad Galatas c. 2. *Cùm vidissent*, inquit, *quòd creditum est mihi Evangelium Præputii, sicut Petro Circuncisionis: (Qui enim operatus est Petro in Apostolatu Circuncisionis, operatus est & mihi inter Gentes) dexteras mihi dederunt, & Barnabæ societatis, ut nos in Gentes, ipsi autem in Circuncisionem.*

Respondeo, nego antecedens. Petrus namque fuit Apostolus Judæorum, Paulus Gentium; non divisione jurisdictionis, sed sortis: id est, Apostoli jus prædicandi omni creaturæ, per universum mundum, à Christo acceperunt: At ut faciliùs celeriúsque Evangelii lumen gentibus universis affulgeret, singuli singulas sortiti sunt provincias Christi fide imbuendas. Cùm igitur alii Apostoli terrarum orbem inter se partiti essent, Petrus & Paulus, nutu divino, ille Judæos, ille Gentes Evangelicâ doctrinâ imbuendas suscepit: ita tamen ut uterque, sin minùs sorte, saltem jure, tam Judæorum, quàm Gentium Apostolus esset. Et verò Sanctus Petrus Gentibus etiam prædicavit. Cùm enim Gentium primitiæ Evangelio maturescerent, etsi Paulus jam vocatus esset, tamen Angelus Cornelium monet, ut accersat, non Paulum, sed Simonem, qui cognominatur Petrus. Et Actuum 15. Petrus ipse ait: *Vos scitis, quoniam ab antiquis diebus elegit Deus per os meum Gentes audire verbum Evangelii, & credere.* Petrus itaque Circuncisionis Apostolus dictus est, eo quòd ipsi Judæa sorte obtigisset. Hæc enim prima sors meritò habebatur, ut quemadmodum Christus ipse ad oves quæ perierant, domus Israel primùm missus est; ita & Vicarius Christi primò ad eas mitteretur: præsertim cùm ex Paulo didicerimus Judæos velut radicem & oleam esse, Gentes velut oleastrum in olivam insertas. Cùm igitur non facilè possent singuli Apostoli universum terrarum orbem peragrare, sors omnium dignissima Petro delata est, ut ille radicem, atque olivam ipsam coleret; alii verò Apostoli novos quasi surculos in Petri olivam insererent. Cæterùm quia Paulus post Ascensionem Domini vocatus est, nec Hierosolymam statim perrexit, is certarum gentium designatus non fuit Apostolus sorte ab Apostolis jacta: verùm ab ipso Christo immediatè ipsi tota Gentium universitas commendata est. *Vas electionis*, inquit, *est mihi iste, ut portet nomen meum coram Gentibus & Regibus & filiis Israel.* Attende ad postrema illa verba, & intellige Judæos à Sancti Pauli cura non excludi. Et in Actis Apostolorum, ipsemet Sanctus Paulus ad Judæos ait: *Vobis primum oportebat loqui verbum Dei: sed quoniam repellitis illud, & indignos vos judicastis æternæ vitæ: ecce convertimur ad gentes.* Et 2. ad Corinthios 11. ait sibi incumbere *Solicitudinem omnium Ecclesiarum.* Certè Christus dictus est Minister Circuncisionis, sicut Petrus Apostolus Circuncisionis. Quemadmodum igitur nemo rectè collegerit Christum, quia Minister fuit Circumcisionis, nullum habuisse jus, nullámque potestatem in Gentes: ita nec, quia Petrus Circuncisionis Apostolus fuit, inferre propterea licet metas ei divinitùs circumscriptas, ut Gentium Apostolus minimè diceretur.

VI. Objicitur sextò authoritas Sancti Clementis, qui lib. 6. Dispositionum, apud Eusebium lib. 2. Historiæ c. 1. sic ait: *Petrus, Jacobus & Joannes post Ascensionem Salvatoris, quamvis ab ipso fuerint omnibus penè prælati, tamen non sibi vendicabant primatus gloriam: sed Jacobum, qui dicebatur Justus, Apostolorum Episcopum statuunt.*

Respondeo, Eusebii textum proculdubiò mendosum esse. Nam etsi in Basileensi Codice versionis Rufini laudata modò verba legantur; in Codice tamen Coloniensi non habetur vox (*primatus*:) nec legitur (*Apostolorum*:) sed, *Hierosolymorum* Episcopum; uti in quibusque optimæ notæ Codicibus Eusebianis, quos Valesius inspexit & contulit. Ita etiam hunc locum refert Nicephorus lib. 2. cap. 3. *Petrus & Jacobus & Joannes, quos Dominus præcipuo dignatus fuerat honore, post Ascensionem ejus, gloriam non affectarunt: sed Jacobum justum Episcopum Hierosolymorum elegerunt.* Imò ipse Eusebius lib. 2. cap. 14. vocat Sanctum Petrum *Apostolorum Principem.* Et Sanctus Bernardus libr. 2. de Consideratione ait: *Jacobus uni Hierosolymâ contentus, universitatem Petro cedit.*

VII. Objicies auctoritatem Hesychii Hierosolymitani Presbyteri, *Oratione in Jacobum Fratrem Domini*, cujus Fragmentum refert Photius in Bibliotheca Cod. 275. vocantis *Jacobum Apostolorum Caput, in Capitibus verticem*, eique tribuentis judicii summam in Concilio Hierosolymitano. *Quomodo*, inquit, *prædicabo servum Christi & Fratrem, novæ Jerusalem summum Ducem, Sacerdotum*

*Principem, Apostolorum Caput, in Capitibus verticem, in lampadibus supersplendentem, & inter astra maximè illustrem? Petrus prædicat, Jacobus decernit, & pauca voces magnitudinem quæstionis comprehenderunt: Ego judico non inquietari eos, qui ex Gentibus convertuntur ad Deum.* A

Respondeo, hæc ab Hesychio hyperbolicè dicta esse, cùm Oratorem ageret, non Scripturæ sacræ Interpretem, aut dogmatum Ecclesiasticorum explanatorem. Jacobum autem non fuisse propriè Caput Apostolorum, sed Petrum, agnovit Hesychius, siquidem V. aut VI. sæculo, Hierosolymitanus Episcopus Jacobi successor, non solùm B Primatum non habebat, sed ultimum inter Patriarchas obtinebat locum, & Romano parebat Pontifici, quod Hesychio Hierosolymitano sive Presbytero, sive Episcopo, ignotum esse non poterat. Quod autem ait, in Concilio Hierosolymitano decrevisse Jacobum, non esse inquietandos eos qui ex Gentibus convertebantur, non probat Primatum Jacobi: quia omnes quidem Decretum in commune ediderunt, & quisque suffragium dixit; sed Petrus rem proposuit, & prærogativâ suffragii in illa definienda controversia potitus est. Unde Sanctus Hieronymus Epistolâ 89. ad Sanctum Augustinum ait, *In Petri sententiam Jacobum Apostolum, & omnes simul Presbyteros transiisse.* C

Denique Hesychium agnovisse Sanctum Petrum esse Fundamentum Ecclesiæ, & singulari quadam atque eximia ratione Caput, constat ex ipsius Oratione in Sanctum Andream, cujus Fragmentum descripsit Photius in Bibliotheca Cod. 269. in qua hæc habet; *Sacra illa tuba Andreas, primus Apostolorum fœtus, prima Ecclesiæ Columna, ante Petrum Petra, Fundamenti Fundamentum, Initii Primitiæ, vocans antequam vocaretur, &c.* Et infra: *Tu vocaberis Cephas. Ante Confessionem merces, antequam in vinea laborarit, denarium accepisti.* D *Antequam aram tetigeris, Sacrificium Deus suscepit: antequam prædicaret, coronam accepisti.*

VIII. Objicitur septimò authoritas sancti Cypriani lib. de Simplicitate Prælatorum, seu de Unitate Ecclesiæ, dicentis: *Hoc erant utique cæteri Apostoli, quod fuit & Petrus, pari consortio præditi & honoris & potestatis: sed exordium ab unitate proficiscitur, & Primatus Petro datur, ut Ecclesia una monstretur.* Ergo Sanctus Petrus erat primus duntaxat inter pares.

S. Cypriani doctrina Romani Pontificis Primatui minimè contraria.

Respondeo Sanctum Cyprianum loqui de intrinseca & essentiali potestate Apostolatûs, qua pares E fuisse omnes Apostolos nemo unquam Catholicorum est inficiatus; non de potestate extrinseca & accidentaria, quæ in ordine ac dispositione regiminis posita sit, qua inferiores fuisse Sancto Petro reliquos Apostolos, Patres omnes cum S. Cypriano constantissimè docent. Hoc est quod nostrates Theologi dicunt, omnes Apostolos habuisse parem potestatem quod attinet ad amplitudinem rerum gerendarum; sed non in ordine & modo gerendi. Id ita explicant. Singuli Apostoli plenissimam & supremam habebant potestatem respectu aliorum om- F nium Christianorum, non autem inter se, quia Sanctus Petrus sic Caput erat omnium Christianorum, ut etiam ipsorum Apostolorum Caput esset.

Explicatur clariùs. Ad Apostolatum dignè & ex officio exercendum, duo necessaria fuere. Primùm, ut qui tanto munere fungerentur, eam potestatem à Christo nacti essent. Deinde, ut nonnisi Ecclesiæ unitate servata, quæ essent sui muneris exequerentur. Itaque duo in eo munere obeundo spectanda erant, authoritas scilicet, ac unitas. Authoritas, quòd qui non essent à Christo A eo honore insigniti, & Apostolico munere nihilominus fungerentur, Pseudo Apostolorum loco haberentur & sacrilegi alienique officii usurpatores, juxta illud ad Hebræos 5. *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo, tanquam Aaron.* Unitas verò, ut nonnisi Ecclesiæ unitate servata munus illud implerent; si secus, pro Schismaticis haberentur, etiamsi eos authoritas non deficeret. Hanc unitatem in Ecclesia servandam cùm decrevisset Christus, primum ejus Fundamentum constituit in Sancto Petro, à quo illa duceret originem. At verò cùm ad stabiliendum hoc unitatis B Ecclesiasticæ caput eximia quadam authoritate opus esset, quæ schismata valeret compescere, aut avertere ab Ecclesia, præter authoritatem Apostolatui essentialem, facta est personæ Sancti Petri, quem huic muneri obeundo destinavit Christus, singularis dignitatis & potestatis accessio, ut nimirum omnes omnino Fideles, atque adeo Apostolos ipsos, in officio contineret, ac prohiberet ne quis Ecclesiæ scinderet unitatem.

Cùm ergo Sanctus Cyprianus pares Apostolos potestate facit & honore, loquitur de ipsa interna & essentiali tanti muneris potestate, quæ in eo po- C sita sit, ut servata unitate, quanquam orbis terrarum provincias inter se partiti essent, omnibus tamen ac singulis liceret ubivis Gentium Apostolico munere defungi, & non solùm Evangelium prædicare, Sacramenta ministrare, Spiritum Sanctum impertire, miracula edere, libros sacros scribere; sed etiam leges condere, jus dicere, Episcopos creare, &c. At nego pares fuisse in accidentaria illa potestate, quam servandæ unitati necessariam duxit Sanctus Cyprianus. Hujus porro unitatis centrum, fontem ac radicem agnoscit Sanctum Petrum. En integrum Textum Sancti Cypriani, ex quo ipsius sensus elucescet. *Loquitur* D *Dominus ad Petrum: Ego dico tibi*, inquit, *quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ Inferorum non vincent eam: Tibi dabo claves regni cælorum &c. Et post resurrectionem suam dicit: Pasce oves meas. Et quamvis Apostolis omnibus, post resurrectionem suam, parem potestatem tribuat & dicat, Sicut misit me Pater, & ego mitto vos, accipite Spiritum Sanctum, &c. tamen ut unitatem manifestaret, unitatis ejusdem originem ab uno incipientem sua authoritate disposuit. Hoc erant utique cæteri Apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio præditi honoris & potestatis; sed exordium ab unitate proficiscitur, & Primatus Petro* E *datur, ut Ecclesia una monstretur.*

Quòd verò Sanctus Petrus & illius Successor Romanus Pontifex sit fons & origo Ecclesiasticæ unitatis, disertè asserit idem sanctus Cyprianus eodem libro de Unitate Ecclesiæ. *Episcopatus unus est*, inquit, *cujus à singulis in solidum pars tenetur. Ecclesia una est, quæ in multitudinem latiùs incremento fœcunditatis extenditur, quomodo Solis multi radii, sed lumen unum; & rami arboris multi, sed robur unum tenaci radice fundatum; & cùm de fonte uno rivi plurimi defluunt, numerositas licèt diffusa* F *videatur exundantis copiæ largitate, unitas tamen servatur in origine. Avelle radium Solis à corpore; divisionem lucis unitas non capit. Ab arbore frange ramum; fractus germinare non poterit. A fonte præcide rivum, præcisus arescit. Sic & Ecclesia Domini luce perfusa per orbem totum radios suos porrigit; unum tamen lumen est, quod ubique diffunditur; nec unitas corporis separatur. Ramos suos in universam terram copiâ ubertatis extendit, profluentes largiter rivos latiùs expandit: unum tamen caput est, & origo una, & una mater fœcunditatis successibus copiosa. Illius fœtu nascimur, illius lacte nutrimur, Spiritu ejus animamur.* Ex quibus colligitur,

gitur, unitatem Ecclesiasticam à Sancto Petro & ejus Successoribus derivari: quomodo radii à Sole, rami ab arbore, rivi à fonte; & ita unum esse Episcopatum, ut unitatis illius origo sit Sanctus Petrus: quamvis aliorum etiam Episcoporum à Deo immediatè accepta sit authoritas.

Dices. Quomodo igitur à Sancto Cypriano *Episcopatus* dicitur *unus, cujus pars à singulis in solidum tenetur?*

Respondeo unum esse origine (ut modò ionuebam) & ejus partem à singulis teneri, sed non æquo jure. Sicut genus hominum unum est origine, quia omnes ex uno propagati sunt: Atque B singuli ita humanitatis partem in solidum tenent, ut tamen Adamo sua constet dignitas, qua omnium hominum protoparens est, ac totius generis caput. Eodem modo, licèt idem sit ordo, & Episcopale munus, tam Romani, quàm alterius cujuslibet Episcopi: quia tamen Romanus Episcopus in Cathedra Sancti Petri sedet, qui primus Episcopus, & aliorum omnium Caput institutus à Christo fuit; hinc fit ut eandem Episcopatus naturam (ut ita loquar) unà cum cæteris Episcopis adeptus; atque adeo frater & collega eorum meritò nuncupandus, omnibus tamen sit major, C velut unitatis à Christo institutæ, & in Petri persona stabilitæ, Conservator & Custos. Quod aliis Sancti Cypriani testimoniis, inter Propositionis probationes legendis, luculentiùs confirmatur.

Responsio illustratur exemplo. Cùm LXXII. Senioribus spiritûs ac potestatis Moysis portio quædam communicata est, non quòd dividuus esset Spiritus Domini; sed ut exploratum Hebræis esset, sartam tectam Moysi suam constare dignitatem: atque LXXII. Seniores ab eo suæ potestatis originem ducere, cui propterea non se æquarent, nec importuna & incommoda ambitione se ab ejus authoritate & commotione subducerent; ne vinculum unitatis scindentes, quod fecerunt postea Core, D Dathan & Abiron, totam perturbarent Ecclesiam. Ad hunc ferè modum Christus Sancto Petro, & quidem uni, authoritatem Ministerii Ecclesiastici & Cathedræ Apostolicæ largitus est, (designatione, licèt non actu statim & reipsa,) & hoc capite designato, io consortium honoris & potestatis Apostolos cæteros postea vocavit, ut unitatis communio, adeóque ab uno capite pendentis authoritatis ratio constaret. Quod Sanctus Cyprianus significavit Epistolâ 73. ad Jubaianum: *Quò*, inquit, E *venturus est qui sitit? Utrùmne ad Hæreticos, ubi fons & fluvius aquæ vitalis omnino non est? An ad Ecclesiam, quæ una est, & super unum, qui claves ejus accepit, voce Domini fundata?*

IX. Objectio octava petitur ex S. Ambrosio lib. de Incarnatione cap. 4. ubi de Sancto Petro hæc habet: *Statim loci non immemor sui Primatum egit: Primatum confessionis utique, non honoris; Primatum Fidei, non ordinis.* Ergo Sanctus Petrus confessione duntaxat & fide fuit Apostolorum Princeps, non honore & dignitate. F

Respondeo, hæc ab Ambrosio de Sancto Petro asseri, cùm designatione solùm, non verò actuali (ut loquuntur) possessione, primus esset. Christo nimirum adhuc in terris agente, nullum sibi honoris Primatum vendicare debuit Sanctus Petrus, qui à Christo non secus ac reliqui, penderet; sed expectandum illi erat tempus, quo remeaturus in cœlum, eum sui amoris vicarium in terris relinqueret.

Respondeo secundò Sanctum Ambrosium ad unam confessionem à S. Petro editam respexisse, cùm reliqui vulgi opinionem retulissent; atque hoc tantùm voluisse, non sustinuisse Pe-

A trum, ut alius hanc ei gloriam præriperet; sed primum voluisse Christi divinitatem, cujus eum notione Pater imbuisset, profiteri, atque ita gessisse Primatum non honoris, sed fidei, non ordinis, sed confessionis. *Hoc est dicere*, inquit Sanctus Ambrosius, *Nunc nemo me vincat. Nunc mea partes sunt. Debeo compensare quod tacui; debeo prodesse, quod silui; lingua mea non habet finiat, sine impedimento fides debet exire.* Hoc scilicet est in quo S. Petrum gessisse dicit Primatum, non honoris, non ordinis; sed confessionis & fidei. Proinde ad reliquos Beati Petri actus referri illa verba non debent. Imò Sanctus Ambrosius non obscurè indicat huoc fidei & confessionis Primatum, viam ipsi munivisse ad Primatum ordinis, honoris, ac potestatis, quem postea consecutus est. *Hic est ergo Petrus*, inquit, *qui respondit præ cæteris Apostolis, imo pro cæteris: & ideò Fundamentum dicitur.*

X. Objicitur nonò. Æqualis fuit Sancti Pauli enim Sancto Petro potestas: ergo Sanctus Petrus non fuit omnium Apostolorum Caput ac Princeps.

15 Petrus & Paulus duo Ecclesiæ capita non fuere, nec æqua utriusque potestas absque errore asseri potest.

Probatur antecedens. Primò ex Patribus Græcis, è quibus Epiphanius Hæresi 27. *Romæ*, inquit, *primi omnium Petrus & Paulus Apostoli pariter & Episcopi fuerunt.*

Sanctus Irenæus, libro tertio adversùs Hæreses cap. 3. ait: *Ecclesiam Romanam à Sanctis Apostolis Petro & Paulo institutam fuisse ac fundatam.*

Sanctus Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 6. Illuminandorum Tit. de Hæresibus, illos uniformi nomenclatura *Capita Ecclesiæ* nuncupat.

Et Sanctus Joannes Chrysostomus Homiliâ 32. in Epistolam ad Romanos, non tantùm *Oculos Romæ*, sed & *Sanctorum Coriphæos*, ipsos indistinctim appellat.

Probatur secundò ex Patribus Latinis, è quibus Sanctus Leo Sermone 1. de Natali Apostolorum, eos vocat *Romanæ urbis Patres, ac Pastores.*

Sanctus Gregorius Magnus lib. 1. Dialogorum cap. 12. *Paulus*, inquit, *Apostolus Petro Apostolorum primo in Principatu Apostolico frater.*

Sanctus Ambrosius Sermone 1. vel 28. eosdem Apostolos *Capita Martyrum* esse dicit, & *Principes Sacerdotum* vocat.

Author Commentariorum in Epistolas Pauli sub Ambrosii nomine, vocat Paulum *Unanimum Petro, & Coapostolum*; & *Primatûs gratiam Paulo concessam* ait, *sicut & Petro*. Super cap. 2. Epistolæ ad Galatas.

Sanctus Maximus Taurinensis Sermone 5. in Festo Apostolorum, eosdem appellat, *Principes Ecclesiarum & Fidei Christianæ.*

Beatus Petrus Damiani Opusculo 35. cap. 4. *Unum*, inquit, *in sancto Paulo videtur egregium; quia cùm omnes Apostoli, distributis terrarum regionibus, proprias obtineant Cathedras; iste dum nullam specialiter tenet, videtur aliquatenùs communiter omnibus præsidere. Planè quia ipse toto terrarum orbe universalem fundavit Ecclesiam, dignus est ut sicut in omnibus fidei semen sparsit, etiam in omnibus jus teneat præsidensis..... Hæc igitur est causa cur Paulus nullam specialiter Cathedram teneat: quia (si audemus summis minora conferre) adinstar Christi (salvo cæterorum Apostolorum jure) videtur omnibus præstitisse.*

Idem constat tertiò ex ipsis Pontificibus Romanis, qui se dicunt *Successores Petri & Pauli*. Unde Paulus III. in convocatione Concilii Tridentini sic loquitur: *Authoritate Beatorum Apostolorum Petri*

*Petri & Pauli, qua nos quoque in terris fungimur*, &c. Eadem repetit Pius IV.

Quartò. In Pontificiorum Diplomatum sigillis effigies SS. Petri & Pauli simul exprimi solent: & in illis interdum etiam dextra Paulo, interdum Petro datur: quo æqualis utriusque designetur potestas.

Ultimò. Ex Officio Ecclesiæ, in quo dicitur, *Petrus Apostolus, & Paulus Doctor Gentium, ipsi nos docuerunt legem tuam Domine.* Dicitur etiam Ecclesia *per ipsos sumpsisse religionis exordium.* Vocantur *Gloriosi Principes terra.* Dicuntur ambo pariter *Judices sæcli.* Et in Sacramentario Sancti Gregorii dicitur: *Deus qui ligandi solvendique licentiam tuis Apostolis contulisti*, &c. Quod ad Sanctos Petrum & Paulum pertinere intelligitur, cùm hæc Collecta in eorum Festo usurpetur.

Respondeo, nego antecedens. Ad authoritatem Sancti Epiphanii respondeo, Sanctos Petrum & Paulum *Apostolos pariter fuisse & Episcopos Romæ*, si in Apostolatu munus docendi spectetur, non verò si spectetur authoritas regendi. Similiter, nego pariter Episcopos fuisse, si de universali Episcopatu sermo fiat; concedo verò perlubenter, si de locali solùm Episcopatu agatur. Porrò de authoritate non agit eo loci Sanctus Epiphanius, ex qua sola desumitur denominatio capitis. Agit duntaxat de doctrina quæ propriam capitis rationem, sive supremam gubernandi authoritatem non exigit, sed eam tantùm curam ex qua dicuntur fundatores Ecclesiarum, qui eas fide imbuunt. Nec de universali Episcopatu sermo est, sed solùm de locali Episcopatu, cui nimirum peculiaris incumbit illius Ecclesiæ cura, quæ intra muros urbis Romæ continetur, seu illius Ecclesiæ, qua præcisè Romana est, non qua ex Romana universalis effecta est & caput orbis, per Beati Petri Sedem. Enimverò Sancti Epiphanii scopus erat ostendere illibatam doctrinam in Ecclesia illa particulari conservatam fuisse usque ad Marcellinam pestilentem quandam fœminam, cujus occasione hæc ait. Unde sufficiebat ut ad ipsum doctrinæ fontem recurreret, sive ad institutionem in fide, quam Sancto Paulo æquè ac Sancto Petro Romani debebant. Vel sanè Sanctus Paulus Episcopus fuit Romæ cum Sancto Petro, sed non æquo jure. Extraordinarius quidem Episcopus fuit, propter Apostolicum munus, quod jus Episcopale ubique terrarum Apostolis omnibus conferebat; sed Episcopus ordinarius non fuit. Unde Sanctus Epiphanius ibidem ait, Beatum Clementem impositis manibus, consecratum à Sancto Petro, non à Sancto Paulo; non ob aliam utique rationem, nisi quòd Petro, non Paulo, singularis conveniret authoritas, cui jus ordinarium annexum esset. Et in Ancorato, summam Pauli laudem putat quòd *Petrus Apostolorum Princeps, qui regni claves accipere dignus est habitus*, ipsi *dextram dederit.*

Ad authoritatem Sancti Irenæi respondeo, longè aliud esse quòd Sanctus Paulus simul cum Sancto Petro Romanam Ecclesiam fundaverit, & quòd Romanæ Ecclesiæ unum fuerit cum illo caput, vel potiùs Ecclesiæ universalis & Catholicæ, cujus origo Romana est. Primum fatemur; secundum pernegamus.

Ad authoritatem Sancti Cyrilli, respondeo, ipsum quidem Petrum & Paulum Prælatos & Prostatas, nusquam verò capita Ecclesiæ nuncupasse. Imò cùm de Sancto Petro seorsim loquitur, ipsum non *prostatam* duntaxat, sed *protostatam*, id est, primum Præsidem ac Præfectum Apostolici cœtus appellat, Catechesi 11. Illuminatorum.

Ad authoritatem Sancti Chrysostomi respondeo, Petrum & Paulum ab ipso rectè dici *Oculos Romæ*, quia civitatem cæterarum dominam doctrinâ fidei illustrarunt; non eodem verò jure unum Ecclesiæ caput, vel duo capita possent nuncupari. Dictus est etiam à Sancto Chrysostomo Sanctus Paulus *Chori Sanctorum Coryphæus*, quia cum existimavit omnibus Justis sanctitate superiorem; at superiorem authoritate sibi nusquam visum satis ostendit, cùm Homiliâ ultimâ in Joannem, advertit Sanctum Paulum singulariter invisere voluisse Sanctum Petrum, & hunc illi honorem exhibere, *Quia Apostolorum vertex erat.*

Ad authoritatem Sancti Leonis respondeo, Sanctos Petrum & Paulum Patres urbis Romæ meritò nuncupari, quia Romanos in fide genuerunt; Pastores esse, quia eos verbo & doctrinâ paverunt; geminum lumen oculorum esse, quia sui nominis ac martyrii luce Urbem orbis principem illustrarunt; sed non ideò æqualem ipsorum potestatem à Sancto Leone significari: imò contrarium ibidem evincit, cùm Romam *Per Beati Petri Sedem Caput orbis effectam*, tam disertè pronuntiat. Namque & per Beati Pauli Sedem *Caput orbis effectam* prædicasset, si parem in utroque agnovisset authoritatem.

Ad authoritatem Sancti Gregorii Magni respondeo, non rectè inferri parem Pauli cum Petro potestatem, ex eo quòd ejus *in principatu Apostolico frater* à Sancto Gregorio dicatur. Nam Christus Apostolos post Resurrectionem suam *Fratres* vocavit, nec pares tamen sibi fecit. Summus Pontifex Episcopos *Fratres* appellat, nec ideò æqualem secum illis vendicat potestatem. Sunt Regibus fratres, qui tamen Regibus æquales inferri non possunt. Secundò frater est Petri Paulus, sed minor natu, & authoritate minor, ut significat ipsemet S. Gregorius lib. 2. super Ezechielem, Homiliâ 18. de reprehensione Petri per Paulum agens. *Ecce*, inquit, *à minori suo reprehenditur, & reprehendi non dedignatur. Non ad memoriam revocat quòd claves Regni Cœlorum accepit... Minori fratri se ad consensum dedit; atque in eadem re factus est sequens minoris sui, ut jam & in hoc præiret; quatenus qui primus erat in Apostolatûs culmine, esset & primus in humilitate.*

Ad authoritatem Sancti Ambrosii respondeo, ipsum vocare Petrum & Paulum *Authores Martyrum*, non *capita*. Quanquam etsi *Capita Martyrum* nuncupasset, non ideò esset inferendum ipsos esse *Ecclesiæ Capita*; alioqui Sanctus Stephanus Ecclesiæ Caput dici posset, quia Martyrum author, vel Martyrum caput prædicatur. Nec obstat quòd Petrum & Paulum *Principes Sacerdotum* Sanctus Ambrosius vocaverit. Nam omnes Apostoli dicuntur *Principes constituti super omnem terram*; nec tamen æquali potestate cum Petro præditos existimavit Ambrosius. Deinque Sermone 11. de Sanctis, qui in Sanctorum Apostolorum festivitate secundus est, ambos inter se componens Sanctus Ambrosius sive suppar Author, ait: Petrum quidem à Domino petram nuncupatum, quia *Petra est, super quam ædificatur Ecclesia, & quæ fidei Ecclesiæ fundamentum continet.* Pauli autem verba ubique legi, *Quia Vas electionis à Domino est nominatus. Bonum Vas, in quo pretiosa mandatorum Christi præcepta conduntur .... Optima Apostolorum nomina, petra & vasculum, necessaria domui Salvatoris: domus enim fortitudine petræ construitur, utilitate vasis ornatur.* Hinc notat non sine mysterio primum ejus miraculum fuisse, quòd Paralyticum ambulare fecerit, ut sicut in Ecclesia fundamentum fidei continebat, ita & in homine fundamenta membrorum confirmaret.

Ad authoritatem Commentatoris in Epistolas S. Pauli, respondeo primò, illum non esse verum Ambrosium, sed vel Hilarium Romanæ Ecclesiæ Diaconum,

eonum, Luciferianæ Sectæ, quem propter suam sustinendo anabaptismo pervicaciam Sanctus Hieronymus in Dialogo contra Luciferianos, *Deucalionem orbis* appellavit; vel aliquem è Pelagianis. Ut ut sit, Ambrosiaster ab eruditis omnibus dicitur, non Ambrosius.

Respondeo secundò, quòd etsi *unanimus & Co-Apostolus Petri Paulus* ab illo Authore asseratur, non sequitur quòd æqualem habuerit cum illo potestatem. Nam idem Author super cap. 5. ad Galatas supremum Petri Primatum evidenter insinuat, cùm ait; *Dignum fuisse ut cuperet* (Paulus) *videre Petrum, quia primus erat inter Apostolos, cui delegaverat Salvator curam Ecclesiarum.* Cùm verò ait, *gratiam Primatûs Paulo concessam, sicut & Petro*, loquitur de primatu prædicationis, non de primatu authoritatis. *Ut dignus esset*, inquit, *habere primatum in prædicatione Gentium, sicut & habebat Petrus in prædicatione Circumcisionis.*

Ab authoritatem Sancti Maximi respondeo, ipsum satis sese explicare in eodem Sermone, ubi utriusque Apostoli discrimen evidenter indicat quoad supremum principatum soli Petro commissum, & universale magisterium Paulo demandatum. *Petro*, inquit, *sicut bono dispensatori clavem Regni Cœlestis dedit: Paulo tanquam idoneo Doctori magisterium ecclesiasticæ institutionis injunxit; ut quos iste erudierit ad salutem, ille suscipiat ad quietem; ut quorum corda Paulus patefecerit doctrinâ verborum, eorum animabus Petrus aperiat Regna Cælorum..... Ambo igitur claves à Domino perceperunt; scientiæ iste, ille potentiæ.*

Ad beatum Petrum Damiani, respondeo primò, ejus propositionem absolutam non esse, sed modificatam. Non enim ait Sanctum Paulum omnibus Ecclesiis præsidere; sed *videri aliquatenus præsidere.* Secundò, vult illum omnibus Ecclesiis præsidere, quia nullam specialiter Cathedram tenet: non igitur ipsi assignanda est Romana Sedes, in qua parem exerceat cum Petro authoritatem. Tertiò, loquitur de præsidentia per prædicationem & doctrinam, non per authoritatem. *Dignum est*, inquit, *ut sicut in omnibus fidei semen sparsit, ita in omnibus jus teneat præsidendi.* Et inferiùs, asserit Ecclesiam Romanam primum locum tenere ex privilegio Petri, nulla Pauli mentione facta. *Quantùm*, inquit, *ad vulgarem pertinet sensum, quoniam Hierosolymis passus est Dominus, universis Ecclesiis, non Romana, sed Hierosolymitana potiùs præesse deberet Ecclesia. Veruntamen cùm ex authoritate Canonum Romana Ecclesia primum teneat locum, Alexandrina secundum, Antiochena tertium, Constantinopolitana quartum, Hierosolymitana quintum, constat Dominum Salvatorem non uni cuilibet Cathedræ speciali jure præesse, sed cunctis unum Pastorem universaliter præsidere..... Liquet ergo Ecclesiarum ordinem esse dispositum juxta privilegium Petri, non secundum incomparabilem excellentiam Redemptoris.* Hic sanè locus erat proferendi privilegium Pauli, si æquale cum Petri privilegio agnovisset.

Ad id quod adducitur ex dictis Pontificum, respondeo ipsos se dicere Successores Petri & Pauli, quoad successionem localem; non quoad universalem successionem in regimen totius Ecclesiæ. Respondeo secundò, successores dici Petri & Pauli, successione reali, non successione personali. Sic enim solius Petri successores dici possunt. Aliud est igitur succedere alteri veluti realiter, jura sibi ejus omnia vendicando; aliud succedere personaliter, idem munus obeundo. Priori sensu non Petri tantùm, sed Apostolorum planè omnium successor Summus Pontifex dici potest. Unde Sanctus Bernardus lib. de Consideratione c. 8. ita Eugenium

A alloquitur: *Tu Princeps Episcoporum, tu hæres Apostolorum.* Posteriori sensu, solius Petri successor appellatur: unde ibidem Sanctus Bernardus ad Eugenium: *Tu*, inquit, *potestate Petrus.*

Quòd verò Summi Pontifices Concilia convocaverint authoritate Apostolorum Petri & Pauli; in hoc loquendi modo non officii intelligenda authoritas est, cui succedatur; sed patrocinii potiùs, quod ad officium illud ritè obeundum imploretur. Certè alii Pontifices, non Petri duntaxat & Pauli authoritatem sibi vendicant, sed omnium Sanctorum, nec tamen sequitur Sanctos omnes eandem habuisse cum Sancto Petro authoritatem. Joannes
B VIII. Epistolâ 565. *Ex authoritate Dei*, inquit, *& Beatorum Apostolorum Petri & Pauli, & omnium Sanctorum, &c. jubemus te omni ecclesiastica communione privatum.* Nicolaus I. in Sententia contra Photium lata: *Sit*, inquit, *Dei omnipotentis, & Beatorum Apostolorum Principum Petri & Pauli, & omnium simul Sanctorum, atque venerandorum sex universalium Conciliorum authoritate, necnon & Spiritus Sancti per nos judicio, ab omni sacerdotali honore alienus.*

Et Alexander II. Epistolâ 9. *Ex parte Domini nostri Jesu Christi, & Sanctæ Dei Genitricis Mariæ, Sanctorumque Apostolorum Petri & Pauli, omniumque Sanctorum & Electorum Dei*, Abbatiam se con-
C firmare significat. Nec tamen isti Pontifices Beatæ Virginis & Sanctorum omnium successores dici poterant. Nihil igitur aliud innuunt ista, quàm authoritatem patrocinii. Nec voluit aliud Paulus III. cùm ait: *Authoritate Beatorum Apostolorum Petri & Pauli, qua nos quoque in terris fungimur, freti atque subnixi.* Unde cùm eodem in Diplomate de munere Pontificio agit, solius Petri meminit, non Pauli, ut qui soli Petro successerit, non Paulo: alioqui non Paulus III. sed IV. dici debuisset, *ad gubernandum*, inquit, *Petri naviculam vocati.* Viden' ut solius Petri naviculam vocat Ec-
D clesiam non Pauli?

Idem dicendum est ad argumentum quod ex Diplomatum Pontificiorum sigillis eruitur. Sigillo certè suo Sanctorum Gervasii & Protasii conjunctas effigies insculpi curaverat Sanctus Carolus Borromæus: nec tamen decessores in Mediolanensi Archiepiscopatu suos ideo agnoscebat, sed singulares tantùm apud Deum patronos, ut & adjuncta innuebat inscriptio, *Tales ambio defensores.* Adde quòd Pontificia Brevia dantur & obsignantur sub Annulo Piscatoris, hoc est, solius Petri: & hoc tantùm modo obsignata in Regno Gallicano pro legitimis habentur, & promulgantur.

E Ad id quod additur, de dextra interdum Sancto Petro, interdum Sancto Paulo data, respondeo ipsorum æqualem in primatu dignitatem id nullatenus indicare. Aliam prorsùs rationem affert hujus rei Beatus Petrus Damiani Opusculo 35. cap. 1. ubi quærit, *Cur in imaginibus picturarum, per universas adjacentes Romæ provincias, Petrus, qui primus est, ad sinistram, Coapostolus autem ejus Paulus constituatur ad dexteram, cum juxta vulgarem sensum, hoc ordo rerum deposcat, ut Petrus, qui Senatus Apostolici Princeps est, dextrum Domini latus, Paulus verò, qui junior est, sinistrum jure possideat?* Ita
F porro respondet: *Paulum planè de Tribu Benjamin extitisse quis ambigat? Benjamin autem Hebraicè, Latinè filius dexteræ nuncupatur: quid ergo mirum est, si ad dexteram constituitur, qui vocabulum dexteræ ex paterno jure sortitur?* Et inferiùs: *Non immeritò filius dexteræ Paulus vocatur, per quem omnis Gentium multitudo, quæ ad dexteram Dei ponenda est, ad fidei Sacramenta colligitur.* Et mox: *Tanquam fulminea Christi manus, vibratis cælestis eloquii gladiis, rigidas resistentium Deo cervices obtruncat.*

*truncat. Rectè igitur Paulus dextri, juxta Redemptorem, lateris obtinet dignitatem, qui divina dextera non ambigitur exercere virtutem. Annon quodammodo dexteram Dei adversùs diabolum dimicantem se fatetur, cùm dicit; Sic pugno non quasi aërem verberans,* &c. Et cap. sequenti: *Quis nesciat quia vita terrena dicit sinistram; cœlestis autem significat dexteram? Qui ergo carnis adhuc fragilitate circundatus ad cœlestem vitam ascendisse cognoscitur, rectè filius dextera nuncupatur. Ut ergo,* inquit, *ad id unde cœpit, sermo recurrat, cùm Beatus Petrus ad dexteram ponitur, primatus ejus, quem inter cæteros est fortitus Apostolos, honoratur. Cùm verò Paulus ejusdem dextri lateris obtinet locum, ut Benjamin, cujus est filius, mystica figura redolet Sacramentum. Quanquam & hoc non à mysterio vacet, quòd Beatus Petrus Dominici lateris sinistram tenet: per illum siquidem activa vita signatur; & sicut contemplativa vita per dexteram, sic actualis exprimitur per sinistram. Non mirum ergo si Beatus Petrus aliquando partem videatur tenere sinistram, qui & activa vita continet, ex Scripturarum authoritate, figuram.*

Respondeo secundò, quòd etsi semper & ubique dextera Sancto Paulo concessa fuisset, perperam inde inferretur æqualis ejus cum Sancto Petro authoritas, cùm dextra non sit honoratior in Ecclesia locus. Certè in Septima Synodo Oecumenica, Actione 4. Sophronius Patriarcha Hierosolymitanus vidisse refertur admirabilem imaginem, quæ Christum in medio coloribus adumbratum exhiberet, Virginem Deiparam à sinistris, & Sanctum Joannem Baptistam à dextris. Nec tamen inde colligi potest Sanctum Præcursorem Beatissimæ Virgini coæquandum. In Concilio Chalcedonensi Dioscorus, licèt mox damnandus, dexteram tenebat, Legati verò Sancti Leonis sinistram. In sinistro cornu altaris Evangelium legi solet, quod Prophetis & Epistolis Apostolicis dignius est, quæ in dextro recitantur. Cùm olim in Ecclesia fœminæ seorsim à viris orabant, sinistra viris, dextra fœminis assignata est. Ex quibus nemo non videt in sacris ritibus hunc olim usum viguisse, ut sinistra dexteræ præferretur, ad Gentium conversionem exprimendam, quæ Judæis velut dextram antea tenentibus, antelatæ sunt. Nihil ergo ex dextera Paulo interdum data inferri potest ad illius æqualitatem cum Petro comprobandam.

Illustratur hæc responsio ex iis quæ gesta sunt in Concilio Londinensi sub Gregorio IX. celebrato anno 1237. Præside Ottone Sedis Apostolicæ Legato, ubi cùm Cantuariensis Archiepiscopus à dextris Legati sederet, Eboracensis verò à sinistris, orta est inter eos dissensio; quam controversiam ut componeret Legatus, ait: *In Bulla Domini Papæ stat imago Pauli à dextris crucis in medio Bullæ figurato, & Petri à sinistris: nulla tamen inter tantos Sanctos est orta unquam contentio; ambo enim sunt in coæquali gloria. Veruntamen propter Petri claavigeri dignitatem, cum prioratu vocationis, meritò à dextris crucis ejus imago collocanda videtur. Sed quia Paulus credidit in Christum, quem non vidit, à dextris figuratur: Beati enim qui non viderunt, & crediderunt. Sic Dominus Cantuariensis totius Angliæ Primas, & qui præest antiquissimæ & nobilissimæ Ecclesiæ Cantuariensi, necnon & Londinensi, quæ est Sancti Pauli, non sine ratione à dextris est collocandus.* Ita refert Matthæus Parisius in Annalibus Anglicanis ad annum 1237.

Respondeo tertiò, id antiquitus observari solitum, ut cùm duo simul incederent, senior & honoratior ad lævam esset, junior verò dextrum ipsi latus tegeret, & nonnihil anteiret in signum obsequii. Inde namque Laterones dicti sunt, qui dextrum latus Principum virorum defensionis causâ tegebant. Ad dextram igitur positus est Sanctus Paulus ut junior & minor; ad sinistram S. Petrus ut senior, ut prior, ut honoratior.

Respondeo quartò, quod in pictis vel sculptis imaginibus sinistrum est, dextrum reipsa esse, & ècontra, quia Pictores & Sculptores illud rectum faciunt, quod haberi sinistrum reipsa volunt, propter vultum picturæ aut sculpturæ vultui videntis oppositum, ut harum artium periti norunt. Itaque dexter est inspicientibus Sanctus Petrus, cùm sinister creditur.

Ad id quod ex Ecclesiæ Officio adducitur, respondeo, hæc verba, *Per quos religionis sumpsit exordium*, innuere quidem quòd Ecclesia Sanctos Apostolos Petrum & Paulum, ut Fundatores, Patres ac Magistros agnoscat & veneretur; non tamen ut æquo jure Primatum consecutos. Nec refert quòd *Principes terræ & Judices sæcli* nuncupentur: id namque Apostolis omnibus commune est, de quibus canit Ecclesia, *Constitues eos Principes super omnem terram*; &, *Vos sæcli justi Judices*: non Petro & Paulo singulare. Denique in Sacramentario Sancti Gregorii, non significatur æqualis potestas Sancti Pauli cum Sancto Petro; imò ibidem evidenter indicatur Sancti Petri Primatus in illa Oratione, *Deus qui Apostolo tuo Petro collatis clavibus regni cœlestis, ligandi atque solvendi Pontificium tradidisti*, &c. scilicet soli Petro *Pontificium* tribuit, hoc est, ordinariam potestatem à qua quælibet alia potestas derivetur & pendeat: utrique *licentiam ligandi atque solvendi*, hoc est, extraordinariam concessionem, quam S. Petrus, ut Apostolus, cum Paulo Coapostolo communem habuit, licèt aliam singularem & eximiam ut Pontifex sibi vindicaverit.

## §. IV.

### *Diluuntur argumenta in secundam Propositionis partem, quæ est de Primatu Romani Pontificis, pugnantia.*

I. Objicitur primò in secundam Propositionem. Apostolus ad Ephesios 4. omnes Ecclesiasticæ Hierarchiæ gradus recenset ac describit, nec meminit usquam unius Capitis, vel unius Pontificis, qui Prælatis omnibus universæ Ecclesiæ instar Monarchæ præsideret. Namque ibi de Christo sic loquitur: *Ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Evangelistas, alios autem Pastores & Doctores, ad consummationem Sanctorum, in opus Ministerii, in ædificationem Corporis Christi.* Et 1. ad Corinthios 12. *Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia, primùm Apostolos, secundò Prophetas, tertiò Doctores, deinde Virtutes, exinde gratias curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum, interpretationes sermonum,* &c. Et in priori loco ad Ephesios 4. Ecclesiæ unitatem probat ex unitate Christi, qui ejus Author est, ex unitate fidei, ex unitate Spiritûs; nec unius Capitis visibilis meminit, quod ejus consilium non mediocriter juvisset. *Solliciti*, inquit, *servare unitatem spiritus in vinculo pacis, unum corpus, & unus spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestræ: unus Dominus, una fides.* Denique addit: *Unicuique nostrûm data est gratia secundùm mensuram donationis Christi*; quæ verba pontificiam plenitudinem potestatis plenè ac funditus evertunt.

Respondeo primò, Apostolum illis io locis non tam de Ecclesiastica Hierarchia, aut de virorum Ecclesiasticorum munere, ordine, potestate & jurisdictione disserere, quàm de charismatibus, quibus surgens Ecclesia à Spiritu Sancto, illis suis initiis, ornabatur, excitatis summis viris, qui propagando Evangelio operam navantes, divinis illis præsidiis fidem

fidem adhuc nascentem munirent. Multorum enim verò meminit Apostolus, quæ in Ecclesia esse desierunt, ut prophetiæ, doni linguarum, &c. Quæ autem ad Hierarchiæ perfectionem pertinent, instituta à Christo supremo Hierarchiæ Principe, semper in Ecclesia perseveraverunt, & perseverabunt donec Ecclesia stabit. Hinc

Respondeo secundò, quòd cùm accuratam Ecclesiasticæ Hierarchiæ delineationem Apostolus in locis mox laudatis minimè moliretur, satis ei fuit in genere meminisse earum potestatum, quæ in Ecclesia vigerent, quòd illæ cæteras complecterentur. Sed enim in utroque loco, Apostolorum nomine, summi Pontificis dignitas expressa est: summa namque potestas in Ecclesia, non solùm data est Petro, sed reliquis etiam Apostolis, & his quidem, ut tanquam extraordinario munere, & cum eis interituro fungerentur. Unde omnes illud Sancti Pauli meritò sibi vendicare poterant: *Instantia mea quotidiana, sollicitudo omnium Ecclesiarum*, (2. ad Corinthios 11.) Sancto Petro verò concessa est authoritas illa suprema tamquam ordinario Pastori, cui perpetuò succederetur, Apostolica tandem authoritate ad unum revocata: unde Sancti Petri Sedes antonomasticè Apostolica dicta est à Sancto Hieronymo lib. 2. contra Rufinum dicente: *Miror quomodo Episcopi receperint, quod Sedes Apostolica condemnavit.* Et à Sancto Augustino Epistolâ 162. dicente: *In Romana Ecclesia semper Apostolicæ Cathedræ viguit Principatus.* Et à Patribus Concilii Chalcedonensis, in Epistola ad Sanctum Leonem, quæ extat post Actionem 3. in qua de Dioscoro sic loquuntur: *Et post hæc omnia, insuper & contra ipsum, cui vinea custodia à Domino commissa est, extendit insaniam; id est, contra tuam quoque Apostolicam Sanctitatem.* Et ab Episcopis Galliæ ad Sanctum Leonem ita scribentibus, Epistolâ 52. inter Epistolas Sancti Leonis: *Det*, inquiunt, *Apostolatus vester nostra veniam tarditati.*

Respondeo tertiò, Summi Pontificis authoritatem aliis in locis evidentiùs expressam esse, ut constat ex probationibus Propositionis: &, quamvis ita non esset, nemo nescit solere Scripturam sacram multa brevitatis causâ præterire, quæ ex serie traditionis intelligenda sunt, ut advertit Sanctus Augustinus lib. de Fide & de Operibus cap. 9.

Ad secundam instantiam respondeo, unum caput satis intelligi ex his verbis, *Unum corpus & unus spiritus.* Enimverò qua ratione unum corpus esset, nisi in ipso caput unum cæteris membris præsideret?

Ad tertiam instantiam respondeo, Orthodoxorum neminem asserere Summo Pontifici plenitudinem potestatis, si ejus potestas cum authoritate Christi conferatur; sed solùm si componatur cum aliis Episcopis, quatenus hi definitas habent regiones quibus præsint, & definitam his in regionibus potestatem: Summi verò Pontificis potestas in universum orbem Christianum funditur. Quod non obstat quominùs sit ipsi collata *secundum mensuram donationis Christi.*

II. Objicitur secundò: Si Summus Pontifex Primatum obtineret supra cæteros Episcopos, esset Episcopus Episcoporum: atqui Romanus Pontifex non potest dici Episcopus Episcoporum, ut constat ex Sancto Cypriano in Epistola ad Quintum dicente: *Neque enim quisquam nostrûm Episcoporum se Episcopum constituit.* Ergo Romanus Pontifex Primatum sibi vendicare non potest.

Respondeo, nego Minorem, & explico authoritatem Sancti Cypriani. Nemo nostrûm, id est, Africanorum Antistitum, dicit se Episcopum Episcoporum, concedo. Nemo omnino Episcoporum, nequidem Romanus ipse Pontifex, nego. Hæc itaque Sancti Cypriani verba Romanum Pontificem non spectant, sed Africæ duntaxat Episcopos, qui in Carthaginensi Concilio congregati, quæstionem de rebaptizandis Hæreticis agitabant. Vult enim duntaxat Cyprianus nullam vim Episcopis illatam ab aliquo, qui se in illo cœtu cæteris superiorem existimaret, atque alios in suam cogeret propendere sententiam, quasi Episcoporum Episcopus; sed liberum cuique jus dicendi suffragii fuisse contendit, atque id unum omnium consilium extitisse, ut veritas quæreretur. En Sancti Cypriani verba: *Superest ut de hac ipsa re singuli, quid sentiamus, proferamus, neminem judicantes, aut à jure communionis aliquem, si diversa senserit, amoventes. Neque enim quisquam nostrûm Episcopum se Episcoporum constituit, aut tyrannico terrore ad obsequendi necessitatem collegas suos adigit; quando habeat omnis Episcopus, pro licentia libertatis & potestatis suæ, arbitrium proprium, tamque judicari ab alio non possit, quàm nec ipse potest alterum judicare.*

Romanus Pontifex Episcopus Episcoporum & totius Judex, S. Cypriano non repugnante.

Respondeo secundò, nullius esse momenti, quæ in Stephanum I. Romanum Pontificem commotus, ac subiratus effudit Sanctus Cyprianus. Qua de re Sanctum Augustinum audire præstat lib. 5. contra Donatistas cap. 25. dicentem. *Jam illa, quæ in Stephanum irritatus effudit, retractare nolo, quia & non opus est. Eadem quippe ipsa dicuntur, quæ jam satis discussa sunt, & ea præterire meliùs est, quæ periculum perniciosæ dissensionis habuerunt. Stephanus autem eos abstinendos putaverat, qui de suscipiendis Hæreticis priscam consuetudinem convellere conarentur: iste autem quæstionis ipsius difficultate permotus, & sanctis charitatis visceribus largissimè præditus, in unitate cum eis manendum, qui diversa sentirent. Ita quamvis commotiùs, fraternè tamen indignarentur: vicit tamen pax Christi in cordibus eorum, ut in tali disceptatione nullum inter eos schismatis malum oriretur. Non autem hinc uberiùs excreverunt Hæreses & Schismata; quia id, quod in eis Christi est, approbatur, quod autem ipsorum est, improbatur.* Igitur si in Romanum Pontificem hæc verba contorsit Sanctus Cyprianus, *Nemo se Episcopum Episcoporum constituit*; id ab Ecclesia non probatur, quia Christi non est, sed Cypriani; id est, hominis subirati, & paululùm commoti in Stephanum, quasi cogere vellet sub anathemate Africanos Antistites ut in suam descenderent sententiam, in re (ut putabant) adhuc dubia, & nondum eliquatissima perspectione discussa.

Contrà. Si summus Pontifex esset Episcopus Episcoporum, alios Episcopos judicare posset: atqui non potest judicare alios Episcopos; ergo non est Episcopus Episcoporum, nec primatum in cæteros obtinet.

Probatur Minor. Episcopus à solo Deo judicari potest, ex Sancto Cypriano, loco mox laudato, dicente: *Sed expectemus universi judicium Domini nostri Jesu Christi, qui unus & solus habet potestatem & præponendi nos in Ecclesiæ suæ gubernatione, & de actu nostro judicandi.* Ergo, &c.

Respondeo, nego Minorem: ad cujus probationem distinguo antecedens. Episcopus à solo Deo judicari potest, in rebus occultis vel dubiis, concedo; in rebus exploratis & manifestis, nego. Certè S. Cyprianus, Doctor in Ecclesiastica Disciplina versatissimus, inficiari non potuit Episcopos, nedum Pontifici Maximo, verùm etiam Metropolitis Primatique suo, ac denique Collegarum suorum Synodis, gestorum suorum rationem reddere debere. Itaque cùm uni Deo reddituros asserit, id intelligendum est omnino in rebus dubiis & occultis, seu (ut passim ait Sanctus Augustinus) *in his quæstionibus, quæ nondum eliquatissima perspectione discussæ sunt.* Quibus verbis docet id sibi voluisse Sanctum Cyprianum, singulos Episcopos in Concilio dum

res examini subjicitur ac discutitur, jus liberum ferendi suffragii habere, nec ab eo qui præest, adigi debere suas ut in partes transeant, antequam quæstio finita sit.

Respondeo secundò, voluisse Sanctum Cyprianum uni Deo servatum esse Episcoporum judicium, quoad occulta cordis, nimirum quoad intentionem quâ suam quisque sententiam tuebatur. Soli quippe Deo patere conscientiarum recessus ac latebras omnes, ipsi persuasum erat; ac proinde ipsius expectandum judicium, cujus lux divina obscuras rerum species aliquando sit illustratura. Erant scilicet plerique, quibus S. Cypriani & Collegarum sententia de rebaptizandis Hæreticis, illa etiam ætate, displicere cœpisset; quibus ut legem ponere nolebat Cyprianus, nec suam ut in sententiam transirent cogere, sic suæ sententiæ propugnatoribus ab his præjudicium fieri nolebat: sed cùm anceps ei & dubia res videretur, unius Dei judicio eam ducebat relinquendam, cui essent sui actûs rationem omnes Episcopi reddituri, ejúsque judicium de animo deque rationibus, quibus adducti hanc sententiam amplexi essent, expectaturi.

Judicium tamen ferre non potest Romanus Pontifex quibuscunque in causis: nec Episcopos exauctorare, nisi secundum dispositionem sacrorum Canonum, quorum vindex & custos esse debet.

Cæterùm Sancti etiam Cypriani sententiâ Romanum Pontificem de cæteris Episcopis judicium ferre posse, in causis maximè fidei, colligitur ex illius Epistola 67. ad Stephanum I. data, quem adhortatur ut Marcianum Arelatensem Episcopum, qui ad Novatianos defecerat, jubeat in ordinem redigi, & alium ejus loco constitui. *Quamobrem*, inquit, *facere te oportet plenissimas literas ad Coëpiscopos nostros in Galliis constitutos, ne ultra Marcianum pervicacem & superbum, & divinæ pietatis ac fraternæ salutis inimicum, collegio nostro insultare patiantur.* Et rursùs: *Dirigantur à te literæ in Provinciam, & ad plebem Arelate consistentem, quibus abstento Marciano, alius in locum ejus substituatur, & grex Christi, qui in hodiernum ab illo dissipatus, & vulneratus contemnitur, colligatur..... Marcianus sententiam non dicat, sed accipiat; nec sic agat, quasi ipse judicaverit de collegio Sacerdotum, quando ipse sit ab universis Sacerdotibus judicatus. Servandus est enim Antecessorum nostrorum Beatorum Cornelii & Lucii Martyrum honor gloriosus, quorum memoriam cùm nos honoremus, multò magis tu,. Frater charissime, honorificare & servare gravitate & authoritate tua debes, qui vicarius & successor eorum factus es. Illi enim pleni spiritu Dei, & in glorioso martyrio constituti, dandam esse lapsis pacem censuerunt; & pœnitentiâ actâ, fructum communicationis & pacis negandum non esse, literis suis signaverunt, quam rem omnes omninò ubique censuimus. Neque enim poterat esse apud nos sensus diversus, in quibus unus esset spiritus. Et ideò manifestum est eum Spiritus Sancti veritatem cum cæteris non tenere, quem videmus diversa sentire. Significabis planè nobis, quis in locum Marciani Arelate fuerit substitutus, ut sciamus ad quem fratres nostros dirigere, & cui scribere debeamus.*

Ex quo Sancti Cypriani loco colligitur primò, majorem fuisse Romani Pontificis potestatem in Gallicanas Ecclesias, quàm Episcopi Carthaginensis, alioqui frustra ab illo petiisset, quod sua ipse authoritate præstare potuisset. Secundò majorem fuisse Romani Pontificis, quàm aut Lugdunensis Episcopi, aut cujusquam alterius in Gallicanos Præsules potestatem. Nam in eadem Epistola significat S. Cyprianus, *Faustinum Lugdunensem Episcopum illi semel atque iterum de isto Marciano scripsisse*: additque scire se *illa eadem* Episcopo Romano *tam per Faustinum quàm per alios nunciata esse.* Tertiò colligitur, ipsi plebi Arelatensi minimè ignotum fuisse Romani Pontificis Primatum: siquidem postulat Sanctus Cyprianus ut à Stephano literæ dirigantur ad plebem Arelate consistentem, ut abstineatur Marcianus. Quartò perspicuè indicat quæcunque ab Episcopis omnibus contra Novatianum decreta sunt, ea fuisse ab authoritate Romani Pontificis potissimùm profecta. *Illi enim*, inquit, (Cornelius scilicet ac Lucius Romani Pontifices) *dandam esse lapsis pacem; & pœnitentiâ actâ, fructum communicationis & pacis negandum non esse literis suis significaverunt: quam rem omnes omninò ubique censuimus.* Quintò quòd abstinendum scriberet Marcianum Stephanus, rem non consilii tantùm & exhortationis, sed authoritatis fuisse; *Gravitate* (inquit) *tua, & authoritate debes*, &c.

Contrà. Nisi Sanctus Cyprianus se parem omninò existimasset Romano Pontifici in regimine Ecclesiæ, non sic allocutus esset Stephanum: *Cui rei nostrum est consulere & subvenire, Frater charissime, qui divinam Clementiam cogitantes, & gubernandæ Ecclesiæ libram tenentes*, &c. Hæc enim verba parem Cypriani cum Stephano in regenda Ecclesia potestatem innuunt; adeoque Romani Pontificis Primatum elevant.

Respondeo, Sanctum Cyprianum his verbis innuere quidem, quòd sibi incumbat cura communis cum Stephano conservandi Ecclesiam Arelatensem, quam Novatiani schismate & hæresi inquinare tentabat Marcianus: sibi curam esse communem subveniendi, pro muneris sui parte, Ecclesiæ in periculo tam imminenti constitutæ. At communem sibi curam esse non significat exauctorandi Episcopi à fide deficientis. *Unde nostrum est*, inquit, *subvenire & consulere*, id est, subvenire consiliô, nostrum; subvenire verò authoritate, tuum est. Certè membrorum omnium est, mala corpori impendentia avertere, atque ejus incolumitati pro viribus consulere: nemo tamen negat, capitis, in quo omnes sensus vigent, & ipsa potissimùm regina ratio, primas partes esse in ea opera præstanda. Similiter omnibus omninò Episcopis curam incumbere depellendæ hæreseos, & fidei propugnandæ, certum est; sed sunt quædam, quæ nonnisi à Summo Pontifice, aut Summi Pontificis nutu, executioni mandari possunt. In his posuit Sanctus Cyprianus Arelatensis Episcopi exauctorationem; propterea quòd cum causa fidei conjuncta esset, quæ ad Romanum Pontificem deferenda est: ideóque ad Stephanum confugit.

Contrà. Sanctus Cyprianus censuit Episcopum à suis comprovincialibus Episcopis exauctoratum, à Romano verò Pontifice restitutum, pro Episcopo habendum non esse; imò illum, qui ejus in locum fuerit substitutus, censeri debere legitimum Antistitem. Censuit igitur Sanctus Cyprianus authoritatem Romani Pontificis eò non se extendere, ut rescindere posset ea, quæ ab Episcopis alicujus singularis provinciæ essent constituta.

Probatur antecedens. Basilides *Asturica* in Hispania Episcopus, cùm se idololatriæ libello polluisset, ab Episcopatu suo depositus est sententiâ comprovincialium Episcoporum, & alius in locum ejus suffectus. Stephanum Pontificem exauctoratus appellavit, à quo repositus est in Episcopatum. Id molestiùs ferentes Hispaniarum Episcopi, ad Cyprianum & alios Africæ Episcopos scripserunt, *Desiderantes justam pariter ac necessariam suam sollicitudinem, vel solatio, vel auxilio sententiæ ipsorum sublevari*, ut ait Sanctus Cyprianus. Quid ad hæc ille? Rescribit sententiam Romani Pontificis, quâ Basilides Asturicensi sedi restitutus est, non rescindere Ordinationem jure perfectam. Ergo Sanctus Cyprianus censuit Episcopum à suis comprovincialibus Episcopis exauctoratum, à Romano licèt Pontifice restitutum, pro Episcopo habendum non esse.

Asturica vulgò Astorga

Respondeo.

Respondeo, distinguo Antecedens. Id censuit S. Cyprianus, quòd restitutionem illam nullam existimaret defectu justitiæ, & quia subreptitia erat, concedo; quòd illam nullam censeret defectu potestatis, nego. Ex isto igitur S. Cypriani loco Romani Pontificis in cæteros Episcopos mirificè confirmatur authoritas. Hinc siquidem constat Episcopos Sede pulsos in Hispaniis, ad Romanam Sedem confugisse. Nec verò Basilidis restitutionem improbavit S. Cyprianus, quòd authoritatem ipsum restituendi Stephanus Pontifex non haberet; sed quòd ipsum fefellisset Basilides; adeoque sententia in ejus gratiam à Stephano lata nulla esset: nam & qui fallunt Imperatores, non obtinent quod petunt, cùm Theodosius & Valentinianus decreverint, ut *Mendax Precator careat impetratis*, (In Codice Justiniani lib. 1. Tit. 25.) Nec tamen deficit illos potestas privilegia conferendi iis qui causam verè ac sincerè exposuerint. Hunc fuisse S. Cypriani sensum constat ex contextu Epistolæ datæ ad Clerum & plebem Asturicensem. *Quod & apud nos factum videmus*, inquit, *in Sabini Collega nostri Ordinatione, ut de universa fraternitatis suffragio, & de Episcoporum, qui in præsentia convenerant, quique de eo ad vos literas fecerant, judicio, Episcopatus ei deferretur, & manus ei in locum Basilidis imponeretur. Nec rescindere Ordinationem jure perfectam potest, quod Basilides post crimina sua detecta, & conscientiam etiam propria confessione nudatam, Romam pergens, Stephanum Collegam nostrum longè positum, & gesta rei, ac tacita veritatis ignarum fefellit, ut exambiret reponi se injustè in Episcopatum, de quo fuerat justè depositus. Hoc eò pertinet ut Basilidis non tam abolita sint, quàm cumulata delicta, ut ad superiora peccata ejus etiam fallaciæ & circumventionis crimen accesserit. Neque enim tam culpandus est ille cui negligenter obreptum est, quàm hic execrandus qui fraudulenter obrepsit. Obrepere autem si hominibus Basilides potuit, Deo non potest, cùm scriptum sit, Deus non deridetur.* Hæc Sanctus Cyprianus Epistolâ 68.

III. Objicitur tertiò. Episcopi successores sunt Apostolorum, sicut Summus Pontifex; eorùmque potestas immediatè à Deo, non à Romano Pontifice derivatur: Ergo primus tantùm est inter pares.

Quòd Episcopi sint Apostolorum successores, non pugnat cum Romani Pontificis Primatu.

Probatur Antecedens innumeris Sanctorum Patrum testimoniis. S. Cypriani Epistolâ 42. dicentis: *Hoc enim vel maximè, Frater, & laboramus, & laborare debemus, ut unitatem à Domino, & per Apostolos nobis successoribus traditam, quantùm possumus obtinere curemus.* Et Epistolâ 69. *Christus dicit ad Apostolos, ac per hoc ad omnes Præpositos, qui Apostolis vicariâ ordinatione succedunt: Qui audit vos, me audit; & qui me audit, audit eum qui me misit. Inde enim Schismata & Hæreses obortæ sunt, & oriuntur, dum Episcopus, qui unus est, & Ecclesiæ præest, superba quorumdam præsumptione contemnitur, & homo dignatione Dei honoratus, indignus hominibus judicatur.*

Secundò. Clari à Muscula Episcopi, in Concilio Carthaginensi, apud Sanctum Cyprianum: *Manifesta est*, inquit, *sententia Domini nostri Jesu-Christi Apostolos suos mittentis, & ipsis solis potestatem à Patre sibi datam permittentis, quibus nos successimus, eadem potestate Ecclesiam Domini gubernantes.*

Tertiò. Sancti Hieronymi Epistolâ 54. ubi de Montanistis agens, ait: *Apud nos Apostolorum locum Episcopi tenent: apud eos Episcopus tertius est.*

Quartò. Sancti Augustini in Psalmum 44. explicantis versum illum: *Pro patribus tuis nati sunt tibi filii. Quid est*, inquit, *pro patribus tuis nati sunt* A *tibi filii? Patres missi sunt Apostoli: prò Apostolis filii nati sunt tibi, constituti sunt Episcopi. Hodie enim Episcopi, qui sunt per totum mundum, unde nati sunt? Ipsa Ecclesia Patres illos appellat, ipsa illos genuit, & ipsa illos constituit in Sedibus Patrum. Non ergo te putes desertam, quia non vides Petrum, quia non vides Paulum, quia non vides illos, per quos nata es: de plebe tua tibi crevit paternitas. Pro patribus tuis nati sunt tibi filii.*

Quintò, Sancti Gregorii Magni, qui, ubi de Apostolis locutus est, quibus à Christo concessum est ut vice Dei quibusdam peccata retineant, qui- B busdam relaxent, subjungit: *Horum profectò nunc in Ecclesia Episcopi locum tenent. Ligandi atque solvendi authoritatem suscipiunt, qui gradum regiminis sortiuntur.*

Respondeo, distinguo Antecedens. Episcopi sunt successores Apostolorum, seclusâ plenitudine potestatis, concedo. Cum potestatis plenitudine, nego. Duplex enimverò in Apostolis spectanda potestas est: una cum tota plenitudine, ratione Apostolatûs, & ea quidem ordinaria in Petro, ad cujus proinde successores tota transmissa sit; extraordinaria verò in Apostolis, à quibus propterea C in Successores integra non transierit: altera Episcopalis, secluso Apostolatu, & sine plenitudine potestatis, quæ in Episcopos omnes transfusa est.

Hæc distinctio suum habet in Scriptura Sacra fundamentum. Nam quod attinet ad Apostolorum potestatem, dictum est eis: *Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ*; ut innotescat eorum curam ad omnes orbis regiones fundere sese potuisse. At ex eadem Scriptura non obscurè colligimus certas orbis portiones, certos greges, Episcopis quos ordinassent, fuisse commissos: *Attendite vobis*, inquit Sanctus Paulus D Actuum 20. *& universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo.* De privato enim grege locutum Paulum, sequentia verba indicant: *Ego scio*, inquit, *quoniam intrabunt post discessionem meam lupi rapaces in vos, non parcentes gregi.* Et 1. Petri 5. *Pascite qui in vobis est gregem Dei.* Itaque Patres suprà laudati non existimarunt Episcopos instar Apostolorum potestatem in Ecclesiam universalem accepisse; sed ad definitas singularium provinciarum Sedes eam potestatem, quam ab Apostolis accepissent, coarctarunt. Quis enim nesciat Sanctos Cyprianum, Augustinum, Chry- E sostomum intra fines suos se continuisse, nefasque duxisse ut in Collegarum patrimonium involarent? Certè Chrysostomus à Theophilo, & Ægypti Episcopis vexatus, graviter apud Innocentium primum Pontificem Maximum conqueritur, Epistolâ 1. ad illius Beatitudinem datâ, quòd de Episcopo Constantinopolitano, præter fas & æquum, judicium ferre attentarint. *Neque enim congruum est*, inquit, *ut hi qui in Ægypto sunt, judicent eos qui in Thracia.*

Concedo igitur, quòd Apostolorum successores sint Episcopi, quòd Apostolicæ potestatis heredes F censeri debeant; sed potestatem illam nego æquè extensam in Episcopis, ac in Apostolis. Illorum enim authoritas nullis erat Sedibus definita, nullis provinciis circumscripta. At Episcoporum potestas intra Diœceseon suarum cancellos cohibetur. Usu namque, etiam ab Ecclesiæ incunabulis, receptum est, ut certis Ecclesiis singuli Episcopi præficiantur, ut patet ex Apostolo Epistolæ ad Titum cap. 1. *Hujus rei gratiâ*, inquit, *reliqui te Cretæ, ut ea quæ desunt, corrigas, & constituas per civitates Presbyteros, sicut & ego disposui tibi.* Ex his enim verbis constat Episcopos Apostolorum

successores, oni loco addictos fuisse, cujus limitibus eorum potestas coarctaretur. Propterea consuetudo Ecclesiæ, ab Apostolicis temporibus, obtinuit ut Metropolitæ, & Patriarchæ ipsi, certas haberent constitutas provincias aut Diœceses, quas regerent; neque ipsis ullum jus in alienis Diœcesibus competebat. Hac Ecclesiæ praxi nitebatur Sanctus Hieronymus adversùs Joannem Hierosolymitanum Episcopum, qui ad Theophilum Alexandrinum Patriarcham Apologiam scripserat, eúmque causæ suæ veluti judicem fecerat, adulatoriè scribens, *eum omnium Ecclesiarum, maximè Hierosolymitanæ, curam sustinere. Tu*, inquit Sanctus Hieronymus, *qui regulas quæris ecclesiasticas, & Nicæni Concilii Canonibus uteris.... Responde mihi, ad Alexandrinum Episcopum Palæstina quid pertinet? Ni fallor, hoc ibi decernitur, ut Palæstinæ Metropolis Cæsarea sit, & totius Orientis Antiochia.* Hinc Concilium Nicænum inhibuit Canone 15. *Ne Episcopus à civitate in civitatem transiret.* Porro qua ratione potuit Concilium Nicænum uni loco Episcopum addicere, cui authoritate divina in omnes Ecclesias, citra ullam exceptionem aut limitationem jus concessum esset? Episcoporum igitur potestas ad omnes omnino Ecclesias non se porrigit; adeoque Apostolis in plenitudine potestatis successisse, dici non possunt. Non tamen id prohibet quin Episcoporum authoritas tum ordinis, tum jurisdictionis, immediatè à Deo sit.

Contrà Episcopo Romano ideo plenitudo potestatis tribuitur, quia Petri successor est: at alii etiam omnes Episcopi *Successores Petri*, passim à Sanctis Patribus nuncupantur; Ergo æquo jure cum Romano Episcopo plenitudinem potestatis sortiti sunt.

Probatur Minor testimoniis Sanctorum Patrum, Sancti Cypriani, Epistolâ 27. scribentis: *Dominus noster, cujus præcepta metuere & observare debemus, Episcopi honorem, & Ecclesiæ suæ rationem disponens, in Evangelio loquitur, & dicit Petro: Ego dico, quia tu es Petrus, &c. Inde per temporum & successionum vices, Episcoporum ordinatio, & Ecclesiæ ratio decurrit, ut Ecclesia super Episcopos constituatur: & omnis actus Ecclesiæ per eosdem Præpositos gubernetur.*

Sancti Hieronymi Epistolâ 1. *Non est facile*, inquit, *stare loco Pauli, tenere gradum Petri.*

Sancti Ephrem Syri, Oratione de laudibus Basilii Magni: *Sicut Petrus*, inquit, *Ananiam & Saphiram, fraudantes de pretio agri, enecavit: ita & Basilius locum Petri obtinens, ejusque pariter authoritatem libertatemque participans, sua ipsius promissione fraudantem Valentem redarguit, ejusque filium morte mulctavit.*

Denique S. Gaudentii Brixiensis, Sermone 1. in die suæ Ordinationis, ubi vocat S. Ambrosium, *Petri Successorem.*

Respondeo Episcopos vocari passim à Sanctis Patribus Petri Successores, indirectæ ac collateralis (ut ita loquar) successionis jure, quia scilicet unus Petrus Ecclesiastici ordinis quodam modo fons est & origo, omnnn potestatis in omnes Episcopos derivatæ. At directæ successionis jure unus Pontifex Romanus successor est, & hæres Petri. At enim cùm Apostoli ferè omnes fixas Sedes non habuerint, Episcopi Apostolorum successores dici non possunt, nisi in genere (ut loquuntur Theologi nostri Polemici) id est, dici non possunt speciatim successores Andreæ, vel Philippi, quorum authoritas cùm extraordinaria esset, cum ipsis interiit. Verùm jure meritò dici possunt Petri successores, quia unus Petrus authoritatem habuit ordinariam, cui succederetur, & ad quam omnium Prælatorum authoritas ordinem diceret, ut ad principalem ac fontalem. Omnes itaque Episcopi successores Petri dici possunt in authoritate, at non in gradu authoritatis: sive, successores sunt S. Petri in Episcopatu, non in Primatu.

IV. Objicitur quartò. Episcoporum authoritas est à Deo immediatè accepta, sicut authoritas Summi Pontificis: Ergo est æqua Pontificiæ, & ab ea independens.

Probatur Antecedens ex Actuum 20. cap. ubi dicitur *Spiritus Sanctus posuisse Episcopos regere Ecclesiam Dei.* Et ex Concilio Toletano VIII. cap. 7. ubi authoritas Episcoporum vocatur, *Episcopalis eminentia divina authoritas.* Et ex Concilio Lateranensi V. sub Leone X. ubi cùm Summus Pontifex in Bulla privilegia Regularium continente, *Episcopos in partem suæ sollicitudinis assumptos* dixisset; Episcopus Signinus reclamavit, & dixit, loco istorum verborum scribendum esse in narrativa, *Quòd Episcopi assumpti fuerunt à Christo.* Ergo Episcoporum authoritas est immediatè à Deo, sicut authoritas Romani Pontificis.

Episcoporũ authoritas immediatè à Deo est cum ordine quodam nihilominus ad Romanum Pontificem ut caput Ecclesiæ visibile ostenenda.

Respondeo distinguo Antecedens. Episcoporum authoritas est à Deo immediatè accepta, ita ut exerceri non possit absque ordine ad Romani Pontificis authoritatem, & cum quadam dependentia ab ipsa, concedo; ita ut absque illo ordine, & absque illa dependentia exerceri possit, nego. Hinc Innocentius I. in Epistola ad Concilium Milevitanum ait: *Arbitror omnes fratres, & Coëpiscopos nostros, nonnisi ad Petrum, id est, sui nominis & honoris authorem referre debere.* & S. Leo Epistolâ 89. ait: *Hujus muneris Sacramentum ita Dominus ad omnium Apostolorum officium voluit pertinere, ut in Beatissimo Petro Apostolorum omnium Summo principaliter collocaret, ut ab eo ipso, quasi quodam capite, dona sua velut in corpus omne diffunderet.* Et Epistolâ 84. *Inter Beatissimos Apostolos in similitudine honoris, fuit quadam discretio potestatis: & cùm omnium par esset electio, uni tamen datum est, ut cæteris præemineret: de qua forma Episcoporum quoque est orta distinctio, & magna dispositione provisum est, ne omnes omnia sibi vindicarent: sed essent in singulis Provinciis singuli, quorum inter fratres prima haberetur sententia. & rursus quidam in majoribus urbibus constituti sollicitudinem susciperent ampliorem: per quos ad unam Petri Sedem universalis Ecclesiæ cura conflueret, & nihil usquam à suo Capite dissideret.* Omnes igitur Episcopi authoritatem à Deo suam immediatè accipiunt, sed cum ordine aliquo & respectu ad Romanum Pontificem, quatenus authoritatem illam, nisi in ipsius communione, exercere legitimè non possunt.

Distinguo etiam primum Consequens. Ergo Episcoporum authoritas est æqua Pontificiæ, ratione principii, concedo, quia utraque immediatè à Deo est. Ratione termini, nego; quia non tam latè porrigitur authoritas Episcoporum, quàm Pontificia. Id planè significavit Sanctus Bernardus lib. 3. de Consideratione cap. 4. *Si justitia est*, inquit, *jus cuique servare suum, auferre cuique sua, justo quomodo poteris convenire? Erras, si ut summam, ita & solam institutam à Deo vestram Apostolicam authoritatem existimas. Si hoc sentis, dissentis ab eo qui ait: Non est potestas nisi à Deo. Proinde quod sequitur; Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit, etsi principaliter pro te facit, non singulariter. Denique idem ait: Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Non ait, sublimiori, tanquam in uno; sed sublimioribus, tanquam in multis. Non ergo tua sola potestas à Domino, sunt & mediocres, sunt & inferiores.* Quibus verbis S. Bernardus indicat quidem evidenter Episcoporum, sicut & Romani Pontificis authoritatem, à Deo immediatè acceptam

ptam esse; sed solius Romani Pontificis supremam esse potestatem.

Hæc doctrina confirmatur ex Venerabili Gersonio libro *De Statibus Ecclesiasticis*, Consideratione secunda de Statu Prælatorum. *Status*, inquit, *Prælationis Episcopalis in Ecclesia quoad sui collationem primariam fuit immediatè à Christo datus primis Apostolis, sicut Status Papalis Petro, licèt postmodum talis collatio fieri potuit & facta sit in Successoribus per homines, sicut Matthias factus est Apostolus per electionem vel sortem & Successores etiam Petri fiunt nunc per humanam electionem Dominorum Cardinalium.*

Et Consideratione tertia. *Status Prælationis Episcopalis habuit in Apostolis & in Successoribus usum vel exercitium suæ potestatis sub Papa Petro, & Successoribus ejus, tanquam sub habente vel habentibus plenitudinem fontalem Episcopalis auctoritatis. Unde & quoad talia Minores Prælati, scilicet Curati subsunt Episcopis, à quibus usus suæ potestatis quandoque limitatur vel arcetur: & sic à Papa fieri posse circa Prælatos Majores ex certis & rationabilibus causis, non est ambigendum.*

Et Consideratione quarta. *Status Episcopalis non ita subest Statui Papali, quod illum Papa possit annullare: sicut nec Status Papalis posset humanitus destitui. Nihilominus idem Status Episcopalis quoad acquisitionem isti personæ, & quoad exercitium, subest rationabili Papæ voluntati ad utilitatem Ecclesiæ. Hæc autem rationabilitas videtur attendenda seu regulanda maximè per determinationes Conciliorum Generalium, præsertim jam factas de consensu & auctoritate Summorum Pontificum.*

Contrà. Si Romanus Pontifex supremam haberet authoritatem in Ecclesia universa, maximè quia esset Vicarius Christi: Atqui alii Episcopi sunt etiam Vicarii Christi, & ita vocantur à Sanctis Patribus; Ergo æquam habent cum Romann Pontifice potestatem.

Probatur Minor authoritate Sancti Cypriani Epistolâ 55. scribentis: *Neque enim aliunde Hæreses oborta sunt, aut nata Schismata, quàm inde quod Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus in Ecclesia ad tempus Sacerdos, & ad tempus Judex, vice Christi cogitatur: cui si secundum magisteria divina, fraternitas obtemperaret universa, nemo adversùs Sacerdotum Collegium quidquam moveret, nemo post divinum judicium, post populi suffragium, post Coëpiscoporum consensum, judicem se, non jam Episcopi, sed Dei faceret.*

Et authoritate S. Beroardi, Epistolâ 42. ubi reprehendit Monachorum Abbates, quòd ab Episcoporum obedientia velint esse immunes: *Ite nunc*, inquit, *resistite Christi Vicario, cùm nec suo adversario* (scilicet Pilato) *Christus restiterit.*

Respondeo, distinguo Minorem. Episcopi sunt Vicarii Christi, non æquo jure cum Romano Pontifice, concedo: æquo jure cum ipso, nego. Vices quidem gerit Christi quivis Episcopus, in sua Ecclesia: sed Summus Pontifex ejus vices gerit in Ecclesia universa. Unde Sanctus Ambrosius in 24. cap. Evangelii Sancti Lucæ, de Sancto Petro ita scribit: *Dominus elevandus in cælum, amoris sui nobis velut Vicarium*, Petrum *relinquebat.* Et infrà: *Quia solus profitetur ex omnibus* Petrus, *omnibus antefertur.* Cùm igitur Romanus Pontifex singulari ratione S. Petro succedat; singulari jure Christi Vicarius est.

V. Objicitur quintò. Episcopi dicuntur à Sanctis Patribus, universalis Ecclesiæ curam sustinere: parem igitur habent cum Romano Pontifice potestatem.

Probatur Antecedens. I. ex S. Clemente Romano, lib. 6. Constitutionum Apostolicarum, cap. 14. ubi Episcopos his verbis alloquitur: *Scripsimus vobis universalem hanc doctrinam, quorum fidei universalis Episcopatus est commissus.*

II. Ex S. Ignatio Martyre Epistolâ 6. ad Philadelphios ita scribente: *Conspectò vestro Episcopo cognovi quod non à seipso, neque per homines ad dignitatem evectus est, ut susciperet ministerium hoc communis Ecclesiæ.*

III. Ex Eleutherio Pontifice Maximo in Epistola ad Pontifices Gallicanos. *Hujus rei gratiâ*, inquit, *universalis vobis à Christo Jesu commissa est Ecclesia, ut pro omnibus laboretis, & cunctis opem ferre non negligatis.*

IV. Ex Venantio à Tinisa Episcopo, in Concilio Carthaginensi sub S. Cypriano dicente: *Christus Dominus, & Deus noster, ad Patrem proficiscens, Sponsam suam nobis commendavit. Utrúmne eam incorruptam & inviolatam custodimus; an integritatem ejus & castitatem mœchis & corruptoribus prodemus?* Quam sententiam recenset Sanctus Augustinus lib. 7. de Baptismo contra Donatistas, nec redarguit.

V. Ex Sancto Alexandro Patriarcha Alexandrino, qui in Epistola Encyclica, qua de ortu Arianæ Hæreseos, in sua Diœcesi reliquos Episcopos certiores fecit, hæc habet: *Cùm in sacris literis sit unum corpus Ecclesiæ Catholicæ nobis traditum, & præceptum, ut concordiæ ac pacis vinculum firmum teneamus*, &c.

Respondeo, distinguo Antecedens. Dicuntur universalis Ecclesiæ curam sustinere Episcopi, ratione charitatis, qua Ecclesiam prosequi, eique subsidium ferre debent, concedo: ratione authoritatis qua universali Ecclesiæ præsunt, nego. Vel ratione authoritatis in tota Ecclesia, non quidem semper exercendæ, sed in Ecclesiæ necessitatibus & periculis.

Ad probationem, explico sigillatim authoritates adductas, & ad Clementis quidem testimonium, respondeo primò nullius esse ponderis Constitutiones illas, quæ Apostolicæ nuncupantur; quas scilicet Eruditorum nemo pseudepigraphas, & erroribus scatentes non agnoscit. Respondeo secundò, universalem Episcopatum fidei Episcoporum commissum dici posse, non collectivè (ut aiunt) sed distributivè, id est, singulis assignata est portio quædam universalis Episcopatûs, quem propterea integrum universi procurant, non singuli: quo sensu & S. Cyprianus dixit: *Episcopatus unus, est cujus pars à singulis in solidum tenetur.*

Ad S. Ignatium respondeo, Episcopum Philadelphiensem dici ab ipso communis Ecclesiæ curam suscepisse, sensu mox exposito; quia cùm Ecclesia una sit, Episcopatus quoque unus est ratione communionis omnium membrorum; sed sunt in eo plures gradus, quorum in fastigio positum Romanum Pontificem, tota cum S. Augustino agnoscit Ecclesia. Respondeo secundò Episcopum Philadelphiensem à S. Ignatio communis Ecclesiæ Episcopum dictum esse, quòd illis omnibus, ad quos scribebat, præpositus esset, ut communem illis omnibus Ecclesiam significaret.

Ad Eleutherium respondeo Epistolam illam suppositiam esse. Notæ suppositionis sunt multiplices. Prima quòd Versionem Novi Testamenti Vulgatam sequatur, quæ S. Hieronymi ætatem non antecessit. Quòd verba illa S. Joannis Epistolâ 1. cap. 4. *Qui non diligit fratrem suum, quem videt, Deum quem non videt quomodo potest diligere?* tribuat eidem Apostolo, cujus sunt hæc verba, *Dilectio proximi malum non operatur*; scilicet Sancto Paulo. III. Quia regula quæ ibi statuitur de ordine Judiciorum, & quæ incipit his verbis, *Judicantem tamen oportet cuncta rimari*, exscripta est ex Lege Constantini

Constantini Imperatoris relata in Codicem Theodosianum lib. 2. Tit. 18. Verba etiam alterius regulæ, quæ incipit his verbis: *Si quis super quibuslibet criminibus, &c.* sunt Aniani Interpretis Codicis Theodosiani, ad Novellam Valentiniani & Martiani Imperatorum lib. 44. Digest. Tit. 16. L. 3. (ut notavit Antonius Augustinus in cap. 5. Collectionis Adriani I.) Ultima denique nota suppositionis est mendosa nota Consulatûs, quæ Epistolam consignat. Dicitur enim data 5. Idus Julii, Paterno, & Bradua, viris clarissimis Consulibus. At Paternus unicum gessit Consulatum cum Torquato, non cum Bradua, anno 125. (ut ex Cassiodoro constat,) Triarii quidem Materni Consulatus cum Marco Aurelio Bradua incidit in annum Domini 185. Eleutherii Romani Pontificis 9. sed malè consultus impostor, ex Triario Materno Paternum effecit.

Respondeo secundò, verba ex illa Epistola prolata, eodem sensu intelligenda esse, quo illa quæ ex Pseudo-Clemente adducta sunt.

Ad sententiam Venantii à Tinisa, respondeo verissimum quidem esse quòd Episcopis commendata sit Ecclesia; sed nego quòd pari jure commendata sit illis, ac Pontifici Romano.

Ad authoritatem Sancti Alexandri respondeo, verè ipsum dixisse quòd omnibus Episcopis traditum sit unum Ecclesiæ corpus, ut concordiæ ac pacis vinculum firmum tenerent. Sed hæc verba tantùm abest ut Romani Pontificis Primatum elevent, quin potiùs confirmant magnificè. Nam concordiæ ac pacis vinculum, ex institutione Christi, nititur communione cum Ecclesiæ Capite visibili, seu cum Romano Pontifice; cujus Sedes Ecclesiasticæ velut centrum est unitatis. Præterea, omnibus Episcopis certum est incumbere pro sui muneris ratione, ut in profligandis Hæresibus, quæ in Ecclesiæ perniciem emergunt, omnem suam collocent operam, totisque viribus enitantur, ut præstitit adversùs Arianos Alexandrinus Episcopus.

Instabis ex Hormisda Pontifice Maximo, Epistolâ 77. ubi Epiphanium Constantinopolitanum Episcopum sic alloquitur: *Similem jam fidei curam gerentes per religiosam patientiam, par etiam præmium de boni operis speramus affectu. Ergo par studium sollicitudinis assumentes, quibus est in una communione & credulitate societas, curemus*, &c. Ex quibus colligitur parem fuisse Constantinopolitani Episcopi cum Romano Pontifice fidei curam, & pro Ecclesia sollicitudinem.

Respondeo, Hormisdam communem secum Episcopo Constantinopolitano fidei curam significare, non communem authoritatem. Hortatur ipsum ut pro sui muneris ratione, subjectarum sibi Ecclesiarum curam gerat: sed non ideo potestatem ipsius parem suæ agnoscit: alioqui Vicariam Sedis Apostolicæ authoritatem ipsi non demandasset, qua diversarum Ecclesiarum Lapsos in communionem Catholicam posset recipere. *Ut tutè hoc*, inquit, *& sine redargutione, vel alicujus erroris palliatione valeat pervenire, dilecte Frater, personam meam in hoc te oportet subintrare..... Idcirco vobis imponere censuimus, ad vestram diligentiam onera nostra transferentes*, &c.

VI. Objicitur sextò. Episcopus quilibet in aliena Diœcesi sua potestate uti potest: Episcoporum ergo potestas non est certis locis circumscripta; sed in omnem se porrigit Ecclesiam, æquè ac Romani Pontificis.

Probatur Antecedens ex facto Sancti Epiphanii, qui cùm in Diœcesi Hierosolymitana versaretur, Diaconum & Presbyterum in Monasterio Bethleemitico ordinavit, inconsulto Joanne Hierosolymo-

A rum Episcopo. Hac re offensus Joannes, in Epiphanium vehementiùs excanduit, tanquam qui Ecclesiasticæ Disciplinæ jura temerè violasset. Ad quem Epiphanius austeriori stylo rescripsit, ipsumque increpavit, tanquam leviori de causa iratum. *Ob Dei timorem*, inquit, *hoc sumus facere compulsi maximè cùm nulla sit diversitas in Sacerdotio Dei, & ubi utilitati Ecclesiæ providetur. Nam etsi singuli Ecclesiarum Episcopi habent sub se Ecclesias quibus curam videntur impendere, & nemo super alienam mensuram extenditur: tamen præponitur omnibus charitas Christi.*

B Respondeo, distinguo Antecedens. In aliena Diœcesi sua potestate uti potest ex officio charitatis, concedo: ex jurisdictione muneris, nego. Neque contrarium suadet factum S. Epiphanii, quod paulò enucleatiùs expendendum est. Res igitur ita se habet. Epiphanius Salaminæ Cypri Episcopus, Palæstinam & loca sancta lustrans, Diaconum & Sacerdotem ordinaverat in Monasterio Bethleemitico Fratrum Peregrinorum, qui provinciæ Joannis Hierosolymitani nihil debebant, ut Epiphanius scribit; quique ab eo diffidebant propter suspicionem errorum Origenis, cujus Joannes ille C fautor erat & propugnator acerrimus. Hoc facto permotus Hierosolymitanus Antistes, qui gratulari potiùs Epiphanio debuerat, cùm ob Dei timorem id egisset, & ne quadam ipsius duritiâ & conscientiâ Fratres antiquæ & probatæ Fidei ab Ecclesia diffidere viderentur, quia jam ab Episcopo suo (justâ licèt de causâ) diffidebant: mirum in modum excanduit, ac minatus est se literas in extremos fines terræ directurum, quibus violatam ab Epiphanio Ecclesiæ disciplinam quereretur. Epiphanius porro, qui planè injustam esse Joannis querelam noverat, apud eum tamen se purgavit, D his, quas mox insinuabam, rationibus. En illius verba: *Nihil tibi nocuimus, nihil injuriæ fecimus, nec quidquam violenter extorsimus. In Monasterio Fratrum, & Fratrum Peregrinorum, qui Provinciæ nihil tuæ deberent, & propter nostram parvitatem, & literas, quas ad eos crebrò direximus, communionis quoque tuæ cœperunt habere discordiam, ne viderentur quadam duritiâ & conscientiâ nostrâ antiquæ Fidei*, Viri, *ab Ecclesia separari, ordinavimus Diaconum: & postquam ministravit, rursum Presbyterum. Super quo debueras gratulari, intelligens quòd ob Dei timorem hoc sumus facere compulsi;* E *maximè cùm nulla sit diversitas in Sacerdotio Dei, & ubi utilitati Ecclesiæ providetur. Nam etsi singuli Ecclesiarum Episcopi habent sub se Ecclesias, quibus curam videntur impendere: tamen præponitur omnibus charitas Christi, in qua nulla simulatio est: nec considerandum quid factum sit, sed quo tempore, & quomodo, & in quibus, & quare factum sit. Cùm enim vidissem quia multitudo Sanctorum Fratrum in Monasterio consisteret; & Sancti Presbyteri Hieronymus, & Vincentius, propter verecundiam & humilitatem nollent debita nomini suo exercere Sacrificia, & laborare in hac parte mini-* F *sterii, quæ Christianorum præcipua salus est: invenire autem, & comprehendere servum Dei non posses, qui te, eò quod grave onus Sacerdotii nollet suscipere, sæpè fugiebat, sed nec alius quis Episcoporum facile eum reperiret: (unde & satis miratus sum quomodo, dispensatione Dei, ad nos veneris cum Diaconis Monasterii, & cæteris Fratribus, ut mihi satisfaceret, quia nescio quid adversùs eum habebam tristitiæ:) cùm igitur celebraretur Collecta in Ecclesia villæ, quæ est juxta Monasterium nostrum, ignorantem eum, & nullam penitùs habentem suspicionem: per multos Diaconos apprehendi jussimus, & teneri os ejus, ne fortè liberari se cupiens, adjuraret nos per nomen Christi; & primum*

*nium Diaconum ordinavimus, proponentes ei timorem Dei, & compellentes ut ministraret, (valde quippe obnitebatur, indignum se esse contestans.) Et cum ministraret in sanctis Sacrificiis, rursus eum ingenti difficultate, tento ore ejus, ordinavimus Presbyterum. & iisdem verbis quibus antea suaseramus, impulimus ut sederet in Ordine Presbyterii. . . . . Hæc ita acta sunt, ut locutus sum, in charitate Christi, quam te erga parvitatem nostram habere credebam, quanquam in Monasterio ordinaverim, & non in Parochia, quæ tibi subjecta est.*

Cæterùm contestatur Epiphanius, se nunquam in sacris Ordinationibus usurpasse, quòd Ecclesiam scinderet, aut disciplinam violaret; sed ex charitatis officio quædam & indulsisse aliis, & sibi tribuisse, quorum eum non pœniteret. *Multi*, inquit, *Episcopi communionis nostræ, & Presbyteros in nostra ordinaverunt Provincia, quos nos comprehendere non potueramus: & miserunt ad nos Diaconos, & Hypodiaconos, quos suscepimus cum gratia. Et ipse cohortatus sum beatæ memoriæ Philonem Episcopum, & Sanctum Theoprobum, ut in Ecclesiis Cypri, quæ juxta se erant, ad meam autem Parochiam videbantur Ecclesiam pertinere, eò quòd grandis esset, & latè patens provincia, ordinarent Presbyteros, & Christi Ecclesiæ providerent. Nunquam autem ego ordinavi Diaconissas, & ad alienas misi Provincias, neque feci quidquam ut Ecclesiam scinderem. Quid ergo tibi visum est sic graviter intumescere, & jactari contra nos pro opere Dei, quod in ædificationem, & non in destructionem fratrum factum est?*

Contra. Suadere non poterat charitas S. Epiphanio, ut in aliena Diœcesi Ordinationes sacras, invito & prohibente Episcopo, peragerет, si Episcoporum jurisdictio certis definita sit limitibus: Atqui Joannes Hierosolymitanus id prohibuerat Epiphanio; existimavit ergo S. Epiphanius jurisdictionem suam Cypri finibus non coerceri.

Respondeo, nego Minorem. Sanctus namque Epiphanius hanc à se calumniam depellit in Epistola suprà laudata. *Sed & illud*, inquit, *vehementer admiratus sum, quòd meis locutus es Clericis, te per Sanctum Presbyterum & Abbatem Monachorum Gregorium, mandasse mihi, ne quemquam ordinarem, & ego hoc pollicitus sim dicens: Nunquid juvenis sum, aut Canones ignoro? Audi igitur veritatem in sermone Dei: Me hoc nec audisse, nec nosse, nec istius sermonis penitus recordari. Suspicatus autem sum ne forsitan, inter multa, quasi homo, oblitus essem: & ob hanc causam Sanctum Gregorium sciscitatus sum & Zenonem Presbyterum, qui cum eo est. E quibus Abbas Gregorius respondit, Se hoc penitùs ignorare. Zenon autem dixit, quia cùm ei Presbyter Rufinus nescio quæ alia transitoriè loqueretur, etiam hoc dixerit: Putasne aliquot ordinaturus est Sanctus Episcopus? & huc usque stetisse sermonem. Ego autem Epiphanius nec audivi quidquam, nec respondi.*

VII. Objicitur septimò. Sanctus Athanasius toti Ecclesiæ leges dedit. Sic enim de eo scribit S. Gregorius Nazianzenus: *Prolapsam Fidei Doctrinam erigit, ac liberè rursus Trinitas prædicatur super candelabrum posita, splendidoque unius Divinitatis lumine animas omnes collustrans. Leges etiam rursus orbi terrarum præscribit, atque omnium mentes ad se convertit, aliis Epistolas mittens, alios accersens: nonnullos etiam ultro accedentes erudiens.* Ergo Episcoporum potestas in Ecclesiam funditur universam.

Respondeo, distinguo Antecedens. Sanctus Athanasius toti Ecclesiæ leges dedit, doctrinâ, esto; authoritate, nego. Leges igitur quas orbi posuisse Athanasium asserit Gregorius Nazianzenus, rectæ Fidei placita, Dissertationes & Libri fuerunt, quibus Eruditissimus & Disertissimus Pater Christianam plebem Orthodoxâ Sanctissimæ Trinitatis prædicatione informabat, ac contra Arii perfidiam muniebat. Sed quòd in alienas Ecclesias jurisdictionem exercuerit aliquam, probari nullatenus potest. Idem sibi volunt illa Basilii Magni verba, quibus compellat eundem Athanasium Epistolâ 52. *Tantam*, inquit, *geris curam omnium Ecclesiarum, quantam ejus, quæ tibi peculiariter à Domino credita est.* Ex zelo scilicet charitatis, non ex potestate jurisdictionis. Orat verò ut zelum adeo ardentem promat in componendis Ecclesiæ Antiochenæ dissidiis, & Meletii ac Paulini schismate adhortationibus suis sopiendo, ac penitùs destruendo.

Contra. S. Athanasius Concilium coëgit externorum Antistitum, ut patet ex Synodali Epistola ejusdem Concilii, cujus inscriptio hæc est: *Athanasius, cæterique Episcopi, qui Alexandriæ ex Italia, Arabia, Ægypto, & Lybia hîc adsunt*, &c. (ut videre est apud Athanasium Epistolâ ad Antiochenos.) Ergo Athanasii authoritas non erat intra fines Alexandrinæ Diœceseos coarctata.

Respondeo, falsum esse quòd S. Athanasius aliorum Episcopos Patriarchatuum ad Concilium suum vocaverit. Sed ideo Episcopi ex Italia ibi nominantur, quia Lucifer Calaritanus, & Eusebius Vercellensis, Summi Pontificis in Oriente Legati, suos illud ad Concilium Legatos miserunt, ut Athanasio pro causa Fidei, & Ecclesiæ rebus laboranti, opem ferrent. Nulli autem interfuere ex Afris, nisi qui unà cum Ægyptiis Alexandrinum Episcopum ut Patriarcham suum venerabantur. *Nam* (ut ait S. Epiphanius Hæresi 68.) *hic mos est Episcoporum Alexandrinorum, ut per totam Ægyptum, ac Thebaidem, Mareotidem, Lybiam, Ammoniacam, & Pentapolim, Ecclesiastica negotia administrent.*

Quòd verò nec Athanasius, nec cæteri Episcopi, imperium sibi in Ecclesiam arrogaverint universam, patet ex Epistola Synodali, quam ad Africanos direxere. Aiunt enim se ad ipsos scribere, *non docendi animo, sed admonendi.* Quæ verba imperium non redolent. Secundò, quia aiunt se ad Damasum Romanum Pontificem scripsisse contra Auxentium Mediolanensis Ecclesiæ invasorem, eum ut deponeret, & ejiceret ex Ecclesia. *Certè*, inquiunt, *cùm hoc animo essemus, & contigisset nos in unum convenire, scripsimus dilecto Damaso Episcopo magnæ Romæ contra Auxentium invasorem Mediolanensis Ecclesiæ, eumque non solùm in communione esse Arianicæ Sectæ, sed præter hoc, multorum scelerum reum esse, quæ designavit cum Georgio socio suæ impietatis. Miramurque cur nondum depositus ejectusque sit ex Ecclesia.* Sanè si Antistites illi se in Ecclesiam universam imperium habere existimassent, non confugissent ad Damasum, sed hominem Arianum, & in Sedem Mediolanensis Ecclesiæ intrusum, ipsi exauctorassent.

VIII. Objicitur octavò. Romani Pontificis Primatus ipsi collatus fuit à Patribus propter Urbis nobilitatem, & Imperium: Ergo non est juris divini.

Primatus Romano Pontifici non est collatus ob urbis nobilitatem.

Probatur Antecedens ex Canone 28. Concilii Chalcedonensis. *Antiquæ Romæ Throno*, inquit, *quòd urbs illa imperaret, jure Patres privilegia tribuerunt. Et eadem consideratione moti centum quinquaginta Deo amantissimi Episcopi, Sanctissimo novæ Romæ Throno æqualia privilegia tribuerunt, rectè judicantes urbem, quæ & Imperio, & Senatu honorata sit, & æqualibus cum antiquissima Regina Roma privilegiis fruatur, etiam in rebus Ecclesiasticis non secùs ac illam extolli ac magnifieri, secundam post illam existentem.*

Respondeo primò, nullam esse illius Canonis

authoritatem, ut qui à S. Leone Magno reprobatus sit, & universalis Ecclesiæ consensu explosus. Unde Græci ipsi illum ex Codice Ecclesiæ suæ expunxerunt. Nam & antiqua Collectio Græca, quam Dionysius Exiguus Latinè reddidit, 27. Canones solùm recenset, omisso 28. & Theodorus Anagnostes lib. 1. Collectaneorum, & Theodoretus in Collectione Canonum à se adornata, & in 50. Titulos distributa.

Respondeo secundò; Esto, privilegia quædam Patres Romanæ Sedi concesserint, propter Urbis nobilitatem & potentiam, putà privilegia Patriarchica, non tamen Primatûs dignitatem. Agit autem duntaxat Canon de Patriarchicis privilegiis, quæ hocce Canone Orientalis Ecclesiæ Patres Constantinopolitanæ Sedi tribuerunt, ut paribus frueretur privilegiis cum Romana, quæ & Imperio, & Senatu, sicut illa quondam conspicua esset. Non inficiamur porro quin Ecclesiastico Jure Patriarchica dignitas Romanæ Sedi accesserit. At negamus Primatum illi à Patribus collatum; à Christo concessum propugnamus. Hinc Nicolaus Primus Pontifex Maximus, Epistolâ ad Episcopos Gallicanos, ait: *Privilegia sua per Petrum a Christo consecuta est Romana Ecclesia. Ecclesia, inquam, Romana adeo sunt antiqua, & veterata privilegia, ut Nicana Synodus, (sicut Bonifacius Præsul Apostolicus, Episcopis per Thessaliam constitutis scribens ait,) non aliquid supra eam ausa sit constituere, cum videret nihil supra meritum suam posse conferri: omnia denique huic noverat Domini sermone concessa.* Epistolam autem illam, quæ Bonifacii primi Pontificis Maximi nona est, ex scriniis Vaticanæ Bibliothecæ erutam, in lucem dedit Holstenius.

IX. Objicitur nonò. Si Jure Divino Romanus Pontifex Primatum in cæteros Episcopos obtineret, posset dici Episcopus universalis: Atqui non potest dici Episcopus universalis; Ergo Primatum in cæteros Jure Divino non obtinet.

Quo sensu Romanus Pontifex dici non possit Episcopus Universalis.

Probatur Minor ex Sancto Gregorio lib. 4. Epistolarum Indictione 13. Epistolâ 32. ad Mauritium Imperatorem datâ, ubi Joannem Constantinopolitanum Patriarcham insectatur, quòd se universalem Episcopum diceret, atque istud esse *blasphemiæ nomen.* Et Epistolâ 36. ad Eulogium Alexandrinum, & Anastasium Antiochenum Patriarchas datâ, ait nullum Decessorum suorum *tam profano vocabulo usum fuisse.*

Respondeo, distinguo Minorem. Romanus Pontifex non potest dici Episcopus universalis, id est, solus Ecclesiæ universæ Episcopus, concedo. Non potest dici Episcopus universalis, id est, qui Ecclesiam universam regat, servata singulorum Episcoporum jurisdictione, nego. Priori tantùm sensu nomen illud profanum & blasphemum S. Gregorius vocavit. Secundo sensu convenire agnovit Romanis Pontificibus; quamvis illud penitus repudiaverit, quia pravo sensui esse poterat obnoxium, & ut tam insigni humilitatis exemplo, Joannis Constantinopolitani, qui se Patriarcham OEcumenicum inscribebat, superbiam comprimeret. Hanc fuisse S. Gregorii mentem constat ex locis supra laudatis. *Sed absit*, inquit, *à cordibus Christianorum nomen istud blasphemiæ, in quo omnium Sacerdotum honor adimitur, dum ab uno sibi dementer arrogatur.* Et Epistolâ 36. *Sed nullus unquam Decessorum meorum tam profano vocabulo uti consensit: quia videlicet, si unus Patriarcha universalis dicitur, Patriarcharum nomen cæteris derogatur.* At nomen istud Romano Pontifici convenire, ac proprium esse, neque profanum esse, aut blasphemum, sed sacrum, agnovit OEcumenica Synodus Chalcedonensis; quæ nomen blasphemiæ Sancto Leoni non detulisset. Qua de re Sanctus Gregorius Epistolâ 32. mox laudatâ: *Certè*, inquit, *pro Beati Petri, Apostolorum Principis honore, per venerandam Chalcedonensem Synodum Romano Pontifici oblatum est. Sed nullus eorum unquam hoc singularitatis nomen assumsit, nec uti consensit, ne dum privatum aliquid daretur uni, honore debito Sacerdotes privarentur universi.* Lege & Epistolam 38. ad ipsum Joannem datam.

Contra. Distinctione 90. Cap. *Primæ Sedis*, prohibetur ne primæ Sedis Episcopus dicatur *Princeps Sacerdotum, vel Summus Sacerdos:* Atqui hac prohibitione evertitur Primatus Romani Pontificis: unde ibidem additur; *Ut nec universalis Romanus Pontifex appelletur.* Ergo Romano Pontifici non convenit Primatus in cæteros Episcopos.

Respondeo, distinguo Majorem. Et hoc Canone perstringuntur duntaxat Africani Metropolitæ, qui se Principes Sacerdotum, vel Summos Sacerdotes, insolito fastu inscribebant, concedo. (Hic namque Canon laudatur ut sextus Concilii Africani.) Et Romanus Pontifex hoc Canone perstringitur, nego. Imò jam Tertulliani tempore Romanus Episcopus vocabatur, *Episcopus Episcoporum, & Pontifex Maximus*, (ut constat ex libro de Pudicitia,) Quod autem additum est; *Ut nec universalis Romanus Pontifex appelletur*, movere nos non debet, siquidem ea verba non sunt Canonis, sed Gratiani, qui & multa alia erronea Decretorum Collectioni à se adornatæ immiscuit.

His opportunè subjungo Sacræ Facultatis Theologicæ Parisiensis Censuram adversùs Propositionem quadragesimam-septimam seu ultimam *M. Antonii de Dominis* Archiepiscopi Spalatensis. Scripserat lib. IV. *de Republica Ecclesiastica*, cap. XI. Num. 15. *Quod Parisienses, Cardinales solos faciunt, totius Ecclesiæ nomine, Papæ electores, est mera vanitas, quia supponunt in Ecclesia universali unum Papam Universalem, qui toti præsit Ecclesiæ Universali tanquam Episcopus Universalis.* Quam Propositionem Sacra Facultas hunc in modum confixit.

*Hæc propositio est erronea, cujus error cadit in particulam* (mera vanitas) *Et quoad suppositionem quam Parisiensibus tribuit, falsa: ejúsque falsitas in hæc verba* (tanquam Episcopus Universalis) *cadit, quasi alii Episcopi sint tantùm Papæ Vicarii.* Censura publicata est die decima-quinta Decembris, anno Domini millesimo sexcentesimo decimo-septimo.

X. Objicitur decimò. Primatus delatus est Romano Episcopo ab Imperatoribus, & confirmatus à Synodis, propter urbis Romæ amplitudinem: Ergo Jure Divino ipsi non convenit.

Probatur Antecedens, ex Novella Valentiniani III. Imperatoris, quæ id disertè testatur.

Respondeo, nego Antecedens, ad cujus probationem dico primò, Valentinianum non asserere quòd Romano Episcopo competat Primatus propter magnitudinem civitatis; sed quia Sancti Petri Successor est, cui Jure Divino Primatus conveniebat, ex Christi nimirum concessione & institutione, in Successores transfundendus. Fecit autem amplitudo civitatis, ut ad eam tanquam ad arcem profectus Romani Imperii Sanctus Petrus, inspirante Deo, Sedem collocaret in illa perpetuò duraturam. Unde ex Romana Sede Sancti Petri factum est ut Romanus Episcopus Primatum haberet. Non autem ratio fuit urbis magnitudo & dignitas, cur illi Primatus conferretur. Id constat ex verbis Valentiniani: *Cum igitur Sedis Apostolicæ Primatum Sancti Petri meritum, qui Princeps est Episcopalis coronæ, & Romanæ dignitas civitatis, Sacræ etiam Synodi firmaverit authoritas*, &c.

Dico secundò, Valentinianum loqui de Primatu

Patriarchico

Patriarchico, non de omnimodo & Pontificio Primatu. Sed enim de Ordinationibus Episcoporum hæc Novella decernit, quibus secuodùm Canones disponendis Rominum Pontificem præesse jubet Pientissimus Imperator. Scilicet Hilarius Arelatensis Episcopus indignè ferens quòd sua Ecclesia jure Metropolitico in utramque Provinciam Narbonensem, quòd Patroclo Decessori suo contulerat Zosimus, minuta fuisset à Bonifacio Zosimi successore, restringeote jus illud intra fines Provinciæ Viennensis, ne unus Metropolita duabus Provinciis præesset contra Nicænos Canones: id, inquam, impatienter ferens Hilarius, Ordinationes & depositiones Episcoporum extra suam provinciam sibi arrogabat, aliena jura usurpans: quamobrem à Sancto Leone Magno, Pontifice Romano malè exceptus fuit. Denique ejus contumacia, quæ vitæ sanctissimæ nævus fuit, impulit Sanctum Leonem Ecclesiasticæ Disciplinæ vindicem acerrimum, ut Ecclesiæ Gallicanæ perturbationi mederetur. Ideo Hilario jus Metropoliticum in ipsam provinciam Viennensem ademit. Et quia Hilarius Episcoporum Ordinationes & depositiones per vim usurpabat, & armata manu jus præsumptitium tuebatur: Sanctus Leo Valentiniani Aogusti poteotiam ac præsidium imploravit, ut eum & alios Canonum violatores ad officium cogeret. Annuit pientissimus Imperator, & Novellam illam dedit, jubens ut tam in Galliis, quàm in aliis provinciis Episcopi morem gererent Pontifici Romano Canonum executionem imperanti, & veterem consuetudinem vindicanti: & ut adesse cogerentur ad tribunal Romani Pontificis per Provinciæ Præfectum Episcopi perduelles. Porro jus illud in Ordinationibus Episcoporum non conveniebat Episcopo Romano, nisi quatenus erat Patriarcha totius Occidentis: siquidem illud non habebat in Ecclesiis Orientalibus, sed erat penes Patriarchas Alexandrinum & Antiochenum. Itaque Novella Valentiniani intelligenda est de Primatu Patriarchico tantùm, cùm in Romanæ dignitatem civitatis illum refundit ex parte. Fateor enim in Sedium Patriarchalium erectione habitam esse rationem nedum meriti Sancti Petri, verùm etiam amplitudinis & dignitatis civitatum. Hæc constant ex verbis Valentiniani. *Hilarius*, inquit, *qui Episcopus Arelatensis vocatur, Ecclesia Romana urbis inconsulto Pontifice, indebitas sibi Ordinationes Episcoporum sola temeritate usurpans invasit. Nam alios incompetenter removit, indecenter alios invitis & repugnantibus civibus ordinavit, qui quidem quoniam non facilè ab his qui elegerant, recipiebantur, manum sibi contrahebat armatam, & claustra murorum in hostilem morem, vel obsidione cingebat, vel aggressione reserabat, & ad sedem quietis pacem prædicaturus per bella ducebat. His talibus & contra Imperii majestatem, & contra reverentiam Apostolicæ Sedis admissis, per ordinem Religiosi Viri Urbis Papæ cognitione discussis, certa in eum ex his quæ malè ordinaverat, lata sententia per Gallias etiam sine Imperiali Sanctione valitura. Quid enim tanti Pontificis authoritati in Ecclesia non liceret? Sed nostram quoque Præceptionem hæc ratio provocavit, ne ulterius vel Hilario, quem adhuc Episcopum nuncupari sola mansueti Præsulis permittit humanitas, nec cuiquam alteri, Ecclesiasticis rebus arma miscere, aut præceptis Romani Antistitis liceat obviare.*

Et infrà: *Perenni sanctione decernimus, ne quid tam Episcopis Gallicanis, quàm aliarum Provinciarum, contra consuetudinem veterem liceat, sine venerabilis Papæ Urbis æternæ authoritate tentare: sed illis omnibusque pro lege sit, quicquid sanxit, vel sanxerit Apostolicæ Sedis authoritas. Ita ut quisquis Episcoporum ad judicium Romani Antistitis evocatus venire neglexerit, per Moderatorem ejusdem Provinciæ adesse cogatur.*

XI. Objicitur undecimò. Si Primatum haberet Romanus Pontifex, posset Canones universos abrogare: Atqui non potest Canones universos abrogare; Non habet igitur Primatum.

Summa Romani Pontificis authoritas in curanda Canonum executione per Ecclesiam universam.

Respondeo, distinguo Majorem. Si ejus Primatus non consisteret potissimùm in promovenda Canonum observantia, & in eorum imperanda executione, concedo. Si ejus Primatus potissimùm positus sit in curanda Canonum executione & observantia, nego. At verò in eo maximè positum esse Pontificis Maximi Primatum, constat ex ipsis Pontificibus, qui id sibi muneris incumbere summo consensu profitentur. Sic Julius I. in Epistola ad Orientales, apud Sanctum Athanasium lib. de Synodis: *Id verè*, inquit, *ad Synodi, ad Episcoporum, qui in Synodo fuerunt, contumeliam vergeret, si quæ illi tanto studio & cura veluti Deo præsente egissent, à nobis ut vana futiliaque abrogarentur.* Et infra: *Quid, quæso, nos oportuit facere: Annon quod Ecclesiastici Canonis est?*

Sic Innocentius Primus in Epistola ad Clericos Constantinopolitanos, apud Sozomenum lib. 8. cap. 26. *Nos*, inquit, *quantùm ad Canonum observantiam attinet, illis obsequendum esse scribimus, qui Nicææ determinati sunt, quibus solis obtemperare, & suum suffragium addere Ecclesia Catholica debet.*

Sic Zosimus Epistolâ 6. ad Aureliaoum datâ: *Cùm*, inquit, *adversùs Patrum statuta venitur, non tantùm illorum prudentiæ atque sententiæ, qui in ævum victura sanxerunt, sed ipsi quodammodo fidei, & Catholicæ Disciplinæ irrogatur injuria. Quid enim tam sanctum & venerabile est, quàm penitus non exorbitare ab itinere Majorum, quorum Canonica Instituta velut quædam fundamenta sunt, ferendis Fidei jacta ponderibus?* Et Epistolâ 7. Concilii Taurinensis decretum, quod Arelatensis Ecclesiæ Primatum Canonibus firmatum subvertat, rescindens, iis verbis utitur, quæ ostendunt non fore sibi integrum si Canones infringeret: *Apud nos*, inquit, *inconvulsis radicibus vivit antiquitas, cui statuta Patrum sanxere reverentiam.*

De Lutevo.

Sic Bonifacius primus, Patrocli Arelatensis Episcopi, qui Lutubensi Ecclesiæ, inconsulto Metropolitano, Episcopum ordinaverat, ausum repressit, quòd contra Canones id tentasset. Qua de re ad Hilarium Narbonensem scribens Epistolâ 3. ait: *Quod nequaquam possumus ferre patienter: quia convenit nos paternarum sanctionum diligentes esse custodes.*

Sic Sanctus Leo Chalcedonensis Concilii de Primatu Sedis Constantinopolitanæ Decretum improbavit, quia Nicænis Canonibus adversabatur, quorum reverentiæ & executioni promovendæ Romanos invigilare debere Pontifices existimavit, (ut constat ex Epistola ipsius ad Synodum Chalcedonensem.) *De custodiendis quoque Sanctorum Patrum statutis*, inquit, *quæ in Synodo Nicæna inviolabilibus sunt fixa decretis, observantiam vestræ Sanctitatis admoneo, ut jura Ecclesiarum, sicut ab illis trecentis decem & octo Patribus divinitus inspiratis sunt ordinata, permaneant. Nihil alienum improbus ambitus concupiscat; nec per alterius imminutionem suum aliquis quærat augmentum. Quantumlibet enim extortis assentationibus sese instruat vanitatis elatio, & appetitus suos Conciliorum æstimet nomine roborandos, infirmum atque irritum erit, quicquid à prædictorum Patrum Canonibus discrepaverit. Quorum regulis quàm reverenter Apostolica Sedes utatur, scriptorum meorum, quibus Constantinopolitani Antistitis conatus repuli, poterit Sanctitas ve-*

*stra lectione cognoscere, & me auxiliante Domino nostro, & Catholicæ Fidei, & paternarum Traditionum esse custodem.*

Sic Felix III. in Epistola 7. ad Vettanionem Episcopum: *Sedem Apostolicam executricem Chalcedonensis Concilii* vocat.

Sic Hormisdas in Indiculo quem dedit Ennodio & Fortunato Episcopis, aliisque Constantinopolim à se missis: *Quod*, inquit, *ad Canones attinet, jam ante suggessimus, Canones solvere, in Religionem committere est.*

Sic Agapetus in Epistolâ sexta ad Cæsarium Arelatensem Episcopum data, nihil se posse contra Canones profitetur: *Tanta est*, inquit, *Deo propitio, & ad ea libentissimè concedenda, quæ alimoniis proficiunt pauperum, & circa tuæ Fraternitatis affectum nostra devotio, ut onerosum nobis nullatenus esse judicemus, quod animi vestris desideriis postulatis. Sed revocant nos veneranda Patrum manifestissima Constituta, quibus specialiter prohibemur prædia juris Ecclesiæ, cui nos Omnipotens præesse constituit, quolibet titulo ad aliena jura transferre. Qua in re vestra quoque Sapientia credimus esse gratissimum, quod in nullo contra prisca definitionis constituta, vel regulas pro qualibet occasione, vel sub cujuscunque personæ respectu, venire præsumimus. Nec tenacitatis studio, aut sæcularis utilitatis causâ hoc facere nos credatis: sed divini consideratione judicii necesse nobis est, quicquid Synodalis decrevit authoritas, inviolabiliter custodire.*

Sic antea Hilarus in Concilio Romano, anno 467. *Nulli fas sit sine status sui periculo, vel divinas Constitutiones, vel Apostolicæ Sedis Decreta temerare; quia nos qui potissimi Sacerdotis administramus officia, talium transgressionum culpa respiciet, si in causis Dei desides fuerimus inventi, quia meminimus qualiter comminetur Dominus negligentiæ Sacerdotum*, &c.

Sic Gelasius primus in Epistolâ ad Episcopos Dardaniæ: *Confidimus*, inquit, *quòd nullus jam veraciter Christianus ignoret, uniuscujusque Synodi Constitutum, quod universalis Ecclesiæ probavit assensus, nullam magis exequi Sedem præ cæteris oportere, quàm primam, quæ unamquamque Synodum & sua authoritate confirmat, & continuata moderatione custodit.*

Sic Sanctus Gregorius Magnus lib. 1. Epistolâ 24. ad Joannem Constantinopolitanum, & alios data: *Cunctas verò*, inquit, *quas illa veneranda Concilia personas respuunt, respuo, quas venerantur, amplector: quia dum universali sunt consensu constituta, se, non illa destruit, quisquis præsumit aut solvere quos ligant, aut ligare quos solvunt.*

Sic Martinus I. Epistolâ ad Pantaleonem: *Canones*, inquit, *Ecclesiasticos solvere non possumus, qui defensores, & custodes Canonum sumus, non transgressores.*

Id & posteriorum sæculorum Pontifices professi sunt. Sic Eugenius III. in Epistola 8. ad Episcopos Germaniæ: *Contra Deum autem*, inquit, *& sacrorum Canonum sanctiones nulli omnino petitioni possumus præbere consensum.*

Sic Lucius III. in Epistola ad Rainaldum Noviomensem Episcopum: *Ex suscepto tenemur administrationis officio, quæ juri & rationi obviant, prohibere ne fiant, & si temeritate aliqua admissa fuerint, salubri consilio revocare, ut Apostolici moderaminis authoritate quassentur, quæ contra statuta Juris Canonici attentata nascuntur.*

Sic Innocentius III. lib. 1. Epistolâ ad Nicolaum Melitensem Episcopum: *Sicut*, inquit, *ex officio quod nobis est Divinâ Clementiâ propitiante commissum, tenemur his quæ ritè ac secundum formam Canonicam peracta esse noscuntur, robur Apostolicæ authoritatis impertiri: sic ad ea in irritum reducenda, quæ minus licitè noverimus attentata, studium nos convenit & operam impendere diligentem.* Et lib. 2. in Epistola ad Cantuariensem Archiepiscopum: *Quæ in derogationem Sanctorum Canonum attentantur*, inquit, *tantò potius infringi volumus, & carere robore firmitatis, quantò authoritas universalis Ecclesiæ cui præsidemus, ad id nos provocat & inducit.*

Denique Pontifices Romani recèns creati solenni sacramento se ad Canonum observantiam olim adstringebant, teste Ivone Carnotensi Epistolâ 60. ad Joannem Lugdunensem Episcopum: *In libro*, inquit, *Pontificum, qui dicitur Diurnus, ita continetur de Professione Romani Pontificis: Nihil de Traditione, quam à probatissimis Prædecessoribus meis traditam & servatam reperi, diminuere, vel mutare, aut aliquam novitatem admittere, sed ferventer ut eorum discipulus, & sequipeda, totis mentis meæ conatibus, quæ tradita Canonicè comperio, observare ac venerari profiteor.*

Tantùm igitur abest, ut ex Primatu Romani Pontificis colligi possit ipsum Canones universos abrogare posse, sive Canones aliquos Spiritu Dei conditos & totius Mundi reverentiâ consecratos, pro solo arbitrio rescindere: aut colligi è contrario quòd Primatum Divino Jure non habeat, quia religiosam Canonum observantiam profitetur: quin potiùs Primatum illius maximè probat cura pervigil, quam executioni & observantiæ Canonum promovendæ, & plectendis Canonum violatoribus in toto orbe Christiano ex officio impendit. Sed nihil luculentiùs probat hæc duo non pugnare, Primatum scilicet Romani Pontificis & officium promovendi Canonum observantiam, quàm Florentini Concilii authoritas in Definitione Fidei, qua Romani Pontificis asseritur Primatus ut dogma Catholicum, & nihilominus Primatûs illius executio ad normam OEcumenicorum Conciliorum, & sacrorum Canonum exigitur. Sic autem se habet illa Definitio, prout refertur à Blondo, Eugenii IV. Scriba lib. 10. Decadis 3. conformiter ad Græci Textûs fidem: *Item definimus Sanctam Apostolicam Sedem, & Romanum Pontificem in universum orbem tenere Primatum, & ipsum Romanum Pontificem Successorem esse Beati Petri Principis Apostolorum: & verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiæ Caput, & omnium Christianorum Patrem ac Doctorem existere, & ipsi in Beato Petro pascendi, regendi, ac gubernandi universalem Ecclesiam à Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse, quemadmodum & in gestis OEcumenicorum Conciliorum, & in Sacris Canonibus continetur.*

XII. Objicitur duodecimò. Si Romanus Pontifex Primatum haberet, posset solus deponere Episcopos: Atqui id non potest; Ergo non habet Primatum.

Respondeo, nego Majorem. Primatus namque non includit potestatem exauctorandi Episcopos, nisi secundùm dispositionem Canonum: At Canones decernunt, Episcoporum depositiones in Conciliis Provincialibus fieri debere; neque id juris Romano convenire Pontifici probari potest, nisi Concilia Provincialia officio suo deessent: tunc enim ipsi ratione Primatûs, convenit Disciplinam Ecclesiasticam tueri, & Canones exequi. Præterea suas etiam in Episcoporum depositione partes habet Romanus Episcopus, quia judicia Synodorum Provincialium, ad se per appellationem delata, retractari jubere potest in provincia, datis etiam aliis Judicibus, secundùm dispositionem Canonum Sardicensium; vel latam ab ipsis Synodis sententiam ratam habere. Sed de his aliàs.

SCHOLION

## SCHOLION I.

Quod superiùs dixi §. xv. in Responsione ad primam Objectionem, Prophetiam, donum linguarum, & alia hujusmodi charismata, quibus nascentis Ecclesiæ fides confirmabatur, in Ecclesia esse desiisse, Operum meorum Religiosos Censores reprehendisse agnovi ex Indiculo ad me Româ misso.

R. At non negavi quin Deus interdum aliquibus Ecclesiæ membris, cùm ipsi placet, gratias aliquas gratis datas impertiat. Id unum asserui, charismata illa permanenter non esse Ecclesiæ collata, ita ut jam linguis passim loquantur qui Spiritum Sanctum accipiunt, & Prophetiæ vel Miraculorum dona frequentia sint in Ecclesia jam adulta, quemadmodum erant in eadem nascente. Locutus sum ex *Sancti Augustini* sensu, libro III. *De Baptismo*, cap. XVI. *Neque enim*, inquit, *temporalibus & sensibilibus miraculis attestantibus per manus impositionem datur modò Spiritus-Sanctus, sicut antea dabatur ad commendationem rudis fidei, & Ecclesiæ primordia dilatanda. Quis enim nunc hoc exspectat, ut ii quibus manus ad accipiendum Spiritum-Sanctum imponitur, repente incipiant linguis loqui? Sed invisibiliter & latenter intelligitur propter vinculum pacis eorum cordibus divina caritas inspirari.* Et lib. II. *contra literas Petiliani*, cap. XXXII. *Cur modò ita datur Spiritus-Sanctus, ut nemo cui datur linguis omnibus loqui possit, nisi quia omnes Gentes credituras, ut sit in omnibus linguis futurum Evangelium, illud tunc miraculum portendebat?* Et Sermone LXXXVIII. aliàs XVIII. *De Verbis Domini*, cap. III. *Modò caro caca non aperit oculos miraculo Domini, & cor tamen aperit oculos Sermoni Domini. Modò non resurgit mortale cadaver; resurgit anima, qua mortua jacebat in vivo cadavere. Modò aures corporis surdæ non aperiuntur; sed quàm multi habent aures clausas cordis, quæ tamen verbo Dei penetrante patescunt, ut credant qui non credebant, & bene vivant qui male vivebant, & obediant qui non obediebant.* Denique libro *De Utilitate credendi*, cap XVI. cùm miracula commemorasset quæ Dominus Jesus fecit mortalem in terris vitam agens, adjungit: *Cur*, inquit, *ista modò non fiunt?* atque respondit: *Quia non moverent nisi mira essent: Si autem solita essent, mira non essent.* Hoc autem dixit ( ut ipse declarat lib I. *Retractationum*, cap XIV. ) *Quia nec tanta nec omnia modò, non quia nulla fiunt etiam modò.*

## SCHOLION II.

In Responsione ad quartam Objectionem contra Primatum Romani Pontificis, hanc Propositionem notant Religiosi Censores: *Episcoporum auctoritas immediatè est à Deo.*

R. Mirum videtur id ab ipsis reprehendi, quod Sanctus Apostolus docet Act. XX. *Attendite*, inquit, *vobis & universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo.* Episcopis in persona Apostolorum Christus ait, Joannis XX. *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos.* Nam *Episcopi per terminos terræ destinati ex Jesu Christi sunt sententia*; ( inquit Sanctus Ignatius Martyr in Epistola ad Ephesios ) *Apostolis Vicaria Ordinatione succedunt*; ( inquit Sanctus Cyprianus Epistola LXIX ) *Episcopos Ecclesiis Dominicis in toto mundo divina dignatione præpositos*, idem Sanctus Episcopus & Martyr scribit Epist. LXXII. *Episcopatus unus est, cujus à singulis in solidum pars tenetur*; ( ait idem Pater lib. *De Unitate Ecclesiæ*. ) Quod Symmachus Pontifex Maximus confirmat Epistolâ II. *Ad Trinitatis instar* ( inquit ) *cujus una est atque individua potestas, unum est per diversos Antistites Sacerdotium.* Sicut ergo Romani Episcopi, ita & cæterorum Episcoporum auctoritas est immediatè à Deo; cum hoc tamen discrimine, quòd illa in omnes totius orbis Ecclesias diffundatur; ista privatarum Diœcesium finibus coërceatur. *In Ecclesia* denique *Catholica Hierarchiam esse divina Ordinatione institutam, & ad eam Episcopos, qui in Apostolorum locum successerunt præcipuè pertinere*, dogma fidei est à sacra Synodo Tridentina assertum Sessione XXIII. cap. quarto, & Canone sexto. Atque constans hæc est sacræ Facultatis Parisiensis & Ecclesiæ Gallicanæ sententia, Episcoporum potestatem esse à Deo immediatè derivatam. F. Magister *Joannes Sarrasin* has propositiones propugnare ausus erat anno millesimo quadringentesimo vigesimo-nono:

*Omnes Potestates Jurisdictionis Ecclesiæ alia à Papali Potestate, sunt ab ipso Papa quantùm ad institutionem & collationem.*

*Hujusmodi Potestates non sunt de Jure divino, nec immediatè institutæ à Deo.*

Illum verò sacra Facultas compulit ad solemnem harum propositionum retractationem hunc in modum:

*Omnes Potestates Jurisdictionis Ecclesiæ alia à Papali Potestate, sunt ab ipso Christo, quantùm ad institutionem & collationem primariam; à Papa autem & ab Ecclesia, quantùm ad limitationem & dispensationem ministerialem.*

A

*Hujusmodi Potestates sunt de Jure divino, & immediatè institutæ à Deo.*

Ad similem Retractationem compulsus est F. Magister *Nicolaus Quadrigarius*, cùm in Actu Vesperiarum asseruisset, *Solam Papæ potestatem in tota Ecclesia immediatè esse à Christo.*

F. Magister *Joannes Mumeri* hanc Propositionem propugnaverat: *Apostoli alii à Petro, non acceperant immediatè à Christo Potestatem Episcopalem, sed à Petro mediatè vel immediatè.* Hanc Propositionem *Directè contrariam Scripturæ sacræ, & Doctorum ab Ecclesia approbatorum doctrinæ*, sacra Facultas pronuntiavit. Similis sors fuit F. Magistri *Ludovici Combaut*, ad palinodiam à sacra Facultate pariter compulsi

B

anno millesimo quingentesimo vigesimo quarto, die decima-tertia Junii. Sed & Magister *Franciscus Guillan*, occasione quarumdam Propositionum suis Thesibus Minoris Ordinariæ insertarum, quas sacra Facultas per suos Deputatos expungi jussit, huic Declarationi subscripsit ex ejusdem Facultatis Mandato, die decima-quarta Januarii, anni millesimi sexcentesimi quinquagesimi sexti:

*Agnosco & fateor Episcoporum jurisdictionem esse juris divini; & esse immediatè à Christo*, &c.

Denique sacra Facultas in Censura edita die 24. Maii anno millesimo sexcentesimo sexagesimo-quarto, confixit Propositiones plures hunc in modum. *Hæ Propositiones quarum duæ priores asserunt*, APOSTOLOS NON FUISSE CONSTITUTOS EPISCOPOS A CHRISTO; *falsæ sunt, verbo Dei contrariæ, & olim à sacra Facultate reprobatæ.*

C

Hanc sacræ Facultatis Parisiensis doctrinam deserere nec debui, nec potui. Id tamen non impedit quin firmissimè credam & constantissimè propugnem Romanum Pontificem supremam habere in omnes & singulas totius orbis Ecclesias, & in ipsos Episcopos, Jure divino potestatem & auctoritatem.

## SCHOLION III.

Operum meorum RR. Censores in Indiculo suo hanc Propositionem notant: *Episcopi aliquo sensu curam habent universalis Ecclesiæ.*

D

Hanc Propositionem variis testimoniis Veterum ex quibus constant Objectiones quinta & sexta, fultam, in Responsionibus ad easdem objectiones explicueram, *Episcopos nempe universalis Ecclesiæ curam sustinere ratione charitatis, quâ prosequi Ecclesiam, eique subsidium ferre debeant; non tamen auctoritatis quâ universali Ecclesiæ præsint; vel ratione auctoritatis in tota Ecclesia, non quidem semper exercendæ, sed in Ecclesiæ necessitatibus & periculis*; ut nimirum illi subveniant adversùs hæreses & schismata, etiam extra Diœceses suas in locis quæ Catholico Episcopo destituta sunt, salvâ semper & in omnibus Romani Pontificis autoritate, quam divino Jure & immediatè à Christo institutam & acceptam propugno, & cujus est universalis Ecclesiæ periculis subvenire. Propositionem meam sic explicatam confirmat

E

egregium Sancti *Eusebii Samosateni* Episcopi & Martyris facinus, qui grassante Ariana Hæresi, & *Valentis* Imperatoris in Catholicos Episcopos persecutione, *Cum multas Ecclesias Pastoribus viduatas esse comperisset, militarem habitum sumens, & tiarâ, seu casside capiti impositâ, Syriam, Phœnicem ac Palæstinam peragravit, Presbyteros ordinans ac Diaconos, aliosque Ecclesiæ Ordines supplens. Ac si quando Episcopos eamdem cum ipso doctrinam Fidei profitentes reperisset, eos Antistites Ecclesiis inde gentibus præficiebat*; ut refert *Theodoretus*, lib. IV *Historiæ Ecclesiasticæ*, cap. XIII. In similibus, si quæ occurrerent, Ecclesiæ periculis & necessitatibus, non dubito quin alii Episcopi idem possent extraordinaria quadam potestate. Salus enim Ecclesiæ suprema Lex esto. Sed inde ( ut dixi ) colligi non potest parem esse Episcoporum & Romani Pontificis authoritatem: Cùm Romanus Pontifex summam habeat, eámque ordinariam in Eccle-

F

siâ universâ potestatem & auctoritatem, quam non in extraordinariis duntaxat casibus & Ecclesiæ periculis, sed semper exercere potest, & in fideles universos, & in ipsos Ecclesiæ totius Episcopos: quia *Pastorum omnium unus est Pastor.*

## SCHOLION IV.

Ex Responsione mea ad Objectionem undecimam RR. Censores Operum meorum hanc Propositionem procuderunt in eorum Indiculo notatam: *Papæ auctoritas consistit in eo quòd faciat Canones observare, quos non potest abrogare.*

Romani Pontificis Primatum consistere potissimùm in promovenda Canonum observantia, & eorum executione imperanda, probavi quindecim Romanorum Pontificum suffragiis, disertisque testimoniis, confirmavi ex Professione Fidei, quam olim Romani Pontifices electi edebant, quæ

 refertur

refertur in Libro Diurno Romanorum Pontificum, cujus hæc sunt verba: *Nihil de Traditione, quod à probatissimis Prædecessoribus meis servatum reperi, diminuere vel mutare, aut aliquam novitatem admittere, sed ferventer, ut verè eorum Discipulus & sequipeda, totis viribus meis conatibusque tradita conservare ac venerari. Si qua verò emerserint contra disciplinam canonicam, emendare; sacrosque Canones & constituta Pontificum nostrorum, ut divina & cœlestia mandata custodire, utpote tibi, Beate Petre, redditurum me sciens de omnibus quæ profiteor, districtam in divino Judicio rationem, cujus locum divinâ dignatione perago.* Hinc rectè colligitur, Romanum Pontificem Canones Spiritu Dei conditos & totius Mundi reverentia consecratos pro libito abrogare non posse; quamvis eos interpretari, si quæ dubia circa illorum sensum oriantur, & de illorum observantiâ hîc & nunc, propter Ecclesiæ necessitatem vel utilitatem, ubique Christianarum Gentium dispensare pro summa sua auctoritate & Primatûs jure possit. Hæc sacræ Facultatis Parisiensis sententia est, à qua discedere integrum mihi non fuit. Venerabilis *Gersonius* lib. *De Statibus Ecclesiasticis*, Consideratione v. De Statu Romani Pontificis: *Status Papalis*, inquit, *quamvis eximat Papam à legibus juris positivi, Canonicis vel Civilibus, sic quòd se minimè eas coercere punitivè non potest, ut præcisè tales sunt: Nihilominus Papa non debet aut potest contemnere leges positivas, præsertim per Concilium Generale, ad quod sufficienter spectat discernere vel dictare si Papa palam convertat potestatem suam in destructionem Ecclesiæ, non in ædificationem.* Et Consideratione vi. *Status Papalis obligat Papam tantò amplius, quantò major est in Ecclesia, subjicere se Legibus divinis, naturalibus & Canonicis, ad utilitatem Ecclesiæ. Propterea cùm magis videant oculi quàm oculus, videtur quòd non sine grandi discrimine salutis Papa possit deliberationes vel instituta Generalium Conciliorum contemnere, ut non secundùm communem, sed propriam deliberationem contendat in Ecclesiastico Regimine præsidere. Propterea benè dictum est, quòd Papa non potest generalem Statum Ecclesiæ immutare vel tollere.*

Sententiam ea de re suam sacra Facultas Parisiensis declaravit anno millesimo quadringentesimo octogesimo secundo, cùm F. Magister *Joannes Angeli* hanc inter alias propositionem propugnasset. *Papa posset totum jus canonicum destruere, & novum construere.* Illam nempè eruditus Ordo hâc Censurâ confixit: *Hæc propositio est scandalosa, blasphematoria, notoriè hæretica, & erronea.*

## SCHOLION V.

Ex mea ad Objectionem duodecimam Responsione Operum meorum RR. Censores hanc Propositionem cuderunt, & in Indiculum suum retulerunt: *Papa non potest Episcopos deponere, nisi in Concilio talis Provinciæ; aut nisi tale Concilium officio suo defuerit.* Ideo hanc Responsionem retractare necesse est.

Episcoporum Canonica Judicia secundùm Canonum dispositionem fieri debere, inconcussa veritas est. Canones porro decernunt, Episcopos in Conciliis suarum Provinciarum judicari, & (si causa canonica subsit) deponi debere. Ita statutum est Antiocheni Concilii Canone xiv. & xv. Sardicensis Canonibus iii. iv. & vii. Constantinopolitani i. Canone vi. in Collectione Græca, Chalcedonensis Canone ix. Africanorum Conciliorum Canonibus plerisque, ut videre est in Codice Ecclesiæ Africanæ Canonibus xii. xv. xix. xxviii. lxxxvii. lxxxviii. xcvii. collatis cum Ecclesiæ Africanæ Epistola ad *Cælestinum* Pontificem Maximum. Item ex Capitulis *Hadriani I.* Metensi Episcopo *Ingilramno* traditis, capp. v. ix. x. xii. xix. xx. xxvii. xxix. Eam Disciplinam in Galliis religiosè constanterque servatam fuisse, probant Canonica Judicia *Salonii* Ebredunensis, & *Sagittarii* Vappicensis Episcoporum, in Concilio Lugdunensi anno quingentesimo sexagesimo septimo, de quorum caussa legendus *Gregorius Turonensis* lib. v. *Historiæ*, cap. xx. *Promoti*, qui Castrodunensis Episcopus constitutus erat contra jura Carnotensis Episcopi, & qui depositus est in Concilio Parisiensi quarto, anno quingentesimo septuagesimo tertio. *Prætextati* Rothomagensis Archiepiscopi, in Concilio Parisiensi anno quingentesimo septuagesimo septimo; cujus caussæ seriem refert *Gregorius Turonensis* lib. v. cap. xviii. *Ægidii* Remensis Archiepiscopi, in Concilio Metensi anno quingentesimo nonagesimo, de quo idem Auctor libro x. cap. xix. *Desiderii* Viennensis Episcopi, in Concilio Cabilonensi, anno tertio supra sexcentesimum. *Contumeliosi* Reiensis Episcopi, de quo *Joannis II.* Romani Pontificis extat Epistola ad *Sanctum Cæsarium* Arelatensem, anno quingentesimo trigesimo quarto. *Saffaraci* Parisiensis Episcopi, in Concilio Parisiensi ii. anno quingentesimo quinquagesimo quinto. *Agapii & Bobonis* Diniensium Episcoporum, in Concilio Matisconensi anno sexcentesimo quinquagesimo. *Ebbonis* Archiepiscopi Remensis in Concilio apud Theodonis-villam, anno octingentesimo trigesimo-quinto. *Aldrici* Cenomanensis Episcopi, in Concilio suæ Provinciæ circa idem tempus celebrato, ut ex Epistola *Gregorii IV.* ad Episcopos per universas Provincias constitutos colligitur. Primam duntaxat causarum Episcopalium cognitionem Romano Pontifici negavi, non jus appellationis ipsi quæsitum aut confirmatum Sardicensis Concilii Canonibus. Confer cum doctissimo Archipræsule *Petro de Marca*, libro vii. *De Concordia Sacerdotii & Imperii.* Denique sacra Facultas Parisiensis mense Maio anni millesimi sexcentesimi sexagesimi-tertii solemnem Declarationem edidit, quæ in publicas supremi Senatûs Tabulas die trigesima mensis ejusdem relata est, cujus Articulo v. contestatur & significat, *Doctrinam Facultatis esse, non probare, nec unquam probasse propositiones ullas Regis Christianissimi Authoritati, aut germanis Ecclesiæ Gallicanæ Libertatibus, & receptis in Regno Canonibus contrarias, verbi gratiâ, quòd Summus Pontifex possit deponere Episcopos adversùs eosdem Canones.*

## DISSERTATIO V.

### *De Christianæ Religionis origine.*

VIDETUR prima fronte hæc quæstio facilè solvi posse, neque ad ejus expositionem singulari Dissertatione opus esse: quia nemini non videbitur incœpisse Christiana Religio ab eo tempore quo Christus Doctrinam suam prædicavit, & Apostolos vocavit. Verùm rem accuratiùs expendenti parebit non inanem esse hancce controversiam, quæ Propositione sequenti dirimetur.

PROPOSITIO.

*Christiana Religio Christi Natalem non solùm antecessit, sed cum primis hominibus orta est, & floruit apud homines sanctos, qui tempore Legis naturæ, & Legis scriptæ vixerunt.*

Probatur primò authoritate sancti Justini Martyris, Apologiâ 2. p. 83. dicentis: *Et quicunque cum Ratione & Verbo vixere, Christiani sunt, quamvis athei, & nullius Numinis cultores habiti sint: quales inter Græcos fuere Socrates, Heraclitus, atque iis similes: inter barbaros autem Abraham, & Ananias, & Azarias, & Misaël, & Elias, & alii complures: quorum facta & nomina, in præsentia recensere, quia longum esse scimus, supersedemus.*

Probatur secundò ex Eusebio lib. 1. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 4. *Certè enim*, inquit, *quamvis nos planè recentes simus, & hoc novum Christianorum nomen modò apud omnes Gentes increbuerit: vitam tamen, & institutionis genus unà cum pietatis præceptis, non nuper à nobis confictum: sed à primo (propè dixerim) humani generis ortu, naturalibus quibusdam notionibus in veterum hominum mentibus, qui Deo chari erant, insitis, exercitatum excultumque fuisse, hoc pacto explicare aggrediamur*, &c.

Et postquam veteres Patriarchas Christum perspicuè agnovisse scripsit, quippe qui visus sit Abrahamo, qui responsum dedit Isaac, locutus est cum Jacob, cum Moyse, & aliis deinceps Prophetis, hæc subjungit: *Inde planè comperies, illos veteres, quos Deus tanto amore complexus sit, eosdem esse cum his, qui sint eximia Christi appellatione donati: idque ex ista Prophetæ voce, sic de illis referente: Nolite tangere Christos meos, & in Prophetis meis nolite malignari. Quare perspicuum est eam Religionem, quæ ab illis piis viris, qui circa Abrahami tempora vixerunt, inventa & excogitata; atque jam nuper per Christi doctrinam & prædicationem omnibus patefacta, debere primam, vetustissimam, omniumque planè antiquissimam existimari.*

Et

Et rursus de Abrahamo hæc habet: *Ille enim cum paterna superstitione, & priore vitæ errore rejecto repudiatoque, unum Deum omnium Moderatorem confessus esset; huncque, non observatione legis, postea per Moysen traditæ, sed virtutis & probitatis officiis sincerè coluisset: fide in Christum Dei Verbum, quod illi apparuerat, justificatus est. Cui, cùm institutus esset, dictum est, quòd omnes Tribus terræ, & omnes Gentes in illo benedicerentur. Atque eundem illum pietatis & religionis modum, quem Abraham excoluit, apud solos Christianos, per universum orbem rectè factis sedulò exercitatum constat. Quid igitur de cætero impedies, quominus unam eandemque vivendi rationem, & religionis modum, tum nobis, qui à Christo nomen traximus, tum veteribus illis, qui Deo admodum chari habiti sunt, verè fuisse fateamur; adeo ut illam perfectam religionis normam, per Christi doctrinam nobis traditam, non novam quidem & peregrinam; sed (si verum dicendum sit) primam, solam, & veram esse asseveremus?*

Et lib. 1. Demonstrationis Evangelicæ cap. 5. *Quòd si velis*, inquit, *Christianorum vivendi rationem, atque eam, quam Christus per omnes Gentes disseminavit religionem, cum eo & religionis & justitiæ instituto comparare, quo & Abraham, & Abrahæ similes usos divinæ Literæ prædicant, facilè unum atque idem agnosces.*

Et infrà. *Si igitur illum, quem prisci ac ipso Moyse antiquiores, Dei amici Viri coluerunt Deum, nuper itidem ut illis solum piè colendum esse, Christi doctrina Gentibus universis demonstravit, haud dubium est, quin ejusdem cum illis divini cultus facti simus participes. Communem porro habentes religionem, communem quoque benedictionem sortituros esse palam est. Sed nec minùs Dei Verbum, quem Christum appellare nos consuevimus, illi cognitum fuisse, quàm nobis, sacrarum Literarum testimonio ostensum est: quippe qui longè excellentius ad illius & manifestum adventum, & divinam præsentiam cernendam, idonei habiti sunt.*

Et cap. 6. *Sed & ea*, inquit, *quæ virtutem sectatur vitæ ratio, & quæ pietatem amplexa est civilis institutio, sicut absque Moysis constitutione, omnibus Gentibus, Christo monitore patefacta est: ita planè eadem pietatis ac religionis apud Priscos illos complebatur ratio. Neque igitur ut corpus circumciderent; neque ut ab horum aut illorum animalium carnibus abstinerent, illi curabant, quoniam ne nos quidem. Etenim pretinus Melchisedech inducit Moyses, Sacerdotem Dei altissimi, qui neque corpore erat circumcisus, neque unguento comparato ex lege Mosis delibutus; neque, quid Sabbathum esset, ullo modo edoctus, neque præterea quidquam eorum, quæ universæ Judæorum Genti per Mosem descripta imperataque sunt, intelligens, aut sciens; sed planè ut Christi Evangelium præcipit, vivens.*

Et infrà; postquam Enoch, Abraham, Isaac, Jacob, Moysen ipsum, ante legem datam, & Job, *Christiano more vixisse, non Judaico*, demonstravit; sic concludit: *Ex his igitur omnibus, quòd vetustissimum primorum Patrum religionis morem, cunctis Gentibus Christi verbum denuntiaverit, manifestissimè apparet, ne Testamentum Novum aliud esse putemus, quàm antiquissimam illam Mosaicorum temporum religioni conjunctam civilem rationem; ut & vetus pariter, & idem novum possimus dicere: vetus quidem propter ea, quæ demonstrata sunt: novum autem, propterea quòd longò post intervallò quasi hominibus absconditum, rursus per Salvatoris nostri doctrinam revixerit.*

Probatur tertiò ex Sancto Augustino. Qui salvi facti sunt per fidem Incarnationis Christi, & quorum eadem fuit fides ac nostra, illi Christiani

A fuerunt: sed quotquot ante Christum natum vixerunt homines justi, salvi facti sunt per fidem Incarnationis ejus, ipsorumque fides eadem fuit cum nostra: ergo Christiani fuerunt. Cùm enim Christiana religio fide in Christum, & vitâ illi fidei respondente, contineatur ac perficiatur, non est negandum Christianorum nomen iis qui in Christum credidere; & vitam suæ fidei consonam, id est piam, sanctamque duxerunt.

Probatur Minor ipsis sancti Augustini verbis Epistolâ 49. quæ est ad Deogratias, Quæst. 2. *Itaque*, inquit, *ab exordio generis humani, quicunque* B *in Christum crediderunt, eumque utcunque intellexerunt; & secundùm ejus præcepta, piè & justè vixerunt, quandolibet & ubilibet fuerint, per eum proculdubio salvi facti sunt. Sicut enim nos in eum credimus & apud Patrem manentem, & qui in carne jam venerit: sic credebant in eum Antiqui, & apud Patrem manentem, & in carne venturum. Nec quia temporum varietate nunc factum annunciatur, quod tunc futurum prænuntiabatur, ideo fides ipsa variata, vel salus diversa est. Nec quia una eademque res aliis atque aliis sacris & Sacramentis vel prædicatur, aut prophetatur; ideò alias atque alias res, vel alias* C *atque alias salutes oportet intelligi. Quid autem, quando fiat, quòd ad unam eandemque fidelium & piorum liberationem pertineat, consilium Deo tribuamus, nobis obedientiam teneamus. Proindè aliis tunc nominibus & signis, aliis autem nunc; & prius occultiùs, postea manifestiùs; & priùs à paucioribus, postea à pluribus: una tamen eademque religio vera significatur & observatur.*

Et Epistolâ 57. quæ est ad Dardanum. *Sacramentum porro regenerationis nostræ*, inquit, *manifestum esse voluit manifestatus Mediator. Erat autem antiquis Justis aliquod occultum, cùm tamen & illi* D *eadem fide salvi fierent, quæ fuerat suo tempore revelanda..... Habentes autem, inquit Apostolus, eundem Spiritum fidei, propter quod scriptum est: Credidi propter quod locutus sum; & nos credimus propter quod & loquimur. Sicut autem illi, quando idem Sacramentum occultum erat, credebant Christi Incarnationem futuram; sic & nos credimus factam. Et à nobis autem, & ab illis, futurus expectatur ad judicium ejus adventus. Non est enim aliud Dei mysterium, nisi Christus, in quo oportet vivificari mortuos in Adam: quia sicut in Adam omnes moriuntur; sic & in Christo omnes vivificantur.*

E Non absimilia scribit Epistolâ 89. quæ est ad Hilarium, Quæst. 2. & Epistolâ 157. quæ est ad Optatum, in qua & hæc habet. *Proinde cum omnes Justi, hoc est, veraces Dei cultores, sive ante Incarnationem, sive post Incarnationem Christi, nec vixerint, nec vivant, nisi ex fide Incarnationis Christi, in quo est gratiæ plenitudo; profectò quod scriptum est, Non esse aliud nomen sub cælo, in quo oporteat salvos fieri nos; ex illo tempore valet ad salvandum genus humanum, ex quo in Adam vitiatum est. Sicut enim in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur. Quia sicut in regno mortis nemo sine Adam; ita in regno vitæ nemo sine Christo. Sicut per Adam* F *omnes injusti: ita per Christum omnes justi homines. Sicut per Adam omnes mortales in pœna facti sunt filii sæculi, ita & per Christum omnes immortales in gratia fiunt filii Dei.*

Probatur 4. ex Sancto Leone Sermone IV. in Nativitate Domini. *Gratia Dei*, inquit, *quâ semper est universitas justificata Sanctorum, aucta est Christo nascente, non cœpta. Et hoc magnæ pietatis Sacramentum tam potens etiam in suis significationibus fuit, ut non minùs adepti sint, qui in illud credidere promissum, quàm qui suscepere donatum.*

Objicitur. Veteres Patriarchæ & Prophetæ non fuerunt Christiani, si hoc nomen primùm auditum

fis

sit post Christi Servatoris Ascensionem : atqui Christianorum nomen nonnisi post Ascensionem Christi ortum & auditum est, cùm primùm, *Antiochiæ Discipuli cognominati sunt Christiani* ( ut dicitur Actuum 11. ) Ergo veteres Patres ante Natalem Christi non erant Christiani, neque tum florebat Christiana Religio.

Respondeo, distinguo Majorem. Non fuerunt Christiani, nomine, concedo; reipsa, nego. Solutio est Eusebii lib. 1. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 4. dicentis : *Si quis item omnes illos, qui sunt justitiæ testimonio probati, ( ab ipso autem Abrahamo, ad primum usque Hominem gradatim ascendendo repeti solet ) Christianos non nomine, sed re affirmet, non multum profectò à veritate aberraverit. Nam illa omnia quæ Christiani nomen in se continet : ( nimirum ut sit Christianus, qui per Christi cognitionem & doctrinam, modestiâ, justitiâ, arduarum rerum in vita perpessione & tolerantiâ, virtutis constantiâ, pietatis etiam, verique cultus confessione, uni & soli Deo super omnia attribuendi, præstet excellatque : ) Illa, inquam, omnia ab illis antiquis Patribus non minùs studiosè, quàm à nobis, exercitata excultaque fuerunt.*

Eandem hausimus distinctionem ex Sancto Augustino lib. 3. ad Bonifacium contra duas Epistolas Pelagianorum cap. 4. *A Joanne*, inquit, *& deinceps, cœperunt de Christo fieri præterita, vel præsentia, quæ ab illis omnibus anterioris temporis justis credebantur, sperabantur, desiderabantur futura. Eadem igitur fides & in illis, qui nondum nomine, sed reipsa fuerunt antea Christiani; & in istis, qui non solùm sunt, verùm etiam vocantur; & in utrisque eadem gratia per Spiritum Sanctum. Unde dicit Apostolus : Habentes autem eundem spiritum fidei, secundum quod scriptum est : Credidi propter quod locutus sum; & nos credimus propter quod & loquimur.*

2. Cor. 4.13.

Contrà. Illi non fuerunt reipsa Christiani, qui non fuerunt sub gratia : sed prisci Patres non fuerunt sub gratia; ergo non fuerunt reipsa Christiani.

Joan. 1.

Major constat; quia gratia religionis Christianæ propria est. *Lex per Moysem data; gratia & veritas per Jesum Christum facta.*

Probatur Minor. Qui fuerunt sub lege, non fuerunt sub gratia. Hæc namque inter se pugnant, teste Apostolo ad Romanos 6. cap. *Non enim sub lege estis*, inquit, *sed sub gratia.* Sed prisci Patres, qui Christi Natalem præcesserunt, fuerunt sub lege : ergo non fuerunt sub gratia.

Respondeo, nego Minorem utriusque syllogismi. Sub lege enim esse dicuntur, qui premuntur servitute Mosaïcæ Legis, gratiâ Dei, quam non agnoscunt, ad eam implendam non adjuti. Sub gratia autem esse dicuntur, qui ex fide per gratiam Christi, justitiam percipiunt, aut expectant : sive Legis Mosaicæ præceptis adstricti sint, sive ab iis liberi. Justi itaque Veteris Testamenti, quamvis servandæ legis debitores, quia tamen non ex Lege, sed ex fide. Christi venturi justitiam sperabant, non erant sub lege positi, sed sub gratia. Certè illi dicuntur positi sub lege, non sub gratia, quibus peccatum dominatur, secundùm Apostolum ad Romanos 6. dicentem, *Peccatum enim vobis non dominabitur : non enim sub lege estis, sed sub gratia.* Porro peccatum non dominabatur priscis Patribus. Non erant itaque sub lege.

Id ut intelligatur, quatuor hominis status cum Sancto Augustino distinguendi sunt, *ante legem, sub lege, sub gratia*, & *in pace.* Ante legem est homo, *cum in altissimis ignorantiæ tenebris, nulla resistente ratione, vivit secundùm carnem.* Sub lege est, cùm per legem cognitione facta peccati, & nondum divino adjuvante Spiritu, *secundum legem volens vivere, vincitur & sciens peccat, peccatoque subditus servit.* Sub gratia est, cùm respiciente Deo ut ad implenda quæ mandat ipse adjuvare credatur, homo incipiens agi Spiritu Dei, *concupiscit adversùs carnem fortiore robore charitatis : ut quamvis sit adhuc quod homini repugnet ex homine, nondum tota infirmitate sanata, ex fide tamen justus vivat, justèque vivat, in quantum non cedit malæ concupiscentiæ, vincente dilectione justitiæ.* Denique in pace erit homo, cùm pia perseverantia proficiens, adeptus fuerit, post hanc vitam, *requiem spiritus*, & nulla jam erit concupiscentiæ pugna, nulla prorsus tentatio. Quæ pax *in resurrectione etiam carnis complebitur*, inquit Sanctus Augustinus, cujus ista doctrina est in Enchiridio cap. 118.

Ex his colligitur, veteres Justos, qui non serviebant peccato, non fuisse sub lege, sed sub gratia; nec ad Vetus Testamentum ipsos pertinuisse, sed ad Novum. Qua de re præstat audire Sanctum Augustinum lib. 3. contra duas Epistolas Pelagianorum ad Bonifacium cap. 4. *Quis enim Catholicus dicat*, inquit, *quod nos dicere jactitant,* ( Pelagiani ) *Spiritum Sanctum adjutorem virtutis in Veteri Testamento non fuisse; nisi cùm Vetus Testamentum sic intelligimus, quemadmodum Apostolus dixit, à monte Sina in servitutem generans? Sed quia in eo præfigurabatur Novum, qui hoc intelligebant tunc homines Dei, secundum distributionem temporum, Veteris quidem Testamenti dispensatores & gestatores; sed Novi demonstrantur hæredes. An vero illum ad Testamentum Novum negabimus pertinere, qui dicit : Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innova in visceribus meis? aut illum, qui dicit : Posuit supra petram pedes meos, direxit gressus meos, & immisit in os meum canticum novum, carmen Deo nostro? vel illum ante Testamentum Vetus, quod à monte Sina, Patrem fidelium, de quo dicit Apostolus : Fratres, secundum hominem dico, confirmatum Testamentum nemo irritum facit, aut superordinat. Abrahæ dictæ sunt promissiones, & semini ejus. Non dicit, Et seminibus, tanquam in multis; sed tanquam in uno, & semini tuo, quod est Christus. Hoc autem dico, inquit, Testamentum confirmatum à Deo, quæ post quadringentos & triginta annos facta est lex, non infirmat ad evacuandam promissionem. Si enim ex lege hæreditas, jam non ex promissione; Abrahæ autem per promissionem donavit Deus. Hic certè si quæramus utrum hoc Testamentum, quod dicit confirmatum à Deo, non infirmari à lege, Novum, an Vetus intelligendum sit : quis respondere dubitet Novum, sed in Propheticis latebris occultatum, donec veniret tempus, quo revelaretur in Christo?*

Et infrà. *Sive igitur Abraham, sive ante illum Justi, sive post eum, usque ad ipsum Moysem, sive cæteri Prophetæ post eum, & sancti homines Dei usque ad Joannem Baptistam, filii sunt promissionis & gratiæ, secundùm Isaac filium liberæ, non ex lege, sed ex promissione hæredes Dei, cohæredes autem Christi. Absit enim ut Noe justum, & prioris temporis Justos, & quicunque ab illo usque ad Abraham justi esse potuerunt, vel conspicui, vel occulti, negemus ad supernam Hierusalem, quæ mater est nostra, pertinere; quamvis anteriore tempore inveniantur esse, quàm Sara, quæ ipsius liberæ matris prophetiam figuramque gestabat. Quantò evidentiùs ergo post Abraham, cui sic declarata est ipsa promissio, ut Pater multarum Gentium diceretur, quicunque Deo placuerunt, filii promissionis habendi sunt? Non enim ex Abraham, & deinceps Justorum generatio verior, sed prophetia manifestior reperitur. Ad Testamentum*

antem

*autem vetus, quod est à monte Sina in servitutem generans, quod est Agar, illi pertinent, qui cùm acceperint legem sanctam, & justam, & bonam, putant sibi ad vitam literam posse sufficere. Et ideo quâ fiant Factores legis, divinam misericordiam non quærunt: sed ignorantes Dei justitiam, & suam volentes constituere, justitiæ Dei non sunt subjecti.*

Et infra, cùm Decalogi præcepta, etiam ad Christianos pertinere probasset, hoc discrimen affert inter modum quo ea observant ii qui verè pertinent ad Novum Testamentum, & sunt sub gratia, & illi qui pertinent ad Testamentum Vetus, & sunt sub lege, quamvis tempore Novi Testamenti vivant: *Verùm*, inquit, *hæc planè magna distantia est, quòd faciunt ista sub lege positi, quos litera occidit, terrenam felicitatem vel cupiditate adipiscendi, vel timore amittendi: & ideo non verè faciunt, quoniam carnalis cupiditas, quâ peccatum augetur, cupiditate alia non sanatur. Hi ad Vetus pertinent Testamentum, quod in servitutem generat, quia facit eos carnalis timor, & cupiditas servos: non Evangelica fides, spes, & charitas liberos. Sub gratia verò positi, quos vivificat Spiritus, & fide ista faciunt, quæ per dilectionem operatur, in spe bonorum, non carnalium, sed spiritualium: non terrenorum, sed cœlestium: non temporalium, sed æternorum: præcipuè credentes in Mediatorem, per quem sibi non dubitant & spiritum gratiæ subministrari, ut benè ista faciant, & ignosci posse, cùm peccant. Hi pertinent ad Testamentum Novum filii Promissionis, & regenerati à Deo Patre, & libera matre. Hujus generis fuerunt antiqui omnes Justi, & ipse Moyses Testamenti minister Veteris, hæres Novi: quia ex fide, quâ nos vivimus, unâ eadèmque vixerunt, Incarnationem, Passionem, Resurrectionémque Christi credentes futuram, quam nos credimus factam.*

Contra. Illi non sunt sub gratia, qui Christo capiti non cohærent ut membra: sed justi homines, qui Christi Natalem præcesserunt, illi non cohærebant ut membra: ergo non erant sub gratia.

Probatur Minor. Membra non sunt ante capitis productionem: ergo cùm Christus, quatenus homo Deus, sit caput hominum Justorum & Christianorum, non cohæserunt ipsi ut membra, qui ejus Natalem præcesserunt.

Respondeo, nego Minorem prioris Syllogismi. Ad ejus probationem distinguo antecedens. Membra corporis naturalis, esto; corporis mystici, nego. Caput enim corporis mystici, quod est Ecclesia, nempe Christus, æternum est in sinu Patris, licèt novum extandi modum obtineat in sinu Virginis matris: & secundùm naturam etiam humanam, æternum est in Dei prædestinatione. Unde membra quædam corporis, quod sibi concinnavit, & cum quo *unus est Christus*, (ut sæpius Sanctus Augustinus ait) præmittere potuit antequam in tempore nasceretur: quæ membra ipsi per fidem, spem & charitatem cohærerent. Id egregiè explicat Sanctus Augustinus lib. de Catechizandis Rudibus cap. 19. ubi de populo Judaïco hæc habet: *Erat ibi multitudo carnalis, quæ propter visibilia beneficia colebat Dominum. Erant autem ibi pauci futuram requiem cogitantes, & cœlestem patriam requirentes, quibus prophetando revelabatur futura humilitas Dei Regis, & Domini nostri Jesu Christi, ut per eam fidem ab omni superbia & tumore sanarentur. Horum Sanctorum, qui præcesserunt tempore nativitatem Domini, non solum sermo, sed etiam vita, & conjugia, & filii, & facta, Prophetia fuit hujus temporis, quo per fidem Passionis Christi, ex Gentibus congregatur Ecclesia, cujus Ecclesiæ membra erant etiam illi Sancti, quamvis in hac vita fuerint, antequam, secundùm carnem, Christus Dominus nasceretur. Ipse enim unigenitus Dei Filius, Verbum Patris, æquale & coæternum Patri, per quod facta sunt omnia, homo propter nos factus est, ut totius Ecclesiæ tanquam totius corporis caput esset: sed velut totus homo, dum nascitur, etiamsi manum in nascendo præmittat, tamen universo corpori, sub capite, conjuncta atque compacta est: quemadmodum etiam nonnulli in ipsis Patriarchis, ad hujus ipsius rei signum, manu præmissa nati sunt: ita omnes Sancti, qui ante Domini nostri Jesu Christi Nativitatem, in terris fuerunt: quamvis antè nati sint: tamen universo corpori, cujus ille Caput est, sub capite cohæserunt.*

Instabis. Qui Baptismum non habuerunt, & alia Sacramenta Christianorum, sed alia Sacramenta, & Sacrificia, non fuerunt Christiani. Religionis enim unitas constat eorumdem Sacramentorum, ejusdemque fidei communione. Sed antiqui Patres, ante adventum Christi, Baptismum, & alia novæ Legis Sacramenta non habuerunt, neque juge Christianæ Religionis sacrificium; ergo reipsa Christiani non fuere.

Respondeo, distinguo Majorem. Si non habuerint sacramenta & sacrificia suis temporibus congruentia, concedo: si habuerint sacramenta & sacrificia suis temporibus congruentia, nego. Varietas namque sacramentorum & sacrificiorum non probat diversitatem religionis, si sit eadem fides, & illius religionis Author varia illa sacrificia & sacramenta instituerit, quæ variis hominum eam religionem profitentium statibus convenirent. Licèt igitur Sancti qui ante Christum natum vixerunt, non eadem habuerint sacramenta, quibus initiati sumus, nec idem sacrificium quod offerimus, utpote nedum instituta: quia tamen eundem spiritum fidei habuerunt, & crediderunt in Christum Mediatorem, ejusque sanguine sunt redempti, sicut & nos, Christiani revera fuere: præsertim cùm eorum sacramenta & sacrificia Christum venturum adumbrarent, & ex illius tantùm fide suscipientibus vel offerentibus prodessent. Solutio est Sancti Augustini Epistolâ 49. ad Deogratias data, in qua hæc habet: *Dispertita autem divinis eloquiis Sacrificia, pro temporum congruentiâ, ut alia fierent ante manifestationem Novi Testamenti: (quod ex ipsa vera & unius Sacerdotis victima, hoc est, ex effuso Christi Sanguine ministratur,) & aliud nunc quod huic manifestationi congruum, qui jam declarato nomine Christiani appellamur, offerimus, non solùm Evangelicis, verùm etiam Propheticis literis demonstratur. Mutatio quippe, non Dei, non ipsius Religionis, sed Sacrificiorum & Sacramentorum, impudenter nunc videretur prædicata, nisi fuisset antè prædicta. Quemadmodum enim unus idémque homo, si Deo mane aliud offerat, aliud vespere, pro congruentiâ diurni temporis: non Deum mutat, non religionem; sicut nec salutem, qui alio modo mane, alio modo vespere salutat: ita universo tractu sæculorum, cùm aliud oblatum est ab antiquis Sanctis, aliud ab iis, qui nunc sunt, offertur, non humana præsumptione, sed authoritate divina, temporibus congrua sacra Mysteria celebrantur, non Deus, aut religio commutatur.*

Respondeo secundò, distinguo Minorem. Non habuerunt Novæ Legis Sacramenta, quoad signa, concedo; quoad rem significatam, nego. Solutio est Sancti Augustini Tractatu 26. in Joannem, exponentis illa verba, *Hic est Panis qui de Cœlo descendit. HUNC Panem*, inquit, *significavit manna: hunc Panem significavit Altare Dei. Sacramenta illa fuerunt; in signis diversa sunt, sed in re, quæ significatur*

*gnificatur, paria sunt. Apostolum audi: Nolo enim vos, inquit, ignorare, Fratres, quia Patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes mare transierunt, & omnes per Moysen baptizati sunt in nube & in mari, & omnes eandem escam spiritalem manducaverunt. Spiritalem utique eandem. Nam corporalem alteram, quia illi manna, nos aliud; spiritalem verò, quam nos...... & omnes eundem potum spiritalem biberunt. Aliud illi, aliud nos, sed specie visibili, quod tamen hoc idem significaret virtute spiritali. Quomodo enim eundem potum? Bibebant, inquit, de spiritali sequente petra: Petra autem erat Christus. Inde panis, inde potus. Petra Christus in signo, verus Christus in verbo & in carne.*

Et Tractatu 45. *Bibebant de spiritali sequente petra: Petra autem erat Christus. Videte ergo, fide manente, signa variata. Ibi Petra Christus, nobis Christus quod in altari Dei ponitur. Et illi pro magno Sacramento ejusdem Christi biberunt aquam profluentem de petra; nos quid bibamus, norunt Fideles. Si speciem visibilem intendas, aliud est; si intelligibilem significationem, eundem potum spiritalem biberunt.*

Objicitur ultimò. Christianis promissa est æterna felicitas: sed Sanctis Veteris Testamenti non fuit promissa felicitas æterna, sed temporalis duntaxat: ergo non erant reipsa Christiani.

Probatur Minor ex Sancto Augustino, Enarratione in Psalmum 73. *Promissa*, inquit, *quare non eadem? Quia promissa est terra Chanaan, terra copiosa, affluens lacte & melle, promissum regnum temporale, promissa felicitas sæculi, promissa fœcunditas filiorum, promissa subjectio inimicorum, hæc omnia ad terrenam felicitatem pertinent.*

Respondeo, distinguo Minorem. Non fuit promissa felicitas æterna, velut præmium ad Vetus Testamentum pertinens, concedo; velut præmium pertinens ad Novum Testamentum, nego. Sanctis igitur Veteris Testamenti promissa est tantùm felicitas terrena ut proprium illius Testamenti munus; sed quia pertinebant etiam ad Novum Testamentum, promissa est illis felicitas æterna, ut singulare munus Novi Testamenti. Hanc solutionem debemus Sancto Augustino Epistolâ 120. de Gratia Novi Testamenti ad Honoratum data, ubi hæc habet: *Volens itaque Deus ostendere etiam terrenam temporalemque felicitatem suum donum esse, nec aliunde nisi ab ipso sperari oportere, prioribus sæculi temporibus dispensandum judicavit Testamentum Vetus, quod pertineret ad hominem veterem, à quo ista vita necesse est incipiat. Sed illæ felicitates Patrum, Dei beneficio concessæ prædicantur, quamvis ad istam vitam transitoriam pertinentes. Illa quippe terrena munera in manifesto promittebantur, & tribuebantur; in occulto autem illis omnibus rebus Novum Testamentum figuratè prænuntiabatur, & capiebatur intelligentiâ paucorum, quos eadem gratia prophetico munere dignos fecerat. Dispensabant ergo illi Sancti pro congruentia temporis Testamentum Vetus, pertinebant verò ad Testamentum Novum. Nam & quando temporalem felicitatem agebant, æternam, veram & præferendam intelligebant: & istam ministrabant in mysterio, ut illam consequerentur in præmio. Et si quando patiebantur adversa, ad hoc patiebantur, ut evidentissimo divino adjutorio liberati, glorificarent Deum bonorum omnium largitorem, non solùm sempiternorum, quæ piè sperabant, verùm etiam temporalium, quæ propheticè gubernabant.*

Constantissima igitur veritas est veteres Patriarchas & Prophetas, Christianos fuisse; quod S. Ignatii authoritate insuper confirmatur in genuina ad Magnesianos Epistola. *Divinissimi namque Prophetæ*, inquit, *juxta Christum Jesum vixerunt. Ob hoc & persecutionem passi sunt, gratiâ ipsius inspirati; ut qui increduli, certi redderentur; quòd unus Deus est qui seipsum manifestavit per Jesum Christum Filium suum, qui est Verbum ipsius æternum, non à silentio progrediens; quique in omnibus ei, qui ipsum miserat, complacuit. Si igitur qui in vetustis rebus versati fuerant, ad novitatem spei venerunt, non ampliùs Sabbatum colentes, sed juxta Dominicam viventes, in qua & vita nostra exorta est per ipsum & mortem ipsius..... Quomodo nos poterimus vivere sine ipso? cujus etiam Prophetæ discipuli cùm essent, spiritu ipsum ut Doctorem expectabant; & propter hoc is quem justè præstolabantur, adveniens suscitavit ipsos ex mortuis.*

## DISSERTATIO VI.

### *De usu Sortium in Sacris Electionibus.*

*Utrum liceat Sortes adhibere in Electionibus Ministrorum Ecclesiæ; idque ex facto Apostolorum in Electione Sancti Matthiæ probari possit?*

QUÆ in Synopsi Ecclesiasticæ Historiæ hujus Sæculi cap. 2. diximus, retractare non lubet; sed solùm stylo paulò uberiori, & ad Academici congressus formam magis accommodato, de hac controversia disserere.

#### PROPOSITIO.

*Usus Sortium in sacris Electionibus illicitus est, nec exemplo Electionis S. Matthiæ potest adstrui.*

Probatur. Quod Ecclesia palam disertéque damnavit, illicitum est, nec Apostolorum exemplo potest stabiliri: sed Ecclesia palam disertéque damnavit Sortium usum sacris in Electionibus; ergo illicitus est, nec ullum in Apostolorum facto potest invenire præsidium.

Probatur Minor, ex Decretali Honorii III. Pontificis Maximi, ad Lucani Capituli Consultationem rescribentis, lib. 5. Decretalium Tit. 21. *de Sortilegiis*, cap. *Ecclesia*, in quo ita decernit: *Ecclesiâ vestrâ Episcopo destitutâ, vos convenientes in unum, ut de futuri tractaretis electione Pontificis, unum elegistis ex vobis per sortem: qui tres authoritate vestra elegit, per quos, vice omnium, Lucanæ provideretur Ecclesiæ de Pastore: quorum duo tertium, Magistrum V. scilicet, elegerunt: quod expressè licebat eisdem, secundum traditam à vobis omnibus potestatem. Nos, tali examinato processu, licèt notâ non careat; quinimo multa reprehensione sit dignum, quod sors in talibus intervenit...... Electionem celebratam de ipso ad confirmationis gratiam admittimus: Sortis usum in Electionibus perpetua prohibitione damnantes.*

Probatur secundò. Deum tentare illicitum est: sed Deum tentaret, qui sortes adhiberet in Electionibus, siquidem totum Deo committeret, quod humanâ etiam providentiâ & diligentiâ peragi vult Deus; ergo usus sortium in sacris Electionibus illicitus est.

Si verò Deum non spectarent Electores in sortibus adhibendis, summæ cæcitatis & insipientiæ meritò insimularentur, ut qui fortunæ & casui committerent, quod summo judicio peragi debet, probatis eligendorum meritis, ut dignior eligatur; nec fiat personarum acceptio; quæ in sacris Electionibus tantò gravius peccatum est, quantò magis vergit in Ecclesiæ detrimentum.

Objicitur

Objicitur primò : Quod factum est in Electione Apostoli, potest usurpari in aliis Electionibus: atqui in Electione Sancti Matthiæ sortes adhibitæ sunt, ut dicitur Actuum 1. *Et dederunt sortes eis: & cecidit sors super super Matthiam.* Ergo licitus est sortium usus.

Respondeo, distinguo Majorem. Nisi factum sit ex singulari privilegio, concedo ; si ex privilegio singulari fuerit usurpatum, nego. Porro privilegium quoddam eximium fuit S. Matthiæ, ut sic eligeretur, quemadmodum in Synopsi cap. 2. exposuimus : unde istud in exemplum trahi non potest, juxta regulam ibidem ex Sancto Hieronymo adductam.

Respondeo secundò, distinguo eandem propositionem. Potest usurpari in aliis Electionibus, si subsint eædem causæ, concedo : nisi subsint eædem causæ, nego. Porro in Electione Sancti Matthiæ sortes adhibitæ sunt, quia ita pares erant sanctitate & meritis duo illi muneris Apostolici candidati, Barsabas justus, & Matthias, ut vix ac ne vix quidem humano judicio definiri posset quis esset dignior Episcopatu Judæ proditoris ; unde meritò divinæ Providentiæ commiserunt Apostoli tantæ molis negotium. At in aliis Electionibus par causa non occurrit ; unde non sequitur in his licitum esse usum sortium.

Respondeo tertiò, distinguo Minorem. In Electione Sancti Matthiæ sortes adhibitæ sunt, & non est certum fuisse sortes propriè dictas, concedo ; & est certum fuisse veras sortes, nego. Namque veras sortes non fuisse, innuit Sanctus Dionysius in Synopsi nostra citatus cap. 2.

Objicitur secundò. Concilium Barcinonense Canone 3. probat usum sortium in Electionibus sacris : igitur non est illicitus.

Probatur antecedens. Illo in Canone postquam de Episcopi Electione nonnulla præmissa sunt, hæc subjunguntur : *Ita tamen, ut duobus, aut tribus, quos ante consensu Cleri & plebis elegerit, Metropolitani judicio, ejusque Coepiscopis præsentatis, quem sors, præeunte Episcoporum jejunio, Christo Domino terminante, monstraverit, benedictio consecrationis accumulet.* Ergo Concilium istud probat usum sortium in Electionibus sacris.

Respondeo, distinguo antecedens. Probat usum sortium, si modò Episcopatus candidati digni sunt, & ita pares ut vix ullum inter eos meritorum discrimen videatur, concedo : sin minùs, nego. Itaque si duos vel tres æquè dignos Clerus & plebs elegerit, qui meritis paribus præfulgeant, & Metropolitano ac Episcopis comprovincialibus præsentaverit, decernit Concilium, ut sorte unus ex iis assumatur : quod in pari casu licitum esset, quia ubi humanæ prudentiæ judicium deficit, divina voluntas consulenda est, & uni ejus providentiæ omnia committenda. Sic Sanctus Augustinus Epistolâ 180. suadet mittendam sortem inter Sacerdotes, persecutionis tempore, ut eligantur qui maneant in Civitatibus ad solatium Fidelium : & qui fugiant, ut serventur, in locum eorum, qui martyrio sublati fuerint, successuri : cùm non constat quis sit Ecclesiæ magis necessarius ; quis ad subeundum martyrium majori charitate succensus. Præstat audire Augustini verba : *Si*, inquit, *inter Dei Ministros inde sit disceptatio, qui eorum maneant, ne fuga omnium ; & qui eorum fugiant, ne morte omnium deseratur Ecclesia. Tale quippe certamen erit inter eos, ubi utrique ferveant charitate, & utrique placeant charitati. Quæ disceptatio, si aliter non poterit terminari, ( quantum mihi videtur ) qui maneant, & qui fugiant, sorte legendi sunt. Qui enim dixerint se potius fugere debere, aut timidi videbuntur ; quia imminens malum sustinere noluerunt ; aut arrogantes, quia se magis qui servandi essent, necessarios Ecclesiæ judicarunt. Deinde fortassis ii qui meliores sunt, eligent pro Fratribus animas ponere ; & hi servabuntur fugiendo, quorum est minùs utilis vita, quia minor consulendi & gubernandi peritia. Qui tamen, si piè sapiunt, contradicent iis quos vident & vivere potius oportere, & magis mori malle, quàm fugere. Ideo ( sicut scriptum est ) Contradictiones sedat sortitio, & inter potentes definit.* Proverb. 18. *Meliùs enim Deus in hujuscemodi ambagibus, quàm homines judicat. ..... Res quidem fiet minùs usitata, si fiat ista sortitio : sed si facta fuerit, quis eam reprehendere audebit ? Quis non eam nisi imperitus, aut invidus, congrua prædicatione laudabit ?*

DISSERTATIO VII.

*De septem Diaconorum Electione.*

*Utrum electi fuerint ad sacræ communis've Mensæ ministerium ?*

PROPOSITIO.

*Non ad vulgaris & profanæ, sed ad sacræ Mensæ ministerium septem Diaconi sunt electi.*

PROBATUR ex his, quæ in Synopsi Historiæ Ecclesiasticæ hujus Sæculi cap. 5. innuimus. Illi in quibus Apostoli tot tantásque dotes desiderarunt, ut nimirum essent *boni testimonii, pleni Spiritu Sancto & sapientiâ* : & quos Apostoli manuum impositione consecrarunt, oratione prævia, non ad communium duntaxat Mensarum, sed ad sacrarum ministerium electi sunt. Cur enim tot dotes, tamque sacri ritus, ad constituendos ministros ciborum ? Atqui Apostoli spiritales illas dotes desiderarunt in septem Diaconis, & his ritibus ipsos ordinarunt : non igitur ad vulgaris & profanæ, sed ad sacræ Mensæ ministerium sunt electi.

Probatur secundò ex Sanctis Patribus, scilicet ex Sancto Hieronymo Epistolâ 48. ad Sabinianum, Diaconum lapsum, quem sic alloquitur : *Tu exanguis & pallidus, ut suspicione omni careres, Evangelium Christi, quasi Diaconus lectitabas.* Atqui legere Evangelium Christi, est sacrum ministerium ; ergo ministerium Diaconorum sacrum judicavit Ecclesia.

Ex Sancto Ambrosio lib. 1. de Officiis cap. 41. ubi inducit Sanctum Laurentium hæc verba dirigentem ad Sanctum Sixtum Romanum Pontificem. *Quò, Sacerdos sancte, sine Diacono properas? Tu nunquam sine ministro Sacrificium offerre consueveras. Cui commisisti consummandorum consortium Sacramentorum, huic consortium tui sanguinis negas ?*

Ex Sancto Cypriano, qui longè ante hos floruit, Epistolâ 65. ad Rogatianum data : *Diaconos*, inquit, *post ascensum Domini in cœlos, Apostoli sibi constituerunt, Episcopatus sui & Ecclesiæ ministros.*

Et ex Sancto Ignatio, qui integro sæculo, & ampliùs, Cyprianum antevertit ; ex cujus Epistolâ ad Trallianos disertum hac de re locum notavimus & expressimus cap. 5. Synopsis nostræ.

Probatur tertiò Qui vi sui Ordinis jus habet administrandi Baptismi solenni ritu, ejus ministerium sacrum est : sed Diaconi vi Ordinis sui jus habent administrandi Baptismi solenni ritu, ut con-

stat ex facto Philippi unius ex septem Diaconis, qui cùm Eunuchum Reginæ Candacis, cum alios multos baptizavit : & ex Tertulliano lib. de Baptismo cap. 17. dicente : *Jus dandi Baptismum summus Sacerdos habet : dehinc etiam Presbyteri & Diaconi* : Ergo, &c.

Probatur quartò. Qui Corpus & Sanguinem Christi, Sacerdote absente aut jubente, populo Christiano dispensabant, primis Ecclesiæ sæculis, assumpti sunt ad ministerium sacrum : atqui Diaconi, primis Ecclesiæ sæculis, Corpus & Sanguinem Christi, Sacerdote absente aut jubente, populo Christiano dispensabant : Ergo, &c.

Probatur Minor ex Sancto Justino Martyre Apologiâ 2. *Postquam & is, qui præest, gratias egit, & populus omnis benedixit, ii qui apud nos Diaconi dicuntur, dant unicuique eorum qui adsunt, panem, vinum & aquam, quæ cum gratiarum actione consecrata sunt, & ad eos, qui absunt, deferuntur.*

Confirmatur ex Concilio Arelatensi II. Canone 15. ita decernente : *Diaconi Corpus Christi tradere, præsente Presbytero, non præsumant. Quod si fecerint, ab officio Diaconatûs abscedant.* Ex quibus verbis colligitur ipsos porrigere potuisse Corpus Christi, absente Presbytero.

Et ex Concilio Carthaginensi IV. Canone 38. decernente, *Ut Diaconus, præsente Presbytero, Eucharistiam Corporis Christi populo, si necessitas cogat, jussus eroget.*

Et ex Concilio Nicæno primo Oecumenico, Canone 18. prohibente *Diaconis, ne Presbyteris gratiam sacræ Communionis porrigant, quod neque Canon, neque consuetudo tradidit, ut qui potestatem offerendi non habent, his qui offerunt, Corpus Christi porrigant.* Illud igitur porrigere poterant alius à Sacerdotibus, id est, inferioribus ministris & laïcis.

Et ex Alcuino lib. de Divinis Officiis, in Capite Jejunii, dicente ; *Si necessitas evenerit, & Presbyter non fuerit præsens, Diaconus suscipiat pœnitentem, ac det sanctam Communionem.* Idem habet antiquus Ordo Romanus in Officio ejusdem diei.

Probatur quintò. Illorum ministerium sacrum est, quibus concessum fuit ut plebem Christianam regerent ; atqui Diaconis concessum fuit ut plebem Christianam regerent ; ergo, &c.

*D'Elvire.* Probatur Minor ex Concilio Illiberitano Canone 77. ita decernente : *Si quis Diaconus regens plebem, sine Episcopo vel Presbytero aliquot baptizaverit, Episcopus eos per benedictionem perficere debebit.*

*De Tarragone.* Et ex Concilio Tarraconensi celebrato anno Domini 516. Canone 7. ita decernente : *De Diœcesanis Ecclesiis, vel Clero, id placuit definiri, ut Presbyteri, vel Diaconi, qui inibi constituti sunt, cum Clericis septimanas observent. Id est, ut Presbyter unam faciat hebdomadam, quâ expletâ, succedat ei Diaconus similiter.*

Objicitur primò. Actuum 6. cap. Sanctus Petrus ubi agitur de septem Diaconorum electione, ait ; *Non est æquum nos relinquere verbum Dei, & ministrare mensis. Considerate ergo viros ex vobis boni testimonii, &c. quos constituamus super hoc opus.* Et hac occasione electi sunt septem Diaconi, quòd ortum esset murmur Græcorum adversùs Hebræos, *eo quòd despicerentur in ministerio quotidiano viduæ eorum.* Ergo electi sunt Diaconi ut mensis communibus ministrarent ea, quæ viduis necessaria erant.

Respondeo, distinguo consequens. Electi sunt ut mensis communibus ministrarent, simul & sacris, concedo ; communibus duntaxat, nego. In Ecclesiæ enimverò primordiis conjunctæ fuerunt mensæ communes & sacræ, sicut Christus in ultima cœna utramque mensam conjunxit ; communem in quinqgoum cum Apostolis suis de more comedit ; & sacram, in qua Corpus & Sanguinem suum iisdem propinavit. Id constat ex Apostolo 1. ad Corinthios 11. cùm ait : *Unusquisque cœnam suam præsumit ad manducandum, & alius quidem esurit, alius autem ebrius est,* En cœnam communem. Cùm verò prolato exemplo Cœnæ Dominicæ, mox subjungit : *Quotiescumque enim manducabitis Panem hunc, & Calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis* : En Mensam sacram. Ministerium igitur quotidianum, utriusque mensæ administratio erat, quæ quotidie parabatur. Unde Act. 2. dicitur ; *Erant perseverantes in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis Panis, & Orationibus.* Per fractionem autem Panis, communem duntaxat cibum intelligi non debere, suadent illa Pauli verba 1. ad Corinthios 10. *Panis quem frangimus, nonne participatio Corporis Domini est?*

Contrà. Officium quod distinctum erat ab Oratione & ministerio verbi, non erat ministerium sacris altaribus impensum ; atqui officium Diaconorum distinctum erat ab oratione & ministerio verbi, secundùm illud Actuum 6. *Considerate, Fratres, viros ex vobis boni testimonii, quos constituamus super hoc opus. Nos verò orationi, & ministerio verbi instantes erimus.* Ergo Diaconorum ministerium non erat sacrum. Illud namque ministerium quod Apostolis in altari exhibuissent, non fuisset ab oratione distinctum.

Respondeo, distinguo Majorem. Ministerium quod distinctum erat ab oratione quacunque, concedo ; quod distinctum erat ab oratione, quæ est oblatio Sacrificij, nego. Nam Apostoli nomine orationis ibi Sacrificium intelligunt, cujus oblatio Diaconorum superabat potestatem, cui verò impensum ministerium, Apostolicæ dignitatis fastigium dedecebat. Illam profectò orationem intelligunt, quam Actuum 13. exprimit Sanctus Lucas nomine ministerii & orationis simul. *Ministrantibus autem illis*, inquit, *& jejunantibus, dixit Spiritus Sanctus, Segregate mihi Saulum & Barnabam.... Tunc jejunantes & orantes*, &c. At ibi nomine ministerii Sacrificium intelligi, constat ex Græco Textu, in quo habetur : λειτουργούντων αὐτῶν Porro, λειτουργεῖν significat *sacrificare* : unde Missa apud Græcos λειτουργία dicitur.

Respondeo secundò, Apostolos non ita sibi servasse ministerium verbi, ut Diaconi illi nullatenus incumberent, sed se totos sacris ministeriis devovisse, cùm antea profanis etiam intendere cogerentur, nempe administrationi pecuniarum, & curæ viduarum. Illo autem onere Diaconis imposito, faciliùs ipsi & expeditiùs Apostolica munia obire poterant.

Objicitur secundò authoritas Sancti Hieronymi Epistolâ 89. ad Evagnum, dicentis : *Audio quemdam in tantam erupisse vecordiam, ut Diaconos Presbyteris, id est Episcopis anteferret. Nam cùm Apostolus perspicuè doceat eosdem esse Presbyteros, quos Episcopos : quis patiatur ut mensarum, & viduarum minister supra eos se tumidus efferat, ad quorum preces Corpus Christi, Sanguisque conficitur?* Ergo ex Sancto Hieronymo electi sunt Diaconi ut mensis & viduis ministrarent.

Respondeo, distinguo consequens. Et S. Hieronymus spectat secundarium duntaxat munus Diaconorum, concedo ; & spectat munus eorum primarium, nego. Equidem munus Diaconorum secundarium est ministerium viduarum & pauperum : hujus siquidem occasione ministerii, mœd sunt Apostoli ut Diaconos primùm ordinarent.

At

At præcipuum illorum officium est, ut ministrent Presbyteris incruentum Sacrificium offerentibus. Quod Sanctus Hieronymus agnovit Epistolâ ipsâ 85. ubi hæc habet : *Et ut sciamus Traditiones Apostolicas sumptas de Veteri Testamento ; quòd Aaron & filii ejus, atque Levitæ in Templo fuerunt, hoc sibi Episcopi, & Presbyteri, & Diaconi vendicant in Ecclesia.* Quis autem nescit Levitas Ministros fuisse sacrificiorum ? Hæc ergo quæ objiciuntur, S. Hieronymus scripsit, ut Diaconorum insolentiam retunderet, qui ministerii sui obliti, sese supra Sacerdotes erigebant, ita ut inter illos sederent, & coram illis benedictiones darent. Unde ibidem tam inauditæ præsumptionis radicem detegit his verbis : *Quid paucitatem, de qua ortum est supercilium in Leges Ecclesiæ vendicas? Omne quod rarum est, plus appetitur. . . . Diaconos paucitas honorabiles, Presbyteros turba contemptibiles facit. Cæterùm in Ecclesia Romæ Presbyteri sedent, & stant Diaconi ; licèt paulatim increbrescentibus vitiis, inter Presbyteros, absente Episcopo, sedere Diaconum viderim, & in domesticis conviviis benedictiones coram Presbyteris dare.*

Causa istius Diaconorum arrogantiæ à S. Hieronymo prolata admodum probabilis est. Diaconorum illa paucitas diutissimè Romæ observata, æstimationis primùm, deinde fastus plurimùm illis contulit. Ab antiquo enim Romæ septem tantùm creari solebant Diaconi, ut testantur Sozomenus lib. 7. cap. 19. Cornelius Papa apud Eusebium lib. 6. Historiæ cap. 35. & alii. Quem morem aliæ Ecclesiæ matrices sequebantur.

Objicitur tertiò. Honor concessus ad tempus non est Ordo sacer ; sed Diaconatus est honor concessus ad tempus ; ergo, &c.

Probatur Minor ex Epistola Vigilii Pontificis Maximi ad Rusticum & Sebastianum, quæ extat Collatione 7. Quintæ Synodi OEcumenicæ, qua dictum Sebastianum sic alloquitur : *Absentibus filiis nostris Diaconis Anatolio atque Stephano, à nobis postulasti, ut ad tempus, pro implendo officio, absentium loco, Diaconum te interim faceremus*, &c. Ergo.

Respondeo, nego Minorem. Ad ejus probationem, dico laudatum Pontificem contulisse Sebastiano Diaconatum ad tempus, quantùm ad muneris executionem in prima omnium Ecclesiarum, non quantùm ad Ordinem, qui in perpetuum manet. Concessit itaque, ut qui antea jam Diaconus erat, in Ecclesia Romana ministerium sacrum obiret loco Anatolii & Stephani Diaconorum Cardinalium, qui ob Ecclesiæ negotia absentes erant. A quo ministerio & honore, imò & ab omni ministerio altarium, jure merito dejectus est, eò quòd cùm adversariis Ecclesiæ contra Judicatum Vigilii Tria Capitula damnantis conspirasset, ac illud sugillasset velut Chalcedonensi Concilio repugnans, Literis Encyclicis per universas Provincias directis, quibus facilè fidem adhibebant populi, tanquam à Romanis Diaconis scriptæ essent.

Objicitur quartò Canon 16. Synodi VI. OEcumenicæ, qui sic habet : *Quoniam Actuum liber septem Diaconos ab Apostolis constitutos esse tradit ; Neocæsariensis autem Synodus sic in editis à se Canonibus aperte disseruit, quòd debent esse septem Diaconi, ex Canone, etiamsi sit valde magna Civitas, ex libro Actuum persuadeberis : nos cum dicto Apostoli Patrum mentem adaptassemus, invenimus eos esse locutos, non de viris qui ministrant Mysteriis ; sed de Ministerio, quod in usu Mensarum adhibebatur.* Ergo Diaconi sunt electi non ut sacris Mysteriis, sed ut mensis duntaxat communibus inservirent.

Respondeo, Canonem illum non esse sextæ Synodi, quæ nullos edidit Canones, sed Trullanæ, quæ dicta est Quini-sexta, quam & *erraticam* vocat Beda Venerabilis, sanctionem esse, ab Eruditis omnibus reprobatam. Illa autem Synodus ab Ecclesia Occidentali recepta non est : & ab Ecclesia Romana, quæ cæterarum mater est & magistra, explosa fuit ; unde nullius apud nos sunt ponderis plerique illius Canones. Certè illius Canonis verba Scripturæ Sacræ adversari est perspicuum : nam & S. Stephanus sacrum obiisse Ministerium refertur, Actuum 7. prædicando verbum Dei. Et Actuum 8. Philippus Evangelium Samaritanis annuntians legitur, & fundans Ecclesiam in Samaria, & baptizans, cujus prædicationem signis & virtutibus Christus confirmavit. Et Apostolus 1. ad Timotheum 3. easdem ferè dotes in Diaconis postulat, quas in Episcopis. Et ad Philippenses 1. Diaconos distinguit à plebe, Epistolam suam inscribens *Omnibus Sanctis, qui sunt Philippis, cum Episcopis & Diaconibus.* Porro adversùs tam luculenta & tam divina testimonia, quid Trullanæ Synodi authoritas ?

Contra. Trullani Patres illo in Canone omnino sequuntur expositionem Sancti Joannis Chrysostomi, cujus & verba citant Homiliâ 14. in Acta. Sic enim habet : *Admiratione dignum est, quòd populus non scindebatur in electione virorum, quomodo Apostoli ab illis non reprobati sunt. Quamnam autem dignitatem habuerunt hi, & qualem acceperunt Ordinationem, necessarium erit discere. Nunquid eam quæ est Diaconorum? Et profectò hoc in Ecclesiis non est, sed Presbyterorum est hæc dispensatio, tametsi nullus esset adhuc Episcopus, sed Apostoli soli. Unde neque Diaconorum, neque Presbyterorum nomen esse opinor, quod clarum ac manifestum : sed tunc in hoc fuerunt ordinati.* Ergo septem illi viri, ex Sancto Chrysostomo, ea dignitate non fulgebant, qua exornati sunt Diaconi, ut obeant sacra Ministeria, sed ordinati fuere duntaxat ad curam viduarum gerendam.

Respondeo, Sanctum Joannem Chrysostomum Trullanis Patribus non suffragari. Non enim sacrum fuisse negat septem Diaconorum ministerium, sed tantùm asserit quòd munus illud pecuniarum administrandarum ad Ordinem Diaconatûs per se non pertineret, idque ex eo probat, quòd suo tempore in Ecclesia Constantinopolitana hæc bonorum Ecclesiasticorum dispensatio penes Diaconos non esset, sed penes Presbyteros. Primi autem Diaconi in hoc fuerunt ordinati, tanquam ad secundarium & minùs præcipuum munus ; non tanquam ad primarium. Istud enimverò sacrum fuisse, ex Sancto Chrysostomo ibidem facilè colligitur. *Et hoc*, inquit, *manifestum est, quòd segregaverunt illos à multitudine. Vide quomodo Conscriptor non est superfluus. Non enim dicit quomodo : sed simpliciter quod ordinati sunt per preces. Hoc enim est χειροτονία. Manus viro superponitur, totum autem Deus operatur ; & illius est manus, quæ ejus, qui ordinatur, caput contingit, si quemadmodum oportet, ordinatur.* Neque verisimile est aliud sensisse Chrysostomum, qui cùm Antiochenæ Ecclesiæ Presbyter fuisset, Sancti Ignatii Antiocheni Episcopi doctrinam ab Apostolis acceptam proculdubio non ignorabat. Disertè autem asserit S. Ignatius in Epistola ad Trallianos, *Diaconos Mysteriorum Christi Ministros esse, non ciborum & potuum ; sed Ecclesiæ Dei administratores ; qui purum & inculpatum Ministerium Sacerdotibus exhibent :* in hoc *imitatores Angelicarum Virtutum*, quæ Deo perenniter assistunt.



## DISSERTATIO VIII.

*De Jure Christianæ plebis in sacrorum Ministrorum Electione.*

*Utrum Jure Divino Electiones illæ ad plebem pertineant: idque ex septem Diaconorum Electione probari possit?*

### PROPOSITIO PRIMA.

*EX septem Diaconorum Electione* ( Actuum 6. ) *colligitur plebem Christianam jure ferendi testimonii de vita & meritis Ministrorum Ecclesiæ, in sacris Ordinationibus & Electionibus potitam esse; secundùm veterem Disciplinam ab Apostolis descendentem, necnon jure exponendi suum de persona eligenda desiderium.*

Probatur primò, ex Actis Apostolorum, loco citato, ubi Apostoli ad multitudinem Discipulorum dixerunt: *Considerate ergo, Fratres, viros ex vobis boni testimonii septem, plenos Spiritu Sancto & sapientiâ, quos constituamus super hoc opus!* Ergo jus habebant Discipuli, jusque etiamnum habet plebs Christiana ferendi testimonii de vita & meritis eorum qui ad sacrum Ministerium vel Ordinem assumuntur.

Probatur secundò, ex Epistola genuina Sancti Clementis Romani ad Corinthios, quam Junius Patritius publici juris fecit. *Apostoli nostri*, inquit, *per Jesum Christum Dominum nostrum cognoverunt contentionem de nomine Episcopatûs futuram. Propter hanc itaque causam, perfectâ præscientiâ præditi, constituerunt prædictos, Episcopos nimirum, & deinceps formam dederunt, ut iis defunctis, probati alii viri in eorum ministerium succederent, ab aliis, vel deinceps ab aliis celebribus Viris constituti, universâ Ecclesiâ sibi gratum esse testante.* Judicio igitur & delectu eorum, qui Principem in Ecclesia locum tenebant, id est, Episcoporum, præficiebantur olim Ecclesiis Ministri, ex Apostolorum instituto; sed qui essent grati & accepti Fidelibus.

Probatur tertiò, ex Sancto Cypriano Epistolâ 41. quæ est ad Cornelium, ubi contra schismaticos hæc habet: *Agnoscant atque intelligant, Episcopo semel facto, & Collegarum ac plebis testimonio & judicio comprobato, alium constitui nullo modo posse.* Ergo testimonium plebis in sacris Electionibus recipiebatur.

Et Epistolâ 52. quæ est ad Antonianum, de Electione Cornelii Summi Pontificis Maximi ita scribit: *Factus est Cornelius Episcopus, de Dei & Christi ejus judicio, de Clericorum pene omnium testimonio, de plebis, quæ tunc adfuit, suffragio, & de Sacerdotum antiquorum, & bonorum Virorum Collegio.*

Probatur quartò, ex Origene Homiliâ 6. in Leviticum. *Videamus ergo*, inquit, *quali ordine Pontifex constituitur. Convocavit*, inquit, *Moyses Synagogam, & dicit ad eos: Hoc est verbum quod præcepit Dominus. Licèt ergo Dominus de constituendo Pontifice præcepisset, & Dominus elegisset, tamen convocatur & Synagoga. Requiritur enim in ordinando Sacerdote & præsentia populi, ut sciant omnes, & certi sint, quia qui præstantior est ex omni populo, qui doctior, qui sanctior, qui in omni virtute eminentior, ille eligitur ad Sacerdotium, & hoc adstante populo, ne qua postmodum retractatio cuiquam, ne quis scrupulus resideret. Hoc est autem quod & Apostolus præcepit in Ordinatione Sacerdotis, dicens: Oportet autem illum & testimonium habere bonum ab iis qui foris sunt.* Ergo, &c.

Probatur quintò ex Episcopis Ægyptiis, qui paulò post Nicænam Synodum, Sanctum Athanasium Alexandrinum Episcopum ordinarunt. Illi enim in Epistola sua Encyclica, quæ habetur in Apologia secunda ipsius Athanasii, testantur omnem multitudinem, populumque Ecclesiæ Catholicæ in unum coactum, quasi in speciem unius corporis & animæ, clamoribus, vociferationibusque postulasse Athanasium Ecclesiæ Episcopum dari, idque publicis votis à Christo expetiisse. *Nosque ut faceremus*, inquiunt, *per multas dies & noctes, jurejurando obtestatos fuisse; cùm interea nec ipsi ab Ecclesia discederent, neque nobis discedendi facultatem permitterent...... Porrò quod nostrûm plerique ipsum sub omnium oculis, exclamationibúsve, Episcopum crearint, nos ipsi testes sumus.* Ergo electio S. Athanasii facta est ab Episcopis juxta postulationes & testimonium populi Alexandrini.

Confirmatur ex eodem Athanasio in Epistola ad Orthodoxos, in qua graviter conqueritur de Gregorio quodam sibi viventi per vim ab Arianis subrogato in Sede Alexandrinæ: cujus invasionem ex eo quoque probat inter cætera, quòd ejus electio peracta non fuerit *juxta Canones Ecclesiasticos & Pauli dictum, congregatis populis cum spiritu constituentium, cum Domini nostri Jesu Christi potestate...... Populis & Clericis qui poscerent, præsentibus.* Et in Epistola ad Solitariam Vitam agentes de Constantio Imperatore hæc scribit: *Hic excogitavit quo pacto legem alteraret, dissolvens Domini constitutionem per Apostolos traditam, & mores Ecclesiæ immutans, novumque ipse excogitans constituendorum Episcoporum modum. Ex aliis quippe locis, & 50. mansionum intervallo disjunctis, ad populos nolentes cum militibus Episcopos mittit: qui loco justitiæ, quæ de illis esset apud populos, minas & literas ad Judices deferunt.* Ex quo testimonio habemus disertè, juxta Apostolorum instituta & mores Ecclesiæ, præficiendum Episcopum notum esse debere populis, atque gratum; nec invitis illis & repugnantibus per vim obtrudendum.

Ejusdem Gregorii intrusionem arguit Julius I. Pontifex Maximus in Epistola ad Orientales, apud S. Athanasium Apologiâ 2. *Quia nec multis notus, nec à Presbyteris, nec ab Episcopis, nec à populo postulatus fuerat.*

Hinc lege lata sancitum in Ecclesia, ut Episcoporum electiones fierent in civitate Ecclesiæ vacantis, ne populus à communione electionis arceretur; qui tamen testimonium ferre debebat de persona eligenda, & desideria sua proponere. Id factum est in electione Sancti Basilii Magni ad Cæsariensem in Cappadocia Episcopatum, ut constat ex Oratione S. Gregorii Nazianzeni de obitu Patris, & Epistolâ 22. Idem observatum in electione Flaviani Antiocheni, docet Synodica Concilii Constantinopolitani I. Epistola. Eundem in aliis Ecclesiis viguisse morem, colligitur ex XI. Actione Concilii Chalcedonensis, in qua agitur de controversia Bassiani & Stephani, ob Ephesinum Episcopatum. Stephanus enim contendens electionem suam factam juxta Canones, ait: *Me quadraginta Episcopi Asiani suffragio & nobilium, & potiorum, & totius reverendissimi Cleri, & omnis civitatis ordinaverunt.* Eandem sanxerant Disciplinam Concilium Sardicense Canone 5. anno 347. Carthaginense III. Canone 40. anno 397. & Carthaginense IV. Canone 1. Secundùm hunc morem, Acholio Thessalonicensi vita functo, circa annum 340. *Anisius à Macedonicis obsecratus populis, à Sacerdotibus electus est* ( inquit S. Ambrosius lib. 3. Epistolâ XXI. )

Probatur

Probatur sextò, ex Innocentio primo in Epistola ad Synodum Toletanam cap. 11. anno 406. qua damnat Rufini factum, qui *contra populi voluntatem, & Disciplinæ rationem, Episcopum locis abditis ordinaverat.*

Probatur septimò, ex Cælestino primo Pontifice Maximo in Epistola ad Episcopos Provinciarum Viennensis & Narbonensis anno 428. *Nullus*, inquit, *invitis detur Episcopus; Cleri, plebis & ordinis consensus atque desiderium requiratur.*

Probatur octavò, ex Sancto Leone Magno in Epistola ad Anastasium Thessalonicensem cap. 5. anno 445. *Cum*, inquit, *de Summi Sacerdotis electione tractabitur, ille omnibus præponatur, quem Cleri plebisque consensus concorditer postularit: ita ut si in aliam fortè personam partium se vota diviserint, Metropolitani judicio is alteri præferatur, qui majoribus & studiis juvatur, & meritis: tantùm ut nullus invitis & non petentibus ordinetur; ne plebs invita Episcopum aut contemnat, aut oderit, & fiat minùs religiosa quàm convenit, cui non licuerit habere, quem voluerit.* Similia habet in Epistola ad Episcopos Provinciæ Viennensis cap. 3. & in Epistola ad Rusticum Narbonensem cap. 7.

Hinc cùm extra Sedem vacantem, & absque populi consensu electi sunt & consecrati Episcopi, quod aliquoties factum quarto Sæculo Monumenta Ecclesiastica tradunt, in libertate populi positum fuit, ut Episcopum justis de causis recusaret; cujus recusationis æquitas in Synodo Provinciæ discutiebatur. Hæc disciplina colligitur ex Canone 18. Concilii Antiocheni decernente, ut *Si quis Episcopus ordinatus, ad Parœciam, cui est electus, minimè accesserit, non suo vitio, sed quòd eum populus vitet, aut propter aliam causam, non tamen ejus vitio perpetratam; hic & honoris sit & ministerii particeps.*

Eadem Disciplina colligitur ex S. Basilio Magno, Epistolâ 194. datâ ad Cives Nicopolitanos, in qua de Episcopo illis recèns præposito ita scribit: *Dispensationes Ecclesiasticæ fiunt quidem per eos, quibus est illarum cura concredita, verùm à plebe confirmantur. Itaque quod Deo dilectissimos Episcopos concernebat, impletum est; quod reliquum est, ad vos spectat, ut scilicet datum vobis Episcopum ex animo complecti dignemini.* Ex quibus perspicuum est necessarium fuisse in Episcoporum electionibus secundùm Ecclesiæ primitivæ Leges & veterem Disciplinam, plebis Christianæ consensum, vel prævium, vel concomitantem, vel subsequentem: Prævium, cùm desiderium suum de alicujus Clerici Ordinatione significabat: Concomitantem, cùm Electioni præsens erat, illamque probabat: Subsequentem, cùm Episcopum ad se directum maxima veneratione & grato animo excipiebat.

## PROPOSITIO II.

*Populus Christianus in Electione Ministrorum Ecclesiæ aliàs suffragatus est, Jure Ecclesiastico.*

Probatur ex Actibus Apostolorum cap. 6. ubi dicitur quòd *Discipuli elegerunt Stephanum virum plenum fide & Spiritu Sancto, & Philippum*, &c. quos *statuerunt ante conspectum Apostolorum: & orantes imposuerunt eis manus*

Probatur secundò, ex Sancto Cypriano Epistolâ 68. quæ data est ad Clerum & plebem Asturicensem, in qua hæc habet: *Propter quod plebs obsequens præceptis Dominicis, & Deum metuens, à peccatore Præposito separare se debet, nec se ad sacrilegi Sacerdotis sacrificia miscere; quando ipsa maximè habeat potestatem vel eligendi dignos Sacerdotes vel indignos recusandi.* Et ibidem ait: delatum fuisse Episcopatum Asturicensem Sabino, & manus ei impositas in locum Basilidis, *de universæ Fraternitatis suffragio, & de Episcoporum qui in præsentia convenerant, judicio.* Ergo tempore Sancti Cypriani plebs jus habebat suffragandi in Electionibus sacrorum Ministrorum.

Probatur tertiò, ex Siricio Pontifice Maximo in Epistola Decretali ad Himerium Tarraconensem circa annum 385. cap. 10. in qua docet, Diacono Presbyterium aut Episcopatum dari, *si eum Cleri & plebis evocaverit electio.* Et Epistolâ 3. ad Orthodoxos per diversas Provincias Diœceseos Urbicariæ cap. 1. Apostolicum ordinem servandum docet in Episcopis ordinandis, scilicet *Ut digni possint*, inquit, *& plebis & nostro judicio comprobari.*

Probatur quartò, ex Synesio Episcopo Ptolemaïdis Epistolâ 67. ad Theophilum Alexandrinum datâ, quâ ad ipsum refert, se in vico quodam Provinciæ suæ nomine Palæbisca, ad eligendum Episcopum, Cleri populique comitia celebrasse, sed reclamante populo pervicaci, & in Paulum, qui jam illam Ecclesiam moderabatur, propensiore, se ab incœpto destitisse: cùm libellus publicè prolatus esset, quo populus illum obtestabatur, ut vim multitudini desineret afferre, ac deliberationem tandiu differret, dum ad Theophilum publicum de hac re Decretum cum legatione mitteretur.

Probatur quintò, ex Concilio Remensi anno 630. sub Dagoberto Rege Canone 25. quo decernitur: *Ut decedente Episcopo, in locum ejus non alius subrogetur, nisi loci illius indigena, quem universale & totius populi elegerit votum, ac Provincialium voluntas assenserit. Aliter qui præsumpserit, abjiciatur à Sede, quam invasit potius, quàm accepit: Ordinatores autem triennio ab officio administrationis suæ Sedis cessare decernimus.*

Probatur sextò, ex Concilio Toletano IV. anno 633. Canone 19. ita decernente: *Sed nec ille deinceps Sacerdos erit, quem nec Clerus, nec populus propriæ civitatis elegerit, vel authoritas Metropolitani, vel Comprovincialium Sacerdotum assensio exquisivit.* Ex quibus colligitur, populum jus suffragii habuisse in electionibus Episcoporum, tum in Ecclesia Gallicana, cùm in Hispaniensi.

Cæterùm in illis ipsis Ecclesiis, in quibus populus suffragium suum ad Episcoporum electiones conferebat, consultiùs aliquando visum est, ut ab iis vilis plebecula arceretur, ad easque cives duntaxat honorati admitterentur: ut constat ex Novella 123. Justiniani Imperatoris.

Porro jus plebis, in Reges Christianissimos, Ecclesiæ Gallicanæ Libertatibus, & antiquo more, ab Ecclesia tacitè saltem approbato, transfusum est; licèt de illo jure aliquando remiserint piissimi Principes, permittentes ut Electiones Canonico fierent ordine, solo sibi jure assensus servato. Demum jus illud Regibus nostris aliqua ratione ab antiquo quæsitum, nominandi ad Episcopatus regni sui, pactis inter Leonem X. & Franciscum I. Concordatis firmatum est, de quibus suo loco agemus.

## PROPOSITIO III.

*Sacrorum Ministrorum Electio Jure Divino non pertinet ad plebem: neque istud ex septem Diaconorum Electione colligi potest.*

Probatur primò, ex Apostolo ad Hebræos 5. *Nemo assumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo, tanquam Aaron.* Sed Aaron à solo Moyse electus est, Deo jubente, absque ullo populi consilio vel

assensu

assensu: Jure igitur Divino sancitum non est ut plebs suffragetur sacris in Electionibus.

Probatur secundò. Christus Apostolos mittens, illisque dicens; *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos*; formam dedit institutionis Episcoporum, qui Apostolis succedunt, & Sacerdotum secundi Ordinis ac Ministrorum, qui succedunt septuaginta Discipulis: sed Christus tum Apostolos, cùm Discipulos, secluso plebis suffragio elegit; igitur plebem sacratum Electionum participem esse debere, Jus Divinum non edicit.

Probatur tertiò. Jus Divinum nullam penitus mutationem patitur: sed jus plebis in sacris Electionibus passum est mutationem; siquidem sæpius factæ sunt, aut fieri jussæ, absque consortio & suffragiis plebis: ergo electiones Jure Divino ad plebem non pertinent. Ecclesiam enim in Jus Divinum peccasse, citra Hæresim dici non potest; cùm ipsa non possit errare, quæ est *Columna & firmamentum veritatis*.

Probatur Minor. In Ecclesia Alexandrina olim electio Episcoporum erat penes Sacerdotes, non penes plebem, ut colligitur ex Epistola 85. Sancti Hieronymi ad Evagrium data, in qua hæc habet; *Alexandriæ à Marco usque ad Heraclam & Dionysium Episcopos, Presbyteri semper unum ex se electum, in excelsiori gradu collocatum, Episcopi nominabant*. Ergo Electiones sacræ in Ecclesia factæ sunt absque suffragiis plebis.

Confirmatur ex Concilio Laodiceno Canone 13. decernente: *Turbis non esse permittendum electiones eorum, qui sunt in Sacerdotio constituendi, facere.*

Confirmatur secundò, ex Concilio Bracatensi II. cap. 1. ita decernente: *Non licet populo electionem facere eorum, qui ad Sacerdotium promoventur: sed sit judicium Episcoporum, ut ipsi eum, qui ordinandus est, probent, si in sermone & fide, & spirituali vita edoctus sit.*

Probatur quartò, ex Concilio Nicæno I. Canone 4. quo Episcoporum electio Episcopis permissa est, nulla facta mentione plebis. *Episcopum*, inquit, *convenit ab omnibus, qui sunt in Provincia, Episcopis ordinari. Si autem hoc difficile fuerit, vel propter instantem necessitatem, vel propter itineris longitudinem; tribus tamen omnimodis in idipsum convenientibus, & absentibus quoque pari modo decernentibus, & per scripta consentientibus, tunc Ordinatio celebretur, & firmitas eorum quæ geruntur per unamquamque Provinciam, Metropolitano tribuatur Episcopo.*

Probatur quintò, ex VIII. Synodo Canone 22. *Promotiones*, inquit, *atque consecrationes Episcoporum, concordans prioribus Conciliis, Electione ac Decreto Episcoporum Collegii fieri, sancta hæc & universalis Synodus definit & statuit; atque jurè promulgat neminem Laicorum Principum vel Potentum, semet inserere electioni vel promotioni Patriarchæ, vel Metropolitæ, aut cujuslibet Episcopi. Quisquis autem sæcularium Principum, & Potentum, vel alterius dignitatis Laicus adversùs communem atque Canonicam Electionem Ecclesiastici Ordinis agere tentaverit, anathema sit, donec obediat ac consentiat.*

Ideo autem à sacris Electionibus plebem aliquando removit Ecclesia, quòd sæpissimè indignos eligeret. Unde Sanctus Hieronymus lib. 1. contra Jovinianum ait: *Nonnunquam errat plebis vulgique judicium; & in Sacerdotibus comprobandis unusquisque moribus suis favet, ut non tam bonum, quàm sui similem quærat Præpositum.*

Objicitur in tertiam Propositionem: Septem Diaconi electi sunt ab universa Fidelium multitudine: ergo Jure Divino plebs Christiana in sacris Electionibus suffragari debet.

Respondeo, distinguo Antecedens. Electi sunt ab universa multitudine, ex concessione Apostolorum, concedo; Jure Divino, nego.

Contra. Quod de Traditione Divina, & Apostolica observatione descendit, Juris Divini est: sed quòd populus in Electionibus sacris suffragetur, *de Traditione Divina & Apostolica observatione descendit*; ergo Juris Divini est.

Minor est S. Cypriani Epistolâ 68.

Respondeo, distinguo Majorem. Si ita sit de Traditione Divina, ut Divino Mandato præscriptum sit, tunc Juris Divini est, concedo; si catenus duntaxat de Traditione Divina esse dicatur, quòd ejus exemplum in Scripturis legatur, absque præcepto, nego. Porro quòd populus suffragetur in Electionibus sacris, Divino Mandato præscriptum esse non ait Cyprianus, sed exemplis ex Divina Scriptura petitis comprobatum duntaxat asserit.

Respondeo secundò, distinguo Minorem. De Traditione Divina, & Apostolica observatione descendit, quòd populus in Electionibus sacris suffragetur, suo testimonio, concedo; judicio, nego. Judicium namque ad Episcopos: testimonium de meritis eligendorum ad plebem pertinebat, sub cujus propterea oculis sacræ celebrabantur Electiones. Idque unum ex divina authoritate descendere Sanctus Cyprianus contendit, Epistolâ mox laudatâ, ut constat ex ipsius verbis: *Quod & ipsum videmus de divina authoritate descendere, ut Sacerdos plebe præsente, sub omnium oculis deligatur, & dignus atque idoneus publico judicio ac testimonio comprobetur: sicut in Numeris Dominus Moysi præcipit dicens: Apprehende Aaron fratrem tuum, & Eleazarum filium ejus, & impones eos in montem coram omni Synagoga, & exue Aaron stolam ejus, & indue Eleazarum filium ejus. Coram omni Synagoga jubet Deus constitui Sacerdotem. id est, instruit & ostendit Ordinationes Sacerdotales nonnisi sub populi assistentis conscientia fieri oportere: ut plebe præsente, vel detegantur malorum crimina, vel bonorum merita prædicentur, & sit Ordinatio justa & legitima, quæ omnium suffragio & judicio fuerit examinata.* Quæ verba distributivè sunt accipienda, ut suffragium, sive testimonium pertineat ad plebem; judicium verò ad Episcopos. Dictio certè suffragii, approbationem significat in Jure, & apud alios Authores.

Numer. 10.

Pergit Cyprianus, & hanc Ecclesiasticæ Disciplinæ regulam probat ex Actis Apostolorum. *Quod postea*, inquit, *secundum divina Magisteria observatur in Actibus Apostolorum, quando de ordinando in locum Judæ Episcopo Petrus ad plebem loquitur..... Nec hoc in Episcoporum tantùm, sed in Diaconorum Ordinationibus observasse Apostolos animadvertimus.... Quod idcirco tam diligenter & cautè, convocata plebe tota gerebatur, ne quis ad Altaris ministerium, vel ad Sacerdotalem locum, indignus obreperet.*

Subjungit denique Cyprianus: *Propter quòd diligenter de Traditione Divina, & Apostolica observatione observandum est & tenendum, quod apud nos quoque, & ferè per Provincias universas tenetur, ut ad Ordinationes ritè celebrandas, ad eam plebem, cui Præpositus ordinatur, Episcopi ejusdem Provinciæ proximi quique conveniant, & Episcopus deligatur, plebe præsente, quæ singulorum vitam plenissimè novit, & uniuscujusque actum de ejus conversatione perspexit.*

Hinc idem Cyprianus Epistolâ 33. ait: *In Ordinationibus Clericis, Fratres charissimi, solemus vos ante consulere, & mores ac merita singulorum communi consilio ponderare.*

Illustratur hæcce Disciplina facto & verbis Alexandri

xandri Severi Imperatoris de quo refert Lampridus in ejus Vita, quòd ubi voluisset vel Rectores provincus dare, vel Præpositos facere; vel Procuratores, id est, Rationales ordinare, nomina eorum proponebat, hortatus populum, ut si quid haberet criminis, probatet manifestis rebus; si non probasset, pœnam subiret capitis. Dicebatque, grave esse, cùm id Christiani & Judæi facerent in Sacerdotibus prædicandis, qui ordinandi sunt; non fieri in provinciatum Rectoribus, quibus & fortunæ hominum committetentur & capita.

Objicitur secundò, Epistola Synodica Nicæni Concilii ad Ecclesiam Alexandrinam, quam refert Theodoretus lib. 1. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 9. in qua Nicæni Patres de sacrorum electione Ministrorum ita scribunt: *Quòd si qui fortè eorum, qui Ecclesia fungantur muneribus, diem suum obibiet, tum unus ex illis, qui nuper in Ecclesiam adsciti sunt, modò idoneus videatur, & populus illum eligat, Episcopusque Alexandria ei suffragetur, atque adeò populi electionem confirmet, in locum succedat demortui.* Ergo plebs jus habet suffragii in sacris Electionibus.

Respondeo distinguo Consequens. Ergo plebs jus habet suffragii, cùm ipsi conceditur ab Ecclesia, concedo; divina institutione, nego. Itaque fateor quòd Nicæni tempore Concilii, in Ægypti Ecclesiis populus suffragaretur in Electionibus sacris, sed ex sola Ecclesiæ concessione & gratia id habebat, non Divino Jure. Nam si istud Jure Divino sancitum fuisset, Nicæni Patres in quarto Canonum suorum, qui non Ægypti solùm Ecclesias spectat, ut hæc Epistola, sed Ecclesiam universam, Episcoporum electionem comprovincialibus Episcopis non permisissent, nulla prorsus plebis facta mentione.

Ne tamen existimes soli populo jus eligendi sacros Ministros attributum fuisse in Æpypti Ecclesiis: primas enim hoc in negotio Episcopos habuisse, constat ex eadem Epistola, in qua Nicæni Patres ita loquuntur de Episcopis qui sic fuerant à Meletio ordinati, ut nullo schismate nullâve Hæresi polluti fuissent. *Hi autem*, inquiunt, *qui Dei gratia & vestris precibus adjuti, ad nullum Schisma deflexisse comperti sint, sed se intra Catholica & Apostolica Ecclesia fines ab erroris labe vacuos continuerint, authoritatem habeant tum Ministros ordinandi, tum eos, qui Clero digni fuerint, nominandi, tum denique omnia ex lege & instituto Ecclesiastico liberè exequendi.*

## SCHOLION.

Operum meorum Censores hanc Propositionem in Indiculum suum retulerunt: *in Reges Gallia tacito plebis consensu translatum est jus eligendi Episcopos, quod habebat populus.* Sed, pace illorum dixerim, Hæc Propositio non est mea. *Populum Christianum in electione Ministrorum Ecclesia aliàs suffragatum esse Jure Ecclesiastico*, asserui ac probavi Propositione secunda. At *sacrorum Ministrorum electionem Jure Divino non pertinere ad plebem*, statuo ac probo Propositione tertia. Prima Propositio Disciplinam spectat, quæ mutationi obnoxia est: altera Fidem, quæ invariabilis est & irreformabilis, ut *Tertullianus* loquitur. Jus illud plebis Christianæ, ex Ecclesiæ concessione ac moribus profectum, ut in Episcoporum electionibus alias suffragaretur, in Reges Christianissimos transfusum est, non solùm *tacito plebis consensu*, ut mihi Censorii Indiculi Auctor affinxit, sed *Ecclesia Gallicana Libertatibus, & antiquo more ab Ecclesia tacitè saltem approbato* (ut dixi.) Quidquid igitur Juris habuit olim populus Christianus in electionibus Episcoporum, disertè tribui Ecclesiæ concessioni: & Juris illius transfusionem in Reges Christianissimos, quod ipsorum Majestatem extremisse diu ante Concordata, veteris Historiæ Monumenta, Concilii Aurelianensis V. Canon decimus, Formulæ *Marculfi*, aliáque Instrumenta probant, ab Ecclesiæ concessione & approbatione saltem tacita originem duxisse censeo. Quod & in Historia Sæculi sexti, Capite sexto, Articulo quarto, probavi prolatis Monumentis ad hoc Sæculum pertinentibus: ibique ad Marginem hâc notâ Lectorem dirèxi: *Regum Christianissimorum in Episcoporum electionibus potestas ex concessione Ecclesia.* Quid verò in hac Doctrinæ reprehensione dignum?

## DISSERTATIO IX.

*De Fide Nicolai unius è septem Diaconis.*

### PROPOSITIO.

*Nicolaus unus è septem Diaconis auctor non fuit Hæresis Nicolaitarum.*

I. INCREDIBILE est eum quem Scriptura Sacra annumerat *Viris boni testimonii, plenis Spiritu Sancto & sapientiâ*, & quem nullibi damnat aut perstringit, fuisse caput & auctorem nefariæ Hæresis: Atqui Scriptura Sacra *Nicolaum advenam Antiochenum* septem Diaconorum unum, annumerat *Viris boni testimonii, plenis Spiritu Sancto & sapientia*: & nullibi innuit ipsum tam divinas dotes Hæresi aut libidine maculasse: Nam etsi *facta Nicolaitarum* execretur, *Nicolai* tamen nomini nullam notam inurit: Verisimile igitur est ipsum non fuisse Hæreseos auctorem.

Idem probat Cardinalis *Baronius* ex *S. Ignatio* Martyre in Epistola ad Trallianos, dicente: *Fugite quoque impuros Nicolaitas, falsum sibi nomen sumentes, voluptatum amatores, & sycophantas.* Verùm nec in Græco Textu Medicæi Codicis Epistolarum *S. Ignatii*, nec in antiqua Versione Latina quam Usserius edidit, verba illa habentur, sed in Epistola ad Trallianos interpolata.

Probatur secundò ex *Sancto Clemente Alexandrino*, libro II. *Stromatum*, pag. 301. ubi postquàm de quibusdam Hæreticis sermonem fecit, qui per usum voluptatis pugnare se cum voluptate dicebant, hæc subjungit: *Tales sunt etiam hi qui dicunt se sequi Nicolaum, adducentes ejus Viri aliquid literarum monumentis mandatum, sed ab eis detortum, nempe, Oportere carne uti. Sed ille quidem Vir præclarus significabat, Oportere voluptates arcere & cupiditates, & hac exercitatione marcidas flaccidasque reddere carnis appetitiones & insultus. Qui autem instar hircorum effusi sunt in voluptatem, veluti corpus contumelià afficientes, suavi fruuntur delectatione. . . . . . Ipsorum autem infossa est anima in cœno vitii, ut qui decretum ipsius voluptatis, non autem Viri Apostolici sequantur.* Et libro III. pag. 318. sic rursus Nicolaum Diaconum ab impura Hæresi vindicat: *Cùm autem de dicto Nicolai loqueremur, illud prætermisimus: Cum formosam haberet uxorem, & post Servatoris Assumtionem ei fuisset ab Apostolis exprobrata zelotypia, in medium adducta muliere, permisit cui vellet eam nubere. Aiunt enim hanc actionem illi voci consentaneam, quæ dicit, Quòd carne uti oporteat: ejusque factum & dictum, absolutè & inconsideratè sequentes, qui ejus Hæresim persequuntur, impudenter effusèque fornicantur. Ego audio Nicolaum quidem nulla unquam alià, quàm ea quæ ei nupserat, uxore usum esse: & ex illius liberis filias quidem consenuisse virgines, filium autem permansisse incorruptum. Quæ cùm ita se habeant, vitii erat expulsio atque expurgatio, in medium Apostolorum circumactio uxoris, cujus dicebatur laborare zelotypiâ; & continentia à voluptatibus, quæ magno studio parantur, docebat illud: Uti carne oportere, hoc est, exercere carnem. Neque enim (ut existimo) volebat, convenienter Domini Præcepto, Duobus dominis servire, voluptati & Deo. Dicunt enim*

*Matthiam quoque sic docuisse, cum carne quidem pugnare, & ea uti, nihil ei impudicum largiendo ad voluptatem, augere autem animam per fidem & agnitionem.* Nicolaitæ igitur nomine Nicolai Viri Apostolici abusi sunt, & ejus sententiam ac verba pravum in sensum detorsere, ut tanto nomine Sectam impurissimam ornarent.

Probatur tertiò ex *Eusebio* lib. III. Historiæ Ecclesiasticæ cap. XXIX. ubi de Nicolaitis ita scribit: *Sub idem tempus Hæresis quæ dicitur Nicolaitarum, brevissimo temporis spatio permansit. Hi Nicolaum quemdam, unum ex illis qui ad curam inopum gerendam unà cum Stephano ab Apostolis constituti fuerant Ministri, Sectæ suæ auctorem jactabant.* Et statim refert mox laudatum Clementis Alexandrini de Nicolao testimonium. Quòd igitur Nicolaitæ auctorem haberent Nicolaum Diaconum, mera istorum Hæreticorum & mendax ostentatio fuit.

Probatur quartò ex *Theodoreto*, libro III. *Hæreticarum Fabularum* cap. XXIII. ubi de Nicolaitis ita scribit, postquam laudatum *Clementis Alexandrini* locum protulit: *Ex quibus liquidò convincuntur falsò sibi de ejus appellatione nomen arrogare, qui supra dictam intemperantiam exercent.* His adde *Victorinum Petabionensem*, Commentariô in Apocalypsim: *Nicolaitæ autem*, inquit, *erant illo tempore ficti homines & pestiferi, qui sub nomine Nicolai Ministri fecerunt sibi Hæresim, ut delibatum exorcizaretur & manducari posset, & quicumque fornicatus est, octava die pacem acciperet.*

Objectio prima. Veterum Patrum plurimi *Nicolaum* istius Hæresis quæ ab illo nomen accepit, auctorem faciunt: Hæresiarcha igitur dicendus est.

Probatur antecedens, primò ex *Sancto Irenæo* lib. I. cap. XXVII. *Nicolaitæ*, inquit, *Magistrum habent Nicolaum, unum ex septem qui primi ad Diaconatum ab Apostolis ordinati sunt.*

Secundò ex *Tertulliano*, lib. *De Præscriptionibus Hæreticorum* cap. XLVI. *Alter Hæreticus Nicolaus emersit; hic de septem Diaconis qui in Actis Apostolorum allecti sunt, fuit. Hic dicit tenebras in concupiscentia luminis, & quidem fœda & obscœna fuisse: Ex hac permixtione pudor est dicere, quæ fœtida & immunda sint*, &c.

Tertiò, ex *Sancto Epiphanio* Hæresi XXV. scribente: *Nicolaum cùm uxorem haberet eleganti specie, ab ea sibi aliquandiu temperasse, ut eos imitaretur quos Deo addictos cerneret; sed non intemperantiam suam perpetuò coërcere potuisse,.... Cum uxore sua consuetudinem rursùs habuisse: & jactare illud ausum, Neminem salutem æternam consequi posse, nisi singulis diebus luxuriæ vacet.*

Quartò, ex *S. Hilario*, Canone XXV. in Matthæum, ubi exponens hæc verba Evangelii, *Et falsi Prophetæ erunt*, subjungit per parenthesim (*ut Nicolaus unus ex septem Diaconibus fuit.*)

Quintò, ex *S. Hieronymo* Epistolâ I. *Attendis Petrum*, inquit, *sed & Judam considera. Stephanum suspicis, sed & Nicolaum respice, quem Dominus in Apocalypsi suâ damnat sententiâ, qui tam turpia & nefanda commentus est, ut Nicolaitarum Hæresis ex illa radice nascatur.* Similia habet Epistolâ XLVIII.

Sextò, ex *Philastrio*, libr. de Hæresibus cap. V. ex *S. Augustino* lib. de *Hæresibus* ad *Quodvult deum* cap. V. *Cassiano* Collatione XVIII. cap. XVI. & *S. Isidoro Hispalensi* lib. VIII. *Originum*, cap. V. Quibus subscribit *Nicephorus* lib. III. *Historiæ Ecclesiasticæ* cap. XV.

Respondeo, distinguo Antecedens: Veterum Patrum plurimi *Nicolaum* Diaconum Hæresis auctorem faciunt: & id negant alii, quorum non minor est auctoritas, concedo: & Patrum omnium idem est de *Nicolao* judicium, nego. Solius *Irenæi* & *Tertulliani* auctoritas nonnullum negotium facessere potest, ut qui antiquissimi sint. Verùm *S. Irenæus* solùm significat Nicolaitas Magistrum agnoscere, id est, jactare *Nicolaum*. Nihil enim cogit ut alio sensu *S. Irenæi* verba accipiamus.

*Tertulliani* verò non sunt verba laudata, sed alterius Auctoris cujus posterior est ætas. *Tertulliani* certè liber *De Præscriptionibus*, quadragintaquinque Capitibus solùm constat, ut perspicuum est ex ipsius verbis, Opus illud cap. XLV. ita concludentis: *Sed nunc quidem generaliter actum est à nobis adversùs Hæreses omnes certis & justis & necessariis præscriptionibus repellendas à collatione Scripturarum; de reliquo, si Dei gratia annuerit, etiam specialiter quibusdam respondebimus. Hæc in fide veritatis legentibus pax & gratia Domini nostri Jesu Christi in æternum.* Post quæ, in vetustissimo Codice *Agobardi* leguntur hæc verba: *Contra Hæreticos explicit.* Sequentia capita desiderantur etiam in veteri & probatæ fidei MS. Anglicano; & in MS. Vaticano ita revulsa sunt à præcedentibus, ut toti libro præposita sint; quod ipsa in Opus *Tertulliani* intrusa fuisse demonstrat. Id confirmat & dissimilitudo styli, qui mollior est ac nitidior Tertullianico. Denique *Tertullianus* Montanista non est procul dubio auctor novem istorum capitum posteriorum: siquidem cap. LII. Montanistas Hæreticis accenset; quod vel ipse nunquam scripsisset, vel è suo libro expunxisset.

Sanctum *Epiphanium* in hac facti quæstione deceptum fuisse, uti & alios qui ipsum secuti sunt, non ægrè fatemur. *SS. Epiphanio & Hieronymo* opponimus *S. Clementem Alexandrinum* & *Eusebium*. *Philastrio* verò *Theodoretum* Scriptorem longè accuratiorem, & *Victorinum Petabionensem*.

*S. Augustinus* & dubitanter de *Nicolao* loquitur, & hujus Sectæ errores Nicolaitis, non ipsi *Nicolao* adscribit. *Nicolaitæ*, inquit, *à Nicolao nominati sunt, uno ex septem quos Apostoli Diacones ordinaverunt. Iste cùm de zelo pulcherrimæ conjugis culparetur, velut purgandi se causâ permisisse fertur, ut eâ, qui vellet, uteretur. Quod ejus factum in Sectam turpissimam versum est, quâ placet usus indifferens feminarum*, &c.

Objectio secunda. Auctor ille fuit nefariæ istius Hæreseos, qui uxorem suam produxit, & fruendam cuilibet permisit: sed istud præstitit *Nicolaus*: Igitur censendus est auctor Hæreseos *Nicolaitarum*.

Respondeo primò negari posse Majorem. Non enim auctor est Hæreseos, qui vel ex simplicitate, vel ex animi perturbatione aliquid facit, quod alii pessimum in exemplum trahunt, ac in dogma concinnant. Unde etsi *Nicolaus* id ex animi sui sententiâ præstitisset, non ideo parens & auctor hujus Sectæ dicendus esset: sicut nec *Loth*, qui ex animi perturbatione filias suas stuprandas obtulit Sodomitis, Hæresis alicujus auctor dici potest.

Respondeo secundò, distinguendo Minorem. Id præstitit *Nicolaus*, fictione & simulatione quadam, permittens uxori (quantùm in ipso erat) ut alteri nuberet, si id passa esset Lex Dei; ut hoc facto se purgaret à suspicione zelotypiæ; concedo: id præstitit sincero animo, & existimans ac propugnans licitum esse promiscuum cum altero sexu consortium; nego. Hanc responsionem suggerit *Theodoretus* loco supra citato, ubi ait ipsum id egisse, *Non hoc lege aliqua decernentem, sed ut accusatorum calumniam redargueret. Inde nonnulli, id quod ab illo prædicta de causa gestum fuerat pessimè accipientes, communes habere uxores sanxerunt. At Nicolaum Clemens temperantiâ insignem fuisse, liberósque supernaturalem castitatem docuisse refert.*

Certè

Certè si verum est quòd in libro de Septuaginta duobus Discipulis sub nomine *S. Hippolyti* vulgato & in Synopsi *S. Dorotheo* adscripta refertur, *Nicolaus* Diaconus ab Apostolis Samaritanorum Episcopus inauguratus est: quod fidem ejus integram fuisse demonstraret. Constitutionum Apostolicarum Auctor *Nicolaitas falsò nomine vocari* ait, lib. VI. cap. VIII.

Instabis. Qui dixit, *Oportere uti carne*, fuit auctor nefariæ Hæreseos: sed *Nicolaus* Diaconus dixit, *Oportere uti carne*: fuit igitur auctor Hæreseos.

Respondeo, distinguo Majorem: Qui dixit, *Oportere uti carne*, id est, indulgere carni & voluptati servire, concedo; id est, carnem coërcere, frænare, & assidua virtutis exercitatione domare, nego. Posteriori autem sensu propositionem illam usurpavit *Nicolaus*, non priori, ut constat ex Clemente Alexandrino, Eusebio, & Theodoreto. Certè *uti carne* legitimum est. Qui enim ea utitur, non constituit finem in voluptatibus corporis; non dicit cum Epicureo, *Mihi frui mea carne bonum est*, ut *S. Augustinus* ait; nec in summam illam incidit perversitatem, qua quis fruitur utendis, & utitur fruendis; fruitur Mundo, ut utatur Deo. Istud etiam discrimen agnovit *Seneca* lib. *De Vita beata*, cap. X. *Tu voluptatem complecteris*, inquit, *ego compesco: tu voluptate frueris, ego utor.* Sed quid Philosophum citare necesse est ad excusandam *Nicolai* Diaconi sententiam? cùm *S. Matthias* Apostolus idem docuerit, testibus Clemente Alexandrino & Eusebio, scilicet *Carne abutendum esse*, id est, *Carni bellum indicendum, neque ullam ei permittendam voluptatem.*

## DISSERTATIO X.

### *De abstinentiæ à sanguine & à suffocatis Apostolico Præcepto.*

*Utrum esus animalium suffocatorum, & sanguinis, etiamnum sit Apostolica Lege prohibitus.*

HANC quæstionem movemus occasione Apostolici Decreti, quod in Concilio Hierosolymitano editum est: his verbis: *Visum est Spiritui Sancto, & nobis, nihil ultra imponere vobis oneris, quàm hæc necessaria: ut abstineatis vos ab immolatis simulachrorum, & sanguine, & suffocato.*

### PROPOSITIO.

*Christiani lege abstinentiæ à sanguine animantium, & à carnibus suffocatis non tenentur.*

Probatur. Lege, quæ ab Apostolis ad tempus duntaxat lata est, & quæ jam à multis sæculis exolevit, Christiani non tenentur: atqui lex abstinentiæ à sanguine animantium, & à carnibus suffocatis, ab Apostolis ad tempus duntaxat lata est, & à multis sæculis exolevit; ergo Christiani hac lege non tenentur.

Probatur Minor. Lex quæ finem habet duntaxat temporaneum, nonnisi ad tempus lata est: atqui lex abstinentiæ à sanguine & suffocato, finem habuit duntaxat temporaneum: eo enim fine duntaxat lata est, ut Judæi, qui à sanguine & à carnibus animantium suffocatorum abhorrebant, faciliùs in unam Ecclesiæ societatem cum Gentibus quæ istis vescebantur, convenirent; ergo lex abstinentiæ à sanguine & suffocato, ad tempus duntaxat lata est.

Quòd autem lex illa multis à sæculis exoleverit, constat ex Ecclesiæ consuetudine & usu, qui optimus est Apostolicæ legis Interpres.

Probatur secundò ex S. Augustino lib. 32. contra Faustum cap. 13. *Si hoc tunc Apostoli præceperunt*, inquit, *ut ab animalium sanguine abstinerent Christiani, ne præfocatis carnibus vescerentur, elegisse mihi videntur pro tempore rem facilem, & observantibus nequaquam onerosam, in qua cum Israelitis etiam Gentes, propter angularem illum Lapidem duos parietes in se condentem, aliquid communiter observarent: simul & admonerentur in ipsa arca Noë, quando Deus hoc jussit, Ecclesiam Gentium fuisse præfiguratam, cujus facti Prophetia jam Gentibus ad fidem accedentibus incipiebat impleri. Transacto verò illo tempore, quo illi duo parietes, quamvis in angulari Lapide concordarent, tamen suis quibusdam proprietatibus distinctiùs eminebant. At ubi Ecclesia Gentium talis effecta est, ut in ea nullus Israëlita carnalis appareat, quis hoc jam Christianus observat, ut turdos, vel minutiores aviculas non attingat, nisi quarum sanguis effusus est; ut leporem non edat, si manu a cervice percussus nullo cruento vulnere occisus est? Et qui fortè pauci adhuc tangere ista formidant, à cæteris irridentur. Ita omnium animos in hac re tenuit illa sententia veritatis; Non quòd intrat in os vestrum, vos coinquinat, sed quòd exit: nullam cibi naturam, quam societas admittit humana; sed quæ iniquitas committit, peccata condemnans.* Ergo tempore S. Augustini jam abrogata erat ista lex.

Probatur tertiò. Eadem ratio est de lege abstinentiæ à cibis suffocatis, & à sanguine, ac de lege abstinentiæ à cibis immolatitiis: atqui hæc lex Fideles non alligabat, nisi ob vitandum scandalum, & cessante scandali periculo hujusmodi cibis vesci poterant; ergo etiam lex abstinentiæ à suffocato & sanguine non adstringebat Christianos, nisi cùm periculum erat ne Judæis essent offensioni, quando scilicet convivebant Judæis.

Probatur Minor ex Apostolo 1. ad Corinthios cap. 8. dicente; *De escis autem quæ Idolis immolantur, scimus quia nihil est Idolum in mundo, & quòd nullus est Deus, nisi unus. . . . Sed non in omnibus est scientia. Quidam autem cum conscientia usque nunc Idoli, quasi idolothytum manducant: & conscientia ipsorum, cùm sit infirma, polluitur. Esca autem nos non commendat Deo. Neque enim si manducaverimus, abundabimus; neque si non manducaverimus, deficiemus. Videte autem ne forte hæc licentia vestra offendiculum fiat infirmis. Si enim quis viderit eum, qui habet scientiam, in idolio recumbentem: nonne conscientia ejus, cùm sit infirma, ædificabitur ad manducandum idolothyta? & peribit infirmus in tua scientia Frater, propter quem Christus mortuus est? sic autem peccantes in fratres, & percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis. Quapropter si esca scandalizat fratrem, non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum scandalizem.*

Et cap. 10. *Omne quod in macello venit, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam. Domini est terra, & plenitudo ejus. Si quis vocat vos infidelium, & vultis ire; omne quod vobis apponitur, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam. Si quis autem dixerit: Immolatum est idolis: nolite manducare, propter illum qui indicavit, & propter conscientiam: conscientiam autem dico, non tuam, sed alterius.*

Objicitur primò. Tam obligat lex abstinentiæ à suffocatis & sanguine, quam ab immolatitiis: atqui hæc perpetuò obstringit Christianos; ergo & illa.

Probatur Minor ex S. Augustino Epistolâ 154. ad Publicolam datâ, ubi proposita sibi quæstione de *viatore Christiano*, qui fame pressus, *nihil in-*

*veniat, nisi cibum in idolio*, id est, in templo, vel altari idoli positum, ubi nullus alius est hominum: utrum ei satius sit fame emori, quàm illum in alimentum sumere, sic quæstionem illam solvit: *Breviter respondeo: aut certum est esse idolothytum; aut certum est non esse, aut ignoratur. Si ergo certum est esse; melius Christiana virtute respuitur. Si autem vel non esse scitur, vel ignoratur, sine ullo conscientiæ scrupulo in usum necessitatis assumitur.*

Et lib. de Bono Conjugali cap. 16. *Satius est mori fame*, inquit, *quàm idolothytis vesci.*

Idem constat ex Sancto Hieronymo cap. 15. Commentarii in Matthæum, ubi cùm ita sibi opposuisset: *Si quod intrat in os, non coinquinat hominem; quare idolothytis non vescimur?* Sic respondet: *Sciendum quòd ipsi quidem cibi, & Dei creatura per se omnis munda sit: sed idolorum ac dæmonum invocatio ea faciat immunda.*

Idem constat ex Sancto Leone Magno Epistolâ 79. quæ est ad Nicetam cap. 5. ubi eos, qui cibis immolatitiis polluti erant, pœnitentiæ satisfactione purgandos esse decernit, *sive hoc terror extorserit, sive fames suaserit.*

Respondeo, nego Minorem; quæ quàm meritò negetur, constat ex ultima probatione.

Ad authoritatem Sancti Augustini, respondeo ipsum non loqui de quovis cibo idolis immolato, sed solùm de eo qui in idolio inventus est, quem si Christianus comederet, videri posset iis, quibus fortè innotesceret ejus factum, falsorum numinum, quibus consecrati fuerunt illi cibi, religione initiatus: & ita periculum esset scandali, ratione cujus probibitum fuit cibis immolatitiis vesci, quamvis illorum usus absolutè, & secluso scandali periculo spectatus, illicitus non esset. Quod ut innuat Sanctus Augustinus, non ait, fidelem peccaturum, si cibos immolatitios comedat, sed meliùs facturum si eos Christiana virtute respuat; quia vel incerti occasionem scandali vitare, laudabilius est. Hanc fuisse Sancti Augustini mentem constat ex libro ejus 32. contra Faustum Manichæum cap. 15. ubi hanc unam affert rationem, *Cur non expediat Christianis immolatitio vesci: ne dæmonibus*, inquit, *communicasse videantur.* Et adducit Pauli testimonium ex cap 10. 1. ad Corinthios: *Nolo vos socios fieri dæmoniorum.* Sanè his verbis, *non expediat*, & his ex Epistola ad Publicolam, *meliùs respuitur*; planè significat istud ex eorum esse numero, quæ licent, etsi non expediant. Quæ autem licent, aliquo casu innoxiè fieri posse, nemo nescit.

Ad alium Augustini locum, respondeo ipsum comparativè loqui, non absolutè; ait quidem, satius esse, id est perfectius, mori fame, quàm idolothytis vesci; non autem ait malum esse iis vesci urgente fame, modò prudenter id fiat, neque periculum sit ne comedens *communicasse dæmonibus videatur*, ut ipse ait loco supra laudato.

Ad authoritatem Sancti Hieronymi, respondeo ipsum asserere Christianos idolothytis non vesci, quia id etsi per se illicitum non censerent, tamen conveniens non existimabant. Namque vix poterat Christianus sciens & volens immolatitios cibos degustare citra periculum peccandi: enimverò vel fidelis indicaverat cibos illos fuisse immolatos idolo, vel infidelis; ergo utrinque periculum erat, si comederet: inde sacrilegæ communionis in sacris idolorum; hinc fraterni scandali: quo ex periculo evadere non poterat, nisi clam & singulari adhibita cautione comederet. Addit Hieronymus, Dæmoniorum invocationem facere cibos immundos; non secundùm se, sed iis, qui se ethnica superstitione polluunt, & qui propter idoli cultum A cibos comedunt immolatitios, atque ita *participes sunt mensæ dæmoniorum*, ut Apostolus ait.

Ad authoritatem Sancti Leonis, respondeo eos duntaxat ab illo pœnitentiæ subjectos fuisse, qui apud ethnicos captivi, terrore aut fame ita adacti fuerant ad immolatitiorum esum, ut ob hoc in suspicionem proditæ religionis, & ejuratæ fidei venirent: quamvis pœnitentiam illam breviorem esse leviorémque jubeat sanctissimus Pontifex, quia illi, de quibus scribit, nullo erga idolum affectu, aut religione id præstiterant. Id patet ex Epistola citata cap. 5.

B Objicitur secundò, Æquè prohibita est Apostolica lege *abstinentia à sanguine & suffocato*, ac *abstinentia à fornicatione*: atqui abstinentia à fornicatione perpetua est, & ejus lege tenentur semperque tenebuntur Christiani; ergo & lege abstinentiæ à suffocato & sanguine etiamnum adstringuntur.

Probatur Major ipsis legis Apostolicæ verbis; *Visum est Spiritui Sancto & nobis, nihil ultra imponere vobis oneris, quàm hæc necessaria: ut abstineatis vos ab immolatis simulachrorum, & sanguine, & suffocato, & fornicatione.* Vides ut abstinentia à C suffocatis non minùs necessaria dicitur, quam abstinentia à fornicatione?

Respondeo, distinguo Majorem: Æquè prohibita est, id est, eodem tenore, & eodem decreto, concedo: id est, eodem jure, nego. Nam fornicatio jure naturæ, & jure divino positivo prohibita est: unde cùm jus divinum positivum, & jus naturæ, immobile sit, nusquam abrogari potest lex quæ præcipit à fornicatione abstinendum. At sanguinis & suffocati esus, post adimpletionem veteris Legis, & novæ promulgationem, vetitus non est ulla lege, nisi Apostolicâ, ad certum tem- D pus, non in perpetuum constitutâ. Unde Apostoli decernentes ut Gentes abstinerent à fornicatione, divinum duntaxat præceptum ipsis exponebant, quod ut præstarent necessum erat, quia fornicationem peccatorum numero & loco plerique non habebant. At legis, quæ jubebat abstinentiam à sanguine suffocato, non expositores modò, sed authores fuerunt Apostoli. Dicitur autem abstinentia illa necessaria, non absolutè, & in omne tempus: sed in exordiis Ecclesiæ, ut in unam religionis societatem Judæi cum Gentibus faciliùs adunarentur.

Contrà. Ecclesia nedum prioribus, sed secutis sæculis, ad nonum usque, hanc legem existimavit E adstringere Christianos universos; ergo traditione constat illam ad tempus duntaxat non esse constitutam.

Probatur antecedens quoad priora sæcula, ex Tertulliano Apologetici cap. 9. ita ethnicos objurgante, ipsisque putidam calumniam exprobrante: *Erubescat error vester Christianis, qui ne animalium quidem sanguinem in esculentis habemus; qui propterea quoque suffocatis, & morticinis abstinemus: ne quo sanguine contaminemur, vel intra viscera sepulto. Denique inter tentamenta Christianorum, botulos etiam cruore distentos admovetis; certissimi scilicet* F *illicitum esse penes illos, per quod exorbitare eos vultis. Porro quale est, ut quos sanguinem pecoris horrere confiditis, humano inhiare credatis?*

Idem constat ex Minutio Felice in Octavio. *Nobis*, inquit, *homicidium nec videre fas, nec audire; tantùm ab humano sanguine cavemus, ut nec pecorum sanguinem in cibum noverimus.*

Idem confirmant verba Biblidis Martyris, quæ sub Imperatoribus M. Aurelio, & L. Vero passa est anno Christi 179. Ita enim Ethnicos alloquitur, apud Eusebium lib. 5. Historiæ cap. 1. *Quomodo ejusmodi viri liberos suos devorare, in animum poterunt inducere, quibus ne licitum quidem*

Seu Bibliadis

*dem sit sanguinem animalium ratione carentium comedere?*

Idem constat ex Concilio Gangrensi Canone 2. *Si quis*, inquit, *carnem edentem, ( præter sanguinem, & idolis immolatum, & suffocatum, ) cum religione & fide, condemnat, velut spem propter hujusmodi perceptionem non habentem, anathema sit.*

Idem probatur de secutis sæculis, ex Leone Imperatore, Novella Constitutione 58. quam ad Stilianum sacrorum Officiorum Magistrum legitur misisse, cadente quinto sæculo. *Simul olim*, inquit, *Legislatori Moysi sanguine non esse vescendum, præcepit Deus; simul ab istiusmodi cibo abstineri debere, à Præconibus gratiæ est constitutum. Et quanquam tum veteris, tum novæ gratiæ tempore illa res vilis habita sit ac nefaria: eò tamen contumaciæ, imo vecordiæ homines processere, ut neutri legi aurem præstent morigeram. At contrà, alii lucri, alii gulæ causâ, summa cum impudentia mandatum contemnunt; in escámque, qua vesci vetitum est, sanguinem convertunt. Perlatum est enim ad aures nostras quod intestinis tanquam tunicis illum infarctum, velut consuetum aliquem cibum, ventri præbeant. Quod tolerari non debere, Imperatoria nostra Majestas rata; neque tam impio soli gulæ inhiantium hominum invento, nunc præcepta divina, nunc Reipublica nostra honestatem dedecore affici sustinens; jubet, ne quis id scelus, neque ad usum suum, neque ut emptores detestando cibo contaminentur, ullo modo exercere audeat. At sciat quicunque dehinc divinum mandatum contemnere, sanguinémque in cibum convertere ( sive vendat, sive emat ) deprehensus fuerit, se bonorum publicationi subjiciendum; & ubi acerbum in modum flagris cæsus, ac cute tenus fœdè detonsus erit, perpetuo patria exilio mulctandum esse.*

Sed & multis antea annis Sanctus Hieronymus hanc legem in Ecclesiis Orientalibus, & in Romana, fuisse observatam testis est in Commentariis ad cap. 44. Ezechielis exponens illum versum, *Omne morticinum, & captum à bestia, de avibus & de pecoribus, non comedent Sacerdotes.* Sic autem habet: *Omni generi electo, & regali, & Sacerdotali (quod propriè ad Christianos refertur, qui uncti sunt oleo spiritali ) hæc præcepta conveniunt, ut morticinum non comedat, tam de avibus quàm de pecoribus, cujus nequaquam sanguis effusus est, quod in Actibus Apostolorum dicitur suffocatum; & quæ necessariò observanda, Apostolorum de Hierusalem Epistola monet: & captum à bestia, quia & ipsum similiter suffocatum est: & condemnat Sacerdotes, qui in turdis, ficedulis, gliribus, & cæteris hujuscemodi, hæc, aviditate gulæ, non custodiunt.*

Id non solùm sex prioribus sæculis ab Ecclesia Græca religiosè observatum fuit, sed & lege lata sancitum est in Synodo Trullana anno 692. Canone 69. *Divina*, inquit, *nobis Scriptura mandavit, à sanguine & suffocato & fornicatione abstinere. Eos ergo, qui propter lautum & delicatum ventrem, cujusque animalis sanguinem arte aliqua esculentum condiunt ac instruunt, atque ita illo vescuntur, convenienter punimus. Si quis ergo deinceps animalium sanguinem, quovis modo, comedere aggrediatur, si sit quidem Clericus, deponatur: sin autem Laicus, segregetur.*

Sed & antea in Galliis Canone sancita erat abstinentia à suffocatis, in Concilio scilicet Aurelianensi II. anno 533. Canone 20. sic decernente: *Catholici, qui ad idolorum cultum, non custoditâ ad integrum baptismi gratiâ revertuntur; vel qui cibis idolorum cultibus immolatis, gustu illicitæ præsumptionis utuntur, ab Ecclesiæ cœtibus arceantur. Similiter & hi qui bestiarum morsibus extincta, vel quolibet morbo aut casu suffocata vescuntur.*

Idem in Ecclesia Germanica constitutum fuit anno 868. in Concilio Wormatiensi Canone 64. ubi hæc ex Concilio Carthaginensi refert, ac pariter decernit: *Animalia, quæ à lupis, seu à canibus lacerantur, non sunt comedenda, nec cervus, nec capra, si mortui inveniantur.... Aves verò, & alia animalia, si in retibus strangulantur, non sunt comedenda.*

Quod & antea sanciverat Zacharias Romanus Pontifex ad Bonifacium Moguntinum Archiepiscopum scribens anno 751. Sic enim habet Epistolâ 13. *In primis de volatilibus, id est graculis, & corniculis, atque ciconiis, quæ omnino cavenda sunt ab esu Christianorum, etiam & fibri, atque lepores, & equi sylvatici, multò ampliùs cavendi.*

Ex quibus omnibus colligitur, Ecclesiam nedum prioribus sæculis, sed secutis, ad nonum usque, existimasse Christianos universos teneri lege abstinentiæ à sanguine & suffocato.

Respondeo, nego antecedens. Ad testimonia Tertulliani, Minutii Felicis, Biblidis Martyris, & Concilii Gangrensis, respondeo adhuc quidem viguisse illis temporibus dictam legem, quia nondum plenè congregata erat ex Gentibus Ecclesia, unde cùm sanguinis & suffocati esus Judæis esset horrori, illisque inter Gentes dispersis impedimento esse posset ne Christianam ad fidem converterentur; adhuc operæ pretium erat, ut Christiani ex Gentibus conversi ab hujusmodi cibis abstinerent. At cessante ratione istius legis, ipsa desiit alligare.

Ad sequentium sæculorum decreta & exempla; respondeo Ecclesiam Romanam, Græcam, Gallicanam, Germanicam, sancivisse, laudatis Canonibus, abstinentiam à sanguine & suffocato, non quòd eam legem adhuc vigere existimarent; sed quia conveniens videbatur eam renovare, ob reverentiam Apostolorum. Sicut enim abrogatis veteris Legis ritibus, ipsos Christiani è Judæis conversi aliquandiu observarunt, ob honorem legis quæ à Deo lata erat, ut honorificè deduceretur ad sepulchrum: ita plurimæ & nobilissimæ Ecclesiæ legem abstinentiæ à sanguine & suffocato diu observarunt, quamvis eâ non ampliùs tenerentur; eamque constituerunt disciplinam, quâ Christianis & reverentiam erga Apostolos, & temperantiam singularem commendarent. Mos itaque abstinendi à sanguine & suffocato in illis Ecclesiis tanta religione servatus est, quia consuetudinem illam à majoribus acceperant, quamvis esum sanguinis & suffocati absolutè illicitum esse non censerent, nec damnarent Ecclesias, in quibus contraria vigebat consuetudo. Ista constant ex Humberto Cardinali & Sylvæ Candidæ Episcopo, qui sub Leone IX. floruit, ab eoque Legatus Constantinopolim missus est, ut Græcorum errores confutaret. Is namque in Dialogo contra calumnias Græcorum, inducit Romanum Constantinopolitano sic respondentem: *Nos ergo, quamvis à Domino & ab Apostolis licentiam habeamus manducare omnia, quæ nec nostræ, nec fraternæ saluti officiunt; consuetudine tamen Provinciarum & præceptis majorum nostrorum hactenus docenti, devitamus comedere nonnulla, non quia mala, aut immunda sunt; sed quia aut nobis aliquo modo non expediunt, aut longo usu in naturam jam verso horrens..... Nonne nonnullæ nationes quibusdam vescuntur, quæ aliæ penitus abominantur? Cur hoc: nisi quia unaquæque gens in suo sensu abundans, quædam sibi assumpsit, quædam rejecit? Unde nos quoque absque culpis, in antidotis plurima percipimus, quæ ex serpentibus & ex aliis, quæ execramur, animantibus assumpta esse non dubitamus. Quod*

*ergo infirmo qualiſcunque medicina, hoc fame pereunti qualiſcunque eſca: & ſicut abominandus infirmus non eſt, artificialiter refectus ſanguine & cadavere alquorum reptilium: ſic nec fame tabeſcens, ſi ſanguine & ſuffocato ſuſtentet miſerabiles artus, potens etiam ad literam cum B. Job dicere: Quæ prius tangere nolebat anima mea, nunc præ anguſtia cibi mei ſunt. Omnis enim creatura Dei bona, & nihil rejiciendum quod cum gratiarum actione percipitur.*

Et infrà: *Sed ſive nos, ſive vos, quod à Majoribus noſtris accepimus, aut uſu tenemus comedendum, ſic obſervemus, ut is qui non manducat, manducantem non ſpernat: & qui manducat, manducantem non judicet: conſiderate tamen ad quantam ſtultitiam devoluta ſit veſtra ſcriptura & ſapientia, quæ cùm ab hominibus exquirere deberet finem Præceptorum Dei, id eſt, charitatem de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta; hoc ſolum exquirendum putat, an aliquando comederint carnem urſinam. Cujus uſum quamvis non admittatis, admittentibus tamen pro crimine reputare non debetis: quibus Evangelica & Apoſtolica authoritas omnia edenda conſtituit.*

Et infrà: *Nec hoc dicentes, ſuffocatum & ſanguinem nobis contra vos defendimus. Antiquam enim conſuetudinem, ſeu traditionem majorum noſtrorum diligenter retinentes, nos quoque hæc abominabimur; adeo ut ſanguine, vel quocunque morticinio, aut aquis, ſeu quacunque negligentia humana præfocato apud nos aliquando veſcentibus abſque extremo periculo vitæ hujus, pœnitentia gravis imponatur: pro eo maximè, quia antiquas conſuetudines, & traditiones majorum, quæ non ſunt contra fidem, Leges Apoſtolicas arbitramur. Nam de cæteris, quæ aucupio, aut canibus, ſeu laqueo venantium moriuntur, Apoſtoli præceptum ſequimur: Omne quod in macellum venit, manducate, nihil interrogantes propter conſcientiam. Domini eſt terra, & plenitudo ejus.*

Contrà: Lex reſcindi non poteſt niſi ab eo qui parem cum Legiſlatore authoritatem habet: ſed lex Apoſtolica de abſtinentia à ſanguine & ſuffocato, non eſt reſciſſa ab aliquo, qui parem cum Apoſtolis authoritatem haberet; ergo nunc etiam vigere & alligare cenſenda eſt.

Reſpondeo, diſtinguo Minorem. Non eſt reſciſſa, ſed tamen eſt expoſita, concedo; non eſt reſciſſa, nec expoſita, nego. Ipſam enim interpretata eſt Eccleſia, in qua reſidet Apoſtolicæ poteſtatis plenitudo, & ſuo uſu notum facit Fidelibus, legem illam ab Apoſtolis conſtitutam in perpetuum non eſſe.

## DISSERTATIO XI.

*De Reprehenſione Sancti Petri à S. Paulo.*

*Utrum verè & ex animo, an ex ſimulatione Sanctus Paulus S. Petrum Apoſtolorum Principem reprehenderit.*

STATUM controverſiæ, quæ Sanctos Auguſtinum & Hieronymum inter ſe commiſit, in Synopſi noſtra expoſuimus, & noſtram contra Eminentiſſimum Annalium Parentem ſententiam in anteceſſum inſinuavimus, quæ ut inconcuſſis fulta ſubſiſtat fundamentis, & majorem in lucem prodeat, ſit

### PROPOSITIO.

*Sanctus Paulus verè & ſincero prorſus animo reprehendit Sanctum Petrum, non ex ſimulatione.*

Probatur ex ipſomet Sancto Paulo Epiſtolæ ad Galatas cap. 2. *Cùm autem*, inquit, *veniſſet Cephas Antiochiam, in faciem ei reſtiti, quia reprehenſibilis erat. Priùs enim quàm venirent quidam à Jacobo, cum Gentibus edebat: cum autem veniſſent, ſubtrahebat & ſegregabat ſe, timens eos qui ex circumciſione erant.... Sed cùm vidiſſem quòd non rectè ambularent ad veritatem Evangelii, dixi Cephæ coram omnibus: Si tu, cùm Judæus ſis, gentiliter vivis, & non judaicè: quomodo Gentes cogis judaizare?* Ex quibus ſic colligo: Sanctus Paulus in ipſa Epiſtola, cujus initio dixit: *Quæ autem ſcribo vobis; ecce coram Deo, quia non mentior:* ſe in faciem Petro reſtitiſſe teſtatur, quia reprehenſibilis erat. Igitur hæc verè ſcribit. Porro ſi verè ſcribit Petrum reprehenſum à ſe fuiſſe, nec immeritum; ipſum verè & ſincero prorſus animo, non ex ſimulatione reprehendit.

Probatur ſecundò, authoritate Tertulliani lib. 5. contra Marcionem cap. 3. ubi de Sancto Paulo hæc habet: *Sed reprehendit Petrum non rectè pede incedentem ad Evangelii veritatem. Planè reprehendit; non ob aliud tamen, quàm ob inconſtantiam victûs, quem pro perſonarum qualitate variabat, timens eos qui erant ex Circumciſione; non ob aliquam divinitatis perverſitatem, de qua & aliis in faciem reſtitiſſet, qui de minori cauſa converſationis ambiguæ, Petro ipſi non pepercit.*

Et lib. de Præſcriptionibus Hæreticorum cap. 23. *Cæterùm*, inquit, *ſi reprehenſus eſt Petrus, quòd cùm convixiſſet Ethnicis, poſtea ſe à convictu eorum ſeparabat, perſonarum reſpectu, utique converſationis fuit vitium, non prædicationis.*

Probatur tertiò, authoritate Sancti Cypriani Epiſtolâ 71. quæ eſt ad Quintum. *Nam*, inquit, *nec Petrus, quem primum Dominus elegit, & ſuper quem ædificavit Eccleſiam ſuam, cùm ſecum Paulus de Circumciſione poſtmodum diſceptaret, vindicavit ſibi aliquid inſolenter, aut arroganter aſſumpſit ut diceret ſe primatum tenere, & obtemperari à novellis & poſteris ſibi potiùs oportere. Nec deſpexit Paulum, quòd Eccleſiæ priùs perſecutor fuiſſet, ſed conſilium veritatis admiſit, & rationi legitimæ, quam Paulus vindicabat, facilè conſenſit; documentum ſcilicet nobis & concordiæ & patientiæ tribuens, ut non pertinaciter noſtra amemus; ſed quæ aliquando à Fratribus & Collegis noſtris utiliter & ſalubriter ſuggeruntur, ſi ſint vera & legitima, ipſa potiùs noſtra ducamus.* Porro patientiæ documentum non tribuiſſet Sanctus Petrus, niſi ſimulatæ, ſi verè & ex animo eum non reprehendiſſet Sanctus Paulus. Nullam enim patientiæ præbet occaſionem objurgatio ſimulata.

Probatur quartò ex Sancto Auguſtino, qui hanc quæſtionem operoſiùs tractat, & accuratiùs Epiſtola 8. & ſequentibus uſque ad vigeſimam, & Petrum verè à Paulo reprehenſum, veréque reprehenſioni obnoxium fuiſſe propugnat, hac potiſſimum ratione fretus, quòd Sanctus Paulus mendacii alioqui in Epiſtola ſua reus eſſet, quod vel ſuſpicari nefas. Quam rationem urget maximè Epiſtola 19. *De quo enim certus ſim*, inquit, *quòd me ſcribendo, vel loquendo non fallat, ſi fallebat Apoſtolus filios ſuos, quos iterum parturiebat, donec in eis Chriſtus, id eſt veritas, formaretur. Quibus cùm præmiſiſſet, dicens; Quæ autem ſcribo vobis, ecce coram Deo, quia non mentior: non tamen veraciter ſcribebat,*

*bat, sed nescio quâ dispensatoriâ simulatione fallebat, vidisse se Petrum & Barnabam non rectè ad Evangelii veritatem ingredientes, ac Petro in faciem restitisse; non ob aliud, nisi quòd Gentes cogeret judaizare. At enim satiùs est credere, Apostolum Paulum aliquid non verè scripsisse, quàm Apostolum Petrum non rectè aliquid gessisse. Hoc si ita est, dicamus (quod absit) satius esse credere mentiri Evangelium, quàm negatum esse à Petro Christum: & mentiri Regnorum librum, quàm tantum Prophetam à Domino Deo tam excellenter electum, & in concupiscenda atque abducenda uxore aliena commisisse adulterium, & in marito ejus necando tam horrendum homicidium; imo verò sanctam Scripturam, in summo & cœlestis authoritatis culmine collocatam, de veritate ejus certus ac securus legam, & in ea homines vel approbatos, vel emendatos, vel damnatos, veraciter discam, potiùs quàm facta humana ne dum in quibusdam laudabilis excellentia personis aliquando credere timeo reprehendenda, ipsa divina eloquia mihi sint ubique suspecta.*

Porro cùm Sanctus Hieronymus responderet Petrum verè & ex animo Legis Mosaïcæ ritus non observasse, sed simulatione quadam, seu honesta dispensatione, & Paulum eadem dispensatione illum objurgasse, ita hanc responsionem Augustinus refellit: *Aut enim hoc est*, inquit, *quod ego appello officiosum mendacium, ut hæc dispensatio sit officium velut honestè mentiendi, aut quid aliud sit, omnino non video; nisi fortè addito nomine dispensationis, fiat ut mendacium non sit mendacium. Quod si absurdum est, cur ergo non apertè dicis, officiosum mendacium defendendum, nisi fortè nomen te movet, quia non tam usitatum est in Ecclesiasticis libris vocabulum officii, quod Ambrosius noster non timuit, qui suos quosdam libros utilium præceptionum plenos, de Officiis voluit appellare? An si officiosè mentiatur quisque, culpandus est; si dispensativè, approbandus? Rogo te, mentiatur ubi legeris, qui hoc putat: quia & in hoc magna quæstio est, sitne aliquando mentiri viri boni, imo viri Christiani. Sed hæc (ut dixi) & alia, & magna quæstio est: eligat quod volueris, qui hoc existimat, ubi mentiatur: dum tamen à scribentibus Authoribus sanctarum Scripturarum, & maximè Canonicarum, inconcussè credatur & defendatur omnino abesse mendacium: ne dispensatores Christi de quibus dictum est: Hic jam quæritur inter dispensatores ut fidelis quis inveniatur: tanquam magnum aliquid sibi fideliter didicisse videantur, pro veritatis dispensatione mentiri. Fidelis igitur dispensator Apostolus Paulus, proculdubio nobis exhibet in scribendo fidem: quia veritatis dispensator erat, non falsitatis. Ac per hoc verum scripsit, vidisse se Petrum non rectè ingredientem ad veritatem Evangelii, eique in faciem restitisse, quòd Gentes cogeret judaizare.*

Probatur quintò ex Sancto Cyrillo Alexandrino, *lib. 9. contra Julianum* in fine. *Ad hæc*, inquit, *audax ille & confidens, Petrum Apostolorum præcipuum cavillatur, & hypocritam esse dicit, atque à Paulo reprehensum quòd modò Græcorum, modò Judæorum ritu vivere vellet, ignorans planè singularem in his consilii rationem. Non enim diversa sentiebat ille Discipulus, sed congrua moderatione tempestivè utens, omni ratione prodesse studebat iis qui ad se venirent. Cùm autem unis ritibus addictus esset Beatus Paulus, aggressus commonefecit. Metuebat enim ne propositum lateret, & ille dispensandi modus nonnullos offenderet.*

Probatur sextò ex Sancto Gregorio Magno Homiliâ 18. in Ezechielem, ubi de Sancto Petro sic loquitur: *Idem verò Apostolorum primus, cùm multa Discipulos admoneret, atque à quibusdam detrahi Pauli scriptis agnosceret, dicit: Sicut charissimus Frater noster Paulus, secundum datam sibi sapientiam scripsit vobis, loquens in eis de his, in quibus sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti & instabiles depravant, sicut cæteras Scripturas, ad suam ipsorum perditionem. Ecce Paulus in Epistolis suis scripsit Petrum reprehensibilem, & ecce Petrus in Epistolis suis asserit Paulum, in his quæ scripserat, admirandum. Certè enim nisi legisset Petrus Pauli Epistolas, non laudasset. Si autem legit, quia illic ipse reprehensibilis dicitur, invenit. Amicus ergo veritatis, laudavit etiam quod reprehensus est, atque ei ad hoc ipsum placuit, quia in his non placuerat, quæ aliter quàm debuerat, sensit. Seque etiam minori Fratri ad consensum dedit, usque in eadem re factus est sequens minoris sui, etiam ut in hoc præiret; quatenus qui primus erat in Apostolatus culmine, esset & primus in humilitate. Pensate ergo, Fratres charissimi, in quo mentis vertice steti, qui illas Epistolas laudavit, in quibus scriptum se vituperabilem invenit.....*

Et infra, *Ne igitur increpationis verba dedignaretur audire, omnia dona, quæ acceperat, quasi à memoria repulit, ut unum fortiter humilitatis donum teneret.*

Probatur sextò, ex Sancto Thoma Lectione 4. in cap. 2. Epistolæ ad Galatas, ubi cum Sancto Augustino se sentire profitetur, *Petrum*, in illa occasione, *peccasse venialiter, propter indiscretionem, quam habuit, nimis inhærendo parti Judæorum, ad vitandum eorum scandalum: & validius argumentum Augustini contra Hieronymum* judicat. *Quia Paulus manifestè dicit, quòd reprehensibilis erat Petrus. Si ergo nefas est dicere, in Scriptura sacra aliquod falsum contineri, non erit fas dicere, Petrum reprehensibilem non fuisse.* Legatur & Primâ Secundæ Quæst. 103. Art. 4. ad 2.

Objicitur primò. Sanctus Paulus reprehendendo Petrum iniquus non fuit: atqui iniquus fuisset, si ipsum reprehendisset ex animo, non verò honesta quadam simulatione; ergo ipsum ex animo non reprehendit, sed simulatè.

Probatur Minor. Qui reprehendit in alio id quod ipse aliàs facit, quodque secundùm se licitum est, cum nemo non dixerit iniquum: sed si Sanctus Paulus ex animo reprehendisset Sanctum Petrum, in eo arguisset, quod ipse licitum existimabat, quodque ipsemet fecit; ergo iniquus fuisset.

Probatur Minor. Petrum reprehendisset ob legalium cæremoniarum observantiam: atqui existimavit Paulus has innoxiè observari posse; & ipse Timotheum circuncidit, & caput Nazaræorum more sibi totondit, seque purificavit cum Judæis; ergo si Sanctus Paulus ex animo reprehendisset Sanctum Petrum, in eo illum arguisset, quod ipsemet licitum existimabat.

Respondeo, nego Minorem prioris Syllogismi. Ad ejus probationem, distinguo Majorem: Si ille, quem reprehendit, prudenter faciat id quod licitum est, & citra occasionem fraterni scandali; concedo; si imprudenter, & cum offensione fratrum, nego. Namque peccati reus est, qui id agit, quod posset omittere, cùm ejus facto offenditur proximus, maximéque cùm à veritate abducitur.

Distinguo etiam Minorem. Sanctus Paulus in Petro arguisset, quod ipsemet licitum existimabat, & quod deinde fecit, absque periculo Evangelicæ veritatis, concedo: cum periculo illius, nego. Longè itaque dispar fuit factum Petri, & Pauli: nam Paulus legalia usurpavit absque Gentium offensione, Judæos inter, ut eis persuaderet se non damnare Mosaïcam legem velut malam. Neque ob hoc sese subduxit à convictu Gentilium: unde nullam his præbuit ansam suspicandi quòd necessaria esset ad salutem legis observatio. Unde Timotheum

motheum quidem circuncidit, quia ex matre Judæus erat; Titum non circuncidit; quia erat ex utroque parente Gentilis. At verò Sanctus Petrus imprudenter omnino se gessit, quia in civitate, quæ Gentilium erat, non Judæorum, priùs cùm Gentilibus convescens, postea verò, propter observationem Legis, ab eorum mensa se subducens, ne Judæos offenderet Hierosolymis Antiochiam advenientes, occasionem præbuit Gentibus existimandi necessariam esse abstinentiam à cibis lege Mosaïca vetitis, quia Principem Apostolorum in ea re prius factum suum corrigere videbant. Uno verbo, Petrus cogebat Gentes judaïzare *conversationis exemplo*, licèt *non docentis imperio*, ut Sanctus Augustinus ait; non verò Paulus: unde ipse meritò reprehendit Petrum, legalia intempestivè & imprudenter observantem. Hujus solutionis doctrina tota est Sancti Augustini Epistolâ 19. *Ego quidem*, inquit, *illud Petrum sic egisse credo, ut Gentes cogeret judaizare. Hoc enim lego scripsisse Paulum, quem mentitum esse non credo: & ideo non rectè agebat hoc Petrus. Erat enim contra Evangelii veritatem, ut putarent, qui credebant in Christum, sine illis veteribus Sacramentis salvos se esse non posse. Hoc enim contendebant Antiochiæ, qui ex Circuncisione crediderant: contra quos Paulus perseveranter acriterque confligit. Ipsum verò Paulum non ad hoc id egisse, quod vel Timotheum circuncidit, vel Cenchreis votum persolvit, vel Hierosolymis à Jacobo admonitus, cum eis, qui noverant, legitima illa, celebranda suscepit, ut putare videretur per ea Sacramenta etiam Christianam salutem dari: sed ne illa quæ prioribus, ut congruebat, temporibus, in umbras rerum futurarum Deus fieri jusserat, tanquam idololatriam Gentilium damnare crederetur. Hoc est enim quod illi Jacobus ait, auditum de illo esse, quod discissionem doceat à Moyse. Quod utique nefas est, ut credentes in Christum discindantur à Propheta Christi, tanquam ejus doctrinam detestantes atque damnantes: de quo Christus ipse dicit, Si crederetis Moysi, crederetis & mihi; de me enim ille scripsit.*

Et infrà; *Neque enim negamus in hac sententia fuisse jam Petrum, in qua & Paulus fuit. Non itaque tunc eum, quid in ea re verum esset, docebat: sed ejus simulationem, qua Gentes judaizare cogebantur, arguebat: non ob aliud, nisi quia sic illa omnia simulatoria gerebantur, tanquam verum esset, quod illi dicebant, qui sine circuncisione præputii, atque aliis observationibus, quæ erant umbræ futurorum, putabant credentes salvos esse non posse. Ergo & Timotheum circuncidit propterea, ne Judæis, & maximè cognationi ejus maternæ, sic viderentur, qui ex Gentibus in Christum crediderant, detestari circuncisionem, sicut idololatria detestanda est: cùm illam Deus fieri præceperit, hanc Satanas persuaserit. Et Titum propterea non circuncidit, ne occasionem daret eis, qui sine illa circuncisione dicebant credentes salvos esse non posse; & ad deceptionem Gentium, hoc etiam Paulum sentire jactarent.*

Ex quibus colligitur Sanctum Paulum prudentiâ singulari usum esse in observatione legalium, sanctum Petrum verò imprudentiâ peccasse: adeóque parem utriusque non fuisse causam, & Paulum justè illum objurgasse, non rectè ad veritatem Evangelii ambulantem.

Contra. Sanctus Petrus non peccasset, neque fuisset reprehendendus, si se à conventu & mensa Gentilium non subtraxisset, quamvis inde offensi fuissent Judæi; ergo non fuit obnoxius reprehensioni, subducendo se à mensa Gentilium cum ipsorum offensione.

Probatur antecedens. Paulus non subduxit se à convictu Gentilium, etiamsi inde offendi Judæi potuerint; ergo Petrus non fuisset reprehendendus, si se pariter ab eorum convictu non subduxisset.

Respondeo, distinguo antecedens. Et immeritò offensi fuissent Judæi, concedo; & meritò offensi, nego. Unde falsa est consequentia. Itaque Petrus apud Judæos quidem judaïcè vivere poterat & debebat, ne eos offenderet; sed non ideo debebat subtrahere se à mensa Gentilium, quam priùs frequentabat: hoc enim perturbationis & scandali causa erat ipsis Gentilibus, quibus posterius illud factum Sancti Petri, prioris retractatio & emendatio videbatur, ac animata quædam prædicatio, qua docebatur legem esse servandam. Judæi autem ex Petri facto, quo cum Gentilibus edebat, immeritò offensi fuissent, scandalumque fuisset passivum duntaxat ex illorum parte, non activum ex parte Petri, quia jugum legis non debere Gentibus imponi, & desinere legalium observantiarum umbras, affulgente veritatis Evangelicæ luce, palam Apostoli prædicabant, quod & ipse Petrus in Concilio Hierosolymitano decrevit.

Hinc Sanctus Augustinus Epistolâ 9. de Sancto Paulo hæc habet: *Quapropter non ideo Petrum emendavit, quòd paternas traditiones observaret: quod si facere vellet, nec mendaciter nec incongruè faceret: quamvis enim jam superflua, tamen solita non nocerent: sed quoniam Gentes cogebat judaïzare; quod nullomodo posset, nisi ea sic ageret, tanquam adhuc etiam post Domini adventum necessaria saluti forent; quod vehementer per Apostolatum Pauli veritas dissuasit. Nec Apostolus Petrus hoc ignorabat: sed id faciebat, timens eos qui ex Circuncisione erant. Itaque ipse verè correctus est. & Paulus vera narravit, ne sancta Scriptura, quæ ad fidem posteris edita est, admissa authoritate mendacii, tota dubia nutet & fluctuet.*

Objicitur secundò. Petrus, cæterique Apostoli, imò & Paulus ipse, legis Mosaïcæ ritus animo sincero non observarunt, sed pia quadam simulatione, seu honesta dispensatione, ut Judæos lucrifacerent; ergo nec Sanctus Petrus verè reprehensibilis fuit, nec Sanctus Paulus ipsum ex animo reprehendit.

Probatur antecedens ipsis Apostoli verbis ad Galatas 2. cap. ubi de Petri facto sic loquitur: *Et simulationi ejus consenserunt cæteri Judæi, ita ut Barnabas duceretur ab eis in illam simulationem:*

Confirmatur ex eodem Apostolo 1. ad Corinthios 9. cap. dicente: *Factus sum Judæis tanquam Judæus, ut Judæos lucrarer. Iis qui sub lege sunt, quasi sub lege essem (cùm ipse non essem sub lege) ut eos, qui sub lege erant, lucrifacerem.* Ergo Apostoli pia quadam simulatione, seu honesta dispensatione (ut Sanctus Hieronymus loquitur) Legis Mosaïcæ ritus observarunt.

Respondeo, nego primum antecedens. Ad ejus probationem, explico locum Apostoli, & dico nomine *simulationis* hîc intelligi exemplum; & est sensus cæteros Judæos, & ipsum Barnabam, authoritate & exemplo Petri adductos, ut sese pariter à Gentilium convictu subducerent. Ideo autem Paulus vocavit Petri factum, *simulationem*, quia suspicionem ingenerabat Gentilibus, quòd legis observantiam existimaret necessariam ad salutem; licèt aliter affectus esset Apostolorum Princeps.

Ad confirmationem, nego consequentiam. Non enim factus est Apostolus Judæis tanquam Judæus, quòd simularet se observare Legem Mosaïcam; alioqui sequeretur ipsum simulasse pariter observantiam ethnicarum superstitionum, quia dicit se *factum esse iis qui sine lege erant, tanquam sine lege esset, ut eos lucrifaceret*. Factus est itaque Judæis, tanquam

quam Judæus, *compassione misericordia*, non *simulatione fallacia*, ut Sanctus Augustinus ait; quia legis Mosaicæ ritus cum ipsis observavit quandoque, ut legem esse bonam, & mandatum justum & sanctum ostenderet; quandoque non observavit, ut eam ad salutem necessariam jam non esse comprobaret, nisi quoad præcepta moralia per Christi legem renovata.

Sed præstat Sanctum Augustinum audire ea de re adversùs Sanctum Hieronymum differentem Epistolâ 9. cap. 4. *Neque enim à me docendus es*, inquit, *quomodo intelligatur, quod idem dicit; Factus sum Judæis tanquam Judæus, ut Judæos lucrifacerem: & cætera, quæ ibi dicuntur, compassione misericordia, non simulatione fallacia. Fit enim tanquam ægrotus, qui ministrat ægroto: non cùm se febres habere mentitur, sed cùm animo condolentis cogitat, quemadmodum sibi ministrari vellet, si ipse ægrotaret. Nam utique Judæus erat; Christianus autem factus, non Judæorum sacramenta reliquerat, quæ convenienter ille populus, & legitimo tempore, quo oportebat, acceperat. Ideoque susceperat ea celebranda, cùm jam Christi esset Apostolus, ut doceret non esse perniciosa iis, qui ea vellent, sicut à parentibus per legem acceperant, custodire, etiam cùm Christo credidissent: non tamen in eis jam constituerent spem salutis, quoniam per Dominum Jesum salus illa, quæ illis sacramentis significabatur, advenerat. Ideoque Gentibus, quòd insuetos à fide revocarent, onere gravi, & non necessario, nullo modo imponenda esse censebat.*

Et infrà. *Hoc ergo Judæorum Paulus dimiserat, quod malum habebant: & in primis illud, quòd ignorantes Dei justitiam, & suam justitiam volentes constituere, justitiæ Dei non sunt subjecti. Deinde, quòd post Passionem & Resurrectionem Christi, dato ac manifestato Sacramento gratiæ, secundùm ordinem Melchisedech, adhuc putabant Sacramenta vetera, non ex consuetudine solemnitatis, sed ex necessitate salutis esse celebranda. Postremò istud, quòd Prædicatores gratiæ Christianos Judæi, tanquam hostes legis persequebantur. Hos itaque, atque hujusmodi errores & vitia dicit se damnare: non observationes legis, si more patrio celebrarentur, sicut & ab ipso celebrata sunt, sine ulla salutis necessitate, non sicut Judæi celebrandas putabant; aut fallaci simulatione, quod in Petro reprehenderat.*

Et Epistolâ 19. factum Pauli se cum quatuor viris votum habentibus, ex Jacobi consilio, sanctificantis, ait ostendisse Judæos nec tunc à legalibus sacris, tanquam ad nefariis prohibendos, nec Gentiles ad ea, tanquam ad necessaria compellendos. Et ex Jacobi verbis probat Paulum non simulatè, sed sincerè ipsa observasse. *Nam si revera sic ea reprobaret*, inquit, *quemadmodum de illo auditum erat, & ideo celebranda susciperet, ut actione simulata suam posset occultare sententiam: non ei diceret Jacobus, Et scient omnes: sed diceret, Et putabunt omnes, quoniam quæ de te audierunt, falsa sunt: præsertim quia in ipsis Hierosolymis Apostoli jam decreverant, ne quisquam Gentes cogeret judaizare: non autem decreverant, ne quisquam tunc Judæos judaizare prohiberet, quamvis etiam ipsos jam Doctrina Christiana non cogeret.*

Denique hæc Pauli verba, *Factus sum Judæis tanquam Judæus*, Hieronymi sententiæ non suffragari Augustinus ostendit cap. 3. ejusdem Epistolæ. *Quod autem dixi*, inquit, *eum factum Judæis tanquam Judæum, tanquam Gemilem Gentilibus, non mentientis astu, sed compatientis affectu; quemadmodum dixerim, parum mihi visus es attendisse. Neque enim hoc ego dixi, quòd misericorditer illa simulaverit, sed quia non sic ea simulavit, quæ faciebat similia Judæis quemadmodum nec ea, quæ faciebat similia Gentibus, quæ tu quoque commemorasti: atque in eo me, quod non ingratè fateor, adjuvisti. Cùm enim abs te quæsiissem in Epistola mea, quomodo putetur ideo factus Judæis tanquam Judæus, quia fallaciter susceperit sacramenta Judæorum, cùm & Gentibus tanquam Gentilis factus sit, nec tamen susceperit fallaciter sacrificia Gentium. Tu respondisti, in eo factum Gentibus tanquam Gentilem, quod præputium receperit; quòd indifferenter permiserit vesci cibis, quos damnant Judæi: ubi ego quæro, utrum & hoc simulatè fecerit? Quod si absurdissimum atque falsissimum est: sic ergo & illa, in quibus Judæorum consuetudini congruebat, libertate prudenti, non necessitate servili: aut, quod indignius est, dispensatione fallaci, potiùs quàm fideli...... Cur igitur nihil simulatè suscipiendo sacrorum, cæremoniarumque Gentilium, sed de cibis, & præputio, vera sentiendo atque docendo, tamen tanquam Gentilis factus est Gentibus, & non potuit fieri tanquam Judæus Judæis, nisi fallaciter suscipiendo sacramenta Judæorum? Cur oleastro inserto servavit dispensationis veracem fidem: & naturalibus ramis, non extra, sed in arbore constitutis, nescio quod dispensatoriæ simulationis velamen obtendit? Cur factus tanquam Gentilis Gentibus, quod sentit docet, quod ait sentit: factus autem tanquam Judæus Judæis, aliud in pectore claudit, aliud promit in verbis, in factis, in scriptis? Sed absit hoc sapere, utrisque enim debebat charitatem de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta. Ac per hoc omnibus omnia factus est, ut omnes lucrifaceret, non mentientis astu, sed compatientis affectu, id est, non omnia mala hominum fallaciter agendo, sed aliorum omnium malis omnibus, tanquam si sua essent, misericordis medicinæ diligentiam procurando. Cùm itaque illa Testamenti veteris sacramenta, etiam sibi agenda minimè recusabat, non misericorditer fallebat; sed omnino non fallens, atque hoc modo à Domino Deo illa adusque certi temporis dispensationem jussa esse commendans, à sacrilegis sacris Gentium distinguebat.*

Contra. Sanctus Petrus, aliique Apostoli nunquam observarunt, vel observare potuerunt sincerè Legis Mosaïcæ præcepta, quæ cæremonias spectant, post Passionem Christi; ergo Petrus sincerè legalia non observavit, consequenter nec sincerè à Paulo reprehensus est.

Probatur antecedens. Præcepta jam abrogata, antiquata & mortifera, sincerè non observarunt, nec observare potuerunt Apostoli: sed præcepta quæ legis Mosaïcæ Sacramenta & cæremonias spectabant, per Passionem Christi fuerunt antiquata, & deinde mortifera extiterunt; ergo, &c.

Probatur Minor. Illæ cæremoniæ, & illa sacramenta erant mortifera, quæ suscipientibus Christus nihil proderat: sed suscipientibus sacramenta, & usurpantibus cæremonias legis Mosaïcæ, post Passionem Servatoris, Christus nihil proderat; ergò, &c.

Probatur Mioor ipsis Apostoli verbis ad Galatas 5. *Si circumcidamini, Christus nihil vobis proderit.*

Respondeo, nego primum antecedens. Ad ejus probationem, distinguo secundam partem Minoris. Et extiterunt deinde mortifera, si observarentur *propter necessitatem salutis*, concedo: si *propter solam consuetudinem solemnitatis*, nego. Hæc distinctio est sancti Augustini Epistolâ 9. Itaque legalia sacra licèt per Christi Passionem antiquata fuerint, ac mortua (ut loquuntur Theologi) non tamen statim evasere mortifera, donec plenè promulgatum esset Evangelium, nisi illis qui spem salutis in illis collocarent. Et his solùm qui Circuncisionem aliáque veteris legis Sacramenta, hoc

animo suscipiebant, Christus nihil proderat. Unde Sanctus Augustinus Epistolâ 19. hæc verba Apostoli, *Si circumcidamini*, &c. de his tantùm intelligenda esse ait, *qui propterea volebant circumcidi, quòd aliter se putabant in Christo salvos esse non posse. Hoc ergo animo*, inquit, *hac voluntate, ista intentione quisquis tunc circumcidebatur, Christus ei nihil omnino proderat.*

Totam hanc doctrinam luculentiùs explicat idem Sanctus Augustinus in eadem Epistolâ. *Dico ergo*, inquit, *Circumcisionem præputii, & cætera hujusmodi, priori populo per Testamentum, quod vetus dicitur, divinitus data ad significationem futurorum, quæ per Christum oportebat impleri: quibus advenientibus, remansisse illa Christianis legenda tantùm, ad intelligentiam præmissæ Prophetiæ, non autem necessariò facienda; quasi adhuc expectandum esset ut veniret fidei revelatio, quæ his significabatur esse ventura. Sed quamvis Gentibus imponenda non essent, non tamen sic debuisse auferri à consuetudine Judæorum, tanquam detestanda atque damnanda. Sensim proinde atque paulatim fervente sana prædicatione gratiæ Christi, quâ solâ nossent credentes se justificari, salvosque fieri, non illis umbris rerum antea futurarum, tunc jam venientium atque præsentium: ut in illorum Judæorum vocatione, quos præsentia carnis Domini, & Apostolica tempora sic invenerant, omnis illa actio consumeretur umbrarum, hoc eis sufficisse ad consummationem, ut non tanquam detestanda, & similis idololatriæ vitaretur; ultra verò non haberet progressum, ne putaretur necessaria, tanquam vel ab illa salus esset, vel sine illa esse non posset.*

Contra. Cæremoniæ veteris legis, post Passionem Christi, vel bonæ erant, vel malæ: si bonæ, reprehensibilis verè non fuit Sanctus Petrus, qui eas observasset; nec verè sincerèque à Sancto Paulo reprehensus est. Si malæ; ergo Apostoli nusquam eas ex animo, sed ex honesta simulatione, vel potius dispensatione observarunt.

Respondeo, illas nec bonas absolutè fuisse, nec tamen malas: non bonas absolutè, quia gratiam non conferebant; non malas, quia erant à Deo traditæ. Reprehensibilis tamen fuit Sanctus Petrus, qui eas intempestivè imprudenterque observaret (ut supra explicuimus) & sincerè Paulus ipsum reprehendit. Itaque legalium cæremoniarum observantia, post Passionem Christi, omitti poterat, vel usurpari, absque crimine; si imprudentia abesset, nec in eis poneretur spes salutis: & nihilominus eas absque simulatione observabant Apostoli, vel alii Judæi ad fidem conversi. Idque probat Sanctus Augustinus exemplo Sabbatici Jejunii, cujus observantia, vel omissio, suo tempore mala non erat, quia in plurimis Ecclesiis religiosè observabatur, in aliis laudabiliter omittebatur; nec tamen simulatè jejunabant Orientales, qui Romam fortè advenerant, sed verè ac sincero animo, ut se Romanæ Ecclesiæ consuetudini præsentes accommodarent.

Id Sancti Augustini verbis Epistolâ 19. jam laudata luculentiùs exponetur. *Cur autem non dicam*, inquit, *præcepta illa veterum sacramentorum nec bona esse, quia non eis homines justificantur: umbræ enim sunt prænuntiantes gratiam, quâ justificamur; nec tamen mala, quia divinitùs præcepta sunt, temporibus personisque congruentia: cùm me adjuvet etiam Prophetica sententia, quâ dicit Deus, se illi populo dedisse præcepta non bona? Fortè enim propterea non dixit mala, sed tantùm non bona, id est non talia, ut illis homines boni fiant, aut sine illis boni non fiant. Vellem me doceret benigna Sinceritas tua, utrùm simulatè quisquam Sanctus Orientalis, cùm Romam venerit, jejunet Sabbato, exceptô illô die Paschalis Vigiliæ? Quòd si malum esse dixerimus, non solùm Romanam Ecclesiam, sed etiam multa ei vicina, & aliquantò remotiora damnabimus, ubi mos idem tenetur & manet. Si autem non jejunare Sabbato malum putaverimus; tot Ecclesias Orientis & multò majorem orbis Christiani partem, quâ temeritate criminabimur? Placetne tibi, ut medium quiddam esse dicamus, quod tamen acceptabile sit ei, qui hoc non simulatè, sed congruenti societate atque observantiâ fecerit? & tamen nihil inde legimus in Canonicis libris præceptum esse Christianis: quantò magis illud malum dicere non audeo, quod Deum præcepisse, ipsa Christiana fide negare non possum; quia non eo me justificari didici, sed gratiâ Dei per Jesum Christum Dominum nostrum?*

Contra. Si Apostoli absque simulatione cæremonias veteris Legis observarunt, quòd malæ non essent; etiam post Ascensionem Christi, possumus & nos eas observare; atqui si istud admittamus, incidimus in hæresim Ebionis, Cerinthi, & Nazaræorum, qui Legis cæremonias Evangelio Christi miscebant; ergo asserendum est Apostolos verè & sincero animo cæremonias Mosaïcæ legis non observasse, sed ex pia quadam simulatione, aut honesta dispensatione; ac proinde Petrum à Paulo simulatè etiam fuisse reprehensum.

Respondeo, nego consecutionem Majoris. Nam *illo tempore, quo primùm gratia fidei revelata est*, illas cæremonias observare *non erat perniciosum; progressu verò temporis erat perniciosum*, inquit Sanctus Augustinus. Illo Evangelicæ legis sub crepusculo, mortuæ quidem erant veteris legis cæremoniæ, sed mortiferæ nondum erant, adeòque poterant observari religiosè, ut Synagoga cum honore deduceretur ad sepulchrum; sed promulgata plenè Evangelii veritate, mortiferæ factæ sunt: unde qui nunc eas observaret, hæreseos meritò insimularetur, & violator haberetur sepulchri, quô multis à sæculis condita Synagoga est. Hujus solutionis doctrina tota est Sancti Augustini Epistolâ 19. dicentis: *Apostolum Paulum, & alios rectæ fidei Christianos, tunc illa vetera sacramenta paululum observando veraciter commendare debuisse, ne putarentur illæ Propheticæ significationis observationes à piissimis Patribus custoditæ, tanquam sacrilegia diabolica, à posteris detestandæ; jam enim, cùm venisset fides, quæ priùs illis observationibus prænuntiata, post Mortem & Resurrectionem Domini revelata est, amiserant tanquam vitam officii sui. Verumtamen sicut defuncta corpora, necessariorum officiis deducenda erant quodammodo ad sepulturam, nec simulatè, sed religiosè; non autem deserenda continuò, vel inimicorum obtrectationibus, tanquam canum morsibus projicienda. Proinde nunc quisquis Christianorum, quamvis sit ex Judæis, similiter ea celebrare voluerit, tanquam sopitos cineres eruens, non erit pius deductor, vel bajulus corporis, sed impius sepulturæ violator.*

Sancti Augustini doctrinam Scholasticè expressit Sanctus Thomas Primâ Secundæ Quæst. 103. Art. 4.

Objicitur ultimò authoritas Veterum, qui Apostolos simulatè legalia observasse, & S. Paulum simulatè reprehendisse Sanctum Petrum asseruerunt. Hi porro sunt viri inter Ecclesiasticos priorum sæculorum Authores eruditissimi, nempe Origenes, Didymus, Apollinaris Laodicænus, Alexander, Eusebius Emissenus, Theodorus Heracleotes, & Joannes Chrysostomus: quorum sententiam Sanctus Hieronymus velis remisque propugnavit.

Respondeo, veterum illorum Authorum, quos in suæ præsidium sententiæ Hieronymus adducit, quatuor ab ipso Hieronymo fuisse nomine hæreseos notatos, scilicet Apollinarem, Alexandrum, necnon Origenem, & Didymum, ut animadvertit

A Sanctus Augustinus Epistolâ 19. cap. 3. Tres igitur supersunt, scilicet Eusebius Emissenus, Theodorus Heracleotes, & Joannes Chrysostomus. At his Augustinus opponit Sanctum Cyprianum, Ambrosium, & ipsum Apostolum Paulum in exordio suæ Epistolæ ad Galatas religiosa voce clamantem: *Quæ autem scribo vobis, ecce coram Deo, quia non mentior.* Unde sic concludit S. Augustinus; *Dent veniam quilibet aliud opinantes: ego magis credo tanto Apostolo, in suis, & pro suis literis juranti, quam cuique doctissimo, de alienis literis disputanti.*

B Ad authoritatem Sancti Hieronymi respondeo primò ipsam authoritati Sancti Augustini, & aliorum Patrum anteponendam non esse, quorum opinio sacris Literis magis consona est: maximè cum invictissimis rationibus Augustinus ostenderit Hieronymum hoc in argumento à veritate aberrasse. Unde hîc licebit usurpare verba Sancti Augustini ita Hieronymum ipsum alloquentis Epistolâ 19. *Ego enim fateor Charitati tuæ, solis eis Scripturarum libris, qui jam Canonici appellantur, didici hunc timorem honoremque deferre, ut nullum eorum Authorem scribendo aliquid errasse firmissimè credam. Ac si aliquid in eis offendero literis, quod videatur* C *contrarium veritati, nihil aliud quàm vel mendosum esse Codicem, vel Interpretem non assecutum esse quod dictum est, vel minime intellexisse non ambigam. Alios autem ita lego, ut quantalibet sanctitate, doctrinaque præpolleant, non ideo verum putem, quia ipsi ita senserunt; sed quia mihi vel per illos Authores Canonicos, vel probabili ratione, quòd à vero non abhorreat, persuadere potuerunt. Nec te, mi Frater, sentire aliud existimo: prorsus, inquam, non te arbitror sic legi tuos libros velle tanquam Prophetarum, vel Apostolorum; de quorum scriptis, quòd omni errore careant, dubitare nefarium est.* D *Absit hoc à pia humilitate, & veraci de semetipso cogitatione: qua nisi esses præditus, non utique diceres: Utinam mereremur complexus tuos, & collatione mutua vel doceremus aliquid, vel disceremus.*

Respondeo secundò, Sanctum Hieronymum rationibus Sancti Augustini victum, in ejus tandem & Sancti Cypriani sententiam descendisse, ut Sanctus ipse Augustinus testatur Epistolâ 260. ad Oceanum, ubi postquam nonnulla de hac, quam tractamus, quæstione præmisit, hæc habet. *Sed quid hinc diutius? Cùm de hac quæstione inter nos ego & prædictus venerabilis frater Hieronymus satis literis egerimus.* E *& in hoc opere recentissimo, quod sub nomine Critobuli adversus Pelagium modò edidit, eandem de ista re gesta, dictisque Apostolicis sententiam tenuit, quam beatissimi Cypriani etiam nos secuti sumus.*

Extat autem Sancti Hieronymi retractatio lib. 1. Dialogorum adversùs Pelagianos cap. 8. ubi inter alia testimonia ex Scripturis sacris deprompta, quibus probat Sanctos non caruisse peccatis, & nullum Episcopum prorsus esse irreprehensibilem profert exemplum Sancti Petri à Sancto Paulo reprehensi. *Vult certè Deus*, inquit, *tales esse Episcopos, sive Presbyteros, quales Vas electionis docet.* F *Primum, quod dixit, Irreprehensibilis, aut nullus, aut rarus. Quis est enim, qui non, quasi in pulchro corpore, aut nævum, aut verrucam habeat? Si enim ipse Apostolus dicit de Petro, quòd non recto pede incesserit in Evangelii veritate; & in tantum reprehensibilis fuerit, ut & Barnabas adductus sit in eandem simulationem: quis indignabitur id sibi denegari, quod Princeps Apostolorum non habuit?*



## SCHOLION.

A Mirum est quòd Operum meorum Censores hanc Dissertationem in Indiculo suo notaverint his verbis: *In ista Dissertatione: Sanctus Petrus verè reprehensus; imprudenter & cum scandalo se gessit.* Existimabam Catholicorum Theologorum neminem improbaturum propositionem *Sancti Pauli* testimonio roboratam, *Sanctorum Cypriani, Augustini, Gregorii, Thomæ Aquinatis*, auctoritate confirmatam, qui *S. Petrum* à *S. Paulo* verè ac justè fuisse reprehensum asseruerunt ac propugnarunt. Religiosos Censores fortè movit, quòd imprudentiâ peccasse Sanctum Petrum dixerim, & facto suo Gentibus scandalum præbuisse. Verùm quid aliud sibi vult *Sanctus* B *Paulus*, cùm ait, *Sanctum Petrum non rectè ambulasse ad veritatem Evangelii*, & exemplo suo *coëgisse Gentes judaizare*? Quid sibi vult aliud *Sanctus Thomas* Prima Secundæ Quæstione CIII. Articulo IV. in Responsione ad Secundum? *Verum est*, inquit, *quod Petrus peccavit, & Paulus verè eum, non simulatoriè, reprehendit. Non peccavit autem Petrus in hoc quòd ad tempus legalia observabat: quia hoc sibi licebat tanquam ex Judæis converso: sed peccabat in hoc, quòd circa legalium observantiam nimiam diligentiam adhibebat, ne scandalizaret Judæos: ita quòd ex hoc sequebatur Gentilium scandalum.* Quid aliud sibi vult Cardinalis *Bellarminus* Libro IV. *De Romano Pontifice*, cap. VIII. *Quòd*, inquit, *aliquando S. Petrus coëgerit Gentes judaizare, non fuit error prædicationis, sed conversationis. Nos verò non negamus, posse Pontifices exemplo suo præbere occasionem errandi.*

C Multò magis obstupui, cùm in Religiosorum Censorum Indiculo hanc legi Propositionem: *Doctoris quantumcumque Sancti sententiam non sequor, quia ille Sanctus hoc dicit, sed quia conformiter ad rationem.* Hæc enim propositio quam in ista Dissertatione notant, mea non est, nec in ea legitur. Hanc duntaxat *Sancti Augustini* sententiam ex Epistola ipsius LXXXII. aliàs XIX. protuli ad Responsionis meæ confirmationem: *Solis eis Scripturarum Libris, qui Canonici appellantur, didici hunc timorem honoremque referre, ut nullum eorum Auctorem scribendo aliquid errasse firmissimè credam..... Alios autem ita lego, ut quantalibet sanctitate doctrinaque prævaleant, non ideo verum putem, quia ipsi ita senserunt; sed quia mihi vel per illos Auctores Canonicos, vel probabili ratione, quod à vero non abhorreat, persuadere potuerunt.* Quid porro peccavi, D hanc *Sancti Augustini* referendo sententiam verbaque usurpando? Quæ & *Sanctus Thomas* usurpavit laudavitque prima Parte, Quæst. 1. Art. VIII. in Resp. ad secundam Objectionem, præmittens: *Sacra Doctrina auctoritatibus canonicæ Scripturæ utitur propriè ex necessitate argumentando: Auctoritatibus autem aliorum Doctorum Ecclesiæ, quasi arguendo ex propriis, sed probabiliter. Innititur enim Fides nostra revelationi Apostolis & Prophetis factæ, qui Canonicos Libros scripserunt: Non autem revelationi, si qua fuit aliis Doctoribus facta. Unde dicit Augustinus in Epistola ad Hieronymum: SOLIS Scripturarum Libris, &c.*

Supra in Resp. ad Object. ultimam.

# DISSERTATIO XII.

E

## *De Symbolo Apostolorum.*

### *Utrum illud Apostoli condiderint?*

SYMBOLI vocabulum non unam habet etymologiam apud Authores Ecclesiasticos. Illud significare Collationem plurimi adnotarunt. Sic Ruffinus in Expositione Symboli, Sanctus Isidorus lib. II. de Ecclesiasticis Officiis cap. 22. Rabanus Maurus lib. II. de Institutione Clericorum cap. 56. *Symbolum*, inquit, *Græcè Collatio, hoc est, quod plu-* F *res in unum conferunt.* Eandem indicat istius vocis notionem Author Sermonis 181. de Tempore Sancto Augustino adscripti. Intellige collationem pecuniæ, vel cibi, potusve ad convivium. Quæ posterioribus sæculis *comessalia* dicta, vel *convivia de confertis*, ut videre est cap. *Cùm oportet*. 2. Dist. 44. & cap. *Non liceat*, eadem Dist. Metaphorâ ab ejusmodi conviviis petitâ, Apostolicum dici Symbolum, sentit S. Eucherius Lugdunensis a Homil. 1. de Symbolo: *Sicut*, inquit, *nonnullis scire permissum est, apud Veteres Symbola vocabantur, quod de substantia collecti in unum sodales in medio conferebant ad solennes epulas & ad cœnæ communes expensas: ita & Ecclesiarum Patres, de populorum salute soliciti; ex*

a Vel alius Gallicanæ Ecclesiæ Pater cujus sunt hi Sermones, quem Viri nonnulli eruditi Eusebium Gallicanum appellare placuit, quòd eos Eusebio Emisseno perperam tribuerunt, qui error inde videtur ortum duxisse, quòd plurimi adscripti essent Eusebii nomen.

*diversis voluminibus Scripturarum collegerunt testimonia divinis gravida Sacramentis. Disponentes itaque ad animarum pastum salubre convivium, collegerunt verba brevia, & certa, expedita sententiis, sed diffusa mysteriis, & hoc Symbolum nominaverunt.* Eandem Symboli etymologiam notat Innocentius III. lib. 2. Mysteriorum Missæ cap. 49. & multi post ipsum recentiores.

Verùm hæc minimè genuina est; qui enim vim Græcæ vocis noverunt, & veteres Grammaticos evolvêre, falsum esse fatentur, quòd *Symbolum Collationem*, sive cœnam collatitiam significet. Veteres namque collatitiam cœnam *Symbolam* dixerunt, non Symbolum, ut multis probat Vir eruditus Gerardus Vossius lib. de tribus Symbolis Dissertatione 1. cap. 17.

II. Σύμβολον propriè indicium ac signum notat, quo vel milites dignoscebantur ab hostibus, vel quo in pactis conventisque, loco tabellarum ac syngrapharum, Veteres utebantur. Quamobrem verisimilius est, Confessionem fidei ideo Symbolum vocari, quia hac velut tessera, ac signo militari, omnes qui Christo sese militari sacramento verè obstrinxerunt, à desertoribus, & omnibus qui adulterinæ se doctrinæ fuco, Christianos ementiuntur, facilè est dignoscere. Hanc significationem animadvertit Rufinus lib. de Expositione Symboli ad Laurentium. *Symbolum autem hoc*, inquit, *multis & justissimis ex causis appellari voluerunt. Symbolum enim Græcè, & indicium dici potest, & collatio, hoc est, quod plures in unum conferunt. Id enim fecerunt Apostoli, in his sermonibus in unum conferendo, quod unusquisque sensit. Indicium autem, vel signum idcirco dicitur: quia in illo tempore, sicut Paulus Apostolus dicit, & in Actibus Apostolorum refertur, multi ex circumeuntibus Judæis simulabant se esse Apostolos Christi, & lucri alicujus, vel ventris gratia, ad prædicandum proficiscebantur, nominantes quidem Christum, sed non integris traditionum lineis nunciantes. Idcirco istud indicium posuerunt, per quod agnosceretur is qui Christum verè secundum Apostolicas Regulas prædicaret. Denique & in bellis civilibus hoc observari ferunt, quoniam & armorum habitus par, & sonus vocis idem, & mos unus est, atque eadem instituta bellandi; ne qua doli surreptio fiat, Symbola distincta unusquisque Dux suis militibus tradit, quæ Latinè signa vel indicia nuncupantur, ut si fortè occurrerit quis, de quo dubitetur, interrogatus Symbolum, prodat si sit hostis, vel socius.*

III. Derivari potest hoc nomen, non à militari, sed à contractuum tessera. Est namque tessera pacti, quod inimus cum Deo in Baptismo. Sic accipit Sanctus Petrus Chrysologus Sermone 62. de Symbolo Apostolorum. *Placitum*, inquit, *vel pactum, quod lucri spes venientis continet, vel futuri, Symbolum nuncupari, contractu etiam docemur humano, quod tamen Symbolum inter duos firmat semper geminata conscriptio, & in stipulatione cautum reddit humana cautela, ne cui surrepat, ne quem decipiat perfidia contractibus semper inimica: sed hoc inter homines, inter quos fraus, aut à quo facta est, aut cui facta est, semper lædit: inter Deum verò & homines Symbolum fidei sola fide firmatur: non litera, sed spiritui creditur; & mandatur cordi, non chartæ: quia divinum creditum humana non indiget cautione, Deus facere fraudem nescit, pati non potest: quia non excluditur tempore, non ætate vincitur, occultatione non fallitur, videt abscondita, furata tenet, negata possidet.......... Sed dicis, Qui falli non potest, quid est quod exigit placitum? Quid Symbolum quæris? Quærit ille propter te, non propter se: non quia ille dubitat, sed ut tu credas..... Nemo ergo immemor Symboli sit; nemo initi cum Deo placiti sit oblitus.*

His de Symboli nomine prænotatis, ad id veniendum est, quod in controversiam vocatur, utrùm scilicet Apostoli hujus Symboli sint Authores, quod Apostolicum vocatur. Gerardus Vossius lib. de tribus Symbolis Dissertatione 1. negat ab Apostolis editum, atque ideo tantùm Apostolicum dici contendit, quia Apostolicæ doctrinæ compendium est, ac præ Symbolis aliis, verbis etiam gaudet Apostolorum & Evangelistarum. Ante ipsum indicavit Calvinus se non agnoscere Apostolos illius Symboli Authores lib. 2. Institutionum, cap. 16. *Apostolicum autem Symbolum nuncupo*, inquit, *de Authore minimè sollicitus.... Neque verò mihi dubium est, quin à prima statim Ecclesiæ origine, adeòque ab ipso Apostolorum sæculo, instar publicæ & omnium calculis receptæ confessionis obtinuerit, undecunque tandem initio fuerit profectum. Quo intellecto, de Authore vel anxiè laborare, vel cum aliquo digladiari, nihil attinet.*

Audaciùs Antistite suo Chamierus lib. 9. de Canone cap. 10. *Esse ab Apostolis Symbolum sic compositum, si non est falsum, certè quod proximum falso esse nemo negat, incertum est.*

His concinit Erasmus in Præfatione ad Lectorem, Paraphrasis Sancti Matthæi: *Librum hunc*, inquit, *concinnare cupio, non ex humanis lacunis, sed ex fontibus Evangelicis, & Apostolicis literis, & ex Symbolo; quod an ab Apostolis proditum sit, nescio.*

Contra hos omnes sequentem statuo Propositionem.

### PROPOSITIO.

*Symbolum, quod Apostolicum appellatur, ab Apostolis traditum est.*

Quidam probant primò hanc propositionem, ex Epistolâ Sancti Clementis Romani ad Jacobum fratrem Domini, ubi hæc habentur: *Christo resurgente & ascendente in Cælum, misso Sancto Spiritu, collatâ Apostolis scientiâ Linguarum, adhuc in uno positi, Symbolum quod nunc fidelis tenet Ecclesia, unusquisque, quod sensit, dicendo, condiderunt; ut discedentes ab invicem, hanc regulam per omnes Gentes prædicarent.*

Verùm hoc loco adversùs Hæreticos, aut alios quosvis pugnare nolim. Siquidem constat Epistolam illam non esse Clementis; quandoquidem ea inscribitur Jacobo fratri Domini, qui octennio decessit ante Sanctum Petrum. Quippe Sanctus Jacobus anno Neronis 7. Sanctus verò Petrus anno ejus 14. obiit, ut testis est Sanctus Hieronymus in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum. Porro in ea Clementis Epistola mentio fit obitûs Sancti Petri; quæ manifesta est ἀσυλλογία. Hujus contradictionis pondere oppressus Baronius, non Jacobo, sed Simeoni fratri Domini, hanc Epistolam dicit inscribendam, repugnante omnium Codicum fide. Genebrardus tertium comminiscitur Jacobum, sed figmentum istud à Sancto Hieronymo in antecessum confutatum est lib. adversùs Helvidium cap. 7. *Si non est Apostolus, sed tertius nescio quis Jacobus, quomodo est frater Domini putandus? & quomodo tertius ad distinctionem Majoris appellabitur Minor, cùm Major & Minor, non inter tres, sed inter duos soleant præbere distantiam; & frater Domini Apostolus sit, Paulo dicente: Deinde post triennium veni Hierusalem videre Petrum, & mansi apud illum diebus quindecim: alium autem Apostolorum, vidi neminem, præter Jacobum fratrem Domini.*

Misso igitur Pseudo Clemente, probatur Propositio ex Sancto Irenæo lib. 1. adversùs Hæreses cap. 2. *Ecclesia enim*, inquit, *per universum orbem usque ad fines terræ seminata, & ab Apostolis & à Discipulis eorum, accepit eam fidem, quæ est in unum Deum Patrem omnipotentem.*

II. Ex Tertulliano lib. de Præscriptionibus Hæreticorum cap. 37. *In ea regula incedimus*, inquit, *quam Ecclesia ab Apostolis, Apostoli à Christo, Christus à Deo tradidit.* Porro nomine regulæ, Symbolum istud intelligit de quo agimus, ut constat ex lib. de Velandis Virginibus cap. 1. *Regula*, inquit, *fidei una omnino est, sola immobilis, & irreformabilis, credendi scilicet in unum Deum omnipotentem, mundi Conditorem, & in Filium ejus Jesum Christum, &c.*

Et lib. laudato de Præscriptionibus cap. 13. *Regula est autem fidei, ut jam hinc quid defendamus profiteamur, illa scilicet qua creditur unum omnino Deum esse*

Et cap. XXXI. *Superest ergo uti demonstremus, an hæc nostra doctrina, cujus Regulam supra edidimus, de Apostolorum Traditione censeatur, & ex hoc ipso, an cætera de mendacio veniant?*

III. Ex Lucifero Calaritano lib. 2. adversùs Constantium Imperatorem ubi hoc Symbolum appellat *Formam Disciplinæ, & Regulam Fidei per Apostolos traditam*

Et libro *De non conveniendo cum Hæreticis*, ita scribit: *Unde dulces tui possent esse sermones quem videmus tenentem traditionem Arii, non Beatorum Apostolorum, ad quos dixerit iste quem negas quod verus sit Filius Dei:* Euntes baptizate credentes in Nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti? *Quomodo tibi Discipulo Arii acquiescemus Christiani, destruentes Apostolicam Traditionem, cùm te inveniamus dicere Patrem non esse verum Patrem, sed appellari Patrem: cùm dicas illum non verum habere Filium, sed factum ex nihilo? Econtra videmus Apostolos credidisse in unum Deum Patrem omnipotentem; verum Patrem; propterea verum Patrem, quòd verè, non putativè habeat Filium: Et in unicum Filium ejus Jesum Christum, hoc est, in verum Dei Filium: Et in Sanctum Paracletum, verum Dei Spiritum.*

IV. Ex S. Ambrosio lib. 1. Epistolâ 7. ad Siricium Pontificem Maximum, *Credatur*, inquit, *Symbolo Apostolorum, quod Ecclesia Romana intemeratum semper custodit & servat.*

Idem Pater, seu potiùs alius Auctor Sermonis ultimi de Jejunio Eliæ, inter ejus Opera editi, agens de fide contenta in hoc Symbolo, ait: *Ista autem ipsa clavis, quam fidem dicimus, videamus quemadmodum constat, quemadmodum solida sit. Arbitror illam duodecim Artificum operatione conflatam. Duodecim enim Apostolorum Symbolo fides sancta concepta est, qui velut periti artifices in unum convenientes, clavem suo consilio conflaverunt. Clavem enim quandam ipsum Symbolum dixerim, per quam reserantur diaboli tenebræ, ut lux Christi adveniat.*

V. Ex Cælestino I. Pontifice Maximo in Epistola ad Nestorium, ubi Symbolum istud vocat *Symbolum ab Apostolis traditum.*

VI. Ex Concilio Ephesino, in Relatione ad Theodosium Augustum, de Nestorii depositione: *Fides*, inquit, *initio quidem à Sanctis Apostolis tradita; postea verò à trecentis decem & octo Patribus in Metropoli Nicæna exposita.*

VII. Ex Rufino in Præfatione Expositionis Symboli ad Laurentium: *Tradunt Majores nostri*, inquit, *quod post Ascensionem Domini, cùm per adventum Spiritûs Sancti supra singulos quosque Apostolos ignea lingua sedissent, ut loquelis diversis variisque loquerentur, per quod eis nulla Gens extranea, nulla lingua barbaries inaccessa videretur & invia: præceptum est à Domino datum hoc, ad prædicandum Dei verbum, ad singulas quemque proficisci nationes. Discessuri itaque ab invicem, normam sibi priùs futuræ prædicationis in commune constituunt,* A *ne fortè alii aliò adducti, diversum aliquid his, qui ad fidem Christi invitabantur, exponerent. Omnes igitur in uno positi, & Spiritu Sancto repleti, breve istud futuræ sibi, ut diximus, prædicationis indicium in unum conferendo, quod sentiebat unusquisque componunt, atque hanc credentibus dandam esse Regulam statuunt.* At infrà: *Discessuri igitur, ut diximus, ad prædicandum, istud unanimitatis & fidei suæ Apostoli indicium posuere, non sicut filii Noë, discessuri ab alterutrum, turrim ex latere cocto & bitumine construentes, cujus cacumen usque ad cælum pertingeret: sed monumenta fidei, quæ starent adver-* B *sùs faciem inimici, è lapidibus vivis, & margaritis Dominicis ædificantes: quam neque venti impellerent, neque fulmina subruerent, neque tempestatum ac procellarum turbines permoverent.*

Eadem habet S. Isidorus Hispalensis lib. 2. de Ecclesiasticis Officiis cap. 22.

Octavò, ex S. Leone Epistolâ 13. ad Pulcheriam Augustam data: *Siquidem ipsius Catholici Symboli*, inquit, *brevis & perfecta confessio, quæ duodecim Apostolorum totidem est signata sententiis, tam instructa sit in munitione cælesti, ut omnes Hæreticorum opiniones solo ipsius possint gladio detruncari.*

C Nonò, ex *Cassiano*, lib. VI. *De Incarnatione*, cap. 3. & 4. *Collatâ ab Apostolis Domini totius Catholicæ Legis fide, quicquid per diversum divinorum Voluminum corpus immensâ funditur copiâ, totum in Symboli colligitur brevitate perfecta.*

Decimò, ex *S. Maximo*, Homiliâ *De traditione Symboli*, cujus hæc sunt verba: *Apostoli Ecclesiæ Dei Mysterium Symboli tradiderunt: ut quia sub uno Christi nomine credentium futura erat diversitas, signaculum Fidei inter Fideles perfidósque discerneret.*

Quidam Propositionem insuper probant authoritate S. Augustini Sermone 115. de Tempore ita D scribentis: *Quod Græcè Symbolum dicitur, Latinè Collatio nominatur: Collatio ideo, quia collata in unum totius Catholicæ Legis fides, Symboli colligitur brevitate; cujus textum vobis modo, Deo annuente, dicemus. Petrus dixit: Credo in Deum Patrem omnipotentem. Joannes dixit: Creatorem cæli & terræ. Jacobus dixit: Credo & in Jesum Christum Filium ejus unicum Dominum nostrum. Andreas dixit, Qui conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine. Philippus ait: Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus & sepultus. Thomas ait; Descendit ad inferos, tertia die resurrexit à mortuis. Bartholo-* E *mæus dixit: Ascendit ad cælos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis. Matthæus dixit: Inde venturus judicare vivos & mortuos. Jacobus Alphæi: Credo & in Spiritum Sanctum, Sanctam Ecclesiam Catholicam. Simon Zelotes: Sanctorum Communionem, remissionem peccatorum. Judas Jacobi: Carnis resurrectionem. Matthias complevit: Vitam æternam. Amen.*

Verùm vim in eo testimonio facere nolim, quòd Sermo ille, vel genuinus non sit S. Augustini fœtus, vel certè ab aliquo sciolo interpolatus fuerit. Illa enim de sententiis ab unoquoque Aposto- F lorum dictis, intrusa esse in contextum illius Sermonis videntur. Id ex eo conjicio, quòd iis expunctis, meliùs omnia fluant. *Symboli*, inquit, *colligitur brevitate; cujus textum vobis modò, Deo annuente dicemus.* Expungantur ergo hîc duodecim Symboli sententiæ, quæ cum Apostolorum nominibus continuò subjunguntur; appositè sequetur; *Audite ergo, Fratres charissimi*, &c. Et post pauca: *Credo in Deum Patrem omnipotentem, & reliqua, sicut suprà.* Author illius Sermonis integrum hîc apposuit Symbolum; cujus verba ipsa se dixerat proximè subditurum. Sed Exscriptor, aut Typographus, qui id priùs contextui inseruerat, ne in ine-

ptam repetitionem incideret, delevit id, præter initium; sequentium autem loco reposuit; *Reliqua, sicut suprà.* Integrè enim recitatum esse Symbolum eò loci, tum præcedentia, cùm adjuncta ostendunt. Subdit enim illios Sermonis Author: *Ergo dilectissimi, hæc verba non humana, sed Domini cælestia sunt Sacramenta; quæ in vestris cordibus ipsius misericordiâ præstante, resideant.* Postea demum particulatim Symbolum repetit, & difficilioribus sententiis explicationem subdit. Quare is Author primò quidem Symbolum recitavit continua oratione, deinde idem fecit oratione concisa, ac interpretationibus suis interrupta. Parùm autem verisimile est in brevi adeo Sermone Symbolum ter fuisse repetitum. Quod ita est, si recitavit primò, ut cognosceretur, quam Apostolorum quisque sententiam contulisset; atque inde repetiit, tum rectà transiit ad particularem recitationem, eamque explicationibus permixtam.

Objicitur primò. Si Symbolum hoc fuisset ab Apostolis concinnatum, non ipsi in Epistolis, ac Beatus Lucas in Actibus Apostolicis, tanti rem momenti ignorare sivissent Ecclesiam Catholicam: atqui Apostolorum nemo, nec Beatus Lucas, ejus Symboli meminit; ergo hoc Symbolum non est conditum ab Apostolis.

Præterea, si Symbolum esset ab Apostolis editum, esset pars Scripturæ Canonicæ: atqui nullus Patrum, dum Canonem refert Scripturæ, in eo Symbolum hoc reposuit; igitur Authores Apostolos non habet.

Respondeo ad primum, nego Majorem. Multa enim alia sunt ab Apostolis facta, quorum nec S. Lucas, nec Apostolorum ullus meminit. Nec argumentum inficiale alicujus omnino ponderis est. Vel, distinguo Majorem. S. Lucas, aut alii Apostoli in suis Epistolis ejus meminissent, si scripto traditum esset ab Apostolis, concedo; si pertineat ad Traditiones non scriptas, nego. Porro Symbolum non scripto consignatum ab Apostolis est, sed Fidelium memoriæ commendatum. Id testatur S. Hieronymus Epistolâ 61. ad Pammachium datâ, *Symbolum*, inquit, *fidei & spei nostræ, quod ab Apostolis traditum, non scribitur in charta, aut atramento; sed in tabulis cordis carnalibus.*

Idem testatur Rufinus in Expositione Symboli: *Idcirco*, inquit, *hæc non scribi chartulis, aut membranis, sed requiri credentium cordibus tradiderunt, ut certum esset hæc neminem ex lectione, quæ interdum pervenire etiam ad infideles solet; sed ex Apostolorum Traditione didicisse.* Denique idem testatur S. Petrus Chrysologus Sermone 62. *Symbolum Fidei*, inquit, *sola Fide firmatur: non litera, sed spiritui creditur; & mandatur cordi, non charta.* Mirum igitur videri non debet, quòd Apostoli suis in Epistolis, & S. Lucas in Actibus Apostolorum, de illo Symbolo nihil habeant.

His addendum, S. Lucam, teste S. Hieronymo, *Multa Historiographi licentiâ prætermisisse.* Quid quòd nec Evangelii à se conscripti meminit? nec tamen inde inferri potest Evangelium à S. Luca non esse conscriptum.

Ad secundum respondeo, Symbolum Apostolicum non esse repositum in Canone Scripturæ Sacræ, tum quia scripto non est ab Apostolis traditum, tum quia, licèt sit certum fuisse conditum ab Apostolis, non tamen ad Fidem spectat, nec ab Ecclesia definitum est. At Scriptura Sacra literis mandata est, & eam esse ab Authoribus Sacris, suggerente Spiritu Sancto dictatam, Fides edocet.

Objicitur secundò. Symbolum non erat necessarium Fidelibus, nisi ut se Hæreticis opponerent, & ut contra ipsorum errores munirentur: atqui temporibus Apostolorum, nulli erant Hæretici;

A ergo nulla Symboli necessitas; proindeque illud Apostoli non condiderunt.

Respondeo, nego Minorem. Tunc enim Simoniani, Cerinthiani & Ebionitæ grassabantur. Tunc inter Fideles obrepebant seductores, falsi Prophetæ, falsi fratres, ut S. Paulus in suis Epistolis testatur. Hinc Rufinus de Symbolo Apostolico agens, ait: *Indicium autem & signum idcirco dicitur, quia illo tempore, ut Paulus Apostolus dicit, & in Actis Apostolorum refertur, multi ex circumcisis Judæis simulabant se esse Apostolos Christi, & lucri alicujus, vel ventris gratiâ ad prædican-*
B *dum proficiscebantur, nominantes quidem Christum, sed non integris traditionum lineis nuntiantes. Idcirco ergo istud indicium posuere, per quod agnosceretur is qui Christum verè secundùm Apostolicas Regulas prædicaret.* Deinde, quamvis nulli fuissent Hæretici Apostolicis temporibus, non sequitur Apostolos non edidisse Symbolum, quia Fidei & Ecclesiæ in futurum consulere ac providere debebant.

Objicitur tertiò. Non conveniunt Patres in assignanda ratione, quæ Apostolos impulit ut Symbolum ederent; non est igitur editum ab Apo-
C stolis.

Respondeo, nego Consequens. Varias enim rationes habuisse Apostolos illius condendi Symboli probabile est, cujus Traditio maximi erat in Ecclesia momenti. Unde non mirum quòd Sancti Patres rationes etiam diversas attulerint cur sit ab Apostolis editum; quæ tamen rationes inter se nullatenus pugnant.

Objicitur quartò. Non conveniunt inter se Authores Catholici de tempore quo Symbolum ab Apostolis editum est; ergo non est verè Apo-
D stolicum.

Respondeo, nego Consequens. Quid enim refert ad rei veritatem, quo tempore facta sit? Præterea doctiores editum Symbolum ab Apostolis arbitrantur, immediatè ante illorum dispersionem. Tertiò, retorquetur argumentum contra Hæreticos: ipsi enim non conveniunt de tempore, quo ab Ecclesia Romana editum est, ut ipsi contendunt. Alii enim quarto Sæculo, alii quinto conditum volunt, alii ab iis ipsis, qui Canones Apostolorum conscripsere. Quartò, veriùs illud Apostolis tribuimus, cùm à nullo Concilio, à nullo
E Pontifice, à nullo Authore conscriptum legamus, secundùm præclaram illam S. Augustini Regulam lib. 5. de Baptismo contra Donatistas cap. 24. *Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi authoritate Apostolica traditum rectissimè creditur.*

Objicitur quintò. Si Symbolum esset ab Apostolis compositum iis sententiis, eo ordine, istis verbis quibus nunc in Ecclesia recitatur; non his verbis hac in Ecclesia, aliis in alia; imò hîc longè pluribus, alibi paucioribus multò sententiis constitisset: atqui variis in Ecclesiis varia propè fuerunt Symbola; aut certè alia & alia verba Symboli;
F imò in quibusdam longè plures, in aliis pauciores sententiæ; ergo Symbolum istud non est ab Apostolis compositum iis sententiis, eo ordine, istis verbis, quibus nunc in Ecclesia recitatur.

Probatur Minor ex collatione variorum Symbolorum. Primum caput vulgatis Symboli sic habet: *Credo in Deum Patrem omnipotentem, Creatorem cæli & terræ.* Symbolum Orientale addit hanc vocem, *unum*, & habet: *Credo in unum Deum Patrem omnipotentem.* In Aquileiensi & Romano omittuntur illa verba, *Creatorem cæli & terræ.* Tandem in Aquileiensi, post *Omnipotentem*, additur, *invisibilem & impassibilem.*

In tertio Symboli capite, habet istud, quod

vulgò

vulgò recitamus, *Qui conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine:* Aquileiense habet, *Qui natus est de Spiritu Sancto, ex Maria Virgine.* Hierosolymitanum habet duntaxat hæc verba; *Incarnatum, & hominem factum*, ut constat ex S. Cyrillo Hierosolymitano Catechesi XII.

Quartum caput sic effertur in vulgari Symbolo: *Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus & sepultus, descendit ad inferos.* Aquileiense, Passionem & Mortem præterit, & sic habet: *Crucifixus sub Pontio Pilato, & sepultus descendit ad inferna.* Romanum verò, descensum ad inferos omisit, ac similiter Symbola Orientis.

Circa nonum caput, variant Aquileiense, & Romanum. Cùm enim vulgare Symbolum habeat; *Credo Sanctam Ecclesiam Catholicam, Sanctorum Communionem*; Aquileiense omitit hanc vocem, *Catholicam*. Ex certè in Ecclesiæ excerptis non est verisimile hanc extitisse in Symbolo, cùm nonnisi post Apostolorum tempora Ecclesia fuerit Catholica, id est, universalis, & per totum orbem diffusa. Imò videtur quòd Apostolorum tempore, consuetudo nondum obtineret, ut Christiani dicerentur Catholici, & Ecclesia Catholica, quemadmodum Epistolâ 1. ad Sympronianum scripsit S. Pacianus. Certè S. Augustinus lib. de Symbolo ad Catechumenos, postquam deventum est ad Sanctam Ecclesiam, declarationis causâ apponit, *utique Catholicam.* In ipso tamen Symboli textu hanc vocem non habet. Nec etiam apud Rufinum legitur, qui sanè vocem eam explicuisset, si agnovisset: nec enim usque adeo levis est momenti. Præterea Symbolum Aquileiense nihil habet de Communione Sanctorum.

In capite undecimo, quo profitemur resurrectionem carnis, Symbolum Aquileiense addit, *hujus carnis.* Hìc porro desinunt Symbolum Aquileiense ac Romanum. Unde ab utroque abest caput de credenda vita æterna, ut constat ex Sancto Hieronymo Epistolâ 61. scribente: *In Symbolo fidei & spei nostræ (quod ab Apostolis traditum, non scribitur in charta & atramento; sed in tabulis cordis carnalibus) post confessionem Trinitatis, & unitatem Ecclesiæ, omne Christiani dogmatis sacramentum carnis resurrectione concluditur.* Idem constat ex Rufino dicente: *Sed ultimus iste sermo, qui resurrectionem pronuntiat, summam totius perfectionis succincta brevitate concludit.*

Respondeo, distinguo majorem propositionem. Non his verbis hac in Ecclesia, aliis in alia; imò hic longè pluribus, alibi paucioribus sententiis constitisset: si in omnibus Ecclesiis æquè integrum ac intemeratum servatum esset, concedo: si in aliis Ecclesiis quædam adjecta sint, vel prætermissa, nego. Porro in sola Ecclesia Romana Symbolum Apostolicum eo ordine, iisque planè verbis & sententiis recitatur, quo ab Apostolis traditum est. In aliis verò Symbolis, aliqua interdum sunt adjecta majoris explicationis gratiâ, propter novas Hæreses emergentes, quæ tamen in aliis Symboli capitibus implicitè, virtute, vel etiam verbis æquivalentibus, continebantur. Unde ex Symbolo Aquileiensi, aut Orientali, colligere non debemus, quid Symbolum Apostolicum habeat, sed ex solius Romanæ Ecclesiæ Symbolo. Siquidem, teste S. Ambrosio lib. 1. Epistolâ 7. ad Siricium: *Ecclesia Romana Symbolum Apostolorum intemeratum semper custodit & servat.* Hæc solutio eruitur ex Rufino in Expositione Symboli: *Verùm*, inquit, *priusquam incipiam de ipsis sermonum virtutibus disputare, illud non importunè commonendum puto, quòd in diversis Ecclesiis aliqua in his verbis inveniuntur adjecta. In Ecclesia tamen Urbis Romæ hoc non deprehenditur factum: quòd ego propterea esse arbitror, quòd neque Hæresis ulla illic sumpsit exordium; & mos ibi servatur antiquus, eos qui gratiam Baptismi suscepturi sunt, publicè, id est, Fidelium populo audiente, Symbolum reddere; & utique adjectionem hujus saltem sermonis eorum, qui præcesserunt in fide, non admittit auditum. In cæteris autem locis, quantùm intelligi datur, propter nonnullos Hæreticos, addita quædam videntur, per quæ novellæ doctrinæ sensus crederetur excludi. Nos tamen illum ordinem sequimur, quem in Aquileiensi Ecclesia, lavacri gratiâ, suscepimus.*

Ad probationem Minoris respondeo, ad primum caput: hanc vocem, *unum*, quæ extat in Symbolo Orientali, satis intelligi in aliis, cùm dicitur, *Credo in Deum.* Namque aut Deus non est; aut nonnisi unus est; *& pluralitas Deorum nullitas est Deorum*, ut Tertullianus ait. Unde quòd in pari caussa respondet Vigilius lib. 4. contra Eutychem, hic usurpare licet: *Universitas profitetur credere se in Deum Patrem omnipotentem, & in Jesum Christum, Filium ejus, Dominum nostrum. Huic capitulo ob id iste calumniatur. Cur non dixit: In unum Jesum Christum Filium ejus, juxta Nicænì Decretum Concilii? Sed Roma, & antequam Nicæna Synodus conveniret, à temporibus Apostolorum, usque ad nunc, & sub B. memoriæ Cælestino, cui iste fidei testimonium reddidit, ita Fidelibus Symbolum tradidit: nec præjudicant verba ubi, sensus incolumis permanet.*

Illa porro verba, *Creatorem cæli & terræ*, quæ in Romano & Aquileiensi Symbolo non habentur, contineri in ista voce, *Omnipotentem*, quoad sensum, nemo nescit.

Tandem ista verba, *invisibilem & impassibilem*, addidit Symbolo Apostolico Ecclesia Aquileiensis, ad retundendam Patripassianorum Hæresim, ut testatur Rufinus. *Sciendum*, inquit, *quòd duo isti sermones in Ecclesia Romana Symbolo non habentur. Constat autem apud nos additos, Hæreseos causâ Sabellii illius profectò, quæ à nostris Patripassiana appellatur, id est, quæ & Patrem ipsum, vel ex Virgine natum dicit, & visibilem factum esse, vel passum affirmat in carne. Ut ergo excluderetur talis impietas de Patre, videntur hæc addidisse Majores, & invisibilem Patrem, atque impassibilem dixisse.*

Ad secundum caput, respondeo Aquileiense Symbolum non discrepare ab aliis sensu, sed verbis tenus. Christus enim natus dicitur de Spiritu Sancto, quomodo Angelus dixit S. Josepho: *Quod in ea natum est, de Spiritu Sancto est*; Græcè γεννηθὲν, quod tam ad conceptum, quàm editum fœtum pertinet. Sed ne in conceptu libido irrepsisse videretur, majoris explicationis causâ additum est, *Qui conceptus est de Spiritu Sancto*, quòd autem idem esset sensus verborum quæ leguntur in Symbolo Aquileiensi, necnon etiam in Romano: quòd Ravennæ, ubi S. Petrus Chrysologus Episcopatum gerebat, recitari solitum, verisimile est, constat ex ejusdem S. Petri Chrysologi Expositione: *Si juxta Evangelistam*, inquit, *quòd in ea natum est de Spiritu Sancto, est, quia Deus Spiritus est: Hæreticus jam Deum natum virginem confiteatur ex carne, neque ampliùs cæleste mysterium, virginitatis partum, trahat ad conceptum mundi, ad terrenæ fragilitatis injuriam.* Denique quòd Symbolum Hierosolymitanum, Filium Dei dicat duntaxat, *Incarnatum & hominem factum*; non probat quòd vario modo recitatum sit Symbolum Apostolorum in variis Ecclesiis, sed quòd omnes Ecclesiæ Symbolum Apostolicum suis Competentibus non tradiderint. Neque enim S. Cyrillus Hierosolymitanus Symbolum illud quod exponit, Apostolicum vocat. Præterea, hæc verba, *Incarnatum & hominem*

*nem factum*, implicitè continent hanc sententiam, *Conceptus de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine.* Siquidem ut Ecclesia canit in Hymno Nativitatis Domini) *Talis decet partus Deum.* Tertiò, respondeo non posse colligi ex S. Cyrillo quòd Symbolum Hierosolymitanum illa verba non haberet; quia nec Symbolum continua oratione recenset, nec singulas distinctè particulas & voces, sed summa duntaxat capita Fidei, ut constat ex illius Catechesi 4. *Ante verò Fidei Traditionem, præclarè mecum actum videtur, si nunc summatim dogmatum necessariorum capita repetam, ne dicendorum multitudo, & intercessurum dierum sancta Quadragesima totius intervallum, oblivionem inducat nostrarum rerum, earum quæ sunt ad cogitandum solidiores: atque etiam ne nunc capitum factâ priùs à nobis semente, quæ ad rem latiùs explicandam faciant, obliviscamur.* Quòd verò in Hierosolymitano Symbolo nativitas ex Virgine disertis verbis haberetur, colligi potest non obscurè ex eadem Catechesi. Cùm enim ad finem capitis de Christo, dixisset; (*Non enim propositi obliti sumus, quòd summa rudimentorum fidei capita nunc explicaturi eramus;*) continuò subjungit aliud caput sic inscriptum: *De generatione ex Virgine.* Et in Expositione ait: *Crede verò hunc unigenitum Dei Filium ex Sancta Virgine atque Spiritu Sancto natum esse.* Igitur verisimile est has voces positas fuisse in Symbolo Hierosolymitano.

Ad quartum caput, respondeo Passionem & Mortem in Symbolo Aquileiensi præteriri, non incuriâ: nam quòd passus est, sub eo, quòd crucifixus fuit, continetur. Nec mortuum additur, quia partim in eo comprehenditur, quòd crucifixus dicitur, partim illo, quòd sepultum, imò & resurrexisse subjicitur. Crucifiguntur enim ut moriantur: nec nisi certò mortui sepeliuntur, postquam verò sepulti, resurgunt.

Ad objectionem de Christi descensu ad inferos, respondeo illorum verborum sensum implicitè in istis contineri, *& sepultus est.* Unde non mirum quòd Symbolum Ecclesiæ Romanæ hæc verba non habeat, uti nec Symbola Orientis. Hæc solutio est Rufini in Expositione Symboli, ubi ita scribit: *Sciendum sanè est quòd in Ecclesia Romana Symbolo non habetur additum, Descendit ad inferna: sed neque in Orientis Ecclesiis habetur hic sermo: vis tamen verbi eadem videtur esse in eo quòd sepultus dicitur.* Inquantum scilicet, sicut Corpus Christi Domini descendit ad suum locum, nempe terram, quæ est locus corporum: ita & anima ad locum animarum, videlicet ad eam inferorum partem, in qua captivæ tunc detinebantur Sanctorum animæ, ut eas inde educeret; atque ita captivam ducens captivitatem, triumphator in cœlum ascenderet.

Ad nonum caput respondeo, non deesse qui existiment, hanc vocem, *Catholicam*, primitus fuisse positam in Symbolo, prout ab Apostolis conditum est: legitur namque apud S. Petrum Chrysologum Sermone 57. apud S. Ambrosium Tractatu de Symbolo, (qui tamen non est S. Ambrosii, sed alterius antiqui Authoris) apud S. Cyrillum Hierosolymitanum, Catechesi 18. Illuminatorum. Potuerunt autem Apostoli, absque ulla falsitate eam inserere huic suo Symbolo. Licèt enim tunc temporis, quando illud condiderunt, Fides Christiana nondum esset reipsa diffusa per totum orbem: attamen id proximè futurum erat, & de eo certissimè constabat Apostolis, tum ex mandato Domini, ut prædicarent Evangelium omni creaturæ; tum etiam ex Scripturis ita prænuntiantibus.

Deinde universalitas, quæ innuitur hac voce, *Catholicam*, non debet restringi ad eam solam, quæ est penes locum, aut penes personas, in quantum omnes obligat ad sui susceptionem; sed importat etiam universalitatem temporis, seu perpetuitatem, & universalitatem doctrinæ, in quantum complectitur omnia dogmata Fidei Catholicæ, quæ debent venire in notitiam hominum, fundatam in revelatione Dei facta Ecclesiæ: quo sensu Vincentius Lirinensis in suo Commonitorio ait: *Eos esse Catholicos, qui tenent id quod semper, quod ubique, & quod ab omnibus creditum est.* Cùm ergo posteriores istius universalitatis rationes habuerit Ecclesia, etiam tempore Apostolorum, ante eorum profectionem ad varias Gentes, potuerunt etiam propter ejusmodi universalitatem, verissimè dicere in suo Symbolo, *Ecclesiam Catholicam.* Hinc Smyrnensis Ecclesia Epistolam suam Encyclicam sic inscripsit: *Ecclesia Dei quæ est Smyrnæ, Ecclesiæ Dei . . . . . & omnibus ubicunque terrarum Sanctæ & Catholicæ Ecclesiæ populis.* (Apud Eusebium a. lib. 5. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 15.) Hinc Apollinaris Hierapolitanus: *Catholicam quæ per orbem terrarum sparsa est, Ecclesiam maledictis appetere docebat spiritus arrogantissimus.* (Apud Eusebium lib. 5. Historiæ cap. 16.)

Aliorum verò sententia est, ejusmodi vocabulum, *Catholicam*, non fuisse positum primitus in Symbolo, quando conditum est ab Apostolis; sed additum postea fuisse, majoris explicationis gratiâ, cùm antea virtute tantùm, & obscurè contineretur in eo articulo, quo profitemur Ecclesiam Sanctam. Dicunt enim hanc vocem, *Catholicam*, non esse notam Ecclesiæ quasi in cunis adhuc positæ, qualis erat, quando Apostoli condiderunt hoc Symbolum; sed Ecclesiæ constitutæ in statu perfecto, & quasi adolescentis; quemadmodum aliæ sunt notæ hominis infantis & adulti.

Quòd verò spectat ad eam Symboli partem, quæ est de Communione Sanctorum, fateor eam in Symbolo Aquileiensi fuisse prætermissam, necnon in eo quo Ecclesia Ravennatensis usa est, prout illud recenset S. Petrus Chrysologus; quia non constituit singulare aliquod Fidei caput, sed est Expositio capitis, quo profitemur Sanctam Ecclesiam Catholicam, ut etiam habet Catechismus Concilii Tridentini Parte 1. De nono Symboli articulo Num. 24. *In primis igitur*, inquit, *Fideles docendi sunt hunc articulum esse illius, qui de una Sancta Ecclesia Catholica antea positus est, veluti explicationem quandam. Unitas enim Spiritûs à quo illa regitur, efficit ut quicquid in eam collatum est, commune sit.* Non desunt tamen è Veteribus, qui caput istud de Communione Sanctorum in Symbolo Apostolico legerint, ut S. Ambrosius sive alius Autor, Tractatu de Symbolo: & Author, quisquis ille est Sermonum de Diversis qui in Appendice Sancti Augustini leguntur.

Postremum denique caput, de *Vita æterna*, legitur apud eosdem Authores, necnon apud S. Petrum Chrysologum. Ideo autem in Aquileiensi, imò & in Romano, quòd verè Apostolicum est, fuit omissum, quia virtute continetur sub illis verbis, quibus carnis resurrectionem profitemur, sicuti videre est apud S. Thomam Secundâ Secundæ Quæstione 1. Articulo 8. ubi unicum duntaxat caput recenset, quod complectitur opus gloriæ, illudque conflatum ex duabus particulis asserit, quarum unâ, *Carnis resurrectionem*: alterâ, gloriam animæ, *seu vitam æternam*, profitemur. Sanè Rufinus sub articulo resurrectionis vitam æternam contineri, intellexit, cùm dixit in Expositione Symboli: *Dabitur etiam*, inquit, *peccatoribus incorruptionis & immortalitatis ex resurrectione conditio, ut sicut Justis Deus ministrat ad perpetuitatem gloriæ: ita peccatoribus ad prolixitatem confusionis ministret & pœnæ.*

Objicitur

Objicitur sextò. In Symbolo quod Tertullianus repræsentat, non habentur capita de Christi descensu ad Inferos, de Spiritu Sancto, de Ecclesia, de Sanctorum Communione, de remissione peccatorum, de vita æterna. Itaque Symbolum non fuit eodem modo traditum Ecclesiis, adeóque non est verè Apostolicum.

Probatur Antecedens ex libro *De Velandis Virginibus*, cap. 1. *Regula quidem Fidei*, inquit, *una omnino est, sola immobilis & irreformabilis, credendi scilicet in unicum Deum omnipotentem mundi Conditorem, & Filium ejus Jesum Christum, natum ex Virgine Maria, crucifixum sub Pontio Pilato, tertia die resuscitatum à mortuis, receptum in cælis, sedentem nunc ad dexteram Patris, venturum judicare vivos & mortuos, per carnis etiam resurrectionem.*

Ex lib. de Præscriptionibus Hæreticorum, quanquam capita de Spiritu Sancto, & de vita æterna memoret, alia tamen superiùs indicata prætermittit. *Regula est autem Fidei* (inquit cap. 13.) *ut jam hinc quid defendamus, profiteamur, illa scilicet quâ creditur: Unum omnino Deum esse: nec alium præter mundi Conditorem, qui universa de nihilo produxerit, per Verbum suum primò omnium demissum: id Verbum Filium ejus appellatum, in nomine Dei variè visum à Patriarchis, in Prophetis semper auditum, postremò delatum ex Spiritu Patris Dei & virtute, in Virginem Mariam, carnem factum in utero ejus, & ex ea natum egisse Jesum Christum: exinde prædicasse novam Legem, & novam Promissionem regni Cœlorum: virtutes fecisse: fixum Cruci; tertia die resurrexisse: in cælos ereptum, sedisse ad dexteram Patris: misisse vicariam vim Spiritûs Sancti, qui credentes agat: venturum cum claritate, ad sumendos Sanctos in vita æterna & promissorum cælestium fructum, & ad profanos adjudicandos igni perpetuo, factâ utriusque partis resuscitatione, cum carnis restitutione.*

Et lib. adversùs Praxeam cap. 2. *Unicum quidem Deum credimus, sub hac tamen dispensatione, quam œconomiam dicimus, ut unici Dei sit & Filius sermo ipsius, qui ex ipso processerit, per quem omnia facta sunt, & sine quo factum est nihil. Hunc missum à Patre in Virginem, & ex ea natum hominem & Deum, Filium Hominis, & Filium Dei, & cognominatum Jesum Christum. Hunc passum, hunc mortuum & sepultum secundùm Scripturas, & resuscitatum à Patre, & in Cœlos resumptum, sedere ad dexteram Patris, venturum judicare vivos & mortuos: qui exinde miserit, secundùm promissionem suam, Spiritum Sanctum Paracletum, Sanctificatorem fidei eorum qui credunt in Patrem, & Filium & Spiritum Sanctum.*

Respondeo, distinguo Antecedens: Et Tertullianus Symbolum integrum non describit, prout ab Apostolis traditum est, concedo: & illud describit omnino ut est ab Apostolis traditum, nego. His enim in libris Tertullianus præcipua duntaxat Symboli capita repræsentat, quibus errores tunc regnantes, scilicet Praxeæ, Valentinianorum, Marcionitarum, Appellitarum confodiebantur: Symbolum integrum, prout Competentibus tradebatur, & ab ipsis reddebatur, sibi non sumit repræsentandum ac exponendum. Unde nec iisdem prorsus verbis illud variis in locis refert, imò nec iisdem penitus sententiis. Hinc itaque colligi non potest, quòd Africana Ecclesia Symbolum suis Competentibus traderet iis minutum capitibus, quæ Tertullianus prætermittit.

Respondeo secundò, in Confessione Spiritûs Sancti, quem Filius misit ut Vicariam vim, quæ credentes agat, & ut Sanctificatorem Fidei eorum qui credunt, involvi implicitè articulum de Ecclesia, quæ Credentium Congregatio est; item de Communione Sanctorum, qui Spiritu Sancto adunantur, & moventur; remissionem denique peccatorum, quæ sanctificationis præcipua pars est.

Respondeo tertiò, Tertullianum Pseudoprophetis Montanistarum afflatum, nec Ecclesiam Catholicam, cujus homines injurioso Psychicorum nomine infamabat, & quam in tribus, licèt Laicis, asserebat conservari; nec remissionem peccatorum in Ecclesia, & ab Ecclesia, disertis verbis profiteri voluisse; quia graviora peccata indonabilia, & irremissibilia contendebat, cum Montanistis delirando. Unde suspicio nulla esse non potest, ipsum ex industria supra memoratos Symboli Apostolici articulos omisisse.



# DISSERTATIO XIII.

## *De Sessione Sancti Petri Romæ.*

HETERODOXI, ut Romani Episcopi Primatum à S. Petro derivatum impugnent, Sessionem S. Petri Romæ inficiantur. Contra quos hac in Dissertatione tria probanda suscipimus. Primò, S. Petrum Romam aliquando venisse: secundò, eundem Romæ obiisse: tertiò, ipsum Romæ ad mortem usque Episcopatum gessisse.

## PROPOSITIO I.

*Sancti Petri Apostolorum Principis, Romam adventum, quem obscuriùs indicat Scriptura Sacra, Traditio disertè probat.*

I. Pars ostenditur ex ipsiúsmet S. Petri Epistola 1. cap. 5. *Salutat vos*, inquit, *Ecclesia quæ est in Babylone coëlecta, & Marcus filius meus.* Ex quibus verbis colligitur hanc Epistolam Romæ scriptam esse, quam ipse Babylonem vocat, Cujus rei testis est Papias Apostolorum Discipulus, apud Eusebium lib. 2. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 14. & ipse Eusebius ibidem. *Constat porro*, inquit, *Petrum hujus Marci mentionem facere in priore Epistola, quam Romæ texuisse dicitur: quam quidem Epistolam ibi perscriptam ostendit, dum civitatem illam verbi translatione, Babylonem appellat, hoc modo; Salutat vos Ecclesia nostra electionis consors, quæ est Babylone, & Marcus filius meus.*

Testis est & S. Hieronymus in Catalogo Virorum Illustrium, seu Scriptorum Ecclesiasticorum, in Marco: *Petrus*, inquit, *in Epistola prima, sub nomine Babylonis figuraliter Romam significans; Salutat*, inquit, *vos Ecclesia, quæ est in Babylone coelecta.*

Præterea S. Joannes in Apocalypsi passim Romam designat nomine Babylonis, ut constat ex cap. 17. ubi dicitur, *Babylon magna sedere super septem Montes, & habere regnum super Reges terræ.* Quæ quidem alteri convenire non possunt à Româ civitati; siquidem nulla alia fuit S. Joannis ætate, quæ super septem montes extructa esset, ac Regibus terræ dominaretur.

Ita locum illum intellexit Tertullianus lib. adversùs Judæos cap. 9. *Sic & Babylon*, inquit, *apud Joannem nostrum, Romanæ urbis figuram portat, proinde & magnæ, & regno superbæ, & Sanctorum debellatricis.*

Ita S. Augustinus lib. 18. de Civitate Dei cap. 22. *Ne multis morer*, inquit, *condita est Roma velut altera Babylon, & prioris filia Babylonis, per quam Deo placuit orbem debellare terrarum, & in unam societatem Reipublicæ, legumque inductum, longè latéque pacare.* Porro si S. Joannes Babylo-



nis

nis nomine Romam significaverit : cur non eodem nomine ipsam indicavit S. Petrus?

Cur autem Romam proprio nomine non designaverit Apostolorum Princeps, ratio in promptu est : quia nempe ex carcere Hierosolymitano fugâ lapsus, commorationis locum suæ omnibus notum esse nolebat ; & Christianorum, qui Romæ degebant, saluti cupiebat esse consultum ; ne si in Gentilium manus hæc fortè Epistola perveniret, scirent multós Romanorum Christo nomen dedisse, atque movendæ contra ipsos persecutionis ansam arriperent : præsertim cùm Claudius Imperator impensè studeret Agrippæ Judæorum Regi, qui Petrum nuper in vincula conjecerat mox coram populo trucidandum. Et certè illam nominum mutationem Apostolis familiarem fuisse, S. Pauli suadet exemplum 2. ad Timotheum 4. scribentis : *Et liberatus sum de ore Leonis*. Quo nomine Neronem designat propter animi crudelitatem, inquit Eusebius lib. 2. cap. 22.

Tertiò illa verba : *Salutat vos Ecclesia, quæ est in Babylone coelecta*, nullo modo possunt intelligi de Babylone Assyriorum : siquidem constat, Caii Augusti tempore, Judæos, quotquot Babylone & apud Assyrios agebant, omnes ad unum expulsos fuisse, & internecione deletos, teste Josepho lib. 18. Antiquitatum Judaicarum cap. 12. Quæ verò apud Ægyptios erat Babylon, obscurus planè locus, non civitatis, nec oppidi dignus nomine, Castellum à Strabone nominatur lib. 17. sic vocatum, quòd à quibusdam Babyloniis erectum fuisset. De qua Babylone intelligi non possunt illa S. Petri verba, cùm nulla ibi Ecclesia collecta fuerit. Cùm multa namque Concilia edita fuerint, Episcoporum munita subscriptionibus, nusquam legitur, Episcopus Babylonis Ægyptiacæ, nisi post annos quingentos, sub Justino Juniore Imperatore, quo tempore primùm reperitur nominatus Episcopus Babylonis in Ægypto Zosimus Cilix, apud Sophronium.

Porro quòd Babylonis nomine Roma designetur, Heterodoxis non favet : nec ipsorum adversùs Romanam Ecclesiam calumnias juvat, quasi de illa exeundum sit, velut de habitatione dæmoniorum, secundùm illud Apocalypsis cap. 18. *Cecidit, cecidit Babylon magna, & facta est habitatio dæmoniorum, & custodia omnis spiritûs immundi.... Exite de illa populus meus, ut ne participes sitis delictorum ejus.* Non, inquam, id Hæreticorum causam juvat ; quia illa verba, non ad Romanam Ecclesiam, sed ad Romanam urbem referuntur, quæ dicta est habitatio dæmoniorum, quia cùm omnibus dominaretur Gentibus, omnium Gentium serviebat erroribus, ut ait S. Leo. Neque his verbis : *Cecidit, cecidit Babylon* ; prædicitur Ecclesiæ ruina, sed Urbis, quæ à Wandalis, Gothis, & Longobardis, tot cladibus jactata est ; ita ut veteris Romæ, præter rudera, nihil supersit. Hæc porro verba, *Exite de illa populus meus* ; de aliqua singulari civitate dicta non sunt, sed de universa impiorum hominum colluvie sunt intelligenda, ut explicat S. Augustinus lib. 20. de Civitate Dei cap. 9. opposito namque sensu accipiendum est nomen Babylonis, illi quo accipitur Jerusalem in Apocalypsi : at nomine Jerusalem certa civitas non intelligitur, sed bonorum omnium innocentissima congregatio, quam S. Augustinus vocat *Civitatem Dei*. Ergo nomine Babylonis, ex qua exeundum esse monet S. Joannes, non intelligitur certa civitas, sed improborum cœtus. Quòd verò ad Romanam Ecclesiam illa verba Apocalypsis referri non possint, constat ex eo quòd S. Petrus Ecclesiam Babylone congregatam significet : igitur Ecclesia à Babylone distincta est. Hinc S. Hieronymus Epistolâ 17. ad

A Marcellam datâ, cùm propter magnam illam vitiorum segetem, quæ amplissimis in urbibus succrescit, *Romam purpuratam meretricem* vocasset, asperius dictum his verbis mollivit : *Est quidem ibi Sancta Ecclesia : sunt trophæa Apostolorum, & Martyrum : est Christi vera confessio : est ab Apostolo prædicata fides, & gentilitate calcata in sublime quotidie se erigens vocabulum Christianum. Sed ipsa ambitio, potentia, magnitudo urbis, videri, & videre ; salutari, & salutare, laudare, & detrahere : vel audire, vel proloqui, & tantam frequentiam hominum, saltem invitum, videre, à proposito Monachorum, & quieto, aliena sunt.* Vides ut S. Hieronymus apertissimè Ecclesiam ab urbe distinguat? Vides ut vernantis Fidei, ac efflorescentis Religionis gloriam Ecclesiæ tribuit : urbi verò incommoda, quæ Monachorum institutum convellunt?

Et lib. 2. adversùs Jovinianum: *Ad te loquar*, inquit, *quæ scriptam in fronte blasphemiam Christi confessione delesti : urbs potens, urbs orbis domina, urbs Apostoli voce laudata. Interpretare vocabulum tuum. Roma aut fortitudinis nomen est, apud Græcos ; aut sublimitatis juxta Hebræos. Serva quod diceris. Virtus te excelsam faciat, non voluptas humilem. Maledictionem quam tibi Salvator in Apocalypsi comminatus est, potes effugere per pœnitentiam, habens exemplum Ninivitarum. Cave Joviniani nomen, quod de Idolo derivatum est. Squallet Capitolium : Templa Jovis, & Cæremonia conciderunt : cur vocabulum ejus, & vitia apud se vigeant? Adhuc sub Regibus, & sub Numa Pompilio, faciliùs Majores tui Pythagoræ continentiam, quàm sub Consulibus, Epicuri luxuriam susceperunt.* Hæc ille. Sed ut ad institutum revertamur :

Probatur secundò Propositio. Ex Actuum ultimo, & ex Epistola ad Romanos cap. 1. constat, Ecclesiam amplam & florentem Romæ fuisse, antequam S. Paulus eò veniret ; siquidem ait ipse ad Romanos scribens : *Primùm quidem gratias ago Deo meo per Jesum Christum pro omnibus vobis, quia fides vestra annuntiatur in universo mundo.... Nolo autem vos ignorare, Fratres : quia sæpe proposui venire ad vos, (& prohibitus sum usque adhuc) ut aliquem fructum habeam in vobis, sicut & in cæteris Gentibus.* Quis porro tantam multitudinem Christianæ Religionis præceptis imbuit, nisi Petrus Apostolorum Princeps?

Hinc Eusebius lib. 2. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 13. postquam de Simone Mago in capite præcedenti scripsisset, subdit : *Cæterum ista non ad longinquum temporis spatium ex sententia illi processerunt. Nam è vestigio sub ipso Claudii Imperio, benigna & propitia Dei, totius hujus universitatis Rectoris, erga humanum genus providentia, fortem ac præpotentem, & reliquorum omnium Apostolorum, propter virtutis amplitudinem, facilè Principem Petrum, Romam versùs, ad ejusmodi pestiferam vitæ humanæ corruptelam delendam, quasi manu deduxit. Qui quidem utpote generosus & strenuus Dei Dux, divinis armis obtectus, munitusque, eximiam & pretiosam tanquam mercaturam veri luminis, mente sola comprehensi, ab Oriente ad Occasum usque deportavit : ipsamque regni cælorum prædicationem, cælestem scilicet lucem, & salutarem animorum doctrinam, palam promulgavit.*

Hinc S. Epiphanius Hæresi 27. ait : *Romæ primi omnium Petrus & Paulus Apostoli pariter & Episcopi fuerunt.*

Hinc Paulus Orosius lib. 7. cap. 4. *Claudius*, inquit, *ab Augusto quartus, regnum adeptus est, mansitque in eo annos quatuordecim. Exordio Regni ejus Petrus Apostolus Domini nostri Jesu Christi Romam venit ; & salutarem cunctis credentibus fidem,*

*fideli*

*fideli verbo docuit; potentissimisque virtutibus approbavit: exinde Christiani Romæ esse cœperunt.*

Hinc S. Leo Sermone de Saoctis Apostolis Petro & Paulo: *Beatissimus Petrus*, inquit, *Princeps Apostolici Ordinis, ad arcem Romani destinatur Imperii: ut lux veritatis, quæ in omnium Gentium revelabatur salute, efficaciùs se ab ipso capite per totum mundi corpus effunderet.* Et infrà: *Ad hanc ergo urbem tu, Beatissime Apostole Petre, venire non metuis, Trophæum Crucis Christi Romanis arcibus inferens, quo te divinis præordinationibus anteibat, & honor potestatis, & gloria Passionis, &c.*

Hinc ante illos omnes S. Irenæus lib. 3. adversùs Hæreses cap. 3. *Sed quoniam valde longum est in hoc tali volumine omnium Ecclesiarum enumerare successiones: maximæ, & antiquissimæ, & à gloriosissimis duobus Apostolis Petro & Paulo Romæ fundatæ & constitutæ Ecclesiæ, eam quam habet ab Apostolis Traditionem, & annuntiatam hominibus Fidem, per successiones Episcoporum pervenientem usque ad nos, indicantes, confundimus eos, qui quoquomodo, vel per sui placentiam malam, vel vanam gloriam; vel per cæcitatem, & malam sententiam, præterquam oportet, colligunt.*

Quòd autem quidam ex Heterodoxis effutiit, S. Barnabam Romæ S. Petri prædicationem antevertisse, fictitium est; cùm nullus ausus sit prædicare Gentibus, antequam S. Petrus visione cœlesti ad id muneris obeundum invitaretur, Actuum 10. ex quo tempore S. Barnabas Gentium Apostolo individuus comes adhæsit.

Probatur tertiò Propositio. S. Marcus Romæ scripsit Evangelium, prout ibi S. Petrum prædicantem audierat, ut gravissimi Authores memoriæ prodiderunt: igitur Evangelium Romanis S. Petrus prædicavit.

Probatur Antecedens, ex Clemente Alexandrino in libro *Hypotiposeon*, ubi de *S. Marci* Evangelio sic loquitur: *Cùm Petrus in Urbe Roma verbum Dei publicè prædicasset, & Spiritu Sancto afflatus Evangelium promulgasset, multi qui aderant Marcum cohortati sunt, utpote qui Petrum jam dudum sectatus fuisset, & dicta ejus memoriâ teneret, ut quæ ab Apostolo prædicata erant, conscriberet.*

Idem testatur Eusebius lib. II. Historiæ Ecclesiasticæ cap. XIV. sive XV. *Sic ergo cùm divinus sermo jam ad Romanos pervenisset, vesana Simonis potentia extincta est, & homo ipse actutum unà penitus profligatus. Ac tanta pietatis lux eorum mentibus, qui Petrum audiebant, affulsit, ut non ejus sermoni omnino auscultando, non doctrina divinæ prædicationis, minimè scriptis prodita, attendendo contenti acquiescerent; sed à Marco Petri comite (cujus Evangelium esse fertur) multis variisque precibus contenderent, ut monumentum illius doctrinæ, quam sermone & verbo illis tradidisset, etiam scriptis mandatum apud eos relinqueret. Nec priùs hominem ab se dimittunt, quàm ipsorum postulatis obsecutus, opus absolvisset.*

Eusebio S. Hieronymus suffragatur in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum, in *Marco*.

Probatur quartò ex victoria quam Romæ de Simone Mago, ex aëre, per quem sublimis ferebatur, in terram prostrato, S. Petrus reportavit, cui attestantur Arnobius lib. 2. Hegesippus lib. de *Excidio urbis Hierosolymitanæ* cap. 3. S. Cyrillus Hierosolymitanus *Catechesi 6. Illuminatorum*, Sanctus Hieronymus in *Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum* in *Petro*, S. Ambrosius in *Concione de Basilicis Hæreticis vel Gentilibus non tradendis*, contra Auxentium Arianum, S. Augustinus lib. *de Hæresibus* cap. 1. *In qua urbe*, inquit, *Beatus Apostolus Petrus eum* (nempe Simonem) *vera omnipotentis Dei virtute extinxit.* Severus Sulpitius, Theodoretus, Isidorus Pelusiota. Porro tam illustrium testium suffragiis firmatam veritatem in dubium revocare temerarium est.

## PROPOSITIO II.

*Sanctus Petrus Romæ Martyrium subiit.*

Probatur primò ex Tertulliano lib. de Præscriptioonibus cap. 36. *Age jam*, inquit, *qui voles curiositatem melius exercere in negotio salutis tuæ, percurre Ecclesias Apostolicas, apud quas ipsæ adhuc Cathedræ Apostolorum suis locis præsident, apud quas ipsæ authenticæ eorum literæ recitantur, sonantes vocem & repræsentantes faciem uniuscujusque.* Et post pauca: *Si autem Italiæ adjaces, habes Romam, unde nobis quoque authoritas præsto est. Ista quàm felix Ecclesia, cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt! ubi Petrus Passioni Dominicæ adæquatur; ubi Paulus Joannis exitu coronatur.*

Et Scorpiaci cap. 15. *Vitas Cæsarum legimus, orientem Fidem Romæ primus Nero cruentavit. Tunc Petrus ab altero cingitur, cùm cruci adstringitur.* Et lib. IV. *Adversùs Marcionem*, cap. 5. *Videamus quid etiam Romani de proximo sonent, quibus Evangelium & Petrus & Paulus sanguine quoque suo signatum reliquerunt.* Idem lib. *De Baptismo* ait: *Nec quidquam refert inter eos quos Joannes in Jordane, & Petrus in Tiberi tinxit.*

Probatur secundò, ex Hegesippo lib. de *Excidio urbis Hierosolymitanæ* cap. 1. ubi postquam retulit ea quæ Petri martyrium præcesserunt, subdit: *Et conversus, in urbem redit, captusque à persecutoribus, cruci adjudicatus, poposcit ut inversis vestigiis cruci affigeretur, quòd indignus esset qui simili modo crucifigeretur ut passus est Dei Filius: quo impetratò, vel quia ita debebatur, ut Christus prædixerat; vel quia persecutor non invitus indulget pœnarum incrementa, & ipse Paulus, alter cruce, alter gladio necati sunt.*

Probatur tertiò, ex S. Dionysio Corinthiorum Episcopo in Epistola ad Romanos, cujus hæc verba referuntur ab Eusebio lib. 2. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 24. *Petrum & Paulum qui Romanos primùm & Corinthios in Ecclesiam Christi inseruerunt, prudenti quadam admonitione impulsi, in unum locum conclusistis. Nam ambo, cùm & nostram Corinthi, & vestram Romæ Ecclesiam fundassent; & ejusdem doctrinæ præceptis tùm nostros animos, tum vestros imbuissent, eodem tempore pariter martyrium subierunt.*

Probatur quartò, ex Caio Ecclesiastico Authore, qui Zephirini Pootificis Maximi temporibus vixit, in Disputatione cum Proclo Cataphryge, cujus hæc item verba refert Eusebius, ibidem: *Ego Apostolorum trophæa perspicuè possum ostendere. Nam si lubet in Vaticanum proficisci, aut in viam quæ Ostiensis dicitur, te conferre trophæa, illorum qui Ecclesiam istam suo sermone & virtute stabiliverunt, invenies.*

Probatur quintò ex ipsomet Eusebio loco mox laudato, ubi postquam meminit persecutioois à Nerone contra Ecclesiam concitatæ, ait: *Iste igitur qui hoc pacto infestissimus Dei hostis primus prædicatus fuit, ad Apostolos etiam trucidandos incitabatur. Paulum proinde Romæ eo regnante securi percussum, & Petrum etiam suffixum cruci, Historiarum monumentis proditum est. Quinetiam insignis ac testata Petri & Pauli inscriptio, quæ in Cœmeteriis Romæ ad hoc usque tempus manet, hujus rei gestæ fidem facit.*

Probatur sextò ex Sancto Athanasio in Apologia pro fuga sua: *Petrus quoque* inquit, *qui ob metum Judæorum in latebris se habuit, & Paulus*

*Apostolus in sporta demissus, & ita fugiens; cùm audissent oportere se Romæ martyrium subire, non abjecerunt eam profectionem; sed potiùs cum gaudio abierunt.*

Probatur septimò, ex Lactantio lib. 4. Divinarum Institutionum cap. 21. ubi de Christo & Apostolis ita scribit: *Sed & futura aperuit illis omnia, quæ Petrus & Paulus Romæ prædicaverunt: & ea prædicatio in memoriam scripta permansit; in qua cùm multa alia mira, tum etiam hoc futurum esse dixerunt, ut post breve tempus immitteret Deus Regem, qui impugnaret Judæos, & civitates eorum solo adæquaret..... Itaque post illorum obitum, cùm eos Nero interemisset, Judæorum Gentem & nomen Vespasianus exstinxit.*

Probatur octavò, ex Theodoreto Epistolâ 113. ad S. Leonem Magnum datâ, in qua urbem, Ecclesiamque Romanam commendans, ait: *Habet præterea communium Patrum, Magistrorumque veritatis, Petri & Pauli sepulchra, Fidelium animas illuminantia. Quorum beatissimum ac divinum par in Oriente quidem exortum est, & radios quaquaversum diffudit; sed in Occidente vitæ occasum ultrò subiit, atque inde nunc orbem universum collustrat. Hi Sedem vestram nobilissimam reddiderunt: hic bonorum vestrorum est apex.*

Probatur nonò, ex S. Hieronymo in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum in *Petro*, ubi ait: S. Petrum Romæ à Nerone affixum cruci, martyrio coronatum esse, capite ad terram verso, in sublime pedibus elevatis; asserentem se indignum quòd sic crucifigeretur, ut Dominus suus. Et subdit: *Sepultus Romæ in Vaticano, juxta viam triumphalem, totius urbis veneratione celebratur.*

Probatur decimò, ex Paulo Orosio lib. 7. cap. 4. ubi de Neronis parricidiis cùm verba fecisset, subdit: *Auxit hanc molem facinorum ejus temeritas impietatis in Deum. Nam primus Romæ Christianos suppliciis & mortibus affecit, ac per omnes provincias pari persecutione excruciari imperavit: ipsumque nomen extirpare conatus, Beatissimos Christi Apostolos, Petrum cruce, Paulum gladio occidit.*

Probatur undecimò, ex S. Ambrosio in Sermone *de Basilicis non tradendis*, contra Auxentium; ex S. Joanne Chrysostomo Homiliâ 32. in Epistolam ad Romanos; & S. Leone Sermone 1. in Natali Apostolorum Petri & Pauli, dicente: *Hodierna festivitas, præter illam reverentiam, quam toto terrarum orbe promeruit, speciali & propriâ nostræ Urbis exultatione veneranda est, ut ubi præcipuorum Apostolorum glorificatus est exitus, ibi in die martyrii eorum sit lætitia principatus.*

Idem probat impia illa *Juliani Apostatæ* conjectura de *S. Joanne Evangelista*, apud *S. Cyrillum Alexandrinum* lib. x. Illum primùm Jesum dixisse Deum, *Cùm sensisset magnam multitudinem in plerisque urbibus Græcis & Italicis* jam id credere; audiretque *Monumenta Petri & Pauli clam quidem, sed tamen ea coli.* Cui respondet S. Cyrillus: *Non ut ipse ait, quòd Sanctorum monimenta, Petri, inquam, ac Pauli, nonnullis in pretio esse viderat, adductus est ut Jesum Christum Deum esse diceret. Credibile enim non est illum eam ob causam adductum ut Deum illum prædicaret, sed à Spiritu Sancto impulsum.*

Idem confirmat *S. Augustinus* Epistolâ cxxxii. aliàs xlii. scribens: *Imperii nobilissimi eminentissimum culmen ad Sepulcrum Piscatoris Petri, submisso diademate supplicare.*

Probatur ultimò, ex S. Gregorio Magno Epistolâ 37. lib. 6. ad Eulogium Patriarcham Alexandrinum datâ, in qua de tribus Sedibus Patriarchicis ita scribit: *Illa tres ab eodem Principe Apostolorum Petro fundatæ sunt. Itaque cùm multi sint Apo-* A *stoli, pro ipso tamen principatu sola Apostolorum Principis Sedes in authoritate convaluit, quæ in tribus locis unius est. Ipse enim sublimavit sedem, in qua etiam quiescere, & præsentem vitam finire dignatus est:* Romanam scilicet. *Ipse decoravit Sedem in qua Evangelistam Discipulum misit;* nempe Alexandrinam, quam per S. Marcum fundavit. *Ipse firmavit sedem, in qua septem annis, quamvis discessurus sedit:* nimirum Antiochenam. *Cùm ergo unius, atque una sit sedes, cui ex authoritate divina tres nunc Episcopi præsident; quicquid de vobis boni audio, hoc mihi imputo.* In quibus S. Gregorii verbis istud no- B tatu dignum est, unam dici in tribus istis Ecclesiis S. Petri Sedem, ut S. Petri authoritas imaginem quandam Sanctissimæ Trinitatis præ se ferat, dum in trinitate locorum unitas Sedis, & in unitate Sedis trinitas locorum conspicitur. Sedem autem suam constituit Apostolorum Princeps in tribus urbibus totius orbis primariis, ac omnium Sæculorum tractu celeberrimis. Eminuit enim Antiochia sub Imperio Seleucidarum; Alexandria sub Imperio Ptolomæorum; Roma sub Imperio Cæsarum.

## PROPOSITIO III.

C *Sanctus Petrus ab anno secundo Claudii Imperatoris, ad mortem usque, Romanam rexit Ecclesiam.*

Probatur primò, ex S. Hieronymo in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum in Petro; *Simon Petrus*, loquit, *post Episcopatum Antiochensis Ecclesiæ, & prædicationem dispersionis eorum, qui de Circumcisione crediderunt, in Ponto, Galatia, Cappadocia, Asia & Bithynia, secundò Claudii anno, ad expugnandum Simonem Magum, Romam pergit, ibique viginti-quinque annis Cathedram Sacerdotalem tenuit, usque ad ultimum Neronis, id est, deci-* D *mum-quartum.*

Secundò, id suadet Ecclesiæ Romanæ dignitas, cui semper cæteræ Ecclesiæ ob Beati Petri reverentiam, Primatum detulerunt. Unde S. Irenæus lib. 3. adversùs Hæreses cap. 3. ait: *Ad hanc enim Ecclesiam propter potentiorem principalitatem, necesse est omnem convenire Ecclesiam, id est, eos qui undique sunt Fideles: in qua semper conservata est ea, quæ est ab Apostolis Traditio.*

Tertiò, S. Petrus, ex quo Antiochia discessit, alicujus Sedis Episcopus fuit: cujus porro, nisi Romanæ?

E Quartò, id suadent Patres, quotquot Romanorum Episcoporum Catalogum texuere: illi enim successionis originem à S. Petro repetunt. Tertullianus lib. de Præscriptionibus Hæreticorum cap. 32. *Edant Hæretici*, inquit, *origines Ecclesiarum; evolvant ordinem Episcoporum suorum ita per successionem ab initio decurrentem, ut primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis, vel Apostolicis Viris habuerit Authorem, & antecessorem. Hoc enim modo Romanorum Ecclesia Clementem à Petro ordinatum refert.*

Optatus Milevitanus lib. 2. contra Parmenia- F num: *Cathedra unica est*, inquit, *quæ est prima de dotibus. Sedit prior Petrus*, &c.

Sanctus Augustinus Epistolâ 263. datâ ad Generosum: *Si ordo Episcoporum sibi succedentium considerandus est*, inquit, *quantò certiùs, & verè salubriter ab ipso Petro numeramus, cui totius Ecclesiæ figuram gerenti Dominus ait. Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam?*

Quintò, id suadet omnium Patrum authoritas, qui Romanam Sedem Petri Cathedram nuncupant. Sic S. Cyprianus Epistolâ 55. ad S. Cornelium Romanum Pontificem datâ, ait: *Post ista adhuc insuper Pseudoepiscopo sibi ab Hæreticis constituto, navigare*

*vigare audent, & ad Petri Cathedram, atque ad Ecclesiam principalem, unde unitas Sacerdotalis exorta est, à schismaticis & profanis literas ferre, nec cogitare eos esse Romanos (quorum fides, Apostolo prædicante, laudata est) ad quos perfidia habere non possit accessum.*

Sic Sanctus Hieronymus Epistolâ 57. ad Damasum Romanum Pontificem data: *Ego*, inquit, *nullum primum, nisi Christum sequens, Beatitudini tuæ, id est, Cathedræ Petri, communione consocior. Super illam petram, ædificatam Ecclesiam scio.*

Sic Sanctus Augustinus lib. 2. contra literas Petiliani Donatistæ cap. 51. *Veruntamen*, inquit, *si omnes per totum orbem tales essent, quales vanissimè criminaris; Cathedra tibi quid fecit Ecclesiæ Romanæ, in qua Petrus sedit, & in qua hodie Anastasius sedet, vel Ecclesiæ Hierosolymitanæ, in qua Jacobus sedit, & in qua hodie Joannes sedet, quibus nos in Catholica unitate connectimur, & à quibus vos nefario furore separastis? Quare appellas Cathedram pestilentiæ, Cathedram Apostolicam?*

Sic Sanctus Prosper in Carmine de Ingratis:

*Sedes Roma Petri, quæ pastoralis honoris*
*Facta caput mundo, quicquid non possidet armis,*
*Relligione tenet.*

Objicitur primò: Non potest evidentiùs probari alicujus historiæ falsitas, quàm ex dissensu Authorum, qui illam variis modis referunt: atqui dissentiunt Authores in epocha adventus Sancti Petri Romam; Nam Lactantius, lib. *De Mortibus Persecutorum*, asserit Sanctum Petrum Romam venisse *cùm jam Nero imperaret*. Orosius adventum illius refert ad regni Claudii exordium, Sanctus Hieronymus ad annum secundum Claudii, Fasciculus Temporum ad annum 4. Passionale de Vitis Sanctorum, ad annum 13. Ergo dubia valdè est illius historiæ fides.

Respondeo, distinguendo Majorem. Historiæ falsitas colligitur ex Authorum dissensu, si in historiæ substantia, & præcipuis capitibus dissentiant; concedo: si in circunstantiis duntaxat quibusdam recensendis, nego. Enimverò sæpissimè contingit ut constet de veritate; de modo aut tempore non constet. Quid certius Christi morte apud Christianos? Quid tempore, quo mortem subiit, incertius, si Veterum discordes sententiæ audiantur? Tertullianus namque, Clemens Alexandrinus, & Lactantius, mortuum esse docent anno decimoquinto Tiberii, ætatis suæ 30. Eusebius, & alii, anno Tiberii 18. ætatis suæ 33. Sanctus Irenæus ad annum quinquagesimum ipsum vitam produxisse contendit; recentiores plerique ad annum 34. nonnulli viri eruditi ad annum 37. Sic impletas esse Danielis Hebdomadas Christianorum nemo diffitetur. At unde incipiant, an à Cyro? an à Dario? an ab Artaxerxe Longimano, vel Memore? plurimum est apud Authores Orthodoxos dissidii. Ita quamvis incertum esse concederemus, quo tempore pervenerit Romam Apostolorum Princeps: non sequitur quòd nullatenus Romam venerit, ibique Sedem fixerit suam. Porro etsi dissentiant nonnihil Anthores circa epocham adventûs Sancti Petri Romam; circa ipsum adventum nullatenus dissentiunt. Illa igitur dissensio, non arguit historiam istam falsitatis.

Unde *Lactantius* eo ipso in loco qui in Objectione laudatur, Sessionem & Martyrium Sancti Petri Romæ confirmat. *Cùm*, inquit, *Nero jam imperaret, Petrus Romam advenit, & editis quibusdam miraculis quæ virtute ipsius Dei data sibi ab eo potestate faciebat, convertit multos ad justitiam, Deóque templum fidele ac stabile collocavit. Qua re ad Neronem delatâ, cùm animadverteret non modò Romæ, sed ubique quotidie magnam multitudinem deficere à cultu Idolorum, & ad Religionem novam damnata vetustate transire, ut erat execrabilis ac nocens Tyrannus, prosilivit ad excidendum cæleste Templum, delendámque justitiam, & primus omnium persecutus Dei servos, Petrum cruci affixit, & Paulum interfecit.*

Respondeo secundò, nullam esse inter probatos Auctores, (*Lactantio* excepto,) discordiam in consignanda epocha adventûs Sancti Petri Romam. Eusebius namque in Chronico, Sanctus Hieronymus in Catologo Scriptorum Ecclesiasticorum in *Petro*, Ado Viennensis in Martyrologio, Petrum Romam venisse scribunt anno secundo Claudii. Nec ab his dissentit Orosius, cùm venisse scribit in exordio Regni Claudii. Annus enim secundus Claudii ad exordium regni ipsius pertinebat. Suffragantur qui Sanctum Petrum Romæ sedisse asserunt annis 25. & 14. Neronis anno martyrio coronatum, scilicet Author libri Pontificalis Damaso adscripti, Sanctus Isidorus Hispalensis, Venerabilis Beda, Ado, & alii. Nec enim anni 25. ab adventu Sancti Petri Romam ad 14. Neronis annum fluxissent, nisi 2. Claudii imperantis anno Romam pervenisset. Fasciculus ergo Temporum, & Passionale levis sunt in re Historica & Chronologica authoritatis.

Objicitur secundò: Sessio Sancti Petri Antiochiæ non fuit septennis, ut post Sanctum Gregorium Magnum lib. 6. Epistolâ 37. vulgò asseritur; ergo vel Sanctus Petrus Romam profectus est ante annum secundum Claudii, vel nullius Sedis Episcopus tunc fuit.

Probatur antecedens. Sanctus Paulus adhuc invenit Sanctum Petrum Hierosolymis, sive cùm illuc pervenit anno à conversione sua tertio, ut constat ex cap. 1. Epistolæ ad Galatas; sive cùm illuc tulit collectas ad sublevandam famem, quam vaticinatus fuerat Agabus, ut constat ex Actuum 12. Sessio igitur Sancti Petri in Cathedra Antiochena, quæ duas inter profectiones Sancti Pauli Hierosolymam media fuit (ut testis est Sanctus Hieronymus in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum in *Petro*) non fuit septennis: siquidem Sancti Pauli conversio contigit anno duntaxat à Christi Passione tertio; Sanctus verò Petrus Hierosolymis Romam profectus supponitur anno Claudii 2. sive à Passione Christi undecimo.

Respondeo, Sancti Pauli conversionem non ad annum tertium, ut vult Calvinus, sed primum à Passione Christi esse referendam. Etenim inter Concilium Hierosolymitanum, & profectionem Sancti Pauli Romam, sex adhuc anni effluxere, (ut tempus illud sileam, quod in suis peregrinationibus consumpsit) sex, inquam, effluxerunt anni, quibus in Oriente commoratus est. Octodecim quippe mensibus Corinthi, (Act. 18.) tribus mensibus in Ephesina Judæorum Synagoga, (Act. cap. 19.) duobus annis in Schola Tyranni, (ibidem;) tribus mensibus in Græcia, (Act. 20.) duobus denique annis in Hierosolymitano carcere, (ibidem:) atqui Sanctus Paulus Hierosolymis Romam profectus est anno à Passione Christi 24. è carcere siquidem solutus est eo ipso anno quo Festus Judææ Prorex substitutus est Felici, ut constat ex Actuum cap. 16. id est, sub Antistii Consulatu, anno secundo Neronis, si profanis etiam Authoribus fides. Is igitur annus fuit à Passione Christi 24. sive (ipsum Passionis Dominicæ annum recensendo) vigesimus quintus. Quod planè cum Sancto Hieronymo consentit, in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum, in *Paulo*, dicente: *Post Passionem Domini 25. anno, id est, 2. Neronis, eo tempore quo Festus Procurator*

*Judea successit Felici, Romam vinctus mittitur.* Si igitur ex annis 24. post Passionem Christi, sexcennium demas interpositum inter Concilium Hierosolymitanum, & profectionem Sancti Pauli Romam, constabit Concilium illud celebratum fuisse 18. anno à Passione Christi, non verò 20. ut Heterodoxi supponunt. Porro inter Sancti Pauli conversionem, & Concilium Hierosolymitanum, septemdecim fluxerunt anni, ut ex ipsomet Paulo discimus ad Galatas 1. scribente: *Deinde post annos tres veni Hierosolymam videre Petrum. Deinde, post annos quatuordecim, iterum ascendi Hierosolymam.* Ex annis igitur 24. post Passionem Dominicam, quibus exeuntibus Sanctus Paulus Romam profectus est, subtrahamus sex annos inter Hierosolymitanum Concilium, & profectionem illam Romanam elapsos: & ex octodecim anoix residuis demamus septemdecim, qui Sancti Pauli conversionem inter & Hierosolymitanum Concilium interfluxere: liquidum erit conversionem illam anno 1. post mortem Christi contigisse. Quod omnino quadrat epochæ ab Eusebio constitutæ in Chronico. Annus igitur à Sancti Pauli conversiooe tertius, quo primùm Hierosolymam se contulit, & Hierosolymis in partes Syriæ, & Ciliciæ, ut habetur in Epistolâ ad Galatas cap. 1. quartus annus fuit à Passione Christi: adeóque Sanctus Petrus Antiochiæ Sedem stabilivit anno à Christi Passione 4. Namque Sanctus Leo Epistolâ 43. ad Anatolium, disertè ait: quòd in Antiochena Ecclesia primùm prædicante Beato Apostolo Petro, Christianum nomen exortum est. Quod verum nullatenus esset, nisi eodem anno Petrus Antiochiam pervenisset, quo illuc appulit Sanctus Paulus, cùm scilicet cognominati sunt primùm Antiochiæ Discipuli Christiani, ( Act. 11. )

Porro altera Sancti Pauli profectio Hierosolymam, ut collectas deferret cum Barnaba, fratribus, quibus fami per Agabum prædictæ mederentur, quo etiam tempore Sanctus Petrus ab Herode in carcerem conjectus est: illa, inquam, profectio contigit anno à Passione Christi undecimo. Scriptura namque testatur famem illam sub Claudio fuisse grassatam, ( *Act.* 11. ) & Dio lib. 6. famis illius universalis, quæ Claudio Imperante contigit, initium refert ad annum 795. ab Urbe condita, id est, ad annum Claudii Imperantis secundum, qui post Christum passum undecimus fuit. Ex quo manifestè colligitur, primam inter & secundam Sancti Pauli profectiooem Hierosolymam, septem annos interfluxisse, id est, quinque consummatos, & duos imperfectos, quæ est legitima Antiochenæ Sessionis Sancti Petri epochâ à nobis post Veteres constituta, præsertim post Sanctum Gregorium Magnum lib. 6. Epistolâ 37. dicentem: *Itaque cùm multi sint Apostoli, pro ipso tamen principatu sola Apostolorum Principis Sedes in authoritate convaluit, quæ in tribus locis unius est: ipse enim sublimavit Sedem, in qua etiam quiescere, & præsentem vitam finire dignatus est. Ipse decoravit Sedem, in qua Evangelistam Discipulum misit. Ipse firmavit Sedem, in qua septem annis, quamvis discessurus, sedit.*

Nota, mendosum esse Chronicon Latinum Eusebii, in quo Sanctus Petrus Antiochiæ sedisse legitur 25. annis. Atque istud Basileensium exemplarium vitium est, in quibus, Typographi oscitantiâ, numerus 25. loco 5. irrepsit. Nisi forsan ex integro additus est, quod ex Armeno exemplari, ex variis item MSS. in Vaticana Bibliotheca asservatis, necnon ex Editione Græco-Latina Scaligeri, conjicere licet, in quibus illa epocha non reperitur.

Nec obstat hujus epochæ veritati, quòd Sanctux Lucas ( *Act.* 11. ) profectionem Sancti Pauli Hierosolymam immediatè recenseat post prophetiam Agabi, quasi statim post illam suscepta fuisset secunda illa Pauli peregrinatio. Nam Sanctus Lucas de fame per Agabum prædictâ consultò addit; *quæ facta est sub Claudio*, ut innuat illius famis vaticinium, quod sub Claudio impletum est, Claudii Imperium longè præcessisse. Ex quo sequitur inter prophetiam Agabi, & famis illius tempestatem, quæ anno duntaxat secundo Claudii grassari cœpit, multos annos effluxisse. His adde solennem esse Scripturæ morem, ut plerumque res tempore multùm dissitas, immediatè subnectat, ac velut una serie recenseat, ut sacri advertunt Interpretes.

Objicitur tertiò: Sanctus Petrus interfuit Concilio Hierosolymis, pro finienda legalium controversia, celebrato ( *Act.* 15. ) anno à Passione Christi circiter vigesimo; & cruci affixus fuit anno 14. Neronis, id est, anno à Christi morte trigesimo septimo: igitur viginti quinque annis Romanam non rexit Ecclesiam.

Respondeó, hæc duo optimè cohærere, quod nimirum Sanctus Petrus Hierosolymitano Concilio interfuerit, & Romæ nihilominus Episcopus sederit annis 25. Scribit enim Suetonius, Claudium Judæos universos Româ expulisse, eò quòd, *impulsore Christo, assiduè tumultuarentur.* At exilium illud Judaicæ Gentis, anno Claudii nnno contigisse, id est, anno demortui Christi decimo-octavo, qui ipsemet Hierosolymitani Concilii annus fuit, post Josephum Author est Paulus Orosius lib. 7. cap. 4. idque disertè confirmat Sanctus Lucas Actuum 18. Scribit quippe quod cùm Sanctus Paulus Corinthum adventasset, paulò post Hierosolymitanam Synodum, *Ibi invenit quemdam Judæum nomine Aquilam, Ponticum genere, qui nuper venerat ab Italia, & Priscillam uxorem ejus. ( eò quòd præcepisset Claudius discedere omnes Judæos à Roma ) & accessit ad eos.* Mirum igitur videri non debet, quòd Sanctus Petrus Romam attigerit anno secundo Claudii: quòd septennio pòst, cum cæteris Judæis, Claudiano pulsus sit Edicto, id est, anno Claudii nono, quòd Hierosolymam Dei nutu se recipiens, Concilio inibi celebraro, eodem anno labente, interfuerit: ac demum, sedata paululùm persecutione, Romam redierit.

Objicitur quartò: Sanctus Paulus scribens ad Romanos, multis nomine suo salutem dici jubet, cap. 16. Sancti Petri ne meminit quidem, cui sanè si Romæ fuisset, salutem in primis dixisset.

Respondeo, Epistolam ad Romanos scriptam esse exulantibus Româ Judæis, & Petro in partes Orientis profecto, scilicet inter Hierosolymitanum Concilium, & mortem Claudii. Scripta namque fuit Corinthi, cùm illàc transivit Sanctus Paulus ultimò profecturus Hierosolymam, ut colligitur ex cap. 18. adeòque, licèt Aquila & Priscilla, aliique minoris notæ Judæi, Romam jam tunc redissent, non sequitur fuisse reducem Sanctum Petrum, qui ut Author erat conversionis Judæorum ad fidem Christi, propter quam illud exilium decretum fuerat, suum in Urbem reditum non debebat ita maturare.

Adde quòd si aliqua vis inesset huic argumento, sequeretur Timotheum non fuisse Ephesinæ Ecclesiæ Episcopum; ejus siquidem Paulus non meminit ad Ephesios scribens: neque Sanctum Jacobum Hierosolymitanæ, quia in Epistola ad Hebræos, Jacobo adhuc in vivis agente, exaratâ, siletur prorsus illius nomen. Quocirca tantùm abest ut Theodoretus rerum Ecclesiasticarum acuratissimus indagator, argumentum trahat ex Epistola ad Romanos, quo revocet in dubium Sessionem Sancti Petri Romæ: quinimò in suis ad primum caput illius

lius Epistolæ Commentatius notat Sanctum Paulum usum fuisse verbo confirmandi, quia jam Sanctus Petrus Evangelicam apud ipsos promulgaverat doctrinam, & Ecclesiam fundaverat. *Et quia*, inquit Theodoretus, *primus eis magnus Petrus doctrinam Evangelicam præbuit, necessariò intulit, Ad confirmandos vos. Non enim, inquit, aliam doctrinam vobis afferre; sed eam, quæ jam oblata est, confirmare, & arbores jam plantatas irrigare volo.*

Ad Rom. 1. Desidero enim videre vos ut aliquid impertiar vobis gratiæ spiritualis ad confirmandos vos.

Objicitur quintò: Sanctus Paulus Epistolam ad Philippenses scribens Romæ datam, queritur quòd *omnes quærant quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi*, cap. 2. & ad Timotheum Roma pariter scribens, ait: *In prima mea defensione nemo mihi adfuit, sed omnes me dereliquerunt.* 2. ad Timotheum cap. 4. Aut igitur non erat Romæ Sanctus Petrus: aut gravem ei Sanctus Paulus irrogat injuriam, quem è numero eorum non excipit, qui quærunt quæ sua sunt, & qui ipsum in angustiis positum deseruere.

Confirmatur primò. Ut Romam pervenit Sanctus Paulus, *occurrerunt ei fratres usque ad Apii forum, ac tres Tabernas*, (Actuum 28.) Nulla ibi mentio Petri, quem, ut Fratrum Principem, non subticuisset Sanctus Lucas, si Romæ tunc temporis extitisset.

Confirmatur secundò. Judæi ibidem Sanctum Paulum rogant, suam ut opinionem ipsis aperiat de secta Christianorum: *Rogamus autem*, inquiunt, *à te audire quæ sentis. Nam de secta hac notum est nobis, quia ubique ei contradicitur.* Ita porro locuti non fuissent, si Sanctum Petrum jam audivissent prædicantem.

Respondeo ad primum, Sanctum Paulum in Epistola ad Philippenses, de illis tantùm loqui, quos ad ipsos mittere potuisset. *Spero autem*, inquit, *in Domino Jesu, Timotheum me citò mittere ad vos: ut & ego bono animo sim, cognitis quæ circa vos sunt: neminem enim habeo tam unanimem, qui sincera affectione pro vobis sollicitus sit. Omnes enim quæ sua sunt quærunt, non quæ Jesu Christi.* Porro Sanctus Petrus Apostolorum Princeps mitti non poterat à Sancto Paulo; itaque ipsum non complexus est his verbis: *Omnes quæ sua sunt quærunt.*

In Epistola verò ad Timotheum, de iis duntaxat conqueritur, qui causam ejus apud Cæsarem juvare potuissent, è quibus profectò non erat Sanctus Petrus, qui ob eandem potiùs causam æquè invisus erat Cæsari. Præterea, quis non videat Beatum Paulum synecdoche usum, omnes dicendo, plures intellexisse? nam paulò antè dixerat apud se esse Timotheum, qui certè non quærebat quæ sua erant; & cap. 1. dixerat, quosdam prædicare Evangelium *ex charitate*, atque adeò non quærere sua, sed quæ Jesu Christi. Tandem si ex Sancti Pauli silentio inferre liceret Sanctum Petrum Romæ non fuisse, cùm has Epistolas scripsit: inferre quoque liceret nec ibi fuisse ipsum Beatum Paulum; quia illis in Epistolis nullum vel de urbe Roma, vel de Romana Ecclesia verbulum est.

Ad primam confirmationem, respondeo omnem Ecclesiam obviàm Sancto Paulo Romam adventanti non ivisse, sed quosdam tantùm è Christianis selectos, aliorum nomine. Nec enim ea libertate ac tranquillitate tunc fruebatur Romana Ecclesia, ut solennia adeò & publica lætitiæ signa promere posset: quinimò ita oppressa erat, & ad angustias redacta, ut maxima pars Fidelium in specubus, ad vitandam Gentilium persecutionem ac tyrannidem, delitescere cogeretur.

His adde, Sanctum Petrum Romæ forsan tunc temporis non extitisse: neque enim asserimus ipsum Romanæ Ecclesiæ, quasi Prometheum Caucaso, ita affixum & alligatum fuisse, ut Roma nusquam exiret: sed ita potiùs ut Apostolicâ Cathedrâ ibi erectâ, ac singularis Episcopatus collocatâ Sede, constitutis rebus, & Ecclesiâ fundatâ, Vicariis relictis, varias in orbis partes ac provincias, prout Spiritus Sanctus impulerat, profectus sit: unde identidem ad primariam atque à se delectam Ecclesiam rediret.

Id confirmat Sanctus Epiphanius Hæresi 27. ubi quod de Sancto Clemente dubitabatur, utrùm Sancto Petro adhuc superstite, Romæ ordinatus esset Episcopus, dissolvens, docet Sanctos Petrum & Paulum, etiam postquam Romæ consederunt, varias inde in orbis regiones proficisci solitos, ne Romæ deesset Episcopus, suas partes Lino & Cleto demandasse, qui ipsis absentibus Episcopalia munia obirent. Quod de Sancto Petro maximè sentiendum est, quem ante Sancti Pauli in urbem adventum, Romæ Sedem habuisse, persuadet Veterum authoritas.

Ad secundam confirmationem respondeo, Judæos Sanctum Paulum rogasse, non ut illos de secta Christianorum edoceret, sed ut suam ipse de ea aperiret opinionem. Cùm enim Paulum in lege eruditissimum esse nossent, optabant ipsum audire de Religione Christiana, deque ejus concordia cum Mosaica lege differentem. Et sanè si nihil de Christo audivissent Romani, quomodo ad ipsos Paulus scribens, dixisset: *Fides vestra annuntiatur in universo mundo?*

Objicitur sextò. Sanctus Lucas, qui Apostolicam Historiam conscripsit, nullatenus meminit profectionis Sancti Petri Romam: quod argumento est ipsum nunquam eam in urbem pervenisse.

Confirmatur. Sanctus Paulus, qui suam Hierosolymis & Antiochiæ cum Sancto Petro conversationem memoriæ prodidit, (ad Galatas 1. & 2. cap.) nusquam indicat se Sanctum Petrum Romæ vidisse, eique convixisse: ergo Romæ non sedit Sanctus Petrus.

Respondeo mirum non esse quòd Sanctum Petrum Romam profectum non scripserit S. Lucas: institutum quippe ipsius erat Acta præsertim B. Pauli præceptoris sui commendare, non verò aliorum Apostolorum gesta describere. Iis namque exceptis, quæ inter mortem Christi, & Sancti Pauli conversionem gesta sunt, ubi Apostolorum historiam velut in communi texuit, quam velut fundamentum historiæ singularis & accuratæ B. Pauli præmitteret; & excepto rursus sermone de conversione Cornelii, quem habet, quia conversio illa fuit initium prædicationis Evangelii factæ Gentibus, in quarum vocationem Sanctus Paulus à Christo destinatus erat: his, inquam, exceptis, nullius in posterum ex Apostolis, in toto libri sui decursu, meminit Sanctus Lucas, nisi in quantùm alicubi occurrit Beato Paulo, aut partem aliquam in ejus historia sibi vendicat. Imo & profectionem Sancti Pauli Hierosolymam ut videret Petrum, & convictum Petri & Pauli Antiochiæ, & dextram societatis à Sanctis Petro, Jacobo, & Joanne Beato Paulo datam, & ipsius Sancti Pauli in Galatiam iter, silentio prætermisit. Unde tantùm abest, ut ex Sancti Lucæ silentio argumentum erui putet Sanctus Hieronymus, quo sessioni Sancti Petri fides detrahatur: quinimò ex mansione Sancti Petri Antiochiæ & Romæ, sive ex Antiocheno Episcopatu & Romano, manifestè probari contendit S. Lucam multa silentio prætermisisse. Libro enim primo in Epistolam ad Galatas, ad caput secundum, agens de dissensione, quæ Petrum inter & Paulum circa legalium observantiam intercessit, & aliquorum errorem referens qui Cepham illum, cui in faciem restitit Sanctus Paulus alium existimabant esse à B. Petro Apostolo, nempe aliquem è LXX. Discipulis,

ita

ita nuncupatum, eoque commentum suum argumento muniebant, quòd Lucas Scriptor Historiæ Apostolicæ nullam hujus dissensionis fecerit mentionem, nec tradiderit unquam Sanctum Petrum Antiochiæ fuisse cum Sancto Paulo; his respondet: *Mirum non esse, si Lucas hanc rem tacuerit, cum & alia multa, quæ Paulus sustinuisse se replicat, Historiographi licentiâ prætermiserit; & non statim esse contrarium, si quod alius ob causam dignum putavit relatu, alius inter cætera dereliquit. Denique primum Episcopum Antiochenæ Ecclesiæ Petrum fuisse accepimus, & Romam exinde translatum, quod Lucas penitus omisit.*

Ad confirmationem respondeo, mirum videri debere nemini quòd Sanctus Paulus ad Galatas scribens, non meminerit congressus sui cum Sancto Petro Romæ, quia cùm illam dedit Epistolam, nondum Romam fuerat profectus: conscripta quippe est ante Epistolam ad Romanos, in qua Sanctus Paulus ardentissimum illos videndi promit desiderium, teste Sancto Joanne Chrysostomo Præfatione in Epistolam ad Romanos.

His adde, argumenta ab authoritate negativa nullius prorsus esse ponderis: alioqui labascerent insigniora fidei nostræ mysteria: cùm nec Sanctus Matthæus Christum circumcisum scripserit, nec Præsentationis meminerit Sanctus Marcus, nec stellæ novæ Magos ad antrum Bethleemiticum ducentis, Sanctus Lucas.

Objicitur ultimò. Sanctus Hieronymus lib. 4. in Matthæum ad illa verba Christi cap. 23. *Ecce ego mitto ad vos Prophetas, & Sapientes, & Scribas & ex illis occidetis, & crucifigetis, & ex eis flagellabitis in Synagogis vestris*, innuit Sanctos Petrum & Paulum in Judæa martyrium obiisse. Notat enim *Varia esse dona Discipulorum Christi: quosdam Prophetas, qui ventura prædicant; alios Sapientes, qui noverint quando debeant proferre sermonem; alios Scribas in lege doctissimos, ex quibus lapidatus est Stephanus, obtruncatus Paulus, crucifixus Petrus.* Ergo Petrus & Paulus passi sunt in Judæa.

Præterea Acta Lini, ipsos diverso tempore & loco passos referunt.

Denique Sanctus Augustinus, Petri cum Simone Mago certamen fabulis accenset; itaque tam malè fundata est sessionis Petri Romæ, quàm illius certaminis fides.

Respondeo, Sanctum Hieronymum ibi ne leviter quidem innuere, quòd in Judæa crucifixus sit Petrus; sed quosdam duntaxat ex Apostolis & Discipulis Christi à Judæis fuisse occisos variis suppliciorum generibus. Quod autem subjungit de Petri & Pauli martyrio, non refertur ad idem institutum; sed illius propositionis quædam probatio est, quâ asseruit varia esse dona Discipulorum Christi. Et quamvis Sanctus Hieronymus Beatum Petrum à Judæis crucifixum esse dixisset, eo modo esset intelligendus, quòd Judæi authores fuerint martyrii ipsius, non quòd martyrium in Judæa obierit: maximè cùm in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum disertè asserat Sanctum Petrum Romæ crucifixum fuisse.

Ad secundum momentum, respondeo, Acta Lini nullius esse fidei. Et mirum est quod Ulrichus Velenus illis nitatur, qui agnovit esse in apocryphorum classem rejicienda.

Ad tertium respondeo, Sanctum Augustinum certamen Sancti Petri cum Simone Mago nusquam in dubium revocasse, imò illud celebrasse lib. de Hæresibus ad Quodvultdeum: sed ait duntaxat, opinionem esse de falsitate suspectam, quòd consuetudo jejunandi Sabbatis, quæ in Ecclesia Romana vigebat, ex jejunio Sancti Petri die Sabbati, quæ certamen illius cum Simone Mago præcessit, manaverit ad posteros. En Augustini verba Epistolâ 86. *Est quidem & hæc opinio plurimorum*, inquit, *quamvis eam perhibeant esse falsam plerique Romani, quòd Apostolus Petrus cum Simone Mago die Dominico certaturus, propter ipsum magnæ tentationis periculum, pridie cum ejusdem urbis Ecclesia jejunaverit: & consecutò tam prosperò gloriosóque successu, eundem morem tenuerit, eumque imitatæ sint nonnullæ Occidentis Ecclesiæ.*

*Salmasius refellitur.*

Probaturum se confidebat *Salmasius* ex cap. secundo Epistolæ ad Galatas, vers. 7. 8. & 9. Sanctum Petrum Romæ numquam fuisse, quia Sanctus Paulus asserit Apostolatum Circumcisionis Petro concreditum fuisse, sibi verò Gentium Apostolatum. Sed hoc illius fundamentum evertit *Sancti Hieronymi* explicatio observatione sanè digna. *Occulta*, inquit, *hic oritur quæstio: Quid igitur Petrus, si invenisset ex Gentibus, non eos adducebat ad fidem? Aut Paulus, si ex Circumcisione aliquos reperisset, non eos ad Christi Baptismum provocabat? Quæ ita solvetur, ut dicamus principale singulis in Judæos & Gentes fuisse mandatum, ut qui defendebant Legem, haberent quem sequerentur: Qui Legi Gratiam præferebant, non deesset eis Doctor & prævius. In commune verò hoc habuisse propositi, ut Christo ex cunctis Gentibus Ecclesiam congregarent. Legimus enim & à Sancto Petro Gentilem baptizatum fuisse Cornelium, & à Paulo in Synagoga Judæorum Christum sæpissimè prædicatum.* Et certè Sanctus Petrus in Concilio Apostolorum dixit: *Viri fratres, vos scitis quoniam ab antiquis diebus Deus in vobis elegit per os meum audire Gentes verbum Evangelii, & credere.* Et quamvis Sanctus Petrus ad solos Judæos missus esset, quod falsum est, non sequeretur ipsum Romam non venisse, ut *Salmasius* contendebat. Romæ enim vivente Sancto Petro Judæi magno numero fuere, quorum salutem illum non neglexisse, credere par est. In Ecclesiæ Christianæ exordiis Libertinorum Synagoga Jerosolymis fuit, conflata ex iis Judæis, ab iisque nomen adepta, qui Roma ad Judææ Metropolim Religionis causâ convenire solebant. Unde cùm post mortem Herodis, Legati quinquaginta Romam missi sunt, *Adjunxerunt se illis ex Judæis Urbis Romæ plures quàm octies mille*, ut tradit *Josephus* lib. XVII. cap. XII. Hæc Judæorum sub Augusto Romæ conditio fuit. Nam Philo in *Legatione ad Caium* testatur magnam Urbis partem trans Tyberim à Judæis teneri *Augustum* passum esse, qui libertini generis erant. Sub *Tiberii* verò Principatu, circa annum ejus Imperii sextum, *Factum est Patrum Consultum*, inquit Tacitus, *ut quatuor millia Libertini generis ea superstitione infecta, queis idonea ætas, in Insulam Sardiniam veherentur; ceteri excederent Italiâ, nisi certam ante diem profanos Ritus exuissent.* Neque tamen Judæi tunc Româ pulsi diu extorres permanserunt, sed intra paucos annos sunt reversi. Post *Sejani* enim interitum, qui conficta de Judæis crimina ad *Tiberium* detulerat, ut gentem è medio tolleret, Judæis favit *Tiberius*. Unde illa ad *Caium* infensissimum illorum hostem Agrippæ peroratio: *Deprecantur pro Legibus nostris Imperatores apud Imperatorem, Augusti apud Augustum, avi proavique apud nepotem.* Quid à *Caio* contra Judæos Romæ habitantes factum sit, non legimus. Ut ut est, Judæorum numerum in Urbe *Claudio* imperante non mediocrem fuisse constat. Nam *Dio* libro LX. de primis *Claudii* institutis agens ita scribit: *Cùm Judæi adeo iterum Romæ frequentes essent, ut difficulter sine tumultu propter multitudinem urbe possent arceri, non ejecit quidem eos; patriis Legibus vitam tolerantes vetuit convenire.* Neque mirum, cùm *Claudius* Judæos ante annum Imperii nonum, ut *Josepho*,

*sepho* & *Orosio* placet, vel duodecimum, ut alii volunt, Româ non expulerit. Post hoc Edictum *Claudii*, aut ipso superstite, aut *Nerone* Imperante, Judæi Romam rediere, ibique sub Imperio *Neronis* satis securè habitabant, ut colligitur ex *Persio*, Satyra v.

*Herodis venere dies, unctâque fenestrâ*
*Dispositæ pinguem nebulam vomuere lucernæ*, &c.

Unde *Sanctus Paulus* Romam profectus plurea ibi Judæorum Primores congregasse memoratur. Ex quibus evidens est, argumentum *Salmasii* tum à partitione Officii Apostolici sive prædicationis Evangelicæ *Petrum* inter & *Paulum*, tum à paucitate Judæorum Romæ habitantium, non probare quòd *Sanctus Petrus* Romam non venerit.

Frustra *Salmasius* objicit, *Clementem Romanum* in Epistola ad Corinthios labores & Martyrium *Sancti Petri* commemorare, profectionis ejus Romam, vel Martyrii ea in in Urbe oppetiti non meminisse, adeòque illud ignorasse. Aliæ namque hujus silentii probabiles ac legitimæ rationes afferri possunt. Prima, quòd tum ipse, tum Corinthii, Romani, aliique fideles id apprime novissent. Altera, quod argumentum & series Epistolæ non postularent ut locum Passionis ejus designaret. Disserit enim de pessimis invidiæ effectibus, cui tum peccato maximè obnoxii erant Corinthii: hortatur eos ad patientiam, quæ maximè in eo Ecclesiæ statu necessaria erat: Revocat illis in memoriam, quanta mala omni ævo zelus & invidia orbi intulerunt; & quòd qui nuper Ecclesiæ columnæ erant, propter zelum & invidiam ad mortem usque acerbam persecutionem passi sunt, quod *Sanctorum Petri* & *Pauli* exemplo ostendit. Non meminit autem loci in quo passus est *Sanctus Petrus*, quia neque ad zelum & invidiam inimicorum, neque ad Apostoli patientiam pertinebat. Sanè si *Sanctus Clemens* ignorasset locum ubi passus est *Sanctus Petrus*, quomodo asseruisset eum Martyrio coronatum fuisse? Quomodo nosset eum ex zelo & invidia ad mortem acerbissimam damnatum? At *Sanctum Petrum* Martyrium passum fuisse scribit ex inimicorum invidia. *Ponamus nobis*, inquit, *ante oculos bonos Apostolos. Propter æmulationem iniquam Petrus non unum aut alterum, sed plures labores sustulit, atque ita Martyrium passus, in debitum gloriæ locum migravit.* Noverat igitur *Sanctus Clemens*, Romæ Martyrium subiisse *Sanctum Petrum*, sed id exprimere necesse non fuit. Sic respondet *Salmasii* argumento *Pearsonius* Cestriensis apud Anglos Pseudoëpiscopus, Dissertatione. *De successione primorum Romæ Episcoporum.* Attendant Protestantes, si qui adhuc *Sanctum Petrum* Romæ fuisse negant, & ad illud *Grotii* viri pariter eruditi ex illorum partibus, versum 13. capitis v. Epistolæ primæ Sancti Petri, *Salutat vos Ecclesia quæ est in Babylone coelecta*, exponentis: *De Babylone*, inquit, *dissident veteres & novi Interpretes. Veteres Romam interpretantur, ubi Petrum fuisse nemo verus Christianus dubitabit: novi Babylonem in Chaldæa. Ego Veteribus assentior.*

§.

*Epocha Sessionis Sancti Petri Antiochiæ, & Romæ.*

SANCTUS *Petrus* Antiochenam fundavit Ecclesiam anno *Tiberii* ultimo, à Christi Passione quarto, ut constat ex Chronico Eusebii, & ex Chronico Alexandrino: sed Ecclesiam illic videtur fundasse ex Judæis duntaxat, nondum ex Gentibus congregatam. Evangelium enim Gentibus ea in urbe nonnisi post aliquod temporis intervallum prædicatum est à Discipulis qui dispersi fuerant in persecutione Ecclesiæ in qua lapidatus est Stephanus Protomartyr, Act. xi. *Pervenit autem sermo ad aures Ecclesiæ quæ erat Jerosolymis super istis: & miserunt Barnabam usque ad Antiochiam... Et apposita est multa turba Domino. Profectus est autem Barnabas Tarsum, ut quæreret Saulum: quem cùm invenisset, perduxit Antiochiam, & annum totum conversati sunt ibi in Ecclesia:* Quo elapso Jerosolyma detulerunt subsidia fidelium Antiochenorum, ut levaretur inopia Christianorum ibi degentium tempore famis ab *Agabo* prædictæ. Quo tempore *Sanctus Petrus* Jerosolymis ab Herode Agrippa in carcerem detrusus est.

Quod adversùs illam epocham objici potest ex *Apollonii*, antiqui Theologi, authoritate, apud Eusebium lib. 5. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 17. Christum Apostolis in mandatis dedisse, ne Hierosolymis ante duodecim annos discederent, majoris ponderis authoritate refellitur: siquidem ex Actis Apostolorum constat, Petrum & Joannem longè ante illud duodennium, Samariam petiisse, & ipsum Petrum Lyddam, Joppem, Cæsaream, visitando Ecclesias, peragrasse, eundemque è carcere ab Angelo liberatum, Judæa excessisse. Hinc Sanctus Lucas Actuum 9. de B. Petro ait: *Factum est ut pertransiret universos*, diversas nimirum Ecclesias lustrans, & (ut ait Sanctus Chrysostomus Homiliâ 21. in Acta) *Quemadmodum Dux in exercitu obambulat, considerabat quæ pars esset coadunata, quæ ornata, quæ suo adventu egeret.*

Itaque Sanctus Petrus 4. fermè annis mansit in Judæa; anno 4. à Passione Christi Antiochiam se contulit, ibique erexit Sedem, fundavit Ecclesiam. Septem annis mansit illius Sedis Episcopus: quod non ita intelligendum est, quasi toto illius septennii decursu nusquam Antiochiâ egressus sit; nam vicinas interim peragravit provincias, Pontum, Asiam, Cappadociam, Bythiniam. Inde profectus anno à Passione Christi undecimo, rediit Hierosolymam, ibique ab Herode in vincula conjectus est, diebus Azymorum: unde paulò post ab Angelo liberatus; eodem anno, scilicet secundo Claudii, Romam perrexit; ibique Sedem constituit in ævum mansuram. Septimo Pontificatus sui, sive Romanæ Sessionis anno, Claudii 9. à Christi Passione 18. Româ discedere coactus est, Edicto Imperatoris, exilium adversùs Judæos universos decernentis. Eodem anno Concilio Hierosolymitano interfuit. Claudio è vivis sublato, Romam rediit, ibique passus est anno 14. Neronis.

Quamobrem non est audiendus Onuphrius Panuinus, qui in suis Additionibus ad Platinam, asserit Sessionem Sancti Petri Romæ antevertisse ipsius Sessionem Antiochiæ: omnium enim fermè Patrum authoritate refellitur. Contra illum pugnat Canon Concilii Romani sub Damaso, qui in Collectione Cresconiana ducentesimus trigesimus sextus est: *Tertia verò Sedes*, inquit, *apud Antiochiam Beatissimi Apostoli Petri habetur honorabilis, eò quòd illam primitùs quàm Romam venisset, habitavit, & illic primùm nomen Christianum novellæ Gentis exortum est.* Eadem habentur in Concilio Romano 70. Episcoporum, sub Gelasio.

Pugnat contra illum Sanctus Leo Sermone 1. in Natali Apostolorum, ubi Sanctum Petrum sic affatur: *Jam Antiochenam Ecclesiam, ubi primùm Christiani nominis dignitas orta est, fundaveras. Jam Pontum, Galatiam, Cappadociam, Asiam, atque Bythiniam, legibus Evangelicæ prædicationis impleveras: nec aut dubius de provectu operis, aut de spatio tuæ ignarus ætatis, trophæum crucis Christi Romanis arcibus inferebas.* Repugnat etiam rationi Onuphrii

opinio : nam ante illud tempus quo profectionem A Sancti Petri Antiochiam collocat, fuerunt ibi multi Fideles, fuit Ecclesia florentissima, ita ut primùm nominarentur credentes, Christiani. Fuit igitur illa in Ecclesia aliquis Episcopus : Petrus, an alius? Si Petrus, en quod intendebam. Si alius, ergo Sanctus Petrus in Episcopatu Antiocheno alicui ex Discipulis successit. Quod verisimile non est. Deinde cùm Antiochiam perrexit, dimisitne Romanam Sedem, an retinuit? Si dimisit, non sedit Romæ annis viginti quinque, imo nec viginti ; adeòque nutat omnium Historicorum, & Sanctorum Patrum fides. Si retinuit, ergo duas simul Sedes occupavit, B ac spiritualis poligamiæ perniciosissimum posteris reliquit exemplum, quod est æquè incredibile.

# DISSERTATIO XIV.

*De proximis Sancti Petri Successoribus in Antiochena Sede & Romana.*

QUIS Sancto Petro in Antiochena Sede immediatè successerit, Evodiusne, an Ignatius : C quis item ipsi proximè successerit in Romana, Clemensne, an Linus, res est non absque controversia, cùm Authores Ecclesiastici circa eam in varias abierint sententias. Hanc duabus Propositionibus dirimemus.

## PROPOSITIO I.

*Sancto Petro in Antiochena Sede proximè successit Evodius.*

Probaretur istud invictissimè ex Epistola 12. S. D Ignatii ad Antiochenos, nisi apud eruditos constaret, hanc Ignatio suppositam esse, cujus septem duntaxat genuinæ habentur Epistolæ : istius enim Authorquicunque sit, hæc habet : *Mementote Evodii beatissimi Patris vestri, qui primus post Apostolos, gubernacula Ecclesiæ vestræ sortitus est.* Verùm hac authoritate relicta, probatur primò ex Eusebio lib. 3. cap. 16. *Porro*, inquit, *Evodius primus fuit Antiochiæ Episcopus, secundus Ignatius, qui illis temporibus multum hominum sermone celebratus fuit.*

Probatur secundò testimonio Sancti Hieronymi in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum in Igna- E tio : *Ignatius* : inquit, *Antiochenæ Ecclesiæ tertius post Petrum Apostolum Episcopus.* Itaque Sancto Petro Evodius ; Evodio verò Ignatius successit.

Objiciuntur testimonia Sancti Chrysostomi, qui civis Antiochenus erat, & hujus primùm Ecclesiæ Sacerdos, Theodoreti & Felicis III. Romani Pontificis qui Sanctum Ignatium B. Petro proximè successisse testantur. Sanctus Chrysostomus Homilia de Laudibus Sancti Ignatii, quintam coronam ipsi contextam animadvertit, *Quoniam S. Petro in Episcopatus dignitate successit. Nam ut si quis è fundamentis magnum lapidem eruat, alterum ei parem in ejus* F *loco conatur constituere, alioqui totum ædificium labascet & corruet : Ita cùm Petrus Antiochiâ esset discessurus, alterum Petro parem Præceptorem gratia Spiritus substituit, ne inchoata jam ædificatio, Successoris contemptu debilior fieret.* Theodoretus verò in Dialogo *Immutabilis*, ait : *De illo enim Ignatio omnino audisti, qui per magni Petri dexteram Pontificatum suscepit.*

Denique Felix III. Romanus Pontifex in Epistola ad Zenonem Imperatorem quæ recitata est in in Quinta Synodo, Actione 1. testatur *Ignatium dexterâ Petri esse ordinatum* ejusdem *Antiochenæ Sedis Episcopum.*

Respondeo, ex his quidem colligi Sanctum Ignatium fuisse ordinatum Episcopum à Sancto Petro Antiochiæ, ut Episcopale munus ad tempus illa in civitate gereret, non verò ut ad obitum usque illic gereret Episcopatum. Id ut asseram, ducor conjecturâ, quam ex libro 7. Constitutionum Apostolicarum haurio ; quanquam illas non indubiæ penitus esse fidei noverim : ibi ergo legitur cap. 46. Antiochenæ Ecclesiæ à Sancto Petro Evodium, à Sancto Paulo Ignatium, esse creatos Episcopos ; non sanè unum post alium, sed simul. Quod quidem tunc factum fuisse conjicio, cùm dissensio inter Fideles, qui ex Circuncisione, & eos qui ex Gentibus ad fidem venerant, esset concitata. Tunc enim istud remedium adhibitum est, ut quandiu illa perduraret, sederet uterque Antiochiæ ; ac unus præesset iis qui ex Circuncisione, alter verò iis qui ex Gentibus ad Ecclesiam venissent. Cæterùm eo tandem sublato dissensionis pariete ; ac utraque parte unum in cœtum adunata, non ampliùs duobus, sed uno tantùm opus fuit Episcopo. Tunc igitur in sacra illa Præfectura videtur Evodius remansisse, cui libenter cessit Ignatius, ut Clemens Lino in Ecclesia Romana.

## PROPOSITIO II.

*Sancto Petro in administratione Romanæ & universalis Ecclesiæ proximè successit Linus, Lino Cletus, seu Anacletus, Cleto seu Anacleto Clemens.*

Probatur primò ex Sancto Irenæo lib. 3. cap. 3. *Fundantes igitur*, inquit, *& instruentes beati Apostoli Ecclesiam, Lino Episcopatum administrandæ Ecclesiæ tradiderunt. Succedit autem ei Anacletus : post* D *eum tertio loco ab Apostolis Episcopatum sortitur Clemens, qui & vidit Apostolos, & contulit cum eis, cùm adhuc intonantem prædicationem Apostolorum, & traditionem ante oculos haberet.*

Probatur secundò ex Authore libri 5. Carminum in Marcionem, Tertulliano adscripti, qui eundem tradit successionis ordinem, nisi quòd Anacletum distinguit à Cleto.

*Ex quibus electum magnum, plebique probatum,*
*Hac Cathedrâ Petrus, qua sederat ipse, locatum*
*Maxima Roma Linum primum considere jussit*
E *Post quem Cletus & ipse gregem suscepit ovilis :*
*Hujus Anacletus successor sorte locatus,*
*Quem sequitur Clemens.*

Probatur tertiò ex Eusebio lib. 3. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 5. *Post Pauli & Petri Martyrium*, inquit, *primus Romanæ Ecclesiæ Episcopatum Linus sortitò capit.*

Et cap. 12. *Cùm Vespasianus decem annos regno esset perfunctus, Titus filius Imperator ei successit. A quo biennio imperiô jam gubernatô, Linus Episcopus cùm duodecim annis Ecclesiæ Romanæ ministerium* F *obiisset, Anacleto eam tradidit. Postquam autem duos annos, & menses totidem Titus rexisset Imperium, in ejus locum Domitianus successit.... Duodecimo anno hujus Imperii, cùm Anacletus Romanam Ecclesiam, annos duodecim, Episcopus administrasset, eum secutus est Clemens.*

Et cap. 16. agens de iis quæ primo Trajani Imperatoris anno contigerunt : *Per idem tempus*, inquit, *Clemens Romanam adhuc gubernabat Ecclesiam, qui post Paulum & Petrum tertius Episcopalis illius Dignitatis gradum obtinuit. Linus primus erat, secundus Anacletus.*

Probatur quartò ex Sancto Epiphanio Hæresi 27. *Episcoporum*, inquit, *in Roma successio hanc consequentiam*

quentiam

*quentiam habuit : Petrus, & Paulus ; Linus, Cletus, Clemens, Evaristus*, &c.

Cum his ferè consentit Optatus Milevitanus: in eo solùm dissentit ab Authoribus laudatis, quòd Cletum prætereat, quem unum eundemque meritò existimat cum Anacleto, & Anacletum ipsum post Clementem collocet. Sic Optatus lib. 2. *Cathedra*, inquit, *unica est, qua est prima de dotibus. Sedit prior Petrus, cui successit Linus : Lino successit Clemens, Clementi Anacletus.*

Probatur quintò ex Sancto Hieronymo Romanæ alumno Ecclesiæ, in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum in Clemente ; *Clemens*, inquit, *de quo Apostolus Paulus ad Philippenses scribens, ait ; Cum Clemente, & cæteris cooperatoribus meis, quorum nomina sunt in libro vitæ, quartus post Petrum Romanus Episcopus. siquidem secundus fuit Linus & tertius Cletus : tametsi plerique Latinorum secundum post Petrum Apostolum putent fuisse Clementem.*

Probatur sextò, ex Romanæ Ecclesiæ Traditione, quam Romanum Martyrologium, & Canon Missæ repræsentant. Illud 25. Septembris, 26. Aprilis, & 23. Novembris, hæc habet ; *Romæ Sancti Lini Papæ & Martyris, qui primus post B. Petrum Apostolum Romanam Ecclesiam gubernavit .... Natalis Beati Cleti Papæ, qui secundus post Petrum rexit Ecclesiam, in persecutione Domitiani....... Natalis Sancti Clementis Papæ, qui tertius post B. Petrum Apostolum Pontificatum tenuit.*

In sacro etiam Canone Missæ eodem ordine recensentur post Apostolos primi. *Sed & Beatorum Apostolorum ac Martyrum tuorum Petri & Pauli, &c. Lini, Cleti, Clementis.*

Probatur ultimò ex Traditione Ecclesiæ Hispaniensis, quæ in Breviario Toletano, quod Sancti Isidori dicitur, in sacro Hymno Sancti Clementis laudes celebrante, hæc legit :

*Romanæ Sedis tertium Antistitem,*
*Quem Christus sibi consecravit Martyrem.*

Insuper cùm Eusebius lib. 3. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 28. ac cæteri omnes tam Græci, quàm Latini Authores, testentur Sanctum Clementem subiisse martyrium tertio anno Trajani Imperatoris idemque asserat S. Hieronymus in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum in *Clemente* : qua ratione dicere possumus Clementem sedisse statim post Petrum, cum à Petri martyrio ad annum tertium Trajani, triginta tres anni præterfluxerint ? At quis unquam somniavit tandiu Beatum Clementem Romanum Episcopatum gessisse? Imo quis dixit ipsum ampliùs novennio Romanæ Ecclesiæ præfuisse, id Eusebio aliisque attestantibus ? Et certè si semper ab anno 14. Neronis ad tertium Trajani, sedit Romæ Sanctus Clemens, quisnam, quæso, locus assignabitur Cleto ? ut Linum mittam, quem volunt eadem Neronis persecutione, absque honore Pontificatus proprio nomine gesti, martyrio esse præreptum?

Objicitur Epistola Joannis III. Pontificis Maximi ad Episcopos per Germaniæ & Galliæ Provincias constitutos. *Si autem*, inquit, *Princeps Apostolorum Adjutores sibi adscivit Linum & Cletum, non tamen potestatem Pontificii, aut ligandi & solvendi eis normam tradidit ; sed successori suo Sancto Clementi, qui Sedem Apostolicam post eum, & potestatem Pontificalem, tradente sibi B. Petro, tenere promeruit.*

Respondeo primò, Linum quidem & Cletum Coadjutores fuisse tantùm Romanæ Ecclesiæ, dum Sanctus Petrus vixit, neque æquale cum ipso Pontificium consecutos ; sed non sequitur quòd post Principis Apostolorum martyrium Romanam Ecclesiam proprio nomine, alter post alterum, non rexerint.

Respondeo secundò, Epistolam illam Joannis III. suppositititiam esse, quod multis argumentis probant viri eruditissimi Baronius, Binius, Possevinus. Primò quia sub Consulatu Justini sexto, 14. Calendas Augusti, anno 7. Justini, & Christi 571. scripta notatur, quo tempore Joannes III. jam obierat. Secundò, quòd nota Consulatus consignata sit, præter illius temporis morem. Tertiò, quia nomen Chorepiscoporum, de quorum munere integra Epistola scripta est, in Galliis & Germania penitùs non fuit abolitum, usque ad decimum sæculum. Quomodo ergo verum esse potest quod ait, ipsos fuisse à suis Decessoribus damnatos ? Et quomodo in Galliis & Germania de ipsorum potestate adhuc dubitatum est Leonis III. temporibus, si ante ipsum Joannem III. fuerunt prohibiti ?

Porrò licèt Clementem à Beato Petro ordinatum Authores tradant plurimi, non sequitur quòd Romanam Sedem immediatè post illum conscenderit. Designatus quidem fuerat à Sancto Petro Romanæ & universalis Ecclesiæ Episcopus ; sed ad exempli perniciem devitandam, Clero (ut credere par est) consentiente, singulari Sancti Spiritus afflatu jure suo cessit, & Linum primò, deinde Cletum adduxit, ut summum Pontificatum proprio nomine gererent, quem antea Petri nomine administraverant, ejus nimirum adhuc viventis, sed propter Ecclesiæ necessitates absentis vice. Enimverò pessimum exemplum Pontificibus præberi animadvertebat Sanctus Clemens, si ex vi Ordinationis ac designationis de se factæ à Sancto Petro, (quantumvis justa esset) exerceret Pontificium, quia futurum prævidebat ut, si Pontifici liceret sibi designare Successorem, plures in Cathedram Petri subvecti, sed Petri vestigia non secuti, revelationem carnis & sanguinis, non Sancti-Spiritus afflatum attenderent, ac nepotes ad supremæ istius dignitatis promoverent fastigium ; sicque summum Ecclesiæ Sacerdotium ab ordine Melchisedech in ordinem Aaronis decideret, nec dignatio cœlestis gratiæ faceret Antistitem, sed carnalis successio generaret Sacerdotem. Hæc, inquam, mala Ecclesiæ impendentia auguratus Sanctus Clemens, Pontificatum gerere renuit post Sanctum Petrum, nec suscepit nisi post Cletum, à Clero proclamatus & coactus.

Suffragatur huic solutioni Sanctus Epiphanius Hæresi 27. ubi de Marcellina quadam, ex Carpocratianorum factione pestilentissima fœmina scribens, quę Aniceti Pontificis tempore venit Romam, & multos illic errore suo depravatos in exitium impulit, data occasione Romanorum Pontificum seriem, ad sua usque tempora, recenset his verbis : *Romæ*, inquit, *primi omnium Petrus & Paulus Apostoli pariter atque Episcopi fuerunt, inde Linus, tum Cletus, post hunc Clemens.... Neque verò miretur aliquis, quod ante ipsum in Pontificiam dignitatem alii Apostolis successerint, cùm Petri ac Pauli esset æqualis ; iisdem enim ille temporibus vixit. Utrum illis adhuc superstitibus, impositis manibus, Episcopus à Petro consecratus, eâque detrectatâ provinciâ, ab omni administratione vacaverit : (ita enim in quadam Epistola scripsit, Recedo, exeo, instet populus Dei ; nonnullis videlicet hoc modo consulens : nam in quibusdam Commentariis ita scriptum reperimus) an potius, secundum Apostolos, ab Episcopo Cleto sit constitutus, liquido non constat. Quanquam vel hoc quidem ratione poterant, viventibus adhuc Apostolis, Petro scilicet ac Paulo, Episcopi alii subrogari, quod iidem illi, prædicandi Evangelii gratiâ, in alias urbes regionesque profectionem susciperent, carere autem Episcopo Roma non posset. Siquidem Paulus in Hispaniam pervenit : Petrus verò Pontum & Bithy-*

*niam sæpenumerò peragravit. Ac fieri sanè potuit, ut primùm Clemente constituto, cùm is defugeret: (si tamen ita contigit, quod ego opinando potiùs quàm asseverando dixerim) postea Lino, Cletoque mortuis, qui duodecim annorum spatio sigillatim Episcopatum obtinuerunt, post Apostolorum Petri Paulique necem, tum demum Pontificatum capessere sit coactus. Sed utcunque sese res habuerit, Romanorum Pontificum ista successio est: Petrus & Paulus, Linus ac Cletus, Clemens, Evaristus, Alexander, Xistus, Telesphorus, Hyginus, Pius, Anicetus.* Hæc ille.

Id confirmat Venerabilis *Beda* in Historia Abbatum Wermuthensium, duorum Abbatum in eodem Monasterio Præfecturam hoc argumento approbans: *Nam & Beatissimum Petrum Apostolum Romæ Pontifices sub se duos ad regendam Ecclesiam constituisse, causa instante necessaria, tradunt Historiæ.* Et lib. IV. Historiæ Ecclesiasticæ Gentis Anglorum cap. XI. successisse scribit Augustino Laurentium in Episcopatum; quem ipse idcirco adhuc vivens ordinaverat, ne se defuncto status Ecclesiæ tam rudis vel ad horam Pastore destitutus vacillare inciperet: *In quo & exemplum sequebatur primi Pastoris Ecclesiæ, hoc est, Beatissimi Apostolorum Principis Petri, qui fundatâ Romæ Ecclesia Christi, Clementem sibi Adjutorem evangelizandi simul & Successorem consecrasse perhibetur.*

Nec obstat testimonium *Pseudo-Damasi* in libro de Vitis Pontificum, Beatum Clementem à S. Petro consecratum, illique commissam ab ipso Ecclesiam, scribentis: facili enim negotio per ea quæ ex Sancto Epiphanio jam notata sunt, diluitur.

Secundò Pseudodamasus nec sibi satis constat, nec cum veritate concordat: scribit enim in Vita S. Clementis, illum tertio anno Trajani Imperatoris, qui cum anno Christi centesimo secundo concurrit, martyrium subiisse; fatetur in Cathedra Sancti Petri sedisse novem annis; adeòque cum vulgari sententia initium Pontificatus Beati Clementis ad annum Christi nonagesimum tertium, Domitiani decimum, referendum esse. Quomodo ergo vera sunt quæ scribit, Linum anno Christi 69. Neronis 13. fuisse Sancto Petro in Pontificatu subrogatum? Linumque & Cletum eâ solum ratione in numero Pontificum Romanorum ante Clementem conscribi, quòd à Sancto Petro ad Sacerdotale ministerium exhibendum, Episcopi sint ordinati? Certè suum ipse jugulum petit Author ille, faterique debuisset vel invitus, Linum & Cletum, spatio viginti trium circiter annorum inter martyrium Sancti Petri & initium Clementis intercurrente ordinariâ potestate & authoritate, alterum post alterum, Romanæ & universali Ecclesiæ præfuisse.

Pseudodamasum dixi, quia falsò sancti Damasi nomine inscribitur liber de Vitis Pontificum, qui potius diversorum Authorum farrago est, & pugnantia passim scribit. Certè Sanctus Hieronymus, qui Damasi Opera recenset cùm in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum tum alibi, non meminit libri Pontificalis. Denique stylus indignus est Authore, quem idem Hieronymus *elegantis ingenii virum* prædicat.

Objicies authoritatem Sancti Hieronymi in cap. 52. Isaiæ scribentis: *Clemens vir Apostolicus post Sanctum Petrum Romanæ Sedis Episcopus*, &c.

Respondeo, S. Hieronymum hæc obiter scribere in Commentariis. Verùm cùm de Sancto Clemente ab eo est diligens instituta narratio, post Linum & Cletum sedisse ipsum affirmat, in Catalogo scilicet Scriptorum Ecclesiasticorum. Sed nec asserit loco mox citato, ipsum immediatè Sancto Petro successisse.

Nota quòd etsi Cleti & Anacleti memoria diversis diebus in Romano Martyrologio consignetur, prioris scilicet 26. Aprilis, posterioris die 13. Julii, quasi duo sint Pontifices; meritò tamen à posterioribus confunduntur, errorque Martyrologii, veterum Patrum locupletissimis testimoniis emendatur; necnon Eugenii IV. Pontificis Maximi authoritate in Decreto Unionis Armenorum cum Ecclesia Romana, in quo Alexandrum primum, vocat quintum à Sancto Petro Pontificem. Porro si Cletus & Anacletus distincti essent Pontifices, Alexander, sextus fuisset post Sanctum Petrum, ipsum Apostolorum Principem non numerando.

## SCHOLION.

Operum meorum Censores in Indiculum suum Propositionem istam retulerunt: *Anacletus expungendus è numero Pontificum; quia non est distinctus à Cleto.* Quamobrem hæc Propositio secundis curis tractanda est.

R. Unum & eumdem Pontificem *Sancti Petri* post Linum successorem, *Cletum* & *Anacletum* nuncupari, certissima probant Antiquitatis Ecclesiasticæ monumenta. Apud *Sanctum Irenæum* Sancti Petri proximi in Romana Sede Successores hoc ordine recensentur lib. III. cap. III. *Linus, Anacletus, Clemens*, & *Clementi* mox *Evaristus* successisse traditur. Sancto Irenæo consonat *Caius* Auctor Ecclesiasticus apud *Eusebium* libro V. cap. XXVIII. qui quidem *Caius* & Romanæ Ecclesiæ Presbyter fuit, & adversùs *Artemonis* Hæresim sub Zephirini Pontificatu scripsit. Ille enim *Cletum* & *Anacletum* non distinxit, qui dixit *Victorem* fuisse post *Petrum* XIII. Romanæ Ecclesiæ Episcopum. *Sancto Irenæo* consentit etiam *Eusebius* tum in Chronico, tum in Historia. *Eusebium* sequuntur Græci omnes, *Pseudo-Ignatius* in Epistola ad Trallianos interpolata, *Georgius Syncellus*, Auctor Indiculi *Nicephoro* Patriarchæ Constantinopolitano adscripti, *Photius* & *Nicephorus Callistus.* Nec dissentit *Sanctus Epiphanius*, qui tres tantùm Pontifices post *Sanctum Petrum* usque ad *Evaristum* agnoscit, quamvis ANACLETUM *Cletum* vocet. Inter Latinos eumdem numerum servant ex Africana Ecclesia S. *Cyprianus*, *Sanctus Optatus Milevitanus*, *Sanctus Augustinus* in Epistola ad *Generosum* LIII. aliàs CLXV. *Petro*, inquit, *successit Linus, Lino Clemens, Clementi Anacletus, Anacleto Evaristus.* In uno quidem è Vaticanis Codicibus legitur, *Lino Cletus, Cleto Clemens*, sed cætera MSS. refragantur. Eamdem successionis ordinem servant è Romana Ecclesia *Caius* Presbyter & *Sanctus Hieronymus*; ex Gallia *Sanctus Prosper*; ex Arabia *Eutychius*; ex Hispania *Pseudo Dexter.* Et tametsi vetus Romanorum Pontificum Catalogus, Liber Pontificalis, & *Pseudo Tertullianus* Lib. III. Carminum contra Marcionem, *Cletum* & *Anacletum* tanquam duos Pontifices nominent; *Valesius* testatur se duos vetustissimos Indices sive Catalogos vidisse, in quibus nulla fit *Anacleti* mentio, sed solius *Cleti.* Et sacer Missæ Canon *Lini, Cleti* & *Clementis* meminit, nulla *Anacleti* mentione factâ: cui congruit Litania veteris Ordinis Romani, in qua hoc ordine invocantur. *Sancte Line, ora pro nobis. Sancte Clete, ora pro nobis. Sancte Clemens, ora pro nobis.* Vetustissimos duos Romanorum Pontificum Indices edidit Dom *Mabillonius* Tom. III. *Veterum Analectorum*. Primus in *Vigilio* definit, alter in *Joanne sexto*. Uterque *Anacletum* cum *Cleto* unum & eumdem fuisse significat. Prior sic habet: *Petrus sedit annos XX. menses ij. dies iij. Linus sed. an. XI. menses iij. dies XIJ. Cletus sed. an. XIJ. mensem j. dies ij. Clemens sedit an. viij. menses ii. dies j. Evaristus sedit an. viij. menses x. dies ij.* Alter verò sic habet: *Linus sedit annos XIJ. menses v. dies XIJ. Cletus sedit annos viij. menses ij. dies v. Clemens sedit annos vj. menses j. dies XIV. Evaristus sed. an. XIV. menses iii. dies XIJ.* Cæterea priores illi Scriptores, qui duos Pontifices consecere, de ordine successionis non conveniunt. In Catalogo Bucheriano hoc ordine recensentur: *Linus, Clemens, Cletus, Anacletus*: in altero Catalogo seu Libro Pontificali *Linus, Cletus, Clemens, Anacletus*; Apud Pseudo-Tertullianum *Linus, Cletus, Anacletus, Clemens.* Cletum quidem ab Anacleto diversum nomine, patre, patriâ, rebus gestis, mortis tempore & die refert Libri Pontificalis Auctor, quem sexto sæculo scripsisse Viri Eruditi censuerunt, huncque Librum ante *Anastasii Bibliothecarii* ætatem fuisse interpolatum, plurimis & fœdis erroribus scatere, annos Pontificum summâ negligentiâ vel solo ritu tradere, multa narrare quæ nullo Veterum testimonio nituntur, immo quæ Veteribus repugnant, ut illa de *Cleto* & *Anacleto* quasi diversis Pontificibus. Martyrologia verò & Breviaria emendari poterunt, cùm Summis Pontificibus videbitur. Cæterùm mihi in illa sententia prævierunt Viri Catholici & Eruditi, *Mallinus*, *Carolus*

S.

A *S. Paulo*, *Valesius*, *Cotelerius*, & alii. Non ita tamen in ea sententia sum pertinax, ut *Cletum*, & *Anacletum*, ceu distinctos Pontifices non colam, si Romana Ecclesia Mater ac Magistra nostra ita sentiat ac jubeat, sed has illa Quæstiones filiorum suorum Disputationi permittit.

## DISSERTATIO XV.

### *De Fidei Propagatione in Hispaniis.*

*Utrum Hispaniensis Ecclesia à Sanctis Apostolis Paulo, & Jacobo Joannis fratre fundata sit?*

SANCTUM Paulum consilium suscepisse proficiscendi in Hispanias, ut Evangelicâ doctrinâ populos illos imbueret, constat ex Epistola ad Romanos cap. 15. *Cùm*, inquit, *in Hispaniam proficisci cœpero, spero quòd præteriens videam vos, & à vobis deducar illuc, si vobis primùm ex parte fruitus fuero.* Et infrà: *Per vos proficiscar in Hispaniam.* Sed non ita certum est, an consilium de ista profectione susceptum executioni mandaverit.

### PROPOSITIO I.

*Traditione constat S. Paulum in Hispanias profectum, ibi Ecclesiam fundavisse.*

Probatur primò authoritate S. Athanasii in Epistola ad Dracontium, scribentis de S. Paulo: *Studium fuit Sancto Viro usque ad Illyricum Evangelium prædicare, neque segnescere, neque omittere quin Romam iret, & in Hispanias ascenderet, ut pro graviori labore, majori frueretur mercede laboris.*

Secundò, ex S. Cyrillo Hierosolymitano Catechesi 17. de eodem S. Paulo scribente: *Ab Hierosolymis usque ad Illyricum disseminavit Evangelium: qui regiam quoque Romam instituebat; & in Hispaniam usque promptitudinem prædicationis extendit.*

Tertiò, ex S. Epiphanio Hæresi 27. *Paulus*, inquit, *in Hispaniam profectus est: Petrus verò supe Pontum & Bithyniam visitavit.*

Quartò, ex S. Joanne Chrysostomo Homiliâ 76. in Matthæum. *Cùm igitur*, inquit, *biennium Romæ exegisset in vinculis* (S. Paulus) *tandem dimissus est: deinde in Hispanias profectus, invisit illic Judæos quoque: ac tunc fortasse Romam reversus est, quando & supplicium jussu Neronis pertulit.*

Quintò, ex Theodoreto in cap. 1. Epistolæ ad Philippenses: *Quæ Actorum nos docuit Historia*, inquit, *quòd duobus annis primùm Romæ per se degit, per se habitans in suo conducto: cùm autem illinc profectus esset in Hispaniam, & illis etiam divinum Evangelium tradidisset, reversus est, & tunc fuit truncatus capite.*

Sextò ex S. Hieronymo in cap. 11. Isaïæ ubi de S. Paulo scribit: *In Hispaniam alienigenarum portatus est navibus.*

Septimò, ex S. Gregorio Magno lib. 31. Moralium cap. 22. *Ecce ipse*, inquit, *quem ad testimonium jam sæpe deduximus, Paulus, cùm nunc Judæam, nunc Corinthum, nunc Ephesum, nunc Romam, nunc Hispanias peteret, ut in peccati morte jacentibus æternæ vitæ gratiam nunciaret, quid se aliud quàm esse Aquilam demonstrabat?*

Octavò, ex Romano Martyrologio ad diem 22. Martii, ubi memoriam Pauli Narbonensis Episcopi consignat, quem secum Paulus ducturus in Hispaniam Narbonæ reliquit. Ex Adone, qui in Chronico ad annum 59. testatur S. Paulum eodem in itinere Trophimum Arelate reliquisse, Viennæ verò Crescentem. Ex Menologio denique Græcorum ad diem 25. Septembris, ubi meminit Xantippes & Polyxenæ à S. Paulo ad Fidem conversarum in Hispania.

Objectio prima petitur ex Gelasio Pontifice Maximo apud Gratianum Causâ 12. Quæstione 2. Cap. *Beatus*, dicente: *Beatus Paulus Apostolus, non ideo quod absit, fefellisse credendus est, aut sibi extitisse contrarius; quoniam, cùm ad Hispanos se promisisset iturum, dispositione divina, majoribus occupatus ex causis, implere non potuit quod promisit. Quantùm enim ipsius voluntatis interfuit, hoc pronuntiavit, quod revera voluisset efficere. Quantùm* B *enim ad divini secretu consilii (quæ ut homo omnia non potuit, licèt Spiritu Dei plenus, agnoscere) superna prætermisit dispositione præventus.* Ergo S. Paulus in Hispanias non est profectus.

Respondeo, Gelasium profectionem S. Pauli in Hispanias penitus non inficiari; sed negare duntaxat, quòd tunc susceptum ea de peregrinatione consilium impleverit, quando se illud mandaturum executioni decreverat. Spoponderat enim Romanis, se statim atque Collectas Hierosolymam in pauperum subsidium detulisset, Romam venturum, subindeque profectionem adornaturum in C Hispanias: quod quominùs tam citò præstare potuerit, prohibuerunt graves ærumnæ, quas Hierosolymis passus à Judæis est, & carceris angustiæ in quo ipsum solido biennio Romæ Nero detinuit.

Deinde etsi Gelasius profectionem S. Pauli in Hispanias negasset, quid contra tantam nubem testium, contra Traditionem tot Sanctorum Patrum testimoniis firmatam, probaret unius Pontificis ex privato sensu scribentis authoritas?

Objectio secunda petitur ex Innocentio I. Romano Pontifice in Epistola ad Decentium scribente, Apostolorum neminem, præter S. Petrum, Hi- D spanias, & alias Occidentis Provincias, Fide Christi imbuisse: *Legant*, inquit, *si in his provinciis alius Apostolorum invenitur, aut legitur docuisse. Quod si non legunt, quia nusquam invenitur; oportet eos hoc sequi, quod Romana Ecclesia custodit, à qua eos principium accepisse non dubium est.* Ergo Sanctus Paulus nusquam profectus est in Hispanias.

Respondeo, distinguo Antecedens. Innocentius I. ait neminem Apostolorum, præter Sanctum Petrum, Hispanias & alias Occidentis regiones Evangelicâ doctrinâ imbuisse: & Sanctum Paulum illa exceptione minimè complectitur, concedo; E & illum complectitur, nego. Namque cùm Innocentius Hispanienses Ecclesias ad Romanæ ritus Ecclesiæ traducere satagat, illosque constet nedum à S. Petro, verùm etiam à S. Paulo institutos, atque in illas regiones, quas fide imbuendas susceperunt, translatos ac propagatos, nulla subest ratio cur S. Paulum excipiat ab eorum numero qui Occidentalibus regionibus, & ipsi Hispaniæ Evangelii lumen intulerunt: ideo autem solius Petri meminit Innocentius, quòd primæ Sedis Episcopus esset, cui cæteræ Ecclesiæ unitatis Catholicæ vinculo ut Matrici compaginantur.

F

### PROPOSITIO II.

*Sanctum Jacobum nusquam in Hispanias profectum, validis argumentis demonstratur.*

Probatur primò ex eo quòd Hierosolymis omnium Apostolorum primus martyrio affectus sit, antequam Apostoli varias in Provincias dividerentur: qua igitur ratione peragrare Hispanias potuit?

Antecedens constat, quia Apostoli dispersi non sunt ante secundam persecutionem, quæ ab Herode mota est contra Ecclesiam, cùm occiso Jacobo, Petrum retrusit in carcerem, de qua persecutione

Actuum 12. legitur: *Eodem autem tempore misit Herodes Rex manus, ut affligeret quosdam de Ecclesia: occidit autem Jacobum fratrem Joannis gladio.* Nam in prima persecutione, qua sæviente, lapidibus obrutus est S. Stephanus, Apostoli nedum dispersi sunt, sed soli Discipuli, ut constat ex Actuum 8. cap. *Facta est autem in illa die persecutio magna in Ecclesia quæ erat Hierosolymis; & omnes dispersi sunt per regiones Judææ & Samariæ, præter Apostolos.*

Probatur secundò ex controversia, quæ mota est inter Archiepiscopos Toletanum & Compostellanum de Jure Primatûs, quæque in Concilio IV. Lateranensi, sub Innocentio III. ventilata fuit. Parere detrectabat Archiepiscopo Toletano Compostellanus, Compostellanæ Ecclesiæ antiquitatem & nobilitatem magnificè prædicans: à S. Jacobo utramque arcessebat; quòd scilicet Sanctissimi illius Apostoli corpus requiescat Compostellæ; & quòd Hispaniam Fide imbuerit. Ex adverso Rodericus Ximenius Archiepiscopus Toletanus, Ecclesiæ suæ jura plena in Synodo, præsente ac præside Romano Pontifice Innocentio III. acerrimè tuebatur his verbis: *Si*, inquit, *inducat etiam Compostellanus Antistes divini verbi prædicationem, & plurimorum conversionem ad Fidem Christi in Hispania per Jacobum Apostolum factam, qui divinam Paginam noverunt, testimonium perhibeant. Ego tantùm legi ei datam fuisse potestatem prædicandi in Hispania. Sed interim, cùm per Judæam & Samariam Divinam Legem seminaret, sub Herode Hierosolymis truncato capite, exhalavit animam, & Domino reddidit. Quomodo ergo ibi prædicavit, quò nondum ingressus? aut sine prædicatione quos, obsecro, convertit ad Dominum?*

Hæc cum summo Patrum omnium applausu urgebat Illustrissimus Antistes, qui & addidit se de S. Jacobi prædicatione in Hispaniis nihil à Viris Eruditis & fide dignis audivisse, sed à piis duntaxat mulieribus, cùm junior esset. Quamobrem in Historia rerum Hispanicarum, quam accuratissimè conscripsit, ne leviter quidem meminit itineris à S. Jacobo in Hispanias suscepti.

Tertiò, si verum esset quod jactatur de illa profectione & prædicatione, Calixti testimonium, cur illud Compostellanus Antistes in sacro illo celeberrimoque Consessu, ad redarguendum Toletanum, in medium non produxit, cùm præsertim ipsiusmet Callixti authoritatem urgeret Toletanus Archiepiscopus? *Si*, inquit, *antiquitatem Compostellanæ Ecclesiæ pro te facere existimas; antiquitas ista centum & novem annorum spatio continetur, quod sic persuadeo. Dominus Callixtus Papa, ad instantiam Principis & populorum Hispaniæ, Metropoliticum jus antiquæ & celeberrimæ civitatis Emeritensis, Compostellam transtulit anno Domini millesimo centesimo vigesimo-quarto; tum quia civitas Emeritensis erat sub dominio Saracenorum constituta: tum quia peregrinantium devotio, ob reverentiam B. Jacobi, cujus corpus ibidem creditur esse sepultum, in melius semper cresceret.*

Quòd si tunc extitissent, quæ nunc ea de re jactantur Callixti Litteræ, non potuisset Vir Illustrissimus atque Doctissimus, absque pudore, Callixti secundi authoritatem obtrudere: imò Compostellanus Antistes, qui rem acri animo agebat (ut constat ex Actis, apud Garsiam Loaisam in Collectione Conciliorum Hispaniæ, in Decreto Gundemari) illius Pontificis authoritatem adversùs Toletanum totis viribus intorsisset.

Probatur quartò authoritate Gregorii VII. lib. 1. Regesti Epistolâ 64. datâ ad Alphonsum & Sanctium Hispaniarum Reges, quos his verbis alloquitur: *Cùm Beatus Apostolus Paulus Hispaniam*

A *se adiisse significet, ac postea septem Episcopos ab urbe Roma, ad instruendos Hispaniæ populos, à Petro & Paulo Apostolis directos fuisse, qui destructâ Idololatriâ Christianitatem fundaverunt, Religionem plantaverunt, Ordinem & Officium in divinis cultibus agendum ostenderunt, & sanguine suo Ecclesias dedicavere, vestra diligentia non ignoret: quantam concordiam cum Romana Urbe Hispania in Religione, & Ordine Divini Officii habuerit, satis patet.* Et infra: *Unde enim non dubitatis vos suscepisse Religionis exordium, restat etiam ut inde recipiatis in Ecclesiastico Ordine Divinum Officium: quod Innocentii Papæ ad Eugubinum directa Episcopum vos docet Epistola,* B *quod Hormisdæ ad Hispalensem missa Decreta insinuant; quod Toletanum & Braccarense demonstrant Concilia.* Porro si à S. Jacobo illata esset Fides Christi in Hispanias, & septem illi Episcopi ejus Discipuli fuissent (ut recentiores Hispani fingunt) Gregorius VII. Hispaniensium Ecclesiarum fundationem ad Paulum duntaxat Apostolum, & ad Petri Paulique Discipulos non retulisset, neque id confirmasset certissimis Antiquitatis Ecclesiasticæ monumentis.

Objicitur authoritas S. Isidori in libro de Vita
C & Morte Sanctorum cap. 73. ubi de S. Jacobo scribens, ait: *Hispaniæ atque Occidentalium locorum populis Evangelium prædicationis infudit.*

Præterea in Breviario Toletano, institutionis S. Isidori, habetur sacer Hymnus, qui S. Jacobi accessum in Hispanias testatur, his versibus:

*Magni deinde Filii Tonitrui,*
*Adepti fulgent, prece matris inclyta:*
*Utrique vitâ culminis insignia:*
*Regens Joannes dextrâ solus Asiam,*
*Et lævâ Frater positus, Hispaniam.*

D Tertiò, Venerabilis Beda in Collectaneis, agens de Divisione Apostolorum, Jacobum hunc in Hispanias esse profectum testatur.

Quartò, idem refert Turpinus Archiepiscopus Remensis in libro de Gestis Caroli Magni Imperatoris.

Ultimò, Callixtus II. literis Apostolicis hanc Hispaniensem Ecclesiarum Traditionem confirmat.

Respondeo ad primum, jam constare apud Doctos librum de Vita & Morte Sanctorum, qui sub nomine Sancti Isidori circumfertur, Sancti revera Isidori genuinum fœtum non esse, cùm in eo
E plura legantur Isidori ingenio digna, imò & putida mendacia, ut scribit Eminentissimus Cardinalis Baronius in Notis ad Martyrologium ad diem Julii 25.

Ad secundum respondeo, Officium illud Toletanum, in quo Sancti Jacobi in Hispanias accessus Hymno sacro recolitur, non fuisse à Romana Ecclesia probatum: unde cùm Romanæ Ecclesiæ Traditio cujuscumque singularis Ecclesiæ traditioni sit anteponenda; probabiliùs asseritur, nusquam profectum in Hispanias esse Sanctum Jacobum, quia id Romana inficiatur Ecclesia, quàm asseratur
F illuc profectus, quia id tradit Ecclesia Hispaniensis. Adde, quòd ex Roderico Ximenio insigni rerum Hispanicarum Scriptorore, & Archiepiscopo Toletano, supra notavimus, eam tantùm esse Traditionem religiosarum mulierum, id est, fabulosam narrationem.

Ad tertium respondeo, Collectanea illa supposititium esse Venerabilis Bedæ fœtum, tam Erudito Authore prorsus indignum: rudis enim est, indigestaque næniarum farrago.

Præterea, non asserit directè profectum in Hispaniam S. Jacobum, sed forte accepisse Hispaniam.

Porro

Porro potuit ipsi obtingere Hispania, cùm Apostoli orbem Christi Fide imbuendum sortiti sunt, vel inter se quoquomodo diviserunt, licèt eò nusquam sit profectus.

Tertiò, ibidem asserit Sanctum Philippum Galliis Fidem intulisse; quamvis constet Apostolorum neminem in Galliis prædicasse, sed Viros duntaxat Apostolicos eò directos: atque Sanctum Philippum in Asia superiori, & in aliqua Scythiæ parte annuntiasse Evangelium prodant Ecclesiasticæ Historiæ monumenta.

Ad quartum respondeo, librum illum Turpini, sive potiùs Tilpini (ita enim vocatum esse Remensem Episcopum, qui Carolo Magno Imperante vixit, constat ex veteribus Instrumentis, quanquam Baronius Turpinum dicat) respondeo, inquam, librum illum supposititium esse, commentitium ac fabulis scatentem, cujus nec Flodoardus meminit in libro de Vitis Pontificum Remensium, in Tilpino; cujus item apud Hincmarum, Vitaldum, Adelmum & Theodulphum, Scriptores illius temporis gravissimos, altum silentium est (ut testatur etiam Papirius Massonus in suis Annalibus Galliæ) Ab homine imperito & mendaci scriptum multa arguunt. De obitu Caroli Magni scribit cap. 302. cùm certum sit ex Annalibus nostris, Tilpino mortuo, successorem Vulfarium ab eodem Imperatore datum fuisse Remensibus Archiepiscopum, & ex Synodo Remensi anno 813. constet coactam illam fuisse à Carolo Magno, rogante Vulfario Remorum Archiepiscopo.

Ad ultimum respondeo, falsam esse ac supposititiam Callixti narrationem; quòd non inani conjecturâ ductus assero: nam si veram existimasset Compostellanus Antistes, eam procul dubio intrusisset in Toletanum in Concilio Lateranensi, maximè cùm Toletanus jus suum ejusdem Pontificis authoritate tueretur.

Objectio secunda eruitur ex S. Juliano Episcopo Toletano, in Commentariis in Nahum Prophetam, quos ex vetusto MS. Codice Bavaricæ Bibliothecæ edidit Henricus Canisius; ubi exponens verba illa Prophetæ cap. 1. *Et nebula pulvis pedum ejus*, pedes Domini Sanctos Apostolos interpretatur. *Isti ergo*, inquit, *pedes Domini fuerunt, qui eum prædicando per universum orbem detulerunt. Petrus enim eam Romam, Andreas Achaiam, Joannes Asiam, Philippus Galliam, Bartholomæus Parthiam, Simon Ægyptum, Jacobus Hispaniam, Thomas Indiam, Matthæus Æthiopiam, Judas eum retulit Mesopotamiam: Jacobus Alphæi eum retulit Hierosolymam. Quisque sua sorte Christum sparsit sine sorde. per Paulum verò toto dispergitur orbe.* Floruit autem S. Julianus cadente septimo Sæculo: obiit quippe anno Christi DCXCI.

Respondeo, incertum esse an illud Opus sit S. Juliani Toletani: quòd ex uno tantùm MS. Codice undequaque mutilo, & mendis scatente, editum est; & quatuor tantùm aut quinque versus Nahum Prophetæ exponit. Recentiorem sanè Authorem Juliano indicant Versus isti Leonini, qui ad finem testimonii mox laudati leguntur. Sed quamvis Juliani esset ille Commentariolus, major ipsi non esset adhibenda fides quàm Scripturæ Sacræ, ex qua colligitur Sanctum Jacobum nusquam in Hispanias profectum esse; & quàm Innocentio I. Hormisdæ, & Gregorio VII. Pontificibus Maximis, quorum ex testimonio idem superiùs probatum est. Certè tam errare potuit S. Julianus in S. Jacobo, quàm in S. Philippo Apostolo, quem in Galliis prædicasse Evangelium absque fundamento asserit.

Objectio tertia. Freculphus Lexoviensis Episcopus lib. 2. Chronicorum cap. 4. scribit S. Jacobum Evangelium Christi in Hispanias intulisse: *Jacobus, inquit, filius Zebedæi, frater Joannis, duodecim Tribubus, quæ sunt in dispersione Gentium, scripsit; atque Hispaniæ, & Occidentalium locorum populis Evangelium prædicavit.*

Idem testatur Walfridus Strabus in Poëmate de 12. Apostolis, quod edidit Henricus Canisius Tom. 6. Antiquæ Lectionis, ubi de S. Jacobo ita canit:

*Primitus Hispanas convertit dogmate Gentes,*
*Barbara divinis convertens agmina dictis.*

Idem testatur Notkerus Monachus S. Galli, in Martyrologio, ad diem 25. Julii, ubi de S. Jacobo hæc habet: *Hujus Beati Apostoli sacratissima ossa ad Hispanias translata, & in ultimis earum finibus condita, celeberrima illarum Gentium veneratione coluntur. Nec immeritò, quia ejus corporali præsentia & doctrina, atque signorum efficacia, iidem Populi ad Christi Fidem conversi referuntur.* De S. Gal.

Idem constat ex Metello Monacho Tegernseensi in Quirinalibus, id est, in Carminibus quæ edidit in laudem S. Quirini Martyris, ubi ita canit:

*Usque Spanos occidui sideris axe clausos.*
*Quos Jacobus docebat.*

Apud Henricum Canisium, Tom. 1. Antiquæ Lectionis.

Idem referunt Zacharias Chrysopolitanus in Præfatione Harmoniæ quatuor Evangeliorum, Otto Frisingensis lib. 3. Chronicorum cap. 15. Vincentius Bellovacensis lib. 8. Speculi Historialis cap. 6. & 7. Martinus Polonus in Chronico ad annum Christi 44. Thomas Cantipratanus lib. 2. de Apibus cap. 25.

Idem probat immortale monumentum, scilicet Templum Sanctæ Mariæ *de Pilar* nuncupatum, Cæsaraugustæ extructum, & consecratum Beatæ Virgini à S. Jacobo ejusdem jussu Deiparæ; cùm adhuc vivens Hierosolymis, S. Apostolo in Hispaniis prædicanti, super columnam jaspideam sese conspicuam præbuisset. Quod miraculum omnes rerum Hispanicarum Scriptores referunt. Nostre Dame du Pilier à Saragoce.

Respondeo, hanc opinionem invaluisse post octavum Sæculum, quam omnes illi Authores indiscussam amplexi sunt: sed habemus firmiorem Propheticum sermonem, habemus luculentiora veterum Pontificum Romanorum, scilicet Innocentii I. Hormisdæ & Gregorii VII. testimonia, necnon Roderici Toletani Archiepiscopi gravissimam in Concilio Œcumenico disceptationem, quam Concilium & Pontifex probando suam fecerunt. Omnes autem Authores laudati vixerunt post octavum Sæculum: Freculphus sub Ludovico Imperatore anno 840. Walfridus vivere desiit anno 849. Notkerus anno 912. Metellus annò circiter 1080. Zacharias Chrysopolitanus anno circiter 1101. & hos Authores inter Notkerus prædicationem S. Jacobi in Hispaniis referri scribit, non autem hanc ipse relationem innuit esse certissimam: & alio prorsus modo loquitur de sacris Apostoli Reliquiis, & de ejus in Hispanias profectione. De Reliquiis enim loquens ait: *Ejus ossa ad Hispanias translata, illarum Gentium veneratione coli.* At de ejus prædicatione ait: *Ejus corporali præsentiâ & doctrinâ iidem populi ad Christi Fidem conversi referuntur.* Sacras igitur Sancti Jacobi Reliquias meritò sibi vindicat Ecclesia Compostellana, a sed de prædicatione ipsius immeritò Hispani gloriantur. Porro Ecclesiam Deiparæ adhuc viventi à Sancto Jacobo erectam quis credat? Quis humillimam Virginem id jussisse sibi persuadeat? Quis id licuisse sub ethnicis Imperatoribus, & mediis in persecutionibus sibi fingat; iis temporibus, quibus Christiani Templa

a Aut potius Reliquiarum partem, cùm Tolosæ in Ecclesia Sancti Saturnini, S. Sernin, S. Jacobi Majoris corpus, cum sex aliorum SS Apostolorum corporibus asservetur & colatur.

Templa nulla habebant, sed privatis in domibus, & in cryptis cœtus agebant suos? & in exordiis Religionis Christianæ?

Objectio quarta instruitur ex S. Hieronymo in cap. 34. Isaïæ, ubi ait: *Spiritum Domini congregasse Apostolos, dedisseque eis sortes, atque divisisse, ut alius ad Indos, alius ad Hispanias, alius ad Illyricum, alius ad Græciam pergeret.* Per hæc autem verba, *alius ad Hispanias*, intelligitur S. Jacobus.

Respondeo hoc S. Hieronymi testimonium, si quid probet, evincere solùm, Hispaniam Apostolorum alicui sorte obtigisse, quam Fide imbuere deberet, postquam dispersi essent. Esto fuerit ille S. Jacobus: sed martyrio, quod obiit ante dispersionem Apostolorum, præpeditus est ne hanc in regionem proficisceretur. Id autem ipsius S. Hieronymi authoritate confirmatur in cap. 5. Amos, ubi de S. Paulo hæc habet: *Qui vocatus à Domino, effusus est super faciem universæ terræ, ut prædicaret Evangelium de Hierosolymis usque ad Illyricum: & ædificaret, non super alterius fundamentum, ubi jam fuerat prædicatum; sed usque ad Hispanias tenderet, & à Mari Rubro, imò ab Oceano, usque ad Oceanum curreret.* Porrò si S. Jacobus in Hispanis Evangelium prædicasset ante S. Paulum, super alterius fundamentum ædificasset S. Paulus, ubi jam fuerat prædicatum. Cùm igitur constet, nec post S. Paulum ibi prædicasse, quia martyrio jam coronatus fuerat; colligitur ex S. Hieronymo, S. Jacobum nusquam fuisse in Hispaniis profectum. Idem colligitur ex Ambrosiastro in illa verba cap. 15. ad Romanos: *Cùm in Hispaniam proficisci cœpero, videbo vos.* In quæ verba sic habet: *Venturum se promisit, tempore quo ad Hispaniam erat iturus, quia illic Christus non erat prædicatus.*

## SCHOLION I.

Operum meorum Censores in Indiculo suo hanc Responsionem notarunt his verbis: *Admittit possibilem in Gelasio Papa errorem facti.*

Romanum Pontificem in facto errare posse admisi cum *Bellarmino* Cardinali, immò cum omnibus Catholicis Theologis. Ita *Bellarminus* libro IV. *De Romano Pontifice*, cap II. *Conveniunt omnes Catholici & Hæretici in duobus. Primò, posse Pontificem, etiam ut Pontificem, & cum suo cœtu Consiliariorum, vel cum Generali Concilio errare in controversiis facti particularibus, quæ ex informatione testimoniisque hominum præcipuè pendent. Secundò, posse Pontificem, ut privatum Doctorem errare, etiam in Quæstionibus Juris universalibus tam Fidei quàm morum, idque ex ignorantia, ut aliis Doctoribus interdum accidit.*

## SCHOLION II.

Operum meorum Censores hanc Propositionem in Indiculo suo notasse mirum est: *S. Jacobus nusquam in Hispaniis profectus est.* Hæc enim mera facti Quæstio, de qua variæ sunt Auctorum sententiæ. Meam validis argumentis probavi. Cum *Baronio Cardinali* licentiâ ab ejus opinione discessi. In Notis scilicet ad Martyrologium Romanum ad diem XXV. Julii, de Profectione *S. Jacobi* in Hispanias agens, ubi tamen ipsum Gentibus non prædicasse censet, nec ullam Ecclesiam fundasse, ait: *Hæc verò non ita mordicus defendimus, ut huic opinioni invitos adstipulari cogamus.* Et tantùm non esse impossibile ait, nec monstri simile ut in Hispanias profectus dicatur. Ego verò in rebus Historiæ non expendo quid possibile fuerit, sed quid gestum sit. Apostolos ante secundam persecutionem, quæ ab Herode contra Ecclesiam mota est, quâ S. Jacobus gladio martyrium consummavit, dispersos non fuisse, confirmat S. Joannes Chrysostomus Homiliâ XVIII. in Acta: *Veruntamen*, inquit, *de Apostolis non dicit, ostendens quòd & hac ratione adduci volentes Judæos, civitatem non reliquerunt, velut & aliis fierent audaciæ Authores.* Huic subscribit Theophylactus: *Apostoli verò non sunt dispersi, sed Jerosolymis erant, ubi enim potissima erat oppugnatio, ibi primos ac præcipuos Milites in acie stare oportebat, cæterisque proponi in exemplum fortitudinis & audaciæ.* Sacri Ecclesiæ Fasti, antiqua Monumenta, de S. Jacobi peregrinatione in Hispaniam penitus silent, licèt regiones ubi Evangelium prædicaverunt, & Ecclesias fundaverunt Apostoli, commemorent. S. Paulum in Hispaniam contendisse scripserunt Patres: Jacobum illuc profectum non scripserunt. Denique ipsius Martyrologii Romani silentium mihi eloquentius visum est contra expeditionem Evangelicam Jacobi in Hispaniam, quàm Baronii Commentatio. Sic enim habet Julii XXV. *S. Jacobi Apostoli, fratris Joannis Evangelistæ, qui propè Festum Paschæ ab Herode Agrippa decollatus est. Ejus sacra ossa ab Jerosolymis ad Hispaniam hoc die translata, & in ultimis earum finibus Gallæciam recondita, celeberrimâ illarum Gentium veneratione, & frequenti Christianorum concursu Religionis & voti causâ illùc adeuntium, piè coluntur.* Opportunior occasio dari non potuit commemorandæ profectionis S. Jacobi in Hispaniam, de qua dubio procul mentionem fecisset Auctor Martyrologii, si tum Ecclesiam pervasisset, Romæque præsertim probata fuisset illa Hispanis decantata Traditio.

# DISSERTATIO XVI.

## De Prædicationis Evangelicæ in Galliis Exordio.

### *Quo tempore Gallis annuntiari cœptum sit Evangelium?*

ECCLESIAS in Galliis fundatas tertio duntaxat Sæculo Viri asserunt Eruditi, annum scilicet ducentesimum quinquagesimum circiter, paulò ante Decii & Grati Consulatum, quo tempore septem socios Episcopos in Gallias advenisse, & in variis illius Regni Provinciis Evangelium prædicavisse contendunt, S. Gregorii Turonensis authoritate freti, Gatianum videlicet Turonensibus, Trophimum Arelatensibus, Narbonensibus Paulum, Lemovicensibus Martialem, Parisiacis Dionysium, Saturninum Tolosanis, & Stremonium Arvernensibus; unde S. Dionysium primum Episcopum Parisiensem, Areopagitam esse negant. Contra istos ut sequenti Propositione pugnemus, nos adigunt & veritatis amor, & Gentis nostræ gloria.

## PROPOSITIO.

*Religio Christiana ante tertium Sæculum stabilita est in Galliis, imò & ante secundum: siquidem certò probatur Viros Apostolicos primo Sæculo in varias Galliarum Provincias Evangelii lumen intulisse.*

Probatur prima pars ex S. Irenæo, qui anno circiter centesimo nonagesimo floruit. Is quippe lib. I. adversùs Hæreses cap. 3. varias enumerans Ecclesias, in quibus eadem Traditio Fidei viget, ex cujus Traditionis unitate probatur invictissimè nostræ Religionis veritas, hæc habet: *Nam etsi in mundo loquelæ dissimiles, sed tamen virtus Traditionis una & eadem est. Et neque hæ, quæ in Germania fundatæ sunt, Ecclesiæ aliter credunt, aut aliter tradunt: neque hæ quæ in Iberis sunt, neque hæ quæ in Celtis, neque hæ quæ in Oriente, neque hæ quæ in Ægypto: neque hæ quæ in Libya, neque hæ quæ in medio mundi sunt constitutæ.* Ergo tempore S. Irenæi Fides Christiana jam erat per Gallias propagata: Celtarum enim nomine Galli designantur.

Probatur secundò ex Tertulliano, qui triginta post Irenæum annis scribens, Evangelium per varias Galliarum Provincias promulgatum, Fidemque à variis in eo Regno populis susceptam testatur lib. adversùs Judæos cap. 7. *Getulorum varietates, & Maurorum multi fines, Hispaniarum omnes termini, & Galliarum diversæ nationes & Britannorum inaccessa Romanis loca Christo verò subdita, & Sarmatarum, & Dacorum, & Germanorum, & Scytharum, & abditarum multarum gentium, & Provinciarum, & Insularum multarum nobis ignotarum, & quæ enumerare non possumus.* Porro credere par est

est Tertullianum, per diversas Galliarum nationes, quatuor provincias intellexisse, in quas divisa erat Gallia ab Augusto, scil. et Narbonensem, Lugdunensem, Belgicam, & Aquitanicam.

Probatur tertiò ex Epistola 67. S. Cypriani ad S. Stephanum Pontificem Maximum data anno 258. quâ ipsum urget ut scribat ad Episcopos Galliarum, ut Marcianum Arelatensem Episcopum, qui ad Novatianum defecerat, sua communione minimè dignentur, imò alium ipso exauctorato, Episcopum constituant. Ergo recèns fundatæ non erant Galliarum Ecclesiæ, nimirum à sex annis (quod adversarii contendunt) sed jam diu florebant suis Episcopis adunatæ. En S. Cypriani verba: *Faustinus Collega noster Lugduni consistens (Frater charissime) semel atque iterum mihi scripsit, significans ea, quæ etiam vobis scio utique nuntiata, tam ab eo, quam à cæteris Coepiscopis nostris in eadem Provincia constitutis, quòd Marcianus Arelate consistens, Novatiano se conjunxerit.* Et infrà: *Quapropter facere te oportet & plenissimas literas ad Coepiscopos nostros in Galliis constitutos, ne ultra Marcianum pervicacem & superbum, & divinæ pietatis ac fraternæ salutis inimicum, Collegio nostro insultare patiantur, quod necdum videatur à nobis abstentus, qui jam pridem jactat & prædicat, quod Novatiano studens, & ejus pervicaciam sequens, à communione se nostra segregaverit.* Et infrà: *Dirigantur in Provinciam, & ad plebem Arelate consistentem à te literæ, quibus abstento Marciano, alius in locum ejus substituatur; ut grex Christi in hodiernum ab illo dissipatus & vulneratus colligatur.*

Hujus Epistolæ fidei detrahit Launoius, eamque S. Cypriani esse negat, quòd nullus mortalium ante ipsum ausus est. Quibus porro conjectationibus id probat?

Epistola 67. S. Cypriano vindicatur contra Launoium.

Primùm (inquit) in multis, quibus Cypriani Epistolæ continentur, Manuscriptis optimæ notæ Codicibus non exstat, quorum unus est in Bibliotheca Regia, alter in Thuanæa, tertius in Victorina, quartus in Navarrica, quintus in Monasterio S. Remigii Remensis. Fateor: sed numquid propterea rejicienda est? Certè si alicujus ponderis est hæc præscribendi ratio, sequitur multas alias ejusdem Patris Epistolas, de quibus nulla controversia est, illius non esse, quia pauci sunt Codices MSS. in quibus omnes exaratæ sint. Præterea hæc exstat Epistola in antiquissimo Manuscripto Bibliothecæ Corbeiensis & in MS. Cambronensi. Tertiò, sapit omnino Cypriani stylum. Quartò, Erasmus severissimus Criticus ipsam è numero Epistolarum S. Cypriani non censuit expungendam. Quintò, Pamelius & Rigaltius viri in discutiendis & illustrandis Cypriani Operibus accuratissimi hanc S. Cypriano vindicarunt.

Secundum Launoii momentum est, quòd Scriptorum veterum nemo meminerit rei, quæ hac in Epistola refertur: at totam illam Marciani historiam & abdicationem, quæ prima intra Galliam, eaque inter Italos, Africanos & Gallos celebris facta fuisset, tot Historicos, totque veteres ex toto orbe Scriptores fugisse, quis credat unquam? At quid probat abnutivum istiusmodi argumentum? multa sunt alia in aliis S. Cypriani Epistolis digniora, quæ posteritatis memoriæ commendarentur, quàm Marciani defectio & degradatio, de quibus veteres Scriptores siluerunt; ergo aliæ Epistolæ non sunt Cypriani. Egregia illatio!

Tertium falsi argumentum est, Launoii judicio, quòd si Novatianum dogma tam latè propagatum fuisset inter Arelatenses, quàm indicat Epistola, Canon aliquis adversùs Novatianos editus fuisset in Concilio Arelatensi primo, quod 63. post Stephanum Pontificem Maximum anno celebratum fuit. Sed quis tot Novatianos Arelate fuisse sibi fingat, cùm id ex Epistola minimè constet? Nemo dixerit plures fuisse Arianos Arelate, cùm Saturninus Arelatensis abdicatus est, eò quòd Arianam Hæresim profiteretur, cùm *sola Gallia monstra non haberet*, S. Hieronymo teste. Neque ergo sequitur plures Arelate fuisse Novatianos, quia Marcianus Arelatensis Episcopus ad Novatiani partes defecit. Nulla ergo tunc alicujus Canonis adversùs Novatianos condendi necessitas. Deinde, etiamsi plures Novatiani Arelate fuissent, non ideo condi oportuit adversùs ipsos Canonem, cùm toto jam orbe Christiano damnati essent.

Quartum falsitatis indicium profert Launoius, quòd Auctor Epistolæ id suadeat fieri, quod assertæ à Cypriano in judicandis Episcopis disciplinæ repugnat: nempe ut Stephanus Marcianum abstineat, & in illius abstenti locum, alius ab eodem substituatur. Hæc autem abdicandi Marciani ratio contraria est Cypriano sic Epistolâ 55. scribenti: *Nam cùm statutum sit omnibus nobis, & æquum sit ac justum, ut uniuscujusque causa illic audiatur, ubi est admissum crimen.*

At falsum est Authorem Epistolæ adversari regulæ quam stabilivit S. Cyprianus. Namque Epistolâ 55. agit de causa criminis, quod discussione indigeat, quod rei negent, cujusque convinci per testes oculatos debeant, quod fieri commodè non potest, nisi in loco ubi est admissum crimen. Hæc namque scribit occasione Felicissimi, Fortunati, & aliorum Schismaticorum Africæ, qui cùm discissæ unitatis & aliorum scelerum rei essent, ob quæ fuerant à S. Cypriano & Collegis damnati, se insontes, & injuriâ damnatos contendebant, & S. Cyprianum ejusque Collegas, iniquitatis & violentiæ apud Sedem Apostolicam incusabant. De his Cyprianus scribit, justum esse ut uniuscujusque causâ illic audiatur, ubi est admissum crimen. At longè alia ratio est de professis Hæreseos, aut Schismatis reis; hi namque cùm accusatoribus & testibus non indigerent, ut convincerentur, poterant à Summo Pontifice, cui præcipua tuendæ Fidei & conservandæ unitatis Ecclesiasticæ cura incumbit, damnari. At talis erat Marcianus, superbus, in errore pervicax, collegio fratrum insultans, fraternæ pacis & salutis publicus & professus inimicus; non erat igitur necesse ut causa illius in Provincia, vel in Galliis audiretur; imò conveniens erat ut referretur ad Apostolicam Sedem, ad quam ob potentiorem Principatum cæteræ Ecclesiæ conveniebant, S. Irenæo teste.

Quintum Launoii momentum istud est, quòd conscribendæ Epistolæ tempus nec Cypriano, nec Faustini consilio suffragetur. Nam Faustinus scripsit ad Stephanum de Marciano abstinendo & exauctorando. Nihil ab ipso obtinuit: Cypriani authoritate apud ipsum usus est. Scripsit ea de re Cyprianus ad Stephanum: quod contingere non potuit ante annum secundum Pontificatûs ipsius. Incredibile autem est quòd Cyprianus jam in Stephanum commotus, ob quæstionem de baptismate Hæreticorum iterando, jam à Stephano, cum aliis Episcopis Africanis abstentus, ad Stephanum Epistolam tanta humanitate conditam direxerit, maximè cùm nullum exstet Stephani ad Cyprianum, in tanti momenti negotio, responsum. At non probat Launoius Epistolam illam datam anno duntaxat Stephani secundo. Nos initio Sedis illius scriptam contendimus, quando ipsum inter & Cyprianum dissensio nondum ulla intercesserat. Quod autem non exstet Pontificis ad Cyprianum responsio, non probat quòd non rescripserit; quot enim antiquitatis monumenta perierunt? Contendit Launoius Stephanum excommunicasse Cyprianum & Africanos

nos Antistes; nec tamen extat illa sententia excommunicationis à Stephano lata. Stephanus definivit baptisma Hæreticorum non esse iterandum; at ubinam gentium extat illa definitio?

Sexta ratio falsi à Launoio prolata hæc est; quòd Auctor Epistolæ non obscurè doceat se pro more communicatorias ad Arelatenses, vel alios Galliarum Episcopos, literas tunc misisse: cùm tamen inter Cypriani Epistolas nulla sit, quæ vel ad Arelatenses, vel etiam ad alios Galliarum Episcopos mittatur. At omnes S. Cypriani Epistolæ communicatoriæ non extant, quas sive ad Episcopos recèns ordinatos, sive ad Pœnitentes Ecclesiæ restitutos, frequentissimas dedit. Nullæ enim leguntur Epistolæ illius communicatoriæ ad Stephanum & Lucium, cùm Sedem Pontificiam adepti sunt: ad quos tamen ipsum scripsisse, juxta Ecclesiæ morem, probabile est. Imò constat ipsum communicatorias literas ad Lucium dedisse, quæ non extant, ex Epistola 58. eidem Lucio inscripta. Alia levioris momenti contra illius Epistolæ fidem objicit Launoius, quæ uberiùs discussa & confutata leges apud Hugonem Menardum, in Diatriba de unico S. Dionysio Areopagita, Athenarum & Parisiorum Episcopo, cap. 5.

Probatur secunda pars Propositionis. Sanctus Trophimus in Gallias venit primo Sæculo, & Arelatensem fundavit Ecclesiam. Venit item Sanctus Crescens, qui Viennensem; venit S. Martialis, qui Lemovicensem; venit Sanctus Paulus, qui Narbonensem constituit; venit Dionysius Areopagita, qui Parisiensem erexit; ergo Apostolorum discipuli, primo Ecclesiæ Sæculo Evangelii lumen in Gallias intulerunt.

Probatur primò de S. Trophimo Ex Epistola 5. Zosimi Pontificis Maximi ad Episcopos Galliæ; *Ad quam*, inquit, (scilicet ad Arelatensem urbem) *primùm ex hac Sede Trophimus Summus Antistes, ex cujus fonte tota Gallia fidei rivulos acceperunt, directus est.* Porro Trophimum S. Pauli Apostoli discipulum fuisse, nemo negaverit.

Confirmatur primò ex Libello supplici, qui ab Episcopis provinciæ Viennensis S. Leoni Pontifici Maximo porrectus est anno 450. ut ab ipso restitutionem Arelatensis Ecclesiæ in pristinam dignitatem Metropoliticam obtinerent, quâ ipsam antè minuerat, ob contumaciam Hilarii Arelatensis, qui Bonifacii Papæ decreto, Metropoliticam Arelatensis Episcopi potestatem intra solam Provinciam Viennensem constringenti, parere recusabat; quod Decretum illud convelleret Rescriptum Zosimi, non Viennensem duntaxat Provinciam, sed utramque Narbonensem, Arelatensi Episcopo, ob S. Trophimi reverentiam subjicientis. Sic autem habet citatus Libellus: *Omnibus Gallicanis regionibus notum est, sed nec Sacrosancta Romana Ecclesia habetur incognitum, quod prima inter Gallias Arelatensis civitas, missum à Beatissimo Petro Apostolo S. Trophimum habere meruit Sacerdotem, & exinde aliis paulatim regionibus Galliarum, bonum Fidei & Religionis infusum.*

Respondet Launoius frustra illam Epistolam opponi; siquidem ejus Author, cùm de Trophimo Arelatensi loquitur, eum nunquam discipulum Apostolorum appellat. Verùm quid necesse erat Zosimo Trophimum vocare discipulum Apostolorum, quem talem esse constabat ex Actuum 21. cap. & ex secundæ ad Timotheum cap. ultimo. Ex Adone Viennensi idem probatur, in Martyrologio 4. Calendas Januarii, dicente: *Apud Arelatem, Natalis Sancti Trophimi, Episcopi & Confessoris, discipuli Apostolorum Petri & Pauli.* Et in libello de Festivitatibus Apostolorum: *Natalis S. Trophimi, de quo scribit Apostolus ad Timotheum: Trophimum autem reliqui infirmum Mileti. Hic ab Apostolis Romæ ordinatus Episcopus, primus ad Arelatem urbem Galliæ, ob Christi Evangelium prædicandum directus est: ex cujus fonte, ut Beatus Papa Zosimus scribit, tota Gallia Fidei rivos acceperunt; qui apud eandem urbem in pace quievit.* His suffragatur Venerabilis Beda in Martyrologio, & Martyrologium Romanum.

Epistola ad Episcopos Galliæ Zosimo vindicatur contra Launoium.

Respondet secundò Launoius, hanc Epistolam Zosimi spuriam esse, multasque profert falsi rationes. Prima est, quòd Arelatensem Episcopum semper fuisse Metropolitanum Episcopum tradat: quod in primis repugnat antiquis omnibus provinciarum Notitiis, in quibus Arelatensium civitas Viennæ, ut Metropoli subjicitur. Quod repugnat etiam Concilio Arelatensi primo ubi *Marinus Episcopus de civitate Arelatensi, provincia Viennensi*, subscribit. Quòd repugnat denique Taurinensi Concilio, cujus Canone secundo sancitum est, ut qui ex Arelatensi & Viennensi Episcopis suam civitatem probaret esse Metropolim, is Jure Metropolitico per universam Provinciam frueretur.

Verùm infirma est hæc Launoii ratio: neque enim falsò asserit Zosimi Epistola Arelatentem Episcopum semper fuisse Metropolitanum: neque id antiquis monumentis ullatenus repugnat. Fateor quidem in Notitia Imperii Arelatem subjici Viennæ ut Metropoli: sed habetur ibi sæcularis authoritatis ratio, non spiritualis; imò antiquiores Viennam collocant in Provincia Narbonensi, ut Ptolomæus lib. 2. Geographiæ, qui Provinciam Viennensem ignorat, & Dio Cassius lib. 46. qui Viennam appellat Narbonensem. Nec obstat quod in Concilio Arelatensi I. Marinus Episcopus de civitate Arelatensi, Provincia Viennensi subscribat: dicitur namque de Provincia Viennensi, spectata dispositione civili provinciarum, non verò Ecclesiasticâ; quod ex eodem Concilio compertum est, in quo Verus Episcopus Viennensis, post Martinum Arelatensem subscripsit; quod non ita factum esset, si Verus Metropolitanus fuisset Marini. Non obstat denique Canon Concilii Taurinensis, qui probat quidem impugnatam fuisse à Simplicio Viennensi Episcopo Juris Metropolitici possessionem in Episcopo Arelatensi, sed non probat fuisse aliquando interturbatam. Præterea nullius momenti esse debet Canon Taurinensis, qui à Zosimo Pontifice Maximo rescissus est: quanquam Concilium illud Causam Arelatensis & Viennensis Episcopi, non secundùm Juris apices, sed pro bono pacis, fiduciario tantùm Decreto composuisset potiùs quàm judicasset.

Secunda ratio falsi, quam injicit Launoius, est quòd Epistola de qua agitur vetus Privilegium appellet Jus Metropoliticum, quo per Viennensem & Narbonensem utramque Arelatensis Episcopus utebatur: cùm tamen Jus illud omni retro ætate fuerit inauditum; imò istud oppositum fuisset Juri communi, quod in ordinandis per unamquamque Provinciam Episcopis Nicæna Synodus constituerat. Porro Zosimus contra Nicænos Canones nihil unquam molitus esset.

Verùm nutat quoque hæc ratio Launoii. Esto enim Arelatensis Ecclesiæ Privilegium fuerit omni retro ætati inauditum, numquid ideo supposititium est? Certè non omnia falsa sunt, quæ non sunt scriptis commendata: alioqui multarum Metropoleon Jura spuria essent, quia de illis ante Zosimum Pontificem Maximum nihil legitur. Præterea decipi potuit Zosimus, & vetustam consuetudinem, perpetuam possessionem appellare. Unde adversùs Canones Nicænos data opera nihil molitus est, siquidem Metropoliticus Primatus in Viennensem

nentem & in utramque Narbonensem Provinciam, Privilegium ipsi visum est Arelatensi Ecclesiæ ob S. Trophimi venerationem assertum, & antiqua possessione firmatum. Edixerat autem Nicæna Synodus Canone 6. *Ut sua servarentur Ecclesiis privilegia.* Cùm tamen Privilegium illud Nicænis reverâ Canonibus adversaretur, abusuque quodam videretur inductum potiùs, quàm legitimè collatum Episcopo Arelatensi, Bonifacius Papa illius amplitudinem coërcuit, vetuitque Patroclo Arelatensi ne Ordinationes in Provincia Narbonensi celebraret.

Tertia ratio falsi est, quòd Author Epistolæ dicat, *Totas Gallias ex Trophimi fonte Fidei rivulos accepisse*: cùm tamen nec ab ipso Fidem hauserint Lemovicenses, quibus Martialem Evangelium prædicasse plures contendunt: neque Narbonenses, quibus Paulus Sergius Doctrinam Christianam intulisse traditur: neque Parisienses, quibus Dionysius Areopagita fertur verbum salutis nunciasse. Verùm hæc invicem non pugnant: Viri namque Apostolici Trophimus, Martialis, Crescens, Dionysius, quasi sapientiæ Christianæ flumina in varias Galliarum Provincias abundanti tramite exundarunt: dum interim quidam ex Trophimi Schola discipuli, per Gallias universas rivulorum instar effusi, Gallos Fidei aquis aspergunt.

Quarta ratio falsi, quam obtrudit Launoius, est, quòd hæc Epistola in Codice Canonum Ecclesiæ Romanæ non extet: nec in Epistolis S. Leonis & Symmachi, qui exortas subinde Arelatensem inter & Viennensem Episcopum controversias diremerunt, ulla unquam fiat Trophimi, vel Zosimi mentio. Sed etsi à Codice Romanæ Ecclesiæ absit hæc Epistola, non minùs genuina est: siquidem istius Codicis hac in parte defectum Usuardi, & Adonis, necnon Romani Martyrologii, in quibus mentio est illius Epistolæ, testimonia luculenter ostendunt. Non mirum porro quòd Leo & Symmachus hujus Epistolæ & S. Trophimi non meminerint: cùm enim de Arelatensi Ecclesia secùs statuerent quàm à Zosimo decretum esset, non erat cur Epistolam ipsius laudarent, aut Sancti Trophimi celebrarent memoriam. Cæterùm illi Pontifices satis ostendêre, quàm persuasi essent de Ecclesiæ Arelatensis dignitate & antiquitate supra Viennensem, quam vindicaverat Zosimus ex Trophimi apostolatu: siquidem in divisione Provinciæ Viennensis, quam inter Arelatensem & Viennensem Ecclesias peregere, septem Diœceses Arelatensi; Viennensi verò quatuor duntaxat assignarunt.

Hanc Zosimi Epistolam adversus Launoii objectiones etiam tuetur P. Quesnellus in Dissertatione Apologetica pro S. Hilario Arelatensi cap. 6.

Solitâ destruendi licentiâ usus Launoius, Libellum Episcoporum Provinciæ Viennensis, S. Leoni oblatum, spurium asserit his ratiunculis: Prima, quòd nulla sit in illo honorifica Papæ illius, cui mittitur, inscriptio: quod est contra Gallicanorum Antistitum morem. At morem illum in solis Epistolis observatum nemo non animadvertit, non in Libellis Apologeticis, aut Precatoriis. Quanquam nec verbis honorificis caret iste libellus: *Memores,* inquiunt, *quantùm honoris & reverentiæ Beatissimæ Sedi Apostolicæ*, &c.

Secunda ratio falsi est, quòd in isto libello nulla sit diei & Consulum nota. Quid tum? Epistolâ Synodi Arelatensis ad Silvestrum Papam, omnium Eruditorum judicio, genuina est, uti & multæ aliæ, quæ tamen his notis carent. Prætereà cùm Decretum Constantini Imperatoris de apponendo die & Consule spectet tantùm Constitutiones & Edicta, ut constat ex Codice Theodosii lib. 1. L. 1. non fuit opus ut iste libellus his notis consignaretur.

Tertia ratio falsi est, quòd libellus asserat omnibus Gallicanis regionibus notum esse, nec Romanæ Sedi haberi incognitum, quòd prima intra Gallias Arelatensis civitas missum à Sancto Petro Beatum Trophimum habere meruit Sacerdotem. Quod in falsi suspicionem meritò venit, quia nullus Auctor Græcus, vel Latinus, ante annos à Christo sexcentos hujus rei fidem facit. Nugatorium planè, quia negativum argumentum. Si iste libellus ideo subdititius esset, actum foret de omnibus Antiquitatis Ecclesiasticæ Monumentis, quorum apud Authores Græcos, vel Latinos, qui ante sexcentos annos ab Ortu Christi scripserunt, nulla memoria. Satis erat adventum Sancti Trophimi in Gallias, notum esse Gallicanæ & Romanæ Ecclesiæ ex Traditione, & ex ipsius Trophimi sinceris Actis.

Quarta ratio falsi est, quòd dicat libellus, priùs alia loca ex hoc rivo Fidei, scilicet ex Trophimo, & Sede Arelatensi, habuisse Episcopos, quàm Viennensem civitatem; quod nequaquam ita est. Hanc rationem eadem facilitate nego, qua profertur. Nam licèt Vienna Episcopum receperit à Sancto Paulo S. Crescentem; credere par est Apostolum priùs venisse Arelatem, eò quòd civitas illa vicinior esset ac nobilior, ibique constituisse Sanctum Trophimum Episcopum, qui Trophimus quosdam Sacerdotes ordinaverit, & in alias regiones miserit, vel civitates, cùm interim Sanctus Paulus per loca Arelati vicina Evangelium prædicaret: unde tandem profectus Viennam est, ubi Crescentem constituit Episcopum.

Quinta ratio falsi est, quòd Leo in libello scribatur, Arelatensem Ecclesiam intra Gallias ordinandi Pontificium sibi vendicasse, sicut Romana Ecclesia tenet supra omnes totius mundi Ecclesias Principatum. Porro nemo adduci poterit unquam ut credat tempore S. Leonis fuisse, qui Arelatensem in omnes Galliæ Ecclesias Principatum venditaret, quem publica Disciplina redarguisset, quem omnis retro memoria damnasset. Verùm imponit illius libelli Authoribus Launoius: non enim vindicant Ecclesiæ Arelatensi Principatum in cæteras Galliæ Ecclesias, sed Pontificium duntaxat ordinandi intra Gallias, id est, Jus Ordinationum in tribus Provinciis, Viennensi scilicet, & utraque Narbonensi, ut ex adjunctis patet.

Sexta ratio falsi est, quòd asserat libellus, Arelatensi Ecclesiæ id honoris dignitatisque collatum, ut omnes Gallias, vice Apostolicæ Sedis sibi mandatâ, sub omni Ecclesiastica Regula contineret: Quæ verba impostorem manifestè produnt, Cæsario, Auxanio, Aureliano, & aliis Arelatensium Episcopis posteriorem, quibus Episcopi Romani suas in Gallia vices identidem delegarunt. Splendida esset ista Launoii conjectura, si ante Cæsarium vices Apostolicæ Sedis Arelatensi Episcopo per Gallias demandatæ non fuissent universas. Sed non res ita se habet. Contrarium namque colligitur ex Epistola Hilarii Pontificis Maximi ad Leontium Arelatensem, cui jubet ut Ecclesiasticæ Disciplinæ observationi per Gallias, erudiendo & corrigendo, prospiciat. Quod etiam ostenditur evidentiùs ex Epistola ejusdem Pontificis ad Episcopos Galliæ, cap. 20. quibus Concilii Congregationem per singulos annos imperat; *Secundùm dispositionem*, inquit, *fratris & Coëpiscopi nostri Leontii, cui sollicitudinem in congregandis Metropolitanis delegavimus.* Denique colligitur ex Epistola Symmachi Papæ ad Cæsarium, quâ suas ei vices in Galliis Hispaniisque committit, hoc Privilegium non esse novum, sed Arelatensi Ecclesiæ antiquitùs collatum. *Rationabile est,* inquit, *ut Sancta Arelatensis Ecclesia propriis Privilegiis perfruatur, quod vetustas præstitit, & Patrum auctoritas roboravit.*

Has falsi rationes à Launoio adversùs Cypriani Epistolam sexagesimam-septimam, necnon adversùs Epistolam quintam Zosimi, & libellum Episcoporum Provinciæ Viennensis Sancto Leoni supplicantium prolatas, depellere operæ pretium fuit, ut nostra sententia inconcussis nixa subsistat fundamentis. His discussis, ut ad institutum revertamur.

Legantur Notæ P. Quenelli ad Epistolam seu Preces Episcoporū Provinciæ Viennensis S. Leoni Papæ oblatas, in quibus hujus Libelli supplicis fidem adversus argumenta Launoii tuetur. (Tom. 2. Operum S. Leonis, quorum Editionē procuravit.) Ita etiam vertit Valesius. 2. Ad Timotheum cap. 4.

Probatur rursùs secunda pars Propositionis de Sancto Crescente, quòd scilicet primo nominis Christiani Sæculo in Gallias venerit, ac Viennensem fundaverit rexeritque Ecclesiam. Primò ex Eusebio lib. 3. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 4. scribente: *Inter alios Pauli discipulos Crescens in Gallias ab ipso missus dicitur*, quanquam enim in Christophorsoni versio babeat, in Gallatiam, tamen textus Græcus habet, ἐπὶ τὰς Γαλλίας, ut constat ex Codice Manuscripti Eusebii qui extat in Bibliotheca Regis Christianissimi, & ex aliis melioris notæ Codicibus, necnon ex Ruffino.

Secundò, id probatur ex S. Epiphanio Hæresi 51. ubi de S. Luca ita scribit: *Huic igitur prædicandi Evangelii munus creditum est, quod ipse primùm in Dalmatia, in Gallia, in Italia, & in Macedonia præstitit, sed in Gallia præ cæteris, ut de nonnullis comitibus suis Paulus in Epistolis testatur. Crescens, inquit, in Gallia: non enim in Galatia legendum est, ut quibusdam immeritò placuit, sed in Gallia.*

Tertiò idem probatur ex Theodoreto in cap. 4. Epistolæ ad Timotheum. *Crescens, in Galatiam; Gallias enim, inquit, sic appellavit. Ita enim appellabantur antiquitus. Ita enim nunc eas nominant, qui sunt externæ doctrinæ participes.*

Quartò ex Sophronio lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis: *Crescens*, inquit, *in Galliis Evangelium prædicavit.*

Quintò ex Chronico Alexandrino, Olympiade 220. *Crescens*, inquit, *promulgato Evangelio Domini nostri Jesu Christi in Galliis sub Nerone mortuus, ibique sepultus est.* Nec obstat quod Sophronius, & Chronicon Alexandrinum, Crescentem in Galliis nostris mortuum dicant, quem in Galatia Asiatica obiisse Martyrologia testantur; etsi enim de loco mortis ipsius à cæteris Authoribus dissentiant; ipsis tamen cum eis convenit de ejus in Gallias adventu.

Sextò idem probatur ex Adone Viennensi, cui certè notus erat Ecclesiæ suæ census & origo. Sic autem habet in Martyrologio 5. Calendas Julii. *Apud Galatiam, Beati Crescentis, discipuli S. Pauli Apostoli; qui ad Gallias transitum faciens, verbo prædicationis multos ad Christi Fidem convertit. Vienna civitate Galliarum per aliquot annos sedit, ibique Zachariam discipulum pro se Episcopum ordinavit. Rediens verò ad gentem, cui specialiter fuerat Episcopus datus, Galatas, usque ad beatum finem vitæ suæ, in opere Domini confortavit.* Eadem ferè habent Martyrologium Usuardi, & Martyrologium Romanum.

Probatur eadem pars Propositionis de S. Martiali, quòd scilicet primo Sæculo Lemovicas venerit, ibique Evangelium prædicaverit, atque instituerit Ecclesiam. Primò ex Tabulariis, & Officiis Sacris Ecclesiæ Lemovicensis: Secundò, ex Synodo Lemovicensi anni 1032. in qua Jordanus Episcopus S. Martialem Apostolum vocandum esse, & in Litaniis, Apostolorum in ordine collocandum ostendit, prolatâ hanc in rem Joannis XX. Pontificis Maximi Epistolâ, quâ redarguebat omnes, qui S. Martialem ex albo Apostolorum expungendum esse contendebant. Tertiò ex altera Synodo Lemovicensi anno 1029. in qua S. Martialem unum fuisse ex 72. discipulis probatum est authoritate S. Sanconis inclusi, & socii ejus Cosmæ, Monachorum montis Sinaï. Quartò ex Innocentio III. extrà, *de Sacra Unctione*, ubi meminit miraculi, quo S. Martialis, admotione baculi sibi à S. Petro traditi, mortuum suscitavit. Quintò, ex Petro Blesensi Sermone 3. de S. Nicolao. Sextò, ex Orderico Vitali lib. 2. Historiæ Ecclesiasticæ. Septimò, ex veteri Martyrologio MS. Bibliothecæ Corbeiensis, in quo hæc habentur pridie Calendas Julii: *Lemovicis S. Martialis Episcopi, qui Romæ à Beato Apostolo ordinatus, primus illius Urbis destinatus est Episcopus; ubi multis clarus virtutibus, quievit in pace.* Octavò, ex alio veteri Martyrologio S. Savini de Levitania O. B. in agro Tarbellorum, quod S. Martialis meminit his verbis: *Junii die 30 in Gallia, civitate Lemovica, depositio Martialis Episcopi & Confessoris, qui à Beato Petro Apostolo ordinatus est, & ab ipso etiam missus prædicare verbum Dei, eversisque simulachris, migravit à sæculo.*

Limoges. De Corbie. Saint Savin de Levedan Tarbe en Bigorre.

Probatur adventus S. Pauli Narbonensis in Gallias eodem Sæculo ex veteribus Martyrologiis. Primò, ex eo quod à Rosvveydo editum est, quo Ecclesia Romana inter solennes ritus utebatur, teste S. Gregorio Magno lib. 7. Epistolâ 29. Martyrologii illius hæc sunt verba: *Narbonæ, S. Pauli Episcopi, discipuli Apostolorum.* Eadem fermè Usuardus pridie Idus Decembris: *Apud Narbonam*, inquit, *Natalis S. Pauli Episcopi & Confessoris, quem B. Paulus Apostolus ordinatum eidem Urbi destinavit Antistitem.* Idem habent Beda & Ado, in suis Martyrologiis.

Ideo Ado in libello de Festivitatibus Apostolorum ad diem 11. Calendas Aprilis, hæc habet: *Natalis S. Pauli, quem B. Apostoli ordinatum Urbi Narbonæ Episcopum miserunt; quem tradunt eundem ipsum fuisse Sergium Paulum Proconsulem, virum prudentem, à quo ipse Paulus sortitus est nomen, quia eum Fidei Christi subegerat: quique ab eodem S. Apostolo, cùm ad Hispanias prædicandi gratiâ pergeret, apud illam Urbem Narbonam relictus, prædicationis officio non segniter impletò, clarus miraculis, coronatus sepelitur.*

## PROPOSITIO II.

*Sanctum Dionysium primo Sæculo in Gallias venisse; unumque & eundem esse Atheniensium & Parisiensium Episcopum, verè Areopagitam, probabile est: nec inconcussa sunt & invicta Virorum Eruditorum, qui hanc opinionem impugnarunt, argumenta.*

Probatur primò ex Actis S. Dionysii à Visbio teste illius martyrii oculato, conscriptis, quæ vetustate penè absumpta Hilduinus Sandionysianus Abbas ab interitu vindicavit in Areopagiticis suis, Ludovico Pio Galliarum Regi & Imperatori oblatis. Acta autem illa testabantur, Dionysium Areopagitam à Paulo Apostolo Christianam ad Fidem conversum, à S. Clemente missum in Gallias, Parisiensem fundavisse Ecclesiam, & sanguine suo irrigasse, ut refert Hilduinus.

Porro ipsum hæc Acta confinxisse ut celebritatem Monasterio majorem conciliaret, citra calumniam dici non potest. Quis enim facilè credat Virum Religiosum & pium, qui regularem observantiam in Abbatia S. Dionysii restauravit, quem Lupus Ferrariensis Abbas Epistolâ 110. vocat *Nobilitatis, dignitatis, & moderationis apice conspicuum, Ecclesiasticorum Magistrum*; quem Valafridus Tomo sexto Antiquæ Lectionis Canisii, in carminibus ad eum scriptis, vocat *Magnum Aaronem, cujus inter morum cum sensus probitate commendatur*: Quis, inquam, credat ipsum imposuisse religiosissimo Imperatori, Episcopis, Christianis omnibus? certè

De Ferrieres.

Certè si Acta illa Visbô confinxisset, oon deerant viri eruditi & sagaces in Ecclesia Gallicana, qui fraudem sobodotati fuissent, & tam splendidum mendacium impugnassent. Dic enim, amabo te, nnnquid Sirmondum & Launoium *liberanda veritas expectabat?*

* Tertull. lib. de Præscript.

At, ioquies Acta gennina Sancti Dionysii, Hilduino antiquiora, quæ ex quioque Manoscriptorum fide in lucem edidit illustrissimus & doctissimus Antistes Mnntispessulannus * Franciscus Bosquettus in Historia Ecclesiæ Gallicanæ, parte 2. nec ipsum Areopagitam esse tradunt, nec à Sancto Clemente in Gallias missum, sed solùm à successoribus Apostolorum. *Sanctus igitur Dionysius*; inquit illorum Actorum Scriptor, *qui (ut ferunt) à successoribus Apostolorum verbi divini semina Gentibus eroganda susceperat, quò amplius gentilitatis fervere cognovit errorem, illuc intrepidus, & calore fidei inflammatus accessit, Parisios, Domino ducente, pervenit*, &c.

* De Montpellier.

Sed hæc Acta missum à S. Clemente Diooysium non negant: imò id ex ipsis colligitur. Ut quid enim Author ille notasset missum fuisse à successoribus Apostolorum, nisi ab aliquo Pontificum, qui Apostolis proximè successerunt, missus esset? Unde oonnulli Codices loco istorum verborum, *qui (ut ferunt) à successoribus Apostolorum*, habent: *Qui tradente beato Clemente Petri Apostoli successore*, &c.

Præterea, hoc posito principio, quòd Sancti Saturninus, Paulus Narbonensis, Dionysius, & alii à Gregorio Turonensi ad Decii tempora dilati, eadem ætate in Gallias venerint, ex Actis illis colligetur Sanctum Dionysium primo sæculo Parisios accessisse: siquidem Sanctorum Saturnini & Pauli Narbonensis missionem ad Apostolica tempora referunt. *Hos ergo*, inquiunt, *quorum virtutem persecutorum non prævaluit superare conflictus, quos ad auri similitudinem, reddit flammarum examinatio pretiosos, ad suscipienda mandata Domini idoneos Apostolorum esse judicavit electio. Quibus & evangelica præcepta semper agentibus servanda committerent: electisque viris Dei dispositione, prudenter honorem decreverunt Episcopalem adjungere, quò facilius eorum prædicationibus acquisiti, ad ministerium sacri proveherentur Altaris. Ex qua Confessorum turba sanctum & venerandi meriti Saturninum urbs Tolosana promeruisse gaudet Episcopum..... Simili etiam gratiâ beatissimus Paulus Antistes atque Confessor, Narbonensem Provinciam salutari acquisivit eloquio.*

Tertiò quamvis Acta illa sint antiquiora Hilduino, non tamen vetustiora suot Actis à Visbio conscriptis, quæ suis Areopagiticis inseruit Hilduinus. Visbius oculatus fuit testis prædicationis & martyrii Sancti Dionysii: at Scriptor Actorum quæ Dominus Bosquetus in lucem edidit, à Dionysii temporibus longè fuit remotus. Unde ex sola Fidelium relatione, non ex certis ullis monumentis illa conscripsit, ut ipse testatur. *Audaciam*, inquit, *nimiæ temeritatis assumens, quæ longo tempore fuerant obumbrata silentio, ipsius divinitatis auxilio incœpta sunt reservanda. Quia, ut habet testimonium veritas, plus Fidelium sunt relatione comperta, quàm probentur ad nos lectione transmissa.*

Secundò, probatur ex vetustissima Sanctæ Genovefæ Vita, cujus Author se eam composuisse post annos ter senos ab illius Virginis obitu profitetur, quæque extat apud Surium 3. Januarii, & in Codicibus MSS. Sancti Remigii Remensis, & Sanctorum Coroclii & Cypriani Monasterii Compendiensis, * ab iis mendis & erroribus immunis, quos in Codice MS. Bibliothecæ Victorinæ Launoius notavit, & propter quos ipsam in falsi suscipionem vocavit. Hæc porro Vita Sanctum Diooysium in Gallias missum à Sancto Clemente Romano Pontifice disertè testatur. Porro qui boc ævo missus est, quis alius ille est præter Areopagitam?

* De Compiegne.

Probatur 3. ex Hymno Fortunati Pictaviensis Episcopi in Sancti Dionysii laudem edito, in quo hæc canuntur:

*Clemente Româ Præsule,*
*Ab Urbe missus adfuit,*
*Verbi superni seminus*
*Ut fructus esset Gallia.*

Huicce Fortunati Hymno suppositionis notam affingit Launoius, his ductus momentis. Primò, quod in Collectionibus Binii & Brouveri oon extet. Secundò, quòd Fortunatus lib. 1. Opuscul. cap. 11. in Carmine de Basilica Sancti Dionysii à Leontio Burdegalensi Episcopo ædificata, & lib. 2. cap. 11. de Ecclesia Parisiensi, nunquam significat Dionysium à Clemente missum, aut Areopagitam fuisse. Tertiò, quia Gregorius Turonensis, qui Fortunati Opera legit, eaque interdum laudat, in contrariam sententiam non abiisset, aut saltem reddidisset rationem cur discederet à Fortunato. Verùm istæ ratiooes Hymni laudati suppositionem non evincunt. Non prima: Esto enim in Collectionibus Binii & Brouveri noo extet, legitur in optimæ notæ Codicibus MSS. Monasteriorum Sancti Germani à Pratis, & Sancti Petri in Valle apud Carnotenses; necnon in San-Dionysiano. Non secunda: Non mirum enim quòd Fortunatus non scripserit Sanctum Dionysium à Clemente in Gallias missum, in priori loco, ubi de Sancto Martyre obiter duntaxat locutus est, occasione Basilicæ Deo sub illius invocatinne consecratæ: Non mirum etiam quòd in posteriori loco nulla mentio facta sit de Dionysii io Gallias à Beato Clemente missione, cùm ibidem altissimum sit de ipso Dionysio silentium. Præterea sic retorquere liceret argumentum: Fortunatus in locis suprà laudatis nihil scribit de Sancti Dionysii missione in Gallias sub Decii & Grati Consulatu, ergo non existimavit eô tantùm tempore missum esse Dionysium; ac proinde noo censuit ipsum alterum esse ab Areopagita. Tertia denique ratio nullius est momenti: nam Gregorius Turonensis omnia Fortunati Opera non legit, nec omnia misit ad ipsum Fortunatus, ut constat ex Epistola ipsius nuncupatoria, cujus hæc verba suot: *Unde, vir Apostolice, prædicande Papa Gregori, quia viriliter postulas ut quædam de Opusculis imperitia mea tibi transferenda perferrem*, &c. Immeritò igitur Launoius hunc Hymnum Fortunato abjudicat; nihil ab ejus stilo & acumine discrepantem.

Probatur quartò ex Sancto Eugenio juniore, Toletano Episcopo, qui floruit anno circiter 650. longè ante Carolum Magnum, & Hilduinum, cujus Eugenii meminit Sanctus Hildephonsus Toletanus etiam Antistes lib. *de Viris Illustribus*, ubi inter ejus Opera libellum carminum recenset. Hic igitur io Hymno de Sancto Dionysio, quem ipsi vindicavit Hugo Menardus, Sanctum Dionysium Areopagitam in Gallias missum à Clemente Romano Pontifice testatur; sic enim habet:

*Cœli cives applaudite*
*Mundi jucundo lumini,*
*Quo illustratur cœlitus*
*Hujus diei gratia*, &c.
*Areopago Athinæ*

*Regis sumpsit diadema*
*Cœlestis gemmam fulgidam,*
*Dionysium Sophistam*, &c.
*Clemente Roma Præsule*
*Jubente, venit Galliam*, &c.

Probatur quintò ex Simeone Metaphraste, qui vixit ante Carolum Magnum, sub Heraclio scilicet Imperatore, ut ex ipsomet colligitur in Actis Sancti Alypii Cionitæ. Is porrò in Actis Sancti Dionysii, quæ ex antiquissimis & probatissimis monumentis descripsit, hæc habet: *Cùm multiplicare vellet talentum* (Sanctus Dionysius) *& sequi Magistri sui vestigia, relictis Athenis, ad Regiam urbem Romam pervenit: & ad Clementem accedit, qui tum Apostolicam obtinebat Sedem.* Et infrà: *Equidem cum adventasset ad hanc Parisinam urbem, eamque infidelitatis plenam invenisset*; &c.

Probatur sextò ex Venerabili Beda in Martyrologio 7. Idus Octobris, ubi Sanctum Dionysium Parisios à Sancto Clemente Romano missum testatur. Porro si tempore Clementis Romani venit in Gallias Dionysius, prædicationis illius epocha primo sæculo figenda est, nec alius tunc floruisse legitur præter Areopagitam. En Bedæ verba: *Apud Parisium, Natale Sanctorum Martyrum Dionysii Episcopi, Eleutherii Presbyteri, & Rustici Diaconi. Qui beatus Episcopus à Pontifice Clemente Romano in Gallias directus, ut prædicationis operam populis à fide Christi alienis exhiberet, tandemque ad Parisiorum civitatem devenit, & per annos aliquot sanctum opus fideliter & ardenter executus, à Præfecto Fescennino Sisinio comprehensus, & cum eo Sanctus Presbyter Eleutherius, & Rusticus Diaconus, gladio animadversi, martyrium compleverunt.*

Probatur septimò, ex Diplomate Pipini Galliarum Regis dato in gratiam San-Dionysianorum Monachorum, anno regni ejus 17. in quo hæc verba legere est: *Dionysius, & sæpe jam dictus Rusticus & Eleutherius, qui primi post Apostolos, sub Ordinatione Beati Clementis, Petri Apostoli successoris, in hanc Galliarum provinciam advenerunt.* Diploma istud extat in scrinus Sandionysianæ Abbatiæ: nec confictum, citra calumniam dici potest.

Probatur octavò ex Sancto Methodio Patriarcha Constantinopolitano & Martyre, in Vita Sancti Dionysii Areopagitæ: *Tum*, inquit, *beatus quoque hic Dionysius, crucis aratro mare diffindens, Athenis Romam à cœlesti divinaque voluntate, ut à Deo dilectus, per viam deductus venit. Ingressus, cùm Beatum Clementem invenisset, qui Apostolicæ Sedis potestatem habebat, ab eo cum digno honore statim, ut vires suppetebant, receptus est* ..... Et infrà: *Missis in Aquitaniæ partes Sancto Antonino, ipse cum Sancto Luciano, & Sancto Rustico, & Sancto Eleutherio, ad urbem Parisios profectus est*... Et pòst: *Ipse verò Sanctus Dionysius Parisiis mansit.*

Auctoritate Methodii potissimùm impulsus P. Chiffletius Societatis Jesu, vir de Antiquitate Ecclesiastica optimè meritus, Dissertationem post me edidit, quâ eandem de Sancti Dionysii Areopagitæ in Gallias adventu, & Parisiensi Episcopatu sententiam tuetur.

Respondet Launoius, Methodium hæc accepisse ab Hilduino primo Areopagiticæ fabulæ inventore & incentore; sed istud falsissimum est: nam Methodius Vitam Sancti Dionysii scripsit sexdecim annis antequam Hilduinus ad scribenda Areopagitica animum appelleret. Scilicet Methodius Vitam illam à se elaboratam Ro-

A mam attulit, cùm illuc venit, legationem Imperatoris Orientis nomine obiturus, teste Anastasio Bibliothecario in Epistola ad Carolum Calvum Imperatorem. Eam autem legationem Methodius obiit anno Domini 818. ut testantur Cedrenus, Glycas, & Constantinus Manasses. Porro Hilduinus Vitam Sancti Dionysii non conscripsit ante annum 834. namque hujus Vitæ conscriptionem aggredi jussus est post restitutionem Ludovici Pii in regnum, ut constat ex Imperatoris Epistola, & Mandatis ad eundem Hilduinum; Ludovici au-
B tem restitutio in regnum contigit apud Sanctum Dionysium anno 834. & confirmata est anno sequenti apud Theodonis-villam, ut docent Annales Francorum Fuldenses, Ludovici Pii Vita, & Chronicon Sigeberti. Ergo Hilduinus scripsit Vitam Sancti Dionysii sexdecim annis post Methodium. Falsum itaque est ipsum ex Hilduini fontibus hausisse.

Porro maximi ponderis est Methodii authoritas, quem Purpuratus quidam Imperatoris Theophili, apud Constantinum Manassem, vocat *Virum mente cœlestem, & divino numine plenum.* Quem Nico-
C laus I. ad Michaëlem Imperatorem scribens, appellat *Magnum Methodium*. Quem patria, sanctitas, & martyrium, à mendacii aut adulationis suspicione immunem faciunt: quem incuriæ, aut nimiæ credulitatis temerè quis accusaret, siquidem Vitam illam, in Græcia, *ex multis præcedentibus scriptis excerpsit*, ut testatur Anastasius Bibliothecarius.

Obtrudes forsan contra epocham scriptionis Sancti Methodii à nobis stabilitam, verba Hincmari ad Carolum Calvum scribentis: *Gesta Martyrii Beati Dionysii, Sociorúmque ejus ad Romanorum cognitionem; indéque ad Græcorum notitiam pervenisse.*
D Quod verum quidem est si ad proxima Sancti Martyris neci tempora referatur. Nuntium enim certaminis, & triumphi ipsius, à Gallis ad Romanos, à Romanis ad Græcos perlatum est, prout ipse jusserat Beato Sanctino Meldensium Episcopo. Et id unum asserit Hincmarus. Non verò ad tempus illud referenda sunt citata ipsius verba, quo Methodius Vitam Sancti Dionysii exaravit.

Probatur 9. ex Michaële Hierosolymorum Syncello, in elegantissima Panegyri, quam Sancto Dionysio Areopagitæ adornavit, ob quam eum
E commendavit Suidas. Is igitur, postquam Sancti Dionysii accessum in Gallias, & prædicationem memoravit, de ejus martyrio verba facturus, hæc habet: *Et cùm jam annuntiatum esset persecutoribus in urbecula Parisiis appellata eum esse, cursim insecuti, eum inibi comprehenderunt.* Et infrà: *Quam verè beata Parisina civitas, quæ amplitudine quidem inter Galliæ civitates est minor: dum verò te, ô Doctorum præstantissime, thesaurum sensibilibus divitiis pretiosiorem sortitò accepit, patronúmque & excubitorem acquisivit, splendidior omnibus æstimata est.*

F Probatur 10. ex facto Stephani III. qui cùm in Galliis agens, sanitatem intercessione Sancti Dionysii, ad ejus tumulum in Monasterio eidem sacro, secundo ab urbe Parisiensi lapide recepisset, in grati animi significationem erga memoriam beatissimi Martyris, Monasterium Romæ ædificare cœpit, quod Paulus primus ipsius Successor absolvit, illudque Græcis attribuit Monachis, juxta fratris sui votum: unde illius Monasterii Ecclesia vocata est, *In Schola Græcorum*. Scilicet utrique persuasum erat, Parisiensium Apostolum & Episcopum Dionysium, cujus ope fuerat Pontifex in pristinam sanitatem restitutus, Græcum & Areopagitam esse; ideóque Monasterium, & Ecclesiam, sub ipsius nomine erectum Græcis Monachis velut

illus

illius gentilibus incolendum & administrandum concesserunt. Hujus miraculi meminerunt Stephanus ipse Pontifex in Epistola ad Pipinum Regem, Luitprandus Ticinensis* Diaconus, *In Stephano*, Regino Prumiensis Abbas lib. 2. Chronici ad annum 753. Wandelbertus in Martyrologio ad 5. Calendas Augusti.

* De Pavie.

Respondet Launoius, Monasterium, & Basilicam, quæ à Paulo Pontifice ædificata est, & in qua instituit Græcæ modulationis Monachos, non fuisse sacram Sancto Dionysio Areopagitæ, sed Sanctis Stephano Martyri, & Silvestro Confessori: quod confirmat ex Epistola ejusdem Pontificis ad Iconium Abbatem. Verùm merum istud est Launoii diverticulum: nam in eodem Græcorum Monachorum Cœnobio, præter Basilicam Sanctorum Stephani Martyris, & Silvestri Confessoris, fuisse alteram sub nomine Sancti Dionysii Deo sacram, testis est Anastasius Bibliothecarius lib. de Romanis Pontificibus, in *Nicolao primo*. Quapropter fatendum est, Paulum primum Pontificem Maximum Monasterium quidem unà cum Ecclesia Sanctorum Stephani & Silvestri ædificasse; Basilicam verò Sancti Dionysii inchoatam fuisse à Stephano Papa, & à Paulo ipsius fratre & successore absolutam; ab eoque congregationem Monachorum, juxta Stephani voluntatem, institutam.

Probatur 11. ex Anastasio Romanæ Ecclesiæ Bibliothecario in Epistola ad Carolum Calvum Imperatorem cujus hæc sunt verba: *Passionem Sancti Hieromartyris Dionysii quondam Areopagitæ, postque Athenarum Antistitis, quam Romæ legi, cùm puer essem, quamque à Constantinopolitanis legatis audieram, secundùm jussionem vestram, diu quasitam, tandemque in maximo Cœnobiorum Romæ sitorum repertam, etiam inter diversos languores positus, arrepto interpretandi certamine, Latino eloquio tradidi, quantùm potui, auxiliante Deo, etsi non ex toto verbum è verbo, sensum tamen penitus hauriens. Cesset ergo jam quorumdam opinio, perhibentium non esse Areopagitam Dionysium eum, qui prope Parisium corpore ac virtutibus redolet.*

Probatur 12. ex Hincmaro Archiepiscopo Remensi, ad Carolum Calvum Imperatorem ita scribente: *Patrem vestrum Dionysium esse Areopagitum, à Beato Paulo Apostolo baptizatum, & Atheniensem ordinatum Episcopum, & in Gallias à Beato Clemente directum, ex his quæ Græca testificatio, & Sancta Romana Ecclesia attestatio, & Gallicana intimat contestatio, ratum in hac causa (quod longè ante nos dictum est) recognoscant.*

Probatur 13. ex Paschasio Ratberto Corbeiensi Abbate, in Vita Sanctorum Martyrum Ruffini & Valerii: *Fama est*, inquit, *hos cum Beato Dionysio, qui à Beato Clemente missus fuerat, ut frigida gentilium corda fidei calore animaret, Galliarum fines penetrasse. Sed temporum series repugnat: Sanctus namque Dionysius sub Domitiano Cæsare, anno ejus imperii secundo, martyrio coronatus est. Isti verò, Diocletiano & Maximiano Augustis, immortalitatis gloriam perceperunt.* Porro Paschasius se antiqua monumenta secutum, in Præfatione hujus Vitæ testatur.

Probatur 14. ex Francone Archiepiscopo Rothomagensi,* qui Rollonem, seu Robertum Normanniæ Ducem his verbis alloquebatur, ut refert Dudo lib. 2. de Moribus & Actis Normannorum, in Rollone: *Sanctus Dionysius natione Græcus, per Sanctum Paulum ad fidem Catholicam conversus, postea à Beato Clemente Petri Apostoli successore, Franciæ ad prædicandum transmissus, multa flagella Paganorum perpessus, diuque verberatus, ad ultimum pro amore Dei hebetatis securibus, capite plexus est.*

* De Rouen.

Probatur 15. ex Episcopis Galliarum in Epistola ad Eugenium II. Pontificem Maximum data è Concilio Parisiensi celebrato sub Ludovico-Pio anno Domini 824. decem annis antequam Hilduini Areopagitica lucem aspicerent. Quam Epistolam refert Eminentissimus Annalium Ecclesiasticarum Parens tom. 9. & habetur MS. in Bibliotheca Thuanea.* En ejus verba: *Nec vobis tædium sit, si ad ostendendam rationem veritatis, veritatemque rationis, sese paulò longiùs sermo protraxerit: dummodò linea veritatis, quæ ab antiquis Patribus nostris, usque ad nos inflexibiliter ducta est, Beato Dionysio scilicet, qui à Sancto Clemente, qui Beati Petri Apostoli primus successor extitit, in Gallias, cum duodenario numero primus Prædicator directus, & post aliquod tempus unà cum Sociis, huc illucque prædicationis gratiâ dispersis, Martyrio coronatus est.* An quæso, totius Galliæ Episcopi (unus enim Modoinus Augustodunensis aberat ratione infirmitatis, ut docet ejusdem Concilii Epistola ad Ludovicum & Lotharium) an, inquam, illi Gallicanæ Ecclesiæ traditionem ignorarunt, vel eam violare turpissimo mendacio voluerunt? absit.

* De Monsieur de Thou.

Probatur 16. ex Joanne Erigena in Epistola ad Carolum Calvum Imperatorem in qua de Sancto Dionysio cùm nonnulla præmisisset, hæc subjungit: *Hunc eundem quoque, non præfati viri* (nempe Eusebius, Gregorius, &c.) *sed alii moderni temporis asserunt, quantùm Vita ejus à fidelibus viris tradita testatur, temporibus Papæ Clementis, successoris videlicet Petri Apostoli, Romam venisse, & ab eodem, prædicandi gratiâ, in partes Galliarum directum.*

Respondet Launoius, Joannem Erigenam destruere potiùs sententiam de Sancti Dionysii Areopagitæ advento in Gallias, quàm ipsam adstruat; quia notat id assertum non esse ab antiquis rerum Ecclesiasticarum Scriptoribus, sed à recentioribus duntaxat. Cui reponimus primò, Recentiorum illorum fidem ab Erigena commendari, adeòque dignos illos esse quibus credamus; præsertim cùm veteres illi Authores de Dionysio obiter tantùm locuti sint, illius Vitam non scripserint, nihil denique dixerint quod nostram sententiam everteret. Secundò, respondeo hæc verba (*quoque non præfati viri, sed alii moderni temporis*) non extare in Codicibus MSS. melioris notæ, nempe in antiquissimo Codice Monasterii Sancti Michaëlis* in periculo maris, & in altero Bibliothecæ Thuaneæ, in quibus hæc est illius loci non interrupta series: *Fertur præfatus Dionysius fuisse discipulus, atque adjutor Pauli Apostoli, à quo Atheniensium constitutus est Episcopus, cujus* *Lucas commemorat in Actibus Apostolorum, & Dionysius Corinthi vir antiquus: beatus quoque Polycarpus, in Epistola ad Ecclesiam Athenarum, Eusebius item Pamphili in Ecclesiastica Historia, necnon etiam Sanctus Gregorius in Homilia sua, ubi breviter ordines Angelorum exposuit. Hunc eundem asserunt, quantùm Vita ejus à fidelibus viris tradita testatur, temporibus Papæ Clementis, successoris videlicet Petri Apostoli, Romam venisse, & ab eo, prædicandi Evangelii gratiâ, in partes Galliarum directum fuisse, & Parisiis martyrii gloria coronatum fuisse cum beatissimis suis consortibus, Rustico scilicet, atque Eleuthero.*

* Le Mont S. Michel.

* Corinthiorum.

Probatur 17. ex Ænea Parisiensi Episcopo, qui hunc titulum præfixit libro adversùs Græcos à se edito anno circiter 859. *Æneas Parisiacensis urbis Episcopus, quò primus præsedit Sanctus Dionysius à Paulo Apostolo Atheniensium consecratus Archiepiscopus, sed à Sancto Clemente totius Galliæ consecratus Apostolus: pacem & gloriam Catholicæ fidei ore-*

*toribus.* Extat autem hic Æneæ liber *Tomo 7. Spicilegii.*

Probatur 18. ex Sancto Thoma Doctore Angelico in Sermone de Sancto Dionysio, cujus argumentum sumpsit ex cap. 46. Isaiæ, his verbis conceptum, *Vocans ab Oriente avem, & de terra longinqua virum voluntatis suæ.* Dionysium verò quadrifariàm a Deo vocatum ostendit: *Primò ad sanctitatem, radiis virtutum illum illuminando. Secundò ad prædicationis effectum, eum in Episcopali Dignitate sublimando. Tertiò, à Græcia in Franciam deducendo, & eam per eum illuminando. Quartò de mundo ad cælum, eum gloriâ martyrii coronando.*

Probatur 19. ex Romano Martyrologio, quod jussu Pii V. & Clementis VIII. per viros eruditos ad Historiæ fidem emendatum est; ex omnium Ecclesiarum Gallicanarum, imò totius pene orbis Christiani, Breviariis & Missalibus libris, qui Sanctum Dionysium Areopagitam in Gallias missum a Sancto Clemente, Parisiensem fundasse Ecclesiam, & martyrium obiisse Parisiis testantur: Quis porrò tot Ecclesias hac in Traditione errasse dicat, & ad fabulæ assertionem conspirasse: primosque mortalium Sirmondum, & Launoium, satis fuisse oculatos ad istius animadversionem & emendationem erroris? Hic certè locum habet illud Tertulliani ratiocinium lib. de Præscriptionibus adversùs Hæreticos cap. 28. *Ecquid verisimile est, ut tot ac tanta Ecclesiæ in unam fidem erraverint? Nullus inter multos eventus unus est. Exitus variasse debuerat error doctrinæ Ecclesiarum. Cæterùm, quod apud multos unum invenitur, non est erratum, sed traditum. Audeat ergo aliquis dicere illos errasse qui tradiderunt?*

Hic etiam usurpari potest illa Tertulliani ad veras traditiones dignoscendas regula, eodem in lib. cap. 31. stabilita: *Ex ipso ordine manifestatur id esse Dominicum, & verum, quod sit prius traditum: id autem extraneum, & falsum, quod sit posteriùs immissum.* Ex quo colligo, assertionem de duobus Dionysiis, Atheniensi uno & Areopagita, Parisiensi altero, qui sub Decio duntaxat in Gallias venerit, falsam esse, quia longè posteriùs nata est altera opinione, quæ unum Dionysium Atheniensium, & Parisiensium Episcopum, eumdemque Areopagitam propugnat, qui à Sancto Clemente missus sit in Gallias. Namque hunc ab octo & ampliùs sæculis, nullo reclamante, Gallia sibi Apostolum vindicabat, donec viri eruditi Sirmondus & Launoius, alterius opinionis vexillum erexerunt.

Denique cùm selecti ex sacra Facultate Parisiensi Theologi ad Breviarii Parisiensis emendationem, quæstionem de Sancto Dionysio Areopagita & Parisiensi Episcopo diligenter expendissent, & in utramque partem suis libratam momentis disceptassent coram illustrissimo Archiepiscopo Francisco Harlæo 2. censuit Archipræsul sagacissimus & ad rectè judicandum de rebus Antiquitatem Ecclesiasticam spectantibus per eximias ingenii, doctrinæque dotes comparatus, antiquæ Gallicanæ Ecclesiæ Traditioni de uno Dionysio Areopagita & Parisiensi Episcopo, in Officio Ecclesiastico honorem suum servandum esse; non verò convellendam piam Majorum nostrorum opinionem, cui saltem probabilis sententiæ jura, non spernenda momenta confirmant.

In Officio Ecclesiastico regnante Carolo Calvo legebatur S. Dionysium in Gallias missum à Sancto Clemente.

Sanè in Officio Ecclesiastico in Ecclesiis Gallicanis festo die Sancti Dionysii legi solito regnante Carolo Calvo, quale habetur in Antiphonali Gregoriano, jussu ejusdem Regis pro Ecclesia Compendiensi litteris partim aureis exarato, Sanctum Dionysium à Beato Clemente Papa in Gallias missum legitur. Sic enim habet prima Antiphona ad Vigilias Nocturnas: *Sanctus Dionysius, qui tradente Beato Clemente, Petri Apostoli successore, Verbi divini semina gentibus parturienda susceperat.* Et in Responsorio tertio primi Nocturni: *Beatissimus Dionysius Christi Martyr tradente Beato Clemente parturienda Gentibus semina divina suscepit.* Porro hoc Officium diu ante illud tempus receptum fuisse in Ecclesia Gallicana nemo jure negaverit. Si enim ejus auctor esset Hilduinus, non omisisset Areopagitæ nomen aliundè sibi probatum, quod in illo Officio non comparet: quamvis omnibus persuasum esset Dionysium Martyrem à Sancto Clemente in Gallias missum ad prædicandum Evangelium, non esse alium ab Areopagita.

Respondetur argumento Sirmondi, & Launoii.

Objicitur primò in utramque propositionem authoritas Severi Sulpitii lib. 2. sacræ Historiæ scribentis: *Sub Aurelio Antonini filio persecutio quinta agitata, ac tum primùm intra Gallias martyria visa, seriùs trans Alpes Dei religione suscepta.* Atqui si primùm visa sunt in Galliis martyria sub Aurelio Imperatore, Dionysius Areopagita non subiit martyrium sub Domitiano vel Trajano Parisiis. Si verò Christiana Religio seriùs trans Alpes suscepta est; non est suscepta in Galliis primo sæculo: ergo falsò asseritur Dionysium Areopagitam unum eumdemque esse cum Dionysio Episcopo Parisiensi.

Quanta porro fides adhibenda sit Sulpitio Severo, constat ex diligentia maxima quam adhibuit in conscribenda Historia, permultis voluminibus eum ob finem evolutis, & synchronis Historiis Martyrum, quas apud se descriptas habuit, accuratè perlectis, ut patet ex ipsius Præfatione, in qua hæc leguntur: *Non peperci labori meo, quin ea, quæ permultis voluminibus perscripta continebantur, duobus libellis concluderem, ita breviati studens, ut pene gestis nihil subduxerim.* Id etiam patet ex his lib. 2. verbis: *Nullis unquam magis bellis mundus exhaustus est, neque majori unquam triumpho vicimus, quàm cum decem annorum stragibus vinci non potuimus. Extant etiam mandata literis præclara ejus temporis Martyrum Passiones, quas connectendas non putavi, ne modum Operis excederem.*

Respondeo id quod de Gallicana Marci Aurelii persecutione scripsit Sulpitius Severus, sine certo Authore protulisse: nam antiquius, fideliusque monumentum istius persecutionis nullum est quàm Epistola Ecclesiarum Lugdunensis & Viennensis missa ad Ecclesias Asiæ & Phrygiæ, ab Eusebio relata lib. 5. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 1. in qua tota illa persecutio accuratè & fideliter narratur, quæ tamen, uti nec Eusebius de eadem persecutione scribens, vel leviter innuit; *Tum primum intra Gallias visa martyria, serius trans Alpes religione suscepta.* Non est ergo cur conciliettur Severo Sulpitio id asserenti fides ex voluminibus hac de re ab ipso perlectis, quæ non extabant. Cùm verò lib. 2. ait, se ex Actis Martyrum, quæ literis mandata erant, illorum Historiam concinnasse, non loquitur de Historiis Martyrum persecutionis quintæ, sed de illorum Historiis, qui decennali Diocletiani persecutione passi sunt, ut ex antecedentibus constat, unde proprii ex mente, & absque Authore scripsit Severus, sub Aurelio primùm intra Gallias visa martyria, & Religionem Christianam seriùs trans Alpes susceptam. At non tantæ authoritatis est in re historica, ut ipsi contra traditionem tanta nube testium firmatam credi debeat: maximè cùm multos in errores intra unam aut alteram paginam lapsus sit; & evidenter ostendatur falsitas epochæ ab illo constitutæ.

Severi Sulpitii errores in Historia.

Errorum Severi Sulpitii in re historica nonnulla exempla subjiciam. 1. Agens de morte Neronis, ait eum, etiamsi gladio se transfixerit, curato vulnere, servatum,

servatum, sub sæculi finem mittendum, ut mysterium iniquitatis exerceat. 2. De Templi Hierosolymitani eversione agens, scribit, Titum Imperatorem edixisse, ut Templum destrueretur, cùm multi illud servandum censerent. At constat ex Josepho lib. 7. de Bello Judaïco cap. 14. & 16. Titum prohibuisse incensionem Templi quod à milite Imperatoriæ prohibitionis ignaro incensum est. 3. Trajani Imperatoris in Christianos persecutionem describens, ait ipsum, cùm nihil in Christianis morte & pœna dignum reperisset, vetuisse ne ultra in eos sæviretur. At istud Antiquis omnibus repugnat, & ipsius Trajani ad Plinium Juniorem Rescripto, ubi de Christianis ita decernit: *Conquirendi non sunt: si deferantur & arguantur, puniendi sunt.* Unde Tertullianus hoc Edictum his verbis insectatur: *O sententiam necessitate confusam! negat inquirendos ut innocentes, mandat puniri ut nocentes: parcit, & sævit; dissimulat, & animadvertit.* Licinii persecutionem tam levem fuisse ait, ut inter persecutiones non computetur: at illam fuisse atrocissimam constat ex Eusebio lib. 10. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 8. lib. 1. de Vita Constantini capp. 4. 46. & 47. & lib. 2. capp. 1. & 2. ex Rufino lib. 9. cap. 10. Cùm itaque tot errores vel in una Severi Sulpitii pagina notentur, non est ei adhibenda fides in Gallicanorum Martyrum epocha, & Religionis Christianæ trans Alpes susceptæ.

Et certè non ita serò fuisse susceptam trans Alpes Religionem, constat ex Orosio, qui accuratior est Severo Sulpitio Historicus: hic enim Neronis persecutionem per omnes Imperii Romani provincias grassatam fuisse testatur; adeóque per Gallias, quæ Imperio subditæ erant. En ejus verba lib. 7. Historiæ. *Primus Nero Christianos suppliciis affecit, ac per omnes provincias pari persecutione excruciari imperavit.* Et cap. 10. ejusdem libri agens de Domitiano Imperii administrationem capiente, ait: *Ad hoc paulatim per omnes scelerum gradus crevit, ut confirmatissimam toto orbe Ecclesiam, datis ubique crudelissimæ persecutionis Edictis, convellere auderet.* Et cap. 15. agens de persecutione à Marco Aurelio excitata, ait: *Persecutiones Christianorum, quarta post Neronem vice, in Asia & in Gallia graves præcepto ejus extiterunt, multique Sanctorum martyrio coronati sunt.* Cùm itaque Orosius hîc Galliam cum Asia jungat, & in Asia singulæ persecutiones efferbuerint, sequitur & in Gallia easdem singulas deflagrasse: adeóque falsum esse quod scripsit Severus Sulpitius, sub Marco Aurelio primùm intra Gallias martyria visa, seriùs trans Alpes Dei religione suscepta.

Præterea falsam esse Martyrum Gallicanorum & susceptæ trans Alpes religionis epocham à Sulpitio Severo constitutam, demonstrat Crescentis, Trophimi, Pauli Narbonensis, & Martialis in Galliis prædicatio tam luculenter probata. Idem demonstrat plurium Episcoporum, & Martyrum, qui discipuli Apostolorum fuere, & ab iis in Gallias missi sunt, consignata sacris Fastis memoria, ut S. Sixti, primi Remensium Episcopi, quem Apostolorum Principis discipulum fuisse constat ex Flodoardo in Historia Episcoporum Remensium, ex Fulcone Archiepiscopo Remensi, ibidem laudato, ex Chronico Roberti Autisiodorensis & ex Romano Martyrologio ad 1. Septembris. Sic Sanctus Julianus Cænomanensis Episcopus, Beati Petri discipulus dicitur in Martyrologio Romano ad 27. Januarii, eaque Ecclesiæ Cenomanensis inconcussa traditio est. Sic Sanctus Memmius, primus Catalaunensium Antistes, Petri discipulus dicitur in Martyrologio Rabani, Notkeri & Romano, ad 5. Augusti. Idem asserit Flodoardus lib. 1. Historiæ

A Ecclesiasticæ Remensis cap. 3. sic Fronto Episcopus Petragoricensis * missus dicitur à Sancto Petro in Martyrologio Romano, & Adonis ad 25. Octobris & in Roberti Autisiodorensis Chronico. Sic Paulus Diaconus asserit, in Elencho Metensium Episcoporum, Sanctum Clementem primum illius urbis Episcopum à Sancto Petro Apostolo fuisse eò directum. Idem testantur Tabulæ Ecclesiæ Metensis, & Chronicon MS. Sancti Petri Vivi * apud Senonas. Sic Sanctos Sabinianum & Potentianum Martyres Senonenses à Sancto Petro missos, sub Nerone passos, testantur Beda in Martyrologio, ad 31. Decembris, vetus Martyrologium B MS. Bibliothecæ Thuanææ, & aliud Martyrologium MS. Bibliothecæ Corbeiensis, & duplex Chronicon MS. Sancti Petri Vivi apud Senonas. Quæ omnia disertè ostendunt fidem citiùs trans Alpes, & maximè in Galliis susceptam fuisse, quàm Severus Sulpitius scribat: neque sub Aurelio primùm visa martyria intra Gallias. His adde martyrium Sancti Nicasii Rothomagensis sub Domitiano, ex Martyrologio Romano ad diem 11. Octobris, ex Tabulis Rothomagensis Ecclesiæ, ex Orderico Vitali, & ex Matthæo Westmonasteriensi C in Floribus Historiarum. Ergo martyria in Galliis visa sunt ante Marci Aurelii Imperium; proindeque falsa est Severi Sulpitii epocha, si absolutè intelligatur.

* De Perigueux.

* S. Pierre le Vif.

Respondeo secundò, Severum Sulpitium cum Dypticis Ecclesiasticis, cæterísque Authoribus, facilè in concordiam adduci posse: Negat enim duntaxat visa esse in Galliis ante Aurelium martyria generalia, quibus tum Pontifices, cùm plebs Christiana cæderentur, ut accidit in Ecclesiis Lugdunensi, & Viennensi sub Antonino, cui cladi similis ante in Galliis nulla contigerat. Sed non D inficiatur quin singularia aliqua martyria antea visa sint, cùm in aliis persecutionibus anterioribus aliquot Episcopi pro Christo mortem obierunt, absque ulla tamen generali plebis Christianæ cæde. Singularia porro hujusmodi martyria Sulpitius Severus non recensuit, quia prolixam noluit conscribere Historiam, sed summa duntaxat rerum gestarum capita attingere.

Quod autem addit, seriùs trans Alpes susceptam religionem, absolutè intelligi non debet, sed comparatè ad Orientales plagas, & Italiam ipsam, quæ E doctrinâ fidei priùs imbutæ sunt, & uberiori forsan cum fructu, quàm Galliæ in retinendis avitis superstitionibus obstinatiores.

Objectio secunda peritur ex Sancto Gregorio Turonensi, qui affirmat, Decio & Grato Consulibus, Dionysium cum aliis sex Episcopis in Gallias missum, idque authoritate Scriptoris Passionis Sancti Saturnini Episcopi Tolosani probare nititur. Hæc ejus verba sunt lib. 1. Historiæ Francorum cap. 30. *Hujus tempore* (scilicet Decii Imperatoris) *septem viri Episcopi ordinati ad prædicandum in Gallias missi sunt, sicut Historia Passionis Sancti Martyris Saturnini denarrat. Ait enim, sub Decio* F *& Grato Consulibus, sicut fideli recordatione retinetur, primum ac summum Tolosana civitas Sanctum Saturninum habere cœperat Sacerdotem. Hi ergo missi sunt: Turonicis Gatianus Episcopus, Arelatensibus Trophimus Episcopus, Narbonæ Paulus Episcopus, Tolosæ Saturninus Episcopus, Parisiacis Dionysius Episcopus, Arvernis Stremonius Episcopus, Lemovicis Martialis est destinatus Episcopus.* Ergo fides suscepta non fuit in Galliis ante Decium, id est, ante annum circiter 250. & Sanctus Dionysius Parisiensium Apostolus, alius est ab Areopagita, qui hisce temporibus superstes non fuit.

Respondeo, Gregorii Turonensis epocham evidenter convinci falsitatis quantùm ad aliquorum ex his

Gregorii Turonensis Epocha falsi convincitur.

his septemviris Episcoporum missionem, scilicet Trophimi Arelatensis, Pauli Narbonensis, & Martialis Lemovicensis (ut ex probationibus prioris propositionis constat.) Quod igitur de S. Dionysii missione ait idem Aothor, æquè de falsitate suspectum est, nec sufficit ad convellendam traditionem veteribus S. Diooysii Actis, sacris Ecclesiarum Dyptichis, & gravissimorum Autorum testimoniis confirmatam, quæ S. Dionysium Parisiensem Episcopum, Areopagitam esse docet, à S.Clemente Romano in Gallias directum. Ad eam, inquam, traditionem convellendam nullius est roboris unius Gregorii Turonensis autoritas; maximè cum sibi ipsi contradicat. Illum enim ipsum Saturninum, quem loco mox laudato, Decio & Grato Consulibus missum esse scribit, missum esse tradit à discipulis Apostolorum. id est 150. circiter annis ante Decium. Ita enim scribit lib. 1. de Miraculis, cap. 48. *Saturninus Martyr ab Apostolorum discipulis ordinatus (ut fertur) in urbem Tolosatum est directus.* Quod intelligendum est de Clemente Romano, à quo missus dicitur Saturninus unà cum Dionysio, in Actis veteribus S. Dionysii compositis à Fortunato Pictaviensi, qui secundam Gregorii Turonensis sententiam sequitur, uti postea secutus illam est Rabanus in suo Martyrologio. Licet igitur nobis ultimam illam sententiam sequi, & asserere Trophimum quoque, Paulum, Martialem & Diooysium, quos à S. Saturnino in Christiana expeditione divellendos non censet, ab Apostolorum discipulis, vel ab Apostolis ipsis in Galliam legatos. Neque enim verisimile est Apostolorum discipulos Biturigibus, de Prædicature Evangelico providisse, & de aliis Galliarum celebrioribus civitatibus ne cogitasse quidem. At ex Gregorio Turonensi constat S. Ursinum ad Bituricenses fuisse missum ab Apostolorum discipulis. Verisimile igitur est & ad alias civitates ante Decii & Grati Consolatum, Evangelicos Prædicatores missos fuisse. Hæc porro sunt Gregorii verba lib. de Gloria Confessorum cap. 8. *Biturica verò urbs*, inquit, *primùm à Sancto Ursino, qui à discipulis Apostolorum Episcopus ordinatus, in Gallias destinatus est, verbum salutis accepit, atque Ecclesiam Bituricensem primus instituit, rexitque.* Quid de Sancto Eutropio primo Sanctonum Episcopo & Martyre dicam? quem à Sancto Clemente in Gallias missum idem Gregorius Turonensis testatur lib. 1. Miraculorum cap. 52.

Nec obstat quod in illis posterioribus locis Gregorius Turonensis hoc adhibuerit vocabulum (*ut fertur*) quasi Saturnini & Eutropii missiooem ab Apostolorum discipulis, ex iocerta duntaxat fama haberet. Licèt enim hæc formula interdum sit dubitantis, non tamen incerta sunt Historicis omnia, quæ his formulis adjectis, scribunt. Certè non incertum fuit Gregorio Turonensi Gratianum, sive Garianum, primum fuisse Turonensium Episcopum: attamen de eo scribens lib. de Gloria Confessorum cap. 4. ait: *Gratianum enim Episcopum à Romanis Episcopis ad urbem Turonicam transmissum, primumque Turonicis Pontificem datum, fama ferente, cognovimus.* Alias similes loquendi formulas apud eundem Authorem, etiam in rebus minimè dubiis, notat Hugo Menardus in Diatriba de unico Dionysio cap. 1.

Nec obstat secundò quòd Gregorius Turonensis in figenda illorum septem Episcoporum epocha sub Decii & Grati Consulatu, nitatur auctoritate Passionis S. Saturnini. Esto enim Passionis illius historiam meritò protulerit ad S. Saturnini missionem sub Decio asserendam, non tamen ad aliorum sex Episcoporum missiooem sub eodem Consulatu probandam illo monumento uti potuit: cùm illa Passionis S. Saturnini Historia, seu edita apud Surium, seu MS. nihil de sex aliis habeat Episcopis. Erravit ergo Gregorius Turonensis prætextu Vitæ S. Saturnini, cujus verba laudat, in epocha Decii constituenda; quam Scriptor ille cùm soli Saturnino affingeret, Gregorius de suo ad alios extendit, ex recepta jam tum opinione de septem illorum societate.

Addo, illius Historiæ Autorem fidem non mereri, quia tardioris adventus S. Saturnini in Gallias causam, in tardam ac lentam per universum orbem, & ipsam Galliam, Evangelii promulgationem refundit; quod repugnat Scripturæ asserenti; statim Apostolos ubique terrarum Christum prædicasse (Marci ult.) *Illi autem profecti prædicaverunt ubique*, inquit, *Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis.* Quod repugnat etiam S. Irenæo, qui sexaginta & ampliùs annis ante Decii & Grati Consulatum, meminit earum, quæ apud Celtas fundatæ sunt, Ecclesiarum: quod denique pugnat cum Tertulliano, qui triginta & ampliùs annis ante istam epocham, diversas Galliarum nationes Fidem Christianam profiteri testatur: quæ cùm sit ex auditu, Prædicatorum, qui ad varias illas nationes mitterentur, ministerio infundenda fuit; qui certè alii non sunt præter illos quos sacra Dyptycha exhibent.

Addo præterea, Scriptorem Passionis S. Saturnini, historiam illam hausisse, non ex vetustis Passionis illius Actis, sed *ex fideli recordatione*, ut loquitur, seu *ex felici recordatione*, ut habet MS. quod illius authoritatem non minimùm elevat: quid enim est illa recordatio (quantumvis illam Scriptor suas merces venditans, fidelem, vel felicem vocet) nisi rumor vulgi, & fama per hominum ora volitans? Eò autem faciliùs decipi potuisse illum Scriptorem compertum est, quò longiori post Decii & Grati Consulatum intervallo, Historiam illam scripsit, scilicet multò post Sancti Exuperii Tolosani Episcopi obitum, ut ex illius verbis probavit Hugo Menardus: Fuit autem Exuperius S. Hieronymo æqualis, ut constat ex ipsius Hieronymi Epistolis ad Rusticum, ad Ageruchiam, & Justinum.

Nævi & errores Gregorii Turonensis.

Respondeo secundò, Gregorii Turonensis Historiam multis nævis & erroribus scatere, qui Auctoris simplicitati & credulitati condonandi sunt, ut ait Cardinalis Baronius in Aonalibus ad annum Christi 109. præsertim verò frequentibus anachronismis referta est. Sic lib. 1. Historiæ Fraocorum cap. 29. Athanacenses* Martyres passos esse scribit post Sanctum Irenæum, quos multis antè annis martyrii palmam consecutos fuisse certum est, nimirum sub imperio Marci Aurelii, cùm Sanctus Irenæus passus sit sub Severo Imperatore. Sic Novatianum hæreticum sub Decio grassatum fuisse scribit, cujus schisma tantùm erupit Gallo & Volusiano Imperatoribus, ut constat ex Chronico Eusebii. Sic Valentinianum hæreticum sub ejusdem Decii imperio collocat. At veterum Scriptorum nemo hujus hæretici meminit. Valentinum forsan intellexit Gregorius: sed hic sub Decio non sparsit hæresim, siquidem à Sancto Irenæo, & à Tertulliano refutatur, qui ante Decii imperium obierunt. Sic S. Sixti Romani Pontificis Passionem necnon SS. Laurentii & Hippolyti, ad Imperium Decii refert, quod evidenter falsum est. Nam Sixtum sub Valeriano Imperatore passum constat ex Sancto Cypriano Epistolâ 82. *ad Successum.* Cùmque S. Laurentius triduò passus sit post Sixtum, nec multo post consummatus fuerit Hippolytus (ut ex Tabulis Ecclesiasticis compertum est) horum etiam martyrium sub Valeriani Imperio figi debet. Cùm itaque vel in una pagella de Imperio Decii, toties lapsus sit S. Gregorius Turonensis, non est ipsi, circa epocham missionis septem Episcoporum memoratorum, adhibenda fides, tot Antiquitatis Ecclesiasticæ

* D'Ausinq.

siasticæ monumentis repugnantibus; maximè cùm hanc ipsam epocham adstruens, pugnantia scribat. Primò namque dicit hos septem Episcopos, Decio Imperante, in Gallias missos: deinde hanc missionem contigisse scribit, Decio & Grato Consulibus, qui tamen Consulatum simul non gesserunt sub Imperio Decii, sed sub Imperio Philippi, sexto illius anno, juxta Cassiodorum.

Dices 1. Frequentissimè Parisiis vixit Sanctus Gregorius Turonensis, adeóque illius Ecclesiæ nescire non potuit traditionem. Cùm igitur scribat Dionysium venisse tantùm in Gallias sub Decio, ipsi fides adhibenda est.

Respondeo, non tam frequenter Parisiis vixisse Gregorium, qui ter duntaxat aut quater illuc venit, ut cum Rege & Episcopis de arduis Ecclesiæ regnique negotiis ageret, per quæ ei non licebat Martyrum Acta evolvere, aut Ecclesiæ Parisiensis Tabularium perscrutari. Quod si fecisset, illa certè laudasset, ut laudavit Historiam Passionis S. Saturnini.

Dices 2. non est verisimile errasse Sanctum Gregorium Turonensem in figenda epocha Sancti Gatiani Turonensis Episcopi, siquidem ipsi perspecta erant Ecclesiæ suæ Tabularia. Idem credere par est de Stremonii Episcopi Arvernensis epocha, quæ Gregorium patriâ Arvernum, atque adeo in suis non peregrinum, latere non poterant. Cur igitur in aliis errasse dicatur?

Respondeo, quoad epocham Sanctorum Gatiani & Stremonii, Gregorium Turonensem convenire cum Tabulis Ecclesiarum Turonensis & Arvernæ; neque ullam nobis aliunde suppetere authoritatem, quâ Sanctos illos Episcopos ad anteriora Decio tempora revocemus. Unde quoad illos, non est detrahenda Gregorio Turonensi fides. At in aliorum Episcoporum epocha non convenit Gregorius cum Dypthicis ecclesiasticis, & aliunde gravissima suppetunt argumenta, quibus Trophimus, Paulus Narbonensis, Martialis, & Dionysius ad primum sæculum referantur. Non est igitur credendum Gregorio Turonensi illos ad Decii & Grati Consulatum detrudenti.

Objectio 3. petitur ex variis Martyrologiis, quæ bis Dionysii meminerunt, scilicet 5. Nonas Octob. & 7. Idus ejusdem mensis, illosque propriis characteribus distinguunt, ne in unum confundantur. Primò, Dionysio qui patitur 5. Nonas, nullos assignant socios; illi verò qui patitur 7. socios assignant Rusticum & Eleutherium. Secundò, priorem variis tormentis cruciatum memorant; posteriorem certo genere mortis, nempe capitis amputatione trucidatum. Tertiò, sub quo Cæsare, vel Præfecto primus passus sit, non dicunt; secundum verò passum asserunt sub Fescennino Præfecto. Priorem missum significant in Gallias à Romano Pontifice, non secundum. Ita inter alia Martyrologium Usuardi, & ante ipsum, Martyrologium Venerabilis Bedæ, Martyrologium Romanum à Rosweido editum, Martyrologia Ecclesiarum Arverniæ,* Antisiodorensis, S. Dionysii, Trecensis, Remensis, Adonis item Martyrologium, item Notkeri cognomento Balbuli, Parisiense, Rothomagense, Senonense, Augustodunense, Andegavense, Turonense, Suessionense, Ambianense; Martyrologium universi Ordinis FF. Prædicatorum, & Martyrologium, quod legebatur olim in Monasterio San-Dionysiano. Ergo ex Tabulis Ecclesiasticis evidenter probatur duos esse Dionysios, alterum Areopagitam, & Atheniensium Episcopum; alterum Parisiensium.

* De Clermont.

Respondeo, perperam duos distingui Dionysios, ex eo quòd variis diebus in Martyrologio Usuardi, & aliorum, Dionysius occurrat. Namque bis in Menologio Græcorum recensetur magnus Eustathius, scilicet 25. Februarii, & 5. Junii, quia cùm duabus in Ecclesiis Episcopus sederit, primò Beroeæ, postea Antiochiæ, duobus etiam diebus, illis in locis, celebrari indicatur illius festivitas. Sic S. Alexandri bis meminit idem Menologium, die scilicet 16. Maii, & 12. Decembris, quia primùm in Cappadocia, deinde Hierosolymis, Episcopatum gessit. Quid de sancta Agnete Virgine & Martyre dicam, cujus bis meminit Romanum Martyrologium mense Januarii? Nec tamen ideò quis duplicem Agnetem commentus est.

Respondeo secundò, Usuardum ex mendoso venerabilis Bedæ Martyrologio hausisse, quod inseruit suo, 5. Nonas Octobris. Ex mendoso dixi, quia in antiquissimo Bedæ Martyrologio MS. Monasterii Sancti Cyriaci, eò quod penes se habuit Eminentissimus Annalium Ecclesiasticorum Parens (ut ipse testatur tom. 1. ad annum 109.) unius tantùm Dionysii memoria legitur 7. Idus Octobris, qui dicitur in Gallias missus à Clemente Romano. Sed si Bedæ Martyrologium integrum esse, & nulla additione violatum contendas; respondeo ipsum bis memoriam unici Dionysii consignasse, nempe 5. Nonas Octobris, ut cum Græcis conveniret, hac die Sancti Dionysii Areopagitæ memoriam celebrantibus; & iterum 7. Idus Octobris, ut cum Latinis consentiret, eam recolentibus hac die. Quod etiam de Usuardo & aliis dicendum est.

Nullius porro ponderis sunt antitheta, quibus duplicem in illis Martyrologiis designari Dionysium probat Launoius: namque laudata Martyrologia cùm Menologium Græcorum secuta sint die 3. Octobris, nullam fecere mentionem Sociorum Sancti Dionysii, uti nec Fasti Ecclesiæ Græcæ. Græcorum autem non intererat Rusticum & Eleutherium memorari, qui Romæ duntaxat Sancto Dionysio adjuncti essent, nec tantùm de Græcia meriti.

Non confert etiam ad duorum Dionysiorum distinctionem, quòd qui patitur 5. Nonas Octobris variis tormentis cruciatus sit; qui verò 7. Idus, certo genere mortis affectus sit; nimirum capitis obtruncatione. Nam Dionysium Parisiensem diversis cruciatibus vexatum fuisse, antequam capite cæderetur, constat tum ex ejus Actis, tum ex Gregorio Turonensi lib. 1. Historiæ Francorum. Nihil etiam colligitur ex tertio antitheto, quia licèt Usuardus & alii Martyrologi sileant Præfectum, vel Cæsarem sub quo passus est Dionysius, 5. Nonas Octobris, non tamen alium Præfectum indicant à Fescennino.

Denique etsi non dicatur missus in Gallias à Romano Pontifice Dionysius, cujus Passio 5. Nonas Octobris consignatur; non tamen dicitur mansisse Athenis, ibique cæsus, nec id Aristides ipse Græcus, laudatus ab Usuardo, vel leviter indicat: unde non negatur ejus profectio Romam, & missio in Gallias. Hinc itaque duplex inferri non debet Dionysius.

Ad cætera Martyrologia respondeo, ipsa non distingui à Martyrologio Usuardi, quod in omnibus ferè Ecclesiis lectitari solitum testes sunt Molanus, & M. Bellinus Patavinus, in Præfatione Romani Martyrologii à se emendati, & editi anno 1549. unde eadem responsione diluitur objectio ex omnibus illis Ecclesiarum Gallicanarum Martyrologiis petita, ac quæ desumpta est ex Martyrologio Usuardi.

Quòd autem commemoratio Dionysii diversis diebus in Martyrologiis consignata, duplicem Dionysium non inferat, unum Areopagitam, cujus festus dies agatur 3. Octobris, alterum Parisiensium Pontificem, qui colatur 9. ejusdem mensis, ostendit oculis minimè lippis vetus Breviarium Prædicato-

Ecclesiæ Remensis Martyrologium ita habuisset, Hincmarus Archiepiscopus Remensis in contrariam non abiisset sententiam; sed Ecclesiæ suæ traditionem religiosè fuisset secutus.

Instabis secundò, ex Calendariis Ecclesiarum Carnotensis *, Ambianensis, * Venetensis *, & Narbonensis *; in quibus duplex Officium pro utroque Dionysio præscribitur, unum trium Lectionum, pro Areopagita, 3. die Octobris, alterum, novem Lectionum, pro Parisiensi Dionysio & Sociis, die 9. ejusdem mensis. Ergo Dionysius Parisiensis non est Areopagita.

*Carnoten. Ambiani. Venet. Narbonen.*

Respondeo primò, cæteras Ecclesias ex adverso stare, & unum constanter agnoscere Dionysium, eundem Areopagitam, & Parisiensem Episcopum.

Respondeo secundò, quatuor Ecclesias laudatas distinctioni duplicis Dionysii non favere. Nam Ecclesia Carnotensis 5. Nonas Octobris, & 7. Idus varium præscribit Officium eidem Dionysio Areopagitæ, cujus Conversionem recolit 5. Nonas, Martyrium verò 7. Idus. Id patet ex Rubrica veteris illius Breviarii, cujus hæc sunt verba: *Conversio Sancti Dionysii Areopagitæ Episcopi & Martyris.* Et tres Lectiones quæ hac die leguntur, nihil præter illius Conversionis historiam continent. Novem Lectiones præscriptæ 9. Octobris ipsius martyrium narrant, & in tertio Responsorio dicitur in Galliam missus à Sancto Clemente: & in antiquo Lectionario MS. ejusdem Ecclesiæ, appellatur Atheniensium Episcopus, & Parisios advenisse, ibique martyrium subiisse dicitur. Ecclesia verò Venetensis, in antiquo Breviario nullas habet Lectiones de Sancto Dionysio 3. Octobris, sed hæc duntaxat in ejus Calendario verba leguntur: *Sancti Dionysii Episcopi & Martyris commemoratio*; 9. verò Octobris leguntur novem Lectiones de Sancto Dionysio, in quibus dicitur à Sancto Clemente missus. Idem habent Lectiones veteris Breviarii Narbonensis, in quo die 3. Octobris tres Lectiones de Sancto Dionysio, Oratio, &c. notantur de Communi unius Martyris. In antiquo denique Ambianensis Ecclesiæ Breviario, duo dies duos Dionysios evidenter non distinguunt.

Instabis tertiò, ex antiquo Breviario Romano, excuso Parisiis, anno 1529. & 1543. in quo Sancti Dionysii Parisiensis simplex Festum erat, & in quo unica Lectio habebatur, quæ missum quidem in Gallias à Romano Pontifice narrabat Dionysium, sed ne unum quidem verbulum habebat de Areopagita.

Præterea, in antiquo Missali Romano, Lectio non sumebatur ex Actis Apostolorum cap. 17. ut in recentioribus; sed ex Sapientiæ cap. 10. ut videre est in libris Liturgicis à Paulo III. Pontifice Maximo reformatis, & approbatis anno 1549. Et in antiquiori Missali, ad usum etiam Romanæ Ecclesiæ edito tempore Francisci Primi Christianissimi Regis, Sancti Dionysii Officium canebatur de Communi Martyrum: ergo Ecclesia Romana in ea non erat opinione, quòd Dionysius Parisiensis Episcopus Areopagita esset.

Respondeo 1. in veteri illo Breviario Romano nihil esse quod Sanctum Dionysium Parisiensem Episcopum Areopagitam esse negèt.

Respondeo 2. in Breviario emendato jussu Clementis VIII. & Pii V. unum eundemque asseri Areopagitam, Atheniensium Episcopum, ac deinde Parisiensium, nominatique Sanctum Clementem Pontificem Romanum, à quo missus est in Gallias.

Respondeo 3. non fuisse hoc semper Breviarium Romanum; est enim Fratrum Minorum, quod Nicolaus III. Pontifex Maximus in Urbe recipi jussit, ut notat Radulphus Tongrensis, * Propositione 22. idque patet ex ritu quo festi Sanctorum dies in eo Breviario præscribuntur celebrandi. Namque Sancti Bernardinus, Ludovicus Episcopus, Bonaventura, Clara, Antonius de Padua, celebrantur ritu Duplicis majoris: Apostoli verò & Evangelistæ, Sanctis Petro & Paulo, & Joanne Evangelista exceptis, sub ritu Duplicis minoris. Breviarium igitur illud verè Romanum dixerit nemo, quod tandem ab Ecclesia Romana explosum est.

*De Tongren.*

Respondeo ad secundum, quòd Ecclesia Romana, in libris suis Liturgicis, agnovit olim Dionysium Parisiensem Episcopum esse Areopagitam, quamvis Lectionem ex Actis Apostolorum in Missa non recitaret. Id constat ex Missali Romano excuso Lutetiæ anno 1559. in quo pro Festo Sanctorum Dionysii, Rustici & Eleutherii, notatur Prosa ab Adamo Victorino composita, quæ sic habet:

*Gaude prole Græcia,*
*Glorietur Gallia*
*Patre Dionysio.*
*Exultet uberius*
*Felici Parisius*
*Illustris martyrio.*

Instabis 4. ex ordine Litaniarum, in quibus secundùm posteriores Aureliano Imperatore Martyres reponitur Dionysius, & iis ferè accensetur, qui sub Maximiano martyrium obierunt. Triginta circiter Ecclesiarum Litanias in hujus rei probationem protulit Launoius.

Respondeo, in Litaniis Chronologiæ ordinem non servari, ut constat ex veteri Litania, quam ex vetustissimo Codice profert Hugo Menardus in suis Observationibus ad librum Sacramentorum Sancti Gregorii, in qua Dionysios quidem post Clementem, ante Sixtum & Laurentium collocatur, sed Quintinus ante Tiburtium & Valerianum, & hi tres ante Nazarium, perturbato temporis quo vixerunt, ordine: inter Confessores invocatur Martinus ante Silvestrum, Benedictus ante Paulum & Antonium: & inter Sanctas fœminas Thecla Felicitati & Perpetuæ postponitur. In parvis etiam Litaniis, quas ex Sacramentario Ratoldi Abbatis ibidem profert mox laudatus Menardus, Leo priùs nominatur Ambrosio & Augustino, quibus tempore posterior fuit. Denique in Litaniis Ecclesiæ Romanæ, Ambrosius & Augustinus postponuntur Gregorio, Nicolaus Martino, Cæcilia Agathæ & Luciæ. Quæ cùm ita sint, certum est temporum seriem ex ordine Litaniarum haud rectè colligi, pessimumque id esse argumenti genus, quo Sanctus Dionysius Parisiensis Episcopus ad tertium detruditur sæculum, eò quòd in Litaniis secundùm posteriores Aureliano Imperatore Martyres invocetur.

Objicitur quartò: Dionysius, qui in Galliam missus est à Romano Pontifice, & qui Parisiensem fundavit Ecclesiam, ille est qui socios habuit Sanctos Piatonem Presbyterum & Martyrem, Fuscianum & Victoricum, Lucianum, Quintinum, &c. Sed qui dictos socios habuit, non est Areopagita.

Major probatur ex Martyrologio Usuardi, in quo S. Piato jungitur Dionysio ejusque Sociis, ab urbe Roma in Galliam comes. Idem constat ex Historia Sanctorum Fusciani & Victorici, in qua Sanctorum illorum Martyrum cum Dionysio, Piatone, Luciano, Quintino, &c. legitur inita societas. Idem probatur ex Historia Sancti Luciani Bellovacensis, quam ex tribus MSS. Exemplaribus Launoius profert, quorum unum est in Parisiensi Ecclesia, duo alia Rothomagi, in Biblio-

theca Illustrissimi Viri Domini Bigotii, Curiæ Subsidiorum Decani.

Minor verò probatur, Dionysius ille qui venit in Gallias sub Maximiano, non est Areopagita, sed Dionysius, qui societatem iniit cum Piatone, Victorico & Fusciano, Luciano, & Quintino, venit in Gallias Maximiano Imperante, non est igitur Areopagita.

Probatur Minor ex Actis SS. Fusciani & Victorici, quæ Sanctos mox laudatos, unà cum Dionysio in Galliam profectos memorant, *quo tempore Maximianus Augustus per arva Galliæ præsidebat.*

S. Piato. Probatur item ex Fulberto Carnotensi, qui in Hymno de S. Piatone, Dionysium Piatoni consociat, & Martyrem sub Maximiano Piatonem facit. Cujus Hymni hæc sunt verba:

*Tornacum versùs se direxit inclytus,*
*Cùm Parisius iret Beatus Dionysius.*
*At Cæsar Maximianus,*
*Ut Piati hausit famam virulentis auribus,*
*Comprehendi jussit eum ad necandum protinus.*

Præterea, vetus Breviarium Carnotense testatur, Imperantibus Diocletiano & Maximiano S. Piatonem in Gallias venisse. Consentiunt etiam S. Piatonis Acta MS. Bibliothecæ S. Theodorici, prope Remorum civitatem.

Respondeo: nego primam Majorem. Ad probationem respondeo, Usuardum forsan existimasse quòd S. Piato in Gallias primo Sæculo venisset, unde ipsum Dionysio comitem adjunxit.

Respondeo secundò, societatem illam Piatonis & Dionysii non reperiri in altero ex duobus Usuardi Codicibus Manuscriptis Bibliothecæ Monasterii S. Martini à Campis Parisiis siti; sed hæc solùm verba: *Civitate Tornaco* * *Passio S. Piatonis Presbyteri.* Unde societas Dionysii videtur addita Martyrologio Usuardi.

* Tornac.

Ad Acta Sanctorum Fusciani & Victorici, respondeo illa esse depravata, in ipsaque perperam intrusum Dionysii nomen: à vetustissimis namque Actis Sanctorum Fusciani & Victorici Manuscriptis ante annos septingentos Bibliothecæ Sancti Germani Pratensis, & Corbeiensis, abest Dionysii nomen, sed nec invenitur in Actis Manuscriptis S. Quintini, quæ extant etiam in S. Germani Bibliotheca, in quibus tamen memorati S. Piatonis socii recensentur.

Præterea, Acta illa Dionysii socios, Diocletiano & Maximiano Augustis, in Gallias venisse tradunt, quod Scriptoribus omnibus adversatur: siquidem ipse Gregorius Turunensis, cujus epocham Launoius, post Sirmondum mordicùs defendit, Sanctum Dionysium Gallias adiisse scribit Decio & Grato Consulibus. 3. Gregorius Turonensis alios Dionysio socios assignat, quàm Acta Sanctorum Fusciani & Victorici. 4. Rustici & Eleutherii, quos Ecclesia Dionysio sacris in Officiis conjungit, nulla in illis Actis memoria. Quæ omnia evidenter produnt Acta illa in Dionysii nomine depravata fuisse. Quæ cùm sic corrupta habuerit S. Fulbertus, non mirum quòd S. Dionysium S. Piatoni adjunxerit.

Ad Historiam S. Luciani Bellovacensis, respondeo hanc Historiam, prout extat in Manuscriptis à Launoio laudatis, falsitatis convinci; siquidem Lucianum, Dionysium, & Quintinum missos ait sub Juliano Cæsare, quod nemo non judicaverit absurdum. Respondeo secundò, majorem fidem adhibendam esse Vitæ S. Luciani MS. quæ servatur in Monasterio S. Luciani Bellovacensis, quam ferunt ab Odone Episcopo Bellovacensi, qui tempore Caroli Calvi vivebat, compositam, quæ etiam extat in Bibliotheca Floriacensi, in qua scriptum est S. Lucianum à Clemente Papa missum in Gallias, cum S. Dionysio venisse, ab eoque Bellovacum legatum fuisse, tandemque sub Imperatore Domitiano capitis sententiam subiisse.

De Flory sur, S. Benoist sur Loire

Objicitur quintò, Socrates lib. 7. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 35. texit Catalogum Episcoporum, qui à pristina Sede ad alias migrarunt, iidemque ipsi, nec plures ab Ivone Carnotensi in Decreti sui Prologuio memorantur; ita ut liquidò constet, præter hos, vel nullos omnino Sedes olim permutasse, vel ignotos Authoribus Ecclesiasticis fuisse. At si S. Dionysius Areopagita, relictis Athenis, Parisiensem Ecclesiam regendam suscepisset, in tam exquisito, tamque accurato Catalogo non fuisset prætermissus; ergo S. Dionysius Parisiensis Pontifex, alius est ab Areopagita.

Confirmatur ex Canone primo Concilii Sardicensis, qui migrationes Episcoporum ab una civitate in aliam prohibens, ait: *Nullus in hac re inventus est Episcopus, qui de majore civitate ad minorem transierit.* Atqui id verè non dixissent Patres Sardicenses, si Sanctus Dionysius Areopagita Atheniensium Episcopus Lutetiam Parisiorum tum Athenis longè ignobiliorem civitatem migrasset; ergo nusquam Parisiensis Episcopus fuit Dionysius Areopagita.

Respondeo Catalogum Episcoporum, qui ab una Sede ad aliam migrarunt, à Socrate contextum, non adeo accuratum esse, ut quidam alii addi non possint non minùs illustres, imò insigniores, qui ad alias transierunt Ecclesias. Sic S. Petrus ab Antiochena ad Romanam; magnus Eustathius à Beroëana ad Antiochenam; Maximus à Diospolitana ad Hierosolymitanam; Eudoxius à Germanicia ad Antiochenam; Methodius Martyr clarissimus ab Ecclesia Olympi ad Tyriam, migravere: de quibus tamen altum apud Socratem silentium est. Unde perperàm concluditur S. Dionysium Areopagitam Athenis Parisios non migrasse, quia Socrates de translationibus Episcoporum agens, illius non meminit: alioqui sequeretur S. Petrum Antiochiâ Romam non migrasse, nec alios mox recensitos ex una Sede in aliam fuisse translatos, quia nec illorum in sua enumeratione meminit Socrates. Porro multos à se in eo migrantium Episcoporum Catalogo fuisse prætermissos, non obscurè innuit Socrates cap. supra laudato, his verbis: *Res erat indifferens apud Veteres, quoties usus poscebat, Episcopum ab una Urbe ad aliam transferre.* Non mirum igitur quòd transitus Sancti Dionysii Areopagitæ & Atheniensis Episcopi ad Sedem Parisiensem mentionem nullam faciat.

Denique cùm Apostolorum discipulis solenne fuerit, dilatandæ per universum orbem Fidei gratiâ, relictis Sedibus, quas fundaverant, ad alias regiones & gentes migrare, ut testatur Eusebius lib. 3. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 31. nemini mirum videri debet S. Dionysium, relictâ Atheniensium Ecclesiâ, in Gallias, ob prædicandum Evangelium, profectum fuisse, & Lutetiæ Parisiorum zelô Apostolicô singulariter incumbentem, Sedem Parisiensem fundasse, atque suscepisse administrandam.

Ad confirmationem respondeo primò, verba Canonis primi Sardicensis cum S. Dionysii migratione Athenis Lutetiam non pugnare; quia is propriè Sedem non mutavit, sed prorsus reliquit, ut prædicationi Verbi Divini se totum devoveret. Nam cùm Athenas reliquit, subrogato in Ecclesiæ illius Præfectura Publio, nihil de Parisiis cogitabat, sed solùm de Evangelica Prædicatione generatim. Statim verò atque suum exposuit S. Clementi Romano Pontifici consilium, ab eo in Gallias

lias directus est cum plenitudine Apostolicæ potestatis, non verò præcisè Lutetiam; ut omnia Martyrologia, & vetusta S. Dionysii Acta testantur: verùm cùm Sanctissimus Episcopus cognovisset Lutetiam Parisiorum suâ operâ amplius indigere, in qua scilicet gentilitatis error magis grassabatur, illò accessit, ibique Sedem constituit.

Respondeo secundò Canonem Sardicensem, cùm ait nullum inventum esse Episcopum, qui à majori civitate ad minorem transierit, loqui de ambitiosis & avaris Episcopis, quos ad hujusmodi migrationes non urgebat charitas, sed instigabat cupiditas. Ita intelligendum esse Canonem constat ex verbis immediatè sequentibus; *Unde*, inquit, *constitit eos ardenti plura habendi cupiditate succendi, & magis arrogantia servire, ut videantur majorem habere potestatem.* Non verò loquitur Canon de Viris Apostolicis, qui Fidei propagandæ causâ, à suis civitatibus ad alias, seu majores essent, seu minores, seu æquales, commigrabant: quia nihil illis antiquius erat, quàm ut Christi propagarent Imperium, & hominum salutem procurarent.

Contra. Episcopi, qui ab una Sede ad alteram migrabant antiquitus, postquam immigrarant, prioris Sedis nomine deposito, posterioris nomen adscivere; quod & apud Latinos, & apud Græcos, perpetuo in usu fuisse, facilè demonstrari potest. Igitur cùm apud Latinos justa & Græcos, ante Carolum Magnum, Dionysius Areopagita, non Parisiensis, sed Atheniensis Episcopus semper appelletur, argumento est Parisiensem Areopagitæ Episcopatum, per annos octingentos, in toto orbe Christiano incognitum fuisse.

Respondeo: nego Majorem. Nego, inquam, perpetuum in Ecclesia usum fuisse, ut Episcopi ab una Sede in aliam migrantes, nomen posterioris retinerent: quod multis ostendere possum exempla. Primum est Eusebii Nicomediensis Episcopi, qui ad Episcopatum Constantinopolitanum, post Alexandrum evectus, postea Nicomediensis, non Constantinopolitanus appellatus est, ut constat ex Philostorgio lib. 2. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 17. Secundum exemplum est Theodori Perinthii, qui primò renunciatus est Episcopus Heracleæ in Thracia, postea verò sub Valente Imperatore Eozoio defuncto, Patriarcha Antiochenus factus est; qui tamen à primo Episcopatu fuit Heracleotes appellatus, ut constat ex Theodoreto lib. 2. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 3. Tertium exemplum est S. Methodii Martyris, qui adversùs Porphyrium scripsit. Is primò creatus est Episcopus Patarensis, vel Olympi in Lycia, & postea Tyriensem ad Ecclesiam translatus: qui tamen cùm citatur à Leontio lib. de Sectis Actione tertia non appellatur Episcopus Tyriensis, sed Patarensis. Quartum est Sancti Gregorii Nazianzeni, qui ab Ecclesia Nazianzena, in qua Patris Coadjutor fuit, migrans ad Constantinopolitanam, & in ea à Concilio I. Constantinopolitano, OEcumenico II. adversùs Maximum Cynicum invasorem confirmatus, non Constantinopolitanus, sed Nazianzenus subinde vocatus est. Non mirum igitur quòd Sanctus Dionysius Areopagita, post suam Athenis Parisios migrationem, vocatus fuerit Atheniensis, non Parisiensis Episcopus. Id factum esse arbitror vel propter Athenarum nobilitatem, quibus longè inferior erat Lutetia: vel ob reverentiam Sancti Pauli, à quo fuerat ordinatus Atheniensium Episcopus; vel denique ob Scripta Athenis Attico idiomate elucubrata.

Objicitur sextò, si Dionysius uspiam Gallias adiit, sequitur eum peregrinationem istam suscepisse propè nonagenarium: atqui istud incredibile videtur, & penè absurdum; ergo nusquam Gallias adiit Dionysius.

Respondeo, nego Minorem. Laudari namque possunt Apostoli, & Apostolici Viri, qui in provecta admodùm senectute, labores, peregrinationes, exilia, martyria fortiter sustinuerunt: quod Joannis Apostoli, Polycarpi, Pothini, & Irenæi comprobant exempla. Nec absurdum est Dionysium Areopagitam centesimum ætatis annum excessisse. Divina namque dispensatione factum est (inquit Baronius in *Notis ad Martyrologium Romanum*) ut complures ex his, qui Apostolorum temporibus vixerunt, ad longissimam ætatem pervenirent; nempe ut ea quæ oculis aspexissent, certâ scientiâ testarentur; ut inter alios Simeon Episcopus Hierosolymitanus, qui centesimum vigesimum attigit annum: S. Ignatius, qui se Dominum in carne vidisse testatur, scribens ad Polycarpum, ad annum undecimum Trajani pervenit, S. Hieronymo teste. Certè Quadratus, qui sedit post Publium, qui Dionysio successit in Ecclesia Atheniensi, rexitque illam temporibus Hadriani, complures se vidisse tradit, qui Christi temporibus sanati essent, & à mortuis surrexissent, ut de ipso recitat Sanctus Hieronymus lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis, Hermas Sancti Pauli discipulus, cujus ipse meminit scribens ad Romanos, cujus & esse dicitur liber Pastoris, ad ultima usque Antonini Pii tempora superstes vixit. Quid memorem Sanctum Paulum primum Eremitam, qui vixit annos quindecim supra centum, Sancto Hieronymo teste? Quid S. Remigium Remensem, qui 70. annos sub ipso Episcopatûs onere transegit? Certè si Mardochæus centum nonaginta & octo annis vixit, ut vult Author Chronologiæ Philoni falsò adscriptæ, sive Philo Annianus lib. 2. scribens ipsum decem & octo annis ætatem Isaac superasse, qui centum octoginta annos explevit: si, inquam, Mardochæus in tam longævam servatus est ætatem, Deo providente, ut populum Israëliticum ab internecione generali liberaret, quam in ipsum Aman decreverat: quidni credere par est Sanctum Dionysium Areopagitam servatum esse Dei consilio incolumem & vegetum ad provectam senectutem, ut Galliam nostram à gentilitatis errore, & dæmoniis imperio eriperet? Summam porro Sancti Dionysii senectutem memorat Nicephorus lib. 2. Historiæ, ubi præmissa illius conversione ab Apostolo Paulo, subjungit: *Dionysius verò verbum veri cultûs magnificè ac liberè prædicans, & multos annos in Occidente Christum glorificans, ad multam provectus est senectutem, & pro ipso, Martyrii coronâ est cohonestatus.*

Sed ne cuiquam incredibile aut mirum videatur S. Dionysium tam longævum fuisse, hîc subjicere placet quæ refert de hominum longævitate Usserius cap. XII. Chronologiæ Sacræ 1. ex Plinio lib. 7. cap. 48. *In Tmoli montis cacumine, quod vocant Tempsin, CL. annis vivere Mutianus author est: totidemque annos censum, Claudii Cæsaris censurâ, T. Fullonium Bononiensem, idque collatis censibus quos antè detulerat, vitaque argumentis (etenim id curæ Principi erat) verum apparuit.* Ex eodem cap. 49. in censu Vespasianis Imperatoribus acto, *centum viginti annos Parmæ tres edidere. Brixelli unus* CXXV. *Parmæ duo* CXXX. *Placentiæ unus* CXXXI. *Faventiæ una mulier* CXXXII. *Bononiæ L. Terentius Marci filius, Arimini verò Marcus Aponius*, CL. *Tertulla*, CXXXVII. *Circa Placentiam, in oppido Vellicacio* CX. *annos sex detulere; quatuor* CXX. *unus* CLX. *In regione Italiæ octavâ, centenûm annorum censi sunt homines* LIV. *centenûm denûm homines* LVII. *centenûm vicenûm quinûm homines duo, centenûm tricenûm homines*

*mines quatuor. Centenûm tricenûm quinûm aut septenûm totidem, centenûm quadragenûm, homines trij.*

Et ut ad nostra tempora propiùs accedamus, Laurentium quemdam Scotum anno ætatis CXL. piscatum prodiisse, ex Buchanano refert (in primæ Orationis Chronologicæ D. Parzi Elencho) Josephus Scaliger, de suo insuper adjiciens. *Nos possumus producere, quos CXX. CXXV. CXXX. annos vita expleto scimus, vidimus, meminimus. Unus etiam senex amicis nostris miraculo fuit Lutetiæ, anno Christi 1584. qui miles pugna Montis-Leheri interfuerat sub Ludovico XI. Is major annorum CXL. omnibus membrorum officiis integris: Lutetiam sese contulerat, litecula tujusdam persequendæ causâ.* Quibus & illa addantur Jacobi Bonferii Jesuitæ in Ruth cap. 1. *Ante annos paucos in finibus Sylvæ Thuringiæ repertus est senex unus, qui Confirmationis Sacramentum à Suffraganeo Episcopi Bambergensis accepit, annos natus 150. qui jam filios haberet centenarios, nepotes septuagenarios, (ut nostrorum literis accepimus) aliaque ducenti, annum centesimum excessérunt.* Tandem refert Usserius, Thomam Parvum Wioningtonæ 10 agro Sallopiensi, anno Christi 1483. natum cùm octoginta esset annorum, primam uxorem duxisse, tum qua 32. annis vixit; & sub quâ commissi cum alia adulterii convictus, cv. annorum senex publicam in Ecclesia Alberburiensi egit Pœnitentiam. Cùm annorum deinde fuisset CXXII. secundam accepit uxorem, quæ quandiu ille vixit, cum eo mansit: ipseque demum, nobilissimi Thomæ Arundelliæ & Sutriæ Comitis curâ & sumtibus in lectica Londinum perductus sub finem Septembris anni 1635. & Magnæ Britanniæ Regi Carolo est exhibitus, cùm annum 152. & menses aliquot vivendo peregisset. Hæc Usserius. Quamobrem nemo miretur S. Dionysium jam nonagenarium in Gallias venisse, & in tanta longævitate Apostolicis perfunctum laboribus.

*De Colegno.* Objicitur septimò. In Parisiensium Episcoporum serie sextus occurrit Victorinus, qui Agrippinensi de Euphrata Synodo interfuit anno Æræ Christianæ 346. itaque à Decii primordiis, Dionysiique, juxta Gregorii Turonensis epocham, adventu, ad eam Synodum, anni fluxere quinque & nonaginta, quos in quinque aut sex Episcopos distribui nihil est incommodi. A Clemente autem Romano ad Synodum eandem anni propè ducenti & sexaginta numerantur, quos à tam paucis Episcopis occupatos incredibile est.

Respondeo primò, verisimillimum esse, ingravescente persecutione, interruptam fuisse, post S. Dionysium, Episcoporum successionem. Nam difficillimis illis Ecclesiæ temporibus, frequentia fuerunt interpontificia. Si enim à tempore Decii usque ad primum Constantii Imperatoris annum, Turonensis Ecclesiæ sedes 37. annis Episcopo vacua fuit, (ut ipse Auctor est Gregorius Turonensis lib. 10. Historiæ cap. 39.) quidni ampliori etiam temporis intervallo viduata fuerit Ecclesia Parisiensis secundo Sæculo; cùm scilicet Episcoporum, & Doctorum copia minor esset; & Gallia Christianorum numero desertior? Idque non modò Parisiensis, sed aliarum etiam Ecclesiarum fatum fuit: quod de Remensi Flodoardus testatur lib. 1. Historiæ cap. 5. in qua post primos illius Pontifices SS. Sixtum ac Sinicium Sancti Petri discipulos, ad Imperium usque Constantini Magni, trium scilicet Sæculorum lapsu, unus memoratur Præsul Amansius. Adde, ex Synodi Agrippinensis contra Euphratam Actis, quæ supposititia esse alibi probamus, nihil certi colligi posse.

Objicitur octavò: anno 1205. caput S. Dionysii Areopagitæ Nevelloni Suessionensium Episcopo à Constantinopolitanis datum est: ergo ejus corpus erat Constantinopoli, non verò in Galliis; ergo in Græcia, non in Galliis passus est; proindeque alius est Areopagita Dionysius à Parisiensi.

Respondeo primò, posteriorem consequentiam illegitimam esse; nam caput ejus & corpus advehi potuisset è Galliis Constantinopolim; ac deinde Nevelloni tradi à Constantinopolitanis sacrum caput.

Respondeo secundò, negando factum: Vel enim fuisset Dionysii Areopagitæ corpus Constantinopoli, Patriarchatûs Methodii tempore, quod dixerit nemo, siquidem Methodius ipse Parisiis passum scribit, nec sacrum ejus corpus Constantinopoli quiescere vel leviter indicat: vel advectum illuc fuit post Methodii obitum, quod parum verisimile est, cùm sint translationes hujusmodi Sanctorum illustrium celebriores, quàm ut eas omnium Scriptorum silentium obruat. Alterius igitur Dionysii caput datum est Nevelloni, quod Suessionenses, ob nominis æquivocationem, Areopagitæ esse piè crediderunt.

Objicitur ultimò. Lethaldus Monachus in Vita S. Juliani Cœnomanensis Episcopi, quam circa annum Christi millesimum conscripsit, & Avesgaudo Episcopo Cœnomanensi* nuncupavit, Dionysium, Julianum, aliosque Viros Apostolicos; qui Gallicanas Ecclesias fundavecunt; non à Sancto Clemente, qui sub Trajano vixit, sed à Sixto, qui Decio Imperante sedit, missos propugnat. Igitur Sanctus Dionysius Parisiensium Episcopus, non est Areopagita. ** De Mon.*

Respondeo Lethaldum contra totius Ecclesiæ Gallicanæ sententiam tunc pugnasse: nec illam epocham ex alio hausisse fonte, quàm ex Gregorio Turonensi, ut ex illius Vitæ Lectione constat: unde non multùm ejus authoritati tribuendum est.

## DISSERTATIO XVII.

### De Beatæ Mariæ Magdalenæ, Lazari, & Marthæ in Gallias Appulsu: Deque illorum Reliquiis Provinciæ vindicatis.

DUæ sunt istius Dissertationis partes, quas sigillatim expendemus. Prima spectat adventum Sanctarum Sororum in Gallias, unà cum Fratre. Altera spectat opinionem, quæ apud Provinciæ populos inolevit, de Reliquiis Sanctæ Magdalenæ in S. Maximini oppido, Lazari Massiliæ, & Marthæ apud Tarasconenses honorificè collocatis, & Fidelium venerationi expositis.

### PROPOSITIO I.

*Appulsum Sanctæ Mariæ Magdalenæ in Gallias, cum Lazaro fratre, & Martha sorore, suadent Ecclesiarum Provinciæ Traditio, & Schedæ veteres ex earum Tabulariis depromptæ: quibus nec suffragantur, nec repugnant antiqua Historiæ Ecclesiasticæ Monumenta.*

Probatur primò ex Actis Sanctorum Tutelarium Ecclesiæ Tolonensis, seu ex antiquissimo Codice Acta illa continente, qui jussu & piis curis Desiderii Tolonensis Episcopi conscriptus est anno 572. Sic autem habet: *Cleones fuit unus ex 72. Discipulis Christi: cui Beatus Petrus Apostolus specialiter commendavit Beatam Mariam Magdalenam, sicut Mater Christi Joanni fuerat commendata. Cum igitur post lapidationem Sancti Stephani, Judæorum persecutio* *Provinciales arguments.*

*persecutio in discipulos ebulliret, Judæi Mariam-Magdalenam, Martham cum Marcella pedissequa, Lazarum, Maximinum, Cidonium, qui cæcus erat à nativitate, & alios plures, naviculâ impositos, sine remige, mari exposuerunt, ut sic undis necarentur. Qui, Deo duce, omnes incolumes Massiliæ applicuerunt ubi prædicantes, universam Provinciam converterunt.*

Probatur secundò ex vetere Codice MS. Ecclesiæ Saniciensis, * in quo hæc habentur: *Qualiter Magdalena, divinâ ordinante clementiâ, cum S. Maximino, mare transierit, & in Aquensem Regni Provinciæ regionem pervenit*, &c. *Rexit autem Ecclesiam Aquensem Beatus Maximinus Confessor, pariterque Pontifex*, &c. Et postquam ejus corpus in oppido S. Maximini quiescere scripsit, subjungit: *Vocatur autem idem Monasterium S. Maximini Abbatia, rebus honoribusque valdè ditatum, quod est constructum in illo Aquensi Comitatu*, &c.

* De Gron.

Hoc porro Manuscriptum antiquissimum esse constat, & ad nonum circiter Sæculum referendum: siquidem Provincia Regnum vocari cœpit, cadente octavo Sæculo, cùm Carolus Lotharii Imperatoris filius, Rex Provinciæ salutatus est. Aliunde constat hujus Manuscripti epocham figendam esse ante Regnum Caroli II. Siciliæ Regis, & antequam S. Maximini Ecclesiam Fratres Prædicatores administrandam suscepissent: siquidem eorum domus Abbatiæ nomine nusquam sunt insignitæ.

Probatur tertiò ex facto Guilielmi Gerardi, filii Hugonis Marchionis Itali, qui dux erat exercitûs in Regno Arelatensi, anno circiter 935. Is scilicet pietatis impulsu, antrum Beatæ Mariæ Magdalenæ pœnitentiâ consecratum lustravit. Itaque jam ea Gallorum & Gentium finitimarum animos invaserat opinio, de B. Mariæ-Magdalenæ in Gallias appulsu. Istud factum refert Vir illustrissimus Alphonsus Delbene, Episcopus Albigensis, in Historia Regni Burgundici & Arelatensis, Henrico Magno Regi Galliarum nuncupata, his verbis, lib. 3. *Dimisso exercitu, Arelatem proficiscitur* (Gerardus:) *hinc cùm Rex abiisset, is erat Massiliæ, in itinere antrum, in quo Beata Magdalena pœnitentiam egit, & animam efflavit (ut fert ejus Historia) visere statuit.*

D'Alby.

Probatur quartò ex Instrumento authentico Historiam consecrationis Ecclesiæ S. Salvatoris Aquarum-Sextiarum à Petro illius civitatis Episcopo solenni ritu factam septimo Idus Augusti anno Domini 1103. referente, in quo hæc leguntur: *Sed quoniam earumdem Ecclesiarum, quas superiùs enumeravimus, Beatus Maximinus & Beata Maria-Magdalena primi fundatores extiterunt; in eadem Ecclesia Salvatoris à supradictis Religiosissimis Viris in honore Beati Maximini, & Beatæ Mariæ-Magdalenæ, altare dedicatum est, cujus consecrationem in hac præsenti pagina describimus, videlicet septima Augusti, quatenus futuris temporibus, absque ulla dubitatione, in Ecclesia illa dies ista celebris annuatim celebretur.* Hæc eruta sunt ex Tabulario Ecclesiæ Sancti Salvatoris Aquensis; & à Clarissimis Sammarthanis fratribus, Tom. 1. Galliæ Christianæ referuntur.

Aix en Provence.

Instrumentum istud suppositionis arguit Launoius, quòd in eo Episcopi Arelatensis, * Cavallicensis, * Forojuliensis, * & Regiensis, * dicuntur comprovinciales Episcopi, quos tamen ad diversas provincias pertinere constat. Sed non tanti est istud suppositionis argumentum: esto enim è diversis Provinciis Ecclesiasticis sint illi Episcopi, ad eandem tamen Provinciam civilem spectant; quod sufficit ut dici Comprovinciales potuerint.

* Arles. * Cavaillon. * Frejus. * Riez.

Probatur quintò ex Sigeberto Gemblacensi Monacho in Chronico ad annum 745. *Persecutione*, inquit, *post lapidationem Sancti Stephani, Proto-* A *martyris mota, Maximinus unus de septuaginta Discipulis, ad Gallias transiens, Mariam Magdalenam secum adduxit; & eam apud Aquensem Urbem, cui præsidebat, sepelivit defunctam.* Florebat autem Sigebertus ineunte Sæculo decimo. Launoius hæc haberi negat in exemplari Manuscripto Sigeberti, quod in Monasterio Gemblacensi * asservatur, quodque Miræi operâ in lucem editum est. At quid inde? Cùm aliud exemplar melioris forsan notæ, quod à Cardinali Baronio laudatur in Notis ad Martyrologium Romanum, hæc habeat.

* De Gembloux.

Eadem exscripta sunt ab Authore Chronici brevioris, B ejusdem epochæ, quod ad finem Operum Hugonis, in Bibliotheca Victorina insertum est.

Probatur sextò ex Honorio Augustodunensi Presbytero, qui floruit circa annum 1120. in Sermone de Sancta Maria Magdalena: *De ea fertur*, inquit, *quòd postquam Dominum, cum aliis discipulis, ascendere viderit, & Spiritum Sanctum acceperit, ejus amore postea virum non viderit & noluerit: sed in eremum veniens, in spelunca aliquot annis habitaverit: ad quam dum quidam Presbyter errabundus venisset, & quænam esset quæsisset, Mariam peccatricem se esse respondit, eumque ad sepeliendum* C *ejus corpus missum retulit. His dictis, mundum, quem inhorruit, gloriabunda abiens, deseruit, & Angelis Hymnum concinentibus, ad Dominum perrexit.* Itaque cùm hæc eadem in Provincia ex traditione accepta sint, ostendaturque apud Sanctam Balmam spelunca & rupes Sanctæ Magdalenæ pœnitentiâ consecrata, argumentum est illam has in regiones appulisse.

D'Autun.

Probatur septimò ex Gervasio Tilliberiensi, Regni Arelatensis Polemarcho, qui floruit anno 1210. libro *de Divisione Mundi & Provinciarum*, D Sectione *de Provincia Arelatensi*, ubi de Provincia Narbonensi agens hæc habet: *Narbonensis Provincia pars Galliarum est, habens in fronte quà Rhodanus fluvius exit in mare, Sticadis insulas, quas vulgò* Camargues *nominant, quasi caras marchias: in modum enim insulæ Rhodano per tria ostia diviso, clauduntur terrâ fertili*, &c. *Illic ad littus maris est prima omnium Ecclesiarum transmarinarum, in honore Beatissimæ Dei Genitricis Mariæ fundata à Discipulis è Judæa pulsis, & in rate sine remigio dimissis per mare, Beatis Maximino Aquensi, Lazaro Massiliensi, Evangelico, fratre Marthæ & Mariæ-Magdalenæ..... Consecrata adstantibus ibidem* E *Martha, & Maria-Magdalena, cum aliis multis. Sub cujus Basilicæ altari, ab ipsis de terra pistata, lapide titulari de marmore & pario modico superstrato, tenet authoritate plena vetustas. Sed & corporum sanctorum capita in quadrum disposita: reliqua corporum membra suis tumulis clausa, inter quæ duas asserunt Marias sepultas, quæ manè prima Sabbati, cum aromatibus venerunt videre sepulchrum*, &c. Hęc ille. Quæ ita se habere, ut scripserat, compertum fuit anno Domini 1448. cum jussu Serenissimi Siciliæ Regis Renati, trium Mariarum corpora, in Ecclesia Sanctæ Mariæ *de Ratis* latentia inventa sunt, F ut constat ex Instrumento illius Inventionis edito ab Eminentissimo Cardinali Fuxensi Legato Avenionensi.

Probatur octavò ex Epistola Illustrissimi Viri Michaëlis de Moresio, Archiepiscopi Arelatensis, anno circiter 1203. directâ ad Episcopos & Clericos illius Provinciæ, quâ omnes illius regionis Fideles adhortatur ut eleemosynas erogent ad restaurationem celeberrimi Cœmeterii, dicti Altuscampus, extra muros Arelatenses: sacrum namque illum locum hac in Epistola ex eo commendat maximè, quòd à S. Maximino Aquarum-Sextiarum Episcopo, & ab aliis Sanctis Christi Discipulis fuerit sanctificatum. *Admirandum*, inquit, &

Vulgò les Champs Elysées.

*illud miraculum cœlo teste approbatum : quod prædictum Cœmeterium Viri Apostolici, Apostolorum imitatores, & Discipuli septem, Trophimus scilicet à B. Petro & Paulo Apostolis Arelati provisus & ordinatus Episcopus, cum Sergio Paulo Narbonensi, Maximino Aquensi, Saturnino Tolosano, Frontone Petragoricensi, * Martiale Lemovicensi, Eutropio Arausicano, * Episcopis, divinò oraculò admonitis, benedixerint, & Domino Jesu-Christo præsente, & ibidem corporaliter apparente.*

* De Perigueux. * D'Orange.

Hujus testimonii vim elevat Launoius, objiciens omnes illos Episcopos coævos non fuisse SS. Apostolorum Petri & Pauli. Verùm ex eo saltem colligitur, tempore Michaëlis de Moresio, Provincialium fidem fuisse Traditione firmatam, quòd SS. Trophimus & Maximinus Apostolorum ætate in Gallias pervenissent.

Probatur nonò ex Chartulario Cartusiæ Montis-rivi Massiliensis Diœcesis, quod meminit consecrationis Ecclesiæ ibidem factæ anno 1252. his verbis : *Anno ab Incarnatione Domini 1252....., altare consecratum fuit à venerabilibus Patribus, Philippo Aquensi Archiepiscopo, & Benedicto Massiliensi......, .. Digniensi, & Fulcone Regiensi, Dei gratiâ Episcopis, in honorem Dei Genitricis, & B. Lazari, quem Dominus Jesus-Christus quatriduanum mortuum suscitavit, & qui fuit primus Episcopus Massiliensis.*

Montrevous, vulgò, Montrieu.

Probatur decimò testimonio Gulielmi Durandi Mimatensis Episcopi, * in Rationali Divinorum Officiorum lib. 1. Rubrica 8. *In Comitatu Provinciæ*, inquit, *in castro Sanctæ Mariæ de Mari, est altare terreum, quod ibi fecerunt Maria-Magdalena, & Maria-Jacobi, & Maria-Salome.* Floruit autem Durandus anno circiter 1270.

* De Mandes.

Probatur undecimò authoritate Benedicti X. Pontificis Maximi in Diplomate dato Romæ die 20. Januarii anno 1329. in quo de Balma loquens, ait : *In qua egit pœnitentiam Magdalena.*

Probatur duodecimò authoritate Eugenii Quarti in Diplomate dato Florentiæ die 4. Septembris anno Domini 1441. quo Fidelium pietati S. Maximini Ecclesiam & Conventum Balmcosem incendio vastatum commendans, sic habet : *Et in loco Balma, Massiliensis Diœcesis, in quo Sancta post Resurrectionem Christi, mira Dei dispensatione, triginta-duos annos in arcta solitudine, cœlibem cum Angelicis consolationibus & visitationibus ducendo vitam, pœnitentiam perfecit.*

La Sainte Baume.

Probatur decimo-tertiò authoritate Sixti IV. in Diplomate dato die 20. Februarii anno 1475. quo Avenionensis Ecclesiæ Canonicos togâ sæculari donat. Testatur enim hanc Ecclesiam à B. Martha fuisse fundatam : *Cùm itaque*, inquit, *sicut accepimus, Ecclesia Avenionensis, Ordinis S. Augustini, quæ inter cæteras Cathedrales Ecclesias illarum partium claret, à Beata Martha Jesu Christi hospita, ad laudem ejus, & gloriosæ Virginis fundata, & manu Dei (ut fama est, & aliquorum Summorum Pontificum literæ attestantur) consecrata extitit*, &c.

His suffragantur Vincentius Bellovacensis, in Speculo Historiali lib. 9. cap. 94. Bernardus Guido Lodevensium Episcopus in Chronico, quod Summo Pontifici Joanni XXII. nuncupavit; Jacobus Philippus Forestius Bergomensis, Augustinianus, in suo Chronicorum Supplemento, quod scripsit anno 1436. Boninus Mombritius Mediolanensis, Tomo secundo de Vitis Sanctorum, edito anno circiter 1440. Sanctus Antoninus Archiepiscopus Florentinus Tomo 1. tit. 6. cap. 19. & tit. 14. cap. 2. §. 4. Sabellicus lib. 2. Enneade 6. Joannes-Baptista Mantuanus Carmelitarum Prior Generalis, qui Historiam navigationis B. Mariæ-Magdalenæ, ejusque in Provinciam appulsûs, eleganti Carmine descripsit; Silvester Prieras Sacri Palatii Magister, in Rosa aurea, in Expositione Evangelii quod legitur feria quinta infra Octavas Paschatis; Genebrardus in Chronologia; Eminentissimus Cardinalis Baronius in Annalibus, & in Notis ad Martyrologium Romanum; Surius Tomo quarto ad diem vigesimum-secundum Julii; Molanus in Notis ad Martyrologium Usuardi; & Facultas Theologica Aquarum-Sextiarum in Censura libelli à Launoio editi, qui inscriptus est; *Disquisitio disquisitionis de Magdalena Massiliensi advena*, quem damnat, *Ut continentem multa contra Historiæ & Traditionum Provinciæ veritatem, falsa, temeraria, pietatem Christianam in his partibus oppugnantia, Summorum Pontificum, & Regum nostrorum, ac Comitum Provinciæ testimonia, cultum & pietatem illudentia; necnon etiam multa seditiosa, pacem & tranquillitatem totius Ecclesiæ, & præsertim Gallicanæ destruentia*, Data porro hæc Censura est die tertia Martii 1644. & firmata Decreto Supremi Senatûs Provinciæ, quo idem libellus perpetuis tenebris damnatus est.

Cùm porro *Vincentium* Bellovacensem, aliosque Auctores laudo, qui appulsum Sanctæ Mariæ-Magdalenæ, Sanctæ Marthæ & S. Lazari in Provinciam Scriptis tradiderunt, fabulas propterea non approbo, si quas huic inseruerunt Historiæ, cujus caput & substantiam duntaxat propugno, scilicet ipsum Sanctorum in Provinciam appulsum : modum verò & circumstantias ignorare me fateor. Unde nec à Judæis publico judicio damnatos assero, neque navigio sine remis & velo impositos : nec Acta *S. Magdalenæ* ab ejus pedisequa *S. Marcella*, Hebraicè (ut fertur) scripta, & à *Synthece* nescio quo Latinitate donata recipio aut fide digna censeo, (ut mihi recens Auctor affinxit) sed apocryphorum loco & numero habeo : Unde ne illa quidem citare dignatus sum. Abdicata tunc fuerit Judæis quemquam morte exiliòve damnandi potestas : sed tamen à Judæis lapidatum S. Stephanum, illorum persecutione in Christianos fervente dispersos Christi Discipulos, Jacobum fratrem Domini occisum, nemo negaverit. Quidni & Mariam Magdalenam, Martham & Lazarum pari furore & odio in Christi nomen exterminaverint vel fugere compulerint? Sanè in Synedriis & Synagogis Judæorum ab ipsis exerceri solitam animadversionem in populares in causis Religionis, constat ex *Eusebio* lib. 5. *Historiæ* cap. XVI. ubi meminit libri ab Auctore quodam Ecclesiastico adversùs Montanistas sub Imperio *Commodi* conscripti, in quo hæc legebantur : *Respondeant nobis, quæso, per Deum : Est-ne aliquis eorum, qui jam inde à Montano & Mulierculis garrire primùm cœperunt, qui à Judæis persecutionem passus sit, aut ab impiis trucidatus? Nemo certè : Nec verò ullus eorum pro Christi nomine prehensus, in crucem actus est. Sed neque ulla mulier in Judæorum Synagogis aut flagris cæsa, aut lapidibus impetita est.* Impletam fuisse Christi prædictionem Apostolis prænuntiantis : *Tradent enim vos in Conciliis, & in Synagogis suis flagellabunt vos*, Apostolorum Acta testantur. Incredibile igitur videri non potest, nisi hominibus intemperanter criticis, & opinionum suarum præjudicio nimiùm occupatis, quòd Judæi Mariam-Magdalenam cum Martha sorore, & Lazaro fratre, odio nominis Christi è patria exterminaverint, & fugere compulerint. In veteri quidem Historia Ecclesiastica nullum est hujus rei, & appulsûs Sanctarum Sororum, cum Fratre, in Provinciam testimonium; sed illius testis est Ecclesiarum Provinciæ Traditio, iis fulta Monumentis, quæ simul sumta non levis

Criticorum insultus ab Auctore repelluntur.

Matth. 10. 17.

levis ponderis sunt, & quibus nihil est in Historia Ecclesiastica quod expressè repugnet. Hujus Impugnatores Traditionis, siqui de generis nobilitate gloriantur, vel hereditaria feuda, agros, domos redditus possident, adeo antiquis ac firmis titulis nobilitatem suam ac possessiones vindicare non posse, confidenter dixerim: quas si litigiosi homines falsi postularent, ingeniosis fortè, sed levibus freti conjecturis, illorum conatus acriter ac vehementer repellerent. Ut ut est, Ecclesiarum Provinciæ Traditionem solicitare nolui, ubi de S. Maria-Magdalena; nec Ecclesiarum Galliæ cum Romana & Græca consentientem Traditionem convellere, ubi de *S. Dionysio* agendum fuit: nec *Dionysii* Opera Areopagitæ abjudicare; quamvis speciosis & difficilibus argumentis opiniones illas impugnari posse probè scirem, quibus pro virili respondi, probabilesque, ut existimo, Responsiones ostendi, non minùs quàm contraria argumenta. Has partes ut susciperem, effecit abhorrens à novitate indoles, & quòd Catholici ac Religiosi Theologi officium esse duxerim Traditiones Ecclesiarum ubi de illarum originibus agitur, sequi potiùs quàm evertere: veterumque Patrum Opera, quantùm fieri potest tueri; nec consentire Hæreticis, illa Fidei ac Disciplinæ propugnacula, puros illos Traditionum Apostolicarum latices ad inferiora Sæcula detrudentibus, & Auctoribus ignotis tribuentibus. *Non enim in destructionem, sed in ædificationem*, talentum qualecumque scribendi à Deo mihi collatum arbitror. Minùs eruditus, & reconditioris literaturæ minùs peritus hoc nomine videar Neotericis quibusdam Criticis, à quibus laudari meruissem, si Launoianas opiniones adoptassem, & quas dilui objectiones probationum loco posuissem: officio nihilominus fungar meo, inanis gloriolæ non militans, quàm spernere Doctor Christianus debet, sed uni Deo placere, & verè Sapientibus probari curans, quorum aliqui si opiniones fortè meas probabiliores non judicaverint, consilium certè animumque meum laudabunt universi, nec Dissertationes illas contemnent, & inofficiosè carpent, in quibus ab ipsis dissentio: siquidem illius sunt argumenti, de quo meritò dicatur: *Unusquisque in suo sensu abundet*. Non tantùm meæ, sed & contrariæ opinionis habent argumenta, quorum vim non dissimulavi, nitidè à me proposita: illa expendant; quod probabiliùs videbitur, teneant: tantùm me fraterna caritate complectantur, & pro me Deum orent.

1. Cor. 13. 10. Rom. 4. 11.

Launoii objectionibus, quid respondeant Provinciales?

Objicitur primò. Si Lazarus primus fuit Massiliensium Episcopus: si Magdalena & Martha tot virtutes in Provincia patraverunt, quî fieri potuit ut primos suæ Gentis Apostolos, & tales Apostolos ignorassent, aut nullo unquam præconio extulissent Cassianus, Salvianus, Victor Massiliensis, Eucherius Lugdunensis, & Cæsarius Arelatensis, aliique Tractatores Sacri, & Ecclesiarum Magistri: sed hi nusquam meminerunt adventus B. Mariæ-Magdalenæ in Provinciam; ergo, &c.

Secundò, Franco Aquensis Episcopus, qui Ecclesiæ suæ hæreditatem coram Sigeberto Rege tutatus est, invocato Metriæ Martyris nomine, cujus Reliquias & corpus habuit, Maximini & Magdalenæ ne meminit quidem, ut constat ex Gregorio Tneonensi lib. de Gloria Confessorum cap. 71. atqui pariter advocasset SS. Maximinum, & Magdalenam, si Tutelares illius Ecclesiæ Sancti fuissent, illorumque habuisset Reliquias ac sepulcra; ergo, &c.

Tertiò, veteres Authores, qui Sanctorum Vitas in suis Martyrologiis compendio scripserunt; Beda, Usuardus, Freculphus, & Ado Viennensis siluerunt de Magdalenæ in Provinciam appulsu: & maximè Ado, licèt Provinciæ finitimus esset: ergo nutat illa Provinciæ traditio, nec admodùm vetus est.

Quartò, S. Gregorius Magnus, Odo, & Petrus Venerabilis, Abbates Cluniacenses, Petrus Damiani & S. Bernardus, qui Homilias & Sermones in Festo S. Magdalenæ scripserunt, illius in Provinciam appulsum altissimo prætereunt silentio: ergo, &c.

Respondeo hæc argumenta futilia esse, quia negantia sunt. Quis enim apparitionem stellæ, quæ Magos ad Christi cunas deduxit, commentitiam esse dixerit, quia nullus præter S. Matthæum, Evangelii Scriptor ejus meminit? Quis resurrectionem Lazari fictitiam esse effutiat, quia SS. Matthæus, Marcus & Lucas eam Scriptis non commendarunt? Quis Ædis Deiparæ mirabilem Lauretum advectionem fabulis accenseat, ob silentium S. Antonini, qui & coævus Author, & Lauretanæ regioni erat finitimus? Perperàm itaque infert ex silentio illorum Authorum Launoius B. Magdalenam nusquam in Provinciam appulisse, aut sacrum ejus corpus ibi non quiescere.

Addendum multa illorum Authorum Opera tempus & fortunam nobis invidisse, ut constat ex Honorio Augustodunensi, Isidoro Hispalensi, & Trithemio, qui Scriptorum Ecclesiasticorum Catalogum texuerunt: ex quibus forsan, si superessent, nostræ sententiæ veritas probaretur. In iis verò Operibus, quæ præ manibus habemus, nulla sese præbuit occasio de Lazaro, Magdalena, Martha, aut Maximino, loquendi, cùm de aliis longè argumentis agerent.

Ad secundum respondeo Franconem invocasse S. Metriam, * quia singulari devotionis sensu erga illum affectus erat, ut contingit sæpe affici Fideles erga recentiores Sanctos. Sanctus namque Metrias longè recentior erat Magdalena, & Maximino, ut qui, Anthemio Imperante anno 467 Aquis-Sextiis pro Christo sanguinem profuderat. Præterea, cùm istud contingit Franconi, scilicet anno 575. secundùm Gregorium Turonensem, Reliquiæ S. Maximini, & S. Magdalenæ ampliùs non erant in Ecclesia Aquensi, ex qua translatæ fuerant ad oppidum S. Maximini, annis antea multis, imminentium Longobardorum metu, ut constat ex veteribus Monumentis. Non mirum itaque quòd tunc Reliquiarum S. Maxintiu & S. Magdalenæ Franco non meminerit.

* S. Mitrias

Respondeo ad tertium, mirum videri non debere, quòd Beda, Usuardus, & Freculphus, qui in regionibus à Provincia longè remotis floruerunt, scilicet vel in Anglia, vel in Galliæ Septentrionalis partibus, octavo & nono Sæculo, ab appulsu B. Magdalenæ in Provinciam tanto intervallo distantibus, nihil hisce de rebus scripserint, quæ sola pene Ecclesiarum Provinciæ traditione tunc notæ erant.

Respondeo præterea, antiquos Martyrologiorum Scriptores multa vel oblivione, vel industria prætermisse, quæ ad eruditionem Ecclesiasticam desiderabantur, ut testatur Usuardus vetus & celebris in eo genere Scriptor, in Epistola Nuncupatoria ad Carolum Magnum, dicens: *Venerabilium Hieronymi & Bedæ Presbyterorum piis, quamvis succinctis, super hoc provocabar Scriptis: quorum prior brevitati studens, alter verò quam plures Calendarii dies intactos relinquens, multa inveniuntur hujus Operis preteriisse necessaria.*

Et ut ad ipsum Adonem Viennensem veniamus, nonne ipse domesticos Ecclesiæ suæ Sanctos silentio præterit, ut Salonium Viennensem Episcopum,

* De Cemeleon. * De Nic. * De Venc.

cujus Sidonius Apollinaris meminit lib. 7. Epistolâ A 15. Scribit-ne aliquid idem Author de S. Pontio Cemelenensi * Episcopo & Martyre, qui Galliam Narbonensem Evangelica prædicatione imbuit? Quid de S. Basso Niciensi * Episcopo? Quid de S. Verano Venciensi * Antistite? Quid de Hospitio Eremita, qui in agro Niciensi reclusus vixit? Cujus tamen Gregorius Turonensis lib. 6. Historiæ Francorum cap. 6. & lib. de Gloria Confessorum cap. 97. & Aimoinus lib. 3. de Gestis Francorum cap. 38. honorificè meminerunt. Si igitur Ado Viennensis horum Sanctorum gesta, imò & nomina silentio præterit; quid mirum si B. Magdalenæ in Provin- B ciam appulsum, ejusque apud Balmam pœnitentiam & mortem; necnon Reliquiarum in oppido S. Maximini venerationem tacuerit?

Ratio autem hujus silentii inde velut à fonte repeti potest, quòd primus omnium Sanctorum gesta in Martyrologii formam redegerit Eusebius Cæsariensis anno circiter 340. qui cùm in Palæstina scriberet ea quæ in Provincia contigerant, quæque ibi credebantur Ecclesiastica Traditione, facilè ignoravit: unde diem S. Magdalenæ sacrum indicavit duntaxat, tacito loci nomine in quo mortem aspexit. Hoc porro Eusebii Martyrologium latinitate C donavit S. Hieronymus. Quæ versio subinde omnibus Authoribus Latinis, qui hoc de argumento scripserunt, regulæ instar exitit, scilicet Bedæ, Usuardo & Adoni. Unde quia Eusebii & S. Hieronymi Martyrologia locum obitûs SS. Magdalenæ, Marthæ, Lazari, Maximini, & regiones ubi illorum corpora quiescebant, non designabant; nec posteriores Scriptores, scilicet Beda, Usuardus, & Ado, aliquid hac de re inserere voluerunt, venerationis & religionis causâ erga S. Hieronymum, ut Martyrologium ejus hac in parte intactum maneret. Quæ conjectura usu ipso Aquensis Ecclesiæ probabilior evadit. Hæc enim, etsi multis à Sæcu- D lis historiam de appulsu SS. Magdalenæ, Marthæ & Lazari in Provinciam credat esse vetustissimam: tamen diem festum illorum non aliis quam Adonis verbis consignat, ut suus servetur honos antiquitati. Ita ob eandem rationem, Ado Martyrologiis Bedæ & Usuardi addere noluit locum in quo Magdalena, & alii Provinciæ Sancti Tutelares obierunt, aut in quo ipsorum conditæ erant Reliquiæ, quamvis illum apprimè nosset. Verùm Ecclesia Romana hunc scrupulum excutiens, addidit veteribus Martyrologiis, loci, in quo ex hac vita migraverunt, designationem his verbis: *Apud Massiliam, Natalis S. Mariæ Magdalenæ*, &c. E *Tharasci in Gallia Narbonensi, S. Marthæ*, &c. *Massiliæ in Gallia, Lazari*, &c.

Objicitur secundò. Si Magdalena, Martha, Lazarus & Maximinus in Gallias appulerunt, id non contigit nisi post martyrium S. Jacobi Minoris, anno scilicet Christi 62. siquidem Maria Jacobi & Maria Salome Sancti illius Apostoli caput secum transtulere; quod post illarum obitum, in Ecclesia S. Mariæ de Mari, juxta ipsarum sepulcra conditum est ut constat ex veteribus Monumentis Ecclesiæ illius, & ex Scriniis regiis Aquarum-Sextiarum. F Cùm itaque S. Lazarus jam annum ageret trigesimum, quando à Christo suscitatus est (teste S. Epiphanio Hæresi 66.) & triginta pariter annis Massiliensem rexisse feratur Ecclesiam: sequitur ipsum centum annos vixisse, & Magdalenam ejus sororem centenariam pariter obiisse; quod vix credi potest.

Aix en Provence.

Respondeo sequi duntaxat quòd 92. aut 94. annum attigerint Lazarus & Magdalena: verisimile namque est illam triginta ad summùm annos numerasse, cùm prædicatione Christi conversa fuit. Porro non est incredibile quòd ad eam ætatem vixerint Lazarus & Magdalena; nec superaret fidem, quòd centesimum annum egissent, si res ita se haberet; cùm dilectus Christi Joannes Apostolus 99. annos vixerit. Et certè singulari Dei providentiâ Viri Apostolici ad summam senectutem vixerunt, ut majori hominum multitudini testimonium de his, quæ ab Apostolis acceperant, perhiberent, ut notat Cardinalis Baronius in Martyrologio ad 9. Octobris, idque probat exemplis Sanctorum Dionysii Areopagitæ, Simeonis Hierosolymitani, Ignatii & Polycarpi.

Objicitur tertiò. Sanctus Lazarus obiit in Cypro, ergo non appulit in Provinciam, neque ibi martyrium subiit.

Probatur antecedens primò testimonio Honorii Augustodunensis qui in Sermone habito Dominicâ in Palmis, hæc scribit: *Pharisæi decreverunt ut Lazarus interficeretur; sed Deo de illo meliùs disponente, ad utilitatem Ecclesiæ reservatur: Nam fertur quod postmodum triginta annis in Cypro Ecclesiæ Episcopus præfuit.*

Secundò id probatur ex Prosa, quæ canitur in Ecclesiis Sancti Lazari Parisiensis, & Bellovacensis, quæ sic habet: *Discedit Lazarus, deserit patriam, mare transit, timens sævitiam Judæorum, devenit citiùs in Cyprum insulam, flos Sanctorum, Præsulatu sublimatus, mundo venit, Deo gratus, tandem per martyrium est à Deo coronatus, & in cælo collocatus, ordine cælestium.*

Respondeo, nego antecedens. Ad primam probationem dico primò, Sermonem illum Honorii Augustodunensis multis Eruditis suppositum videri, qui illum è Patrum Bibliotheca expungendum sentiunt. Dico secundò, laudatum Authorem istud non asserere ut certum, sed ut obscuro & incerto rumore jactatum: *Fertur*, inquit. Dico tertiò; quòd etsi fateamur Lazarum triginta annis fuisse in Cypro Episcopum, non sequitur quòd illâ in insulâ obierit, aut quòd alibi Episcopatum non gesserit: Potuit namque triginta annis regere Ecclesiam Cythiæ, deinde remeare Hierosolymam; ac demum cum Sanctis Sororibus, & Maximino, mare conscendere, & in Provinciam, appellere, ubi fundatâ Massiliensium Ecclesiâ, & pluribus annis administratâ, martyrium subiit. Ex quo diluitur secundum momentum ex Prosa petitum. Adde multa cani in privatarum maximè Ecclesiarum Officiis, quæ spongiâ indigeant, & quæ in dies emendantur: quod innumeris exemplis probari potest.

Objectio quarta * nititur authoritate Flodoardi lib. 5. de Triumpho Sanctorum Palæstinæ, dicentis;

*Hic prope Bethaniam tibi, Lazare Sancte, sepulcrum.*

Ex quo colligit Launoius ipsum non esse mortuum in Provincia, nec ibi sacras ejus Reliquias conditas esse.

Respondeo Lazarum, cùm bis mortuus fuerit, duplex sepulcrum habuisse. Primum in Bethania, ubi quatriduanus fœtebat, & unde à Christo suscitatus est: secundum in Provincia. De primo loquitur Flodoardus, non de secundo: ut constat ex sequentibus versibus, qui domum ejus pariter in Bethania sitam, fuisse conversam in Ecclesiam innuunt, quæ ipsi Lazaro, & Sanctis ejus Sororibus sacra sit:

*Unde quaterno postquam te Sole retentat.*
*Hæc domus Ecclesia est tua, Sororumque tuarum.*

Objicitur quintò. Maria Magdalena obiit Ephesi, non igitur in Provincia.

Probatur antecedens authoritate Modesti Patriarchæ Hierosolymitani, in Sermone *De Mulieribus*

A *ribus quæ unxerunt Dominum*, relato à Photio in Bibliotheca Codice 275. scribentis : *Historia tradunt Magdalenam, de qua Dominus septem dæmonia ejecit, hanc virginem fuisse, & martyrium hujus memoratur ; ubi dicitur, propter summam illius virginitatem & puritatem, illam tanquam vitrum purum, tortoribus visam fuisse. Post dormitionem Sanctissima Domina nostra Deipara, profecta est Ephesum ad Dilectum Discipulum, ubi cursum Apostolicum per martyrium unguentifera Maria perfecit, nocens ad extremum usque spiritum ab Joanne Evangelista, & Virgine separari.*

B Respondeo, Modestum Patrum Græcorum sententiam secutum, duas agnovisse Magdalenas, alteram virginem, alteram peccatricem : unde cùm eam, quæ Ephesi obiit, Virginem & Martyrem fuisse dicat ; nostram non excludit, quæ nec Virgo, nec Martyr fuit, sed peccatrix. Imo ex hoc colligitur quòd cùm una revera fuerit Magdalena, eaque peccatrix, hæc non Ephesi, sed in Provincia obierit. Quanquam fortè profecta Ephesum est, illucque Deiparam Virginem comitata : unde Ephesini sacra monumenta ipsi erexerunt ; indeque invaluit apud Græcos posteriores opinio, illam Ephesi obiisse. Attamen Græci Monachi, Cypri C degentes ingenuè fatentur ex veteribus monumentis Græcarum Ecclesiarum constare, Mariam Magdalenam, unà cùm Martha sorore, & Lazaro fratre, in Provinciam appulisse, ut constat ex Epistola P. Josephi Besson Societatis Jesu Professoris, datâ Alepi in Oriente, die 17. Aprilis 1660. ad P. de Gourdan, in Domo Aquensi, ejusdem Instituti, degentem ; qua testatur se, in collatione hac de re habita cum Cypriis Monachis, audivisse illos ingenuè professos, Magdalenam sororem Marthæ & Lazari, in Provincia sepultam fuisse.

D Objectio septima petitur ex antiquis Menologiis, & Anthologiis, aut Breviariis Græcorum, quæ in Officio Sanctæ Magdalenæ, die 22. Julii, aiunt ipsam obiisse Ephesi : *Quæ cùm ad Christum accessisset*, inquit, *secuta est eum. Hæc orta erat ex Magdalis, finibus Syriæ, à septem dæmonibus turbata. Post divinam igitur & sanctam Ascensionem, dum Ephesi cum Beato Joanne Theologo & Apostolo versaretur ; ubi sanctè obdormivit, & in ingressu spelæi collocata est, in quo sancti & beati septem Pueri quiescunt. Postea verò, cùm Leo felicibus auspiciis imperasset, illius ablatum inde corpus, in eodem cum Sancti Lazari Reliquiis templo, quod* E *Imperator ædificaverat, repositum est ; ubi quotannis Festivitas illius celebratur.* Ergo Maria Magdalena obiit Ephesi, adeòque falsa est Provinciæ traditio.

Respondeo, Græcos ex præconcepta opinione de duplici Magdalena, hæc scripsisse, quarum una virgo & martyr Ephesi obiisset, altera peccatrix & pœnitens in Provincia : vel Sancta aliqua temporibus Apostolicis longè recentior, Magdalena nomine, Ephesi floruit, obiit, atque sepulta est : cui propter nominis cognationem, eadem tribuerunt Græci, quæ Magdalenæ Evangelicæ conveniunt. F Græcorum porrò Menologiis & Breviariis, Modesti Hierosolymorum Episcopi, & Gregorii Turonensis testimoniis asserentibus Mariam sororem Lazari seu Mariam Magdelenam Ephesi obiisse ac sepultam esse, opponitur auctoritas Polycratis Ephesini Episcopi in Epistola ad Victorem I. Summum Pontificem & Romanam Ecclesiam, cujus fragmentum refert *Eusebius* lib. v. *Historiæ* cap. 24. ubi cùm magna lumina commemoret, quæ in Asia extincta sunt, quæ in die adventûs Domini ad Judicium resurrectura sunt, inter alios Sanctum Joannem Evangelistam, qui Ephesi extremum

Polycratis Epistolis Episcopi Sidem eloquens, probat Mariam sororem Lazari Ephesi non obiisse nec sepultam esse.

diem obiit, & Philippum Apostolum, qui Hierapoli, & duas ejus filias, quæ virgines consenuerunt, ibidemque sepultæ sunt, aliam quoque ejusdem filiam, quæ Spiritu-Sancto afflata vixit, & Ephesi requiescit : Mariæ tamen sororis Lazari sive Mariæ Magdalenæ tam opportuna occasione non meminit, illam utique commemoraturus, cùm ad illustrandam & commendandam Ecclesiam Ephesinam non minùs conduxisset ejus obitus & monumentum, quàm unius è filiabus Philippi. Secundo igitur sæculo res erat ignota Ephesinæ Ecclesiæ quòd Maria Lazari soror sive Maria Magdalena Ephesi obiisset ac sepulta esset.

Objectio septima ducitur ex facto Proculi Massiliensis Episcopi in Concilio Taurinensi * anno 397. in quo de primatu secundæ Provinciæ Narbonensis cum Patroclo Arelatensi Episcopo contendens, jus Ecclesiæ suæ ex Magdalenæ appulsu, & Lazari authoritate nequiquam vindicavit : atqui tam validum non omisisset argumentum ad antiquitatem nobilitatemque Ecclesiæ suæ probandam, si Beata Magdalena Massiliam appulisset, illamque rexisset Ecclesiam amicus Domini Jesu Lazarus : ergo tunc hæc in Provincia traditio non vigebat.

* De Turin.

Respondeo, distinguo Minorem. Tam splendidum non omisisset argumentum, si primatum sibi ex Ecclesiæ Massiliensis antiquitate & nobilitate deberi contendisset, concedo : si ex personalibus meritis, nego. Porro non arrogabat sibi primatum Proculus, quòd Massiliensem Ecclesiam Arelatensi antiquiorem & nobiliorem existimaret : sed quòd antiquior esset Narbonensis Provinciæ Episcopus, quòd plures ejusdem provinciæ rexisset Ecclesias, & omnes ferè consecrasset Episcopos. Et revera frustra jus suum vindicasset authoritate Lazari, siquidem Patroclus Arelatensis Trophimum priùs Lazaro in Provinciam appulisse, non difficulter forsan probasset. Illum fuisse contentionis statum, constat ex laudato Concilio. *Cum primo omnium*, inquit, *vir sanctus Proculus Massiliensis civitatis Episcopus, se tanquam Metropolitanum in Ecclesiis, quæ in secunda Provincia Narbonensi posita videbantur, diceret præesse debere : atque per se Ordinationes in memorata Provincia Summorum fieri Sacerdotum. Siquidem assereret easdem Ecclesias, vel suas fuisse ; vel Episcopos à se in iisdem Ecclesiis ordinatos : & è diverso ejusdem regionis Episcopi aliud defensarent, ac sibi alterius provinciæ Sacerdotem præesse non debere contenderent : Id judicatum est à sancta Synodo, contemplatione pacis atque concordiæ, ut non tam civitati ejus, quæ in altera provincia sita est, cujus magnitudinem nesciremus, quàm ipsi potissimum deferretur, ut tanquam pater filiis, honore primatûs adsisteret : Dignum enim visum est, ut quamvis unitate provinciæ minimè tenerentur, constringerentur tamen pietatis affectu. . . . .* Et infrà : *In diebus vitæ ejus hæc forma servabitur, ut in Ecclesiis Provinciæ secundæ Narbonensis, quas vel suas parochias, vel suos discipulos fuisse consisterit ordinatos, primatûs habeat dignitatem.* Hæc ibi.

## PROPOSITIO II.

*Corpus * Sanctæ Mariæ Magdalenæ in Sancti Maximini fano quiescit, Beatæ Marthæ sororis illius corpus Tarasci * colitur : Sancti Lazari corpus * Massiliæ primitùs conditum est.*

* S. Maximin.
* Tarascon.
* Marseille.

Quamvis hæc controversia ad eruditionem Ecclesiasticam non omnino necessaria sit, neque ad primum nominis Christiani seculum spectet : hanc tamen, occasione data, & ut Ordinis mei viris Magdalenæ Reliquias sibi vindicantibus gratificer,

hanc veritatem aggredior adversùs D. Launoium stabiliendam, non iis quidem argumentis, quæ ex veteribus Ecclesiasticæ Historiæ Scriptoribus, aut ex SS. Patrum testimonio repetantur; hujusmodi enim fateor nulla impræsentiarum occurrere: sed eo probationum genere, quæ traditionibus Ecclesiarum, & probatissimis instrumentis fulciantur; quæque adeo cordatos homines, & citra sobrietatem minimè criticos, movere possint.

Probatur itaque primò ex vetustissimis Schedulis in pergameno repertis in uno marmoreorum sepulcrorum, quæ terram subtùs abdita, piis curis & jussu Caroli II. Principis Salernæ, ac Siciliæ deinde Hierosolymorumque Regis, detecta sunt, anno Domini 1279. cujus Translationis meminere Bernardus Guido in Chronico Romanorum Pontificum, Jordanus & Ptolomæus Lucensis in Historiis MSS. laudatis ab Odorico Raynaldo ad annum 1279. num. xv. Una namque istarum Schedularum hæc habet: *Hic sunt reliquiæ B. Mariæ Magdalenæ.* Altera verò sic: *Anno Domini 1279. 15. Calendas Januarii magnificus vir Dominus Carolus, primogenitus illustris Regis Hierusalem & Siciliæ, Princeps Salernitanus, & Dominus honoris Montis Angeli, præsentibus venerabilibus dominis Aquensi & Arelatensi Archiepiscopis, & pluribus aliis Prælatis, invenit apud Sanctum Maximinum, in quodam sepulchro marmoreo, crypta ejusdem Monasterii, ex devotionis fervore, de corpore Beatæ Mariæ Magdalenæ exquirens, cedulam infrà scripti tenoris, videlicet: Anno nativitatis Dominicæ septingentesimo decimo sexto mensis Decembris, in nocte secretissimè, regnante Clodoveo piissimo Francorum Rege, tempore infestationis gentis Saracenorum, translatum fuit corpus hoc carissimæ & venerandæ Beatæ Mariæ Magdalenæ, de sepulcro suo alabastri, in hoc marmoreo, timore dictæ gentis perfidæ, & quia secretius est, hinc amoto corpore Cidonii.*

Porrò schedam primam ad quintum circiter sæculum esse referendam ex eo colligitur, quod de illa scribit Bernardus Guido Lodevensium Episcopus, qui florebat anno 1320. *Tunc & reperta fuit per eundem Carolum cum Prælatis, in tumulo memorato, Scriptura alia vetustissima, in quodam cartello cera undique exteriùs cooperto, quæ vix præ vetustate legi potuit, quæ talis erat: Hic requiescit corpus Mariæ Magdalenæ.*

At istud scriptionis genus in tabulis cerâ illitis, viguisse quinto sæculo constat, postea in usu fuisse non legitur. Constat (inquam) tunc viguisse, ex Sancto Hilario Arelatensi, qui in Laudatione Sancti Honorati Lirinensis * hæc scribit: *Unde splendidus mundo, splendidior cœlo, cumulus virtutis ejus B. Eucherius; cùm ab eremo, in tabulis (ut assolet) cerâ illitis, in proxima ab ipso degens insula, literas ejus suscepisses: Mel (inquit) suum ceris reddidisti.*

* S. Hilar. Arelat. in Vit. S. Honorati Episcopi Arelatensis, qui Lirinensis Monasterii fundator, & primus Abbas fuit.

Alterius verò Schedulæ conscriptio ad annum circiter 888. referenda est: namque mendum esse oportet in nomine, *Clodovei*, quo regnante translatio sancti Corporis facta dicitur, & legendum esse, *Regnante Odoino*, vel *Odone*, ut scribit Bernardus Guido: si quidem sub Clodovæorum aliquo, id est, sub prima Regum nostrorum Dynastia, nulla Saracenorum irruptio in Provinciam facta est. Contigit autem sævissima, regnante Odone * Comite Parisiensi, nomine Caroli Simplicis adhuc minoris, nempe anno 890. ut constat ex Concilio Valentino, quod eodem anno celebratum est, in quo, vacante Regno Arelatensi, post Bosonis obitum, Bernoinus Archiepiscopus Viennensis, Regem eligendum esse suadet, qui regnum ab infidelium invasione tueretur: *Quoniam*, inquit, *ex una parte Normanni cuncta penitus devastantes insistebant: ex aliâ verò, Saraceni Provinciam depopulantes, terram in solitudinem redigebant.* Porro si istius Schedulæ epocha anno 890. figi debet, optimè colligitur jam tunc vulgatam fuisse in Provincia traditionem, quòd Sanctæ Magdalenæ corpus in Sancti Maximini fano quiesceret.

* Eudes.

Hâc secundâ Schedulâ confodiuntur duo Magdalenæ Sammaximiniensis hostes, Græci nimirum, & Vezeliacenses Monachi. Nam Græci Magdalenæ corpus jussu Leonis VI. Imperatoris Epheso Constantinopolim translatum asserunt, anno 910. Istud autem falsi convincitur: siquidem viginti antea annis, scilicet anno 890. ex Schedula memorata, vindicatur Sammaximiniensibus sacri pignoris possessio. Vezeliacenses verò Monachi B. Magdalenæ corpus Aquis-Sextiis translatum esse Vezeliacum contendunt anno 876. aut 882. quod item arguitur falsitatis ex eadem schedula: nam Sammaximinienses ignorare non potuissent anno 890. quô hæc schedula conscripta supponitur, quid à decem, quindecimve annis, de B. Magdalenæ reliquiis actum esset; illas nimirum Vezeliacensibus Monachis concessas; neque illas sibi vindicassent, ac Saracenorum ingruentium metu sub terra condidissent.

Illæ porro Schedulæ inventæ sunt in theca lignea, unà cum Reliquiis B. Magdalenæ, quæ reserata est præsente Ludovico Magno Galliarum Rege, istius nominis XIV. nunc feliciter, & ad multos utinam annos regnante, 22. Februarii 1660. ut constat ex Actis ea de re confectis ab illustrissimo Archiepiscopo Avenionensi *de Marinis*, piæ memoriæ, qui sacras Reliquias in urnam porphyreticam ab Urbano VIII. Pontifice Maximo dono datam & benedictam, augustissimâ Curiâ spectante, intulit. Quod etiam constat ex Litteris Regiis ea de re editis, regioque sigillo munitis, quæ simul cum sacris Reliquiis in urna ista, ad posteritatis memoriam, reclusæ sunt.

Confirmatur ea aliis æquè vetustis Instrumentis, quibus complures Præsules à Carolo Salernæ Principe advocati testantur se interfuisse translationi Reliquiarum B. Magdalenæ, ex sepulcro marmoreo in capsam argenteam, factæ jussu ejusdem Principis, venerandique illius capitis fuisse spectatores, quod idem piissimus Princeps thecâ aureâ concludi curavit. Quæ Instrumenta multorum Episcoporum subscriptionibus munita, inventa sunt cum duabus aliis memoratis Schedulis. Horum Instrumentorum transsumpta refert vir eruditus Honoratus Buchæus in Opere inscripto: *Vindiciæ fidei & pietatis Provinciæ pro Cœlitibus illius Tutelaribus restituendis.*

Confirmatur secundò, ex Pontificio Diplomate Bonifacii VIII. dato Laterani 8. Idus Aprilis anno 1295. quo donationem Ecclesiæ & Conventus Sammaximiniensis à Carolo Principe factam FF. Prædicatoribus, authoritate Apostolica ratam habet: *Sane*, inquit, *habet insinuatio tua facta nobis, quòd ob magnæ devotionis affectum, quam ad Beatam Mariam Magdalenam geris, in Ecclesia S. Maximini Ordinis FF. Prædicatorum Aquensis Diœcesis, tunc ad Monasterium Sancti Victoris Massiliensis, Ordinis S. Benedicti, immediatè spectante, in qua est corpus dictæ Sanctæ reconditum, cultum divini nominis adaugeri desideras*, &c.

Probatur secundò, ex aliis Romanorum Pontificum Diplomatibus, scilicet ex Bulla Benedicti X. data Romæ 22. Januarii 1304. in qua de Ecclesia Sammaximiniensi ait: *In qua requiescit corpus M. Magdalenæ.* Ex Bulla item Joannis XXII. data Avenione 3. Decembris 1317. qua idem testatur; item ex Bulla Gregorii XI. data 12. Martii 1376. quâ Beneficium *de Casalis*, confert Conventui S.

Maximini, ac de illius loci Ecclesia ait : *In qua ejusdem* ( Magdalenæ scilicet ) *corpus sanctissimum requiescit.*

Item ex Bulla Clementis VII. qui à pluribus orbis Christiani Regnis legitimus Pontifex habitus est, apud S. Maximinum data anno 1379. in qua hæc habet : *Cupientes ut Ecclesia domus Ordinis FF. Prædicatorum de Sancto Maximino, Aquensis Diœcesis in qua hodie super altari, in quo caput B. M. Magdalenæ venerabiliter conservatur, Missarum solemnia celebravimus, congruis honoribus frequentetur*, &c.

Item ex Bulla Eugenii IV. data Florentiæ 4. Septembris anno 1442. quâ Indulgentias concedit amplissimas Fidelibus, qui sacram Balmæ Solitudinem pietatis causâ adierint, necnon Ecclesiam dictæ Sanctæ Magdalenæ apud Sanctum Maximinum: *In qua ipsius Sancta, ac diversorum aliorum eximiorum, de ipsius Salvatoris societate, Sanctorum corpora venerabiliter requiescunt.*

Item ex Bulla Sixti IV. data 1. Augusti 1477. qua plenariam Indulgentiam in annos singulos Fidelibus concedit, Ecclesiam S. Maximini adeuntibus, die qua Translatio Reliquiarum S. Mariæ Magdalenæ celebratur.

Item ex Diplomate Adriani VI. dato Romæ anno 1523. quo omnes immunitates à Decessoribus suis Sammaximiniensi FF. Prædicatorum Monasterio concessas confirmat.

Item ex testimonio Urbani VIII. qui summo pietatis affectu partem Reliquiarum B. Magdalenæ à Sammaximiniensibus Cœnobitis postulavit, atque obtinuit anno 1624. annuente & jubente Rege Christianissimo, Supremo Provinciæ Senatu decernente.

Probatur tertiò locupletissimo testimonio Roberti Regis Hierosolymorum & Siciliæ, necnon Comitis Provinciæ, in literis ad Priorem & FF. Prædicatores Sammaximinienses, datis Neapoli 7. Decembris 1337. quibus Sacellum in honorem Sancti Ludovici Tolosani Episcopi, fratris sui, extrui jubet : *Ut*, inquit, *B. Ludovici Confessoris mirifici, reverendi, & venerabilis carissimi fratris nostri, celebris habeatur reverentia, & veneretur festivitas, in regali nostro Monasterio Sancti Maximini, ubi B. M. Magdalenæ est pretiosum corpus reconditum, per claræ memoriæ Dominum patrem nostrum mirifica revelatione repertum, vobis imponimus & mandamus quòd prima Capella, quæ in eodem loco ædificabitur, sub ejusdem Confessoris vocabulo adstruatur.*

Probatur quartò testimonio Serenissimi Principis Renati Regis Hierosolymorum & Siciliæ, Ducis Andegavensis, & Comitis Provinciæ, qui S. Maximini magnificum Templum à Carolo II. inchoatum, singolari munificentia perfecit, multisque beneficiis & redditibus Conventum adauxit. Is scilicet veritatem Reliquiarum Sanctæ Magdalenæ ibidem collocatarum probavit, apertâ capsâ ab Eminentissimo Cardinali Fuxensi, * Avenionensi Legato, cui hoc munus imposuerat, 19. Aprilis 1448. ut constat ex authentico Instrumento, quod ea de re ab eodem Cardinali confectum est ; quod cum aliis monumentis vetustissimis inventum fuit in capsa lignea, coram Ludovico Magno Galliarum Rege nunc feliciter regnante, anno 1660. quod etiam constat ex Fastis Ecclesiæ Sammaximiniensis, & ex Scriniis Regiis Aquarum-Sextiarum.

* De Foix.

Probatur quintò, speciatim de Sancta Martha, quòd sacrum ejus corpus Tarasci conditum sit. Primò ex illius Inventione in Sacello ejusdem Ecclesiæ subterraneo, anno 1187. & ex Consecratione magnificentissimi Templi in honorem ejusdem Sanctæ, facta sub Imberto Arelatensi Archiepiscopo, & Rostagno Avenionensi, 1. Julii anno 1197. cujus rei fidem faciunt carmina vetustissimis characteribus inscripta ad latus majoris januæ ejusdem Templi, quorum hic tenor est :

*Viginti novies septem cum mille relapsis,*
*Anno postremo, nobis patet Hospita Christi*
*Mille ducentis transactis, minùs et tribus annis,*
*Imbertus Præsul, Rostagno Præsule secum,*
*In prima Junii consecrat Ecclesiam.*

Idem probat lapis marmoreus, cui hæc verba Romanis caracteribus inscripta sunt : BEATA MARTHA JACET HIC.

Idem probatur ex veteri Chronico, quod servatur in Bibliotheca Regalis Abbatiæ Sancti Victoris, ad calcem Operum Hugonis, in quo hæc habentur : *Corpus autem S. Marthæ dicitur esse sepultum apud Tarascum oppidum, prope civitatem Arelatensem.*

Probatur sextò de Sancto Lazaro, quòd nempe sacræ ejus Reliquiæ Massiliæ primitùs conditæ fuerint, ex facto Raimundi quarti Massiliensium Episcopi anno 1272. de quo in vetustissimo Instrumento, Massiliæ in arcula ferrea asservato, hæc leguntur : *Raimundus reliquias Sanctorum Lazari, Cannati, Mauronii, & Antonini Episcoporum Massiliensium ; necnon Sanctorum Adriani, & Victoris Martyrum Massiliensium ; aliasque scrinio ferreo inclusas, visitat, veneratur, & populo ostendit.*

Idem probatur ex veteri MS. quod asservatur in Tabulario Matricis Ecclesiæ Massiliensis ; ex quo constat, illum dicta in Ecclesia morem viguisse, antequam illius Canonici regularem togam exuerent, ante annum scilicet 1160. ut quotannis, die Natali Domini, solennis fieret Supplicatio, in qua cranium capitis Sancti Lazari deferretur, cæteris illius reliquiis Augustodunum jam translatis.

Idipsum probatur ex Pontificio Diplomate Benedicti IX. dato pro Consecratione Ecclesiæ S. Victoris Massiliensis, anno 1040. in quo recensens Reliquias eadem in Ecclesia religiosè asservatas, designat speciatim *Reliquias Sancti Lazari à Christo resuscitati.*

Probatur ultimò peremptoriis rationibus, illorum Sanctorum Reliquias in Provincia quiescere. Quid enim de sepulcris illis marmoreis à Carolo Salernæ Principe subtus terram inventis dicet Launoius, quorum in altero Magdalenæ pœnitentis historia mirabili opere sculpta erat, in altero illuminatio Cæci-nati ? Quæ sepulcra eadem elaborata erant anno 815. ut constat ex vetustissima Legenda libri quo utebantur quondam in Choro Monachi Sanctæ Magdalenæ de Mello, Diœcesis Bellovacensis, quæ Ecclesia Prioratus est Vezeliacensi subditus Abbatiæ. Hæc porro Legenda composita fuerit necesse est anno ipso 875. siquidem ejus Author describens immanitatem qua Saraceni in Christianos Aquis Sextiis degentes sæviebant, se testem illius incursionis oculatum fuisse innuit ; *Sicut ipsimet vidimus* ( inquit. ) Ut igitur ad institutum revertamur ; num Launoius hæc sepulcra, subterraneis in locis, pia fraude supposita fuisse effutiet ? Dicat itaque à quo tam insigne mendacium fabricatum fuerit. Dicat cur viri ex Provincia doctissimi & sanctissimi, sese fraudulentæ ( ut contendit ) Reliquiarum suppositioni non opposuerint : dicat quorum sint sacræ illæ Reliquiæ, quæ in Provincia coluntur, si non sunt SS. Magdalenæ, Marthæ, & Lazari, ut habet constans singularum illius regionis Ecclesiarum traditio.

Quid

Quid respondeat vir eruditus ad argumenta quæ sensibus ipsis probant Sanctæ Magdalenæ corpus in Provincia coli? Cujus generis est carnis frustulum mediæ fronti adhærentis, eo scilicet in loco, qui Christi contactu ipsam post resurrectionem repellentis, & dicentis, *Noli me tangere*, (ut piè creditur) sanctificatus est. Cujus etiam ordinis est phiala vitrea, terram Christi sanguine intinctam continens, quæ, juxta ejusdem Sanctæ Pœnitentis corpus, in illius sepulcro inventa est. Sit certè non solùm mente, sed & sensu captus oportet, qui hæc negaverit.

Provincialiũ ad Græcorum objectiones Responsa.

Objectio prima petitur ex Græcorum Menologiis, quæ Græcorum etiam Historicorum authoritate fulciuntur, scilicet Cedreni, Joannis Curopalatæ, & Zonaræ; qui reliquias Sanctæ Magdalenæ, & Sancti Lazari, jussu Leonis Imperatoris, Constantinopolim translatas scribunt, anno 886. Ergo non sunt primitùs conditæ in Provincia, sed Ephesi, unde in Regiam Urbem translatæ sunt.

Respondeo Græcos deceptos fuisse, vel plures fingendo Magdalenas, quâ opinione suppositâ, Magdalenam Lazari sororem Ephesi quiescere, & inde Constantinopolim translatam fuisse scripserunt; vel in odium Occidentalis Ecclesiæ, quæ illarum reliquiarum possessione gloriabatur, illas supposuisse sub Sanctæ Magdalenæ & Sancti Lazari nominibus; quod Græcis non insolens esse constat ex Epistola Clementis IV. Pontificis Maximi ad Serenissimam Isabellam Sancti Ludovici Regis Galliarum sororem data anno 1268. quam ipsam ab opinione dimovet, quæ ipsam fefellerat, quòd quædam Reliquiæ ex Græcia allatæ caput essent S. Pauli Apostoli: *Quòd si forsitan*, inquit, *caput B. Pauli Apostoli apud te esse putas, depone conscientiam, ne fallaris, nec ponas scandalum Matri tuæ Romanæ Ecclesiæ, quæ deceptionem hujusmodi non æquanimiter toleraret. Si verò Græci aliquo tempore se illud habere dixerunt, ne mireris: nam odio Latinos habentes, facilè sibi formaverunt mendacium, qui de fide mentiri catholica, quod est majus, minimè dubitarunt.* Hæc Epistola deprompta est ex MSS. Victorinis.

Objectio secunda petitur ex Gregorio Turonensi lib. 1. de Miraculis cap. 30. ubi de Epheso ita scribit: *In ea urbe Maria Magdalena quiescit, nullum super se tegmen habens, in ea septem Dormientes habentur.* Idem habet Autor Vitæ Sancti *Vvillibaldi* apud Surium Tom. 4.

Confirmatur authoritate Richardi Wassebourgi lib. 2. Antiquitatum Galliæ Belgicæ, ubi describens peregrinationem Sancti Magdalvei Virdunensis * Episcopi ad Sacra Loca, ait illum Ephesi vidisse illa quorum meminit Gregorius Turonensis, illumque obtinuisse ab Ephesinæ Ecclesiæ Sacerdotibus duos Beatæ Magdalenæ dentes, necnon partem capillorum ipsius: cùmque ex sacra illa peregrinatione redux esset, illum sua in Diœcesi extrui curavisse Ecclesiam in honorem Beatæ Mariæ Magdalenæ, in qua illas Reliquias collocavit.

* De Verdun.

Respondeo Gregorium Turonensem Græcorum fidem secutum, cum ipsis facilè errasse; quod mirum non est, cùm traditionem Ecclesiarum Provinciæ ignoraret, longéque degeret à Provincia.

Quod attinet *Sancti Vvillibaldi* Vitam ab Anonymo conscriptam vel à Surio interpolatam, respondetur, Sanctimonialem Hildenhemensem ejusdem Sancti Præsulis consanguineam, quæ longè ante Anonymum illum Vitam ipsius & peregrinationem in Terram Sanctam scripto commendavit, septem quidem Dormientium, non verò Beatæ Magdalenæ meminisse. *Inde*, inquit, *ambulaverunt in illum locum, ubi septem Dormientes requiescunt, & inde ambulaverunt ad Joannem Evangelistam in loco specioso secùs Ephesum.*

Ad confirmationem dico, Græcos simplicitate Sancti Pontificis Magdalvæi abusos fuisse; vel ipsos primùm hac in parte deceptos illum similem traxisse in errorem. Magdalvæo autem, & Græcis opponimus Romanorum Pontificum Diplomata, & aliorum veterum monumentorum fidem.

Objectio tertia nititur testimonio Baldrici Noviomensium * Episcopi, qui floruit anno circiter 1112. lib. 2. Chronicorum cap. 43. ubi de Badilone Monacho hæc habet: *Qui Badilo corpus Mariæ Magdalenæ de Jerusalem in Burgundiam, in loco Vezeliaco attulisse dicitur.* Ergo Hierosolymis primitùs conditæ fuerunt Sanctissimæ Pœnitentis Reliquiæ; indeque Vezeliacum translatæ sunt: nunquam igitur eas sibi jure vendicavit Provincia.

* De Noyon.

Respondeo, Baldricum illum erroris argui, cùm à Græcis, tum à Latinis: à Græcis quidem, qui non Hierosolymis, sed Ephesi conditum scribunt Sanctæ Magdalenæ corpus (alium licèt in errorem impingentes) & inde Constantinopolim translatum; à Latinis verò, qui vel in Sancti Maximini oppido quiescere illud contendunt; vel ex Aquensi territorio Vezeliacum à Badilone exportatum fuisse; qui ad sacras reliquias quærendas, & obtinendas, missus fuerat à Gerardo Ruscinonensi * Comite. Unde colligitur saltem Sanctæ Magdalenæ corpus primùm fuisse in Provincia conditum. Præterea incredibile videtur, quòd Græci integrum Sanctæ Pœnitentis corpus Badiloni facilè concessissent; si pretiosi adeo pignoris fuissent possessores.

* De Roussillon.

Objicitur quartò. Nunc saltem perperàm sibi vendicant Sammaximinienses Beatæ Magdalenæ corpus: cùm illud Vezeliacum * translatum fuisse, & ibi quiescere ab anno 875. vetustissima certissimaque monumenta testentur, & planè evincant.

* Vezelay.

Primò MS. antiquissimum Ecclesiæ Narbonensis, in quo habetur Badilonem Monachum Sanctæ Magdalenæ corpus Aquis-Sextiis ex tumulo marmoreo clam eduxisse, noctuque raptum, Vezeliacum transtulisse.

2. Testimonium Sigeberti in Chronico ad annum 745. scribentis: *Aquensi verò urbe à Saracenis desolatà corpus ejus* (nempe S. Magdalenæ) *à Gerardo Comite Burgundiæ ad Cœnobium Vezeliacum à se constructum transfertur. Quamquam aliqui scribant quòd apud Ephesum quiescat, nullum super se tegmen habens.*

Falsi convincitur Sigebertus: anno enim 745 nulla erat Vezeliaci Abbatia, quæ fundata tantum est circa annum 846. nec tunc natus etiam erat Gerardus Burgundiæ Comes, etiamsi dicemus ipsum obiisse centenarium: vità enim defunctus est Avenione, anno 849.

3. Testimonium Hugonis Pictavini Vizeliacensis Monachi, in Historia ejusdem Monasterii ab ipso conscripta anno circiter 1160. Vincentii Bellovacensis in Speculo Historiali lib. 23. cap. 152. quod inscribitur, *De Translatione corporis Sanctæ Mariæ Magdalenæ*, & cap. 153. ubi plura miracula Vezeliaci, per sacras Magdalenæ Reliquias patrata recenset. Ex S. Antonino, Tom. 1. tit. 14. capp. 2. 4. 5. Ex Petro de Natalibus lib. 6. cap. 124. Ex Wernero, in Fasciculo Temporum. Ex Jacobo de Voragine, in Legenda Sanctorum. Ex Innocentio III. Pontifice Maximo in Epistola ad Gerardum Abbatem Vezeliacensem, quæ extat lib. 2. Decretalium ejusdem Pontificis, in qua hæc habet: *Liceat insuper vobis, sicut à benignitate Sedis Apostolicæ instantiùs postulastis, ut in solennitate quam in Translatione Beatæ Mariæ Magdalenæ, infra Quadragesimam, annis singulis, celebratis, ad gloriam Dei & laudem, ob solennitatis*

*tis ipsius reverentiam*, Gloria in excelsis Deo, *ad Missas de festivitate ipsius, in Monasteriis vestris decantetis.*

10. Ex Bullis Clementis III. datis Pisis, anno circiter 1190. Urbani II. datis Veronæ, anno 1186. & Lucii II. anno præcedente datis.

11. Ex facto Martini IV. anno 1281. Is scilicet per fratrem suum Ægidium, qui Romam illum invisurus profectus erat, misit ad Archiepiscopum, & Capitulum urbis Senonensis unam ex costis B. M. Magdalenæ, quam ipse Pontifex à Monachis Vezeliacensibus obtinuerat, cùm Legationem Apostolicam in Galliis obiret: quo tempore illatio Reliquiarum ejusdem Sanctæ ex urna plumbea in capsam argenteam, eodem in Monasterio facta est, coràm Sancto Ludovico Galliarum Rege. Quod etiam testimonialibus ejusdem Sanctissimi Regis Literis confirmatur.

12. Ex Breviario FF. Prædicatorum, quod anno 1254. conscriptum est, extatque in Bibliotheca majoris Conventus ac Collegii Parisiensis ejusdem Ordinis: ibi namque in Lectionario hæc habentur, Lectione 6. dicenda in Festo Sanctæ Mariæ Magdalenæ: *Translatum est corpus Beatæ Mariæ Magdalenæ, de loco prædicto, ad Monasterium, quod dicitur Vezeliacum, anno Domini septingentesimo quadragesimo nono, Aquensi urbe à Saracenis devastatâ.*

Respondeo, falsam esse Vezeliacensium traditionem: etenim cùm subterranea absconsio corporis Beatæ Magdalenæ in Sancti Maximini fano, posterior sit prætensâ ejusdem sacri pignoris translatione Vezeliacum: (siquidem dicta translatio contigisse fertur anno 880. aut 875. absconsio verò memorata consignata anno 890.) Schedulam, quæ unà cum sacro corpore reperta est, quæque illud, Saracenorum ingruentium metu, aliud in sepulcrum illarum fuisse testatur, amoto corpore Cidonii, pariter posteriorem esse prætensa ista translatione necesse est. Ex quo sic colligo: Decem, aut quindecim annis post translationem prætensam corporis Beatæ Magdalenæ Vezeliacum, confectum instrumentum est, quod sacrum illud pignus in regali Monasterio Sancti Maximini quiescere testatur. Falsò igitur illud sibi vindicant Vezeliacenses: nec enim verisimile est Baidilonem Monachum noctu furari potuisse sanctum corpus (ut habet MS. Ecclesiæ Narbonensis) cùm namque Provinciales in illo & genus suæ gloriam & præsidium omne collocarent, illud non reliquissent piis prædonibus expositum: sed saltem Vezeliacenses furti postulassent. Quòd si liberali Sammaximiensium concessione illud Vezeliacenses obtinuere; cur decem, quindecimve post annos, Sammaximinienses asseruissent corpus illud sacrum, quod Saracenorum metu terram subtus condebant, Beatæ Mariæ Magdalenæ corpus esse? Nunquid ipsos tam citò pœnituisset donationis Vezeliacensibus Monachis factæ; vel tam subitò illius memoria periisset? Neque enim hic fraudis incusari Fratres Prædicatores possunt, cùm nedum Sancti Maximini Monasterium incolerent, sed in eo degerent Monachi Benedictini, sodales & commilitones Vezeliacensium.

Ad Historicorum testimonia respondeo, plurimos scripsisse ante inventionem corporis Sanctæ Magdalenæ apud Sanctum Maximinum anno 1279. unde cùm nihil in promptu haberent, quo possent Vezeliacenses agere mendacii, vel levioris fidei reos, ipsorum traditionem sunt secuti: Quod de Vincentio Bellovacensi dicendum est. Aut in locis à Provincia tam remotis scripserunt, ut ad ipsos non pervenerit Ecclesiarum illius regionis constantissima Traditio quod de Sancto Antonino, qui Florentiæ. Petro de Natalibus, qui Venetiis; * Jacobo de Voragine, qui Genuæ * scripsit, asserendum est.

* Venise

* Genes

Addo Vincentii Bellovacensis, & Sancti Antonini in rebus historicis authoritatem, levioris esse ponderis. Qua de re viri eruditissimi Melchioris Cani Canariensis Episcopi censuram subjicere placet, Lib. 11. de Locis Theologicis, ubi agit de humanæ Historiæ authoritate cap. 6. regulâ 2. *De Vincentio Bellovacensi*, inquit, *& divo Antonino, liberiùs judico: quorum uterque non tam dedit operam ut res veras certasque describeret, quàm ne nihil omnino præteriret, quod scriptum in schedulis quibuslibet reperiretur. Ita ad historiam unamquamque existimandam, momentoque suo ponderandam, non artificum stateris, sed ne populari quidem trutinâ usi sunt. Quamobrem boni licèt, ac minimè fallaces viri, quî tamen nec Authores eos, à quibus suos exscripsere libros, diligenter examinarunt, nec res justis libratas ponderibus memoriæ prodiderunt, apud Criticos graves atque severos authoritate carent.*

Ad Pontificia Diplomata respondeo primò quod respondet Launoius lib. 2. cap. 10. ad ea quæ pro Magdalena Sammaximiniensi proferuntur: *Hæc meræ facti, non dogmatis quæstio est*, inquit, *ex hominum testimoniis pendens, in quo potest quisque sanctissimus ac doctissimus fidei orthodoxæ professor aliquando falli.* Cùm ergo Pontifices laudati à Launoio suis in Diplomatibus asserunt corpus B. Magdalenæ Vezeliaci quiescere, id asserunt unum quod ipsis Vezeliacenses exposuerant: veriùs dicam, imposuerant. At in eo Vezeliacenses Monachi venerunt in suspicionem fraudis, aut nimiæ certè credulitatis. Fraudis suspicionem adversus illos ingerit Monasterii Vezeliacensis Historia ab Hugone Pictavino conscripta, & in lucem edita ab erudito viro Domno Luca Dacherio tomo 3. Spicilegii, ex qua constat in Charta Fundationis dicti Monasterii, & in Diplomatibus Pontificiis Nicolai I. Joannis VIII. Joannis XI. Marini, Benedicti VI. Benedicti VII. & Silvestri II. quibus fundatio ista confirmatur, altum esse de Sancta Magdalena & sacro ejus corpore silentium, in iisque tantùm haberi, quòd dictum Monasterium in honorem Salvatoris nostri Jesu Christi, B. Virginis, & beatorum Apostolorum Petri & Paul, erectum, fundatum, consecratum esset. Nihilominus anno 1050. annis ab istius Monasterii fundatione ferè ducentis, suadentibus dictis Monachis Vezeliacensibus, Leo IX. Pontificio Diplomati inseruit, Monasterium istud in honorem B. Mariæ Magdalenæ fuisse constructum. Quidni igitur dicamus, etiam alios Pontifices, suasu Vezeliacensium fratrum dixisse, B. Magdalenæ corpus quiescere Vezeliaci, quia viros religiosos ab omni fraude & mendacio prorsus abhorrere existimabant. Locum itaque hic habet illa Melchioris Cani regula lib. 11. cap. 5. *Imprudentium hominum erit*, inquit, *historias quasvis obiter etiam, & ad præsentem causam à Pontifice adductas, non aliter amplecti, atque eas quæ sint Ecclesiæ certo judicio comprobatæ.*

Joannes VIII. ad Concilium Trecense pergens, anno 878. dedicavit Ecclesiam Vizeliacensem nec tamen in suo Diplomate meminit S. Magdalenæ aut ejus Reliquiarum.

Anno 864. jam præsidebat Abbatiæ Vizeliacensi Eudo primus Abbas, ut notatur in Gallia Christiana, tom 4.

Respondeo secundò, Vezeliacenses quandam sacrarum B. Magdalenæ Reliquiarum partem forsan obtinuisse à Sammaximiniensibus, quam indefinito sermone corpus esse B. Magdalenæ jactitarunt. Unde in controversia Sammaximiniensium adversùs Vezeliacenses, pro Magdalenæ corpore, Salomonis instauraodum est judicium 3. Reg. cap. 3. *Dividite in duas partes*, &c. Hanc responsionem juvat Martyrologium Gallicanum illustrissimi D. Du-Saussay * Tullensium Episcopi, ad diem 8. Octobris, Reliquias Sanctæ Mariæ Magdalenæ *magna ex parte*, in Burgundiam à Sancto Badilone allatas memorans, & in Monasterio Vezeliacensi collocatas. Sic & Vezeliaci, & in Sancti

* De Toul

r Corpus S. Mariæ Magdalenæ, & Vezeliaci & in Provincia quiescere & coli verè dici potuit.

Maximini fano verè dici potuit quiescere & coli Sancti Mariæ Magdelenæ corpus, licet pars solùm quædam Vezeliacensibus concessa esset, secundùm regulam illam Theodoreti *In Dialogo* IMPATIBILIS: *Communibus nominibus etiam partem appellamus. In Sanctorum enim Apostolorum, vel Prophetarum, aut Martyrum Ædes sacras ingressi interrogamus, Quis situs est in arca? Qui autem verum norunt, respondentes, aut Thomam fortè Apostolum dicunt, aut Joannem-Baptistam, aut Stephanum Martyrum antesignanum, aut alium quempiam ex Sanctis nominantes, tametsi perexigua interdum reliquia condita sint, &c.* Ex hoc apud homines solenni loquendi modo ortum est, ut ejusdem Sancti corpus in variis plerumque locis esse dicatur, quia variæ Ecclesiæ Reliquiarum illius parte donatæ sunt.

Ex eodem principio responderi potest his quæ leguntur in libello Johannis Diaconi *De Ecclesia Lateranensi*, quem edidit Dom. Mabillonius in Appendice Ordinis Romani, Tom. II. *Musæi Italici* pag. 567. *In Lateranensi Basilica*, inquit, *in Choro Canonicorum est Altare Sanctæ Mariæ Magdalenæ, in quo reconditum est corpus ejus sine capite per manus Domini Honorii III. Papæ, qui ipsum Altare consecravit.*

Adde maxillam ejusdem Sanctæ Pœnitentis, quæ à Bonifacio VIII. Pontifice Maximo ad regalem Sancti Maximini Ecclesiam missa est, ita reliquo capiti coaptari visam esse, nullus ut scrupulus superesset, quin verum Beatæ Magdalenæ caput ibi coleretur. Id constat ex illustrissimo Cavallicensium Antistite, & S. R. E. Cardinali, D. Philippo de Cabassola, in *Vindiciis Sammaximiniensium adversus Vezeliacenses* ab ipso editis, quæ extant manuscriptæ in Bibliotheca regalis Abbatiæ Sancti Victoris Parisiensis.

Ad id quod profert Launoius ex Breviario Fratrum Prædicatorum anno 1254. conscripto, respondeo non esse mirum quòd Breviarium istud fidem Vezeliacensium secutum sit, cùm eo tempore fuerit conscriptum, quo subtùs terram adhuc latebat B. Magdalenæ corpus in marmoreo sepulchro, in quo, Saracenorum metu aliàs conditum fuerat: Non enim revelatum est sacrum istud depositum ante annum 1279. unde Ecclesiarum Provinciæ Traditio tot subinde confirmata monumentis, quæ tunc tenebris sepulta erant, veteris illius Breviarii testimonio anteponenda est. Sed si illius authoritate nititur Launoius quoad illud caput, quo Magdalenæ corpus translatum fuisse Vezeliacum asserit: cur eidem non adhæret quoad alterum & præcipuum caput, quo ipsam unà cum Martha & Lazaro fratre appulisse Massiliam, & post diuturnam pœnitentiam, ipsam sepultam fuisse Aquis-Sextus à Sancto Maximino testatur?

Objectio quinta depromitur ex Menologio quod Cardinalis Sirletus Latinitate donavit, quod 17. Octobris hæc habet: *Relatio pretiosarum Reliquiarum sancti & justi Lazari, quas Reliquias celeberrimus & fidelissimus Imperator Leo divino zelo commotus, in Templo pulcherrimo, sub ejus sancti viri nomine dicato, ex urbe Citiensi Constantinopolim translatas, in argenteis loculis reposuit.* Citium porro urbs est insulæ Cypri, ex qua Lazari translatio fieri debuit, ad annum circiter 886. quo Imperium Orientis Leo adeptus est.

Confirmatur ex magnis Menæis, ubi 17. Idus Octobris habemus hoc metricum prophonema:

*Constantinopolis relegens vestigia Christi*
*Talibus exclamat, Lazare, adesto foras.*

Respondeo primò Constantinopolim translatas A Reliquias Sancti Lazari ex insula Cypro, non ejus qui Magdalenæ & Marthæ frater fuit, sed alterius Monachi, qui Citii in Cypro floruit anno 832. cujus meminit Romanum Martyrologium 23. Februarii his verbis: *Constantinopoli, Sancti Lazari Monachi, qui cùm sacras Imagines pingeret, Theophili Imperatoris Iconoclastæ jussu, diris suppliciis excruciatur, & manus ei candenti ferro comburitur: sed Dei virtute sanatus, abrasas Imagines sanctas pingendo restituit, ac demum in pace quievit.* Porro Græci recentiores hunc Lazarum cum fratre Magdalenæ & Marthæ, ob nominis cognationem, incautè confuderunt.

B Respondeo secundò, nomine Reliquiarum, quas Menologia Constantinopolim translatas à Leone Imperatore tradunt, non esse necessariò intelligendum Sancti Lazari corpus; sed alia quævis illius olim usibus inservientia, ut vestes, ornamenta ecclesiastica, aut alia hujusmodi, æquè intelligi posse: siquidem Menologia illa corporis disertè non meminerunt. Transtulerit igitur Leo Augustus istius generis reliquias Constantinopolim, nusquam evincetur illuc ipsum transtulisse sacrum Lazari corpus, quod sibi jure merito Massilienses vindicarunt.

Respondeo tertiò, Sanctum Lazarum Cyprum C forsan profectum fuisse, ibique gessisse Episcopatum, antequam in Provinciam appelleret. Unde contingere potuit ut Cyprii, in grati animi significationem ipsi templum erigerent, & obtentam à Massiliensibus sacrarum illius reliquiarum partem in illo collocarent: quas inde Leo Augustus transferri jussit Constantinopolim. Hæc solutio confirmatur ex Menologio Græcorum typis mandato Venetiis anno 1628. & ex Vitis Sanctorum ibidem excusis, anno 1630. in quibus hæc habentur: *Leo mittens in Insulam Cypri invenit has sanctas Reliquias in urbe Citiorum, sub terra reconditas, ferè à mille annis, in loculo marmoreo,* D *in quo insculptum erat aliena lingua characteribus: Lazarus quatriduanus, & amicus Christi.* Ex quibus colligo, illam inscriptionem in Cypro Insula factam non fuisse, sed in regione remota, in qua alienum idioma à Græco vigebat; indeque Citium cum sacris Reliquiis translatam. Non aliunde porro huc transferri potuit, quàm ex Provincia, ubi occubuisse Lazarum probavimus.

Objectio sexta arcessitur ex diversarum Ecclesiarum Martyrologiis, quorum alia ad 14. Calendas Februarii hæc habent: *Hierosolymis, Martha, & Maria sororum.* Alia verò: *In Hierosolyma, Natalis Mariæ, & Marthæ, sororum Lazari.* E Ex quibus liquet Hierosolymam locum esse, unde Sancta Martha in cœlum evolavit, ac ubi sepulta est.

Respondeo ineptè colligi quòd Sancta Martha obierit Hierosolymis, ex eo quod ejus memoria hac in urbe recoli significetur in Fastis Ecclesiasticis: alioqui & Sanctam Magdalenam Hierosolymis obiisse inferendum erit, quia consignatur ejus memoria illis in Martyrologiis, ut Hierosolymis ritu solenni celebrata. Quod si ita est, Ephesina Launoii Magdalena evanescet. Dico itaque diem illum 14. Calendas Februarii non esse diem F obitûs Sanctæ Marthæ, uti nec Sanctæ Magdalenæ; cùm ipsa Menologia, & Menæa Græcorum illius è sæculo migrationem consignent 29. Julii, istius verò 22. sed diem domûs illarum consecrationi in Ecclesiam sacrum: qui in vetustissimo Ecclesiæ Metropolitanæ Aquensis MS. Martyrologio notatur 16. Calendas Januarii, his verbis: *Beati Lazari, quem Dominus Jesus in Evangelio legitur resuscitasse à mortuis. Item B. Marthæ sororis ejus, quorum memoriam venerabilem extructa Ecclesia,*

non

*non longè à Bethania, ubiù vicino domus eorum fuit, conservat.*

Similis Responsio adhibetur ad Martyrologium S. Laurentii Bituricensis, in quo hæc leguntur: * *Undecimo Kalendas Augusti, apud Ephesum Sancta Maria Magdalena.* Non enim significat quòd Maria Magdalena Ephesi obierit, sed quòd ibi colatur. Vel Gregorii Turonensis lectione Auctor Martyrologii deceptus est.

Launoii hallucinatio castigatur.

Respondeo secundò, in Martyrologio Romano necnon in Martyrologiis Bedæ, Usuardi, & Adonis, 14. Calendas Februarii, de Martha & Maria sororibus nihil omnino haberi. * In Romano quidem hæc leguntur: *Romæ via Cornelia, Sanctorum Martyrum Marii & Marthæ conjugum, & filiorum Audifacis, & Abachum, nobilium Persarum, qui Romam temporibus Claudii Principis ad orationem venerant: è quibus post toleratos fustes, equuleum, ignes, ungues ferreos, manuumque præcisionem, Martha in Nympha necata est, cæteri sunt decollati, & corpora eorum incensa.* Eorumdem Venerabilis Beda hac die, & Usuardus die sequenti meminerunt. Ado eorumdem memoriam consignat 13. Calendas Februarii his verbis: *Romæ Natalis Sanctorum Marii & Marthæ, cum filiis suis Audifax & Abacuc, nobilium de Perside,* &c. ut in Martyrologio Romano. Unde Launoii hallucinatio stupenda est, qui ex Roma Hierosolymam: ex Mario & Martha conjugibus, Mariam & Martham sorores fecit.

## OBSERVATIO HISTORICA.

Fictitium miraculum explodimus.

FICTITIUM est Miraculum, quod à quibusdam Authoribus refertur, liberationis Caroli II. Salernæ Principis è Barcinonensi carcere, B. Mariæ Magdalenæ virtute, nulla ope humana, ejusque Narbonam usque mirabilis translationis.

* Barcelone

Refert Sylvester Prieras ex quodam Chronico MS. B. Magdalenam Carolo per Alphonsum Aragonum Regem Barcinone * detento, semel & iterum se adspectabilem præbuisse, eum è custodia noctu eduxisse, ac prope Narbonam constituisse ipso die eidem sacro; quo loco ejus reliquiæ laterent, indicasse; utque inventas honorificentiùs collocaret, ac ibi Conventum Fratribus suis, id est, Prædicatoribus, extrueret, dotaretque præcepisse. Idem miraculum ipsis Prieratis verbis describit Bzovius ad annum 1284. verùm eam liberationem anilem fabulam esse facilè ostendemus.

Primò, quia liberatio Caroli non contigit ante annum 1288. sub Nicolai IV. Pontificatu. At inventio corporis B. M. Magdalenæ, ejusque laudati Principis jussu, in loco honoratiori collocatio, facta jam fuerat anno 1279. antequam captivus fieret. Falsum igitur est, quòd Magdalena ipsum liberaverit, ea conditione ut ejus reliquias è terra erueret, ac honorificentiùs collocaret.

Secundò, redemptum esse illa ex captivitate Carolum, omnium gentium Historici testantur. Nicolaus IV. ipso sui Pontificatus initio, Idibus Martii, Nuntios misit duos Archiepiscopos, Ravennæ, & Montis-Regalis, ad Alphonsum Aragonium, ut cum eo de liberatione Caroli agerent, diemque ei dicerent, quo se intra sex menses sisteret, rationem de omnibus Summo Pontifici redditurus: alioqui divinarum legum humanarumque judicio contra ipsum ageretur. Id constat ex Epistola Nicolai IV. ad ipsum data. Monuit etiam Summus Pontifex, & rogavit Philippum Galliarum Regem, & Eduardum Angliæ, ut unà cum Joanne Choleto Cardinali Sanctæ Cæciliæ, Legato Apostolico, agerent de procuranda Serenissimi Principis libertate.

* Le Traité d'Oleron.

Convenientibus porro Eduardo & Alphonso Regibus ad ipsa Pyrenæi culmina, in vico Campi-Franci, deductoque etiam illuc ipso Principe captivo, ut coram pacta Olorone, * anno superiori, conventa, jurejurando firmaret: id ab eo præstitum est 4. Calendas Novembris, tribus filiis obsidibus datis, & triginta millibus nummorum numeratis, promissisque insuper viginti mille in futurum persolvendis.

Rem ita gestam esse testantur gravissimi Historici: ex Gallis Gulielmus Nangius, & Paulus Æmilius, in *Philippo Pulchro*: ex Italis, Joannes Villani lib. 7. cap. 114. Ptolomæus Lucensis 24. Historiæ, Sanctus Antoninus tit. 20. cap. 4. §. 9. Blondus lib. 2. Decadis secundæ c. 8. Platina in *Nicolao IV.* ex Hispanis Surita lib. 2. Mariana lib. 14. cap. 12. ex Anglis Walsinghamus in *Eduardo I.* & alii quos vel commemorare longius esset.

Ita Guillelmus Nangius ad annum 1288. *Princeps Salernæ Carolus de Regis Arragonum carcere liberatur, eo pacto quòd redderet magnam summam pecuniæ, & pacem pro posse suo Arragonensium erga Romanam Ecclesiam & Regem Franciæ procuraret; quòd si procurare minimè posset, infra triennium, prout jurare compellitur, reverteretur ad carcerem, & donec ista complevisset, obsides tres de filiis suis, & Nobiles quadraginta tradere coactus est.*

Ita Sanctus Antoninus. *Carolus Princeps, qui captus detinebatur à Rege Aragonum, post quatuor annos suæ captivitatis, anno scilicet Domini 1288. liberatus fuit à dicta captivitate, ad hoc operante & procurante Eduardo Angliæ Rege: cum hoc pacto quod promisit Regi Aragonum Alfonso juxta posse suum dare operam quòd Dominus Carolus germanus Regis Franciæ renuntiaret cum assensu & voluntate Papæ privilegio & juri Regni Aragoniæ, quod ei concesserat Ecclesia tempore Martini Papæ. Quod si non obtineret, promisit & juravit se rediturum in carcerem Regis Aragonum, cùm intra tres annos à die liberationis suæ computandos hoc non fieret. Et ad confirmationem prædictorum dimisit dictus Carolus Rex tres ex suis filiis, scilicet Robertum, Raymundum & Johannem obsides, & quinquaginta Milites suos strenuos Provinciales. Et pro redemtione insuper dedit triginta millia marcarum in Carlenis. Sicque dimissus liber Carolus perrexit in Franciam.*

Ita Paulus Æmilius: *Eduardus Rex per Legatos de compositione agens, pervicit ut fœdus his legibus iceretur, ut Carolus Claudus dimitteretur: viginti millia pondo argenti penderet: Pontificem Maximum exoraret, ut Tarraconensibus jus Siciliæ Insulæ adjudicaret: eosque inducto dirarum Decreto in gratiam reciperet: Carolo Valesio Comiti persuaderet, uti cederet jure Regni Tarraconensis, quod Martinus Pontifex ei attribuerat. Ea omnia nisi intra triennium præstaret, in custodiam, unde emitteretur, rediret: ea ita futura obsides daret: quos & dedit duos ex filiis, Robertum miræ indolis, & Ludovicum miræ sanctitatis adolescentulos: ac quadraginta præterea è Provincia Phocensi nobiles viros. Ita deportatus è Sicilia exercitus. Quarto quàm captus fuerat anno Claudus Rex in Franciam ex Hispania rediit.*

Ita Walsinghamus. *Anno gratiæ 1289. Carolus filius Caroli Regis quondam Siciliæ, Princeps Achaiæ, procurante Rege Angliæ, liberatur è carcere, sub hac forma, videlicet quod data Regi Aragoniæ certa summa pecuniæ, ipse Carolus a Domino Papa pacem Aragonensibus impetraret; quam si infra terminum limitatum impetrare non posset, rediret ad carcerem: quibus conditionibus juramento firmatis, tradere debebat Carolus tres filios suos obsides, &*

*alios Milites nobiles 40. pro quibus, quousque venirent, Rex Angliæ liberationem Caroli accelerans, nobiles Viros, qui secum erant obsides tradidit, & pecuniam usque ad triginta millia librarum persolvit.*

Ita Mariana: *Ut Oleronem Anglus & Aragonius convenirent, de rebus omnibus collocuturi, statuitur. In eo colloquio summa Angli Regis contentione Carolo Salernitano Principi libertatem intra annum reddi impetratum, his legibus. Siciliæ Regnum Jacobo cederet, Pontifice Maximo, ut annueret, Aragoniosque anathematis Religione solveret, curaret. Carolus Valesius jure Aragonii Regni decederet, quod à Martino Pontifice erat datum. Eidem viginti millia pondo argenti penderentur. Ea omnia nisi intra triennium præstita essent, in custodiam rediret. Interimque obsides daret tres filios, præterea e Provincia Phocæensis Nobilitate Viros LX. Salutis anno 1288. Carolus ab Aragonio dimissus in Galliam abiit.*

Denique Nicolaus IV. Pontifex Maximus in Epistola ad Philippum Pulcrum Regem Christianissimum Leges acerbissimas quibus ab Aragonio Rege libertati restitutus est Carolus, recenset; quas ut ab æquitate abhorrentes, nec in Caroli potestate sitas, Auctoritate Apostolica rescidit anno sequenti, ipsumque Carolum è carcere emissum Siciliæ Regem coronavit. Pontificiæ Epistolæ fragmenta Annalibus Ecclesiasticis inseruit Odoricus Raynaldus ad annum 1288. Num. 16. sed & Anonymus *De Rebus Siculis* Autor ex MS. *Com. Ubal.* ab eodem citatus, Carolum non esse restitutum libertati nisi filiis obsidibus datis testatur his verbis: *Dimissis in Catalonia pro vadimonio & securitate Roberto & Aloysio Caroli II. filiis, Carolus ipse extitit à dictis carceribus liberatus.* Ex his omnibus compertum est fictitium esse miraculum, quo Sylvester Prieras & Bzovius Carolum II. à Sancta Maria Magdalena ex Barcinonensi carcere liberatum memorant. Immeritò itaque mihi insultavit Frater noster *Piccinardi* Doctor & Theologiæ Professor Italus, quòd Miraculum illud explodere ausus fuerim.

AD

## PRÆCEDENTEM DISSERTATIONEM MANTISSA.

*Utrùm una sit, vel multiplex Mulier Evangelica, quæ Dominum unguento perfudit?*

QUIA de opinione Græcorum plures Magdalenas Evangelicas fingentium, sive plures Mulieres quæ Christum Dominum unguento perfudisse memorantur, mentionem injecimus, operæ pretium est hoc argumentum expendere, cujus ex tractatione lux non minima Dissertationi præcedenti afferetur.

Controversiæ cardo in hoc vertitur, utrum ea mulier, quæ Lucæ 7. Domini pedes unxit, & peccatrix appellatur, eadem sit quæ Matthæi 26. & Marci 14. ejusdem Servatoris caput unguento perfudisse narratur, ac rursus eadem quæ Joannis 12. pedes duntaxat significatur unxisse, sororque Lazari Joannis 11. nuncupatur. Sive utrùm etiam illa ipsa mulier quæ Christum refertur unxisse iis locis, sit eadem cum Maria Magdalena, ex qua septem dæmonia exiisse dicuntur Lucæ 8. An verò plures mulieres iis locis intelligere oporteat.

## PROPOSITIO.

*Græcorum Patrum nonnulli plures mulieres Evangelicas unctrices Domini asseruerunt. Latini Patres contrariam plerumque propugnarunt sententiam. Porrò licèt neutra opinio Scripturæ sacræ palàm apertèque repugnet: eidem tamen magis consona est Latinorum Patrum assertio Mulierem unicam statuentium.*

Probatur prima pars ex Græcorum Patrum monumentis, quorum agmen ducit S. Irenæus lib. 3. adversùs Hæresescap. 14. ubi probat quòd *plurima & magis necessaria Evangelii per S. Lucam cognovimus.* Et inter alia in exemplum affert eorum quæ solus memorat S. Lucas, *Quomodo apud Pharisæum recumbente Christo, peccatrix mulier osculabatur pedes ejus, & unguento ungebat.* Significat itaque hujus peccatricis nullam fieri apud cæteros Evangelistas mentionem, adeòque non esse eandem de qua Sancti Matthæus & Joannes loquuntur.

Sequitur Origenes, qui mulierem peccatricem, de qua S. Lucas, apertè distinguit ab illa de qua Evangelistæ cæteri, cujus sanctitatem commendat. Quin & illam de qua Matthæus & Marcus, ab ea distinguit de qua Joannes. Sic enim habet Homilia 1. in Canticum Canticorum: *In Evangelio quoque mulier accipiens alabastrum unguenti nardi pistici pretiosi, caput Jesu, pedesque perfudit. Observa diligenter, quæ de duabus super caput effuderit Salvatoris. Siquidem peccatrix super pedes, & ea quæ dicitur non fuisse peccatrix, super caput ejus fudisse monstratur..... Impleta est utique odore unguenti domus. Si quid peccatrix habuit, ad pedes referendum est: & si quid ea quæ non peccatrix, ad caput.*

Et Homilia 2. *Loquitur Evangelium*, inquit, *quia venit mulier habens alabastrum unguenti nardi pistici pretiosi, non illa peccatrix, sed sancta, de qua nunc mihi sermo est. Scio quippe Lucam de peccatrice, Matthæum verò & Joannem, & Marcum non de peccatrice dixisse. Venit ergo, non peccatrix illa, sed sancta, cujus nomen quoque Joannes inseruit. Maria quippe erat habens alabastrum unguenti nardi pistici pretiosi, & effudit super caput Jesu.*

Et Tractatu 35. in Matthæum, hanc operosiùs tractans quæstionem, hæc habet: *Multa similitudo & cognatio quædam de muliere apud quatuor Evangelistas. Dicam tamen ad eos qui arbitrantur unam fuisse mulierem, de qua omnes Evangelistæ scripserunt: Putas quòd hæc mulier, quæ effudit super caput Jesu pretiosum unguentum, sicut Matthæus & Marcus exposuerunt, ipsa & myrrha unxit pedes ipsius: sicut Lucas & Joannes exposuerunt? Non est autem possibile ut de eadem muliere exponentes Evangelistæ, cum essent consummati in eodem intellectu, & in eodem spiritu, & in eadem sententia, contraria sibi dixissent. Si autem aliquis arbitratur ipsam fuisse quæ unxit unguento Domini pedes apud Lucam & Joannem, dicat nobis si Maria ipsa erat quæ apud Lucam fuisse scribitur in civitate peccatrix. Nec enim credibile est ut Maria quam diligebat Jesus, soror Marthæ, quæ meliorem elegerat partem, peccatrix in civitate fuisse dicatur.* Infrà: *Forsitan ergo quis dicit quatuor fuisse mulieres, de quibus conscripserunt Evangelistæ; ego autem magis consentio tres fuisse: & unam quidem de qua conscripserunt Matthæus & Marcus, alteram de qua scripsit Lucas; aliam autem de qua scripsit Joannes: quoniam differt ab aliis mulieribus, non solùm in his quæ scripta sunt de unguento: sed quoniam & diligebat Jesus Mariam & Martham, quamvis & ipsa in Bethania referatur fuisse, sicut & mulier de qua exponunt Matthæus & Marcus. Tertia differentia est, quoniam Matthæus quidem & Marcus in domo Simonis Leprosi hoc factum fuisse exponunt: Joannes autem quoniam Jesus ante sex dies Paschæ venit in Bethaniam ubi erat Lazarus, quem suscitaverat Jesus, & fecerunt ei cœnam: & non simul, sed Maria*

&

*& Martha forìs & Lazarus : & Martha ministrabat ; Lazarus autem erat unus ex discumbentibus. Adhuc autem secundum Joannem : Ante sex dies Pascha venit in Bethaniam, quando & fecerunt ei cœnam Maria & Martha. Hic autem, quando & recumbente in domo Simonis Leprosi, accessit ad eum mulier, post biduum Pascha erat futurum. . . . . Ex his ergo & aliis, quæ & ipse poteris observare, certum est quoniam aut sibi contraria dicunt Evangelistæ, ut quidam eorum mentiatur : aut si hoc impium est credere, necesse est dicere non de eadem muliere omnes conscripsisse Evangelistas ; sed aut de tribus, aut de quatuor dices aliquis paulò audacior.* Nec opponi jure potest Homilia Origenis in illa verba Joannis : *Maria stabat ad monumentum foris plorans.* Quasi in illa asserat, unam eandemque mulierem esse quæ apud S. Lucam peccatrix dicitur, & cui apud Joannem Dominus Jesus primùm apparuisse traditur : illa enim Homilia non est Origenis, sed Authoris Latini longè recentioris.

Accedit S. Joannes Chrysostomus Homiliâ 81. in Matthæum, ubi exponens illa verba capitis 26. *Cum esset Jesus in Bethania, in domo Simonis Leprosi, accessit ad eum mulier habens alabastrum unguenti*, &c. hæc habet : *Hæc mulier una & eadem apud omnes Evangelistas esse videtur : meo autem judicio, eadem est apud tres : alia verò quædam & mirabilis Lazari soror apud Joannem.* Et Homiliâ 61. in Joannem, explicans illa verba : *Erat quidam languens Lazarus à Bethania, Castello Mariæ & Marthæ sororis ejus ; Maria autem erat quæ unxit Dominum unguento*, hæc habet : *Hoc in loco nonnulli dubitarunt cur Christus id tolerasset. Ad quod illud primum intelligendum, non fuisse hanc meretricem illam, de qua apud Matthæum & Lucam scribitur, sed aliam. Illæ meretrices & infames erant : hæc honesta & studiosa ; quippe quæ Christum recipere curabat, & eum cum Sorore, diligebat.*

Ad hæc Author Commentariorum in Evangelium Lucæ Tito Bostrorum Episcopo inscriptorum, quæ extant tomo 2. Bibliothecæ Patrum Græco-Latinæ, exponens illa verba capitis 7. *Et ecce mulier quæ erat in civitate peccatrix*, &c. ait ; *Hæc Mulier, neque ea est cujus fit mentio apud Matthæum, nec ea rursum cujus apud Marcum, nec ea tandem cujus apud Joannem. Siquidem illæ paulò ante Dominicam Passionem fecerunt, quæ fecisse scribuntur : hæc autem circa Evangelicæ Prædicationis medium, aut citiùs.*

Laudavi Commentarios Tito Bostrensi inscriptos, quia non sunt germanum illius Opus, sed alterius Authoris Græci posterioris. Titus namque Bostrensis floruit sub Juliano Apostata, & obiit sub Valente, ut testatur S. Hieronymus in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum. Hic autem Author longè recentior est, cùm SS. Chrysostomum, Isidorum Pelusiotam, & Cyrillum laudet.

Sanctus etiam Macarius Homiliâ 12. Mariam Lazari sororem à peccatrice muliere distinguit. *Cornelius*, inquit, *ex verbo audito consecutus est virtutem : Quantò magis cùm Dominus loqueretur verbum cum Maria, Zacchæo, aut Peccatrice, quæ solutis capillis abstergebat pedes Domini, aut Samaritana, aut Latrone, emittebatur virtus, & cum eorum anima permixtus est Spiritus Sanctus?*

Denique Theophylactus in cap. 14. S. Marci à S. Thoma laudatus in Catena Aurea, plures mulieres quæ Christum unxerunt, sicut plures unctiones fuisse asserit. *Quamvis autem*, inquit, *quatuor Evangelistæ unguentum mulieris commemorent ; non est tamen una, sed duæ : una quidem quæ describitur à Joanne, quæ soror est Lazari ; quæ scilicet ante sex dies Paschæ unxit pedes Jesu : alia verò quæ à reliquis tribus Evangelistis describitur. Adhuc autem si attendas, invenies has tres esse. A Joanne enim una describitur ; altera verò à Luca, à duobus verò reliquis altera. Quæ enim à Luca describitur, meretrix esse dicitur, & in medio prædicationis tempore ad Jesum venisse : hæc vero quæ à Matthæo & Marco describitur, dicitur in tempore Passionis venisse ; nec peccatricem eam fuisse fatendum est.*

Probatur secunda pars Propositionis, proferendo Latinorum Patrum testimonia, inter quos primus occurrit Tertullianus lib. de Pudicitia cap. 11. *Si Dominus*, inquit, *peccatrici fœminæ etiam corporis sui contactum permisit, lavanti lacrymis pedes ejus, & crinibus detergenti, & unguento sepulturam ipsius inauguranti, nihil ex hoc adversarius confertur, etsi jam Christianis veniam delictorum præstitisset.* Ubi eandem quæ lacrymis lavit pedes Christi, supponit eam esse, quæ ad inaugurandam Christi sepulturam postmodùm eum unxit : atque adeo eandem esse mulierem quæ Joannis 12. id præstitit prope festum Paschæ, cùm illius tantùm unctionis mentio fiat occasione sepulturæ ; & nullum apud S. Lucam de sepultura verbum habeatur.

Succedit S. Hieronymus Præfatione in Osee Prophetam ad Pammachium, ubi explicans quod à Deo jussum est Prophetæ de muliere fornicatoria ducenda, hæc habet : *Hæc est mulier meretrix & adultera, quæ in Evangelio pedes Domini lacrymis lavit, crine detersit, & confessionis suæ honoravit unguento ; indignantibusque Discipulis, & maximè Proditore, quòd non fuisset venditum, & pretium illius in alimenta pauperum distributum, Dominus respondit : Quid molesti estis mulieri ? opus enim bonum operata est in me.* Ubi simul conjungens quæ de muliere Christi unctrice Lucæ 7. Matthæi 26. Marci 14. & Joannis 12. referuntur, eandem omnino personam esse significat, de qua omnes Evangelistæ locuti sunt.

Eidem sententiæ suffragatur S. Ambrosius lib. 6. in Lucam : *Hanc ergo mulierem*, inquit, *indicio S. Matthæus supra caput Christi effundentem unguentum : & ideo fortè noluit dicere peccatricem. Nam peccatrix, secundum Lucam, supra Christi pedes effudit unguentum.* Eandem igitur mulierem innuit S. Ambrosius, quæ apud Lucam & S. Matthæum Christum Dominum unxerit : adeóque & eandem apud S. Joannem, cùm eadem de unctione SS. Matthæus & Joannes loquantur.

Eam sententiam luculentissimè omnium S. Augustinus confirmat lib. 2. de Consensu Evangelistarum cap. 79. ubi Matthæi 26. caput cum 7. Lucæ conferens, ait : *Nihil itaque aliud intelligendum arbitror, nisi non quidem aliam fuisse mulierem, quæ peccatrix tunc accessit ad pedes Jesu, & osculata est, & lavit lacrymis, & tersit capillis, & unxit unguento, cui Dominus adhibita similitudine de duobus, ait dimissa esse peccata multa, quoniam dilexit multùm ; sed eandem Mariam bis hoc fecisse, semel scilicet quod Lucas narravit, cùm primùm accedens, cum illa humilitate & lacrymis meruit peccatorum remissionem. Nam hoc & Joannes, quamvis non sicut Lucas, quemadmodum factum esset, narraverit : tamen ipsam Mariam commendans commemoravit, cum jam de Lazaro resuscitando cœpisset loqui, antequam veniret in Bethaniam. Quod ita ibi narrat ; Erat quidam languens Lazarus à Bethania, de castello Mariæ & Marthæ sororis ejus ; Maria autem erat quæ unxit Dominum unguento, & extersit pedes ejus capillis suis, cujus frater Lazarus infirmabatur. Hoc dicens Joannes, attestatur Lucæ, qui hoc in domo Pharisæi cujusdam Simonis factum esse narravit. Jam itaque hoc Maria fecerat. Quod autem in Bethania rursus fecit, aliud est, quod ad Lucæ narrationem non pertinet, sed pariter narratur à tribus, Joanne scilicet, Matthæo & Marco. Inter*

*istos igitur tres ; Matthaeum , Marcum & Joannem , quemadmodum hoc conveniat attendamus : de quibus non est dubium quòd eandem rem narrent gestam in Bethania , ubi etiam Discipuli , quod omnes tres commemorant , murmuraverunt adversùs mulierem , tanquam de perditione pretiosissimi unguenti. Quòd ergo Matthaeus & Marcus caput Domini pretioso illo unguento perfusum dicunt , Joannes autem pedes , regulâ illâ ostenditur non esse contrarium , quam demonstravimus , cùm de quinque panibus pasceret turbas. Ibi enim quia non defuit qui & quinquagenos , & centenos discubuisse commemoraret : cum alius quinquagenos tantùm dixerit , non potuit videri contrarium : potuisset autem , si alius centenos tantùm , sicut alius quinquagenos , posuisset : & tamen debuit inveniri utrumque factum esse. Quo exemplo informari nos oportuit, sicut illic admonui, etiam ubi singuli Evangelistae singula commemorant , utrumque factum intelligere. Proinde & his non solùm caput , sed & pedes Domini , accipiamus perfudisse mulierem.*

Hanc pariter sententiam non uno in loco adstruit Sanctus Gregorius Magnus Homiliâ. 25. in Evangelia : *Maria-Magdalene* , inquit , *quae fuerat, peccatrix , amando veritatem , lavit lacrymis maculas criminis ; & vox veritatis impletur , qua dicitur : Dimissa sunt ei peccata multa , quoniam dilexit multùm.* Et infra : *Nam postquam venit ad monumentum , ibique corpus Dominicum non invenit , sublatum credidit , atque Discipulis nuntiavit.* Et Homiliâ 33. *Hanc verò* , inquit , *quam Lucas peccatricem mulierem , Joannes Mariam nominavit , illam esse Mariam credimus , de qua Marcus septem daemonia ejecta fuisse testatur.* Et in 1. Regum cap. 9.* ad illa verba : *Servos vestros & ancillas Rex auferet , & ponet in opere suo.* Quae mysticè exponit hunc in modum : *Quia Sanctorum praedicatione tales etiam convertuntur , qui magna postmodùm omnipotenti Deo servitia impendunt , aptè servi & ancillae dicuntur auferri , & in opere Regis poni. Annon tunc ancillam Rex Regum tulit , quando de illa magna Peccatrice dixit : Remittuntur ei peccata multa , quoniam dilexit multùm ? Et hanc in opere suo posuit , quando in Castellum intravit , & eum illa in domo suâ recepit ? Hanc etiam in opere suo posuit , quia resurgens à mortuis , ei praedicationem suae resurrectionis injunxit.*

* Si tamen hic Commentarius S. Gregorii Magni genuinus est.

His adjungendi sunt Venerabilis Beda in tribus Commentariorum suorum in Matthaeum , in Marcum , & in Lucam locis ; Sanctus Petrus Damiani Epistolâ 12. ad Desiderium , Christianus Druthmarus in illud Matthaei , *Scitis quia post biduum Pascha fiet* ; Alcuinus in illud Joannis : *Jesus ergo ante sex dies Paschae* , Sanctus Bernardus Sermone 3. de Assumptione Beatae Virginis , & in Sermone de S. Maria Magdalena ,* & S. Thomas Lectione 1. in cap. 12. Joannis.

* Vel Nicolaus à Claravalle , cui potius hunc Sermonem vult asseri P. Mabillonius O.B.

Consultò dixi , Patres Latinos sententiam de unica muliere Evangelica Christi unctrice *plerumque* propugnasse ; quia contrariam opinionem velut probabilem interdum etiam proposuerunt. Sic Sanctus Ambrosius lib. 6. in Lucam , ad cap. 7. postquam ea dixit quae in probationibus retulimus , continuò subjungit de illa muliere quae apud Lucam Christi pedes unxisse , & peccatrix fuisse dicitur , & quae apud Matthaeum ejusdem Servatoris caput unguento perfudisse memoratur ; *Potest ergo non eadem esse , ut sibi contrarium Evangelistae dixisse videantur. Potest etiam quaestio meriti & temporis diversitate dissolvi : ut adhuc illa peccatrix sit , ista perfectior. Etsi enim personam non mutat Ecclesia vel anima , tamen mutat profectum.*

Et lib. 10. in cap. 24. Christi Resurrectionem & varias apparitiones explicans , ait , Christum noctu surrexisse ; idque ex eo probat , quòd mulieres aliae nesciunt , aliae sciunt ; sciunt , quae observarunt noctibus & diebus ; nesciunt , quae recesserunt. *Nescit una Maria-Magdalena , secundum Joannem : scit altera Maria-Magdalena , secundum Matthaeum. Nam eadem antè scire , postea nescire non potuit. Ergo si plures Mariae , plures fortasse etiam Magdalenae : cùm illud personae nomen sit , hoc locorum. Denique alteram esse cognosce. Illa permittitur pedes Domini tenere : tangere Dominum ista prohibetur. Illa Angelum videre meruit : haec primò cùm venit , neminem vidit. Illa Discipulis Dominum resurrexisse nuntiavit : ista raptum esse significat. Illa gaudet : haec plorat. Illi in gloria sua jam Christus occurrit : haec adhuc mortuum quaerit. Illa Dominum vidit , & credidit , haec non potuit agnoscere cùm videret. Illa fideli adorabat spiritu : haec dubio maestificabatur affectu.*

Sic Sanctus Hieronymus in cap. 26. Matthaei : *Nemo putet* , inquit , *eandem esse , quae super caput effudit unguentum , & quae super pedes. Illa enim & lacrymis lavat , & crine tergit , & manifestè meretrix appellatur. De hac autem nihil tale scriptum est : Nec enim poterat statim capite Domini meretrix digna fieri.*

Et lib. 2. adversùs Jovinianum , capite decimosexto. *Hic jam quaeritur* , inquit , *qui pedibus Christi dignus sit , qui capite , qui oculus ejus sit , qui manus. Quod & duae mulieres in Evangelio , Poenitens & Sancta significant : quarum altera pedes , altera caput tenet : tametsi nonnulli existimant unam esse , & quae primùm coepit à pedibus , eam gradatim ad verticem pervenisse.*

Sic S. Augustinus Tractatu 49. in Joannem : *Ecce ipsa soror Lazari ( si tamen ipsa est quae pedes Domini unxit unguento , & tersit capillis suis , quos laverat lacrymis ) meliùs suscitata est quàm frater ejus ; de magna malae consuetudinis mole est liberata , erat enim famosa peccatrix.*

Sic denique Sanctus Paulinus Epistolâ IV. ad Severum , *Malo* , inquit , *Peccatricis divitias : vae mihi ! si unguentum meum vile sit : pretioso enim opus est , ut consepeliri merear sepulturae ejus.*

Probatur tertia pars Propositionis , quòd scilicet neutra sententia Scripturae apertè repugnet : Patrum namque Graecorum opinio multis ex Scriptura Sacra petitis momentis fulta videtur. Mulier enim peccatrix , de qua Sanctus Lucas , in Galilaea commemorabatur , & in civitate Naïm , ut colligitur ex Evangelii serie. Siquidem ubi Christum ex Capharnaum discessisse retulit , atque in civitatem Naim abiisse , ubi viduae filium à mortuis suscitavit ; nulla subinde loci mutatione commemorata , imò supposito potiùs quòd Christus in Galilaea adhuc maneret , ubi Sanctus Joannes jussu Herodis in carcere tenebatur , capite plectendus , ex quo Discipulos suos ad Christum misisse eodem in capite refertur ; mox addit Evangelista : *Rogabat autem illum quidam de Pharisaeis ut manducaret cum illo. Et ingressus domum Pharisaei , discubuit. Et ecce mulier quae erat in civitate peccatrix , ut cognovit quod accubuisset in domo Pharisaei , attulit alabastrum unguenti* , &c. Illa verò mulier , cujus unctionem caeteri tres Evangelistae describunt , in Bethania morabatur.

Secundò , Mulier quae pedes Christi unxit Lucae cap. 7. erat *Peccatrix in civitate* : quae verò ipsum unxisse refertur Matthaei 26. & Joannis 12. Sancta erat , & à Joanne Lazari & Marthae soror , à Christoque dilecta praedicatur. Et ipse Lucas narrata cap. 7. Peccatricis historia , subinde cap. 10. de Maria sorore Marthae , quasi de ignota muliere loquitur , de qua nullam antea fecerit mentionem ; *Mulier quaedam* , inquit , *Martha nomine , excepit illum in domum suam : & huic erat soror*

*nomine*

*nomine Maria, quæ etiam sedens secus pedes Domini, audiebat verbum illius.* Non videntur itaque Evangelistæ de eadem muliere locuti.

Tertiò, Verisimile non videtur quòd Maria, Lazari & Marthæ soror in civitate peccatrix fuerit, seu publicæ libidinis victima, cùm id & nobilitati familiæ repugnaret, & Lazarus & Martha publicam sororis impudicitiam suo adeo probrosam generi, modis omnibus prohibuissent.

Quartò, Peccatrix illa non videtur fuisse genere Judæa, sicut Maria Lazari soror: quia Lex Mosaica non ferebat meretrices, ut constat ex illo Deuteronomii 23. *Non erit meretrix de filiabus Israël.*

Quintò, nec verisimile est quòd Maria Lazari soror tam familiaris Christo fuisset, si publica peccatrix extitisset, quin Judæi occasionem inde saltem aliquam ipsum calumniis lacessendi arripuissent. Neque illi ad ipsius de Lazari fratris morte dolorem consolatione sua leniendum accessissent, atque ad monumentum eam fuissent honoris & amicitiæ caussâ comitati.

Sextò, Maria Magdalena dicitur vexata fuisse à dæmonibus: *Maria quæ vocatur Magdalene, de qua septem dæmonia exierant*, & inter mulieres recensetur à spiritibus malignis curatas, quæ Christum à Galilæa secutæ sunt per civitates & castella regnum Dei prædicantem, eique de facultatibus suis ministrabant. At mulieris arreptitiæ status Peccatrici, quæ tot amasios & adoratores habeter, minimè convenit. Præterea, Maria soror Lazari in Bethania cum Martha sorore & fratre morabatur: alia igitur ab ipsa erat, quæ Christum sequebatur à Galilæa, prædicantem per civitates & castella.

Septimò, Mulier peccatrix Christum unxisse memoratur Lucæ 7. in domo cujusdam Pharisæi: quæ verò ipsum unxisse dicitur Marci 14. & Matthæi 26. isto pietatis officio perfuncta dicitur in domo Simonis Leprosi: quæ tandem Joannis 12. commendatur, istud videtur præstitisse propria in domo: siquidem ibi Martha soror ipsius ministrabat; ideoque non videtur esse eadem mulier cujus omnes Evangelistæ meminerunt.

Octavò, Quæ Christum unxisse dicitur Lucæ 7. id fecit longè ante ipsius Passionem, & circa initium prædicationis ipsius: illa de qua Matthæus cap. 26. id fecit biduò ante Pascha: ait enim ibidem Jesus: *Scitis quia post biduum Pascha fiet.* Illa tandem de qua Joannes cap. 12. id fecit sex diebus ante Festum Paschatis. Non est igitur eadem mulier.

Nonò, Mulier Christi unctrix apud S. Matthæum effudisse dicitur unguentum super caput recumbentis; & idem refert S. Marcus; apud S. verò Joannem dicitur effudisse super pedes. Hîc libram unguenti accepisse dicitur: illic alabastrum. Hîc solus Judas adversùs piæ mulieris bonum opus obmurmurasse narratur: illic Discipuli omnes murmurantes inducuntur. Videtur autem tanta circumstantiarum varietas personas etiam diversas indicare.

Decimò, cùm sæpissimè in Evangelio Mariæ Magdalenæ mentio fiat, ut Matthæi 27. & 28. Marci 15. & 16. Lucæ 8. & 24. Joannis 19. & 20. ubi utroque cùm Mariæ, tum Magdalenæ nomine appellatur; nunquam tamen bis in locis Lazari aut Marthæ soror nominatur. Neque etiam Magdalena unquam appellatur, cùm Lazari & Marthæ soror non semel alibi nuncupatur. Quod argumento est Mariam Magdalenam aliam esse mulierem à Maria Lazari & Marthæ sorore.

Undecimò, ex Evangelio colligitur unam Magdalenam juxta Crucem Jesu cum Matre illius stetisse, Joannis 19. cap. alteram verò cum aliis mulieribus, Marci 15. Christum in Cruce pendentem fuisse à longè conspicatam. Præterea, una est Magdalena, cui Dominus post Resurrectionem primùm apparuit quæque sola venit ad Monumentum, & ibi stetit foris plorans, Joannis 20. altera quæ cum comitibus Sepulcrum adiit, Matthæi 28. ex illisque fuit, quibus Christus occurrens dixit, Avete; & quæ tunc accesserunt, & tenuerunt pedes ejus. Tantùm igitur abest ut unam Magdalenam Evangelium disertè asserat, quin potiùs duplicem designare videatur. Quamobrem Græcorum Patrum sententia, qui plures mulieres Evangelicas unctrices Christi, sive Magdalenas plures asseruerunt, Evangelio palam apertèque non repugnat.

Jam verò probatur quòd nec eidem repugnet sententia Latinorum, unam mulierem Christi unctricem, sive unam Magdalenam, & Lazari sororem, & olim peccatricem asserentium. Id autem ostendi meliùs non potest, quàm illa momenta diluendo, quæ contrariæ sententiæ in speciem suffragari videntur.

Ad primum itaque respondeo, eandem mulierem & in civitate Naim & in Bethania, diversis temporibus commorari potuisse, in priori quidem loco ut liberiùs voluptati serviret, suisque amoribus frueretur; sive quòd ibi nupsisset, aut alicui viro potenti addicta esset: in posteriori verò loco pœnitentem Lazaro & Marthæ convixisse, & cum eis in castellum se recepisse, ex quo à Christo conversa vitam ducere instituit ad omnis honestatis virtutisque normam compositam. Certè cùm nobilis mulier esset ac dives, propria bona in Galilæa, propriamque domum in civitate Naïm possidere poterat, & castellum nihilominus habere in Bethania. Unde quamvis ex Evangelio rectè colligatur diversas esse unctiones quæ à S. Luca & à cæteris Evangelistis narrantur, quia variis in locis eadem unctio facta esse non potest: non tamen colligitur diversas mulierum ungentium; quia eadem in Galilæa Christi pedes unguento perfudit recèns conversa, & postea in Bethania eodem pietatis officio perfuncta est.

Ad secundum respondeo, Mulierem eandem primò Peccatricem, deinde Sanctam fuisse. Unde Sanctus Ambrosius suprà laudatus ait, *Quæstionem istam posse meriti & temporis diversitate dissolvi, ut illa peccatrix sit, ista perfectior:* Et affert exemplum Ecclesiæ, vel animæ, quæ non personâ, sed profectu mutatur. Sic S. Paulus Vas electionis, alius erat à Saulo blasphemo & persecutore Christianorum. Unde & meritò dicebat: *Vivo ego, jam non ego; vivit verò in me Christus.*

Ideo autem S. Lucas cap. 10. loquitur de Maria sorore Marthæ; quasi nondum locutus de illa esset, quia Peccatricis elogium hic repetere noluit, nec ea indicare quæ Peccatrici convenirent, ne infami nomine honorem illius obscuraret, quæ Christum ardentissimè dilexerat, & etiamnum diligebat. Cùm etiam Peccatricem exhibuit, nomen ejus suppressit, ne ipsam infamaret. Quod Sancto illi Evangelistæ similibus in occasionibus solenne fuit. Nam & S. Matthæi vocationem commemorans, qui ex Publicano Apostolus factus est, eum notissimo nomine non appellavit, sed Levi: & ignoraremus quis ille fuisse, nisi S. Matthæus proprium nomen ex humilitate adscripsisset.

Ad tertium respondeo, non eo sensu Peccatricem dici Magdalenam, quòd publica & quæstuaria meretrix esset, quod omnino ejus nobilitati repugnabat, sed vel quòd uni cuipiam addicta esset viro nobili, diviti & potenti, ob solam amoris voluptatem, cum totius tamen scandalo civitatis; vel quòd meretricio quodam ornatu incederet, & hominibus placere, eosque in sui amorem accendere formæ lenociniis & muliebri cultu studeret, quæ insania nobilium sæpiùs & principum fœminarum vitium est.

Nec

Nec verò Peccatrix in civitate dicitur, quasi vitium publicè professa fuerit, sed hæc verba, *in civitate*, solùm illius domicilium significant, ut Græcum Textum inspicientibus patebit, qui reddit hunc sensum: Mulier peccatrix quæ erat in civitate. Porro non erat facile Lazaro & Marthæ prope Hierosolymam degentibus, ut sororem in Galilæa impudicè versantem impedirent, præsertim cùm sui juris esset, ac potenti cuidam viro forsan addicta. Quod mirum videri non debet, siquidem Augustus ipse, publicam Juliæ filiæ suæ lasciviam cohibere non potuit, sed eam in Pandatarium Campaniæ insulam relegare coactus est.

Ad quartum respondeo, Quòd etsi meretrix fuisset, quod ex Evangelio non probatur, non sequeretur ipsam genere Judæam non fuisse: quia Lex Mosaica, quæ meretrices ex filiabus Israël esse prohibebat, nullis eas pœnis civilibus jubebat coërcesi; imò lex eas futuras prævidit, innuitque tolerandas, cùm ait: *Non offeres mercedem prostibuli.* Id confirmatur ex alia lege lata cap. 21. Levitici, ubi dicitur de Sacerdotibus: *Scortum & vile prostibulum non ducent uxorem, quia consecrati sunt Deo suo..., Meretricem non accipiet, ne commisceat stirpem generis sui vulgo gentis suæ.* Quæ verba meretrices Israëliticas fuisse supponunt. Quod & illarum exemplo confirmatur, quæ pro infante coram Salomone litigarunt.

Ad quintum respondeo, Mirum non esse quòd Mariam Lazari & Marthæ sororem tanta familiaritate dignatus fuerit Christus Dominus, nec magis inde occasionem arripere potuerint Scribæ & Pharisæi ipsius hostes aliquam ipsi impudicitiæ notam affingendi, quàm quando Samaritana cum muliere solus inventus est; vel cùm aliam mulierem adulteram sibi à Judæis oblatam, tanta humanitate excepit, tanta clementia absolvit; vel cum à Peccatrice ipsa in domo Pharisæi tangi se passus est, quæcumque tandem illa fuisse supponatur. Tam casto scilicet aspectu fuit semper Christus, ut ne minima quidem impudicitiæ suspicio adversùs illum cuiquam venire potuerit in mentem. Idque singulari providentia effecit, ut virginitatem, ex qua fuerat conceptus, honore majori propria in persona afficeret. Tantóque minùs ex familiaritate Peccatricis ista suboriri potuit suspicio, quantò celebrior fuerat illius conversio, & Judæis ipsis cum castitate posteriori notior, ex quo à duobus jam annis præteritam abdicaverat voluptatem. Quamobrem nec mirum quòd Judæi ad eam accesserint, cùm ut de morte fratris Lazari consolarentur: maximè cùm nonnisi notos, amicos, aut propinquos ipsius fuisse verisimile sit, quos lacrymis ipsius suas miscuisse lacrymas Evangelicus Textus refert.

Ad sextum respondeo, Mulierem eandem variis temporibus peccatricem extitisse, & arreptitiam. Verisimile namque est ob peccata fuisse à dæmoniis vexatam, ac deinde in lucidis vexationis intervallis de conversione sua seriò cogitantem, fuisse à Christo liberatam: tandemque ad ipsum accessisse in domo Pharisæi discumbentem, ut pœnitentiam ad ejus pedes ritu solenni auspicaretur.

Respondent alii, Peccatricem illam non corpore tenus, sed animo duntaxat fuisse à dæmoniis obsessam. Quo de possessionis genere Christus ait Lucæ 11. *Cùm immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca inaquosa, quærens requiem, & non invenit, tunc dicit: Revertar in domum meam unde exivi*, &c. Et de hac spirituali & metaphorica possessione Textum Evangelicum intellexit S. Gregorius, cùm septem dæmonia vitiorum universitatem interpretatus est, à quibus fuit Christi beneficio & gratiâ liberata. *Septem enim dæmonia habuit*, inquit ille, *quæ universis vitiis plena fuit*. Sed hæc responsio

A Textui Evangelico vim facit, in quo vera & realis possessio indicatur: tam enim Mariam Magdalenam in corpore vexatam à dæmonibus intelligere par est, quàm mulieres alias, quarum liberatio ab Evangelista memoratur: & corporea vexatio non minùs quàm corporeæ ægritudines intelligendæ sunt, à quibus eas Christus sanavit. Porro quantùm ad alias mulieres, malignorum spirituum vexatio, & infirmitates à quibus curatæ sunt, proprio sensu accipiuntur, non metaphorico. *Et mulieres aliquæ* (inquit S. Lucas 8. cap.) *quæ erant curatæ à spiritibus malignis, & infirmitatibus: Maria quæ vocatur Magdalene, de qua septem dæmonia exierant, &* B *Joanna uxor Chusæ Procuratoris Herodis, & Susanna, & aliæ multæ, quæ ministrabant ei de facultatibus suis.* Verè igitur à dæmone vexata fuisse intelligenda est, non animo solùm, sed corpore, Maria Magdalena: sed hoc, ut dixi, non obest quin Peccatrix fuerit, & amatores habuerit, servieritque aut voluptati, aut vanitati, aut utrique, antequam sic in peccati pœnam affligeretur.

Porro etsi Maria Magdalena cum aliis piis mulieribus Christum à Galilæa secuta sit, non sequitur eandem non fuisse Marthæ sororem. Esto enim priùs in Galilæa moraretur, & Christum inde in C Judæam revertentem fuerit comitata, repetere tamen propriam domum in Bethania potuit, antequam Christus illuc perveniret; adeoque tunc ibi fuisse, cùm à Martha exceptus est. Multa enim ab Evangelista memorantur, ex quo piæ illæ mulieres Christi comitatui se adjunxerunt, ad illud usque tempus quo in Bethaniam pervenit, ubi exceptus est in Marthæ domum, in quibus nulla mulierum ampliùs occurrit memoria, imò quibus non interfuisse mulieres illas verisimile est, sed ab ejus comitatu fuisse antea dimissas, & proprias in domos D se recepisse.

Ad septimum respondeo, Quòd etsi alius fuerit Simon Leprosus à Simone Pharisæo, ut quidam Patres volunt; non sequitur varias fuisse mulieres quæ Christum unguento perfuderunt in domo Pharisæi & Simonis Leprosi, sed varias duntaxat unctiones, quod non diffitemur. Eam verò, quæ à Joanne cap. 12. celebratur unctio, nego factam à Maria Lazari sorore in propria domo. Facta enim est in domo Simonis Leprosi, & eadem est cum illa, quam SS. Matthæus & Marcus memorant. Quod autem Lazari & sororum domus non fuerit, E ex eo satis intelligitur quod notat Evangelista, postquam indefinitè dixit: *Venit Jesus in Bethaniam, & fecerunt ei cœnam ibi*: Ejus enim qui Christum ad cœnam invitavit tacito nomine, statim subdit: *Lazarus autem unus erat ex discumbentibus cum eo.* Quod minùs aptè notatum fuisset, si cœnam fecisset ipse Lazarus; quod exprimi in primis debuisset, quia narrationis illius occasio fuit, ut & veritas resurrectionis Lazari, & tam illius, quàm sororum ejus affectus in Christum probaretur.

Ad octavum respondeo, Unctionem Mulieris F peccatricis à S. Luca memoriæ commendatam, aliam quidem esse ab unctione quam Evangelistæ cæteri describunt, cùm eadem biennio & amplius ante Christi Passionem, & sex aut septem diebus ante mortem ejus fieri non potuerit: sed perperam inde colligitur, diversas fuisse mulieres Christi unctrices. Sancti verò Matthæus & Marcus unctionem eandem quæ sex diebus ante Pascha peracta est, referunt, dum ea narrant quæ biduo ante illud Festum contigerunt, quia per recapitulationem eam describunt, temporis ordine minimè servato. Quod ideo fecêre, quia nulla priùs data fuerat occasio pium illud Mariæ Magdalenæ opus referendi. Occurrit autem sancti illius facinoris commemorandi

opportunitas

opportunitas cùm mentio proditionis Judæ facienda fuit, quia ex unguenti effusione Judas qui fur erat, occasionem arripuerat Magistri ac Domini tradendi. Unde Matthæus & Marcus hanc unguenti effusionem, & Judæ indignationem, historiæ proditionis ipsius interseruerunt, quam Sanctus Joannes proprio loco & ordine temporis ante narravit.

Ad nonum respondeo, Quòd etsi Matthæus & Marcus unguentum ab illa Muliere super Christi caput effusum commemorent, Joannes verò supra pedes; non sequitur diversam fuisse unctricem, imò nec aliam unctionem: quia, ut S. Augustinus animadvertit lib. 2. de Consensu Evangelistarum, cùm singuli Evangelistæ singula facta commemorant, utrumque factum nihilominus intelligendum est, ut ex aliis quoque Historiæ Evangelicæ capitibus patet. Sic enim Lucæ 9. cùm quinque millia hominum quinque panibus Christus pavit, dicitur illos discumbere jussisse per convivia quinquagenos: & Marci tamen 6. dicuntur discubuisse in partes per centenos & quinquagenos; id supplente isto Evangelista quod S. Lucas omiserat: quia nempe utrumque factum est, ut & centeni, & quinquageni discumberent. Ita & hìc dum alius pedes, alii caput Christi à pia Muliere unguento delibutum memorant, utrumque factum intelligi oportet; ut priùs pedes perfusi sint, quod majorem ad humilitatem ungentis exprimendam S. Joannes notavit; postea verò etiam caput, fracto ipsius unguenti vase perfusum, quod solùm alii Evangelistæ narraverunt. Nec obstat quòd alii alabastrum unguenti, alius unguenti libram ipsam accepisse dicat: utrumque enim optimè cohæret, quia alabastrum, genus vasis in quo reconditum erat unguentum significat, & libra ejusdem quantitatem & pondus.

Denique licèt Discipuli murmurantes à SS. Matthæo & Marco referantur, à Sancto verò Joanne solus Judas, non sequitur varias ab illis unctiones, & multò minùs varias unctrices celebrari: quia priores Evangelistæ pluralem numerum pro singulari usurpantes, quod solenne est Hæbræis, Discipulos murmurasse adversùs piæ Mulieris bonum opus indefinitè dixerunt, ad solius Judæ murmur significandum: sicut Latrones, qui cum Christo crucifixi erant, blasphemias in ipsum evomuisse dicuntur à S. Matthæo cap. 27. & à S. Marco cap. 15. cùm tamen S. Lucas *unum* tantùm *de his qui pendebant, latronibus blasphemasse* disertè asserat; alterum autem ipsum increpuisse notet his verbis: *Neque tu times Deum, quod in eadem damnatione es. Et nos quidem justè, nam digna factis recipimus: hic verò nihil mali gessit.*

Ad decimum respondeo, nego Consequens. Una enim & eadem Mulier variis insignita nominibus, nunc uno, nunc altero designari potuit: sicut S. Petrus nunc Simon duntaxat, nunc Simon Petrus, nunc Simon Barjona, nunc Simon Joannis, nunc Petrus tantùm in Evangelio appellatus est. Nunc igitur uno, nunc alio nomine eandem Mulierem Evangelistæ indicarunt, prout se præbuit occasio. Nunquam enim Mariam Lazari aut Marthæ sororem illam vocant, nisi cùm Lazari, aut Marthæ ipsius disertè meminerunt, vel aliquid narrant, quod utrique cum sorore Maria commune sit: ut cùm Lucæ 10. ministrare Martha & Maria contemplationi vacare dicitur in domo in quam Christum exceperunt. Et Joannis 11. cùm resurrectio Lazari, & utriusque sororis pia supplicatio describitur. Et Joannis 12. ubi Lazarus cum Christo, Martha ministrante, Maria ungente, discumbit. Unde quia Matthæus & Marcus nunquam Lazari & Marthæ meminerunt: Lucas verò & Joannes

A his locis quibus Magdalenam appellant, nihil referunt ubi Lazari, aut Marthæ mentionem fieri oportuerit, sed aliquid ipsi Mariæ singulare; nullam rationem habuerunt cur eam Magdalenam vocantes, Lazari vel Marthæ sororem dicerent. Quamobrem S. Joannes postquam 20. cap. eam utroque juncto nomine Mariam Magdalenam appellavit, nihilominus in progressu capitis Mariam solùm appellat, prætermisso Magdalenæ nomine, quasi mulierem eandem significans, quam cap. 11. & 12. solo etiam Mariæ nomine designaverat.

Ad ultimum respondeo, eandem omnino Mag-B dalenam procul à Cruce Christi, & juxta Crucem stetisse, diverso tempore; nam Marci Joannisque narratio ad eundem temporis articulum minimè refertur. Ad illud enim temporis punctum referuntur verba S. Joannis, quo Christus Matrem dilecto Discipulo commendans, ait: *Mulier, ecce Filius tuus*: quod tertium duntaxat verbum fuit ex his quæ protulit Christus Cruci suffixus. Marci verò narratio de Mulieribus procul spectantibus, illud tempus spectat, quo Christus verbis omnibus prolatis spiritum emiserat. Ita enim scribit Sanctus Evangelista: *Cùm autem vidisset Centu-C rio, quòd sic emisso clamore expirasset, dixit: Verè hic homo erat Filius Dei.* Et statim subdit: *Erant autem & mulieres procul spectantes, inter quas erat Maria Magdalena.* Nihil ergo prohibet, eo temporis intervallo, Magdalenam eandem, quæ priùs juxta Crucem fuerat sive ob turbam nimis comprimentem, sive ob aliam quamlibet caussam, à Cruce longiùs recessisse. Certè eandem esse Mariam, quæ à S. Joanne dicta est Maria Cleophæ, & quæ à S. Marco dicta est Maria Jacobi Minoris & Joseph mater, nemo diffitebitur S. Hieronymo hujus veritatis locupletissimo teste, in libro adversùs D Helvidium. At certum est ex S. Marco eam procul à Cruce stetisse, cùm Christus expiravit: ex S. verò Joanne, stetisse juxta Crucem cum Matre Jesu. Sicut ergo propterea duplex Maria non asseritur, Jacobi mater, & Maria Cleophæ: ita nec duplex idcirco Magdalena fingenda est.

Ad alteram objectionis partem respondeo, eandem esse Magdalenam, quæ primùm cum comitibus, deinde sola ad Christi monumentum accessit: alioqui duos fuisse Petros colligam. Erat enim Petrus adjunctus Joanni, quando primùm ad Serva-E toris Sepulcrum profectus est: erat verò solus, cùm illi Christus apparuit. Sicut ergo non propterea duplex Petrus admittitur, ita nec duplex Magdalena astruenda est. Lege S. Thomam Lectionibus 1. & 2. in cap. 20. S. Joannis, ubi eam responsionem confirmat.

Probatur ultima pars Propositionis, quòd scilicet Historiæ Evangelicæ magis consona sit Latinorum Patrum sententia, unicam Mulierem Christi unctricem apud omnes Evangelistas statuentium: primò ex verbis Christi pium mulieris ipsum inungentis officium commendantis, Matthæi 26. & Marci 14. *Amen dico vobis, ubicunque prædicatum fuerit F hoc Evangelium in toto mundo, dicetur & quòd hæc fecit in memoriam ejus.* Atqui non alia quàm Lazari soror propter istud pietatis officium in Ecclesia commendatur: nec Prophetia Christi impleta videretur, si generatim tantùm & indefinitè prædicaretur quòd aliqua mulier id ei officium præstitisset, ac ejus nomen silentio sepeliretur. Non alia igitur quàm Lazari soror, quæ nominatim à S. Joanne designatur, quasi supplente quod alii tacuerunt, apud Matthæum etiam & Marcum intelligi debet. Unde nec alterius Festum celebrat Ecclesia, quæ illam & Peccatricem, & Magdalenam Sacris in Officiis vocat. Quòd verò eadem etiam apud S. Lucam intelligenda sit, ex eo probatur quòd S.

Joannes cap. 11. Lazari mortem & resurrectionem commemorans, & sorores ipsius Mariam & Martham ad Christum misisse referens, ut illius ægritudinem nuntiarent, hæc per parenthesim interponit (*Maria autem erat quæ unxit Dominum unguento, & extersit pedes ejus capillis suis.*) Quæ verba ad unctionem à S. Luca narratam referri necesse est: tum quia unctio quam refert S. Joannes, postea facta est; unde capite duntaxat sequenti ab ipso describitur: tum quia elogium illud quod Mariæ nomini additur, nota quædam singularis est ad illius Mariæ commendationem adjuncta: quod nequaquam ita esset, si alia quoque præter ipsam mulier Christum unguento perfudisset, & maximè cum circumstantiis tam solennibus, quales à S. Luca describuntur. Non igitur alia apud S. Lucam & apud alios Evangelistas Mulier intelligenda est quæ Christum unxerit; sed eadem omnino est Peccatrix, & Marthæ ac Lazari soror.

Nec excipi potest ea verba, *Quæ unxit Dominum unguento*, &c. à S. Joanne per anticipationem esse præmissa, non ut unctionem ab alio Evangelista narratam, sed ut unctionem postea à se narrandam significaret: quemadmodùm cùm Judas Matthæi 10. & 26. & Marci 3. elogio illo designatur, *Qui tradidit illum*, id est, Christum, per anticipationem significatur proditio Judæ, quæ postea perpetrata est. Nam hæc exceptio facilè repellitur: nusquam enim S. Joannes similes loquendi modos usurpare solet, nisi ut rem jam factam significet. Sic de Nicodemo cap. 7. & cap. 19. loquens: *Nicodemus*, inquit, *qui venerat ad Jesum nocte primùm*: illud scilicet referens quod jam cap. 3. factum esse narraverat. Et cap. ultimo de se ipso loquens, ait: *Conversus Petrus vidit illum Discipulum qui recubuit in cœna super pectus Jesu*: rursum scilicet referens quod cap. 13. dixerat esse factum. Et cap. 6. personam Judæ designans, non vocat eum qui tradidit, sed qui traditurus erat Dominum, ut rem nondum factam significet. Figmentum igitur est quòd S. Joannes loco mox laudato, Mariam quæ unxit Dominum, ab unctione postea facienda, potiùs quam ab unctione priùs facta nominaverit. Adde quòd etsi per anticipationem hæc verba dixisset S. Joannes (*Maria autem erat, quæ unxit Dominum unguento*) nihil tamen singulare & eximium de Maria illa dixisset, si hæc unctio à qua ipsam commendat, fuisset ipsi cum altera Muliere communis. Quòd verò ea Mulier quæ Christum unxisse omnibus ab Evangelistis refertur, non sit alia à Maria Magdalena, de qua Christus septem dæmonia ejecerat, ut habetur Lucæ 8. & Marci 16. ex eo probatur quòd Magdalenæ primùm Christus post Resurrectionem conspicuum se fecerit, & quòd ad Servatoris Monumentum cum aromatibus, ut eum ungere posset, accessit: sed hanc cui Christus primùm apparuit, & quæ ad sepulcrum ejus unctura accessit, non aliam fuisse ab ea quæ Christum viventem unxisse ab aliis Evangelistis memoratur, facilè ex Evangelio colligimus. Magdalena itaque, de qua Christus septem dæmonia ejecerat, non est alia mulier à Maria sorore Marthæ & Lazari.

Probatur Minor ex eo quod Christus Mulieris unguentum super caput suum effundentis, pium officium commendans, Matthæi 26. ait: *Mittens hæc unguentum hoc in corpus meum, ad sepeliendum me fecit.* Sive, ut S. Marcus cap. 14. refert; *Quod debuit hæc fecit: prævenit ungere corpus meum in sepulturam.* Quibus verbis significat, eam Mulierem singulari Spiritûs Sancti afflatu id officii impendisse Christo, quo postea erga ipsum jam sepultum perfungi non potuit, qui ipsam Resurrectione sua prævenit. Porro quæ Christum jam sepultum ungere tentavit, est Maria Magdalena; ergo ipsa est quæ Christum unxit, ejus ut sepulturam præveniret, & quam SS. Matthæus & Marcus celebrarunt. Hic referre placet insignem pro nostra sententia Chrodoberti Episcopi Turonensis locum, *In Judicio de muliere adultera*; ubi hæc habet: *Memoretur Evangelicæ mulieris illius peccatricis Maria Magdalena de qua Dominus septem dæmonia ejecit.... & ipsa est, quæ semper Dominum prosecuta usque ad crucifixionem & sepulturam, & ipsa prima post Resurrectionem, antequam ullus Apostolorum, & antequam Mater Domini gloriosissima Maria semper Virgo, & Angelos & Dominum meruit videre. Ipsa est soror Marthæ & Lazari, quem Dominus triduanum mortuum suscitavit.* Florebat Chrodobertus septimo Sæculo. Cujus insignem hunc Libellum ex MS. Codice Thuaneæ Bibliothecæ publici juris fecit Quenellius in Notis ad Epistolas S. Leonis.

Denique omnia Evangelii loca quibus Mulieris illius officia erga Christum recensentur, optimè conveniunt Mariæ Lazari & Marthæ sorori, quòd nempe multùm dilexerit, quod Peccatricis elogium est apud S. Lucam: quòd juxta Crucem Jesu cum Matre ejus steterit, quod Joannis 19. memoratur: quòd venerit manè, cùm adhuc tenebræ essent, ad Monumentum, & videns lapidem sublatum, cucurrerit ad Petrum, dixeritque: *Tulerunt Dominum meum, & nescio ubi posuerunt eum.* Quæ stetit ad Monumentum foris plorans, & vidit duos Angelos, ac Jesum deinde eam proprio nomine vocantem: *Maria.* Quòd Christi pedibus adhærere solita, eosdem amplecti voluerit. Hæc enim sacri amoris impotentia, hæc officia pietatis, hi Christi redamantis, ut eo verbo utar, favores, maximè conveniunt Mariæ Lazari & Marthæ sorori, præcipuæ Jesu dilectrici, quæ optimam partem elegerat, nusquam ab ea auferendam. Accedit quòd à Christo proprio nomine compellata, ipsum protinus agnoverit: quod indicat ipsam fuisse Marthæ sororem Servatoris amicitia & familiaritate decoratam. Nusquam enim legimus in Evangeliis Jesum aliquam mulierem proprio nomine compellasse præter Martham, ac Mariam sororem ejus. Neque enim ita matrem filiorum Zebedæi, cùm illam alloqueretur, proprio vocavit nomine; neque ullam earum quarum Evangelia meminere. Quæ cùm ita sint, colligendum est sententiam, quæ unicam Mulierem, Christi unctricem apud omnes Evangelistas propugnat, eandemque esse Peccatricem, sororem Lazari & Marthæ, & Mariam Magdalenam, cum Evangelico Textu magis convenire. Qua de re persuasa Sacra Facultas Theologica Parisiensis anno 1521. die 9. Novembris, Decreto in Comitiis solennibus, post varias eo de argumento collationes edito, sententiam S. Gregorii Magni de unica Maria Magdalena peccatrice, & Marthæ sorore, à suis Alumnis propugnandam sanxit, *Ut Evangelio Christi, & Ecclesiæ Catholicæ ritui consentaneam; scripta verò adversùs hanc sententiam nullatenus esse toleranda:* omnibusque de suo gremio existentibus vel futuris prohibuit, *Ne deinceps eorum quispiam præsumeret in Concionibus ad populum, ac Disputationibus publicis, librisve, aut aliàs, asserere plures esse Magdalenas, aut in dubium revocare quòd sit unica.* Quod Decretum die 7. Decembris ejusdem anni ratum habitum est. Qui plura volet, legat librum Joannis Roffensis * adversùs Fabrum Stapulensem, & Jodocum Clictovæum Theologum Parisiensem, triplicis Magdalenæ, seu potiùs triplicis Mulieris Evangelicæ Christi Domini unctricis propugnatores.

* *De Rochester.*

DISSERTATIO

# DISSERTATIO XVIII.

## *De Canonibus Apostolicis.*

NON una est de Canonibus, qui Apostolorum dicuntur, Virorum Eruditorum sententia. Turrianus Auctor Societatis Jesu, omnes, id est, octoginta-quinque, pro veris ac genuinis agnoscit, libroque singulari Apostolicam ipsis authoritatem adversùs Magdeburgenses Centuriatores vindicat. Bellarminus quinquaginta duntaxat priores legitimos esse censet, reliquos triginta-quinque non esse legitimos, quamvis à Græcis recipiantur. Sic ille lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis in *Clemente.* Cardinalis Baronius Tomo 1. Annalium ad annum Domini 102. in eadem est opinione. Hos sequitur Possevinus in Apparatu Sacro, verbo, *Clemens.* Binius istis liberalior est: is enim & priorum quinquaginta autoritatem certam ac indubitatam esse vult, & 35. postremos, duobus tantùm demptis, nimirùm sexagesimo-quinto, & octogesimo-quarto, jure meritóque inter Authenticos haberi posse ac debere scribit, *Tomo 1. Conciliorum, Notis in Canones Apostolorum.* Hanc controversiam uberrimè tractavit Joannes Dallæus lib. 3. de Pseudepigraphis Apostolicis, ex quo, quæ rectè scripsit, ad nostrum usum convertemus, relictis falsis rationibus, & Hæretico succo tinctis, quas contra Canonum Apostolicorum Collectionem profert Calvinianus homo. Porro ab Hæreticis etiam aliqua mutuari non erubescam, erga ipsos ita me gerens, sicut erga Philosophos Ethnicos Catholicum gerere se debere Doctorem dixit S. Augustinus lib. 2. de Doctrina Christiana cap. 40. *Si qua fortè vera dixerunt*, inquit, *non solùm formidanda non sunt; verùm etiam ab eis, tanquam ab injustis possessoribus in nostrum usum vendicanda.*

### PROPOSITIO I.

*Canones Apostolici octoginta-quinque, ab Orientalibus Ecclesiis recepti sunt, sexto ineunte Sæculo, ante quinti Sæculi suprema in Oriente non probati.*

Probatur prima pars ex Justiniano Augusto hos prolixè commendante in Constitutione ad Epiphanium Patriarcham Constantinopolitanum. *Rectè*, inquit, *atque congruenter omnia agerentur, si ipsum rei initium gratum Deo esset; quod quidem certè facturum credimus, si sacri illi Canones diligenter observentur, quos nunquam satis laudati, adorationeque digni, & qui ipsum Filium Dei conspexerunt, illique ministrarunt Apostoli, nobis reliquerunt, ac Sancti Patres custodierunt, & interpretati sunt.* A Justiniano porro hos ipsos, quos nunc habemus, 85. Canones intelligi inde constat; primò quòd eosdem in Nomocanonem ab ipso Justiniano confirmatum, & eidem illi Epiphanio commendatum, relatos fuisse, fides sit ex Arabico illius Codicis Interprete, qui in Oxoniensi Bibliotheca habetur, à Thoma Roe ex Oriente allatus, & donatus: secundò, quòd eosdem quoque Canones 85. alter Nomocanon exhibeat iisdem temporibus à Joanne Epiphaniensi Scholastico, qui Constantinopolitanam Ecclesiam, circa suprema Justiniani tempora, post Eutychium rexit, concinnatus.

Probatur secundò ex Trullana Synodo, quæ septimo exeunte Sæculo celebrata est, Canone 2. ita decernente: *Hec quoque huic Sancta Synodo pulcherrimè & honestissime placuit, ut deinceps ad animarum medelam, & perturbationum curationem, firmi stabilesque maneant, qui ab iis qui nos præcesserunt, sanctis & gloriosis Apostolis traditi sunt octoginta-quinque Canones.*

Probatur tertiò ex Septima Synodo OEcumenica, Canone 1. *Divinos*, inquit, *Canones amplectamur, & integram illorum præceptionem, ac immobilem teneamus, tam scilicet illorum, qui ab almis & laudabilissimis Apostolis, Sancti Spiritûs tubis, editi sunt, quam eorum qui à sex Sanctis & universalibus Synodis promulgati sunt.* Et Canone 5. Simoniacos perstringens, ait: *Efficiat secundùm Apostolicam regulam, quæ dicit: Si quis Episcopus per pecuniam, dignitatem hanc obtinuerit, vel Presbyter vel Diaconus, deponatur & ipse, & qui eum consecravit, & excidatur omnimodis etiam à communione, quemadmodum Simon Magus à me Petro.* Qui Apostolicorum Canonum trigesimus est. Et Canone 12. bonorum Ecclesiasticorum alienatores sic percellit: *Quisquis Episcopus inventus fuerit, vel Abbas de salariis Episcopii, sive Monasterii, transferre quidquam in Principum manus, vel etiam alii personæ conferre, irritum sit, quod datum esse constiterit, secundùm Canonem Sanctorum Apostolorum, qui dicit: Omnium Ecclesiasticarum rerum Episcopus sollicitudinem habeat*, &c.

Probatur quartò ex S. Joanne Damasceno, qui nedum Canonum Apostolicorum meminit; verùm etiam illos (singulari licèt, ac minimè sequenda sententia) Novi Testamenti libris annumerat, lib. 4. *de Fide Orthodoxa* cap. 18. Canonem suum ita claudens: *Pauli Apostoli Epistolæ 14. Apocalypsis Joannis Evangelistæ. Canones Sanctorum Apostolorum per Clementem*

Probatur quintò ex Photio in Proœmio sui Nomocanonis, ubi scribit, se non alios modò Canones comparavisse; *Sed etiam eos, qui Sanctorum Apostolorum esse dicuntur, licèt aliqui, quasdam ob causas, dubiæ eos authoritatis esse existimaverint.*

Denique Zonaras, Balsamon, & alii Juris Ecclesiastici Græci Interpretes, 85. Canones Apostolicos referunt.

Probatur secunda pars. Si ante sextum Sæculum in Oriente recepta fuisset Canonum Apostolicorum Collectio, & tertio jam adulto Sæculo innotuisset, Firmilianus, aliique Episcopi Orientales, in controversia de Baptismo Hæreticorum iterando, quæ eos uti & Cyprianum, atque Afros cum Stephano Romano Pontifice commisit, illorum authoritatem suæ sententiæ cùm primis faventem protulissent. Firmilianus namque & alii Orientales, paribus cum S. Cypriano & Africanis Episcopis, studus asserebant, baptizatos ab Hæreticis Spiritum Sanctum, qui ad solam Ecclesiam pertinet, suscipere non potuisse. Stephanus asserebat Traditionem non esse innovandam, neque repetendum Baptismum ab Hæreticis collatum; sed manus in Pœnitentiam baptizatis imponendas. Stephanus nitebatur antiqua consuetudine, cui Cyprianus Scripturas opponebat. Firmilianus verò Stephano objiciebat contrariam consuetudinem, quæ vigebat in Oriente. *Quod quidem* (inquit ille ad Cyprianum scribens) *adversùs Stephanum vos Afri dicere potestis, cognita veritate, errorem consuetudinis reliquisse, cæterùm nos veritati & consuetudinem jungimus & consuetudini Romanorum, consuetudinem, sed veritatis opponimus, ab initio hoc tenentes, quod à Christo & Apostolo est traditum.* Certè nihil accidere poterat opportuniùs hacce contentione, ad urgendam Canonum Apostolicorum authoritatem, si ea tempestate concinnata fuisset illorum Collectio. Nihil enim à Firmiliano proferri poterat luculentius ad confirmandam consuetudinem illam constantissimam, & in Apostolica Tra-

ditione (ut contendebat) fundatissimam, quam Stephano Pontifici Romano obtrudebat, quàm Canon Apostolicus quadragesimus-sextus, conceptus in hæc verba: *Episcopum, aut Presbyterum, Hæreticorum suscipientem Baptisma, damnari præcipimus. Quæ enim conventio Christi ad Belial? aut quæ pars fideli cum infideli?* Et Canon quadragesimus-septimus, sic decernens: *Episcopus, aut Presbyter, si eum, qui secundum veritatem habuerit Baptisma, denuo baptizaverit, aut pollutum ab impiis non baptizaverit, deponatur, tanquam deridens Crucem, & mortem Domini, nec Sacerdotes à falsis Sacerdotibus discernens.* Itaque ex silentio Firmiliani colligitur ignotos ea ætate Orientalibus fuisse Canones Apostolicos.

Probatur secundò. Si ab Orientalibus Ecclesiis, ante sexti Sæculi exordia, recepta fuisset Canonum Apostolicorum Collectio, eam Ecclesiasticorum Canonum Codici inseruissent, ac ante cæteros omnes collocassent. Hunc enim iis locum vindicabat tum antiquitas, tum authoritas Apostolorum. Atqui Orientalis Ecclesia Canones Apostolicos nullo planè loco ac numero, in suo Canonum Codice censuit ante sextum Sæculum; ergo recepti antea non erant illi Canones.

Probatur Minor, supponendo tempore Concilii Calchedonensis, hoc est, anno Domini 451. extitisse in Ecclesia Orientali Canonum Ecclesiasticorum Codicem Sacrum. Quod constat ex Synodo Calchedonensi Actione 11. ubi laudantur ac describuntur duo quidam Canones, quorum unus nonagesimus quintus fuisse ibidem dicitur, alter nonagesimus sextus. *Leontius Reverendissimus Episcopus Magnesiæ, ex Codice relegit Regulam nonagesimam quintam: Si quis Episcopus vacans*, &c. Et ibidem. *Idem Reverendissimus Leontius Episcopus ex eodem Codice legit Regulam nonagesimam sextam: Si quis Episcopus Ordinationem acceperit Episcopatus*, &c. In eadem Synodo Actione 4. duo alii Canones similiter citati, ac descripti leguntur, quorum prior, octogesimus tertius dicitur; posterior octogesimus quartus. *Sancta Synodus dixit; Sacri Patrum Canones legantur, & Commentariis inserantur; Sumptoque libro, Aetius Archidiaconus, & Primicerius magnæ Ecclesiæ Constantinopolitanæ legit: Canon octogesimus tertius. Si quis Episcopus à Synodo depositus*, &c. *Alius Canon octogesimus quartus de iis, qui se ipsos separant: Si quis Presbyter, aut Diaconus contempto proprio Episcopo*, &c. Denique Actione 13. cùm Judices Imperatorii Canones legi jussissent, Beronicianus, Magistrianus & Secretarius divini Consistorii, ex Codice dato ab Eunomio, dicitur legisse Canonem 4. in hæc verba: *Episcopum oportet quidem præcipuè ab omnibus Episcopis provincialibus ordinari*, &c.

Ex quibus colligitur, Concilii Calchedonensis tempore extitisse in Ecclesia Orientali Codicem Canonum perpetuâ numerorum serie distinctum; eo ordine, ut primo loco descripti essent Nicænæ Synodi Canones; secundo Ancyranæ, tertio Neocæsariensis, mox Grangrensis, ultimò Antiochenæ Synodi conjunctim omnes sub continuatis numeris inserti, sic ut primus Ancyrani Concilii Canon, esset hujus Codicis vigesimus primus; Neocæsariensis primus, quadragesimo sexto sub numero legeretur, primus Gangrensis, sub sexagesimo; Antiochenus primus, sub octogesimo. Qui enim in Synodo Calchedonensi *Codicis ab Eunomio dati quartus, Canon* dicitur (sic enim legendum est, non sextus, ut vulgò habent recentes Editiones Conciliorum) is deprehenditur Synodi Nicænæ quartus esse Canon; qui verò ejusdem Codicis Canones in eadem Synodo dicuntur *octogesimus tertius, octogesimus quartus, nonagesimus quintus, & nonagesimus sextus*, eos constat esse Antiochenæ Synodi Canones *quartum, quintumque, decimum-sextum, & decimum septimum*, quibus ipsis locis evidenter occurrunt, si Nicænos, Ancyranos, Neocæsarienses, Gangrenses, & Antiochenos Canones perpetua numerorum serie adstrinxeris, ac in unum corpus adunaveris. Id ex Calchedonensi Synodo observavit Hincmarus Archiepiscopus Remensis, vir suæ ætatis in re Canonica peritissimus, Opusculo quinquaginta quinque capitum cap. 21. dicens: *Sed & Actio 12. Calchedonensis Concilii, in qua scriptum habetur, Regula 95. de vacante Episcopio. Et paulò post Leontius ex eodem Codice legit Regulam 96. de his qui ad Episcopatum vocati, evitant. Quas Regulas, connumeratis à capite viginti capitulis Nicæni Concilii, si quis per singula consequentia Concilia ex ordine numeraverit, in Antiocheno Concilio loca illorum numerorum tenere inveniet.*

Ex his colligitur hocce ratiocinium, quo Minor evidenter probatur. In veteri Orientalis Ecclesiæ Codice, anno 451. (quo celebrata est Calchedonensis Synodus) primo ordine descripti erant Nicæni Canones; ergo nedum recepti erant in Orientalibus Ecclesiis Canones Apostolici; quos haud dubiè Nicænis anteposuissent, si legitimos agnovissent illius Codicis Authores.

## PROPOSITIO II.

*Initio sexti Sæculi, quinquaginta Canones Apostolorum in Ecclesia Latina Codicem relati sunt, non tamen inter Ecclesiasticas Regulas ab omnibus Ecclesiis statim admissi. Attamen obtinuere autoritatem 50. illi Canones per Occidentalem Ecclesiam universam, 35. posterioribus rejectis.*

Probatur prima pars ex Collectione Dionysii Exigui, Abbatis, qui sexto ineunte Sæculo, Latinam interpretationem Græcorum Canonum aggressus est, rogatus à Stephano Salonitano Episcopo, ut Cassiodorus scribit; non à Stephano Papa, ut opinatus est Sixtus Senensis. Is igitur Dionysius illi Collectioni suæ quinquaginta priores Canones Apostolis inscriptos inseruit, & cum Romanis communicavit, 35. posterioribus omissis; ut aliquam haberet rationem Concilii Romani sub Gelasio anno 494. celebrati, in quo Apostolici Canones in apocryphorum censum rejecti erant utque in posteriores 35. illius Pontificis judicium caderet Sed de Gelasii Decreto inferiùs dicemus.

Probatur secunda pars testimonio Dionysii Exigui in suæ Collectionis Præfatione, in qua Stephanum, ad quem Opus mittit, his verbis admonet: *In principio itaque Canones, qui dicuntur Apostolorum, de Græco transtulimus; quibus quia plurimi consensum non præbuere facilem, hoc ipsum vestram noluimus ignorare Sanctitatem, quamvis postea Constituta Pontificum ex ipsis Canonibus assumpta esse videantur.* Idipsum testatur titulus Cresconianæ Collectioni præfixus, teste Baronio ad annum Domini 102. §. 10. qui sic habet: *Incipiunt Ecclesiastica Regulæ Sanctorum Apostolorum, prolatæ per Clementem Ecclesiæ Romanæ Pontificem; quæ ex Græcis Exemplaribus in ordine primo ponuntur; quibus quamplurimi quidem consensum non præbuere facilem; & tamen postea quædam Constituta Pontificum ex ipsis Canonibus assumpta esse videntur.* Ergo Canones Apostolici non statim ab omnibus Occidentis Ecclesiis admissi sunt, post Dionysii Collectionem.

Probatur secundò. Neque Ferrandus Carthaginensis Ecclesiæ Diaconus, Apostolicis Canonibus

nibus locum ullum in Breviario Canonum dedit, quod circa sexti sæculi principia concinnavit atque publicavit: neque Martinus Bracarensis, qui in Hispania obiit anno Domini 580. eos vel memoravit, vel usurpavit, aut inseruit in sua illa Græcorum Canonum interpretatione, quam *Collectionis Orientalium Canonum* nomine editam, ad Nitigesium misit anno Domini 572. Ergo Canones Apostolici, statim post Dionysianam Collectionem, ab omnibus Occidentis Ecclesiis inter ecclesiasticas regulas non sunt admissi.

Probatur tertiò ex S. Gregorio Turonensi lib. 5. Historiæ Francorum cap. 19. ubi Concilii Parisiensis de Prætextati Rothomagensis Archiepiscopi causa historiam referens, ait librum Canonum à Rege Chilperico ad Episcopos missum esse, ut illius damnationem Antistitis urgeret. *Ipse verò*, inquit, *ad Metatum discessit, transmittens librum Canonum: in quo erat quaternio novus adnexus, habens Canones quasi Apostolicos, continentes hæc: Episcopus in homicidio, adulterio, & perjurio deprehensus, a Sacerdotio divellatur.* Quo ex loco manifestè colligitur, Canones Apostolicos, etiam post editum Dionysii Exigui Codicem, à Gallicanis Episcopis receptos non fuisse. Canon relectus in Synodo Parisiensi, cujus summam retulit Gregorius Turonensis, est Canon Apostolicus 25. in quo nulla mentio homicidii, sed perjurii, adulterii, & furti; ita ut corruptus esse videatur ad premendum Prætextatum, qui se designati homicidii reum esse, spe veniæ professus est. Itaque tunc temporis in Codicibus integris, & minimè depravatis Ecclesiæ Gallicanæ, deerant Apostolici Canones, ita ut necesse fuerit recenti & depravatrice manu novum quaternionem Chilperici Codici adnecti, in quo descripti exhiberentur. Quod Gregorius Turonensis inter suæ Gentis Episcopos sanctitate & doctrinâ primarius, velut novum atque insolitum annotavit, & Canones istos velut dubios, atque incertæ fidei, non simpliciter Apostolicos, sed *quasi Apostolicos* vocavit. Ergo ne sæculo quidem sexto cadente, vulgò passimque Gallicana Ecclesia in regularum ecclesiasticarum Codice habebat Apostolicos illos, tametsi jam editos à Dionysio Exiguo, quinquaginta Canones.

Probatur quartò, locupletissimo testimonio Hincmari Archiepiscopi Remensis lib. 55. Capitum, cap. 45. ubi Hincmarum nepotem, Laudunensem Episcopum, de Canonum Ecclesiasticorum Codice monens, primò affirmat extare certos quosdam Canones, *Quos & Apostolica Sedes, & omnes Episcopi per universum orbem, à Prima Sedis Pontifice, usque ad illum*, inquit, *qui modò novissimè, etiam post te, est ordinatus Episcopus; imò & omnis Catholica Ecclesia, Canones appellant. Quique à Nicæno Concilio, quod primum in nostris Codicibus (quos ab Apostolicâ sede Majores nostri acceperunt) sequendos per ordinem, usque ad Africanum Concilium, pro Canonibus recipiendis, venerandis, & observandis retinent, & Innocentius, Zosimus, Bonifacius, Cælestinus, Leo, Hilarus, Symmachus, Gelasius, Hormisdas, Gregorius, & cæteri quique, observandos Canones nominant.* Ex quibus colligitur, ea ætate, hoc est anno Domini 870. in Codice Canonum Ecclesiasticorum, quo Gallicana utebatur Ecclesia, primo loco positos fuisse Nicænos Canones, adeòque in Codice Ecclesiæ Gallicanæ nullam tunc extitisse Canonum Apostolicorum Syllogen, sive Dionysianam, quæ 50. tantùm Canonum est; sive Græcanicam, quæ 35. Capitulis auctior est.

Paulò tamen antea, scilicet anno Domini 849. Romana Ecclesia Canones Apostolicos, velut sacras Regulas, in Judiciis usurpabat, ut constat ex Leone IV. Romano Pontifice in Epistola hoc anno ad Britanniæ Episcopos data, ubi hæc habet: *De libellis & Commentariis aliorum non convenit aliquem judicare, & sanctorum Conciliorum Canones relinquere, vel Decretalium regulas, id est, quæ habentur apud nos simul cum illis in Canone, & quibus in omnibus Ecclesiasticis utimur Judiciis, id est, Apostolorum, Nicænorum, Ancyranorum, Neocæsariensium, Gangrensium, Antiochensium, Laodicensium Calchedonensium, Sardicensium, Carthaginensium, Africanensium, & cum illis Regulæ Præsulum Romanorum, Sylvestri, Siricii, Innocentii, Zosimi, Cælestini, Leonis, Gelasii, Hilari, Symmachi, Simplicii.*

Probatur tertia pars, primò ex Gratiano, qui hæc nomine Leonis IX. Pontificis Romani contra Epistolam Nicetæ Abbatis, suum in Decretum retulit, Dist. 16. Canone CLEMENTIS: *Clementis librum, id est, Petri Apostoli Itinerarium, & Apostolorum Canones, numerant Patres inter apocrypha, exceptis Capitulis quinquaginta, quæ decreverunt orthodoxæ fidei adjungenda.* Quæ non Leonis, ut putavit Gratianus, sed Humberti Cardinalis Sylvæ-candidæ Episcopi verba sunt. Sed cùm Humbertus ex suæ Ecclesiæ sensu ea scripserit, non est dubitandum quin à Latinis, & duodecimo sæculo, quo vixit Gratianus, & undecimo, quo floruit Humbertus, 50. priores Canones Apostolis inscripti, pro legitimis, 35. verò posteriores pro spuriis & apocryphis habiti sint.

Probatur secundò, ex verbis Urbani II. qui anno Domini 1088. Romæ sedit, apud Gratianum Dist. 32. Cap. PRÆTER. *Sciendum verò*, inquit, *quòd Canonum Apostolorum authoritate Orientalis, & ex parte Romana utitur Ecclesia.* Quibus verbis significat Græcos 85. Canones penitùs admittere, Latinos eorum duntaxat partem, hoc est 50. tantùm.

Probatur tertiò ex Isidoro Mercatore, qui post annum Domini 800. vixit. Hic enim, licet insignis alioqui impostor, & fœcundus apocryphorum parens, non est ausus suæ Collectioni plures quàm 50. Canones Apostolorum inserere, hæc præfatus (ut ea ex vetustissimo Codice emendata Baronius exhibet ad annum Domini 102.) *Denique, propter eorum authoritatem, cæteris Conciliis præposuimus Canones, qui dicuntur Apostolorum (licèt à quibusdam apocryphi dicantur) quoniam plures eos recipiunt, & Sancti Patres eorum sententias Synodali authoritate roboravere, & inter Canonicas posuere Constitutiones.*

Confirmatur ex Hincmaro in Opusculo 55. capitum cap. 24. ubi Isidorianæ hujus Præfationis meminit. *In cujus*, inquit, *Collectionis Præfatione, idem Isidorus dicit de Apostolorum Canonibus, quòd à quibusdam dicantur apocryphi, & plures eos recipiant, & Patres eorum sententias Synodali authoritate roboraverunt, & inter Canonicas Constitutiones posuerunt, quod de quibusdam sententiis verum est, ut alibi in hoc Opusculo potes legere.* Ex quibus constat, quòd nec circa annum 800. quo Isidori Collectio prodiit, nec Hincmari ætate, universìm recepti erant in Occidente Apostolici Canones; sensim tamen obtinuisse 50. priores autoritatem.

## PROPOSITIO III.

*Canones Apostolis inscripti, nedum 35. posteriores; verùm & priores 50. sunt Apostolis suppositi, & pseudepigraphi.*

Probatur primò. Si Apostolici Canones, vel saltem ipsorum aliqua pars esset ab Apostolis edita, illi profectò, vel omnes, vel aliqui saltem, fuissent à veteribus quatuor priorum sæculorum Patribus in Canonem Scripturarum Novi Testamenti rela-

ei, sicut alia Apostolorum Opera. Nulla enim ratio est cur à Canonis Novi Testamenti libris excludatur Opus, quod ab Apostolis editum ac traditum esse constat. Atqui nemo, nedum eorum qui sex primis Ecclesiæ sæculis floruerunt, sed ne reliquorum quidem Authorum Ecclesiasticorum post sextum sæculum, (si unum Joannem Damascenum exceperis) Canones Apostolorum in censum librorum Canonicorum Novi Testamenti retulit: ergo Canones illi sunt Apostolis suppositi.

Probatur secundò. Si Canones illi verè Apostolorum essent, ut titulus præfert, illorum certè meminissent quatuor primorum sæculorum Scriptores Ecclesiastici, in iis maximè controversiis, ac causis, in quibus res ipsa poscebat horum Canonum fieri mentionem. Meminissent Eusebius Cæsariensis, & Sanctus Hieronymus, dum Apostolorum Opera summâ uterque diligentiâ recensent, & eâ quæ ipsis falsò affingebantur, sugillant & explodunt. Atqui quatuor priorum sæculorum Patres in nullo suorum monumentorum, mentionem uspiam fecisse Canonum Apostolicorum reperiuntur, nequidem in iis controversiis, in quibus ipsos proferri (si qui fuissent) res ipsa flagitabat; non Victor Pontifex Romanus in controversia de Paschate adversùs Asiaticos, non Firmilianus, & S. Cyprianus in controversia de Baptismo Hæreticorum adversùs Stephanum Pontificem Maximum nec etiam Eusebius, & Sanctus Hieronymus inter Apostolorum Opera Canones ullos memorant: ergo Canones illi sunt Apostolis suppositi.

Probatur tertiò. Illi Canones, qui sermone scripti sunt ab Apostolorum oratione alieno, sunt Apostolis suppositi: nulla enim ratio est cur Apostoli in Canonicis Decretis aliter loqui debuerint, quàm in aliis, sive libris, sive Epistolis suis: Atqui Canones illi verbis concepti sunt ab Apostolorum usu & stylo penitus alienis: ergo sunt pseudepigraphi.

Probatur Minor. In his enim Canonibus passim usurpantur hæc vocabula: *Clericus*, *catalogus Clericorum*, *Lector*, *Cantor*, *Sacerdos*, *Sacerdotalis administratio*, *Laicus*, item *Pentecoste*, pro toto eo tempore quod à Paschate ad propriè dictam Pentecosten decurrit; *Primus inter Episcopos*, pro Metropolita; *Mensis Hyperberetaus*, pro Octobri. Quæ nusquam in genuinis Apostolorum Operibus usurpata reperies.

Probatur quartò ex Canonibus 46. 47. & 67. quibus collatus ab Hæreticis Baptismus reprobatur & exploditur. Enimverò si 46. hic Canon verè ab Apostolis conditus est, sequitur Ecclesiam in gravissimo errore versari, præsertim Romanam, quæ Stephano Pontifice Maximo duce, circa annum Domini 254. hæreticorum baptismum ratum habuit; & Africanam, quæ Donatistas idem cum authoribus mox laudatorum Canonum sentientes Sancti Augustini scriptis egregiè confugavit; & Nicænam ipsam Synodum, cujus Canones totius orbis reverentiâ consecrati sunt, quæ solos ex omnibus hæreticis Paulianistas, si extra Ecclesiam baptizati fuissent, rebaptizandos decrevit. Ergo neque Canones illi editi sunt ab Apostolis. Nec enim ullius roboris est, quod quidam respondent, hos Canones de baptismo, non quorumvis hæreticorum, sed eorum tantùm esse intelligendos, qui baptismi formam pervertebant. Nam hæc expositio repugnat primùm verbis Canonis, qui non horum, aut illorum hæreticorum, sed simpliciter hæreticorum baptisma repudiat. *Episcopum*, inquit, *aut Presbyterum hæreticorum suscipientem baptisma, damnari præcipimus.*

Secundò, quia ratio, qua nititur Canon 46. non A à baptismi forma, sed à baptizantis persona ducta est. *Episcopum*, inquit, *aut Presbyterum hæreticorum suscipientem baptisma, damnari præcipimus: quæ enim conventio Christi cum Belial? aut quæ pars fidelis cum infideli?* Vult author Canonis, hæretici baptisma futile ac nullum esse, quòd hæretici nulla sit cum Christo communio, vel conventio: at quisquis verè hæreticus est, nullam habet cum Christo conventionem: ergo vel quorumvis hæreticorum baptisma illo Canone reprobatur, vel inepta prorsus ab Authore Canonis, atque ab ejus instituto aliena, allata ratio est.

B Idem probatur de Canone 7. quo constitutum est ne Pascha cum Judæis celebretur. *Si quis Episcopus*, inquit, *vel Presbyter, vel Diaconus, sanctum Pascha diem ante vernale æquinoctium cum Judæis celebraverit, abjiciatur, sive deponatur.* Certè si id ab Apostolis lege lata sancitum esset, eam legem non ignorassent sanctissimi Orientis Episcopi, qui à Victore & Ecclesia Romana Occidentalique universa dissentiebant in sacratissimi Festi celebratione; nec suarum consuetudinem Ecclesiarum à Sancto Joanne Apostolo, & Philippo item Apostolo derivatam adeò confidenter asseruissent. C Incredibile namque est viros excellentissimos, ævo Apostolico proximos, incredibilis in rem Christianam zeli, & quidem hujusmodi, qui martyrium plerique obierint, vel Canonem ab Apostolis constitutum (si extitisset) ignorasse; vel cognitum neglexisse. Quid, quòd Victor Romanæ Ecclesiæ Pontifex, qui Asiaticos ob morem, cujus retinentissimi erant, celebrandi cum Judæis Paschatis, anathemate mulctare decreverat, nusquam adversùs ipsos Canonem aliquem Apostolicum legitur protulisse; quod certè præstitisset, si Canonem illum Apostoli condidissent.

D Idem probatur de Canone 65. quo decernitur, *Ut si quis Clericus inventus fuerit die Dominico jejunare, vel Sabbato, præterquam uno solo, deponatur; sin autem Laicus, segregetur.* Enimverò incredibile est Romanam Ecclesiam, Pontificesque, & Patres sanctissimos, necnon eruditissimos, ab Apostolica lege tam enormiter descivisse, ut spreto Apostolorum Canone, Sabbati jejunium susciperent. At certum est in ipsa urbe Roma, vivente Sancto Ambrosio, (hoc est, cadente quarto sæculo) Sabbato jejunari solenne fuisse, testibus Sancto Augustino Epistola 86. ad Casulanum, Cassiano lib. 3. E de Institutione Cœnobiorum cap. 10. & Socrate lib. 5. cap. 5.

Præterea Sanctus Augustinus loco mox laudato, inter cætera hoc liquidò statuit, certò sciri non posse, an ab Apostolis institutum fuerit jejunium Sabbati, necne. *Quod si respondetur*, inquit, *hoc docuisse Jacobum Hierosolymis, Ephesi Joannem, cæterosque aliis locis, quod docuit Romæ Petrus, id est, ut Sabbato jejunetur, sed ab hac doctrina terras cæteras deviasse, atque in ea Romam stetisse: & ex contrario refertur, Occidentis potiùs aliqua loca, in quibus Roma est, non servasse quod Apostoli tradiderunt: Orientis verò terras, unde cœpit Evangelium ipsum prædi*F*cari, in eo quod ab omnibus simul cum ipso Petro Apostolis traditum est, ne Sabbato jejunetur, sine aliqua varietate mansisse, interminabilis est ista contentio, generans lites, non finiens quæstiones.* Et infra: *Ego*, inquit, *in Evangelicis & Apostolicis litteris, totoque Instrumento, quod appellatur Testamentum novum, animo id revolvens, video præceptum esse jejunium. Quibus autem diebus non oporteat jejunare, & quibus oporteat, præcepto Domini, vel Apostolorum, non invenio definitum.*

Sanctus etiam Hieronymus Sabbati jejunium rem esse mediam ac liberam, ac pro cujusque Ecclesiæ consuetudine

consuetudine observandam, vel prætermittendam, scripsit Epistolâ 28. quæ est ad Licinium. Sabbatarii namque Jejunii occasione, de quo Licinius quæsierat, ait: *Unaquæque Provincia abundet in sensu suo, & præcepta majorum Leges Apostolicas arbitretur.*

At verò Innocentius I. Sabbatarium vindicaturus Jejunium Epistola I. quæ est ad Decentium Eugubinum Episcopum, ait: *Sabbato jejunandum, evidentissima ratio demonstrat.* Quæ cùm ita sint, spurium esse illum Canonem necesse est, quo Sabbatarium Jejunium tam severè prohibetur.

Idem probatur ex Canone 84. quo librorum sacrorum Veteris & Novi Testamenti series continetur, in eorumque censum referuntur tres Macchabæorum libri, Clementis Epistolæ duæ, & Constitutionum libri octo, contra verum communemque cùm veteris, tum recentis Ecclesiæ consensum. Præterea Canon ille expungit è serie librorum Canonicorum, librum Sapientiæ; & libros Tobiæ, Judith, Ecclesiastici indictos prætermittit, quos vetus Ecclesia pro Canonicis habuit, ex Apostolorum utique traditione, ut patet ex Decretis Innocentii I. in Epistola ad Exuperium, & ex Gelasio Pontifice Maximo in Synodo Romana. Denique nec Esdram inter Veteris Testamenti libros, nec Apocalypsim inter Libros Novi Testamenti memorat hic Canon. Ergo falsò Apostolis affictus est.

Idem probatur de Canonibus 21. 22. & 23. in eos qui se abscindunt, constitutis; quibus decernitur, ne qui seipsum abscidit, Clericus fiat; & si factus sit, ut deponatur; Laïcus verò tribus annis segregetur; *Quia est sui homicida, & Dei opificii hostis:* Id enim ab Apostolis minimè constitutum esse facilè probatur; primò ex eo quòd verisimile non sit hos Canones in rarum absurdumque facinus, priùs in Ecclesia positos, ac promulgatos esse, quàm ferendæ hujusmodi legis occasionem dedisset editum ab aliquo hujus facinoris exemplum (siquidem è singularium peccatorum exemplis humanæ ut plurimum leges nascuntur.) At Apostolicis, vel proximè consecutis temporibus, nullum hujusmodi facinus à Christianorum aliquo editum legitur: nulla itaque extitit occasio hujus ferendæ legis.

Præterea, Sanctus Justinus Martyr Apologia I. pro Christianis, Christiani cujusdam adolescentis meminit, qui à Præfecto Alexandriæ Felice, oblato libello, postulavit ut sibi partes illas Medici operâ abscindere liceret, quod tamen non obtinuit; idque aggressum esse, *Ut Ethnicis persuaderet, Christianis mysterium non esse promiscuam & propatulam mixtionem* (quemadmodum ipsi calumniabantur.) At si qui extitissent Apostolorum Canones, harum partium abscissionem sub pœna exauctorationis Clericis, Laicis verò sub anathemate prohibentes, eorum hoc loco Sanctus Justinus meminisset, ostendissetque adolescentem id facinus aggressum esse juvenili in pietatem animi ardore, & zelo non secundùm scientiam, imò contra Leges Apostolicas. Id enim commemorare omnino ad institutum Sancti Justini pertinebat, ut lævam suspicionem, quam de nostræ disciplinæ inhumanitate concipere poterant Ethnici, quasi hæc facinora Lex Christiana juberet, amoliretur.

Tertiò idipsum suadet factum Origenis, qui seipsum abscidit anno circiter 208. quod non esset aggressus adolescens piissimus & eruditissimus, qui Scholæ Alexandrinæ Ecclesiæ jam præerat (teste Eusebio l. 6. c. 7.) si id Canone Apostolico sub excommunicationis vel depositionis pœna prohibitum novisset. Neque verò id impune tulisset Demetrius Alexandrinus Patriarcha, sed hominem violati Apostolici Decreti convictum, & docendi munere abdicasset, & communione privasset ad triennium: quod cùm minimè præstiterit, imò bono animo esse jusserit Origenem Demetrius (Eusebio teste) colligitur citatos de eunuchis Canones nedum in publica Ecclesiæ luce extitisse, & pro Apostolicis habitos fuisse.

Præterea, cùm Demetrius, mutato animo, Origenis gloriæ invidens, eum à Theoctisto Cæsareæ, & Alexandro Hierosolymorum Episcopis ad Presbyteri dignitatem evectum indignaretur, & alia criminandi occasione destitutus, *facti illius* (inquit Eusebius lib. 6. c. 7.) *quod ab ineunte ætate consciviisset, calumniam objectaret, eumque apud Episcopos totius orbis, tanquam absurdissimi facinoris reum per literas notaret;* neque Theoctistus, neque Alexander, neque ullus alius Episcopus ipsum propterea depositionis pœnâ mulctarunt. Quod certè præstitissent viri laudatissimi, & juris ecclesiastici scientissimi, si Canones Apostolicos pœnam depositionis contra eos qui se absciderant, decernentes, habuissent, vel novissent.

Quartò Sanctus Athanasius Epistolâ ad Solitariam Vitam agentes, facinus Leontii Episcopi Antiocheni Arianarum partium exagitans, qui seipsum absciderat, ut liberè cum Eustolio dormiret, revera ejus concubina, sed quæ virgo dicebatur; ait *Ipsum, ne ut Laicum quidem ad communionem admitti oportuisse*, Nicænum Canonem primum spectans. At nullum Canonem Apostolicum memorat, quem tamen non omisisset, si extitisset ullus, ad augendam in Leontio tam absurdi facinoris invidiam.

Denique Sanctus Epiphanius Hæresi 58. quæ est Valesiorum, qui se ipsos abscindebant, cùm multis argumentis illorum dogma refellat, nullam Canonum Apostolicorum mentionem facit; quos, si verè Apostolici essent, omittere flagitium erat; quòd nihil proferri posset in absurdum Valesiorum institutum validius. Ex his igitur omnibus colligitur citatos Canones 21. 22. & 23. Apostolis affictos esse.

Idem probatur de Canone 49. quo trinæ immersionis in baptismo ritus præcipitur. *Si quis Episcopus, aut Presbyter, non trinam mersionem unius mysterii celebret, &c. deponatur.* Istum namque Canonem Apostolicum non esse constat, primò quia Apostoli ipsi trinam in administrando baptismo immersionem non semper frequentarunt, cum tria circiter millia hominum hocce ritu baptizari ab ipsis non potuerint una die, (*Act.* 2.) Secundò, quia veteres sola traditione non scripta à majoribus acceptum trinæ mersionis in baptismo ritum, nulla scripta lege constitutum testantur, Tertullianus de Corona cap. 3. Sanctus Basilius lib. de Spiritu Sancto cap. 27. & Sanctus Hieronymus in Dialogo adversùs Luciferianos. Atqui falsò dixissent, nullam istius ritûs scriptam esse legem, si Apostolicus ea de re Canon scriptus extitisset: ergo ille Canon falsò Apostolis affictus est.

Dices, hoc Canone non damnari eos, qui trinæ mersionis ritum non adhibent in baptismo, sed eos qui ita hunc ritum negligunt, ut *unam mersionem celebrent, quæ datur in mortem Domini*, id est, eos damnari qui in mortem Domini baptizabant, non in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti; non verò eos, qui semel tantum mergebant, invocatis tribus personis Sanctissimæ Trinitatis: adeóque illas rationes non probare quòd Canon ille non sit Apostolicus.

Contra: Tempore Apostolorum nulli hæretici extitisse leguntur, qui non trina mersione, sed uni-

ca, in mortem Christi baptizarent. Ergo Canon ille hac ipsa ratione evincitur non esse Apostolicus.

Probatur antecedens. Non enim alii in Ecclesiasticæ Historiæ monumentis occurrunt hujusmodi hæretici, quàm Eunomiani, ut constat ex Socrate lib. 5. Historiæ cap. 14. & ex Theodoreto lib. 4. Hæreticarum Fabularum cap. 3. & ex Synodo Oecumenica Constantinopolitana I. Canone 7. Cùm itaque Eunomiani, quos perstringit ille Canon, sub Imperio Constantii, hoc est, post annum Domini 337. exorti sint, sequitur hujus Canonis Authorem duobus & ampliùs sæculis fuisse Apostolis recentiorem.

Probatur quintò propositio ex Decreto Synodi Romanæ anno 494. habitæ, præside Gelasio Pontifice Maximo cujus quidem Decreti prima pars, cùm post sacros utriusque Testamenti libros, alia Ecclesiastica Monumenta commemoret, scilicet Decreta Synodorum Nicænæ, Constantinopolitanæ, Ephesinæ, Calcedonensis; & Opera Sanctorum Patrum, ut Cypriani, Basilii, Athanasii, Cyrilli, Chrysostomi, & aliorum, nullam planè Canonum Apostolicorum mentionem facit: quos tamen si verè Apostolicos agnovisset, vel in serie sacrorum librorum, vel certè inter Ecclesiastica Monumenta, primo loco recensere debuisset. In posteriori verò Decreti parte, quæ Apocryphorum notitiam continet, Canones Apostolorum disertissimis verbis nominavit Gelasius cum Romana Synodo: *Liber*, inquit, *Canonum Apostolorum apocryphus.*

Respondet Turrianus in defensione Canonum Apostolorum cap. 55. librum Canonum Apostolicorum à Gelasio explosum, esse alium quemdam à Codice 85. Canonum quem habemus, longè diversum, editum à Priscillianistis sub Apostolorum nomine; Sanctique Leonis verbis suam illam fulcit responsionem in Epistolâ 93. ad Turribium, asserentis se Priscillianistarum *multos corruptissimos Codices, qui Canonici titulantur, invenisse: & apocryphas scripturas, quæ sub nominibus Apostolorum, multarum habent seminarium falsitatum.*

Contrà: Gelasius toto illo Decreto nullum alium Canonum Apostolicorum librum Ecclesiasticum, atque legitimum memorat: ergo nullum agnovit nisi apocryphum.

Secundò, si tunc temporis duo extitissent Canonum Apostolicorum Codices; unus legitimus, & Ecclesiasticus; alter apocryphus, & ab hæreticis suppositus, cæterùm ejusdem uterque nominis ac tituli; quemadmodum Tertulliani tempore duo Lucæ Codices extabant, unus verus & incorruptus, falsus alter, & à Marcione depravatus: si res, inquam, ita se habuisset, Gelasius distinguere debuisset legitimum Apostolicorum Canonum Codicem, quem intactum sinebat, à falso quem velut apocryphum repudiabat, atque ita decernere; *Liber, qui falsò à Priscillianistis, Canonum Apostolicorum dicitur, apocryphus.* Ut si quis Lucæ Evangelium à Marcione interpolatum rejicere velit, ita loquatur necesse est; *Evangelium, quod dicitur Lucæ, à Marcione interpolatum, apocryphum*: non verò simpliciter & absolutè, *Liber Evangelii secundùm Lucam apocryphus.* At nulla distinctione usus est Gelasius; sed simpliciter pronuntiavit; *Liber Canonum Apostolicorum Apocryphus*: ergo omnem, qui tunc extabat, Canonum Apostolicorum librum hac condemnatione involvit.

Præterea. Humbertus Cardinalis respondens Nicetæ Pectorato, qui Canone 65. Apostolorum adversùs Latinos pugnabat Sabbato jejunantes, ait; *Hoc*, id est, Sabbato non jejunandum, *asserere conaris ex apocryphis libris; & Canonibus pari sententia Sanctorum Patrum repudiatis.* Quæ verba Gelasii, & Synodi Romanæ Decretum spectant, assentiente Turriano. Atqui Canon à Niceta prolatus contra Romanam Ecclesiam, non erat depromptus è Codice Priscillianistarum, sed ex Codice Orientalis Ecclesiæ quæ Canones 85. Apostolicos in Trullana Synodo susceperat: ergo non tantùm liber Canonum Apostolicorum à Priscillianistis editus (si quis unquam extitit) sed hic ipse liber qui 85. Canones à Græcis receptos complectitur, à Gelasio Pontifice, & Romana Synodo, in apocryphorum classem ablegatus est.

Respondet Bellarminus lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis in *Clemente*, istud Gelasii Decretum non ferire quinquaginta priores Canones Apostolis inscriptos, sed posteriores tantùm triginta quinque.

Contrà: Gelasius decernit apocryphum esse librum Canonum Apostolicorum; sed 50. priores Canones Apostolis inscripti, vel eum librum conficiunt, vel certè ejus pars sunt, & quidem potior: ergo & ipsos apocryphos esse decrevit Gelasius. Nam si 35. posteriores tantùm explodere voluisset, prioribus verò 50. parcere; alios ab aliis distinxisset, nec indiscretè & simpliciter librum Canonum Apostolicorum ad apocrypha amandasset.

Respondet Baronius, librum Canonum Apostolicorum ideo apocryphum à Gelasio nuncupari, quòd non sit in censu divinorum Novi Testamenti librorum; non autem quòd ex librorum Ecclesiasticorum albo excludi debeat, & expungi.

Contrà: Gelasii Decretum tres librorum ordines continet. In primo, collocat libros sacros veteris novique Testamenti: in altero, libros non sacros quidem, nec Canonicos, sed probitos ab Ecclesia percenset, ut Canones & Acta Conciliorum; necnon Opuscula Sanctorum Patrum: in tertio, libros ab Ecclesia rejectos & improbatos reponit; ut *Itinerarium Petri; octo Clementis libros: Actus Andreæ, Thomæ, Petri, Philippi; Evangelia Thadæi, Matthiæ*, &c. Atqui Apostolorum Canones nedum in primo ordine non collocat Gelasius, id est, inter libros divinos & Canonicos; sed nec in secundo, id est, inter libros Ecclesiasticos & authenticos: ergo censuit Apostolorum Canones apocryphos esse, non modò quia non sunt pars Scripturæ Sacræ; verùm etiam quia Ecclesiasticam, ut Concilia, & Opera Sanctorum Patrum, authoritatem non habent.

Confirmatur ex ipsis Gelasiani Decreti verbis, in quo, postquam secundi ordinis Opera recensita sunt, hæc habentur: *Cætera, quæ ab hæreticis, sive schismaticis conscripta, vel prædicata sunt, nullatenus recipit Catholica & Apostolica Ecclesia, è quibus pauca, quæ ad memoriam venerunt, & à Catholicis vitanda sunt, credimus esse subdenda. In primis Ariminensem Synodum. Itinerarium nomine Petri Apostoli.* Et post multa ejusdem generis una serie recensita, subdit: *Liber Canonum Apostolicorum apocryphus.* Ergo etiam hic liber, judice Gelasio, ex iis est, quæ ab hæreticis vel schismaticis conscripta sunt, & quæ nullatenus recipit Catholica Ecclesia.

Probatur sextò ex Sancto Isidoro Hispalensi, qui septimo ineunte sæculo floruit; cujus hæc sunt verba à Gratiano in Decretum relata, Dist. 16. cap. 1. & *in omnibus veteribus libris Conciliorum Hispaniæ inventa*, teste Antonio Augustino Tarraconensi Episcopo lib. 1. de Emendatione Gratia-

nia

ni, Dialogo 6. *Canones, qui dicuntur Apostolorum,* A *sed quia eosdem nec Sedes Apostolica recepit, nec Sancti Patres illis assensum prabuerunt, pro eo quod ab hareticis sub nomine Apostolorum compositi dignoscuntur; quamvis in eis utilia inveniantur, tamen authoritate Canonica atque Apostolica, eorum gesta constat esse remota, atque inter apocrypha deputata.*

Probatur ultimò ex Hincmaro Archiepiscopo Remensi, in Opusculo 55. capitum, quod anno Domini 870. adversùs Hincmarum nepotem, Laudunensem Episcopum, elucubravit, cap. 24. B Sic autem loquitur: *Canones, qui vocantur Apostolorum, antequam Episcopi Concilia liberè inciperent celebrare, à devotis quibusque collecti; in quibus quadam receptibilia, quadam verò sunt non servanda. De quibus interdum quadam assumpta sunt in Conciliis; quadam à maximis, & pracipua autoritatis viris, in suis Opusculis (sicut & de Apocryphis) assumpta fuisse legimus, quoniam in quibusdam ad instructionem valent. Et ideo (sicut majorum traditione didicimus) seorsum ante Concilia in Canonum libris, ad instructionem, & propter vulgatam eorum famam ponuntur....... Caterum iidem Canones,* C *qui vocantur Apostolorum, non ab Apostolis conscripti esse creduntur....... Sed & B. Gelasius, in Catalogo qui libri ab Ecclesia recipiantur, de his Apostolorum Canonibus penitus tacuit; sed nec inter apocrypha eos misit, quapropter in lectione illorum sequenda est cautela ab eodem Sancto Gelasio pramonita. Cùm hac,* inquit, *ad Catholicorum manum advenerint, B. Pauli Apostoli pracedat sententia, qua dicit: Omnia probate; quod bonum est, tenete.* Ex his itaque constat viros mediæ ætatis eruditissimos, existimasse Canones, qui Apostolorum dicuntur, falsò Apostolis inscribi, nec ab eis usquam editos fuisse, D imò ad apocrypha prorsùs amandandos. Adverte Hincmarum vel in Codicem mutilum Synodi Romanæ sub Gelasio incidisse; si quidem ait ipsum non misisse librum Canonum Apostolicorum inter apocrypha; vel mendum in textum Hincmari irrepsisse, & loco istorum verborum, *Sed nec inter apocrypha eos misit*, sic restituendum esse; *Sed nec inter apocrypha eos omisit.*

Objicitur in tertiam propositionem, & in ultimam partem primæ. Priores Ecclesiæ Romanæ Pontifices, ut Anacletus, Alexander, Julius, Eleutherus, Marcellus, Fabianus, Eusebius, Ani- E cetus, Calixtus, Lucius, Eutychianus, Canonum Apostolicorum suis in Epistolis disertè meminerunt, eosque probarunt, ut constat ex eorum testimoniis à Turriano laudatis: ergo Canones Apostolis inscripti, verè Apostolici sunt, & ut tales agniti prioribus Ecclesiæ sæculis.

Respondeo, distinguo antecedens. Canonum Apostolicorum meminerunt, eosque probarunt, in Epistolis pseudepigraphis & supposititiis concedo: in Epistolis legitimis, nego. At Epistolæ priorum Pontificum, ad Siricium usque, quas in Canonum F Apostolicorum gratiam protulit Turrianus, spuriæ sunt, & tam multa, tamque insignia falsitatis & suppositionis præferunt argumenta, ut nemo fere eruditus vivat, qui aliquam illis tribuat authoritatem. Prodierunt enimverò omnes illæ Epistolæ ex ejusdem impostoris officina, circa noni sæculi initium: quo tempore cùm jamdudum extarent apud Latinos Apostolorum Canones à Dionysio latinitate donati, mirum non est quòd ab impostore sub priorum Pontificum larva delitescente, laudati fuerint, & ab eo Apostolis, quorum nomen præferebant, adscripti. Sed de illis Epistolis postea dicemus.

Contrà, Gelasius I. Pontifex Maximus inter authentica scripta retulit Epistolas Decretales, quas Romani Pontifices, diversis temporibus, ad varias consultationes responsuri, dederunt, summa veneratione recipiendas: sed ex iis est Epistola Zephyrini, in qua continetur, Apostolos 70. sententias cum aliis quamplurimis Episcopis præfixisse, & servandas censuisse. Illæ autem sententiæ sunt ipsi Apostolorum Canones: ergo Canones illi sunt verè Apostolici.

Respondeo, distinguo Majorem: Gelasius inter authentica scripta retulit Epistolas Decretales Romanorum Pontificum, aliquas concedo; omnes, nego. Quas autem retulerit, constat ex Epistola 2. Leonis IV. ad Britanniæ Episcopos data, ubi Epistolas illas Decretales, quæ apud Ecclesiam Romanam in Canone habebantur, & quibus in ecclesiasticis negotiis utebantur Pontifices, disertè demonstrat, nempe *Sylvestri, Siricii, Innocentii, Zosimi, Calestini, & Leonis.* Inter quas cùm nullam ponat Zephyrini Decretalem, nonnisi per somnium dici potest, hanc ipsi cognitam & probatam fuisse. Præterea, cur Apostolicas septuaginta sententias ipsos Canones Apostolis inscriptos concedam, qui vel 85. in Codice Orientalis Ecclesiæ; vel 50. tantùm in nostro recensentur? Scio equidem Romanos Decreti Correctores ad Canonem 2. Dist. 16. legi monere, non septuaginta, sed quinquaginta sententias Apostolicas; qui numerus Canonibus Apostolicis, in Dionysii Collectione extantibus convenit. Sed etsi res ita se habeat, nego hinc sequi ut illi Canones Zephyrino noti probatique fuerint; quia illius Epistolæ, & aliarum similium consarcinator est Isidorus Mercator, qui sexcentis post verum Zephyrinum annis vixit.

Objectio secunda petitur ex Tertulliano in libro adversùs Praxeam scribente, Canones Apostolorum esse nobis per manus traditos. Ergo Canones illi secundo Ecclesiæ sæculo noti erant, receptique ut verè Apostolici.

Respondeo, nego antecedens. Id quidem ex Tertulliano citat Bellarminus lib. de Scriptoris Ecclesiasticis in *Clemente*. Citat ante Bellarminum & Sixtus Senensis lib. 2. Bibliothecæ Sanctæ in *Clemente*: citat post ipsos Possevinus, in Apparatu sacro, verbo *Clemens*. Sed id falsò omnes Tertulliano affingunt, quæ nec in libro adversùs Praxeam, nec alibi uspiam scripsisse deprehenditur.

Objicitur tertiò. Origenes lib. contra Celsum, testatur Fideles lapsos, peractâ legitimâ Pœnitentiâ, in Ecclesiæ communionem admissos fuisse, non tamen ad sacrum Ministerium promotos: quod idem Canone Apostolorum 51. & 80. edicitur. Et lib. 8. contra eundem Celsum, ait; *Christianos à muneribus reipublica gerendis abstinere, non quòd communus vita ministeria fugiant, sed quod servent se diviniori, ac magis necessario ministerio Ecclesia Dei, ad salutem hominum.* Cùm igitur idem constituant Canones Apostolorum 6. & 61. rectè colligitur eos Origeni notos, & pro Apostolicis habitos fuisse.

Respondeo, nego consequentiam. Equidem ex Origenis dictis colligitur mores illos in Ecclesia jam viguisse ipsius ætate, hoc est tertio Christianismi jam adulto sæculo, sed vel Apostoli doctrinâ; & recta ratione nitebantur, ut posterior, Ecclesiæ Ministris curas mundi, & populares administrationes prohibens. *Nemo enim militans Deo implicat se negotiis sacularibus*, inquit Apostolus scribens ad Timotheum 2. Epistolæ cap. 2. vel Episcoporum placitis, & factis nitebantur, qui hancce disciplinam suas in Ecclesias introduxerant, ut prior, quo lapsi ad communionem peractâ pœnitentiâ, recipiebantur, ab altaris ministerio arcebantur.

Non spectavit igitur Origenes Canones Apostolicos, nec eorum vel per umbram meminit. Unde falsissimum est quod Binius scribit in Notis, Canonem 51. Apostolorum citatum esse ab Origene lib. 3. contra Celsum. Itaque horum Canonum Author ex antiqua consuetudine, quæ jam Origenis temporibus vigebat, ansam arripuit confingendi illos Canones, ut hac vetustatis objectâ larvâ, faciliùs incautis imponeret.

Objicitur quartò. Sanctus Alexander Episcopus Alexandrinus disertè meminit Canonum Apostolicorum in Epistola ad Alexandrum Episcopum Constantinopolitanum, quam refert Theodoretus lib. 1. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 4. ubi eos Episcopos objurgat, à quibus Clerici suscipiebantur, quos ipse excommunicaverat, idque ait contrarium esse Canoni Apostolico. *Unde fit*, inquit, *ut nonnulli qui eorum litteris* (Arianorum scilicet) *subscribunt, in Ecclesiam recipiantur: quod factum maximam infamia coram Collegis nostris, qui illud ausi sunt, inussit; qui non modò id, quod Canon Apostolicus non permisit, faciunt; sed conatum eorum planè diabolicum contra Christum vehementiorem faciunt.* At his verbis Canonem Apostolicum 16. manifestè indicat. Ergo tempore Sancti Alexandri Patriarchæ Alexandrini, hoc est, circa Nicæni Concilii tempora, Canones Apostolorum recepti erant ceu verè Apostolici.

Confirmatur ex Nicæni Concilii Canone 5. in quo laudatur Canon antiquus, quo interdictum est Episcopis, ne ab uno excommunicatos alii admittant in communionem. *De his*, inquit, *qui communione privantur, seu ex Clero, seu ex Laïco ordine ab Episcopis per unamquamque provinciam, sententia regularis obtineat ut hi qui abjiciuntur, ab aliis non recipiantur.* Habetur in Græco, κατὰ τὸν κανόνα. Quibus verbis apertè significatur Canon Apostolicus duodecimus. Ergo Nicænis Patribus noti fuerunt illi Canones, probatique ut verè Apostolici.

Idem probat Concilii Antiocheni Canon secundus, qui vetat *In alteram Ecclesiam recipi, qui ab alia excommunicatur. Quod si quis Episcoporum, Presbyterorum, Diaconorum, vel etiam qui in Canone detinentur, excommunicatis communicare deprehensus fuerit, &c. hunc oportet communione privari, tanquam Ecclesiæ regulas confundentem.*

Respondeo ad primum, nego Minorem; quòd scilicet Sanctus Alexander his verbis Canonem Apostolicum 16. manifestè indicaverit. Nam Canon 16. Apostolis inscriptus perstringit Episcopos, qui Clericos è propria Parochia, seu Diœcesi, ad aliam, absque sui Episcopi licentia migrantes susceperint, sive illi Clerici orthodoxi fuerint, sive hæretici; at Sanctus Alexander loquitur de iis qui se communione cum hæreticis inita maculaverint, & qui ipsorum literis subscripserint. Unde Sanctus Alexander Canonis Apostolici nomine non intellexit legem aliquam scriptam, & editam ab Apostolis, sed regulam à viris Apostolicis constitutam; vel etiam ab Apostolis (ut piè credebatur) sine scripto acceptam, quæ constanti omnium Ecclesiarum more firmata erat, ut Ecclesiæ paci, & Pastorum concordiæ consuleretur. Vel dico, nomine Canonis Apostolici intellexisse Sanctum Alexandrum Apostoli sententiam (quam citat) ad Galatas 1. dicentis: *Si quis vobis evangelizaverit, præter id quod accepistis, anathema sit.* De Arianis enim agebat, qui cùm hæreseos manifesti essent, anathemate ab omnibus Ecclesiis percelli debebant.

Ad confirmationem respondeo, Concilium Nicænum, & Synodum Antiochenam, intellexisse regulam publici Ecclesiæ moris usûsque; non verò Canonem aliquem ab Apostolis editum; alioqui Apostolos disertè laudassent; id enim & ad Apostolorum laudem, ad Patrum Nicænorum pietatem, & ad legis, quam ferebant, authoritatem in primis pertinebat.

Objectio quinta sumitur ex Epistola Constantini Imperatoris ad Eusebium Cæsariensem data; qua illius pietatem laudat, quòd ab Antiochenis ad Ecclesiam illam, quæ Metropolis erat Orientis, civium & Cleri suffragiis electus, Cæsareæ Episcopatum deserere noluerit, ab una in alteram Ecclesiam migrando; sed maluerit Apostolicum Canonem rigidè observare. Is autem est Canon Apostolorum decimus quartus, quo migrationes istæ prohibentur. Extat apud Eusebium lib. 3. de Vita Constantini cap. 59. illa Epistola. *Porro*, inquit, *abs te prudenter sanè factum est, quod & Domini mandatum, & Apostolicum, Ecclesiæque Canonem servare decrevisti, Episcopatum Ecclesiæ Antiochenæ prorsus repudiando, & in eo Episcopatu fungendo permanere laborasti, quem ab initio, Dei voluntate susceperas.*

Confirmatur ex Synodo Nicæna, cujus Canone 15. vetantur migrationes ab una Parœcia in aliam; quas tunc factas fuisse, *præter Canonem*, observat Synodus. Aliquo ergo Canone anteriori vetitæ erant translationes: qui quidem alius non est, quàm 15. Canon Apostolicus.

Huc quoque spectat Synodus Antiochena Canone 21. decernens, *Ut Episcopus maneat in Ecclesia, quam à Deo sortitus est, secundùm decretum priùs ea de re editum.*

Respondeo, Canonem à Constantino, & à Nicænis Patribus laudatum, esse ipsum publicum, legitimumque morem Ecclesiæ illorum temporum, non verò editum ab Apostolis Canonem, unde Nicæna Synodus Canonem quidem citat, sed nullos Apostolos laudat; Constantinus verò laudat Ecclesiæ Canonem, non verò Apostolorum; quamvis Apostolicæ traditioni consentaneum scribat. Sic enim habet initio Epistolæ: *Epistolam tuam legi diligentissimè, ex qua Ecclesiæ Canonem exquisitè abs te servatum intellexi. In his namque persistere, quæ Deo grata, quæque Traditioni Apostolicæ consentanea videntur, permagnæ pietatis est.* Canon verò priùs contra migrationes editus, cujus Antiochena Synodus meminit, est Canon Nicæni Concilii.

Contra, Constantinus citat Apostolicum Mandatum contra migrationes Episcoporum: atqui nullum extat nisi in Canone Apostolorum 14. ergo, &c.

Respondeo, distinguo Minorem. Nullum extat scriptum, concedo; traditum, nego. Vel nullum extat, disertis verbis & explicitè conceptum, concedo; implicitè in Apostolica doctrina extans, & ex ea per rectam expositionem haustum, nego. Illud autem mandatum colligitur ex his Apostoli verbis: (ut Alexandrini Concilii Patres in Epistola Synodica apud Sanctum Athanasium Apologia 2. advertunt) *Alligatus es uxori? noli quærere solutionem.* Quod de matrimonio spirituali Episcopi cum sua Ecclesia æquè intelligendum volunt, ac de conjunctione viri cum muliere. Agentes namque contra Eusebium Nicomediensem, qui è Berytensi Ecclesia ad Nicomediensem migraverat, ita ipsum perstringunt. *Nec secum recogitat dictum illud Apostoli, quo profitetur se in alienis laboribus non gloriaturum: neque præ oculis habet illius præceptum; Alligatus es uxori? ne quære solutionem. Quòd si hoc de uxore dictum est, quantò magis de Ecclesia; atque adeò de Episcopatu, cui cùm quis alligatus est, aliam quærere non debet, ne adulter in sacris Literis deprehendatur?*

Objectio sexta conflatur ex variis Nicænæ Synodi Canonibus. Patres Nicæni Canone 1. statuunt; si quis seipsum exciderit, ne in Clerum admittatur. *Quos verò barbari, aut domini castraverunt, si*

*inveniuntur*

*inveniantur aliàs digni, tales ad Clerum Canonem suscipere.* Cùm itaque idem Apostolicis Canonibus 20. 21. & 22. sancitum sit, sequitur cognitos ipsis fuisse istos Canones, & pro Apostolicis habitos.

Præterea, eadem Synodus Canone 2. ait, multa facta esse adversùs *Ecclesiasticam regulam*, verbi gratia, quòd homines ex gentili vita nuper accedentes ad fidem, brevique tempore instructi, mox ad baptismum perducerentur, simulque ad Episcopatum, vel ad Sacerdotium promoverentur. Hæc porro regula est Canon Apostolorum octogesimus: ergo, &c.

Denique Canone 10. Nicæno, Canon Apostolicus 62. insinuatur, & explicatur. Hoc Apostolico Canone, qui metu supplicii Christum negat, gradu dejicitur, & pellitur ab Ecclesia. Sed de eo, qui post lapsum fuerit ordinatus, nihil statuitur. Ad hanc tamen speciem Nicæna Synodus pœnam depositionis extendit, his verbis: *Quicunque de lapsis ad ordinem Cleri promoti sunt per ignorantiam, vel per Ordinantium dissimulationem, hoc Ecclesiasticæ non præjudicat Regulæ; cogniti namque deponantur.* Quasi diceret; Subsecuta lapsum Ordinatio obnoxia etiam erit pœnæ, quæ Canone Ecclesiastico lata est, id est Apostolico 62. licèt Canon iste disertè tantùm de eo loquatur, qui Clero adscriptus erat ante lapsum; cùm in utraque specie par sit omnino ratio.

Respondeo ad primum, nego consequens. Nam Canones illos de Eunuchis in Clerum non recipiendis, Apostolis suppositos esse disertè probavimus, ex facto præsertim, Origenis, cui nusquam Apostolici Canonis violatio ab æmulis objecta est. Canon itaque à Nicænis Patribus laudatus, est mos ipse Ecclesiæ, vel lex aliqua Origenici facti occasione ab Ecclesiasticis Præpositis lata, ne quis se exsecare pietatis specie, vel tanti viri exemplo auderet; & si quis auderet, is à Sacris submoveretur. Quæ lex deinceps apud omnes Ecclesias communi Antistitum consensu obtinuit.

Ad secundum, nego Patres Nicænos nomine Regulæ Ecclesiasticæ Canonem 80. Apostolorum significasse: Quidni enim Apostolicam potiùs, quam Ecclesiasticam Regulam appellassent? Quanquam & Apostolicum omnino est, quod ex 1. ad Timotheum 3. est depromptum, cujus verba ibidem citant; quæ Apostoli doctrina meritò regula Ecclesiæ ab ipsis vocatur. *Tempore, inquiunt, opus est ei, qui baptizatur, & post baptismum, probatione quamplurima. Manifesta est enim Apostolica Scriptura, quæ dicit: Non Neophytum, ne in superbiam elatus, in judicium incidat, & in laqueum diaboli.*

Ad Tertium, nego regulam Ecclesiasticam, ad quam alludit Nicænorum Canonum decimus, esse sexagesimum-secundum Canonem Apostolicum. Satis enim est ad Nicænorum Patrum sententiam explicandam statuere, jam tum fuisse morem aliquem certum ac legitimum, quo Apostatæ à Clero arcerentur, partim ex sacra Scriptura haustum, quæ sacros Ministros puros criminis esse jubet; partim ex rectæ rationis luce, qui mos ab omnibus approbatus, & usurpatus, *Regula Ecclesiastica* vocatus est à Patribus Nicænis. An is autem lege aliqua scripta explicatus, literisque mandatus; an verò communi omnium usu ac tacito consensu receptus fuerit, nihil ad Synodi mentem interest.

Objectio septima petitur ex Synodo Antiochena, quæ alludit ad Canonem Apostolicum 34. quo inhibetur ne quid gravioris momenti agant Episcopi provinciales, sine sententia ejus qui præest Metropoli, quod iisdem ferè verbis statuitur Canone 9. Synodi Antiochenæ, *secundum antiquam à Patribus nostris regulam constitutam.* Et ejusdem Concilii Canone 23. prohibetur, ne quis Episcopus sibi successorem eligat; sed electio fiat *secundum regulam ecclesiasticam*; qua significatur Canon Apostolicus septuagesimus sextus. Ergo noti erant, receptique tunc temporis Canones Apostolici.

Respondeo, nego antecedens; quòd scilicet Antiochena Synodus nomine antiquæ & ecclesiasticæ regulæ Canones Apostolicos significet. Colligitur quidem ex Antiochenis Canonibus laudatis, ea quæ ipsi decernunt, jam ante illam Synodum in usu ecclesiastico fuisse, à superioris memoriæ sive Synodis sive Episcopis constituta: sed lege lata ab Apostolis sancita fuisse non evincitur. Unde Antiochena Synodus citat regulam *à Patribus* constitutam, non ab Apostolis; quod addidisset ad majus decretorum suorum robur, si verè novisset esse Apostolicam.

Nec verò necesse est, nomine antiquarum regularum, quæ sive à Nicæna, sive ab Antiochena, sive ab antetioribus Synodis memorantur, intelligi Canones Apostolicos; etiamsi in nullis Veterum monumentis conscriptæ sint. Ecce tibi non unum exemplum. Synodus Nicæna Canone 13. hæc habet: *De his qui ad exitum veniunt, lex antiqua regularisque servabitur, ita ut, si quis egreditur è corpore, ultimo & necessario Viatico minimè privetur.* Ubi, quæso, habetur illa antiqua regularisque lex? Certè nec in Apostolicorum Canonum Collectione, nec in antiquis Ecclesiæ monumentis ante Nicænam Synodum.

Ancyrana Synodus Canone 21. ait, *Priorem definitionem præcepisse, ut mulieres, quæ fornicatæ, fœtus in utero perimerent, usque ad exitum vitæ ab Ecclesia removerentur.* Ubi, quæso, vel in Apostolicis Canonibus, vel in aliquo vetustiori Ancyrana ista Synodo monumento, hanc regulam, seu priorem definitionem reperies? Non sequitur ergo quascunque regulas antiquas, Antiochena, & Nicæna Synodo priores, etiamsi in nullo vetustiorum temporum monumento legantur, ex Codice Canonum Apostolicorum esse citatas. Itaque leges, regulæ, vel definitiones antiquæ Ecclesiæ, & Patrum, quas Nicæna, Antiochena, & si qua alia Synodus, memorant; eæ sunt, quæ tum in Ecclesiæ regimine obtinebant, vel tacito omnium consensu receptæ; vel quæ alicujus, sive Synodi, sive etiam Episcopi decreto præceptæ ac sancitæ, vel in una provincia, vel in pluribus, vel etiam in omnibus observabantur.

Eodem sensu exponenda sunt Africana Concilia, quæ *Disciplinam Ecclesiasticam, ordinem & à Patribus & à majoribus servatum, formam antiquam, statuta ex antiquorum sententia*, memorant ac commendant, observarique præcipiunt, ut Concilium Carthaginense II. Canone 8. & Synodus Africana Canone 53. & Codicis Africani 49. & 86. His enim nominibus, quæ apud suam Ecclesiam in usu erant, vel à vetustis Synodis constituta, vel à majoribus, nudâ & simplici traditione accepta, significant, non verò Canones aliquos Apostolicos.

Contra. Patres Africani in Concilio Carthaginensi II. Canone 2. Episcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum continentiam sancientes, aiunt: *Id Apostolos docuisse, & ipsam servasse antiquitatem.* Quibus verbis indicarunt Canonem 5. Apostolorum. Ergo Canones illi noti fuerunt Ecclesiæ veteri Africanæ, ab eaque recepti ut verè Apostolici.

Respondeo, distinguo antecedens. Aiunt id Apostolos docuisse, in genere concedo, quatenus sacris hominibus continentiam suis in Epistolis præceperunt, S. Paulus enim ad Titum 1. tradit Episcopum, inter cæteras dotes, continentem esse debere: aiunt id Apostolos docuisse, in specie; hoc est, omnem omnino usum conjugii prohibuisse Ecclesiæ Ministris, nego. Vel aiunt Apostolos id docuisse vivâ

vivâ voce, & extra Scripturam, concedo. Latô eâ de re Canone, nego. Namque ad Canonem quintum Apostolicum non respexerunt, qui tunc nullus erat, quique præterea nisi sancit de sacrorum hominum cœlibatu, sed solùm *Ne Episcopus, Presbyter, vel Diaconus, uxorem suam ejiciant, religionis prætextu.*

Objectio octava petitur ex Sancto Athanasio in Epistola ad Orthodoxos, ubi de Georgii Cappadocis, hominis Ariani, audacia conqueritur, qui jussu Comitis, per vim, Sedem Alexandrinam occupavit. Violatos ab eo Canones Ecclesiasticos palam profitetur, id est Canonem Apostolorum 31. quo præcipitur ut *Si quis sæculi potestatibus usus, Ecclesiam per ipsas obtineat, deponatur.* Ergo tempore Sancti Athanasii noti erant ac recepti in Ecclesia Apostolici Canones.

Præterea Sanctus Athanasius in Synopsi, Canones Apostolorum inter Hagiographa numerat: ergo, &c.

Respondeo, distinguo antecedens: Sanctus Athanasius conqueritur violatos Canones Ecclesiasticos, id est, ab Episcopis, vel Synodis constitutos, concedo; id est, ab Apostolis editos, nego. Ait enim hos Canones *pulchrè ac firmè à Patribus nostris traditos.* Certè ab Apostolis editos non siluisset, ut invidiosum magis redderet Georgii Cappadocis facinus, si ita rem se habere existimasset, ipsique noti fuissent illi, de quibus nunc disceptamus, Apostolis inscripti Canones.

Ad secundum respondeo, nego antecedens; quo Bellarminus post Sixtum Senensem, velut egregio argumento abutitur. Nam in tota Synopsi Sanctus Athanasius ne levissimam quidem Apostolicorum Canonum facit mentionem. Equidem inter *ea Novi Testamenti* scripta, *quibus contradicitur*, unà cum *Petri, Joannisque, & Thomæ Periodis, sive Itinerariis, Thomæque Evangelio, Clementina* etiam reponit; id est, illa Clementis nomine, paulò ante Eusebii tempora, conficta & vulgata scripta, *verbosa & prolixa. Petri & Appionis* colloquia, sermonesque complectentia, quorum meminit Eusebius lib. 3. Historiæ cap. 38.

Cæterùm quicquid *Clementinorum* nomine intellexerit Sanctus Athanasius, non hæc pro libris hagiographis habuit, ut Bellarminus ait; sed eodem loco duntaxat numeroque censendos existimavit, quo *Petri, & Joannis, & Thomæ Circuitus: & Evangelium secundum Thomam*, quæ inter apocrypha semper censuit Ecclesia.

Objectio nona petitur ex Sancto Basilio Epistolâ 1. ad Amphilochium cap. 3. ubi Diaconum à gradu dejectum ob crimen, non arcet à communione, *Quoniam antiquus est Canon, ut lapsi ex gradu, ex ministerio quidem sacro ejiciantur; communione verò nequaquam priventur.* Atqui vetus ille Canon quem laudat, est Canon Apostolorum vigesimus quintus: ergo Sancto Basilio noti probatique fuerunt Apostolorum Canones.

Respondeo, nego Minorem. Equidem S. Basilii Canon eadem omnino decernit, quæ vigesimus-quintus ille Apostolis adscriptus; sed nego quòd Canonem illum respexerit, qui tunc nullus erat; imò contendo vigesimum-quintum illum Pseudo-Apostolicum, ex Basiliano exscriptum fuisse. Certè de illo nequidem cogitasse Sanctum Basilium constat ex ratione quam addidit suo Canoni: *Arbitror secutos esse illos primos legem illam, Non vindicabis bis in idipsum.* At hæc frigidè omnino, ineptèque dixerit de Authoribus Canonis vigesimi-quinti citati. Hos enim secutos esse legem illam evidentius est, quàm ut id hisce verbis significare voluerit Basilius; *arbitror*, &c. siquidem illi disertè ac nominatim suo illi Canoni hanc rationem addunt; *Dicit enim Scriptura, Non vindicabit Dominus bis in idipsum.*

Objectio decima eruitur ex Synodo Constantinopolitana, habita sub Nectario, in causa Agapii, ubi quærente Arabiano Ancyræ Episcopo, an liceret duobus Episcopis Episcopum accusatum gradu dejicere; ex sententia Nectarii & Theophili Alexandrini, totiusque Synodi, decernitur, Episcopum dejici non posse, præterquam à Synodo Episcoporum provinciæ, *ut Apostolici Canones constituerunt.* Quibus verbis, Canon Apostolicus septuagesimus-tertius significatur. Ergo tunc temporis in Orientali Ecclesia recepti erant Canones Apostolici.

Respondeo, Synodum illam Constantinopolitanam Canonum Apostolicorum nomine intellexisse Canones à Viris Apostolicis editos, non ab Apostolis ipsis. Spectavit autem Canonem quintum Nicænæ Synodi, ad quem postea alludens Ecclesia Africana in Epistola ad Cœlestinum I. Pontificem Maximum ait: *Synodi Nicænæ Decreta, sive inferioris Ordines Clericos, sive ipsos Episcopos, Metropolitanis suis apertissimè commiserunt.* Certè si noti tum fuissent ac recepti Apostolorum Canones, Patres Africani illos æquè laudassent ac Nicænos.

Objectio undecima ex Innocentio I. Pontifice Maximo in Epistola ad Victricium Rothomagensem Episcopum data anno Domini 404. ubi capitibus 1. 2. 3. 5. 6: &c, multa decernit, quæ Apostolicis Canonibus 1. 61. 34. 36. 12. &c. continentur: ergo ipsi noti erant, ac probati, hi de quibus agimus, Apostolis inscripti Canones.

Confirmatur ex his quæ in illa Epistola præfatur Innocentius: *Non quò*, inquit, *nova præcepta aliqua imperentur: sed ea, quæ per desidiam aliquorum neglecta sunt, ab omnibus observari cupiamus; quæ tamen Apostolicâ, & Patrum traditione sunt constituta: scriptum est enim: State, ac tenete traditiones nostras, quas tradidi vobis, sive per verbum, sive per Epistolam.* Ergo quæ Innocentius hac in Epistola decernit, ex Apostolicis Canonibus hauserat. Thessal.

Respondeo, distinguo antecedens: Multa decernit Innocentius, quæ Apostolicis Canonibus continentur, quia tum extarent omnes illi Canones, & illa inde descripta sint, nego: quia postea in illam Collectionem relata sunt, concedo. Illas itaque regulas, quòd essent in communi Ecclesiarum usu, Canonum Pseudo-Apostolicorum consarcinator in suam farraginem retulit, ut publica authoritas speciem aliquam mendacio conciliaret. Sed hæc Innocentius nusquam dicit Apostolicis Canonibus sancita esse; quod certè non prætermisisset, si Canones illos agnovisset. Hoc enim maximè pertinebat ad authoritatem Decretis suis apud Victricium & cæteros Episcopos Gallicanos conciliandam. Sanè cùm cap. 1. decernit, *Episcopum extra Metropolitani conscientiam non esse ordinandum*, Synodum Nicænam, quæ illud idem Canone 4. præcipit, disertè laudat: *Hoc enim*, inquit, *& in Synodo Nicæna constitutum est atque definitum.* Capitibus item 5. & 7. Nicænæ Synodi nominatim meminit. Cur, amabo, qui Nicænos Canones, data occasione, tam diligenter citat, nusquam laudat Apostolicos, multò majoris & authoritatis & antiquitatis (si verè ulli erant) futuros? Ratio in promptu est; nimirum Canones Nicænos, quos citaret, perspectos habuit ille Pontifex, Apostolicos, quos laudaret, nullos planè noverat.

Ad confirmationem respondeo, nego consequens, Colligitur quidem ex his quæ præfatur in Epistola citata Innocentius, ipsum existimasse illa, quæ deinceps ibi decernit, fuisse jam ab ipsis Apostolis, sive viva voce, sive etiam scripto, Christianis tradita:

&

& ipse sanè nonnulla ex Divinis Scripturis eruit; ut ex Levitico, quod cap. 4. decernit de uxore Clerici virgine; ex Apostolo Paulo, quod cap. 6. statuit, de bigamis à Sacris Ordinibus arcendis; ex Moyse, & ex Paulo, quæ cap. 9. de Sacerdotum & Diaconorum ab uxoribus continentia præcipit: ex eodem denique Apostolo, quæ sancit cap. 13. de Virginibus, quæ neglecto proposito nubunt. Cætera, quæ nulla Scripturarum fulcit authoritate, videtur etiam censuisse ab Apostolis tradita, sed viva voce; non autem in Apostolicis Canonibus. Ipse certè Ecclesiæ usus, quem, quòd ejus initia nulla videret, ab Apostolis derivatum non immeritò suspicabatur, facilè ipsi persuasit hæc esse Apostolica. Quidni enim potuit Sanctissimus & Doctissimus Pontifex hac regula uti, quam synchronus illius S. Hieronymus statuit Epistolâ 28. *Unaquæque Provincia abundet in suo sensu, & præcepta Majorum leges Apostolicas arbitretur?*

Objectio duodecima hauritur ex Concilio Ephesino Actione 7. ubi refertur Antiochenum Episcopum Ordinationes provinciæ Cypri ad se trahere conatum *contra Leges Ecclesiasticas, & Canones Sanctorum Apostolorum.* Ergo jam tum noti erant Canones Apostolorum 34. & 35. qui vetant Episcopis, ne extra provinciam quique suam manus imponant.

Respondeo, Latinam Ephesinæ Synodi Editionem, loco mox laudato nihil de *Apostolis* habere. En ejus verba: *Rem hanc, quæ præter Ecclesiasticas Constitutiones, & Sanctorum Patrum Canones innovatur, & omnium libertatem attingit, annuntiavit piissimus Episcopus Rheginus*, &c. Viden, ut Sanctorum Patrum Canones dicit, non Apostolorum? Græcus Codex vetus *Canonum universalis Ecclesiæ* inscriptus, Canone 178. eandem lectionem exhibet. Eandem exhibent Romana Conciliorum Græcorum Latina Editio anno 1608. Coloniensis anno 1618. Parisiensis anno 1636. Itaque hæc Ephesinæ Synodi verba, *Sanctorum Patrum Canones*, nullatenus spectant Canones Apostolicos; sed Episcoporum, & Synodorum superiorum Decreta. Videntur autem ad Antiochenum Canonem 13. digitum intendere, qui sic decernit: *Nullus Episcopus ex alia provincia audeat ad aliam transgredi, & ad promotionem ministerii aliquos in Ecclesiis ordinare.* Forsan etiam alluserunt Ephesini Patres ad Canonem secundum Concilii Œcumenici Constantinopolitani primi, quod Ephesinum annis propemodum 50. antecesserat.

Objectio decima tertia petitur ex Constitutione Theodosii Imperatoris lib. 3. C. *de Summa Trinitate*, qua Irenæum quemdam, *post binas nuptias, præter Apostolicos Canones, Tyriorum civitatis Episcopum factum*, ab ea Ecclesia dejicit. Quibus verbis respicit Canonem 17. Apostolicum. Ergo Canones Apostolis inscripti, verè habiti sunt Apostolici anno 440. quo Theodosius hanc Constitutionem edidit.

Respondeo, nego quòd his verbis respexerit Theodosius Canonem 17. Apostolicum; sed Apostolicos Canones intellexit Apostolicam doctrinam, qua constitutum est, Episcopum *unius uxoris virum esse* debere, 1. ad Timotheum cap. 3. & ad Titum cap. 1.

Objectio decima quarta petitur ex Concilio Calchedonensi, Canone 12. dicente, Episcopos, qui Principum authoritate interposita, Sedibus suis Metropoleon honorem quærebant, *præter Ecclesiastica Statuta facere.* Atqui his verbis indicat Canonem Apostolicum 31. ergo Canones Apostolici noti erant Patribus Calchedonensibus.

Respondeo, nego Minorem. Sed nomine Statutorum Ecclesiasticorum intellexit Calchedonensis Synodus Nicænos, Constantinopolitanosque Canones; id est, Canones primæ Synodi sextum, septimum-que; & Secundæ secundum, ut innuit Balsamon in Scholiis ad hunc Calchedonensem Canonem.

Objectio decima quinta est ex S. Leone Epistolâ 92. ubi ait; *ex Apostolica Traditione descendere* eam Ecclesiæ consuetudinem, qua Presbyteri & Diaconi, criminis alicujus rei, publicæ ac solenni Pœnitentiæ minimè subjiciebantur. Atqui hæc referuntur ad Canonem Apostolorum 25. ergo Canones Apostolicos novit, probavitque S. Leo.

Prætetea idem Epistolâ 1. Canones Apostolorum citat 17. & 18. de iis qui ordinari non possunt. *Qualis verò*, inquit, *unicuique natalium honestas, & morum esse debeat, qui Sacri Altaris ministerio est sociandus, & Apostolo nos docente & divina præceptione didicimus, & Canonum regulis, à quibus plerosque fratrum declinasse, & penitus deviasse reperimus. Nam constat ad Sacerdotium pervenisse viduarum maritos, quosdam etiam, quibus fuerint numerosa conjugia, & ad omnem licentiam vitæ liberior, ad sacrum Ordinem passim patefactis aditibus fuisse permissos, contra illam B. Apostoli vocem, quæ talibus reclamat, dicens* (1. ad Timotheum 3.) *Unius uxoris virum, & contra illud antiquæ legis præceptum*, (Levitici 21.( *Sacerdos virginem uxorem accipiat, non viduam, non repudiatam.*

Tertiò, idem Epistolâ 84. citat Canonem Apostolicum 34. *Igitur*, inquit, *secundum Sanctorum Patrum Canones Spiritu Dei conditos, & totius mundi reverentiâ consecratos Metropolitanos singularum provinciarum Episcopos, jus tradita sibi antiquitus dignitatis intemeratum habere decernimus.*

Denique in eadem Epistola cap. 7. citat Canonem Apostolicum 37. *De Conciliis*, inquit, *Episcopalibus, non aliud indicimus, quàm SS. Patres salubriter ordinarunt, ut scilicet bini Conventus per annos singulos habeantur, in quibus de omnibus querelis, quæ inter diversos Ecclesiæ Ordines nasci solent, judicetur.*

Ad primum respondeo, nego Minorem: Ait enim S. Leo usum illum, moremque ex Apostolica Traditione descendere; quòd Divinis Literis esset consentaneus, huic nimirùm testimonio (1. Regum 2.) *Sacerdos si peccaverit, quis orabit pro eo?* Non quòd ex aliquo Canonum Apostolicorum Codice depromptus esset. Verba S. Leonis sunt: *Quod sine dubio ex Apostolica Traditione descendit, secundum quod scriptum est; Sacerdos si peccaverit, quis orabit pro eo? Unde hujusmodi lapsis ad promerendam misericordiam Dei, privata est expetenda secessio, ubi illis satisfactio, si fuerit digna, sit etiam fructuosa.*

Ad secundum, nego Antecedens, quòd scilicet per Canonum regulas S. Leo Canones Apostolicos 17. & 18. intelligat. Namque (ut ex toto contextu patet) Sanctus Leo tria proponit diversa documenta, quibus innotescit qualis suffragari debeat sacris hominibus natalium & morum honestas. Ad primum caput refert testimonium S. Pauli, 1. ad Timotheum. 3. Ad secundum, testimonium Levitici; ad tertium, Canones Ecclesiasticos, quos nominatim nullos citat. Itaque Doctrinam Apostolicam, qua primum caput probat, disertè à Canonum regulis distinguit, quæ tertium probationum caput complectuntur: quod perperam faceret, si Canonum regulas, quas citat, verè Apostolicas, & ex Apostolicorum Canonum-Codice depromptas existimaret.

Ad tertium, nego pariter Antecedens. Nam per Canones Patrum Spiritu Dei conditos, & totius mundi reverentiâ consecratos, non intelligit Apostolicos, sed Nicænos. Respicit porro S. Leo Ca-

nonem 6. Nicænæ Synodi, quo *Privilegia Ecclesiarum* sarta recta esse jubentur: quæ hic Sanctissimus Pontifex optimè vocat *Jura tradita antiquitùs dignitatis*.

Ad quartum, nego id quod statuit S. Leo de Conciliis in annos singulos celebrandis, ex Canone 37. Apostolorum haustum esse. Nam S. Leo Sanctos Patres, qui istud salubriter ordinarunt, non alios quàm Nicænos intellexit, quorum disertissimus est in eam rem Canon quintus. Er certè si S. Leo ad Canonem aliquem Apostolicum hoc loco respexisset, nominatim appellasset *Apostolos* (non) *Sanctos Patres*. Communis enim Ecclesiæ loquendi usus solet in rebus hujusmodi Patres Apostolis tacitè opponere, ut Patres ferè semper intelligantur cæteri, præter Apostolos, veteris Ecclesiæ Doctores.

Objicitur decimo sextò. S. Hieronymus ad Canonem 5. Apostolorum retulit, quod in Epistola ad Damasum scripsit, quodque à Gratiano Caussâ 16. Quæstione 1. cap. *Quoniam*, observatum est. Sic enim ait: *Quod autem Beatitudo tua quæsivit, utrùm usus decimarum, & oblationum sæcularibus provenire possit, novit tua Sanctitas omnino non licere, protestantibus hoc divinis authoritatibus paternorum Canonum.* Jubet autem Canon laudatus Sanctorum Apostolorum, qui sunt primi Patres nostri, & quorum est divina authoritas, ut fructuum primitiæ in domum Episcopi & Presbyteri comportentur, qui illos dividant inter Diaconos, & reliquos Clericos.

Respondeo, Epistolam illam spuriam esse, & à S. Hieronymi ingenio planè alienam; neque in ulla earum Epistolarum, quæ ab eo ad Damasum scriptæ extant, aut in aliis omnibus S. Hieronymi Operibus, hæc verba legi: quod & Romani Gratianei Decreti Correctores in suis ad hunc locum Notis non prætericrunt. *Pars*, inquiunt, *hujus capitis citatur ex B. Hieronymo, in cujus, quæ extant, scriptis, nihil hujusmodi inventum est.*

Respondeo secundò, non constare, Scriptorem, cujus sunt verba à Gratiano laudata, quisquis ille fuerit, per *Canones paternos* significasse Apostolicos. Verisimilius enim est eum Synodorum veterum Decreta intellexisse, quorum authoritatem divinam dixit, quòd ea eximia sit, & maximi ponderis ad Ecclesiasticam Disciplinam sanciendam.

Objicitur decimo-septimo. Gelasius Pontifex Maximus multa in suis Epistolis ac Decretis ex Apostolicorum Canonum libro laudat, ac velut Ecclesiasticas Regulas affert. Ergo Canones Apostolicos, de quibus agimus, pro veris agnovit, aliosque omnino à nostris, in apocryphorum classem amandavit.

Probatur Antecedens. Epistolâ 9. citat *Paternos Canones*, contra eos *qui seipsos abscindunt*. Respiciens Canonem Apostolorum 22. ibidem laudat *Reverendorum Canonum Constituta*, contra *desertores propria Ecclesia*. Alludens ad Canones Apostolorum 15. & 16. ibidem cap. 20. citat. *Majorum veneranda Constituta*, contra peccatores subrepentes. Quibus verbis Canones Apostolorum 25. & 61. intellexit. Denique Epistolâ 5. conqueritur quòd Episcopi *contra Canones omnia gerant, & contra Apostolicam Disciplinam passim cuncta misceant; & non servatis regulis*, Sacras Ordinationes conferant. Agnovit igitur Gelasius regulas Apostolicæ Disciplinæ de dignis & indignis Ordinationibus, qui sunt Apostolici Canones.

Respondeo, nego Antecedens. Ad primum testimonium respondeo, *Paternos Canones* quos Gelasius laudat contra eos qui se abscindunt, non esse Canones Apostolicos, sed Nicænum primum, hæc de Eunuchis præcipientem.

A Ad secundum testimonium, respondeo *reverendos Canones*, quos Gelasius citat contra Clericos propriarum Ecclesiarum desertores, non alios esse à Nicænis 15. & 16.

Ad tertium dico, *veneranda Majorum Constituta* contra peccatores surrepentes, esse ejusdem augustissimæ Synodi Canones nonum, & decimum.

Ad quartum dico, Gelasium Canones simpliciter nominare, Ecclesiasticos scilicet, non ex libro Canonum Apostolicorum petitos. Ait porro *contra Disciplinam Apostolicam* facere eos, qui passim cuncta miscent, quia Apostolus 1. ad Corinthios 14. B jubet ut in Ecclesia *Omnia honestè & secundum ordinem fiant*.

Objicitur decimo-octavò. Collectio Canonum in quinquaginta Titulos distributa, quæ Theodoreti Cyrensis Episcopi nomine extat in Codice MS. Bibliothecæ Christianissimi Regis, ex eoque à Justello edita est, Canones Apostolicos 85. laudat: sunt igitur verè Apostolici.

Respondeo, hanc Collectionem Theodoreti non esse, sed Joannis Scholastici Patriarchæ Constantinopolitani, qui sexto Sæculo floruit sub Justiniano C Imperatore, quo tempore illi Canones passim jam sub titulo Canonum Apostolicorum laudabantur; quamvis non sint Apostolici. Unde nego etiam Consequens.


Objectio ultima colligitur ex Synodo Trullana Canone 2. ex Septima Canonibus 1. 5. & 10. ex Romana Synodo sub Gregorio VII. Canone 2. ex Concilio Triburiensi cap. 2. ex Parisiensi sub Ludovico Pio cap. 15. ex Tridentino Sessione 25. cap. 1. de Reformatione: item ex S. Joanne Damasceno lib. 4. de Fide Orthodoxa: ex Tarasio Patriarcha Constantinopolitano in Epistola ad D Adrianum Pontificem Maximum: ex Photio in Bibliotheca; ex Bonifacio Apostolo Germaniæ in Epistola ad Gudbertum Anglum; ex Nicolao I. Pontifice Maximo passim in suis Decretis; ex Leone IV. Distinctione 19. cap. *de Libellis*; & ex Joanne VIII. in Epistola ad Basilium Imperatorem. Ex his enim omnibus cùm Synodis, tum Pontificibus, & Authoribus Ecclesiasticis constat Canones Apostolis inscriptos verè Apostolicos esse.

Respondeo illas Synodos, & Pontifices, non decernere an Canones Apostolici verè, an falsò Apostolis inscribantur, uti nec quæstionem illam, quæ ad ipsorum institutum minimè pertinebat, expenderunt: sed eos sub nomine Apostolorum citâ- E runt, quia ut ita citarentur, inoleverat usus. Cæterùm omnes illæ Synodi, Pontifices, & Authores, qui sexto Sæculo posteriores sunt, nequaquam sunt Veteribus anteponendi.

Quæres, quo tempore, & à quo conficti sint Canones Apostolici? Respondeo, verisimile esse aliquos fuisse confictos ab Episcopis Iconiensis Concilii, cui præerat Firmilianus, anno 258. congregatis ad controversiam de Hæreticorum Baptismate dirimendam. Ratio est, quia Canones Apostolici 46. & 47. & ipsam Concilii Iconiensis sen- F tentiam de rebaptizandis Hæreticis exhibent, ut constat ex Firmiliano rem gestam ita narrante, in Epistola ad S. Cyprianum: *Hæretico enim sicut ordinare non licet, nec manum imponere, ita nec baptizare, nec quidquam sanctè nec spiritualiter gerere, quando alienus sit à spirituali & deifica sanctitate. Quod totum nos jam pridem in Iconio, qui Phrygiæ locus est, collecti in unum, convenientibus ex Galatia, ex Cilicia, & cæteris proximis regionibus, confirmavimus tenendum contra Hæreticos firmiter, & vindicandum, cùm à quibusdam de ista re dubitaretur.*. Itaque tunc adornata ex parte videtur Canonum Apostolicorum Collectio ab Orientalibus Episco-

pis

pis, qui Firmiliani sententiæ contra Stephanum Romanum Pontificem, cum Africanis Episcopis adhærebant, ut Traditionem scriptam deinceps objicere possent illius sectatores sententiæ Romanis, aliisque Occidentalibus, non scriptam objicientibus Traditionem. Eam juvat conjecturam Canon Apostolicus 38. qui mensis Hyperberetæi meminit, quo significatur October Lingua Syro-Macedonica, cujus erat usus per Orientem.



## DISSERTATIO XIX.

### *De Constitutionibus Apostolicis.*

CONSTITUTIONES Apostolorum nomine inscriptas, & octo libris comprehensas, è Græco in Latinum sermonem transtulit Carolus Bovius, & anno 1563. in lucem emisit. Easdem Turrianus Societatis Jesu Professor Latinè interpretatus est, & Commentariis illustravit. Eas cum Conciliis Surius, & Binius, in suis Conciliorum Editionibus evulgarunt. De his quærimus impræsentiarum, an veri sint ac genuini Apostolorum, vel saltem Clementis Romani, cujus nomen præferunt, fœtus.

### PROPOSITIO I.

*Constitutiones Apostolorum sunt apocryphæ, ab Apostolorum, & Ecclesiæ doctrina alienæ: ipsis adeo Apostolis, & Clementi Romano suppositæ.*

Hoc tamen in testimonium non facio, quia viri eruditi respondendum esse volunt, librum, ut ad solum Itinerarium hæc Gelasii censura referatur.

Probatur prima pars ex Decreto Gelasii I. Pontificis Maximi in Romana Synodo anno Christi 494. *Item*, inquit, *Itinerarium nomine Petri Apostoli, quod appellatur S. Clementis, libri octo, apocryphum.* Porro libri octo Clementis nomine inscripti, sunt ipsissimi Constitutionum Apostolicarum libri de quibus agimus.

Probatur secundò ex Humberto Cardinali, Episcopo Sylvæ-candidæ, qui à Leone IX. Legatus Constantinopolim missus est. Hic scilicet Nicetæ Pectorato Constitutionum Apostolicarum loca quædam contra Sabbati jejunium objicienti, his verbis respondet; *Hoc asserere conaris ex apocryphis libris, & Canonibus pari sententia Sanctorum Patrum repudiatis.* Et paulò post: *Unde nos quoque omne apocryphum abjicientes, dedignamur audire eorum fabulosas traditiones, quia non sunt ut Lex Domini.* Citaverat autem Nicetas quintum & septimum librum Ordinationum, seu Constitutionum Apostolicarum. Ex qua Humberti responsione colligitur, hanc tum fuisse de his libris Sedis Apostolicæ, cujus legationem gerebat, sententiam.

Probatur tertiò ex Honorio Augustodunensi, qui circa annum Domini 1120. in Gallia nostra floruit. Hic nempe in Opere suo de Scriptoribus Ecclesiasticis, omnia quæ Clementi Romano tribuuntur, præter unam ad Corinthios Epistolam, ait *inter apocrypha recenseri.*

Idem censent quoque inter Recentiores eruditi, Bellarminus lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis in *Clemente*; Baronius Tomo 1. Annalium ad annum Domini 31. & alibi; Cardinalis item Petronius lib. 2. de Eucharistia cap. 1. Albaspinæus * Aurelianensis Episcopus Observationum Ecclesiasticarum 1. cap. 13. Petavius in Notis ad S Epiphanium, ad Hæresim Audianorum; & alii quotquot modò numerantur Eruditi.

* De l'Aubespine.

Probatur quartò. Constitutiones Apostolicæ, priorum Sæculorum Patribus vel ignotæ prorsus fuerunt, vel apocryphorum numero ac loco ab illis habitæ sunt; ergo verè sunt apocryphæ.

Probatur Antecedens. Opus quod nusquam memorarunt priorum Sæculorum Patres, occasione data; cujus authoritate nunquam usi sunt ad revincendos Hæreticos; à cujus doctrina passim recesserunt, vel ipsis ignotum fuit, vel apocryphorum loco habitum: atqui tales sunt Constitutionum Apostolicarum libri; ergo vel ignoti fuerunt priorum Sæculorum Patribus, vel ab iis in apocryphorum censum rejecti.

Probatur Minor secutura inductione. Justinus Martyr, qui secundo Sæculo vixit, disertè testatur Sabbati religionem Passione Christi fuisse abolitam, nec à sui temporis Christianis observata fuisse Sabbata (ut videre est passim in Dialogo cum Tryphone) nec Conventus Christianorum alio die fieri solitos memorat, quam Solis die, id est, Dominica, ut videre est Apologiâ secundâ; igitur ignotæ erant Justino Apostolicæ Constitutiones, vel nullo in pretio apud ipsum erant, alioqui illarum doctrinam secutus fuisset, quæ tradunt Sabbati diem, velut creationis, à Christianis observandum esse, ac feriandum, neque jejunio funestandum, & conventus solennes ea die indicunt, lib. 5. cap. 14. & 20. & lib. 7. cap. 24.

II. Sanctus Irenæus, qui floruit 2. cadente Sæculo, in egregio Opere, quod adversùs universas Hæreses conscripsit, cùm Epistolam Clementis ad Corinthios non semel citet, lib. præsertim 3. cap. 3. nullibi Constitutionum Apostolicarum authoritate Hæreticos refellit. Ergo ipsi incognitæ erant, vel apocryphæ ipsi videbantur.

Præterea idem Irenæus in Epistola ad Victorem Romanum Episcopum, cujus fragmentum refert Eusebius lib. 5. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 26. testatur consuetudinem Paschatis Lunâ 14. unà cum Judæis celebrandi, jam temporibus Aniceti, Pii, Hygini, Telesphori, Xisti, & Soteris, Victoris Decessorum, apud Asiæ Ecclesias viguisse, & in eo ritu fuisse à Romana Ecclesia toleratas. Igitur Constitutiones Apostolorum, quæ Pascha cum Judæis Christianos celebrare vetant, lib. 5. cap. 16. latuerunt viros Sanctissimos Polycarpum, Thraseam, Sagarim, Papirium, Melitonem, Polycratem, & cæteros Asianos, Apostolici nominis observantissimos; alioqui nunquam legem tam claris tamque disertis verbis, ab Apostolis (ut fingitur) latam, temerè violassent. Sed & Victor ipsis Constitutionum Apostolicarum authoritatem procul dubiò objecisset, qui Joannem Apostolum sui moris authorem faciebant. Igitur vel nullæ tunc extabant Apostolicæ Constitutiones, vel apocryphæ censebantur.

III. Clemens Alexandrinus, qui secundo Sæculo exeunte florere cœpit, tertiique initia attigit, frequenter laudat genuinam Clementis Romani ad Corinthios Epistolam, & satis prolixos ex ea textus describit lib. 1. 4. & 6. Stromatum. Nullibi Constitutionum Apostolicarum meminit: cùm tamen multa passim tractet, quæ ex eo libro vel probari, vel ornari & illustrari poterant. Igitur ignotæ illi fuerunt Constitutiones Apostolicæ, vel apocryphorum loco habitæ.

IV. Tertullianus Clementis æqualis: si Constitutiones illas novisset, vel alicujus in Ecclesia authoritatis existimasset, Animam nostram non asseruisset esse corpoream, quam istarum Constitutionum Author lib. 6. cap. 11. incorpoream & immortalem profitetur: nec Laicis baptizandi potestatem concessisset lib. de Baptismo cap. 17. & de Exhortatione Castitatis cap. 7. quam Author Constitutionum iisdem adimit lib. 3. cap. 10. nec adeo impotenter Zephyrini Romani Pontificis Decretum

rum fornicatoribus aditum, per pœnitentiam ad reconciliationem reserans, invasisset ac dilacerasset; cùm Author Constitutionum pœnitentes absque discrimine recipiendos tam frequenter moneat lib. 2. cap. 12. & sequentibus: & cap. 48. Certè cùm nullus Veterum has Constitutiones adversùs Novatianos produxerit: cùm Tertullianus ipse, qui in suo de Pudicitia libro solvere nititur & explicare momenta omnia, quæ Catholici Montanistis pœnitentiæ hostibus opponebant, & librum ipsum Pastoris quem proferebant ad causæ Catholicæ præsidium, liberè inter apocrypha amandat cap. 10. cùm (inquam) Tertullianus ne verbum quidem faciat de Apostolicis illis Constitutionibus; sequitur illas & Tertulliano, & illorum temporum Catholicis ignotas prorsus fuisse, aut in apocryphorum numerum communi consensu ablegatas.

Origenes nedum Constitutionum Apostolicarum non meminit: sed eas sibi invisas fuisse, aut nullius authoritatis indicat. Siquidem Christianorum dies festos recensens lib. 8. contra Celsum, Dominicam duntaxat diem, Parasceven, Pascha, & Pentecosten memorat: Constitutiones verò, præter hos dies, Natalem Christi, & Epiphaniam, & Ascensionem, & Apostolorum Natalitios à Christianis celebrari præcipiunt.

VI. Sanctus Cyprianus, cum Africanis Episcopis in causa de iterando Baptismo ab Hæreticis collato, ex solis Scripturis sententiam suam confirmat, Constitutiones non omissurus, si vel tum in rerum natura extitissent, vel ut genuinum Apostolorum, aut Clementis Opus fuissent habitæ; cùm nihil proferri posset ad tuendam Africanæ Ecclesiæ Disciplinam validius: siquidem omnium Hæreticorum Baptisma reprobant lib. 6. cap. 15.

VIII. Ignotas fuisse quarto Sæculo Constitutiones Apostolicas suadet Arianorum silentium, qui nihil ex iis ad erroris sui patrocinium adhibuerunt, cùm plurima habeant Arianæ Hæresi faventia. Certè si multa Dionysii Alexandrini securiùs dicta in rem suam torserunt, in quibus explicandis ac solvendis laboravit S. Athanasius, Constitutiones multò audaciùs jactassent, si extitissent ea ætate. At ipsos nec leviter illarum meminisse, aut earum authoritatem Catholicis objecisse demonstrat S. Athanasii silentium.

IX. Sanctus Basilius Magnus easdem Constitutiones ut ignoraverit, vel nihili fecerit, necesse est; siquidem lib. de Spiritu Sancto cap. 27. negat scripto ullo tradita esse quædam eorum, quæ in Constitutionibus scripta leguntur variis in locis; scilicet, *Ut signo Crucis eos, qui spem collocarunt in Christum, signemus; ut ad Orientem versi precemur; invocationis verba, cùm conficitur panis Eucharistiæ, & poculum benedictionis; consecrationem aquæ baptismalis, & olei unctionis; trinam immersionem in Baptismo*; & alia id genus.

Ex his colligitur propositio superiùs asserta, scilicet priorum Sæculorum Patres nusquam meminisse Constitutionum Apostolicarum, nunquam earum authoritate usos, ab earum denique doctrina frequentiùs recessisse.

Probatur secunda pars, scilicet quòd Constitutiones illæ sint ab Apostolorum & Ecclesiæ Doctrina alienæ, notando errores quibus scatent. Primò de Filii, & Spiritûs Sancti Divinitate malè sentiunt, siquidem inter Hæreticos recensent illos, *qui suspicantur Jesum esse Deum super omnia*, lib. 6. cap. 25. Ipsum fingunt *ministrantem Deo suo, ac Patri, ad rerum omnium creationem*, lib. 5. cap. 20. Patrem genuisse Filium ante Sæcula, *voluntate, & potentia, & bonitate*, lib. 8. cap. 12. Episcopum Deo Patri similem asserunt; Diaconum Christo, qui Patri ministrat, & in omnibus assistit; Spiritum Sanctum Diaconissæ, quæ ut nihil sine Diacono facere debet, aut loqui, ita Paracletus nihil à se ipso loquitur, aut facit, sed Christum glorificans, voluntatem illius expectat, lib. 2. cap. 26. Vocant Patrem *Dominum Spiritûs Sancti*, lib. 8. cap. 37. Aiunt, *nos baptizari in mortem Christi, in authoritate Dei universorum, & in testimonio Spiritûs Sancti*, lib. 5. cap. 6. quæ quantùm Arianis & Macedonianis faveant, nemo oculatus non videt.

II. *Quartum conjugium, & deinceps, manifestam esse scortationem, & indubitatam impudicitiam*, decernunt.

III Concedunt ancillis ut heris infidelibus ad libidines morem gerant, modò solis. *Pellex, infidelis ancilla*, inquit, *soli domino obsequens recipiatur. Si cum aliis intemperans fuerit, rejiciatur*, (lib. 8. cap. 32.)

IV. Baptismum ab Hæreticis collatum iterari jubent (lib. 6. cap. 15.)

V. Sabbati solennem celebrationem, æquè ac Dominicæ diei constituunt (lib. 8. cap. 33.)

VI. Elementis Fidei imbuendum, & baptizandum esse decernunt, eum qui Eucharistiam imprudens gustaverit (lib. 7. cap. 26.) quasi Apostoli non baptizatis Eucharistiam porrexerint.

VII. Affirmant se à Christo audivisse, *Oportere eum qui Pastor est & Episcopus in Ecclesiis totius Parœciæ constitutus, non minorem natu esse, quàm annorum quinquaginta.* Quod nusquam Apostolis, aut Apostolicis Viris in mentem venit; imò constat Timotheum Ephesiorum Ecclesiæ à Sancto Paulo præfectum, valde juvenem fuisse, ad quem scribens ait: *Nemo adolescentiam tuam contemnat.* Id autem habent Constitutiones libro secundo cap. 57.

VIII. Constitutiones editas ait illarum Author à duodecim Apostolis, *præsente Paulo, & septem Diaconis*, lib. 8. cap. 4. at Stephanum inter septem Diaconos primarium, martyrium obiisse constat, antequam Paulus ad Apostolatum à Christo vocaretur (Actuum 7.)

IX. Jacobum Zebedæi filium inducunt Concilii Hierosolymitani Historiam narrantem, Constitutiones ipsas cum cæteris Apostolis condentem, libro sexto capite decimo quarto & vigesimo-secundo, cùm constet ex Actuum 12. Jacobum ab Herode gladio interfectum esse, ante Concilii Hierosolymitani celebrationem.

X. Inter libros quos in Ecclesia legi præcipiunt, Evangelium S. Joannis recensent, lib. 2. cap. 57. cùm Evangelium à Joanne scriptum non esse constet ante annum Christi 97. quo à Nerva Domitiani successore ex insula Pathmo revocatus est, quo tempore Petrus & Paulus, cæterique Apostoli, qui harum Constitutionum Authores finguntur, variis mortibus ac locis consumpti fuerant.

XI. Philippum à quo Simon Magus baptizatus est, Apostolum faciunt, quem Diaconum duntaxat fuisse constat.

XII. Jacobum fratrem Domini extra numerum Apostolorum ponunt, lib. 6. cap. 14. contra Sancti Pauli diserta verba, ad Galatas 1. scribentis: *Alium Apostolorum vidi neminem, præter Jacobum fratrem Domini.*

Tertia pars, licèt jam probata satis videri possit, tamen iterum probatur; & primò quidem quòd hæ Constitutiones Apostolis suppositæ sint. Si enim verè Apostolicæ essent, cur in Canonem Scripturarum Sacrarum non essent relatæ ab Ecclesia? Præterea stylus planè dissimilis est Apostolico. 3. Apostoli sibi ipsis Festos dies non consecrassent. At dies

dies Festos Apostolis decernunt Constitutiones illæ, A lib. 8. cap. 33.

Quòd denique harum Auctor non sit Clemens Romanus, multis probatur. Primò quia Eusebius & Hieronymus, cùm de Scriptis S. Clementis agunt, unam duntaxat illius ad Corinthios Epistolam recensent: Eusebius lib. 3. Historiæ cap. 15. & S. Hieronymus in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum *in Clemente*. 2. Quia Clemens tam absurda Sanctis Apostolis non affinxisset. 3. Nec ipse, qui Apostolorum mores, instituta & tempora, non minùs quàm sua, nota & comperta habebat, ea scripsisset, quæ ab Apostolorum Doctrina, vel B Disciplina, vel Historia abhorrent. 4. Ex ea, quæ verè Clementis est, ad Corinthios Epistolâ, colligitur diversum esse Constitutionum Authorem à Clemente: cùm enim ambo Phœnicis avis historiam tradant; planè aliter atque aliter eam narrant. Nam verus Clemens Phœnicem in Arabia mori facit; Auctor verò Constitutionum Heliopoli in Ægypto, libro quinto capite nono, præter alia inter utramque narrationem apud Clementem & Constitutiones discrimina, quæ Viri Eruditi observarunt.

Objicitur primò authoritas Sancti Epiphanii, C qui Constitutionum Apostolicarum sæpè meminit, & nonnulla ex ipsis refert effata, vel Decreta, quæ in iis leguntur Constitutionum libris, quos habemus. Harum autem Epiphanius meminit Hæresi 45. & Hæresi 75. contra Aëtium de Paschate disputans, & Hæresi 80. agens adversùs Messalianos: & horum librorum authoritate Hæreticos premit. Sed Epiphanii de bis libris sententiam luculentiùs expressam legimus Hæresi 70. quæ est Audianorum, quos ait suum de Paschate cum Judæis celebrando errorem ex Apostolorum Constitutionibus confirmasse. *Audiani verò*, inquit, *ad* D *institutum suum, quamdam ex Apostolorum Constitutione authoritatem accommodant; qui liber tametsi dubia apud multos Fidei sit, non est tamen improbandus. Nam in eo, quæ ad Ecclesiæ Disciplinam attinent, omnia comprehenduntur; neque quidquam aut in Fide, aut Catholica Professione depravatum, aut Ecclesiæ administrationi, aut Decretis contrarium continet: Sed, quod ad locum illum attinet, unde suam de Paschate sententiam affirmare conantur, hunc illi perperam interpretantur, & ad alienum sensum, per inscitiam, traducunt. Etenim Apostoli in illa Constitutione ita definiunt: Vos, inquiunt,* E *temporis rationes ne subducite; sed eo tempore celebrate, quo fratres vestri, qui ex Circumcisione prodierunt. Cum iis itaque Pascha peragite.* Secundò, ait Epiphanius Apostolos illa Constitutione præcepisse, ut Episcopos Hierosolymitanos, etiam errantes in Paschatis celebratione, totus orbis Christianus sequeretur. Ergo constat ex Sancti Epiphanii testimonio Constitutiones Apostolicas verum ac genuinum esse Sanctorum Apostolorum Opus.

Respondeo, distinguo Antecedens. Et loquitur S. Epiphanius de aliis Constitutionibus ab iis quæ F penès nos sunt, concedo; & loquitur de illis quas habemus, nego. Fateor igitur fuisse tempore S. Epiphanii Constitutiones aliquas Apostolis adscriptas; sed contendo planè diversas fuisse ab iis quæ nunc circumferuntur. Illæ enim, quarum meminit Epiphanius, *Nihil aut in Fide, aut Catholica professione depravatum; aut Ecclesiæ administrationi, ac Decretis contrarium continebant*, ut ipsemet ait. Nostras verò innumeris scatere erroribus, sive quoad dogmata, sive quoad Ecclesiasticam Disciplinam, demonstratum à nobis est. Secundò, quæ ex suis laudat ac describit Epiphanius, in nostris non leguntur, imò quædam leguntur in nostris planè contraria. Statuebant enim citatæ ab Epiphanio Constitutiones, Pascha celebrandum cum iis Christianis, qui Hierosolymis ex Circumcisione erant, adeoque cum Judæis, quorum illi diem celebrabant. Nostræ verò Constitutiones vetant cum Judæis Pascha celebrari lib. 5. cap. 17. Porro si hæc in antiquis illis Codicibus legebantur, immeritò non retorsisset contra Audianos, qui ipsis abutebantur, ut Pascha Judæorum more celebrandum esse probarent. Non legitur etiam in iis Constitutionibus, quæ penès nos sunt, quod ex suis Epiphanius citat; *Qui afflixerit animam suam Dominica die, maledictus est Deo.* Ergo Epiphanianæ illæ Constitutiones planè diversæ erant à nostris.

Contra, ex hoc saltem S. Epiphanii testimonio constat, ejus ætate fuisse librum aliquem Constitutionum verè Apostolicarum. Cùm ergo in iis, quas habemus, nonnulla sint ab ipso Epiphanio laudata, dicendum est alia quæ in ipsis non occurrunt, fuisse malitiâ hominum expuncta; adeoque nostras Constitutiones interpolatas quidem esse, sed nihilosecius Apostolicas habendas: sicut & S. Ignatio septem Epistolas vindicamus, quamvis multis in locis interpolatas fateamur.

Probatur Antecedens. Librum illum citat Epiphanius ut Apostolicum: ergo, &c.

Respondeo, nego Antecedens. Ad ejus probationem distinguo propositionem. Librum illum citat ut Apostolicum, multis reclamantibus, concedo; nullo reclamante in Ecclesia, nego. At enim ipse Epiphanius Constitutiones illas fuisse *Dubiæ apud multos fidei*. Igitur à Græca illius temporis Ecclesia non erant publicè receptæ Constitutiones illæ, quas citat Epiphanius, qualescumque tandem fuerint, sed contra vulgò & a compluribus rejiciebantur, tanquam dubiæ & incertæ. Sanè S. Hieronymum Epiphanio multò oculatiorem, Constitutiones illas nullo loco habuisse constat, cùm ex illius silentio in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum, tum ex Epistola ipsius 28. ad Lucinium, ubi ait: *Apostolum Paulum, & cum eo credentes, diebus Pentecostes, & die Dominico jejunasse: in Actibus Apostolorum legimus.* Exindeque concludit, jejunium omni tempore Deo acceptum esse. Quod non scripsisset, si Constitutiones ab Epiphanio sibi amicissimo laudatas alicujus esse authoritatis existimasset, cùm illæ Dominica die jejunio sub comminatione divinæ maledictionis interdicerent.

Respondeo secundò S. Epiphanium, etsi Constitutiones illas quas præ manibus habebat, probaverit, easque laudaverit ut Apostolicas, quia nomine Apostolorum inscribebantur, non existimasse tamen eas ab Apostolis, vel à Clemente conscriptas. Nam Hæresi 75. quæ est Aërianorum, postquam Constitutiones illas citavit, statim subjungit, de illarum Authoribus loquens: *Ante nos testes extitisse habentes Traditionem in Ecclesia, quam & ipsi à parentibus suis acceperant, & ipsorum parentes à majoribus suis didicerunt.* Quæ Apostolis, aut Clementi non conveniunt: nam Apostoli, quæ in Ecclesia instituerunt, non acceperunt ab avis & à majoribus; sed à Christo: Clemens verò ab ipsis Apostolis.

Objicitur secundò. S. Cyrillus Hierosolymitanus Constitutiones Apostolicas pro vero ac genuino Clementis Romani fœtu habuit: ergo ejus ætate, scilicet quarto Sæculo, authoritatem obtinuerant in Ecclesia.

Probatur Antecedens, Qui historiam de Phœnice narrans ex libro 5. Constitutionum Apostolicarum cap. 6. eam tribuit Clementi, agnovit illum esse Authorem Constitutionum: sed Cyrillus

sit exceptio illa Trullanorum Patrum, non est cur eorum Canoni multùm tribuamus.

Objicitur quintò: Photius vir multæ lectionis & eruditionis, in Bibliotheca, Codice 112. Clementis Romani Opera recensens, ipsi tribuit Constitutiones Apostolorum; atque facilè dilui posse objectiones quæ in ipsas fiunt, affirmat. Ergo prohibere nos non debent errores, quibus maculatæ supponuntur, quin ipsas Clementi vindicemus.

Respondeo, Photium hæc scripsisse, quia illum causæ adversùs Latinos suæ studium in transversum egit, & quia nonnulla his in Constitutionibus legit, quæ suis erroribus favebant. Cæterùm argumenta quibus illarum suppositio probatur, animadvertit ipse, nec solvere aggressus est, licèt non esse insolubilia jactitarit. Ex quo colligitur, tempore Photii, Constitutiones ob notatorum errorum labem fuisse passim explosas. En ejus verba: *Constitutiones porro tribus ex capitibus duntaxat reprehensioni videntur obnoxia. Ex mala nimirum fictione, quam depellere non est admodum difficile: deinde quod contra Deuteronomium criminationes quasdam adducant, qua & ipsa dilui facillimè possunt: denique ex Arianismo, quem item paulò acriùs instando refellere queas.*

Objicitur ultimò. Photius, cæterique Græci, qui Constitutiones Apostolicas admiserunt, ficti erant authoritate Sancti Dionysii Alexandrini, qui sententiam quandam ex illis Constitutionibus depromptam laudavit ut Apostolicam: ergo non malè ipsas asseruerunt esse Apostolorum, vel Clementis saltem, qui illas ex ore Apostolorum exceperit.

Probatur Antecedens ex Dionysii Alexandrini verbis apud Eusebium lib. 7. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 6, ubi loquens de visione quadam sibi divinitus oblata, hæc habet: *Visionem, utpotè ritè consentientem* voci Apostolicæ, sic ad potentiores dicenti: (*Sitis diligentes animadversores, & velut Trapezita, qui argentum probant*) *lubens equidem approbavi.* Atqui hæc verba in nullo Novi Testamenti libro expressa leguntur; extant autem in Constitutionibus Apostolicis lib. 2. cap. 36. ergo S. Dionysius hæc verba citavit ex Constitutionibus Apostolicis.

Respondeo, nego Antecedens. Ad probationem distinguo Minorem. Hæc verba in nullo Testamenti Novi libro leguntur, quoad apices & syllabas, concedo: quoad sensum, nego. Itaque Dionysius hæc verba non citavit ex Constitutionibus Apostolicis, quas nullas agnovit; sed ex Sacra Scriptura, ex qua & ipsarum Constitutionum Author illa usurpavit dicens loco citato: *Solis Sacerdotibus judicare permissum est, quia dictum est eis, Justum judicium judicate;* & rursus: *Estote probi Trapezita.* Sicut ergo illa verba, *Justum judicium judicate:* ita & ista, *Estote probi Trapezita*, ut Scripturæ Sacræ dicta usurpant. Priora Joannis 7. cap. Christus profert. *Nolite*, inquit, *judicare secundùm faciem, sed justum judicium judicate.* Posteriorum verò verborum sensus habetur 1. ad Thessalonicenses 5. ubi Apostolus ait: *Omnia probate; quod bonum est, tenete.* Et Lucæ 19. ubi Christus ait, *Negotiamini, dum venio.* Nec Dionysius solùm, sed & alii Patres, eadem verba laudarunt ut Oraculum Scripturæ Sacræ, ad locum citatum Apostoli alludentes. Clemens Alexandrinus lib. 1. Stromatum pag. 354. *Meritò ergo*, inquit, *& Scriptura tales nos esse volens Dialecticos sic hortatur: Estote autem probi Trapezita, alia quidem reprobantes, quod verò bonum est, retinentes.* Sanctus Basilius Homiliâ 12. in principium Proverbiorum, *Ut bonus Trapezita*, inquit, *quod bonum fuerit, retinebit; & ab omni specie mali abstinebit.* Quæ postrema verba ostendunt Sanctum Basilium ad verba Pauli respexisse 1. ad Thessalonicenses 5. ubi Apostolus post hæc verba, *Omnia probate, quod bonum est, tenete*, statim subjungit; *ab omni specie mala abstinete vos.*

Origenes Tomo 19. in Joannem, in cap. 8. hæc verba Christo tribuit, alludens proculdubio ad verba Servatoris: *Negotiamini dum venio*, & nihilominus illa Pauli verba citat, dicens; *Servandum esse illud Jesu mandatum, Estote probi Trapezita:* & Pauli Doctrinam dicentis: *Omnia probantes*, &c. Origenem in eo planè imitatus est Sanctus Hieronymus Epistolâ 153. ad Minerium & Alexandrum: & alii ab Usserio, & Dallæo laudati.

## SCHOLION.

Operum meorum Censores in Indiculo suo hanc Propositionem notant: *Constitutiones Apostolica sunt aliena ab Ecclesia Doctrina.*

Verum Constitutiones Apostolicas ab Ecclesiæ Doctrina alienas simpliciter non asserui, qui damnandus error esset, si Apostolorum genuinus fœtus essent: sed *Apocrypha* dixi, *ab Apostolorum & Ecclesia Doctrina alienas, ipsis adeò Apostolis, & S. Clementi Romano suppositas.* Quòd verò in libro apocrypho plura inveniantur ab Ecclesiæ Doctrina aliena, asserere & propugnare innoxium est. Cæterùm Critica merè Quæstio est, nihil ad Fidem vel ad Christianam Morum Disciplinam attinens. Invisum non fore confido Religiosis Censoribus *Bellarmini* Cardinalis judicium. *De Libris*, inquit, *Constitutionum Apostolicarum, quo Clementi Auctori tribuuntur; idem ferè judicium fieri debet ac de libris Recognitionum. Multa enim in illis utilia sunt, & à Græcis veteribus magni fiunt. sed in Ecclesia Latina nullum ferè nomen habent. & ipsi etiam posteriores Græci in Concilio Trullano Canone 2. improbant hos Constitutiones ut ab Hæreticis depravatas... Audio Æthiopes hos Constitutionibus uti ut verè Apostolicis, & ea de causa in erroribus versari circa cultum Sabbati & diei Dominica, & circa Ministrum Sacramenti Baptismi, & aliis quibusdam Dogmatibus.... Habentur in iisdem Constitutionibus alia non pauca, qua abhorrent à veritate.* Consonum est *Baronii* Cardinalis judicium, cujus verba referre superfluum foret. Profero & aliud Romanis non invisum nomen *Christiani Lupi* in Scholiis ad Canonem secundum Trullanæ Synodi, ubi de Libris octo Constitutionum Apostolicarum ita censet: *Earum in Clemente Romano non meminit scriptus à Sancto Hieronymo Catalogus Virorum illustrium, quin immò ut apocryphas abjicit in Romana sua Synodo Sanctus Gelasius, ejusque judicium omnis semper Ecclesia Latina est secuta, nostris nominatim temporibus D. Cardinalis Baronius, D. Cardinalis Bellarminus, D. Cardinalis Perronius, & Gabriel Albaspinaus. Doctissimus Episcopus Ecclesia Aureliansis. Quare bonas horas, quàm illis vindicandis, meliùs locare potuerant Carolus Bovius & Franciscus Turrianus. Eas Spiritu Apostolico plenissimas, ac in Sacrarum Litterarum Canonem inferri aptas, malè dixit Thomas Stapletonus.... Fuit Opus editum à nescio quo quarti Sæculi homine Ariano, variè & in Dogmate & in Ritu maculosum, uti facilè possit ostendi*, &c.

*Lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis, in Clemente Romano.*

## DISSERTATIO XX.

*De novem Canonibus Concilii Antiocheni Apostolorum.*

TURRIANUS lib. 1. pro Canonibus Apostolicis cap. 25. Baronius & Binius, hic in sua Conciliorum Editione Tomo 1. ille Tomo 1. Annalium ad annum Domini 102. Canones novem proferunt Antiocheno cuidam Apostolorum Concilio adscriptos; de quorum authoritate impræsentiarum agimus.

## PROPOSITIO.

*Novem Canones Antiochenæ Apostolorum Synodo adscripti, sunt apocryphi, & planè suppositii.*

Probatur. Illi Canones falsò inscribuntur Apostolis, quorum memoria nulla occurrit in veteribus Ecclesiasticæ Historiæ Monumentis, in Operibus Sanctorum Patrum, aut in Codicibus ullis Canonum, Synodorumque, sive Latinis, sive Græcis, ad Binianam usque Editionem, Collectionibus: atqui nulla memoria illorum Canonum occurrit in veteribus Historiæ Ecclesiasticæ Monumentis, usque ad Baronium, nulla in Patribus, nulla denique in Conciliis, aut Codicibus Canonum, usque ad Binium: ergo falsò inscribuntur Apostolis.

Probatur secundò. Synodus illa Antiochena in omni retro Ecclesia ignota fuit; nullumque est illius in Actis Apostolorum, aut in omni retro antiquitate vestigium. Et Hincmarus, qui anno Christi 874. floruit, Opusculo 55. cap. 24. enumerans omnes Synodos ab Apostolis habitas, nullam Antiochenam recenset. Ergo fictitia est Antiochena illa Synodus Apostolorum, & suppositii Canones illi adscripti.

Probatur tertiò. Canones qui variis verbis ab Authoribus referuntur, sunt supposititii: sed Canones illi variè referuntur à Turriano, Baronio & Binio; ergo supposititii censendi sunt.

Probatur quartò. Illi Canones qui plurima continent falsa & absurda, sunt falsò adscripti Apostolis: sed illi novem Canones plurima continent falsa & absurda; ergo, &c.

Probatur Minor. Primus Canon decernit *Ut credentes in Jesum, quos illius temporis homines vocabant Galilæos, Christiani vocarentur.* At ex Historia Ecclesiastica constat Galilæorum nomen Christianis, non Ecclesiæ initio, sed medio quarto Sæculo, sub Juliano Apostata fuisse impositum. Secundus, septimus, & nonus Canon sanciunt abstinendum esse à circumcisione, à sanguine, à suffocato, à fornicatione; & permittunt vesci carne suilla, & pisce testam habente, necnon de eo qui squammis caret. At quis sibi persuadeat Apostolos Decretum in Epistola Synodica Hierosolymitani Concilii tam luculenter, tamque nitidè editum, Canonibus verbosis & inutilibus recudisse? Præterea nonus Turriani Canon Judæorum Synagogam *Belluinam* vocat; at istud in Judæos convitium ab Apostolorum ingenio & charitate alienum est. Tertiò decernit ille Canon, ut Christiani *anagogicè vivant.* Qui loquendi modus nec Apostolis, nec ullis Scriptoribus Ecclesiasticis solemnis est. Sensum anagogicum Christiani Theologi in Scripturis Sacris norunt. Nullus vitam dixit anagogicam. Quartò, depravat Scripturam Sacram, & citat hæc verba velut Oraculum Propheticum, *Saturati sunt suilla, & dimiserunt reliquias suas parvulis suis*, cùm habeatur apud Prophetam, *Saturati sunt filiis*, &c.

Quintò, Canon tertius decernit, *Ut ex omni natione, & genere, ad Fidem orthodoxam admittantur.* At opus non fuit ut Apostoli huncce Canonem ederent post Christi mandatum dicentis, *Euntes docete, &c.* & visionem, cœlitus oblatam Petro, lintei illius mystici, in quo genus omne animalium conclusum erat.

Sextò, certum est imagines Christi, & maximè statuas, primis Ecclesiæ Sæculis non fuisse substitutas locò idolorum, nec Fidelium venerationi expositas, ne cultus idololatrici objectum mutasse viderentur Christiani, non reliquisse; quod Patrum adversùs Ethnicos disceptationes, & susceptæ pro nostra Religione Apologiæ disertè probant; ut ipsum Ethnicorum silentium, qui imaginum usum & venerationem Christianis nusquam objiciunt, tam splendidam tamque obviam objectionem non prætermissuri, si apud eos imagines extitissent aliquæ: quod denique probat prohibitio picturæ & statuariæ artis, Christianis primorum Sæculorum facta, teste Tertulliano lib. contra Hermogenem cap. 1. & libro de Idololatria cap. 3. imò statuarum usum nondum fuisse inductum in Christianorum Templa tempore Septimæ Synodi OEcumenicæ, constat ex eadem Synodo Actione 7. & Eruditi consentiunt. Ergo Canon octavus Synodo Antiochenæ Apostolorum adscriptus, fictitiæ Synodi fictitius Canon est, siquidem pro idolis adorandam esse decernit statuam Christi Domini.

Objicitur: Illos Canones invenit Turrianus in antiquissimo Codice MS. Pamphili Martyris, qui in Origenis Bibliotheca illos invenerat: ergo non sunt rejiciendi.

Respondeo, nego Consequens. Nam Turrianus fidem nullam meretur hac in parte, cùm non dicat ubi nactus fuerit illud Manuscriptum, & à quo habuerit. 2. Falsò existimavit Codicem hunc, qualiscunque fuerit, esse Pamphili Martyris, quamvis ejus nomen præferret; siquidem nullos edidisse libros Pamphilum Martyrem, constat & ex silentio Eusebii, qui nihil ab eo scriptum prodit, & ex testimonio S. Hieronymi lib. 1. Apologiæ adversùs Rufinum.

Objectio secunda nititur authoritate Innocentii I. Pontificis Maximi Epistolâ 18. ubi de Ecclesia Antiochena loquens, ait: *Ibi & nomen accepit Religio Christiana, & Conventum Apostolorum apud se fieri celeberrimum meruit.* Ergo Apostoli Synodum Antiochiæ celebrarunt, in qua illos Canones edidere.

Respondeo, nego Consequens. Dicit enim Innocentius, Conventum celeberrimum Apostolorum factum esse Antiochiæ, quia illic sedit Petrus Apostolorum Princeps, illucque profecti sunt Paulus, & Barnabas; non quòd Synodum ibi celebraverint aliquam; sed enim quomodo celeberrimus Conventus diceretur Synodus illa, cujus, ante Innocentium nullus Author Ecclesiasticus meminisset?

Respondeo 2. Si nomine Conventus celeberrimi Synodus intelligenda sit, Innocentium ex memoriæ lapsu (quod maximis etiam Viris quandoque contigit) id tribuisse Antiochiæ, quod convenit Hierosolymis; eaque in re labi eò fuisse proclivius, quòd celeberrimus ille Conventus Hierosolymis factus, seu Hierosolymitanum Apostolorum Concilium, de Antiochenæ Ecclesiæ causa, & ejusdem rogatu, celebratum fuerit.


Objicitur tertiò Gregorius Pisinuntensis Episcopus, in VII. Synodo Generali, Actione 1. citat primum illorum Canonum *ex Synodo Apostolorum apud Antiochiam.* Ergo Canones illi genuini sunt.

Respondeo, distinguo Antecedens. Et affingit hunc Canonem Synodo, quam absque fundamento comminiscitur, concedo; & rectè citat, nego. Unde negandum est consequens. Certè Anastasius Bibliothecarius, Concilii Septimi ex Græco Interpres, Gregorii citationem suspectam habuit, ipsius verba sic reddens: *In Synodo Sanctorum Apostolorum, quæ apud Antiochiam congregata dicitur.* Cur, quæso, non dixit simpliciter, *quæ congregata est*, ut habet textus Græcus: nisi quia sciebat hanc Synodum inauditam esse: Unde rei fidem penès unum Gregorium relinquens, scripsit; *quæ congregata dicitur.*

Respondeo

Respondeo secundo, Gregorium illum non persuasisse Synodi VII. Patribus laudatum à se Canonem Apostolicum esse: alioqui ipsum secuti essent. At contra, nullam ipsius rationem habuerunt; siquidem solas coloribus pictas tabulas, & icones in religionis usum admiserunt, non verò statuas, quarum usum istius Canonis probasset authoritas, si quæ apud illos extitisset.

Respondeo 3. multas apocryphorum quisquilias à VII. Synodi Patribus probatas fuisse, qui in sacrorum librorum Critica rudes erant: unde si non recipimus quæcunque laudata sunt ab ipsis monumenta, sed ea expendimus; multòmious tenemur admittere Synodum Antiochenam Apostolorum, & ejus Caoones ab uno Gregorio Pisinuntensi, homine levi, & Iconoclastarum erroribus antea maculato.



## DISSERTATIO XXI.

### De Epistolis Decretalibus veterum Pontificum Romanorum, usque ad Siricium.

### ARTICULUS I.

*Utrùm Epistolæ Decretales Romanorum Pontificum, usque ad Siricium, genuinæ sint?*

NON agimus de Epistolis Sancti Cornelii, quæ extant inter Opera Sancti Cypriani; neque de Epistolis Julii I. quæ referuntur à Sancto Athanasio, Apologia 2. nec de Epistolis Liberii, quæ à Sancto Hilario in Fragmentis recensentur, nec de Epistola Damasi ad Illyrici Episcopos, quam Theodoretus lib. 2. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 22. exscripsit; aliisque ejusdem Pontificis Epistolis apud Sanctum Hieronymum extantibus: fatemur enim priscorum Pontificum Epistolas, quæ à Sanctis Patribus, aut veteribus Historiæ Ecclesiasticæ Authoribus referuntur, genuinas esse. De aliis igitur duntaxat quæstio est, quas ex Isidori Mercatoris Collectione Conciliorum editores in editiones suas transtulerunt; quarum quinque adscriptæ sunt Sancto Clementi; tres Anacleto; duæ Evaristo; tres Alexandro; duæ Sixto I. unica Telesphoro; duæ Hygino; quatuor Pio I. unica Aniceto, duæ Soteri; unica Eleuthero, quatuor Victori; duæ Zephyrino; duæ Callisto I. unica Urbano I. duæ Pontiano; unica Antero; tres Fabiano; tres Cornelio, quarum uoa inscribitur, *Charissimis atque dilectissimis Fratribus sanctæ Dei Ecclesiæ filiis, & omnibus Domino rectâ fide famulantibus*: altera, *Rufo Coepiscopo*; tertia *Lupicino Viennensi Episcopo*; unica Lucio; duæ Stephano I. duæ Sixto II. duæ Dionysio; tres Felici I. duæ Eutychiano; Caio uoica; duæ Marcellino; duæ Marcello I. tres Eusebio; una Melchiadi; una Silvestro; unica Marco, ad Sanctum (ut supponitur) data; duæ Julio I. duæ Liberio; duæ Felici II. Damaso plures, nimirum tres ad Sanctum Hieronymum, ad Afros, de Chorepiscopis, ad universos Episcopos Italiæ, ad Aurelium. De his (inquam) Epistolis quærimus an genuinæ sint, an suppositititiæ.

Blondellus Author apud Calvinistas celebris, hoc de argumento copiosè egit & eruditè in libro qui inscribitur, *Pseudo-Isidorus & Turrianus vapulantes*: quo in opere sicut ejus criterium laudandum est, quo Epistolas illas priscis Pontificibus meritò abjudicat: ita ejus incusanda est temeritas, qua illas conviciis proscindit ac lacerat, nulla habita ratione veterarum, & piissimarum sententiarum, quæ in illis assertæ sunt, & exaratæ. Frustra verò sibi cecinit, quasi primus illarum suppositionem Decretalium observasset, atque propugnasset. Enunverò ante ipsum animadverterat, scripseratque Antonius Augustinus Taraconensis Episcopus, in iis multas ex Codice Theodosiano sententias; & ex Scholiis, quæ sub Aniani nomine extant ad Codicem Theodosianum, insertas esse; cùm tamen Theodosiaous Codex duobus tribusve sæculis post Pontifices, quibus illæ Epistolæ affinguntur, sit conscriptus.

### PROPOSITIO.

*Veterum Pontificum Romanorum, ad Siricium usque, Epistolæ, suppositititiæ sunt.*

Probatur primò. Illæ Epistolæ, quæ Scripturam sacram frequenter usurpant secundùm Vulgatam Versionem à Sancto Hieronymo adornatam, non sunt genuinæ Romanorum Pontificum, qui Siricium præcesserunt: sed Epistolæ illæ Scripturam sacram frequenter usurpant secundùm Versionem Vulgatam à Sancto Hieronymo adornatam, ergo sunt suppositititiæ.

Probatur secundò. Si Epistolæ Decretales veterum Pontificum genuioi essent illorum fœtus, harum Authores Ecclesiastici octo priorum sæculorum interdum meminissent, has citassent interdum Concilia, & alii Pontifices: atqui nullus, ante nonum sæculum, illas Epistolas vel nominavit quidem; non Sanctus Hieronymus in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum, ooo Siricius, non Innocentius, non Sanctus Leo, aliique Sanctissimi Pontifices, non ullum octo priorum Conciliorum Oecumenicorum, non Photius vir immensæ lectionis, in Bibliotheca: ergo sunt suppositititiæ.

Probatur tertiò. Illæ Epistolæ, quarum argumenta oon conveniunt sæculis Authorum, quibus inscribuntur, sunt suppositititiæ: sed illarum Epistolarum argumenta non conveniunt primis Ecclesiæ sæculis, quibus vixerunt Pontifices Romani, Siricii Decessores, ergo illis affictæ sunt, & suppositititiæ.

Probatur Minor. Illarum Epistolarum argumenta non conveniunt primis Ecclesiæ sæculis, quæ nec impugnant hæreticos primorum sæculorum, imo oequidem nominant; quæ de persecutionibus adversùs Ecclesiam excitatis, de Confessorum consolatione, & exhortatione ad martyrium, de Lapsis, ne verbum quidem ullum habent; sed nihil hujusmodi leges in illis Epistolis: ergo illarum argumenta primis Ecclesiæ sæculis non conveoiunt. Certè si conferatur harum Epistolarum materia cum argumentis de quibus agunt Epistolæ Episcoporum, Opera Sanctorum Patrum, decreta Conciliorum quæ supersunt ex quatuor primis Ecclesiæ sæculis, ad Siricium usque, nemo non intelliget quàm parùm conveniat Ecclesiæ nascentis ætati illarum Epistolarum materia.

Probatur quartò. Illæ Epistolæ priscis Pontificibus affictæ sunt, quę compilatæ sunt ex Epistolis, Operibus, & Decretis posteriorum Pontificum, Patrum, & Conciliorum: atqui Epistolæ veterum Pontificum, usque ad Siricium, compilatæ sunt ex Epistolis, Operibus, & Decretis posteriorum Pontificum, Patrum, & Conciliorum; ergo sunt affictæ priscis Pontificibus.

Minorem accuratè demonstrat Blondellus in Prolegomenis Pseudo-Isidori cap. 13. ubi in singulis Epistolis notat sententias ex scriptis Authorum posteriorum delibatas, & ad verbum exscrip-

tas; & examine singulari cujusque Epistolæ, in decursu Operis, quod inscripsit, *Pseudo-Isidorus, & Turrianus vapulantes*, ubi Turriani vindictas pro Epistolis illis funditùs evertit.

Nec ullius est momenti, Pseudo-Criticorum exceptio, respondentium, Patres, Pontifices, Concilia sequentium temporum, illarum ex Epistolarum fontibus plurima hausisse; adeóque non esse mirum, quod eædem plerumque sententiæ legantur in illorum monumentis, ac in illis Epistolis. Hæc, inquam, futilis est responsio: nam si Patres, Pontifices, & Concilia, dictas Epistolas deflorassent, eorum Authores nominassent interdum honoris causâ, sicut nominarunt alios, quorum dicta usurparunt: eorum testimoniis, atque authoritate obtudissent hæreticos: nunquam denique in dubium revocassent, quod tot Decretalibus ab Apostolorum ætate fuisset constitutum. Atqui Patres, Pontifices, Concilia, quorum in monumentis, Epistolis, Decretis, eædem quæ in priscorum Pontificum Epistolis sententiæ leguntur, nunquam vel Epistolarum, vel eorum quorum inscriptæ sunt nominibus, meminerunt, nusquam eorum authoritate urgent hæreticos sui temporis: in dubium quandoque revocant quod tot Decretalibus constitutum est (quod Afrorum dubitatio de jure appellationum ad Romanam Sedem, tempore Zosimi, abundè testatur.) Ergo non est verisimile, Patres, Pontifices, Concilia posteriora, mutuatitias ex antiquis Decretalibus sententias, verbaque, in sua monumenta transtulisse: imò longè est probabilius harum Consarcinatorem Epistolarum, turpissimi plagii reum, quòd posteriorum Patrum, Pontificum, & Conciliorum dicta exscripserit, & alienis vulgaverit nominibus.

Præterea: quæ ex posteriorum Patrum scriptis, vel Conciliorum, Pontificumque Decretis, in illis Epistolis leguntur, cum cæteris partibus non cohærent, nec illarum stylo conveniunt: quod indicium manifestissimum est illa priscis Decretalibus malè assuta fuisse.

Probatur quintò. Falsa temporum consignatio non leve est in Epistolis, aliisque monumentis imposturæ argumentum. Unde præclarè Tatianus Oratione adversùs Græcos, tomo 1. Bibliothecæ Patrum Græco Latinæ ait: *Ubi temporum ratio non cohæret, ibi ne Historia quidem vera esse potest.* Sed omnes ferè veterum Pontificum Epistolæ falsis temporum Consulatuumque notis consignatæ sunt, ut nemo oculatus non videt; ergo sunt suppositæ priscis Pontificibus.

Probatur sextò. Styli similitudo, & idem scribendi caracter, evidenter probat unitatem Authoris: sed in illis veterum Pontificum Epistolis idem stylus, idemque scribendi caracter occurrit; ergo evidens est eas ab uno Authore, non à diversis Pontificibus conscriptas. Qua enim ratione, amabo te, fieri potuisset, ut tot Pontifices, diversis temporibus, eosdem dictionis caracteres servassent, eundem stylum affectassent?

Probatur septimò. Epistolæ, quæ barbaro & sordido sermone conscriptæ sunt, & à sæculi, quo datæ supponuntur, elegantiâ & nitore penitus alienæ, censeri debent suppositæ: atqui Epistolæ veterum Pontificum, ad Siricium usque, barbaro & sordido sermone conscriptæ sunt, & à priorum sæculorum elegantia, & pura Latinitate alienæ; ergo sunt suppositæ: Quis enim sibi persuadeat priscos Pontifices Latiniùs & elegantiùs non esse locutos, quàm homines ex infima plebis fæce, quàm agasones, coquos, & hortulanos; cùm ipsi & plerumque nobilitate insignes, & semper studiis, doctrinaque non vulgari exculti, Ecclesiæ præficerentur universæ?

Objicitur primò. Illæ Epistolæ genuinæ sunt, quas ut genuinas agnoverunt Concilia, Conciliorum & Canonum Collectores, aliique Authores doctissimi, & gravissimi: atqui veterum Pontificum Epistolas, usque ad Siricium, ut genuinas agnoverunt Concilia, Canonum Collectores, aliique Scriptores doctissimi; ergo sunt genuinæ.

Probatur Minor. Illas citant Aquisgranensis Concilii Patres, sub Gregorio IV. Benedictus Levita Compilator Capitularium Caroli Magni, & Ludovici Pii; Hincmarus Laudunensis Episcopus, in libello quem Hincmaro Remensi Archiepiscopo obtulit (ut iste testatur in Opusculo 55. cap. 43.) Concilium Coloniense cap. 3. Moguntinum cap. 11. Tribuiense cap. 21. Metense sub Arnulpho congregatum, cap. 5. Remense adversùs Arnulphum Archiepiscopum; Luitprandus Ticinensis in lib. de Vitis Pontificum, Ordo Romanus, Micrologus cap. 10. & 41. Author Apologiæ pro Gregorio VII. cap. 3. Anselmus Lucensis Episcopus lib. 1. adversùs Guibertum Antipapam, & in Collectione Canonum, quam adornavit; Burchardus Wormatiensis in libros Decretorum quos edidit, innumera ex priscorum Pontificum Decretalibus convasavit; Ivo Carnotensis in Decretum suum sexcentas ex iisdem sententias transtulit; Gratianus suo item Decreto, quod in Scholis omnibus Juris Canonici legitur, & quod sequitur Ecclesia, illas Epistolas inseruit; Concilium Lateranense sub Callisto II. cap. 4. Stephani I. secundam, & Callisti I. secundam citat. Denique omnes Juris Pontificii Interpretes, omnes Theologi Polemici & Scholastici ab annis 400. ad hæc usque tempora, harum Epistolarum testimonia Catholicorum ad confirmationem dogmatum laudarunt, & inter alios Doctor Angelicus. Ergo Concilia, Canonum Collectores, aliique viri doctissimi, veterum Pontificum Epistolas ut genuinas agnoverunt.

D'Aix la Chapelle.

Respondeo, distinguo Minorem. Veterum Pontificum Epistolas, usque ad Siricium agnoverunt Concilia, &c. Et hæc Concilia, hique Collectores, & Authores, posteriores sunt nono sæculo, nec Epistolas illas ad severioris Criticæ regulas expenderunt, concedo: & nono sæculo antiquiores fuerunt, & illas Epistolas revocarunt ad examen, nego. Fateor itaque citata Concilia, Collectores Canonum, & alios Autores, veterum Pontificum Decretales Epistolas ut genuinas agnovisse: sed hi omnes noni sæculi exordia non antecedunt. Nam Concilium Aquisgranense, quod ad secundam Fabiani Epistolam allusisse videtur, celebratum est anno Domini 836. Benedictus Levita, qui Regum nostrorum Decreta in tres Capitularium libros digessit, floruit circa annum Domini 846. aut 850. Hincmarus Laudunensis circa annum 870. Concilium Coloniense habitum est anno 887. Moguntinum anno 888. Metense post annum 887. Triburiense anno 895. Luitprandus floruit circa annum 950. Concilium Remense adversùs Arnulphum celebratum est anno 992. Ordo Romanus conscriptus est à Bertoldo Constantiensi circa annum 1079. quo etiam tempore Micrologus in lucem editus est. Author Apologiæ pro Gregorio VII. scripsit paulò post Synodum Romæ celebratam anno 1074. Anselmus Lucensis obiit anno 1086. Burchardus Wormatiensis scripsit anno 1008. Ivo Carnotensis obiit anno 1114. Gratianus Decretum suum absolvit anno 1151. cæteri Gratiano posteriores fuerunt. Igitur ante annum Domini 830. nulla Decretalium quæ Pontificibus Siricii Decessoribus adscriptæ sunt, memoria, nulla penitus fama fuit. Porrò tot sæculorum silentium, junctum invictissimis rationibus, quæ illarum

larum Epistolarum suppositionem demonstrant, posteriorum temporum testimoniis anteponendum est: si enim posteriora Concilia jus habent corrigendi priora, *cum aliquo experimento rerum aperitur quod clausum erat, & innotescit quod latebat*, ut Sanctus Augustinus ait lib. 2. de Baptismo cap. 3. non mirum quòd Concilia, & eruditos Authores, qui post 8. seculum floruerunt, viri hujus sæculi doctissimi emendent in rebus Criticis, quarum media ætas rudis erat: maximè cùm illa mediæ ætatis Concilia, illique Authores, terminos sibi à Patribus constitutos hac in re transgressi fuerint, Decretales octo prioribus sæculis ignotas laudando, nec recentem nothorum fœtuum animadvertendo natalem.

Respondeo secundò, veteres Canonum Collectores deceptos fuisse honesto nomine Isidori, sub quo prodiit larvatus impostor, & malè feriatus harum Epistolarum artifex. Existimarunt enim illarum Collectorem fuisse Sanctum Isidorum Hispalensem: quod falsum est (ut articulo sequenti ostendemus) nec illas accuratè expenderunt. Unde Ivoni, Anselmo, Burchardo, Gratiano anteponi debet Dionysii Exigui authoritas & fides, qui sub Imperio Justiniani Collectionem suam adornavit, interpellatus à Laurentio Romanæ Ecclesiæ Presbytero: siquidem hanc Collectionem Ecclesia Romana potius probavit, quàm posteriores, ut testatur Cassiodorus Author coævus, cap. 23. Divinarum Lectionum, ubi de Abbate Dionysio loquens, ait: *Ex Græcis Exemplaribus, Canones Ecclesiasticos moribus suis, ut erat planus atque disertus, magna eloquentiæ luce composuit. Quos hodie usu celeberrimo Ecclesia Romana complectitur.* Porrò Dionysius Exiguus, qui veterum Pontificum Epistolas summa accuratione collegit, initium suæ compilationis facit à Decretalibus Siricii. Quod argumento est, tunc nullas extitisse veterum Pontificum, qui Romanam Ecclesiam ante Siricium rexerunt, Epistolas, sed eas fuisse secutis temporibus confictas. Quod autem omnium, quæ extabant, Pontificum Decreta collegerit Dionysius, ipse testatur in Epistola ad Julianum Ecclesiæ Romanæ Presbyterum, ita scribens: *Præteritorum Apostolicæ Sedis Præsulum Constituta, quà valui cura & diligentiâ collegi, & in quemdam redigens ordinem, titulis distinxi compositis: ita duntaxat ut singulorum Pontificum, quotquot à me Præcepta reperta sunt, sub uno numerorum serie terminarem.*

Respondeo tertiò, Concilia citata, Collectores Canonum, & Autores laudatos, varia ex veterum Pontificum Epistolis decreta laudasse; quia usu receptæ erant in Ecclesia; & ab Apostolica Sede probatæ erant, non quòd illas à tantis Pontificibus datas censerent. Vel certè de Anthoribus illarum non curantes, nec criticum instituentes examen, illas citarunt occasione data, quia illas, quoad dogmatum veritatem, quoad disciplinæ rationem, quoad judiciorum ordinem, ab Ecclesia receptas noverant, quorumcunque Authorum essent. Hanc responsionem suggerit Eminentissimus Annalium Ecclesiasticorum Parens, tom. 10. ad annum Christi 865. p. 277. ita scribens: *At verò ex multis erat reddi suspectas Epistolas, quæ dicta sunt 2. Annalium tomo, dum de illis singulis mentio facta est, satis est demonstratum, simulque ostensum, illis non indigere S. R. E. ut si falsitatis arguantur, suis ipsa destituatur juribus & privilegiis: cùm, etsi illis careat, ex legitimis germanisque aliorum Pontificum Romanorum Epistolis Decretalibus satis superque corroborata consistat. Cæterùm quòd excerpta ex illis capita à Benedicto Levita primùm, ut Canonibus consentientia probata essent (ut ipse testatur) authoritate Romanorum Pontificum, quod & à posterioribus factum est Collectoribus: eadem usu potiùs recipi contigerunt, quàm constanti ipsarum firmitate.*

Respondeo quartò, Benedictum Levitam, qui Capitularium libros digessit, eosque Lothario, Ludovico, & Carolo Regibus, Ludovici Pii Imperatoris filiis nuncupavit, circa annum 850. satis innuere Epistolas illas non esse genuinas; siquidem illas, suppresso Authorum nomine, citavit, ne recens detegeretur impostura: Satisque habuit monere, Decreta illa, quæ jussu Autgarii Moguntini Archiepiscopi ex scriniis Moguntiacæ Ecclesiæ collegerat, & sparserat in tribus postremis Capitularium libris, à Romana Ecclesia probata fuisse, ne quis adversùs ea mutire auderet. Id notavit Baronius loco suprà laudato, ita scribens: *Sed & ipse Benedictus Levita, etsi ex eadem Isidori Collectione accepit multa, tamen bene conscius, authoritatem illarum Epistolarum haud adeo constantem, sed nutare admodum, nunquam aliquem illarum citavit Authorem, ut fecit in reliquis, quarum fides constans esset, Romanorum Pontificum Epistolis, Innocentii, Leonis, Gelasii, Symmachi, atque Gregorii, citans ac nominans earum Authores: sed & magnâ cautelâ, quòd sciret ex eis accepta haud adeò haberi firma, curavit (ut ipse in fine testatur) eadem authoritate Apostolica confirmari.*

Porrò verba Benedicti Levitæ, quæ hujus Annotationis materiam Baronio præbuerunt, ita habent lib. 7. Capitularium ad finem. *Maximè trium ultimorum capitula istorum librorum Apostolica sunt cuncta authoritate roborata, quia his cudendis maximè Apostolica interfuit Legatio. Nam eorum nomina, præter trium, id est Leonis, Sergii, & Gregorii, hic non inseruimus, licet ea per singulos conventus inserta invenissemus.*

Ad Gratianum respondeo, majorem fidem adhibendam esse doctissimo ejus Emendatori Antonio Augustino Tarraconensi Archiepiscopo, quàm Gratiano ipsi, cujus Collectio innumeris erroribus scatet, in eo præsertim, quòd pseudepigrapha frequentiùs citat; & Patribus, Pontificibusque, & Conciliis ea Decreta tribuit, de quibus nequidem cogitarunt, ut constabit legenti librum illius Archiepiscopi, inscriptum, *Gratianus Emendatus*, qui rursus in lucem nuper editus est curâ & studio viri clarissimi Stephani Baluzii, qui & eruditis Notis huic Editioni præfatus est. Porrò Antonius Augustinus inter alia notat, ipsa Legum Imperatoriarum verba, & quæ sub Aniani nomine extant ad Codicem Theodosianum Scholia, in veterum Pontificum Epistolis usurpata esse: quamvis Pontifices, quibus dictæ Epistolæ tribuuntur, duobus aut tribus sæculis Codicis Theodosiani editionem præcesserint: quod evidentissimum est suppositionis argumentum.

Falsum autem est quod objicitur, Ecclesiam sequi Decretum Gratiani. Multa enim sunt in ea Collectione, quæ Ecclesia non probat, cùm errores probare non possit.

Objicitur secundò. Illæ Epistolæ genuinæ sunt, quas Romani Pontifices, Sanctus Leo Magnus, Gelasius, Leo IV. & Nicolaus I. ceu genuinas admiserunt, & ab omni Ecclesia velut genuinas recipi jusserunt: & quas Ecclesiæ Gallicanæ Præsules ab octingentis annis recepere. Atqui Romani Pontifices nominati, Decretales veterum Pontificum ceu genuinas agnoverunt, & ab omnibus recipi jusserunt; Præsules etiam Gallicanæ Ecclesiæ ab octingentis annis illas recepere: ergo sunt genuinæ.

Probatur Minor ex Epistola 1. Sancti Leonis data ad universos Episcopos per Campaniam & Picenum,

Piceoum, vel Tusciam, & per universas provincias constitutos, ubi ait: *Omnia Decretalia Constituta omnium Præcessorum nostrorum, ita vestram Dilectionem custodire debere mandamus: ut si quis illa contempserit, veniam sibi deinceps noverit denegari.*

Item ex Synodo Romana sub Gelasio anno. 494. ita decernente: *Item Decretales Epistolas, quas Beatissimi Papæ diversis temporibus ab urbe Romana, pro diversorum Patrum consultatione dederunt, venerabiliter recipiendas* decernimus.

Et ex Leone IV. in Epistola ad Episcopos Britanniæ, apud Gratianum, Dist. 20. cap. *De libellis*, ubi ait, *Sanctorum Conciliorum Canones non esse relinquendos, vel Decretalium regulas, quæ habentur simul cum Canonibus: quibus autem,* inquit, *in omnibus Ecclesiasticis utimur Judiciis, sunt Canones Apostolorum, Nicænorum, Ancyranorum, Neocæsariensium, Gangrensium: Antiochensium, Laodicensium, Constantinopolitanorum, Ephesinorum, Calchedonensium, Sardicensium, Africanensium, Carthaginensium, & cum illis Regula Præsulum Romanorum, Silvestri*, &c.

Idem constat ex Epistola 47. Nicolai I. ad universos Galliæ Episcopos data, ubi quorumdam ex illis pertinaciam retundit qui veterum Pontificum Epistolas admittere nolebant, quòd Codici Canonum insertæ non essent. *Porro*, inquit, *si ideo non esse Decretales Epistolas priscorum Pontificum Romanorum admittendas dicunt, quia in Codice Canonum non habentur adscripta; ergo nec Gregorii Sancti, nec ullius alterius, qui ante, vel post ipsum fuit, est aliquod institutum, vel scriptum recipiendum, eò quòd in Codice non habeantur.*

Et infrà; *Decretales Romanorum Pontificum sunt recipiendæ,* Inquit, *etiamsi non sunt Codici Canonum compaginatæ: quoniam inter ipsos Canones unum Beati Leonis capitulum constat esse permixtum, quo ita omnia Decretalia Constituta Sedis Apostolicæ custodiri mandantur, ut si quis in illa commiserit, noverit sibi veniam negari.* Profert deinde verba Sancti Leonis suprà laudata Nicolaus, ex quibus sic colligit: *Dicendo verò, omnia Decretalia Constituta, nullum de Decretalibus Constitutis prætermisit, quod non mandaverit esse custodiendum. Et rursus asserendo: Omnium Decessorum nostrorum, nullum Pontificum Romanorum, & qui ante se fuerit, excepit.*

Et infrà. *Consonat etiam huic Beatissimo Papæ Leoni functus & facundissimus in Decretis suis Papa Gelasius.* Et prolatis Gelasii verbis suprà citatis, sic colligit; *In quo notandum, quia non dixit Decretales Epistolas, quæ inter Canones habentur, nec tantùm quas moderni Pontifices ediderunt; sed quas Beatissimi Papæ: diversis temporibus, ab urbe Roma dederunt. Dictis autem diversis temporibus, etiam illa tempora vir sanctus comprehendit, quæ crebrescentibus Paganorum persecutionibus, ad Sedem Apostolicam deferri causas Episcoporum difficillimè permittebant.*

Denique quòd Præsules Gallicanæ Ecclesiæ veterum Pontificum, ad Siricium usque, Epistolas receperint, constat ex utroque Hincmaro, Laudunensi nimirum, & Remensi. Nam & Laudunensis Decretales illas protulit ut causam suam adversùs avunculum tueretur, & Remensis in Opusculo 55. Capitum *eas venerabiliter suscipiendas fatetur.* Idem constat ex Epistola illa Nicolai I. in qua de Gallicanis Episcopis ita scribit: *Nam nonnulla eorum scripta penès nos habentur, quæ non solùm quorumcunque Romanorum Pontificum, verùm etiam priorum Decreta, in suis causis præferre noscuntur.* Præterea si Gallicani Episcopi existimassent veterum Pontificum Epistolas, ad Siricium usque,

A pseudepigraphas & supposititias esse, id respondissent Nicolao I. qui illarum authoritate ipsos urgebat; atqui istud non responderunt, sed solùm eas non esse eodem loco & numero habendas ac Canones, quia Codici Canonum non erant insertæ: ergo existimarunt illas Epistolas esse germanas. Nullam enimverò venerationem merentur Epistolæ falsò veterum Pontificum nominibus a nugaci impostore honestatæ: at Hincmarus Remensis Archiepiscopus, vir Juris Canonici peritissimus, cum veneratione vult recipi illas Epistolas; non

B censet igitur affictas priscis Pontificibus. En Hincmari verba in Opusculo 55. Cap. c. 25. *Tu hac discretione (ut præmisi ex verbis Gelasii) suscipe ad instructionem illas Epistolas, quas Beatissimi Papæ diversis temporibus, ab urbe Roma, pro diversorum Patrum consolatione dederunt legendas, venerabiliter, & serva sacra Concilia, quæ Sedes Apostolica, & omnis sequitur Ecclesia, inviolabiliter.*

Respondeo, nego Minorem prioris Syllogismi, quoad Sanctum Leonem, Gelasium, & Leonem IV. Quod autem illas Epistolas admisisse dicitur Nicolaus I. distinguo. Illas admisit arguendo ad hominem contra Gallicanos Episcopos, concedo;

C ex propria sententia, nego. Vel, admisit ut vim Canonum habentes, concedo; ut genuinas, nego. Addo quòd etsi illas ex propria sententia admisisset, & ut germanos veterum Pontificum fœtus recipiendas decrevisset, ipsum hoc in judicio non sequeremur, quia æstu contentionis abreptus, novumque jus & antea inauditum in Gallicanæ Ecclesiæ Judicia invehere volens, harum authoritatem Epistolarum protulit. Denique, quod additur, Gallicanæ Ecclesiæ Præsules veterum Pontificum Epistolas recepisse, distinguo: & quidam eas receperunt, concedo; omnes, nego. Rursus

D distinguo: eas receperunt absque examine, concedo; prævio examine, & disquisitione critica, nego. Singula responsionis capita sigillatim expono.

Quòd Sanctus Leo Epistolâ 1. cap. 5. ad veterum Pontificum, qui Siricium antecesserunt, Epistolas Decretales minimè respexerit, meritò sum inficiatus, idque constat ex eo ipso loco: siquidem suorum Decreta Decessorum commendans, ab Innocentio I. initium duxit, ante quem unus Siricius scripserat ad Afros, & ad Himerium Tarraconensem, qui ipsum consuluerat. Porrò si Sanc-

E tus Leo ad priscorum Pontificum Epistolas respexisset, vel, si tunc extitissent aliquæ, commendasset imprimis Epistolas Clementis, Anacleti, Hygini, Pii, Aniceti & aliorum. Nomine autem omnium Prædecessorum suorum, quorum Decretalia Constituta custodiri mandat, intelligit Siricium, Cælestinum, Zosimum, Bonifacium, Sixtum III. non verò Pontifices Siricio antiquiores, quorum nullæ extabant Decretales Epistolæ. En verba Sancti Leonis: *Ne quid verò sit, quod prætermissum à nobis fortè credatur, omnia Decretalia Constituta, tam B. recordationis Innocentii, quàm omnium Præde-*

F *cessorum nostrorum, quæ de Ecclesiasticis ordinibus, & Canonum ordinata sunt disciplinis, ita vestram Dilectionem custodire debere mandamus: ut si quis illa contempserit, veniam sibi deinceps noverit denegari.*

Nego etiam Gelasium priscorum Pontificum Epistolis suffragari: cum enim ejus indefinita sit sententia, constabit ejus veritas, si ad eas Epistolas referatur, quas Siricius, Innocentius, Zosimus, Bonifacius, Cælestinus, Sixtus III. Sanctus Leo, Hilarus, Simplicius, & Felix III. Gelasii Decessores scripserant. Hæ namque diversis temporibus, ab urbe Roma, pro diversorum Patrum consultatione datæ fuerunt. Fateor Nicolaum primum Gelasii

Gelasii verba ad omnes Decretales, quæ suo tempore manibus omnium terebantur extendisse, ut illas etiam comprehendant, quæ priorum Pontificum venerandis insignitæ sunt nominibus. Sed id asserit Nicolaus præter Gelasii mentem.

Contendo etiam Leonem IV. illarum Epistolarum veritati non favere; siquidem ex omnibus Pontificibus, qui Siricium præcesserunt, nullius Decreta memorat, nisi Silvestri. *Et cum illis*, inquit, *Regula Præsulum Romanorum, Silvestri, Siricii, Innocentii, Zosimi, Cælestini, Leonis, Gelasii, Hilari, Symmachi, Hormisda, Simplicii, & Gregorii Junioris. Isti omnino sunt & per quos judicant Episcopi & per quos Episcopi judicantur, ut & Clerici.* Suspicatur Blundellus cap. 16. Prolegomenon, mendum esse in textu Leonis, & loco istorum nominum, *Silvestri, Siricii,* legendum esse, *scilicet Siricii*, quia nullas Silvestri regulas habet vetus Romanæ Ecclesiæ Canon: sed probabilior est conjectura, quam subjungit, Leonem quartum fortè respexisse Acta Romanæ Synodi sub Silvestro, jam conficta: concinnata quippe fuerant cum Actis Silvestri, quæ Gelasius in Synodo Romana, à *multis in urbe Roma Catholicis legi* testatur, *eumque morem plures Ecclesias imitari*: Quæ etiam Acta citaverat Septima Synodus Oecumenica, sexaginta & ampliùs annis antequam Leo IV. illam Epistolam scriberet. Denique quòd Leo respexerit ad Acta Synodi Romanæ sub Silvestro, colligitur evidenter ex ipsiusmet Epistolæ initio, ubi regulam in dicta Synodo constitutam profert ad Judiciorum Canonicorum ordinem decernendum. *Nullam*, inquit, *damnationem Episcoporum esse unquam censemus, nisi aut ante legitimum numerum Episcoporum, qui fit per duodecim Episcopos: aut certè probatâ sententiâ per 72. idoneos testes, qui tales sint, qui & accusare possint, & priùs ad sacra Christi quatuor Evangelia sacramenta præstent, quòd nil falsum deprimant, sicut nobis Beatus Silvester tradidit, & Romana sancta tenere videtur Ecclesia.*

Jam ad Nicolaum I. transeamus. Dico itaque Nicolaum eminentæ natis virum & eruditum Pontificem, Epistolas veterum Pontificum, quas apprimè noverat supposititias, directè propugnandas non suscepisse; sed hoc unum contendisse, Gallicanos Antistites earum authoritatem inefficaci ratione impetere. Gallicani enimverò Episcopi hac una ratione illas rejicere videbantur, quòd in Codice Canonum non essent: quam rationem ut nullam ostendat Pontifex, ita contra eos ad hominem argumentatur: *Porro si ideo non esse Decretales Epistolas priscorum Pontificum Romanorum admittendas dicunt, quia in Codice Canonum non habentur adscripta: ergo nec Gregorii Sancti, nec ullius alterius qui ante, vel post ipsum fuit, est aliquod institutum, vel scriptum recipiendum, eo quod in Codice Canonum non habeatur adscriptum....... Sed quare multùm immoremur, cum nec ipsas divinas Scripturas novi & veteris Testamenti jam recipiamus, si istos duxerimus audiendos? Etenim neutrum horum in Codice Ecclesiasticorum Canonum habetur insertum.*

Fingit deinde Nicolaus Gallicanos Præsules rem planè falsam & ridiculam responsuros, scilicet ideo recipi vetus & novum Testamentum, quia recipiendum esse sancitum est Innocentii I. Decreto, quod Canonum in Codicem est relatum; quasi verò id unquam venerit in mentem doctissimorum Antistitum, sacras veteris novique Testamenti paginas authoritatem ex Innocentii Decreto precariam consequi; istam verò Gallicanis Episcopis affictam responsionem, in ipsos retorquet, Nicolaus: inde colligens, veterum Pontificum Epistolas pariter esse recipiendas, quia Decreto Leonis Papæ cavetur omnia Decessorum suorum Decretalia Constituta custodienda esse. En verba Nicolai I. quæ responsionis nostræ veritatem ostendunt. *Sed responsuri sunt isti*, inquit, *quod inter Canones invenitur Capitulum Sancti Papæ Innocentii, cujus authoritate docetur, à nobis utrumque Testamentum esse recipiendum, quanquam in ipsis paternis Canonibus nullum eorum continetur ex toto insertum. Quibus ad hæc respondendum est, quoniam si vetus novumque Testamentum recipienda sunt, non quòd Codici Canonum ex toto habeantur adnexa, sed quòd de his recipiendis Sancti Papæ Innocentii prolata videtur sententia, restat nimirum quòd Decretales Epistolæ Romanorum Pontificum sunt recipiendæ, etiamsi non sunt Codici Canonum compaginatæ: quoniam inter ipsos Canones unum B. Leonis Capitulum constat esse permixtum, quo ita omnia Decretalia Constituta Sedis Apostolicæ custodiri mandantur, ut si quis in illa commiserit, noverit sibi veniam negari.*

Non intendebat igitur Nicolaus probare Epistolas veterum Pontificum genuinas esse, quia de hoc ipsum inter & Gallicanos Episcopos non movebatur controversia: sed solùm vim Legis Ecclesiasticæ ipsas habere, quod illi præfractè negabant.

Verùm etsi Decretales veterum Pontificum Epistolas ut genuina monumenta, suisque digna authoribus, Nicolaus I. admisisset, nòn ideo tamen illas admitteremus; sed responderemus appositè, illum Pontificem æstu contentionis abreptum id asseruisse, ut novum jus Romanæ Sedi vindicaret, hisque fundamentis superstrueret. Enimverò novam Judiciorum Ecclesiasticorum regulam à veteribus Canonibus, & prioris ævi disciplina prorsùs alienam constituit, scilicet Episcopum, inconsulto Romano Pontifice, in Synodis provincialibus deponi non posse, etiamsi Romanam Sedem non appellasset: ob idque priscarum Epistolarum se præstitit vindicem, ut illarum authoritate novum illud jus stabiliret, ac Metropolitanorum, Synodorumque Provincialium debilitaret dignitatem. Istud fuisse Nicolai I. consilium, constat ex ejus Epistola suprà laudata ad Episcopos Galliæ, in qua de Rothadi Suessionensis Episcopi causa loquens, hæc habet, *Etsi Sedem Apostolicam nullatenus appellasset, contra tot tamen & tanta vos Decretalia efferre statuta, & Episcopum, inconsultis nobis, deponere nullo modo debuistis.*

Denique, quod spectat Gallicanos Episcopos, respondeo, quasdam admisisse Decretales veterum Pontificum Epistolas, non omnes. Equidem illas admisit Hincmarus Laudunensis, * sed easdem Hincmarus Archiepiscopus Remensis explosit, ut constat ex ejus verbis apud Flodoardum lib. 3. Historiæ Remensis cap. 21. & 22. ubi Episcopum Laudunensem sic alloquitur: *Quærens adinventiones ut te Metropolitana subjectione posses exuere, libellum de Patrum antiquorum scriptis ante sacros Nicænæ Synodi, & aliorum Sanctorum Canones editis collegisti: in quibus sententias inter se dissonas, & contra Evangelicam & Apostolicam, atque Canonicam Apostolicæ Sedis authoritatem immiscuisti.*

Respondeo præterea, Gallicanos Episcopos tunc temporis veterum Pontificum Epistolas recepisse ex parte, quatenus Canonibus non adversabantur; easdem rejecisse, quatenus Canonibus repugnabant: quod ex Hincmaro Archiepiscopo Remensi constat, qui earum authoritate interdum usus est. Quæ Episcoporum nostrorum inconstantia huic Nicolai I. exprobrationi occasionem dedit: *Quanquam quidam vestrûm scripserint, haud illa Decretalia priscorum Pontificum in toto Codicis*

*Canonum corpore contineri descripta; cùm ipsi, ubi suæ intentioni hæc suffragari conspiciunt, illis indifferenter utantur, & solùm nunc ad imminutionem potestatis Sedis Apostolicæ, & ad suorum augmentum privilegiorum minùs accepta esse præbeant.*

Porro non responderunt Nicolao Gallicani Præsules, has Epistolas supposititias esse, quia de falsitate illarum nondum omnino ipsis constabat, cùm eas ad examen non revocassent; & ipsis aliunde satis erat quòd canonicam non obtinerent authoritatem, ut earum authoritate ad colla novo juri submittenda non adigerentur. Unde id unum Pontifici reposuerunt, parem earum non esse, ac Canonum authoritatem, quia non extabant in Codice Canonum, quem ab Apostolica Sede Majores eorum acceperant. Unde eas quidem se cum veneratione suscipere, solos autem se inviolabiliter observare Canones profitebantur.

Objicitur tertiò. Sanctus Isidorus Hispalensis [a] veterum Pontificum Epistolas ut genuinas agnovit; siquidem earum adornavit Collectionem: ergo sunt recipiendæ.

[a] De Seville.

Probatur antecedens ex Hincmaro Archiepiscopo Remensi Epistola 7. cap. 12. dicente, *Isidorus Hispalensis Episcopus collegit cum Epistolis Romanæ Sedis Pontificum à Sancto Clemente, usque ad Beatum Gregorium*, &c.

Respondeo, nego antecedens. Nam obiit Sanctus Isidorus Hispalensis anno Christi 636. Heraclii Augusti anno 26. Cinthila regnum ineunte, ut testantur Redemptus ejus Diaconus in illius Vita, Braulio Cæsaraugustanus in Catalogo Operum Isidori, Lucas Tudensis [a] lib. 3. & Mariana lib. 6. cap. 7. Ex qua epocha evidenter colligitur Sanctum Isidorum Hispalensem non esse Authorem Collectionis veterum Decretalium, quæ Isidori Peccatoris, vel Mercatoris nomen præfert, cùm & Concilii Toletani undecimi illa meminerit, quod anno 675. ab Isidori obitu 39. habitum est, & Concilii Sexti Oecumenici, quod celebratum est anno 681. 40. & ampliùs annis post obitum Isidori: & Gregorii II. & III. necnon Zachariæ, Summorum Pontificum, qui post annum septingentesimum floruerunt, Epistolas, Author ille suæ Collectioni inseruerit. Unde Hincmarus deceptus est, & alii qui ipsum secuti sunt.

[a] De Tuy.

Objicies; multa, quæ in Præfatione Collectionis istarum Epistolarum Decretalium leguntur, extare in libro 5. Etymologiarum Sancti Isidori Hispalensis: adeóque illum esse istius Collectionis authorem.

Respondeo, contrarium potiùs colligi: nullus enim Author eruditus & sapiens recoctam crambem lectoribus apponit: & quæ semel scripsit, absque necessitate iterum obtrudit. Deinde, cùm libros Etymologiarum non ab ipso Isidoro Hispalensi, sed Braulione Cæsaraugustano [a] Episcopo, post Isidori obitum editos, Braulio ipse, cujus rogatu illos conscripsit, testetur; evidens est posteriorem fuisse Isidoro, quisquis libros illos desloravit.

[a] De Sarragoça.

## SCHOLION I.

Ad hanc Dissertationem Operum meorum Censores in suo Indiculo hanc notam appinxerunt: *De Nicolao I. pessimè loquitur, ut de ambitioso, & insciente, & æstu contentionis abrepto.*

R. Verùm Religiosorum Censorum pace dixerim, id mihi affingi immeritò. *Nicolaum I.* nusquam ambitionis insimulavi, absit. Immo de illo scripsi in Historia Ecclesiastica Sæculi IX. cap. I. A. 2. *Sanctus ab Hadriano successore, Græcis Latinisque plaudentibus vocatus est, qui & novum Eliam, & novum Phinees illum prædicaverunt. Illum cum Sancto Gregorio in gloria Sanctorum visum scripsit Joannes Diaconus lib. IV. De Vita S. Gregorii*, &c. Quod eumdem Pontificem *inscientem* (ut loquitur Auctor Indiculi Censorii) appellaverim, falsum est: immo pag. 761. Sæculi I. Edit. primæ quam notas, ipsum voco *Eruditam Pontificem*: Dixi quidem, illum *æstu contentionis abreptum*, veterum Pontificum Romanorum Epistolas propugnasse. Ita porro se res habet, id illius ad Gallicanos Episcopos Epistola, quæ tota in ferventi disputatione posita est, liquidò ostendit. De qua *Baronius* ad annum 863. *Verùm quòd his temporibus cùm recens haberetur earum Epistolarum editio, nec perfectè in omnibus cognito essent nondum admotâ lucernâ Cleanthis, ea ex parte tantùm eas recipiendas negarent, quod extra corpus Canonum, suo seorsum volumine posito haberentur: Hanc ipsorum objectionem magni posse esse momenti Nicolaus considerans, dum reliqua omnes Romanorum Pontificum extra posita Decretales abolerentur unâ istâ sententiâ: Rescripsit ad eos Epistolam Decretalem magni ponderis.* Nonne verò contentionis seu disputationis æstum spirant hæc *Nicolai I.* argumenta? *Si ideo Decretales Epistolas priscorum Pontificum Romanorum admittendas non esse dicunt, quia in Codice Canonum non habentur adscriptæ: ergo nec Gregorii Sancti, nec ullius alterius, qui ante vel post ipsum fuit, est aliquid institutum vel scriptum recipiendum, eo quòd in Codice Canonum non habeatur adscriptum: Ergo doctrinam eorum & sanctiones de Codicibus suis eradant: at quid vel membranas occupant, postquam non habentur accepta? sed quare multùm immoremur, cùm nec ipsas divinas Scripturas novi & veteris Testamenti jam recipiunt, si ista duxerimus dicenda? Etiam neutrum horum in Codice Ecclesiasticorum Canonum habetur insertum. Sed responsuri sunt isti, qui non ad obediendum potiùs, quàm ad resistendum semper parati sunt, dicentes*, &c. Nonne contendit seu fervidè disputat (hoc enim sensu contentionis vocem hîc usurpavi) qui objectiones diluit, & responsiones occupat, de quibus illis, quibuscum ipsi controversia est, ne quidem cogitasse verisimile est; qui magno conatu vana ad eorum expugnandam sententiam argumenta stringit & contorquet? Sic *Orationis contentionem*, & *impetum contentionemque dicendi* Cicero dixit, & *omnem contentionem esse inter homines doctos in verbi controversia positam.*

## SCHOLION II.

Mirabitur omnis eruditorum hominum natio, quòd Religiosi Censores præcipuam Dissertationis hujusce meæ Propositionem in Indiculo suo notaverint his verbis: *Epistolæ Decretales Romanorum Pontificum ad Siricium usque apocryphæ*: Cùm ea sit *Baronii* Cardinalis sententia, Tom. X. Annalium, ad annum octingentesimum sexagesimum-tertium scribentis: *Sed & ipse Benedictus Levita etsi ex eadem Isidori Collectione accepit multa, tamen bene conscius, auctoritatem illarum Epistolarum haud adeo constantem, sed nutare admodum, nunquam aliquem illarum citavit Auctorem, ut fecit in reliquis quarum fides constans esset, Romanorum Pontificum Epistolis, Innocentii, Leonis, Gelasii, Symmachi neque Gregorii, citans ac nominans eorum Auctores: sed & magnâ cautelâ, quòd sciret ex eis accepta haud adeo haberi firma, curavit, ut ipse in fine testatur, eadem auctoritate apostolica confirmari. Qui autem primus excerpta ex eis Decreta cum titulo edidit Romanorum Pontificum, quorum nomine censerentur, fuit Hincmarus Laudunensis Episcopus, ut apparet ex Epistola seu Libro contra ipsum scripto ab Hincmaro Remensi. Laudunensem verò secuti alii, ut qui sequenti sæculo scripsit Burchardus, & omnium novissimus Gratianus. At verò ex multis eas reddi suspectas Epistolas, per ea quæ dicta sunt secundo Annalium Tomo, dum de singulis mentio facta est, satis est demonstratum, simùlque demonstratum illis non indigere sanctam Romanam Ecclesiam, ut si falsitatis arguantur, suis ipsa destituatur juribus & privilegiis, cùm etsi illis careat, ex legitimis germanisque aliorum Pontificum Romanorum Epistolis Decretalibus satis superque corroborata consistat.* Idem censet doctissimus Cardinalis *Perronius*.

Secutus sum & doctissimi Cardinalis *Bonæ* sententiam, libro I. *Rerum Liturgicarum*, scribentis: *Dudum ab Eruditis observatum est, Romanorum Pontificum Epistolas Decretales usque ad Siricium suppositititas esse, à quodam Hispano sub nomine Isidori (quicumque ille fuerit) sub finem septimi Sæculi piâ fraude confictas, & sententiis veterum Canonum, Legum etiam Civilium, & sanctorum Patrum, qui quarto & quinto Sæculo floruerunt, turpi anachronismo, eodemque ferè stylo & dicendi charactere, magna ex parte contextas*, &c. Secutus sum sententiam *Petri de Marca* Parisiensis Archiepiscopi libro III. *De Concordia Sacerdotii & Imperii*, cap. V. Contii, Antonii Augustini, Sirmondi, Petavii, P. Labbæi, Christiani Lupi p. 19. Notarum in Conciliorum Generalium & Provincialium Canones ac Decreta pag. 362. Emmanuelis Schelstrate in *Antiquitate illustrata*, Caroli le Cointe in Annalibus Ecclesiasticis Francorum, Tom. VI. ad annum 785. pag. 363. &c.

ARTICULUS

## ARTICULUS II.

*Quis Epistolas illas fabricaverit, ac priscis Pontificibus supposuerit?*

I. SAnctus Isidorus Hispalensis non est Autor illarum Epistolarum, nec earum Collector. Probatur. Qui monumenta profert Sancto Isidoro recentiora, non est Isidorus ipse: sed illarum Epistolarum artifex monumenta profert Sancto Isidoro Hispalensi recentiora, scilicet Concilium Toletanum undecimum, Concilium Oecumenicum Sextum, Epistolas Gregorii II. & III. Zachariæ, & Bonifacii Moguntini Archiepiscopi, ut probavimus ad finem Articuli præcedentis: ergo Author, seu Collector illarum non est Sanctus Isidorus Hispalensis.

Secundò, Braulio Cæsaraugustanus Episcopus, Isidoro coævus, & amicissimus, in Catalogo quem texuit ipsius Operum, nullam mentionem facit Epistolarum Decretalium, quæ veteribus ante Siricium Urbis & Orbis Pontificibus inscriptæ sunt: uti nec Sanctus Hildephonsus Toletanus Antistes. Ergo illarum Collectionem Sanctus Isidorus non C adornavit.

Tertiò, summa viri sanctitas & doctrina non sinunt ut ipsum tam fœdæ imposturæ authorem, & tot propalatorem næniarum existimemus.

II. Decretalium Epistolarum Collector non est alius Isidorus, Hispalensis Episcopus.

Probatur. Epistolarum Decretalium artificem vixisse necesse est post annum Domini 700. siquidem ex Bonifacii Moguntini Archiepiscopi Epistola ad Ethibaldum Regem, quæ post annum Domini 744. data est; & ex Epistola celebris Abbatissæ Cangith post annum 720. ad eundem Bonifacium scripta, plurimas lacinias excerpsit. Porro D ab anno 636. quo obiit Sanctus Isidorus Hispalensis, ad annum 700. & supra nullus in Hispalensis Ecclesiæ cathedra sedit Isidorus, ut constat ex Ecclesiæ monumentis. Nam Sancto Isidoro successit Theodiscus, Theodisco Honoratus, Honorato Antonius, Antonio Fugitivus, Fugitivo Julianus, Juliano Florescindus, Florescindo Felix, Felici Faustinus, Faustino Oppa, huic Joannes, isti Verus qui Episcopatum administravit circa annum Christi 760. igitur Author, seu Collector Epistolarum illarum, non fuit alter à Sancto Isidoro ejusdem nominis Hispalensis E Episcopus.

Fateor equidem ad finem Concilii tertii Bracarensis, anno Domini 675. subscriptum reperiri Isidorum Asturicensem: & ad finem Conciliorum Toletanorum, duodecimi, anno Domini 681. decimi-quinti, anno 688. & decimi-sexti anno 693. subscriptum etiam legi Isidorum Setabiensem; sed neuter Decretalium artifex aut Collector esse potest, cùm posterior fuerit harum mercium institor anno Domini 700.

Non abnuo, Juliani Toletani Chronicon innuere Isidorum Mercatorem Setubensem Episco- F pum, ope Monachi cujusdam, Epistolas Decretales veterum Pontificum compilasse, & obiisse anno 805. Sed Chronicon istud suspectæ apud eruditos omnes fidei est, & Sancto illi Archiepiscopo existimatur suppositum.

III. Riculphus Moguntinus Archiepiscopus plurimas Epistolas sub veterum Pontificum venerandis nominibus conscriptas, ex Hispania in Germaniam attulit, ut refert Hincmarus in Opusculo cap. 24. *De libro autem collectarum ab Isidoro Epistolarum*, inquit, *quem de Hispania allatum Riculphus Episcopus Moguntinus, in hujusmodi,*

A *sicut & in Capitulis Regiis studiosus, obtinuit, & istas regiones ex illo repleri fecit*, &c.

IV. Incertum est quisnam fuerit Isidorus ille Mercator, qui illas Epistolas fabricatus est. Quidam viri eruditi illarum Autorem fuisse Isidorum quemdam magni nominis Monachum existimant, qui se *Peccatorem* dicere soleret, & nomini suo hoc semper elogium adderet; quem Episcopi ad has Epistolas cudendas impulerunt: ex peccatore porrò Mercatorem Scribas oscitantes fecisse. Ita conjicit Morinus. Alii hoc *peccatoris* elogium servantes Isidoro, ipsum fuisse Episcopum suspicantur; B quòd solemnis esset mos sanctorum Episcoporum, ut se *peccatores* subscriberent, ut constat ex Conciliis Turonensi I. Parisiensi III. Turonensi II. & Matisconensi I. Ita conjicit D. de Marca. Blondellus asserit harum mercium Authorem fuisse aliquem Episcopum Germano Francum, Caroli Magni Imperio subditum, non verò Hispanum, sive Monachum, sive Antistitem. His rationibus nititur: primò quòd verisimile non sit Hispanos sub Maurorum tyrannide tunc gementes, illi Epistolarum farragini concinnandæ animum intendisse. Secundò, quia cùm plurimas ad Gallos, Germa- C nos, Italosque datas Epistolas Pseudo-Isidorus mentiatur, quinque tantùm refert ad Hispanos conscriptas: quod certè non fuisset facturus videtur homo Hispanus, de gentis suæ gloria etiam ex pseudepigraphis Epistolis stabilienda sollicitus. Tertiò, quòd styli barbaries & impuritas Germano-Francum potiùs redoleat, quam Hispanum. Quartò, quòd disciplina his Epistolis expressa, Ecclesiis quæ Caroli Magni Imperio patebant, conveniret. Addit Blondellus, Isidorum illum Mercatorem, cujus nomine vulgatæ sunt illæ priscorum Pontificum Epistolæ, fratrem fuisse Eulogii Cordubensis * Presbyteri qui cùm pietatis causâ D profugus Moguntiam adventasset, ibique mansisset aliquandiu; inde occasionem arripuerunt Riculphus Moguntinus * Archiepiscopus, & Benedictus Levita veterum Decretalium Collectionem ipsi affingendi, ut incautis hanc ex Hispaniis allatam esse persuaderent. Verùm cùm hæc dixisse contentus Blondellus, nullatenus ea probare satagat, ipsi fides non est adhibenda: sed quisnam fuerit, & cujas Isidorus harum Epistolarum artifex, omnino incertum esse asserendum est.

* De Cordub.

* De Mogunt.

E AD PRÆCEDENTEM DISSERTATIONEM

### APPENDIX.

*De variis Juris Canonici Collectionibus.*

I. ECCLESIA Jure duplici regitur, Divino, & Canonico. Primum Scripturis sacris, alterum Codicibus Canonum continetur. Hinc olim in Conciliis Oecumenicis Codex ille duplex proferebatur: unus divinæ Scripturæ, & Evangeliorum, qui in medio Patrum consessu, in throno collocabatur: alter Canonum anteriorum. Primus ape- F riebatur, cùm fidei controversiæ dirimendæ erant; secundus, cùm sancienda erat disciplina. Porro multiplices & variæ Canonum Collectiones extiterunt. Antiquissima omnium est, Canonum, qui dicuntur Apostolici, Collectio, quamvis ante sextum Sæculum in Orientis Ecclesiis recepta non fuerit universim, nec ante Dionysium Exiguum, cum Occidentalibus communicata. Quæcunque hanc Collectionem spectant, Dissertatione XVII. discussimus & exposuimus.

Quarto sæculo, & quinto ineunte, solis Canonibus Nicænis, & Sardicensibus, qui sæpe sub Nicænorum titulo sunt laudati, Ecclesia Occidentalis regebatur,

regebatur, ut constat ex Innocentio I. in Epistola ad Clerum Constantinopolitanum, quam Sozomenus refert lib. 8. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 26. *Canonibus porro*, inquit, *obsequendum esse scribimus, qui Nicææ sunt decreti: quos solos consectari decet Ecclesiam Catholicam, & juxta eos judicare.*

Secunda Collectio Canonum.

II. Secunda Collectio Canonum, paulò pòst S. Joannis-Chrysostomi obitum, & ante Calchedonensis Concilii celebrationem adornata est. Hæc Nicænos, Ancyranos, Neocæsarienses, Gangrenses, Antiochenos, Laodicenos, & Constantinopolitanos Canones, numero centum sexaginta quinque, complectebatur. Ejus Author fuisse conjicitur Stephanus Ephesinus Episcopus, cujus nomen in veteri Codice Manuscripto legit adscriptum Vir Canonicæ Antiquitatis peritissimus Justellus. Prolata est ista Collectio in Concilio Calchedonensi, ex eaque Canones quartus & quintus Antiocheni Concilii sub nomine Regulæ octogesimæ tertiæ, & octogesimæ-quartæ, sunt recitati: Canones verò decimus-sextus, & decimus-septimus, sub titulo nonagesimæ-quintæ & nonagesimæ sextæ Regulæ. Approbata est ea Collectio in Concilio Calchedonensi, Canone 1. cujus hæc sunt verba: *Regulas Sanctorum Patrum per singula nunc usque Concilia constitutas, proprium robur obtinere decrevimus.* Adjecti sunt huic Collectioni 27. Canones Concilii Calchedonensis, expuncto, de Orientalium consensu, vigesimo-octavo. Jus illud Canonicum, per omnes Orientis & Occidentis Ecclesias viguit. Illa Collectio, quam in lucem edidit Justellus, ab eo insignita est titulo *Codicis Canonum Ecclesiæ universæ.* Canonibus ista Collectione comprehensis vim publicæ legis tribuit Justinianus Imperator Novella Constitutione 131. *Sancimus igitur*, inquit, *ut sancti Ecclesiastici Canones, qui à sanctis quatuor Conciliis expositi sunt, & confirmati, vim legum obtineant.*

Tertia Collectio Canonum.

III. Tertia Canonum Collectio in quinquaginta Titulos distributa, in Codice Manuscripto Bibliothecæ Christianissimi Regis, falsò Theodoreto adscribitur. Nam & Canones Apostolicos 89. laudat, qui Theodoreti ætate nondum in Orientalis Ecclesiæ Codicem relati erant, nec ab aliquo Scriptore Ecclesiastico illius temporis sunt laudati, & Canones Ecclesiasticos cum Principum Legibus, & præcipuè cum Novellis Constitutionibus Justiniani Imperatoris confert. Unde Joanni Scholastico, qui sub Justiniani Imperio floruit, à Justello, aliisque Viris Eruditis probabiliùs adscribitur. Sileo de Ferrandi Carthaginensis Diaconi, & Cresconii Collectionibus in Africa stylo compendioso conscriptis.

Quarta Collectio Canonum.

IV. Quarta Canonum Collectio paulò ante Concilium Trullanum edita est. Primam & secundam, de quibus egimus, complectebatur, Canones Africanos, & Canonicas insuper Sanctorum Gregorii Neocæsariensis, Petri Alexandrini, Basilii, aliorumque Patrum Epistolas. Id constat ex Canone 2. illius Concilii: *Firmi stabilesque maneant*, inquit, *qui à Sanctis Patribus, qui nos præcesserunt, suscepti ac confirmati sunt, atque adeo nobis etiam traditi sunt, Sanctorum & gloriosorum Apostolorum nomine octoginta quinque Canones. . . . , Obsignamus etiam reliquos omnes Canones, qui à Sanctis & Beatis nostris Patribus expositi sunt, id est à trecentis decem & octo Sanctis ac deiferis Patribus, qui Nicææ convenerunt, iisque qui Ancyræ, & iis etiam qui Neocæsareæ: similiter & qui Gangris: præterea & iis qui in Antiochia Syriæ: atque iis etiam qui in Laodicea Phrygiæ: præterea autem & centum quinquaginta Patribus, qui in hac à Deo conservanda & imperiali Civitate convenerunt; & ducentis qui in Ephesiorum Metropoli priùs coacti sunt; & sexcentis triginta Sanctis & Beatis Patribus, qui Calchedone: similiter & iis qui Sardicæ, & qui Carthagine, & qui rursus in hac Dei cultrice & Imperatoria Urbe convenerunt sub Nectario, qui Imperanti huic Civitati præsidebat, & Theophilo, qui fuit Alexandriæ Archiepiscopus. Quin etiam Canones Dionysii, qui fuit Archiepiscopus magnæ Alexandrinorum Civitatis; & Petri qui fuit Alexandriæ Archiepiscopus & Martyr: Gregorii Neocæsareæ Episcopi Thaumaturgi, Athanasii Alexandrini Archiepiscopi, Basilii Archiepiscopi Cæsareæ Cappadociæ, Gregorii Episcopi Nissæ, Gregorii Theologi, Amphilochii, Iconii, Timothei Archiepiscopi Alexandriæ, prioris Theophili Archiepiscopi ejusdem Alexandriæ, Cyrilli ejusdem Alexandriæ Archiepiscopi, & Gennadii, qui fuit Patriarcha hujus à Deo conservandæ & imperantis Civitatis. Præterea verò & à Cypriano, qui Afrorum regionis fuit Archiepiscopus & Martyr, & Synodo, quæ sub ipso fuit, emissum Canonem, qui in prædictorum Præsulum locis solùm, secundum traditam eis consuetudinem servatus est: Et nulli licere priùs declaratos Canones adulterare, vel non admittere; vel alios, præter hic propositos recipere Canones à quibusdam falsa adjecta inscriptione compositos, qui veritatem cauponari conati sunt.* Huic porro Collectioni Zonaras Monachus, & Balsamon Patriarcha Antiochenus, Trullanos ipsos Canones 102. addiderunt, nec non Canones Septimæ & Octavæ Synodi Œcumenicæ. Atque his constat Jus omne Orientalium Ecclesiarum. Quòd verò Occidentalem Ecclesiam spectat, ea usa est Codice Canonum à Concilio Calchedonensi probato, & in omnibus Ecclesiis promulgato, donec Dionysius Exiguus, Abbas, novam adornavit Collectionem, Laurentii Romanæ Ecclesiæ Presbyteri votis annuens. In ea Codicem Canonum Ecclesiæ universæ ex Græco fideliter & accuratè versorum exhibuit, in 27. Canone Concilii Calchedonensis desinens. His adjunxit quinquaginta priores Canones Apostolicos, Canones Concilii Sardicensis, & Conciliorum Africanorum. Integra Dionysii Collectio Canones 394. complectitur: quibus Romanorum Decreta Pontificum Ecclesiasticam sancientia Disciplinam, à Siricio usque ad Hormisdam subjunxit. Hanc Collectionem & interpretationem Canonum probavit Ecclesia Romana, ut testatur Cassiodorus Divinarum Lectionum cap. 23. ubi de Dionysio ita scribit: *Ex Græcis Exemplaribus Canones Ecclesiasticos moribus suis, ut erat planus atque disertus, magnæ eloquentiæ luce composuit: quos hodie usu celeberrimo Romana Ecclesia complectitur.* Ea Collectione in Judiciis Ecclesiasticis etiam usa est, ut constat ex caussa Contumeliosi Regensis * Episcopi, quem Joannes II. Pontifex Maximus ab Episcopatûs ordine suspendit propter varia, quibus pollutus erat, crimina; decrevitque ut in ejus locum Visitator in ipsius Ecclesia constitueretur, datis ea de re ad Cæsarium Episcopum Arelatensem literis, quibus capita Canonum, qui Judicia Episcoporum spectabant, & qui in Contumeliosi caussa usui esse poterant adjunxit, scilicet Capitulum VII. ex Epistola Siricii, ex Canonibus Apostolorum Capitulum XXV. & XXXI. ex Canonibus Antiochenis, Capitulum IV. & XV. Transcripta autem erant ea capita ex Collectione & interpretatione Dionysii Exigui.

Collectio Dionysii Exigui.

* *De Riez*

*Tom. 1. Conc. Galliæ.*

Gallicana Ecclesia hanc Collectionem etiam amplexa est maxima cum veneratione, eaque usa est in Judiciis Canonicis, ut colligitur ex verbis Cæsarii Arelatensis in caussa Contumeliosi. *Nemo mihi*, inquit, *alia quælibet contra auctoritatem Sedis Apostolicæ, aut contra 318. Episcoporum præcepta, vel reliquorum Canonum statuta objiciat: quia quicquid*

Dionysii Exigui Collectione usa est Ecclesia Gallicana.

contra

*contra illorum definitionem, in quibus Spiritum Sanctum locutum esse credimus, dictum fuerit, recipere non solum temerarium, sed etiam periculosum esse non dubito.* Idem colligitur ex Concilio Aurelianensi III. Canone 3. quo decernitur, *Ut Metropolitanus à Comprovincialibus Episcopis, sicut Decreta Sedis Apostolicæ continent, cum consensu Cleri vel civium eligatur, quia æquum est, sicut ipsa Sedes Apostolica dixit, ut qui præponendus est omnibus, ab omnibus eligatur.* Decretum Leonis I. Pontificis Maximi allegat in Epistola ad Anastasium Thessalonicensem, quod Collectioni Dionysii Exigui, cum aliis ejusdem, aliorumque Pontificum Decretis insertum erat. Istam itaque Collectionem Gallicana Ecclesia receperat. Hic liber est Canonum, quem Rex Chilpericus ad Gallicanos Antistites Parisiis in Synodo congregatos misit, teste Gregorio Turonensi lib. 5. Historiæ Francorum cap. 19. cujus verba in Dissertatione de Canonibus Apostolicis adduxi.

Non tamen eo duntaxat Canonum Codice in sancienda Disciplina, & in Judiciis Ecclesiasticis Gallicani Antistites utebantur: verùm etiam Canonibus Gallicanarum Synodorum, ut constat ex caussa Contumeliosi Regensis Episcopi, in qua Cæsarius Arelatensis protulit seorsim Canones Gallicanos, eisque recensitis, ait: *Ecce manifestissimè constat, quia secundum quod & tituli antiquorum Patrum, sed & Canones Gallicani continere videntur, Clerici in adulterio deprehensi, aut ipsi confessi, aut ab aliis revicti, ad honorem redire non possint.*

Idem constat ex Agobardo Lugdunensi Archiepiscopo, in Epistola ad Ludovicum Pium Imperatorem, *Huc accedit*, inquit, *aliud quod pia consideratione dignum videtur, de Canonibus scilicet Gallicanis, qui quasi superflui, aut inutiles à quibusdam respuuntur, eò quod Neoterici Romani eos non commendaverint, cùm Antiqui religiosè eos venerati sint, quoniam venerandi & Sancti Viri eos ediderunt, quorum vitam & sanctitatem crebra miracula commendarunt. . . . . Neque hoc idcirco dicitur, ut passim omnium Episcopalium Conventuum sanctiones æquali auctoritate recipienda credantur, ut Nicæni, Calchedonensis, & cæterorum generalium ex totius mundi consensu congregatorum, & receptorum. Sed quia congrua veneratione, pro caussis necessariis, quarum definitiones ex illis generalibus non inveniuntur, fides sit eis adhibenda, religione debita.*

Collectio & interpretatio Dionysii Exigui in Hispania æquè ac in Galliis recepta est, ut constat ex Concilio Bracarensi II. anno 563. in quo, postulante Lucretio Episcopo, *relecti sunt ex Codice, coram Concilio, tam generalium Synodorum Canones, quàm localium.* Quorum observantia capitulo vigesimo ejusdem Concilii præcepta est his verbis: *Item placuit, ut quæcumque præcepta antiquorum Canonum modo in Concilia recitata sunt, nullus audeat præterire. Si quis autem quasi contumax transgreditur, ille necesse est ut de suo degradetur officio.*

Martini Bracarensis Collectio.

Verùm Martinus Bracarensis Episcopus, natione Græcus, & Dumiensis olim Cœnobii Abbas, novam Collectionem edidit, novaque methodo, duas in partes illam distribuens, descriptis in prima parte Canonibus, qui ad Clericos, in secunda qui ad Laïcos pertinerent. Hæc Collectio à Concilio Lucensi in Gallæcia probata est anno 571. quam sæpe laudat Gratianus sub nomine Martini Papæ in Concilio.

De Lugo.

Collectio Isidori Mercatoris.

V. Antiquo Juri successit novum ex Collectione Isidori Mercatoris, quod anno circiter 836. agente Nicolao I. Pontifice Maximo promulgari cœptum est. Veterum Pontificum Romanorum Decretales Epistolas ea Collectio complectitur, de quibus Dissertatione præcedenti egimus. Jus illud novum, quo Disciplina vetus, quoad Judiciorum Ecclesiasticorum ordinem, labefactata est, paulatim invaluit. Primus eo usus est Angilramnus Episcopus Metensis, in Collectione Capitulorum, quæ sub nomine Hadriani Romani Pontificis ad Angilramnum circumferuntur: quorum plurima ex veterum Pontificum Epistolis collegit, & Hadriano Papæ obtulit, cùm aliquo de crimine accusatus, Judicum sacrorum cognitioni subtrahere se vellet. Dixi, (quæ sub nomine Hadriani circumferuntur) nam facilè assentior Viro clarissimo & Doctissimo Baluzio, qui in sua ad Antonii Augustini de Gratiani Emendatione Dialogos Præfatione, non inaniter suspicatur illorum Capitulorum Authorem non fuisse Hadrianum, sed Angilramnum. Ejus conjectura præcipuè nititur fide veteris Codicis MS. Bibliothecæ regalis Monasterii S. Victoris Parisiensis, in quo huic Collectioni titulus iste præfixus est: *Incipiunt Capitula collecta ex diversis Conciliis, sive Decretis Pontificum Romanorum, ab Angilramno Metensi Episcopo, & Adriano Papa oblata.*

Præterea non est verisimile quòd Hadrianus Angilramno Codicem Canonum alterum dedisset ab eo quo tunc Romana utebatur Ecclesia, quem Gallicana in Judiciis Ecclesiasticis, & in controversiis de Disciplina emergentibus consulebat: quem denique Carolo Magno dederat Hadrianus ipse, ut hoc dono eum Ecclesiasticæ Disciplinæ tutorem, Canonumque vindicem declararet. At in illo Codice, quem Carolo Magno obtulit Hadrianus, veterum Pontificum Decretales Epistolæ nullæ citatæ sunt, sed Romanorum Episcoporum à Siricio duntaxat ad Gregorium Juniorem Decreta: quod argumento est Hadrianum veteres illas Epistolas venerandis Præsulibus suppositas existimasse: non est igitur verisimile quòd ille Pontifex depromptas ex illis Epistolis sententias Collectioni Capitulorum Angilramno datæ inseruisset.

VI. Aliqua etiam ex Isidori Mercatoris Collectione mutuatus est Regino Monasterii Prumiensis Abbas, in libris duobus, quos *De Ecclesiasticis Disciplinis, & Religione Christiana*, scripsit, anno circiter 906. jussu Rathbodi Archiepiscopi Trevirensis, cujus in Metropoli degebat, in Sancti Maximini Monasterio, in quod Prumiensi ex Abbatia pulsus secesserat. Eo namque in Opere, præter Canones antiquos, dicta Sanctorum Patrum, & sincera Pontificum Romanorum Decreta, pseudepigraphas etiam Decretales in Isidori Mercatoris officina fabricatas interdum allegat.

Collectio Reginonis.

VII. Post Reginonem, Burchardus Wormatiensis Episcopus, anno 1020. viginti Decretorum libros nova methodo composuit, Scripturæ Sacræ, Patrumque sententias, Conciliorum Canones, Pontificum Decreta, ad certa Disciplinæ Ecclesiasticæ capita redigens. Quo in Opere componendo Olbertum Gemblacensem Abbatem Burchardo collaborasse testatur Sigebertus in Chronico ad annum 1008.

Collectio Burchardi.

De Vormatia.

VIII. Altera Juris Canonici Collectio extat sub nomine Anselmi Lucensis, quæ illius non est genuinum Opus: plurima namque Urbani II. & aliorum Pontificum Decreta continet, quorum ævo, jam obierat Anselmus. Præterea vetus Author Vitæ ejusdem Anselmi, qui lucubrationes ejus recenset, istius Collectionis non meminit: de qua apud Sigebertum & Trithemium, altissimum etiam silentium est.

Collectio Anselmi Lucensis.

IX. Anno deinde 1100. Ivo Carnotensis Collectionem Canonum elaboravit ad usum Ecclesiæ Gallicanæ, sive potius Collectiones duas, quarum una *Panormia* inscribitur; altera *Decretum Ivonis*. Et primam quidem non esse germanum

Collectio Ivonis Carnotensis.

Ivonis opus, viri quidam eruditi existimarunt, sed Hugonis cujusdam Catalaunensis; quem ex Ivonis Decreto abbreviato libellum conscripsisse, qui *Summa Decretorum Ivonis* appellatur, testis est Vincentius Bellovacensis lib. 25. Speculi Historialis cap. 84. Sed hunc librum alium esse a Pannormia Ivonis, ostendit & tituli diversitas in omnibus MSS. editisque Codicibus, & Canonum ac Decretorum in utroque libro relatorum varietas. Ad calcem Pannormiæ a, descripta sunt Decreta Innocentii II. qui Pontifex factus est multis annis post Ivonis Carnotensis obitum. Hoc tamen argumento non est, Pannormiam esse supposititium Ivonis opus, quia Decreta illa non sunt pars istius Collectionis, sed ipsi sunt addita posteriori manu. Unde Antonius Augustinus Tarraconensis Episcopus habuisse se Codicem veterem Pannormiæ Ivonis testatur, à quo Decreta Innocentii II. aberant, sicuti absunt ab antiquissimo Codice Bibliothecæ Victorinæ, ut observat vir eruditus Stephanus Baluzius. Pannormia in partes octo: Decretum in decem & septem divisum est. In utramque Collectionem plurima ex Digestis, Codice, & Novellis transcripsit, Jus Civile cum Canonico præclarè conjungens.

a Pannormiam viri quidam eruditi dici debere contendunt, quasi legum omnium complexionem: sed veteres Codices MSS. editique libri Pannormiam exhibent: uti & Trithemius in lib. de Script. Eccles.

Collectio Gratiani.

X. Anno tandem 1151. Gratianus Monasterii Sancti Felicis Bononiensis, Ordinis Benedictini Monachus, Jus Canonicum in unum corpus redegit: Liber ille falsò Decretum Gratiani inscribitur, cùm in nullo fere veterum Codicum ea inscriptio extet, sed ista: *Concordia discordantium Canonum.* Hinc viri doctissimi Antonius Demochares, & Antonius Contius, qui edendo emendandoque Gratiano incubuerunt, vocem illam, *Decretum*, utpote ineptam sustulere; quia non unius Decreti explanatio, sed multorum Collectio Decretorum opus istud est, ille itaque *Decretorum Collectanea*; hic *Decretorum Canonicorum Collectanea*, inscripserunt. Hanc adornavit Collectionem Gratianus sub Eugenii III. Pontificatu. Dionysii Exigui, Isidori, & Ivonis Collectiones complectitur, novis Constitutionibus Pontificum, Canonibus Conciliorum, & Sanctorum Patrum locis amplificatas & locupletatas.

Tres in partes dividitur Gratiani Collectio. Prima, Distinctiones centum & unam complectitur: secunda, Caussas triginta sex, quarum singulæ in quæstiones dividuntur, & quælibet quæstio in capita. At verò quæstio tertia Caussæ trigesimæ-tertiæ, Tractatum de Pœnitentia continet, in septem distinctiones, per capita, divisum. Tertia pars exhibet tractatum de Consecratione, in qua de consecratione Ecclesiarum, & Missarum celebratione, de Sacramento Eucharistiæ, de Festivitatibus per anni circulum celebrandis, de Baptismi Sacramento, de Confirmatione & Jejunio, quinque distinctionibus agitur.

Quatuor modis citari solet Gratiani Collectio: primò sic; *Dist.* 5. *C. Si lapsis*, ita ut hæc verba sint principium capitis quod in ea distinctione continetur. Secundo modo sic 12. *q* 2. *C. Placuit*, id est, Caussa 12. Quæstione secunda, cap. quod incipit hoc verbo, *Placuit*. Tertio modo, tractatus de Pœnitentia sic allegatur: *De Pœnit. Dist.* 1. *C. Multiplex*. Quartò, tractatus de Consecratione sic profertur in medium, *De Consec. Dist.* 1. *C. Missarum*.

Innumera sunt in Gratiani Collectione errata, & quidem gravissima, contra Historiæ leges, contra Criticæ accurationem, contra sanæ Theologiæ principia, quæ Monachum illum doctissimum non fuisse, & valde indiligentem probant. Hæc annotata sunt & emendata à Correctoribus Romanis, viris scilicet eruditis, quos Summi Pontifices Pius IV. Pius V. & Gregorius XIII. huic castigando operi præposuerunt. Sed de Gratiani Emendatione nemo scripsit accuratiùs aut doctiùs Augustino Tarraconensi Episcopo, qui libros duos hoc de argumento composuit, quorum quilibet Dialogos viginti, multa ac varia refertos eruditione complectitur: quos nuper doctissimis à se notis illustratos typis rursus mandari curavit Stephanus Baluzius. Veterum Pontificum ante Siricium Epistolas, aliaque ex pseudepigraphis loca Gratianus allegat, Concilia citat nulli bigentium celebrata, testimonia Patribus affingit, quæ non agnoscunt.

* De Tarrag-on.

Collectiones Decretalium.

XI. Post Gratiani Collectionem, tres Decretalium Epistolarum, Alexandri III. Innocentii III. & Honorii III. Collectiones editæ sunt, quas unum in volumen congestas, editionis honore Antonius Augustinus donavit, cum aliis duabus Collectionibus antiquis, privato tantùm studio, privataque authoritate compositis. Accessit quarta Decretalium unum in corpus Collectio, jussu Gregorii IX. Pontificis Maximi à Sancto Raymundo à Pennaforti Ordinis Fratrum Prædicatorum, ipsius Capellano & Pœnitentiario, adornata, & in quinque libros divisa. In primo agitur de munere & officio Personarum Ecclesiasticarum; in secundo, de judiciis, & iis quæ ad judicia pertinent; in tertio, de rebus ad Clericos & Ecclesias spectantibus; in quarto, de rebus quæ ad Laïcos attinent; in quinto, de delictis & eorum pœnis.

S. Raymund de Pennafort.

Allegantur Decretales hoc modo: *Ext. c. Etsi Judæos, de Judæis*, id est cap. quod incipit his verbis, *Etsi Judæos*, *Titulo de Judæis.*

Sextus Decretalium.

XII. Quinque libris Decretalium, sextus additus est à Bonifacio VIII. qui Summorum Pontificum qui Gregorium IX. inter & Bonifacium VIII. sederunt, Decretales & ipsius Bonifacii Constitutiones complectitur; sicut Sancti Raymundi Collectio, præter Decretales suprà laudatorum Pontificum, Gregorii IX. Constitutiones continebat. Decretales autem Bonifacii VIII. non sunt ab Ecclesia Gallicana receptæ. Et maximè Decretalis *Unam sanctam*, quam ob assertam Romano Pontifici in Regum temporalia authoritatem, quamvis Ecclesiæ Romanæ Beneficiarii non sint, seu feudatarii, nostrates Theologi, & omnes Regni hujus Ordines rejiciunt, quam Benedictus XI. & Clemens V. justè prudenterque rescidêre. Sic porrò ista Collectio citari solet: *C. Si judex, de sent. excom. in* 6. id est, Titulo de sententia excommunicationis, lib. 6. Decretalium.

Clementinæ.

XIII. His additæ sunt Clementinæ, id est Clementis V. Constitutiones in Concilio Viennensi editæ, quæ hoc modo laudari solent: *Clement. Si furiosus, de homicidio*: id est, Clementina, quæ incipit, *Si furiosus*, titulo de homicidio. Sequitur Extravagantium Collectio, sive Joannis XXII. sive Communium, quæ à diversis Pontificibus editæ sunt. Sic autem nuncupatæ sunt Constitutiones illæ, quòd extra corpus Juris Canonici vagarentur. Sic autem allegantur: *Extravag. Vas electionis, de hæreticis*, id est, Titulo de hæreticis, in Extravaganti, quæ incipit, *Vas electionis*.

Extravagantes.

His omnibus constat Juris Canonici corpus, seu totum illud quod hodie à nobis Jus novum nuncupatur, quod in multis capitibus differt à Jure veteri: sed in iis maximè quæ Metropolitanorum, & Conciliorum provincialium auctoritatem spectant, quam labefactavit, & propemodùm evertit. Verùm quamvis multa antiquæ disciplinæ, & priscis moribus contraria invexerit; fatendum tamen est multos ipsum supplevisse Juris veteris defectus: istamque novarum legum multitudinem necessariam

cessariam fuisse, ut novis in dies emergentibus caussis lux afferretur, novisque malis, quæ grassari cœperant, remedia adhiberentur opportuna. Unde tam verè quàm eleganter illustrissimus & doctissimus Parisiensium Archiepiscopus Petrus de Marca lib. 3. de Concordia Sacerdotii & Imperii cap. 6. ait: *Si quis res accuratè expendat, non adeò laborabit de discrimine antiqui Juris, & recentioris; quod rerum & negotiorum varietas ab invitis Pontificibus, pro utilitate Reipublicæ Christianæ extorsit. Itaque eo statu res Ecclesiæ nunc positæ sunt, ut si quis de absoluta & integra restitutione Juris antiqui, & novi abolitione contendat, perinde agat, ac si Imperiorum inveteratorum administrationem ad eam formam revocare velit, quæ in ipsis Regnorum initiis obtinebat.*

## SCHOLION I.

Ex ista xxv. Dissertationis Appendice Operum meorum RR. Censores hanc propositionem in Indiculum suum retulerunt: *Jus novum sub Nicolao I. invaluit, quo Disciplina vetus quoad Judiciorum Ecclesiasticorum ordinem labefactata est.*

R. Propositio Historica est, facti Quæstionem spectat: Quid in ea reprehensione dignum? Nonne Disciplina Ecclesiastica mutationi obnoxia est? Nonne varias mutationes in Judiciorum Ecclesiasticorum ordinem introductas esse probant Collectiones Decretalium, earúmque inter se & cum antiquis Canonibus collatio? Cui doctorum hominum ignotum juris antiqui & novi discrimen? Hæc porro propositio ante me asserta est ab Erudito Viro *Petro De Marca* Archiepiscopo Parisiensi, lib. III. *De Concordia Sacerdotii & Imperii*, cap. VI. *Hoc una ratio*, inquit, *Nicolao I. persuasit, ut se acerrimum vindicem earum Epistolarum præstaret, quò faciliùs Episcopos Romanæ Sedi sine modo subjiceret. Ex iis enim novam illam Regulam veteribus Canonibus incognitam constituit, scilicet Episcopum, etiamsi non appellaverit Romanam Sedem, à Synodo Provinciæ inconsulto Romano Pontifice deponi non posse. Nicolai verba hæc sunt in Epistola ad Episcopos Galliæ, de Rothadi Episcopi causâ loquentis:* « Quamquam etsi numquam provocasses, nunquam omnino præter scientiam nostram deponi debuerit: quia sacra Statuta & veneranda Decreta Episcoporum causas, utpote majora negotia, nostræ definiendas censuræ mandarunt. *Statuta illa Decretalia, quorum meminit Nicolaus, referri debent ad Epistolas Victoris, Sixti, Marcelli, Zepherini, Julii, & aliorum Pontificum. His duo præcipuè cavontur. Primum, ut nulla Synodus Provincialis Episcoporum criminales causas definiat inconsulta Romana Sede. Secundum, ut nulla Synodus præter Sedis illius Auctoritatem cogatur. His duobus capitibus præcipuum discrimen Juris antiqui & novi continetur. Unde effectum est ut Metropolitanorum auctoritas, quæ in Canonibus decernendis, aut judiciis reddendis vigebat, maximè debilitata sit, atque adeo nova quæ in dies emergere solent negotiorum species, non ampliùs in Conciliis Gallicanis, ut fieri solebat juxta mores antiquos, sed in Conciliis Romanis primùm, deinde à solis Pontificibus discussa & decisa fuerint; licet Synodorum Provincialium congregationem, & Canonum condendorum potestatem in universum Episcopi Gallicani renunciare noluerint.* Meminerint Censores Religiosi Tertullianicæ illius sententiæ: *Regula Fidei sola immobilis & irreformabilis. Hac lege, Fide manente cætera disciplina & conversationis recipiunt novitatem correctionis.* (lib. de Virginibus velandis c. 1.)

Epist. 41. [?]

## SCHOLION II.

Religiosi Censores in suum Indiculum hanc pariter Propositionem retulerunt: *Decretalem* UNAM SANCTAM, *respuunt Galli & execrantur, ob assertam Summo Pontifici auctoritatem in temporalia Regum qui feudatarii non sunt.*

R. Verùm Decretalem, *Unam Sanctam*, ob hanc rationem à Gallis rejici hoc in Regno, res est Historiæ, comperta satis & explorata. Clerus Gallicanus & Sacra Facultas adversùs Litteras illas *Bonifacii VIII.* adeò commoti sunt, ut Regi auctores fuerint ipsas flammis abolendi, teste *Ptolomæo Lucensi* Ordinis FF. Prædicatorum, in Annalibus ad annum M. CCC. XI. *Eodem anno*, inquit, *Dominus Bonifacius transmisit Litteras cum Bulla ad perpetuam rei memoriam, Regi Franciæ, in quibus mandabat eidem: Quòd volebat, cùm ipse esset Dominus temporalium & spiritualium Mundi, quòd recognosceret Regnum ab ipso, & contrarium tenere judicabat hæreticum. Quas Litteras Rex recipiens, de consilio suorum Magistrorum, coram multitudine populi fecit comburi.* Cæterùm si vox *execrationis* fortè paulò duriùs Romanas aures offendit, *Quæ nescio qua temeritudine plus tenentur* dissimulare non debebant Religiosi Censores me vocis asperitatem mollivisse, & hanc locutionem expunxisse in secunda Editione Sæculi primi, cujus Editionis Exemplaria plurima Romam pervenerant, cùm adversùs Opera mea motus excitari cœperunt.

Annibalis P. P. [?]

---

# DISSERTATIO XXII.

## De Scriptis Sancti Dionysii.

## QUÆSTIO UNICA.

*Utrum libri de Divinis Nominibus de Ecclesiastica Hierarchia, &c. verè Sancto Dionysio Areopagitæ inscribantur & asserantur?*

CERTUM est hæc Scripta, ante quinti Sæculi initium Authorum Ecclesiasticorum laudasse neminem, nedum sub Sancti Dionysii Areopagitæ, sed nec sub alterius Patris nomine. Certum est secundò, sequentium sæculorum Patres, Concilia, Pontifices, omnesque Scriptores Ecclesiasticos adjudicasse libros illos Dionysio Areopagitæ, usque ad Erasmum, uno excepto Anonymo, quem Theodorus Presbyter à Photio laudatus confutavit. Certum est tertiò, gravissima in speciem argumenta pro ea opinione militare, quæ libros istos Dionysii Areopagitæ esse negat, eosque Auctori quinti Sæculi tribuit; quibus persuasi Launoius & Morinus, istius sententiæ vexillum extulere. Verùm tot munita est præsidiis opinio contraria, quæ libros laudatos Sancto Dionysio Areopagitæ velut legitimo parenti asserit, & tanta nube testium defensa, ut ipsam non minùs probabilem existimem, atque cum Conciliis Oecumenicis, & Sanctis Patribus illam propugnare malim, quàm adversam ducibus ambiguo Erasmo, & Dallæo, Blondello, aliisque heterodoxis Authoribus, necnon præeuntibus clarissimis doctissimisque viris Morino & Launoio, tueri.

## PROPOSITIO.

*Libri Sancto Dionysio Areopagitæ inscripti, sunt germani illius fœtus.*

Probatur ab undecim sæculorum possessione, quorum lapsu hi libri Dionysio Areopagitæ semper inscripti sunt, nec sub alterius unquam Authoris nomine evulgati; semperque ex illis prolata à Patribus, Conciliis, & Pontificibus, sub Areopagitæ nomine testimonia. Num autem, amabo, hac in re Concilia, Pontifices, Patres, omnes ad unum Authores Ecclesiasticos errasse dixeris, omnésque tam parùm accurati fuisse criterii, ut nequidem cogitarent de alio hisce libris quærendo Authore? Ecce tibi illorum testimonia subjicio.

Occurrit primò Juvenalis Episcopus Hierosolymytanus, qui Synodi Chalcedonensis tempore florebat. Is postulantibus Martiano Imperatore, & Pulcheria Augusta, hæc de funere Deiparæ, velut Ecclesiæ traditionem docebat: *Tunc autem aderant cum Apostolis, Sanctissimus Thimotheus, primus Episcopus Ephesiorum, & Dionysius Areopagita (sicut hic ipse magnus testatur Dionysius) in his quæ de beato Hierotheo, qui tunc quoque aderat, conscripsit ad Timotheum*, &c. Et laudat verba Dionysii 3. cap. de Divinis Nominibus. Extant autem verba

Juvenalis

Juvenalis apud Nicephorum Callistum lib. 15. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 14.

Secundò, Leontius Bysantinus lib. 2. contra Nestorium & Eutychetem, prolaturus Veterum testimonia contra Aphtardocetas, id est carnis Christi incorruptibilis assertores, sic præfatur: *Quoniam gratiâ Christi quæstiones, quæ speciem probabilitatis habebant, pro viribus solvimus, polliciti verò sumus testimoniis Veterum confirmare, quæ diximus: accipe in fidem, multitudinem testimoniorum æquabilem, modulatum veritatis concentum edentem.* Et primo quidem loco profert *Testimonium Sancti Dionysii Areopagitæ, ætatis Apostolorum, ex libro de Divinis Nominibus.*

Et in libro de Sectis, eundem Areopagitam apertè inter Sanctos Patres qui à Christo ad Constantinum Magnum floruerunt, enumerat. Nam Actione 3. ita scribit: *Cæterùm temporibus illis, quæ à Christi Nativitate usque ad Imperium Constantini numerantur, hi Doctores & Patres extiterunt: Ignatius ille Theophorus, Irenæus, Justinus Philosophus & Martyr, Clemens & Hyppolytus Episcopi Romani, Dionysius Areopagita, Methodius Patarensis Episcopus, Gregorius miraculorum effector, & Petrus Alexandrinus Episcopus & Martyr.*

Tertiò (ut inimici etiam nostri sint judices) Monothelitæ hæretici hæc opera S. Dionysio Areopagitæ adscripserunt, nemine Catholicorum reclamante. Sergius in Epistola ad Cyrum Patriarcham Alexandrinum, recitata in Synodo Lateranensi sub Martino I. Secretario 3. Themistius hæreticus in Epistola ad Marcellinum Presbyterum, & Stephanum Diaconum, de operatione Christi: *Ideo*, inquit, *Deivirilem Dionysius Areopagita nominavit.* Macarius Patriarcha Antiochenus, in Synodo Constantinopolitana Actione 2. *Ego*, inquit, *numerum non dico, sed Deivirilem operationem ejus, secundùm Sanctum Dionysium.* Cyrus Cap. 7. scripsit se credere, *Eumdem unum Christum, & unum Filium operantem Deo decibilia, & humana, unà Dei & viri operatione, secundùm Beatum Dionysium.* Pyrrhus in Disputatione cum Sancto Maximo: *Quid præterea*, inquit, *dicemus de Sancto Dionysio, qui in Epistola ad Caium Cultorem, de Christo dixit, Exercuisse novam quandam operationem Deivirilem?*

Quartò, Sophronius Patriarcha Hierosolymitanus, qui sese primus opposuit illis hæreticis, Dionysii Areopagitæ authoritatem ad impii confirmationem dogmatis trahentibus, proculdubiò negasset hæc Opera legitimum illius Patris fœtum esse, si vel minima tunc fuisset apud Ecclesiasticos Authores de illorum suppositione suspicio. Quod tantùm abest ut præstiterit; quin imò ea laudavit ut ipsius Areopagitæ Dionysii, in Epistola ad Sergium Constantinopolitanum Patriarcham: *Christi verò*, inquit, *asserimus etiam esse virtutem illam, quæ dicitur nova, & Deivirilis operatio, non unam existentem, sed diversi generis ac differentiæ, quam ex Areopago, à Paulo egregio divinitus captus asseruit Dionysius.*

Quintò, Sanctus Martinus I. Pontifex Maximus in Concilio Lateranensi, Secretario 1. *Dionysius egregius*, inquit. *& molem carnalem eum habere prædicas, & pondus corporeum; & cum mole ac pondere corporeo, eùm incedere super aquas: non infusis pedibus: & hoc in Opusculis de Divinis Nominibus docens ait: Ignorabant qualiter de Virgine in alia lege præter naturalem, formabatur, & qualiter non infusis pedibus corporalem molem habentibus, & materiale pondus, deambulabat humidam & instabilem substantiam.* Extat illud testimonium cap. 2. de Divinis Nominibus.

Et Secretario tertio ejusdem Concilii hæc habentur: *Martinus sanctissimus ac beatissimus Episcopus sanctæ Dei Ecclesiæ Catholicæ atque Apostolicæ urbis Romæ, dixit: Codicem B. Dionysii Atheniensis Episcopi, hi quorum interest, actis deducant. Theophylactus Primicerius Notariorum sanctæ Apostolicæ Sedis, dixit: Secundùm jussionem vestræ Beatitudinis, afferens de venerabili Bibliotheca Sedis vestræ Codicem Beati Dionysii, præ manibus habeo; quid præcipitis? Martinus sanctissimus Episcopus Sanctæ Dei Ecclesiæ Catholicæ atque Apostolicæ urbis Romæ, dixit: Codex Beati Dionysii suscipiatur, & de Epistola, quæ ibidem deposita est, ad Caium directa, locus ille de quo agitur, cujus mentionem fecerit Cyrus in suo Capitulo, ad approbationem novitatis ejus, coram Sancto Concilio relegatur. Et accipiens Paschalis Notarius Regionarius Apostolicæ Sedis, de Græco in Latinam linguam interpretatum ipsum testimonium relegit, continens ita: Sancti Dionysii ex Epistola ad Caium directa: Etiam non secundùm Deum divina operatus, neque humana secundùm hominem; sed Deo homine facto novam quandam Deivirilem, id est θεανδρικὴν operationem, nobis ostendens.* Quæ verba, illius Concilii Patres seu germana Sancti Dionysii Areopagitæ recipiunt. Nemo igitur diffiteri potest hanc de Dionysii Scriptis, quam sectamur, sententiam, Sæculo septimo in omnibus Sedibus Patriarchicis, id est, in Ecclesia receptam universa. Romæ illam propugnabat Sanctus Pontifex Martinus, Alexandriæ Cyrus, Antiochiæ Macarius, Constantinopoli Sergius, Hierosolymis Sophronius.

Sextò, Sanctus Maximus Martyr hæc Opera Dionysio Areopagitæ vindicavit, Epistolam ad Caium laudavit in celebri disputatione contra Pyrrhum Monothelitam, & Scholia in omnes Dionysii Areopagitæ libros scripsit erudita.

Septimò, Sexta Synodus Oecumenica, Actione 8. *Item*, inquit, *relatum est aliud testimonium ex eodem Codicillo Sancti Dionysii Episcopi Atheniensis, & Martyris, ex libro de Divinis Nominibus,* &c. Eosdem libros sub nomine Dionysii Areopagitæ citat Septima Synodus Actione secunda.

Octavò, Agatho Summus Pontifex, in Epistola ad Constantinum Pogonatum Imperatorem data, quæ recensetur Actione 4. Sextæ Synodi, eidem sententiæ suffragatur, his verbis: *Sanctus quoque Dionysius Areopagita, Episcopus Atheniensis, libro Divinorum Nominum cap. 2. similiter docet: Discretum est autem à benignissima circa nos Dei operatione, hoc quod secundùm nos, ex nobis, integrè, veréque humanatum est Verbum, quod est supra substantiam, & operari, ac pati quæcumque humanæ ejus divinæ operationi congruunt, præcipua ac probabilia. His namque Pater & Spiritus nulla ratione communicant.*

Nonò, Sanctus Gregorius Magnus Homilia 34. in Evangelium S. Lucæ: *Fertur verò*, inquit, *Dionysius Areopagita, antiquus & venerabilis Pater, dicere, Quod ex minorum Angelorum agminibus, foras ad explendum ministerium, vel visibiliter, vel invisibiliter mittuntur, scilicet, quia ad humana solatia aut Angeli, aut Archangeli veniunt.* Doctrina est Dionysii lib. de Cœlesti Hierarchia cap. 7. 9. & 13.

Decimò, Hadrianus I. Pontifex Maximus in Epistola quam ad Carolum Magnum Imperatorem dedit pro Septima Synodo: *Sanctus Dionysius Areopagita*, inquit, *qui & Episcopus Atheniensis, valde nimirum laudatus est à Divo Gregorio Papa, confirmante eum antiquum Patrem & Doctorem esse.* Tum laudat ejus *veridica testimonia, in sacris Conciliis confirmata, pro sacrarum imaginum veneratione:* scilicet ex Epistola ad Sanctum

Joannem

Joannem Evangelistam, & ex libro de Cœlesti Militia, seu de Cœlesti Hierarchia, cap. 1. ubi *incorporea agmina diversis coloribus effigurari* scribit; *quatenus per sacratissimas effigies ad incorporatas &, simplices pias meatus transeamus.*

Undecimò, Nicolaus I. in Epistola ad Michaëlem Imperatorem. *Antiqui Patris*, inquit, *& venerabilis Doctoris Areopagitæ Dionysii ad Demophilum verba vobis recitari præcipite, qui, etiam in causa pietatis, delinquentem Sacerdotem, nefas sancit à minoribus vel inferioribus judicari, ne fiat in Ecclesia Dei aliquid inordinatum, & status ejus in aliquo confundatur.* Adde Hincmarum Archiepiscopum Remensem, & Anastasium Bibliothecarium in Epistolis ad *Carolum Calvum* Regem Christianissimum datis.

Duodecimò, Theodorus Presbyter, antiquissimus Author, à Photio laudatus in Bibliotheca, Codice 1. hæc Opera Sancto Dionysio Areopagitæ edito libello vindicavit. *Lectus est*, inquit, *Theodori Presbyteri liber, quo docet germanum esse Sancti Dionysii Opus. Solvuntur autem quatuor potissimùm argumenta.* Et illis argumentis recensitis, quæ infrà proferemus, & solvemus, subdit: *Quatuor his igitur argumentis controversa dissolvere studet Theodorus, efficitque pro virili, legitimum illum esse magni Dionysii partum.*

Decimo-tertiò, Photius ipse librorum Censor severissimus & eruditissimus, in Bibliotheca, Codice 231. recensens Epistolam Synodicam Sophronii Patriarchæ Hierosolymitani ad Honorium, hæc habet: *In hoc volumine continebantur testimonia sanctorum variorum Patrum, qui ante quartam Synodum fuerunt, & qui post illam floruerunt, & post nati sunt. Quæ testimonia, duplicem in Christo Deo nostro operationem prædicarunt: quorum Principes & præcipui erant, Leo veteris Romæ Pontifex, & quarta illa Oecumenica Synodus, Petrus sanctissimus Myrorum Episcopus, Gennadius Constantinopolis, & Photicæ Diadochus, & Euphremius Antiochiæ Præsul, qui etiam contra Acephalos in multis libris strenuè certavit, & Dionysius, copiosus quidem verbis, copiosior tamen speculatione, discipulus Sancti Pauli, Christi Martyr, Atheniensium Episcopus.*

De Cœlest.

Decimo-quartò, Elias Cretensis Metropolitanus, in Orationem primam Sancti Gregorii Nazianzeni: *Quoniam*, inquit, *nostram hanc Hierarchiam divinæ illius & supremæ Hierarchiæ figuram Sanctus Dionysius nominavit*, &c. Et infrà: *Verùm quidnam unumquodque horum sibi velit, si qui scire cupiant, magni Dionysii liber eos docebit*, &c.

Decimo-quintò, Sanctus Joannes Damascenus lib. 1. Orthodoxæ Fidei cap. 15. *Enimverò*, inquit, *hæc ex sacris, ut est apud divum Dionysium Areopagitam, oraculis edocemur, quòd Deus omnium caussa & origo est, eorum quæ sunt, essentia; eorum quæ vivunt, vita: eorum quæ ratione prædita sunt, ratio*: &c. Quæ habentur cap. 1. de Divinis Nominibus. Et libro 2. cap. 3. *Ut autem*, ait, *sanctissimus, ac Theologia laude præstantissimus vir Dionysius Areopagita inquit, Theologia omnis, hoc est sacra Scriptura, novem cœlestes substantias nuncupavit. Has sanctas ille Doctor in tres Ordinum terniones distinguit.* Sancto Joanni Damasceno adjungi potest Michaël Syncellus, laudatus à Sancto Theodoro Studita lib. 11. Epist. ccxiii. & Anastasius Nicænus Quæst. xxxii. & lii.

Decimo-sextò Euthymius Monachus parte 1. Panopliæ Titulo 2. *De Patre*, inquit, *Filio, & Spiritu-Sancto, distincta simul atque conjuncta divinitatis ratio. Dionysii Areopagitæ, ex capite de unita distinctâque Theologia; Patrem quidem esse fontem (ut ita dixerim) divinitatis, Filium autem, & Spiritum Sanctum fœcundæ divinitatis (si ita dicendum est) germina divinitus pullulantia, & flores quodammodo, & essentiâ præstantiora lumina, ex sacris libris accepimus: sed quonam pacto hæc sint, nec eloqui possumus, nec intelligere.* Hæc habentur lib. de Divinis Nominibus, cap. 2.

Decimo-septimò, Simeon Metaphrastes, in Oratione de Dormitione Deiparæ: *Ne*, inquit, *videatur inane quod dictum est de congregatione Apostolorum, quæ facta est in dormitione Virginis, satius fuerit ea summatim addere, quæ à Dionysio Areopagita dicuntur*, (3. scilicet capite de Divinis Nominibus.)

Decimo octavò, Nicephorus Callixtus, lib. 2. Historiæ cap. 20. postquam Sancti Dionysii migrationem in Occidentem, & martyrium narravit, sic illius scripta recenset: *Quæ autem ille scripta, sublimi rerum divinarum contemplatione, sententiis, & elocutione admiranda prorsùs & excellentia, longeque ab iis, quæ pro hominum captu edita sunt, dissita composuerit, sic se habeat: Primum quidem Opus de Divinis Nominibus conscripsit, tredecim capitibus: in quo ad centum quoque alia capita sunt adjecta, divinâ sapientiâ plena. Secundus ab eo liber scriptus est, cui titulum fecit, de Cœlesti Hierarchia, capita habens quindecim. Tertius de Ecclesiastica Hierarchia, capitum septem. Quartus de arcana, seu Mystica Theologia, quinque capitum. Reliquit etiam Epistolas decem, quarum postrema Evangelistæ Joanni, qui supra pectus Domini recubuit, est scripta.* Et cap. 22. *Cæterùm*, inquit, *ne temerè videar conventûs Apostolorum in dormitione Dei Genitricis meminisse, necessarium esse duxi proferre ea, quæ Dionysius Areopagita, in tertio capite ad Timotheum Ephesium Episcopum scribit, quod caput tales habet inscriptiones: Quæ precationis sit vis, de beato Hierotheo, & de religione, atque Theologia historica.* Eadem Opera *Dionysio Areopagitæ* tribuunt Antonius Melissa, libro 1. Sermone xix. Suidas in Collectaneis, Euthymius in Panoplia Tit. 11. Hugo à Sancto Victore, Georgius Pachimerius insignis illorum Operum Paraphrastes, & alii.

Decimo-nono, Sanctus Thomas Doctor Angelicus, qui Sancti Dionysii libros præclarissimis Commentariis illustravit, qui Theologica dogmata illius authoritate frequentissimè fulcivit, qui in II. Sententiarum Distinctione 10. Quæst. 1. Art. 12. probat positionem, quæ asserit Angelos superiorum Ordinum ministerium circa nos immediatè non habere, *Quia hæc Dionysii sententia est, qui Sancti Pauli discipulus fuit, & dicitur ejus visiones scripsisse.*

Vigesimò, Bessario Cardinalis, vir inter Græcos qui Concilio Florentino adfuerunt, eruditissimus, libro 2. Defensionis Platonicæ cap. 3. *Vir sanctissimus*, inquit, *Dionysius Areopagita, qui primus & summus Christianæ Theologiæ author fuit, neminem ante se habuit rerum divinarum Scriptorem, præter Apostolum Paulum, & Hierotheum, quibus ipse Præceptoribus usus est.*

Vigesimo primò, illorum Author librorum ea de se ipso scribit, quæ nonnisi Patri Apostolorum synchrono convenire possunt. In primis enim se Beati Pauli, atque Hierothei discipulum profitetur, lib. de Divinis Nominibus cap. 2. *Verùm*, inquit, *hæc à nobis etiam alibi satis explicata, & ab inclyto Præceptore nostro supra naturæ modum valde celebrata sunt, in Theologicis ipsius elementis, quæ ille partim à Theologis sanctis accepit, partim etiam ex solerti Scripturarum indagatione, longo exercitio ac tempore comprehendit, partim etiam diviniore quadam inspiratione hausit; ista non discendo*

*rantium, verum etiam divina patiendo assecutus.* Et subjicit ea quæ Hierotheus scribit de Jesu, sub hoc titulo: *Sanctissimi Hierothei verba ex Theologicis Elementis.* Et in eodem capite Dei unitatem ex Sancto Paulo in Epistola 1. ad Corinthios cap. 8. probaturus, ait: *Quod cum supernaturaliter intellexisset communis noster ac Preceptoris nostri ad divinam illustrationem Manuductor, qui multum in divinis rebus exercitatus est, & lux est mundi, hac in Epistolis suis divino Numine afflatus scribit: Nam etsi sunt qui dicantur Dii, sive in cælo, sive in terra (si quidem sunt Dii multi, & domini multi) nobis tamen unus Deus,* &c.

Secundò, se exequiis Virginis Deiparæ interfuisse scribit cap. 3. libri ejusdem: *Nam etiam,* inquit, *apud ipsos divino Spiritu plenos Antistites nostros (cum & nos, ut nosti, & ipse* (Hierotheus) *plurimique sanctorum Fratrum nostrorum ad corpus illud quod dedit principium Vitæ, Deumque susceperat, contuendum venissemus) aderat autem & frater Domini Jacobus, & Petrus suprema ista atque antiquissima summitas Theologorum: placuissetque, post contuitum, Antistitibus omnibus infinitâ potentiâ præditam divinæ imbecillitatis bonitatem collaudare, ipse post Theologos, cæteris omnibus sacris laudatoribus antecellebat.* Viri eruditi legi volunt σῦμα, non σῶμα, *ad sepulcrum,* non *ad corpus*: & de Christi monumento, non de corpore, & exequiis Deiparæ esse sermonem. His non repugno. Sed non minùs probat iste locus Dionysium nostrum Apostolicorum temporum auctorem esse, qui & Sanctum Petrum, & Jacobum fratrem Domini viderit.

Idem Epistola 7. ad Sanctum Polycarpum data, asserit se cum Apollophane Sophista observasse admirabile illud Solis deliquium, quod Christo moriente contigit: *Sed dic illi,* inquit, (scilicet Apollophani) *quid sentis de illa Solis defectione, quæ accidit in cruce salutari? tunc enim ambo juxta Heliopolim præsentes simul & adstantes, mirabili ratione Soli Lunam coincidere cernebamus (neque tamen tempus conjunctionis erat) ipsamque rursus, sub horam nonam vespertinam, diametro Soli opposito supernaturaliter restitui. Quinetiam in memoriam illi revoca quiddam aliud: scis enim quomodo viderimus illum Lunæ occursum ab Oriente cœpisse, & usque ad Solis extremitatem pervenisse, ac tum demum resiliisse & rursum non ex eadem parte occursum illum & recessum extitisse, sed ex adverso diametri. Ista sunt quæ tunc supra naturam omnino contigerunt & à solo rerum omnium Conditore Christo fieri possunt, qui facit magna ac stupenda, quorum non est numerus.*

Idem Epistola 8. quæ ad Demophilum data est, scribit se hospitio exceptum fuisse à Carpo, cujus meminit Sanctus Paulus 2. ad Timotheum cap. 4. *Cùm aliquando,* inquit, *in Cretam venissem, Sanctus Carpus me hospitio excepit.*

Idem, librum suum de Divinis Nominibus scribit ad Timotheum Sancti Pauli discipulum.

Idem, Epistolam nonam ad Titum Pauli pariter discipulum dedit, & decimam ad Joannem Theologum, Apostolum & Evangelistam, in Pathmo insula exulantem, quâ ipsi revocationem ab exilio prædicit, & mutuum conspectum. Hæc omnia nec Dionysio Alexandrino, nec Corinthio convenire possunt: conveniant igitur Areopagitæ necesse est. Absit namque istum Authorem, cujus Scripta sanctitatem ubique spirant, in fœdissimi vocare suspicionem mendacii, præsertim cùm Scriptorum illius veritati cœlum attestatum sit frequentibus miraculis, uti & fidei credentium Opera illius Areopagitæ esse. Siquidem ipsa die, quâ libri sanctissimi illius Patris, quos munerum loco miserat ad Ludovicum Pium Galliarum Regem & Imperatorem Michaël Balbus Orientis Augustus, in Abbatia Sandionysiana, secundo à Lutetiâ Parisiorum lapide, depositi sunt, undeviginti miracula patrata sunt in gratiam ægrotorum, ad sacra Opera exosculanda, & ad venerandum sanctissimi Martyris corpus, è vicinis locis confluentium; ut refert ex Hilduini Sandionysiani Abbatis ad Ludovicum Pium Epistola Eminentissimus Annalium Ecclesiasticorum Parens, ad annum 824.

Vigesimo-secundò, Sacra Facultas Parisiensis Decreto Censorio confixit hanc Erasmi propositionem, ex ipsius Præfatione ad Paraphrasim suam in Epistolam 1. Sancti Pauli ad Corinthios excerptam: *Dionysius, qui in 2. Hierarchia, id est Ecclesiastica, priscos Ecclesiæ ritus satis copiosè describit, eruditus recentior quispiam fuisse videtur, quàm fuerit Areopagites ille.*

*Sacræ Facultatis Parisiensis Censura.*

Judicium porro Censorum Facultatis in Comitiis apud Sorbonam convocatis latum, post diuturnam ac maturam discussionem, die 17. Decembris 1527. urgente Natali Beda, Collegii Montis-Acuti-Primario, & Syndico, illam propositionem his verbis perstringit: *Non verè eruditis, sed temerariis, & novitatum studiosis, videtur non esse Dionysius Areopagites, qui libros Ecclesiasticæ Hierarchiæ conscripserit: quandoquidem ab ipso Dionysio Areopagita fuisse conscriptos constat. Primùm, ex ipsis Ecclesiasticæ Hierarchiæ, & aliis ejusdem Authoris libris. Deinde, clarorum virorum testimonio idem comprobatur. Postremò, VI. generali Synodo id fit dilucidius: in qua Magnus Dionysius appellatur is qui libros scripsit Ecclesiasticæ Hierarchiæ.*

Sed & anteriore Decreto eadem Sacra Facultas anno 1520. Lutheri temeritatem damnaverat, hæc Opera Sancti Dionysii Areopagitæ esse negantis, eàque contemnentis ac sugillantis. Verba Decreti hæc sunt: *Additur & hæc ex libro* De Captivitate Babylonica: *In Dionysio qui scripsit de cælesti Hierarchia, nihil fermè est solidæ eruditionis: & omnia sunt illius meditata in præfato libro, & somniis propè simillima. In Theologia autem Mystica perniciosissimus est, platonizans magis, quàm christianizans. In Ecclesiastica verò Hierarchia ludit allegoriis, quod est otiosorum hominum studium.* HÆC PROPOSITIO, inquit Sacra Facultas, *est falsa, temerariè & arroganter asserta, ac viro sancto, insigni eruditione claro injuria, quem Damascenus divinum Areopagitam, Pauli discipulum, acerrimum & deiloquentissimum appellat.*

Denique Erasmus ipse, in Declaratione sua ad propositionem notatam, satis istius sententiæ novitatem indicavit, cùm nullos ipsius protulit vindices præter Laurentium Vallam, & Gulielmum Grocinum Professorem Anglum.

Objectio prima constat quatuor momentis, quæ sibi proposuit olim Theodorus Presbyter, aut ab aliis proposita dissolvit, referunturque à Photio in Bibliotheca Cod. 1. Primum ita habet. Si illa, quæ circumferuntur, genuina sunt Dionysii Areopagitæ Opera, cur SS. Patrum nemo, qui post secuti sunt, ex iis libris sententias, aut testimonia citavit?

*Veterum & & recentium Criticorum objectiones contra Sancti Dionysii Areopagitæ Opera solvuntur.*

Secundum: Quomodo Eusebius Pamphili Sanctorum Patrum scripta enumerans, nullam horum fecit mentionem?

Tertium; Quomodo traditionum earum, quæ in Ecclesia per incrementa, & diuturni temporis spatia creverunt, hi libri sigillatim texunt narrationem? Magnus enim Dionysius (ut ex Actis patet) Apostolorum æqualis fuit. Hi verò libri earum maximè traditionum descriptionem continent,

quæ

quæ postea sensim in Ecclesia invaluerunt. Non igitur verisimile est, quæ longo tempore à morte magni Dionysii in Ecclesia orta sint, atque excreverint, ea Dionysium describenda suscepisse.

Quartum: Cur Epistolam Beati Ignatii ad Romanos hi libri citant? Dionysius enim obiit sub Imperio Domitiani: Ignatius verò sub Imperio Trajani subiit martyrium, & paulò ante mortem, illam ad Romanos Epistolam conscripsit.

Respondeo ad primum, nego propositionem. Frequenter enim laudantur libri illi sub Sancti Dionysii Areopagitæ nomine à Sanctis Patribus, à Summis Pontificibus, & Conciliis.

B Respondeo secundò, quatuor priorum sæculorum Patres Dionysii Areopagitæ Opera non citasse multiplici de causa: primò, quia non omnes in divina illa Opera inciderant, vel ea præ manibus habuerant. Secundò, quia Scriptores antiqui vix ullos in medium proferebant Authores ad sacrorum dogmatum confirmationem, nisi id hæreticorum pertinacia ab ipsis extorqueret: imo adversùs fidei hostes certamen ex solis divinarum Literarum testimoniis instruebant. Hinc Sanctus Athanasius quarto jam decurrente sæculo adversùs Arianos pugnans, ipsos coarguit quòd, præter C Scripturas sacras, alios Authores advocarent, atque Synodos postularent, *cùm vis Scripturæ potentior sit.* Nec Athanasius ipse Patrum authoritatibus ad Arianorum debellationem usus est, nisi cùm ipsi Patres in sui præsidium erroris adsciverunt. Sic Origenem, & Dionysium Alexandrinum ipsis eripuit, atque Catholicis asseruit. Mirum igitur nemini esse debet, quòd veteres Patres Dionysium Areopagitam non citaverint; maximè cùm ea, quæ tractavit suis in Operibus, argumenta remotissima sint ab iis quæ Patres alii tractanda susceperunt.

*Lib. de Synodi Nicænæ decretis.*

Respondeo ad secundum, *Eusebium quamplurima omisisse, quæ ad ejus manus non pervenerunt. Etenim nec prorsùs omnia se collegisse ait; immò magis fatetur libros, qui ad ipsum non pervenerunt, esse numero superiores: Et sane multorum meminisse possem, quos minimè habuit; & hos quidem suæ regionis, ut Hymenæi, & Narcissi, qui Sacerdotes Hierosolymis fuere. Item neque Pantæni Opera descripsit, neque Clementis Romani, nisi duarum tantùm Epistolarum; sed neque plurimorum aliorum. Origenis enim, nescio an omnium, vix autem quatuor meminit.* Sic respondet Sanctus Maximus Martyr in E Prologo ad Opera Sancti Dionysii. Certè non meminit Eusebius Athenagoræ, qui & Apologiam pro Christiana Religione luculentissimam, & librum eruditissimum de Resurrectione Mortuorum scripsit. Nec tamen aliquis diffitetur illa Opera esse Athenagoræ.

Nec etiam obstat quòd Sanctus Hieronymus illorum Operum nusquam meminerit in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum, id enim contigit, quia eos potissimùm Authores Sanctus Hieronymus commendavit, qui ab Eusebio recensiti fuerant, ut ipsemet indicat in Prologo Catalogi: *Quanquam,* F *inquit, Eusebius Pamphili, in decem Historiæ Ecclesiasticæ libris, maximo mihi adjumento fuerit; & singulorum, de quibus scripturi sumus, volumina ætates Auctorum suorum sæpe testentur.*

Ideo autem Operum Dionysii Areopagitæ nec Eusebius, nec Hieronymus, nec alii meminere priorum sæculorum Patres, (ut dixi) vel quia ignota ipsis erant, vel ut Authoris voluntati morem gererent, qui Timotheum adhortatus est, ne Scripta sua cum hominum vulgo communicaret, lib. de Ecclesiastica Hierarchia cap. 1. *Sed vide,* inquit, *ne explodas Sancta Sanctorum, quin potiùs arcana Dei revereberis, ac spiritualibus inaspectabilibusque notionibus celebratis, inaccessa quidem profanis illa, & intacta reservando, solis verò Sanctis, cum sacra quadam, uti fas est, claritate, res sacras communicando.*

Quatuor autem prioribus sæculis forsan delituerunt Sancti Dionysii Areopagitæ Scripta, ob aliam rationem, quam antiquus Author, nisi sit Sanctus ipse Maximus, profert in illius Prologo in Opera Sancti Dionysii. En illius verba, prout ipsa ex Græcis Codicibus MSS. Latinè reddidit Lansselius: *Sciendum aliquos profanorum Philosophorum, maximè Proclum, sæpe usum speculationibus Beati Dionysii; immò ipsis etiam nudis dictionibus. Unde ex hoc suspicari licet, antiquiores Athenis Philosophos, hujus Opera sibi vendicantes, sicut in præsenti libro admonet, occultasse, ut ipsi divinorum ejus librorum Authores ac patres viderentur. Et Dei dispensatione tunc præsens Opus demonstratum est, ad ipsorum vanitatem & nequitiam redarguendam.*

Respondeo denique hæc argumenta, quæ ex Authorum silentio repetuntur, nec nisi negativa probatione constant, ad veritatis fidem faciendam infirma vulgò ab eruditis existimari.

Respondeo ad tertium, falsum esse quòd sacri ritus, quos Dionysius exponit, Apostolorum temporibus non viguerint: quanquam enim ob persecutionum in Ecclesiam sævientium procellas, primis tribus Ecclesiæ sæculis tam magnifico celebrari non potuerint apparatu; constat tamen ab Apostolis fuisse traditos. Quod locupletissimo Sancti Basilii Magni testimonio demonstro lib. de Spiritu-Sancto cap. 27. scribentis: *Benedicimus autem aquam Baptismatis, & oleum Unctionis, præterea ipsum qui baptismum accipit, ex quibus scriptis? Nonne à tacita secretaque traditione? Jam ter immer-* D *gi hominem, unde ex Scriptura haustum? Reliqua item quæ fiunt in baptismo, veluti renuntiare Satanæ & Angelis ejus, ex qua Scriptura habemus? Nonne ex minimè publicata, & arcana hac traditione?* Et infrà: *Ad eum profectò modum, & qui in primordiis Ecclesiæ certos ritus præscripserunt Apostoli & Patres, in occulto, silentioque Mysteriis suam servavere dignitatem.*

Respondeo ad quartum, mirum non esse quòd Dionysius Areopagita Ignatii Martyris verba laudaverit: si quidem vixit Ignatio superstes. Obiit namque Sanctus Ignatius Trajano, Dionysius E verò Adriano Imperante: aut certè uterque Trajani temporibus martyrio functus est; sed Ignatius undecimo illius anno; Dionysius verò ultimo, & primo Adriani. Unde Michaël Syncellus Hierosolymorum, & Suidas, martyrium Sancti Dionysii sub Adriano constituunt; necnon Martyrologium Romanum jussu Gregorii XIII. editum. Sub Adriano etiam passum testantur Beda, Ado, & Notkerus in suis Martyrologiis, ad diem tertiam Octobris; necnon Martyrologium vetustissimum à Rosweydo editum.

Nec obstat quòd librum de Divinis Nomini- F bus absolverit in Græcia Dionysius Areopagites, (si verus illius est Author (adeóque longè ante Sancti Ignatii Martyrium, & scriptam ab eo Epistolam ad Romanos fuerit exaratus: probabiliter enim dici potest, Dionysium Opera sua recensuisse (quod multis aliis Auctoribus contigit) & ultimam ipsis imposuisse manum post martyrium Sancti Ignatii. Unde ut quosdam textus ex Evangelio, necnon ex Apocalypsi Sancti Joannis addidit, quæ post Domitiani Imperatoris mortem duntaxat composita sunt, ad suarum lucubrationum majus robur, & ornatum: ita & Sancti Ignatii testimonium ex Epistola ad Romanos videtur postmodum adjunxisse. Quo etiam pacto in ultima illa

suorum Operum relectione quædam addidit occasione quæstionum emergentium ; qualia sunt illa quæ scribit lib. de Eccles. Hierarch. cap. 7. contra Millenariorum hæresim à Papia suscitatam, post Sancti Joannis Evangelistæ mortem.

Respondeo secundò ( ut mihi videtur probabilius ) testimonium istud ex Sancti Ignatii Epistola ad Romanos exceptum, à Sancto Dionysio insertum non fuisse, sed ab aliquo sciolo assutum. Quod multis firmissimisque conjecturis facilè evinco.

Primò, quia absque ista lacinia multò melius cohæret, fluitque Authoris oratio. Cùm enim ex utroque Testamento probandum suscipiat nomen amoris castum esse ac sanctum, & Deo meritò tribui, recta scriptionis ratio, & ordo sermonis postulasse videtur, ut Veteris primùm, deinde Novi Testamenti textus proferret luculentissimos, quibus id demonstraretur ; ac deinde præceptoris sui Hierothei, & aliorum, si fortè præstò essent, auctoritate propositionem suam confirmaret. Porro ita se res habet, si Ignatii verba expunxeris, & integram, quæ ipsa antecedit, periodum : contrà verò, si illa reliqueris, inter duas Scripturæ sacræ auctoritates, quæ eundem in scopum collineant, humanum testimonium interjacebit. Videntur ergo illa Ignatii verba priùs annotata fuisse ad marginem ; deinde, scioli alicujus oscitantiâ, in textum ipsum Dionysii intrusa.

Secundò, quia Sanctus Dionysius Ignatii testimonium præceptoris sui Hierothei verbis, quæ eodem in capite subjungit, non præposuisset : cùm & antiquior esset Hierotheus Ignatio, & majori in veneratione apud ipsum Dionysium.

Tertiò, quia nihil ad scopum Dionysii illa Sancti Ignatii verba conferebant : ostendere namque intendebat nomen Græcum ἔρως à sacris Scriptoribus bonam in partem usurpari, pro spiritali nimirum dilectione, seu charitate : at verò in Epistola Beati Ignatii nequaquam usurpatur hoc sensu, sed pro concupiscentia & amore terrestri, quem Sanctus ille Martyrii candidatus cruci Christi confixum prædicabat, ita ut in se non viveret ampliùs cupiditas : *Amor meus*, inquiebat, *crucifixus est ; nec in me est ignis rei ullius terrena amans.*

Quartò, quia periodus illa Ignatii verba proximè antecedens falsitatem continet putidissimam, & Auctore tam erudito prorsus indignam. *Atqui visum est*, inquit, *quibusdam nostris sacrarum Scripturarum Tractatoribus, nomen amoris divinius esse, quàm nomen dilectionis.* Id ( inquam falsissimum est. Enimverò si nomen ἔρωτος, id est amoris, divinius existimassent sacri Scriptores nomine ἀγάπης, seu charitatis, frequentiùs illud sacris in Literis usurpassent. At in novo Testamento ne semel quidem invenitur vox ἔρως, vox autem ἀγάπη plusquam nonagies. In Veteri autem, & maximè in Canticis Canticorum, creberrimè leges ἀγάπη, & ἀγαπάω, bis tantùm nomen ἔρως, aut ἔρωτα, scilicet Proverbiorum c. 7. v. 18. ubi è Græco textu vertendum est, *Veni & fruamur amicitia usque ad auroram : veni, & involvamur amore.* Et c. 30. v. 16. qui sic etiam è Græco textu Latinè reddendus est : *Infernus, & amor mulierum, & terra non repleta aqua, & aqua, & ignis non dicent, Sufficit.* Quibus in locis ad amorem impurum & profanum significandum, vox ἔρως usurpatur. Quæ certè ignorare non potuit Author libri de Divinis Nominibus, in scientia Scripturarum adeò versatus. Phrasim igitur notatam, & Ignatii verba, intrusa potiùs esse in textum capitis quàm insita, asserendum est.

Ex his diluitur alter anachronismus, quem adversarii his in libris objiciunt, quòd nempe liber de
A Divinis Nominibus, in quo Ignatii Martyris, in Epistola ad Romanos, verba laudantur, nuncupatus sit Timotheo Sancti Pauli discipulo, & Episcopo Ephesiorum, quem tamen subiisse martyrium constat ante Sanctum Ignatium ; ut colligitur ex ejusdem Ignatii Epistola ad Philadelphios.

Objicitur secundò : Vocat sæpius Auctor ille Timotheum filium suum ; quod certè absurdum est, & ab usu ecclesiastico, necnon à recta ratione maximè alienum. Quis enim sibi persuadeat Dionysium vocasse Episcopum sibi ætate æqualem, Christiana verò religione, Apostolica institutione, & sa-
B cro in Ecclesia principatu antiquiorem, filii nomine, quod seniores duntaxat junioribus tribuunt ?

Præterea : dixisset-ne, amabo, Dionysius Areopagita, Timotheum in schola Sancti Pauli edoctum, intelligentiâ assequi non potuisse librum Hierothei de Theologicis Elementis ; ideòque illum ad se remisisse, ut eum explanaret ? An adeò tardi & hebetis erat ingenii primarius Sancti Pauli discipulus ? Alium igitur ab illo Timotheum hîc quæramus necesse est, uti & alium ab Areopagita Dionysium.

Respondeo solennem esse morem senioribus filiorum nomine juniores compellare. Timotheus porro
C longè Dionysio junior erat : nam Sanctus Paulus ad eum jam Episcopum, Nerone Imperante, scribens, innuit eum vix dum adolescentiam egressum : *Nemo*, inquit, *adolescentiam tuam contemnat.* At Dionysius maturæ jam erat ætatis, & auctoritatis insuper maximæ, sive ob dignitatem qua in Areopago præfulserat, sive ob suam ab Apostolo Gentium conversionem & Ordinationem, sive demum ob præcellentem eruditionem.

Respondeo secundò hanc vocem παῖς, qua Timotheum interdum compellat Dionysius, puerum potiùs significare, quàm filium. Nihil porro à sa-
D cro more alienum præstitit, cùm ipsum puerum appellavit : nam Christus Apostolos suos pueros vocavit Joannis 21. *Pueri !* inquit, *nunquid pulmentarium habetis ?* Isque in vetere Ecclesia viguit usus, ut Christiani ob simplicitatem suavitatemque morum, pueri nuncuparentur, quemadmodum ex Clemente Alexandrino constat lib. 1. Pædagogi cap. 2. Quidni igitur Timotheum puerum amicè compellavit Dionysius ? quem tamen, ut suus Episcopali Dignitati servetur honos, vocat, *sacrorum puerorum sacratissimum*, initio libri de Ecclesiastica Hierarchia.

Ad secundum respondeo, mirum non esse quòd
E Hierothei Elementa Theologica intelligere statim non potuerit Timotheus ; licèt enim in scientia sacrarum Literarum eruditus esset, in subtiliori tamen Theologia, & sæculi Philosophia non adeò erat versatus, ut Dionysii ope & doctrina non indigeret.

Has responsiones debemus Sancto Maximo Martyri in suis ad caput secundum libri de Cœlesti Hierarchia Scholiis : *Quomodo*, inquit, *magnus Dionysius divinum Timotheum vocet filium, quærendum. Aut enim, sicuti existimo, hoc ait veluti provectior ipso annis, & in Philosophia excellentior, ita ut ab eo interrogetur, quemadmodum qui præ*
F *manibus libri declarant. Etsi enim ante divinum Dionysium crediderit Sanctus Timotheus, sicut Acta Apostolorum declarant ; magnus Dionysius erat in profana disciplina ipso præstantior. Aut filium ipsum vocat, tanquam imitando Dominum dicentem : Pueri, nunquid pulmentarium habetis ? Vel quia eos, qui simplicitatem, qua secundùm Deum est, exercent, pueros appellabant, sicut & Papias declarat lib. 1. Dominicarum Expositionum, & Clemens Alexandrinus in Pædagogo.*

Objicitur tertiò. Author libri de Ecclesiastica Hierarchia, Monachorum meminit, eorum consecrationis ritus enarrat, de iis loquitur velut

de

de Ordine jam antea instituto : atqui multis annis supra ducentos nulla apud Ecclesiasticos Authores facta est mentio Monachorum. Nam Cornelius Papa ad Fabium Antiochenum scribens, apud Eusebium lib. 6. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 35. cùm omnes Ecclesiæ Ordines recenseat ad viduas usque, pauperes, & afflictos, ne verbulum quidem habet de Monachis. Sancti Athanasius & Hieronymus primorum Eremitarum Vitam descripserunt, Ignatius Martyr, Tertullianus, Cyprianus, viduas, & virgines Deo sacras commemorant ; de Monachis omnino silent. Ergo Auctor librorum illorum quarto duntaxat Sæculo floruit : igitur non est Dionysius Areopagita.

Monachorum antiquitas.

Respondeo, institutum Monachorum, qui à plebe prorsus secreti essent, & à societate penitus avulsi, multis post Dionysium Areopagitam cœpisse sæculis : at Apostolorum temporibus extitere Monachi, quales describit, qui scilicet pars populi essent, & illustrior tamen portio gregis Christi, qui inter Laïcos recenserentur & degerent, quamvis in supremo ordine perficiendorum ; qui non tantùm subessent Episcopis, verùm etiam Sacerdotibus ; qui vel privatim in suis ædibus, vel simul in collegiis vitam ducerent singularem, à curis terrenis expeditam, unique Deo mancipatam : quibus denique in sacra Synaxi primus inter Laïcos locus, & Ordini Ecclesiastico proximus assignatus esset, uti ex Epistola ad Demophilum colligitur. Primo itaque Sæculo Christiani omnes eam vitæ perfectionem profitebantur in societate, quam postea Monachi in solitudine inierunt. Idque præsertim Hierosolymis, ut fidem faciunt Acta Apostolorum cap. 4. & Alexandriæ sub Sancti Marci Evangelistæ disciplina, ut referunt Philo Judæus, Eusebius lib. 2. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 16. & Sanctus Hieronymus in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum in *Marco*. At diu non viguit communis ille fervor, neque in singulis civitatibus eandem vitæ formam amplexi sunt, quotquot Christo nomen dedere ; qui enim cum uxore erant, soliciti quæ sunt mundi, quomodo placerent uxori, divisi erant : qui verò sine uxore, soliciti duntaxat quomodo placerent Deo, singularem & eximiam vitam ducebant ; & hi Therapeutæ, seu Cultores, & Monachi dicebantur. Ista patent ex Eusebio Philonis Scripta ea de re recensente lib. 2. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 16. *Jam verò*, inquit, *eùm eorum vivendi rationem, qui apud nos ἀσκηταὶ, id est Monachi, Religiosique, virtutis studio & exercitationi maximè dediti, appellati sunt, quam accuratissimè percenseat ; cùmque eos viros qui ejus ætate tam piam, tamque Apostolicam vitam agerent, divina laude & prædicatione efferat : satis constare poterit illum eamdem non oculis vidisse solùm, sed sententia & opinione vehementer approbasse. Primùm ergo in eo libro, quem de vita in contemplatione posita, sive de supplicibus, inscripsit, simulátque se nihil à veritate alienum, nihil suo marte & suopte ingenio confictum, his rebus, quas esset narraturus, adjecturum asseveravit, eos Curatores, vel Cultores, nuncupatos, atque mulieres eamdem cum illis vitæ consuetudinem secutas, Curatrices, vel Cultrices vocatas tradit : talesque ejus appellationis causas refert : vel quòd tanquam Medici, curatione adhibita, eorum mentes, qui ipsos adirent, à vitii & turpitudinis morbo ereptas, ad integram valetudinem restituerent ; vel quòd sincero ac puro cultu, religioneque erga sacrum Dei numen ipsi imbuerentur. Sive igitur Philo ipse dum propriam & appositam hominum moribus appellationem attribuere volebat, suo arbitratu & judicio illis istud nomen imposuerit ; sive revera ab initio Authores ejus Religionis, cùm adhuc Christianorum appellatio nusquam penè locorum divulgata esset, eos ita nominaverint, longa oratione disquirere non est opus. Verùm, ut ad rem redeamus, principio illo facultates suas, opesque abjicere : & simul ac in hanc divinam vivendi rationem abdere se incipiunt, suis se bonis & fortunis omnibus prorsus exuere testatur ; deinde quibusque vitæ curis depositis depulsisque, intra urbium mœnia progressos, in locis solitariis, & hortis à populi conspectu remotis, domicilia rerum suarum collocare. Nam societates hominum, moribus ac vita longè dissimilium ab eorum instituto, qui per illud tempus acri & ardenti fide, istud Religionis genus diligenter, ut par erat, excolere studebant, & Prophetarum more, sanctum & severum vivendi modum sedulò imitari nitebantur, valde inutiles & noxias fore, pro certo cognoverunt. In Actis verò Apostolorum (qui est liber omnium consensione approbatus) dicitur omnes qui Apostolorum doctrina instituti imbutique erant, possessiones suas & facultates divenditas, omnibus Fratribus, prout cujusque necessitas postulabat, distribuisse : sic ut nemo existeret apud illos, qui opis cujusquam omnino indigeret. Quicumque enim agrorum & domiciliorum possessores erant, illis venditis, pretia eorum afferebant, & ponebant ante pedes Apostolorum, ut cuique, pro ea, quam quisque habebat, necessitate dispertirentur. Philo autem istis à nobis citatis valde similia perhibet*, &c.

Et infrà hæc ex Philone refert : *Est in quoque agro fere ædes sacra, quæ appellatur σεμνεῖον, (id est, augustum templum) vel μοναστήριον, quod latinè locus solitarius, separatus dici potest : in quo illi ab aliis separati sejunctique, vita pia, & propter virtutem augusta mysteria obeunt : nihilque eò vel cibi, vel potionis, vel aliarum rerum, quæ ad corporis usum necessaria sunt, omnino secum apportant ; sed leges & oracula à Prophetis divinitus edita, hymnosque ibi recolunt, & alias denique res, quibus divina scientia, & vera erga Deum pietas crescat & perficiatur. Post ista, alia etiam subjungit : Totum temporis spatium, quod inter auroram & vesperam intercedit, in pia quadam exercitatione collocant..... Extant etiam apud illos Commentarii veterum quorumdam hominum, qui illorum Secta & Religionis Auctores ac duces fuerunt : quique complura monumenta de ea specie, & ratione doctrinæ, quæ in allegoriis cernitur, post se reliquerunt. Quibus quidem tanquam exemplaribus utentes, & professionis illius & instituti modum sedulò imitantur. Atque ista traduntur à Philone, tanquam ab homine qui (ut verisimile est) illos coram sacras Litteras interpretantes audiverit. Per illos autem Veterum commentarios, quos ait apud eos reservatos esse, probabile est eum Evangelia, Apostolorum scripta, & expositiones quasdam veterum, ut videtur, Prophetarum mysteria aperientes, intellexisse : quales quidem tum Epistola Pauli ad Hebræos, tum alia complures ejusdem complectuntur..... Quòd si ea quæ dicta sunt, cuiquam videantur illius vivendi rationis, quæ ex Evangelio instituitur, non esse propria, sed posse aliis, præter eos quos commemoravimus, convenire ; illis saltem vocibus, quas idem Author postea recenset, tandem sit persuasus, ex quibus (modò æquus rerum æstimator sit) testimonium de ista re certum & indubitatum accipiet. Sic enim scribit : Cùm temperantiam quasi quoddam fundamentum in animis suis jecerint, alia virtutum genera superædificant. Cibum aut potionem ante Solis occasum nemo illorum capit : quippe divinæ sapientiæ studium, quo se involvant, lucem promereri judicant. Corporis autem necessitates tenebras solùm meritò sibi vindicare. Unde illis quidem totum diem ; his autem exiguam quandam noctis particulam largiuntur. Quidam porro, quorum animus ardentius scientiæ desiderium insidet, vix semel toto triduo cibi recordantur. Nonnulli illecebris sapientiæ (quæ salubria virtutis & doctrinæ*

*præcepta tam affatim & copiosè suppeditat) quodam-* A *modo invitati, sic oblectantur, indeque tales capiunt delicias, ut duplo plus temporis inediam facilè sustineant, & vix tantùm sex diebus expletis, alimentum necessarium degustent. Ista Philonis tam perspicua eaque rata testimonia de nostræ religionis viris solum tradita esse, pro certo arbitramur.* Ex quibus constat veteres Authores meminisse Monachorum, qui temporibus Apostolorum floruerint, quales Dionysius describit. Quæ cùm ita sint, nemo dixerit libros de Ecclesiastica Hierarchia affictos esse S. Dionysio Areopagitæ, quia in iis meminit Monachorum, & ritus consecrationis ipsorum describit. B

An Philonis Therapeutæ fuerint, Monachi.

Respondent nonnulli, sequuti sententiam doctissimi Valesii, *in Notis ad Historiam Ecclesiasticam Eusebii*, Therapeutas illos, quorum mores, vivendique normam describit Philo in libro *de Vita Contemplativa*, non solùm Monachos non fuisse, sed nec Christianos. His nituntur momentis. Primò quòd eos libros quosdam antiquos suæ Religionis ac Sectæ evolvisse, referat Philo: quod certè de Christianis à S. Marco institutis, quos Philo vidit, dici non potest, cùm nulli tunc de Christiana Religione libri conscripti essent. Se- C cundò, quòd idem Autor illos Therapeutas hymnos Deo cecinisse testetur, qui nulli tunc erant compositi; nec ante quartum sæculum in Ecclesia cani cœperunt. Tertiò, quòd ipsos quotidie bis precari Philo scribat, mane, & sub vesperam: cùm tamen Christiani aliis etiam diei horis preces funderent, ut hora tertia, sexta, & nona. Quartò, quòd Philo suum illum de Vita Contemplativa librum Caio Caligulæ Imperatori dicaverit, cùm Romam venit suæ Gentis ad ipsum Legatus. At certum est imperante Caligula Sanctum Marcum nedum Alexandriam profectum fuisse, adeoque nullos ibi fuisse discipulos, aut Therapeutas Chri- D stianos à Sancto Marco institutos. Quintò, quòd cum illis etiam fœminas idem vitæ genus amplexas mansisse scribat, quod nusquam Christianis Monachis concessum est.

Valesii Objectionibus respondetur.

Verùm hæ rationes levissimæ videntur, & nullo negotio diluendæ. Ad primam namque respondeo, libros quos in istorum Therapeutarum manibus continuò versatos fuisse Philo scribit, fuisse libros Propheticos, Christum & Christianæ Religionis mysteria prænuntiantes, Evangelium à Sancto Matthæo, à Sancto Marco, & forsan à Sancto Luca conscriptum, & quasdam Apostolorum Epistolas, ut tradit Eusebius loco mox lau- E dato.

Ad secundum respondeo, Hymnos, de quibus loquitur Philo, non fuisse similes illis qui in Ecclesia ad Horas Canonicas recitantur; sed hymnorum nomine laudes divinas intellexit: quo sensu nomen istud usurpabatur antiquitùs. Unde Apostolus ad Ephesios. 5. scribit: *Implemini Spiritu Sancto, loquentes vobismetipsis in Psalmis, & Hymnis, & Canticis spiritualibus, cantantes, & psallentes in cordibus vestris Domino.* Sic Plinius ad Trajanum Imperatorem scribens de Christianis, ait, ipsos ante Solis ortum convenire solitos, & carmen Chris- F to tanquam Deo canere. Sic Tertullianus in Apologetico cap. 39. de Christianorum conviviis scribens ait: *Post aquam manualem & lumina, quisquis prout de Scripturis Sanctis, vel de proprio ingenio potest, provocatur in medium Deo canere.*

Ad tertium respondeo, Philonem præcipua quibus illi Therapeutæ ad orationem convenirent, tempora annotasse; sed alias precandi horas ab ipsis frequentatas non negavisse.

Ad quartum respondeo, gratis asseri quod suum de Vita Contemplativa librum Caio Caligulæ dicaverit, cùm Veterum nemo de Philonis Operibus agens, id testetur. Certè ipsum invisum fuisse Caio, ab eoque pessimè exceptum memorant, & librum contra impium illum Imperatorem conscripsisse: tantùm abest ut librum ipsi de Vita Contemplativa nuncupaverit. Sic Josephus lib. 18. Judaicarum Antiquitatum cap. 10. de ipsius contra Appionem legatione loquitur: *Philo è Judæorum Legatis potior, parabat caussam suæ gentis agere, sed repulsus est à Cæsare jubente illum abire, & per iracundiam vix temperante ab injuria. Quapropter ejectus convitio, versus ad Judæos assectatores: Nunc, inquit, oportet bono esse animo, quando Caius iratus est: nunc enim Deus nobis contra illum aderit.*

De eodem scribit Eusebius lib. 2. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 17. *Quibus* (Philonis operibus) *adjunctus est liber de vita in contemplatione posita, sive de supplicibus. Ex quo sunt ea quæ de virorum Apostolicorum vita persecuti sumus, deprompta..... Istum autem Caio regnante Romam profectum esse, & librum quem de Caii impietate & scelere composuerat, quemque facetè & dissimulanter de Virtutibus inscripserat, postea Claudio Imperium gerente, coram universo Senatu Romano recitasse, memoria proditum est.*

De eodem Sanctus Hieronymus in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum. *Philo Judæus, natione Alexandrinus, de genere Sacerdotum: idcircò à nobis inter Scriptores Ecclesiasticos ponitur, quia librum de prima Marci Evangelistæ apud Alexandriam scribens Ecclesia, in nostrorum laude versatus est. Aiunt hunc sub Caio Caligula Romæ periclitatum, quò Legatus Gentis suæ missus fuerat. Cùm secunda vice venisset ad Claudium, in eadem urbe locutum esse cum Apostolo Petro, ejusque habuisse amicitias: & ob hanc caussam etiam Ecclesiam Marci, discipuli Petri, apud Alexandriam sectatores ornasse laudibus.* Eadem scribunt Photius in Bibliotheca Cod. 103. & Suidas.

Ad quintum respondeo, religiosas fœminas seorsim à viris Therapeutis in sacris ædiculis, seu Monasteriis habitasse: immò in Monasterio ad quod septima quoque die (id est Dominica) conveniebant, mulierum locum à loco virorum interpositis parietibus fuisse sejunctum, ut Philo testatur. *Commune semneum*, inquit, *in quod septimo quoque die conveniunt, septo clauditur duplici, separatis virorum & mulierum cœtibus. Nam mulieres quoque simul auscultant ex more, duntaxat quæ institutum idem sectantur. Medius autem paries à solo surgit tribus quatuorve cubitis, in modum loricula: superiora usque ad tectum patent: unde gemina provenit commoditas, & quod pudori fœminei sexûs consulitur, & quod verba Doctoris exaudiuntur facilè absque ullis obstaculis quæ vocem ejus intercipiant.* Nulla itaque ratio est, cur Therapeutas, de quibus Philo scripsit, Christianos, & Monachos fuisse negemus, maximè cùm Eusebius, & Sanctus Hieronymus locis laudatis, Sanctus Epiphanius Hæresi 5. Num. 5. Sozomenus lib. 1. cap. 12. Cassianus lib. 2. de Cœnobiorum Institutis cap. 5. & Venerabilis Beda in Prologo Commentarii in Evangelium Sancti Marci, Philonem de Christianis & Monachis locutum fuisse intellexerint. Quamobrem non possum quin succenseam viris alioquin eruditis, qui Therapeutas, de quibus loquitur Philo, vel nusquam extitisse asserunt, vel Christianos & Monachos non fuisse, Magdeburgensibus Centuriatoribus, quàm antiquis Scriptoribus Ecclesiasticis potiùs auscultantes.

Verùm, inquiunt, Monasticum Institutum non ferebant prima sævientium adversùs Christianos persecutionum tempora. Quis enim sibi persuadeat Tyrannos & Idolorum cultores, qui summa crudelitate

delitate in Christianos omnes grassabantur, eos impune tulisse, qui in Collegiis communiter degentes, tonsura & veste, perfectiorique vivendi genere cæteris Christianis illustriores erant? *Sacerdos*, inquit Auctor noster, *stat ad Altare. Is autem qui consecratur, stat post Sacerdotem ..... supra illam mysticam invocationem prosequuti; quâ finitâ Sacerdos accedens, rogat ipsum primùm, an omnibus rebus dividuis renuntiet, non solùm vitiis; sed etiam imaginationibus. Deinde exponit illi vitam perfectissimam, contestans illum debere mediam vivendi rationem superare. Qua ubi omnia is qui initiatur professus est, Sacerdos eum crucis signo consignatum tondet ..... omnique veste detractâ, eum aliâ induit.* Quis autem primis Ecclesiæ temporibus Monachum aliquem veste & tonsurâ ab aliis Christianæ Religionis hominibus discretum, in publico visum, aut à Paganis captum, tortum vel necatum, memoriæ aliquando mandavit? Ubinam Collegium aliquod, in quo Monachi simul vitam degerent, à Paganis aut Imperatoribus vastatum vel eversum legitur?

Respondetur, Priorum Sæculorum Monachos, sive in privatis ædibus, sive in Collegiis degerent, in publicum non produsse cum veste & tonsura quam in sua Consecratione accipiebant, si vestis illa extraordinaria erat, & eorpiam hominum honestè viventium civili statui inusitata: sicut Sacerdotes cum sacris vestibus, quibus induti sacra Mysteria celebrabant, non prodibant in publicum; & Missionarii Religiosi vel sæculares, qui apud Paganos aut Hæreticos degunt, quibus in regionibus libera non est Christianæ Religionis Professio, vulgari veste induti, non Monastica aut Ecclesiastica incedunt. Vestis itaque Therapeutarum seu Monachorum in usu civili vel alia non erat à Christianorum veste cæterorum, vel certè non erat admodum dissimilis. Erat fortè quoddam indumenti Philosophici genus, sicut Pallium de quo Tertullianus librum scripsit, in quo hæc habet: *Enimverò cùm hanc primùm sapientiam vestit, qua vanissimis superstitionibus renuit, tunc certissimè pallium super omnes exuvias & peplos augusta vestis; superque omnes apices & titulos sacerdos suggestus. Deduc oculos suadeo, venerere habitum unius interim erroris tui renuntiatorem. Tamen, inquis, Ita à toga ad pallium? Quid enim si à diademate & à sceptro? Nulla in melius crangressi sunt signa, est habitus iste quod faciat, Etsi eloquium quiescat aut infantiâ subductum, aut verecundiâ retentum, nam & elinguis Philosophia vità contenta est, ipse habitus sonat. Sic denique auditur Philosophus dum videtur. De occursu meo vitia suffundo ... Grande Pallii beneficium est, sub cujus recogitatu improbi mores erubescant ... Gaude Pallium & exulta, melior jam te Philosophia dignata est, ex quo Christianum vestire cœpisti.*

Objicitur quartò. Stylus istorum librorum non sapit Apostolica tempora: non enim simplex est & nitidus, qualis est stylus Patrum qui primo & secundo sæculo scripserunt; sed elatus, & obscurus; ergo hi libri non sunt adjudicandi Sancto Dionysio Areopagitæ.

Sancti Dionysii stylus. Respondeo negando antecedens: quamvis enim stylus simplex non sit, non minùs Apostolicus est, alioqui Epistolæ Sancti Pauli ad Romanos, & ad Hebræos, non essent Apostolicæ, quia stylus illarum non est simplex, sed sublimis pro sublimitate argumenti. Sic Authoris istius, id est, Dionysii Areopagitæ libri, stylo magnifico conscripti sunt, ac dignitati majestatique rerum, de quibus agit, respondente. Quapropter à Photio vocatur, *sermone magnus, sed major contemplatione.* Et Sanctus Thomas Sermone in Festo Sancti Dionysii ipsi accommodans hæc Isaiæ verba cap. 46. *Vocans ab Oriente avem, & de terra longinqua virum voluntatis meæ*, notat nomine avis sapientiæ illius sublimitatem significari; ipsique triplicem tribuit in cœlos volatum, scilicet, *In cœlum humanæ naturæ, in cœlum Angelicæ naturæ, & in cœlum Sanctissimæ Trinitatis.* Nec etiam obscuritas probat stylum non esse Apostolicum, imò styli Apostolici veluti caracter est, præcipuè ubi dogmata traduntur, ut constat ex Sancto Basilio, libro de Spiritu Sancto, cap. 27. *Aliud est dogma*, inquit, *aliud prædicatio. Dogmata enim silentur, prædicationes publicantur. Est autem & quadam silentii species ipsa Scripturæ obscuritas, sententiam dogmatum intellectu difficilem reddens, idque ad legentium utilitatem.*

Multiplex autem est ratio obscuritatis in Dionysii Areopagitæ stylo, ut scribit Sanctus Thomas Præfatione in expositionem libri de Divinis Nominibus. *Est autem considerandum*, inquit, *quòd Beatus Dionysius in omnibus libris suis obscuro utitur stylo: quod quidem non ex imperitia fecit, sed ex industria, ut sacra & divina dogmata ab irrisione infidelium occultaret. Accidit etiam difficultas in prædictis libris, ex multis. Primò quidem, quia plerumque utitur stylo & modo loquendi, quo utebantur Platonici, qui apud modernos est inconsuetus*, &c. *Secunda autem difficultas accidit in dictis ejus, quia plerumque rationibus efficacibus utitur ad propositum ostendendum, & multoties paucis verbis, vel etiam uno verbo eas implicat. Tertia, quia multoties utitur quadam multiplicatione verborum, quæ licèt superflua videamur, tamen diligenter considerantibus magnam sententiæ profunditatem continere inveniuntur.*

Contra, Autor libri de Ecclesiasticâ Hierarchiâ, cap. ultimo, ait, suos Præceptores de Baptismate parvulis conferendo ab antiqua traditione edoctos, ergo non est vir Apostolicorum temporum.

Respondeo, non haberi illo in loco, ab antiqua traditione, sed à prima traditione; id enim significant Græca verba ἐκ τῆς ἀρχαίας παραδόσεως. Acceperant autem Dionysii Præceptores Hierotheus, & Sanctus Paulus, parvulos baptizandos esse, à Christo Domino, qui eos de baptismo & aliis Sacramentis plenè edocuerat. Nec verò necesse est doctrinam, quæ traditionis nomine insignitur, antiquam esse; nam Sanctus Paulus recentia Christi præcepta, & Apostolorum documenta, traditiones nuncupavit ad Thessalonicenses scribens Epistolæ 2. cap. 2. *Itaque Fratres*, inquit, *state, & tenete traditiones, quas didicistis, sive per sermonem, sive per Epistolam nostram.*

Instabis. Si liber de Cœlesti Hierarchia Dionysium Areopagitam Autorem haberet, hierarchias & ordines Angelorum distinxisset accuratiùs; namque in iis recensendis non fuisse omnino accuratum illum Autorem constat ex Sancto Gregorio Magno, qui alium ordinem inter Angelos tradidit ab eo quem ille descripserat: ab ipso item dissensit Sanctus Bernardus. Denique Sanctus Augustinus in Enchiridio cap. 58. ait, se ignorare differentiam Angelicorum ordinum. Quis igitur sibi persuadeat virum Apostolicum Dionysium Areopagitam, hierarchias & ordines Angelorum tam audacter distinxisse, ac eorum exposuisse discrimina?

Respondeo, nego antecedens. Licèt enim à Sancto Dionysio dissentiant Sancti Gregorius Magnus & Bernardus in ordinibus Angelorum recensendis, non ideo rectè infertur ipsum hoc in tractando argumento minùs diligentem fuisse, aut magis audacem: imò colligendum potiùs est Sanctos illos Patres, qui obiter duntaxat, & in Homiliis ad populum, S. Gregorius Magnus Homilia 34. in Evangelia; S. Bernard. Serm. 19. in Cantica.

populum, cœlestes illos ordines recensebant, minùs accuratè ea de re scripsisse, quàm Dionysium, qui ex instituto, & dogmaticè istud argumentum tractavit. Verùm his oppono Angelicum Doctorem Sanctum Thomam, qui cùm accuratissima de Angelis scripserit methodo, non alium statuit inter eos ordinem, quàm qui à Sancto Dionysio fuerat descriptus. Et antiquior longè Sancto Thoma Sanctus Joannes Damascenus eundem ordinem usurpavit. Quid mirum porrò quòd Sanctus Gregorius Magnus, qui solùm intendebat probare novem esse Angelorum ordines, non verò quid inter eos intercedat discriminis enarrare, aliquantulum à Dionysio discesserit? Adde Sanctum Gregorium Magnum Opera Dionysii nondum Latinè reddita per seipsum evolvere non potuisse, quia Græcè nesciebat. Quam ob causam ibidem ait, *Fertur Dionysius Areopagita antiquus & venerabilis Pater dicere.* Quod non ideo ait, quod de veritate Operum ipsius dubitaret (ut quidam Critici præposterè colligunt) sed quòd ea Græcè scripta, & diu occultata evolvere non potuerat. Græcè autem nescivisse Sanctum Gregorium Magnum, constat ex ipsomet, lib. 9. Epistolarum Indictione 4. Epistolâ 69. *Nos*, inquit, *nec Græcum novimus, nec aliquod Opus aliquando Græcè conscripsimus.*

Quid denique incommodi, fateri quòd Sanctus Augustinus aliqua nescierit, quæ Dionysius Areopagita noverat? Nescivit Augustinus Antipodas esse: ergo audacior erit qui asseret extare Antipodas. Bella consecutio! Sed an hæc melior, amabo te, Nescivit Sanctus Augustinus discrimen Thronorum, Dominationum, Principatuum, & Potestatum: Audacior itaque ac temerarius fuerit necesse est, qui illud assignaverit? Si legitima hæc illatio est, pari jure inferetur audaciores fuisse ac temerarios, qui negarunt Solem, Lunam, & reliqua sydera vivere, intelligere, & beatitudinis esse capacia, quia Sanctus Augustinus in eodem capite Enchiridii se nescire profitetur an vivant, intelligant, & ad Beatorum societatem pertineant. En integrum Sancti Augustini locum: *Quid inter se distent quatuor illa vocabula, quibus universam ipsam cœlestem societatem videtur Apostolus esse complexus, dicendo: Sive Sedes, sive Dominationes, sive Principatus, sive Potestates, dicant qui possunt, si tamen possunt probare quod dicunt. Ego me ista ignorare confiteor. Sed nec illud quidem certum habeo, utrum ad eandem societatem pertineant Sol, & Luna, & cuncta sydera; quamvis nonnullis lucida corpora esse, non cum sensu vel intelligentia videantur.*

Objicitur quintò. In ea Collatione, quæ inter Catholicos olim ac Severianos hæreticos habita est anno 533. Justiniano Imperante, Catholici contendebant Opera illa esse Dionysio Areopagitæ supposita. Cùm enim hæretici Dionysii Areopagitæ verba protulissent, unam naturam Dei Verbi post unitionem decernentis; Hypatius Ephesius Episcopus, qui Catholicæ veritatis partes agebat, adversùs ea falsi suspicionem injecit, dicens: *Illa testimonia, quæ vos Dionysii Areopagitæ dicitis, unde potestis ostendere vera esse, sicut suspicamini? Si enim ejus erant, non potuissent latere Beatum Cyrillum. Quid autem de Beato Cyrillo dico? quando & Beatus Athanasius, si pro certo scisset ejus fuisse, ante omnia, in Nicæno Concilio, de consubstantiali Trinitate eadem testimonia protulisset adversus Arii diversæ substantiæ blasphemias. Si autem nullus ex Antiquis recordatus est ea, unde nunc potestis ostendere quia illius sint, nescio.*

Joannis Mo- pini argumento respondetur

Idem testatur Liberatus in Breviario de Causa Nestoriana, & Eutychiana, cap. 10. *Basilius quidam Diaconus*, inquit, *sumens tomum Procli, quem Armeniis scripserat, Alexandriam venit, & Armeniorum libellos suis libellis innectens, obtulit Cyrillo ejusdem urbis Antistiti. Quibus (ut ferunt rumores) permotus Cyrillus, quatuor libros scripsit, tres adversus Diodorum, & Theodorum, quasi Nestoriani dogmatis authores, & alium de Incarnatione librum; in quibus continentur antiquorum Patrum incorrupta testimonia, id est, Felicis Papæ Romani, Dionysii Areopagitæ, & Gregorii mirabilis, θαυματουργὸς cognominati. Et licet in eis libris Theodori dicta laudentur, contra Arianos edita, ipsum tamen Magistrum Nestorii fuisse contendunt. Contra quos Catholici veritatis defensores sic Acephalis responderunt; Illos libros non esse Cyrilli, quoniam testimoniis, quæ contra mortuos posuisse in eis dicitur, contra viventem Nestorium non est usus, neque in Synodo, neque in aliquibus Epistolis. Unde dicunt, illos nec dictasse Cyrillum, nec edidisse libros.* Ex quibus colligitur illos libros non esse genuinos Dionysii Areopagitæ fœtus.

Respondeo primò, majorem non esse quinque Episcoporum, qui in hac cum Severianis Collatione solam suspicionem, & debilem conjecturam adversus Dionysii Areopagitæ Opera protulerunt, auctoritatem, quàm Oecumenicorum Conciliorum, quæ hæc Opera ipsi vendicarunt.

Respondeo secundò, postulationem falsi, & eam quidem non satis firmam, nec plenè omninoque formatam, illic à Catholicis tentatam non fuisse, nisi adversùs Epistolam unam duntaxat, vel quædam testimonia, quæ Sancti Dionysii scriptis contineri effutiebant Severiani; ac deinde adversùs libros quosdam Sancto Cyrillo adscriptos, quorum authoritate ad adstruendam ejusmodi testimoniorum veritatem abutebantur Severiani: non verò adversùs Opera ipsa Dionysii, quæ nec ad manum illis erant, nec ad eorum notitiam fortè pervenerant. Verisimile igitur est, nonnisi unam Sancti Dionysii Epistolam (quam ego quidem, propter vocabulum θεανδρικὴ, quartam esse arbitror) Severianis aut Acephalis tunc præsto fuisse; quam nonnullis quoque aliis Epistolis adnectebant, è quibus aliquas, velut affictas ac supposititias, Catholici Antistites respuerunt, hoc solùm interim de ista pronuntiare contenti; *Illa enim testimonia, quæ vos Dionysii esse dicitis, unde potestis ostendere vera esse, sicut suspicamini?* Enimverò quod aiunt, *suspicamini*, minùs aptè de libro, seu Opere integro, quàm de compactis quibusdam testimoniis diceretur. Quod autem in illa Collatione, de veritate Operum Sancti Dionysii actum non sit; sed nonnulli duntaxat ex iis textus in adscriptos Sancto Cyrillo libros intrusi, ventilati sint, cùm ventilari totum Opus, expendique non posset, quia nec præ manibus Catholicorum erat, nec illud penes se hæretici habebant; constat ex verbis Hypatii in dicta Collatione sic Severianos compellantis: *In tantùm falsæ sunt Epistolæ, sive testificationes illæ, quas dicitis, ut neque unam ex illis Beatus Cyrillus voluerit recordari; nec in Epistolis quas ad Nestorium scripsit, ut in his quas contra blasphemias ejus protulit testificationes in sancta Synodo Ephesina, quando maximè debuit proferre eas: sed nec in expositione duodecim Capitulorum adversùs Theodoretum, & Andream scribens; sed nec adversùs Orientale Concilium.... Sed & hoc dicimus, quia duodecim gloriosorum Patrum testimonia adversùs Nestorii blasphemias in Epheso Beatus Cyrillus proferens.... nullum testimonium eorum de una natura protulit*, &c.

Cùm autem Hæretici, ad fidem prolatis à se testimoniis conciliandam, libros Cyrilli contra Diodorum & Theodorum adduxissent, in quibus illa extabant, & inter alia testimonium Sancti Dionysii

Dionysii Areopagitæ, Catholici Præsules libros illos Cyrillo affictos se suspicari significarunt: *Modò*, inquit Hypatius, *maxime & illos adversùs Diodorum & Theodorum libros ambiguos facitis, tanquam fictos; adversùs mortuos prolatos dicentes, qui non poterant refellere falsitatem. Si enim adversùs mortuos prolati sunt, multo magis adversùs Nestorium, & eos qui contra Capitula ejus* (nempe Cyrilli) *scripserunt, proferre habuerit eadem testimonia.* Quæ Catholicorum Antistitum ratio certè infirma est; illorum quippe conscribendorum librorum occasionem post Nestorium condemnatum emersisse, Liberatus narrat. Unde non mirum quod à Cyrillo adversùs Nestorium scribente prætermissa fuerint hæcce testimonia. Sanè Cyrillum istorum librorum authorem fuisse, Liberatus ex proprio marte & genio loquens non abnuit, cap. 10. Breviarii sui: quin hoc ipsum publico rumore sparsum asserit, cujus non leve inter humanæ rationis firmamenta pondus est. Ac si equidem levi duntaxat rumore istud jactaretur, nullam ipsius rationem haberet Liberatus cui persuaderi difficillimè potuit, ut libris, quos orthodoxos existimabat, Sancti Cyrilli obstitisse putaretur auctoritas. Quanquam & illa verba (*ut ferunt rumores*) nullatenus ad libros illos Sancti Cyrilli, sed ad solam scribendi occasionem referenda videri possunt, & ad ea verba quæ ibidem à Liberato subjunguntur: *Quibus permotus Cyrillus*, &c. Hanc esse Liberati mentem testantur viri eruditi Budæus, & Sirmondus in Notis ad 3. Facundi librum. Eosdem libros Facundus Hermianensis abjudicare non est ausus Sancto Cyrillo, quantumcumque id se posse optaret: imò indicavit illos Cyrillo tribui ab Episcopis Catholicis, qui trium Capitulorum damnationem, & Quintæ Synodi Oecumenicæ authoritatem propugnabant. *Nunc*, inquit lib. 3. cap. 3. *illa proferamus, in quibus etiam Beati Cyrilli testimonium suo convincuntur impugnasse judicio. Nam affirmantes ipsum esse auctorem nescio cujus Operis, in quo aliqua Sancti Diodori Tarsensis Episcopi ac Theodori dicta culpantur; negare non possunt quin ibi dixerit: Scripti sunt à magno Theodoro adversus Arianorum & Eunomianorum hæreses viginti fortè & adhuc amplius libri*, &c. Denique, quòd longè validius est, libri illi sub Sancti Cyrilli nomine citantur Collatione quinta Synodi Quintæ Oecumenicæ. Unde cùm Hypatius suam illam de libris adversùs Diodorum & Theodorum Sancto Cyrillo suppositis conjecturam nutare intelligeret, eò tandem se recepit, ut eos diceret depravatos, obtrusis in eos testimoniis de quibus agitur, & quæ præsertim è Sancti Dionysii Areopagitæ Operibus excerpta essent, haud dubiè à se ob discussas à Sancto Maximo rationes ignoratis. *Sed nunc videtur*, inquit, *quoniam & in illis libris heretici falsantes, addiderunt ea.*

Denique Severiani, libros illos ex ipsis Alexandrinæ Ecclesiæ scriniis se prolaturos dixerunt, quò illos genuinum esse Sancti Cyrilli opus constaret. Quibus reposuerunt Catholici, non idcirco se illud velut Cyrilli probaturos, nisi sub ipsis Proterii & Timothei Salofacioli temporibus fuisset in archivis Patriarchatus Alexandrini, jamque tunc fuisset exploratum, & compertum pro certo. *Si sub temporibus Beati Proterii, vel Timothei cognomine Salofacioli, ostensa sunt, indubitabilia erunt. Quoniam verè jam à multis hi, qui adversantur orthodoxæ duarum naturarum confessioni, illa antiqua apud se retinent, indulgete nobis, si adversarios nostros testes suscipere dubitamus.*

Ex quibus colligitur primò, Episcopos hujus Collationis moderatores respondisse Severianis, libros adversùs Diodorum & Theodorum affictos

A esse Sancto Cyrillo, leviori ductos conjectura, quam nec satis firmiter propugnarunt, quia meliorem solutionem in promptu non habebant. Secundò ipsos in hac facti quæstione deceptos fuisse, ut constat ex Liberato, ex Facundo Hermianensi, & ex Quinta Synodo Oecumenica; librosque citatos esse Sancti Cyrilli. Tertiò, pariter deceptos fuisse in judicio, quod ferre visi sunt de suppositione Operum Sancti Dionysii, seu de falsa illorum inscriptione Dionysio Areopagitæ; siquidem illa sub ipsius nomine citavit Sanctus Cyrillus in libris adversus Diodorum & Theodorum, qui
B Cyrilli genuinum sunt Opus.

Objicitur sextò. Dionysius ille putatitius nomine hypostasis utitur ad significandam personam, prout ab essentia distincta est. Atqui nomen istud usurpari tantùm cœpit in Ecclesia ad significandam personam, post Concilium Alexandrinum, quod anno 362. Constantino Imperatore mortuo, celebratum est: ergo nonnisi post tertium sæculum vixit Autor ille. Non est igitur Dionysius Areopagita.

Major constat ex cap. 7. lib. de Cœlesti Hierarchia, ubi Author ille Deum vocat μονάδα τρισυπόστατον,
C id est, *Unitatem in tribus personis subsistentem.* Et cap. 5. ejusdem libri, ubi vertit Latinus Interpres: *Personarum excellentissimè unarum, si ita dicendum est, in se invicem mansio*, habetur in Græco, τῶν ἐναρχικῶν ὑποστάσεων.

Probatur Minor testimonio Socratis lib. 3. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 4. & 5. *Porro autem*, inquit, *Episcopi, qui in Concilio Alexandrino aderant, hanc de οὐσίᾳ & ὑποστάσει controversiam excusserunt: nam Osius Episcopus Corduba civitatis Hispaniæ, cujus antea fecimus mentionem, ab Imperatore Constantino ad tumultum ab Ario concita-*
D *tum sedandum missus, dum Sabellii Afri dogma explodere cogitaret, de οὐσίᾳ & ὑποστάσει disceptavit, unde materia alteri contentioni suppeditata est. Verùm id temporis in Concilio Niceno de ea controversia ne verbum quidem factum est. At postquam nonnulli cœpere de ea digladiari ob eam causam in eo Concilio*, nempe Alexandrino, *de οὐσίᾳ & ὑποστάσει ista deciderunt; Non oportere, cùm de Deo sermo sit institutus, his verbis uti, Nam οὐσίας, id est, essentiæ nomen, in sacris Literis non reperiri, & voce ὑποστάσεως Apostolum tradendorum dogmatum necessitate adductum, usum fuisse. Cæterùm alia quadam ratione voces istas,*
E *admittendas decreverunt, nimirum quod Sabellii opinionem explodant: ne verborum inopiâ rem quæ triplici nomine nuncupatur, quasi unam putare cogamur: sed ut singula nomina Trinitatis in propria subsistente persona Deum significent. Ista eo tempore à Concilio decreta fuere.*

Primus de hac significatione quæstionem movit Osius adversus Sabellianos disputans. Sabelliani enim contendebant οὐσίαν & ὑπόστασιν, idem esse; atque etiam id demonstrare conabantur ex Concilii Nicæni Symbolo, in quo dicitur: *Si quis vero ex alia οὐσίᾳ, vel ὑποστάσει, Filium Dei esse dixerit*, &c. Quos Sanctus Basilius tota Epistola 76. refellit.
F Cùm autem Nicæni Patres de hac controversia nihil definivissent, eò quòd ad Arianos nihil spectaret, & ab Osio tantùm obiter adversus Sabellianos disceptata fuisset; Catholici, potissimùm Occidentales, hac in causa Sabellianis consentiebant, & Orientales Arianismi accusabant; Orientales autem Sabellianismi eos vicissim insimulabant. Sanctus Gregorius Nazianzenus maximis laudibus prosequitur Sanctum Athanasium, quòd dissentientes in Concilio Alexandrino Orientales cum Occidentalibus prudenter conciliavisset. *Quo cùm*, inquit Oratione de laudibus Athanasii, *beatus ille vir, & magnus animarum œconomus, oculis auribusque per-*

*illud quidem ad reprobandum malum sensum positum est : hoc verò declarationem habet salutaris dogmatis.*

Hac pariter voce ὑποστάσεως usus erat eodem sensû Sanctus Paulus ad Hebræos 1. ubi enim vertit Vulgatus Interpres ; *Qui cùm sit splendor gloriæ, & figura substantiæ ejus* ; Græcus textus habet χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως, & verti rectè potuisset ; *& figura personæ ejus.* Nam vocabulum τῆς ὑποστάσεως, ibi significare personam, author est Sanctus Gregorius Nyssenus in libello *de Differentia essentiæ & hypostaseos*, ad Petrum fratrem, versùs finem libelli. Cùm itaque nomen hypostaseos ad significandam personam sit à Scriptoribus Ecclesiasticis ante Concilii Alexandrini tempora usurpatum, licèt infrequentiùs, non mirum quòd Dionysius Areopagita illud hac in significatione usurpaverit, præeunte præsertim Sancto Paulo.

Quod autem Sanctus Hieronymus ait, *Totam sæcularium literarum scholam nihil aliud hypostasim, nisi οὐσίαν novisse*, ab ipso æstu sermonis adrepto dictum est. Nam Aristoteles in lib. de Mundo ad Alexandrum, nomen ὑποστάσεως adhibuit ad significandum id quod verè extat, & quod adumbratis rerum similitudinibus opponitur, sive substantia sit, sive accidens, ut dudum observavit Budæus vir Græci idiomatis peritissimus. En Aristotelis verba, prout ipsa vertit Latinus Interpres : *Eorum quæ ex aere nobis observantur, alia apparent, alia substant.* Græcus textus habet : καθ' ὑπόστασιν, id est, *secundum hypostasim sunt.* Potuit igitur & Dionysius Areopagita hoc nomen, hypostasis, adhibere ad personarum divinarum significandam veritatem.

Respondeo secundò, quòd etsi vox, hypostasis, usurpata nunquam fuisset ad significandam personam ante Sanctum Dionysium Areopagitam, nihil prohibuit quin ipse eo in sensu ipsam adhiberet. Cùm enim vim istius vocabuli apprimè nosset, ac compertum haberet vocem, quæ à substando imposita substantiæ est, iis potissimùm convenire substantiis, quæ maximè substant, id est, primis & singularibus, quas in natura intelligente personas dicimus : cùm insuper authoritatem ipsi maximam eximia eruditio, & sublimis Philosophiæ fama comparasset ; potuit omnium primus nomen hypostasis ad personas divinas significandas adhibere, ac Deum dicere τρισυπόστατον, id est, in tribus personis subsistentem.

Objicitur postremò, hæc Opera post exortos *Nestorii* errores prodiisse. In iis quippe, inquiunt, hæresis contra Incarnationis Christi Mysterium apertè proscribitur. Libro *De Ecclesiastica Hierarchia*, cap. III. ait : *Dei principalis bonitas . . . . nostrorum, omnium verè facta particeps absque peccato, humilitatique nostræ unita, salvo proprietatum suarum statu, eòque prorsus inconfuso & inviolato.* Et lib. *de Divinis Nominibus* scribit : *Verbum divinissimum . . . per inconfusam humanitatis nostræ assumptionem.* Et in Epistola ad Caium : *Quatenus erat Deus & homo, novam quamdam nobiscum conversando theandricam operationem exhibebat.* Quid planius, quid dilucidius post sparsos Nestorii & Eutychetis errores à quovis Auctore unquam scriptum est ?

Respondetur, alios Patres, qui in Ecclesia ante ortum Nestorianæ & Eutychianæ Hæresis claruerunt, non minùs apertè de Mysterio Incarnationis scripsisse, & naturas in Christo post unionem distinxisse, scilicet Sanctos Ignatium Martyrem, Irenæum, Hyppolitum, Eustachium Episcopum Antiochenum, Athanasium, Hilarium, Basilium, Gregorium Nyssenum, Amphilochium, Theophilum Alexandrinum, & Johannem Chrysostomum, quorum diserta testimonia *Theodoretus* profert Dialogo II. qui inscribitur INCONFUSUS.

## SCHOLION.

In Objectione sexta.

Operum meorum Censores ex ista Dissertatione hanc propositionem in Indiculum suum retulerunt : *Catholici potissimùm Occidentales tunc in causa Sabellianis consentiebant, & Orientales Arianismi accusabant.*

R. Catholicos Occidentales tunc Sabellianis in causa consensisse non scripsi, sed, *in ea causa*, scilicet quòd οὐσία & ὑπόστασις idem essent, unáque duntaxat hypostasis esset in Deo. Unde *Sanctus Hieronymus* Epistola LVII. *Taceantur tres hypostases, si placet, & una teneatur.* Sed cùm Sabellianis in dogmate consensisse Catholicos, non ita sum vecors ut dixerim, si quidem Sabelliani unam duntaxat personam in Deo admittebant : Occidentales verò Catholici, pariter ac Orientales, *Tres personas subsistentes, perfectas, æquales, coæternas.* Deinde hæc verba, *Catholici potissimùm Occidentales ea in causa Sabellianis consentiebant*, mea non sunt, sed *Joannis Morini*, cujus Objectionem adversùs Dionysii Areopagitæ Libros p. 11. *De sacris Ordinationibus*, cap. VI. ipsísmet verbis retuli, cui subinde respondi.

## DISSERTATIO XXIII.

### De Sancti Ignatii Epistolis.

### QUÆSTIO UNICA.

*Utrum Sancti Ignatii Epistolæ meritò ipsi adscribantur ?*

QUÆRIMUS duntaxat de septem Epistolis ab Eusebio recensitis, an genuinæ sint, non secundùm vulgatas editiones, sed secundùm editionem Usserii ex Codicibus Anglicanis MSS. & editionem Vossii ex Codice Medicæo. Nam alias fuisse interpolatas, Usserius accuratissimè ostendit ex collatione vulgatæ editionis cum exemplaribus à se feliciter inventis, & cum Græco textu, assumenta omnia & corruptelas miniatis literis distinguens à verbis verè Ignatianis.

Porro interpolatas fuisse Ignatii Epistolas sæculo sexto conjicimus, quia Anastasius Patriarcha Antiochenus, circa annum Dom. 595. Græca editione istarum Epistolarum depravata usus est, ad quarum scilicet finem apposita sunt hæc verba, ἀμὴν ἡ χάρις, id est, *Amen, gratia*, quæ ab illis Codicibus absunt, ex quibus Usserius & Vossius suas adornarunt editiones, scilicet ab Anglicanis, & à Medicæo. Ista constant ex Sancto Gregorio ad Anastasium scribente lib. 4. Regesti, Indict. 13. Epistola 37. cujus ad finem cùm apposuisset, *Amen, gratia*, statim hæc subjungit : *Quæ videlicet verba de scriptis vestris accepta in meis Epistolis pono, ut de Sancto Ignatio vestra Beatitudo cognoscat, quia non solùm vester est, sed & noster. Sicut enim magistrum ejus Apostolorum Principem habemus communem : ita quoque ejusdem Principis discipulum nullus nostrûm habeat privatum.*

Hoc supposito, & aliis, quæ in Synopsi notavimus, sit.

### PROPOSITIO.

*Septem Epistolæ Sancto Ignatio adscriptæ, nimirum ad Ephesios, ad Magnesianos, ad Trallenses, ad Romanos, ad Philadelphios, ad Smyrnæos, & ad Sanctum Polycarpum, quas Medicæus Codex à Vossio, & Anglicani, ab Usserio editi repræsentant, germanæ sunt & veri genuinique Martyris Sanctissimi fœtus.*

Probatur. Illa monumenta quæ à Patribus, & antiquis Autoribus Ecclesiasticis laudata sunt ut

Sancti Ignatii, & in quibus extant sententiæ, & verba, quæ illi ut Ignatiana protulere; in quibus denique conspiciuntur caracteres quos Ignatianis Epistolis tribuerunt, germanæ sunt Sancti Ignatii: sed septem Epistolæ nominatæ à Sanctis Patribus, & antiquis Authoribus Ecclesiasticis laudatæ sunt ut Ignatianæ; in iis leguntur testimonia citata ab iisdem ex Epistolico Ignatio; in illis denique conspiciuntur caracteres, quos Ignatianis Epistolis tribuerunt: ergo germanæ sunt Sancti Igoatii.

Probatur Minor. Primo ex Sancto Polycarpo, qui in sua ad Philippenses Epistola, harum Epistolarum meminit (teste Eusebio lib. 3. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 37.) Hæc porro verba ex ejus Epistola, tunc temporis, cùm esset omnibus notissima, & in Asiaticis Ecclesiis adhuc legeretur, descripsit, quæ in veteri ejusdem Epistolæ versione etiamnum legimus: *Epistolas sanè Ignatii, quæ transmissæ sunt vobis ab eo, & alias quantascumque apud nos habuimus, transmisimus vobis, secundùm quod mandastis: quæ sunt subjectæ huic Epistolæ: ex quibus magnus vobis erit profectus. Continent enim fidem, patientiam, & omnem ædificationem ad Dominum nostrum pertinentem.* Qui caracteres septem Epistolis laudatis apprimè conveniunt.

Ad hoc argumentum excipit Dallæus, hæc verba assuta esse Epistolæ Sancti Polycarpi: quia in verba præcedentia hanc clausulam convenientissimè desinebat. Verùm hæc evasio futilis est: siquidem nullus Polycarpianæ Epistolæ vel MS. vel excusus Codex proferri potest, in quo verba nostram hanc præcedentia clausulam epistolæ finem imponerent. Certè si hac lege in Veterum epistolis uti liceret, expungenda ex illis multa essent. Nonne enimverò versus ultimus tertii capitis Epistolæ ad Ephesios totius epistolæ clausula videri posset, qui sic habet: *Ipsi gloria in Ecclesia, & in Christo Jesu in omnes generationes sæculi sæculorum, Amen?* Reliqua igitur tria capita erunt expungenda? Nonne versus ultimus capitis decimi-quinti Epistolæ ad Romanos, *Deus autem pacis sit cum omnibus vobis, Amen,* videri posset convenientissima totius epistolæ clausula? Totum igitur caput decimum-sextum delendum erit? Quæ consecutio? Præterea Eusebius lib. 3. Historiæ cap. 36. hæc verba ex Epistola S. Polycarpi describit, ut ipse testatur; hæc eadem in illa Photius & legit, & laudavit: ergo ne oculatior tam antiquis, tamque eruditis testibus Dallæus?

Respondet secundò; ex testimonio Sancti Polycarpi colligi quidem Sanctum Ignatium Epistolas scripsisse, non autem illas ipsas quas legimus. Verùm & hæc exceptio frivola est. Sic namque nullum testimonium Veterum pro iis libris quos legimus, proferri posset, cùm nullus dixerit hos libros quos pervolvimus, ab iis Authoribus scriptos, quibus tribuuntur. Veteres, verbi gratiâ, non dixerunt exemplaria Bibliorum quæ habemus, esse Scripturam sacram: ergo testimonio Veterum probari non potest Epistolas Pauli esse Canonicas. Egregia illatio! Præterea; aut illæ Ignatii Epistolæ, quas suæ ad Philippenses subjecit Polycarpus, ad illosque rogatus misit, hæ ipsæ sunt, quas propugnamus, aut fuerunt aliæ, & ab his diversæ; sed aliæ & ab his diversæ non fuerunt; ergo fuerunt eædem.

Probatur Minor. Si aliæ fuissent, Patribus priorum sæculorum, aliisque deinceps Ecclesiasticis Authoribus notissimæ fuissent: sed si omnium Christianorum, qui primis Ecclesiæ sæculis floruerunt, libros consulamus, nullam aliarum Ignatii Epistolarum factam inveniemus mentionem, quàm illarum, quas præ manibus habemus. Aliæ igitur nunquam extiterunt.

Probatur secundò ex Sancto Irenæo, quem harum Epistolarum non semel meminisse testatur Eusebius, ut lib. 5. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 8. *Præterea, inquit, Justini Martyris, & Ignatii mentionem facit, ex eorum scriptis testimonia proferens.* Et lib. 3. cap. 36. hæc habet, de Sancto Ignatin loquens: *Scit autem & Irenæus martyrium ejus, & mentionem facit scriptorum ejus per hæc verba: Sicut dixit, inquit, quidam ex nostris pro martyrio Christi damnatus ad bestias: Frumentum ego sum Dei, bestiarum dentibus molor, & subigor, ut panis mundus efficiar Christo.* Habentur autem apud Sanctum Irenæum lib. 5. cap. 28. & excerpta sunt ex Epistola ad Romanos. Ergo Sanctus Irenæus agnovit Epistolam ad Romanos germanam esse Ignatii. Cur non & alias, quæ ipsi conjunctæ erant in Collectione Sancti Polycarpi? Vim hujus testimonii elevare nititur Dallæus, concedendo quod ex Sancto Irenæo constat quidem Ignatium id dixisse, non autem scripsisse. Verùm frivola est hæc exceptio, cùm nulla Sancti Ignatii apothegmata habeamus, Epistolas habeamus, quarum in una hæc verba extant, quæ velut Ignatiana laudavit Sanctus Irenæus: & non minùs per verbum *dixit*, quàm per verbum *scripsit*, Authorum sententiæ à Veteribus laudatæ sunt: quod ipsi Irenæo solenne fuisse facile ostenditur. Sic enim Prophetas & Apostolos citat: *Propter hoc & Paulus Apostolus ait ad Corinthios: Bene in prophetia Malachias ait.* &c. Sic & Sanctum Justinum citat, *Bene Justinus in eo libro qui est ad Marcionem, ait.* Imò ita huic loquendi modo addictus est, ut Scripturam ipsam dicere scribat lib. 2. cap. 2. *Et hic ergo à Verbo ejus factus est, sicut Scriptura Geneseos dicit.*

Probatur tertiò ex Origene Homilia 6. in Lucam, dicente: *Eleganter in cujusdam Martyris Epistola scriptum reperi (Ignatium dico, Episcopum Antiochiæ post Petrum secundum, qui in persecutione Romæ pugnavit ad bestias) Principem sæculi hujus latuit virginitas Mariæ.* Quæ verba legimus in Epistola Ignatii ad Ephesios.

Et in Prologo Commentariorum in Cantica: *Denique*, inquit, *meminimus aliquem Sanctorum dixisse (Ignatium nomine) de Christo: Meus autem amor crucifixus est, nec reprehendi eum pro hoc dignum judico.* Quę verba in Epistola ad Romanos adhuc reperiuntur. Ergo Origenes Sancti Ignatii Epistolas ut genuinas agnovit.

Respondet Dallæus hæc Opera non esse Origenis: Sed facilè refellitur ex Sancto Hieronymo in Prologo ad Paulam & Eustochium, ubi testatur se triginta & novem Homilias Origenis in Lucam transtulisse. *Quamobrem*, inquit, *petistis ut contemptis istiusmodi nugis, saltem triginta & novem Adamantii nostri in Lucam homilias, sicut in Græco habentur, interpreter. Molestam rem & tormento similem, alieno (ut ait Tullius) stomacho, & non suo scribere: quam tamen idcirco nunc faciam, quia sublimiora non poscitis.* Et de Commentariis in Cantica Canticorum, ait: *Origenes, cùm in cæteris libris omnes vicerit, in Cantico Canticorum ipso se vicit.* Hæc Opera pluribus vindicat Origeni vir doctissimus Joannes Pearson, in Vindiciis Epistolarum Sancti Ignatii; & Erasmi Dallæique adversùs illorum germanitatem objectionibus respondet. Nos verò hoc argumentum uberiùs tractabimus, cùm de Scriptis Origenis agemus suo loco.

Probatur quartò ex Eusebio lib. 3. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 36. ita de Ignatio scribente: *Quin etiam, cùm iter in Asiam faceret, licèt attentissimâ curâ à satellitibus, qui illum ducebant, observaretur; Ecclesias tamen cujusque civitatis, ad quam fortè proficisceretur, familiaribus colloquiis, piisque hortatibus firmavit: ac primùm ut hæreses, quæ jam tum primò nasci & emergere cœperunt, maximè præcaverent, sedulò admonuit, Deinde hortatus est ut Apostolorum traditioni mordicus adhærescerent. Quam quidem asseverantes*

*asseveranter testificatus, quò tutiùs posteritati reservaretur, necessariò scriptis mandandam existimavit. Qui ut Smyrnam venit, ubi erat Polycarpus, unam Epistolam ad Ecclesiam Ephesinam scribit, in qua Onesimi, qui ibidem Pastor fuit, mentionem facit. Aliam autem Ecclesiæ, quæ erat Magnesiæ misit, in qua rursus Damam Episcopum in memoriam redigit. Ecclesiæ autem Trallianæ aliam, in qua Polybium, qui tum ibi præfuit, inserit. Ecclesiæ porro Romanæ dedit literas, in quibus illos impensè hortatus est, ne martyrium illius deprecando, ipsum optatâ ullo modo privarent. Jam vero Smyrnâ longiùs aliquantò profectus, ex Troade scribens, non solùm cum his qui erant Philadelphiæ, sed etiam cum Ecclesia Smyrnensi, & separatim cum Polycarpo, qui illi Ecclesiæ præfuit, familiariter per literas collocutus est.* Sed hæc omnia ex Epistolis, quas habemus, & earum inscriptionibus, certissimè constant: ergo Eusebius Ignatii septem Epistolas, de quibus agimus, ut genuinas agnovit, easdemque habemus, quæ ab Eusebio probatæ sunt.

Respondet Dallæus, Eusebium deceptum fuisse. Sed Dallæo quis credat? Scilicet Eusebius tantæ vir lectionis, doctrinæ, experientiæ, non fuisset subodoratus fœdam imposturam, si Sancto Ignatio hæ Epistolæ recèns suppositæ fuissent!

Probatur quintò, ex Sancto Athanasio, in Epistola de Synodis Arimini, & Seleuciæ, ubi hæc habet. *Ignatius igitur, qui post Apostolos Antiochiæ Episcopus constitutus est, & Martyr Christi fuit, scribens de Domino dixit: Unus Medicus est carnalis, & spiritualis, factus & non factus, in homine Deus, & in morte vita vera, & ex Maria, & ex Deo.* Hæc autem verba in Epistola Ignatii ad Ephesios, quam habemus, leguntur.

Probatur sextò ex Sancto Hieronymo in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum, in Ignatio. *Cum navigans*, inquit, *Smyrnam venisset, ubi Polycarpus auditor Joannis Episcopus erat, scripsit unam Epistolam ad Ephesios, alteram ad Magnesianos, tertiam ad Trallenses, quartam ad Romanos: & inde egrediens scripsit ad Philadelphios, & ad Smyrnæos, & propriè ad Polycarpum, commendans illi Antiochensem Ecclesiam.* Deinde refert Hieronymus prolixam ex Epistola ad Romanos sententiam, quæ in ea extat quam legimus. Et in Evangelium Sancti Matthæi, de Christi conceptione loquens, ait; *Martyr Ignatius etiam quartam addidit causam, cur à desponsata conceptus sit: Ut partus, inquiens, ejus celaretur Diabolo.* Hujus autem sententiæ sensus extat in Epistola ad Ephesios, his verbis: *Principem hujus sæculi latuit virginitas Mariæ.* Nec obstat quod lib. 3. adversùs Pelagianos eam velut Ignatii sententiam referat, *Elegit Dominus Apostolos, qui super omnes homines peccatores erant.* Quæ tamen non extat in Epistolis Sancti Ignatii. Fatemur enim Sanctum Hieronymum memoriâ lapsum, quod viris interdum maximis & doctissimis contingit, verba Sancti Barnabæ citasse velut Sancti Ignatii: extant namque in Barnabæ Epistola, quam habemus.

Probatur sextò ex Theodoreto, in Dialogo *Immutabilis*, ubi Sancti Ignatii testimonia adversùs hæreticum prolaturus, sic de ipso præfatur: *Ostendam autem tibi celeberrimum Ecclesiæ Doctorem, & illius de divina Incarnatione sententiam, ut cognoscas de suscepta natura quid senserit. Audivisti enim prorsus Ignatium illum, qui de Petri dextera Pontificatus gratiam suscepit, & post administratam Ecclesiam Antiochenam, martyrii coronam adeptus est.* Tum ex Epistolis ejus testimonia subjicit, hoc tenore, *Sancti Ignatii Episcopi Antiocheni, & Martyris: ex Epistola ad Smyrnæos. PLANE cumulatèque persuasos de Domino nostro, qui est ex genere David secundùm carnem, & Filius Dei secundùm divinitatem & potentiam: qui verè natus est ex Virgine, ut omnis ab ipso justitia impleretur, sub Pontio Pilato, & Herode Tetrarcha pro nobis in carne crucifixus.*

*Ejusdem, ex eadem Epistola. QUID autem prodest, si quis me laudet, Dominum autem meum blasphemet, non confitens eum carnem gestare? quod qui non confitetur, planè ipsum negat, ut cadaver circumferentem.*

*Ejusdem ex eadem Epistola. SI ENIM opinione tantùm hæc à Domino nostro gesta sunt, ego quoque opinione vinctus sum. Cur autem & meipsum morti tradidi, ad ignem, ad gladium, ad bestias? Verùm qui vicinus gladio, vicinus Deo, solum in nomine Jesu Christi, ut Passionum ejus socius fiam, omnia sustineo, ipso me corroborante, homine perfecto, quem aliqui ignorantes negant.* Porro hæc tria testimonia à Theodoreto ante annos ferè mille & ducentos excerpta, in eadem Epistola ad Smyrnæos etiamnum legimus. Hæc itaque genuina Ignatii est.

Ibidem hæc subjungit Theodoretus: *Ejusdem ex Epistola ad Ephesios. DEUS noster Jesus Christus in Mariæ utero gestatus est, secundùm Dei dispensationem, ex semine quidem David, sed ex Spiritu-Sancto: qui natus est & baptizatus, ut mortalitas nostra purgaretur.*

*Ejusdem ex eadem Epistola. SI QUIDEM singuli omnes universè in gratiâ nominatim convenitis, in una fide, & in uno Jesu Christo, secundùm carnem ex genere David, filio hominis, & Filio Dei.*

*Ejusdem ex eadem Epistola. UNUS est Medicus carnalis & spiritualis, genitus ex ingenito, in homine Deus, primùm patibilis, & tunc impatibilis, Jesus-Christus Dominus noster.* Porro hæ tres sententiæ in Epistola ad Ephesios adhuc totidem verbis leguntur: ergo genuina est.

Ibidem subjungit Theodoretus. *Ejusdem ex Epistola ad Trallianos. OBTURATE aures vestras quando quispiam vobis loquitur sine Christo, qui est ex genere David, qui ex Maria: qui verè natus est, verè comedit, & bibit, qui sub Pontio Pilato passus est, crucifixus & mortuus, videntibus cœlestibus, terrestribus, & inferis.* Hæc autem in Epistola ad Trallianos ipsis verbis leguntur; Germana igitur est. Alias ex Sancto Ignatio sententias citat Theodoretus, in Dialogo *Inconfusus*, pag. 86. & in Dialogo *Impatibilis*, pag. 154. ex Epistola nimirum ad Smyrnæos, quæ in ea pariter inveniuntur.

Porro cùm Eranistes, qui partes Eutychianorum agebat, hæc testimonia reciperet, argumento est Ignatianas, de quibus agimus, Epistolas, pro veris & indubitatis Martyris Sanctissimi scriptis habitas fuisse illo ævo, tum apud Catholicos, tum apud Hæreticos.

Probatur septimò ex Sancto Ephræmio Patriarcha Antiocheno, lib. de sacris Antiochiæ Legibus, apud Photium, Cod. 229. *Martyr quoque Theophorus Ignatius*, inquit, *ad Smyrnæos scribens, similiter articulo usus est.*

Probatur octavò, ex Gilda Badonico, qui anno 564. floruit: is enim Castigatione Cleri Britanniæ, post initium, hæc habet. *Quis vestrûm ut Sanctus Martyr Ignatius, Antiochiæ urbis Episcopus, qui post admirabiles in Christo actus, ob testimonium ejus, leonum molis confractus est? Cujus verba, cum ad passionem duceretur, audientes, si aliquando vultus vestri rubore suffusi sint, non solum in comparatione ejus vos non putabitis Sacerdotes, sed ne mediocres quidem Christianos esse. Ait enim in Epistola, quam ad Romanam Ecclesiam misit: A Syria usque Romam, cum bestiis terrâ, marique de-*

*depugno*, &c. Quæ totidem verbis leguntur in A Epistola ad Romanos. Quibus recensitis, subjungit: *Christianus non mediocris, sed perfectus; Sacerdos non vilis, sed summus; Martyr non segnis, sed præcipuus, dixit: Nunc incipio esse Christi discipulus.*

Probatur octavò ex Jobio Monacho, qui adversùs Severum scripsit, in Opere de Incarnatione, cujus excerpta nobis tradit Photius in Bibliotheca Cod. 222. *Nam tria*, inquit, *Theophorus Ignatius sæculi hujus principem latuisse commemorat, virginitatem Mariæ, conceptionem Domini, ejusdemque crucifixionem.* Quibus verbis expressit ea, B quæ in Epistola Ignatii ad Ephesios etiamnum legimus.

Probatur nonò ex Antiocho Monacho Palæstino, qui ad Eustathium scripsit circa annum 620. cique Homilias suas dicavit, quarum 124. quæ agit de veneratione Sacerdotibus præstanda, hæc nobis ex Sancto Ignatio exhibet: *Ignatius Theophorus per Epistolam dicit, Episcopo attendite, ut Deus vobis. Anima mea pro iis qui Episcopo, Presbyteris, & Diaconis morem gerunt: cum illis portionem habere mihi in Deo contingat.* Hæc autem extant in Epistola ad Polycarpum. Et rursùs: *Testis* C *mihi in quo vinctus sum, quòd ex carne humana non noverim: Spiritus autem prædicavit hæc dicens: Sine Episcopo nihil facite.* Quæ totidem verbis leguntur in Epistola ad Philadelphios. Alia denique citat ex Epistolis ad Trallianos, & ad Smyrnæos, quæ in iis totidem verbis descripta inveniuntur. His adde Sanctum Maximum Abbatem, & Martyrem, in Scholiis ad Sanctum Dionysium Areopagitam, Sanctum Joannem Damascenum, qui complures ex Sancti Ignatii Epistolis sententias in libros Parallelorum congessit; Sanctum Andream Hierosolymitanum, Cretensium Episcopum, Homilia 2. D in Nativitate Beatæ Virginis; Freculphum Lexoviensem, in Historia; Michaëlem Syncellum, in Encomio Sancti Dionysii Areopagitæ; Simeonem Metaphrastem, in Oratione de Martyrio Sancti Ignatii; Honorium Augustodunensem, libro de Luminaribus Ecclesiæ; Nicetam Choniatem, in Thesauro; Georgium Pachymerem in Scholiis ad Dionysium Areopagitam; Nicephorum Callistum, lib. 3. cap. 19.

Probatur ultimò. Nihil ita probat germanitatem Operis, quàm stylus cui tribuitur, Authoris ætati conveniat, & ingenio: atqui septem Epistolæ ab E Eusebio recensitæ conveniunt ætati & ingenio Ignatii; ergo germanæ sunt.

Probatur Minor. Epistolæ quæ refellunt hæreses ævo Sancti Ignatii Ecclesiam infestantes, quæ nullis nisi Scripturæ testimoniis utuntur, quæ Charismatum Apostolicis temporibus in Ecclesia florentium meminerunt; quæ doctam Apostolici viri simplicitatem, & incredibile martyrii desiderium redolent & exprimunt, conveniunt ingenio & ætati Sancti Ignatii. Atqui laudatæ Epistolæ sunt hujusmodi: ergo ætati & ingenio Sancti Ignatii conveniunt. Hoc argumentum prolixè & F eruditè urget ac exponit Joannes Pearson; quo nemo Ignatianas Epistolas diligentiùs vindicavit ac doctiùs.

Objicitur primò. Si germanæ essent illæ Epistolæ, notæ fuissent Ecclesiasticis Authoribus ante Eusebium, notæ fuissent & Sancto Chrysostomo Antiocheno civi: atqui nec Authoribus Ecclesiasticis, qui Eusebium præcesserunt, nec Sancto Chrysostomo fuerunt cognitæ; ergo non sunt Sancti Ignatii.

*Joannis Dallæi objectionibus adversùs S. Ignatii M. Epistolas responsio.*

Probatur Minor. Fuerunt enim ignotæ Sancto Justino Martyri, Tertulliano, Clementi Alexandrino, & Epiphanio. Nam si nosset eas Tertullianos, non docuisset quod Ignatianæ contrarium est doctrinæ. At id docet, lib. de Exhortatione Castitatis, dicens: *Ubi tres, Ecclesia est, licet Laici.* Non igitur illas novit. Deinde lib. adversùs Valentinianos, Patres Hæresiarcharum contemporales recensens, nequidem nominat Ignatium: quem si novisset Epistolas scripsisse, certè absque laude non prætermisisset. Tertiò, Tertullianus Epistolas Sancti Ignatii contra Marcionem citasset, si eas cognovisset; siquidem nihil, post Scripturæ sacræ authoritatem, luculentius proferri poterat ad probandam carnis Christi veritatem, Sancti Ignatii testimonio. 4. Si ævo Tertulliani Epistolæ Ignatii notæ fuissent, eas objecissent Montanistis Catholici, siquidem Epistola ad Philadelphios veniam docet concedi lapsis, quibus eam negabant Montanistæ: atqui Catholici nusquam Epistolas Ignatii objecerunt, (ut constat ex Tertulliano, qui earum non meminit, cùm omnia diluat argumenta Psychicorum, id est Catholicorum, quos eo nomine per calumniam appellat) ergo Tertulliani ævo ignotæ erant.

Quid de Clemente Alexandrino dicam, qui nec Ignatii meminit, & contra Ignatium apertè sensit? Statuit enim prædicationem Christi uno tantùm anno fuisse conclusam; cùm Ignatius triennem asserat. Quid de Sancto Epiphanio, qui meminisset Epistolarum Ignatii, earumque authoritate Aërium Episcopalis Ordinis hostem infensissimum oppressisset, si vel illas novisset, vel existimasset genuinas?

Quid denique de Sancto Joanne Chrysostomo, qui in egregia Oratione, quam habuit de Martyrio Sancti Ignatii, Epistolas nullas memorat, quæ tamen ad ejus commendationem maximè contulissent?

Respondeo: esto Major. Multa enim extant, vel extabant olim Veterum monumenta, quæ à nemine Authorum Ecclesiasticorum ante Eusebium citata sunt, imò quæ ipsum fugerunt Eusebium.

Nego verò Minorem. Ad probationem respondeo, non sequi quòd Authoribus Ecclesiasticis omnibus ignotæ fuissent Ignatii Epistolæ, etsi quibusdam notæ non fuissent: nec ex eorum silentio aliquid adversùs ipsarum germanitatem colligi posse. Aliis enim ipsorum synchronis cognitas fuisse constat, nimirum Sancto Polycarpo, Sancto Irenæo, Theophilo, Origeni. Sed nego quòd & illis Patribus ignotæ fuerint, scilicet Justino, Tertulliano, Clementi Alexandrino, Epiphanio, Chrysostomo. Unde enim id probabunt adversarii? Num ex eo quòd nusquam illarum meminerint? At id non sequitur. Licèt enim in eorum Operibus, quæ nunc extant, mentio harum Epistolarum nulla facta sit, fieri tamen potest, ut in iis quæ perierunt, qualia fuisse quamplurima notum est, commemoratæ fuerint. Sed etsi nullibi earum meminissent, non sequitur quòd eas penitùs ignoraverint: siquidem necesse non fuit ut omnes Scriptores Ecclesiasticos nominarent, quos noverant, aut eorum Opera citarent.

Ad ea quæ de Tertulliano urgentur, respondeo, ineptam esse consecutionem, qua colligitur ignotas Tertulliano fuisse Ignatii Epistolas, quia ab illis dissensit. Nam eadem ratione probaretur ipsi ignota fuisse Evangelistarum & Apostolorum scripta, quia illis contradixit, in illo libro de Exhortatione Castitatis, ubi secundas nuptias tanquam stupra damnat, jam Montanista factus. Neque etiam hanc ignorationem probat ejus de Ignatio silentium in lib. contra Valentinianos, ubi alios Patres profert. Nam Patres duntaxat recenset, Valentini, &c

& aliorum post ipsum *Hæresiarcharum contemporales*, qui ipsorum impia dogmata, *instructissimis voluminibus & protulerunt, & retuderunt*; Quos in hoc scribendi genere optat assequi. At Ignatius instructissima volumina adversùs Valentinianos sua ætate posteriores, aut alias, quæ hoc ex fonte prodierunt, hæreses, non scripsit. Scripserunt autem illi quos Tertullianus commemorat, scilicet Justinus, qui *contra Marcionem insignia volumina & librum contra omnes hæreses scripsit*, teste Sancto Hieronymo in Catalogo, Miltiades *Ecclesiarum Sophista*, qui eodem Sancto Hieronymo teste, scripsit adversùs Montanum *volumen præcipuum*. Irenæus; cujus instructissimum volumen adversùs Valentinianos extat: & Proculus solo nomine modò notus; Operibus autem suis Tertulliani tempore notissimus.

Nec rursus sequitur ignotas fuisse Tertulliano Epistolas Sancti Ignatii, quia illarum authoritatem adversùs Marcionem non urget. Nam in toto illo Opere ne unum quidem Ecclesiasticum Scriptorem citat, aut aliquam ex eo sententiam describit: sed solis Scripturis, traditione non scripta, & rationibus adversùs illum Hæresiarcham pugnat. Si igitur Ignatii Epistolæ ipsi ignotæ fuisse dicuntur, quia has non citat, & inde colligitur eas esse pseudepigraphas; colligendum pariter est, cetera Ecclesiasticorum Authorum, qui ipsum præcesserunt, monumenta ipsi etiam ignota fuisse, & esse supposititia. Quod nemo sanæ mentis dixerit.

Non denique inde probari possunt ignotæ fuisse Tertulliano, aut illius ævi Christianis Ignatii Epistolæ, quia ipsi, & Montanistis illius symmistis, objectæ non fuerunt, nec ipse earum authoritatem solvere curavit. Verisimile enim est Tertullianum in libro de Pudicitia, non omnia Catholicorum momenta sibi proposuisse, sed ipsum sibi, prout visum est, quædam objecisse, quæ faciliùs solveret. 2. Cùm Tertullianus totam Ecclesiam contemneret, inutile fuisset ipsi opponere testimonia Scriptorum, qui nullam authoritatem habebant, nisi quam Ecclesiæ suffragio fuerant consecuti. Denique testimonia Ignatii non ejus ponderis erant ut Montanistas opprimere possent, cùm nec spectarent quæstionem, quæ ipsos inter & Catholicos agitabatur. Nam totus controversiæ cardo in eo vertebatur, an Christiani in mœchiam lapsi, & ob tantum scelus ab Ecclesia ejecti, per Pœnitentiam in eam recipi deberent. At de mœchis, aut aliorum criminum graviorum reis nihil habet Ignatius, de hæreticis duntaxat, & schismaticis loquitur, quibus Deus hæreseos aut schismatis peccatum condonat, cùm ad unitatem Ecclesiæ, & Concilium Episcopi redeunt. Sic namque scribit in Epistola ad Philadelphos: *Quotquot enim Dei sunt, & Jesu Christi, isti cum eo sunt: & quotquot utique pœnitentes veniunt in unitatem Ecclesiæ, isti Dei erunt*. Et post pauca: *Ubi divisio est & ira, Deus non habitat. Omnibus igitur pœnitentibus dimittit Deus, si pœniteant in unitatem Dei, & Concilium Episcopi*. Hæc autem nihil evincebant adversùs Montanistas, qui fatebantur hæresim, & schisma pœnitentibus hæreticis dimitti, cùm ad Ecclesiam redibant, ut constat ex Tertulliano Montanista, lib. de Pudicitia. *Cui enim dubium est*, inquit, *hæreticum institutione deceptum, postmodùm casu, & pœnitentia expiato, & veniam consequi, & in Ecclesiam redigi?* Non mirum itaque quòd Catholici hæc Ignatii testimonia contra Montanistas non usurparint, quæ appositè contra ipsos proferri non poterant, utpote nihil ad quæstionem spectantia.

Ad Clementem Alexandrinum, respondeo ex ejus silentio colligi non posse Ignatianarum Epistolarum ignorationem; plurima enim ejus Scripta perierunt, scilicet *Hypotyposeon libri octo*, *de Paschate*

A *liber unus*, *Disputatio de Jejunio*, *de Obtrectatione liber unus*, *de Ecclesiastica Regula*, *adversùs eos qui Judæorum errores sequuntur*, *Exhortatio ad patientiam*. Quibus forsan in operibus Ignatianarum Epistolarum meminit. Certè in libro *de Paschate*, ipsum meminisse *Melitonis*, *& Irenæi*, *& aliquot aliorum* è quibus forsan erat Ignatius, Eusebius testatur. Porro in libris qui nunc extant, non mirum quòd Ignatii non meminerit, cùm nullum Scriptorem secundi sæculi nominet, non Polycarpum, non Papiam, Quadratum, Aristidem, Justinum, Melitonem, B Athenagoram, Dionysium, Hippolytum, Hegesippum, Irenæum: quorum tamen lucubrationes ignorasse Clementem nemo existimabit. Hos tantùm in libris Stromatum citat Scriptores Ecclesiasticos, Barnabam, Clementem Romanum, Hermam, Tatianum. Sequitur-ne quòd nullos alios noverit, aut aliorum ad suam usque ætatem Scripta quasi pseudepigrapha spreverit?

Quod autem additur, Clementem Alexandrinum contra Ignatium sensisse, cùm prædicationem Christi unius anni intervallo conclusit, quam ad triennium produxit Ignatius, falsum est. Ignatius enim in genuinis sincerisque Epistolis, nihil C hujusmodi habet, ut jam observavimus in Dissertatione de Baptismo Christi: quæ enim proferuntur ex Epistola ad Trallianos, ab interpolatore assuta sunt, & in Codice Medicæo non inveniuntur, neque in Anglicanis.

Ad Sanctum Epiphanium, respondeo, ipsum plures alios Scriptores Ecclesiasticos in suis adversùs Hæreses libris non laudasse, qui multa ad illius institutum accommodatissima scripserant, scilicet Papiam, Hegesippum, Theophilum, Athenagoram, Pantænum, Agrippam, Caium, Dionysium Corinthium, & Alexandrinum, Miltiadem, Theophilum D Cæsariensem, & alios: quorum tamen Opera ipsi fuisse ignota perperam colligeretur. Ex iis autem quos citat, nullas unquam sententias ad hæreticorum dogmata confutanda adducit: sed illos duntaxat laudat, quatenus ad hæreticorum historiam describendam aliquid conferunt. Non mirum igitur quòd Sancti Ignatii Epistolas adversùs Aërium non protulerit.

Ad Sanctum Chrysostomum, respondeo, ipsi non fuisse ignotas Epistolas Ignatii, siquidem in Oratione de ejus Martyrio, verba quædam ex ejus ad Romanos Epistola citat, quanquam eam Epistolam non E nominet. *Cùm enim audivisset*, inquit, *quòd hic eum supplicii modus maneret: Utinam ego illis bestiis fruar, inquiebat. Tales enim sunt qui amant: quicquid pro iis quos amant patiantur, cum voluptate ferunt*.

Quòd verò Epistolas non nominaverit, ratio in promptu est. Quia de rebus Ignatii præclarè gestis, quæ maximè ad auditores spectarent, eosque ad pietatem movere possent, ea in Oratione agit. Unde prætermittit Epistolas tanquam panegyrico dicendi generi minùs convenientes. Certè Gregorius Thaumaturgus, qui Panegyricum Origeni dixit, F nequidem ejus Opera nominavit. An ideo ipsi fuerunt ignota? Sanctus Augustinus in Sermonibus quos habuit in Natali Sancti Cypriani, ejus Epistolas non memorat. An ideo illas ignoravit? Cur igitur colligunt adversarii Sanctum Chrysostomum Ignatianas Epistolas ignorasse, quia eas non memoravit? maximè cùm in Oratione altera, *Quòd unus Veteris & Novi Testamenti Legislator sit*, citet Epistolam Ignatii ad Polycarpum: *Propterea*, inquit, *quidam ex antiquis, nomine Ignatius, sacerdotio & martyrio clarus, in Epistola ad Sacerdotem quendam dixit: Nihil sine sententia tua fiat; neque tu sine sententia Dei quidquam facias*. Quæ totidem verbis etiamnum leguntur in Epistola ad Polycarpum.

Hanc

Hanc verò Orationem S. Joanni Chrysostomo A frustra nonnulli abjudicant, & immeritò; quàm ut germanum illius Opus Photius agnovit, in Bibliotheca Cod. 277. & ex ea plurima excerpsit, quæ in illa modò etiam legimus. Hanc eandem Orationem Hadrianus I. in Epistola ad Carolum Magnum, sub nomine Sancti Chrysostomi citavit. Eidem testimonium perhibuit Secunda Synodus Nicæna.

Objectio secunda petitur ex Nicephoro Patriarcha Constantinopolitano, in Indice Apocryphorum Novi Testamenti, ubi Scripta Ignatii apocrypha judicat. Anastasius Bibliothecarius eadem habet in Præfatione Historiæ Ecclesiasticæ. B

Respondeo primò, Stichometriam illam, seu librorum Indicem, non esse Nicephori Patriarchæ Constantinopolitani, licèt ejus Chronographiæ adjuncta sit. Neque id asserit, qui eam Latinitate donavit Anastasius. Nono enim sæculo, quo illi floruere, Ecclesia Græca & Romana de tot Scripturæ libris non dubitarunt, quot in dubium eo in Indice revocantur, scilicet de libris Esther, Judith, & Tobiæ. Quanquam etsi Nicephori esset genuinum Opus, illudque Anastasius probasset, non deberent eorum testimonia prævalere adversùs authoritatem veterum Patrum, & Autorum Ecclesiasticorum, qui C totis octo sæculis Ignatianas Epistolas memorarunt, & pro ipsis suffragium dixerunt.

Respondeo secundò, Autorem hujus Indicis non amandare ad apocrypha Epistolas Ignatii, sed *Ignatii* aliquid. Illud autem cur non intelligamus *Ignatii Didascaliam*, librum pseudepigraphum? Certè ita intelligendum esse colligitur ex illo Indice, qui sic habet:

*Quæ Novi* (Testamenti) *sunt apocrypha.*
*Itinerarium Petri, versus* 2800.
*Itinerarium Joannis, versus* 2500.
*Itinerarium Thomæ, versus* 1600.
*Evangelium secundum Thomam, versus* 1300.
*Doctrina Apostolorum, versus* 200.
*Clementis, versus* 2600.
*Ignatii, & Polycarpi.*

D

Certè nemo non videt ibi nomen doctrinæ subintelligendum esse, ut sit sensus, Doctrina Apostolorum, Doctrina Clementis, Doctrina Ignatii, sunt Novi Testamenti apocrypha. Denique quod ibi subauditur, disertè exprimitur in illo Indiculo MS. E quem Anastasii Quæstionibus subjunctum citat Usserius, de Ignatii Epistolis cap. 1. & in Indiculo iisdem Quæstionibus adjuncto in Bibliotheca Regis Christianissimi, quem refert doctissimus Coteletius ad lib. 1. Constitutionum Apostolicarum *Ignatii Doctrina, & Polycarpi Doctrina* inter apocrypha recensentur; ne unum quidem verbum habetur de Ignatii Epistolis.

Respondeo tertiò. Dato quòd Ignatii Epistolæ nominatim apocryphæ dictæ essent ab Authore Stichometriæ, quod tamen falsum est, non sequi quod pseudepigraphæ sint, & Sancto Ignatio suppositæ. Nam apocryphæ tantùm dictæ essent, prout F apocryphum libris Canonicis Novi Testamenti opponitur, ut constat ex illius Indicis titulo, non autem prout opponitur libris Ecclesiasticis. Hoc sensu nomen apocryphi sæpius est à Sanctis Patribus usurpatum, maximè à Sancto Hieronymo Epistola 106. dicente: *Hic Prologus Scripturarum, quasi galeatum principium omnibus libris, quos de Hebræo vertimus in Latinum, convenire potest; ut scire valeamus quicquid extra hos est, inter apocrypha esse ponendum.*

Respondeo quartò, damnatam fortè fuisse in Stichometria Syllogen Epistolæ Polycarpianæ, & Epistolarum Ignatianarum, tam interpolatarum, quam falsarum; non autem genuinas Ignatii Epistolas, & Polycarpi Epistolam in se spectatam. Cùm enim constet septem illas Ignatii Epistolas, ante nonum sæculum, interpolationibus fœdatas, & adjectionibus auctas fuisse; & anterioribus sæculis omnium Catholicorum suffragio receptæ sint: nemo non intelligit, eas ob aliam causam ad apocrypha amandari non potuisse nono sæculo (si tamen amandatæ sunt) nisi ob corruptelas, adjectionesque, quibus fœdatæ erant.

Objicitur tertiò. Illæ Epistolæ non sunt Sancti Ignatii, quæ meminerunt hæreticorum, qui post Ignatii tempora eruperunt: atqui illæ Epistolæ meminerunt hæreticorum, qui post Ignatii tempora eruperunt; ergo non sunt verè Ignatianæ.

Probatur Minor. Epistola ad Trallianos meminit Cleobuli, Theodoti, & Basilidis: sed illi post Ignatii tempora eruperunt; ergo, &c.

Respondeo, nego Minorem prioris syllogismi, & distinguo Majorem posterioris. Epistola ad Trallianos, interpolata meminit Cleobuli, Theodori & Basilidis; concedo: Epistola ad Trallianos genuina & sincera, nego. Verus namque Ignatius neminem hæreticorum nominare voluit, ut ipse testatur in Epistola ad Smyrnæos; *Nomina autem ipsorum*, inquit, *existentia infidelia non visum est mihi inscribere; sed neque fiat mihi ipsorum recordari, usquequò pœniteant.* Non igitur Author, sed Interpolator, Epistolæ ad Trallianos Cleobulum, Theodotum, aut Basilidem nominavit. Unde eorum Hæresiarcharum nomina absunt à Codice Medicæo, & ab Anglicanis. Secundùm veritatem veteris interpretis

Respondeo secundò, falsum esse quòd omnes illi hæretici fuerint S. Ignatio posteriores. Nam Cleobulus, sive Cleobius (unus enim idemque his nominibus appellatur, ut constat ex S. Epiphanio Hæresi 51.) Simonis Magi discipulus fuit: unde Cleobiani cum Dositheanis & Gorthenis, aliisque antiquissimis Hæreticis numerati sunt à Theodoreto lib. 1. Hæreticarum Fabularum t. cap. 1. & lib. 2. cap. 1. & ab Hegesippo apud Eusebium lib. 4. cap. 22.

Nec etiam Basilides posterior fuit Sancto Ignatio, nam eodem fermè tempore vixit, quo Ebion, & Cerinthus, ut constat ex Sancto Epiphanio Hæresi 31. *Valentinus iste*, inquit, *prioribus illis à me antea commemoratis tempore est posterior, Basilide nimirum, Saturnilo, Ebione, Cerintho, eorumque sociis. Siquidem omnes uno tempore ad humani generis exitium profusi sunt: quamquam Cerinthus & Ebion paululum antegressi sunt.*

Idem constat ex Sancto Hieronymo Basilidem inter Hæreticos Apostolicorum temporum numerante in Dialogo adversùs Luciferianos. *Apostolis*, inquit, *adhuc in sæculo superstitibus, apud Judæam Christi sanguine recenti, phantasma Domini corpus asserebatur. Galatas ad observationem Legis traductos Apostolus iterum parturit. Corinthios resurrectionem carnis non credentes, pluribus argumentis ad verum iter trahere conatur. Tunc Simon Magus, & Menander discipulus ejus, Dei se asseruere virtutes. Tunc Basilides summum Deum Abraxas cum trecentis sexaginta quinque Æonibus commentatus est.*

Nec obstat Eusebii authoritas in Chronico ad annum Adriani Imperatoris 17. Christi verò 134. scribentis: *Basilides Hæresiarches in Alexandria Commoratur, à quo Gnostici.* Hæc enim verba exitum Basilidis spectant, potiùs quàm ejus exordia, ut colligitur ex Sancto Hieronymo in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum in Agrippa: *Mortuus est autem Basilides à quo Gnostici, in Alexandria, temporibus Adriani.* Basilides itaque anno 17. Hadriani mortuus est, quo & *Chochebas dux Judaicæ factionis, nolentes sibi Christianos adversùm Romanum*

*Militem*

*Militem ferre subsidium omnimodis cruciatibus necavit*, ut scribit Eusebius, & post ipsum Sanctus Hieronymus. Mortuus igitur est ille Hæresiarcha annis 27. post Sancti Ignatii martyrium. Quidni igitur vivente Ignatio jam suos errores sparserit? Nam constat ex Eusebio lib. 4. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 7. Agrippam Castorem sub Imperio Adriani scripsisse adversùs errores Basilidis & meminisse 24. librorum, quos ille virulento calamo in Evangelium scripserat. Certum est ex Theodoreto, illum Authorem, nedùm adversùs Basilidem, sed etiam adversùs filium ejus, ac discipulum, Isidorum scripsisse. Porro verisimile est eum qui sub Adriano tot libros ediderat, filiumque ac discipulum habebat impiis scriptis jam notum, hæresim suam sub Imperio Trajani disseminasse. Quamvis igitur Basilidis meminisset verus & minimè interpolatus Ignatius, nullum inde argumentum adversùs germanitatem illius Epistolarum erui posset.

Objicitur 4. Qui Valentini hæresiarchæ refellit errores, posterior est Ignatio Martyre: atqui Author Epistolæ ad Magnesianos refellit errores Valentini; ergo Ignatio posterior est, non verus ipse Ignatius.

Probatur Minor. Author ille de Verbo divino loquens, hæc habet: *Unus Deus est, qui seipsum manifestavit per Jesum Christum Filium suum, qui est Verbum ipsius æternum, non à silentio progrediens.* Græcus textus habet: οὐκ ἀπὸ σιγῆς προελθών quæ ita vertenda sunt, *non à Sige exiens*. Atqui his verbis feriit Author Epistolæ fanaticum illum Valentini errorem, quo in suorum Æonum genealogiis asserebat, Verbum à Sige, id est à silentio prodiisse (ut S. Irenæus, Tertullianus, & Sanctus Epiphanius testantur.) Ergo Author Epistolæ ad Magnesianos refellit errores Valentini.

Respondeo primò, nego Minorem. ad cujus probationem nego pariter Minorem: nego (inquam) verba citata Epistolæ ad Magnesianos ad Valentini Sigen referendæ esse. Illa enim verba Valentinum non feriunt, quæ negant id quod nusquam asseruit Valentinus: atqui hæc verba id negant quod nusquam asseruit Valentinus, Valentinum igitur directè non feriunt. Sed enim Hæresiarches ille non asseruit Logon à Sige procedere, sed ex Nu & Aletheia, aut ex Anthropo & Ecclesia, (ut ex genealogia Valentinianorum Æonum constat apud Sanctum Irenæum lib. 1. adversùs Hæreses, Sanctum Epiphanium Hæresi 31. & Tertullianum lib. adversùs Valentinianos) Nam à Bytho & Sige Num emissum parem esse principio suo, ipsumque plenissimè cognoscere fabulabantur; Bythum autem & Sigen alios Æonas progenerare noluisse, ideòque Nun dictum fuisse Monogenem. Ut autem aliorum Æonum perficeretur generatio, Nun etiam patrem factum fuisse. Logon autem, qui ab eo progeneratus est, in deminorationem generari, eò quod ex Bytho & Sige non produsset, ideoque Bythum prorsus ignorare, & Æonem cæcum dici. Hanc responsionem ex Æonum genealogiis à Valentino confictis, & ex monumentis Sanctorum Patrum, qui illius deliria ex professo exposuerunt, fusè probat eruditus Ignatianarum Epistolarum vindex Joannes Pearson parte 2. Vindiciarum cap. 5. ex quibus colligitur, Sanctum Ignatium, cùm negat Verbum æternum à Sige prodiisse, non pugnare adversùs Valentinum, qui idipsum negabat. Quem igitur feriunt? Ebionem, ut ex serie contextus constat: ille enim asserebat Christum esse nudum hominem & ante Mariam non fuisse. Contra quem errorem Ignatius asserit, *Unum Deum esse, qui seipsum manifestavit per Jesum Christum Filium suum, qui est Verbum ipsius æternum.* Ut autem explicet qua ratione æternum est, subjungit veram notionem æterni Verbi, qua a Verbo creato distinguitur. Istud enim silentio succedit, atque in silentium desinit, non verò Verbum æternum, quod semper dicitur (ut Theologi de Schola loquuntur) unde ait Ignatius, *non à silentio proveniens.* Quapropter Valentini Sigen non respexit, aut nomen Σιγῆς usurpavit pro uno ex illius Æonibus, sed simpliciter pro silentio: id exprimens tribus verbis, quod hac postea phrasi elegantiùs expressit Sanctus Augustinus Sermone 1. de Nativitate Domini. *Quanam est*, inquit, *illa generatio, quâ in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum? Vel quod est hoc Verbum, quod dicturus antea non silebat; quo dicto non siluit qui dicebat? Quod est Verbum sine tempore, per quod facta sunt tempora? Verbum quod labia nullius aperuit cœptum, clausitve finitum.*

Addi potest, Sanctum Ignatium hac in Epistola duplicis generis Mysteria Christi distinxisse, alia quidem obscura, in tenebris ac silentio ab eo patrata, ut ipse ait: *Et latuit Principem sæculi hujus virginitas Mariæ, & partus ipsius, & mors Domini, tria Mysteria clamoris, quæ in silentio operata sunt.* Alia verò luminosa, splendoréque suo fulgentia & micantia. Tale est Mysterium generationis ejus æternæ, ab antiquis Patribus & Prophetis agnitum atque prædicatum: de quo David cecinit: *In splendoribus Sanctorum ex utero ante luciferum genui te.* Quidni hæc Prophetæ verba attendens Ignatius scribere potuit, *Verbum æternum non à silentio progrediens?* Id est, è Patris Æterni sinu, non à silentio vel ulla tenebrarum obscuritate & caligine procedens, sed in splendoribus Sanctorum genitum.

Respondeo secundò, dato quòd Valentini errorem verbis citatis refellat Ignatius, & ad Sigen ex illius Æonibus unum collineet; distinguendam esse Minorem. Feriit errorem Valentini, quatenus ab antiquioribus hæreticis prolatus est, concedo; quatenus in Valentini caracterem fuit transformatus, & ab illo assertus, nego. Non enim hæc de genealogiis Æonum deliramenta primùm excogitata sunt à Valentino; sed ex veterum hæreticorum, præsertim Gnosticorum somniis derivata sunt. Veteres enim Gnosticos, Simonis, Menandri & Basilidis discipulos, viam Valentino in erroribus suis, & Æonibus patefecisse, constat ex Sancto Irenæo lib. 1. cap. 5. scribente: *Qui enim est primus, ab ea, quæ dicitur Gnostica hæresis, antiquas in suum caracterem doctrinas transferens Valentinus, sic diffinivit.* Et lib. 2. cap. 18. *Hæc autem quæ diximus de sensus emissione, similiter & adversùs eos, qui à Basilide sunt, aptata sunt: & adversùs reliquos Gnosticos, à quibus & hi initia emissionum accipientes convicti sunt in primo libro.* Idem colligitur ex Tertulliano lib. adversùs Valentinianos cap. 3. & 4. ubi ait: *Cujusdam veteris opinionis semen nactus, Colarbaso viam delineavit.* Et ex Sancto Epiphanio Hæresi 31. & ex Theodoreto, ac cæteris, qui de Hæresibus scripserunt. Certè Simonem Magum Sigen finxisse, quam & Ennoeam appellavit, testis est Eusebius lib. de Ecclesiastica Theologia cap. 9. *Secundum illum impiorum Hæreticorum Principem*, inquit, *qui impia dogmatizans, pronunciavit dicens: Erat Deus, & Sige.*

Denique S. Gregorius Nazianzenus, Oratione 23. Sigen quoque tribuit Simoni, & Cerintho. *Cùm Simones*, inquit, *& Marciones, & Valentini, & Basilidæ, & Cerdones, & Cerinthi etiam & Carpocrates, & omnes eorum nugæ & præstigiæ, posteaquam rerum omnium Deum perdiuturno tempore secuissent, bellumque pro bono adversus Creatorem gessissent, suomet (ut æquum erat) profundo absorpta, ac silentio tradita fuerunt.*

Habetur in Græco textu, *τοῦ ἑαυτοῦ Βυθοῦ, καὶ τῆς Σιγῆς προελθόντες*. Bythus autem & Sige fuerant Æones Valentini. Igitur hæc figmenta hausit à Simonianis Valentinus. Hinc Elias Cretensis ad hunc Sancti Gregorii Nazianzeni locum ita scribit : *Ac Simoniani quidem octonarium numerum ob Æones quos colebant, honore prosequebantur. Nugabantur enim Bythum cum sua Sige congressum, Mentem & Veritatem genuisse*, &c. Cùm itaque Valentinus suorum Æonum emissionumque portenta à veteribus Gnosticis, Simonis, Cerinthi, Basilidisque discipulis hauserit, non sequitur quòd Valentini errorem spectaverit Author Epistolæ ad Magnesios, cùm meminit Sigis ; sed veterum illorum hæreticorum errores, qui genealogias illas ineptissimas commenti Valentino proluserunt. Unde non sequitur Authorem istius Epistolæ posteriorem esse Sancto Ignatio.

Contrà. Nemo hæreticorum, ante Valentinum & Marcionem, docuit alium esse Deum præter Creatorem : sed omnes, qui Bythum & Sigen induxerunt, docuerunt alium esse Deum præter Creatorem ; ergo nemo ante Valentinum & Marcionem, Sigen commentus est ; ergo Author Epistolæ ad Magnesios spectavit Sigen Valentini. Major constat ex Tertulliano lib. 1. adversùs Marcionem cap. 21. & de Præscriptionibus cap. 34.

Respondeo, distinguò Majorem. Nemo docuit alium esse Deum præter Creatorem, apertè & ipsis verbis, concedo, verbis æquivalentibus, nego. Qui enim alium à Deo summo Patrem admisere fabricatorem mundi, alium esse Deum præter Creatorem docuerunt. Sed veteres Gnostici, discipuli Simonis & Basilidis, alium à summo Deo fabricatorem mundi asseruerunt : alium igitur agnovere Deum præter Creatorem. Minor evidens est ex Sancto Irenæo lib. 4. adversùs Hæreses cap. 14. ubi de Deo sic loquitur : *Hic autem est fabricator cœli & terræ, quemadmodum ex sermonibus ejus ostenditur, & non is qui à Marcione, vel à Valentino, aut à Basilide, aut à Carpocrate, aut Simone, aut reliquis falsò cognomine Gnosticis adinventus est falsus Pater*. Eundem errorem Cerinthum & Nicolaïtas, qui à Gnosticis, id est à Simonianis eum hauserant, docuisse testatur idem Sanctus Irenæus lib. 3. cap. 11. *Hanc fidem*, inquit, *annuntians Joannes Domini discipulus, volens per Evangelii annuntiationem auferre eum qui à Corintho inseminatus erat hominibus errorem, & multò priùs ab his qui dicuntur Nicolaitæ, qui sunt vulsio ejus, quæ falsò cognominatur scientia ; ut confunderet eos, & suaderet eos, quoniam unus Deus qui omnia fecit per Verbum suum, & non ( quemadmodum illi dicunt ) alterum quidem fabricatorem, alium autem Patrem Domini*.

Objicitur quintò. Qui loquitur de homine ante Ignatium mortuo, velut adhuc superstite, is non est verus Ignatius : sed Author Epistolæ ad Ephesios meminit Onesimi Episcopi Ephesiorum velut adhuc viventis cùm jam esset mortuus. Erat namque discipulus Sancti Pauli ( ut ex Adone constat in Martyrologio & sub Domitiano obierat, ut testatur Nicephorus ) ergo Ignatius non est Author Epistolæ ad Ephesios.

Probatur Minor Epistolæ verbis : *Plurimùm enim multitudinem vestram in nomine Dei suscepi in Onesimo, qui in charitate inenarrabili est, vester autem in carne Episcopus*.

Respondeo, nego Minorem quoad secundam partem, scilicet quòd jam mortuus esset Onesimus. Neque verò Nicephori authoritas tanti esse debetur Eusebii testimonio anteponatur, de Ignatio nostro dicentis : *Unam quidem Epistolam scripsit ad Ecclesiam Ephesiorum, Onesimi ipsorum Pastoris mentionem faciens*. Cùm igitur Eusebius, qui antiqua Ecclesiæ monumenta tam diligenter scrutatus est, qui tot veterum Episcoporum catalogos tanto studio collegit, ne minimùm quidem de Onesimi morte ante Ignatii martyrium suspicetur, potiùs ipsi quàm Nicephoro credendum est.

Respondeo secundò. Nicephorum, qui Onesimum sub Domitiano Martyrem facit, Episcopum Ephesi illum non dicere : unde nihil obstat quominus de alio Onesimo intelligatur, quàm de Ignatiano. Alterius namque Onesimi Beroeæ Episcopi, Constitutiones Apostolicæ meminerunt. Nec satis constat utrum Ignatianus Onesimus discipulus fuerit Sancti Pauli, cùm nemo id è Scriptoribus Græcis asserat ; solus è Latinis id testetur Ado.

Objicitur sextò. Sancti Ignatii ætate nulli fuerunt hæretici, qui ab Eucharistia abstinerent, eò quòd non confiterentur Eucharistiam esse carnem Salvatoris : sed aliquos hujusmodi extitisse sua ætate asserit Author Epistolæ ad Smyrnæos, cùm ait: *Ab Eucharistia & oblatione abstinent, eò quòd non confiteantur Eucharistiam carnem esse Servatoris nostri Jesu Christi, quæ pro peccatis nostris passa est*. Ergo Author Epistolæ ad Smyrnæos posterior est Ignatio Martyre.

Probatur Major. Si extitissent hujusmodi hæretici, eorum Sanctus Irenæus, vel aliquis alius veterum Scriptorum meminisset : at nec Irenæus nec alii antiqui Scriptores horum hæreticorum meminerunt ; ergo nulli extiterunt.

Respondeo, nego Majorem prioris syllogismi. Docetæ enim, quos describit Ignatius, qui veritatem naturæ humanæ in Christo impugnabant, qui passionem ejus & resurrectionem inficiabantur, consequenter negabant Eucharistiam esse carnem Salvatoris. Nego etiam Minorem posterioris syllogismi. Ait namque Sanctus Irenæus, Menandri discipulos asseruisse, *Non esse credendum in eum qui crucifixus est*. Quorum istud effatum erat ; *Si quis confitetur Crucifixum, adhuc hic servus est*. Porro quomodo Eucharistiam celebrassent illi, qui Christum mortuum non putabant, cùm Eucharistia instituta sit ad recolendam Christi mortui memoriam ? Quomodo Eucharistiam admisissent, quæ est Sacramentum Corporis & Sanguinis Christi, sive verum Corpus & Sanguis Christi sub Sacramento, qui verum Corpus Christum habuisse pernegabant ? Certè Theodoretus tales veri Ignatii ætate extitisse hæreticos agnovit, qui hunc locum ut verè Ignatianum citavit.

Objicitur septimò. Multa in his Epistolis leguntur à Sancti Ignatii veracitate aliena : ergo Sanctus Ignatius non est illarum author.

Probatur antecedens. Incredibile est Ignatio inter milites, quos præ crudelitate Leopardos vocat, aggregatas fuisse Ecclesias, eumque liberam habuisse tot Epistolas scribendi facultatem : atqui Author Epistolæ ad Trallianos, ipsis salutem dicit nomine Ecclesiarum, quæ sibi sunt aggregatæ : ergo in hac Epistola continetur aliquid alienum à veracitate Sancti Ignatii.

Prætereà, Author Epistolæ ad Ephesios pollicetur se secundum libellum ad ipsos missurum : atqui id citra summam imprudentiam pollicitus non fuisset Ignatius inter Leopardorum, id est militaris custodiæ vexationes ; ergo hujus Epistolæ author non est verus Ignatius.

Respondeo ad primum, nego antecedens. Ad ejus probationem, nego etiam Majorem. Licèt enim Ecclesiæ per se non fuerint Ignatio vincto,

&

& Romam pergenti aggregatæ, tamen eidem occurrerunt, eumque comitatæ sunt; ac foverunt per legatos. Neque hoc fidem superat, ut nec incredibile est quòd ita vinctus, custoditus, & vexatus habuerit scribendi libertatem. Certè Fideles olim numeratâ pecuniâ hanc gratiam à militibus & custodibus carcerum mercabantur, ut Confessores liberè alloqui possent, eosque in vinculis recreare & consolari. Hujus moris testis est inter Ethnicos Lucianus in Epistola de Morte Peregrini: * inter Patres verò Tertullianus, & Cyprianus. Ille quidem cap. 1. libri ad Martyres, his verbis: *Inter carnis alimenta, benedicti Martyres designati, quæ vobis & Domina mater Ecclesia, & singuli Fratres de opibus suis propriis in carcerem subministrant, capite aliquid & à nobis, quod faciat ad spiritum quoque educandum.* Sanctus verò Cyprianus Epistolâ 11. *Et credideram quidem Presbyteros & Diaconos, qui illic præsentes sunt, monere vos, & instruere plenissimè circa Evangelii legem, sicut in præteritum semper sub Antecessoribus nostris factum est, ut Diaconi ad carcerem commeantes, Martyrum desideria consiliis suis, & Scripturarum præceptis gubernarent.* Idem testatur Epistolâ 5. *Quantum*, inquit, *ad sumptus suggerendos, sive illis, qui gloriosa voce Deum confessi in carcere sunt constituti, sive iis qui pauperes & indigentes laborant, & tamen in Domino perseverant, peto nihil desit, cum summa omnis, quæ redacta est illic, sit apud Clericos distributa propter hujusmodi casus.* Idem Acta Martyrum, & Historiæ Ecclesiasticæ monumenta ubique restantur. Idem igitur Ignatio in vinculis, & Martyrii jam candidato, Ecclesiæ præstiterunt. Misere scilicet Diaconos, vel Clericos, qui ipsum in itinere foverent, & collatis pecuniis ipsum redimerent à vexationibus militum. Id significant Ignatii verba scribentis ad Romanos de militibus, quos Leopardos vocat: *Qui & beneficiis affecti pejores fiunt.* Quodnam enim istud est erga milites beneficii genus, nisi pecuniæ collatio? Id ex Ecclesiæ Antiochenæ traditione didicerat Sanctus Chrysostomus, qui in Oratione de laudibus Sancti Ignatii hæc habet: *Civitates in itinere concurrentes Athletam animabant, & cum copioso viatico dimittebant, orationibus, & comitatu illi concertantes.* Itaque non mirum quòd milites, Fidelium pecuniis per intervalla mitigati, liberam Ignatio facultatem concesserint alloquendi Legatos Ecclesiarum, & Epistolas non multùm longas exarandi.

* Si tamen ipsius est hæc Epistola.

Respondeo ad secundum, distinguo Minorem. Imprudenter id pollicitus fuisset, si id promisisset absolutè, esto; si sub conditione duntaxat, nego. Porro spopondit Ephesiis Sanctus Ignatius, se secundum libellum seu secundam Epistolam, ad ipsos missurum sub multiplici conditione, si Deus voluerit, & si opus fuerit. Nec verò militum vexatio ipsum prohibere debebat ne istud polliceretur. Qui enim unam jam scripserat Epistolam, ea vexatione non obstante, poterat & aliam polliceri.

Objicitur octavò. Qui discrimen inter vocabula Episcopatus & Presbyteratus observavit, non est verus Ignatius: sed author illarum Epistolarum, discrimen inter vocabula Episcopatus & Presbyteratus observavit; ergo Ignatius non est illarum author.

Minor ex Epistolis perspicua est.

Major probatur. Qui Episcopi & Presbyteri nomina aliter usurpavit quàm Apostoli, non est verus Ignatius: sed qui discrimen inter hæc vocabula observavit, illa usurpavit aliter quàm Apostoli; ergo, &c.

Probatur Minor. Nam Apostoli duo hæc nomina promiscuè, & pro eodem usurparunt.

Respondeo, nego Majorem primi syllogismi, distinguo Majorem posterioris: Nisi jam invaluisset distinctio inter illa nomina, concedo; si jam invaluisset, nego. At Ignatii ætate jam ille invaluerat usus, ut Episcoporum ac Presbyterorum ordines & gradus, qui ex Christi institutione semper distincti fuerant, & communia tamen nomina tempore Apostolorum aliquandiu habuerant, distinctis etiam nominibus significarentur. Id constat ex Epistola Adriani Imperatoris ad Servianum Consulem scripta, ubi hæc habentur. *Illi qui Serapim colunt, Christiani sunt: & devoti sunt Serapi, qui se Christi Episcopos dicunt. Nemo illic Archisynagogus Judæorum, nemo Samarites, nemo Christianorum Presbyter*; &c. Idem constat ex Epistolis Sancti Dionysii Corinthiorum Episcopi, quarum meminit Eusebius l. 4. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 23. In iis enim semper Episcopi nomen usurpat, ut à Presbytero distinctum Ecclesiæ magistratum significat. Idem ex Epistola Ecclesiæ Lugdunensis ad Eleutherum constat, in qua Sanctum Irenæum Presbyterum Ecclesiæ vocat, cùm in alia Epistola ad Asiæ Phrygiæque Ecclesias, Pothinum Episcopum appellasset. Qua de re legatur Eusebius lib. 5. Historiæ cap. 4. Denique ex Sancto Irenæo, ex Tertulliano, & Origene, colligitur nomina Episcopi, & Presbyteri, non fuisse promiscuè usurpata. Sed de his aliàs, cùm Episcopatus Ordinem adversùs Aerium vindicabimus.

Objicitur nonò. Epistolæ, quarum stylus turgidus est, phrases novæ, obscuræ & ineptæ, non sunt Ignatii Martyris, viri Apostolici: atqui illarum Epistolarum stylus turgidus est, phrases novæ, obscuræ & ineptæ; ergo non sunt Ignatii Martyris, viri Apostolici.

Major constat; quia Epistolæ quas Apostolici viri condidere, ipsa antiquitate, stylique simplicitate, ac nitore se produnt.

Probatur Minor. Nam tumorem styli demonstrant longiores necdum inscriptiones ipsarum Epistolarum, sed in ipsis inscriptionibus coacervata, & spumosa epitheta; & nominum compositorum usus. Phrasium verò vel obscuritatem, vel ineptiam, vel novitatem, ostendunt hæc, quæ à viris doctis notatæ sunt. Primò Evangelium vocat *Christi carnem*, in Epistola ad Philadelphios: qui loquendi modus, ut novus est, ita & falsus. Secundò in Epistola ad Trallianos, vocat fidem *carnem Christi, & charitatem, sanguinem ipsius.* Quod æquè novum ac falsum est. Tertiò ait, *Manendum esse in Christo spiritualiter, & carnaliter*: qua locutione quid obscurius? (In Epistola ad Ephesios) 4. Episcopum respectu Presbyterorum æterno Patri frequenter comparat. 5. In Epistola ad Ephesios comparat Spiritum Sanctum funi, & fidem subvectrici. 6. Vincula sua vocat spirituales margaritas, & in iis optat resurgere, quod absurdum est. Magnesianos hortatur, ut sint fermentum, cùm Sanctus Paulus Fideles hortetur ut sint azymi. 8. In Epistola ad Smyrnenses, resurrectionem Christi spiritualem, & carnalem vocat. 9. In Epistola ad Polycarpum, fidem galeæ, charitatem lanceæ, patientiam panopliæ comparavit, cùm Apostolus ad Ephesios 6. fidem scuto comparaverit. 10. Eadem sæpissime repetit, quod nugacis, & minùs accurati Scriptoris vitium est.

Respondeo; concessa Majori quoad cæteras partes, negando illam quod styli, phrasiumque novitatem, imò & tumorem ac elegantiam. Nego, inquam, ex hoc sequi quòd Epistolæ illæ non sint Ignatii Martyris: suus enim cuique stylus est, suaque scribendi ratio. Nec omnium virorum Apostolicorum una lingua fuit, quemadmodum una fides. Præterea, multa sunt verba tum apud Ignatium, cùm apud alios prioris ævi Scriptores, quæ

non potuerunt non esse inusitata, cùm ex Religione Christiana originem sumpserint. Quid mirum porro, quòd res novas novis etiam vocabulis exprimerent, cùm id in Zenone antiquus Scriptor observaverit? *Zeno*, inquit, *plurimis novis verbis usus est, nova enim dicebat.* Quinetiam Evangelistæ nova usurparunt vocabula, ut de voce ἐπιούσιος observavit Origenes in lib. de Oratione. *Primùm igitur sciendum*, inquit, *quod vocabulum ἐπιούσιος apud neminem Græcorum, aut Sapientium nominatum, neque in vulgi sermone communi usitatum est; sed videtur ab Evangelistis confictum esse.* Itaque etsi novis interdum verbis animi sui sensa expresserit Ignatius, novasque phrases usurpaverit, non sequitur esse Pseudo-Ignatium, & Epistolas viro Apostolico esse suppositas.

Respondeo secundò, nego Minorem, quoad cæteras partes: nego, inquam, stylum esse turgidum, phrasesque obscuras, & ineptas.

Ad probationem, respondeo sigillatim ad singula capita. Ad primum, longiorem Epistolarum inscriptionem non prohibere quin Ignatianæ sint; sicut prolixiores Paulinarum inscriptiones, non impediunt quin sint Apostolicæ. Nam Ignatianarum inscriptiones, Paulinarum inscriptionibus longiores non sunt. Neque etiam epithetorum congeries probat Epistolas Ignatii Martyris non esse; multis enim & tumidis epithetis uti Syrorum genti solenne erat. Certè Asiaticorum stylum redundantem esse notavit Cicero, lib. de claris Oratoribus. *Hinc Asiatici Oratores*, inquit, *non contemnendi quidem nec celeritate, nec copia, sed parùm pressi, & nimis redundantes.* Cùm itaque Sanctus Ignatius Asiaticus, vel Syrus esset, non mirum quòd stylus ejus redundans & clarus quodammodo videatur. Nec tandem Epistolas illas pseudepigraphas esse probant voces compositæ; cùm his novum Testamentum frequentissimè utatur, & Clementis Romani prima ad Corinthios Epistola vocibus compositis abundet, ac Græca lingua nominum verborumque compositionibus, omnium evaserit copiosissima & venustissima linguarum.

Ad secundum respondeo, Ignatium non scripsisse Evangelium esse Christi carnem, sed fugiendum esse ad Evangelium tanquam ad carnem Christi: hæc autem longè diversa sunt. Christus dixit se venturum tanquam furem in nocte; nemo tamen rectè diceret Christum esse furem. Ita S. Ignatius non vocat Evangelium carnem Christi, licèt confugiendum esse scribat ad Evangelium ut ad carnem Christi, id est, tanquam ad Christum incarnatum, quia in Evangelio Incarnatio, Vita, Passio, & Resurrectio Christi describuntur. Sic autem habent Ignatii verba: *Confugio ad Evangelium, quasi ad carnem Jesu, & consulo Apostolorum scripta quasi cœtum Ecclesiæ.* Hanc porro comparationem inter Evangelium & carnem Christi, alii post S. Ignatium Patres & Scriptores Ecclesiastici instituerunt (ut notat Usserius) scilicet, Clemens Alexandrinus lib. 3. Pædagogi cap. 6. Origenes in Levitici cap. 10. Homil. 7. & Eusebius lib. 3. Ecclesiasticæ Theologiæ.

Ad tertium respondeo: Ignatium non asserere quòd fides sit caro Christi, sed quòd objectum fidei sit Christi caro, & sanguis ipsius incentivum charitatis. Hic namque verborum ipsius sensus est, quæ sic habent: *Recreate vosmetipsos in fide, quod est caro Domini; & in charitate, quod est sanguis Jesu Christi*, Sed non ait, in fide quæ est caro Domini, & in charitate, quæ est sanguis ipsius. Sensus ergo est iste. *Recreate vos in fide, quam habetis de vera, & non apparente duntaxat carne Domini; & in charitate quam habetis propter verum sanguinem ipsius qui pro vobis effusus est.*

Ad quartum respondeo, hæc Ignatii verba ad Ephesios; *In omni castitate & temperantia manete in Christo Jesu carnaliter & spiritualiter*; nec obscura esse, nec nova. Nihil enim aliud significant, quàm animi corporisque puritatem sectandam esse, ut Christo velut membra capiti uniamur. Quod Sanctus Paulus his verbis expressit 2. ad Corinthios 7. *Mundemus nos ab omni inquinamento carnis & spiritus, perficientes sanctificationem in timore Dei.*

Ad quintum respondeo, non sequi quòd Ignatianæ Epistolæ spuriæ sint, quia frequenter Episcopos respectu Presbyterorum comparat æterno Patri; sicut non sequitur spurias esse Sancti Pauli Epistolas, quia in iis maritus respectu conjugis, & pater respectu filiorum, & dominus respectu servorum, ipsi Deo comparantur. *Mulieres*, inquit, *viris suis subditæ sint sicut Domino: quoniam vir caput est mulieris sicut Christus caput est Ecclesiæ.* Ad Ephesios cap. 5. & cap. 6. *Servi, obedite dominis carnalibus cum timore & tremore, in simplicitate cordis vestri, sicut Christo.*

Ad sextum respondeo, non esse ineptam comparationem Spiritus Sancti cum fune, & fidei cum subvectrice: imò potius elegantissimæ allegoriæ persecutionem convenientem & appositam. Vocat scilicet Ignatius Ephesios *lapides templi*, *relatos in excelsa*, *per crucem* Christi quasi per *machinam* quandam, *Spiritu Sancto* quasi *fune utentes*, fide tanquam *subvectore*. Quid hac allegoria convenientius? Nonne Sancti sunt lapides templi spiritalis? *Et ipsi*, inquit Sanctus Petrus Epistolâ 1. cap. 2. *tanquam lapides vivi superædificamini domus spiritualis.* Nonne Crux Christi lapidibus hujusmodi in excelsa efferendis apta machina est, quam significans Christus ipse Joannis 12. ait: *Ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum?* Nonne Spiritu Dei trahimur ad ipsum, *in funiculis Adam, in vinculis charitatis?* Quid mirum igitur, si Spiritus Sanctus, id est charitas, quæ illius effectus est, funi comparetur, & fides per dilectionem operans subvectrici?

Ad septimum respondeo, Ignatium appositè vocasse vincula sua spirituales margaritas, quam phrasim Authores inter Ecclesiasticos disertissimi usurparunt. Sic Sanctus Cyprianus Epistolâ 77. *Dicatis Deo hominibus*, inquit, *& fidem suam religiosa virtute testantibus, ornamenta sunt ista, non vincula, nec Christianorum pedes ad virtutem copulant, sed clarificant ad coronam.* Sic Sanctus Chrysostomus Oratione in Sanctum Meletium: *Ut quispiam*, inquit, *coronam auream texens, dein margaritas imponens, condensatis lapidibus splendidius diadema efficit.* Sic Victor Vitensis lib. 5. de Persecutione Africana, paulò ante finem. *Eductisque illis de custodia*, inquit, *multitudo populi Dei, bellatores Trinitatis, quasi agnos innocuos ad victimam deducebat: & rigentium pondera catenarum quasi quædam monilia pervidebat; quia non fuerunt illa vincula, sed ornamenta.*

Spiritales autem margaritas vincula sua vocavit Ignatius, non quòd spiritalia essent, sed quòd spiritalem æternamque vitam promitterent: sicut Sanctus Cyprianus in Epistola ad Seagrium, carcerem martyrum *Beatum* appellavit, quia beatitudinem ipsis procurabat.

Nec denique absurdum est, quòd *in vinculis* optat resurgere Sanctus Ignatius. Nihil enim aliud ista verba significant, quàm resurgere ut Christi Martyrem. Hæc autem verba virum Apostolicum, desiderio sustinendæ pro Christo mortis æstuantem, & martyrii certissimum præmium expectantem maximè decebant. Hoc Ignatii votum assecutus est Sanctus Babylas Antiochenus & ipse Episcopus (teste Sancto Chrysostomo Oratione de ipsius laudibus habita.) Siquidem mandavit ut vincula secum sepelirentur, ut ostenderet ea sibi esse pignora resurrectionis & immortalitatis.

Ad

Ad octavum respondeo ; Sanctum Ignatium, cùm Magnesios adhortatur ut sint fermentum, non pugnare cum Apostolo Fideles adhortante ut sint azymi. Non enim jubet ut sint fermentum vetus, & malitiæ, sed fermentum novum & sanctitatis, quod est Christus, ut scilicet quemadmodum fermentum totam massam elevat, ac veluti vivificat : ita evehantur & vivificentur per Christum. Certè fermentum bono in sensu accipi, ostendunt verba Christi regnum cœlorum fermento comparantis Matth. 13. & Sanctus Paulus, cùm fermenti veteris meminit, satis indicat esse & novum fermentum. Denique Sanctus Augustinus lib. 3. de Doctrina Christiana cap. 25. ait : *Nam & in vituperatione fermentum posuit Dominus, cùm diceret ; Cavete à fermento Pharisæorum ; & in laude, cùm diceret ; Simile est regnum cœlorum mulieri, quæ abscondit fermentum*, &c.

Ad nonum respondeo, comparationem à Sancto Paulo institutam fidei cum scuto, non impedire quin sit apposita ejusdem cum galea comparatio à Sancto Ignatio usurpata. Eadem namque res diversis rebus apposité comparari potest.

Ad decimum respondeo, resurrectionem Christi spiritalem & carnalem recto sensu ab Ignatio vocari. Erit ipse sui interpres, cùm initio ejusdem Epistolæ ad Smyrnæos, ait Christum post resurrectionem cum Apostolis comedisse, & bibisse, *tanquam carnalem, quamvis spiritualiter Patri copulatus esset*. Itaque resurgere carnaliter, est cum vera carne resurgere. Spiritualiter resurgere, est resurgere cum carne spirituali, & in divinam qualitatem, salva ejus integritate, mutata. Quo sensu de Christo post resurrectionem dicebat Sanctus Paulus : *Etsi cognovimus secundum carnem Christum, jam nunc non novimus*.

Ad ultimum respondeo ; nugacis non esse Scriptoris eadem repetere, ut magis ipsa inculcet iis ad quos scribit. Alioqui nugax esset Apostolus ad Philippenses scribens eadem sæpius repetita : *Eadem vobis scribere*, inquit, *me quidem non piget, vobis autem tutum est*. cap. 3. Hinc & Sanctus Athanasius lib. de Incarnatione Verbi Dei : *Ne mireris*, inquit, *si sæpius eadem de iisdem dicimus*. Et ibidem : *Melius est*, inquit, *tautologiæ crimen sustinere, quàm aliquid eorum prætermittere, quæ scribi debuerant*.

Præterea, cùm has Epistolas scripserit Sanctus Ignatius inter milites, unam spirans martyrii coronam ; non mirum quòd eas perpolire, ac variare non potuerit.

Objicitur decimò. In illis Epistolis extant nonnulla ab Ignatii veracitate aliena : ergo sunt pseudepigraphæ.

Probatur antecedens. Primò, quia scribit ad Ephesios : *Paulus in omni Epistola memor est vestri*. At falsum est quòd Paulus in omnibus Epistolis meminerit Ephesiorum. 2. Quia in Epistola ad Smyrnæos scribit Christum manducasse, & bibisse cum Apostolis, cùm ex Evangelio & ex Actis, tantùm constet ipsum cum illis comedisse, non verò bibisse.

Respondeo, nego antecedens. Ad ejus probationem, respondeo sensum Ignatianorum verborum non esse, quòd Sanctus Paulus Ephesiorum meminerit in omnibus Epistolis, sed *in tota Epistola*, quam ad ipsos scribit. Nec aliud Græca significant, ἐν πάσῃ ἐπιστολῇ. Id autem ad Ephesiorum commendationem signanter notavit Ignatius. Nam cùm Sanctus Paulus in aliis Epistolis eos ad quos scribit, frequenter increpet, aut parcè admodum laudet, vel de rebus ad fidem pertinentibus latiùs disputet, in hac Ephesios honorificè tractat, velut egregios Christianos, Evangelio salutis firmiter credentes, & spiritu promissionis obsignatos, concives Sanctorum, & domesticos Dei, sæpe pro ipsis orat, obtestatur, laudat, *ut perfectis solidum præbet cibum*, inquit Origenes Homil. 15. Eam ob causam scripsit ad ipsos Ignatius : *Paulus omni Epistola memor est vestri*.

Respondeo ad secundam partem probationis, colligi ex Actuum 10. cap. Christum cum Discipulis non tantùm comedisse, verum etiam bibisse. *Nobis*, inquit Sanctus Petrus, *qui manducavimus & bibimus cum illo, postquam resurrexit à mortuis*. Id ex Scripturis collegerunt Sancti Patres. Augustinus Epistolâ 49. *Christus*, inquit, *post resurrectionem, propter dubitantes, cibum ac potum sumere voluit, non semel, sed sæpius, ne illud non corpus, sed spiritum esse arbitrarentur, & sibi non solidè, sed imaginaliter apparere*. Et Sanctus Hieronymus lib. adversùs errores Joannis Hierosolymitani, hæc habet de Christo : *Comedit post resurrectionem suam, & bibit, & vestitus apparuit, tangendum se præbuit ut dubitantibus Apostolis fidem faceret resurrectionis*. Denique Theodoretus Dialogo 2. ex supra laudatis Sancti Petri verbis colligit, *Dominum carnis resurrectionem per cibum & potum demonstrasse*.

Objicitur undecimò. Epistolæ in quibus extant errores contra fidem, non sunt Ignatii Martyris : atqui in Epistola ad Smyrnæos continetur error evidens circa fidem ; ergo &c.

Probatur Minor. Asserere Christum esse *Filium Dei secundum voluntatem & potentiam Dei*, est error evidens circa fidem : atqui Ignatius id asserit in Epistola ad Smyrnæos, ergo in illa continetur error evidens circa fidem.

Respondeo, nego Minorem ; ad ejus probationem, distinguo Majorem : Si intelligatur esse ex voluntate Patris ; priore, & antecedente, & ex potentia Dei quatenus est creaturarum principium, concedo ; si intelligatur esse ex voluntate Patris concomitante, & ex potentia Dei, prout idem est ac naturæ fœcunditas, quæ nullum extra Deum terminum habet, nego. Hoc enim posteriore sensu multi Patres Filium Dei ex voluntate, & potentia Patris esse dixerunt, ut Deum, & summa naturæ & intellectus fœcunditate generari innuerent, nec Patre nolente, vel invito.

Distinguo etiam Minorem. Ignatius id asserit, & loquitur de Incarnatione Filii Dei, concedo ; & loquitur de æterna illius generatione, nego. Sic enim habet Ignatius ( ut vertit antiquus Interpres ) *Verè existentem de genere David secundum carnem, Filium Dei secundum voluntatem & potentiam Dei genitum verè ex Virgine*. Quasi respexerit verba Archangeli Incarnationem nunciantis : *Spiritus Sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi : ideoque & quod nascetur ex te, sanctum vocabitur Filius Dei*. Incarnationem autem, per voluntatem & potentiam Dei factam esse, nemo negat.

Objicitur duodecimò. Epistolæ in quibus aliqua continentur à Sancti Ignatii virtutibus aliena, non sunt Sancti Ignatii : sed in illis Epistolis aliqua continentur à Sancti Ignatii virtutibus aliena ; ergo non sunt genuinæ Martyris Epistolæ.

Probatur Minor. Alienum est à virtute Martyris, prohibere ne quis vel suis apud Deum precibus, vel apud homines officiis intercedat, quò eâ pœnâ, ad quam damnatus est, liberetur : atqui id prohibet illarum Epistolarum Author ad Romanos scribens ; ergo in ea Epistola continetur aliquid à Sancti Ignatii virtutibus alienum.

Secundò, indignum est Ignatio, quod idem scribit, se bestias ad mortem suam accelerandam provocaturum. *Utinam*, inquit, *fruar bestiis mihi pa-*

*paratis; quas & opto veloces mihi inveniri: quas & blanditiis demulcebo, ut citius me devorent, non ut quosdam verita non attigerunt. Sed etsi ipsa volentem nolint, ego vi adigam.* Quæ voces desperabundum potius sæculi mancipium, quàm Christi Martyrem decent.

Respondeo, nego Minorem. Ad cujus probationem, nego antecedens. Enimverò si Christus ad mortem crucis festinans, Petro dicenti; *Absit hoc à te Domine*, dixit; *Vade post me Satana!* cur alienum credatur ab Ignatii virtute, Romanos monere ne martyrium suum impediant? Si SanctusPaulus discipulos eum ab Hierosolymitano itinere deterrentes objurgavit, dicens: *Quid facitis flentes & affligentes cor meum? Ego enim non solum alligari, sed & mori in Hierusalem paratus sum propter nomen Domini Jesu.* Si discipuli huic dicto acquieverunt, dicentes; *Domini voluntas fiat*, cur indignum censeatur Ignatii virtute Romanos monere ne mortem ejus pro Christo impedire satagant? imò quidni Martyris invicta fortitudine dignissimum habeatur martyrii desiderio flagrare, quo nihil Sanctis antiquius? Hujus desiderii innumera in Viris Sanctis exempla, Ecclesiastica suppeditat Antiquitas. Celerinus Confessor ad Lucianum item Confessorem, inter EpistolasSancti Cypriani 21. scribit: *Peto ut sim dignus & ego coronari cum numero vestro..... O te felicem! suscipe tua vota, quæ semper desiderasti, vel in terra dormiens: optasti pro nomine illius in carcerem mitti, quod nunc tibi contingit, sicut scriptum est; Det tibi Deus secundùm cor tuum.* Sanctus Basilius, testibus Socrate & Theodoreto, dixit Modesto Præfecto, qui mortem minabatur: *Utinam te non mutares, minasque exequerere!* Ita nobiles illi Confessores apud Eusebium lib. 5. cap. 2. *Profusis lacrymis obsecrabant Fratres, ut continua ad Deum preces fierent, quo tandem ipsi perficerentur.* Idem constat ex Severo Sulpitio lib. 2. Historiæ Sacræ, agente de persecutione Diocletiani: *Quippe*, inquit, *certatim gloriosa in certamina ruebatur, multoque avidiùs tum martyria gloriosis mortibus quærebantur, quàm nunc Episcopatus pravis ambitionibus appetuntur.* Idem constat ex SanctoHieronymo, in Vita Sancti Pauli Eremitæ, dicente, *Voti tunc Christianis erat pro Christi nomine gladio percuti. Verùm hostis callidus, tarda ad mortem supplicia conquirens, animas cupiebat jugulare, non corpora: & ut ipse qui ab eo passus est Cyprianus ait, Volentibus mori, non permittebatur occidi.*

Ad secundam partem probationis, nego indignam esse Martyre provocationem bestiarum ad accelerationem mortis. Nam similia exempla, eaque innumera in Ecclesiasticis Monumentis occurrunt. In Smyrnensis Ecclesiæ vetustissima Epistola commendatur SanctusGermanicus proChristi nomine ad bestias damnatus, quem *cum Proconsul flectere vellet, diceretque se ætatis ejus misereri, attraxit sibi bestiam, vi eam adigens, & stimulans.* Sanctus Cyprianus *moram carnificis urgere tentabat*, inquit Pontius Diaconus in ejus Vita. Nec mirum, cùm Martyrium velut rem in primis optandam commendasset lib. de Laude Martyrii: *Amplectenda res est*, inquit, *& optanda, & omnibus postulationum nostrarum precibus expetenda, ut qui servi Dei sumus, simus & amici.* Agapius ursæ, quæ adversùs ipsum dimissa fuerat, concito cursu obviam accurrit, seque ipsum bestiæ devorandum libentissimè obtulit (ut testatur Eusebius lib. 8. Hist. Eccles. cap. 16.) Sanctus Vincentius, teste Prudentio,

*Sese ad munera*
*Gradu citato proripit,*
*Ipsosque pernix gaudio*
*Pœna ministros prævenit,*
*Æger morarum tædio,*
*Et mortis incensus siti.*

Denique fervens Martyrii desiderium virtutem Christianorum esse testatur Tertullianus lib. ad Scapulam cap. 4. ubi illum sic alloquitur: *Vide tantùm ne hoc ipso quòd talia sustinemus, ad hoc solùm videamur erumpere, ut hoc ipsum probemus, nos hæc non timere, sed ultrò vocare. Arrius Antoninus in Asia, cùm persequeretur instanter, omnes illius civitatis Christiani ante tribunalia se manu facta obtulerunt: cùm ille paucis duci jussis, reliqui, ait* ὦ δειλοὶ, εἰ θέλετε ἀποθνήσκειν, κρημνοὺς ἢ βρόχους ἔχετε. *Hoc si placuerit & hîc fieri, quid facies de tantis millibus hominum, tot viris & fœminis, omnis sexus & dignitatis, offerentibus se tibi?* Eant nunc, & Martyrii desiderium vehementissimum, Ignatio indignum objectent recentiores Gnostici, & abjudicandas ipsi Epistolas, quia scripsit se feras adacturum ut eum citius devorarent, ineptè argutentur.

id est. O miseri: si mori cupitis, laqueos & præcipitia habetis.

Objicitur decimo-tertiò. Sanctus Ignatius ad Polycarpum non scripsisset his verbis: *Episcopo attendite, ut & Deus vobis. Collaborate vobis mutuò, unà certate, currite, compatimini, unà dormite, unà exsurgite, ut Dei dispensatores, & assessores, & ministri.* Ergo Epistola ad Polycarpum Ignatio afficta est, vel saltem interpolata.

Respondeo, nego antecedens. Cùm enim Epistola ad Smyrnæ Episcopum directa, Smyrnensibus, ex more Ecclesiæ, legenda esset, ideò Sanctus Ignatius inseruit præcepta Christianam plebem spectantia: qua in re imitatus est Sanctum Paulum qui in Epistola 1. ad Timotheum multa præcipit omnibus Reipublicæ Christianæ ordinibus.





# PANOPLIA
## ADVERSÛS HÆRESES
## PRIMI SÆCULI,
## EX DOCTRINA SANCTORUM PATRUM,

qui ipsas datâ operâ impugnarunt.

A

### DISSERTATIO XXIV.

Contra Simonem Magum.

### ARTICULUS PRIMUS.

*Quo refellitur error Simonis Magi de Angelis Mundi conditoribus.*



HUNC profligat errorem Sanctus Irenæus lib. 2. adversùs Hæreses cap. 1. & 2. invictis- B sima ratione; quòd scilicet Angeli mundum creassent præter sententiam supremi omnium Patris, id est Dei; vel ex ejus sententia & imperio. Si primom asseratur, sequitur Deum impotentem esse, improvidum aut negligentem: si secundum admittatur, consequens est non in Angelos ipsos, sed in Deum, mundi creationem esse refundendam, sicut actio instrumenti, causæ principi adscribitur, quæ illud præparat & movet ad operationem. *Qui autem ab Angelis mundum dicunt fabricatum*, inquit Sanctus Irenæus, C *vel ab alio quodam mundi fabricatore, præter sententiam ejus, qui super omnia Pater est, primò quidem ex hoc ipso peccant, præter voluntatem primi Dei talem & tantam conditionem Angelos fecisse dicentes, quasi efficaciores sint Angeli, quàm Deus; aut rursus, quasi ille negligens sit, aut minor existens, aut nullam curam habens eorum, quæ in propriis ipsius fiant, utrumnam malè an bene fiant, ut illud quidem dissipet, & prohibeat, alterum autem laudet & gaudeat: hoc autem ne homini quidem solerti applicet quis, quantò magis Deo?*

*Pòst deinde dicant nobis, utrumnam in his quæ ab il-* D *lo continentur, & in propriis ejus fabricata sunt hæc, an in alienis, & extra eum positis? Sed si quidem dicant extra eum, similiter omnia prædicta inconvenientia occurrent eis, & includetur primus Deus ab eo qui extra eum est, in quo & desinere eum necesse erit.*

*Si autem in illius* (ditione) *valde vanum erit, præter sententiam ejus, aut in ejus propriis, ab Angelis & ipsis qui sunt potestatis ejus, aut ab alio quodam dicere fabricatum esse mundum: aut quasi non omnia respiciat ipse, quæ sint in suis; aut non sciat quæ ab Angelis futura sunt.* Cap. 2.

*Si autem non præter voluntatem ejus, sed volente & sciente; jam non Angeli causa erunt fabricationis istius, sed voluntas Dei. Si enim Angelos ipse fecit, aut etiam causa creationis eorum ipse fuit; & mundum ipsum videbitur fecisse, qui causas fabricationis ejus præparavit: licet per longam successionem deorsum Angelos dicant factos, vel mundi fabricatorem à primo Patre; nihilominus id quod est causa eorum quæ facta sunt, in eum qui prolator fuit talis successionis, recurret. Quemadmodum in Regem correctio belli refertur, qui præparavit ea quæ sunt causa victoriæ: & conditio hujus civitatis, aut hujus operis, in eum qui præparavit causas ad perfectionem eorum quæ deorsum facta sunt: Quapropter non jam securim dicimus incidere ligna, vel serram secare: vel hominem concidere & secare rectissime quis dicat eum, qui ipsam securim & serram ad hoc fecit, & multò priùs armamenta omnia per quæ fabricata sunt securis & serra. Sic igitur justè secundùm illorum rationem, Pater omnium dicitur fabricator hujus mundi, & non Angeli, neque alius quis mundi fabricator, præter illum qui fuit prolator, & priùs causa factionis hujusmodi præparationis existens.*

Verùm nequidem admittit Sanctus Iræneus, Deum Angelis, velut instrumentis ad mundi creationem usum esse; quia non est similis hominibus inopibus, qui multis organis ad suorum productionem operum indigent; sed solo verbo omnia condidit. *Verbo*, inquit, *condidit omnia, neque Angelis indigens adjutoribus ad ea quæ fiunt, neque virtute aliqua valde inferiori ab illo, & ignorante Patre .... Sed ipse in semetipso, secundum id quod est inenarrabile & inexcogitabile nobis, omnia prædestinans fecit, quemadmodum voluit; omnibus consonantiam, & ordinem suum, & initium creationis donans; spiritalibus quidem spiritalem & invisibilem, & supercælestibus cælestem, & Ange-*

*dicam, & animalibus animalem: omnibus aptam qualitatis substantiam. Omnia autem quæ facta sunt, infatigabili Verbo fecit. Proprium est enim hoc Dei supereminentiæ, non indigere aliis organis ad conditionem eorum, quæ fiant; & idoneum est, & sufficiens ad formationem omnium proprium ejus Verbum, quemadmodum & Joannes Domini discipulus ait de eo: Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. In omnibus autem est & hic qui secundùm nos est mundus. Et hic ergo à Verbo ejus factus est: sicut Scriptura Geneseos dicit, omnia quæ sunt secundùm nos, fecisse Deum per Verbum suum. Similiter autem & David exequitur: Quoniam ipse dixit, & facta sunt; ipse mandavit, & creata sunt.*

II. Eundem Simonis Magi errorem sic refellit Sanctus Epiphanius, Hæresi 22. *Nonne*, inquit, *etiam convictu facilis prudenti cuilibet occultè proseminatus ille error fuerit, cùm Scriptura teste, In* Genes. 1. *principio creaverit Deus cœlum & terram? Quibus consentaneum est, quòd Dominus in Evangelio Deum* Luc. 10. *Patrem alloquens dicit: Pater Domine cœli, ac terra. Quod si cœli, terræque conditor est Deus Pater Domini nostri Jesu Christi, frustra omnia à sycophanta Simone jactantur; mundum scilicet ab Angelis cum defectu fabricatum.* Lege eundem, Hæresi 22. ubi mox expositam Sancti Irenæi rationem adversùs Saturninum ejusdem erroris patronum urget.

III. Eundem errorem Theodoretus impugnat, lib. 5. Hæreticarum Fabularum cap. 4. Ubi probat *Universorum Deum, cum Unigenito, & Sanc-* Psalm. 32. *tissimo Spiritu omnia condidisse: Verbo enim Domini cœli firmati sunt, & Spiritu oris ejus omnis virtus eorum;* addit, ante hunc, scilicet *Davidem, magnum Moysem certiùs nos docere, quòd ipse fecit cœlum & terram cum aliis elementis*, &c. *His congruentia omnes etiam Prophetæ nos docent. Et Isaias quidem clamat*, (cap. 42.) *Creans cœlos, & extendens eos: firmans terram, & quæ germinant ex ea: dans flatum populo qui est super terram, & spiritum calcantibus eam .... Quin etiam Deus ipse per illum dicit*, (cap. 44.) *Extendi cœlum solus. Verùm propheticis mihi vocibus non est opus. Ante Legem enim & Prophetas natura homines hoc docuit: & Melchisedech ille antiquus, Abraham benedicens, sic dixit*, (Genes. 14.) *Benedictus Abraham Deo excelso, qui creavit cœlum & terram .... Generosus quoque Job, qui ante legem latam virtute insignis fuit, verum Deum creatorem agnovit: Qui extendit*, inquit, *cœlos, solus, qui graditur super mare, tanquam super solum.* Job. 9.

Id probat 2. Theodoretus ex Novo Testamento. *Audiamus ergo*, inquit, *divinum Joannem, Omnia per Verbum facta esse dicentem; Sine ipso, inquit, factum est nihil. Audiamus & divinum Paulum clamantem, In ipso condita sunt universa, visibilia & invisibilia ... In Areopago autem concionatus dixit*, (Actuum 17.) *Deus qui fecit mundum, & omnia quæ in eo sunt, hic cœli & terræ cum sit Dominus, non in manufactis templis habitat, nec manibus humanis colitur indigens aliquo, cùm ipse det omnibus vitam, & inspirationem, & omnia: fecitque ex uno sanguine omne genus hominum inhabitare super universam faciem terræ.*

IV. Eundem errorem impugnat Sanctus Augustinus lib. 12. de Civitate Dei, cap. 24. *Angeli autem*, inquit, *etiamsi adhibent vel jussi, vel permissi operationem suam rebus, quæ gignuntur in mundo; tamen tam non eos dicimus creatores animalium, quàm nec agricolas frugum atque arborum.*

Et cap. 25. *Cùm enim alia sit species quæ adhibetur extrinsecùs cuicunque materiæ corporali, sicut operantur homines figuli, & fabri, atque id genus opifices, qui etiam pingunt, & affingunt formas similes corporibus animalium: alia verò quæ intrinsecùs efficientes causas habet de secreto & occulto naturæ viventis, atque intelligentis arbitrio, quæ non solùm naturales corporum species, verùm etiam ipsas animantium animas, dum non fiat, facit, supradicta illa species artificibus quibusque tribuatur: hæc autem altera nonnisi uni artifici creatori & conditori Deo, qui mundum ipsum & Angelos, sine ullo mundo & sine ullis Angelis, fecit.*

*Proinde facti primitus Angeli, cujusmodi ministerium præbuerint Creatori cætera facienti, nescio: nec tribuere illis audeo, quod fortè non possunt: nec debeo derogare, quod possunt. Creationem tamen conditionemque omnium naturarum, quâ fit ut omnino naturæ sint, eis quoque faventibus, illi Deo tribuo, cui se etiam ipsi debere quicquid sunt, cum gratiarum actione noverunt.*

*Qualibet igitur corporales, vel seminales causæ gignendis rebus adhibeantur operationibus Angelorum, aut hominum .... Ipsas omnino naturas non facit nisi summus Deus. Cujus occulta potentia cuncta penetrans, incommutabili præsentia facit esse, quicquid aliquo modo est, in quantumcunque est: quia nisi faciente illo, non tale, vel tale esset, sed prorsus esse non posset. Quapropter si in illa specie, quam forinsecùs corporalibus opifices rebus imponunt, urbem Romam, & urbem Alexandriam non fabros & architectos, sed Reges, quorum voluntate, consilio & imperio fabricatæ sunt: illam Romulum, illam Alexandrum habuisse dicimus conditores: quantò potiùs nonnisi Deum debemus conditorem dicere naturarum: qui neque ex materia facit aliquid, quam ipse non fecerit: nec operarios habet, nisi quos ipse creaverit: & si potentiam suam, ut ita dicam, fabricatoriam rebus subtraheret, ita non erunt, sicut ante quàm fierent, non fuerunt. Sed ante dico, æternitate, non tempore. Quis enim alius creator est temporum, nisi qui fecit ea quorum motibus currerent tempora?*

## ARTICULUS II.

*Quo refellitur error Simonis Magi, de Animarum in alia corpora Transmigratione.*

I. ADVERSUS hunc errorem disputat Sanctus Iræneus lib. 2. contra Hæreses, cap. 58. hoc æquè splendido, ac luculento argumento, quòd animæ meminissent eorum quæ aliis in corporibus gessissent. Neque verò corporis consortium id prohibere posse, siquidem soporato corpore, anima quæcunque apud se videt, cum eodem expergefacto communicat, eorumque reminiscitur homo à somno excitatus. *De corpore autem in corpus*, inquit, *transmigrationem ipsorum subvertamus ex eo, quòd nihil omnino eorum, quæ ante fuerint, meminerint animæ. Si enim ob hoc emittebantur, uti in omni fierent operatione: oportebat eos meminisse eorum quæ ante facta sunt, uti ea quæ deerant, adimplerent: & non circa eadem semper volutantes continuatim miserabiliter laborarent. Non enim poterat corporis admixtio in totum universum ipsorum quæ ante habita erant, extinguere memoriam & contemplationem. & maximè ad hoc venientes. Quomodo enim nunc soporato, & requiescente corpore, quæcunque anima ipsa apud se videt, & in phantasmate agit, & horum plura reminiscens communicat cum corpore; & est quando & post plurimùm temporis, quæcunque per somnium quis videt, vigilans annunciat: sic utique se reminisceretur, & illorum, quæ antequam in hoc corpus veniret, egit. Si enim hoc quod in brevissimo tem-*

pore

*pore visum est, vel in phantasmate conceptum est, & ab ea sola per somnium, postquam commixta sit corpori & universum membrum dispersa, commemoratur: multomagis illorum reminisceretur, in quibus temporibus tantis, & universa praterita vita secula immorata est.*

II. Metempsychosis fabulam explodit Tertullianus lib. de Anima cap. 28. *Quis ille nunc vetus sermo*, inquit, *apud memoriam Platonis de animarum reciproco discursu, quod hinc abeuntes eant illuc, & rursus huc veniant, & vivant, & dehinc è vita abeant: rursus ex mortuis effici vivos? Pythagoricus, ut volunt, quia & divinus, ut Albinus existimat, aut Mercurii forsitan Ægyptii. Sed nullus sermo divinus, nisi Dei unius, quo Propheta, quo Apostoli, quo ipse Christus insonuit. Multò antiquior Moyses etiam Saturno, nongentis circiter annis, nedum pronepotibus ejus; certè divinior multò qui decursus generis humani, ab exordio mundi quoque, per singulas nativitates nomina temporaque digessit, satis probans divinitatem operis, ex divinatione vocis*, &c.

Et cap. 34. Platonicam Metempsychosim erroris argumentum Hæreticis subministrasse ait, ut Simoni Mago. Cap. 35. probat Carpocratem inde quoque suam hæresim instruxisse.

Præclaræ sunt, quas cap. 33. urget rationes contra istud Platonicæ Philosophiæ somnium; transmigrationem scilicet crudelium animarum in ferarum corpora, non tam pœnam, quàm mercedem fore: quia anima homicidæ in alicujus pecudis corpus macello destinatum detrusa, *Funus inter cocos pretiosissimos inveniet, exequias convivium patietur, & à coæqualibus devorabitur; potiùs quàm à milvis & lupis, ut in hominis corpore tumulata, & in suum genus regressa, resurrexisse videatur, exultans adversus humana judicia, si ea experta est*, &c.

Urget etiam à contrario Tertullianus, quòd transmigratio illa bonis supplicium erit potiùs quàm præmium. *Perinde*, inquit, *qui integrè moratè commendaverint judici vitam, quare pramia; sed potius invenio supplicia. Nimirum magna merces bonis in animalia quæcumque restitui. Pavum se meminit Homerus Ennio somniante. Sed Poëtis nec vigilantibus credam. Etsi pulcherrimus pavus, & quo velit colore cultissimus; sed tacens penna, sed displicet vox: & Poëta nihil aliud quàm cantare malunt. Damnatus est igitur Homerus in pavum, non honoratus. Plus de sæculi remuneratione gaudebis, pater habens liberalium disciplinarum, ut malis fama sua ornamenta, quàm caudæ. Age nunc, ut Poëta in pavos, vel cygnos transeant, si vel cygnis decora vox est: quod animal indues viro justo Æaco? Quam bestiam integra fœmina Didoni? quam volucrem patientia? quam pecudem sanctimonia? quem piscem innocentia sortientur? Omnia famula sunt hominis, omnia subjecta, omnia mancipata. Si quid horum futurus est, deminoratur.*

III. Verùm hæc Platonicam potius, & Pythagoricam Metempsychosim petunt, quàm Simonianam, quæ animarum in belluina corpora transmigrationem non asserebat; sed in humana, & ejusdem sexus. Unde adversùs hunc errorem fortior est Sancti Augustini ratio lib. 10. de Civitate Dei cap. 30. *Revera*, inquit, *credere stultum est, ex illa vita, qua beatissima esse non poterit, nisi de sua fuerit æternitate certissima, desiderare animas corporum corruptibilium labem, & inde ad ista remeare, tanquam hoc agat summa purgatio, ut inquinatio requiratur. Si enim quod perfectè mundantur, hoc efficit ut omnium obliviscantur malorum, malorum autem oblivio facit corporum desiderium, ubi rursus implicentur malis: profectò erit infelicitatis causa* A *summa felicitas; & stultitia causa, perfectio sapientia. & immunditia causa, summa mundities. Nec veritate ibi beata erit anima quandiucunque erit, ubi oportet fallatur, ut beata sit. Non enim beata erit, nisi secura. Ut autem secura sit, falso putabit semper se beatam fore, quoniam aliquando erit & misera. Cui ergo gaudendi causa falsitas erit, quomodo de veritate gaudebit?*

Objectio fieri potest ex Scriptura sacra in gratiam Simonis Magi: Christus Matth. 17. innuit Eliam in Joannem Præcursorem transmigrasse his verbis: *Dico autem vobis, quia Elias jam venit, & non* B *cognoverunt, sed fecerunt in eo quæcunque voluerunt. Sic & Filius hominis passurus est ab eis. Tunc intellexerunt Discipuli, quia de Joanne Baptista dixisset eis.* Ergo transmigratio animarum non est explodenda.

Respondeo, Joannem Baptistam non fuisse Eliam persona, sed spiritu, imitatione virtutum, non transmigratione animæ. Sic enim Angelus Zachariæ pollicitus est Lucæ 1. *Ipse præcedet ante illum in spiritu & virtute Eliæ.* Nec verò Eliæ missio sub sæculi finem Metempsychosi patrocinatur. *Sed enim Metempsychosis revocatio est animæ jampridem morte functa, & in aliud corpus iterata. Elias autem* C *tem non ex decessione vita, sed ex translatione venturus est, nec corpori restituendus, de quo non est exemptus: sed mundo reddendus, de quo est translatus; non ex postliminio vitæ, sed ex supplemento prophetiæ; idem & ipse, & sui nominis, & sui hominis* (inquit Tertullianus.)

## DISSERTATIO XXV.

### Adversùs Saturnini Hæresim.

### D ARTICULUS UNICUS.

*Quo refellitur ejus error de duobus hominum generibus, aliis naturâ bonis, aliis naturâ malis.*

I. HUnc errorem Sanctus Irenæus profligat lib. 4. adversùs Hæreses cap. 72. hac ratione, quòd nec mali vituperium ac supplicium, nec boni laudem & præmium mererentur, si bonitatem isti, malitiam illi à natura haberent. 2. Quòd Prophetarum adhortationes & consilia; E imò Christi Servatoris præcepta, promissa, minæ, increpationes, inanes & irrisoriæ essent, nisi homo vitare malum, bonumque persequi & amplecti pro sua libertate posset. *Si autem*, inquit Sanctus Irenæus, *naturaliter quidam boni, quidam verò mali facti fuissent: neque hi laudabiles essent, quia boni sunt, tales enim facti fuerant: sed neque illi vituperabiles, & ipsi enim tales fuerant instituti. Sed quoniam omnes ejusdem sunt naturæ & potentes retinere & operari bonum, & potentes rursum amittere id & non facere: justè, etiam apud homines sensatos: quantò magis apud Deum, alii quidem laudantur, & dignum percipiunt testimonium electionis bonæ, & perseverantiæ: alii verò accusantur, & dignum percipiunt damnum, eò quod justum & bonum reprobaverint. Et ideo Prophetæ quidem hortabantur homines justitiam agere, bonum quoque operari; quia in nobis sit hoc, & propter multam negligentiam in oblivionem inciderimus, & consilio egeamus bono; propter quod & bonus præstabit bonum consilium per Prophetas.*

3. Subjungit Sanctus Irenæus multa Christi in Evangelio oracula, quibus homines ad bonum hortatur, & à malo deterret, atque quòd *Hæc liberum, & suæ potestatis ostendunt hominem, & quia consilio*

*astruat Deus, adhortans nos ad subjectionem sibi, & avertens ab incredulitate, non tamen de violentia cogens. Etenim ipsum Evangelium si nolueris quis sequi, licet quidem, non tamen expedit. Inobedientia enim Dei, & amissio boni est quidem in hominis potestate. læsionem autem, & damnum: non quamlibet infert. Et propter hoc Paulus ait: Omnia licent, sed non omnia expediunt, & libertatem referens hominis, quapropter & omnia licent, non cogente eum Deo: & id non expedit, ostendens ut non ad velamen malitia abutamur libertate.*

Et postquam sancta Apostoli monita subjunxit, ita colligit: *Si igitur non in nobis esset facere hæc, aut non facere, quam causam habebat Apostolus, & multò priùs ipse Dominus, consilium dare, quædam quidem facere, à quibusdam vero abstinere? Sed quoniam libera sententia ab initio est homo, & libera sententia est Deus, cujus ad similitudinem factus est, semper consilium datur ei, continere bonum, quod perficitur ex ea, quæ est ad Deum, obedientia.*

Et cap. præcedenti, scilicet 71. Hominis libertatem probat; quo ex principio sequitur ipsum non esse naturâ bonum, aut malum, sed facultatis ad utrumque indifferentis. Sic autem habet: *Aliud autem, quod ait: Quoties volui congregare filios tuos, & noluisti? veterem legem libertatis hominis manifestavit, quia liberum eum Deus fecit ab initio, habentem suam potestatem, sicut & suam animam, ad utendum sententia Dei voluntariè, & non coactum à Deo.*

III. Eodem principio utitur Theodoretus Sermone 5. de Natura hominis. *Medicus autem animarum*, inquit, *eorum qui curationem percipere nolunt, voluntatem non cogit. Nam cùm sui juris ac potestatis rationalem naturam crearit, hortamentis quidem ac legibus à deterioribus deterret, & ad meliora provocat: sed nolentem non cogit, ut ad meliora perveniat, ne constitutos vitæ fines immutet. Hinc & per Prophetas exclamat: Si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis.* (Isai. 1.) *Rursusque alibi: Venite filii, audite me, timorem Domini docebo vos*, &c. (Psalm. 23.) *Deinde verò ab iis avertens, quæ mala sunt, qu*[illegible] *sit agendum ostendit: Siste linguam tuam à malo, & labia tua ne loquantur dolum*, &c. *Manifesta autem obsequentibus facit laborum quoque præmia. Oculi Domini super justos*, &c. *Quia verò timor illis maximè congruit, qui erudiuntur, convenienter desides minando perterret: vultus autem Domini super facientes mala*, &c. *Qui verò per Prophetam sic homines adhortatus est, idem in sacris Evangeliis, non alio utens ministro, sed ipse in carne loquens, quam assumpsit, dicebat: Si quis sitit, veniat ad me, & bibat*, &c. *Plurima id genus alia & in Evangeliis, & in Apostolorum scriptis invenire est, quæ humanæ naturæ liberum arbitrium apertè demonstrant.*

Et infra: cùm egregiam præmisisset Platonis sententiam de animæ in suos affectus & perturbationes imperio, sic colligit: *His itaque verbis ostendit, nos malam naturam sortitos homines non esse, neque necessitate, aut violentiâ cogi ad peccandum. Nec Parcarum filis agi: nec Astrorum congressu ad agendum compelli: sed esse animæ cum se ipsa certamen, vincendique habere facultatem, si inclinare ad virtutem velit. Trahere quidem ad se cupiditatem; trahere & iram ex adverso: utrum autem pareat, necne, liberam esse rationi potestatem: quippe quæ ad aurigæ partes constituta est, ut agat ipsa, non ut agatur & trahatur.* Quibus certè nihil luculentius ad probandum liberum arbitrium dici potest, & consequenter ad demonstrandum, hominum alios naturâ bonos, alios naturâ malos non esse, ut commentus est Saturninus. Porro de libero arbitrio aliàs uberiùs disseremus contra Hæreticos, qui illud directè impugnarunt.

IV. Objicitur in gratiam Saturnini. Qui naturâ sunt filii iræ, sunt naturâ mali; quia Deus non irascitur nisi malis: sed homines sunt naturâ filii iræ, ex Apostolo ad Ephesios 2. *Et eramus natura filii iræ, sicut & cæteri.* Ergo hominum genus naturâ malum est.

Respondeo primò, his verbis non juvari Saturnini errorem, quia hæc verba duplicem hominum ordinem non innuunt, quorum alter ad bonitatem, alter ad malitiam sit à naturâ comparatus, (ut ille pertendebat) sed unum duntaxat hominum genus, qui naturâ sint omnes filii iræ.

Respondeo secundò, esse naturâ iræ filios, id est nativitate, concedo; id est essentia, vel proprietate quadam, nego. Vel aliter distinguo. Si natura spectetur, qualis per generationem propagatur, à primo Parente vitiata, concedo; si spectetur qualis est à Deo primitùs condita, nego. Hinc Sanctus Augustinus Sermone 14. de Verbis Apostoli, hanc illius sententiam exponens, ait: *Non accusamus naturam. Naturæ author Deus est. A Deo bona est instituta natura: sed per malam voluntatem à serpente vitiata est: ideo quod fuit in Adam culpa, non natura, nobis propagatis factum est jam natura. Ab hoc vitio naturæ, cum quo nascitur homo, non liberat, nisi qui natus est sine vitio.* Cùm itaque vitium illud quo dicimur naturâ filii iræ, à Christo expungatur, non est naturæ insitum velut pars, vel propria affectio, sed ipsi succrescens origine, delendum regeneratione. Et lib. 1. Retractationum cap. 10. expendens quod dixerat lib. 2. de Genesi contra Manichæos cap. 29. *Nullum esse malum naturale*, ait, *Hoc dictum ad naturam talem referri, qualis sine vitio primitùs condita est: Ipsa enim verè ac propriè natura hominis dicitur. Translato autem verbo utimur, ut dicamus naturam etiam quali nascitur homo, secundum quam locutionem dixit Apostolus: Fuimus enim & nos aliquando naturâ filii iræ.*

Alii hoc verbum, *naturâ*, idem esse volunt, quod *verè*, & *reipsa* (ut Theophylactus & Oecumenius) Alii loco illius vocis, *naturâ*, *prorsùs*, sive *omnino* transtulerunt, teste Sancto Hieronymo in Commentariis ad hunc Apostoli locum.

V. Objicitur secundò: Qui sunt filii diaboli, sunt naturâ mali. Sed quidam homines sunt filii diaboli: unde Christus ait Joannis 8. *Vos ex Patre diabolo estis.* Ergo quidam sunt naturâ mali.

Respondeo distinguo Majorem. Si sint filii diaboli generatione concedo: si duntaxat imitatione, nego. Porrò impii homines filii diaboli sunt imitatione solùm, non origine. Non sunt igitur naturâ mali. Hæc distinctio petitur ex Sancto Augustino Sermone 14. de Verbis Apostoli cap. 15. *Si primum peccatorem requiris*, inquit, *diabolum vide. Sed humani generis massam volens ostendere Apostolus de origine venenatam, ideò eum posuit unde nati sumus, non eum quem imitati sumus. Dicitur quidem & pater tuus, quem fueris imitatus. Filii mei*, inquit, *quos iterùm parturio. Qui ibidem dicit: Imitatores mei estote. Et propter istam imitationem dicitur impiis, Vos à patre diabolo estis. Nam constat in Catholica Fide, quòd diabolus nec generavit nostram naturam, nec condidit: sola in illo seductio est præcedentis, imitatio consequentis.*

VI. Objicitur tertiò. Qui peccatum nolentes faciunt, & in quibus habitat peccatum, sunt naturâ mali: sed est aliquod hominum genus, qui peccatum nolentes faciunt, & in quibus illud habitat; ergo sunt naturâ mali.

Probatur Minor ex Apostolo, ad Romanos 7. *Si autem quod nolo, hoc facio*, inquit, *jam non ego operor illud, sed id quòd habitat in me peccatum.*

Respondeo, nego Minorem, & explico locum Apostoli. Et Apostolus nomine peccati intelligit

id

id quod peccato factum est, id est concupiscentiam, quæ est pœna peccati, concedo. Et intelligit peccatum propriè dictum nego. Doctrina est Sancti Augustini, lib. 1. Retractationum cap. 10. *Sed hoc peccatum*, inquit, *de quo sic est locutus Apostolus, ideo peccatum vocatur, quia peccato factum est, & pœna peccati est; quandoquidem hoc de concupiscentia carnis dicitur, quod aperit in consequentibus dicens; Scio quia non habitat in me, hoc est in carne mea bonum: velle enim adjacet mihi, perficere autem bonum, non. Perfectio quippe boni est, ut nec ipsa concupiscentia peccati sit in homine, cui quidem, quando bene vivitur, non consentit voluntas; verumtamen non perficit bonum, quia inest adhuc concupiscentia, cui repugnat voluntas, cujus concupiscentiæ reatus in baptismate solvitur, sed infirmitas manet, cui donec sanetur, omnis Fidelis qui bene proficit, studiosissimè reluctat. Peccatum autem quod nusquam est nisi in voluntate, illud præcipue intelligendum est, quod justa damnatio consecuta est. Hoc enim per unum hominem introivit in mundum: quanquam & hoc peccatum quo consentitur peccati concupiscentiæ, nonnisi voluntate committitur.*

VII. Objicitur quartò: Longè melius esset hominibus, longèque essent fortunatiores, si vi quadam & necessitate ad bonum traherentur: saltem hominum genus fortunatum, suam ut bonitatem commendaret: ergo sunt aliqui homines naturæ impetu ad bonum rapti, sive naturâ boni.

Respondeo, nego Majorem. Rationem negati haurimus ex Sancto Irenæo lib. 4. adversùs Hæreses cap. 72. quia si homines naturæ necessitate raperentur in bonum, *Nec suave esset eis quod est bonum, neque pretiosa communicatio Dei, neque magnopere appetendum bonum, quod sine suo proprio motu, & cura, & studio provenisset, sed ultrò & otiosè insitum. Ita ut essent nullius momenti boni, eò quòd naturâ magis quàm voluntate, tales extiterint, & ultroneum haberent bonum, sed non secundùm electionem. Et propter hoc, nec hoc ipsum intelligentes, quoniam pulchrum sit quod bonum, neque fruentes eo. Quæ enim fruitio boni apud eos qui ignorant? quæ autem gloria his qui non studuerint illud? quæ autem corona his qui non eam ut victores in certamine consecuti sunt? Et propter hoc* Matth. 11. *Dominus violentum dixit regnum cælorum: & qui vim faciunt*, inquit, *diripiunt illud. Propter hoc* 1. Cor. 9. *autem & Paulus ait ad Corinthios: Non scitis, quoniam hi qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium? Sic currite, ut comprehendatis, &c. Bonus igitur agonista ad incorruptelam agonem adhortatur nos, uti coronemur; & pretiosam arbitremur coronam, videlicet quæ per agonem nobis acquiritur, sed non ultro coalitam. Et quantò per agonem nobis advenit, tantò est pretiosior; quantò autem pretiosior, tantò eam semper diligamus. Sed neque similiter diliguntur ea, quæ ultro adveniunt, quàm illa quæ cum multa sollicitudine adinveniuntur. Quoniam igitur pro nobis erat plus diligere Deum, cum agone hoc nobis adinvenire, & Dominus docuit, & Apostolus tradidit. Et aliàs autem esset nostrum insensatum bonum, quod esset inexercitatum. Sed & videre non tantùm nobis esset desiderabile, nisi cognovissemus quantum esset malum non videre. Et bene valere autem malè valentis experientia honorabilius facit, & lucem tenebrarum comparatio, & vitam mortis. Sic & cæleste regnum honorabilius est his qui cognoverunt terrenum, quantò autem honorabilius, tantò magis diligimus illud; et si plus illud dilexerimus, clariores erimus apud Deum.*

VIII. Contra. Meliùs fuisset homini, si peccare non potuisset: Ergo melius fuisset illi, si naturæ necessitate raptus esset in bonum.

Respondeo, distinguo antecedens. Nisi Deus ex hac peccandi facultate bonum hominis eliceret, concedo; si eliceret, nego. Porrò hac peccandi potestate fit ut homo sibi magis attendat, seque in casto Dei amore cautiùs conservet atque diligentiùs: &, si in peccatum cadat, inde erudiatur, disponente Deo. Præterea quamvis melius fuisset homini si felicem habuisset peccandi impotentiam, re absolutè & in se spectata, non tamen fuisset melius in ordine ad gloriam Dei, & perfectionum divinarum commendationem. Utramque responsionem debemus Sancto Irænæo, loco mox laudato. *Pro nobis igitur omnia hæc sustinuit Dominus*, inquit, *uti per omnia eruditi in omnibus, in futurum simus cauti; & perseveremus in omni ejus dilectione, rationabiliter edocti diligere Deum: Deo quidem magnanimitatem præstante in apostasia hominis, homine autem erudito per eam, quemadmodum & Propheta ait: Emendabis te abscessio tua, præfiniente Deo omnia ad hominis perfectionem, & ad ædificationem & manifestationem dispositionum, uti & bonitas ostendatur, & justitia perficiatur, & Ecclesia ad figuram imaginis Filii ejus coaptetur, & tandem aliquando maturus fiat homo, in tantis maturescens ad videndum & capiendum Deum.*

# DISSERTATIO XXVI.

## Adversùs Basilidem.

### ARTICULUS I.

*Quo refellitur error Basilidis de naturâ humanâ, & carne à Filio Dei specie tenus suscepta.*

I. Hic Basilidis error, qui ipsi cum Saturnino & Simone Mago communis fuit, refellitur primò ex variis Scripturæ sacræ locis: scilicet ex Joannis primo, *Verbum caro factum est*. Ex ejusdem Joannis Epistola 1. c. 4. ubi dicitur: *In hoc cognoscitur spiritus Dei; omnis spiritus, qui confitetur Jesum Christum in carne venisse, ex Deo est. Et omnis spiritus, qui solvit Jesum, ex Deo non est.* Et ex Sancto Paulo Epistolæ ad Romanos cap. 1. ubi de Filio Dei loquens, ait: *Qui factus est ei ex semine David secundùm carnem.*

Præterea, quoties Christus homo vocatur, toties carni verè ab eo susceptæ testimonium perhibetur. Etenim homo non est, sed larva hominis, qui parte substantiva hominis caret, nempe corpore. Sed Christus Joannis 8. se hominem vocat: *Quæritis me interficere*, inquit, *hominem qui veritatem locutus sum vobis.* Itaque ex vera carne compositus est.

Id confirmant quæ Christus ipse de sua Passione dixit, evincuntque illum revera passum, non Simonem. *Ecce*, inquit Matth. 20. *ascendimus Hierosolymam, & Filius hominis tradetur, & occidetur, & tertia die resurget.* Et Zebedæi filiis ait: *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* Quò etiam pertinent verba Sancti Petri Epist. 1. c. 3. *Mortificatus carne, vivificatus autem spiritu.* Et Sancti Pauli ad Philippenses 2. *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis*, &c. Quod Moyses diu antè prænuntians dicebat (Deuteron. 28.) *Et erit vita tua quasi pendens ante te.* Pro quo legit Sanctus Epiphanius: *Videbitis vitam vestram, coram*

*vobis è ligno suspensum. Vita porro nostra non Cyrenaus Simon, sed ille est ipse, qui pro nobis ideo passus est, ut nos passionibus nostris exsolveret; quique ideo mortuus carne; mors ipsa mortis esse voluit, ejus ut stimulum frangeret*, inquit Sanctus Epiphanius Hæresi 24.

Id denique Christus probavit Discipulis post resurrectionem, aspectabilem se præbens, & vulnerum cicatrices eis ostendens: *Videte* (inquit Lucæ ultimo) *manus meas, & pedes, quia ego ipse sum: palpate, & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere.* Idem probavit, manducando cum Apostolis, *Ut per veritatem comestionis, veritas patesceret carnis* (inquit Sanctus Gregorius.)

II. Idem Basilidis error refellitur ex Sancto Ignatio Martyre, in Epistola genuina ad Trallianos. *Obturate igitur aures vestras*, inquit, *cùm vobis quispiam loquitur sine Jesu Christo, qui ex genere Davidis, qui ex Maria, qui verè natus est, edit, & bibit, verè persecutionem passus est sub Pontio Pilato, verè crucifixus & mortuus est, videntibus cœlestibus, terrestribus, subterraneis; qui & verè resurrexit à mortuis, resuscitante ipsum Patre ipsius.*

Et in Epistola genuina ad Smyrnenses. *Cognovi enim*, inquit, *vos perfectos in fide immota: ut affixos cruci Domini nostri Jesu Christi, & carne, & spiritu, & firmatos in charitate, in sanguine Christi, plenè persuasos in Dominum nostrum: verè existentem de genere Davidis secundùm carnem: Filium Dei, secundùm voluntatem & potentiam Dei: natum verè ex Virgine: baptizatum à Joanne, ut impleretur omnis justitia: verè sub Pontio Pilato, & & Herode Tetrarcha clavis confixum pro nobis in carne .... Post resurrectionem autem cum illis* (Apostolis) *comedit, & bibit, ut carnalis, quamvis spiritualiter unitus Patri ..... Si enim opinione solâ hæc à Domino nostro sunt peracta: & ego opinione solum vinctus sum. Quid verò & me ipsum morti deditiitium tradidi, ad ignem, ad gladium, ad bestias? Verùm qui prope gladium, prope Deum est; qui cum bestiis, cum Deo est. Tantùm in nomine Jesu Christi, ut simul cum illo patiar, omnia sustineo; ipso roborante me, qui perfectus homo factus est.*

III. Idem error ex Sancto Irænæo refellitur lib. 5. adversùs Hæreses cap. 1. hac ratione. Si Christus specie tenùs homo fuisset, nullum esset inter ejus incarnationem & apparitiones veteribus Patriarchis & Prophetis factas discrimen. Unde sequeretur quòd sicut illi prophetice videbant id quod futurum erat; ita apparitio Christi in Incarnatione prænuntia esset adventûs ejus revera in carne futuri, quem expectare deberemus. En Irenæi verba: *Vani enim sunt, qui putativè dicunt eum apparuisse: non enim putativè hæc, sed in substantia veritatis fiebant. Si autem, cùm homo non esset, apparebat homo, neque quod vere erat perseveravit, hoc est Dei spiritus (quoniam invisibilis est spiritus) neque veritas quædam erat in eo: non enim illud erat quod videbatur. Prædiximus autem quoniam Abraham & reliqui Prophetæ prophetice videbant eum, id quod futurum erat per visionem prophetantes. Si igitur & nunc talis apparuit, non existens quod videbatur, quædam prophetica visio facta est hominibus, & oportet alium expectare adventum ejus, in quo talis erit, qualis nunc visus est prophetice. Ostendimus autem quoniam idem est putativè dicere eum visum, & nihil ex Maria accepisse. Neque enim esset verè sanguinem & carnem habens, per quam nos redemit, nisi antiquam plasmationem Adæ in semetipsum recapitulasset.* Hunc Irenæi locum citat Theodoretus, in Dialogo, *Inconfusus*.

IV. Aliâ ratione hunc errorem Sanctus Irenæus refellit. Nihil constantiùs asseritur in Scriptura sacra, quàm Christum corpus suum pro nobis crucifigendum tradidisse, & sanguinem suum pro nobis fudisse, & nos suo sanguine redemisse à servitute dæmonis. At nemo dixerit pretium pro nobis specie tenus esse solutum, & nos putativè duntaxat redemptos. Igitur verum corpus, veram carnem, verum sanguinem Christus habuit, & verè pro nobis passus est, & mortuus. *Suo igitur sanguine redimente nos Domino, & dante animam suam pro nostra anima, & carnem suam pro nostris carnibus, & effundente Spiritum Patris in adunationem, & communionem Dei, & hominum, ad homines quidem deponente Deum per spiritum, ad Deum autem, rursus imponente hominem per suam incarnationem, & firmè, & verè in adventu suo donante nobis incorruptelam, per communionem quæ est ad Deum: perierunt omnes Hæreticorum doctrinæ*, inquit Sanctus Irenæus ibidem.

V. Tertia ratio Sancti Irenæi hæc est: necesse erat ut Christus nos doceret; quia discere non poteramus, quæ Dei sunt, nisi ab ejus Verbo. Porro discere ab ipso non poteramus, nisi illum videremus. Non enim verbis tantùm, sed etiam exemplis eramus edocendi. Ipsum autem non vidissent homines, neque ejus exemplis fuissent instituti, nisi verus esset homo, & veram carnem assumpsisset. Audire præstat Sanctum Irenæum, ibidem. *Non enim*, inquit, *aliter nos discere poteramus, quæ sunt Dei, nisi Magister noster, Verbum existens, homo factus fuisset. Neque enim alius poterat enarrare nobis, quæ sunt Patris, nisi proprium ipsius Verbum. Quis enim alius cognovit sensum Domini? aut quis alius ejus consiliarius factus est? Neque rursùs nos aliter discere poteramus, nisi Magistrum nostrum videntes, & per auditum nostrum vocem ejus percipientes, uti imitatores quidem operum, factores autem operum ejus facti, communionem habeamus cum ipso; à perfecto, & eo qui est ante omnem conditionem, augmentum accipientes.*

VI. Refellitur idem error rationibus Tertulliani contra Marcionem, qui illum renovavit duntaxat. Unde Tertullianus de hoc errore scribit lib. 3. contra Marcionem: *Ista sententia alios habet authores, præcoces & abortivos quodammodò Marcionitas, quos Apostolus Joannes Antichristos pronuntiavit, negantes Christum in carne venisse.*

Prima ratio Tertulliani lib. 3. contra Marcionem cap. 8. hæc est: Si Christus putativè homo dicatur, eadem ratione putativè duntaxat Deus asseretur. Non enim evidentiùs Scriptura sacra Deum testatur, quàm hominem. *Cur enim*, inquit, *non etiam Dei phantasma portaverit? An credam ei de interiore substantia, qui sit de exteriore frustratus? Quomodo verax habebitur in occulto, tam fallax repertus in aperto?*

Secunda ratio. Si caro Christi vera non fuit, sed phantastica, inania erunt quæcunque à Christo per carnem gesta sunt; inanis & imaginaria passio ejus & mors; inanis consequenter resurrectio. Porro si Christus non resurrexit, neque nos resurrecturi sumus. *Jam nunc*, inquit; *cùm mendacium deprehenditur Christi caro, sequitur ut omnia, quæ per carnem Christi gesta sunt, mendacio gesta sint; congressus, contactus, convictus: ipsæ quoque virtutes. Si enim tangendo aliquem liberavit à vitio, vel tactus ab aliquo: quod corporaliter actum, non potest verè actum credi, sine corporis ipsius veritate. Nihil solidum ab inani, nihil plenum à vacuo perfici licuit. Putativus habitus, putativus actus: imaginarius operator, imaginaria opera. Sic nec passiones Christi ejus fidem merebuntur. Nihil enim passus est, qui non verè est passus. Verè autem*

pati

*pati phantasma non potuit. Eversum est igitur totum Dei opus. Totum Christiani nominis & pondus, & fructus mors Christi negatur.. .. Negatâ verò morte, dum caro negatur, nec de resurrectione constabit, ... Proinde resurrectione Christi infirmatâ, etiam nostra subversa est.*

Tertia ratio. Qui natus est secundùm carnem, non est phantasma carnis, sed verâ ex carne compositus: atqui Christus natus est secundùm carnem; ergo, &c.

Probatur Minor. Si Christus non esset verè natus ex muliere, hoc esset, vel quia nativitas carnis esset Deo impossibilis, vel quia esset inconveniens. Primum dici non potest, quia nihil Deo est impossibile, nisi quod non vult. Non est autem verisimile quod Deus noluerit nasci. Nam si noluisset nasci, nec voluisset homo videri: quia cum hominem qui videbant, inpromptu erat ut natum crederent: & si nasci noluisset, nec voluisset existimari natus; quia noluisset credi quod verè non erat. Non potest etiam dici quòd nativitas esset Deo indigna; quia hominen amavit, cùm ipsum redemerit. Porrò amare non potuit hominem, nisi amaret nativitatem, sine qua non est homo. Si amavit nativitatem: ergo Deo non est indigna. Ita ratiocinatur Tertullianus lib. 2. de Carne Christi cap. 3. & 4. *Necesse est*, inquit, *quatenus hoc putas arbitrio tuo licuisse, ut aut impossibilem, aut inconvenientem Deo existimaveris nativitatem. Sed Deo nihil impossibile, nisi quod non vult. An ergo noluerit nasci, quia si voluit, & potuit, & natus est, consideremus. Si nasci se Deus noluisset, quacunque de causa, nec hominem se videri præstitisset. Nam quis hominem videns, eum negaret natum? Ita quod noluisset esse, nec videri omnino voluisset: omnis rei displicentis etiam opinio reprobatur.*

Et cap. 4. *Igitur si neque ut impossibilem, neque ut periculosam Deo repudias corporationem, superest ut quasi indignam rejicias, & accuses .... Certè Christus dilexit hominem illum in immunditiis, in utero coagulatum, illum per pudenda prolatum, illum per ludibria nutritum. Propter eum descendit: propter eum prædicavit: propter eum omni se humilitate dejecit usque ad mortem, & mortem crucis: amavit utique, quem magnô redemit .... Amavit ergo cum homine etiam nativitatem, etiam carnem ejus. Nihil amari potest sine eo, per quod est id quod est. Aufer nativitatem, & exhibe hominem: adime carnem, & præsta quem Deus redemit: si hæc sunt homo, quem Deus redemit: tu hæc erubescenda illi facis, quæ redemit? & indigna, quæ nisi dilexisset, non redemisset?*

VII. Probatur rursus ex Sancto Irenæo lib. 3. adversùs Hæreses cap. 20. Nisi Christus verè passus esset, nos seduceret, cùm adhortatur ut vapulemus, & alteram præbeamus maxillam: atqui Christus nos non seduxit; verè igitur passus est. *Si enim non verè passus est*, inquit Irænæus, *nulla gratia ei, cùm nulla fuerit passio: & nos, cùm incipiemus verè pati, seducens videbitur, adhortans nos vapulare, & alteram præbere maxillam, si ipse illud non prior in veritate passus est. & quemadmodum illos seduxit, ut videretur eis ipse hoc quod non erat; & nos seducit adhortans perferre ea quæ ipse non pertulit.*

VIII. Idem probatur alia ratione ejusdem Sancti Irenæi, ibidem. Si Christus verè non esset passus, essemus supra Magistrum, quia verè pateremur, quæ ille specie tenus pertulit: atqui non est discipulus supra Magistrum; ergo, &c. *Erimus autem & super Magistrum*, inquit, *dum patimur & sustinemus, quæ neque passus est, neque sustinuit Magister, sed quoniam solus verè Magister Dominus noster, & bonus verè Filius Dei, & patiens Verbum Dei Patris, Filius hominis factus.*

Tertia ratio Sancti Irenæi ibidem, sic habet: Mediator Dei & hominum, & qui verè pro hominibus satisfecit, verè homo factus est, & non specie tenus: sed Christus Dei & hominum mediator est; & verè pro hominibus satisfecit; ergo verè, & non specie tenus homo factus est. Enimverò pro hominibus satisfacere non potuit, nisi homo Deo unitus. *Hærere itaque fecit, & adunivit hominem Deo*, inquit Sanctus Irenæus. *Si enim non vicisset inimicum hominis, non justè victus esset inimicus. Rursus autem, nisi Deus donasset salutem, non firmiter haberemus eam: & nisi homo conjunctus fuisset Deo nostro, non potuisset particeps fieri incorruptibilitatis. Oportuerat enim Mediatorem Dei & hominum, per suam ad utrosque domesticitatem, & ad amicitiam & concordiam utrosque reducere, & facere ut Deus assumeret hominem, & homo se dederet Deo. Quâ enim ratione filiorum adoptionis ejus participes essemus, nisi per Filium eam quæ est ad ipsum, recepissemus ab eo communionem, nisi Verbum ejus communicasset nobis caro factum?*

IX. Quarta ratio, quam nedum Sanctus Irænæus, verumetiam alii Patres contra hunc errorem proferunt, est hujusmodi: Veritas fallere non potest, uti nec falli; sed si Filius Dei solum hominis phantasma assumpsisset, homines fefellisset; ergo solum hominis phantasma non assumpsit, sed humanæ naturæ, & humani corporis veritatem. *Sic igitur Verbum Dei homo factus est*, inquit Sanctus Irenæus, *quemadmodum & Moyses ait: Deus, vera opera ejus. Si autem non factus caro, parebat* Deuteron. 32. *quasi caro, non erat verum opus ejus. Quod autem parebat, hoc & erat, Deus hominis antiquam plasmationem in se recapitulans, ut occideret quidem peccatum, evacuaret autem mortem, & vivificaret hominem; & propter hoc vera opera ejus.* Joan. 14.

X. Eandem rationem sic urget Sanctus Epiphanius: *At scilicet Dei verbo adhibenda joculares præstigiæ fuerunt, ut alium ad mortem crucisque supplicium obeundum vice sua traderet; is præsertim qui dixerit, Ego sum veritas & vita. Atqui neque* Joan. 14. *vita est, alteri mortem consciscere: neque quod revera inest, in sese dissimulare, aliaque pro aliis ostendere, veritatis. Desinet enim veritas esse; si sit fraudis & erroris artifex, suumque ipsamet opus abscondat.*

XI. Eamdem rationem sic proponit Sanctus Augustinus lib. 83. Quæstionum Quæst. 14. *Si phantasma fuit corpus Christi, fefellit Christus. Et si fallit, veritas non est. Est autem veritas Christus; non igitur phantasma fuit corpus ejus.*

XII. Denique Sanctus Epiphanius hac insuper invictissimâ ratione commentum Basilidis convellit. *Si in crucem Simon ille Cyrenæus est sublatus, non igitur per Christum parta nobis est salus, sed per Simonem: nec jam per Christum mundus salvum fore se sperare debeat, utpote qui minimè sit passus. Neque enim salutis esse causa Simon potest, purus utique ac purus homo, neque quicquam amplius.*

XIII. Objicies primò in gratiam Basilidis: Qui in similitudinem hominum factus est, non est verè homo, sed specie tenus: sed Filius Dei, ad Philippenses 2. dicitur *In similitudinem hominum factus.* Ergo specie tenus erat homo.

Item ad Romanos 8. dicitur *Deus Filium suum misisse in similitudinem carnis peccati.*

Respondeo, nego Majorem. Ad Minorem respondeo, nomen similitudinis, ibi naturæ veritatem significare, ut ex adjunctis patet: *Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem.* Non enim summam illam humilitatem & obedien-

tiam exercuisset, neque mortem subiisset crucis, si specie tenus fuisset homo. Certè nobis dicitur similis, quomodo dicitur æqualis Patri. *Non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed exinanivit semetipsum, formam servi accipiens.* At illa æqualitas significat eandem esse Filii Patrisque substantiam; ergo & illa similitudo significat eandem esse Christi hominumque naturam. Hinc Sanctus Augustinus Tractatu 51. in Joannem, ait: *Non amisit divinitatem; quando nos docet humilitatem. In illa est Patri æqualis, in hac nobis similis. Per quod Patri est æqualis, nos ut essemus; creavit; per quod nobis est similis, ne periremus, redemit.* Quòd verò nomen similitudinis veritatem frequentiùs in Scriptura significet, quàm externam duntaxat speciem, constat ex Gen. 5. cap. ubi dicitur *Adam genuisse* filium *ad imaginem & similitudinem suam.* Sic ad Colossenses 1. Filius Dei dicitur *Imago Patris.*

Respondeo 2. Filium Dei dici in hominum similitudinem factum, ratione conceptionis, quia singulari & ineffabili modo conceptus est, sine semine, & sine peccato: cæterùm id non excludit carnis veritatem. Id explicat disertè Tertullianus lib. 5. in Marcionem cap. 14. *Puta nunc*, inquit, *similitudinem substantiæ dictam, non ideo negabitur substantiæ veritas. Cur ergo similis, vera? Quia vera quidem, sed non ex semine: de statu similis, sed vera de censu, non verò dissimilis. Cæterùm similitudo in contrariis nulla est. Spiritus non diceretur carnis similitudo, quia nec caro similitudinem spiritus caperet; sed phantasma diceretur, si id quod non erat, videbatur. Similitudo autem dicitur, cùm est quod videtur. Est enim, dum alterius par est. Phantasma autem, quâ hoc tantùm est, non est similitudo.*

Ad secundum respondeo, similitudinem referri ad peccatum, non ad substantiam carnis, cùm dicitur Filius Dei *Missus in similitudinem carnis peccati*, ut disertè explicat Tertullianus ibidem. *Hunc*, inquit, *si Pater misit in similitudinem carnis peccati: non ideo phantasma dicetur caro, quæ in illo videbatur. Ob hoc igitur missum Filium in similitudinem carnis peccati, ut peccati carnem simili substantiâ redimeret, id est, carneâ, quæ peccatrici carni similis esset, cùm peccatrix ipsa non esset. Nam & hæc erit Dei virtus, in substantia pari perficere salutem. Non enim magnum, si Spiritus Dei carnem remediaret, sed si caro consimilis peccatrici, dum caro est, sed non peccati: ita similitudo ad titulum peccati pertinebit, non ad substantiæ mendacium. Nam nec addidisset, peccati, si substantiæ similitudinem vellet intelligi, ut negaret veritatem. Tantùm enim carnis posuisset, non & peccati. Cùm verò tunc sic struxerit, carnis peccati, & substantiam confirmavit, id est carnem: & similitudinem ad vitium substantiæ retulit, id est ad peccatum.*

Hinc Sanctus Augustinus lib. de Peccato Originali cap. 28. *Per quod homo inferior Patre, per quod nobis propinquior: superior nobis, per quod Patri propinquior. Quod apertiùs ita dicitur: Inferior Patre, quia in forma servi: superior nobis, quia sine labe peccati.*

XIV. Contra. Qui carnem damnavit, veram carnem non assumpsit: sed Filius Dei carnem damnavit, Apostolo dicente, 1. ad Corinthios 15. *Caro & sanguis regnum Dei non possidebunt*: Ergo veram carnem non assumpsit.

Respondeo, distinguo Minorem; Damnavit carnem, id est opera carnis, concedo; id est substantiam carnis, nego. Unde nego consequentiam. Ita distinguit Tertullianus loco suprà citato. *Et hic autem ipse edisserens*, inquit, *quomodo nolit nos esse in carne, cùm simus in carne, ut scilicet non simus in operibus carnis, ostendit hac ratione scripsisse, Caro & sanguis regnum Dei consequi non possunt: non substantiam damnans, sed opera ejus: quæ quia possunt non admitti à nobis adhuc in carne positis, non ad reatum substantiæ, sed ad conversationis pertinebunt.*

Objicitur secundò. Filius Dei Sanctis Patribus apparuit in Veteri Testamento, carne indutus, imò & ambulavit, & locutus est, & manducavit: nec tamen erat vera ejus caro, sed putatitia: ergo nec in Novo Testamento veram carnem assumpsit.

Respondeo primò, cum Sancto Augustino variis in locis, sed præsertim lib. 3. de Trinitate cap. 10. & 11. Has apparitiones Angelorum factas esse ministerio, nec Filium Dei propria in persona apparuisse. Respondeo secundò, juxta aliorum Patrum sententiam, negando quòd in vera carne priscis Patribus non apparuerit Filius Dei, apparuit quidem in carne nondum nata, quia nondum moritura, sed tamen verâ, quam scilicet assumebat ad tempus. *Ideoque*, inquit Tertullianus, *& ipse cum Angelis tunc apud Abraham in veritate quidem carnis apparuit, sed nondum nata, quia nondum moritura: sed & discentis jam inter homines conversari.* Lib. 3. contra Marcionem cap. 9.

Respondeo tertiò, nego consequentiam. Imò ex hoc quòd Verbi, vel Angelorum, illius nomine, apparitiones in humana specie fuerint, non in humani corporis veritate, sequitur Filium Dei in Novo Testamento veram carnem assumpsisse, ut veteres figuræ implerentur, ut ex Sancti Irenæi ratione constat lib. 5. adversùs Hæreses cap. 1. Lege primam probationem ex hoc Irenæi loco petitam. Veteris itaque Testamenti apparitiones figuræ erant Incarnationis, seu singularis apparitionis Filii Dei in Novo Testamento; consequenter impleri debebant per apparitionem Filii Dei in vera carne; aliàs figuræ non fuissent. Unde hìc usurpare licet verba Tertulliani in simili causa dicentis lib. 4. contra Marcionem cap. 40. *Figura non fuisset, nisi veritatis esset corpus. Cæterùm vacua res, quod est phantasma, figuram capere non posset.*

XV. Instabis. Angeli veteribus Patriarchis in carne phantastica apparuerunt; licèt ambularent, loquerentur, imò & manducarent: ergo licèt Christus similes actiones elicere visus sit, non potest colligi ipsum in vera carne apparuisse.

Respondeo, nego consequentiam. Angeli enim quamvis corpus ex aëre, aut alia materia compactum moverent, atque ita ambulare viderentur, ac manducare; tamen actiones vitæ corporeæ & animalis non exercebant. Unde Angelus Tobiæ ait, cap. 12. *Videbar quidem vobiscum manducare, & bibere, sed ego cibo invisibili, & potu, qui ab hominibus videri non potest, utor.* At Christus verè manducavit, & bibit, etiam post resurrectionem. Præterea Angeli illi nec nati sunt, nec passi, & mortui: at Christus, natus, passus & mortuus est; quæ cum phantasmate carnis cohærere non possunt. Ita respondet Tertullianus lib. 3. contra Marcionem cap. 9. quanquam Angelos in vera carne apparuisse putet *Solus Christus in carnem ex carne nasci habebat, ut nativitatem nostram nativitate sua reformaret: atque ita etiam mortem nostram morte sua dissolveret: resurgendo in carne, in qua natus est, ut & mori posset. Ideoque & ipse cum Angelis tunc apud Abraham in veritate quidem carnis apparuit, sed nondum nata, quia nondum moritura, &c. Quò magis Angeli neque ad moriendum pro nobis dispositi, brevem carnis commeatum non debuerunt nascendo sumpsisse, quia nec moriendo deposituri eam fuerant. Sed unde sumptam, & quomodo omnino dimissam, mentiti eam tamen non sunt.*

XVI. Objicitur tertiò. Veritas corporis Deo indigna est: ergo verum corpus non assumpsit.

Respondeo, nego antecedens. Licèt enim *Nulla res*

*ra digna sit*, quam Deûs induat, ut ait Tertullianus lib. 3. contra Marcionem cap. 10. *Tamen quodcunque induerit, ipse dignum facit, absque mendacio.* Carnem igitur *honoravit, illam fingendo*, ut ait idem Africanus. 2. Ita retorqueo argumentum contra Basilidem & alios Phantasiastas. Si indigna erat Deo caro humana, æquè erat ipso indigna similitudo carnis. Ergo nequidem specie tenus factus esset homo. *Si aspernatus est illam ut terrenam*, loquit Tertullianus ibidem, *cur non & simulacrum ejus proinde despexit? Nullius enim dedignandæ rei imago dignanda est; sequitur statum similitudo.*

XVII. Objicitur quartò. Si Filius Dei verè hominis naturam & carnem assumpsisset, subiisset mutationem; atqui non subiit mutationem; ergo veram hominis naturam & carnem non assumpsit.

Respondeo, nego consecutionem Majoris. Nam per assumptionem naturæ humanæ & carnis, sequitur mutatas quidem illas esse. At Filius Dei mansit omnis mutationis expers. Id innuit Apostolus ad Philippenses 2. cùm ait: *Habitu inventus ut homo.* Quæ verba præclarè explicat Sanctus Augustinus lib. 83. Quæstionum Q. 73. ubi præmissa multiplici habitus notione, hæc habet: *Habitus ergo in ea re dicitur, quæ nobis ut habeatur, accidit. Verumtamen hoc interest, quòd quædam rerum, quæ accidunt nobis ut habitum faciant, non mutantur à nobis, sed ipsa nos mutant, in seipsa integra & inconcussa manentia: sicuti ipsa sapientia, cùm accidit homini, non ipsa mutatur, sed hominem mutat, quem de stulto sapientem facit. Quædam verò sic accidunt, ut & mutent, & mutentur: sicuti cibus ipse amittens speciem suam, in corpus nostrum vertitur: & nos refecti cibo, ab exilitate atque languore in robur atque valentiam commutamur. Tertium verò genus est, cùm ipsa quæ accidunt, mutantur, & quodammodo formantur ab eis quibus habitum faciunt, sicuti est vestis: nam cùm reposita, vel projecta est, non habet eam formam, quam sumit cùm induitur, atque induitur membris. Ergo induta accipit formam, quam non habebat exuta: cùm ipsa membra, & cùm exuuntur & cùm induuntur, in suo statu maneant. Potest esse & quartum genus, cùm ea quæ accidunt ad faciendum habitum, nec ea mutant, quibus accidunt, nec ab eis ipsa mutantur: sicut annulus in digito, si non nimis subtiliter attendatur. Verumtamen hoc genus, aut nullum est, si diligenter discutias, aut omnino rarissimum ....... Iste autem habitus* (quo nempe Filius Dei dicitur inventus ut homo) *non est ex primo genere: non enim manens ipsa se natura hominis naturam Dei commutavit. Neque ex secundo: non enim immutavit homo Deum, & mutatus est ab illo. Neque ex quarto; non enim sic assumptus est homo, ut neque ille mutaret Deum, nec ab ipso mutaretur. Sed potiùs ex tertio: sic enim assumptus est, ut commutaretur in melius & ab eo formaretur ineffabiliter excellentiùs atque conjunctiùs quàm vestis, cùm ab homine induitur. Hoc ergo nomine habitûs satis significavit Apostolus quemadmodum dixerit, In similitudinem hominum factus: quia non transfiguratione in hominem, sed habitu factus est, cùm indutus est hominem, quem sibi uniens quodammodo, atque conformans, immortalitati æternitatique sociaret.*

Id rursus appositissimo exemplo idem exponit Sanctus Augustinus Sermone 27. de Tempore. *Neque enim*, inquit, *quia dictum est, Deus erat Verbum, & Verbum caro factum est: sic Verbum caro factum est ut esse desineret Deus, quando in ipsa carne, quod Verbum caro factum est, Emmanuel natum est, nobiscum Deus. Sicut verbum quod corde gestamus, fit vox cùm id ore proferimus: non tamen illud in hanc commutatur, sed illo integro, ista in qua procedat, assumitur, ut & intus maneat quod intelligatur, & foris sonet quod audiatur, hoc idem tamen profertur in sono, quod ante sonuerat in silentio: atque ita verbum, cùm fit vox, non mutatur in voce; sed manens in mentis luce, & assumpta carnis voce procedit ad audientem, & non deserit cogitantem.*

## ARTICULUS II.

*Quo refellitur Basilidis error, corporum Resurrectionem futuram negantis.*

I. LUCULENTISSIMIS Scripturæ sacræ testimoniis hic error revincitur; primò verbis Christi, Matth. cap. 22. Saducæos, qui resurrectionem negabant, sic alloquentis: *Erratis nescientes Scripturas, neque virtutem Dei. In resurrectione enim neque nubent, neque nubentur, sed erunt sicut Angeli Dei in cœlo. De resurrectione autem mortuorum non legistis quod dictum est à Deo dicente vobis: Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Jacob? Non est Deus mortuorum, sed viventium.*

Secundò ex Apostolo 1. ad Corinthios 15. *Si autem*, inquit, *Christus prædicatur, quòd resurrexit à mortuis, quomodo quidam dicunt in vobis, quòd resurrectio mortuorum non est: Si autem resurrectio mortuorum non est, neque Christus resurrexit. Si autem Christus non resurrexit, inanis est ergo prædicatio nostra, inanis est & fides vestra: invenimur autem & falsi testes Dei, quoniam testimonium diximus adversùs Deum quòd suscitaverit Christum, quem non suscitavit, si mortui non resurgunt. Nam si mortui non resurgunt, neque Christus resurrexit. Quod si Christus non resurrexit, vana est fides vestra, adhuc enim estis in peccatis vestris. Ergo & qui dormierunt in Christo, perierunt. Si in hac vita tantùm in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus.* Et infrà: *Alioquin quid facient qui baptizantur pro mortuis, si omnino mortui non resurgunt? Ut quid & baptizantur pro illis?* Et infrà: *Si (secundùm hominem) ad bestias pugnavi Ephesi, quid mihi prodest si mortui non resurgunt? Manducemus, & bibamus, cras enim moriemur.* Et infrà: *Sed dicit aliquis, Quomodo resurgunt mortui? Qualive corpore venient? Insipiens, tu quod seminas non vivificatur, nisi priùs moriatur. Et quod seminas, non corpus, quod futurum est, seminas, sed nudum granum, ut puta tritici, aut alicujus cæterorum. Deus autem dat illi corpus sicut vult: & unicuique seminum proprium corpus ..... Sic & resurrectio mortuorum. Seminatur in corruptione, surget in incorruptione. Seminatur in ignobilitate, surget in gloria. Seminatur in infirmitate, surget in virtute. Seminatur corpus animale, surget corpus spirituale.* Et infrà: *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur. In momento, in ictu oculi, in novissima tuba: canet enim tuba, & mortui resurgent, incorrupti, & nos immutabimur. Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem. Cum autem mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet sermo, qui scriptus est: Absorpta est mors in victoria. Ubi est mors victoria tua? ubi est mors stimulus tuus?*

III. Ex 2. ad Timotheum 2. cap. *Profana*, inquit, *& vaniloquia devita: multum enim proficiunt ad impietatem: & sermo eorum ut cancer serpit: ex quibus est Hymenæus & Philetus, qui à veritate exciderunt, dicentes resurrectionem esse jam factam, & subverterunt quorumdam fidem.*

IV. Hanc veritatem, Sancti Veteris, Novique Testamenti confessi sunt: Job. 19. *Scio enim quòd Redemptor meus vivit, & in novissimo die de terra*

*surrecturus*

*surrecturus sum: & rursùm circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum meum. Quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt, & non alius: reposita est hæc spes mea in sinu meo.*

In Novo verò Testamento, Martha Christo dicenti, *Resurget frater tuus, dixit: Scio quia resurget in resurrectione, in novissimo die.* (Joannis cap. 11.)

V. Istud dogma caput est Symboli Apostolici, *Carnis resurrectionem.*

VI. Symbolum Constantinopolitanum idem habet: *Expectamus resurrectionem mortuorum.*

VII. Confunditur error Basilidis authoritate Sancti Justini, Apologiâ 2. ubi de Christo sic loquitur: *Duplicem siquidem ejus adventum & præsentiam prænunciarunt Sancti Vates: unam quidem jam exhibitam ut despecti, & passionibus subjecti hominis: secundam autem, quando è cœlis cum gloria & Angelicâ Militiâ suâ adveniet, aderitque: cum omnium etiam, qui unquam extitere, mortalium corpora suscitabit, atque dignos quidem induet naturâ corruptibilitatis universâ experte: injustos autem in perpetuo sensu, unà cum malis Geniis, in ignem mittet sempiternum.*

Rationibus Athenagoræ probatur Resurrectio Mortuorum.

VIII. Conficitur error Basilidis, authoritate & rationibus Athenagoræ Christiani Philosophi lib. *de Resurrectione Mortuorum*; Si resurrectio futura non esset, maximè quia Deo deesset facultas suscitandi mortuos, vel voluntas: neutrum dici potest: ergo futura est resurrectio.

Probatur Minor, quantùm ad primam partem. Qui ad aliquid faciendum impotens est, vel ideo impotens est quòd nesciat quid agendum sit, vel quòd non tantæ sit virtutis ut illud facere possit: atqui in Deo nec est defectus scientiæ respectu corporum suscitandorum, cùm enim ea præcognoscat quæ nondum sunt; & ea cognoscit, quæ jam resoluta sunt. Nec est in eo defectus virtutis ad resurrectionem operandam; siquidem qua facilitate corpora creavit, eâdem ipsa instaurare potest: ergo Deo non deest facultas suscitandi mortuos.

Ita porro scribit Athenagoras de Philosophis, vel Hæreticis probare conantibus resurrectionem non futuram. *Atqui illud facient*, inquit, *si ostendent Deo aut voluntatem, aut facultatem restituendi mortui dissolutique corporis deesse, ut illud rursus consolidet, & coniiat, ad hominis veteris formam instaurandam. Verùm quod falsum dicturi sint, sive Deum allegent non posse, sive non velle, ex sequentibus apparebit. Impotentia enim alicujus inde deprehenditur, si aut ignoret quid faciendum sit; aut si norit, imbecillior sit viribus quàm ut probè efficiat. Qui enim ignorat quid faciendum, is neque conari, neque perficere quidquam potest, earum duntaxat rerum, quarum notitiam nullam habet. Qui autem cognoscit quid faciendum sit & quomodo, & unde id confici possit, vires autem aut omnino non habet, aut non sufficientes habet ad rem exequendam, quam probè intelligit; is si sapiens, suasque facultates inspiciat, aut non tentabit; aut ubi incircumspectè tentaverit, fine operis destituetur. Atqui neque possibile est ut Deus ignoret, vel ex parte, vel ex particula, naturam corporum resurrectioni destinatorum: neque enim latere potest quò singula ex tabidis membris abierint, & quæ in se elementorum partes putrefacta receperint, & in cognatam naturam admiserint: tametsi omnino apud homines id quod rursum universitati elementorum affusum est, insecernibile videatur, & incomprehensibile. Cui enim ante cujusquam rei procreationem ignota non erat futurorum elementorum natura, ex quibus corpora suum ortum traxerunt, neque partes elementorum incognita fuerunt, ex quibus decerpturus erat, quod placeret, ad humani corporis constitutionem, abundè manifestum est neque eum ignoraturum quò singula recedant, quæ ad perfectionem corporis assumpsit, ubi integritas illa dissipata fuerit. Quantum enim ad rerum nostrarum ordinem, aliorumque negotiorum dijudicationem, majus est ea, quæ nondum sunt, præcognoscere; quantùm autem ad Dei majestatem, ejusque sapientiam, ambo ista naturalia & ex æquo facilia sunt, & nondum nata præcognoscere, & resoluta dignoscere. Atqui vires Dei sufficere ad corporum restitutionem indicat vel ipsorum procreatio. Si enim hominum corpora, cùm non essent, condidit, eorumque principia unde originem trahunt, procreavit: etiam quomodocunque dissoluta, cum eadem facilitate instaurabit. Id enim illi æquè possibile est.*

Quòd verò Deo non desit voluntas suscitandi corpora, hac ratione probat Athenagoras. Si Deus nollet corpora suscitare, ideo nollet, vel quia id injustum esset, vel quia indignum. Atqui resurrectio nec injusta est, nec Deo indigna: cur igitur illam Deus nollet?

Probatur prima pars Minoris. Si injusta esset, id contingeret vel quia injuriam, aut damnum aliquod inferret intellectualibus creaturis, aut brutis animantibus, aut ipsius hominis animæ, aut corpori; sed quòd alicui horum injuriam, damnumve inferat, dici non potest; ergo non est injusta.

Probatur Minor. Quòd enim intellectuales creaturæ nullum ex hoc detrimentum referant, perspicuum est. Quòd verò bruta animantia nullum etiam damnum ex hoc reportent, constat, quia nullus est ipsis justitiæ sensus; & si aliquis inesset, conqueri non possent quòd homo, qui ipsis nobilior est, feliciori sorte frueretur. Quòd nulla fiat injuria animæ, constat, quia nulla fit ipsi injuria ex hoc quòd in corpore corruptibili habitet, multò minùs ulla ipsi fiet ex hoc quòd habitet in carne incorruptibili. Non denique corpori fiet injuria, sicut nec modò ulla ipsi fit ex hoc quòd animæ conjungatur: imò magnum erit ipsius lucrum, quòd immortalitate donetur.

Tandem quòd resurrectio non sit indigna Deo, probat Athenagoras, quia Deo indignum non fuit corpus corruptibile condere, ergo multominùs ipso indignum est corpus incorruptibile suscitare. *Quod enim ille non vult*, inquit Athenagoras, *ideò non vult, vel quod injustum sit, vel quod indignum sit. Porro ista injustitia, vel deprehenditur circa illum qui resurgit, vel circa alium extra ipsum. Cæterùm quòd nemini omnium quæ foris & extra ipsos resurgentes sunt, & in rerum natura inveniuntur, injuria fiat, manifesta res est. Non enim intellectuales creaturæ ex hominum resurrectione injuriam acceperunt. Nihil enim inde illorum essentia impeditur. Ut quoque nè irrationalibus quidem, aut inanimatis irrogare videtur: non enim illa post resurrectionem supererunt. Jam verò circa illud quod non est, nulla injuria esse potest. Quod si tum ea existere fingas, ne sic quidem ullam injuriam senserint ex hominum resurrectione. Si enim nunc cùm cedant hominum naturæ, & ad eorum adhuc miseriæ obnoxiorum usum, sub jugum atque in omnem servitutem adigantur, nullam tamen injuriam patiuntur; multominùs hominibus incorruptibilibus effectis, & extra omnem inopiam & miseriam constitutis, cùm ipsa liberata fuerint ab omni servitute, injuriam patientur. Neque enim, si loquendi facultate instructa essent, incusarent rerum Opificem, quasi præter æquum, infra hominum sortem collocata essent, eo quòd in ejusdem resurrectionis participatum non admitterentur. Quorum enim natura æqualis non est, istis neque eundem finem & honorem, qui justus est, admetitur: maximè cùm præter hanc rationem brutis illis & inanimatis nullus sit justitiæ sensus, ac ideo nulla injustitiæ indignatio.*

Cæterùm

*Cæterùm ne illud quidem dici potest, quòd circa ipsum hominem ex resurrectione aliqua injuria deprehendatur. Hic enim ut ex anima & corpore componitur, ita in neutram partem, vel in corpus, vel in animam, injuriam accipit. Neque sapiens animam injuriam pati dicet, ideò quòd hoc modo non eam rationem vitæ retineat, in qua jam in præsentia agit. Si enim nunc in corruptibili, & in patibili corpore habitans nullâ injuriâ afficitur: multò minùs in incorruptibili & impatibili habitans, injuriâ afficitur. Imò neque corpus injuriam sentit. Si enim nunc ipsum corruptibile incorruptibilis animæ contubernio conjunctum, nullam inde injuriam accipit; multo minùs tunc accipiet, cùm utrinque ambo incorruptibilia erunt.*

*Porrò neque illud dici potest, corpora resoluta in integrum restitui, rem esse indignam Deo. Si enim, quod deterius est, mortale scilicet & patibile corpus condere, non indignum Deo visum est, multò minùs indignum erit, quod præstantius est, & immortalitate & impatibilitate donatum, in rerum naturam producere.*

Secunda ratio Athenagoræ sic se habet. Deus hominem creavit ob seipsum, suamque sapientiam & bonitatem fruendam, si autem propinquiorem finem spectemus, creavit illum ut viveret; sed quod creatum est ut sit & vivat, necesse est in perpetuum vivere; ergo hominem in perpetuum vivere oportet. Porro sine resurrectione vivere in perpetuum non potest, cùm corpus morti corruptionique sit obnoxium: ergo admittenda est resurrectio.

Probatur Minor. Quod creatum est ut sit & vivat, non habet istius conditionis vitam quæ citò extinguatur, & evanescat, sicut illa quæ ob aliorum duntaxat usum & commodum vitam habent; ergo quod creatum est ut sit & vivat, necesse est in perpetuum vivere. Istud ratiocinium Athenagoræ verbis expressum est luculentius.

*Quamobrem*, inquit, *si neque sine causa, neque frustra vel temerè creatus est homo (nihil enim quantùm ad Dei intentionem inter opera ejus temerarium,) neque item ob conditoris utilitatem: satis liquet quod inspectu primaria & universalis rationis hominem Deus creaverit, ob se ipsum, suamque bonitatem, & sapientiam. Quòd si propinquiorem, cohærentemque ipsis creatis hominibus causam explores, deprehendes idcò hominem natum esse ut viveret: non autem vitâ ejusmodi quæ paulisper calesceret, mox deinde in perpetuum extingueretur. Reptilibus enim, existimo, volucribus item & natatilibus istiusmodi vitam attribuit Deus: illis autem qui illius imaginem in seipsis circumferunt, unaque cum ea mentem rerum creatricem possident, judiciisque rationis instructi sunt, perpetuam diuturnitatem assignavit Conditor, ut suo Creatore cognito, ejusque potentiam & sapientiam legibus justitiaque imitantes, unà cum illis virtutibus feliciter in æternitate perennent, quibus superiorem vitam, cùm adhuc in corruptibilibus & terrenis corporibus agerent, corroboraverunt. Quæ enim alterius gratia condita sunt, deficientibus illis, quorum gratiâ condita sunt, meritò & ipsa deficiunt, neque frustra permanserint, quoniam non est in rebus à Deo creatis frustranea otiositati locus. Quæ verò ideo creata sunt ut sint, & vivant, ipsa hac causa cum natura eorum cohærente & implicitâ, cùm ea solummodo id exigat & requirat ut sint, fieri non potest unquam in se ullam vim admittant, quâ prorsus extinguantur. Porro cùm ista causa ex perpetua existendi ratione intelligatur, in eoque consistat, necessum est incolume manere illud animal quod ita natum fuerit, agereque ac pati quæ ipsius natura sunt, ambabus illis rebus, unde constat, quod suum est in medium conferentibus: ita ut anima existat, & permaneat æquabiliter in sua, in qua genita est, naturâ, corpus verò se moveat ad ea quæ sibi naturalia sunt; easque recipiat mutationes, quæ illi à natura attributa sunt; & inter reliquas suâ evariationes, quæ illi in ætate, formâ, magnitudine obveniunt, etiam resurrectionem admittat. Resurrectio enim species quædam evariationis, eaque extrema, nec non & illa immutatio in melius, quæ tum futura est in superstitum corporibus.*

Illam rationem adhuc magis urget, ac clariùs Athenagoras. Mens & ratio datæ sunt homini, ut non modò Angelos, sed Deum ipsum cognoscat: ergo necesse est ut iis permanentibus, permaneat homo. Homo autem non est anima sola, sed compositum ex anima & corpore: nec istud compositum permanere potest, nisi resurrectio detur. necesse est igitur dari resurrectionem.

*Quod si mens*, inquit, *& ratio data sunt hominibus, ad judicationem non intelligibilium modò substantiarum, sed sapientia quoque ejus, justitia, & bonitatis qui ista dedit; necessum est, permanentibus iis quorum gratiâ rationalis judicatio data est, & ipsam quoque permanere judicationem, quæ istis discernendis attributa est. Hanc autem permanere impossibile est, nisi ea natura permaneat, quæ illam intra sedem suam recipit & fovet. Qui autem mentem & rationem intra se recipit, homo est, non anima per se: hominem igitur oportet utreque constantem in perpetuum permanere. Hunc autem impossibile est permanere, nisi resurgat.*

Sed enim, nisi hominum natura permaneat resurrectionis beneficio, frustra fore omnia quæ in homine sunt, præclarè colligit Athenagoras. Frustra animam attemperatam fuisse corporis indigentiæ: frustra corpus alligatum esse habenis animæ cedens, frustra mentem, frustra prudentiam, frustra justitiæ observationem, & virtutis omnis exercitationem, legumque institutionem, ac dispositionem; frustra denique ipsam hominum procurationem, & naturam.

Tertia ratio Athenagoræ est hujusmodi. Homo totus judicio Dei sisti debet; ergo futura est resurrectio.

Probatur antecedens. Anima sola puniri non debet ob peccata; siquidem ea quæ in corporis voluptatibus posita sunt, per se non perpetravit: nec solum corpus; quia legum & judicii vim non percipit. Hominem igitur ex utroque constantem pro suis facinoribus sententiam referre necesse est. Istud porro non fit in hac vita mortali, ubi malis frequentiùs omnia prosperè cedunt; pios verò premunt adversa. Istud itaque ad finem sæculorum, intercedente resurrectione, contingere necesse est. *Quòd si*, inquit Athenagoras, *contra id quod ex utroque compositum est, pro factis ipsius sententia justi judicii profertur, fieri non potest ut anima sola talionem referat eorum quæ cum corpore gessit. (Nam ipsa per se non tangitur peccatis, quæ per voluptates corporales, vel cibos, vel cultus perpetrantur.) Neque item solum corpus talionem referre oportet, ut quod legum, & judicii discrimen non sentiat: sed homo, qui istis constat, pro unoquoque facto judicium accipere debet. Id autem in hac vita contingere nulla ratione deprehendas; cùm multos videamus impios, usque ad mortem, malorum expertes existere: eos verò qui omni virtute spectati sunt, in ferendis doloribus, vexationibus, calumniis, contumeliis, & omni genere afflictionis, vitam absumere. Neque item post mortem deprehendere id queas: (non enim jam superest id quod ex utroque constat.) Liquet igitur, quòd oportet, secundùm Apostolum, corruptibile istud dissipatum induere incorruptionem, ut vivificatis resurrectione mortuis, unusquisque referat justè ea, quæ per corpus gessit, sive bona, sive mala.*

Multis deinde probat Athenagoras, passiones esse

totius hominis, virtutes etiam totius hominis; præcepta & leges toti hominis positas, non solis animabus: adeoque non solas animas, sed totum hominem puniri, aut remunerari debere.

*S. Irenæi argumenta Resurrectionis Mortuorum probantia.*

Nonò, revincitur error Basilidis authoritate & rationibus Sancti Irenæi lib. 5. adversùs Hæreses. Primam petit à participatione sacratissimæ Eucharistiæ, quæ corporibus nostris pignus est immortalitatis & incorruptionis. Sic enim scribit cap. secundo: *Quando ergo & mixtus calix, & fractus panis percipit Verbum Dei, fit Eucharistia sanguinis & corporis Christi, ex quibus augetur & consistit nostra carnis substantia: quomodo carnem negant capacem esse donationis Dei, qua est vita æterna, qua sanguine & corpore Christi nutritur, & est membrum ejus? Quemadmodum & B. Apostolus ait in ea qua est ad Ephesios Epistola: Quoniam membra sumus corporis ejus, de carne ejus, & de ossibus ejus, non de spirituali aliquo & invisibili homine dicens hac (Spiritus enim neque ossa, neque carnes habet) sed de ea dispositione qua est secundùm verum hominem, qua ex carnibus, & nervis, & ossibus consistit, qua de calice, qui est sanguis ejus, nutritur; & de pane, qui est corpus ejus, augetur. Et quemadmodum lignum vitis depositum in terra, suo fructificat tempore, & granum tritici decidens in terram, & dissolutum, multiplex surgit per Spiritum Dei, qui continet omnia, qua deinde per sapientiam in usum hominibus veniant; & percipientia Verbum Dei Eucharistia fiant, quod est corpus & sanguis Christi: sic & nostra corpora ex ea nutrita & reposita in terram, & resoluta in eam, resurgent in suo tempore, Verbo Dei resurrectionem eis donante, in gloriam Dei Patris.*

*Ephes. 5.*

Secunda ratio S. Irenæi sumitur à Dei potentia, & bonitate: Si Deus non susciret corpora nostra, id fit vel quia non potest, vel quia non vult. *Siquidem cùm non possit, jam non potens est, neque perfectus. Si autem, cum possit præstare, non præstat; jam non bonus ostenditur, sed invidus, & malignus Pater. Si autem & causam aliquam dixerint, per quam non vivificat corpora Pater ipsorum, ipsam causam majorem necesse est apparere, quàm Patrem obtinentem benignitatem ejus*, (cap. 4.)

Tertia ratio Sancti Irenæi sumitur ex dignitate corporis nostri: quod est templum Dei, & membrorum nostrorum, quæ sunt membra Christi (secundùm Apostolum 1. ad Corinthios. 6.) *Templum igitur*, inquit, *in quo Spiritus inhabitat Patris, & membra Christi, non participare salutem, sed in perditionem redigi dicere, quomodo non maxima est blasphemia?* cap. 6.

Quarta ratio Sancti Irenæi petitur ex Christi resurrectione. Si enim Christus in carne nostra resurrexit, sequitur nos in eadem resurrecturos, secundùm illud Apostoli ad Romanos 8. *Si autem Spiritus ejus, qui suscitavit Jesum à mortuis, habitat in nobis; qui suscitavit Christum à mortuis, vivificabit & mortalia corpora vestra.* Hanc rationem urget Sanctus Irenæus cap. 7.

Quinta ratio Sancti Irenæi sumitur ex donis Spiritus Sancti, quæ nos ad incorruptelam præparant, & spirituales reddunt. *Nunc autem*, inquit, *partem aliquam Spiritus ejus sumimus, ad perfectionem & præparationem incorruptela, paulatim assuescentes capere & portare Deum: quod & pignus dixit Apostolus, hoc est, partem ejus honoris qui à Deo nobis promissus est, in Epistola qua est ad Ephesios, dicens: In quo & vos, audito verbo veritatis, Evangelio salutis vestra, in quo credentes signati estis Spiritu promissionis sancto, qui est pignus hereditatis vestra. Si ergo pignus hoc habitans in nobis jam spirituales efficit, & absorbetur mortale ab immortalitate: Vos enim, ait, non estis in carne, sed in spiritu, siquidem Spiritus Dei habitat in vobis. Hoc autem non secundùm jacturam carnis, sed secundùm communionem spiritus fit. Non enim erant sine carne, quibus scribebat: sed qui assumpserant Spiritum Dei, in quo clamamus, Abba, Pater. Si igitur nunc pignus habentes clamamus, Abba, Pater: quid fiet, quando resurgentes facie ad faciem videbimus eum?* &c. cap. 8.

*Rom 8.*

Sexta ratio Sancti Irenæi sumitur ex Incarnatione Verbi divini: quod certè carnem non assumpsisset, nisi eam salvare voluisset: nec miracula fuisset operatus in gratiam carnis non resurrecturæ. *Fabricator enim universorum Dei Verbum*, inquit, *qui ab initio plasmavit hominem, à malitia inveniens labefactatum suum plasma omni modo curavit, hoc quidem & secundùm unumquodque membrum, sicut & in suo plasmate est: hoc autem & semel sanum totum & integrum redintegravit hominem, perfectum eum sibi præparans ad resurrectionem. Quam enim causam habebat carnis membra curare, & restituere in pristinum caracterem, si non habebant salvari qua ab illo curata fuerant? Si enim temporalis erat ab eo utilitas, nihil grande præstitit his qui ab eo curati sunt. Aut quomodo dicunt, carnem non esse capacem vita qua est ab eo, qua percipit curationem ab eo? Vita enim per curationem: incorruptela autem per vitam efficitur. Qui igitur curationes confert, hic & vitam; & qui vitam, & incorruptelam circundat plasmati suo.* cap. 12. Et cap. 14. *Si non haberet caro salvari, nequaquam Verbum Dei caro factum esset.*

Tandem cap. 15. resurrectionem probat Sanctus Irenæus Prophetarum oraculis, & maximè ex visione Ezechielis cap. 37. qua ossa arida reviviscentia, ex quibus ingens conflatus est exercitus, ipsi ostensa sunt.

*Tertulliani argumenta Resurrectionis carnis confirmantia.*

Decimò confutatur error Basilidis authoritate, & rationibus Tertulliani lib. de Resurrectione carnis, qui præclarâ hâc sententiâ incipit: *Fiducia Christianorum, resurrectio mortuorum.* Ubi cap. 2. notat eos solùm resurrectionem mortuorum negasse hæreticos, qui circa Dei unitatem, & veritatem carnis Christi erraverunt. *Nulli denique alii*, inquit, *salutem corporali substantia invident, quàm alterius divinitatis haretici. Ideoque & Christum aliter disponere coacti, ne creator carnis habeatur, in ipsa priùs carne ejus erraverunt; aut nullius veritatis contendentes eam, secundùm Marcionem, & Basilidem; aut propria qualitatis, secundùm hæreses Valentini, & Apellem. Atque ita sequitur, ut salutem ejus substantia excludant, cujus Christum consortem negant; certè illam summo præjudicio resurrectionis instructam, si jam in Christo resurrexit caro.*

Prima ratio qua Tertullianus resurrectionem probat, ista est: Caro digna est resurrectione, ergo resurget.

Antecedens ita probat: quæ ipsius Dei manu condita est, ut imago Christi venturi, est digna resurrectione: sed caro ipsius Dei manu condita est, ut imago Christi: ergo digna est resurrectione.

*Limus*, inquit, *satis beatus, etsi solummodo contactus. Adeo magna res agebatur, quâ ista materia extruebatur. Itaque toties honoratur, quoties manus Dei patitur, dum tangitur, dum decerpitur, dum deducitur, dum effingitur. Recogita totum illi Deum occupatum, ac deditum, manu, sensu, opere, consilio, providentiâ, sapientiâ, & ipsa imprimis affectione, qua lineamenta ducebat. Quodcumque enim limus exprimebatur, Christus cogitabatur homo futurus..... Ita limus ille jam tunc imaginem induens Christi futuri in carne, non tantùm Dei opus erat, sed & pignus*, (cap. 6.)

Deinde carnis dignitatem ex eo probat, quòd sit vas & domicilium animæ, Dei imaginem gerentis. *Hac cùm ita sint*, inquit, *habes & limum de*

manu

*manu Dei gloriosum, & carnem de afflatu Dei gloriosiorem, quo pariter caro & limi rudimenta deposuit, & animæ ornamenta suscepit. Non es diligentior Deo, uti tu quidem Scythicas, & Indicas gemmas, & rubentis maris grana candentia, non plumbo, non ære, non ferro, ac urgento quoque obliaqueas; sed electissimo, & insuper operosissimo destrobes auro: Deus vero animæ suæ umbram, spiritus sui auram, oris sui operam, vilissimo alicui commiseris capulo, & indignè collocando, utique damnaveris.* cap. 7.

3. Probat carnis dignitatem ex eo quòd caro ministra sit & famula animæ, ex quo ipsius consortem & cohæredem esse colligit. *Hoc quoque*, inquit, *ad gloriam carnis exuberat, quòd proximam Deo & continet, & ipsius dominationis compotem præstat. Quem enim natura usum, quem mundi fructum, quem elementorum saporem non per carnem anima depascitur? Quidni? Per quam omni instrumento sensuum fulta est, visu, auditu, gustu, odoratu, contactu; per quam divina potestate respersa est, nihil non sermone perficiens, vel tacitò præmisso: & sermo enim de organo carnis est: artes per carnem; studia, ingenia per carnem. opera, negotia, officia per carnem: atque adeo totum vivere animæ carnis est, ut non vivere animæ nihil aliud sit, quàm à carne divertere. Sic etiam ipsum mori carnis est, cujus est vivere. Porro si universa per carnem subjacent animæ, carni quoque subjacent. Per quod utaris, cum eo utaris necesse est: ita caro, dum ministra & famula animæ deputatur, consors & cohæres invenitur. Si temporalium, cur non & æternorum?* cap. 7.

4. Probat carnis dignitatem ex eo quòd anima Sacramentorum gratiam per carnem suscipiat; quòd Christianas virtutes per carnem exerceat; quòd per ipsam martyrii coronam consequatur. De primo sic habet: *Videamus nunc de propria etiam Christiani nominis forma, quanta huic substantiæ frivolæ, ac sordidæ, apud Deum prærogativa sit. Et si sufficeret illi, quod nulla omnino anima salutem possit adipisci, nisi dum est in carne, crediderit: adeo caro salutis est cardo. Deinique cùm anima Deo allegitur, ipsa est quæ efficit ut anima allegi possit. Scilicet caro abluitur, ut anima emaculetur. Caro ungitur, ut anima consecretur. Caro signatur, ut & anima muniatur. Caro manus impositione adumbratur, ut & anima spiritu illuminetur. Caro corpore & sanguine Christi vescitur, ut & anima de Deo saginetur. Non possunt ergo separari in mercede, quas opera conjungit.*

De secundò hæc habet: *Nam & sacrificia Deo grata, conflictationes dico animæ, jejunia, & seras & aridas escas, & appendices hujus officii sordes, caro de proprio suo incommodo instaurat. Virginitas quoque & viduitas, & modesta in occulto matrimonii dissimulatio, & una notitia ejus, de bonis carnis Deo adolentur.*

De tertio sic scribit: *Age jam, quid de ea sentis, cùm pro nominis fide in medium extracta, & odio publico exposita, decertat? Cùm in carceribus maceratur, teterrimo lucis exilio, penuriâ mundi, squalore, pædore, contumeliâ victus; ne somno quidem libera; quippe ipsis etiam cubilibus vincta, ipsisque stramentis lancinata; cùm jam & in luce, omni tormentorum machinatione laniatur; cùm denique suppliciis erogatur, enisa reddere Christo vicem, moriendo pro ipso, & quidem per eandem crucem sæpe, nedum per atrociora quoque ingenia pœnarum?* cap. 8.

Denique colligendo omnia illa capita ex quibus carnis probavit dignitatem, ex illis concludit futuram ipsius resurrectionem. *Quam Deus*, inquit, *manibus suis ad imaginem Dei struxit; quam de suo afflatu ad similitudinem suæ vivacitatis animavit; quam incolatui, fructui, dominatui totius suæ operationis præposuit; quam sacramentis suis disciplinisque vestivit; cujus munditias amat, cujus castigationes probat, cujus passiones sibi appretiat, hoccine non resurget totiens Dei? Absit, absit, ut Deus manuum suarum operam, ingenii sui curam, afflatus sui vaginam, molitionis suæ reginam, liberalitatis suæ hæredem, religionis suæ sacerdotem, testimonii sui militem, Christi sui sororem, in æternum destituat interitum.*

Secunda ratio Tertulliani, qua probat resurrectionem mortuorum, est hujusmodi. Potest Deus carnem suscitare; ergo cùm aliundè resurrectione digna sit, illam suscitabit.

Probat antecedens. Carnem potest suscitare, qui ipsam fecit: Deus carnem fecit; ergo potest ipsam suscitare.

Probat Majorem. Non enim est difficilius reficere, quàm facere. *Nunquid etiam*, inquit, *Dei ipsius potestatem, & licentiam recensere debemus, an tantus sit, qui valeat dilapsum, & devoratum, & quibuscunque modis ereptum tabernaculum carnis readificare, atque restituere? An & aliqua aedit exempla hujus sui juris in publico natura promulgavit, ne qui fortè adhuc nesciant Deum nosse, qui non alia lege credendus est, quam ut omnia posse credatur? . . . . . . Sive enim ex nihilo Deus molitus est cuncta, poterit carnem in nihilum perductam exprimere de nihilo. Sive de materia modulatus est alia, poterit & carnem quoque dehaustam evocare de alio. Et utique idoneus est reficere, qui fecit; quantò plus est fecisse, quam refecisse; initium dedisse, quàm reddidisse.* cap. 11.

Probat deinde exemplis vicissitudinum, & quasi resurrectionum, quæ in natura, Deo operante, contingunt, resurrectionem carnis à Deo fieri posse. Profert exempla diei in noctem morientis, quæ rursus cum Sole, cum dote, eadem & integra, & tota universo orbi reviviscit: tempestatum, arborum, florum annuum interitum, & veluti resurrectionem oculis ipsis subjicit: admirandum prædicat naturæ ingenium, quæ assumpta semina, *uberiora, cultioraque restituit, quàm exterminavit: revera fœnore interitu, & injuria usura, & lucro damno.* Sic denique concludit hanc inductionem. *Nihil deperit nisi in salutem. Totus igitur hic ordo revolubilis rerum, testatio est resurrectionis mortuorum. Operibus eam præscripsit Deus, antequam literis: viribus prædicavit, antequam vocibus; præmisit tibi naturam magistram, submissurus & prophetiam; quò facilius credas prophetiæ, discipulus naturæ: nec dubites Deum carnis etiam resuscitatorem, quem omnium noris restitutorem. Et utique si omnia homini resurgunt, cui procurata sunt, porro non homini, nisi & carni: quale est ut ipsa depereat in totum, propter quam, & cui nihil deperit?* cap. 12.

Profert tandem exemplum Phœnicis, qui *semetipsum lubenter funerans renovat, natali fine decedens, atque succedens.* Et ita concludit: *Sed homines semel interibunt, avibus Arabiæ de resurrectione securis?*

Tertia ratio Tertulliani. Homo totus à Deo judicari debet, sicut totus vixit: ergo in carne & anima divino sisti necesse est tribunali; ergo necesse est esse resurrectionem. *Hæc erit tota causa*, inquit, *imò necessitas resurrectionis; congruentissima scilicet Deo destinatio judicii: de cujus dispositione dispicias, an utrique substantiæ humanæ dijudicandæ censura divina præsideat, tam animæ, quàm & carni. Quod enim congruet judicari, hoc competit etiam resuscitari. Dicimus plenum primò perfectumque credendum Dei judicium, ut ultimum jam atque exinde perpetuum: ut sic quoque justum, dum non in aliquo minus; ut sic quoque Deo dignum, dum pro tanta ejus patientia plenum, atque perfectum. Itaque plenitudinem, perfectionemque judicii, nonnisi de totius hominis repræsentatione constare. Totum porro hominem ex utrius-*

*que substantia concretione parere : idcircoque in utraque exhibendum ; quem totum oporteat judicari, qui nisi totus, utique non vixerit, Qualis ergo vixerit, talem judicari : quia de eo quod vixerit, habeat judicari. Vita est enim causa judicii : per tot substantias dispungenda, per quot & functa est.*

Confirmatur. Caro bonorum vel malorum operum est comministra, particeps, & conscia : ergo & præmii, vel supplicii particeps & socia esse debet, adeoque resurgere. *Non sit particeps in sententia caro,* inquit, *si non fuerit & in causa. Sola anima revocetur, si sola decidit. At enim non magis sola decedit, quàm sola decucurrit illud, unde decedit : vitam hanc dico. Adeo autem non sola anima transigit vitam, ut nec cogitatus, licèt solos, licèt non ad effectum per carnem deductos, auferamus à collegio carnis. Siquidem in carne, & per carnem agitur ab anima, quod agitur in corde. Hanc denique carnis speciem, arcem animæ, etiam Dominus in sugillationem cogitatuum taxat ; Quid cogitatis in cordibus vestris nequam? Qui conspexerit mulierem ad concupiscendum, jam adulteravit in corde. Adeo & sine opere & sine effectu, cogitatus est carnis actus.... Negem factorum societatem, cui negare non possunt cogitatorum. Et illi quidem delinquentias carnis enumerant : ergo peccatrix tenebitur supplicio. Nos verò etiam virtutes carnis opponimus : ergo & bene operata tenebitur præmio. Etsi anima est, quæ agit, & impellit in omnia, carnis obsequium est, Deum non licet aut injustum judicem credi, aut inertem : injustum, si sociam bonorum operum à præmiis arceat ; inertem, si sociam malorum à suppliciis secernat : cùm humana censura eò perfectior habeatur, quò etiam ministros facti cujusque deposcit, nec parcens, nec invidens illis, quominus cum auctoribus, aut pœna, aut gratia communicent fructum.* cap. 15.

Matth. 9.

Matth. 5.

His rationibus probata mortuorum resurrectione, illam infinitis Scripturæ sacræ testimoniis demonstrat Tertullianus. Exorditur ab oraculis Prophetarum, & cavillos hæreticorum depellit, omnes Prophetarum voces ad allegoricos sensus detorquentium. Nam, *Si omnia figura,* inquit *quid erit illud cujus figura? Quomodo speculum ostendes, si nusquam est facies?* Ostendit subinde plura esse Prophetarum testimonia, quæ spiritalem sensum ingerant, & quæ tamen reipsâ adimpleta sint : & præterea plures esse voces eorum nudas & simplices, & ab omni allegoriæ nubilo puras, *Ut cùm exitus gentium, & urbium resonant, Tyri, & Ægypti, & Babylonis, & Idumææ, & Carthaginensium navium: ut cùm ipsius Israelis plagas, aut venias, captivitates, restitutiones, ultimaque dispersionis exitum perorant.* Indeque colligit non semper, nec in omnibus, allegoricam formam esse Prophetici eloquii, sed interdum, & in quibusdam duntaxat. Non autem esse referendas ad allegoriam prophetias mortuorum resurrectionem prædicentes, hac ratione ostendit. *Sunt tot ac talia instrumenta divina, ita apertè corporalem contestantia resurrectionem, ut nullam admittant figuratæ significantiæ suspicionem, & æquum est incerta de certis, & obscura de manifestis præjudicari : vel ne inter discordiam certorum & incertorum, manifestorum & obscurorum, fides dissipetur, veritas periclitetur, ipsa divinitas ut inconstans denotetur.* Cùm itaque plura sint Scripturæ sacræ testimonia, eaque certissima, & evidentissima, quæ futuram afferant resurrectionem : ex iis afferenda lux est locis obscurioribus.

Alteram ejusdem veritatis adducit rationem Tertullianus haud minùs luculentam. *Verisimile non est,* inquit, *ut ea species Sacramenti, in quam fides tota committitur, ambiguè annuntiata, & obscurè proposita videatur : quando spes resurrectionis nisi manifesta de periculo, & præmio, neminem ad*

A *ejusmodi præsertim religionem, publico odio, & hostili elogio obnoxiam persuaderet. Nullum opus certum est mercedis incertæ. Nullus timor justus est periculi dubii. Et merces autem, & periculum in resurrectionis pendet eventu. Sed etsi temporalia, & localia, & personalia Dei decreta, atque judicia in urbes & gentes & Reges, tam apertè prophetia jaculata est, quale est ut æterna dispositionet ejus, & universales in omne hominum genus, lucem sui fugerint? Quantò majora, tantò clariora esse deberent, ut majora crederentur.*

Quarta ratio Tertulliani hæc est. Christus totum B hominem salvabit : ergo non animam solam, sed & carnem.

Probatur antecedens. Christus salvabit totum quod periit : totus homo periit : ergo Christus totum salvabit : *In primis,* inquit, *cùm ad hoc venisse se dicit, uti quod periit salvum faciat, quid dicas periisse? Hominem sine dubio. Totumne, an ex parte? utique totum. Siquidem transgressio, quæ perditionis humanæ causa est, tam animæ instinctu ex concupiscentia, quàm & carnis actu, ex degustatione commissa, totum hominem elogio transgressionis inscripsit, atque exinde meritò perditionis implevit. To*C*tus itaque salvus fiet, qui periit totus delinquendo. Nisi si & ovis illa sine corpore amittitur, & sine corpore revocatur. Nam si caro quoque ejus cum animâ (quod pecus totum est) humeris boni Pastoris advehitur, ex utraque utique substantia restituendi hominis exemplum est. Aut quàm indignum Deo, dimidium hominem redigere in salutem? Cùm etiam sæcularium Principum plena semper indulgentia vindicetur. Diabolus validior in hominis injuriam intelligitur, totum eum elidens : Deus infirmior renuntiabitur, non totum eum relevans? Atqui & Apostolus suggerit, ubi delic*D*tum abundaverit, illic gratiam superabundasse. Quomodo denique salvus habebitur, qui poterit & perditus dici, carne scilicet perditus, anima verò salvus?* cap. 34.

Hinc Apostolus ad Romanos scribens cap. 12, hortatur ut exhibeamus corpora nostra hostiam vivam, sanctam, Deo placentem. *Sed quomodo vivam,* inquit Tertullianus, *si peritura sunt? quomodo placibilem, si damnata sunt? Age jam quod ad Thessalonicenses ipsius Solis radio putem scriptum: ita claret : qualiter accipient Lucifugæ isti Scripturarum, Ipse autem Deus pacis sanctificet vos totos? E Non sufficit, sed sequitur : Et integrum corpus vestrum & anima, & spiritus sine querela conserventur in præsentia Domini, habens omnem substantiam hominis saluti destinatam, nec alio tempore quàm in adventu Domini qui clavis est resurrectionis.* cap. 48.

*Resurget igitur caro,* concludit Tertullianus, *& quidem omnis, & quidem ipsa, & quidem integra. In deposito est ubicunque apud Deum, per fidelissimum sequestrem Dei & hominum Christum Jesum, qui & homini Deum, & hominem Deo reddet ; carni spiritum, & spiritui carnem. Utrumque jam in semetipso fœderavit, sponsam sponso, & sponsum sponsæ F comparavit. Nam etsi animam quis contenderit sponsam, vel dotis nomine animam sequitur caro. Non erit anima prostituta, ut nuda suscipiatur à Sponso. Habet instrumentum, habet cultum, habet mancipium suum carnem ; ut collactanea comitabitur. Sed caro est sponsa, quæ & in Christo Jesu spiritum sponsum per sanguinem pacta est. Hujus interitum quem putas, secessum scias esse.*

De resurrectione carnis legendi sunt Author Dialogi de Resurrectione, qui est tertius contra Marcionitas, apud Origenem, Sanctus Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 18. Illuminatorum ; Sanctus Gregorius Nyssenus, Dialogo de Anima & Resurrectione, à pag. 62. ad finem; Theodoretus

An ille Dialogus sit Origenis, expendemus suo loco.

lib.

lib. 5. Hæreticarum Fabularum, cap. 19. Sanctus Hieronymus Epistola 61. ad Pammachium, contra errores Joannis Hierosolymitani; Sanctus Augustinus lib. 20. de Civitate Dei cap. 19. & 20. & lib. 22. cap. 12. & sequentibus, usque ad 22. In Enchiridio cap. 84. & sequentibus, ad 92. & alibi; Sanctus Gregorius Magnus lib. 14. Moralium in Job cap. 27. & duobus sequentibus. Ab istorum porro Patrum rationibus & verbis referendis abstineo, quia vix aliquid hoc de argumento scripserunt, quod à prioribus illis, quorum testimonia & rationes adversùs Basilidem protulimus, dictum non esset.

Objicitur in gratiam Basilidis. Ex Apostolo 1. ad Corinthios 15. *Caro & sanguis regnum Dei possidere non possunt.* Atqui regnum Dei possiderent, si futura esset resurrectio: ergo resurrectio non est futura.

Basilidis & aliorum Hæreticorum argumentum contra Resurrectionem corporum respondetur.

Respondeo primò: Distinguo Majorem, & interpretor verba Apostoli. *Caro & sanguis regnum Dei possidere non possunt...* Si sola & per se spectentur, absque Spiritu Dei, concedo. Si prout à Spiritu Dei vivificata, nego. Illi itaque dicti sunt ab Apostolo caro & sanguis, qui Spiritum Dei non habent, sine quo Christianus homo perfectus non est: & hi regnum Dei non possidebunt. Resurgent tamen in resurrectionem judicii. Hæc solutio est Sancti Irenæi lib. 5. adversùs Hæreses cap. 9. *Sunt tria*, inquit, *ex quibus perfectus homo constat, carne, anima, & spiritu, & altero quidem salvante, & figurante, qui est spiritus; altero quod unitur & formatur, quod est caro. Id verò quod inter hæc est duo, est anima, quæ aliquando quidem subsequens spiritum, elevatur ab eo; aliquando autem consentiens carni, decidit in terrenas concupiscentias. Quotquot ergo id quod salvat, & format in vitam, non habent, hi consequenter erunt, & vocabuntur caro & sanguis: quippe qui non habent Spiritum Dei in se. Propter hoc autem & mortui tales dicti sunt à Domino: Sinite enim, inquit, mortuos sepelire mortuos suos: quoniam non habent Spiritum vivificantem hominem. Quotquot autem timent Deum, & credunt in adventum Filii ejus, & per fidem constituunt in cordibus suis Spiritum Dei, hi tales justè homines dicentur & mundi, & spirituales, & viventes Deo, quia habent Spiritum Patris; qui emundat hominem, & sublevat in vitam Dei..... Igitur caro sine Spiritu Dei mortua est, non habens vitam, regnum Dei possidere non potest, sanguis irrationalis, velut aqua effusa in terram. Et propter hoc ait: Qualis terrenus, tales & terreni. Ubi autem Spiritus Patris, ibi homo vivens, sanguis rationalis, ad ultionem à Deo custoditus, caro à spiritu possessa, oblita quidem sui, qualitatem autem spiritus assumens, conformis facta est Verbo Dei. Et propterea ait: Sicut portavimus imaginem ejus qui de terra est, portemus & imaginem ejus, qui de cœlo est..... Quoniam igitur sine Spiritu Dei salvari non possumus, adhortatur Apostolus nos per fidem, & castam conversationem conservare Spiritum Dei, ut non sine participatione Sancti Spiritus facti, amittamus regnum cœlorum. Et clamavit non posse carnem solam & sanguinem regnum Dei possidere. Si enim oportet verum dicere, non possidet, sed possidetur caro.... Sicut igitur sponsa assumere sponsum non potest, assumi autem à sponso potest, cum venerit, & acceperit eam sponsus: sic & caro hæc secundùm seipsam, id est sola, regnum Dei hæreditate possidere non potest. Hæreditate autem possideri in regno à spiritu potest. Hæreditate enim possidet, qui vivificat ea quæ sunt mortua. Et aliud quidem est hæreditate possidere, aliud autem hæreditate possideri. Ille enim dominatur & præest, & possidet ea quæ hæreditate possidet, quemadmodum ipse velit.* A *Illa verò subjecta sunt, & obediunt, & sub dominio sunt ejus qui possidet. Quid igitur est quod vivit? Spiritus Dei. Quæ sunt autem quæ sunt mortua? Membra hominis, quæ & corrumpuntur in terra. Hæc autem possidentur à spiritu, translata in regnum cœlorum.* Sensus itaque horum verborum, *Caro & sanguis regnum Dei non possidebunt*, secundùm Sanctum Irenæum, hic est: *Nolite errare, quoniam nisi Verbum Dei inhabitaverit, & Spiritus Patris fuerit in vobis, vanè autem & prout evenit, conversati fueritis, quasi tantum caro & sanguis existentes, regnum Dei possidere non poteritis.*

B Id egregia similitudine explicat Sanctus Irenæus, olivæ scilicet neglectæ & incultæ, quæ in oleastrum degenerat, & silvestres duntaxat fructus parturit; & oleastri inserti in bonam olivam, & exculti, qui evadit oliva fructifera. Sicque ait homines salutem negligentes suam, carnis concupiscentias velut silvestres fructus edere, nec justitiæ fructus parturire. Si verò Verbum Dei velut insertionem accipiant, eos in pristinam hominis redire naturam, quâ secundùm imaginem & similitudinem Dei factus est. *Sed quemadmodum oleaster insertus, substantiam quidem ligni non amittit, qualitatem autem* C *fructûs immutat, & aliud percipit vocabulum, jam non oleaster, sed fructifica oliva existens, & dicitur, sic & homo per fidem insertus, & assumens Spiritum Dei, substantiam quidem carnis non amittit, qualitatem autem fructus operum immutat, & aliud accipit vocabulum, significans illam, quæ in melius est transmutationem, jam non caro & sanguis, sed homo spiritalis existens, & dicitur. Quemadmodum autem rursus oleaster, si non participat insertionem, perseverat inutilis suo domino per suam silvestrem qualitatem, & quasi infructuosum lignum exciditur, & in ignem mittitur: sic & homo non assumens per fi-* D *dem Spiritus insertionem, perseverat hoc esse quod erat antea, Caro & sanguis regnum Dei possidere non possunt. Et qui in carne sunt, Deo placere non possunt: non substantiam rejiciens carnis, sed infusionem Spiritus attrahens.* Hæc Sanctus Irenæus cap. 10. libri præfati.

Respondeo secundò; distinguo Majorem: & hæc verba, *caro & sanguis*, conversationem carnis, & opera carnalia significant, concedo: & significant ipsam carnis substantiam, nego. Cùm enim præmiserit hanc adhortationem Apostolus, *Sicut por-* E *tavimus imaginem terreni, sic portemus imaginem cœlestis*, deinde subjungat; *Hoc enim dico, quod caro & sanguis regnum Dei possidere non possunt*, nihil aliud intelligi innuit nomine carnis & sanguinis, quàm imaginem supradictam terreni, *quæ in conversatione censetur vetustatis*, ut Tertullianus ait. Certè si his verbis carnis substantia excluderetur à regno Dei, sequeretur carnem Christi nullam in regno Dei partem habere, quod citra blasphemiam nemo asseret. Christus namque *Sequester Dei atque hominum appellatus, ex utriusque partis deposito commisso sibi, carnis quoque depositum servat in semetipso, arrhabonem summæ totius. Quemad-* F *modum enim nobis arrhabonem Spiritus reliquit, ita & à nobis arrhabonem carnis accepit, & vexit in cœlum pignus totius summæ illuc quandoque redigendæ*, inquit Tertullianus. Unde sic concludit: *Secura estote, caro & sanguis; usurpastis & cœlum, & regnum Dei in Christo. Aut si negent vos in Christo, negent & in cœlo Christum, qui vobis cœlum negaverunt.* cap. 51.

Respondeo tertiò, carnem & sanguinem, si pro hominibus carnalium operum corruptela infectis sumantur, non resurrectura in regnum Dei; sed nego quòd nullatenus resurgant. *Non enim resurrectio carni & sanguini directò negatur* (inquit Tertullianus)

tullianus ) *sed Dei regnum, quod obvenit resurrectioni, ( est autem & in judicium resurrectio ) imò & confirmatur carnis resurrectio generalis ; cùm specialis excipitur. Dum enim in quem statum non resurgat edicitur, in quem resurgat, subauditur. Atque ita dum pro meritis distinctionem resurrectionis, opus substantiæ, non genus, patitur : apparet hinc quoque carnem & sanguinem, nomine culpæ, non substantiæ, arceri à Dei regno ; nomine tamen formæ resurgere in judicium, quia non resurgant in regnum.* cap. 50.

Objectio secunda petitur ex Apostolo 2. ad Corinthios 4. duplicem hominem distinguente, unum exteriorem, qui corrumpitur ; alterum interiorem, qui renovatur : sed homo vetus & exterior est caro, novus homo & interior est anima ; ergo caro in perpetuum corrumpetur, sola verò anima renovabitur.

Respondeo, nego Minorem. Neque enim *Anima novus homo, quia posterior ; nec caro ideo vetus, quia prior. Quantulum enim temporis inter manum Dei, & afflatum? Ausim dicere, etiamsi multo prior animâ caro, eo ipsò quod animâ impleri se expectavit, priorem eam fecit. Omnis enim consummatio, atque perfectio, etsi ordine posthumat, effectu tamen anticipat. Magis illud prius est, sine quo priora non possunt*, inquit Tertullianus cap. 45. Veterem igitur hominem, pristinam conversationem intellexit Apostolus, non substantiam carnis. Ait enim, *Expoliantes vos veterem hominem. Nec tamen carnem principis deponamus, sed quæ & alibi carnalia ostendit, opera, non corpora accusans, de quibus & hic subjicit : Deponentes mendacium, loquimini veritatem, &c. Igitur qui carnem, veterem hominem existimant, cur non mortem sibi properant, ut vetere homine deposito, præceptis Apostoli occurrant? Nos enim qui totam fidem in carne administrandam, credidimus, immo & per carnem, cujus est & os ad proferendum optimum quemque sermonem, & lingua ad non blasphemandum, & cor ad non indignandum, & manus ad operandum, & largiendum ; tam vetustatem hominis, quàm novitatem, ad moralem, non ad substantialem differentiam pertinere defendimus. Atque ita pariter agnoscimus, hominem, qui secundùm pristinam conversationem vetus fuerit, eundem & corrumpi, ita dictum secundùm concupiscentiam seductionis, quemadmodum & veterem secundùm pristinam conversationem, non secundùm carnem, per interitum perpetuum. Cæterùm carne tam salvum, quàm eundem : utpote vitiosam disciplinam, non corpulentiam exutum.* cap. 45.

Præterea, cùm ait Apostolus exteriorem hominem corrumpi, interiorem verò renovari die ac die ; non intelligit *Illam corruptelam carnis, quam ex die mortis in perpetuum defectura patiatur : Sed quam in istius vitæ spatio, ante mortem, & usque ad mortem vexationibus & pressuris, tormentis atque suppliciis ; nominis* Christiani *causâ experietur. Nam & homo interior hic utique renovari habebit per suggestum Spiritus, proficiens fide & disciplina die ac die : non illic, id est, non post resurrectionem : ubi non utique die ac die renovari habemus, sed semel ad summam.* Id sequentia verba confirmant : *Id enim*, inquit, *quod in præsenti est momentaneum & leve tribulationis nostræ, suprà modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis, non contemplantibus nobis quæ videntur ; sed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia sunt ; quæ autem non videntur, æterna sunt.* Apostolus *itaque pressuras & læsuras, quibus corrumpitur homo exterior, ut leves & temporales, idcirco contemnendas affirmat, præferens mercedem æternarum, invisibilium, & gloriæ pondus, in compensationem*
A *laborum, quos hic caro patiendo, corrumpitur. Adeò non illa est corruptio, quam in perpetuum carnis interitum ; ad resurrectionem expellendam, exteriori homini adscribunt.*

Objicitur tertiò. Resurrectio carnis implicat contradictionem : ergo non est futura.

Antecedens probatur. Implicat contradictionem ut resurgat caro, & non resurgat : atqui resurgeret simul, & non resurgeret, &c.

Probatur Minor. Resurgeret enim, quæ hypothesis est : non resurgeret, quia non esset eadem caro.

Respondeo, nego antecedens : ad ejus probatio-
B nem nego Minorem. Ad cujus rursus probationem nego antecedentis partem alteram. Cùm verò dicitur, quòd non esset eadem caro, distinguo hanc propositionem. Non esset eadem conditione, statu, qualitate, concedo ; non esset eadem substantiâ, nego. Itaque mutabitur caro resurrectione, non perdetur : magnum enim perditionem inter ac mutationem discrimen intercedit. *Periisse enim est, in totum non esse quod fuerit : mutatum esse, aliter esse est. Porro dum aliter est, idipsum potest esse : habet enim esse quod non perit : Mutationem enim passum est, non perditionem. Atque adeo potest & demutari quid, & ipsum esse nihilominus. Ut & totus ho-*
C *mo in hoc ævo substantiâ quidem ipse sit, multifariàm tamen demutetur, & habitu, & ipsa corpulentia, & valetudine, & conditione, dignitate, & ætate, studio, negotio, artificio, facultatibus, legibus, moribus ; nec quidquam tamen amittat hominis ; nec ita alius efficiatur, ut cesset idem esse : immo nec alius efficiatur, sed aliud. Hanc formam demutationis divina etiam documenta testantur. Mutatur Mosi manus, & quidem adinstar emortuæ, exanguis : & albida, frigida : sed & recepto calore, & refuso colore, eadem caro & sanguis est. Mutatur postea & facies ejusdem incontemplabili claritate. Sed Moses erat proinde qui non videbatur. Sic*
D *& Stephanus Angelicum jam fastigium induerat, sed non alia genua lapidationi succiderant. Dominus quoque in secessu montis etiam vestimenta luce mutaverat, sed lineamenta Petro agnoscibilia servaverat, ubi etiam Moses, & Helias : alter in imagine carnis nondum accepta, alter in veritate nondum defuncta, eandem tamen habitudinem corporis etiam in gloria perseverare docuerunt . . . . Ita & in resurrectionis eventum mutari, converti, reformari licebit, cum salute substantiæ.* Hæc Tertullianus cap. 55.

Objicitur quartò : Si eadem caro esset suscitanda, sequeretur, cæcos, claudos, paralyticos
E cum suis defectibus suscitandos : atqui istud absurdum est ; ergo non suscitabitur eadem caro. Ergo non erit resurrectio, quæ est instauratio ejusdem carnis.

Repondeo, nego consecutionem Majoris. *Si enim caro de dissolutione reparabitur*, inquit Tertullianus, *multò magis de vexatione revocabitur. Minoribus majora præscribunt. Cujuscunque membri detruncatio, vel obtusio, nonne mors membri est? Si universalis mors resurrectione rescinditur, quid portionalis? Si demutamur in gloriam, quantò magis in incolumitatem? Vitiatio corporum accidens res*
F *est, integritas propria est. In hac nascimur. Etiamsi in utero vexemur, jam hominis est passio : prius est genus, quàm casus. Quomodo vita confertur à Deo, ita & refertur. Quales eam accepimus, tales & recipimus. Natura, non injuria reddimur. Quod nascimur, non quod lædimur, reviviscimus . . . . Oro te, si famulum tuum libertate mutaveris, quia eadem caro atque anima permanebunt, quæ flagellis, & compedibus, & stigmatibus obnoxia retro fuerant,*

*Idcirco-ne illa eadem pati oportebit? Non opinor. Atqui & vestis alba nitore, aurei annuli honore, & patroni nomine, ac tribu, mensaque honoratur. Permitte hanc & Deo potestatem, per vim illius demutationis; conditionem, non naturam reformandi; dum & passiones auferuntur, & munitiones conferuntur. Ita manebit quidem caro etiam post resurrectionem, eatenus passibilis quâ ipsa, quâ eadem; eâ tamen impassibilis, quâ in hoc ipsum manumissa à Domino, ne ultrà pati possit.* cap. 57.

Hanc responsionem eleganti similitudine illustrat Sanctus Augustinus lib. 22. de Civitate Dei cap. 19. *Si enim statuam*, inquit, *potest artifex homo, quam, propter aliquam causam deformem fecerat, conflare, & pulcherrimam reddere, ita ut nihil inde substantiæ, sed sola deformitas pereat, ac si quid in illa figurâ priore indecenter extabat, nec parilitati partium congruebat, non de toto, unde fecerat, amputare atque separare, sed ita conspergere universa atque miscere, ut nec fœditatem faciat, nec minuat quantitatem: quid de omnipotenti Artifice sentiendum est?* Et infra: *Omnis corporis pulchritudo, est partium congruentia cum quadam coloris suavitate. Ubi autem non est partium congruentia, aut ideo quid offendit, quia parvum est: aut ideo, quia nimium. Proinde nulla erit deformitas, quam facit incongruentia partium, ubi & quæ prava sunt corrigentur: & quod minus est quàm decet, unde Creator novit, supplebitur: & quod plus est quam decet, materia servatâ integritate, detrahetur. Coloris porro suavitas quanta erit, ubi justi fulgebunt sicut Sol in regno Patris sui?*

Objicitur quintò. Resurrectio esse non potest absque membris: sed membra hominis non resurgent; ergo non erit resurrectio.

Probatur Minor. Membra humani corporis vel ad manducandum & potandum, vel ad generandum pleraque ordinantur: sed illa non resurgent: alioqui essent frustra, Deus autem nihil frustra facit; ergo, &c.

Præterea. Sexus fœmineus, cùm sit imperfectus, non resurget: itaque non instaurabitur idem corpus.

Respondeo, nego Minorem prioris syllogismi. Ad ejus probationem distinguo Majorem: Et ad ea tantùm officia ordinantur, nego; & ordinantur insuper ad humani corporis integritatem, concedo: Nego etiam Minorem: Licet enim in resurrectione liberanda sint membra ab officiis, quibus vitæ hujus necessitatibus serviebant, non ideo non erunt necessaria. Nam, ut ait egregiè Tertullianus cap. 6. *Licet officiis liberentur, sed judiciis retinentur: ut quis referat per corpus, prout gessit. Salvum enim hominem tribunal Dei exigit: Salvum verò sine membris non liquet eum, ex quorum non officiis, sed substantiis constat. Nisi fortè & navem sine carina, sine prora, sine puppi, sine compaginis totius incolumitate salvam asseverabit.* Nec sequitur frustra fore humana membra, si vitæ corruptibilis officiis non vacent; alioqui frustra essent in Christianis, qui multorum dierum mediam sustinent, & virginitatem perpetuam servant. *Quadraginta diebus Moses & Elias jejunio functi, solo Deo alebantur*, (inquit Tertullianus.) *Jam tunc enim dedicabatur, Non in pane vivet homo, sed in Dei verbo. Ecce virtutis futura lineamenta. Nos quoque, ut possumus, os cibo excusamus. Etiam sexum à congressione subducimus. Quot spadones voluntarii? Quot virgines Christo maritatæ? Quot steriles utriusque naturæ? Nam etsi hîc jam vacare est & officia & emolumenta membrorum temporali vacatione, ut in temporali dispositione; nec homo tamen minùs salvus est. Proinde homine salvo, & quidem magis tunc ut in æterna dispositione, magis non desiderabimus, quæ jam hîc non desiderare consuevimus.* cap. 61.

Non mirum porro quòd humana membra his vitæ præsentis officiis careant, salva integritate sua, cùm Dominus de hominibus post resurrectionem dixerit, *Erunt tanquam Angeli. Igitur*, inquit Tertullianus, *si Angeli facti tanquam homines, in eadem substantia spiritus carnalem tractationem susceperunt, cur non & homines facti tanquam Angeli, in eadem substantia carnis spiritualem subeant dispositionem; non magis solemnibus carnis obnoxii sub Angelico indumento, quàm Angeli tunc solemnibus spiritus sub humano? Nec ideo non permansuri in carne, quia non & in solemnibus carnis: cùm nec Angeli ideo non & in spiritu permanserint, quia & in solemnibus spiritûs. Denique, non dixit; Erunt Angeli, ne homines negaret: sed, tanquam Angeli, ut homines conservaret. Non abstulit substantiam, cui similitudinem attribuit.* cap. 62.

Respondeo ad secundum, nego antecedens. *Non est enim vitium sexus femineus: sed natura: quæ tunc quidem & à concubitu, & à partu immunis erit. Erunt tamen membra feminea, non accommodata usui veteri, sed decori novo, quo non alliciatur aspicientis concupiscentia, quæ nulla erit, sed Dei laudetur sapientia, atque clementia: qui & quod non erat, fecit, & liberavit à corruptione, quod fecit*, inquit Sanctus Augustinus lib. 22. de Civitate Dei cap. 17. Et infrà: *Qui ergo utrumque sexum instituit, utrumque restituit. Denique & ipse Jesus interrogatus à Saducæis, cujus septem fratrum erit uxor, quam singuli habuerunt? Erratis, inquit, nescientes Scripturas, neque virtutem Dei. Et cùm locus esset, ut diceret; De qua me interrogatis, vir erit ipsa; non mulier; non hoc dixit, sed dixit: In resurrectione enim neque nubent, neque uxores ducent: sed sunt sicut Angeli Dei in cælo. Nuptias ergo Dominus in resurrectione negavit esse, non feminas: & ibi negavit, ubi talis quæstio vertebatur, ut eam negato sexu muliebri, celeriore facilitate dissolveret, si eum ibi prænosceret non futurum.*

Objicitur sextò. Corpora nostra resurgere non possunt, nisi ipsorum materia restauretur: atqui omnium corporum restaurari materia non potest, cùm multa sint à feris assumpta, multa à piscibus absorpta; ergo omnes saltem homines non resurgent.

Respondeo, nego Minorem. Nam *Non periit Deo terrena materies, de qua mortalium creatur caro: sed in quemlibet pulverem, cineremve solvatur; in quoslibet halitus, aurasque diffugiat; in quamcunque aliorum corporum substantiam, vel in ipsa elementa vertatur; in quorumcunque animalium, etiam hominum cibum cedat, carnemque mutetur, illi animæ humanæ puncto temporis redditur, quæ illam primitus ut homo fieret, cresceret, viveret, animavit*, (inquit Sanctus Augustinus in Enchiridio cap. 88.)

---

## DISSERTATIO XXVII.

### Adversùs Cerinthum.

### ARTICULUS PRIMUS.

*Quo refellitur ejus error Christum à Jesu dividentis, & purum esse hominem asserentis, ex Joseph genitum.*

I. REFELLITUR hic error authoritate Sancti Joannis primo Evangelii sui capite

pire; ubi unum & eundem novit Verbum Dei unigenitum, & incarnatum pro salute nostra: *In principio*, inquit, *erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum .... & Verbum caro factum est.*

II. Authoritate Sancti Matthæi, ipsius etiam Evangelii sui initio: *Liber generationis Jesu Christi, filii David.* Et postea: *Christi autem generatio sic erat. Cum esset desponsata mater ejus Joseph, priusquam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto.* Deinde cùm Sanctus Joseph de Sanctissima Conjuge dimittenda cogitaret, dixit ei Angelus: *Joseph fili David! ne timeas accipere Mariam conjugem tuam. Quod enim in eâ natum est, de Spiritu Sancto est. Pariet autem filium, & vocabit nomen ejus Jesum. Hic enim salvum faciet populum suum à peccatis eorum. Hoc autem factum est, ut adimpleretur quod dictum est per Prophetam: Ecce Virgo concipiet in utero, & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel.* Quibus verbis disertè ostenditur Christum non esse alium à Jesu. *Poterat enim dicere Matthæus: Jesu vero generatio sic erat. Sed prævidens Spiritus Sanctus depravatores, & præmuniens contra fraudulentiam eorum, per Matthæum ait: Christi autem generatio sic erat; & quoniam hic est Emmanuel, ne fortè tantum eum hominem putaremus*, ut Sanctus Irenæus observat lib. 3. adversùs Hæreses cap. 18. Multis aliis Evangelistarum & Apostolorum testimoniis hunc errorem confodit idem Sanctus Doctor, maximè autem his Sancti Joannis, Evangelii sui cap. 20. *Hæc autem scripta sunt ut credatis quoniam Jesus est Christus Filius Dei, & ut credentes, vitam habeatis in nomine ejus.* Quæ verba scripsit Sanctus Joannes, *providens has blasphemas regulas, quæ dividunt Dominum, ex altera substantia dicentes eum factum*, ut ait idem Irenæus. Et idem Apostolus 1. Epistolæ cap. 2. hunc errorem percellit, Antichristum vocans eum qui negaverit *quoniam Jesus est Christus.* Denique Sanctus Paulus ad Romanos scribens cap. 5. ait: *Multò magis gratia Dei & donum, in gratia unius hominis Jesu Christi in plures abundavit. NESCIT ergo eum, qui evolavit, Christum, à Jesu; neque eum novit Salvatorem, qui sursum est, quem impassibilem dicunt. Si enim alter quidem passus est, alter autem impassibilis mansit; & alter quidem natus est, alter vero in eum qui natus est, descendit, & rursus reliquit eum, non unus, sed duo monstrantur.* Ita ratiocinatur Sanctus Irenæus loco citato.

Probatur secundò authoritate ejusdem Sancti Irenæi cap. 19. libri citati, Christum non descendisse in Jesum. *Etenim*, inquit, *potuerunt dicere Apostoli Christum descendisse in Jesum. Sed nihil quidem tale neque scierunt, neque dixerunt: si enim scissent, dixissent utique. Quod autem erat, hoc & dixerunt, Spiritum Dei sicut columbam descendisse in eum, hunc Spiritum de quo ab Esaia dictum est: Et requiescet super eum Spiritus Dei*, &c.

III. Refellitur error Cerinthi asserentis Christum esse purum hominem, omnibus illis Scripturæ sacræ locis, quibus Deus, & Dominus, & Unigenitus Patris, Filius Dei vivi, & Rex æternus appellatur. *Hoc autem non testificaretur Scriptura de eo.* (Inquit Sanctus Irenæus cap. 21.) *si similiter ut omnis homo tantùm fuisset.*

IV. Sanctus Ignatius hunc Cerinthi errorem confodit his verbis in Epistola ad Ephesios: *Medicus autem unus est, & carnalis & spiritualis, genitus & ingenitus, seu factus & non factus, in homine existens Deus, in morte vita vera, & ex Maria, & ex Deo, primùm passibilis, & tunc impassibilis, Jesus Christus Dominus noster.*

Et ibidem; *Deus enim noster Jesus Christus in utero gestatus est à Maria, juxta dispositionem Dei, ex semine Davidis, Spiritu autem Sancto.*

Et in Epistola ad Magnesianos. *Unus Deus est, qui seipsum manifestavit per Jesum Christum Filium suum, qui est Verbum ipsius æternum.*

V. Sanctus Polycarpus in Oratione ad Deum fusa in procinctu Martyrii, quam refert Ecclesia Smyrnensis in Epistola sua encyclica, Cerinthi errorem confundit his verbis: *Domine Deus omnipotens, Pater dilecti ac benedicti Filii tui Jesu Christi, per quem tui notitiam accipimus, Deus Angelorum, & Virtutum, ac universæ creaturæ, totiusque Justorum generis, qui vivunt in conspectu tuo, benedico te*, &c.

VI. Sanctus Justinus Martyr Apologiâ 2. Cerinthi errorem his verbis prosternit *Et horum omnium Magistrum nos habere, qui in hoc ipsum genitus, & sub Pontio Pilato Judææ, Tiberii Cæsaris temporibus Procuratore, crucifixus est, Jesum Christum: eundemque, quod ipsius veri & singularis Dei Filium esse edocti sumus, secundo loco, ac Spiritum propheticum tertio ordine, nos cum ratione venerari & colere demonstrabimus.* Et infrà. *Et Jesus Christus, unus & solus propriè Filius Deo genitus, qui nimirum Ratio. & Verbum ejus, & Primogenitus, & Virtus est, atque de consilio voluntateque ejus instaurandi & restituendi humani generis ergò homo factus, nos ista docuit.*

Idem Apologiâ 1. hæc habet: *Universarum autem rerum Patri, quia ingenitus est, nomen impositum non est ..... Porro Filius ejus, qui solus propriè dicitur Filius, Verbum, simul cum illo ante creaturas & existens, & nascens, quoniam primitus per eum cuncta ordinavit, & ornavit. Christus quidem ex eo, quod per illum Deus omnia conformaverit, atque ornaverit, appellatur: quod & ipsum nomen est significationem minimè notam complectens: quemadmodum & Dei appellatio nomen non est, sed rei ineloquibilis natura hominum insita opinio, Jesus verò, & hominis & Servatoris nomen ac designationem habet. Nam & homo, sicuti prius diximus, est factus, ex Dei & Patris consilio, atque voluntate, partu editus.*

Et in Dialogo contra Tryphonem, pag. 254. demonstrat Christum *Deum*, & *Dominum Virtutum*, in Scriptura sacra appellari. Et passim in toto Dialogo probat, ea quæ in sacris Literis, maximè verò in Psalmis, de summo omnium Domino ac Deo dicuntur, Christo convenire, & hunc esse, qui Abrahamo, Moysi, & Patriarchis apparuit, quem tanquam Deum suum adorarunt, quique eo nomine, & quidem Tetragrammaton illic insignitur.

VII. Sanctus Irenæus hunc Cerinthi errorem evertit his verbis: *Sicut enim homo erat*, Christus, *ut tentaretur, sic & Verbum ut glorificaretur, requiescente quidem Verbo, ut posset tentari, & inhonorari, & crucifigi, & mori; absorpto autem homine, in eo quod vincit, & sustinet, & resurgit, & assumitur. Hic igitur Filius Dei Dominus noster existens Verbum Patris, & Filius hominis, quoniam ex Maria, quæ ex hominibus, habebat genus, quæ & ipsa erat homo, habuit secundùm hominem generationem, factus est filius hominis.*

Et antea; *Propter hoc Verbum Dei homo, & qui Filius Dei est, filius hominis factus est, commixtus Verbo Dei, ut adoptionem percipiens, fiat filius Dei. Non enim poteramus aliter incorruptelam, & immortalitatem accipere, nisi aduniti fuissemus incorruptelæ & immortalitati. Quemadmodum autem adunari possemus incorruptelæ, & immortalitati, nisi prius incorruptela & immortalitas facta fuisset id quod & nos, ut absorberetur quod erat corruptibile*

*bile ab incorruptela, & quod erat mortale ab immortalitate, ut filiorum adoptionem perciperemus?*

VIII. Tertullianus lib. contra Praxeam cap. 13. eundem Cerinthi errorem expugnat. *Itaque*, inquit, *Deos omnino non dicam, nec Dominos; sed Apostolum sequar, ut si pariter nominandi fuerint Pater, & Filius, Deum Patrem appellem, & Jesum Christum Dominum nominem. Solum autem Christum potero Deum dicere, sicut idem Apostolus: Ex quibus Christus, qui est*, inquit, *Deus super omnia benedictus in avum omne.*

Et cap. 28. postquam protulit verba Apostoli ad Galat. 1. scribentis. *Paulus Apostolus, non ab hominibus, neque per hominem, sed per Jesum Christum & Deum Patrem*, hæc subjungit: *Et habes totainstrumenta ejus, qua in hunc modum pronuntiant, & duos proponunt, Deum Patrem, & Dominum nostrum Jesum Christum Filium Patris, & Jesum ipsum esse Christum, in altero quoque nomine Dei Filium. Nam exinde eo jure quo utrumque nomen unius est, id est Dei Filii, etiam alterum sine altero ejusdem est. Et sive Jesus tantummodo positus est, intelligitur & Christus; quia Jesus unctus est: Sive solummodo Christus, idem est Jesus, quia unctus est Jesus. Quorum nominum alterum est proprium, quod ab Angelo impositum est: alterum accidens, quod ab unctione convenit; dum tamen Christus Filius sit, non Pater.*

IX. Sanctus Cyprianus lib. 2. adversùs Judæos, ad Quirinum cap. 1. multis Scripturæ sacræ testimoniis probat, *Christum primogenitum esse, & sapientiam Dei, per quem omnia facta sunt.* Et cap. 3. *Quòd Christus idem sit Sermo Dei.* Et cap. 6. *Quod Deus Christus sit.* Et lib. de Idolorum Vanitate: *Hic est virtus Dei*, inquit, *hic ratio, hic sapientia ejus, & gloria: hic in Virginem illabitur; carnem, Spiritu Sancto cooperante, induitur. Deus cum homine miscetur: hic Deus noster, hic Christus est.*

X. Origenes Christum non esse purum hominem disertè asserit lib. 7. contra Celsum. *Quod si divinum quiddam*, inquit, *erat in eo homine, qui in illo intelligitur; cujusmodi erat Unigenitus Dei, & Primogenitus omnis creatura, qui dicit, Ego sum veritas; &, ego sum vita, & ego sum ostium, &c. Alia nimirum est hujus & substantia ipsius ratio prater eam, qua est hominis in Jesu considerati.*

XI. Minutius Felix in Octavio, Gentilibus hominem crucifixum à Christianis pro Deo coli objicientibus, sic respondet: *Nam quod religioni nostra hominem noxium, & crucem adscribitis, longè de vicinia veritatis erratis: qui putatis Deum credi aut meruisse noxium, aut potuisse terrenum.*

Proferri possent sequentium sæculorum Patres, quorum non tam testimonia, quàm volumina Cerinthum prosternunt, & Christi divinitatem propugnant. Verùm hæc sufficient adversùs recentiores Cerinthianos, & Ebionitas (Socinianos dico) qui trium duntaxat priorum sæculorum Patres audiunt, & violatam à Nicænis Patribus Apostolicam de Trinitate & Incarnatione traditionem effutiunt.

XII. Sed & Josephus ipse, Judæus licèt religione & genere, Christi divinitati attestatur lib. 18. Antiquitatum Judaicarum cap. 4. *Eodem tempore*, inquit, *fuit Jesus vir sapiens, si tamen virum eum fas est dicere: erat enim mirabilium operum patrator, & Doctor eorum qui libenter vera suscipiunt. Christus hic erat*, &c. Locum integrum descripsimus in Synopsi cap. 3.

Hunc locum Josephi genuinum quidam esse negant, ex Heterodoxorum grege, Grammatici potiùs quàm Theologi, reclamantibus Antiquis, & Eusebio præsertim Historiæ Ecclesiasticæ parente. Futilibus ratiunculis tam splendidum nobis testimonium eripere conantur, quibus respondimus Dissertatione postrema in Historiam Veteris Testamenti.

Objicitur in gratiam Cerinthi. Solus Pater æternus Deus est; ergo Christus est merus homo.

Probatur antecedens, ex cap. 17. Joannis, ubi Christus ita Patrem alloquitur: *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum.* Et ex 1. ad Corinthios cap. 8. ubi Apostolus ait: *Nam etsi sunt, qui dicantur Dii, sive in cælo, sive in terra, siquidem sunt Dii multi, & Domini multi: nobis tamen unus Deus, Pater, ex quo omnia, & nos in illum, & unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia, & nos per ipsum.* Ubi Apostolus Christum distinguit ab uno & summo Deo.

*Christi Jesu divinitas vindicatur contra Cerinthum & Socinianos illorum Objectionibus respondetur.*

Respondeo, nego antecedens. Ad cujus probationem respondeo, in priori Scripturæ sacræ loco solum Patrem nominari Deum verum, ut excludantur falsi Dii Gentilium; non ut excludatur Christus. Sic explicant Sanctus Athanasius lib. 4. contra Arianos pag. 457. & Sanctus Epiphanius Hæresi 25. Dici etiam potest, his verbis, veri Dei nomen cum Christo esse communicatum, ut hic sit illorum sensus: Hæc est vita æterna, ut cognoscant te, & quem misisti Jesum Christum, esse solum verum Deum. Sic interpretatur Sanctus Augustinus l. 3. contra Maximinum Arianum c. 15. & Sanctus Ambrosius lib. 5. de Fide ad Gratianum cap. 1. dicens: *Conjunctione illa & Patrem utique copulavit, & Filium, ut Christum verum Deum à majestate Patris nemo secernat: Nunquam enim conjunctio separat.* Quod verò dictio exclusiva, *solus*, Filium non excludat, ex aliis Scripturæ locis ostendit Sanctus Ambrosius: dicit enim Deus Isai. 44. *Extendit cælum solus*, & tamen *non extendit sine Filio Pater. Ipse enim Filius qui sapientia Dei est, dixit: Quando parabat cælos, cum ipso aderam. Et Paulus de Filio dictum esse confirmat: Initio terram tu fundasti Domine, & opera manuum tuarum sunt cæli.* Sic cùm dicitur de Deo Joannis 5. *Qui solus habet immortalitatem*, non excluditur Filius. *Quomodo enim immortalitatem non habet, qui vitam habet in semetipso? Habet utique in natura, habet in substantia, & habet non per gratiam temporalem, sed per sempiternam divinitatem habet. Non ex dono quasi servus, sed ex generationis proprietate, quasi Filius coaternus. Cum ergo inter Patrem & Filium vita nulla distantia sit, quemadmodum quòd immortalitatem solus habeat Pater, Filius non habeat, æstimari potest?* inquit Sanctus Ambrosius loco supra laudato. *Ergo in solo vero Deo Patre, & Filium Dei solum verum, secundum divinitatis intelligimus unitatem, & in Jesu Christi nomine, quod ex Virgine natus accepit, Incarnationis agnoscimus sacramentum. Quòd si, cùm solum verum Deum Patrem legunt, Filium cupiunt separare: Ergo cum de Filii incarnatione legunt: Hic est lapis qui reprobatus est à nobis ædificantibus, qui factus est in caput anguli*, &c. Et infrà; *Non est aliud nomen sub cælo datum hominibus; in quo oporteat nos salvos fieri, Patrem existimant ab impertienda nobis salutis beneficio separandum. Sed neque sine Patre salus, neque vita æterna sine Filio.* Hæc Sanctus Ambrosius.

Idem respondeo ad secundum, scilicet ab Apostolo excludi falsos deos, non Jesum Christum. Unde sicut cùm Christum vocavit unum Domi-

num, non exclusit Patrem ab appellatione Domini: ita cùm Patrem dixit unum Deum, non exclusit Filium à communione divinitatis. Sanè Sanctus Paulus Christum ubique verum Deum prædicat, maximè ad Hebræos 3. cap. dicens: *Considerate Apostolum & Pontificem confessionis nostræ Jesum, qui fidelis est ei qui fecit illum, sicut & Moyses in omni domo ejus. Amplioris enim gloriæ iste præ Moyse dignus habitus est, quanto ampliorem honorem habet domûs, qui fabricavit illam. Omnis namque domus fabricatur ab aliquo: qui autem omnia creavit, Deus est. Et Moyses quidem fidelis erat in tota domo ejus tanquam famulus, in testimonium eorum quæ dicenda erant: Christus verò tanquam Filius in domo sua*, &c.

Et ad Titum 11. non solùm Christum Deum vocat, sed magnum Deum. *Expectantes*, inquit, *beatam spem & adventum gloriæ magni Dei, & Salvatoris nostri Jesu Christi.*

Concludamus ergo quòd in illo loco Epistolæ 1. ad Corinthios cùm dicit Apostolus, *Unus Deus Pater, & unus Dominus Jesus, pluralitas excluditur, non unitas sequestratur. Sed quemadmodum cum legimus Dominum Jesum, nec Patrem à dominationis jure secernimus, quod ei commune cum Filio est: ita cùm legimus solum verum Deum Patrem, nec Filium à solius veri Dei jure possumus separare, quod ei commune cum Patre est:* (inquit Sanctus Ambrosius loco supra laudato.)

Objectio secunda petitur ex Apostolo 1. ad Timotheum 2. dicente: *Unus Deus, unus & Mediator Dei & hominum, homo Christus Jesus.* Quibus Christum Mediatorem ab uno summo Deo distinguit.

Præterea sequeretur Christum esse Mediatorem inter alios homines & seipsum, si verè Deus esset: istud autem absurdum est; ergo non est verus Deus, sed merus homo.

Respondeo, falsum esse quòd Apostolus hoc loco excludat Christum Mediatorem ab unius Dei appellatione. Nam sive unius Dei vocabulo solus illic Pater significetur, nequaquam hoc sensu unus Deus vocatur, ut Deus non sit & Filius. Ibi enim Paulus unum dicit esse Deum, *ad distinctionem idolorum* (ut Sanctus Chrysostomus observat) id est, Gentilium Diis, qui nomine tenus Dii sunt, unum Christianorum Deum opponit. At si Christus verus Deus non esset, non posset opponi unus Deus Christianorum pluribus gentium Diis, quia Christus, quamvis merus esset homo spectatâ personâ; minor tamen Deus esset, spectatis meritis, ut fatentur novi Cerinthiani & Ebionitæ. Ergo hac parte religio Christiana non distingueretur à Gentilium superstitione.

Nec etiam exclusisse Filium censendus est Apostolus à communione veræ divinitatis, & nominis unius Dei, si hæc verba, *unus Deus*, totam ad Trinitatem referantur. Nam, secundùm posteriorem hunc sensum, Christum uni Deo non opposuit Apostolus, nisi quà homo est: quod ipsa verba innuunt: *Unus est Mediator Dei & hominum homo Christus Jesus.* Mediatoris autem partes & functiones secundùm solam naturam humanam obit. Unde S. Augustinus lib. 10. Confessionum cap. 43. ait: *In quantum enim homo, in tantum Mediator: in quantum autem Verbum, non medius, qui æqualis Deo, & Deus apud Deum, & simul cum Spiritu Sancto unus Deus.* Quanquam ad operum dignitatem, ad satisfactionis accurationem, & ad mediatoris absolutissimam rationem, necesse sit verum esse Deum, qui mediator est, ut eleganter ostendit Sanctus Joannes Chrysostomus Hom. 7. in Epistolam 1. Sancti Pauli ad Timotheum *Mediator*, inquit, *utrisque eis debet societate conjungi, quorum mediator est. Id quippe mediatoris est proprium, utrorumque participem fieri, quorum fuerit mediator. Quod si unum quidem societate contingat, ab alio vero fuerit separatus, mediator jam dici non potest. Nisi igitur consors sit paternæ naturæ, mediator profectò non est, quippe cùm à Patris sit substantia separatus. Quemadmodum enim naturæ humanæ consortium accepit, quando ad homines venit: ita & à Dei substantia non abscessit, quoniam à Deo venit. Nam quia duarum naturarum medius fuit, ambarum oportuit esse participem. Quemadmodum igitur homo factus est, ita etiam Deus erat. Homo quippe purus, mediator nunquàm penitus fieret: oportebat enim hujusmodi mediatorem cum Deo colloqui. Deus item solus mediator esse non posset: neque enim ipsam suscepissent hi quorum mediator accederet.* Igitur tantum abest, ut citatus locus Apostoli faveat Cerinthianis, & Ebionitis, tum antiquis, cùm recentioribus; quin potiùs illos confodiat & prosternat.

Ad secundum, nego Minorem, quòd scilicet repugnet Christum esse mediatorem inter alios homines, & seipsum, spectatum secundùm divinitatem. Tam enim non repugnat illum esse Mediatorem inter homines & seipsum, quàm non repugnat esse Sacerdotem. Atqui Sacerdos est sibi ipsi offerens seipsum victimam, & sacrificium; qua de re Sanctus Augustinus lib. de Civitate Dei cap. 20. ait: *Cùm in forma Dei sacrificium cum Patre sumat, cum quo & unus Deus est: tamen in forma servi sacrificium maluit esse, quàm sumere.* Ergo & mediator est inter homines & seipsum.

Objicitur tertiò. Qui factus est, non est Deus, sed merus homo: sed Christus factus est; ergo non est Deus, sed merus homo.

Probatur Minor ex Scriptura sacra Actuum. 2. *Certissimè sciat ergo omnis domus Israel, quia & Dominum eum, & Christum fecit Deus hunc Jesum.* Et ad Hebræos 3. *Considerate Apostolum & Pontificem confessionis nostræ Jesum, qui fidelis est ei qui fecit illum.* Et Joannis 1. Præcursor Christi ait: *Post me venit Vir qui ante me factus est, quia prior me erat.*

Respondeo distinguo Minorem. Christus factus est, in forma servi, concedo: in forma Dei, nego. Ad naturam igitur humanam loca hæc omnia referuntur, quibus Christus dicitur factus. Id ex adjunctis patet: Nam primum ita intelligendum esse indicant hæc verba: *Hunc Jesum, quem vos crucifixistis. HOC enim fieri potuit, quod crucifigi*, inquit Sanctus Ambrosius lib. 1. de Fide ad Gratianum cap. 7. Factus est igitur Christus *in forma servi* (inquit Sanctus Augustinus) *accipiendo formam servi, non amittendo formam Dei.* Serm. 56. de Diversis.

Eodem modo exponendus est secundus locus ex Epistola ad Hebræos. Nam factum esse Christum ait *Apostolum & Pontificem*, quod secundùm assumptam hominis naturam illi convenire notum est. Verba Sanctissimi Præcursoris, *ante me factus est*, idem significant, ac, mihi antepositus est, ut SS. Patres exponunt, Ambrosius lib. 3. de Fide cap. 5. Chrysostomus Homiliâ 12. & Augustinus Tractatu 3. in Joannem, quam expositionem adducit & Sanctus Cyrillus Alexandrinus lib. 1. in Joannem pag. 99. *Itaque*, inquit, *ænigmaticè Beatus Baptista dixit: Qui post me venturus est, ante me factus est, quasi diceret: Qui mihi honore inferior erat, visus est illustrior, & incomparabili excellentia conditionem meam antecessit.* Imò verò Cyrillus Christi divinitatem his Sancti Præcursoris verbis vult disertè probatam. Ita enim de ipso loquitur: *Postquam dixit, Ante me factus est, necessariò subjungit, Quia prior me erat, antiquissimam ei gloriam adscribens.*

*adscribens, & præstantiam supra res omnes, non temporariam, sed superius inexistentem, ut Deo secundum naturam confirmans. Erat enim prior me (inquit) id est semper, & perpetuò major, & præstantior. Facta autem ejus cum una ex creaturis comparatione, supremum omnium Deum cum omnibus comparatum intellige. Non enim ex hoc solo admirandam Dei majestatem agnoscamus, quòd Joannem gloriâ superet, sed quòd omnem creatam substantiam excedat.*

Objectio quarta eruitur ex Apostolo 1. ad Corinthios 15. ubi de Christo loquens hæc habet: *Cum autem subjecta fuerint illi omnia, tunc & ipse Filius subjectus erit ei, qui subjecit sibi omnia: ut sit Deus omnia in omnibus.* Sed qui subjectus est Deo, non secus ac cætera, non est Deus summus: ergo Christus non est summus Deus.

Respondeo, hunc locum Apostoli de Christo intelligi secundùm naturam humanam: de statu enim Ecclesiæ, regnique Christi post resurrectionem futuro loquitur, atque, illô tempore quò omnes electi Christo subjecti erunt, Christum ipsum tanquam caput unà cum membris suis Patri fore subjectum. Nunc enim, quia membra illius omnia nondum subjiciuntur, nec ipse penitus est subjectus, quia Christo tribuuntur quæ dicuntur de ejus membris, secundùm principium illud toties à Sancto Augustino inculcatum: *Caput & membra, unus Christus.* Hæc explanatio est Sancti Athanasii lib. *de humana natura à Christo suscepta*: ubi exponens verba illa Apostoli, ait. *Quæ verba hunc habent intellectum: Cùm omnes Filio subjecti, ejusque membra reperti fuerimus, ac per eum geniti in filios Dei: Vos enim estis (inquit) in Christo Jesu: tunc & ipse pro nobis subjicietur Patri, ut caput pro suis membris. Quandiu enim non subjecti sunt omnes, ipse eorum caput nondum subjectus Patri suo videtur, expectans sua propria membra. Nam si unus eorum esset qui subjiciendi essent, statim ab initio Patri subjectus fuisset, ac non in fine tandem idipsum cum aliis faceret. Nos enim sumus qui in eo subjiciendi sumus Patri: & nos sumus qui in eo regnamus, donec ponantur inimici nostri scabellum pedum nostrorum.* Eodem modo hunc locum explicat Sanctus Ambrosius lib. 5. de Fide cap. 6.

Objicitur quintò. Qui regnum ad tempus accepit, quo se aliquando sit abdicaturus, illudque restituturus Patri, non est verus Deus: sed Christus regnum ad certum tempus accepit, eoque se aliquando abdicaturus est, illudque restituturus Patri; ergo non est verus Deus.

Probatur Minor ex Apostolo 1. ad Corinthios 15. *Deinde finis, cum tradiderit regnum Deo & Patri: cùm evacuaverit omnem principatum & potestatem, & virtutem*, &c.

Respondeo, nego Minorem. Ad cujus probationem dico, hæc intelligi de Christo secundùm humanam naturam, qui in fine mundi collectum ex omnibus electis regnum Ecclesiæ, sistet, offeretque Patri: non quòd in ordinem sit redigendus, & regnum depositurus; sed communiter cum eo imperaturus integræ multitudini Sanctorum. Ita hunc locum exponit Sanctus Hilarius in Psalmum 149. dicens: *Regnat itaque Dominus, non regni potestate cariturus, sed nos, qui regnum ejus sumus, Deo Patri traditurus in regnum. Regni traditio, nostra provectio est, ut qui in regno Filii erimus, in regno quoque simus & Patris.*

Objicitur sextò. Christus rationem afferens cur Filius Dei esset, non aliam attulit quàm sanctificationem & missionem: atqui hæc non probat Christum esse verum Deum; ergo non est verus Deus.

Probatur Major. Cùm enim Christum lapidibus obruere vellent Judæi, quòd se Filium Dei, ac Deum faceret, sic illis satisfecit: *Nonne scriptum est in Lege vestra, quia ego dixi, Dii estis? si illos dixit Deos ad quos sermo Dei factus est, & non potest solvi Scriptura: quem Pater sanctificavit, & misit in mundum, vos dicitis, quia blasphemas, quia dixi, Filius Dei sum?*

Respondeo, primò negari posse Majorem, quod scilicet Christus rationem his verbis reddiderit, cur Dei Filius esset. Non enim istud videtur fuisse tunc illius consilium, sed ut Judæorum duntaxat furorem comprimeret: quod efficit ratione à minori ad majus. Si enim homines sancti, Dii vocantur in lege, blasphemus certè haberi non debet, qui singulari sanctificationis & missionis prærogativâ auctus, hoc nomen sibi assumit.

Respondeo secundò, nego Minorem. De sanctitate enim essentiali intelligitur hic locus, ut constat ex Sancto Augustino, Tractatu 48. in Joannem, dicente: *Fortè aliquis dicat, Si Pater eum sanctificavit, ergo aliquando non erat sanctus? Sic sanctificavit, quomodo genuit. Ut enim sanctus esset, gignendo ei dedit, quia sanctum eum genuit. Nam si quod sanctificatur, ante non erat sanctum; quomodo dicimus Deo Patri, Sanctificetur nomen tuum?*

Objicitur septimò. Qui ob id unum dicitur Filius Dei, quòd Pater eum suscitaverit à mortuis, non est verus Deus, sed merus homo: sed Christus ob id unum dicitur Filius Dei, quòd Pater eum excitaverit à mortuis; ergo non est verè Filius Dei.

Probatur Minor ex verbis Apostoli, Actuum 13. *Et nos vobis annuntiamus eam, quæ ad Patres nostros repromissio facta est, quoniam hanc Deus adimplevit filiis nostris, resuscitans Jesum, sicut & in Psalmo secundo scriptum est: Filius meus es tu, ego hodie genui te.*

Respondeo, nego Minorem. Ad cujus probationem dico, hæc verba significare quidem novum quoddam nativitatis genus, Christo ut homini conveniens, qua in regni, gloriæque paternæ consortium atque consessum genitus est, devictâ morte, & opere salutis nostræ consummato: sed ea æternam ipsius generationem ex Patre non negare. Ita hunc locum exponit Sanctus Hilarius Enarratione in Psalmum 2. *Accepta*, inquit, *forma servi, gloriam Dei, in qua mansit, postulat, dicens: Pater, clarifica me apud temetipsum, ea claritate, quam habui, priusquam mundus esset apud te. Nec nova quærit, non aliena desiderat; esse talis, qualis fuerat, postulat: sed precatur id se, quod antea erat, esse, gigni scilicet ad id quod suum fuit. Non erat autem idipsum tunc totus, quod ut fieret, precabatur: fieri autem totus, non aliud quàm quod fuerat, postulabat. Sed cùm sit quod fuit, & quod non erat est futurus: ad id quod fuerat, id quod totum non erat, quodam novo ortu nascebatur. Exordio hic resurrectionis suæ ad assumendam gloriam dies est, per quam ad id nascitur, quod ante tempora fuit: id tamen in tempore nascitur esse, quod non erat: atque ideo Filius hominis amodo assidens virtutis dextris est videndus, quia natura carnis post resurrectionem glorificata, ad profectum ejus, quam antea habuerat, claritatis provehebatur: cùm hominis Filius consessurus Patri, & in immortalitatem corruptione carnis absorptâ, & in viventem tunc, & non moriturum ampliùs Dei Filium nasceretur. Tenuit autem beatus Apostolus novam hanc in eo temporaria hujus nativitatis, discretam ab ea, qua ante tempora est, generationem, & subdivisam significationem. Nam cum de beata illa, & nullis circumscripta temporibus, nativitate dixisset: Primogenitus omnis creaturæ, quia in ipso creata sunt omnia*

*in cœlis & in terra, visibilia, & invisibilia: Primogenitum quoque etiam ex mortuis, in resurrectione commemorat, dicens postea: Primogenitus ex mortuis, ut fieret ipse in omnibus primatum habens. Nascitur enim ad id quod non erat, cùm tamen id fieret, quod fuisset. Est enim primogenitus ex mortuis, qui erat primogenitus creaturæ. Ideircò primogenitus ex mortuis, ut maneret primogenitus creaturæ. Idem enim est primogenitus ex mortuis, qui erat primogenitus creaturæ.*

Objicitur octavò. Qui divina prædestinatione, ob suam virtutem, factus est Filius Dei, non est verus Dei Filius; sed adoptione duntaxat, quæ non prohibet quominus sit merus homo. Sed Christus, divina prædestinatione, ob suam virtutem, factus est Filius Dei: ergo non est verus Dei Filius.

Probatur Minor ex Apostolo ad Romanos 1. ubi de Christo loquens, ait: *Qui factus est ei ex semine David secundùm carnem: qui prædestinatus est Filius Dei in virtute, secundùm Spiritum sanctificationis, ex resurrectione mortuorum Jesu Christi Domini nostri.*

Respondeo, nego Minorem. Ad cujus probationem explico verba Apostoli; & dico, Christum non dici prædestinatum Filium Dei in virtute, nisi quatenus homo est; quia nimirum ab æterno præordinavit Deus ac disposuit, ut hic homo Filius Dei esset, unione hypostatica carnis cum Verbo. Hæc porro verba, *in virtute*, non idem significant ac *ex meritis*; sed significant superiorem, invisibilemque naturam, scilicet divinam. Itaque Apostolus duas distinguit in Christo naturas, humanam, quam significat nomine carnis, secundùm quam factus est ex semine David: & divinam, quam intelligit nomine virtutis, secundùm quam est Filius Dei naturalis. Quæ virtus, seu divinitas, maximè elucet in largitione Spiritus-Sancti, & in illius resurrectione. Porrò quòd virtutis nomine significetur divinitas, constat ex Scripturis sacris hoc vocabulum in eo sensu frequentiùs usurpantibus, ut 1. ad Corinthios 1. cap. *Christum Dei Virtutem, & Dei Sapientiam.* Et 2. ad Corinthios 13. *Nam etsi crucifixus est ex infirmitate, sed vivit ex virtute Dei.* Et 2. ad Thessalonicenses 1. *In revelatione Domini Jesu de cœlo, cum Angelis virtutis ejus.* Sic Tertullianus lib. 5. contra Marcionem cap. 20. *Deus*, inquit, *inventus est per virtutem, sicut homo per carnem.*

Respondeo secundò, hanc vocem, *prædestinatus*, idem ibi significare, ac *declaratus*, eaque est etiam notio Græcæ vocis ὁρισθέντος unde hic sensus est verborum Apostoli: idem ille, *qui factus est ex semine David secundùm carnem*, quem proinde constat verum hominem fuisse; etiam declaratus est, & certissimis argumentis comprobatus esse Filius Dei: primò, *in virtute*, id est, per potentiam miraculorum. Deinde, *secundùm Spiritum sanctificationis*, id est, per effusionem Spiritus Sancti. Tertiò, *ex resurrectione mortuorum*; quia scilicet seipsum, sicut prædixerat, à morte ad vitam suscitavit. Hæc expositio est Sancti Joannis Chrysostomi, & aliorum Græcorum Interpretum. Legatur ille Homiliâ 1. in Epistolam ad Romanos.

## ARTICULUS II.

### *Quo refellitur error Cerinthi de terreno & Millenario Christi Regno.*

I. Hic error refellitur Scripturæ sacræ authoritate: Nam Cerinthus carnis voluptates in millenario Christi regno fruendas asserebat. Scriptura contrarium decernit ipsius Christi voce Matth. 22. *In resurrectione, neque nubent, neque nubentur; sed erunt sicut Angeli Dei.* 2. Regnum Christi futurum æternum Angelus Virginem adiens nuntiavit. *Regnabit in domo Jacob in æternum, & regni ejus non erit finis.* Ergo mille annis non est circumscribendum cum Cerintho, nec terrenum existimandum. 3. Matth. 24. & 25. post enarratam Antichristi persecutionem, statim ultimum describitur judicium, in quo Christus Electos ad æternum regnum invitabit, non ad terrenum: *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi . . . . . . . . Et ibunt hi in vitam æternam.*

Idem Ecclesia definivit in Concilio Secundo Oecumenico, Constantinopolitano primo, quod Symbolo Nicæno addidit, *Cujus regni non erit finis.*

Probatur secundò ex Patribus, qui hunc errorem oppugnarunt. Ex Caio perantiquo Scriptore, apud Eusebium lib. 3. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 22. *Cerinthus*, inquit, *qui per adumbratas revelationum, tanquam à magno quodam Apostolo conscriptarum species, absurda portenta, præstigiasque quasi per Angelos ipsi ostentatas, nobis falso comminiscebatur, hæc asseveranter introducit: Post resurrectionem carnis humanæ, regnum Christi terrestre futurum, & apud Hierusalem homines in carne cupiditatum & voluptatum blanditiis inservituros. Quì cum sacro-sanctis Dei eloquiis esset infestus, numerum mille annorum in nuptiarum festis & celebritate dicebat consumptum iri.*

Et ex Sancto Dionysio Alexandrino lib. de Promissionibus: *Cerinthum quidem, qui Cerinthianam hæresim ab ipsius nomine sic dictam proseminavit, hoc disciplinæ decretum tenuisse constat: regnum Christi terrestre deinceps futurum. Et quarum rerum cupiditate ipse ducebatur (quippe qui invitamentis corporis, & carnis cumprimis obsequeretur illecebris) in eisdem beatam vitam fore somniavit, ut in ventris, & earum partium, quæ ad Venerem spectant, expletione; hoc est, non in esculentis solum, poculentis, & nuptiis; verumetiam in festis, sacrificiis, hostiarum cæde, & aliis denique rebus, quibus ista putaret affluentiùs posse suppeditari.* (Apud Euseb. lib. 7. cap. 20.)

In eodem libro Nepotem præsertim quemdam in Ægypto Episcopum Dionysius Alexandrinus refellit, qui Cerinthi errorem instaurare visus est: quippe qui *Promissa in sacris Scripturis sanctis viris facta, in hoc sæculo, sicuti Judæi somniant, præstanda fore docuit, hominibusque persuadere laboravit, eos certo quodam millenario annorum numero in deliciis corporeis, & voluptate, in terra victuros*, ut refert Eusebius lib. 7. cap. 19. Porrò de Nepotis libro, quem confutandum aggreditur, ita scribit Dionysius: *Verùm*, inquit, *cum Opus scriptum nobis objectum sit, illudque (ut quibusdam placet) ad persuadendum valentissimum, cùmque Doctores ejus sectæ Legem & Prophetas pro nihilo putent, Evangelia sequi negligant, Apostolorum Epistolas depravent; hujus tamen Operis, quod dixi, doctrinam, tanquam magnum aliquod & abstrusum mysterium complectentem asseverant: cumque Fratres nostros aliquanto simpliciores, & magis imperitos, de sublimi & admirando opere vel glorioso, vereque divini Domini nostri adventus, vel nostra à mortuis resurrectionis, vel cum Domino conjunctionis, consociationisque, & ad ejus immortalem naturam assimilationis, non aliquando cogitare sinant, sed illis persuadere conentur, in regno Dei abjecta, & mortalia præmia (qualia ab hominibus in hac vita expectare solemus) tandem futura: nobis certè necessum arbitror adversùs istum Fratrem, quem dico, Nepotem, perinde ac si præsto adesset, acuta ratione disceptare.*

Refellitur

Refellitur tertiò idem error ex Eusebio lib. 5. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 33. ubi de Sancti Papiæ Commentariis agens, hæc habet : *Alia præterea idem Author, quasi traditione non scripta, ad se pervenisse commonstrat, quæ peregrinas quasdam Servatoris parabolas & novas ejus doctrinas, aliaque nonnulla commentitiis fabulis referta continent. In quibus asserit, regnum Christi, post universæ carnis à mortuis resurrectionem, mille annos, humano & corporeo more, in terra hac continuatum & stabilitum fore. Quæ quidem dogmata, credo eum propterea excepisse, quòd Apostolicas interpretationes, quæ ab illis essent arcanis figuris & parabolis subobscuris exposita, malè intellexisset.*

Refellitur quartò ex Sancto Hieronymo in Præfatione lib. 18. Commentariorum in Isaiam. *Apocalypsim Joannis*, inquit, *si juxta litteram accipimus, judaizandum est : si spiritualiter, ut scripta est, disserimus, multorum Veterum videbimur opinioni contraire ; Latinorum, Tertulliani, Victorini, Lactantii : Græcorum, ut cæteros omittam, Irenæi tantum Lugdunensis Episcopi faciam mentionem : adversus quem vir eloquentissimus Dionysius, Alexandriæ Pontifex, elegantem scribit librum, irridens mille annorum fabulam, & auream atque gemmatam in terris Jerusalem, instaurationem Templi, hostiarum sanguinem, otium Sabbati, circumcisionis injuriam, nuptias, partus, liberorum educationem, epularum delicias, & cunctarum gentium servitutem : rursusque bella, exercitus, ac triumphos, & superatorum neces, mortemque centenarii Peccatoris : cui duobus voluminibus respondit Apollinarius ; quem non solum suæ sectæ homines, sed & nostrorum in hac parte duntaxat plurima sequitur multitudo : ut præsaga mente jam cernam, quantùm in me rabies concitanda sit. Quibus non invideo, si tantùm amant terram, ut in regno Christi terrena desiderent, & post ciborum abundantiam, gulaque ac ventris ingluviem, & ea quæ sub ventre sunt, quærant.*

Quintò, Sanctus Epiphanius Hæresi 77. hunc errorem, ab Apollinari suscitatum, refellit his verbis : *Nam si denuo ut circumcidamur resurgimus, cur non circumcisionem antevertimus? Sanè qui in hac vita idipsum quod perfectum habetur, cognoverint, & tantò antè usurpare cœperint, luculentius ad futuram illam perfectionem obtinendam jus nacti sunt. Quorsum igitur ab Apostolo dictum est*, Si circumcidamini, Christus nihil vobis proderit? *Item*, Qui in lege justificamini, à gratia excidistis. *Tum illud etiam Servatoris dictum* : In resurrectione enim neque ducunt uxores, neque nubunt : sed æquales sunt Angelis. *Quod autem scriptum est* : Sedebitis ad mensam Patris mei, comedentes & bibentes. *Et* : Cùm illud bibam novum vobiscum in regno cælorum ; *ex eo quod additur, novum, & ad mensam regni, alio sensu accipiendum illud videtur. Quippe & nos id quod è sacris didicimus, potum ac cibum quemdam illic ambrosium esse defendimus, de quibus scriptum est* : Quæ oculus non vidit, nec auris audiit, neque in cor hominis ascenderunt, quæ præparavit Deus diligentibus se.

Ad Gal. 5. 2.

Matth. 22.

Luc. 22.

Marc 14.

1. Cor. 2.

*Sed ita illo statuit : primùm, in toto illo millenario curriculo, naturalibus nos voluptatibus esse fruituros, labore omni ac dolore sublato. Quo quidem evoluto tempore, eorum quæ dicta sunt, participes futuros : quod hæc verba declarant*. Quæ nec oculus vidit, nec auris audivit.

*Verùm hic illorum sermo omnibus Scripturæ sententiis repugnat. Cùm enim Lex neminem perfectum reddiderit, & eandem tamen Legem post resurrectionem observare nos jubeant. cumque sancta illa Lex, quam per Moysem Dominus nobis edidit, pædagogi nos instar ad Christum perduxerit, cui, quòd longè absolutis illis ac perfectis esset inferior, datum negotium est, ut nos ad excellentius illud, ac velut caput, summumque deduceret : cùm post hæc Christus perfectus ille ac Dominus advenerit, ac de pædagogi manu alumnum ac tyronem, hoc est, collectam è Fidelibus Ecclesiam, velut quandam virginem acceperit ; adeò ut præstantiorem alium, nimirum consummatorem Jesum, Legis ; sic tanquam pædagogi, beneficio cognoverimus ; nonne summâ ex ingenti inopiâ ac stultitiâ profectum est, quod ab illius dogmatis patronis asseritur : post collatam illam à Christo perfectionem, pædagogo iterum opus esse, ut ad priora illa initia & elementa, doctrinamque, ac manuum impositionem revertamur? Cum tamen Apostolus disertè nos doceat* : Quicquid inveteratum est, ac senio confectum, proximè ad interitum spectare : *quod de Veteri Testamento, ac Lege pronuntiavit* : Translato enim (inquit) Sacerdotio, necessariò fit & Legis translatio. *Quare cùm Vetere Testamento translato, Novum instauratum fuerit : quis est audaciâ tantâ præditus, qui Vetus ad usum denuò revocare contendat? Novum autem ad vetustatem transferre ; ut & causam nobis præbeat cur excidamus à gratia ; & ab eo fructu, qui per Christum nobis comparatus est, vertere conetur?*

Sextò, refellitur hic error authoritate Sancti Augustini lib. 20. de Civitate Dei cap. 7. ubi recensitâ Millenariorum sententiâ, & verbis Apocalypsis, quibus eam propugnabant, hæc subjungit : *Quæ opinio esset utcunque tolerabilis, si aliquæ deliciæ spiritales in illo Sabbato affuturæ Sanctis per Domini præsentiam crederentur. Nam etiam nos hoc opinati fuimus aliquando. Sed cùm eos qui tunc resurrexerint, dicant immoderatissimis carnalibus epulis vacaturos, in quibus cibus sit tantus ac potus, ut non solum nullam modestiam teneant : sed modum quoque ipsius incredulitatis excedant : nullo modo ista possunt nisi à carnalibus credi. Hi autem qui spiritales sunt, istos ista credentes, χιλιαστὰς appellant Græco vocabulo ; quod verbum è verbo exprimentes, nos possumus Milliarios nuncupare.*

Objicitur in gratiam Cerinthi, ex Apocalypsis 20. ubi regnum Christi millenarium cum Sanctis disertè adstrui videtur his verbis : *Et vidi Angelum descendentem de cælo, habentem clavem Abyssi, & catenam magnam in manu sua. Et apprehendit draconem, serpentem antiquum, qui est Diabolus & Satanas, & ligavit eum per annos mille : & misit eum in Abyssum, & clausit, & signavit super illum, ut non seducat ampliùs gentes, donec consummentur mille anni : & post hæc oportet illum solvi modico tempore. Et vidi sedes, & sederunt super eas, & judicium datum est illis : & animas decollatorum propter testimonium Jesu, & propter Verbum Dei, & qui non adoraverunt bestiam, neque imaginem ejus, nec acceperunt caracterem ejus in frontibus, aut in manibus suis, & vixerunt, & regnaverunt cum Christo mille annis. Cæteri mortuorum non vixerunt, donec consummentur mille anni. Hæc est resurrectio prima. Beatus & sanctus, qui habet partem in resurrectione prima : in his secunda mors non habet potestatem, sed erunt Sacerdotes Dei, & Christi, & regnabunt cum illo mille annis. Et cùm consummati fuerint mille anni, solvetur Satanas de carcere suo, & exibit, & seducet gentes, quæ sunt super quatuor angulos terræ, Gog & Magog* &c. Ex quibus sic colligo : Christi regnum, in quo Sancti mille annis cùm illo regnabunt, & Sacerdotes erunt, immolando victimas, & libando sanguinem hostiarum, post resurrectionem, illud ipsum est millenarium Christi regnum, quod admisit Cerinthus : atqui istud adstruitur citatis verbis Apocalypsis : ergo non est erroris damnanda Cerinthi & Millenariorum opinio.

Explicatur celeber Apocalypsis locus, quo abusi sunt Millenarii.

Respondeo, nego Minorem, & interpretor ob-

ſcuriſſimum Apocalypſis oraculum, ex doctrina præſertim S. Auguſtini lib. 20. de Civitate Dei, cap. 7. Mille anni, quibus Sancti cum Chriſto regnabunt, tempus deſignant univerſum à morte Chriſti adusque Antichriſti adventum decurrens; ſeu totam Eccleſiæ per Chriſtum in terris fundatæ durationem. Millenarius namque numerus, ſolemni Scripturæ phraſi multitudinem maximam, atque indefinitam ſignificat, ut Pſalmo 104. *Memor fuit in ſæculum teſtamenti ſui, verbi quod mandavit in mille generationes.* Et Pſalmo 89. *Mille anni ante oculos tuos, tanquam dies heſterna, quæ præteriit.* Et Job 9. *Si voluerit contendere cum eo, non poterit ei reſpondere unum pro mille.* Hinc Sanctus Auguſtinus loco citato, ait: *Mille annos, pro annis omnibus hujus ſæculi poſuit, ut perfectò numero notaretur ipſa temporis plenitudo.*

Itaque Chriſtus ille magni conſilii Angelus, de cœlo deſcendens, diabolum per annos mille alligavit, id eſt, totò illò temporis intervallò quod ab ejus Paſſione ad finem mundi intercedit: quia nimirum ejus *poteſtatem ab eis ſeducendis ac poſſidendis, qui fuerant liberandi, cohibuit atque frænavit*, ut exponit Sanctus Auguſtinus. *Et miſit illum in Abyſſum* (inquit Sanctus Joannes) id eſt, in corda hominum impiorum, ejiciendo ipſum ex gentium electarum finibus, in quibus antea per idololatriam regnabat. Miſſus autem illuc dicitur a Chriſto, non quòd ibi antea non eſſet, ſed *Quia excluſus à credentibus, plus cœpit impios poſſidere. Plus namque poſſidetur à diabolo, qui non ſolùm alienatus eſt à Deo, verumetiam gratis odit ſervientes Deo*, inquit Sanctus Auguſtinus. *Et clauſit & ſignavit ſuper eum, ut non ſeducat ampliùs gentes*, (inquit dilectus Diſcipulus) id eſt compreſſit ejus ferociam, ipſumque cohibuit, ne ſeduceret ampliùs gentes, *Ex quibus prædeſtinata conſtat Eccleſia, quas antea ſeductas tenebat, antequam eſſet Eccleſia*, inquit Sanctus Auguſtinus. *Et clauſit & ſignavit* (pergit Sanctus Joannes) *Quia occultum eſſe voluit, qui pertineant ad partem diaboli, & qui non pertineant. Hoc quippe in ſæculo iſto prorſus latet: quia & qui videtur ſtare, utrum ſit caſurus: & qui videtur jacere, utrum ſit reſurrecturus, incertum eſt* (ex Sancto Auguſtino.)

*Poſt hæc oportet eum ſolvi modico tempore* (inquit Sanctus Joannes) id eſt, completo millenario, ſeu mundo ad finem vergente, & ultimi judicii die imminente, ſolvetur Diabolus, ut per Antichriſtum perſecutionem excitet in Eccleſiam, Deo permittente, qualis ab initio non fuit. Modicum autem dicitur tempus, quo ſolvendus eſt. *Nam tribus annis, & ſex menſibus legitur totis ſuis, ſuorumque viribus ſæviturus: & tales erunt, cum quibus ei belligerandum eſt, ut vinci tanto ejus impetu, inſidiiſque non poſſint. Si autem nunquam ſolveretur, minùs appareret maligna ejus potentia, minùs ſanctæ civitatis fideliſſima patientia probaretur, minùs denique perſpiceretur quàm magno ejus malo tam bene fuerit uſus omnipotens Deus, qui eum nec omnino abſtulit à tentatione Sanctorum, quamvis ab eorum interioribus omnibus, ubi in Deum creditur, foras miſſum: ut forinſecus ejus oppugnatione proficerent; & in eis, qui ſunt ex parte ipſius, alligavit: ne quantam poſſet effundendo & exercendo malitiam, innumerabiles infirmos, ex quibus Eccleſiam multiplicari & impleri oportebat, alios credituros, alios jam credentes, fide pietatis hos deterreret, hos frangeret. Et ſolvetur in fine, ut quàm fortem adverſarium Dei civitas ſuperaverit, cum ingenti gloria ſui Redemptoris, Adjutoris, Liberatoris aſpiciat.* Ita Sanctus Auguſtinus lib. 20. de Civitate Dei cap. 8.

Ait autem Sanctus Joannes, Sanctos, qui judiciariæ poteſtatis honore à Chriſto exornati ſunt, & Martyrum præcipuè animas, qui non adoraverunt beſtiam, id eſt, Antichriſto non ceſſerunt, aut infidelium, impiorumque populo conſenſere; nec acceperunt inſcriptionem beſtiæ, *Notam ſcilicet criminis, in fronte, propter profeſſionem; in manu propter operationem* (ut ait Sanctus Auguſtinus) regnaſſe cum Chriſto mille annis: id eſt, intra illud temporis intervallum, quod judicium ultimum præcedet. Regnant autem cum Chriſto, non in in regno terreno, ſed ſpiritali, ſcilicet in Eccleſia, quæ regnum cœlorum dicitur. *Regnant*, inquam, *cum illo, qui eo modo ſunt in regno ejus, ut ſint etiam ipſi regnum ejus.*

Quod autem addit Sanctus Joannes, *Cæteri mortuorum non vixerunt, donec conſummentur mille anni*, ad reprobos ſpectat, qui eo tempore non vixerunt in Chriſto quo vivere debuerunt, de morte peccati ad vitam gratiæ tranſeundo. Hæc reſurrectio prima eſt, id eſt reſurrectio animæ. Beatus, qui ejus eſt particeps. In hoc ſecunda mors, quæ eſt æterna damnatio, non habet poteſtatem. Ille autem particeps eſt primæ reſurrectionis, *Qui non ſolùm à morte, quæ in peccatis eſt, reviviſcit, verumetiam in eo quod revixerit, permanebit* (inquit Sanctus Auguſtinus cap. 9. lib. 20. de Civitate Dei.)

Denique quod addit Sanctus Joannes: *Sed erunt Sacerdotes Dei & Chriſti*, non ſignificat Sanctos miniſteria Sacerdotum legalium obituros, offerendo ſacrificia & victimas, ſecundùm legem Moſaïcam: ſed innuit ipſos fore intimos Dei amicos, divinorum conſcios arcanorum, regnique cœleſtis Principes. Sæpiſſimè enim in Scriptura ſacra nomen Sacerdotis, nomen eſt dignitatis & honoris in aulis Principum, ut cùm 2. Reg. 20. dicitur: *Ira autem Iairites, erat Sacerdos David*: id eſt (ut vertit Paraphraſtes Chaldæus) *Princeps Davidi.* Et cap. 8. ejuſdem libri dicitur: *Filii autem David Sacerdotes erant*: id eſt, ut vertunt LXX. *Aulæ Principes.* Quam verſionem juvat locus ex 1. Paralipomen. cap. 17. in Vulgata noſtra: *Porrò filii David primi ad manum Regis.* Vel, Sancti vocantur *Sacerdotes*, quod juge laudis & gratiarum actionis ſacrificium Deo & Chriſto offerant. Vel denique Sacerdotes dicuntur, quia *Membra ſunt unius Sacerdotis. De quibus Apoſtolus Petrus: Plebs*, inquit, *ſancta, regale Sacerdotium.* Sic exponit Sanctus Auguſtinus lib. 20. de Civitate Dei cap. 10. Igitur citatum Apocalypſis oraculum, Cerinthi & Millenariorum errori nullatenus ſuffragatur.

Inſtabis. Regnum illud Chriſti, de quo vaticinatur Sanctus Joannes in Apocalypſi, ſubſequetur poſtremum judicium: ergo Sancti regnabunt cum Chriſto mille annis, poſt finem mundi.

Reſpondeo, nego antecedens. Illa enim verba, *Vidi ſedes, & ſedentes ſuper eas, & judicium datum eſt*, de ultimo judicio nihil cogit ut intelligantur, *Sed ſedes Præpoſitorum, & ipſi Præpoſiti intelligendi ſunt: per quos Eccleſia nunc gubernatur. Judicium autem datum, nullum melius accipiendum videtur, quàm id quod dictum eſt: Quæ ligaveritis in terra, ligata erunt & in cælo: & quæ ſolveritis in terra, ſoluta erunt & in cælo.* Sic exponit Sanctus Auguſtinus lib. 20. de Civitate Dei cap. 9.

Objicitur ſecundò. Ea ſententia non eſt damnanda erroris, quam Patres priorum ſæculorum propugnarunt. Atqui Patres priorum ſæculorum, ſententiam Cerinthi de millenario Chriſti regno propugnarunt: ergo illa ſententia non eſt erroris inſimulanda.

Probatur Minor. In illa enim ſententia fuiſſe S. Papiam conſtat ex Euſebio lib. 3. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap. 33. & ex Sancto Hieronymo in Catalogo Scriptorum Eccleſiaſticorum in *Papia.* Huic

ſuffragantur

suffragantur Sanctus Justinus Martyr in Dialogo cum Tryphone p. 306. Sanctus Irenæus lib. 5. adversùs Hæreses cap. 32. & sequentibus; Tertullianus lib. de Spe Fidelium (ut testatur Sanctus Hieronymus in cap. 36. Ezechielis) qui Tertulliani liber non extat: & lib. 3. adversùs Marcionem cap. 24. & Sanctus Victorinus Petabionensis Episcopus, teste Sancto Hieronymo, & Lactantius Firmianus lib. 7. Divinarum Institutionum cap. 24. & 26. & Severus Sulpitius in Dialogo, cui *Gallio* nomen imposuit, ut Sanctus Hieronymus testatur.

Respondeo, istos Patres in hoc errasse, deceptosque fuisse apocryphis Domini Sermonibus, quos Papias conscripserat, *vir ingenii quidem pertenuis*, ut ex ejus libris judicavit Eusebius, sed tamen ob convictum & familiaritatem cum discipulis Apostolorum, & seniore præsertim Joanne, necnon martyrii coronam, venerationem maximam apud Patres prioris ævi promeritus. Verùm statim atque innotuit hos Domini Sermones à Papia obtrusos, apocryphos esse, Patres omnes illam millenarii regni Sanctorum cum Christo assertionem, exploserunt & confutarunt, ut constat ex Sancto Dionysio Alexandrino, Eusebio, Hieronymo, Epiphanio, Augustino, quibus addendus est Sanctus Basilius Magnus Epistolâ 74. ad Occidentales Episcopos, ubi hunc in Apollinario errorem insectatur his verbis: *Scripsit & de resurrectione quædam fabulosè imò judaicè composita; in quibus dicit, nos iterum ad cultum à lege præscriptum reversuros; ita ut iterum & circumcidamur, & Sabbathum observemus, & cibis in lege prohibitis abstineamus, sacrificiaque Deo offeramus, & in Templo Hierosolymis adoremus, atque prorsus ex Christianis Judæi reddamur, quibus quidnam poterit ridiculum magis, imò alienius ab Evangelico dogmate dici?*

Respondeo secundò, citatos Patres longè aliter millenarium Christi regnum in terris intellexisse, & exposuisse, quàm Cerinthum. Illi namque, nec Templi Hierosolymitani instaurationem, nec Circuncisionis, aliorumque legalium illo in regno futuram observantiam dixerunt, vel leviter insinuarunt. Quod proprium erat Cerinthi commentum, & singularis error. Nec credere par est Patres, qui apprimè noverant Christum passum esse ut nos de maledicto Legis eriperet, existimasse iterum venturum, ut nos in ergastulum Legis detruderet: præsertim cùm Apocalypsis, quæ ipsis erroris ansam præbuit, Templum in nova Hierusalem instaurandum non doceat; imò nullum in ea futurum templum disertè asserat. *Et templum*, inquit, *non vidi in ea; Dominus enim Deus omnipotens templum illius est, & Agnus.*

Deinde istud intercedit discriminis inter Cerinthum, & Patres Millenarios, quòd Cerinthus in millenario illo Christi regno omne voluptatis corporeæ genus non solùm admiserit, sed effusissimam libidinum omnium intemperiem. Patres verò delicias quidem corporeas illi Christi regno tribuerunt, sed moderatas, & quæ Sanctorum populum, Christique amicos decerent. Unde Sanctus Hieronymus discrimen illud animadvertens, illorum Patrum sententiam non est ausus damnare erroris. Scribit namque in 19. Jeremiæ caput: *Quanquam sibi Judæi aureum atque gemmatam Hierusalem restituendam putent: rursumque victimas, sacrificia, & conjugia Sanctorum, & regnum in terris Domini Salvatoris. quæ licet non sequamur, tamen damnare non possumus; quia multi Ecclesiasticorum Virorum, & Martyres ista dixerunt: ut unusquisque in suo sensu abundet, & Domini cuncta judicio reserventur.*

Et Sanctus Augustinus Libro xx. *De Civitate Dei*, cap. VII. duplicem Millenariorum sententiam fuisse docet: Primam eorum, qui spiritale penitus illud Regnum futurum esse contenderent, quam tolerabilem utcumque dicit sententiam, seque aliquando idem opinatum fuisse fatetur: alteram prorsus ridiculam eorum, qui Regnum illud fœdissimis deliciis diffluens sperarent aliquando constituendum.

Instabis. Ex Tertulliano lib. *De Præscriptionibus Hæreticorum* cap. 31. *Id esse Dominicum, & verum, quod est priùs traditum: id autem extraneum & falsum, quod sit posteriùs immissum.* Atqui sententia de millenario in terris Christi regno priùs tradita est, siquidem illam Patres priorum sæculorum docuerunt; ergo illa sententia est Dominica, & vera.

Respondeo, nego Minorem. Illud enim traditum censetur: *Quod semper, quod ubique, quod ab omnibus traditum est*, ut ait Vincentius Lirinensis in Commonitorio. Atqui nec semper, nec ubique, nec ab omnibus, illa sententia de millenario in terris Christi regno tradita est, primis etiam Ecclesiæ sæculis: si quidem Sanctus Justinus Martyr in Dialogo cum Tryphone testatur multos huic sententiæ fuisse refragatos, qui christianè pièque sentirent. His verbis Tryphon quæstionem proposuerat Justino: *Dic autem mihi verum, fatemini-ne vos denuo instauratum iri locum hunc Jerusalem & populum vestrum congregatum, atque lætitia evectum iri, cum Christo simul & Patriarchis & Prophetis, & his qui generis nostri sunt, aut etiam qui ad nos accesserunt, Proselytis, priusquam Christum adventurum expectasis, an ut videare nos superare in quæstionibus, eo decurris, ut ista non inficiere?* Huic respondet Sanctus Justinus: *Non eò sum miseria redactus, ô Trypho! ut alia, quam sentio loquar. Confessus sum tibi & antea, me quidem & alios plures eadem mecum sentientes arbitrari, id, sicut planè scitis, futurum: multos verò etiam qui puræ, pièque sunt Christianorum sententiæ, hoc non agnoscere, tibi significavi.*

Sanctus vero Irenæus, qui hanc à Papia præceptore suo opinionem acceperat, plurimos etiam ipsam oppugnasse testatur, quos hæreticos & ignaros perperam vocat. Caius, & Dionysius Alexandrinus, eam ceu pestilentissimum errorem confutarunt. Eusebius, Epiphanius, Basilius. Hieronymus, Augustinus, aliique ipsam exploserè. Non habet igitur veræ traditionis caracteres.

Deinde non omnes pro hoc errore citati ipsum eodem modo propugnant. Quidam enim merè corporeas, alii spiritales duntaxat delicias in millenario illo Christi regno degustandas sunt arbitrati; ut Tertullianus, qui hac de re ita scribit lib. 3. adversùs Marcionem cap. 24. *Nam & confitemur in terra nobis regnum repromissum: sed ante cœlum, sed alio statu, post ut post resurrectionem, in mille annos, in Civitate divini operis Hierusalem cœlo delatâ, quam & Apostolus Matrem nostram sursum designat; & politeuma nostrum, id est, municipatum in cœlis esse pronuntiant, alicui utique cœlesti civitati eum deputat. Hanc & Ezechiel novit, & Apostolus Joannes vidit, & qui apud fidem nostram est, nova Prophetiæ * sermo testatur, ut etiam effigiem civitatis ante repræsentationem ejus conspectui futuram prædicarit ..... Hanc dicimus excipiendis resurrectione Sanctis, & refovendis omnium bonorum utique spiritualium copiâ, in compensationem eorum quæ in sæculo vel despeximus, à Deo prospectam. Siquidem, & justum, & Deo dignum, illic quoque exultare famulos ejus, ubi sunt & afflicti in nomine ejus.*

* Apocalypsim intellige.

Ojiciuntur

Objiciuntur verba Christi Matth. 26. ubi sic Apostolos in ultima Cœnâ sibi assidentes alloquitur: *Non bibam amodò de hoc genimine vitis, usque in diem illum, cùm illud bibam vobiscum novum in regno Patris mei.* In regno itaque Christi, Sancti deliciis corporeis in cibo & potu positis perfruentur.

Respondeo primò, potum illum vini in regno Dei, metaphoricè esse intelligendum, pro spiritualium deliciarum fruitione, sicut & cætera Scripturæ loca, in quibus de cibo & potu altera in vita mentio est, mysticè sunt exponenda, ut illud Regii Vatis: *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, & torrente voluptatis potabis eos.* Et illud Christi, Lucæ 22. *Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum antequam patiar. Dico enim vobis, quia ex hoc non manducabo illud, donec impleatur in regno Dei.* Et illud: *Ego dispono vobis sicut disposuit mihi Pater meus regnum, ut edatis, & bibatis super mensam meam in regno meo.* Et illud Apocalyps. 19. *Beati qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati sunt.* Hinc *Origenes* millenarii Christi Regni opinionem inde natam docet, *Quòd simpliciores quidam nescientes distinguere ac secernere quæ sint in Scripturis Divinis interiori homini, quæ verò exteriori deputanda, vocabulorum similitudinibus decepti, ad ineptas quasdam fabulas & figmenta inania se contulerint; ut etiam post Resurrectionem cibis corporalibus utendum crederent, potúmque sumendum non solùm, ex illa Vite vera & vivente in sæcula, verùm & ex his vitibus ligni.* Hæc ille in Prologo Commentarii in Cantica; similiáque habet lib. II. *De Principiis*, cap. XI.

Respondeo secundò, hæc verba ad illud temporis intervallum referenda esse, quod inter Christi resurrectionem, & triumphalem ejus in cœlos ascensum intercessit, quo cum Apostolis novo modo bibit de genimine vitis, & cum illis manducavit, ut suæ resurrectionis veritatem probaret. Sic exponit Sanctus Joannes Chrysostomus Homiliâ 83. in Matthæum. *Novum autem*, inquit, *hoc est, novo modo quodam, imò inaudito atque mirabili: non enim passibile corpus habens, sed immortale atque incorruptibile, alimentoque non indigens, surrexit. Quare cùm opus non erat, post resurrectionem comedis & bibis, cùm ejus corpus istis nullo modo ampliùs indigeat, sed ut certiori argumento resurrectionem firmaret.*

Respondeo tertiò: per genimen vitis, Judæorum fidem mysticè significari, qua in regno Patris, id est in Ecclesia, Christus erat recreandus. Ita Sanctus Hieronymus interpretatur in Commentar. cap. 26. Sancti Matthæi *De carnalibus*, inquit, *transit ad spiritalia: quòd vinea in Ægypto transplantata, sit populus Israel, cui per Hieremiam Dominus loquitur: Ego te plantavi vineam veram: quomodo mutata es in amaritudinem, vitis aliena? Dicit ergo se Dominus de hac vinea nequaquam esse bibiturum, nisi in regno Patris sui. Regnum Patris, fidem puto esse Credentium, Apostolo quoque idipsum confirmante: Regnum Dei intra vos est. Ergò cùm Judæi receperint regnum Patris; cùm, inquam, crediderint in Deo Patre, & adduxerit eos Pater ad Filium, tunc de vino eorum bibet Dominus, & in similitudinem Joseph regnans in Ægypto, inebriabitur cum fratribus suis.*

---

# DISSERTATIO XXVIII.

## Adversùs Ebionem.

## ARTICULUS UNICUS.

*Quo refellitur ejus error effutientis Christum ex consortio Mariæ cum Josepho fuisse genitum.*

HUNC errorem Sanctus Irenæus egregiè refellit lib. 3. adversùs Hæreses cap. 24. ex oraculo Isaiæ cap. 7. *Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium. NON ergo vera est*, inquit, *quorumdam interpretatio, qui ita audent interpretari Scripturam: Ecce adolescentula in ventre habebit, & pariet Filium, quemadmodum Theodotion Ephesius est interpretatus, & Aquila Ponticus, utrique Judæi proselyti, quos secuti Ebionæi, ex Joseph generatum eum dicunt, tantam dispositionem Dei dissolventes, quantùm ad ipsos est, frustrantes Prophetarum testimonium, quod operatus est Deus. Prophetatum est quidem priusquam in Babylonem fieret populi transmigratio, id est, antequam Medi & Persæ acciperent Principatum: interpretatum verò in Græco ab ipsis Judæis, multùm ante tempora adventus Domini nostri, ut nulla relinquatur suspicio, ne fortè morem nobis gerentes Judæi, hæc ita sint interpretati.* Cùm itaque hæc verba, *Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium*, &c. inveniantur in Scriptura Sacra, prout eam LXX. Interpretes Sancto Spiritu illustrati & afflati, ex Hebræo in Græcam in linguam verterunt, colligendum est errorem Ebionis, asserentis Christum ex consortio maritali Josephi cum Maria genitum, Scripturæ Sacræ verbis profligari.

II. Eundem errorem evertit cap. 26. illis Matthæi verbis: *Cùm esset desponsata Mater Jesu Maria Joseph, antequàm convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu Sancto. MANENTE igitur in ea virginitate, inventa est in utero habens*, ut rectè colligit Sanctus Irenæus. Matth. 1.

Et ex illis verbis Gabrielis ad Mariam Lucæ 1. *Spiritus Sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi, ideòque & quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei.*

III. Idem probat cap. 27. ex Isaiæ Prophetia, quam accuratiùs explicat. *Et adjecit Dominus loqui ad Achaz dicens: Pete tibi signum à Domino Deo tuo in profundum inferni, sive in excelsum supra. Et dixit Achaz: Non petam, & non tentabo Dominum. Et dixit: Audite ergo domus David, numquid parum vobis est molestos esse hominibus, quia molesti estis & Deo meo? Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum: Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuël.* Isaiæ 7.

Isaiæ vaticinium de Virgine paritura Matri Jesu Christi adducimus.

Notat autem Sanctus Irenæus, ideò præmisisse Prophetam hæc verba: *Audite ergo domus David*, ut significaret, *Quoniam quem promisit Deus David, de fructu ventris ejus æternum suscitaturum se Regem, hic est qui ex Virgine, quæ fuit de genere David, generatus est. Propter hoc enim & de fructu ventris ejus Regem promisit, quod erat proprium Virginis prægnantis; & non de fructu lumborum ejus, nec de fructu renum ejus, quòd est proprium viri generantis, & mulieris ex viro conceptionem facientis.* Id confirmari ait Irenæus, verbis Sanctæ Elisabetæ dicentis ad Mariam: *Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui.* Et significasse Spiritum Sanctum, repromissionem qua Deus David repromisit

repromisit se de fructu ventris ejus suscitaturum Regem, *impletam esse in Virginis, hoc est, in Mariæ partu.*

Secundò observat Sanctus Irenæus, Isaiam dixisse, *in profundum inferni, sive in excelsum suprà*, ut significaret, *quoniam qui descendebat, ipse erat & qui ascendebat.*

Tertiò, observat his verbis, *Propter hoc dabit Dominus vobis signum*, indicasse Prophetam, *id quod erat inopinatum generationis ejus. Quid enim magnum, aut quod signum fieret in eo quòd adolescentula concipiens ex viro peperisset, quod evenit omnibus, quæ pariunt, mulieribus? Sed quoniam inopinata salus hominibus inciperet fieri, Deo adjuvante, inopinatus & partus Virginis fiebat, Deo dante signum hoc, sed non homine operante illud.*

Idem probat Irenæus cap. 28. ex oraculo Danielis cap. 2. dicentis: *Abscissus est lapis de monte, sine manibus*, &c. Istud significabat, *Quod non operantibus humanis manibus, in hunc mundum* (Christi) *adventus erat, id est, non operante in eum Joseph, sed sola Maria* cooperante dispositione. Hic enim lapis à terra, & ex virtute, & arte constat Dei. Propter hoc autem & Isaias ait*, cap. 28. *Sic dicit Dominus: Ecce ego mitto in fundamenta Sion lapidem pretiosum, electum, summum, angularem, honorificum: uti non ex voluntate viri, sed ex voluntate Dei, adventum ejus, qui secundum hominem est, intelligamus.*

*Hic supplendum aliquid est: forsan, Spiritus dispositione, seu virtute.

IV. Idem probat Sanctus Irenæus cap. 29. hac ratione: Si Christus *Joseph filius esset, quemadmodum plus poterat quàm Salomon, aut plusquam Joannes habere, aut plus esse quàm David, cum esset ex eadem seminatione generatus, & proles existens ipsorum? Ut quid autem & beatum dicebat Petrum, quòd eum cognosceret esse Filium Dei vivi? Super hæc autem, nec Rex esse posset, siquidem Joseph filius fuisset, nec hæres, secundum Jeremiam: Joseph enim Joacim & Jechoniæ filius ostenditur, quemadmodum & Matthæus generationem ejus exponit. Jechonias autem, & qui ab eo omnes, abdicati sunt à regno, Jeremia dicente sic, Vivo ego, dicit Dominus, Si factus fuerit Jechonias filius Joacim, Rex Juda, signaculum in manu dextera mea, inde abstraham eum, & tradam eum in manu quærentium animam ejus. Et iterum: Inhonoratus est Jechonias, quemadmodum vas quod non est opus, quoniam projectus est in terram, quam non sciebat. Terra, audi sermonem Domini. Scribe virum hunc abdicatum hominem, quoniam non augebit de semine ejus sedens super thronum David, Princeps in Juda*, Hæc Sanctus Irænæus cap. 30. lib. 3.

Jerem. 22.

Denique id probat ex similitudine conceptionis Christi cum formatione corporis Adami cap. 31. *Quemadmodum*, inquit, *protoplastus ille Adam de rudi terra, & de adhuc virgine* (*nondum enim pluerat Deus, & homo non erat operatus terram*) *habuit substantiam, & plasmatus est manu Dei, id est Verbo Dei. Ita recapitulans in se Adam ipse, Verbum existens ex Maria, quæ adhuc erat virgo, rectè accipiebat generationem Adæ recapitulationis. Si igitur primus Adam habuit patrem hominem, & ex semine viri natus est: meritò dicerent & secundum Adam ex Joseph esse generatum. Si autem ille de terra quidem sumptus est, & verbo Dei plasmatus est, oportebat idipsum Verbum recapitulationem Adæ in semetipsum faciens, ejusdem generationis habere similitudinem. Quare igitur non iterum sumpsit limum Deus, sed ex Maria operatus est plasmationem fieri? Ut non alia plasmatio fieret, nec alia esset plasmatio quæ salvaretur, sed eadem ipsa recapitularetur, servatâ similitudine.*

Secundò, hunc Ebionis errorem Tertullianus refellit, libro de Carne Christi cap. 17. *Ante omnia autem*, inquit, *commendanda erit ratio, quæ præfuit ut Dei Filius de Virgine nasceretur. Novè nasci debebat novæ nativitatis dedicator; de qua signum daturus Dominus ab Isaia prædicabatur. Quod est istud signum? Ecce virgo concipiet in utero, & pariet filium. Concepit igitur Virgo, & peperit Emanuelem, nobiscum Deum. Hæc est nativitas nova, dum homo nascitur in Deo, in quo homine Deus natus est, carne antiqui seminis susceptâ, sine semine antiquo, ut illam novo semine, id est, spiritualiter reformaret, exclusis antiquitatis sordibus expiatam.* Hujus figuram præcessisse in formatione Adami demonstrat, Sanctum Irenæum imitatus. *Sed ista nativitas ista*, inquit, *sicut & in omnibus de veteri figurata est rationali per Virginem dispositione, Domino nascente. Virgo erat adhuc terra, nondum opere compressa, nondum sementi subacta: ex ea hominem factum à Deo accepimus in animam vivam. Igitur, si primus Adam de terra traditur; meritò sequens vel novissimus Adam, ut Apostolus dixit, proinde de terra, id est carne nondum generationi resignata, in spiritum vivificantem à Deo est prolatus.*

Idem probat ex antithesi reparationis nostræ cum perditione nostra, & Mariæ cum Eva. *Sed & hic ratio defendit, quòd Deus imaginem & similitudinem suam à diabolo captam, æmulâ operatione recuperavit. In Virginem enim adhuc Evam irrepserat verbum ædificatorium mortis: in Virginem æquè introducendum erat Dei Verbum extructorium vitæ, ut quod per ejusmodi sexum abierat in perditionem, per eundem redigeretur in salutem. Crediderat Eva serpenti, credidit Maria Gabrieli: quod illa credendo deliquit, hæc credendo delevit. Sed Eva nihil tunc concepit in utero ex diaboli verbo. Immò concepit: Nam exinde ut abjecta pareret, & in doloribus pareret, verbum diaboli semen illi fuit: enixa est denique diabolum fratricidam. Contrà, Maria eum edit, qui carnalem fratrem Israel, interemptorem suum, salvum quandoque præstaret. In vulvam ergo Deus Verbum suum detulit, bonum fratrem, ut memoriam mali fratris eraderet.*

Idem probat ex eo, quòd, si Christus esset ex semine humano genitus, esset totus hominis Filius: igitur non esset Filius Dei. *Non competebat*, inquit cap. 18. *ex semine humano Dei Filium nasci, ne si totus esset filius hominis, non esset & Dei Filius, nihilque haberet amplius Salomone, & amplius Jona, & de Hebionis opinione credendus erat. Ergo jam Dei Filius ex Patris Dei semine, id est Spiritus, ut esset & hominis filius, caro ei sola erat ex hominis carne sumenda, sine viri semine. Vacabat enim viri semen apud habentem Dei semen. Itaque sicut nondum natus ex Virgine, patrem Deum habere potuit sine homine matre: æquè cùm de Virgine nasceretur, potuit matrem habere hominem sine homine patre. Sic denique homo cum Deo, dum caro hominis cum Spiritu Dei. Caro sine semine, ex homine: Spiritus cum semine, ex Deo.*

Tertiò hunc errorem Sanctus Epiphanius refellit Hæresi 27. iisdem Scripturæ locis & rationibus, quibus laudati Patres. *Nam neque de Josephi semine natus est Christus*, inquit: *qui enim prodigium posset illius esse generatio, ac quod ab Isaia dictum est, probari omnino posset? Dominus ipse dabit vobis signum; Ecce Virgo concipiet. Quanam verò ratione perfici poterit illud, quod Gabrieli Virgo sanctissima dixit: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Cui ille respondit: Spiritus Sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi, &c. Nonne illorum ex eo stultitia facilè convincitur, quod disertè in Evangelio scriptum est: Inventa est in utero habens, antequam convenirent?*

Et Hæresi 30. *Quis enim facilè non intelligit Josephum minimè illius parentem, sed parentis loco habitum fuisse? Ecce enim, inquit Isaias, Virgo concipiet, & pariet filium. Non dixit, Ecce mulier. Ac rursum alio loco: Et pariet vitula, & dicent: Non peperit. Nam cùm Manichæorum, ac Marcionitarum quidam negent illam partu in lucem editum, ob id, Pariet (inquit) & dicent: Non peperit, quoniam de viri semine Maria non peperit. Igitur vitula hominem eundem ac Deum verè illa quidem peperit. Vitula porro nomine Virginem nominari, ejusque reliquias ad eos qui impuri essent, expiandos, adhiberi consuevisse, quemadmodum Lex ipsa testetur, accipe: Sume (inquit) vitulam rufam, cujus collo nondum impositum est jugum: ut beatam Virginem illam esse vitulam significet, quæ nuptiarum jugo cervicem nondum submiserit.*

Idem significatum fuisse ait Sanctus Epiphanius his verbis Isaiæ 8. *Accipe segmentum chartæ recentis ac majoris. UBI segmenti usus est vocabulo, quòd etsi è virili semine propagata sit Virgo: eadem tamen sit ab humano concubitu, naturalique hominum consuetudine velut secta. Universi quippe homines è virili semine gignuntur. At Christi generatio uti naturaliter ex muliere, Maria scilicet Virgine, naturam duxit humanam, ita propter naturam ab originis humanæ consuetudine resecta est: id quod Jacob de eo pronuntiat his verbis:* Ex germine, *fili mi, ascendisti. Non dixit: E semine ascendisti. Atque idcirco Isaias Propheta, sive potius Isaiæ Dominus hunc in modum locutus est: Sume tibi chartæ segmentum.* Sed *subjecit, nova, ob recentem inviolatumque castitatis in Virgine florem: magna quippe coram Deo & hominibus Maria Virgo extitit. Quis enim non eam magnum prædicet, quæ illum, qui capi nullo modo potest, ceperit, eum (inquit) qui cælo terráque contineri nequit. Ergo magnum illud volumen est, ac recens. Magnum ob miraculum; recens, quia Virgo fuit. Deinde, scribe (inquit) in eo stylo hominis. Non dicit: Scribet in eo quispiam hominis stylo; neque, scribet in eo homo, ne quam inde Ebion occasionem arriperet...... Num igitur frustra Propheta dixit, Scribe? Minimè verò. Sed ut ille idem, qui Propheta inerat, Spiritus Sanctus ostenderet, generationis se Christi, quatenus carne constabat, verè authorem, & efficientem esse. Spiritus enim Sanctus superveniet in te, ait Mariæ Gabriel Angelus.*

Genes. 24.

Objicitur in gratiam Ebionis. Christus natus est ex muliere, secundùm illud ad Galatas 4. *Misit Deus Filium suum, factum ex muliere*: Ergo non est conceptus ex Virgine, sed ex consortio Josephi cum Maria.

Præterea, In illo Isaiæ vaticinio, *Ecce Virgo concipiet*, legendum est, *adolescentula concipiet*, ut Symmachus, Aquila, & Theodotion transtulerunt. Ergo nullum hoc ex loco argumentum erui potest, ad probandum Christum absque hominis opera genitum fuisse.

Respondeo ad primum, nego consequentiam. Nam (ut ait Tertullianus lib. de Virginibus velandis cap. 5.) *Hujus vocabuli proprietas ad sexum ipsum, non ad gradum sexûs pertinet. Cùm hoc genus secundi hominis à Deo factum est, in adjutorium hominis, fœmina illa statim mulier est cognominata, adhuc felix, adhuc digna Paradiso, adhuc Virgo. Habes itaque nomen, non dico jam Virginis commune, sed proprium; quòd à principio virgo sortita est.... Ita mulier non natura nomen est uxoris; sed uxor; conditione, nomen est mulieris. Denique mulier & non uxor dici potest; non mulier autem uxor dici non potest, quia nec esse.*

Et cap. 6. *Videamus nunc si & Apostolus formam vocabuli istius, secundùm Genesim observet, sexui deputans illud, sic mulierem vocans Virginem Mariam, quemadmodum & Genesis Evam. Scribens enim ad Galatas: Misit (inquit) Deus Filium suum, factum ex muliere: quam utique virginem constat fuisse, licèt Ebion resistat. Agnosce & Angelum Gabrielem ad Virginem missum*, &c.

Respondeo ad Secundum, anteponendam esse versionem LXX. Interpretum, qui ex Hebræo transtulerunt, *Ecce Virgo concipiet*, ἡ παρθένος: & verò nomen *Alma*, quod isti respondet in textu Hebraico, *ambiguum est, dicitur enim & adolescentula, & abscondita. Unde & in titulo Psalmi 9. ubi in Hebræo positum est*, Almuth, *cæteri interpretes transtulerunt, Pro adolescentia, quod LXX. interpretati sunt, Pro absconditis, Et in Genesi legimus, ubi Rebecca dicitur alma, Aquilam, non adolescentulam, nec puellam, sed absconditam, transtulisse. Ergo Alma, non solum puella, vel virgo, sed cum ἐπιτάσει virgo abscondita dicitur, & secreta, quæ nunquam virorum patuerit aspectibus, sed magnâ parentum diligentiâ custodita sit. Linguâ quoque Punicâ, quæ de Hebræorum fontibus manare dicitur, propriè virgo, Alma, appellatur. Et ut risum præbeamus Judæis, nostro quoque sermone, Alma, sancta dicitur. Omniumque penè linguarum verbis utuntur Hebræi. Ut est illud in Cantico Canticorum, de Græco, φορεῖον, id est, ferculum sibi fecit Salomon, quod & in Hebræo ita legimus. Verbum quoque, mugas, & mensuram, Hebræi eodem modo, & iisdem appellant sensibus. Et quantum cum meâ pugno memoriâ, nunquam me arbitror, Alma, in muliere nupta legisse, sed in ea quæ virgo est, ut non solum virgo sit, sed Virgo junioris ætatis, & in annis adolescentiæ.* Hæc observat Sanctus Hieronymus lib. Commentariorum in Isaiam, ad cap. 7. Denique quando dicitur, *Dabit Dominus ipse vobis signum, novum debet esse atque mirabile. Si autem juvencula, vel puella (ut Judæi volunt) non virgo pariat, quale signum poterit appellari, cùm hoc nomen ætatis sit, non integritatis?* inquit Sanctus Hieronymus.

Genes. 24.

Deinde vox illa *Haalmah*, cum articulo *he*, ter tantùm in sacris Hebræorum literis invenitur, Genesis scilicet 24. ubi de Rebecca dicitur, *Puella pulchra nimis, virgóque pulcherrima, & incognita viro*; in Hebræo legitur, *Haalmah*. Et Exodi 2. ubi de Maria sorore Moysis scribitur: *Perrexit puella, & vocavit matrem suam*; in Hebræo etiam legitur, *Haalmah*; Legitur denique in laudato Isaiæ oraculo. Si igitur duæ priores hoc nomine vocantur, quòd intactæ essent, absconditæ, & viris non cognitæ, cur & Mariam Christi matrem eodem designatam vocabulo non dicemus, quòd virgo conceperit, & pepererit?

De hoc eodem loco lege Eusebium Cæsariensem lib. 7. de Evangelica Demonstratione cap. 2. & Origenem lib. 1. contra Celsum p. 41 r.

Judæorum objectionibus contra celebris Isaiæ loci ad Conceptionem & Nativitatem Jesu ex Virgine applicationem respondetur.

Objiciunt Judæi; hoc Isaiæ oraculum, *Ecce virgo concipiet*, &c. perperam ad Jesum Nazarenum referri, nec dubito quin idem Ebion objiceret. Eorum argumenta sunt ista;

I. Loquitur Propheta de puero qui vocabitur Emmanuel: Filius autem Mariæ non vocatus est Emmanuël, sed Jesus.

II. Loquitur Propheta de ejusmodi partu, qui potuerit esse signum futuræ liberationis, promissæ Achaz, à duobus Regibus Rezin & Pekach: Reges enim illos duos destruendos prædicit, priusquam sciat puer ille reprobare malum, & eligere bonum; absurdè ergo applicatur vaticinium illud ad puerum post septem demum sæcula nasciturum, cujus nativitas signum esse non possit beneficii statim, vel brevi post exhibendi populo Judaïco

in

in liberatione à duobus illis Regibus. Signum A enim promissionem confirmans, ipsius antecedere debet complementum.

III. Absurdum videtur*, signum de Jesu Nazareno septem post sæculis nasciturо huc referre, cùm Propheta id ad illa tempora, & homines tum viventes referat, dicens: *Dominus dabit vobis signum*: quid verò ad illorum confirmationem faciebat, nasciturum Messiam aliquem multis post sæculi?

IV. Complementum istius vaticinii circa illa tempora fuisse exhibitum, colligi videtur ex Isaiæ B VIII. ubi uxor Prophetæ dicitur concepisse, & peperisse filium, & post Propheta ait: *Ecce ego & pueri mei, quos dedit mihi Dominus in signum & portentum in Israel*: Loquens vel in primis de hoc puero, qui datus erat in signum.

V. Sequentia quæ apud Isaïam leguntur, congruè aptari non posse Messiæ nostro, quòd à natali suo ad annos usque intelligentiæ butyrum & mel comederit: de ejusmodi enim educatione Jesu Nazareni ne verbùm quidem legi.

VI. Ignorantiam non cadere in Christum, ex sententia Christianorum, & tamen de puero, de C quo loquitur Propheta, dici, antequam ille cogniturus sit bonum & malum, Reges illos perituros.

Respondeo ad 1. æquipollentia esse nomina Emmanuëlis, & Jesu, *non sono, sed sensu*, ut docet Tertullianus lib. *Adversus Judæos*, cap. 9. *Sonus enim Hebraicus, quod est Emmanuel, sua gentis est. Sensus autem ejus, quod est, Deus nobiscum, ex interpretatione communi est. Quæro ergo an ista vox, Nobiscum Deus, quod est Emmanuel, exinde quo Christus inluxit, agitetur in Christo? Et puto ex toto non negabis. Nam qui ex Judaismo credunt Christo,* D *ex quo in eum credunt, Emmanuel cum volunt dicere, Nobiscum Deum esse significant. Atque ita constat jam venisse illum qui prædicabatur Emmanuel, quia quod significat Emmanuel venit, id est, Nobiscum Deus.*

Respondeo secundò, τὸ *vocari*, in Scriptura sacra non semper referri ad appellationem externam nominis, sed interdum ad efficientiam, interdum ad applicationem rei per nomen designatæ: quo sensu, hoc vel illo nomine vocandus dicitur, cui hoc vel illud nomen optimo jure competit, ac illius significatum implet. Sic Lucæ 1. de Christo di- E cit Angelus Beatæ Mariæ Virgini: *Quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei.* De Hierosolyma dicitur: *Post hæc vocaberis civitas justi, urbs fidelis*, Sic Isaïæ VIII. *Voca nomen ejus, Accelera spolia detrahere.* Et cap. IX. *Vocabitur nomen ejus, Admirabilis*, &c. Propheta itaque ostendere voluit non quomodo Christus nominandus esset, sed qualis esset futurus, nimirum Emmanuël verus, & quoad personam, & quoad officium, & quoad ejusdem executionem in familiari conversatione cum hominibus. Evangelista verò utrumque conjungere voluit, & quomodo vocandus esset Christus Dominus, quò spectant illa Archangeli ver- F ba: *Et vocabis nomen ejus Jesum*: & quis futurus esset; quò spectat vaticinium Isaïæ: *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuël.*

Respondeo ad II. negando hypothesim, scilicet quòd omne signum confirmativum debeat semper præcedere tempore, & complemento executionem actualem promissionis, cujus gratiâ offertur. Contrarium enim Scripturæ sacræ exemplis multiplicibus ostenditur. Sic Exodi 3. dicitur: *Hoc habebis signum, quod miserim te: cùm eduxeris populum meum de Ægypto, immolabis Deo super* A *montem istum.* Quod signum impletum non est nisi post eductionem populi: sic 1. Regum signum irati Dei denuntiatur Heli à post facto, occisione videlicet filiorum: *Hoc autem erit tibi signum, quod venturum est duobus filiis tuis Ophni & Phinees: in die uno morientur ambo.* Sic Isaïæ 37. Ezechiæ promittitur liberatio paulò pòst secutura, & tamen proponitur signum remotius, beneficium nempe ipsam liberationem secuturum, præservatio nimirum à fame, cujus poterat esse metus ob devastatam ab hostibus Judæam. *Tibi autem hoc* B *erit signum: Comede hoc anno quæ sponte nascuntur, & in anno secundo pomis vescere: in anno autem tertio seminate, & metite, & plantate vineas, & comedite fructum earum.* Tale signum proponit etiam Jeremias cap. 44. *Et hoc vobis signum, ait Dominus, quòd visitem ego super vos in loco isto.... Ecce ego tradam Pharaonem Ephree Regem Ægypti in manu inimicorum ejus.*

Respondeo secundò, Prophetam non petere argumentum confirmationis Judæorum à signo propriè accepto, sed à minore ad majus: Si Deus nobis aliquando daturus est quod majus est, quod C difficilius est, quod stupendum prorsus & inauditum est, ut Virgo concipiat & pariat Emmanüelem, de cujus promissionis complemento nemo vestrûm dubitat, quantò magis Deus vobis daturus est quod minus est ac facilius, nimirum ut liberemini è manibus duorum Regum, qui modò vos vexant? Quod quidem argumentum eò firmius erat, quòd Messias è domo David nasciturus esset. Illa igitur excidenda non erat à duobus illis Regibus. Quàm certa enim erat exhibitio Messiæ, tam certa erat conservatio & ordinatio omnium illorum, quæ ad illam requirebantur. Fine D ergo posito, extra omnem dubitationis aleam, de mediis, quibus Deus finem illum producturus erat, jubet eos certos esse Isaïas, inter quæ erat præsens conservatio domus David ab infestatione hostium.

Ad 3. Respondeo, Isaïæ vaticinium, non ad præsentes tantùm Judæos, sed ad omnem Davidis domum referri, ut ex verbis antecedentibus colligitur: *Audite ergo domus David.*

Respondeo secundò, Scripturam sacram sæpe multis ea promittere, quæ in posteritate illorum demùm complentur. Sic Genesis 13. Abraham E promittitur terra Canaan, quæ tamen promissio longo post tempore demùm legitur adimpleta. Sic Genesis 27. Jacobo promissum est, futurum illum Dominum fratrum suorum: & tamen Esaü ipse nunquam subjectus fuit Jacobo, sed Idumæi posteri Esaü, quando tempore Davidis subacti fuerunt. Non mirum itaque quod his Judæis ad quos loquebatur, Isaïas signum dederit, quod ipsorum duntaxat posteris esset actu exhibendum.

Ad 4. Respondeo 1. verba illa capitis 8. *Et accessi ad Prophetissam, & concepit, & peperit filium, & dixit Dominus ad me: Voca nomen ejus, accele-* F *ra spolia detrahere, festina prædari*, &c de Messiæ conceptu & partu esse intelligenda, proindéque tunc non fuisse completum vaticinium illud. Id probatur ex eo, quòd illi puero tribuantur ea, quæ filio Prophetæ convenire non possunt. Vocatur enim *Emmanuël*, & dicitur *quòd extensio alarum ejus implet altitudinem terræ.* Ille ipse puer dicitur accepturus *fortitudinem Damasci, & spolia Samariæ.* (Secundùm textum Hebræum, & Versionem LXX.) Quod sanè filio Isaïæ competere non poterat, sed soli Messiæ. Nec nomina illa, *Accelera spolia detrahere, festina prædari*, eidem conveniunt, cùm effecta illis designata nominibus ei non com-

petant. Præterea ratio Chronologica idipsum exigere videtur. Cùm enim regnum Samariæ eversum fuerit anno 6. regni Ezechiæ, ut habetur 4. Regum c. 18. non constarent sibi verba Prophetæ, quæ illud esse destruendum asserunt, antequam puer ille patrem & matrem compellare possit. Porro si de filio Isaiæ tum nato hîc sermo esset, attigisset ille ætatem longè provectiorem, decimumsextum ad minimum annum ante destructionem Samariæ, cùm hæc dicta videantur sub annum tertium vel quartum regni Achaz. Tertiò Zacharias filius Barachiæ, qui hîc testis adducitur ab Isaia, annis CLXX. ipso posterior fuit, ut qui prophetavit demum post solutam captivitatem Babylonicam. Vaticinium igitur illud cujus adhibetur testis, completum non fuit Isaïæ tempore. Itaque juxta Sanctos Patres, Irenæum, Athanasium, Basilium, Hieronymum, Ambrosium, Augustinum, dicendum est, hæc in visione contigisse Isaiæ, & ad Christum esse referenda: Nomine verò Prophetissæ Beatam Virginem intelligi, cujus divinus partus Isaiæ ostensus est. Christum quoque spectare versum illum 18. *Ecce ego & pueri mei, quos dedit mihi Dominus in signum*, &c. volunt sacri Interpretes: quasi dicat Propheta, Sicut ego & Discipuli mei, quos Dominus mihi adjunxit, habemur jam pro signis & portentis, eò quòd non sequamur corruptos populi mores, & admirandos inauditosque eventus prophetemus, ac ea prædicemus, quæ ingrata sunt auribus hominum carnalium: sic Christus, & Apostoli ejus atque Discipuli, videbuntur esse portenta, & monstra Judæis, ob novitatem doctrinæ, ac vitæ admirabilis sanctitatem. Et certè verba illa ad Christum referre necesse est, si Apostolum sequamur, ad Hebræos cap. 2. versu 13.

Respondeo secundò, quòd etsi de filio Isaiæ verba illa capitis octavi intelligenda essent, & accessus ille ad Prophetissam significaret Prophetam cognovisse uxorem suam, ex eâ suscepisse filium, illi imposuisse memorata nomina; non sequeretur vaticinium capitis vet. ad Christum non esse referendum: quia dici posset de alio conceptu & partu hîc sermonem esse, de alio cap. 7. Primum vocari *Emmanuel*; istum, *Accelera spolia detrahere, festina prædari.* Illum esse filium Virginis, istum Prophetissæ. Illum constitui symbolum conservationis domus Davidicæ; istum verò signum destructionis Regnorum Syriæ, & Samariæ. Deum itaque novum istud signum populo incredulo & pervicaci dedisse: regna illa destruenda fore, & hostes Israëlis profligandos, antequam puer quem Prophetissa, id est, Prophetæ uxor mox pepererat, adultam attigisset ætatem. Sed priori responsioni potiùs standum est.

Ad quintum respondeo, verbis illis, *Butyrum & mel comedes*, nihil aliud innui, nisi puerum illum, etsi admirabili, & supernaturali modo conceptum & natum, consueto tamen more educandum, cibisque communibus nutriendum, quales erant inter Judæos butyrum & mel, quæ solebant infantibus exhiberi; tum quia cibi dulces & pingues illi ætati maximè grati esse solent: tum quia abundabat Judæa & pecore, & favis mellis. Unde & terra Canaan frequenter dicitur in Scriptura, *fluere lacte & melle.*

Ad sextum respondeo, verba illa, *Ut sciat reprobare malum, & eligere bonum*, ignorantiam in Puero illo non innuere, quæ accedente rationis usu paulatim fugetur, sicut in vulgo puerorum: sed significant auferenda esse ab eo Samariæ, Damascique spolia, antequam eam attigerit ætatem, quâ pueri boni eligendi, & mali reprobandi sunt capa-

A ces; antequam & ipse exteriùs indicia præbeat se bonum inter & malum discernere. Quamvis enim Christus omnium scientiam perfectissimam rerum, non solùm quà Deus, sed quà homo, statim atque conceptus est, habuerit; ab infantili tamen, & puerili corporis habitu eam non demonstrabat, sed paulatim prout crescebat ætate, ne verus homo non videretur, sed portenti instar ac monstri haberetur. De filio porrò Prophetæ, aut quovis alio infante hunc locum intelligi non posse demonstrant adjuncta, quòd scilicet detracturus dicatur Spolia Samariæ, antequam sciat vocare patrem & matrem;
B quod contra Judæos urget Tertullianus. *Ante est*, inquit, *inspicias ætatis demonstrationem, an virum jam Christum exhibere ista ætas possit, nedum Imperatorum. Scilicet vagitu ad arma esset convocaturus infans, & signum belli non tubâ, sed crepitacillo daturus: nec ex equo, vel de muro, sed de nutricis & gerulæ suæ dorso, sive collo, hostem destinaturus; atque ita Damascum & Samariam pro mammis subacturus. Aliud est si penes vos infantes in prælium erumpunt, credo ad solem uncti prius, dehinc pannis armati, & butyro stipendiati, qui ante norint lanceare, quàm lanciare. Enimverò si nusquam hoc*
C *natura concedit, ante militare, quàm virum facere, ante virtutem Damasci sumere, quàm patrem nosse, sequitur ut figuratè pronuntiatum esse videatur. Sed & Virginem, inquiunt; parere natura non patitur, & tamen credendum est Prophetæ. Et meritò: Præstruxit enim fidem incredibili rei, dicendo quod signum esset futurum. Propterea, inquit, dabitur vobis signum, Ecce Virgo concipiet in utero, & pariet Filium. Signum autem à Deo, nisi novitas aliqua monstruosa fuisset, signum non videretur. Denique si quando ad dejiciendos aliquos ab hac divina prædicatione, vel convertere singulos simplices quosque gestiis,*
D *mentiri audetis quasi non Virginem, sed juvenculam concepturam & parituram Scriptura contineat, hinc quoque revincimini, quod nihil signi videri possit res quotidiana, juvenculæ scilicet prægnatus & partus. In signum ergo nobis posita Virgo Mater meritò creditur, infans verò bellator non æquè. Non enim & hic signi ratio versatur, sed signo nativitatis novæ adscripto, exinde post signum alius jam ordo infantis edicitur, mel & butyrum manducaturi. Nec hoc utique in signum est, & hoc enim infantia est; sed accepturum virtutem Damasci, & spolia Samariæ adversùs Regem Assyriorum, hoc est mirabile si-*
E *gnum.* Damasci porrò virtutem interpretatur Tertullianus aurum, & odores à Magis oblatos. *Nam & Magos Reges*, inquit, *ferè habuit Oriens, & Damascus Arabiæ retro deputabatur, antequam transcripta esset in Syrophœnicem ex distinctione Syriarum, cujus tunc virtutem Christus accepit, accipiendo insignia ejus, aurum scilicet & odores: spolia autem Samariæ ipsos Magos, qui cùm illum cognovissent, & muneribus honorassent, quasi Dominum & Regem sub testimonio indicis & ducis stellæ, spolia sunt facti Samariæ, id est, idololatriæ, credentes videlicet in Christum. Idololatriam enim Samariæ nomine*
F *notavit, ut ignominiosæ ob idololatriam, quâ desciverat tunc à Deo sub Rege Hieroboam.*

# DISSERTATIO XXIX.

## Adversùs Nicolaïtas.

## ARTICULUS UNICUS.

*Quo refellitur ipsorum error de promiscuo & indiscreto mulierum complexu.*

I. HUNC errorem satis refellunt sacræ Scripturæ oracula, quæ adulterium & fornicationem damnant. Matthæi 15. *De corde*, ait Christus, *exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes: hæc sunt, quæ coinquinant hominem.* Et cap. 5. *Audistis, quia dictum est antiquis, Non mœchaberis: ego autem dico vobis; quia omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo.* Et Apostolus 1. ad Corinthios 6. *Nolite errare: neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri, &c. regnum Dei possidebunt.* Et ad Galatas 5. *Manifesta sunt autem opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, &c. quæ prædico vobis, sicut prædixi: quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.* Et Deuteronomii 23. *Non erit meretrix de filiabus Israel, nec scortator de filiis Israel.*

II. Impurum dogma Nicolaïtarum refellitur ex Patribus, qui Apologias pro nostra Religione scripserunt, in quibus obscœnas illas commixtiones flagitiosas esse, & Christi lege prohibitas profitentur. Ita Sanctus Justinus Apologiâ secundâ. *Et sicut legibus humanis duplex contrahentes matrimonium, sic etiam apud Doctorem nostrum fœminam inspicientes ad concupiscendam eam, peccatores sunt. Non enim tantùm qui adulterium reipsa committit, ab eo rejicitur; sed etiam adulterium committere volens: videlicet quòd non opera solùm, verùm cogitationes quoque manifesta sint Deo. Permulti profectò sexus utriusque, & sexaginta, & septuaginta nati annos, qui à pueris disciplinam Christi sunt assectati, incorrupti, & cœlibes perdurant. Quid enim innumerabilem eorum dicam multitudinem, qui ex intemperanti luxuriâ ad frugem bonam conversi sunt, & hæc instituta perdidicerunt?*

Et rursùs. *Quin omnino vel matrimonium non aliter contrahimus, nisi liberorum creandorum, atque educandorum gratiâ: vel conjugium detrectantes, perpetuò nos continemus. Et jam nostrorum juvenum quidam, ut vobis persuaderet non esse nobis mysterium promiscuam & propatulam mixtionem, libellum obtulit Alexandriæ Felici Præsidi, Medico permitti postulans, ut testes sibi abscinderet. Nam sine permissu Præsidis id facere, loci ejus Medici interdictum esse dicebant. Felice verò prorsus petitioni ejusmodi subscribere nolente, perseverans in proposito suo adolescens, in sua tandem, & eorum, qui idem secum sentiebant, conscientiâ acquievit.*

III. Sic Tertullianus Apologetici cap. 9. ubi contra Gentilium libidines hæc scribit: *Jam nunc recogitate quantùm liceat erroribus, ad incestu miscenda, suppeditante materias passivitate luxuriæ. In primis filios exponitis suscipiendos ab aliquâ prætereunte misericordia extranea, vel adoptandos melioribus parentibus emancipatis. Alienati generis necesse est quandoque memoriam dissipari: & simul error impegerit, exinde jam tradux proficiet incesti, serpente genere cum scelere. Tunc deinde quocunque in loco, domi, peregrè, trans freta, comes est libido: cujus ubique saltus facilè possunt alicubi ignaris filios pangere, vel ut ex aliqua seminis sparsione, ut ita sparsum genus per commercia humana concurrat in memorias suas, neque eas cæcus incesti sanguinis agnoscat. Nos ab hoc eventu diligentissima & fidelissima castitas sepsit: quantumque à stupris, & ab omni post matrimonium excessu, tantùm & ab incesti casu tuti sumus. Quidam multò securiores, totam vim hujus erroris virgine continentiâ depellunt, senes pueri.*

Et cap. 39. *Itaque qui animo, animaque miscemur, nihil de rei communicatione dubitamus. Omnia indiscreta sunt apud nos, præter uxores: in isto solo consortium solvimus, in quo solo cæteri homines consortium exercent, qui non amicorum solummodò matrimonia usurpant, sed & sua amicis patientissimè subministrant; ex illa, credo Majorum & sapientissimorum disciplina, Græci Socratis, & Romani Catonis, qui uxores suas amicis communicaverunt, quas in matrimonium duxerant, liberorum causâ: nescio quidem an invitas: quid enim de castitate curarent, quam mariti tam facilè donaverant? O sapientiæ Atticæ, ô Romanæ gravitatis exemplum! Lenones, Philosophus, & Censor.*

Et cap. 50. *Proximè ad lenonem damnando Christianam potiùs quàm ad leonem, confessi estis labem pudicitiæ apud nos atrociorem omni pœna, & omni morte reputari.*

Et cap. 55. *Christianus uxori suæ soli masculus nascitur. Democritus excæcando semetipsum, quod mulieres sine concupiscentia aspicere non posset, & doleret si non esset potitus, incontinentiam emendatione profitetur: at Christianus salvis oculis fœminas non videt: animo adversùs libidinem cæcus est.*

Sic Minutius Felix, in Octavio. *At nos pudorem non facie, sed mente præstamus. Unius matrimonii vinculo libenter inhæremus: cupiditatem procreandi aut unam scimus, aut nullam. Convivia non tantùm pudica colimus; sed & sobria. Nec enim indulgemus epulis, aut convivium mero ducimus: sed gravitate hilaritatem temperamus, casto sermone, corpore castiore. Plerique inviolati corporis virginitate perpetua fruuntur potiùs, quàm gloriantur. Tantùm denique abest incesti cupido, ut nonnullis rubori sit etiam pudica conjunctio.*

Sic Sanctus Cyprianus Epistolâ 7. *Quid deinde illud? quàm vobis execrandum debet videri, quod cum summo animi nostri gemitu & dolore cognovimus? Non deesse qui Dei templa, & post confessionem sanctificata & illustrata prius membra, turpi & infami concubitu suo maculent, cubilia cum fœminis promiscua jungentes: quando etsi stuprum conscientia eorum desit, hoc ipsum grande crimen est, quòd illorum scandalo in aliorum ruinas exempla nascantur.* Mitto sequentium sæculorum Patres.

Huc revocari possunt severa Christianæ disciplinæ in mœchos edicta, quibus publicæ Pœnitentiæ olim addicebantur, & à Communione, in quibusdam Ecclesiis, ad mortem usque, arcebantur: quod ex Concilio Illiberitano constat, Canone 3. *Si post Pœnitentiam fuerint mœchati, placuit ulteriùs his non esse dandam Communionem, ne lusisse de Dominica Communione videantur.* Quod etiam ex 7. Canone compertum est: *Si quis fortè fidelis, post lapsum mœchiæ, post tempora constituta, acceptâ Pœnitentiâ, denuò fuerit fornicatus, placuit nec in fine habere eum Communionem.*

Objicere poterant Nicolaïtæ, & similes hominum pestes, fornicationem non esse peccatum, adeòque promiscuos complexus mulierum saltem solutarum, licitos esse.

Antecedens probare poterant ex eo quòd nihil illicitum Deum præcipiat: fornicationem verò præceperit Oseæ dicens: *Vade, sume, tibi uxorem fornicationum, & fac tibi filios fornicationum.*

Addere poterant nullum peccatum mortale in

Scriptura sacra absque reprehensione memorari: fornicationem verò in antiquis Patribus memorari sine reprehensione: sicut legitur Genesis 16. de Abraham, quòd accessit ad Agar ancillam suam, & cap. 30. de Jacob, quòd accessit ad ancillas uxorum suarum Balam & Zelpham. Et cap. 38. quòd Judas accessit ad Thamar, quam existimavit meretricem. Subjungere poterant fornicationem nulli injuriam facere: adeoque non esse vetitam.

Repondeo, nego antecedens. Ad ejus probationem respondeo, Deum non præcepisse fornicationem Oseæ, sed ut sumeret uxorem fornicationum, id est quæ priùs prostituta fuisset, & ex ea, non jam meretrice sed conjuge, filios procrearet. Neque enim id quod à Deo præcipitur, tunc peccatum est, cum sit Deo jubente, licèt aliàs & secundùm legem communem, peccatum sit. Quia aliquis actus peccatum est, quatenus rectæ rationi adversatur: ratio autem recta est, quatenus primæ & summæ regulæ, nimirum divinæ voluntati est subjecta. Itaque quod homo facit à Deo jussus, ex recta ratione est. Sic nemo rectè inferet licitum esse parentibus occidere filios, quamvis Abraham filium immolare decreverit Deo mandante.

Ad secundum respondeo, Patriarchas ad ancillas suas non accessisse animo fornicario, sed maritali affectu, easque habuisse ut uxores, quo tempore polygamia *crimen non erat, quia mos erat*, ut Sanctus Augustinus ait: Mos, inquam, apud Sanctos, tacita Dei dispensatione, per internum afflatum, probatus. Ancillas memoratas uxorum loco habitas fuisse, constat ex Scriptura sacra: *Tulit Agar Ægyptiam ancillam suam, & dedit eam viro suo uxorem.* Et cap. 30. de Jacob dicitur quòd Rachel *dedit illi Balam in conjugium.* Judas denique peccavit accedendo ad Tamar, peccatumque suum ipse fassus est, dicendo; *Justior me est.* Hinc Sanctus Augustinus lib. 22. contra Faustum, cap. 61. *Consulta*, inquit, *æterna illa lex, qua naturalem ordinem conservari jubet, perturbarique vetat, nonnisi propagationis causâ statuit hominis concubitum fieri: & hoc nonnisi socialiter ordinato connubio, quod non pervertat vinculum pacis. Quocirca prostitutio fœminarum, non ad subsistuendam prolem, sed ad satiandam libidinem propositarum, divina atque æterna lege damnatur: omnem quippe dehonestat emptorem turpitudo venalis. Quapropter Judas, etiamsi graviùs peccasset, si nurum sciens, cum ea concumbere voluisset: tamen eum, quantùm in ipso erat, deformiter cum meretrice cubasse, non dubium est.*

Et lib. de Bono Conjugali cap. 15. *Planè*, inquit, *uxoris voluntate adhibere aliam, unde communes filii nascantur, unius commixtione ac semine, alterius autem jure ac potestate, apud antiquos Patres fas erat: nunc autem non est propagandi necessitas quæ tunc fuit, quando & parientibus conjugibus alias propter copiosiorem posteritatem superducere licebat, quod nunc certè non licet.*

Ad tertium respondeo; nego antecedens. Infert enim fornicatio injuriam proli nascituræ, cùm ejus educationi vagus concubitus, & perpetuo, ex natura sua, fœderi non conjunctus, adversetur.

Objectio altera petitur ex Epistola 5. Clementis Romani ad Jacobum Fratrem Domini, scribentis: *Communis usus omnium, quæ sunt in hoc mundo, omnibus esse hominibus debuit; sed per iniquitatem alius hoc suum dicit esse, & alius illud, & sic inter mortales divisio facta est. Denique Græcorum quidam Sapientissimus hæc ita sciens esse, ait communia debere esse amicorum omnia: in omnibus autem sunt sine dubio & conjuges; &, sicut non potest dividi aer, neque splendor Solis, ita nec reliqua, quæ communiter data sunt omnibus ad habendum, dividi debere, sed habenda esse communia.* Ergo communio uxorum Clementi Romano licita esse visa est.

Respondeo primo, Epistolam illam non esse Sancti Clementis, ut in Synopsi ostendimus.

Respondeo secundò, hæc Authorem, quisquis est, istius Epistolæ, ex propria sententia, non scripsisse, sed ex persona Faustiniani ethnici, patris Sancti Clementis, quem Author Recognitionum sub ejusdem Sanctissimi Pontificis larva delitescens lib. 10. inducit uxorum communionem in disputatione coram Sancto Petro propugnantem, ex Platonis sententia: quanquam ab eo, & aliis malè intellectam illius Philosophi opinionem Clemens Alexandrinus lib. 3. Stromatum testetur, agens contra Carpocratianos, qui nefarium istud dogma tueri non erubescebant. *Mihi autem*, inquit, *videtur Platonem quoque malè audivisse, in Republica dicentem, Oportere communes omnium uxores; ut qui diceret eas quidem quæ nondum nupserant, esse communes eorum qui essent petituri, quemadmodum theatrum quoque est commune spectatorum.*

Respondeo tertiò, hæc verba: *In omnibus autem sunt sine dubio & conjuges*, deesse in Epistola illa supposititia Clementis, quæ extat manuscripta in Bibliotheca Vaticana, ut notarunt Romani Gratianeæ Decretorum Collectionis Correctores, in c. *Dilectissimi*, 12. Q. 1.

Denique viri quidam eruditi suspicantur Clementem alium Philosophum, Platonicæ doctrinæ sectatorem, cujus meminit Sanctus Dionysius Areopagita lib. de Divinis Nominibus, vel Actium, aut Arium Clementem, Philosophum Platonicum, ad quem extant Plinii Junioris literæ, operam dedisse ut Epistola hæc, quæ Platonis doctrina protegitur, specioso & Sancto Clementis Romani nomine proderetur, quo faciliùs in Fidelium animos error posset irrepere. Ita conjicit Ferdinandus Mendoxa lib. 2. de confirmando Concilio Illiberitano cap. 9. Sed nullo monumento nititur ista conjectura.

Objectio tertia eruitur ex Concilio Toletano I. Can. 17. ita decernente: *Si quis habens uxorem Fidelis, concubinam habeat, non communicet: cæterùm is qui non habet uxorem, & pro uxore concubinam habet, à Communione non repellatur; tantùm ut unius mulieris aut uxoris, aut concubinæ, ut ei placuerit, sit conjunctione contentus.* Itaque fornicatio, saltem naturali jure, non videtur prohibita.

Confirmatur ex Sancto Isidoro apud Gratianum C. *Christiano* 4. Distinct. *Christiano*, inquit, *non dicam plurimas, sed nec duas simul habere licitum est; nisi unam tantùm, aut uxorem, aut certè loco uxoris, si conjux deest, concubinam.*

Respondeo 1. hæc testimonia Nicolaïtarum errori non favere, siquidem promiscuam quibusvis cum mulieribus conjunctionem illicitam asserunt; & ad unius sive uxoris, sive concubinæ usum libidinem coërcent.

Respondeo 2. cum viris eruditis, concubinas olim duplicis fuisse generis; quasdam ad tempus adhibitas, quarum semper turpis habitus est apud Christianos concubitus, & lege naturali prohibitus, etiamsi filiorum procreandorum caussâ assumerentur. Alias autem concubinas quodammodo uxores fuisse, quæ sine dotalium tabularum solennitate ductæ fuerant. In his tria erant necessaria: primum ut uterque esset solutus: deinde fides mutua, scilicet quòd alteri non jungerentur neque abhorrerent à procreatione filiorum: tertium, ut usque ad mortem in ea vitæ conjunctione manendum sibi proponerent. De his scribit S. Augustinus lib. De Bono Conjugali cap. 5. *Solet etiam quæri*,

*ri*, inquit, *cùm masculus & fœmina, nec ille maritus, nec illa uxor alterius, sibimet non filiorum procreandorum, sed propter incontinentiam, solius concubitus causâ copulantur, ea fide media, ut nec ille cum altera, nec illa cum altero id faciat, utrùm nuptiæ sint vocandæ. Et potest quidem fortasse non absurdè hoc appellari connubium, si usque ad mortem alterius eorum id inter eos placuerit, & prolis generationem, quamvis non ea caussa conjuncti sint, non tamen vitaverint, ut vel nolint sibi nasci filios, vel etiam opere aliquo malo agant ne nascantur. Cæterùm si vel utrumque, vel unum horum desit, non invenio quemadmodum has nuptias appellare possimus. Etenim si aliquam sibi vir ad tempus adhibuerit, quoniam aliam dignam vel honoribus, vel facultatibus suis inveniat, quam comparem ducat, ipso animo adulter est, nec cum illa quam cupit invenire, sed, cum ista, cum qua sic cubat, ut cum ea non habeat maritale consortium. Unde & ipsa hoc sciens ac volens, impudicè utique miscetur ei, cum quo non habet fœdus uxorium. Verumtamen, si ei fidem tori servet, & cùm ille uxorem duxerit, nubere ipsa non cogitet, atque à tali opere prorsus continere se præparet, adulteram quidem fortassis facile appellare non audeam, non peccare tamen quis dixerit, cum eam viro, cujus uxor non est, misceri sciat?* His de concubinis agunt Canon Concilii I. Toletani, & Sanctus Isidorus, non de prioribus: de his, inquam, agunt concubinis, quæ veræ uxores erant, quamvis hoc ipsis nomen minimè tribueretur, eo quòd minùs solenniter ductæ essent nec intervenissent instrumenta dotalia, & cætera quæ Leges postulabant, cùm Ecclesiasticæ, tum Civiles, ut legitima esset uxor. Itaque virum, qui concubinam haberet hujusmodi, à Communione arcere noluerunt Toletani Concilii Patres. Non sequitur ergo fornicationem prohibitam non esse jure divino.

Respondeo 3. Concilium Toletanum I. non docere, cum qui unam concubinam habet, posse dignè suscipere corpus Christi, sed permittere solùm ut is à Communione palam non repellatur. Ea enim ætate, Patres ad temporum iniquitatem & delinquentium multitudinem conniventes, concubinarios non feriebant excommunicatione, si uni tantùm mulieri impudicè adhærerent: quamvis pro certo Catholica Ecclesia haberet, ut habet hodie, concubinatum peccatum esse, & quidem inter capitalia gravissimum. Hujus disciplinæ testis est S. Augustinus Sermone 2. in Dominicam 22. post Pentecostem, ubi cùm post præclarè laudata matrimonii bona, concubinatûs turpitudinem multis bisque gravissimis verbis fuisset insectatus, illamque detestandam omnibus proposuisset, subjunxit: *Sed fortè illi qui isto peccato non sunt maculati, dicent: Quare qui hoc agunt, à communione non suspenduntur? Ideo autem tantum scelus à Sacerdotibus non vindicatur, quia à multis admittitur: si enim unum aut duo, aut quatuor, aut quinque, mala ista facere præsumerent, & poterant, & debebant non solum à Communione suspendi, sed etiam à convivio & colloquio Christiani populi separari: secundùm illud Apostoli: Cum hujusmodi nec cibum quidem sumite: multitudo tamen peccantium, sicut dictum est, prohibet Sacerdotes Domini in illis distinguere: faciunt tamen boni Sacerdotes quod possunt, & cum perfecta charitate contendunt orare & suspirare jugiter, & gemitus ac rugitus effundunt, ut in quibus propter infinitam multitudinem non possunt severitatem vel Disciplinam Ecclesiasticam exercere, monendo, vel orando pro eis, possint vel aliquando ad pœnitentiam provocare.*

Si tamen hic Sermo est S. Augustini.

1o Cor. 5.

Ad confirmationem respondeo, S. Isidorum, cùm illicitum esse ait Christiano duas simul habere uxores, sed unam tantùm, aut certè loco uxoris, si conjux deest, concubinam, non sumpsisse, nomen Christiani pro homine, qui secundùm Evangelium vivat, & Christum in vita imitetur, ut opponitur homini vitiis dedito & cupiditatibus morem gerenti; sed ut opponitur Judæo. Scilicet S. Isidorus in lib. de Differentia Veteris & Novi Testamenti, ex quo hunc locum Gratianus laudavit, omnes differentias recensens, quæ inter utrumque intercedunt, hanc unam inter alias retulit, quòd Judæis in lege veteri uxorum & concubinarum permissa esset multitudo: Christianis autem in lege nova illicitum sit, etiam in foro exteriori, pluribus commisceri, vel uxoribus, vel concubinis. Non docet igitur Sanctus Isidorus licitum esse homini Christiano concubinatum *jure cœli*, ut Sancti Augustini verbis utar, sed *jure fori*, in eo quòd una concubina sine pœna exteriori haberi possit, & non plures, ut in lege veteri, cujus antè meminerat.

Objectio 4. Uxori licita est sui corporis locatio, consentiente marito: facinus igitur quod Nicolao è septem Diaconis uni tribui solet, de prostitutione uxoris, quod Nicolaïtæ sunt imitati, non est execratione dignum.

Probatur antecedens ex S. Augustino lib. 1. de Sermone Domini in Monte cap. 16. ubi ad id confirmandum, in exemplum affert historiam, quæ Antiochiæ sub Constantii imperio contigerat. *Sed tamen*, inquit, *utrum quod ait Apostolus, Mulier non habet potestatem sui corporis, sed vir, possit in tantum valere, ut permittente uxore, quæ maritalis corporis potestatem habet, possit vir cum altera, quæ nec aliena uxor sit, nec à viro disjuncta, concumbere: sed non ita est existimandum, ut hoc etiam fœmina permittente viro facere posse videatur, quod omnium sensus excludit. Quanquam nonnullæ caussæ possint existere, ubi & uxor, mariti consensu, pro ipso marito hoc facere debere videatur: sicut Antiochiæ factum perhibetur ante 50. ferme annos, Constantii temporibus. Nam Acindinus tunc Præfectus, qui etiam Consul fuit, cùm quemdam libra auri debitorem fisci exigeret, nescio unde commotus, quod plerumque in istis Potestatibus perniciosum est, quibus quod libet licet, aut potiùs putatur licere, comminatus est jurans & vehementer affirmans, quòd si certo die, quem constituerat, memoratum aurum non exsolveret, occideretur. Itaque cùm ille teneretur immani custodia, nec se posset debito illo expedire, dies metuendus imminere & propinquare cœpit. Et fortè habebat uxorem pulcherrimam, sed nullius pecuniæ, quæ subvenire posset viro. Cujus mulieris pulchritudine cum dives quidam esset accensus, & cognovisset maritum ejus in illo discrimine constitutum, misit ad eam, pollicens pro una nocte, si ei misceri vellet, se auri libram daturum. Tum illa, quæ se sciret non habere sui corporis potestatem, sed virum suum, pertulit ad eum dicens, paratam se esse pro marito id facere, si tamen ipse conjugalis corporis dominus, cui tota illa castitas deberetur, tanquam de re sua, pro vita sua, vellet id fieri. Egit ille gratias, & ut id fieret, imperavit, nullo modo judicans adulterinum esse concubitum, quod & libido nulla, & magna mariti charitas, se volente ac jubente flagitaret. Venit mulier ad villam illius divitis, fecit quod voluit impudicus: sed illa corpus nonnisi marito dedit, non concumbere, ut solet, sed vivere cupienti. Accepit aurum, sed ille qui dedit, fraude subtraxit quod dederat, & supposuit simile ligamentum cum terra. Quod ubi mulier jam domi sua posita invenit, prosilüit in publicum, eadem mariti charitate clamatura quod fecerat, quâ facere coacta est. Interpellat Præfectum, fatetur omnia: quam fraudem passa esset, ostendit. Tum verò Præfectus primò se reum, quòd*

*sua*

*suis missis ad id ventum esset, pronuntiat: tanquam* A *in alium sententiam diceret, de Acindini bonis nuri libram fisco inferendam. illam vero mulierem dominam in eam terram, unde pro auro terram accepisset, induci. Nihil hic in alteram partem disputo, liceat cuique æstimare quod velit. Non enim de divinis authoritatibus deprompta historia est: sed tamen narrato hoc facto, non ita respuit sensus humanus, quod in illa muliere, viro jubente, commissum est, quemadmodum antea, cùm sine ullo exemplo res ipsa poneretur, horruimus.* Noluit itaque Sanctus Augustinus illius mulieris facinus damnare, sed unicuique sentiendi ea de re quid vellet, potestatem fecit. B

Respondeo, id de quo anceps & dubius fuit Sanctus Augustinus, non fuisse utrum licitum esset, quod mulier illa fecit consentiente marito; id enim illicitum fuisse plus satis significat: sed utrum ab adulterii crimine aliquatenus excusanda esset, propter mariti charitatem & imperium, quo fuerat ad istud nefas adacta. Dici etiam potest, Sanctum Augustinum permittere cuique æstimare quod velit, non de qualitate, sed de veritate facti, quia historia illa non erat ejus naturæ, ut fidem legentium vel audientium extorquere necessariò deberet, cùm humana tantùm relatione, non C divina authoritate niteretur. Id ipsa Sancti Augustini verba significant. *Nihil hic in alteram partem disputo*, inquit, *liceat cuique æstimare quod velit: non enim de divinis auctoritatibus deprompta historia est.*

Objicitur ultimò. Catechumeni qui aliorum uxoribus abutuntur, & eas domi retinent, si morbo præoccupentur, & amittant usum vocis, baptizandi sunt, etiamsi eas non dimiserint, ut docet Sanctus Augustinus lib. 2. *de Adulterinis Conjugiis* cap. 28. Conjunctio igitur cum aliena conjuge non est crimen lege divina prohibitum, si ipsa consentiat.

Respondeo Sanctum Augustinum supponere quod Catechumeni illi pœnitentiam intra se agant, & de vitæ prioris facinoribus sincerè doleant, sibique proposuerint concubinas, vel adulteras antè dimittere, quàm Baptismo initiarentur. *Ego*, inquit, *non solum alios Catechumenos, verum etiam ipsos, qui viventium conjugiis copulati, retinent adulterina consortia, cùm salvo corpore in his permanentes non admittamus ad baptismum, tamen si desperati & intra se pœnitentes jacuerint, nec pro se respondere potuerint, baptizandos puto, ut etiam hoc peccatum, cum cæteris, lavacro regenerationis abluatur. Quis enim novit utrum fortassis adulterina carnis illecebra usque ad baptismum statuerant detineri? Si autem ab illa desperatione recreati potuerint vivere, aut facient quod statuerant, aut edocti obtemperabunt, aut de contemptoribus fiet, quod fieri etiam de baptizatis talibus debet. Quæ autem baptismatis, eadem reconciliationis est caussa, si fortè pœnitentem finiendæ vitæ periculum præoccupaverit. Nec ipsos enim ex hac vita sine arrha suæ pacis exire velle debet mater Ecclesia.* Denique quæ sit Sancti Augustini & Ecclesiæ Catholicæ de adulterinis hisce conjunctionibus sententia, ex duplici ejus libro *de Adulterinis Conjugiis*, perspectum est.

Hæc in Ecclesiasticam primi Sæculi Historiam habui quæ scriberem; has Dissertationes quas in publicam utilitatem ederem: quas ut Dei Optimi Maximi gratiâ & Deiparæ Virginis patrocinio suscepi; ita earum fortunam iisdem, cum Authore, totam committo: idemque invoco præsidium, ut reliquum Operis feliciter exequar. Hæc interim Ecclesiæ Catholicæ, Apostolicæ, ac Romanæ judicio, in quo semper acquiescere velim, humillimè subjicio, si quid à me in scribendo erratum sit, retractare ac emendare paratissimus.

PRIMI SÆCULI FINIS.



HISTORIÆ



# HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ SECUNDI SÆCULI SYNOPSIS

## CAPUT PRIMUM.

### *De Persecutionibus quæ in Ecclesiam sævierunt secundo Sæculo.*



TRAJANI anno circiter decimo, quinta in Christianos mota persecutio est. Plinius secundus Bithyniæ Proconsul de Christianis habita quæstione, cùm eos falsis criminibus accusari deprehendisset, ea de re ad Trajanum retulit, ipsos nullius impietatis, aut violationis legum esse reos: id solùm se in illis animadvertisse singulare, quòd primo diluculo à somno excitati, Christum ut Deum hymnis celebrarent, seque sacramento non in scelus aliquod obstringerent, sed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent, ne fidem fallerent, ne depositum appellati abnegarent. Rescripsit Trajanus in hæc verba: *Conquirendi non sunt; si deferantur & arguantur, puniendi sunt.* Lege Epistolam 98. Plinii, lib. x. & Rescriptum Trajani ibidem, Eusebium lib. 3. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 27. Tertullianum Apologetici cap. 2. ita scribentem: *Atque invenimus inquisitionem quoque in nos prohibitam. Plinius enim secundus cùm Provinciam regeret, damnatis quibusdam Christianis, quibusdam gradu pulsis, ipsa tamen multitudine perturbatus, quid de cætero ageret, consuluit tunc Trajanum Imperatorem, allegans, præter obstinationem non sacrificandi, nihil aliud se de sacramentis eorum comperisse, quàm cœtus antelucanos ad canendum Christo & Deo, & ad confœderandam disciplinam: homicidium, adulterium, fraudem, perfidiam, & cætera scelera prohibentes. Tunc Trajanus rescripsit, Hoc genus inquirendos quidem non esse, oblatos verò puniri oportere: O sententiam necessitate confusam! Negat inquirendos, ut innocentes; mandat puniendos, ut nocentes, parcit, & sævit: dissimulat & animadvertit. Quid temetipsum censura circumvenis? Si damnas, cur non & inquiris? Si non inquiris, cur non & absolvis? Latronibus vestigandis per universas provincias Mi-*



A *litaris statio sortitur: in reos majestatis, & publicos hostes omnis homo miles est: ad socios, ad conscios usque inquisitio extenditur: solum Christianum inquiri non licet; offerri licet: quasi aliud esset actura inquisitio quàm oblationem.*

In persecutione Trajani Simeon Cleophæ filius, Hierosolymorum Episcopus, annos natus 120. cruci suffixus est, cujus Martyrium Eusebius ex Hegesippo describit, lib. 3. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 16. Eadem in persecutione Sanctus Ignatius Martyr consummatus est. De quo lege Eusebium, cap. B 30. ejusdem libri. Acta *Sancti Ignatii* Episcopi Antiocheni & Martyris sincera post *Usserium* edidit Dom. *Theodoricus Ruinart* Monachus Benedictinus: ex quibus colligitur illum bestiis traditum fuisse Romæ sub *Syria* & *Senecio* Coss. quo tempore *Trajanus* Antiochiæ degebat, anno Imperii sui decimo, Christi centesimo-septimo. Ante illam persecutionem indictam; cùm restincta non esset quæ sub Domitiano orta erat, Sanctus Clemens Romanus Pontifex Martyrium obiit, anno Trajani 3. (ut testatur Eusebius lib. 3. cap. 28.)

C Hujus persecutionis æstum mitigavit Trajani successor Hadrianus anno Imperii sui 9. (ut Eusebius in Chronico testis est) suadente per literas Serenio Graniano Præfecto illustrissimo: quibus acceptis, Imperator ad Minutium Fundanum Asiæ Proconsulem rescripsit, Christianorum neminem, nisi legum violatarum reus convinceretur, morte esse mulctandum. Ista refert Eusebius, lib. 4. cap. ex Sancto Justino in Apologia ad Imperatores, & Adriani Rescriptum exscribit, cap. 9.

Sextam persecutionem moverunt M. Aurelius, & L. Verus, qua grassante Sanctus Polycarpus, D cum aliis, Martyrium Smyrnæ passus est, de quorum gloriosa Passione præclaram habemus Ecclesiæ Smyrnensis Epistolam, cujus maximam partem lib. iv. Historiæ suæ, cap. xiv. seu xv. inseruit *Eusebius*. Quo die & anno passus sit *Sanctus Polycarpus*, non ita certum. Eadem persecutione sublatus est *Sanctus Justinus*, de quo idem *Eusebius* lib. iv. cap. xv. sive xvi. Hic ad mortem quæsitus ac damnatus est malis artibus *Crescentis* Philosophi Cynici, quem Christianorum hostem infensissimum fuisse testatur *Justinus* ipse in Apologia sua.

Ejus Acta edidit Dom. *Theodoricus Ruinart*, & contra *Papebrochium* vindicavit, qui duos fuisse *Justinos* asseruerat, quorum alter Philosophus sub *Justini* nomine celebris, qui post multos ob Ecclesiæ defensionem susceptos labores, clam tandem veneno sublatus sit: Alter verò qui paulò post suum in urbem Romam è Græcia adventum, à *Rustico*, Urbis Præfecto cum aliis, ob Christianæ Fidei confessionem morti sit addictus; cujus quidem posterioris Acta Martyrii postea Philosopho attributa fuit. Passi sunt in eadem persecutione Prolomæus, & Lucius, sub Urbicio Præfecto, occasione mulieris Christianæ, quam in sacris literis instituerat Prolomæus. Hanc enim cùm maritus B ethnicus, à quo lege conjugii ruptâ cupiebat separari, eò quòd nefas esse duceret cum illo manere, qui omnem in libidinem esset effusus, & ipsi dato libello repudii, discessisset: hanc (inquam) cùm maritus detulisset ad Præfectum velut Christianæ Religionis ream, nec ipsi perniciem moliri posset, rabiem omnem in Prolomæum convertit. Hæc ex Sancto Justino in priore Apologia refert Eusebius lib. 4. cap. 16. Hac persecutione in Gallias propagatâ, complures Christiani occisi sunt, quos inter excelluerunt Martyres Lugdunenses, Potinus Episcopus Lugdunensis, Attalus, Alexander Medicus, C Sanctus Diaconus, Maturus, Blandina, Biblis, & Ponticus quindecim annorum adolescens. Eorum certamina egregiè descripta leges in Epistola Ecclesiarum Viennensis & Lugdunensis ad Ecclesias Asiæ, & Phrygiæ data, apud Eusebium lib. 5. Historiæ Ecclesiasticæ capp. 1. 1. & 3. Passi sunt illi Martyres, anno Christi 177. Passa est etiam Romæ sub M. Aurelio Sancta Fœlicitas cum filiis septem, ut Ecclesiasticæ Tabulæ restantur. Hæc porro persecutio solenni edicto ab Imperatoribus indicta non est, sed privatis tantùm D mandatis ad Provinciarum Præfectos datis. Unde Tertullianus (Apologetici cap. 5. ait) *Quales ergo leges istæ, quas adversus nos soli exequuntur impii, injusti, turpes, truces, vani, dementes? Quas Trajanus ex parte frustratus est vetando inquiri Christianos: quas nullus Hadrianus, quamquam curiositatum omnium explorator; nullus Vespasianus, quamquam Judæorum debellator; nullus Pius; nullus Verus impressit. Facilius utique pessimi ab optimis quibusque, ut ab æmulis, quàm à suis sociis eradicandi judicarentur.*

---

## CAPUT II.

*De Pontificibus, qui Romanam Ecclesiam secundo nominis Christiani Sæculo gubernarunt.*

Evaristus. MOrtuo Sancto Clemente, qui ad annum tertium usque Trajani Romanam, & universalem rexit Ecclesiam, ejus in sedem evectus est Evaristus, teste Eusebio, lib. 3. cap. 28. Unde patet expungendum esse Anacletum, quem Baronius post librum Pontificalem, inter Clementem & Evaristum collocat, velut distinctum à Cleto Pontificem. Evaristo Titulorum, seu Parochiarum distributionem Presbyteris factam, & septem Diaconorum institutionem, qui Pontificem concionantem stiparent, fert acceptam liber Pontificalis. Octo annis

Alexander I. cùm sedisset, ipsi successit Alexander, cui aquæ benedicendæ, & in Christianorum domibus aspergendæ ritus ab ejusdem libri Auctore tribuitur. Cùm decem annos Ecclesiæ præfuisset martyrio functus est anno 3. Adriani, ex Eusebio lib. 4. Hist. cap. 4. Cum hoc *Eusebii* testimonio conciliari non possunt A Acta *S. Alexandri I.* Papæ à *Bollandi* Continuatoribus edita ad diem tertiam Maii. Sub *Trajano* quippe Imperatore ipsum Martyrium subiisse hæc Acta testantur, punctimque per tota membra transfixum. Quod Martyrologia Bedæ, Adonis Viennensis, & *Notkeri* confirmant. Sedisse Trajani temporibus, à Consulatu *Palmæ* & *Tulli*, usque ad Consulatum *Æliani* & *Veteris*, Catalogi duo Romanorum Pontificum à *Bollandi* Continuatoribus editi fidem faciunt. Acta *S. Alexandri* esse nimia antiquitate mendosa, scribit Cardinalis *Baronius*. De illorum sinceritate pariter dubitant alii Viri Eruditi, ob sequentes rationes. 1. Quòd narrent *S. Alexandrum* sub Trajano Imperatore *Senatorum partem maximam* B *convertisse ad Dominum*, & *Præfectum Urbis* nescio quem *Hermem*, cum uxore & filiis baptizasse, cum mille ducentis quinquaginta servis suis, uxoribus & filiis eorum, *quos omnes in die Sancto Pascha priùs fecit ingenuos, & ita baptizari*. 2. Quòd *S. Eventium* Presbyterum ordinatum esse tradant, cùm esset annorum viginti, & ipsum *S. Alexandrum* passum cùm esset annorum triginta, adeóque in Cathedra S. Petri collocatum cùm esset annorum XXII. quod certè priscæ disciplinæ Apostolicorum temporum non congruit. 3. Quòd doceant C *Xistum* successorem *Alexandri* ipso statim initio Imperii *Hadriani* Via Numentana *In prædio Severinæ ordinasse Episcopum, qui omni die, quæ sunt Sancta, Martyribus celebraret*. 4. Quòd verisimile non sit Trajanum *Utriusque Militiæ Comitem* (si quis illa Dignitate ornatus, illámque Præfecturam gerens ipsi adfuisset) in Occidentem misisse *ad interfectionem omnium* Christianorum, eo tempore quo omnia in Oriente retro lapsa sunt, Exercitus fusi, Duces occisi. 5. Quòd Comitatûs utriusque Militiæ dignitas ante *Constantini* tempora, D qui Romanæ Reipublicæ formam mutavit, à nemine veterum Scriptorum memoretur. 6. Acta illa *Sancti Alexandrini* Papæ & Martyris duobus ampliùs Sæculis post ejus mortem scripta sunt. Christianos enim sepelivisse Quirinum Tribunum Viâ Appiâ, *in Cœmeterio Prætextati* referunt. At *Prætextatus* ante *Diocletiani* persecutionem non obiit, sed in ipsa sub *Maximiano*.

Sancto Alexandro successit Xistus, cui, cùm decem annorum spatium in Romani Pontificatus administratione confecisset, successit Telesphorus anno 12. Imperii Adriani. Ab hoc constitutum fuisse ut septem hebdomadibus ante Pascha jejunium E celebraretur, scribit libri Pontificalis Author. Sed Quadragesimale jejunium, res Apostolicæ traditionis, explicari potuit à Thelesphoro, non institui. Hic anno ministerii sui undecimo, Antonini Pii primo, illustre Martyrium obiit. (Ex Eusebio, lib. 4. cap. decimo) Illi successit Higinus, cujus sub Pontificatu Valentinus Hæresiarches, & Cerdo Magister Marcionis Romam venerunt, (ut Eusebius in Chronico testatur) Hygino post quartum Pontificatus sui annum decedente è vita, Pius Romanæ Ecclesiæ procurationem obtinuit: quo, ad decimum quintum Pontificatus sui annum mortem oppetente, Anicetus illius Ecclesiæ ministerio præ- F fectus est. (ex Eusebio, lib. 4. Historiæ Ecclesiasticæ cap. decimo.) Sub ejus Pontificatu S. Polycarpus Romam venit, & de die celebrandi Paschatis legitimâ, cum eo controversiam habuit, (ex Eusebio, lib. 4. cap. 13.) Porrocùm Anicetus Pontificatum undecim annis continuis gessisset, Soter ejus in locum successit. Ejus & Romanæ Ecclesiæ erga Sanctos Confessores, & pauperes Christianos, charitatem ac beneficentiam commendat Sanctus Dionysius Corinthiorum Episcopus, in Epistola ad Romanos data, cujus fragmentum refert Eusebius lib. 4. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 22. Sic autem habet:

Xistus I. Telesphorus. Higinus. Pius I. Anicetus. Soter.

habet : *Apud vos is mos jam inveteravit ut omnes fratres variis afficeretis beneficiis, & Ecclesiis permultis, quæ in quaque civitate sunt, vitæ mitteretis subsidia. Sic planè non solum egentium sublevatis inopiam, verumetiam fratribus, qui sunt ad metalla damnati, opem fertis : sicque per ea beneficentiæ subsidia, quæ jam à primis Ecclesiæ vestræ fundamentis passim mittere consuevistis ; cum sitis Romani, Romanorum consuetudinem à Patribus traditam sedulò observatis : quam quidem certè beatus Soter vester Episcopus, & hactenus custodivit diligenter, & mirum in modum suo propenso studio adauxit. Idque non modo opes in in Sanctos reficiendos delegatas benignè subministrando : verumetiam fratres ad ipsum adventantes, tanquam pater indulgens, & clemens in liberos, beato ac pio sermone ad virtutem cohortando.* A B

*Eleutherus.* Cùm octo annis Pontifex fuisset Soter, decessit è vita. Successorem habuit Eleutherum : cui, cùm tredecim annis Pontificatum administravisset, *Victor.* successit Victor ; quo cum Asiaticos Episcopos controversia de legitima die Paschatis celebrandi commissit. Qua de re varia variis in regionibus Concilia celebrata sunt, in Palæstina, præside Theophilo Cæsariensi ; in Ponto, præside Palma, in Galliis, præside Irenæo ; Romæ, præside Victore. (ex Euseb. lib. 5. cap. 21. & 22. & ex Authore Libelli Synodici.) C De Concilio Palestino agemus in singulari Dissertatione, de controversia circà celebrationem Paschatis, quæ Victorem inter & Asiaticos intercessit. Asiaticarum Ecclesiarum morem de sacratissimi Festivitate Lunâ 14. celebrandâ, cum Judæis, Polycrates Ephesiorum Episcopus, datis ad Victorem literis, vindicare conatus est. Quæri solet utrum Victor Asianos & finitimos Episcopos, ejus consuetudinis retinentissimos à communione excluserit. Non exclusisse contendo, & Dissertatione singulari evincam. Cùm Victor decem annis Ecclesiæ ministerio præfuisset, in ejus locum Zephirinus successit nono circiter anno Imperii Severi ; id est anno Christi 203. Unde ipsius Pontificatus ad alterum sæculum pertinet. D

---

## CAPUT III.

### *De Hæresibus quæ Ecclesiam infestarunt secundo nominis Christiani Sæculo.*

EX inferis eruperunt secundo Sæculo Hæreses Helcesceitarum ; Carpocratis ; Gnosticorum ; Cerdonis ; Marcionis ; Valentini ; Tatiani ; Encratitarum, Montani & Cataphrygum, Bardesanis ; Artemonis, Theodoti Coriarii, Apellis, Adamitarum, Ophitarum, Caïnanorum, & Hermogenis, de quibus sequentibus Articulis acturi sumus. E

### ARTICULUS I.

#### *De Hæresi Helcæseitarum.*

HUjus Hæresis author Elxaï Pseudopropheta, F qui ad Ossenos (Judaïcam Hæresim) Trajano Imperante, se adjunxit (ex Sancto Epiphanio, Hæresi 19.) Hi autem sunt præcipui Helceseitarum, qui & Sampsæi dicti sunt, errores. Primò, Christum verbo tenus confitebantur, dicentes : Magnus rex est Christus : sed eum creaturarum in ordinem cogebant. 2. Spiritum Sanctum sexu fœminam, & Christi sororem effutiebant : utrique molem corpoream portentosam sanè affingentes. 3. Sacrificia penitus damnabant ut à Deo aliena, illaque unquam in lege ipsi oblata inficiabantur. 4. Aquam numinis propè cujusdam instar colebant, ignem aversabantur. 5. Ad Orientem converso vultu precari prohibebant, sed Hierosolymam versùs dicebant undequaque prospiciendum. 6. Per salem ac terram, panem, cœlum, æthera, ventumque, velut numina dejerabant, ex Authoris sui disciplina. 7. Virginitatem oderant, damnabant continentiam, nuptias imperabant. 8. Simulationem in professione religionis licitam esse contendebant, nullum crimen esse negantes, si quis persecutionis tempore idola veneretur, dummodo id ex animo non faciat ; aut si quid ore tenus, non item animo profiteatur. Hæc habentur omnia ex Sancto Epiphanio, Hæresi 19. & 50. De hoc postremo errore Helceseitarum Eusebius lib. 6. cap. 38. ita scribit : *Fidem negare indifferens quiddam esse asserit. Qui enim interiore cogitatione rectè de fide sentiat, tametsi ore fidem pernegeta tamen animo firmè illi adhæsurum.*

Sancti Pauli Epistolas rejiciebant Helceseitæ ; & alia, pro arbitrio, Scripturæ sacræ antiquabant testimonia (ex Eusebio ibidem, & ex Theodoreto.) Tempore Origenis vires novas sumpsit hæc Hæresis, cujus ipse meminit Concione in Psalmum 80. (referente Eusebio.)

Librum etiam circumferebant illi Hæretici, quem jactabant è cœlo delapsum, cujus doctrinæ qui credidisset, remissionem peccatorum consequeretur diversam ab illa qua Christus Jesus remisit peccata. (ex Eusebio. Et ex Theodoreto lib. 2. Hæreticarum Fabularum c. 7.) Tempore Sancti Epiphanii duas mulierculas ex stirpe Elxai tanta veneratione prosequebantur, Marthum & Marthanam, ut pulverem pedibus earum adhærentem, & sputa, ad amuleta, & philacteria facienda colligerent, quæ morbis præsentissima esse remedia mentiebantur (ex Sancto Epiphanio Hæresi 50.)

### ARTICULUS II.

#### *De Carpocrate, & ejus erroribus.*

CArpocrates genere Alexandrinus, creaturas corporeas ab Angelis conditas esse asserebat. 2. Jesum ex Joseph & Maria, cæterorum hominum more natum esse. Cui se se virtute & sapientia æquales, quidam Carpocratis discipuli blasphemabant. 3. Secundùm opiniones tantùm hominum, quædam bona, quædam mala vocari, cùm nihil naturâ malum sit. 4. Omne libidinis, & turpitudinis genus licitum esse docebant, ac perpetrabant ipsi, magicis præstigiis & philtris eum in finem usi. 5. Transmigrationem animarum in corpora, donec omnia vitiorum genera complevissent, admittebant Carpocratiani, ad impium insanumque istud dogma probandum hanc Christi parabolam Matth. 5. detorquentes ; *Esto consentiens adversario tuo, dum adhuc es in via cum ipso ; ne fortè tradat te adversarius judici, & judex tradat te ministro ; & in carcerem mittaris. Amen dico tibi, non exies inde, donec reddas novissimum quadrantem.* Adversarium, unum ex Angelis opificibus mundi ; carcerem corpus ; novissimum quadrantem, migrationem animarum interpretabantur, quas accessionibus ad corpora singulis ultima necesse esset complere flagitia. 6. Imagines quasdam seu pictas, seu sculptas habebant Carpocratiani, dicentes formam Christi à Pilato adumbratam ; & imagines Christi proponebant cum imaginibus Philosophorum, Pythagoræ scilicet, Platonis, Aristotelis, & aliorum, ipsasque coronabant, & Gentilium ritu venerabantur. Hujus Sectæ fuit Marcellina pestilens fœmina, quæ Romam sub Aniceti Pontificatu venit, multosque ad hæresim traduxit.

Filium habuit Carpocrates nomine Epiphanem, in Platonica institutum disciplina, qui ipsius fabulas amplificavit.

Hæc omnia constans ex Sancto Irenæo, lib. 1. adversùs Hæreses, cap. 24. Ex Eusebio, lib. 4. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 7. ex S. Epiphanio, Hæresi 27. & ex Theodoreto, lib. 1. Hæreticarum Fabularum cap. 5. Contra Carpocratianos, & Gnosticos, pugnat Sanctus Clemens Alexandrinus, lib. 3. p. 324. & p. 319. & 320. & sequentibus.

## ARTICULUS III.

### *De Gnosticorum Hæresi*

Carpocratis discipuli nefandarum in velamen obscœnitatum, sibi speciosum Gnosticorum nomen indiderunt, quasi præ aliis hominibus rerum divinarum cognitione præditi essent: licet à Basilide nominatos esse Gnosticos Sanctus Hieronymus & Eusebius velint. Sed sicut venena, ita & nomina inter se ipsos communicasse, quid ni dicamus?

Hi porro Gnosticorum errores. Principes 369., seu minores Deos invehebant, cuique cœlo insidentes; & Christum in octavo collocabant cum Barbelone, seu universorum parente. (ex Sancto Epiphanio, Hæresi 26.) Ipsorum de commentitiis illis Principibus, eorumque combinationibus deliria refert Sanctus Irenæus lib. 1. adversùs Hæreses, cap. 33. & 34. Secundò, Gnostici Christum negabant de Maria natum, sed per Mariam ostensum asserebant, neque carnem aliter quàm specie ipsa suscepisse. (ex S. Epiphanio ibidem.) 3. Carnis resurrectionem negabant. (ex eodem) 4. Eos deridebant, qui Monasticum vitæ genus amplexi essent, aut castitatem profiterentur, quòd frustra id sibi imponerent molestiæ ac laboris. 5. Jejunia damnabant, & execrabantur; nec non martyria. 6. Nedum communes fœminas habebant, sed libidinum furias in sexus, in corpora, & ea quæ non tam crimina, quàm monstra, præclarè dixit Tertullianus, exercebant: turpitudini vacantes de qua loquitur Apostolus ad Romanos 1. *Nam fœminæ eorum immutaverunt naturalem usum in eum usum qui est contra naturam. Similiter autem & masculi, relicto naturali usu fœminæ, exarserunt in desideriis suis in invicem, masculi in masculos turpitudinem operantes.*

Porro cùm assiduis corruptelis se inquinarent, liberorum procreatione interdicebant. Denique ex fœtu informi, abortione projecto, nefarium sacrificium, & epulum offerebant, ac parabant. Cætera ipsorum flagitia Sanctus Epiphanius, coactus licet, accuratè enarrat, Hæresi 26. Sed ea tanquam mortui cadaver fœtidi, ac pestiferi cujusdam afflatus, in sepulchrum abjici jam satius est, ne vel auditu ipso perniciem afferant (ut ipsius Epiphanii verbis utar.) Hæc autem Sectæ nefariæ arcana didicit Epiphanius à mulieribus Gnosticis, quæ ipsum adhuc juvenem ad impudicitiam, atque hæresim, ut alterum Josephum, suis illecebris, & sermonibus pertrahere conatæ sunt. Quo è periculo, se, non virtutis suæ merito, sed singulari Dei miseratione ereptum, humiliter agnoscit Epiphanius. *Neque enim*, inquit, *similiter ut ille Patriarcha, vi quadam virtutis, ac justitia nostra, sed suso ad Deum gemitu, ejus sumus miseratione servati.*

Gnosticorum porro libros cùm perlegisset Epiphanius ab illis mulieribus secum communicatos, omnia hujus hæreseos arcana ad Episcopos detulit, & eorum ignota hactenus nomina detexit. Ex quo factum est ut 80. fere capita exulare jussa, urbem à lolio spinisque suis repurgatam reliquerint.

Nulla sanè hæresis magis quàm ista nocuit Ecclesiæ. Nam Ethnici, cùm tot flagitia ferrent à Gnosticis perpetrari, qui de Christiano nomine gloriabantur, illa etiam à Christianis vere perpetrari sibi persuadebant, ea ipsis exprobrabant, & perversa de Religione nostra opinione decepti, eam execrabantur velut sectam omnibus flagitiis deditam, & impuris mysteriis deformem. Id ex veteribus Authoribus Ecclesiasticis colligitur: ex Sancto Irenæo, lib. 1. cap. 24. dicente: *Ipsi ad detractionem divini nominis, & Ecclesiæ, quemadmodum & Gentes, à satana promissi sunt, uti secundùm alium & alium modum, quæ sunt illorum audientes homines, & putantes omnes nos tales esse, avertant aures suas à præconio veritatis: aut ut videntes quæ sunt illorum, omnes nos blasphement, in nullo eis communicantes, neque in doctrina, neque in moribus, neque in quotidiana conversatione.*

Et ex Eusebio, lib. 4. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 7. ita scribente: *His igitur diabolus, qui ex maleficiis capit lætitiam, tanquam suo nequitiæ ministris fortè usus est: quo qui fidem receperant non solùm in fraudem inducti, ad acerbum adeo & miserabilem interitum quasi constricti abriperentur; verumetiam gentibus, quæ erant à fide alienæ, copiam & tanquam ansam præberent sacrosancto Dei verbo petulanter impiéque obtrectandi: eo planè consilio, ut fama de flagitiosa istorum vita ratione passim dissipata turpem ignominiæ notam universæ Christianorum multitudini inureret. Unde certè accidit, uti nefaria quædam opinio de nobis excitata, eaque ab omni ratione alienissima, per infidelium animos longè latéque pervaderet: quod videlicet tum nefando concubitu matres & sorores violare; tum etiam scelerato quodam alimenti genere uti non vereremur.*

Et ex Sancto Epiphanio Hæresi 27. *Quod hominum genus* (inquit) *ad Ecclesiæ Dei probrum, & offendiculum adornasse ac submisisse satanas videtur: quippe qui Christianorum sibi nomen indiderint, ut propter illos offensæ Nationes, à sancta Dei Ecclesia utilitate abhorreant, nunciatamque veritatem, ob immania illorum facinora, & incredibilem nequitiam repudient: ut* (inquam) *frequentibus illorum sceleribus animadversis, eos quoque, qui è sancta Dei Ecclesia sunt, tales sibi esse persuadeant. ..... Atque ea demum causa est cur plerique Gentilium, ubicunque istius sectæ homines deprehenderint, nullam nobiscum velint, neque dati, acceptique, neque consilii, neque audiendi divini verbi societatem conjungere, ac ne aures quidem præbere sustineant: usque adeo nefariis illorum flagitiis consternati, ac deterriti sunt.*

Vix dici potest quantùm laboraverint Patres Ecclesiæ, ut ejusmodi calumnias, Gnosticorum occasione in omnes Christianos à Gentilibus jactari solitas, omnino diluerent. Sanctus Justinus Apologiâ 2. *Omnes qui ab his prodeunt* (inquit) scilicet ab Hæreticis, *Christiani vocantur: haud aliter atque Philosophi, cùm eis non sint communia dogmata, quod tamen à Philosophia dicitur, commune est omnibus nomen. An vero etiam hi infamia illa & fabulosis in vulgus sparsa sermonibus facinora in se admittant, lucernæ eversionem, & promiscuos concubitus, & humanarum carnium viscerationes, nescimus. Persecutione quidem eos non expeti, neque occidi à vobis, ob ipsa etiam dogmata sua, scimus.*

Et Tertullianus Apologetici cap. 7. *Dicimur* (inquit) *sceleratissimi de sacramento infanticidii, & pabulo, & inde post convivium incesto, quod eversores luminum canes, lenones scilicet, tenebras, tum & libidinum impiarum inverecundiam procurent. Dicimur tamen semper, nec vos, quod tandiu dicimur, eruere curatis. Ergo aut eruite, si creditis, aut nolite credere, qui non eruitis. De vestra vobis dissimulatione præscribitur, non esse, quod nec ipsi audetis eruere. Longè aliud munus carnifici in Christianos imperatis, non ut dicant quæ faciunt, sed ut negent quod sunt. Census istius disciplinæ à Tiberio est.*

Cum

*Cum odio sui cœpit veritas, simul atque apparuit, inimica esse. Tot hostes ejus, quot extranei, & quidem propriè ex æmulatione, Judæi: ex concussione, milites: ex naturâ, ipsi etiam domestici nostri. Quotidie obsidemur, quotidie prodimur: in ipsis plurimùm cœtibus & congregationibus nostris opprimimur: quis unquam taliter vagienti infanti supervenit? Quis cruenta, ut invenerat, Cyclopum, & Sirenarum ora judici reservavit? Quis vel in uxoribus aliqua immunda vestigia deprehendit? Si semper latemus, quando proditum est quod admittimus? Immo à quibus prodi potuit? Ab ipsis enim reis. Non utique: cùm, vel ex formâ, omnibus Mysteriis silentii fides debeatur...... Si ergo non ipsi proditores sui, sequitur ut extranei: & unde extraneis notitia? Cùm etiam piæ initiationes arceant profanos, & arbitris caveant: nisi si impii minùs metuunt.* Lege totum etiam caput VIII. Eandem calumniam depellit Minutius Felix in Octavio, pag. 21.

## ARTICULUS IV.

### *De Cerdonis Hæresi.*

CErdo Hygini Pontificis Maximi tempore è Syria Romam profectus est (ut ex S. Irenæo refert Eusebius, lib. 4. Historiæ Ecclesiasticæ cap. decimo, ex eodem addens, Hæresiarcham illum sæpe ad Ecclesiam reversum, actâ pœnitentiâ restitutum, excommunicatumque fuisse.) Palmaris ejus error in eo erat ut assereret, Deum à Lege, & Prophetis prædicatum, non esse Patrem Domini nostri Jesu Christi. Illum enim cognitum, hunc autem obscurum & ignotum: illum justum & severum, hunc bonum & benignum fuisse. (ex S. Irenæo, lib. 1. cap. 28. ex Eusebio, loco citato: ex Sancto Epiphanio, Hæresi 41. & ex Theodoreto, lib. 1. Hæreticarum Fabularum cap. 24.) 2. Christum à Maria genitum negavit Cerdo, & specie tenus hominem extitisse effutiit. (ex Sancto Epiphanio) 3. Vetus Testamentum, tanquam alienum à Deo rejecit. (ex eodem) 4. Asseruit Christum è cœlo, atque ab ignoto Patre ideo descendisse, ut hic mundi Conditoris imperium ac tyrannidem everteret. (ex eodem) 5. Solum Evangelium Lucæ, nec tamen totum, recipiebat; nec omnes, aut totas Sancti Pauli Epistolas; nec Acta Apostolorum, & Apocalypsim. (ex Authore additamenti ad Librum Tertulliani de Præscriptionibus Hæreticorum cap. 51.) Vide & *Sanctum Augustinum* lib. *De Hæresibus*, alterum item de Hæresibus librum sub nomine *Prædestinati à Sirmondo* editum, qui *Sanctum Apollonium* Corinthiorum Episcopum contra hunc Hæresiarcham pugnasse ait, cùmque in Synodo Orientali damnavisse.

## ARTICULUS V.

### *De Marcione, & ejus erroribus, ac disciplina.*

MArcio patriâ Ponticus fuit, qua de regione Tertullianus lib. 1. contra Marcionem, cap. 1. ait: *Pontus qui dicitur Euxinus, naturâ negatur, nomine illuditur. Cæterùm, hospitalem Pontum, nec de situ æstimes: ita ab humanioribus fretis nostris, quasi quodam Barbariæ suæ pudore secessit: gentes ferocissimæ habitant, si tamen habitatur in plaustro. Sedes incerta, vita cruda, libido promiscua, & plurimùm nuda, etiam cum abscondunt, suspensis de jugo pharetris indicibus, ne temerè quis intercedat. Ita nec armis suis erubescunt. Parentum cadavera cum pecudibus cæsa, convivio convorant. Qui non ita decesserint ut escatiles fuerint, maledicta mors est. Nec fœmina sexu mitigantur, secundùm pudorem: ubera excludunt: pensum securibus faciunt, malunt militare, quàm nubere. Duritia de cælo quoque: dies nunquam patens: sol nunquam libens: unus aer, nebula: totus annus Hibernum: omne quod flaverit, Aquilo est. Liquores ignibus redeunt, amnes glacie negantur, montes pruinâ exaggerantur. Omnia torpent, omnia rigent: nihil illic nisi feritas calet. Sed nihil tam barbarum ac triste apud Pontum, quàm quòd illic Marcion natus est, Scythâ tetrior, Hamaxobio instabilior, Massagetâ inhumanior, Amazonâ audacior, nubilo obscurior, hyeme frigidior, gelu fragilior, Istro fallacior, Caucaso abruptior. Quidni? penes quem verus Prometheus, Deus omnipotens blasphemiis lancinatur. Jam & bestiis illius barbariæ importunior Marcion. Quis enim tam castrator carnis Castor, quàm qui nuptias abstulit? Quis tam comesor mus Ponticus, quàm qui Evangelia corrosit? Ne tu, Euxine, probabiliorem feram Philosophis edidisti, quàm Christianis. Nam illa canicula Diogenes hominem invenire cupiebat, lucernam meridie circumferens: Marcion Deum, quem invenerat, extincto lumine fidei suæ amisit.*

Prodiit Marcion ex Philosophorum Stoicorum schola, teste Tertulliano, lib. de Præscriptionibus cap. 7. *Ipsæ denique hæreses (inquit) à Philosophia subornantur. Inde Marcionis Deus melior de tranquillitate à Stoicis venerat.* Et cap. 30. *Ubi tunc Marcion Ponticus Nauclerus Stoicæ studiosus?*

Episcopi Catholici & pii filius erat, qui ipsum, ob stuprum, ex Ecclesia ejecit. Romam fugiens sub Aniceti Pontificatu, atque in communionem Romanæ Ecclesiæ subrepere frustra conatus, Cerdoni se adjunxit, illumque audivit impietatis magistrum. Hæc autem sunt illius hæreseos capita.

Primò. Duos Deos admisit, unum bonum, alterum malum, cui mundi hujus aspectabilis creationem tribuit. (Ex Sancto Irenæo, lib. 1. cap. 29. ex Tertulliano, lib. 1. contrà Marcionem, cap. 21. ex Theodoreto lib. 1. Hæreticarum Fabularum cap. 24. ex Philastrio l. de Hæresibus cap. 17. & ex Sancto Augustino, lib. de Hæresibus ad Quodvultdeum, cap. 24.)

2. Duos etiam Christos Marcion admisit, quorum alter apparuerit Tiberii tempore, alter verò à Creatore promittatur, ad restitutionem Judaici status, quandoque venturus. (Ex Tertulliano, lib. 4. contrà Marcionem, cap. 6.)

3. Christum suum veram carnem assumpsisse negabat Marcion.) Ex Tertulliano, lib. 3. cap. 8. ubi ait: *Desinat nunc hæreticus à Judæo, aspis, quod aiunt, à vipera mutuari venenum. Evomat jam hinc proprii ingenii virus, Phantasma vindicans Christum.*)

4. Resurrectionem corporum negabat. (Ex Irenæo, l. 1. cap. 29. Epiphanio, Hæresi 42. & Tertulliano, lib. 1. adversùs Marcionem, cap. 24.) dicentes [Sed nolo jam de parte majore pereuntium, imperfectum bonitatis arguere Deum Marcionis: sufficit ipsos, quos salvos facit, imperfectæ salutis inveniens, imperfectam bonitatem ejus ostendere: scilicet animâ tenus salvos, carne deperditos quæ apud illum non resurgit. Unde hæc dimidiatio salutis, nisi ex defectione bonitatis?]

5. Animarum ab aliis in alia corpora migrationes statuebat. (Ex Sancto Epiphanio.)

6. Cain, Dathan, Esaü, Abiron, Sodomitas, ac Nationes omnes, quibus Judæorum Deus ignotus fuit, à Domino salvatas: Abel verò, Enoch, Abraham, aliosque Patriarchas & Prophetas, salutem consecutos non fuisse, quia Judæorum Deum agnoverunt,

ejusque secuti sunt instituta, cùm se potiùs alteri illi Deo, quis videri oculis nequit, addicere debuissent. ( Ex Sanctis Irenæo, & Epiphanio, & ex Theodoreto, lib. 1. adversùs Hæreses cap. 24. )

7. Testamentum vetus rejiciebat, tanquam à malo Deo prolatum, Novum ex animi sui sententia mutilabat, solum Evangelium Lucæ admittens, & truncatas Sancti Pauli Epistolas x. ( Ex Sanctis Irenæo, & Epiphanio, necnon ex Tertulliano, & Theodoreto. ) Sic autem habet Tertullianus lib. 1. cap. 19. *Separatio legis, & Evangelii, proprium & principale opus est Marcionis. Nam hæ sunt antitheses Marcionis, id est oppositiones, quæ conantur discordiam Evangelii cum Lege committere, ut ex diversitate sententiarum utriusque Instrumenti, diversitatem quoque argumententur Deorum.* Et lib. 4. cap. 1. *Omnem sententiam, & omnem paraturam impii atque sacrilegi Marcionis, ad ipsum jam Evangelium ejus provocamus, quod interpolando suum fecit.* Et lib. 5. cap. 21. de Epistola ad Philemonem ait: *Soli huic Epistolæ brevitas sua profuit, ut falsarias manus Marcionis evaderet.*

Octavò, Marcion baptismum verbis Evangelicis non conferebat, id est, non baptizabat *in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, sed violabat formam à Christo institutam, aliis verbis, alioque ritu baptizans. Id constat ex Theodoreto, Epist. 145. ad Constantinopolitanos Monachos data, in qua testatur, se decem millia & ampliùs Marcionitarum ad fidem adduxisse, & baptizasse. *Mihi verò flere libet*, inquit, *ac lugere, quòd quæ dudum adversùs Marcionis tabe corruptos argumenta protuli, convictosque Dei beneficio plures decem millibus, ad sanctum baptisma perduxi, ea nunc in eos qui fidei nostræ creduntur, exorta hæresis proferre cogit.* Non fuissent porro baptizati à Theodoreto Marcionitæ, si verbis Evangelicis fuissent in sua Secta baptizati. Quarto enim sæculo cadente, jam ab omnibus Ecclesiis admittebatur baptismus ab hæreticis quibuscumque, ritu à Christo instituto collatus.

Nec obstat quòd Sanctus Cyprianus testetur Stephanum I. Romanum Pontificem, baptisma Marcionis ratum habuisse. Non enim ita se res habet ut Cyprianus scripsit & existimavit. Sed æstu disputationis & contentionis abreptus intulit, ex verbis Stephani decernentis, A quacunque hæresi venientem non esse baptizandum, sed tantùm manus illi imponendas in pœnitentiam: intulit, inquam, ex his verbis, Stephanum admittere baptisma eorum etiam hæreticorum, qui ritu Evangelico, & Christi verbis non baptizabant. Sed non est assecutus ipsius mentem. Negabat enim duntaxat Sanctus Pontifex baptizandos esse à quacunque hæresi venientes, si baptismum verbis Evangelicis consecratum in sua Secta recepissent.

Nec obstat secundò quod ait Sanctus Augustinus lib. 3. de baptismo contra Donatistas cap. 15. *Si Evangelicis verbis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Marcion baptismum consecrabat, integrum erat Sacramentum.* Propositio enim Sancti Augustini est hypothetica, non historica: id est, non asserit Marcionem baptismum verbis Evangelicis consecrasse, sed ex hypothesi quòd ita contulerit, baptismum ab eo collatum fuisse validum ac legitimum.

Marcion tertium etiam baptismum ad peccata diluenda concedebat: quod ad infamiæ suæ remedium excogitavit, quo se post stupri facinus, novo baptismate purgatum, & inter innocentes numerandum esse persuaderet. ( Ex Sancto Epiphanio. )

10. Vivos pro mortuis baptizare consueverant Marcionitæ, ( ex Sancto Chrysostomo Homiliâ 40. in 1. ad Corinthios. )

11. Mulierculis baptizandi potestatem faciebant, ( Ex Sancto Epiphanio. )

12. Marcion jejunium, & Sabbathum præcipiebat observari, & Sabbatho jejunandum esse sanciebat, ne Dei Judæorum, qui die septima ab omni opere suo requievit, ritibus uti videretur. ( Ex eodem. )

13. Mysteria sua Catechumenis coram celebrabant Marcionitæ; in quibus aquam adhibebant, ( Ex eodem. )

14. Animatorum usum Marcionitas damnasse, imò & omnes creaturas execratos fuisse, author est Theodoretus, idque comprobat exemplo. *Novi*, inquit, *eorum senem quemdam nonagenarium, qui manè surgens, sputi sui excremento faciem lavabat: & causam rogatus, dixit, Se opus nolle habere Creatore, nec aquam, quæ ex illius operibus est, accipere. Cùm autem præsentes dixissent: Quomodo ergo comedis, bibis, vestiris? Dixit, Se necessitate ductum hoc facere, quòd aliter vivere non posset.*

15. Virginitatem prædicabat Marcion, quòd carnem à malo principio exortam propagari ulteriùs non debere assereret. ( ex Sancto Epiphanio ) Hinc conjugatos à baptismo arcebat, teste Tertulliano, lib. 1. contra Marcionem, cap. 29. *Non tinguitur*, inquit, *apud illum caro, nisi virgo nisi vidua, nisi cœlebs, divortio baptisma mercata, quasi non etiam spadonibus ex nuptiis nata. Sine dubio ex damnatione conjugii institutio ista constabit.*

16. Ob odium carnis, quam detestabantur Marcionitæ, ceu à malo Deo conditam, in Martyrium præcipites ruebant. Hos enim videtur intellexisse Clemens Alexandrinus lib. 4. Stromatum p. 351. ita scribens: *Dicimus autem nos quoque, eos qui de industria mortem quærunt ( sunt enim quidam non nostri, sed tantùm nominis participes, qui quidem magno studio seipsos contendunt tradere, propter odium in Creatorem miseri mortem cupientes ) eos, inquam, dicimus, seipsos è vita exigere absque ullo Martyrio, ac testificatione, &c. si publicè puniantur. Fidelis enim testimonii non servant characterem, qui eum, qui verè Deus est, non cognovere.*

Cæterùm Marcion, cùm pœnitentiam flagitaret, eique promissa fuisset communio, ea lege ut ad Ecclesiam reduceret quos ab ipsa abstraxerat, morte præventus est, teste Tertulliano, lib. de Præscriptionibus, cap. 30. *Postmodum*, inquit, *idem Marcion pœnitentiam confessus, cùm conditioni datæ sibi occurrit, ita pacem recepturus, si ceteros, quos perditioni erudisset, Ecclesiæ restitueret, morte præventus est.*

Scripserunt contra Marcionem Sanctus Justinus, teste Sancto Irenæo, lib. 4. adversùs Hæreses, cap. 14. & Eusebio, lib. 4. Historiæ Ecclesiasticæ cap. decimo, & 17. Sanctus Irenæus ipse lib. 3. cap. 6. & sequentibus, usque ad decimum, & cap. 42. & sequentibus, usque ad 46. & totum ferme lib. 4. usque ad caput 50. Tertullianus totis quinque libris adversùs Marcionem, Sanctus Epiphanius Hæresi 42. & Theodoretus, lib. 5. Hæreticarum Fabularum cap. 16. & 17. & ante hos Clemens Alexandrinus lib. 3. pag. 324.

## ARTICULUS VI.

### *De Valentino, & ejus Hæresi.*

VAlentinum, Episcopatûs ambitio, cujus repulsam passus fuerat, ad hæresim confingendam impulit, ex Tertulliano, adversùs Valentinianos, cap. 4. *Speraverat*, inquit, *Episcopatum Valentinus, quia & ingenio poterat, & eloquio; sed alium ex Martyrii prærogativa loci potitum indignatus, de Ecclesia authenticæ regulæ abrupit (ut solent animi pro prioratu exciti, præsumptione ultionis accendi) ad expugnandam conversus veritatem, & cujusdam veteris opinionis semen nactus, Colarbaso viam delineavit.*

Nulla figmentis feracior hæresis, quàm Valentiniana. 30. Æonas, sive Deos, ex Poetarum Græcorum, Hesiodi præsertim fabulis commentus est Valentinus. 2. Illos divisit per Ogdoadem, id est octonarium, decadem, & dodecadem, sive duodenarium, variasque illorum finxit combinationes. 3. Principem Æonum vocabat Bythion seu profundum: cui jungebat conjugem Sigen, seu silentium, quam vocabat etiam Ennœam & Charin, id est, gratiam. 4. Aiebat hos Æones, cùm infinitis retrò ævis, in maxima, & altissima quiete, in otio maximo placidæ & quasi stupentis divinitatis permansissent, protulisse Intellectum, & Veritatem. 6. Intellectum autem vocabat Monogenem. Ex Intellectu, & Veritate processisse dicebat, Verbum & Vitam. Ex Verbo & Vita, Hominem & Ecclesiam prodiisse. En Ogdoadem Valentinianam. 7. Ex Verbo & Vita decadem Æonum ortam esse somniabat, scilicet Profundum & Mixtionem; Senii expertem, & Unionem; Per se nascentem, & Voluptatem; Immobilem & Concretionem; Unigenitum & Beatum 8. Ex Homine & Ecclesia duodecim alios Æones progenitos esse finxit, scilicet Paracletum & Fidem; Paternûm, & Spem; Maternum, & Dilectionem; Intellectum, & Prudentiam; Ecclesiasticum, & Beatitudinem; Voluntarium, & Sapientiam 9. Salvatorem 30. annos vixisse ut hoc Æonum Mysterium indicaret: eosdemque in parabola operariorum, qui ad vineam patris-familias missi sunt, significatos. Etenim alii circiter horam primam, alii circa tertiam, circa sextam, nonam, ac undecimam alii vocati sunt, quæ omnes in unum collectæ tricenarium efficiunt numerum. Addebat Sanctum Paulum Æonum meminisse bis verbis, ad Ephesios 3. *In omnes generationes seculorum sæculi.* Æon enim Græcè sæculum significat.

10. Ex omnium Æonum defloratione, & ære velut collatitio, perfectum pleromatis, id est universitatis fructum editum fuisse, scilicet Jesum: nec non honorarios ejus satellites, ejusdemque cum illo generis Angelos, eodem tempore productos.

11. Aiebat primum Æonem, id est, Profundum, ab Unigena solo, id est, intellectu quem produxit, cognosci; non vero ab aliis Æonibus, quos ab ejus cognitione prohibuit Silentium.

12. Commentus est Sapientiam postremum Æonum, qui ab Homine & Ecclesia propagati sunt, in desiderium Patris præ cæteris exarsisse; indeque illam concepisse, absque Voluntarii conjugis sui consortio, & protulisse fœtum informem, scilicet matenam.

12. Profundum seu patrem Æonum, misertum Sapientiæ produxisse Terminum, quem & crucem appellabat. Hunc pòrro purgasse Sapientiam: cujus calamitas, & curatio demonstrata esset in muliere, quæ sanguinis profluvio laborabat. Quæ cùm 12. jam annos eo morbo conflictaretur, Salvatoris adventu, & contactu fimbriæ salutem recuperavit.

14. Enthymesim, seu cogitationem, Sapientiæ informem partum, fuisse à Termino relegatam extra universitatem, & cruci suffixam.

15. Unigenitum, Patris voluntate, ad Æonum securitatem, & constitutionem, produxisse Christum & Spiritum Sanctum; Christum enim Æonas docuisse dicebat, Patrem esse incomprehensibilem; Spiritum autem Sanctum æqualitatem Æonibus inter se dedisse.

16. Extra pleroma, id est, extra universitatem, constituebat Enthymesim, seu cogitationem, fœtum illum informem Sapientiæ, quam vocabat Achamoth: illam in umbra quadam & inani degere asserebat. Accidisse ut lachrymaretur interdum, ac doleret, quòd se solam in tenebris, & inanitate relictam animadverteret. Nonnunquam risu ac voluptate perfusam, cùm ad lumen, quo destituta erat, sese convertere conaretur: interdum rursus metu jactatam: aliàs anxiam, consiliique inopem, & attonitam fuisse: ex ejus lacbrymis humidum omne: è risu lucidum: è dolore, ac stupore, corporea mundi elementa manasse.

17. Enthymesin ægrè tandem ad illud lumen, à quo destituta fuerat, scilicet Christum, emersisse fingebat. Hunc in pleroma conscendentem, ac descendere denuo gravatum, vicarium sibi Paracletum submisisse, cui à Patre & Æonibus potestas commissa est ut visibilia, & invisibilia conderet. Descendisse itaque Paracletum Angelorum stipatum satellitio. Ad ejus adventum Achamoth pudore perfusam, capiti suo velum obduxisse, quod significatum volebat his Sancti Pauli verbis: *Mulier caput velet propter Angelos:* Deinde ejus conspectu recreatam, & confirmatam, & ab omni perturbatione curatam fuisse. Tum ex Angelorum contemplatione fœtum edidisse spiritalem, illisque simillimum.

18. Ab Enthymesi, seu Achamoth, ex animata substantia, conditum fabulabatur Demiurgum, id est conditorem, & opificem universorum, quæ post ipsum extitere. Qui occultante matre, patris imaginem non cognoverit. Patrem illum ac Deum constituebat omnium extra pleroma, seu universitatem existentium, omniumque animantium, ac rerum materialium.

19. Aiebat Demiurgum putasse, ut se propria cuncta perfecisse, cùm interim Achamoth universa produceret: ille verò ita cœlum moliretur, ut cœlum omnino nesciret; ita hominem formaret, ut hominem ignoraret.

20. Asserebat diabolum etiam opus esse Demiurgi, & Mundi tenentem vocabat, illumque superiorum magis gnarum dicebat, utpote spiritalem, quàm Demiurgum, qui animalis esset.

21. Absolutâ mundi fabricâ luteum hominem à Demiurgo factum fabulabatur, non ex terra, sed ex materia quadam Philosophica, & invisa substantia, & in hominem illum suo afflatu animatum, spiritalem alium infudisse.

22. Tria hominum genera constituebat, choïcum sive terrenum; animale; & spirituale. Terrenum ad Cain; Animale ad Abel; spirituale ad Seth, tres quodammodo generis humani fontes revocabat. Terrenum corruptione dissolvi: animale, si se potioribus dederit, mediocri in regione conquiescere; si deteriora eligat, ad similia transferri, spiritale denique Salvatoris Angelis matrimonio collocari.

23. Spiritales se esse jactitabant Valentiniani, Catholicos vocabant animales: idcirco ipsos fide

&

& operibus bonis ad consequendam salutem indigere: sibi verò sufficere cognitionem. Quod ita expressit Tertullianus, lib. adversùs Valentinianos cap. 30. *Ideoque nec operationes necessarias sibi existimant, nec ulla disciplina munia observant: Martyrii quoque eludentes necessitatem, qua volunt interpretatione: hanc enim regulam animali semini præstitutam, ut salutem, quam non de privilegio status possidemus, de suffragio actus elaboremus.*

Hinc, qui apud illos erant perfectissimi, quicquid divinis legibus erat prohibitum, sine metu perpetrabant, Gentilium festa celebrabant, idolothytis vescebantur, voluptati serviebant: & obscœnum illud statuebant Mortalis corruptæ principium: *Degenerem esse, nec legitimum veritatis, qui diversatus in mundo non amaverit fœminam, nec se ei junxerit.* ( Ut refert Tertullianus ) quibus & ironicè reponit: *Et quid facient spadones, quos videmus apud illos?*

24. Christum Dominum nostrum Corpus de Cœlo detulisse propugnabat Valentinus, ac tanquam aquam per fistulam, per Mariam Virginem transiisse, neque quidquam ex ejus utero sumpsisse, sed è Cœlo traxisse corpus: seu ( ut Tertulliani verbis hunc errorem explicem ) *Per Virginem, non ex Virgine editum: quia delatus in Virginem transmeatorio potiùs, quàm generatorio more processerit, per ipsam, non ex ipsa: non matrem eam, sed viam passus.*

25. Valentiniani fabulas suas, ac Mysteria occultabant, teste Tertulliano, lib. adversùs Valentinianos cap. 1. *Valentiniani*, inquit, *frequentissimum planè collegium inter hæreticos, quia plurimum ex Apostatis veritatis, & ad fabulas facile est, & disciplina non terretur: nihil magis curant, quàm occultare quod prædicant; si tamen prædicant, qui occultant.* Et cap. 2. hoc ipsorum silentium, hasque latebras certissimam sibi victoriam polliceri ait: *Quia, quod tanto impendio absconditur, etiam solummodo demonstrare, destruere est.*

26. Simplicitatem Catholicis exprobrabant, teste eodem Tertulliano cap. 2. *Ideoque*, inquit, *simplices notamur apud illos, ut hoc tantùm, non etiam sapientes: quasi statim deficere cogatur à simplicitate sapientia, Domino utramque jungente: Estote prudentes ut serpentes, & simplices ut columbæ.*

Ultimò traditiones rejiciebant Valentiniani, teste Sancto Iteoæo lib. 3. cap. 2. Porro Valentinus ab Ecclesia ejectus est, Præsidente in Romana Cathedra Eleuthero ( ut testatur Tertullianus, lib. de Præscriptionibus cap. 30. ) *Ubi tunc*, inquit, *Marcion Ponticus Nauclerus Stoicæ studiosus? Ubi Valentinus Platonicæ sectator? Nam constat illos neque adeo olim fuisse, Antonini fere principatu, & in Catholicæ primò doctrinam credidisse apud Ecclesiam Romanensem sub Episcopatu Eleutherii benedicti, donec ob inquietam semper eorum eorum curiositatem, quam fratres quoque vitabant, semel & iterum ejecti, venena doctrinarum suarum disseminaverunt.*

Quæ de Valentini erroribus hucusque diximus, hausimus ex Sancto Irenæo, lib. 1. adversùs Hæreses, cap. 1. ex Tertulliano, toto libro adversùs Valentinianos, ex Sancto Epiphanio Hæresi 31. & ex Theodoreto lib. 1. Hæreticarum Fabularum cap. 7.

Secundiani.

Prodierunt ex Valentini schola alii Hæretici, qui ejus fabulas vel amplificarunt, vel alio modo exposuerunt, scilicet *Secundus*, à quo Secundiani; de quibus idem Sanctus Epiphanius, Hæresi 32. *Ptolomæus*, à quo Ptolomaitæ, de quibus idem agit, Hæresi 33. Hic autem inter alia, totam Legem à Deo non esse effutiit; sed quædam Legis præcepta retulit ad Deum, ea scilicet, quæ Decalogo continentur, quædam ad Moysem, quæ injustitiæ aliquid admixtum haberent, ut, *Oculum pro oculo, dentem pro dente*: Alia ad Seniores. Hunc ejus errorem uberiùs explicatum habes in Epistola quam scripsit ad Floram, quam Sanctus Epiphanius refert loco citato.

Marcosii.

Prodiit ex eadem Valentini schola *Marcus*, à quo Marcosii. Hic magicis artibus insignis: poculorum liquorem certis carminibus in cæruleum, purpureumque vertebat colorem, ut mulierculis infelicibus illuderet, quas hisce mysteriis initiabat. Philtris utebatur, mulierum ut amorem sibi conciliaret, easque se Prophetissas efficere jactabat, ut gratiam & obsequium illi rependerent. *Multæ ex illis conversæ ad Ecclesiam Dei, confessæ sunt & secundùm corpus exterminatas se ab eo velut cupidine, & inflammatas valde se illum dilexisse, ut & Diaconus quidam ex Asia, suscipiens illum in domum suam, inciderit in hanc calamitatem. Nam cùm esset uxor ejus speciosa, & sententiâ, & corpore corrupta esset à Mago isto, & secuta eum esset multo tempore; post deinde, cum magno labore fratres eam convertissent, omne tempus in exomologesi consummavit, plangens & lamentans ob hanc, quam passa est à Mago isto corruptelam.* ( inquit Sanctus Irenæus lib. 1. cap. 9. ) Ubi & quasdam alias mulieres in Regionibus Rhodano finitimis à Marcosiis deceptas, *in manifesto exomologesim fecisse* narrat.

Sic initiabant eos qui se ad eorum Sectam conferebant, Marcosii. Nonnulli genialem parabant thalamum, & invocationibus quibusdam nefandis abdita mysteria in eos exequebantur, qui se illorum Sectæ adjungebant: & ritum illum spiritales esse nuptias dicebant, ad similitudinem connubiorum, quæ in cœlis contraherentur. Alii eos deducebant ad aquas & baptizabant, *In nomine ignoti rerum universarum Parentis, & Veritatis omnium procreatricis, & Illius qui è cœlo in Jesum delapsus est.* Alii verò nomina proferebant Hebraica, ut initiatos majori admiratione afficerent ( Ex Sancto Itenço, cap. 18. libri primi, & ex Eusebio, lib. 4. Historiæ Ecclesiasticæ cap. X. ) De Marco porro, & Marcosiis agit Sanctus Irenæus l. 1. cap. 9. & sequentibus, usque ad 19. Sanctus Epiphanius Hæresi 34. & Theodoretus lib. 1. Hæreticarum Fabularum cap. 9.

Colobarsiani.

Prodiit etiam ex schola Valentini, *Colobarsus*, qui præter alias nugas, summum universorum Parentem, ac primum principium, hominem vocari effutiit, & idcirco Salvatorem se hominis filium nominasse. Lege Sanctum Epiphanium Hæresi 35. & Theodoretum lib. 1. Hæreticarum Fabularum cap. 12. Colubarsianam Hæresim sic describit Auctor libri *de Hæresibus*, sub nomine *Prædestinati* à P. Sirmondo editus: *Hæresis Colorbarsiana à Colobarsio adinuenta, vitam omnem hominum in septem stellis positam affirmabat, & has esse septem Ecclesias, & septem candelabra aurea. Hunc Sanctus Theodotus de Pergamo Episcopus habita Synodo septem Episcoporum anathematizavit, docens septem Ecclesias in septiformi Spiritu consecratas.* Colobarsi etiam meminit *Tertullianus*, seu Auctor Appendicis libro illius *De Præscriptione Hæreticorum* assutæ.

Valentinianæ Hæreseos pariter surculus fuit Heracleonitarum Secta, qui morientes suos novo quasi modo redimebant, oleum vel balsamum aqua temperatum ipsorum capitibus infundentes, & invocationes quasdam Hebraïcis conceptas nominibus facientes, quibus muniti, à superioribus principatibus ac potestatibus coërceri, viderique non possent: inferiorque ipsorum homo sursum posset à omine conspectus evadere. De his Sanctus Epiphanius,

Epiphanius Hæresi 36. De iisdem hæc tradit *Prædestinatus* lib. 1. cap. xvi. *Hæresis Heracleonitarum ab Heracleone nominata est, quæ baptizatum hominem, sive justum sive peccatorem, loco Sancti computari docebat, nihilque obesse baptizati peccata memorabat, dicens: Sicut non in se recipit natura ignis gelu; ita baptizatus non in se recipit peccatum: Sicut enim ignis resolvit aspectu suo nives, quantacumque juxta sint, sic semel baptizatus non recipit peccatorum reatum: etiam quantavis fuerint ejus operibus peccata permixta. Hic in partibus Siciliæ inchoavit dicere. Contra hunc susceperunt Episcopi Siculorum, Eustachius Lylibæorum, & Panormenorum Theodorus. Quique omnium, qui per Siciliam erant, Episcoporum Synodum exorantes, gestis eum audire decreverunt, & universas assertiones ejus dirigentes ad Sanctum Alexandrum Urbis Episcopum, rogaverunt ut ad eum confutandum aliquid ordinaret. Tunc Sanctus Alexander ad singula quæque capita Hydri singulos gladios verbi Dei de vagina divini verbi eliciens, librum contra Heracleonem ordinans, ferventissimum ingenio Sabinianum destinavit, qui & scriptis Episcopi, & assertione sua ita eum confutaret, at nocte media navis præsidio fugeret, & altera abinam devenisset, penitus nullus sciret.* Verùm hæc Eruditis suspecta, cùm apud Veteres nulla Concilii istius Siculi extet memoria, uti nec *Eustachii* Lylibæorum, & *Theodori* Panormenorum Episcopi; nec ante *Pii I.* Pontificatum emerserit Heracleonitarum Hæresis.

*Archontici.* His pestibus affinis fuit hæresis *Archonticorum*, ab Eutacto quodam Constantii Imperatoris temporibus propagata. Hi baptismum damnabant, & mysteriorum participationem, ut quæ fieret in nomine Sabaoth Dei Judæorum pessimi. Quidam eorum fœdissimis libidinibus corpora sua contaminabant. Alii Monachorum specie simplicioribus illudebant, & omnium abdicatione bonorum gloriabantur. Alias ipsorum blasphemias ac deliria lege apud Sanctum Epiphanium Hæresi 40. & Theodoretum lib. 1. Hæreticarum Fabularum cap. 11.

*Barbelotæ.* Ex cœnoso Valentini gurgite manavit insuper Barbelotarum seu Borborianorum hæresis, & impuritas, de qua legendus est Theodoretus, cap. 15. libri citati. Ad Valentini Sectam defecerunt Florinus & Blastus Romani Presbyteri, ex Theodoreto, cap. 23. ejusdem libri, & ex Eusebio, lib. 5. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 19. Addidit ad hæresim Valentini Florinus, Deum Authorem esse malorum, teste Sancto Augustino, lib. de Hæresibus. Blastus verò latenter Judaïsmum introducere voluit, asserens Pascha non aliter custodiendum, nisi 14. primi mensis, secundùm legem Moysis; & propter hoc schisma fecit. Hunc ejus errorem refert Author appendicis ad librum Tertulliani de Præscriptionibus, cap. 53. Contra ipsos Sanctus Irenæus varias composuit Epistolas, unam ad Blastum, quam inscripsit de Schismate: alteram ad Florinum, de Monarchia, sive Quòd Deus non sit author & fabricator mali: de quibus legendus est Eusebius lib. 5. Historiæ cap. 19.

Contra Valentinianos, præter Sanctum Irenæum, Tertullianum, & Sanctum Epiphanium, scripserunt Sanctus Justinus, Miltiades Ecclesiarum Sophista (teste ipso Tertulliano lib. adversùs Valentinianos, cap. 5.) De eodem quoque argumento scripsere & Clemens Alexandrinus, Hypolytus, aliique complures, qui admirabili quadam facultate illorum dogmata refutarunt (teste Sancto Epiphanio.)

## SCHOLION.

Mirum quòd Anonymo cuidam Scriptori venerit in mentem, sanam & orthodoxam fuisse Valentini de Æonibus doctrinam; & quod ille de Deo ejusque attributis, & Angelis piè & catholicè docebat, id ab antiquis Patribus Sancto Irenæo, Tertulliano, aliisque pravos & absurdos traductum ac detortum in sensus. Unde enim, amabo te, Scriptor ille novitius suâ satis notus levitate ac temeritate, discere potuit quæ fuerint Valentini & Valentinianorum dogmata, nisi ex iisdem Patribus, quos eum ridiculi & impii de Æonibus dogmatis insimulant? Quam accusationem nemo homo falsam unquam dixisse aut probasse ab omni retro Antiquitatis memoriâ perhibetur. Et verò Valentinus ejusque Sectatores reipsa eodemque modo triginta suos Æonas à se invicem distinguebant: neque Scriptis unquam prodiderunt quorumdam Æonum magis quàm aliorum nomine tres (ut finxit Scriptor ille nuperus) adorandæ Trinitatis Personas, aut Dei attributa, & multò minùs Angelos intelligi debere. Quòd si aliquando ii de Sanctissima Trinitate eodem modò ac Catholici loquerentur, hæc eorum fraus fuit & dolus, quo sub orthodoxiæ larvâ simplicioribus illudebant, ac deinde propositis de eadem doctrina quæstionibus, sensim sine sensu suas trahebant in partes. Sancto Irenæo teste libro 3. *Adversùs Hæreses*, cap. 15. Qui autem ex illis, teste Eusebio lib. 4. Historiæ cap. 11. *In nomine ignoti omnium Patris, in Veritate omnium Matre, in Eo qui descendit in Jesum*, baptizabant, non alii erant quàm Marcosii magicis artibus addictissimi, quos triplici hoc nomine tres divinæ Trinitatis Personas catholico sensu expressisse nec ullus unquam memoriæ prodidit, nec verisimile est. Neque dixeris, Ptolomæum nomina & numeros Æonum in *personales substantias* distinxisse, ut scripsit Tertullianus libro Adversùs Valentinianos cap. 4. Nam ibi Tertullianus eundem Ptolomæum inter & Valentinianum id constituit discrimini, quòd ille *Personales istas substantias extra Deum determinatas vellet, quas Valentinus in ipsa summa Divinitatis ut sensus & affectus, & motus incluserat.* Nec de tribus tantummodo Valentini & Ptolomæi Æonibus, sed de omnibus agere Tertullianum, perspicuum & exploratum est. Denique cùm Valentinianorum Commentarios se legisse Sanctus Irenæus asserat, & dogmata eorum diligenter investigasse & accuratè tradidisse, damnanda est recentioris Scriptoris temeritas, illos ab impietate & insanis erroribus vindicare ausi. *Eum autem*, inquit Irenæus, *qui velit eos convertere, oportet diligenter scire regulas sive argumenta ipsorum; nec enim possibile est aliquos curare quosdam malè habentes, qui ignorat passionem eorum qui malè valent. Quapropter hi qui ante nos fuerunt, & quidem multò nobis meliores, non tamen satis potuerunt contradicere his qui sunt à Valentino, quia ignorabant regulam ipsorum, quam nos cum omni diligentia in primo libro tibi tradidimus; in quo & ostendimus doctrinam eorum recapitulationem esse omnium Hæreticorum.*

## ARTICULUS VII.

### *De Tatiano, & Encratitis.*

TAtianus Syrus, Philosophus insignis, sacrorum librorum lectione ad fidem conversus, ut ipse narrat in Oratione contra Græcos. *Leges*, inquit, *vestras contempsi. Etenim oportebat unam ubique, & communem omnibus reipublicæ rationem esse. Nunc verò quot civitates, tot legum discrimina reperias; adeo ut quæ alicubi turpia ducuntur, eadem alibi laudentur . . . . . Hæc cùm viderem, & insuper Mysteriorum particeps factus, omnes ubique Deorum cultus per effœminatos & Androgynos constitui experimento novissem: Item apud Romanos Latiarem Jovem humano cruore placari: Dianam verò non procul Megalopoli similibus gaudere; & alium alibi Dæmonem multorum authorem facinorum deprehenderem: in me descendens, quomodo tandem veritate potirer, inquirebam, & cùm diligenter circumspicerem, in libros quosdam barbaros incidere mihi contigit, antiquiores multò quàm Græcorum Philosophia, si spectes ætatem: & augustiores, si illorum errores. His ego fidem adhibui, quod stylus non esset phaleratus, nec ulla scriptorum affectatio, & sermo nusquam obscurus: & qui narrationem de universi creatione facilè explicaret, & futurorum item eventuum prænotione & magnitudine promissionum, &* quid

*quòd unam universorum Monarchiam statuerent,* impulsus.

Fuit autem Tatianus, postquam Christianæ Religionis mysteriis initiatus est, discipulus Sancti Justini: Post cujus Martyrium scientiâ suâ elatus, & Doctoris nomen sibi arrogans, in hæresim lapsus est, & Sectæ Encratitarum ortum dedit.

Hos autem professus est errores. 1. Æonum quorumdam invisibilium fabulam à Valentino mutuatus est 2. Matrimonium velut corruptelam, & fornicationem explosit. 3. Encratitæ animantium vinique usum aversabantur, non temperantiæ studio, neque peculiari ex instituto vitæ, sed falso quodam & affectato metu, ne ob animatorum usum sibi damnationem arcesserent: vino verò abstinebant, quòd improbos duntaxat eo uti existimarent. Unde illud Diabolicum vocabant. Hinc Encratitæ dicti sunt, id est, Continentes. 4. Adamum salvatum non esse effutiebat Tatianus, & illum secuti Encratitæ 5. Meram aquam ad Mysteria sua adhibebant; unde & Hydroparastatæ vocati sunt. 6. Encratitæ. ad Tatiani Magistri sui dogmata addiderunt, plura esse principia, inter quæ Diabolum constituerunt. Quem Dei operibus adversari, nec illi subditum esse, sed præcipuâ quadam potestate præditum, quæ vellet, agere propugnabant (teste Sancto Epiphanio Hæresi 47.) 7. Evangelium composuit Tatianus, quod Diatessaron dicitur, id est, unum ex aliis quatuor compactum, in quo desiderabantur Genealogiæ & omnes textus qui Dominum ex semine David secundùm carnem natum ostendunt. Narrat porrò Theodoretus, non modò ejus sectarios, verùmetiam eos, qui Apostolica dogmata sequebantur compositionis fraudem non animadvertentes, eo Evangelio, veluti compendiario libro usos fuisse. Ait autem se nactum libros hujusmodi supra ducentos, qui in Ecclesiis in honore habebantur, eos seposuisse, & pro his quatuor Evangelistarum Evangelia introduxisse.

Tatiani & Encratitarum errores referunt Sanctus Irenæus lib. 1. cap. 31. Eusebius lib. 4. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 27. Sanctus Epiphanius Hæresi 46. & 47. Theodoretus lib. 1. Hæreticarum Fabularum cap. 20. & Sanctus Augustinus lib. de Hæresibus.

Severiani, Encratitarum soboles.

Tatiani errorem *Severus* quidam amplexus est, qui & sui nominis sectam instituens, eos quos deceperat, Severianos vocari voluit. Hi & divini Pauli Epistolas, & Actuum Historiam rejiciebant, & sacrarum Scripturarum sensus ac sententias pro arbitratu interpretabantur (ut testantur Eusebius loco mox laudato, & Theodoretus lib. 1. Hæreticarum Fabularum cap. 21.) De his & Sanctus Epiphanius Hæresi 45. ubi & ipsos ad Tatiani dogma addidisse ait, Mulierem Satanæ opus esse: & in corpore humano, id quod infra umbilicum est, à mala potestate conditum esse. Ipsos carnis resurrectionem cum veteri Testamento respuisse scribit Sanctus Augustinus, lib. de Hæresibus, parum probabiliter, siquidem Eusebius testatur ipsos Legis & Prophetarum authoritatem admisisse.

Scripserunt adversùs Tatianum & Encratitas, Musanus, Apollinaris Hierapolitanus, Clemens Alexandrinus, & Origenes (teste Theodoreto) His addendus Sanctus Epiphanius, & ante hos Sanctus Irenæus lib. 3. cap. 34. 35. & 39. ubi Adamum salvum esse probat. Anno Christi 174. M. Aurelii Imperatoris 9. Aniceti Papæ 8. Tatianus hæreticus agnitus est (teste Eusebio in Chronico.) Unde falsò scribit Philastrius, ipsum post Decii persecutionem extitisse, & Juliani Martyris fuisse discipulum.

## ARTICULUS VIII.

### *De Montano & Cataphrygibus.*

Cataphrygum Hæresis authore Montano erupit, Antonini Pii temporibus (ut colligitur ex Sancto Epiphanio Hæresi 48. & ex Eusebio lib. 4. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 26.) sub M. Aurelii imperio adolevit, & latiùs propagata est, ut ex eodem Eusebio colligitur, ibidem, & in Chronico.

Montanus in Mysia Phrygiæ natus, quæ nuncupatur Ardaban, dominandi cupiditate, Spiritu Sancto & dono prophetiæ plenus videri voluit. Duabus meretricibus, Priscillæ & Maximillæ, insaniæ suæ afflavit spiritum, easque Prophetissas haberi voluit; quæ furiosè, ineptè, & novo atque peregrino modo garrientes, falsa proferebant oracula, & libros scribebant, quos Propheticis adæquabat Montanus. Hic ut plures deciperet, interdum promissorum magnitudine sectatores alliciebat; interdum conjecturis & rationibus probabilibus nixus, apertè eorum peccata redarguebat, ut vitiorum hostis & corrector videretur. Catholicos qui ipsi & ejus Prophetissis resistebant, Prophetarum interfectores vocabat. Silentium ipsis frustra indixerunt Episcopi: & illos tandem cum Antistite suo Montano ab Ecclesia extruserunt. Falsi porro convictæ sunt Maximillæ Prophetiæ, siquidem post ejus obitum pax jucundissima Imperium recreavit, & Ecclesiam, cùm ipsa bellum & seditiones ubique futuras vaticinata fuisset. Hæc habentur ex Apollinario Hierapolitano apud Eusebium lib. 5. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 15.

Montani & Prophetissarum ejus falsi nominis mores.

Montanus & ejus Prophetissæ pecunias undique, & munera corrogabant: quo ex capite falsam ipsarum prophetiam Apollonius Scriptor Ecclesiasticus impugnat; siquidem universa Scriptura vetat ne Prophetæ pecunias & munera accipiant. Mollem & voluptariam vitam agebant, ut ex eodem Authore constat apud Eusebium cap. 17. lib. 5. *Dic mihi*, inquit, *Propheta-ne comam coloribus tingit? Propheta ne stibio oculos oblinit? Propheta-ne sumptuosè & vestitu splendido ornatus incedit? Propheta-ne tabulis & tesseris ludit? Propheta-ne fœnus exercet? Ista verè mihi fateantur, & dicant utrùm liceat usurpare, an contra. Ego certè hæc apud illos factitata perfacilè ostendam.*

Montanistarum errores.

Hi porro fuere præcipui Montani & Cataphrygum, sic à regione in qua illorum hæresis orta est, nuncupatorum errores. 1. Montanum ceu Paracletum venerabantur. (ex Theodoreto, & ex Tertulliano Montanista, in lib. de Pudicitia, & alibi passim.) 2. Nuptias secundas ceu scortationes damnabant, (ex Sanctis Epiphanio, Hæresi 48. Hieronymo Epist. 54. quæ est ad Marcellam, & Augustino lib. de Hæresibus ad Quodvultdeum, Num. 26.) 3. Matrimonia solvebant. (Ex Apollonio, apud Eusebium loco citato, & ex Theodoreto, lib. 3. Hæreticarum Fabularum cap. 2.) 4. Nova jejunia observanda statuebant, velut ad salutem necessaria, tres scilicet Quadragesimas, cùm Ecclesia unam ex Apostolorum traditione Quadragesimam semper observaverit. (Ex Apollonio & ex Sancto Hieronymo.) 5. Veniam omnibus penè delictis ab Ecclesia concedi posse negabant, ut idem Hieronymus testatur. *Illi*, inquit, *ad omne penè delictum Ecclesiæ fores obserant: nos quotidie legimus: Malo pœnitentiam peccatoris, quàm mortem, &, Nunquid qui cadet, non resurgit? dicit Dominus. Et, Convertimini ad me, filii convertentes, & ego curabo contritiones vestras. Rigidi autem sunt, non quo & ipsi majora non peccent: sed hoc inter nos*

&

illos interest, quòd illi erubescant confiteri peccata, A quasi justi: nos dum pœnitentiam agimus, facilius veniam promeremur.

6. Episcopis tertium duntaxat locum suis in conventibus assignabant, eodem Hieronymo teste: *Apud nos*, inquit, *Apostolorum locum Episcopi tenent. apud eos Episcopus tertius est. Habent enim primos de Pepusa Phrygiæ Patriarchas, secundos, quos appellant Cenonas: atque ita in tertium, id est, pene ultimum locum Episcopi devolvuntur.*

7. Pepuzæ vico, ubi frequentiores conventus agebant, ac sua celebrabant mysteria, nomen Hie- B rusalem indiderant (Ex Apollonio, ex Sancto Epiphanio Hæresi 48. & ex Theodoreto) Hinc dicti sunt Pepuziani.

8. Apud Pepuzianos, Montanistarum genus, mulieres ad Episcopatum & Presbyteratum evehebantur, nullum sexûs ut servaretur discrimen, cumque in sensum detorquebant illud Apostoli, ad Galatas 3. *In Christo Jesu non est masculus, neque fœmina*. Vocabantur & Artotyritæ, quòd in My steriis suis panem & caseum offerrent (Ex Sancto Epiphanio Hæresi 49.)

Præterea Cataphryges mortuos baptizabant. (Ex C Philastrio lib. de Hæresibus.)

9. Montanistæ asserebant nusquam in persecutione fugiendum esse, sed loco sistendum, & Martyrium exspectandum, (Ex Tertulliano lib. de Fuga in persecutione cap. ultimo.) *Et ideo*, inquit, *Paracletus necessarius deductor omnium veritatum, exhortator omnium tolerantiarum; quem qui receperunt, neque fugere persecutionem, neque redimere noverunt, habentes ipsum qui pro nobis erit, sicut locuturus in interrogatione, ita juvaturus in passione.*

10. Animam corpoream esse quædam ex Montani Prophetissis asseruit, id sibi in cælesti visione D ostensum contestata, cui visioni Tertullianus fidem imprudens adhibuit, ut constat ex libro ipsius de Anima, cap. 9. *Est hodie*, inquit, *Soror apud nos revelationum charismata sortita, quas in Ecclesia, inter Dominica solemnia, per extasim in spiritu patitur, conversatur cum Angelis, aliquando etiam cum Domino, & videt, & audit sacramenta, & quorumdam corda dignoscit, & medicinas desiderantibus submittit. Jam verò prout Scripturæ leguntur, aut Psalmi canuntur, aut allocutiones proferuntur, aut petitiones delegantur, ita inde materia visionibus subministrantur. Forte nescio quid de anima disserueramus, cùm ea Soror in spiritu esset. Post transacta solemnia, quæ usu solet nobis renuntiare quæ viderit: Inter cætera*, inquit, *ostensa est mihi anima corporaliter, & spiritus videbatur, sed non inanis & vacuæ qualitatis; immo quæ etiam teneri repromitteret; tenera, & lucida, & aërii coloris, & forma per omnia humana. Hæc est visio: Deus testis, & Apostolus charismatum in Ecclesia futurorum idoneus sponsor.*

11. Sacramenta perhibebantur habere funesta Montanistæ, & de infantis anniculi sanguine, quem minutis punctionum vulneribus de toto ejus F corpore extorquebant, cum farina mixto, panem conficere, & Eucharistiam offerre. Qui puer, si moreretur, apud eos habebatur pro Martyre; si superstes viveret, pro magno Sacerdote. (Ex Sancto Augustino lib. de Hæresibus ad Quodvultdeum.) Idem illis tribuit S. Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 15. Sanctus Epiphanius id tribuit potiùs Pepuzianis ex Montano prognatis, quàm sinceris purisque Montanistis; neque id constanter asseverat. *In hac verò hæresi*, inquit, *aut in ejus germana Quintillianorum aut certè Priscillianorum, & Pepuzianorum Hæresi, horrendum quiddam*, ac ist. Eccl. Sect. II.

*detestandum fieri dicitur. Nam infantulum, per solemne quoddam Festum, acubus æreis toto corpore pungentes, exceptum sanguinem sacrificiis suis adhibent.* Id minimè fatebantur Montanistæ, & hoc sibi affictum scelus contestabantur (teste Theodoreto) Certè nemo Veterum, qui in ipsos stylum acuerunt, hoc ipsis facinus improperavit. Hinc Sanctus Hieronymus, Epistolâ 54. jam citatâ, ait: *Prætermitto scelerata mysteria, quæ dicuntur de lactente puero & de victuro Martyre confarrata. Malo (inquam) non credere: sit falsum omne quod sanguinis est.* Denique Auctor Anonymus, quem Hyginum perperam vocavit Hincmarus Remensis, at qui circa medium Sæculi quinti vixit, Hæresi xxvi. hæc habet: *Hactenus de Cataphrygis cætera quæ dicuntur, quasi incerta prætereo, de infantis sanguine eos accipere: quod ideo dicimus, ne videamur ignorare omnia quæ de eis dicuntur: Hi enim qui contra eos scripserunt, nihil hinc penitus memorarunt. Scripsit contra eos librum Sanctus Soter Papa Urbis, & Apollonius Ephesiorum Antistes: contra quos scripsit Tertullianus Presbyter Carthaginensis, qui cum omnia bene primò & incomparabiliter scripserit, in hoc solùm se reprehensibilem fecit, quòd Montanum defendit, agens contra Soterem suprädictum Urbis Papam; asserens falsò esse de sanguine infantis: Trinitatem in unitate Deitatis, Pœnitentiam lapsis, Mysteriis eisdem, unum Pascha nobiscum. Hoc solùm discrepamus, inquit, quòd secundas Nuptias non recipimus, & Prophetiam Montani de futuro judicio non recusamus.* Periit liber ille Tertulliani adversùs Soterem & Apollonium.

Montanum & Maximillam sibi laqueo mortem conscivisse, testatur Apollinaris Hierapolitanus, apud Eusebium, lib. 5. cap. 15.

In hanc Hæresim scripserunt, laudatus Apollinaris, (ut Eusebius testatur, initio mox laudati capitis) Apollonius, qui & profligatos Montanistarum mores detexit, atque infectatus est (teste Eusebio cap. 17. ejusdem libri) Miltiades (ut testatur idem Historicus, cap. 16.) & Serapion, in Epistola scripta ad Caricum, & Ponticum, quæ plurium Episcoporum subscriptionibus munita erat. (Ex Eusebio, cap. 16. ejusdem libri.)

Nascentem Montani Hæresim Gallicana Ecclesia proscripsit, judiciumque de illa, ipsiusque Authore, suum inseruit Epistolæ de Martyrum Lugdunensium triumphis ad Asiæ, & Phrygiæ Ecclesias scriptæ (ut testatur Eusebius, lib. 5. E Historiæ Ecclesiasticæ cap. 3.) *Cùm Montanus*, inquit, *& Alcibiades, & Theodotus in Phrygia jam prophetandi opinionem apud complures adepti fuissent (permulta enim divinâ gratiâ largiente miracula, operaque stupenda, ad illud usque tempus, per varias Ecclesias edita, fidem multis faciebant illos etiam donum Prophetiæ fuisse consecutos) cùmque de istis hominibus controversia orta esset, fratres rursus, qui in Gallia habitabant, privatum judicium, idque prudens & rectum cumprimis, de eisdem, Epistolæ, quam diximus, subjunxerunt.*

*Apollinaris* lib. 11. adversùs Cataphrygas, apud eumdem *Eusebium*, cap. XVI. ejusdem libri, Montanistarum doctrinam ut profanam & impiam in pluribus Asiæ Conciliis damnatam fuisse ait, ipsosque Cataphrygas à Fidelium Communione exclusos.

## ARTICULUS IX.

*De Bardesane, & ejus Erroribus.*

BArdesanes Syrus, Edessæ natus, regnante Marco Aurelio Antonino floruit. In Ecclesia fuit celeberrimus ob singularem eruditionem, & in fide propugnanda constantiam. Apollonio namque Philosopho Imperatoris familiari, ut se Christianum negaret, suadenti, acquiescere noluit ; ac propemodum inter fidei Confessores relatus est. Etenim pietatis patrocinio fortissimè suscepto, sapienter inprimis respondit ; negavitque mortem se timere, cujus, etsi Imperatori non resisteret, sibi nihilominus necessitas immineret. ( ut testatur Sanctus Epiphanius, Hæresi 56. ) Valentiniani erroris maculam tam præclaræ famæ aspersit. In Valentini namque schola educatus, cujus etiam errores & multiplices fabulas coarguit, veteres illius erroris sordes non eluit omnino, ut refert Eusebius lib. 4. cap. ultimo.

2. Mortuorum resurrectionem Bardesanes negavit. ( Ex Sancto Epiphanio ) Ejus errores confutavit Sanctus Ephrem Syrus. ( Ex Theodoreto lib. 1. Hæreticarum Fabularum cap. 22. ) Lugendus tanti viri lapsus. Multùm enim profuit Ecclesiæ, scribendo infinita adversùs omnes penè Hæreticos, qui ejus ætate pullulaverant : in quibus clarissimus ille est & fortissimus liber, quem M. Antonio, *de Fato*, tradidit, teste Sancto Hieronymo, in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum cap. 44.

## ARTICULUS X.

*De Theodoto, & ejus Hæresi ; necnon de Artemone.*

I. THeodotus Bysantinus, arte Coriarius, Christi nomine in persecutione negato, ut se à Fidelium justis exprobrationibus tueretur, Deum se non negasse, sed hominem duntaxat, Christum scilicet, effutiit, atque deinceps Christum hominem merum ac nudum esse propugnavit. ( Ex Authore appendicis ad librum Tertulliani de Præscriptionibus cap. ultimo, ex Sancto Epiphanio Hæresi 54. & ex Theodoreto, lib. 2. Hæreticarum Fabularum cap. 5. ) A Victore Pontifice Maximo excommunicatus est ( ex Theodoreto. ) Hæresis Alogorum vel author fuit, vel propagator Theodotus : qui Verbum divinum semper à Patre genitum, incarnatum negabant : Sancti Joannis Evangelium & Apocalypsim, ut Cerinthi fœtus stultè repudiantes. De his Sanctus Epiphanius, Hæresi 51.

II. Theodoto Coriario sese adjunxit Theodotus alter Trapezita, qui ejus errori addidit, Christum inferiorem esse Melchisedecho, eo Davidis versu abusus, quem de Christo cecinit : *Tu es Sacerdos in æternum, secundùm ordinem Melchisedech.* Illumque Melchisedechum cœlestem virtutem esse, & Christo meliorem, ut qui sit sine Patre, sine Matre, sine Genealogia ( Ex authore appendicis ad lib. Tertulliani de Præscriptionibus cap. ultimo) Hinc Melchisedechiani Hæretici : de quibus Epiphanius 55. Theodoretus lib. 2. Hæreticarum Fabularum cap. 6. & Sanctus Augustinus lib. de Hæresibus.

III. Theodoti Coriarii hæresi simillima fuit illa Artemonis, qui Dominum nostrum Jesum Christum nudum etiam hominem esse dixit, natum ex Virgine, Prophetis virtute præstantiorem. Hæc autem dicebat etiam Apostolos prædicasse, divinarum Scripturarum sensum pervertens : ab iis autem qui ipsos secuti sunt, divinitatem Christo tributam, cùm Deus non esset ( ex Theodoreto, lib. 2. Hæreticarum Fabularum cap. 4. )

Artemonis porro discipuli suum errorem traditione firmatum esse impudenter effutiebant, quæ primùm à Zephirino interrupta fuisset ( ut restatur Author Anonymus libri contra hanc hæresim editi, apud Eusebium, lib. 5. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 27. ) qui Author hanc Hæreticorum illorum insolentem jactationem, & putidam calumniam sic refellit : *Aiunt isti, omnes majores nostros, & ipsos Apostolos, ea quæ ipsi jam affirmant, non modò à Domino accepisse : verum etiam alios eadem docuisse, & veram prædicationis rationem usque ad Victoris tempora, qui decimus tertius à Petro Romæ Episcopus fuit, integrè servatam illam quidem, sed à Zephirino illius successore penitus corruptam, & depravatam fuisse. Atque profectò quod ab illis dicebatur, multum fortasse videri potuisset habere probabilitatis, nisi primùm sacræ Scripturæ testimonia illis contradicerent : deinde fratrum quorumdam scripta superessent, Victoris temporibus multò antiquiora : quæ illi tum contra Gentiles pro veritatis defensione, cùm contra hæreses, quæ id temporis grassabantur, scripserunt : ut Justini, Miltiadis, Tatiani, Clementis, & aliorum nonnullorum ; in quorum omnium libris Christus verè Deus esse confirmatur. Quis Irenæi, quis Melitonis, quis cæterorum libros ignorat, qui Christum Deum & hominem constanter asseverant? Quot item Psalmi, quot Hymni à fratribus fidelibus antiquitus præscripti, qui Christum Verbum Dei, verum Deum esse, concentu quodam celebrant? Cùm igitur ex tot annorum spatio Doctrina Ecclesiastica verè annuntiata fuerit, quomodo fieri potest, ut illi Patres, qui ad Victorem usque vitam produxerunt, sic, ut illi asserunt, prædicaverint? Aut quomodo non illos pudet hæc Victori tam falsò objectare? Præsertim cùm exploratè cognitum habeant Victorem, Theodotum illum Coriarium ( qui primus Christum solùm hominem dicebat ) ducem & quasi parentem hujus impiæ & execrandæ à fide defectionis, Christum Deum pernegantis, Christiana Communione interdixisse. Quod si Victor eadem sentire cum illis visus fuisset, quo pacto, aut qua ratione adductus Theodotum, hujus erroris inventorem, ab Ecclesia ejicere in animum induxit?*

Hæc operæ pretium duxi referre, quia Socinianorum errorem profligant, Christi Divinitatem negantium, contendentiumque trium priorum sæculorum Patres tam nefario dogmati non refragari.

## ARTICULUS XI.

*De Apelle, & ejus Hæresi.*

APelles Marcionis discipulus, præter alios errores, quos cum ipso communes habuit, à virgine quadam Philumene, revelationes & miracula mentiente, deceptus ac depravatus, finxit Filium Dei è cœlo descendentem, sibi corpus ex quatuor elementis compegisse, quibus in Cœlum ascendens reddidit quæ ab iis mutuatus fuerat, solam in Cœlos animam inferens ( Ex Authore Appendicis ad librum Tertulliani de Præscriptionibus cap 51. ex Sancto Epiphanio Hæresi 44. & ex Sancto Augustino lib. de Hæresibus. ) De Apelle vetus Tertullianus ita scribit lib. de Præscriptionibus cap. 6. *Providerat jam tunc Spiritus Sanctus futurum in Virgine quadam Philumene Angelum seductionis, transfigurantem se in Angelum lucis, cujus signis & præstigiis Apelles inductus, novam hæresim induxit.* Et cap. 30. *Si & Apellis stemma retractandum est,* inquit, *tam non vetus & ipse, quàm Marcion institutor & præformator ejus : sed lapsus in fœminam, desertor*

continentia

*continentia Marcionensis, ab oculis sanctissimi Magistri Alexandriam secessit. Inde post annos regressus non melior, nisi tantum quia jam non Marcionites, in alteram fœminam impegit, illam virginem Philumenem, quam supra edidimus, postea vero immane prostibulum & ipsam, cujus energemate circumventus, quas ab ea didicit, phanerosis scripsit.*

De Philumene, quam ex memoriæ lapsu vitiis etiam maximis contingente, Severo tribuit, non Ap. lli, ita scribit Sanctus Augustinus lib. de Hæresibus: *Hic præterea Philumenem quamdam puellam dicebat divinitus inspiratam ad prænuntianda futura, ad quam somnia atque æstus sui animi referens, divinationibus, seu præsagiis ejus secretim erat solitus præmoneri, eodem phantasmate eidem Philumenæ pueri habitu se demonstrante, qui puer apparens, Christum se aliquando esse assereret, aliquando Paulum: à quo Phantasmate sciscitans, ea soleret respondere, quæ se audientibus diceret. Nonnulla quoque illam miracula operari solitam, inter quæ illud præcipuum, quod in angustissimi oris ampullam vitream panem grandem immitteret, eumque extremis digitulis levare soleret illæsum, eòque solo, quasi divinitus sibi dato cibo fuisse contenta.*

2. Apelles Prophetarum oracula ex spiritu sibi ipsi repugnante edita fuisse effutiebat. (Ex Rhodone Asiatico, apud Eusebium lib. 5. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 13.)

Apellem impugnavit Rhodon inter Scriptores Ecclesiasticos celeberrimus. De cujus cum dicto Hæresiarcha congressu, lege Eusebium loco mox citato. Scripsit adversùs palmarem ejus errorem, quo Filium Dei ex elementis corpus sibi concinnasse asserebat, Tertullianus lib. de Carne Christi. cap. 6. 7. & 8. Lege & Sanctum Epiphanium. Hæresi 44.

Emersit Apellis Hæresis sub Imperio Antonini Pii, & Pontificatu Telesphori, circa annum Christi 146.

## ARTICULUS XII.

### *De Hæresi Adamitarum.*

PRodicus è Gnosticorum schola, infamem Adamitarum Sectam instituit. Hi suis in conventiculis, omni pudore deposito, nudi suos ritus obibant. Uxorum communio, decretum erat sectæ: promiscuus concubitus, mystica initiatio. Si quis, eorum judicio, in culpam lapsus videretur, hunc è sua extrudebant Ecclesia, ut Adamum è paradiso: Suam namque Ecclesiam paradisi nomine exornabant. Hos irridet, ac refellit Sanctus Epiphanius, Hæresi 52. De bis etiam Theodoretus, lib. 1. Hæreticarum Fabularum cap. 6. & Sanctus Augustinus lib. de Hæresibus ad Quodvultdeum; ubi addit, *Ipsos nuptias aversatos fuisse, quia nec priusquam peccasset Adam, nec priusquam dimissus esset de paradiso, cognovit uxorem. Credebant ergo quòd nuptiæ futuræ non fuissent, si nemo peccasset.*

## ARTICULUS XIII.

### *De Ophitarum Hæresi, ac Sethianorum.*

I. OPhitæ, Valentinianorum soboles, Euphratem quemdam suæ impietatis authorem habuerunt. (Ex Origine lib. 6. contra Celsum) Christum in serpentis speciem transformatum effutiebant, sive hunc ipsum serpentem esse, qui Adamum & Evam decepetit. (Ex Sancto Epiphanio Hæresi 37. ex Theodoreto lib. 1. Hæreticarum Fabularum cap. 14. & ex Sancto Augustino lib. de Hæresibus ad Quodvultdeum.) Serpentem propterea adorabant: & in mensam ubi proposita panes erant, incantationibus quibusdam, è spelunca in qua nutriebatur, advocatum, & circa panes illos gyrantem osculabantur, atque ita suam confici Eucharistiam dicebant. (Ex iisdem Patribus) Asserebant proinde Christum in substantia carnis non fuisse. (Ex Authore appendicis ad lib. Tertulliani de de Præscriptionibus cap. 47.) Ipsos Jesum à Christo distinxisse, author est Theodoretus; & asseruisse, Jesum quidem ex Virgine natum, Christum autem de cœlis in ipsum descendisse. Hinc Jesum execrabantur, quotquot sectæ nomen dabant, ut testatur Origenes, lib. 6. contra Celsum, diluens calumniam quam affingebat Christianis de religione erga serpentem. *Tale quiddam*, inquit, *Celsus mihi videtur prastruens, dixit à Christianis Deum creatorem vocari execrabilem, ut qui hujus calumniis credat, Christianos, tanquam extremè impios, ad internecionem prosequatur odio. Hic miscens & confundens omnia, quasi causam redditurus, cur Deus ille, juxta Mosem mundi creator dicatur execrabilis ab hujus opinionis authoribus, ait hoc ideo factum, quia execratus est serpentem, qui primis hominibus boni malique scientiam indidit. Atqui debuerat scire, istos, quibus serpens placet, ut bonus primorum hominum consiliarius, Titanibus, & Gigantibus magis impios, Ophianos ob id vocatos, tantùm abesse ut Christiani sint, ut non minùs quàm Celsus, Jesum accusent, nec quemquam admittant in suum sodalitium, nisi priùs Jesum execratus fuerit. Vide quàm absurdè Celsus faciat, in oratione contra Christianos admiscens ut Christianos, qui ne nomen quidem Jesu audire sustinent, vel quatenus vir bonus fuit, & sapiens. Quid igitur stultius, vel serpentem pro authore bonorum habentibus, vel Celso qui quod in Ophianos jaculatur, putat in Christianos cadere?*

II. Ophitas eosdem cum Sethianis fuisse existimat Theodoretus. Sanctus Epiphanius diversos numerat: ita tamen ut non magno invicem discrimine separentur. De his agit Hæresi 39. Refert ipsos Sethum Adami filium existimâsse Christum esse: duo hominum admisisse genera, quorum unum à Caino, alterum à Setho duceret originem; & multis libris Apocryphis usos esse.

## ARTICULUS XIV.

### *De Cainanorum Hæresi.*

CAinani è Valentini etiam castris prodierunt. Cainum à potentiori quadam virtute derivatum prædicabant, nec non & Esau, Core, Dathan, & Abiron; & Sodomitas: Abelum verò ab imbecilliori virtute prodiisse. Quapropter impios illos ac reprobos venerabantur. 2. Judam Iscariotem colebant, nonnulli quòd prodidisset Christum Legis instituta violantem & antiquantem; alii, quòd Christum, licèt optimum, Judæis tradendo, saluti nostræ consuluisset: unde magnas ipsi referendas esse gratias asserebant. 3. Evangelium sub nomine Judæ proditoris obtrudebant, & sequebantur. 4. Cum Carpocrate sentiebant, neminem salutem consequi posse, nisi qui omnia flagitia implevisset. 5. Pro variis impudicitiæ formis fingebant Angelos quosdam, qui nefandis illis facinoribus colerentur: & cùm illa perpetrabant, illum invocabant Angelum, qui flagitio præesset, suam illi intemperantiam & libidinem offerentes. 6. Perfectam scientiam in iis operationibus positam asserebant, quas ne nominare quidem fas est. (Ex Sancto Irenæo, lib. 4. adversùs Hæreses, cap. 35. Sancto Epiphanio, Hæresi 38. Theodoreto, lib. 1. Hæreticarum Fabularum cap. 15. Authore appendicis ad librum Tertulliani de Præscriptionibus,

Oo iij cap.

cap. 47. ) 7. Blasphemabant Legem, & Deum Legis Authorem, carnisque resurrectionem negabant. ( Ex Sancto Augustino, lib. de Hæresibus ad Quodvultdeum ) 8. Baptismum ad salutem necessarium esse illi Hæretici negabant. Hoc errore Quintilla mulier pestilentissima, Tertulliani temporibus, plerosque infecit, ut testatur ipse libro de Baptismo, cap. 1. *Atque adeo nuper*, inquit, *conversata istic quadam de Caina Hæresi vipera venenatissima, doctrinâ sua plerosquè rapuit, in primis baptismum destruens: planè secundum naturam: nam fere viperæ & aspides, ipsique reguli serpentes, arida & inaquosa sectantur. Sed nos pisciculi secundum ἰχθὺν nostrum Jesum Christum in aqua permanendo salvi sumus. Ista Quintilla monstrosissima, cui nec integrè quidem docendi jus erat, optimè norat pisciculos necare, de aqua auferens.*

## ARTICULUS XV.

### *De Hermogene, & ejus Erroribus.*

HErmogenes, cadente secundo Sæculo à Christianis ad Stoïcos Philosophos defecit. Ejus error palmaris in eo fuit, quòd assereret materiam esse ingenitam & infectam, Deoque coæternam. De eo Tertullianus, qui ipsum adhuc spirantem impugnavit, ita scribit, lib. adversùs Hermogenem, cap. 1. *Hermogenis autem doctrina tam novella est, denique ad hodiernum homo in sæculo, & naturâ quòque hæreticus etiam turbulentus: qui loquacitatem facundiam existimet; & impudentiam, constantiam deputet, & maledicere singulis, officium bonæ conscientiæ judicet. Præterea pingit illicitè; nubit assiduè, legem Dei in libidinem defendit, in artem contemnit, bis falsarius, & cauterio, & stylo, totus adulter, & prædicationis, & carnis, siquidem & nubentium contagio fœtet: nec ipse Apostolicus Hermogenes in regula perseveravit. Sed viderit persona, cum doctrina mihi quæstio est. Christum Dominum non alium videtur cognoscere, alium tamen facit, quem aliter cognoscit, immo totum quod est Deus, aufert, nolens illum ex nihilo universa fecisse. A Christianis enim conversus ad Philosophos, de Ecclesia in Academiam & Porticum, inde sumpsit à Stoïcis materiam cum Domino ponere, quæ ipsa semper fuerit, neque nata, neque facta, nec initium habens omnino, nec finem; ex qua Dominus omnia postea fecerit.*

Ignarum fuisse Hermogenem idem Tertullianus testatur cap. 3. cùm ait: *Adjiciam & ego propter non intelligentes, quorum Hermogenes extrema linea est*, &c. & cap. 45. *Hermogenes eundem statum describendo materiæ, quæ est ipse; inconditum, confusum, turbulentum, ancipitis, & præcipitis, & fervidi motus, documentum artis suæ dum ostendit, ipse se pinxit.* Asserunt præterea hic Hæresiarcha: *Christi corpus in sole depositum esse: diabolum autem & dæmones in materiam refundendos.* ( Ex Theodoreto, lib. 1. Hæreticarum Fabularum cap. 19. ) Sabellium eum etiam errorem propugnasse Author est Sanctus Augustinus, lib. de Hæresibus.

Hanc Hæresim impugnarunt, Tertullianus toto libro adversùs Hermogenem, Eusebius Cæsariensis, lib. 7. de Præparatione Evangelica; cap. 19. 20. 21. & 22. & Lactantius, lib. 2. Divinarum Institutionum, cap. 9.

## CAPUT IV.

### *De Authoribus Ecclesiasticis, qui secundo Nominis Christiani Sæculo floruerunt.*

SEcundo Sæculo Ecclesiam scriptis illustrarunt suis, Papias, Quadratus, Aristides, Sanctus Justinus, Tatianus, Hegesippus, Melito, Philippus Gortinensis, Modestus, Musanus, Apollinaris Hierapolitanus, Dionysius Corinthius, Theophilus Antiochenus, Rhodon, Athenagoras, Miltiades, Serapion, Irenæus, Pantenus, Apollonius, Clemens Alexandrinus, Tertullianus, & alii, de quibus agemus sequentibus Articulis.

## ARTICULUS I.

### *De Papia, Quadrato, & Aristide.*

SAnctus PAPIAS Joannis Senioris, non Apostoli auditor, Hieropolitanus in Asia Episcopus, Sancti Polycarpi familiaris, Libros quinque edidit, qui *Expositio sermonum Domini* inscribuntur. Apostolorum dicta ab his, qui cum illis versati fuissent, fatetur se excepisse. Aristionis autem & Joannis Presbyteri se fuisse auditorem. Hic fabulæ de millenario Christi regno Author fuit. De eo agunt Eusebius, lib. 5. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 33. & Sanctus Hieronymus in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum, in Papia.

II. QUADRATUS Apostolorum Discipulus, Apologiam, pro Religione nostra à se conscriptam, porrexit Adriano Imperatori, librum valde utilem, plenumque rationis, ac fidei, & Apostolicâ doctrinâ dignum: quem se præ manibus habuisse testatur Eusebius. Nec Apologiam tantùm Imperatori obtulit: sed Oratione coram habita ipsum compellavit, ut persecutionem in Christianos æstuantem compesceret: quod ipsum obtinuisse Sanctus Hieronymus testatur Epistolâ 84. ad Magnum Oratorem Romanum data. Lege Eusebium lib. 4. Historiæ cap. 3. & Sanctum Hieronymum in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum in QUADRATO.

Distinguendus est *Quadratus* iste ab altero cognomine Atheniensium Episcopo, *Publii* successore, cujus meminit *Eusebius* libro IV. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. XXIII. quamquam illos confuderint *Sanctus Hieronymus* in Catalogo, & Epistolâ LXXXIV. ad *Magnum*, Venerabilis *Beda*, & Græcorum Menologia: sed confundendos non esse rectè probat *Valesius*; tum quia prior iste Christianæ Religionis Apologista Episcopus non fuit, ut constat ex *Eusebio* libro III. cap. XXXVII. & lib. IV. cap. III. tum quia discipulus fuit Apostolorum, floruitque Imperante *Adriano*, alter verò *Antonini* Imperatoris tempore.

III. ARISTIDES Atheniensis Philosophus eloquentissimus, Apologiam pro fide nostra eidem Imperatori obtulit, Philosophorum sententiis contextam. ( Ex Eusebio ibidem, & Sancto Hieronymo, in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum cap. 31. )

ARTICULUS II.

### *De Sancto Justino.*

JUSTINUS Prisci Bacchii filius, patriam habuit Neapolim urbem Palæstinæ; Romæ commoratus, sermonibus pariter ac vita, pariter ut habitu, Philosophum egit. Crescentem Cynicum adversarium habuit, cum ipsi, tum vitæ, cultuique ac religioni ejus obnitentem, à quo tandem insidiosè accusatus, Martyrium oppetiit (ut supra diximus, agendo de persecutione Marci Aurelii, & L. Veri) Floruit circa annum Christi 142. ad annum 165. quo Martyrio coronatus est. Qua ratione omnes Philosophorum Scholas atque Sectas scrutatus fuerit, & potissimùm sese addixerit Platonicæ Philosophiæ, ac tandem Philosophiæ vanitate cognita, sese contulerit ad lectionem Prophetarum, incogniti cujusdam senis congressu & colloquio excitatus: atque inde veram Philosophiam, hoc est Christi fidem hauserit, narrat ipse initio Dialogi cum Tryphone; quam narrationem cum fructu maximo nemo non leget. Hanc porro sic concludit: *Confestim verò in animo meo ardor excitatus est, & amor me invasit Prophetarum, & virorum illorum, qui Christo chari sunt & amici, ac revolutos ipse mecum sermones illius, hanc ipsam solam comperi esse certam, atque utilem Philosophiam, atque ad hunc modum, & per hæc ipsa, ego Philosophus prodii. Pervelim profectò omnes eandem mecum ineuntes animo rationem, non alienos esse à Servatoris doctrina. Timorem namque quendam in se habet, & idonea est ad terrendos, persuadendosque eos, qui à recta transversim sunt acti via: & qui in ea se exercent, suavissima eis contingit quies.*

De Scriptis Sancti Justini ita scribit Eusebius, lib. 4. cap. 17. *Hic Justinus multa sanè, & præclara sui ingenii sacrarum literarum cognitione accuratè informati, & in eisdem valde diligenter exercitati monumenta nobis reliquit, eaque certè plena utilitatis, & commodi cujusque generis.*

*S. Justini Opera.*

Hæc autem genuina sunt sanctissimi Philosophi & Martyris Opera: Apologia duplex pro Christiana Religione, una Aotonino Pio Imperatori, & filiis ejus, Romanoque Senatui dicata; altera ejus Successoribus, M. Antonino Vero, & L. Aurelio Commodo. Item Cohortatio duplex ad Græcos, quam nomine voluminum, seu librorum contra Gentiles, Eusebius & Sanctus Hieronymus significarunt. 3. Liber de Monarchia Dei, qui modò non extat. 4. Liber inscriptus Psaltes, quem pariter tempus nobis invidit. 5. Commentarios de Anima, qui pariter desideratur. 6. Dialogus seu Disputatio habita Ephesi cum Tryphone Judæorum tunc temporis facilè Principe, in qua ex Oraculis Prophetarum, Christum esse verè Deum, & verum Messiam disertissimè probat. 7. Libri contra Marcionem quorum meminit Sanctus Irenæus lib. 5. adversus Hæreses. 8. Liber contra omnes Hæreses, cujus ipse meminit Justinus, in Apologia Antonino Pio Imperatori oblata. Sed hi libri temporum injuriâ perierunt. Hæc Sancti Justini Opera recensent Eusebius lib. 4. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 17. Sanctus Hieronymus in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum cap. 34. Photius in Bibliotheca Codice 125. Addit Photius Tractatum à Justino editum, contra primum & secundum librum Physicæ Auscultationis, sive contra formam, materiam, & privationem: itidemque contra quintum illud corpus, motumque sempiternum, quem vi rationum suarum Aristoteles peperit: Quæstionum denique contra Christianam Religionem summarias solutiones. Ex quibus colligitur, Aristotelicorum Dogmatum eversionem Sancto Justino inscriptam, non esse genuinum ejus Opus; siquidem non primum duntaxat & secundum Physicæ Auscultationis librum, verumetiam tertium, quartum, quintum, & octavum; & insuper primum, secundum, & tertium librum de Cœlo impugnat, & evertere conatur.

*Liber De Monarchia, dubius, non est S. Justini.*

II. Extat liber de Monarchia Sancto Justino adscriptus: sed Justini non esse germanum Opus Viri Eruditi contendunt. Primò quia eundem non præ se fert titulum quem liber ab Eusebio, & à Sancto Hieronymo memoratus. Ille enim inscribebatur, *de Monarchia Dei*: hic verò simpliciter, *de Monarchia*. Secundò, quia hujus libri Author ex solis Poëtarum Græcorum testimoniis illum compegit, & adornavit: Justinus verò suum de Dei Monarchia librum non solùm testimoniis ex Gentilium libris petitis, sed etiam *ex sacris Literis quæ apud nos sunt*, roboravit (teste Eusebio, lib. 4. Historiæ cap. 17.) unde cùm ne unus quidem sacrarum Scripturarum apex in eo qui extat sub nomine Sancti Justini, de Monarchia, libro citetur, constat illum Pseudepigraphum esse.

*Liber Quæstionum Christianarum ad Græcos, S. Justino affictus.*

III. Liber Christianarum ad Græcos Quæstionum, Græcarumque Responsionum, & earum responsionum confutationis, Sancto Justino falsò affictus est. Meminit namque non semel hæreseos Manichæorum, & eam impugnat; cùm Justinus integro & ampliùs sæculo Manichææ hæresis exordia anteverterit. Deinde hujus libri stylus longè stylo Sancti Justini dissimilis est, de quo Photius, loco supra citato suæ Bibliothecæ scribens, hæc habet: *Est autem vir ille ad Philosophiæ, tum nostræ tum potissimùm profanæ summum evectus fastigium, multiplicisque eruditionis, & historiarum copiâ circumfluens. Sed Rhetorico artificio nativam Philosophiæ suæ pulchritudinem colorare haud studio habuit. Quamobrem etiam oratio ejus, pollens alioqui ac valida, scientificumque servans stylum, Rhetorica illa condimenta non spirat; nec illecebris, & blandimentis vulgus auditorum attrahit.*

*Expositio Fidei de sancta & consubstantiali Trinitate, falsò præfert S. Justini nomen.*

IV. Expositio fidei de recta confessione, sive de sancta consubstantiali Trinitate, non est genuinum Justini Opus. Id probat eloquens Veterum silentium, qui Justini Opera recensentes, illius non meminerunt, cum tamen in controversiis de Trinitate multùm habitura ponderis esset illis temporibus Justini authoritas. Secundò, vocabula *apxoíous*, *τρεῖς μονάδας*, Justino non conveniunt, qui has voces in genuinis libris nusquam usurpavit, cùm tamen de Trinitatis adorandæ mysterio, ac divinis Personis interdum egerit. Tertiò è priorum trium sæculorum Patribus nemo tam perspicuè disserit de Trinitate. 4. Hæ sententiæ ex Niceni Concilii Symbolo, & ex Symbolo Sancti Athanasii videntur excerptæ: *Ille siquidem* (Filius) *lumen de lumine geniti modo reluxit: hic verò de lumine lumen & ipse, non geniti, sed procedentis modo progressus est. Ita nos cum Patre coæternum, ita substantia unum, & eundem...... ita in Trinitate unitatem, & in unitate Trinitatem cognoscimus.* Nonne enimverò hæc eadem ferè sunt verba, idemque omnino sensus cum his Niceni Symboli; *Deum de Deo, lumen de lumine...... genitum non factum, consubstantialem Patri?* & cum his Athanasiani Symboli, *Ut unum Deum in Trinitate, & Trinitatem in unitate veneremur.*

5. Incarnationis Mysterium nullibi apud Patres clariùs explicatum videtur, quam hoc in Opere. Nullibi naturæ divinæ & humanæ distinctio post unionem luculentiùs asserta, & nitidioribus exemplis illustrata: nullibi inhabitatio Verbi in humanitate assumpta clariùs exposita est. Unde

colligitur

colligitur hoc Opus exaratum fuisse post ortum Nestorianæ, & Eutychianæ hæreseos, maximè cùm disertè impugnet quosdam asserentes Corpus Christi in Deitatis substantiam conversum fuisse, quod nemo ante Eutychem asseruit. Certè si Justini esset, illud laudassent Ephesini, & Chalcedonenses Patres, cùm nihil ex Ecclesiastica traditione proferre potuissent adversùs illos Hæresiarchas illustrius aut firmius. At nemo illius meminit ante Leontium Byzantinum & Eutymium Zigabenum. Denique stylus hujus Operis nitidior est stylo Sancti Justini in utraque Apologia, in Cohortationibus ad Græcos, & in Dialogo cum Tryphone. Istud tamen Opus Authoris est Orthodoxi & eruditi.

*Quæstiones & Responsiones ad Orthodoxos, non sunt S. Justini.*

V. Quæstiones & Responsiones ad Orthodoxos, non sunt genuinus Sancti Justini fœtus. Id probat Veterum silentium. 2. Manicheæ, quæ integro post Sanctum Justinum sæculo exorta est, hæreseos mentio Quæst. 127. 3. Citatio Sancti Irænei Martyris & Episcopi Lugdunensis, in libro de Paschate, (Quæst. 115.) & Origenis, in Hebraicorum nominum interpretatione, (Quæst. 82. & 86.) cùm uterque Justino posterior fuerit. 4. Justini temporibus nondum in orbe invaluerat nominis Christiani professio, aut superiores Græcis erant Christiani in urbibus, nec prohibita erant Gentilium Sacra. Non scripsit itaque Sanctus Justinus quod legitur, Quæstione 126. *Christianis autem invalescentibus, nefaria hujusmodi Græcorum sive Paganorum Sacra sunt prohibita. Ex talibus ergo rebus, tanquam quibusdam notis, Christianorum sanctitatem dignoscere oportet, & non ex frugum affluentia, & adspeciis, non ex urbibus, & agris. Tantò verò & his Christianissimis temporibus abundat mundus magis, quantò nunc ille minùs bellis etiam conflictatur, quàm ante conflictabatur, Paganismo dominante.* Lege & Quæstionem 74. 5. Verus Justinus, patriâ Samaritanus, non ignorasset significationem vocis Hebraicæ, *Osanna*, quam Author harum Responsionum ait significare *magnificentiam excellentem*, cùm non ea sit istius vocis notio, sed longè alia, scilicet, *Salva quæso*, quam Interpres de suo adjunxit, cùm in Græco textu non extet.

6. Personas consubstantiales in adoranda Trinitate dixisse Sanctum Justinum, quis facilè credat, cùm nomen ὁμοούσιον ante Concilium Nicænum Ecclesiæ usu consecratum non fuerit, nec ab aliquo Patrum ante Dionysium Alexandrinum usurpatum legatur? Certè Sanctus Athanasius, & alii Consubstantialitatis vindices hanc Quæstionis 129. interrogationem, *Quomodo Deus incompositus dicetur è duabus personis, quæ intelligentia consubstantiales esse perhibentur?* velut fulgentissimam gemmam suis adversùs Arianos scriptis inseruissent, si tunc extitisset illud Opus, & fuisset Justini Martyris genuinum.

7. Quomodo in Ecclesia Antiochena Meletii & Paulini tempore tam grave dissidium ortum esset ob significationem ὑποστάσεως, & Catholici Meletianæ Communionis eos qui Paulino adhærebant, eaque voce ad significandam personam utebantur, velut Arianos sugillassent, si verus Justinus τριάδα τῶν ὑποστάσεων, scripsisset; ut scribit Author hujus Operis in Responsione ad Quæstionem 17.

8. Quomodo Sanctum Cyrillum & Ephesinos Patres fugissent illa verba Responsionis ad Quæstionem 67. *Nativitas Christi juxta carnem, per genealogiam & generis seriem describitur, & modus ejus in scriptum velata narratione exponitur: ex Spiritu quippe Sancto & Maria Virgine?* Quomodo, inquam, verba illa non protulissent contra Nesto-A rium, ad probandum Beatam Mariam Virginem esse Deiparam, si tunc extitisset illud Opus, & agnitum fuisset ut genuinum Justini?

9. Harum Quæstionum & Responsionum Author, in Responsione ad Quæstionem 142. Angelos Dei nomine Moysi & Jacob apparuisse scribit, qui propter commissum sibi munus, Dei nomine insignirentur. Quod è regione pugnat cum vero Justino asserente, Filium ipsum Dei apparuisse Patriarchis, qui & Angelus fuerit dictus, sive nuncius missus à Patre, & verus Deus. Lege Dialogum cum Tryphone, pag. 356. & seq.

10. Indignum Sancto Justino figmentum quis non videat, quod legitur in Responsione ad
B Quæstionem 71. *Ex multis Scripturæ locis conjicere licet, veros esse qui dicunt, sexies mille annorum esse præsentis mundi status tempora: cùm nonnunquam dicit, Extremis hisce diebus locutus est nobis per Filium; quandoque, In quos termini ætatum inciderunt; aliquando, Ubi venit plenitudo temporis: omnia enim dicta ista in sexto prolata sunt millenario annorum ordine.*

Ex his itaque colligendum est, Quæstionum contra Christianam Religionem summarias solutiones, quas Justino tribuit Photius, vel alias esse ab hoc Opere, vel illud Photii temporibus jam
C fuisse Sancto Justino suppositum. Quod ultimum ægrè mihi persuadeo: quomodo enim Photius, tam accuratus vir criterii, imposturam ità evidentem non animadvertisset?

*Epistola ad Zenam & Serenum, supposita est Sancto Justino.*

VI. Epistola de Vitâ Christianâ ad Zenam, & Serenum supposita est Sancto Justino. Id ostendit styli dissimilitudo, non enim pollens est, validus, ac scientificus illius Epistolæ stylus, qualem aliorum Operum Photius commendat: sed humilis nimiùm, simplex, & qui Patrem eruditissimum non redoleat. 2. Hujus Epistolæ nusquam meminere Veteres, qui catalogum Operum Ju-
D stini texuerunt; neque illius Zenæ & & Sereni ulla in Ecclesiasticis Historiis mentio; quos alioqui in Ecclesia spectatos, insignesque fuisse necessum est, si hanc ad illos Epistolam dederit Justinus. 3. Epistolam citat, quam se ad Papam scripsisse refert: atqui ævo Sancti Justini nullus demonstrabit nomen Papæ in usu fuisse, ut Romanus Pontifex significaretur: Neque unquam Episcopis delatum est, nisi proprio ipsorum nomine addito, quomodo Hieronymus scribit, *Beatissime Papa Augustine*: dicere namque, *Papam*, nomen proprium fuisse alicujus hominis ad quem scripserit Justinus (ut
E suspicatur Annalium Author) ariolari est. 5. Ait se scripsisse ad Papam de corruptione disciplinæ per traditionem hominum, & quorumdam pharisaicam præsumptionem. Quam bellè porrò hæc conveniunt nascentis ferme Ecclesiæ moribus! Quàm egregiè cum iis quadrant, quæ in Apologiis ad Principes de Christianæ Disciplinæ puritate, & Christianorum vita innocua scripserat! 6. Sententiæ illius Epistolæ prorsùs diffusæ sunt, nec ullo pacto cohærentes. 7. Vix Apostolum citat, vix oracula Salomonis; cùm in utriusque libris maximè tractentur Christianæ vitæ præcepta,
F quæ hîc exponere intendit illius Epistolæ Author. 8. Ait, se ad illos scribere, ut puerilem nonnullorum vivendi consuetudinem cognoscant. An quæso pueriliter duntaxat vivere est, sceleratè & impiè vivere?

VII. Epistola ad *Diognetum* non indigna Justino est, nec ullum suppetit argumentum, quo ipsi abjudicetur, præter silentium Veterum: quod non omninò convincit Opus supposititium esse, nisi aliis momentis juvetur.

*Apologia secunda edita, revera prima est.*

VIII. Nota Apologiam Sancti Justini, quæ prior inscribitur, & ad Senatum data, revera posteriorem

posteriorem esse, nec soli porrectam Senatui, sed Imperatoribus; M. Aurelio, & L. Vero; eam verò, quæ inscribitur secunda, ad Antoninum Pium, revera primam esse. Id omninò constat ex Eusebio, Sancto Hieronymo, & Photio, locis supra citatis, ubi testantur Sanctum Justinum priorem pro Christianis Apologiam Antonino Pio; posteriorem, post ejus mortem, Aurelio ac Vero Imperatoribus exhibuisse. Deinde Eusebius lib. 4. Historiæ cap. 15. verba quædam ex secunda Apologia commemorat: quibus mortem sibi à Crescente Cynico impendere dixit, quæ in ea leguntur, quæ primo loco habetur inter Opera Justini, & ad Senatum inscripta est. B Illa igitur est secunda, non prima.

Dices. Eusebius, cap. 16. Christianæ mulieris Historiam quamdam ex priore Justini Apologia recenset, quæ in prima hodierna continetur. Ergo hæc revera prima est.

*Respondeo*, Librariorum incuriâ & oscitantiâ τῷ δευτέρῳ pro τῷ πρώτῳ, irrepsisse: nam perspicuè secundam illam esse significat Eusebius, quam nos primam facimus; primam autem, quæ nobis est secunda (ut ex cap. 11. libri mox laudati constat) ubi ejusdem Apologiæ 1. titulum C refert omninò eundem cum illo qui præfixus est Apologiæ, quæ inter Opera Justini secunda legitur. Hanc tamen Apologiam secundam *Antonino Pio*, Imperatori, non verò ejus successori *M. Aurelio*, ut asserit *Eusebius*, oblatam fuisse, *Valesius* contendit ad cap. XVII. lib. IV. Eusebianæ Historiæ, tribus potissimùm fretus argumentis. 1. Quòd in hac Apollogia libellus dicatur à muliere Imperatori oblatus: Non ergo, inquit, *Antonini Pii* successoribus; aliàs *Justinus* in plurali numero *Imperatoribus* dixisset: *Marcus* enim & *Verus* simul erant Augusti. 2. Quòd hæc D *Lucii* Martyris verba, *Non hæc decent Imperatorem Pium, non Philosophi Cæsaris Filium*, quæ optimè *Antonino Pio* congruunt, de *Marco* intelligi non possint. 3. Quòd *Urbicius* sive *Urbicus* Præfectus, cujus meminit *Sanctus Justinus* in Apologia, sub *Pio* vixerit; idem quippe fuerit, qui apud Capitolinum in *Pio*, Apuleium in Apologia, & *Gruterum* pag. 38. *Quintus Lollius Urbicus* appellatur. Verùm Eusebii, Sancti Hieronymi, & Chronici Alexandrini testimonio firmata veritas his argumentis non convellitur, quibus respondere haud operosum est. Primò enim Mulier libellum Imperatori E obtulisse dicitur, quòd tunc *Lucius Verus* Marci Aurelii Collega ab urbe Roma abesset. Ipsum enim statim atque à *M. Aurelio* in Imperii consortium assumtus est, adversùm Parthos, quorum Rex *Vologesus* Bellum Romanis indixerat, profectum esse, & hac occasione quatuor saltem annos in Syria egisse, testes sunt Julius Capitolinus & Dio Xiphilini in Vita *L. Veri*. Quòd verò nomen *Pii* etiam *M. Aurelio* Antonini Pii Filio tributum fuerit, nihil mirum. Quid si *Pium* appellavit *Lucius*, non quòd proprium ejus nomen fuerit, sed ut ipsum qui humanissimi Principis laudem affectabat, ab Innocentium Christianorum F persecutione avocaret. Denique quamvis concedatur *Urbicium à Sancto Justino* memoratum eumdem fuisse qui sub *Antonino Pio* Urbis Præfecturam gessit, nihil prohibet quin eumdem Magistratum sub illius successoribus gesserit.

## ARTICULUS III.

*De Tatiano, Hegesippo, & Melitone.*

I. TATIANUS Assyrius vir planè cum primo ætatis suæ flore Græcis disciplinis deditus, tum in iisdem postea non exiguam gloriæ amplitudinem consecutus, sicut & eloquentia singulari, Justini Martyris discipulus fuit, celebris in Ecclesia, quamdiu ab ejus latere non discessit. Infinita scripsit volumina, è quibus unus contra Gentes florentissimus extat liber, qui inter omnia ejus Opera fertur insignis. Habetur ad calcem Operum Sancti Justini & Tom. 1. Biblioth. Patrum Græco-Latinæ. Floruit sub Imperatoribus M. Antonino Vero, & L. Aurelio Commodo. Hujus meminerunt Eusebius, lib. 4. Historiæ cap. 15. & Sanctus Hieronymus in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum cap. 40.

II. S. HEGESIPPUS qui Aniceti & Eleutheri Romanorum Pontificum temporibus floruit, quinque libros Ecclesiasticæ Historiæ scripsit, sermone simplici, ut Apostolorum, quorum vitam sectabatur, dicendi quoque exprimeret caracterem. Perierunt hi libri magno Reipublicæ Christianæ detrimento. Quædam ex iis fragmenta refert Eusebius, lib. 2. cap. 22. lib. 3. c. 20. & 32. & lib. 4. Historiæ Ecclesiasticæ c. 8. & 12. Hujus meminit & Sanctus Hieronymus in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum cap. 33. Non est istius Hegesippi Historia Excidii Hierosolymitani 5. libris digesta, sed alterius junioris, qui post Constantini Magni tempora vixit.

III. MELITO Asianus, Sardensis Episcopus, floruit sub M. Antonino Vero Imperatore, cui Libellum pro nostra religione Apologeticum obtulit, ex quo nihil superest præter fragmentum ab Eusebio exscriptum libro IV. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. XXVI. Multa alia ipsius Opera recensent Eusebius ibidem, & Sanctus Hieronymus in Catalogo, quæ magno Ecclesiæ & rei Literariæ damno perierunt, scilicet libros duos *De Paschate*, librum unum *De recta vivendi ratione, & de Prophetis*: alium *De Ecclesia*: alium *De die Dominico*, Item librum *De Natura hominis*. Alium *De Formatione*. Alium *De obedientia sensuum Fidei*. Præterea, librum *De Anima & corpore & mente*: Librum *De Lavacro*: Librum *De Veritate*; Librum *De Generatione Christi*. Item alium *De Prophetia*; alium *De Hospitalitate*: alium qui *Clavis* inscribebatur. Ad hæc, *De Diabolo, & de Revelatione Johannis*. Item librum *De Incarnatione Dei*. In libro *De Paschate*, tempus ipsum quo scribebat in principio Operis sui adnotaverat his verbis: *Servilio Paulo Asiæ Proconsule, quo tempore Sagaris Martyrium perpessus est, magna controversia Laodiceæ excitata est de solemnitate Paschali, quæ tempestivè in illos dies inciderat. Quibus etiam diebus hæc à nobis perscripta sunt.* Hujus autem Libri meminit *Clemens Alexandrinus* in Opere suo *De Paschate*; quod quidem ut conscriberet, *Melitonis* librum causam sibi præbuisse testatur. Ejus Epistolam ad *Onesimum* Eusebius ibidem refert, in qua Librorum Canonicorum Veteris Testamenti Catalogum describit hunc in modum: *Ego igitur cùm in Orientem profectus essem, & ad locum ipsum pervenissem, in quo hæc prædicata & gesta olim fuerunt, Veteris Testamenti Libros diligenter didici, eorúmque Indicem infra subjectum ad te misi. Est autem ejusmodi. Mosis libri quinque, Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium, Jesus Nave,*

ejuſque ſecuti ſunt inſtituta, cùm ſe potiùs alteri illi Deo, qui videri oculis nequit, addicere debuiſſent. ( Ex Sanctis Irenæo, & Epiphanio, & ex Theodoretto, lib. 1. adversùs Hæreſes cap. 24. )

7. Teſtamentum vetus rejiciebat, tanquam à malo Deo prolatum, Novum ex animi ſui ſententia mutilabat, ſolum Evangelium Lucæ admittens, & truncatas Sancti Pauli Epiſtolas x. ( Ex Sanctis Irenæo, & Epiphanio, necnon ex Tertulliano, & Theodoreto. ) Sic autem habet Tertullianus lib. 1. cap. 19. *Separatio legis, & Evangelii, proprium & principale opus eſt Marcionis. Nam hæ ſunt antitheſes Marcionis, id eſt oppoſitiones, quæ conantur diſcordiam Evangelii cum Lege committere, ut ex diverſitate ſententiarum utriuſque Inſtrumenti, diverſitatem quoque argumententur Deorum.* Et lib. 4. cap. 1. *Omnem ſententiam, & omnem paraturam impii atque ſacrilegi Marcionis, ad ipſum jam Evangelium ejus provocamus, quod interpolando ſuum fecit.* Et lib. 5. cap. 21. de Epiſtula ad Philemonem ait: *Soli huic Epiſtolæ brevitas ſua profuit, ut falſarias manus Marcionis evaderet.*

Octavò, Marcion baptiſmum verbis Evangelicis non conferebat, id est, non baptizabat *in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, ſed violabat formam à Chriſto inſtitutam, aliis verbis, alioque ritu baptizans. Id conſtat ex Theodoreto, Epiſt. 145. ad Conſtantinopolitanos Monachos data, in qua teſtatur, ſe decem millia & ampliùs Marcionitarum ad fidem adduxiſſe, & baptizaſſe. *Mihi verò flere libet*, inquit, *ac lugere, quòd quæ dudum adversùs Marcionis labe corruptos argumenta protuli, convictoſque Dei beneficio plures decem millibus, ad ſanctum baptiſma perduxi, ea nunc in eos qui fidei noſtræ creduntur, exorta hæreſis proferre cogit.* Non fuiſſent porro baptizati à Theodoreto Marcionitæ, ſi verbis Evangelicis fuiſſent in ſua Secta baptizati. Quarto enim ſæculo cadente, jam ab omnibus Eccleſiis admittebatur baptiſmus ab hæreticis quibuſcumque, ritu à Chriſto inſtituto collatus.

Nec obſtat quòd Sanctus Cyprianus teſtetur Stephanum I. Romanum Pontificem, baptiſma Marcionis ratum habuiſſe. Non enim ita ſe res habet ut Cyprianus ſcripſit & exiſtimavit. Sed æſtu diſputationis & contentionis abreptus intulit, ex verbis Stephani decernentis, A quacunque hæreſi venientem non eſſe baptizandum, ſed tantùm manus illi imponendas in pœnitentiam: intulit, inquam, ex his verbis, Stephanum admittere baptiſma eorum etiam hæreticorum, qui ritu Evangelico, & Chriſti verbis non baptizabant. Sed non eſt aſſecutus ipſius mentem. Negabat enim duntaxat Sanctus Pontifex baptizandos eſſe à quacunque hæreſi venientes, ſi baptiſmum verbis Evangelicis conſecratum in ſua Secta recepiſſent.

Nec obſtat ſecundò quod ait Sanctus Auguſtinus lib. 3. de baptiſmo contra Donatiſtas cap. 15. *Si Evangelicis verbis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Marcion baptiſmum conſecrabat, integrum erat Sacramentum.* Propoſitio enim Sancti Auguſtini eſt hypothetica, non hiſtorica: id eſt, non aſſerit Marcionem baptiſmum verbis Evangelicis conſecraſſe, ſed ex hypotheſi quòd ita contulerit, baptiſmum ab eo collatum fuiſſe validum ac legitimum.

Marcion tertium etiam baptiſmum ad peccata diluenda concedebat: quod ad infamiæ ſuæ remedium excogitavit, quo ſe poſt ſtupri facinus, novo baptiſmate purgatum, & inter innocentes numerandum eſſe perſuaderet. ( Ex Sancto Epiphanio. )

10. Vivos pro mortuis baptizare conſueverant Marcionitæ, ( ex Sancto Chryſoſtomo Homiliâ 40. in 1. ad Corinthios. )

11. Mulierculis baptizandi poteſtatem faciebant, ( Ex Sancto Epiphanio. )

12. Marcion jejunium, & Sabbathum præcipiebat obſervari, & Sabbatho jejunandum eſſe ſanciebat, ne Dei Judæorum, qui die ſeptima ab omni opere ſuo requievit, ritibus uti videretur. ( Ex eodem. )

13. Myſteria ſua Catechumenis coram celebrabant Marcionitæ; in quibus aquam adhibebant, ( Ex eodem. )

14. Animatorum uſum Marcionitas damnaſſe, imò & omnes creaturas execratos fuiſſe, author eſt Theodoretus, idque comprobat exemplo. *Novi*, inquit, *eorum ſenem quemdam nonagenarium, qui manè ſurgens, ſputi ſui excremento faciem lavabat: & cauſam rogatus, dixit, Se opus nolle habere Creatore, nec aquam, quæ ex illius operibus eſt, accipere. Cùm autem præſentes dixiſſent: Quomodo ergo comedis, bibis, veſtiris? Dixit, Se neceſſitate ductum hoc facere, quòd aliter vivere non poſſet.*

15. Virginitatem prædicabat Marcion, quòd carnem à malo principio exortam propagari ulteriùs non debere aſſereret. ( ex Sancto Epiphanio ) Hinc conjugatos à baptiſmo arcebat, teſte Tertulliano, lib. 1. contra Marcionem, cap. 29. *Non tinguitur*, inquit, *apud illum caro, niſi virgo niſi vidua, niſi cœlebs, divortio baptiſma mercata, quaſi non etiam ſpadonibus ex nuptiis nata. Sine dubio ex damnatione conjugii inſtitutio iſta conſtabit.*

16. Ob odium carnis, quam deteſtabantur Marcionitæ, ceu à malo Deo conditam, in Martyrium præcipites ruebant. Hos enim videtur intellexiſſe Clemens Alexandrinus lib. 4. Stromatum p. 351. ita ſcribens: *Dicimus autem nos quoque, eos qui de induſtria mortem quærunt ( ſunt enim quidam non noſtri, ſed tantùm nominis participes, qui quidem magno ſtudio ſeipſos contendunt tradere, propter odium in Creatorem miſeri mortem cupientes ) eos, inquam, dicimus, ſeipſos è vita exigere abſque ullo Martyrio, ac teſtificatione, &c. ſi publicè puniantur. Fidelis enim teſtimonii non ſervant caracterem, qui eum, qui verè Deus eſt, non cognovere.*

Cæterùm Marcion, cùm pœnitentiam flagitaret, eique promiſſa fuiſſet communio, ea lege ut ad Eccleſiam reduceret quos ab ipſa abſtraxerat, morte præventus eſt, teſte Tertulliano, lib. de Præſcriptionibus, cap. 30. *Poſtmodum*, inquit, *idem Marcion pœnitentiam confeſſus, cùm conditioni data ſibi occurrit, ita pacem recepturus, ſi cæteros, quos perditioni erudiſſet, Eccleſiæ reſtitueret, morte præventus eſt.*

Scripſerunt contra Marcionem Sanctus Juſtinus, teſte Sancto Irenæo, lib. 4. adversùs Hæreſes, cap. 14. & Euſebio, lib. 4. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap. decimo, & 17. Sanctus Irenæus ipſe lib. 3. cap. 6. & ſequentibus, uſque ad decimum, & cap. 42. & ſequentibus, uſque ad 46. & toto ferme lib. 4. uſque ad caput 50. Tertullianus totis quinque libris adversùs Marcionem, Sanctus Epiphanius Hæreſi 42. & Theodoretus, lib. 1. Hæreticarum Fabularum cap. 16. & 17. & ante hos Clemens Alexandrinus lib. 3. pag. 324.

ARTICULUS

## ARTICULUS VI.

### *De Valentino, & ejus Hæresi.*

VAlentinum, Episcopatûs ambitio, cujus repulsam passus fuerat, ad hæresim confingendam impulit, ex Tertulliano, adversùs Valentinianos, cap. 4. *Speraverat*, inquit, *Episcopatum Valentinus, quia & ingenio poterat, & eloquio; sed alium ex Martyrii prærogativa loci potitum indignatus, de Ecclesia authenticæ regulæ abrupit (ut solent animi pro prioratu exciti, præsumptione ultionis accendi) ad expugnandam conversus veritatem, & cujusdam veteris opinionis semen nactus, Colarbaso viam delineavit.*

Nulla figmentis feracior hæresis, quàm Valentiniana. 30. Æonas, sive Deos, ex Poetarum Græcorum, Hesiodi præsertim fabulis commentus est Valentinus. 2. Illos divisit per Ogdoadem, id est octonarium, decadem, & dodecadem, sive duodenarium, variasque illorum finxit combinationes. 3. Principem Æonum vocabat Bython seu profundum: cui jungebat conjugem Sigen, seu silentium, quam vocabat etiam Ennœam & Charin, id est, gratiam. 4. Aiebat hos Æones, cùm infinitis retrò ævis, in maxima, & altissima quiete, in otio maximo placidæ & quasi stupentis divinitatis permansissent, protulisse Intellectum, & Veritatem. 6. Intellectum autem vocabat Monogenem. Ex Intellectu, & Veritate processisse dicebat, Verbum & Vitam. Ex Verbo & Vita, Hominem & Ecclesiam prodiisse. En Ogdoadem Valentinianam. 7. Ex Verbo & Vita decadem Æonum ortam esse somniabat, scilicet Profundum & Mixtionem; Senii expertem, & Unionem; Per se nascentem, & Voluptatem; Immobilem & Concretionem; Unigenitum & Beatum 8. Ex Homine & Ecclesia duodecim alios Æones progenitos esse finxit, scilicet Paraeleium & Fidem; Paternûm, & Spem; Maternum, & Dilectionem; Intellectum, & Prudentiam; Ecclesiasticum, & Beatitudinem; Voluntarium, & Sapientiam 9. Salvatorem 30. annos vixisse ut hoc Æonum Mysterium indicaret: eosdemque in parabola operariorum, qui ad vineam patris-familias missi sunt, significatos. Etenim alii circiter horam primam, alii circa tertiam, circa sextam, nonam, ac undecimam alii vocati sunt, quæ omnes in unum collectæ tricenarium efficiunt numerum. Addebat Sanctum Paulum Æonum meminisse his verbis, ad Ephesios 3. *In omnes generationes seculorum sæculi.* Æon enim Græcè sæculum significat.

10. Ex omnium Æonum defloratione, & ære velut collatitio, perfectum pleromatis, id est universitatis fructum editum fuisse, scilicet Jesum: nec non honorarios ejus satellites, ejusdemque cum illo generis Angelos, eodem tempore productos.

11. Aiebat primum Æonem, id est, Profundum, ab Unigena solo, id est, intellectu quem produxit, cognosci; non vero ab aliis Æonibus, quos ab ejus cognitione prohibuit Silentium.

12. Commentus est Sapientiam postremum Æonum, qui ab Homine & Ecclesia propagati sunt, in desiderium Patris præ cæteris exarsisse; indeque illam concepisse, absque Voluntatis conjugis sui consortio, & protulisse fœtum informem, scilicet materiam.

12. Profundum seu patrem Æonum, miserium Sapientiæ produxisse Terminum, quem & crucem appellabat. Hunc porrò purgasse Sapientiam: cujus calamitas, & curatio demonstrata esset in muliere, quæ sanguinis profluvio laborabat. Quæ cùm 12. jam annos eo morbo conflictaretur, Salvatoris adventu, & contactu fimbriæ salutem recuperavit.

14. Enthymesim, seu cogitationem, Sapientiæ informem partum, fuisse à Termino relegatam extra universitatem, & cruci suffixam.

15. Unigenitum, Patris voluntate, ad Æonum securitatem, & constitutionem, produxisse Christum & Spiritum Sanctum; Christum enim Æonas docuisse dicebat, Patrem esse incomprehensibilem; Spiritum autem Sanctum æqualitatem Æonibus inter se dedisse.

16. Extra pleroma, id est, extra universitatem, constituebat Enthymesim, seu cogitationem, fœtum illum informem Sapientiæ, quam vocabat Achamoth: illam in umbra quadam & inani degere asserebat. Accidisse ut lachrymaretur interdum, ac doleret, quòd se solam in tenebris, & inanitate relictam animadverteret. Nonnunquam risu ac voluptate perfusam, cùm ad lumen, quo destituta erat, sese convertere conaretur: interdum rursus metu jactatam: aliàs anxiam, consiliique inopem, & attonitam fuisse: ex ejus lachrymis humidum omne: è risu lucidum: è dolore, ac stupore, corporea mundi elementa manasse.

17. Enthymesin ægrè tandem ad illud lumen, à quo destituta fuerat, scilicet Christum, emersisse fingebat. Hunc in pleroma conscendentem, ac descendere denuo gravatum, vicarium sibi Paracletum submisisse, cui à Patre & Æonibus potestas commissa est ut visibilia, & invisibilia conderet. Descendisse itaque Paracletum Angelorum stipatum satellitio. Ad ejus adventum Achamoth pudore perfusam, capiti suo velum obduxisse, quod significatum volebat his Sancti Pauli verbis: *Mulier caput velet propter Angelos:* Deinde ejus conspectu recreatam, & confirmatam, & ab omni perturbatione curatam fuisse. Tum ex Angelorum contemplatione fœtum edidisse spiritalem, illisque simillimum.

18. Ab Enthymesi, seu Achamoth, ex animata substantia, conditum fabulabatur Demiurgum, id est conditorem, & opificem universorum, quæ post ipsum extitere. Qui occultante matre, patris imaginem non cognoverit. Patrem illum ac Deum constituebat omnium extra pleroma, seu universitatem existentium, omniumque animantium, ac rerum materialium.

19. Aiebat Demiurgum putasse, vi se propria cuncta perfecisse, cùm interim Achamoth universa produceret: ille verò ita cœlum moliretur, ut cœlum omnino nesciret; ita hominem formaret, ut hominem ignoraret.

20. Asserebat diabolum etiam opus esse Demiurgi, & Mundi tenentem vocabat, illumque superiorum magis gnarum dicebat, utpote spiritalem, quàm Demiurgum, qui animalis esset.

21. Absolutâ mundi fabricâ luteum hominem à Demiurgo factum fabulabatur, non ex terra, sed ex materia quadam Philosophica, & invisa substantia, & in hominem illum suo afflatu animatum, spiritalem alium infudisse.

22. Tria hominum genera constituebat, choïcum sive terrenum; animale; & spirituale. Terrenum ad Cain; Animale ad Abel; spirituale ad Seth, tres quodammodo generis humani fontes revocabat. Terrenum corruptione dissolvi: animale, si se potioribus dederit, mediocri in regione conquiescere; si deteriora eligat, ad similia transferri: spiritale denique Salvatoris Angelis matrimonio collocari.

23. Spiritales se esse jactitabant Valentiniani, Catholicos vocabant animales: idcirco ipsos fide

&

& operibus bonis ad consequendam salutem indigere: sibi verò sufficere cognitionem. Quod ita expressit Tertullianus, lib. adversùs Valentinianos cap. 30. *Ideoque nec operationes necessarias sibi existimant, nec ulla disciplina munia observant: Martyrii quoque eludentes necessitatem, qua volunt interpretatione: hanc enim regulam animali semini præstitutam, ut salutem, quam non de privilegio status possidemus, de suffragio actus elaboremus.*

Hinc, qui apud illos erant perfectissimi, quicquid divinis legibus est prohibitum, sine metu perpetrabant, Gentilium festa celebrabant, idolothytis vescebantur, voluptati serviebant: & obscœnum illud statuebant Moralis corruptæ principium: *Degenerem esse, nec legitimum veritatis, qui diversatus in mundo non amaverit fœminam, nec se ei junxerit.* (Ut refert Tertullianus) quibus & ironicè reponit: *Et quid facient spadones, quos videmus apud illos?*

24. Christum Dominum nostrum Corpus de Cœlo detulisse propugnabat Valentinus, ac tanquam aquam per fistulam, per Mariam Virginem transiisse, neque quidquam ex ejus utero sumpsisse, sed è Cœlo traxisse corpus: seu (ut Tertulliani verbis hunc errorem explicem) *Per Virginem, non ex Virgine editum: quia delatus in Virginem transmeatorio potiùs, quàm generatorio more processerit, per ipsam, non ex ipsa: non matrem eam, sed viam passus.*

25. Valentiniani fabulas suas, ac Mysteria occultabant, teste Tertulliano, lib. adversùs Valentinianos cap. 1. *Valentiniani*, inquit, *frequentissimum planè collegium inter hæreticos, quia plurimum ex Apostatis veritatis, & ad fabulas facile est, & disciplinâ non terretur. nihil magis curant, quàm occultare quod prædicant; si tamen prædicant, qui occultant.* Et cap. 2. hoc ipsorum silentium, easque latebras certissimam sibi victoriam polliceri ait: *Quia, quod tanto impendio absconditur, etiam solummodo demonstrare, destruere est.*

26. Simplicitatem Catholicis exprobrabant, teste eodem Tertulliano cap. 2. *Ideoque*, inquit, *simplices notamur apud illos, ut hoc tantum, non etiam sapientes: quasi statim deficere cogatur à simplicitate sapientia, Domino utramque jungente: Estote prudentes ut serpentes, & simplices ut columbæ.*

Ultimò traditiones rejiciebant Valentiniani, teste Sancto Irenæo lib. 3. cap. 2. Porro Valentinus ab Ecclesia ejectus est, Præsidente in Romana Cathedra Eleuthero (ut testatur Tertullianus, lib. de Præscriptionibus cap. 30.) *Ubi tunc*, inquit, *Marcion Ponticus Nauclerus Stoicæ studiosus? Ubi Valentinus Platonicæ sectator? Nam constat illos neque adeo olim fuisse, Antonini fere principatu, & in Catholicæ primò doctrinam credidisse apud Ecclesiam Romanensem sub Episcopatu Eleutherii benedicti, donec ob inquietam semper eorum eorum curiositatem, quam fratres quoque vitabant, semel & iterum ejecti, venena doctrinarum suarum disseminaverunt.*

Quæ de Valentini erroribus hucusque diximus, hausimus ex Sancto Irenæo, lib. 1. adversùs Hæreses, cap. 1. ex Tertulliano, toto libro adversùs Valentinianos, ex Sancto Epiphanio Hæresi 31. & ex Theodoreto lib. 1. Hæreticarum Fabularum cap. 7.

Secundiani. Prodierunt ex Valentini schola alii Hæretici, qui ejus fabulas vel amplificarunt, vel alio modo exposuerunt, scilicet *Secundus*, à quo Secundiani; de quibus idem Sanctus Epiphanius, Hæresi 32. *Ptolomæus*, à quo Ptolomaitæ, de quibus idem agit, Hæresi 33. Hic autem inter alia, totam Legem à Deo non esse effutiit; sed quædam Legis præcepta retulit ad Deum, ea scilicet, quæ Decalogo A continentur, quædam ad Moysem, quæ injustitiæ aliquid admixtum haberent, ut, *Oculum pro oculo, dentem pro dente*: Alia ad Seniores. Hunc ejus errorem uberiùs explicatum habes in Epistola quam scripsit ad Floram, quam Sanctus Epiphanius refert loco citato.

Marcosii. Prodiit ex eadem Valentini schola *Marcus*, à quo Marcosii. Hic magicis artibus insignis: poculorum liquorem certis carminibus in cæruleum, purpureumque vertebat colorem, ut mulierculis infelicibus illuderet, quas hisce mysteriis initiabat. Philtris utebatur, mulierum ut amorem sibi B conciliaret, easque se Prophetissas efficere jactabat, ut gratiam & obsequium illi rependerent. *Multæ ex illis conversæ ad Ecclesiam Dei, confessæ sunt & secundùm corpus exterminatas se ab eo velut cupidine, & inflammatas valde se illum dilexisse, ut & Diaconus quidam ex Asia, suscipiens illum in domum suam, inciderit in hanc calamitatem. Nam cùm esset uxor ejus speciosa, & sententiâ, & corpore corrupta esset à Mago isto, & secuta eum esset multo tempore; post deinde, cum magno labore fratres eam convertissent, omne tempus in exomologesi consummavit, plangens & lamentans ob hanc, quam* C *passa est à Mago isto corruptelam.* (inquit Sanctus Irenæus lib. 1. cap. 9.) Ubi & quasdam alias mulieres in Regionibus Rhodano finitimis à Marcosiis deceptas, *in manifesto exomologesim fecisse* narrat.

Sic initiabant eos qui se ad eorum Sectam conferebant, Marcosii. Nonnulli genialem parabant thalamum, & invocationibus quibusdam nefandis abdita mysteria in eos exequebantur, qui se illorum Sectæ adjungebant: & ritum illum spiritales esse nuptias dicebant, ad similitudinem connubiorum, quæ in cœlis contraherentur. Alii eos de- D ducebant ad aquas & baptizabant, *In nomine ignoti rerum universarum Parentis, & Veritatis omnium procreatricis, & Illius qui è cœlo in Jesum delapsus est.* Alii verò nomina proferebant Hebraica, ut initiatos majori admiratione afficerent (Ex Sancto Irenæo, cap. 18. libri primi, & ex Eusebio, lib. 4. Historiæ Ecclesiasticæ cap. X.) De Marco porro, & Marcosiis agit Sanctus Irenæus l. 1. cap. 9. & sequentibus, usque ad 19. Sanctus Epiphanius Hæresi 34. & Theodoretus lib. 1. Hæreticarum Fabularum cap. 9.

Prodiit etiam ex schola Valentini, *Colobarsus*, E qui præter alias nugas, summum universorum Parentem, ac primum principium, hominem vocari effutiit, & idcirco Salvatorem se hominis filium nominasse. Colobarsiani. Lege Sanctum Epiphanium Hæresi 35. & Theodoretum lib. 1. Hæreticarum Fabularum cap. 12. Colobarsianam Hæresim sic describit Auctor libri *de Hæresibus*, sub nomine *Prædestinati* à P. Sirmondo editus: *Hæresis Colorbarsiana à Colobarsio adinventa, vitam omnem hominum in septem stellis positam affirmabat, & has esse septem Ecclesias, & septem candelabra aurea. Hunc Sanctus Theodetus de Pergamo Episcopus habita Sy-* F *nodo septem Episcoporum anathematizavit, docens septem Ecclesias in septiformi Spiritu consecratas.* Colobarsi etiam meminit *Tertullianus*, seu Auctor Appendicis libro illius *De Præscriptione Hæreticorum* assutæ.

Valentinianæ Hæreseos pariter surculus fuit Heracleonitarum Secta, qui morientes suos novo quasi modo redimebant, oleum vel balsamum aqua temperatum ipsorum capitibus infundentes, & invocationes quasdam Hebraïcis conceptas nominibus facientes, quibus muniti, à superioribus principatibus ac potestatibus coërceri, viderique non possent: inferiorque ipsorum homo sursum posset à nemine conspectus evadere. De his Sanctus

Epiphanius,

Epiphanius Hæresi 36. De iisdem hæc tradit *Prædestinatus* lib. 1. cap. XVI. *Hæresis Heracleonitarum ab Heracleone adinventa est, quæ baptizatum hominem, sive justum sive peccatorem, loco Sancti computari docebat, nihilque obesse baptizati peccata memorabat, dicens: Sicut non in se recipit natura ignis gelu; ita baptizatus non in se recipit peccatum: Sicut enim ignis resolvit aspectu suo nives, quantumcumque juxta sint, sic semel baptizatus non recipit peccatorum reatum: etiam quantavis fuerint ejus operibus peccata permixta. Hic in partibus Siciliæ inchoavit dicere. Contra hunc susceperunt Episcopi Siculorum, Eustachius Lylibæorum, & Panormenorum Theodorus. Quique omnium, qui per Siciliam erant, Episcoporum Synodum exorantes, gestis eum audire decreverunt, & universas assertiones ejus dirigentes ad Sanctum Alexandrum Urbis Episcopum, rogaverunt ut ad eum confutandum aliquid ordinaret. Tunc Sanctus Alexander ad singula quæque capita Hydri singulos gladios verbi Dei de vagina divini verbi eliciens, librum contra Heracleonem ordinans, ferventissimum ingenio Sabinianum destinavit, qui & scriptis Episcopi, & assertione sua ita eum confutaret, ut nullo mediæ navis præsidio fugeret, & ultra ubinam devenisset, penitus nullus sciret.* Verùm hæc Eruditis suspecta, cùm apud Veteres nulla Concilii istius Siculi extet memoria, uti nec *Eustachii* Lylibæorum, & *Theodori* Panormenorum Episcopi; nec ante *Pii I.* Pontificatum emerserit Heracleonitarum Hæresis.

Archontici. His pestibus affinis fuit hæresis *Archonticorum*, ab Eutacto quodam Constantii Imperatoris temporibus propagata. Hi baptismum damnabant, & mysteriorum participationem, ut quæ fieret in nomine Sabaoth Dei Judæorum pessimi. Quidam eorum fœdissimis libidinibus corpora sua contaminabant. Alii Monachorum specie simplicioribus illudebant, & omnium abdicatione bonorum gloriabantur. Alias ipsorum blasphemias ac deliria lege apud Sanctum Epiphanium Hæresi 40. & Theodoretum lib. 1. Hæreticarum Fabularum cap. 11.

Barbelotæ. Ex cœnoso Valentini gurgite manavit insuper Barbeliotarum seu Borborianorum hæresis, & impuritas, de qua legendus est Theodoretus, cap. 13. libri citati. Ad Valentini Sectam defecerunt Florinus & Blastus Romani Presbyteri, ex Theodoreto, cap. 23. ejusdem libri, & ex Eusebio, lib. 5. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 19. Addidit ad hæresim Valentini Florinus, Deum Authorem esse malorum, teste Sancto Augustino, lib. de Hæresibus. Blastus verò latenter Judaïsmum introducere voluit, asserens Pascha non aliter custodiendum, nisi 14. primi mensis, secundùm legem Moysis: & propter hoc schisma fecit. Hunc ejus errorem refert Author appendicis ad librum Tertulliani de Præscriptionibus, cap. 53. Contra ipsos Sanctus Irenæus varias composuit Epistolas, unam ad Blastum, quam inscripsit de Schismate: alteram ad Florinum, de Monarchia, sive Quòd Deus non sit author & fabricator mali: de quibus legendus est Eusebius lib. 5. Historiæ cap. 19.

Contra Valentinianos, præter Sanctum Irenæum, Tertullianum, & Sanctum Epiphanium, scripserunt Sanctus Justinus, Miltiades Ecclesiarum Sophista (teste ipso Tertulliano lib. adversùs Valentinianos, cap. 5.) De eodem quoque argumento scripsere & Clemens Alexandrinus, Hypolytus, aliique complures, qui admirabili quadam facultate illorum dogmata refutarunt (teste Sancto Epiphanio.)

## SCHOLION.

Mirum quòd Anonymo cuidam Scriptori venerit in mentem, sanam & orthodoxam fuisse Valentini de Æonibus doctrinam, & quod ille de Deo ejusque attributis, & Angelis piè & catholicè docebat, id ab antiquis Patribus Sancto Irenæo, Tertulliano, aliisque pravos & absurdos traductum ac detortum in sensus. Unde enim, amabo te, Scriptor ille neotericus suâ satis notus levitate ac temeritate, discere potuit quæ fuerint Valentini & Valentinianorum dogmata, nisi ex iisdem Patribus, qui eum ridiculi & impii de Æonibus dogmatis insimulant? Quam accusationem nemo homo falsam unquam dixisse aut probasse ab omni retro Antiquitatis memoriâ perhibetur. Et verò Valentinus ejusque Sectatores reipsâ eodemque modo triginta suos Æonas à se invicem distinguebant: neque Scriptis unquam prodiderunt quorumdam Æonum magis quàm aliorum nomine tres (ut finxit Scriptor ille nuperus) adorandæ Trinitatis Personas, aut Dei attributa, & multò minùs Angelos intelligi debere. Quòd si aliquando ii de Sanctissima Trinitate eodem modò ac Catholici loquerentur, hæc eorum fraus fuit & dolus, quo sub orthodoxiæ larvâ simplicioribus illudebant, ac deinde propositis de eadem doctrina quæstionibus, sensim sine sensu suas trahebant in partes. Sancto Irenæo teste libro 3. *Adversùs Hæreses*, cap. 15. Qui autem ex illis, teste Eusebio lib. 4. Historiæ cap. XI. *In nomine ignoti omnium Patris, in Veritate omnium Matre, in Eo qui descendit in Jesum*, baptizabant, non alii erant quàm Marcosii magicis artibus addictissimi, quos triplici hoc nomine tres divinæ Trinitatis Personas catholico sensu expressisse nec ullus unquam memoriæ prodidit, nec verisimile est. Neque dicetis, Ptolomæum nomina & numeros Æonum in *personales substantias* distinxisse, ut scripsit Tertullianus libro Adversùs Valentinianos cap. 4. Nam ibi Tertullianus eundem Ptolomæum inter & Valentinianum id constituit discrimen, quòd ille *Personales istas substantias extra Deum determinatas vellet, quas Valentinus in ipsa summa Divinitatis ut sensus & affectus, & motus incluserat.* Nec de tribus tantummodo Valentini & Ptolomæi Æonibus, sed de omnibus agere Tertullianum, perspicuum & exploratum est. Denique cùm Valentinianorum Commentarios se legisse Sanctus Irenæus asserat, & dogmata eorum diligenter investigasse & accuratè tradidisse, damnanda est recentioris Scriptoris temeritas, illos ab impietate & infamis erroribus vindicare ausi. *Eum autem*, inquit Irenæus, *qui velit eos convertere, oportet diligenter scire regulas sive argumenta ipsorum: nec enim possibile est aliquem curare quosdam malè habentes, qui ignorat passionem eorum qui malè valent. Quapropter hi qui ante nos fuerunt, & quidem multò nobis meliores, non tamen satis potuerunt contradicere his qui sunt à Valentino, quia ignorabant regulam ipsorum, quam nos cum omni diligentia in primo libro tibi tradidimus; in quo & ostendimus doctrinam eorum recapitulationem esse omnium Hæreticorum.*

## ARTICULUS VII.

### *De Tatiano, & Encratitis.*

TAtianus Syrus, Philosophus insignis, sacrorum librorum lectione ad fidem conversus, ut ipse narrat in Oratione contra Græcos. *Leges*, inquit, *vestras contempsi. Etenim oportebat unam ubique, & communem omnibus reipublicæ rationem esse. Nunc verò quot civitates, tot legum discrimina reperias; adeo ut quæ alicubi turpia ducuntur, eadem alibi laudentur . . . . . Hæc cùm viderem, & insuper Mysteriorum particeps factus, omnes ubique Deorum cultus per effœminatos & Androgynos constitui experimento novissem: Item apud Romanos Latiarem Jovem humano cruore placari: Dianam verò non procul Megalopoli similibus gaudere; & aliam alibi Dæmonem multorum authorem facinorum deprehenderem: in me descendens, quemodo tandem veritate potirer, inquirebam, & cùm diligenter circumspicerem, in libros quosdam barbaros incidere mihi contigit, antiquiores multò quàm Græcorum Philosophia, si spectes ætatem, & augustiores, si illorum errores. His ego fidem adhibui, quòd stylus non esset phaleratus, nec ulla scriptorum affectatio, & sermo nusquam obscurus: & qui narrationem de universi creatione facilè explicaret, & futurorum item eventuum prænotione & magnitudine promissionum, &*

*quòd unam universorum Monarchiam statuerent, impulsus.*

Fuit autem Tatianus, postquam Christianæ Religionis mysteriis initiatus est, discipulus Sancti Justini: Post cujus Martyrium scientiâ suâ elatus, & Doctoris nomen sibi arrogans, in hæresim lapsus est, & Sectæ Encratitarum ortum dedit.

Hos autem professus est errores. 1. Æonum quorumdam invisibilium fabulam à Valentino mutuatus est 2. Matrimonium velut corruptelam, & fornicationem explosit. 3. Encratitæ animantium vinique usum aversabantur, non temperantiæ studio, neque peculiari ex instituto vitæ, sed falso quodam & affectato metu, ne ob animatorum usum sibi damnationem accesserent: vino verò abstinebant, quòd improbos duntaxat eo uti existimarent. Unde illud Diabolicum vocabant. Hinc Encratitæ dicti sunt, id est, Continentes. 4. Adamum salvatum non esse effutiebat Tatianus, & illum secuti Encratitæ 5. Meram aquam ad Mysteria sua adhibebant; unde & Hydroparastatæ vocati sunt. 6. Encratitæ ad Tatiani Magistri sui dogmata addiderunt, plura esse principia, inter quæ Diabolum constituerunt. Quem Dei operibus adversari, nec illi subditum esse, sed præcipuâ quadam potestate præditum, quæ vellet, agere propugnabant (teste Sancto Epiphanio Hæresi 47.) 7. Evangelium composuit Tatianus, quod Diatessaron dicitur, id est, unum ex aliis quatuor compactum, in quo desiderabantur Genealogiæ & omnes textus qui Dominum ex semine David secundùm carnem natum ostendunt. Narrat porrò Theodoretus, non modò ejus sectarios, verùm etiam eos, qui Apostolica dogmata sequebantur compositionis fraudem non animadvertentes, eo Evangelio, veluti compendiario libro usos fuisse. Ait autem se nactum libros hujusmodi supra ducentos, qui in Ecclesiis in honore habebantur, eos seposuisse, & pro his quatuor Evangelistarum Evangelia introduxisse.

Tatiani & Encratiarum errores referunt Sanctus Irænеus lib. 1. cap. 31. Eusebius lib. 4. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 27. Sanctus Epiphanius Hæresi 46. & 47. Theodoretus lib. 1. Hæreticarum Fabularum cap. 20. & Sanctus Augustinus lib. de Hæresibus.

Tatiani errorem *Severus* quidam amplexus est, qui & sui nominis sectam instituens, eos quos deceperat, Severianos vocari voluit. Hi & divini Pauli Epistolas, & Actuum Historiam rejiciebant, & sacrarum Scripturarum sensus ac sententias pro arbitratu interpretabantur (ut testantur Eusebius loco mox laudato, & Theodoretus lib. 1. Hæreticarum Fabularum cap. 21.) De his & Sanctus Epiphanius Hæresi 45. ubi & ipsos ad Tatiani dogma addidisse ait, Mulierem Satanæ opus esse: & in corpore humano, id quod infra umbilicum est, à mala potestate conditum esse. Ipsos carnis resurrectionem cum veteri Testamento respuisse scribit Sanctus Augustinus, lib. de Hæresibus, parum probabiliter, siquidem Eusebius testatur ipsus Legis & Prophetarum authoritatem admisisse.

Severiani, Encratitarum soboles.

Scripserunt adversùs Tatianum & Encratitas, Musanus, Apollinaris Hierapolitanus, Clemens Alexandrinus, & Origenes (teste Theodoreto) His addendus Sanctus Epiphanius, & ante hos Sanctus Irenæus lib. 3. cap. 34. 35. & 39. ubi Adamum salvum esse probat. Anno Christi 174. M. Aurelii Imperatoris 9. Aniceti Papæ 8. Tatianus hæreticus agnitus est (teste Eusebio in Chronico.) Unde falsò scribit Philastrius, ipsum post Decii persecutionem extitisse, & Juliani Martyris fuisse discipulum.

## ARTICULUS VIII.

### *De Montano & Cataphrygibus.*

CAtaphrygum Hæresis authore Montano erupit, Antonini Pii temporibus (ut colligitur ex Sancto Epiphanio Hæresi 48. & ex Eusebio lib. 4. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 26.) sub M. Aurelii imperio adolevit, & latiùs propagata est, ut ex eodem Eusebio colligitur, ibidem, & in Chronico.

Montanus in Mysia Phrigiæ natus, quæ nuncupatur Ardaban, dominandi cupiditate, Spiritu Sancto & dono prophetiæ plenus videri voluit. Duabus meretricibus, Priscillæ & Maximillæ, insaniæ suæ afflavit spiritum, easque Prophetissas haberi voluit; quæ furiosè, ineptè, & novo atque peregrino modo garrientes, falsa proferebant oracula, & libros scribebant, quos Propheticis adæquabat Montanus. Hic ut plures deciperet, interdum promissorum magnitudine sectatores alliciebat; interdum conjecturis & rationibus probabilibus ruxus, apertè eorum peccata redarguebat, ut vitiorum hostis & corrector videretur. Catholicos qui ipsi & ejus Prophetissis resistebant, Prophetarum interfectores vocabat. Silentium ipsis frustra indixerunt Episcopi: & illos tandem cum Antistite suo Montano ab Ecclesia extruserunt. Falsi porro convictæ sunt Maximillæ Prophetiæ, siquidem post ejus obitum pax jucundissima Imperium recreavit, & Ecclesiam, cùm ipsa bellum & seditiones ubique futuras vaticinata fuisset. Hæc habentur ex Apollinario Hierapolitano apud Eusebium lib. 5. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 15.

Montanus & ejus Prophetissæ pecunias undique, & munera corrogabant; quo ex capite falsam ipsarum prophetiam Apollonius Scriptor Ecclesiasticus impugnat; siquidem universa Scriptura vetat ne Prophetæ pecunias & munera accipiant. Mollem & voluptariam vitam agebant, ut ex eodem Authore constat apud Eusebium cap. 17. lib. 5. *Dic mihi*, inquit, *Propheta-ne comam coloribus tingit? Propheta ne stibio oculos oblinit? Propheta-ne sumptuosè & vestitu splendido ornatus incedit? Propheta-ne tabulis & tesseris ludit? Propheta-ne fœnus exercet? Ista verè mihi fateantur, & dicant utrum liceat usurpare, an contra. Ego certè hac apud illos factitata perfacilè ostendam.*

Montani & Prophetissarum ejus falsi nominis mores.

Hi porro fuere præcipui Montani & Cataphrygum, sic à regione in qua illorum hæresis orta est, nuncupatorum errores. 1. Montanum ceu Paracletum venerabantur. (ex Theodoreto, & ex Tertulliano Montanista, in lib. de Pudicitia, & alibi passim.) 2. Nuptias secundas ceu scortationes damnabant, (ex Sanctis Epiphanio, Hæresi 48. Hieronymo Epist. 54. quæ est ad Marcellam, & Augustino lib. de Hæresibus ad Quodvultdeum, Num. 26.) 3. Matrimonia solvebant. (Ex Apollonio, apud Eusebium loco citato, & ex Theodoreto, lib. 3. Hæreticarum Fabularum cap. 2.) 4. Nova jejunia observanda statuebant, velut ad salutem necessaria, tres scilicet Quadragesimas, cùm Ecclesia unam ex Apostolorum traditione Quadragesimam semper observaverit. (Ex Apollonio & ex Sancto Hieronymo.) 5. Veniam omnibus penè delictis ab Ecclesia concedi posse negabant, ut idem Hieronymus testatur. *Illi*, inquit, *ad omne penè delictum Ecclesiæ fores obserant: nos quotidie legimus: Malo pœnitentiam peccatoris, quàm mortem, &, Nunquid qui cadet, non resurgit? dicit Dominus. Et, Convertimini ad me, filii convertentes, & ego curabo contritiones vestras. Rigidi autem sunt, non quò & ipsi majora non peccent: sed hoc inter nos*

Montanistarum errores.

&

*illos interest, quòd illi erubescant confiteri peccata, quasi justi: nos dum pœnitentiam agimus, faciliùs veniam promeremur.*

6. Episcopis tertium duntaxat locum suis in conventibus assignabant, eodem Hieronymo teste: *Apud nos*, inquit, *Apostolorum locum Episcopi tenent: apud eos Episcopus tertius est. Habent enim primos de Pepusa Phrygia Patriarchas, secundos, quos appellant Cenonas: atque ita in tertium, id est, pene ultimum locum Episcopi devolvuntur.*

7. Pepuzæ vico, ubi frequentiores conventus agebant, ac sua celebrabant mysteria, nomen Hierusalem indiderant (Ex Apollonio, ex Sancto Epiphanio Hæresi 48. & ex Theodoreto) Hinc dicti sunt Pepuziani.

8. Apud Pepuzianos, Montanistarum genus, mulieres ad Episcopatum & Presbyteratum evehebantur, nullum sexûs ut servaretur discrimen, eumque in sensum detorquebant illud Apostoli, ad Galatas 3. *In Christo Jesu non est masculus, neque fœmina.* Vocabantur & Artotyritæ, quòd in Mysteriis suis panem & caseum offerrent (Ex Sancto Epiphanio Hæresi 49.)

Præterea Cataphryges mortuos baptizabant. (Ex Philastrio lib. de Hæresibus.)

9. Montanistæ asserebant nusquam in persecutione fugiendum esse, sed loco sistendum, & Martyrium exspectandum. (Ex Tertulliano lib. de Fuga in persecutione cap. ultimo.) *Et ideo*, inquit, *Paracletus necessarius deductor omnium veritatum, exhortator omnium tolerantiarum: quem qui receperunt, neque fugere persecutionem, neque redimere noverunt, habentes ipsum qui pro nobis erit, sicut locuturus in interrogatione, ita juvaturus in passione.*

10. Animam corpoream esse quædam ex Montani Prophetissis asseruit, id sibi in cælesti visione ostensum contestata, cui visioni Tertullianus fidem imprudens adhibuit, ut constat ex libro ipsius de Anima, cap. 9. *Est hodie*, inquit, *Soror apud nos revelationum charismata sortita, quas in Ecclesia, inter Dominica solemnia, per extasim in spiritu patitur, conversatur cum Angelis, aliquando etiam cum Domino, & videt, & audit sacramenta, & quorumdam corda dignoscit, & medicinas desiderantibus submittit. Jam verò prout Scripturæ leguntur, aut Psalmi canuntur, aut allocutiones proferuntur, aut petitiones delegantur, ita inde materia visionibus subministrantur. Fortè nescio quid de anima disserueramus, cùm ea Soror in spiritu esset. Post transacta solemnia, quo usu solet nobis renuntiare quæ viderit: Inter cætera*, inquit, *ostensa est mihi anima corporaliter, & spiritus videbatur, sed non inanis & vacuæ qualitatis: immo quæ etiam teneri repromitteret; tenera, & lucida, & aerii coloris, & formâ per omnia humanâ. Hæc est visio: Deus testis, & Apostolus charismatum in Ecclesia futurorum idoneus sponsor.*

11. Sacramenta perhibebantur habere funesta Montanistæ, & de infantis anniculi sanguine, quem minutis punctionum vulneribus de toto ejus corpore extorquebant, cum farina mixto, panem conficere, & Eucharistiam offerre. Qui puer, si moreretur, apud eos habebatur pro Martyre; si superstes viveret, pro magno Sacerdote. (Ex Sancto Augustino lib. de Hæresibus ad Quodvultdeum.) Idem illis tribuit S. Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 15. Sanctus Epiphanius id tribuit potiùs Pepuzianis ex Montano prognatis, quàm sinceris purisque Montanistis: neque id constanter asseverat. *In hac verò hæresi*, inquit, *aut in ejus germana Quintilianorum aut certè Priscillianorum, & Pepuzianorum Hæresi, horrendum quiddam, ac detestandum fieri dicitur. Nam infantulum, per solemne quoddam Festum, acubus æreis toto corpore pungentes, exceptum sanguinem sacrificiis suis adhibent.* Id minimè fatebantur Montanistæ, & hoc sibi affictum scelus contestabantur (teste Theodoreto) Certè nemo Veterum, qui in ipsos stylum acuerunt, hoc ipsis facinus improperavit. Hinc Sanctus Hieronymus, Epistolâ 54. jam citatâ, ait: *Prætermitto scelerata mysteria, quæ dicuntur de lactente puero & de victuro Martyre confarrata. Malo* (inquam) *non credere: sit falsum omne quod sanguinis est.* Denique Auctor Anonymus, quem Hyginum perperam vocavit Hincmarus Remensis, at qui circa medium Sæculi quinti vixit, Hæresi xxvi. hæc habet: *Hactenus de Cataphrygis cætera quæ dicuntur, quasi incerta prætereo, de infantis sanguine eos accipere: quod ideo dicimus, ne videamur ignorare omnia quæ de eis dicuntur: Hi enim qui contra eos scripserunt, nihil hinc penitus memorarunt. Scripsit contra eos librum Sanctus Soter Papa Urbis, & Apollonius Ephesiorum Antistes: contra quos scripsit Tertullianus Presbyter Carthaginensis, qui cùm omnia bene primò & incomparabiliter scripserit, in hoc solùm se reprehensibilem fecit, quòd Montanum defendit, agens contra Soterem supradictum Urbis Papam: asserens falsa esse de sanguine infantis: Trinitatem in unitate Deitatis, Pœnitentiam lapsis, Mysteriis eisdem, unum Pascha nobiscum. Hoc solum discrepamus*, inquit, *quòd secundas Nuptias non recipimus, & Prophetiam Montani de futuro judicio non recusamus.* Periit liber ille Tertulliani adversùs Soterem & Apollonium.

Montanum & Maximillam sibi laqueo mortem conscivisse, testatur Apollinaris Hierapolitanus, apud Eusebium, lib. 5. cap. 15.

In hanc Hæresim scripserunt, laudatus Apollinaris, (ut Eusebius testatur, initio mox laudati capitis) Apollonius, qui & profligatos Montanistarum mores detexit, atque insectatus est (teste Eusebio cap. 17. ejusdem libri) Miltiades (ut testatur idem Historicus, cap. 16.) & Serapion, in Epistola scripta ad Caricum, & Ponticum, quæ plurium Episcoporum subscriptionibus munita erat. (Ex Eusebio, cap. 16. ejusdem libri.)

Nascentem Montani Hæresim Gallicana Ecclesia proscripsit, judiciumque de illa, ipsiusque Authore, suum inseruit Epistolæ de Martyrum Lugdunensium triumphis ad Asiæ, & Phrygiæ Ecclesias scriptæ (ut testatur Eusebius, lib. 5. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 3.) *Cùm Montanus*, inquit, *& Alcibiades, & Theodotus in Phrygia jam prophetandi opinionem apud complures adepti fuissent (permulta enim divinâ gratiâ largiente miracula, operaque stupenda, ad illud usque tempus, per varias Ecclesias edita, fidem multis faciebant illos etiam donum Prophetiæ fuisse consecutos:) cumque de istis hominibus controversia orta esset, fratres rursus, qui in Gallia habitabant, privatum judicium, idque prudens & rectum imprimis, de eisdem, Epistolæ, quam diximus, subjunxerunt.*

*Apollinaris* lib. 11. adversùs Cataphrygas, apud eumdem *Eusebium*, cap. xvi. ejusdem libri, Montanistarum doctrinam ut profanam & impiam in pluribus Asiæ Conciliis damnatam fuisse ait, ipsosque Cataphrygas à Fidelium Communione exclusos.

## ARTICULUS IX.

*De Bardesane, & ejus Erroribus.*

BArdesanes Syrus, Edessæ natus, regnante Marco Aurelio Antonino floruit. In Ecclesia fuit celeberrimus ob singularem eruditionem, & in fide propugnanda constantiam. Apollonio namque Philosopho Imperatoris familiari, ut se Christianum negaret, suadenti, acquiescere noluit; ac propemodum inter fidei Confessores relatus est. Etenim pietatis patrocinio fortissimè suscepto, sapienter inprimis respondit; negavitque mortem se timere, cujus, etsi Imperatori non resisteret, sibi nihilominus necessitas immineret. (ut testatur Sanctus Epiphanius, Hæresi 56.) Valentiniani erroris maculam tam præclaræ famæ aspersit. In Valentini namque schola educatus, cujus etiam errores & multiplices fabulas coarguit, veteres illius erroris sordes non eluit omnino, ut refert Eusebius lib. 4. cap. ultimo.

2. Mortuorum resurrectionem Bardesanes negavit. (Ex Sancto Epiphanio) Ejus errores confutavit Sanctus Ephrem Syrus. (Ex Theodoreto lib. 1. Hæreticarum Fabularum cap. 22.) Lugendus tanti viri lapsus. Multùm enim profuit Ecclesiæ, scribendo infinita adversùs omnes penè Hæreticos, qui ejus ætate pullulaverant: in quibus clarissimus ille est & fortissimus liber, quem M. Antonio, *de Fato*, tradidit, teste Sancto Hieronymo, in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum cap. 44.

## ARTICULUS X.

*De Theodoto, & ejus Hæresi; necnon de Artemone.*

I. THeodotus Bysantinus, arte Coriarius, Christi nomine in persecutione negato, ut se à Fidelium justis exprobrationibus tueretur, Deum se non negasse, sed hominem duntaxat, Christum scilicet, effutiit, atque deinceps Christum hominem merum ac nudum esse propugnavit. (Ex Authore appendicis ad librum Tertulliani de Præscriptionibus cap. ultimo, ex Sancto Epiphanio Hæresi 54. & ex Theodoreto, lib. 2. Hæreticarum Fabularum cap. 5.) A Victore Pontifice Maximo excommunicatus est (ex Theodoreto.) Hæresis Alogorum vel author fuit, vel propagator Theodotus: qui Verbum divinum semper à Patre genitum, incarnatum negabant: Sancti Joannis Evangelium & Apocalypsim, ut Cerinthi fœtus stultè repudiantes. De his Sanctus Epiphanius, Hæresi 51.

II. Theodoto Coriario sese adjunxit Theodotus alter Trapezita, qui ejus errori addidit, Christum inferiorem esse Melchisedecho, eo Davidis versu abusus, quem de Christo cecinit: *Tu es Sacerdos in æternum, secundùm ordinem Melchisedech.* Illumque Melchisedechum cœlestem virtutem esse, & Christo meliorem, ut qui sit sine Patre, sine Matre, sine Genealogia (Ex authore appendicis ad lib. Tertulliani de Præscriptionibus cap. ultimo) Hinc Melchisedechiani Hæretici: de quibus Epiphanius 55. Theodoretus lib. 2. Hæreticarum Fabularum cap. 6. & Sanctus Augustinus lib. de Hæresibus.

III. Theodoti Coriarii hæresi simillima fuit illa Artemonis, qui Dominum nostrum Jesum Christum nudum etiam hominem esse dixit, natum ex Virgine, Prophetis virtute præstantiorem. Hæc autem dicebat etiam Apostolos prædicasse, divinarum Scripturarum sensum pervertens: ab iis autem qui ipsos secuti sunt, divinitatem Christo tributam, cùm Deus non esset (ex Theodoreto, lib. 2. Hæreticarum Fabularum cap. 4.)

Artemonis porro discipuli suum errorem traditione firmatum esse impudenter effutiebant, quæ primùm à Zephirino interrupta fuisset (ut testatur Author Anonymus libri contra hanc hæresim editi, apud Eusebium, lib. 5. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 27.) qui Author hanc Hæreticorum illorum insolentem jactationem, & putidam calumniam sic refellit: *Aiunt isti, omnes majores nostros, & ipsos Apostolos, ea quæ ipsi jam affirmant, non modò à Domino accepisse: verùm etiam alios eadem docuisse. & veram prædicationis rationem usque ad Victoris tempora, qui decimus tertius à Petro Romæ Episcopus fuit, integrè servatam illam quidem, sed à Zephirino illius successore penitus corruptam, & depravatam fuisse. Atque profectò quod ab illis dicebatur, multum fortasse videri potuisset habere probabilitatis, nisi primùm sacræ Scripturæ testimonia illis contradicerent: deinde fratrum quorumdam scripta superessent, Victoris temporibus multò antiquiora: quæ illi tum contra Gentiles pro veritatis defensione, cùm contra hæreses, quæ id temporis grassabantur, scripserunt: ut Justini, Miltiadis, Tatiani, Clementis, & aliorum nonnullorum: in quorum omnium libris Christus verè Deus esse confirmatur. Quis Irenæi, quis Melitonis, quis ceterorum libros ignorat, qui Christum Deum & hominem constanter asseverant? Quot item Psalmi, quot Hymni à fratribus fidelibus antiquitus præscripti, qui Christum Verbum Dei, verum Deum esse, concentu quodam celebrant? Cùm igitur ex tot annorum spatio Doctrina Ecclesiastica verè annuntiata fuerit, quomodo fieri potest, ut illi Patres, qui ad Victorem usque vitam produxerunt, sic, ut illi asserunt, prædicarint? Aut quomodo non illos pudet hæc Victori tam falsò objectare? Præsertim cùm exploratè cognitum habeant Victorem, Theodotum illum Coriarium (qui primus Christum solùm hominem dicebat) ducem & quasi parentem hujus impiæ & execrandæ à fide defectionis, Christum Deum pernegantis, Christiana Communione interdixisse. Quod si Victor eadem sentire cum illis visus fuisset, quo pacto, aut qua ratione adductus Theodotum, hujus erroris inventorem, ab Ecclesia ejicere in animum induxit?*

Hæc operæ pretium duxi referre, quia Socinianorum errorem profligant, Christi Divinitatem negantium, contendentiumque trium priorum sæculorum Patres tam nefario dogmati non refragari.

## ARTICULUS XI.

*De Apelle, & ejus Hæresi.*

APelles Marcionis discipulus, præter alios errores, quos cum ipso communes habuit, à virgine quadam Philumene, revelationes & miracula mentiente, deceptus ac depravatus, finxit Filium Dei è cœlo descendentem, sibi corpus ex quatuor elementis compegisse, quibus in Cœlum ascendens reddidit quæ ab iis mutuatus fuerat, solam in Cœlos animam inferens (Ex Authore Appendicis ad librum Tertulliani de Præscriptionibus cap. 51. ex Sancto Epiphanio Hæresi 44. & ex Sancto Augustino lib. de Hæresibus.) De Apelle verus Tertullianus ita scribit lib. de Præscriptionibus cap. 6. *Providerat jam tunc Spiritus Sanctus futurum in Virgine quadam Philumene Angelum seductionis, transfigurantem se in Angelum lucis, cujus signis & præstigiis Apelles inductus, novam hæresim induxit.* Et cap. 30. *Si & Apellis stemma retractandum est,* inquit, *tam non vetus & ipse, quàm Marcion institutor & præformator ejus: sed lapsus in fœminam, desertor*

continentia

*continentia Marcionensis, ab oculis sanctissimi Magistri Alexandriam secessit. Inde post annos regressus non melior, nisi tantum quia jam non Marcionites, in alteram fœminam impegit, illam virginem Philumenem, quam supra edidimus, postea vero immane prostibulum & ipsam, cujus energemate circumventus, quas ab ea didicit, phaneroses scripsit.*

De Philumene, quam ex memoriæ lapsu viris etiam maximis contingente, Severo tribuit, non Apelli, ita scribit Sanctus Augustinus lib. de Hæresibus: *Hic præterea Philumenem quandam puellam dicebat divinitus inspiratam ad prænuntianda futura, ad quam somnia atque æstus sui animi referens, divinationibus, seu præstigiis ejus secretim erat solitus præmoneri, eodem phantasmate eidem Philumenæ pueri habitu se demonstrante, qui puer apparens, Christum se aliquando esse assereret, aliquando Paulum: à quo Phantasmate sciscitans, ea soleret respondere, quæ se audientibus diceret. Nonnulla quoque illam miracula operari solitam, inter quæ illud præcipuum, quod in angustissimi oris ampullam vitream panem grandem immitteret, eumque extremis digitulis levare soleret illæsum, eòque solo, quasi divinitus sibi dato cibo fuisset contenta.*

2. Apelles Prophetarum oracula ex spiritu sibi ipsi repugnante edita fuisse effutiebat. ( Ex Rhodone Asiatico, apud Eusebium lib. 5. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 13. )

Apellem impugnavit Rhodon inter Scriptores Ecclesiasticos celeberrimus. De cujus cum dicto Hæresiarcha congressu, lege Eusebium loco mox citato. Scripsit adversùs palmarem ejus errorem, quo Filium Dei ex elementis corpus sibi concinnasse asserebat, Tertullianus lib. de Carne Christi. cap. 6. 7. & 8. Lege & Sanctum Epiphanium. Hæresi 44.

Emersit Apellis Hæresis sub Imperio Antonini Pii, & Pontificatu Telesphori, circa annum Christi 146.

## ARTICULUS XII.

### *De Hæresi Adamitarum.*

PRodicus è Gnosticorum schola, infamem Adamitarum Sectam instituit. Hi suis in conventiculis, omni pudore deposito, nudi suos ritus obibant. Uxorum communio, decretum erat sectæ: promiscuus concubitus, mystica initiatio. Si quis, eorum judicio, in culpam lapsus videretur, hunc è sua extrudebant Ecclesia, ut Adamum è paradiso: Suam namque Ecclesiam paradisi nomine exornabant. Hos irridet, ac refellit Sanctus Epiphanius, Hæresi 52. De his etiam Theodoretus, lib. 1. Hæreticarum Fabularum cap. 6. & Sanctus Augustinus lib. de Hæresibus ad Quodvultdeum; ubi addit, *Ipsos nuptias aversatos fuisse, quia nec priusquam peccasset Adam, nec priusquam dimissus esset de paradiso, cognovit uxorem. Credebant ergo quòd nuptiæ futuræ non fuissent, si nemo peccasset.*

## ARTICULUS XIII.

### *De Ophitarum Hæresi, ac Sethianorum.*

1. OPhitæ, Valentinianorum soboles, Euphratem quemdam suæ impietatis authorem habuerunt. ( Ex Origine lib. 6. contra Celsum ) Christum in serpentis speciem transformatum effutiebant, sive hunc ipsum serpentem esse, qui Adamum & Evam deceperit. ( Ex Sancto Epiphanio Hæresi 37. ex Theodoreto lib. 1. Hæreticarum Fabularum cap. 14. & ex Sancto Augustino lib. de Hæresibus ad Quodvultdeum. ) Serpentem propterea adorabant: & in mensam ubi propositi panes erant, incantationibus quibusdam, è spelunca in qua nutriebatur, advocatum, & circa panes illos gyrantem osculabantur, atque ita suam confici Eucharistiam dicebant. ( Ex iisdem Patribus ) Asserebant proinde Christum in substantia carnis non fuisse. ( Ex Authore appendicis ad lib. Tertulliani de de Præscriptionibus cap. 47. ) Ipsos Jesum à Christo distinxisse, author est Theodoretus; & asseruisse, Jesum quidem ex Virgine natum, Christum autem de cœlis in ipsum descendisse. Hinc Jesum execrabantur, quotquot sectæ nomen dabant, ut testatur Origenes, lib. 6. contra Celsum, diluens calumniam quam affingebat Christianis de religione erga serpentem. *Tale quiddam*, inquit, *Celsus mihi videtur perstruens, dixit à Christianis Deum creatorem vocari execrabilem, ut qui hujus calumniæ credat, Christianos, tanquam extreme impios, ad internecionem prosequatur odio. Hic miscens & confundens omnia, quasi causam redditurus, cur Deus ille, juxta Mosem mundi creator dicatur execrabilis ab hujus opinionis authoribus, ait hoc ideo factum, quia execratus est serpentem, qui primis hominibus boni malique scientiam indidit. Atqui debuerat scire, istos, quibus serpens placet, ut bonus primorum hominum consiliarius, Titanibus, & Gigantibus magis impios, Ophianos ob id vocatos, tantùm abesse ut Christiani sint, ut non minùs quàm Celsus, Jesum accusent, nec quemquam admittant in suum sodalitium, nisi priùs Jesum execratus fuerit. Vide quàm absurdè Celsus faciat, in oratione contra Christianos admiscens ut Christianos, qui ne nomen quidem Jesu audire sustinent, vel quatenus vir bonus fuit, & sapiens. Quid igitur stultius, vel serpentem pro authore bonorum habentibus, vel Celso qui quod in Ophianos jaculatur, putat in Christianos cadere?*

II. Ophitas eosdem cum Sethianis fuisse existimat Theodoretus. Sanctus Epiphanius diversos numerat: ita tamen ut non magno invicem discrimine separentur. De his agit Hæresi 39. Refert ipsos Sethum Adami filium existimâsse Christum esse: duo hominum admisisse genera, quorum unum à Caino, alterum à Setho duceret originem; & multis libris Apocryphis usos esse.

## ARTICULUS XIV.

### *De Cainanorum Hæresi.*

CAinani è Valentini etiam castris prodierunt. Cainum à potentiori quadam virtute derivatum prædicabant, nec non & Esau, Core, Dathan, & Abiron; & Sodomitas: Abelum verò ab imbecilliori virtute prodiisse. Quapropter impios illos ac reprobos venerabantur. 2. Judam Iscariotem colebant, nonnulli quòd prodidisset Christum Legis instituta violantem & antiquantem; alii, quòd Christum, licèt optimum, Judæis tradendo, saluti nostræ consuluisset: unde magnas ipsi referendas esse gratias asserebant. 3. Evangelium sub nomine Judæ proditoris obtrudebant, & sequebantur. 4. Cum Carpocrate sentiebant, neminem salutem consequi posse, nisi qui omnia flagitia implevisset. 5. Pro variis impudicitiæ formis fingebant Angelos quosdam, qui nefandis illis facinoribus colerentur: & cùm illa perpetrabant, illum invocabant Angelum, qui flagitio præesset, suam illi intemperantiam & libidinem offerentes. 6. Perfectam scientiam in iis operationibus positam asserebant, quas ne nominare quidem fas est. ( Ex Sancto Irenæo, lib. 4. adversùs Hæreses, cap. 35. Sancto Epiphanio, Hæresi 38. Theodoreto, lib. 1. Hæreticarum Fabularum cap. 15. Authore appendicis ad librum Tertulliani de Præscriptionibus,

cap. 47. ) 7. Blasphemabant Legem, & Deum Legis Authorem, carnisque resurrectionem negabant. ( Ex Sancto Augustino, lib. de Hæresibus ad Quodvultdeum ) 8. Baptismum ad salutem necessarium esse illi Hæretici negabant. Hoc errore Quintilla mulier pestilentissima, Tertulliani temporibus, plerosque infecit, ut testatur ipse libro de Baptismo, cap. 1. *Atque adeo nuper*, inquit, *conversata istic quædam de Caina Hæresi vipera venenatissima, doctrinâ sua plerosque rapuit, in primis baptismum destruens: plane secundum naturam: nam fere viperæ & aspides, ipsique reguli serpentes, arida & inaquosa sectantur. Sed nos pisciculi secundum Ιχθὺν nostrum Jesum Christum in aqua nascimur, nec aliter quam in aqua permanendo salvi sumus. Ita Quintilla monstrosissima, cui nec integrè quidem docendi jus erat, optime norat pisciculos necare, de aqua auferens.*

## ARTICULUS XV.

### *De Hermogene, & ejus Erroribus.*

HErmogenes, cadente secundo Sæculo à Christianis ad Stoïcos Philosophos defecit. Ejus error palmaris in eo fuit, quòd assereret materiam esse ingenitam & infectam, Deoque coæternam. De eo Tertullianus, qui ipsum adhuc spirantem impugnavit, ita scribit, lib. adversùs Hermogenem, cap. 1. *Hermogenis autem doctrina tam novella est, denique ad hodiernum homo in sæculo, & naturâ quoque hæreticus etiam turbulentus: qui loquacitatem facundiam existimet: & impudentiam, constantiam deputet, & maledicere singulis, officium bonæ conscientiæ judicet. Præterea pingit illicitè; nubit assiduè, legem Dei in libidinem defendit, in artem contemnit, bis falsarius, & cauterio, & stylo, totus adulter, & prædicationis, & carnis, siquidem & nubentium contagio fœtet: nec ipse Apostolicus Hermogenes in regula perseveravit. Sed viderit persona, cum doctrina mihi quæstio est. Christum Dominum non alium videtur cognoscere, alium tamen facit, quem aliter cognoscit, immo totum quod est Deus, aufert, nolens illum ex nihilo universa fecisse. A Christianis enim conversus ad Philosophos, de Ecclesia in Academiam & Porticum, inde sumpsit à Stoïcis materiam cum Domino ponere, quæ ipsa semper fuerit, neque nata, neque facta, nec initium habens omnino, nec finem: ex qua. Dominus omnia postea fecerit.*

Ignarum fuisse Hermogenem idem Tertullianus testatur cap. 3. cùm ait: *Adjiciam & ego propter non intelligentes, quorum Hermogenes extrema linea est*, &c. & cap. 45. *Hermogenes eundem statum describendo materiæ, quo est ipse; inconditum, confusum, turbulentum, ancipitis, & præcipitis, & fervidi motus, documentum artis suæ dum ostendit, ipse se pinxit.* Afferunt præterea hic Hæresiarcha: *Christi corpus in sole depositum esse: diabolum autem & dæmones in materiam refundendos.* ( Ex Theodoreto, lib. 1. Hæreticarum Fabularum cap. 19.) Sabellium eum etiam errorem propugnasse Author est Sanctus Augustinus, lib. de Hæresibus.

Hanc Hæresim impugnarunt, Tertullianus toto libro adversùs Hermogenem, Eusebius Cæsariensis, lib. 7. de Præparatione Evangelica; cap. 19. 20. 21. & 22. & Lactantius, lib. 2. Divinarum Institutionum, cap. 9.

## CAPUT IV.

### *De Authoribus Ecclesiasticis, qui secundo Nomine Christiani Sæculo floruerunt.*

SEcundo Sæculo Ecclesiam scriptis illustrarunt Linus, Papias, Quadratus, Aristides, Sanctus Justinus, Tatianus, Hegesippus, Melito, Philippus Gortinensis, Modestus, Musanus, Apollinaris Hierapolitanus, Dionysius Corinthius, Theophilus Antiochenus, Rhodon, Athenagoras, Miltiades, Serapion, Irenæus, Pantenus, Apollonius, Clemens Alexandrinus, Tertullianus, & alii, de quibus agemus sequentibus Articulis.

## ARTICULUS I.

### *De Papia, Quadrato, & Aristide.*

SAnctus PAPIAS Joannis Senioris, non Apostoli auditor, Hieropolitanus in Asia Episcopus, Sancti Polycarpi familiaris, Libros quinque edidit, qui *Expositio sermonum Domini* inscribuntur. Apostolorum dicta ab his, qui cum illis versati fuissent, fatetur se excepisse. Aristionis autem & Joannis Presbyteri se fuisse auditorem. Hic fabulæ de millenario Christi regno Author fuit. De eo agunt Eusebius, lib. 5. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 33. & Sanctus Hieronymus in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum, in Papia.

II. QUADRATUS Apostolorum Discipulus, Apologiam, pro Religione nostra à se conscriptam, porrexit Adriano Imperatori, librum valde utilem, plenumque rationis, ac fidei, & Apostolicâ doctrinâ dignum: quem se præ manibus habuisse testatur Eusebius. Nec Apologiam tantùm Imperatori obtulit: sed Oratione coram habita ipsum compellavit, ut persecutionem in Christianos æstuantem compesceret: quod ipsum obtinuisse Sanctus Hieronymus testatur Epistolâ 84. ad Magnum Oratorem Romanum data. Lege Eusebium lib. 4. Historiæ cap. 3. & Sanctum Hieronymum in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum in QUADRATO.

Distinguendus est *Quadratus* iste ab altero cognomine Atheniensium Episcopo, *Publii* successore, cujus meminit *Eusebius* libro IV. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. XXIII. quamquam illos confuderint *Sanctus Hieronymus* in Catalogo, & Epistolâ LXXXIV. ad *Magnum*, Venerabilis *Beda*, & Græcorum Menologia: sed confundendos non esse rectè probat *Valesius*; tum quia, prior iste Christianæ Religionis Apologista Episcopus non fuit, ut constat ex *Eusebio* libro III. cap. XXXVII. & lib. IV. cap. III. tum quia discipulus fuit Apostolorum, floruitque Imperante *Adriano*, alter verò *Antonini* Imperatoris tempore.

III. ARISTIDES Atheniensis Philosophus eloquentissimus, Apologiam pro fide nostra eidem Imperatori obtulit, Philosophorum sententiis contextam. ( Ex Eusebio ibidem, & Sancto Hieronymo, in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum cap. 31. )

## ARTICULUS II.

### *De Sancto Justino.*

JUSTINUS Prisci Bacchii filius, patriam habuit Neapolim urbem Palæstinæ; Romæ commoratus, sermonibus pariter ac vita, pariter ut habitu, Philosophum egit. Crescentem Cynicum adversarium habuit, cum ipsi, tum vitæ, cultuique ac religioni ejus obnitentem, à quo tandem insidiosè accusatus, Martyrium oppetiit (ut supra diximus, agendo de persecutione Marci Aurelii, & L. Veri) Floruit circa annum Christi 142. ad annum 163. quo Martyrio coronatus est. Qua ratione omnes Philosophorum Scholas atque Sectas scrutatus fuerit, & potissimùm sese addixerit Platonicæ Philosophiæ, ac tandem Philosophiæ vanitate cognita, sese contulerit ad lectionem Prophetarum, incogniti cujusdam senis congressu & colloquio excitatus: atque inde veram Philosophiam, hoc est Christi fidem hauserit, narrat ipse initio Dialogi cum Tryphone; quam narrationem cum fructu maximo nemo non leget. Hanc porro sic concludit: *Confestim vero in animo meo ardor excitatus est, & amor me invasit Prophetarum, & virorum illorum, qui Christo chari sunt & amici, ac revolutos ipse mecum sermones illius, hanc ipsam solam comperi esse certam, atque utilem Philosophiam, atque ad hunc modum, & per hæc ipsa, ego Philosophus prodii. Pervelim profectò omnes eandem mecum ineuntes animo rationem, non alienos esse à Servatoris doctrina. Timorem namque quendam in se habet, & idonea est ad terrendos, persuadendosque eos, qui à recta transversim sunt acti via: & qui in ea se exercent, suavissima eis contingit quies.*

De Scriptis Sancti Justini ita scribit Eusebius, lib. 4. cap. 17. *Hic Justinus multa sanè, & præclara sui ingenii sacrarum literarum cognitione accuratè informati, & in eisdem valde diligenter exercitati monumenta nobis reliquit; eaque certè plena utilitatis, & commodi cujusque generis.*

S. Justini Opera. Hæc autem genuina sunt sanctissimi Philosophi & Martyris Opera: Apologia duplex pro Christiana Religione, una Antonino Pio Imperatori, & filiis ejus, Romanoque Senatui dicata; altera ejus Successoribus, M. Antonino Vero, & L. Aurelio Commodo. Item Cohortatio duplex ad Græcos, quam nomine voluminum, seu librorum contra Gentiles, Eusebius & Sanctus Hieronymus significarunt. 3. Liber de Monarchia Dei, qui modò non extat. 4. Liber inscriptus Psaltes, quem pariter tempus nobis invidit. 5. Commentarius de Anima, qui pariter desideratur. 6. Dialogus seu Disputatio habita Ephesi cum Tryphone Judæorum tunc temporis facilè Principe, in qua ex Oraculis Prophetarum, Christum esse verè Deum, & verum Messiam disertissimè probat. 7. Libri contra Marcionem quorum meminit Sanctus Irenæus lib. 5. adversus Hæreses. 8. Liber contra omnes Hæreses, cujus ipse meminit Justinus, in Apologia Antonino Pio Imperatori oblata. Sed hi libri temporum injuriâ perierunt. Hæc Sancti Justini Opera recensent Eusebius lib. 4. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 17. Sanctus Hieronymus in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum cap. 34. Photius in Bibliotheca Codice 125. Addit Photius Tractatum à Justino editum, contra primum & secundum librum Physicæ Auscultationis, sive contra formam, materiam, & privationem: itidemque contra quintum illud corpus, motumque sempiternum, quem vi rationum suarum Aristoteles peperit: Quæstionum denique contra Christianam Religionem summarias solutiones. Ex quibus colligitur, Aristotelicorum Dogmatum eversionem Sancto Justino inscriptam, non esse genuinum ejus Opus; siquidem non primum duntaxat & secundum Physicæ Auscultationis librum, verumetiam tertium, quartum, quintum, & octavum; & insuper primum, secundum, & tertium librum de Cœlo impugnat, & evertere conatur.

Liber De Monarchia, non est S. Justini. II. Extat liber de Monarchia Sancto Justino adscriptus: sed Justini non esse germanum Opus Viri Eruditi contendunt. Primò quia eundem non præ se fert titulum quem liber ab Eusebio, & à Sancto Hieronymo memoratus. Illo enim inscribebatur, *de Monarchia Dei*: hic verò simpliciter, *de Monarchia*. Secundò, quia hujus libri Author ex solis Poëtarum Græcorum testimoniis illum compegit, & adornavit: Justinus verò suum de Dei Monarchia librum non solùm testimoniis ex Gentilium libris petitis, sed etiam *ex sacris Literis quæ apud nos sunt*, roboravit (teste Eusebio, lib. 4. Historiæ cap. 17.) unde cùm ne unus quidem sacrarum Scripturarum apex in eo qui extat sub nomine Sancti Justini, de Monarchia, libro citetur, constat illum Pseudepigraphum esse.

Liber Quæstionum Christianarum ad Græcos, S. Justino ascriptus. III. Liber Christianarum ad Græcos Quæstionum, Græcarumque Responsionum, & earum responsionum confutationis, Sancto Justino falsò affictus est. Meminit namque non semel hæreseos Manichæorum, & eam impugnat; cùm Justinus integro & ampliùs sæculo Manichææ hæresis exordia anteverterit. Deinde hujus libri stylus longè stylo Sancti Justini dissimilis est, de quo Photius, loco supra citato suæ Bibliothecæ scribens, hæc habet: *Est autem vir ille ad Philosophia, tum nostratum potissimùm profana summum evectus fastigium, multiplicisque eruditionis, & historiarum copia circumfluens. Sed Rhetorico artificio nativam Philosophiæ suæ pulchritudinem colorare haud studio habuit. Quamobrem etiam oratio ejus, pollens alioqui ac valida, scientificumque servans stylum, Rhetorica illa condimenta non spirat: nec illecebris, & blandimentis vulgus auditorum attrahit.*

Expositio Fidei de sancta & consubstantiali Trinitate, falsò præfert S. Justini nomen. IV. Expositio fidei de recta confessione, sive de sancta consubstantiali Trinitate, non est genuinum Justini Opus. Id probat eloquens Veterum silentium, qui Justini Opera recensentes, illius non meminerunt, cum tamen in controversiis de Trinitate multùm habitura ponderis esset illis temporibus Justini authoritas. Secundò, vocabula ὁμοούσιος, τριάδος μονάδος, Justino non conveniunt, qui has voces in genuinis libris nusquam usurpavit, cùm tamen de Trinitatis adorandæ mysterio, ac divinis Personis interdum egerit. Tertiò è priorum trium sæculorum Patribus nemo tam perspicuè disseruit de Trinitate. 4. Hæ sententiæ ex Niceni Concilii Symbolo, & ex Symbolo Sancti Athanasii videntur exceptæ: *Ille siquidem* (Filius) *lumen de lumine geniti modo reluxit: hic vero de lumine lumen & ipse, non geniti, sed procedentis modo progressus est. Ita nos cum Patre coæternum, ita substantia unum, & eundem...... ita in Trinitate unitatem, & in unitate Trinitatem cognoscimus.* Nonne enimverò hæc eadem fere sunt verba, idemque omnino sensus cum his Niceni Symboli? *Deum de Deo, lumen de lumine....... genitum non factum, consubstantialem Patri?* & cum his Athanasiani Symboli, *Ut unum Deum in Trinitate, & Trinitatem in unitate veneremur.*

5. Incarnationis Mysterium nullibi apud Patres clariùs explicatum videtur, quam hoc in Opere. Nullibi naturæ divinæ & humanæ distinctio post unionem luculentiùs asserta, & nitidioribus exemplis illustrata; nullibi inhabitatio Verbi in humanitate assumpta clariùs exposita est. Unde

colligitur

posteriorem esse, nec soli porrectam Senatui, sed Imperatoribus; M. Aurelio, & L. Vero; eam verò, quæ inscribitur secunda, ad Antoninum Pium, revera primam esse. Id omninò constat ex Eusebio, Sancto Hieronymo, & Photio, locis supra citatis, ubi testantur Sanctum Justinum priorem pro Christianis Apologiam Antonino Pio; posteriorem, post ejus mortem, Aurelio ac Vero Imperatoribus exhibuisse. Deinde Eusebius lib. 4. Historiæ cap. 15. verba quædam ex secunda Apologia commemorat; quibus mortem sibi à Crescente Cynico impendere dixit, quæ in ea leguntur, quæ primo loco habetur inter Opera Justini, & ad Senatum inscripta est. Illa igitur est secunda, non prima.

Dices. Eusebius, cap. 16. Christianæ mulieris Historiam quamdam ex priore Justini Apologia recenset, quæ in prima hodierna continetur. Ergo hæc revera prima est.

Respondeo, Librariorum incuriâ & oscitantiâ τῇ δευτέρᾳ pro τῇ πρώτῃ, irrepsisse: nam perspicuè secundam illam esse significat Eusebius, quam nos primam facimus; primam autem, quæ nobis est secunda (ut ex cap. 11. libri mox laudati constat) ubi ejusdem Apologiæ 2. titulum refert omninò eundem cum illo qui præfixus est Apologiæ, quæ inter Opera Justini secunda legitur. Hanc tamen Apologiam secundam *Antonino Pio*, Imperatori, non verò ejus successori *M. Aurelio*, ut asserit *Eusebius*, oblatam fuisse, *Valesius* contendit ad cap. XVII. lib. IV. Eusebianæ Historiæ, tribus potissimùm fretus argumentis. 1. Quòd in hac Apollogia libellus dicatur à muliere Imperatori oblatus: Non ergo, inquit, *Antonini Pii* successoribus; aliàs *Justinus* in plurali numero *Imperatoribus* dixisset: *Marcus* enim & *Verus* simul erant Augusti. 2. Quòd hæc *Lucii* Martyris verba, *Non hæc decent Imperatorem Pium, non Philosophi Cæsaris Filium*, quæ optimè *Antonino Pio* congruunt, de *Marco* intelligi non possint. 3. Quòd *Urbicius* sive *Urbicus* Præfectus, cujus meminit *Sanctus Justinus* in Apologia, sub *Pio* vixerit; idem quippe fuerit, qui apud Capitolinum in *Pio*, Apuleium in Apologia, & *Gruterum* pag. 38. *Quintus Lollius Urbicus* appellatur. Verùm Eusebii, Sancti Hieronymi, & Chronici Alexandrini testimonio firmata veritas his argumentis non convellitur, quibus respondere haud operosum est. Primò enim Mulier libellum Imperatori obtulisse dicitur, quòd tunc *Lucius Verus* Marci Aurelii Collega ab urbe Roma abesset. Ipsum enim statim atque à *M. Aurelio* in Imperii consortium assumtus est, adversùm Parthos, quorum Rex *Vologæsus* Bellum Romanis indixerat, profectum esse, & hac occasione quatuor saltem annos in Syria egisse, testes sunt Julius Capitolinus & Dio Xiphilini in Vita *L. Veri*. Quòd verò nomen *Pii* etiam *M. Aurelio* Antonini Pii Filio tributum fuerit, nihil mirum. Quid si *Pium* appellavit *Lucius*, non quòd proprium ejus nomen fuerit, sed ut ipsum qui humanissimi Principis laudem affectabat, ab Innocentium Christianorum persecutione avocaret. Denique quamvis concedatur *Urbicium* à *Sancto Justino* memoratum eumdem fuisse qui sub *Antonino Pio* Urbis Præfecturam gessit, nihil prohibet quin eumdem Magistratum sub illius successoribus gesserit.

ARTICULUS III.

*De Tatiano, Hegesippo, & Melitone.*

I. TATIANUS Assyrius vir planè cum primo ætatis suæ flore Græcis disciplinis deditus, tum in iisdem postea non exiguam gloriæ amplitudinem consecutus, sicut & eloquentia singulari, Justini Martyris discipulus fuit, celebris in Ecclesia, quamdiu ab ejus latere non discessit. Infinita scripsit volumina, è quibus unus contra Gentes florentissimus extat liber, qui inter omnia ejus Opera fertur insignis. Habetur ad calcem Operum Sancti Justini & Tom. 1. Biblioth. Patrum Græco-Latinæ. Floruit sub Imperatoribus M. Antonino Vero, & L. Aurelio Commodo. Hujus meminerunt Eusebius, lib. 4. Historiæ cap. 15. & Sanctus Hieronymus in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum cap. 40.

II. S. HEGESIPPUS qui Aniceti & Eleutheri Romanorum Pontificum temporibus floruit, quinque libros Ecclesiasticæ Historiæ scripsit, sermone simplici, ut Apostolorum, quorum vitam sectabatur, dicendi quoque exprimeret caracterem. Perierunt hi libri magno Reipublicæ Christianæ detrimento. Quædam ex iis fragmenta refert Eusebius, lib. 2. cap. 22. lib. 3. c. 20. & 32. & lib. 4. Historiæ Ecclesiasticæ c. 8. & 22. Hujus meminit & Sanctus Hieronymus in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum cap. 33. Non est istius Hegesippi Historia Excidii Hierosolymitani 5. libris digesta, sed alterius junioris, qui post Constantini Magni tempora vixit.

III. MELITO Asianus, Sardensis Episcopus, floruit sub M. Antonino Vero Imperatore, cui Libellum pro nostra religione Apologeticum obtulit, ex quo nihil superest præter fragmentum ab Eusebio exscriptum libro IV. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. XXVI. Multa alia ipsius Opera recensent Eusebius ibidem, & Sanctus Hieronymus in Catalogo, quæ magno Ecclesiæ & rei Literariæ damno perierunt, scilicet libros duos *De Paschate*, librum unum *De recta vivendi ratione, & de Prophetis*: alium *De Ecclesia*: alium *De die Dominico*, Item librum *De Natura hominis*. Alium *De Formatione*. Alium *De obedientia sensuum Fidei*. Præterea, librum *De Anima & corpore & mente*: Librum *De Lavacro*: Librum *De Veritate*; Librum *De Generatione Christi*. Item alium *De Prophetia*; alium *De Hospitalitate*; alium qui *Clavis* inscribebatur. Adhæc, *De Diabolo, & de Revelatione Johannis*. Item librum *De Incarnatione Dei*. In libro *De Paschate*, tempus ipsum quo scribebat in principio Operis sui adnotaverat his verbis: *Servilio Paulo Asiæ Proconsule, quo tempore Sagaris Martyrium perpessus est, magna controversia Laodiceæ excitata est de solemnitate Paschali, quæ tempestivè in illos dies inciderat. Quibus etiam diebus hæc à nobis perscripta sunt*. Hujus autem Libri meminit *Clemens Alexandrinus* in Opere suo *De Paschate*; quod quidem ut conscriberet, *Melitonis* librum causam sibi præbuisse testatur. Ejus Epistolam ad *Onesimum* Eusebius ibidem refert, in qua Librorum Canonicorum Veteris Testamenti Catalogum describit hunc in modum: *Ego igitur cùm in Orientem profectus essem, & ad locum ipsum pervenissem, in quo hæc prædicata & gesta olim fuerunt, Veteris Testamenti Libros diligenter didici, eorúmque Indicem infra subjectum ad te misi. Est autem ejusmodi. Mosis libri quinque, Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium, Jesus Nave,*

*Judices, Ruth, Regnorum Libri quatuor, Paralipomenon duo. Psalmi Davidis, Salomonis Proverbia, quæ & Sapientia, Ecclesiastes, Canticum Canticorum: Job, Prophetarum, Isaiæ, Jeremiæ, & duodecim Prophetarum liber unus. Daniel, Ezechiel: Esdras.* Libros illos prætermittit, qui in Hebræorum Canone non habentur, scilicet Libros *Sapientiæ, Ecclesiastici, Tobiæ, Judith, Esther, & Machabæorum*, quos tamen Ecclesia pro Canonicis habet.

## §. UNICUS.

### *De libro Melitoni affixo, qui inscribitur, De Transitu Virginis.*

Extat hic Libellus tom. 7. Biblioth. Patrum Paris.

ANtiquissimus hic libellus est, quinto Sæculo jam confictus, & Melitoni suppositus. Hunc eidem S. Patri Trithemius adscripsit. Sed Melitonis non esse, plura evincunt. Primò silentium Eusebii, & S. Hieronymi, qui cùm Opera ipsius universa recenseant, hujus nusquam libri meminerunt.

2. Censura Gelasii in Synodo Romana sic pronuntiantis: *Liber, qui appellatur Transitus, id est, Assumptio Beatæ Mariæ, Apocryphus.*

3. Bedæ Venerabilis authoritas, Retractatione in Acta Apostolorum cap. 8. ubi hæc habet: *Si dispersâ Ecclesiâ Apostoli remanserunt in Hierusalem, ut Lucas ait, constat quia mendacium scripsit ille qui, ex persona Melitonis Episcopi Asiæ, librum exponens de obitu Beatæ Genitricis Dei, dicit quòd secundo post Ascensionem Domini anno, Apostoli fuerint omnes toto orbe ad prædicandum in suam quisque Provinciam divisi: qui universi, appropinquante obitu Beatæ Mariæ, de locis, in quibus prædicabant Verbum Dei, elevati in nubibus, rapti sunt Hierosolymam, ac depositi inter ostium domus ejus: Inter quos etiam Paulus ex persecutore ad fidem Christi conversus, qui assumptus est cum Barnaba in Ministerium Gentium: quæ Scriptura etiam specialiter de Joanne Apostolo refert, quòd eo tempore Ephesi prædicaverit, quæ cuncta verbis B. Lucæ apertè contradicunt, quibus narrat Apostolos, cæteris Fidelibus ab Hierosolymis propulsis, remansisse ibidem, & prædicasse per omnia, donec Ecclesia per totam Judæam, & Samariam, & Galilæam, pacem haberet. Quod in uno anno perfici non potuisse, nulli dubium est. Qui etiam manifestè insinuat, Paulum non secundo post Ascensionem Domini anno, sed longo post tempore, in Ministerium Gentium cum Barnaba ordinatum. Absit autem ut credamus, B. Joannem Apostolum, cui Dominus in Cruce Matrem suam Virginem Virgini commendavit, post unum annum recessisse, & eam reliquisse solam ac tanto tempore dejectam, ut etiam corpus suum defuncta timeret ab hostibus esse comburendum: cumque, propter quam raptus est in nubibus, ad se rediisse velut oblitum, sive incuriosum sui, solicita precaretur, dicens: Rogo te fili Joannes, ut memor sit verbi Magistri tui, Domini mei Jesu Christi, qui me commendavit tibi. Ecce enim vocata ingrediar viam universæ terræ, Audivi autem consilia Judæorum dicentium: Expectemus diem quando moriatur, quæ portavit Jesum Nazarenum, & corpus ejus comburamus: nunc ergo Fili, curam habete exequiarum mearum. Hæc ideo commemorare curavi, quia nonnullos novi præfato Volumini contra auctoritatem B. Lucæ, incauta temeritate assensum præbere.*

4. Idem evincit SS. Patrum, & Auctorum Ecclesiasticorum dubium de corporea Beatæ Virginis in Cœlos Assumptione: imò & Ecclesiæ veteris hac in re sobrietas, quæ redivivo corpore assumptam illam fuisse non asserit: quod argumento est, librum de transitu Beatæ Virginis, in quo Assumptio illa corporea tam disertè, tamque fidenter asseritur, habitum esse ab Ecclesia ut pseudepigraphum, nulliusque omnino ponderis.

Ecclesiæ sobrietas in Quæstione de corporea B. Virginis in cœlos Assumptione.

Quòd autem SS. Patres, & Authores antiqui in Ecclesia spectatissimi de receptione B. Virginis in cœlum redivivo corpore dubitaverint, constat primò ex S. Epiphanio, Hæresi 78. quæ est Antidicomarianitarum, ubi de ejus morte disserens, nonnullis eo de argumento præmissis, ait: *Quippe haud scio an de sanctissima illa ac beatissima Virgine obscura quædam inveniri vestigia possint, quæ incertam nobis illius mortis fidem faciant. Nam ex una parte illud occurret, quod Lucæ 2. de ea pronuntiat. Et tuam illius animam pervadet gladius..... Aliunde verò in Apocalypsi Joannis legimus: Draconem adversùs mulierem properasse, quæ marem pepererat; & datas ei esse pennas Aquilæ: & translatam esse in desertum, ne eam draco comprehenderet. Quod quidem in illa esse potest impletum. Quanquam illud non affirmo penitus: neque eas immortalem perseverasse definio, aut utrum mortua sit, confirmare possum. Quippe Scriptura sacra mentis humanæ captum prætergressa, rem in incerto reliquit, propter Vas illud eximium & præstans, ne quis carnis propriam ullam ei fœditatem adscribat. Sive igitur mortua sit, nescimus: sive consepulta sit. Non tamen ullam est maculam corporis experta: absit ut illud existimemus.*

Hincmarus apud Flodoard. lib. 3. Histor. Remensis, cap. 5. & cap. 13. Odilo in Serm. de Assumpt. Ivo, p. 4. Decret. cap. 152. Hugo Victor. lib. 3. de Erud. Theol. cap. 115. Durand. Mimat. lib. 7. de Divin. Offic. cap. 34.

2. Idem constat ex Sermone de Assumptione Beatæ Virginis qui Sancto Hieronymo adscriptus est, qui licèt Sancti Hieronymi non sit, vetusti tamen Authoris est, Hincmari Remensis Archiepiscopi, Odilonis Abbatis Cluniacensis, Ivonis Carnotensis, Hugonis de Sancto Victore, Durandi Mimatensis Episcopi, & complurium Ecclesiarum, præsertim Romanæ, quæ in Festo Assumptionis Beatæ Virginis, lectiones ex eo Sermone aliàs sibi compararunt, authoritate commendatus. Sic autem habet: *Ut Collegium vestrum discat, qualiter favente Deo, per singulos annos tota hæc dies expendatur in laudem, & cum gaudio celebretur, ne fortè si veniat in manus vestras illud Apocryphum de transitu ejusdem Virginis, dubia pro certis recipiatis, quod multi Latinorum pietatis amore, & studio legendi, charitate amplectuntur, præsertim cum ex his nihil aliud experiri possit pro certo, nisi quòd hodierna die gloriosa migravit à corpore....* Et infrà: *Hæc idcirco dixerim, quia multi nostrorum dubitant, utrum assumpta fuerit simul cum corpore, an abierit relicto corpore. Quomodo autem, vel quo tempore, vel à quibus personis, sanctissimum ejus corpus inde ablatum fuerit, vel ubi transpositum, utrùmque resurrexerit, nescitur, quamvis nonnulli astruere velint eam jam resuscitatam & beata cum Christo immortalitate in cœlestibus vestiri, quod & de Beato Joanne Evangelista ejus Ministro, cui virgini à Christo Virgo commissa est, plurimi asseverant, quia in sepulchro ejus (ut fertur) nonnisi manna invenitur, quod & scaturire cernitur: veruntamen, quid horum verius censeatur, ambigimus. Melius tamen Deo totum, cui nihil impossibile est, committimus, quàm ut aliquid temerè definire velimus auctoritate nostrâ, quod non probemus.*

3. Idem constat ex Sancto Ildefonso Toletano Archiepiscopo, Sermone 6. de Assumptione beatæ Virginis, dicente: *Nec sanè illud omittere debemus, quòd multi pietatis studio libentissimè amplectuntur, eam hodierno die à Filio suo Domino nostro Jesu Christo ad cœli corporaliter sublevatam palatia. Quod licet pium sit credere, à nobis tamen non debet affirmari, ne videamur dubia pro certis recipere. Verum enim hoc sit, necne, nos tamen credere convenit eam Filio suo in cœlestibus conregnare.*

4. Idem

4. Idem constat ex Venerabili Beda, sive ex Authore, quisquis est, libelli de Locis Sanctis, apud ipsum, cap. 6. ubi loquens de Ecclesia in Valle Josaphat, ait: *Ad ejus dexteram monumentum vacuum, in quo Beata Maria aliquando pausasse dicitur, sed à quo, vel quomodo sit ablata, nescitur.*

5. Idem constat ex Usuardo, in Martyrologio, 18. Calendas Septembris; ubi hæc habentur: *Dormitio Sanctæ Dei Genitricis Mariæ, cujus sanctissimum corpus, etsi non invenitur super terram; tamen pia mater Ecclesia ejus venerabilem memoriam sic festivam agit: ut pro conditione carnis eam migrasse non dubitet. Quò autem venerabile illud Spiritus Sancti Templum, nutu & consilio divino occultatum sit, plus elegit sobrietas Ecclesiæ cum pietate nescire, quam aliquid frivolum & apocryphum inde tenendo docere.* Hoc Martyrologium Parisiensis Ecclesia suum fecit ad annum usque 1540. Hoc diu usa est Romana, & multæ aliæ Ecclesiæ. Usuardi verba exscribit Ado Viennensis, in libello de Festivitatibus, ad 6. Idus Septembris, quibus addit: *Sufficiunt enim ei* ( Ecclesiæ ) *ad sanctitatem, & vitam Virginis & Matris Domini commendandam, Evangelistarum testimonia, nec de ea quærere ultra necessarium putat.*

Denique idem constat ex Notkero Abbate Monasterii Sancti Galli, qui sub Nicolai Primi Pontificatu florebat. Is namque in Martyrologio suo, ad 18. Calendas Septembris cùm multa de Assumptione Deiparæ Virginis præmisisset, nec se aliquid hac de re velle definire, de qua doctissimi Tractatores inter se dissiderent, hæc subjungit: *Hoc tamen certissimè cum universali Ecclesia, & credimus, & confitemur, quia si reverendissimum illud corpus, ex quo Deus est incarnatus, adhuc alicubi in terra celatur, revelatio utique illius ad destructionem Antichristi reservatur.*

Ex quibus omnibus constat, plurimos Patres, & Authores Ecclesiasticos dubitasse de Assumptione Beatæ Virginis in cœlum redivivo corpore, quam tanta fiducia asserit Author libelli de Transitu Beatæ Virginis, quem proinde Melitonis non esse judicarunt. Constat & ipsam Ecclesiam de eadem Assumptione corporea nihil compertum habuisse, ac proinde nullam habuisse illius libelli rationem.

Ultimò hunc apocryphum esse, probant figmenta Melitone indignissima, cujus *elegans, & declamatorium ingenium* laudat Sanctus Hieronymus, in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum.

Objicies. Ea quæ libellus de Assumptione Deiparæ Virginis asserit, à viris sanctissimis, & doctissimis fuisse asserta, saltem quòd redivivo corpore in cœlum migraverit, scilicet à Sancto Dionysio Areopagita lib. de divinis Nominibus cap. 3. à Sancto Gregorio Nazianzeno, in Tragœdia de Christo patiente; à Sancto Gregorio Turonensi, lib. 1. de Miraculis, cap. 4. à Sancto Gregorio Magno in Sacramentario, ad 19. Calendas Septembris, ubi notat Præfationem pro die festo *Assumptionis Virginis Mariæ.* Et in Oratione, quam usurpat Ecclesia, ait, *Sancta Dei Genitrix mortem subiit temporalem, nec tamen mortis nexibus deprimi potuit.* À Sancto Joanne Damasceno, Oratione prima de Beatæ Mariæ Dormitione, & Oratione 2. de ejus Assumptione inscripta, à Sancto Germano Constantinopolitano Archiepiscopo, Oratione in Dormitione Deiparæ; à Sancto Andræa Cretensi Archiepiscopo; à Fulberto Carnotensi, Serm. 2. de Nativitate Beatæ Mariæ Virginis; à Guiberto Abbate Novigentino, lib. 1. de Pignoribus Sanctorum, cap. 4. ab Hugone Victorino, lib. 3. de Eruditione Theologica, cap. 125. à Petro Blesensi, Sermone 28. in Assumptione Beatæ Virginis, à Sancta Elizabethi Saxonica, cui Assumptio corporea Beatæ Virginis revelata est, & quæ Opusculum ea de re edidit; à Sancto Bernardo Epistolâ 174. ab Ecclesia Græca, in suis Mæneis, à Metaphraste, à Guillelmo Parisiensi Episcopo, in Sermone de Assumptione, à Sancto Thoma, & omnibus è Schola Theologis. Nullius ergo momenti est argumentum, quo probavimus libellum de Transitu Beatæ Virginis affictum esse Melitoni, quia Deiparæ in cœlos Assumptionem redivivo corpore asserit, velut acceptam à Sancto Joanne Apostolo.

Respondeo, laudatos Patres, & Authores Ecclesiasticos, vel id nullatenus asserere, nec innuere quidem; vel ex Pseudo-Melitonis libro ea desumpsisse, vel id asseruisse singulari pietate, ut rem multis convenientiis probabilem, non ut veritatem inconcussam, & Scripturâ sacra, vel traditione constantem. Nam Sanctus Dionysius ait convenisse Apostolos *Ad contuendum corpus illud, quod Auctorem vitæ, Deumque receperat*; sed de corporali Beatæ Virginis in cœlum Assumptione nullum prorsus apud ipsum vestigium.

Sanctus Gregorius Nazianzenus ait quidem, Mariam, *Mortalitatis liberatam sordibus, ornatam jam immortalitatis stolâ.* Sed ea verba non significant eam in cœlum redivivo corpore fuisse receptam, alioqui sequeretur Apostolos & cæteros Cœlites, resumptis corporibus in cœlum receptos fuisse, quia stolâ immortalitatis donati sunt. Addiderim, Tragœdiam, quæ inscribitur, *Christus patiens*, non esse Sancti Gregorii Nazianzcoi, sed Apollinarii Laodiceni.

Sanctus Gregorius Turonensis, ea quæ de obitu, & resurrectione Beatæ Virginis narrat, desumpsit ex apocrypho libello Pseudo-Melitonis, cui fidem faciliùs adhibuit: quamobrem à Venerabili Beda tacitè notatus est his verbis: *Nonnullos novi præfato volumini incautâ temeritate assensum præbere.* Unde & Notkerus Abbas Sancti Galli, Scriptor eruditissimus, religioni non duxit, recensitâ in suo Martyrologio Gregorii Turonensis narratione, dubitationem de corporali Beatæ Virginis Assumptione suam scriptis consignare.

Sanctus Gregorius Magnus nomine Assumptionis non videtur intellexille corporalem Beatæ Virginis in cœlum migrationem. Eâ namque ætate id non importabat Assumptionis nomen ( ut constat ex Sancto Gregorio Turonensi, qui *Anniversarium Assumptionis Sancti Aviti* diem dixit, lib. de Gloria Confessor. cap. 99. ) Præterea qui Sermonem de Assumptione Beatæ Mariæ sub nomine Sancti Hieronymi composuit antiquissimus Author, paulò post Concilium Calchedonense, satis persuasum habuit nomen Assumptionis corpoream in cœlum migrationem non significare. Longè antè Eusebius Cæsariensis, lib. 4. de Vita Constantini, cap. 64. scripsit: *Imperator ad Deum suum assumptus est*: Quem tamen in corpore assumptum nemo dixerit. Sanctus Ildefonsus Gregorio Magno suppar multos de Assumptione Beatæ Virginis Sermones edidit, nec tamen credidit eam in cœlos redivivo corpore fuisse receptam.

Verba etiam Orationis, quam ex Sancto Gregorio Magno usurpat, & canit Ecclesia, *Nec tamen mortis nexibus deprimi potuit*, non certò innuunt corporalem assumptionem, sed solum Beatam Virginem peccatorum nexibus depressam non esse.

Sanctus Joannes Damascenus & Sanctus Germanus Constantinopolitanus Archiepiscopus, piè crediderunt

A diderunt Beatam Mariam Virginem redivivo corpore in cœlos assumptam fuisse, idque singulari pietatis affectu erga Beatam Virginem motos scripsisse fateor, sed nullis Traditionis Ecclesiasticæ momentis fretos, nullo Ecclesiæ oraculo munitos: quamquam rationibus convenientissimis piam illam opinionem adstruant. Deinde Euthymiaca Historia, quam laudat Sanctus Damascenus, meritò suspecta est, quam nullus Antiquorum præter Damascenum laudavit.

B Idem de Andræa Hierosolymitano, Cretensi Episcopo, dicendum est, qui Beatæ Virginis corporalem in cœlos translationem non solùm adstruit, sed & animæ ipsius ad inferos descensum. Et prima quidem assertio convenientibus rationibus nititur, altera absque ullo fundamento profertur.

Fulbertus Carnotensis æquè de Sancto Joanne Evangelista, ac de Beata Virgine Maria, Christianam pietatem credere scribit, quòd redivivo corpore in cœlum migraverint. Non autem Ecclesiæ pietas universalis, sed quorumdam solùm Fide-
C lium id credidit de Joanne: igitur nec de Beata Virgine id certò existimavit. En Fulberti verba: *Credit itaque Christiana pietas, quia Christus Deus Dei Filius Matrem suam gloriosè resuscitaverit, & exaltaverit super cælos, & quod Beatus Joannes Virgo & Evangelista gloriam ejus participare mereatur in cælis.*

Guibertus Abbas Novigentinus convenientiis quidem nonnullis probari agnoscit Beatæ Virginis resurrectionem, & corpoream in cœlos assumptionem, ob idque eam piè credi posse, non tamen esse certò asserendam, quia firmis, & evidentibus argu-
D mentis probari non potest. *Sed quid*, inquit, *in his versor, cum tanta sit in totius sanctæ Ecclesiæ ore pudicitia, ut etiam Matris Dominicæ corpus resurrectione glorificatum dicere non audeat, ob hoc videlicet, quòd necessariis argumentis comprobari non valeat.* Et infrà: *Hic tamen, etsi ratio eam ad integrum corpore resuscitato glorificatam opportunissima undecumque comportet; verùm quia evidentia probamenta non suppetunt, credere quidem de ipsa, quicquid glorificatum est, etsi facilè possimus, neutiquam verò approbare valemus.*

E Hugo Victorinus privatam aliquorum credulitatem, quâ ducitur & ipse, significat his verbis, quæ per parenthesim interjicit (*quantùm credimus*) non communem & publicam totius Ecclesiæ fidem. *Septimum*, inquit, privilegium, *quòd cum corpore suo* (*quantùm credimus*) *in cælo vivit*: Deinde congruitatem duntaxat quamdam affert ad id probandum: non momenta quæ id necessariò efficiant, & quæ ex auctoritate Scripturæ sacræ, aut ex Catholi-
F cæ Ecclesiæ traditione desumantur. *Qui enim*, inquit, *trium puerorum vestimenta in camino ignis illæsa servavit, corpus Matris propria incorruptum servare potuit, & voluit.*

Denique in breviori Chronico MS. quod extat in Bibliotheca Regalis Abbatiæ Sancti Victoris Parisiensis, ad finem Operum Hugonis, hæc leguntur: *Utrum autem eadem Virgo assumpta sit cum corpore, an abierit relicto corpore, multi* (*ut ait S. Hieronymus*) *nostrorum dubitant.* Quod Chronicum si
G Hugonis est, constat planè ipsum de corporea Deiparæ Virginis in cœlos Assumptione dubitasse.

Petrus Blesensis opinionem de migratione Beatæ Mariæ Virginis in cœlos, corpore redivivo, non asserit ut veram, sed tantùm commendat ut verisimilem. *Hodie*, inquit, *verisimile est, quòd Beata Virgo & anima beatitudinem, & glorificationem corporis adepta est.*

Sanctæ Elizabethæ Saxonicæ Revelationem & Opusculum Romana improbavit Ecclesia (teste Joanne Beletho Parisiensi Theologo, qui eodem tempore florebat, quo sancta illa mulier, in explicatione divinorum Officiorum cap. 41.) unde de hac revelatione dicere licet cum Sancto Antonino (3. p. Chronici, tit. 19. cap. 11.) *In hujusmodi licet unicuique in suo sensu abundare, & opinari quod sibi magis videtur consonum rationi, in iis quæ Ecclesia non determinavit. Nec per hoc detrahitur sanctitati Elizabeth, si non credatur, quia & sancti viri Prophetæ aliquando credunt à Deo sibi aliqua revelari spiritu Prophetiæ, quæ ex phantasia sua trahunt in visionibus suis* (*ut patet in Nathan Propheta.*)

Quæ fides privatis Revelationibus adhibenda.

Sanctus Bernardus ad Lugdunenses Canonicos scribens, ait tantùm Beatam Virginem super omnes Angelorum choros exaltatam fuisse, idque unum se ab Ecclesia accepisse profitetur; sed an redivivo corpore exaltata fuerit, nequidem innuit. *At valde honoranda est*, inquit, *Mater Domini. Bene admones: sed honor Regiæ judicium diligit. Exalta exaltatam super omnes choros Angelorum ad cœlestia regna. Hæc mihi de illa cantat Ecclesia, & me eadem docuit decantare: ego vero quod ab illa accepi, securus & teneo, & trado, quod non, scrupulosiùs fateor admiserim. Accepi sane ab Ecclesia illum diem cum summa veneratione colendam: quo assumpta de sæculo nequam, cælis quoque intulit celeberrimorum festa gaudiorum.* Et in Sermonibus, quos habuit in Festo Assumptionis Beatæ Virginis Mariæ vir ipsi devotissimus, de corporea illius in cœlos receptione penitus conticescit.

Deipara Virgo super choros Angelorum exaltata.

Menæa Græcorum, & Metaphrastes, ex Sancto Joanne Damasceno, & ex Melitone personato hauserunt opinionem, quam proponunt ut piam (sicut revera pia est) non ut certam fidei certitudine: Et his opponitur Sancti Cyrilli Alexandrini disertissimum silentium, qui in Homilia contra Nestorium habita Ephesi, in qua nihil penè prætermisit quod ad Virginis Deiparæ commendationem spectaret, corpoream ejus in cœlos Assumptionem non celebrat. His opponitur & Sancti Epiphanii de morte, & sepultura ejus dubitatio; de Assumptione silentium.

Gulielmum Parisiensem, & Sanctum Thomam piam opinionem, & quæ congruis rationibus niteretur, amplexus esse dico, non verò eam propugnasse ut Dogma Fidei. Et eam quidem sententiam eò lubentius recepit Sanctus Thomas ut piam, & probabilem, quòd eam existimaret à Sancto Augustino assertam. At imposuit Angelico Doctori Augustini nomen Sermoni de Assumptione falsò inscriptum, qui extat Operum ejus Tomo 9. à Lovaniensibus virgulâ censoriâ meritò notatus, ut fœtus supposititius Augustini. En Sancti Thomæ verba: *Sicut tamen Augustinus in Sermone de Assumptione ipsius Virginis rationabiliter argumentatur, quod cum corpore sit assumpta in cælum* (*quod tamen Scriptura non tradit*) *ita etiam rationabiliter argumentari possumus, quòd fuerit sanctificata in utero.* Nec tamen putatitii Augustini auctoritate ductus fuisset (ut opinor Sanctus Thomas) si spectasset, ac ponderasset, quàm timidè ac dubitanter de assumpto in cœlos Mariæ corpore scripserit hic, quisquis est, Author. Id autem expendisset Doctor Angelicus, si eam controversiam datâ operâ attigisset. Porro dubitationem ea de re suam exponere clariùs non potuit Pseudo-Augustinus quàm his verbis: *Quantùm igitur contueor, quantùm intelligo, quantùm credo, Maria anima claritate fruitur*

Pia & probabilior opinio de corporea Deiparæ Virginis in cœlos Assumptione.

Christi

*Christi . . . . . possidens in Christo corpus suum, quod genuit, clarificatam in dextera Patris, & si non suum per quod genuit, tamen suum quod genuit. Et quare non suam, per quod genuit? Si non obviaverit necdum perspecta auctoritas, verè credo, & per quod genuit: quia tanta sanctificatio dignior cælo est, quàm terra.*

Attendisset Angelicus Doctor & ad Sermonem 35. de Sanctis Sancto Augustino pariter inscriptum; licet æquâ Doctorum Lovaniensium censurâ in appendicem rejectum inter supposititios Sermones. Hujus namque Sermonis Author, qui videtur esse Fulbertus Carnotensis Episcopus, si MSS. Exemplaribus plerisque fides adhibeatur, hæc habet: *Sunt nonnulla, sine Authoris nomine, de ejus Assumptione conscripta, quæ ita caventur, ut ad confirmandam rei veritatem legi minimè permittantur. Hinc sanè pulsantur nonnulli, quia nec corpus ejus in terra invenitur, nec Assumptio ejus cum carne, ut in Apocrypha legitur, in Catholica reperitur Historia. Quibus dicendum est, quia si Moysi corpus non invenitur ab homine in terris, cum quo locutus est Deus facie ad faciem, illius quærere, dementia est, per quam idem majestatis Deus Incarnatus effulsit in terris. Neque enim dignum est de corporis ejus notitia solicitum quempiam esse, quam non dubitet super cælos elevatam cum Christo regnare. Sufficere debet tantùm notitia humana, hanc verè fateri Reginam cælorum, pro eo quòd Regem peperit Angelorum. Sed nec invenitur apud Latinos aliquis Tractatorum de ejus morte quidpiam dixisse apertè . . . . . . . Et quid de his, de quibus loquor, dicam, cùm nec ipse qui hanc accepit ante crucem Domini in sua, id est Joannes Evangelista, de hoc posteris aliquid retinendum scriptu mandaverit? Nihil enim hoc fideliùs narrare potuit, si illud Deus manifestare voluisset, quàm ille utique, qui hanc nutriendam suscepit, nec contra morem filius Matrem reliquit. Restat ergo ut homo mendaciter non fingat apertum, quod Deus voluit manere occultum. Vera autem de ejus Assumptione sententia hæc esse probatur, ut secundum Apostolum, sive in corpore, sive extra corpus ignorantes, assumptam super Angelos eam esse credamus.*

Certè cùm Lectiones ex hoc Sermone, & ex Sermone Sancto Hieronymo adscripto, legerent Fratres Prædicatores in Officio Assumptionis beatæ Virginis tempore Sancti Thomæ, ut constat ex antiquissimo Ordinis Breviario, descripto anno Domini 1254. quod in Bibliotheca majoris hujusce Conventus & Collegii Parisiensis asservatur, Sanctus Thomas asserere non potuit Assumptionem Beatæ Virginis in cœlos redivivo corpore, ut certam, & ut Dogma Ecclesiasticum, quam se nescire profitebatur, quoties Officium de Assumptione recitabat.

Objicies testimonium Nicephori Callisti lib. 2. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 21. 22. & 23. obitum, & Resurrectionem, Assumptionemque corpoream Dei Genitricis in cœlum referentis.

Respondeo, Nicephorum recentiorem rerum Ecclesiasticarum Scriptorem tria illa capitula ex apocrypho libello de Transitu Virginis, & Sancto Joanne Damasceno accepisse: quæ porrò fides Historico 13. Sæculi, res primo nominis Christiani Sæculo gestas, absque ullo veterum Authorum testimonio, referenti? Certe nullus ante Nicephorum hæc memoriæ tradidit. Non cogit itaque ejus testimonium, ut opinionem de Assumptione corporea Beatæ Virginis, Ecclesiastici dogmatis loco habeamus, quamvis eam ut piam, ac A congruis rationibus longè probabiliorem amplectamur, quia ut talem amplectitur Ecclesia: imò nunc temeritatis notam non effugeret, qui de illa dubitaret.

Hæc paulò uberiùs à me tractata sunt, quàm Synopsis ratio postularet: sed eò me abripuit libelli Melitoni adscripti examen, & argumenti momentum singulare, cujus tractatio non recurret. Legatur hac de quæstione doctissimi Launoii Dissertatio, Legatur & Dissertatio clarissimi, doctissimi, piissimique viri Domini l'Advocat sacræ Facultatis Parisiensis Theologi, deinde Boloniensis Episcopi, qui piam & Ecclesiasticam de corporea Deiparæ in cœlos Assumptione sententiam gravissimis momentis adstruit.

## SCHOLION I.

Operum meorum Religiosi Censores hanc in Indiculo suo Propositionem notarunt: *Non est certum de Fide apud veteres Patres, Beatam Virginem corpore assumtam esse in Cælum.*

R. Id à me non leviter assertum, sed luculentis ac disertis Veterum testimoniis confirmatum est, qui de corporea Beatæ Virginis in cælos Assumptione dubitarunt, necnon ex *Usuardi* Martyrologio, quo & Romana, & Parisiensis, & multæ aliæ Ecclesiæ diu usæ sunt. Quod nec Scripturæ sacræ testimonio, nec Traditione probatur, neque ab Ecclesia secundùm duas illas fidei regulas declaratum & definitum est, illud inter fidei dogmata non censetur: Assumtio porro corporea Deiparæ Virginis in cælum nec Scripturæ sacræ testimonio, nec Traditione probatur, neque ab Ecclesia secundum duas illas fidei regulas declarata ac definita est: Non est igitur dogma fidei. Id scripsi occasione Libelli *De Transitu Virginis*, affictо *Melitoni*. Attendi ad illam Apostoli sententiam 1 Corinth. VIII. *Si quis autem existimat se aliquid scire, nondum cognovit quomodo oporteat eum scire.* Modus enim est, non excedere mensuram fidei, de qua idem Apostolus ad *Romanos* XII. scribit: *Non plus sapere quàm oportet, sed sapere ad sobrietatem, & unicuique sicut Deus divisit mensuram fidei. QUÆ quidem mensura* (inquit Durandus à Sancto Porciano Meldensis Episcopus) *in duobus consistit, videlicet ut non subtrahatur fidei quod sub fide est, nec attribuatur fidei illud quod sub fide non est. Utroque enim modo mensura fidei exceditur, & à continentia sacra Scriptura, quæ fidei mensuram exprimit, deviatur.* Cæterùm pietatis officio non defui, nec dubitavi, aut in dubium revocari posse censui, num Deipara Virgo redivivo corpore in cœlum assumta sit, quin imo eam sententiam omnino amplectendam esse dixi, *Ut piam, ac congruis rationibus longè probabiliorem, quia ut talem amplectitur Ecclesia; adeò ut temeritatis notam non effugeret, qui de illa dubitaret... Piam & Ecclesiasticam* de corporea Deiparæ in cælos Assumtione *sententiam* asserui: Quam & vetus Missale Gallicanum seu Gothicum ante annos nongentos scriptum, à *Thomasio* & *Mabillonio* nuper editum confirmat in Missa de Assumptione *Sanctæ Mariæ* Virginis, in Collectione post nomina: *Fusis*, inquit, *precibus Dominum imploremus; ut ejus indulgentiâ illuc defuncti liberentur à tartaro, quò Beatæ Virginis translatum corpus est de sepulcro.* Et in Præfatione seu Contestatione sic Beatam Virginem Sacerdos alloquitur: *Felix ab ipso suscepta es in Assumptione felicitate, quem pie suscepisse concepisti per fidem, ut quæ terra non eras conscia, non teneret rupes inclusa. Verè diversis infulis anima redempta, cui Apostoli sacrum reddunt obsequium, Angeli cantum, Christus amplexum, nubes vehiculum, Assumptio Paradisum, inter Choros Virginum gloria Principatum, per Christum Dominum nostrum.* Quod autem dixi, in dubium revocari non debere corpoream Deiparæ Virginis in cælos Assumptionem, quamvis dogma Fidei non sit, confirmat *Petrus Blesensis* Sermone XXVIII. *Hodie*, inquit, *verisimile est quòd Beata Virgo & animæ beatitudinem & corporis glorificationem adepta est. Quod ne cui veniat proriùs in dubium, auctoritatibus adstruemus, opinando tamen, non asserendo.* In Prologo Sententiarum

## SCHOLION II.

Religiosi Censores ex isto Paragrapho & hanc Propositionem in Indiculo suo notant: *Multi Prophetæ aliqua tradunt sibi revelari, quæ ex phantasia sua extrahunt.*

R. Verùm hæc Propositio mea non est, sed *Sancti Antonini*, ex cujus loco à me fideliter descripto Propositionem hanc à se interpolatam avulserunt, mihique imputarunt. Nec de divinis Prophetiis agitur, sed de Visionibus ac privatis

Revelationibus, qualis erat illa *Sancta Elizabetha Saxonica*, ab Ecclesia Romana improbata, de qua *Sanctus Antoninus* loquitur. Quid quòd Sanctus Gregorius Magnus Homiliâ 1. in Ezechielem scribit, *Aliquando Prophetæ Sancti, ex magno usu prophetandi, quædam ex suo spiritu proferunt, & se hæc dicere ex Prophetiæ Spiritu suspicantur.* Quod Prophetæ Nathan exemplo probat, qui Davidem ædificaturum Templum Domino prædixit. ( II. *Reg.* 7. ) Quod tamen ejus filio Salomoni servatum erat.

## SCHOLION III.

Religiosi Censores ex isto Paragrapho hanc rursus Propositionem notant: *Sanctus Thomas sententiam de corporea Beatæ Virginis Assumptione tuens, apocryphis Sermonibus deceptus est.*

R. Hæc Propositio mea non est, non ita scripsi; sed *Sanctum Thomam* amplexum esse *piam opinionem, & quæ congruis rationibus nititur, non verò eam propugnasse ut Dogma Ecclesiasticum*, sive ut dogma Fidei. *Et eam quidem sententiam* ( inquiebam ) *eò libentiùs recepit Sanctus Thomas ut piam & probabilem, quòd eam existimaret à Sancto Augustino assertam. At imposuit Angelico Doctori Augustini nomen Sermoni de Assumptione falsò inscriptum*, &c. Error ille sæculi fuit, cui non affulserat critica lux, non *Sancti Thomæ*. Cæterùm Sermonem illum non esse *Sancti Augustini*, planè constat apud Criticos omnes eruditósque viros. Eruditi Monachi Benedictini Congregationis Sancti Mauri sic de illo censent: *Incerti Autoris, qui multùm Augustino recentiorem Isidorum ex Opere de vita & obitu Sanctorum citat. In nostris Codicibus MSS. habetur absque nomine Autoris At in Lovaniensium plerisque, ut ipsi observant, Manuscriptis tribuitur Fulberto Episcopo Carnotensi.*

## ARTICULUS IV.

### *De Philippo Gortynensi, Modesto, Musano, & Apollinari Hierapolitano.*

PHILIPPUS Gortynensis Episcopus, cujus Sanctus Dionysius Corinthius meminit in Epistola ad Cretensem Ecclesiam, præclarum adversùs Marcionem librum edidit. Celebris fuit M. Antonini Veri, & L. Aurelii Commodi temporibus. ( ex Eusebio, lib. 4. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 24. & ex Sancto Hieronymo, in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum cap. 41. )

II. MODESTUS sub iisdem Imperatoribus floruit, & adversùs eundem Hæresiarcham librum conscripsit, quem sua adhuc ætate integrum perdurasse Sanctus Hieronymus scribit in Catalogo cap. 43. Hujus meminit & Eusebius, loco mox laudato.

III. MUSANUS Scriptor inter Ecclesiasticos nobilis, sub. M. Antonini Veri Imperio librum composuit elegantissimum adversùs quosdam Catholicos qui ad Hæresim Encratitarum defecerant, aut in eam propendere videbantur ( Ex Eusebio, lib. 4. cap. 27. & Sancto Hieronymo, in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum cap. 42. )

IV. Eadem ætate Apollinarius, Hierapolitanus in Asia Episcopus, Apologiam pro Christiana religione eidem Imperatori dedit. Quinque libros scripsit contra Gentiles, duos de Veritate, duos item contra Judæos, & alios contra Montani Hæresim tunc exortam ( Ex Eusebio, lib. 4. cap. 26. & ex Sancto Hieronymo, in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum cap. 37. )

Horum Authorum lucubrationes, magno Ecclesiæ dispendio perierunt.

## ARTICULUS V.

### *De Dionysio Corinthio, Theophilo Antiocheno, Rhodone, Athenagora, Miltiade, & Serapione.*

I. SAnctus DIONYSIUS Corinthiorum Episcopus, tantæ eloquentiæ, tantæque in universalem Ecclesiam charitatis fuit, ut non solùm suæ civitatis & Ecclesiæ populos, sed aliarum etiam provinciarum Episcopos & plebem suis Epistolis erudiret. Octo recensent Eusebius, & Sanctus Hieronymus, quarum solæ supersunt inscriptiones. In ea quam ad Ecclesiam Amastrianam dedit, eos qui quocunque casu, sive gravis alicujus peccati noxâ, sive hæretico pestiferoque errore, Ecclesiâ excidissent, denuò in Ecclesiam, modò se totos converterent, clementer recipiendos præcipiebat, ( ut testatur Eusebius ) In Epistola verò ad Gnosios, Pynitum Episcopum illius Ecclesiæ admonebat, ne grave onus castitatis Fidelibus ex necessitate imponeret, sed multitudinis accuratè consideraret imbecillitatem. Huic Pynitus eleganti Epistola respondit. De his lege Eusebium, lib. 4. cap. 22. & Sanctum Hieronymum in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum cap. 38. & 39.

II. THEOPHILUS Antiochenæ Ecclesiæ sextus Episcopus, sub. M. Antonino Vero floruit. Tres libros contra Christianæ Religionis calumniatores scripsit ad Autolycum, qui prosaoæ, & sacræ eruditionis promptuarium jure merito dici possunt. Rationes ejus vehementes sunt, stylus cumprimis perspicuus. Quantum ex lectione sacrarum Literarum, Prophetarum præsertim, fructum retulerit, testatur ipse libro 1. *Fidem*, inquit, *meam plurimùm adjuvarunt Literæ Sacræ, quas legi, in primis tamen Prophetarum oracula, quæ Spiritu Sancto afflati prædixere, plurimùm mihi contulere. Nam præterita, non secus ac evenere, prædixerunt, similiter & præsentia. Necnon futurorum quis modus, quive ordo futurus, præmonuere. Confirmatus igitur ex iis, quæ prædicta sunt à Prophetis, & contigere, non ampliùs hæsito, sed Deo fidem habeo, lubenti animo ei obtemperans: cui te adhortor quoque, obedias; ne, si nunc incredulus es, aliquando credere cogaris, magno tuo malo subditus sempiternis pœnis.*

Librum edidit contra Hæresim Hermogenis, & alios breves, eleganteśque Tractatus ad ædificationem Ecclesiæ pertinentes. Soli ex ipsius Operibus supersunt libri ad Autolycum, qui extant Tom. 1. Bibliothecæ Patrum Græco-Latinæ.

Feruntur sub ejus nomine & libri Allegoriarum in 4. Evangelia, qui extant Tom. 5. Bibliothecæ Patrum à Margarino Bignæo editæ, pag. 350. qui videntur esse illi de quibus, & de Commentariis in Proverbia, dixit Sanctus Hieronymus, sibi *non videri cum superiorum voluminum elegantia, & phrasi congruere.*

De Theophilo Antiocheno, & ejus scriptis, lege Eusebium lib. 4. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 24. ubi & libellum ab eo contra Marcionem elaboratum tradit; & Sanctum Hieronymum in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum cap. 36.

III. RHODON, Asiaticus genere, Tatianum Romæ præceptorem habuit. Scripsit adversùs Marcionem exquisitum Opus, necnon adversùs Cataphrygas, & elegantes Tractatus in opus sex dierum. Nihil Operum ipsius præter solam memoriam, & exigua fragmenta, superest, apud Eusebium, lib. 5. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 13.

&

& Sanctùm Hieronymum, in Catalogo Scriptorum Eccleſiaſticorum cap. 48. Floruit temporibus Commodi & Severi Imperatorum.

IV. ATHENAGORAS, patriâ Athenienſis, Chriſtianus Philoſophus, floruit M. Aurelio Antonino, & L. Aurelio Commodo Imperatoribus; acerrimi ingenii, ſingularis eloquentiæ, omnigenæ eruditionis, ac incredibilis in rem Chriſtianam ſtudii ſpecimen dedit in Apologia, ſeu Legatione pro Chriſtianis, quam ipſis obtulit. Trium flagitiorum infamem rumorem de noſtræ Religionis hominibus, ſparſum diſpellit, ſcilicet impietatis & Atheiſmi, epularum Thyeſtæarum, & inceſti concubitus. De Dei unitate, de Filii & Spiritus Sancti divinitate, & origine; de idolorum vanitate, de Moràlis Chriſtianæ ſanctitate multa præclarè dicit. Inter alia hæc habet, quæ quàm ab omni peccato alieni ſint veri Chriſtiani, oſtendunt. *Neque enim dubitare vos puto, homines illos, quorum vita omnis ad Deum veluti normam ac regulam dirigitur, ut inculpatum, & irreprehenſibilem unuſquiſque ei ſe præbeat, ne cogitatione quidem vel minimum crimen ullum admiſſurós. Si enim ſolam hanc præſentem vitam nos victuros crederemus, ſuſpicioni foret locus, nos carni & ſanguini indulgentes, aut avaritiâ & concupiſcentiâ captos, peccare. Nos verò omnibus cogitationibus & ſermonibus noſtris, tum noctu, tum interdiu, Deum adeſſe ſcimus; eumque & totum eſſe lumen, & quæ in cordibus noſtris latent, videre, & hac mortali defunctos vitâ, alteram hac terreſtri longè meliorem, nempe cæleſtem, nos victuros.*

Scripſit etiam Athenagoras librum *de Reſurrectione mortuorum*, quo illud fidei noſtræ caput rationibus luculentiſſimis illuſtrat & exponit. Extat utrùmque Opus ad finem Operum Sancti Juſtini, Editionis Pariſienſis anni 1615. & Tom. 1. Bibliothecæ Patrum Græco-Latinæ. Hujus Authoris opera latuerunt Euſebium, & Sanctum Hieronymum qui ipſius non meminere.

V. MILTIADES Apologiam pro Chriſtiana Religione M. Antonino Commodo Imperatori porrexit. Scripſit volumen egregium contra Gentes, & aliud contra Judæos. Montaniſtas ſingulari & præcipuo Opere impugnavit. In omnibus ſuis lucubrationibus præclara ſuæ diligentiæ, ac ſtudii in ſacris Literis collocati reliquit indicia. Nullum jam extat ejus Opus. De ipſo videſis Euſebium lib. 5. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap. 16. & Sanctum Hieronymum in Catalogo Scriptorum Eccleſiaſticorum cap. 50.

VI. SERAPION Antiochenus Epiſcopus floruit ſub Imperio Commodi. Scripſit Epiſtolas ad Pontium & Carinum Viros Eccleſiaſticos adversùs Montani Hæreſim. Scripſit & librum contra Domnum, qui perſecutionis tempore ad Judæos defecerat. Edidit etiam librum de Evangelio nomine Petri inſcripto, ad quoſdam Roſſenſis Eccleſiæ Chriſtianos, qui illius lectione in errorem abducti fuerant. Ejus libri fragmentum refert Euſebius, lib. 6. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap. 10. Hujus meminit & Sanctus Hieronymus in Catalogo Scriptorum Eccleſiaſticorum cap. 51.

## ARTICULUS VI.

### *De Sancto Irenæo, Pantæno, & Apollonio.*

SANCTUS IRENÆUS Beati Polycarpi Martyris diſcipulus, Sancti Pothini Epiſcopi Lugdunenſis Preſbyter, à Martyribus Lugdunenſibus, ob quaſdam Eccleſiæ quæſtiones Romam miſſus eſt ad Eleutherum Pontificem Maximum, ipſique his verbis commendatus, quæ ex eorum Epiſtola recitat Euſebius lib. 5. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ. cap. 4. *Has literas ad te perferre fratrem noſtrum Irenæum, & miniſterii conſortem, rogavimus: teque obſecramus, ut illum, utpote ſtudio incredibili erga teſtamentum Chriſti flagrantem, gratiâ & benevolentiâ præ cæteris complectaris. Quòd ſi locum & gradum Eccleſiaſtici Miniſterii vim & facultatem habere juſtitia cuiquam impertiendæ animadverteremus, hunc ut Preſbyterum Eccleſiæ (hoc namque munus obtinet) in primis tibi commendaviſſemus.*

Cùm Sanctus Pothinus propè nonagenarius martyrium pro Chriſto ſubiiſſet, Irenæus ipſi in Epiſcopatu ſuffectus eſt.

Floruit ſub Imperio Commodi, & Eccleſiam luculentiſſimis ſcriptis munivit adversùs hoſtes veritatis, & unitatis. Quinque libros ſcripſit adversùs Hæreſes, in quibus multa de Traditionibus, & de Eccleſia præclarè ſcribit, lib. 1. cap. 2. & 3. lib. 3. cap. 2. 3. 4. & 5. & lib. 4. cap. 62. & lib. 5. cap. 20. Filii divinitatem & æqualitatem cum Patre declarat lib. 3. cap. 6. & 16. & lib. 4. cap. 8. & cap. 14. & lib. 5. cap. 16. Reali præſentiæ corporis Chriſti in Sacramento Euchariſtiæ, lib. 4. cap. 34. & lib. 5. cap. 2. egregium teſtimonium perhibet. Carnis reſurrectionem lib. 5. à cap. 2. ad 16. diſertè probat. Probabilitatem & hominum opinionem non eſſe regulam morum demonſtrat, lib. 3. cap. 5. exemplo Apoſtolorum, qui ad inventionem errantium, & medicinam languentium miſſi, non ſecundùm præſentem opinionem, ſed ſecundùm regulas veritatis, eos edocebant. Principibus, & Magiſtratibus parendum eſſe, & leges ab ipſis latas conſcientiam obligare docet lib. 5. cap. 24.

Græcè ſcripſit Sanctus Irenæus, ſed octodecim duntaxat capita libri primi Græcè extant, quæ à Sancto Epiphanio Panario ſuo inſerta ſunt, Hæreſi 31. quæ eſt Valentinianorum. Suſpicati ſunt viri eruditi Sanctum ipſum Irenæum hos libros Latinam in linguam vertiſſe, ſed inani conjectura. Nam Sanctus Auguſtinus lib. 1. contra Julianum Pelagianum, duo Sancti Irenæi teſtimonia laudavit, quorum interpretatio diverſa eſt ab illa quam habemus: quod Sanctus Auguſtinus non feciſſet, ſi Irenæus ſuos ipſe libros Latinitate donaviſſet. Deinde tantùm otii non ſupererat ſanctiſſimo Epiſcopo, in propugnatione fidei, in debellatione hæreſum, in regimine Eccleſiarum tam occupato, ut verſionem Operum ſuorum adornares. Denique Photius in Bibliotheca, Cod. 120. Irenæi Opera recenſens, & longè ante ipſum Sanctus Hieronymus in Catalogo Scriptorum Eccleſiaſticorum cap. 46. & Euſebius lib. 5. cap. 6. & deinceps, nihil tale de Sancto Irænco memorant.

Verſio Latina Librorum Sancti Irenæi, non eſt ab ipſomet adornata.

Franciſcus Feuardentius Theologus Pariſienſis Ordinis Fratrum Minorum Profeſſor, quinque ultima capita libri quinti, in aliis Editionibus non extantia, ex legitimo ſinceroque Codice reſtituit. In iis Millenarii in terris Chriſti regni fabula adſtruitur. Sanctiſſimo, Doctiſſimoque

Patri

Patri multiplicis erroris dicam scribunt Centuriatores Magdeburgenses, aliique ex Heterodoxis Pseudocritici: quorum calumnias adversùs ipsius Scripta singulari Dissertatione diluemus.

S. Irenæi Opera quæ exciderunt. Scripsit insuper Sanctus Irenæus librum de Ogdoade contra Valentinianos, cujus exiguum fragmentum Eusebius recenset lib. 5. Histor. cap. 9. varias Epistolas, unam ad Blastum, quam inscripsit de Schismate: alteram ad Florinum, de Monarchia, cujus fragmentum ibidem recitat Eusebius. Item Epistolas ad Victorem Pontificem Maximum, de quæstione Paschæ, seu de die Paschatis celebrandi, quibus & ipsum deterruit ab excommunicatione Asiaticorum Episcoporum. Item volumen breve contra Gentiles, de Scientia inscriptum; & alium ad Marcianum, de Apostolica Prædicatione. Quanti ipsius doctrinam fecerint Sancti Patres, dicemus in ea, quam polliciti sumus Dissertatione. Lege Eusebium lib. 5. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 8. 19. & 25. Sanctum Hieronymum in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum cap. 46. & Photium in Bibliotheca Cod. 120.

II. PANTÆNUS Philosophus Stoicus, tantùm studii in Scriptura sacra, cujus amore flagrabat ardentissimo, propaganda posuit, ut præco Evangelii ad Orientales populos ordinatus, ad Indorum usque regiones se conferret. Ibi Sanctum Bartholomæum Apostolum Ecclesiam fundasse accepit, & Hebraicum Sancti Mathæi Evangelium illis reliquisse: quod ipse Alexandriam rediens secum detulit. Olim extabant multi Pantæni in sacram Scripturam Commentarii: sed magis viva voce Ecclesiæ profuit. Propter summam cùm in divinis Literis, tum in seculari literatura eruditionem, celebri illi Scholæ præfectus est, quam Alexandrina in Ecclesia à Sancti Marci Evangelistæ temporibus, ad suam usque ætatem floruisse, & à viris omni eruditionis genere spectatissimis frequentatam, & illustratam Eusebius testatur, lib. 5. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 10. Floruit Pantænus sub Severo Imperatore. De illo Eusebius loco mox citato, & Sanctus Hieronymus in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum cap. 47. legendi sunt.

III. APOLLONIUS, vir inter Scriptores Ecclesiasticos disertissimus, sub Commodi, & Severi Imperio floruit. Insigne & longum volumen scripsit adversùs Montanum, Priscillam, & Maximillam. Cujus nonnulla fragmenta refert Eusebius lib. 5. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 17. De illo agit & Sanctus Hieronymus in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum cap. 51.

IV. Sub Commodo Imperatore floruit alter APOLLONIUS Romanus Senator, vir inter Fideles politioris literaturæ studiis, & Philosophiæ notitiâ celeberrimus. Hic in judicium delatus ab uno ex servis suis, Orationem Apologeticam pro Christiana Religione, quam ediderat, frequentissimo in Senatu recitavit. Fracta sunt crura servo proditori; Perennio Urbis Præfecto sententiam ferente, quia ex Imperatoris Edicto capitale crimen erat accusatio Christianorum ob solam Religionis professionem. Decreto tamen Senatûs securi percussus est Apollonius, fidem sanguine confirmans, quam stylo & oratione defenderat: quia veteri lege apud Romanos sancitum erat, Christianos, qui in judicium ob Religionem vocati essent, absolvendos ac dimittendos non esse, nisi Christum ejurarent, fidemque negarent. De hoc Apollonio lege Eusebium, lib. 5. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 20. & Sanctum Hieronymum in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum, cap. 53.

## ARTICULUS VII.

### *De Sancto Clemente Alexandrino.*

§. I.

SANCTUS CLEMENS, Alexandrinæ Ecclesiæ Presbyter, Pantæni Discipulus, post ejus mortem, Scholam Alexandrinam tenuit, & Catechesem habendarum suscepit provinciam. Floruit Severi Imperatoris, & Antonini filii ejus temporibus. Insignia in Ecclesiæ bonum volumina edidit, plenaque eruditionis & eloquentiæ, & tam Scripturarum divinarum, quàm sæcularis literaturæ conspersa floribus, Prophetarum, Apostolorum, Evangelistarum, Philosophorum, Poëtarum testimoniis, variè contexta: quod maximè in iis libris elucescit, quos propterea inscripsit, *Stromatum*. Octo autem sunt libri istius argumenti. Libro primo, Philosophiæ utilitatem docet ad veræ sapientiæ assecutionem; & ea dicit quæ ad Theologiæ nostræ Scholasticæ utilitatem demonstrandam maximè conducant. Deinde Hebræorum Philosophiam quavis Philosophiâ antiquiorem esse probat, & Moysen omnium esse Scriptorum vetustissimum. Ipsum fuisse Legislatorem sapientissimum, Ducem egregium, Politicum & Philosophum absolutissimum; à quo Græci divinas illas artes acceperint. Lib. 2. ostendit fidem opinionibus, aut demonstrationibus Philosophorum non niti, sed Verbi divini, quod Magister noster est, & cui proinde nos credere par est, doctrinâ. Legem esse bonam evincit. Timorem Domini, qui est ex lege, esse bonum, & ad pœnitentiam, ac spem deducere ostendit. De Pœnitentia præclarè disserit ex libro Pastoris, probans eam iterari post Baptismum, licèt ante Baptismum unica sit. In nostra deinde potestate peccata esse probat, ex correctione quam Deus à Pastoribus fieri jubet, Ezechiel. 34. Postea omnes virtutes, quarum præcepta in libris Moysi exarata sunt, præbuisse Græcis principium totius Moralis scientiæ demonstrat: idcirco multa exponit Legis mandata, quam bonam fuisse contendit, & magistram justitiæ. Addit, ita duntaxat, qui peccati amore tenentur, divinam legem severiorem videri, idque eleganter explicat. Quod contra eos torqueri appositè potest, qui probabilem opinionem faventem cupiditati, anteponi posse censent probabiliori, quæ favet legi. Agit deinceps de Matrimonio, & docet quomodo Christianis eo sit utendum. Non semel eo in libro citat Epistolam Sancti Barnabæ.

Stromatum Clementis Alexandrini synopsis.

Lib. 3. Valentinianos & Carpocratianos impugnat uxorum communionem astruentes, & promiscuæ libidinis suscipientes patrocinium. Ait ipsos Platonem malè intellexisse, in Republica dicentem, oportere esse communes omnium uxores, ut qui diceret, eas quidem, quæ nondum nupserant, esse communes eorum qui essent petituri, quemadmodum theatrum quoque commune est spectatorum; esse autem unamquamque ejus qui præoccupasset, & non ampliùs communem esse eam quæ nupsisset. Exagitat deinde Marcionitas, generationem esse malam asserentes, & abstinentes à nuptiis, ne mundum Creatoris implerent. Turpes Gnosticos insectatur, quos vocat communicatores intemperantiæ, fratresque libidinis, non solùm probrum Philosophiæ, sed etiam totius vitæ, qui carnis conjunctionem, & libidinis

libidinis ex saturationem, sacram esse communionem, & ad regnum Dei deducere, impudenter effutiebant. Statuit Christianis conjugatis moderatè utendum uxoribus, & propter solam liberorum procreationem; ab usque temperandum, cùm prægnantes sunt. Arguit postmodum Tatianum Syrum, qui Matrimonii inventionem diabolo tribuit. Sanctum Paulum conjugatum fuisse scribit.

Lib. 4. Martyrium vindicat, & commendat contra Gnosticos Martyriorum refragatores, & contra Valentinianos, Christum persecutionis tempore impunè posse negari blasphemantes. Deinde Basilidis errorem confutat, qui Martyrium ideo subeundum esse dicebat, ut animæ quæ in alia vita peccaverant, & nihilominus erant electæ, per Martyrium honorificè punirentur. Agit rursus de sanctitate Matrimonii, & de Christianæ uxoris officiis. Statuit postmodum eum qui pœnarum metu à peccato abstinet, non esse sponte, sed metu bonum: illum autem esse verum Dei cultorem, qui tractus à dilectione Dei, id quod verè honestum est, elegit. Deum etiam peccata castigare ait, propter tres causas: primùm quidem, ut is qui castigatur, seipso melior evadat. 2. Ut ii qui possunt salvi fieri, per ea exempla præparentur admoniti. 3. Ne is qui injuria afficitur, contemptui habeatur, & aptus sit ad injuriam accipiendam.

Lib. 5. Fidem, & salutem à natura non esse, probat contra Basilidem, & Valentinum: gratiâ nos servari, sed non absque bonis operibus: Deum esse dilectionem, qui cognosci potest ab iis qui diligunt. Postea nonnulla de ornatu Templi, Arcæ, & Sacerdotum veteris Legis, allegoricè explicat. Multa denique ex Poetis, & Philosophis profert de Deo præclarè dicta, quæ ex divinis Scripturis furati sunt.

Lib. 6. Græcos mutui in seipsos plagii convincit, quò facilius eos acceptam à nobis usurpasse veritatem ostendat. Petri deinde, (nescio an Apostoli) prædicationem laudat, suadentis Deum esse colendum, non ut Græci, id est, Gentiles colunt, neque ut Judæi; sed novè & spiritualiter Deum colendum esse per Christum. Ostendit deinde non solùm ex Judæis, sed etiam ex Græcis, id est, ex Gentibus, plurimos per Christum salutem consecutos esse, quibus ad inferos descendens, Evangelium annuntiaverit: quod & Apostoli, post ipsum, præstiterint. Docet postea nimium sui amorem esse quibuslibet causam peccatorum omnium. Ostendit Filium Dei, omnium hominum, Angelorumque Magistrum esse. Tum veri Gnostici (id est Christiani, quem sic per oppositionem ad turpes Gnosticos vocat) officia, & virtutes describit. Ait ipsum, Cupiditates, & in usu, & in possessione circumscribere, nec transilire terminum eorum quæ sunt necessaria: neque filios, neque matrimonium, aut parentes, præferre charitati in Deum: uxorem post susceptionem liberorum, sororis loco habere. Orare etiam cogitatione, omni hora per charitatem Deo conjunctum; tria autem in Oratione petere. Primò remissionem peccatorum. 2. Ne ampliùs peccet. 3. Ut benefacere possit. Hierarchiam deinde Ecclesiasticam his verbis depingit Clemens: *Nam hic quoque in Ecclesia progressiones Episcoporum, Presbyterorum, Diaconorum, sunt imitationes gloriæ Angelicæ, & illius œconomiæ, ac dispensationis, quam dicunt Scripturæ illos exspectare, qui insistentes vestigiis Apostolorum, vixerunt in perfectione justitiæ, convenienter Evangelio.*

Ostendit exinde apud Christianos esse veritatem

A quia ipse docuit eos Dei Filius. Si enim in omni quæstione duo inveniuntur, res, & veritas, veritatem apud nos esse compertum est. Nam veritatis quidem, quæ ostenditur, persona est Filius Dei; res verò virtus fidei quæ adversa omnia superat. Addit, gratum esse Deo ut salvi simus, & salutem accedere per bonam operationem, & cognitionem, quorum amborum Magister est Dominus. *Si ergo*, inquit, *vel ex Platonis sententia, aut à Deo, aut ab iis qui à Diis duxere originem, verum solum dici potest, meritò à divinis Eloquiis eligentes testimonia, jactamus nos veritatem* B *discere per Filium Dei.*

Postea Scripturas sacras per Apostolorum traditionem explanandas esse statuit. Explicat cur parabolico dicendi genere usus sit Christus, & cur frequentes occurrant in divinis Literis metaphoræ. Decalogum cursim exponit, sed allegoricè. Beneficia per Angelos hominibus à Deo collata recenset. Non esse fide dignos homines asserit, cùm de Deo dicunt, quatenus sunt homines: vix enim pervenire ad Dei notitiam, qui Deum sibi adscribunt magistrum, *Opem eis ferente gratia ad quantulamcunque cognitionem, utpote voluntate voluntatem, & Sancto Spiritu Sanctum Spiritum* C *contemplari assuefacientes, quoniam Spiritus scrutatur Dei profunda.*

Libro septimo, ostendit solum Christianum verè pium, ac religiosum esse. Christianismum subinde describit. Definit, Dei cultum, *Continuam animæ curam, & ejus perpetuam in Deo occupationem per charitatem.* Filii divinitatem disertè prædicat. Eum ad omnium hominum salutem venisse contestatur: solâ nostrâ salute Deum delectari. Cætera Christianæ vitæ officia deinceps persequitur, & exponit: Christianorum vitam continuam D Dei laudem esse, continuam cum voluptatibus & deliciis pugnam ostendens. Orationem fieri docet absque voce, anima cum Deo intus, colloquente. Ubique orare Christianum. Universam ejus vitam esse veluti celebrem ac sanctum diem festum: ipsum & à mendacio, & à juramento abhorrere. Ne postulari quidem ab ipso jusjurandum, quia vitam gerit apud externos fide dignam. Multùm abesse ut cibus, & potus, & Venus sit delectabilis Christiano, cùm etiam sermonem qui aliquam afferat voluptatem, motumque cogitationis, & operationem jucundam habeat suspectam. Docet deinde summâ curâ verum à verisimili E discernendum esse: aliam esse naturam probabilium argumentorum, aliam verorum. Arguit eos qui probabilibus argumentis obscurant veritatem; & qui quædam à veritate avulsa, humanis & à se inventis infodientes artibus, gloriantur se præesse Diatribæ, seu Scholæ, potiùs quàm Ecclesiæ. Deponendam esse opinionem, & noscendum, quòd qui æternam sperat quietem, cognoscit etiam ejus introitum esse laboriosum & arctum.

Addit, Fidelem Dominicâ Scripturâ, & voce, tanquam criterio uti ad res inveniendas. *Non enim*, inquit, *absolutè enuntiantibus hominibus* F *fidem habebimus, quibus licet etiam enuntiare contrarium. Si autem non satis est solùm absolutè dicere quod videtur, sed oportet etiam probare quod dictum est, non expectamus testimonium quod datur ab hominibus, sed voce Domini probamus quod quæritur, quæ est magis fide digna, quam quævis demonstratio: vel potiùs quæ est sola demonstratio, per quam scientiam, qui solùm gustavere Scripturas, sunt Fideles.* Hæc Clemens Alexandrinus, quibus nihil luculentius contra recentiores quosdam Casuitas dici potest, qui Moralem Christia-

nam, imò & Fidem ipsam, probabilium opinionum fundamentis, neglectâ Scripturâ sacrâ, & traditione superstruunt. Hos æquè perstringit in sequentibus, his verbis: *Sed ut videtur, magis declinamus ad ea quæ sunt opinabilia, etiamsi sint contraria, quàm ad veritatem: est enim austera, gravisque & severa. Atque cùm sint quidem tres animæ affectiones, ignoratio, opinio, scientia: qui in ignoratione quidem versantur, sunt gentes: qui autem in scientia, vera Ecclesia: qui vero in opinione, ij qui sectantur Hæreses.* Ecclesiæ denique antiquitatem, veritatem, unitatem, & eminentiam contra Hæreses commendat.

Octavus, quem nunc habemus, Stromatum liber, totus Logicus, & Physicus est. Agit namque de definitione, divisione, demonstratione & de causis. Quapropter suspicantur Viri Eruditi ipsum non esse verè octavum Stromatum Clementis librum, sed fragmentum ex aliis ejus Operibus avulsum. Excidisse jam Photii tempore illud Opus, suspicionem ingerit variatio Codicum in quos ipse incidit. Notat enim Vir summæ in recognoscendis Veterum Operibus diligentiæ, accuratissimique criterii, septem priores Stromatum libros eodem insignitos fuisse titulo, eosdemque fuisse in omnibus Codicibus. Octavum autem, cùm inscriptione, tum rei subjectæ materiâ variasse. In quibusdam enim Codicibus inscriptum sic fuisse testatur: *Quis dives salvetur?* hisque verbis incœpisse, *Laudatorias orationes.* In aliis verò inscriptum sic fuisse. *Stromateus octavus:* Et his verbis incœpisse: *Sed neque antiquissimi*, & cætera, quibus ille incipit, quem terimus. Addit Photius, hunc librum *Alicubi non sana tradere.* At hoc in libro, qualem habemus, tam nullus error est, tam nihil est Hæreticis favens, quàm in libris Aristotelis de priori, & de posteriori Analysi. Forsan resecata sunt, quæ minùs sana videbantur: hunc enim librum imperfectum esse ac mutilum evidens est.

Ideo autem Clemens Alexandrinus sine ordine, & absque distinctione capitum libros istos conscripsit, ut Ethnici, in quorum manus incidissent, non facilè comperirent mysteria, & res sacras de quibus in illis agitur (ut testatur ipse, ad finem libri septimi, utque Photius ex illo observat, in Bibliotheca Cod. III.)

## §. SECUNDUS.

*Clementis Alexandrini Adhortatio ad Gentes.*

EDidit præterea Clemens Alexandrinus librum adhortatorium ad Gentes, cujus Eusebius, Sanctus Hieronymus, & Photius meminerunt. Hoc in libro ridiculam esse Ethnicorum Religionem ostendit; quòd homines colant flagitiis celebres, quòd mysteria pudenda habeant; quòd imagines & statuas inanimatas adorent. Multa de his imaginibus habet: & ex ejus verbis colligitur, Ecclesiam nullas eo sæculo imagines habuisse, saltem Alexandrinam. *Nobis autem*, inquit, *non est sensilis imago materia sensibilis, sed quæ percipitur intelligentiâ. Deus qui solus verè est Deus, intelligentiâ percipitur, non sensu.* Hic Clementis liber eloquentissimus est. Gentiles ex ipsa Mythologia, & Philosophia illorum ad errores suos agnoscendos hortatur, & ad detestandam falsorum Numinum vanitatem.

*Pædagogus.*

Tres præterea libros composuit, qui inscribuntur *Pædagogus*, quibus vitam, moresque Christianorum informat. Libro 1. ostendit Christianos omnes pueros esse, ipsorum Pædagogum Verbum Patris, quod est omnia infanti, *& Pater, & Mater, & Pædagogus & altor.* Pædagogiam esse divinam Religionem, quæ est doctrina divini cultus, & eruditio ad assequendam veritatis cognitionem, & rectam institutionem, vitæque agendæ rationem, quæ in cœlum deducit. Dei bonitatem vindicat, eumque diligere hominem, & de ipso esse solicitum, ostendit: minis illum arcere à peccato, adhortationibus ad salutem invitare. Verbum Divinum per Legem & Prophetas Pædagogi functum officio. Quemadmodum Christus nos instituat, edocet. Hoc esse *Maximum, & maximè regium Dei opus, humanam servare naturam.* Quicquid est præter rectam rationem, peccatum esse demonstrat. Christianæ vitæ actiones & officia ita describit: *Est Christiani actio, rationalis animi operatio, ex sincero ac prudenti judicio, & appetitione veritatis, quæ per conjunctum, & in partem veniens, peragitur corpus. Quod decet autem, ac convenit, officium, inquam, est quæ in vita Deum & Christum sequitur voluntas una; quæ se propter vitam æternam, rectè & ex virtute gerit.*

Lib. 2. Vitæ Christianæ rectè instituendæ regulas tradit. Quomodo se gerere debeat Christianus homo in cibo, in potu, in supellectili, in conviviis, in sermone, in risu, in convictu, in usu unguentorum, odorum, coronarum, in somno capiendo, in procreatione liberorum, in vestibus, in calceamentis.

Libro tertio, idem argumentum persequitur: superfluum, & vanum ornatum, mollemque pulchritudinis cultum in mulieribus, virisque coarguit; honestatem in balneis suadet; solum Christianum verè divitem esse ostendit; frugalitatem præclarum esse viri Christiani viaticum, minimè indigere qui Deum Verbum habet, quia Verbum possessio est cui nihil deest, & omnis copiæ causa.

*Alia Opera.*

Scripsit insuper Clemens Alexandrinus octo libros Hypotiposeon, qui continebant locorum veteris novique Testamenti summariam explicationem. Multa in iis reprehensione digna notavit Photius: de quibus agemus in Dissertatione singulari de nævis Clementis Alexandrini; sive de erroribus ipsi affictis.

Edidit denique librum *de Paschate*: alium *de Jejunio*: alium *de Obtrectatione*, unum hortatorium *Ad patientiam*: unum *Ad nuper baptizatos*; unum *de Canonibus Ecclesiasticis*, & *adversùs eos qui Judæorum sequuntur errorem*, quem Alexandro Hierosolymorum Episcopo nuncupavit; alium denique sic inscriptum: *Quisnam dives ille sit qui salvatur?* Huic Patri nobile perhibuit testimonium laudatus Hierosolymorum Episcopus Alexander in Epistola de Ordinatione Asclepiadis Confessoris ad Antiochenses congratulatoria. *Hæc vobis scripta, Domini ac Fratres, transmisi per Clementem beatum Presbyterum, virum illustrem, & probatum: quem vos quoque scitis, & nunc pleniùs recognoscetis: qui cùm huc venisset juxta providentiam, & visitationem Dei, confirmavit & auxit Domini Ecclesiam.* Præter adhortationem ad Gentes, tres libros Pædagogi, & octo Stromatum, nihil Operum Clementis Alexandrini superest. Præceptor fuit Origenis, dignus tam præstanti discipulo Magister. De scriptis porro ejus legendi sunt Eusebius, lib. 6. cap. 2. Sanctus Hieronymus in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum cap. 49. & Photius in Bibliotheca, Cod. 109. 110. & 111.

## SCHOLION. I.

Religiosi Censores ex hoc Articulo propositionem istam in Indiculo suo notarunt: *Abstinendum ab uxoribus praegnantibus.*

R. Meam ibi sententiam non dixi, sed *Clementis Alexandrini*, de cujus Operibus agebam. *Statuit*, inquiebam, *Christianis conjugatis moderatè utendum uxoribus, & propter solam liberorum procreationem, ab iisque temperandum cùm praegnantes sunt.* Sed tamen alia non est, nec esse debet opinio mea, & omnium rectè sentientium, nec effreni concupiscentiae faventium. Hoc Moralis Christianae caput disertè confirmant idem *Clemens Alexandrinus* libro II. *Pædagogi*, cap. X. *Sanctus Ambrosius* libro I. in Lucam, *Sanctus Hieronymus* libro I. *Adversùs Jovinianum*, & in cap. I. Epistolæ ad Ephesios, *Sanctus Augustinus* libro *De Bono Conjugali*, Cap. VII. Ionas Aurelianensis Episcopus libro VII. *De Institutione Laicali*, Cap. VII. *Sanctus Thomas* in quartum *Sententiarum*, Dist. XXXI. in Expositione Textûs. Idque confirmat vetus Pœnitentiale Romanum, Tit. VII. cap. XX. *In tribus Quadragesimis anni*, inquit, *& in die Dominica, & in quarta feria, & in sexta feria, conjugales se continere debent, nec illis diebus copulari, quandiu gravata fuerit uxor, id est, à quo die filius in utero motum fecerit usque ad partum: à partu post triginta dies, si filius est: si autem filia, post sexaginta quinque.* Et cap. X. Pœnitentiam viginti dierum in pane & aqua illis imponit, qui prædictis temporibus continentiam non servaverint.

## SCHOLION. II.

Religiosis Operum meorum Censoribus displicuisse mirór quòd Clementem Alexandrinum Sanctum appellaverim, cùm *Usuardus* illum in Martyrologio suo velut Sanctum celebret ad diem quartam Decembris: & Sanctus Alexander Hierosolymorum Episcopus in quadam ad Origenem Epistola, cujus fragmentum refert Eusebius lib. sexto Historiæ, Cap. XIV de illo ut de Sancto loquatur: *Patres quippè agnoscimus*, inquit, *beatos illos qui viam nobis præiverunt, & quos brevi secuturi sumus; Pantænum scilicet verè beatum ac Dominum meum: & Sanctum Clementem Dominum item meum, qui me plurimùm adjuvit.*

## ARTICULUS VIII.

### *De Tertulliano.*

SEPTIMIUS FLORENS TERTULLIANUS, Carthaginensis, Centurionis Proconsularis filius, Ethnicus olim, ut ex ejus libris constat, conjugatus, Carthagine causarum Patronus, Christianam amplexus Religionem, abjectâ togâ pallium induit. Ejus Vitæ seriem Pamelii studio conscriptam legere potes in fronte Operum ipsius. Floruit sub Severo Principe, & Antonino Caracalla. Vir fuit acris & vehementis ingenii, in omni disciplinarum genere eruditissimus, ut Opera testantur, quorum Catalogum texere opus non est. Stylus ejus grandis est, generosus, sententiosus. Ad Montani Hæresim defecit infœlix (ut singulari Dissertatione probabimus adversùs Georgium Ambianensem Capucinum, qui Tertullianum Redivivum edidit, & recentiores alios ipsius Vindices.) Quantùm aliis lucubrationibus profuit Ecclesiæ, tantùm illi nocuit libris in Hæresi conscriptis. Scripsit autem adversùs Ecclesiam, præter sex libros *de Extasi*, & septimum *adversùs Apollonium*, qui non extant, quinque alios libros ex iis quos habemus, scilicet, *de Pudicitia*, *de Fuga in persecutione*, *de Jejuniis adversùs Psychicos*, *de Monogamia*, *& de Exhortatione Castitatis*. Quamvis enim hunc librum Sanctus Hieronymus nullâ censurâ inurat, constat tamen ipsum à Tertulliano jam Montanista editum fuisse, quia & in eo alteras nuptias damnat. Unde ad Montanistarum etiam errorem pertinet, quod eo in libro ait: *Nonne & Laici Sacerdotes sumus? Scriptum est, Re-*

ist. Eccl. Sect. II.

A *gnum quoque nos & Sacerdotes Deo & Patri suo fecit. Differentiam inter Ordinem & plebem constituit Ecclesiæ auctoritas, & honor per Ordinis consessum sanctificatus. Adeo ubi Ecclesiastici Ordinis non est consessus, & offers, & tinguis, & Sacerdos es tibi solus. Sed ubi tres, Ecclesia est, licèt Laici.... Igitur si habes jus Sacerdotis in temetipso, ubi necesse est, habeas oportet etiam disciplinam Sacerdotis, ubi necesse sit habere jus Sacerdotis. Digamus tinguis? Digamus offers? Quantò magis Laico Digamo capitale est agere pro Sacerdote, cùm ipsi Sacerdoti Digamo facto auferatur*
B *agere Sacerdotem?* Hæc, inquam, ad Montanistarum errorem spectant, seu Pepuzianorum, qui jus & ordinem Sacerdotii mulieribus ipsis tribuebant, (ut ex Sancto Epiphanio notavimus.) Quamvis non nesciam hunc locum à viris doctis Catholico sensu explicari, sed forsan non ita commodè.

Errores Tertulliani.

2. Præter errores Montanistis proprios, quibus patrocinatum fuisse Tertullianum propria Dissertatione probabimus: alii sunt in ipso cavendi. Animam corpoream esse sensit. (ut constat ex lib. de Anima, & ex aliis locis.) Proinde ip-
C sam in utero pariter seminari cum carne, pariter cum ipsa sortiri & sexum. 2. Angelos desertores libidine in fœminas peccasse, & illarum pulchritudinem usque ad cœlum scandala fuisse jaculatam.

3. Animas Justorum ad diem usque judicii beatas non fore, nec Deum visuras; sed lætari, vel in sinu Abrahæ, vel loco aliquo refrigerii, inferno quidem superiori, non tamen cœlesti, existimavit. Qui error ipsi fuit cum pluribus aliis Patribus communis, cum Justino scilicet, Irenæo, Lactantio &c. Ab hac tamen lege Martyres
D excepit (ut constat ex lib. de Anima, cap. 55. *Et quomodo*, inquit, *Joanni in spiritu Paradisi regio revelata, quæ subjicitur altari, nullas alias animas apud se, præter Martyrum, ostendit, quomodo Perpetua fortissima Martyr, sub die passionis, in revelatione Paradisi, solos illic Commartyres suos vidit, nisi quia nullis romphæa Paradisi janitrix cedit, nisi qui in Christo decesserint, non Adam: nova mors pro Deo, & extraordinaria pro Christo, alio & privato excipitur hospitio. Si pro Deo occumbas, ut Paracletus monet, non in mollibus febribus, & in lectulis, sed in Martyriis, si*
E *crucem tuam tollas, & sequaris Dominum, ut ipse præcepit, tota Paradisi clavis tuus sanguis est.* Et libro *De Resurrectione Carnis*, cap. XLIII. *Nemo*, (inquit) *peregrinatus à corpore statim immoratur penes Dominum, nisi ex Martyrii prærogativa, Paradiso scilicet, non inferis diversurus.* Idem privilegium, tribuit Patriarchis & Prophetis lib. *De Anima* Cap. LV. *In Paradiso*, inquit, *quo jam tunc Patriarchæ & Prophetæ, appendices Dominicæ Resurrectionis migraverant ab inferis.*

4. Millenarium in terris Christi regnum cum Sanctis, post corporum resurrectionem futurum
F adstruxit. Qui nævus etiam ipsi cum nonnullis Patribus communis est.

5. Christum anno 15. Tiberii passum esse, habentem annos quasi triginta, scripsit lib. contra Judæos, cap. 8. quam sententiam & alii ex Patribus secuti sunt.

6. Duriùs scripsit de Virginitate Beatæ Mariæ Deiparæ. Videtur enim sensisse ipsam in partu Virginem non fuisse, lib. de Carne Christi, cap. 23. *Virgo*, inquit, *quantùm à viro; non Virgo quantum à partu.... Etsi Virgo concepit, in partu suo nupsit, ipsâ patefacti corporis lege: in quo nihil interfuit de vi masculi admissi, an emissi, idem illud*

*sexus resignaverit . . . cùm Apostolus , non ex Virgine , sed ex muliere editum Filium Dei pronuntiavit , agnovit adaperta vulva nuptialem passionem.*

7. Ejusdem Sanctissimæ Deiparæ virginitatem post partum negasse videtur , lib. de Monogamia , cap. 8. *Et Christum quidem Virgo enixa est, semel nuptura post partum , ut uterque titulus sanctitatis , in Christi censu dispungeretur , per matrem & Virginem & univirum ;* quem Tertulliani locum facilè exponi posse non putavit S. Hieronymus , cùm Helvidio illum pro suo errore laudanti nihil aliud respondit , quàm Tertullianum *Hominem Ecclesiæ non fuisse.*

8. Baptismum Hæreticorum nullum esse contendit , ac proinde iterandum , lib. de Baptismo, cap. 15. de Præscriptionibus cap. 12. & de Pudicitia cap. 9. Unde credere par est post Agrippinum , aut ipsius temporibus Tertullianum floruisse : eumque propugnasse errorem , qui jam in Africa Episcoporum suffragiis fuisset firmatus.

9. Sancto Barnabæ adscripsit Epistolam Sancti Pauli ad Hebræos , lib. de Pudicitia cap. 20.

10. Angelos in vera carne , licèt non natâ , hominibus apparuisse scosit. Quæ tamen sententia non adeo facilè erroris insimulanda est ; cùm præsertim Angelos eam carnem ad tempus duntaxat sumpsisse , & completo erga homines ministerio , deposuisse scripserit. ( lib. 3. contra Marcionem , cap. 9. )

11. Christum facie indecorâ & illiberali fuisse existimavit : sed tantùm abest ut erroris argui hæc sententia possit , quin potiùs in Scripturis & aliis Patribus maximum habet fundamentum , & alterâ probabilior videri potest ( ut aliàs probabimus. )

12. Filium Dei , ante Incarnationem , Patriarchis & Prophetis visum in vera carne , licèt nondum nata , quia nondum moritura , sed jam discente inter homines conversari , lib. 3. contra Marcionem cap. 9. & alibi frequenter asserit. Cui sententiæ nulla etiam nota inurenda est. Nam quòd spectat apparitiones illas , omnes Patres , quotquot Sanctum Augustinum præcesserunt , Filium Dei propria in persona se aspectabilem præbuisse , censuere. In carne autem vera ipsum apparuisse vult Tertullianus , non quam sibi hypostaticè univerit , sed quam ad tempus induerit ( ut de Angelis diximus. ) Tertulliano tribuit Sanctus Augustinus, quòd malorum hominum animas , postquàm è corpore excesserint , in Dæmones verti senserit. Sed de Tertullianistis id potiùs intelligendum est ; quorum Sectam suo tempore fuisse extinctam scribit ; siquidem , qui supererant paucissimi , Fidem Catholicam professi sunt, & Basilicam suam Ecclesiæ tradiderunt. Nam Tertullianum , tale quid sensisse , aliunde non constat : nec in ejus Scriptis ullum istius erroris vestigium est. Cæterùm propter illos errores , & proprios Montanistarum , Gelasius Pontifex Maximus cum Romana Synodo, hâc censurâ ipsius Opera confixit ; *Opuscula Tertulliani apocrypha.*

Tanti faciebat Opera Tertulliani Sanctus Cyprianus , ut nullam diem absque ipsorum lectione prætermitteret , & crebrò Notario suo diceret, *Da Magistrum* , Tertullianum significans : quod se à Paulo Concordiensi , qui à Cypriani Notario didicerat , accepisse refert Sanctus Hieronymus in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum cap. 64.

Opera Tertulliano supposita.

13. Quinque Libri *contra Marcionem* carminibus conscripti , Tertulliani non sunt ; indignos namque esse tam præstantis ingenii viro , satis evincit stylus , toties violatæ prosodiæ reus , toties rebus tractandis impar , toties telis in hostem stringendis hebes.

Tertullianus ipse , lib. 1. contra Marcionem , cap. 1. secundo ac tertio , adornatum à se Opus contra illum Hæresiarcham præfatur , ac deinde pleniore compositione rescissum. Certè eodem orationis genere Opus illud rescissum est , quo properatum fuerat. Cùm itaque Opus contra Marcionem , quo priorem compositionem Tertullianus rescidit , sit Disputatio , non Poëma : sequitur & prius Opus Disputationem fuisse properatam , non Poëticam lucubrationem. 3. Versus illi fuerunt à Fabricio , unius Codicis , ignoti quidem & obscuri , authoritate Tertulliano inscripti. 4. Tertullianum inter veteres Poëtas connumeravit veterum Scriptorum nemo. 5. Horum librorum Auctor apertè contradicit Tertulliano. Nam Tertullianus lib. *De Anima* cap. LVII. asserit non Samüelem ipsum , sed phantasma à Pythonissa fuisse malis artibus excitatum. *Absit alioquin* ( inquit ) *ut animam cujuslibet Sancti , nedum Prophetæ , à dæmonio credamus extractam , edocti quòd ipse satanas transfiguratur in Angelum lucis , nedum in hominem lucis , etiam Deum se adseveraturus* , &c. At contraria habet Auctor libri III. Carminum adversùs Marcionem his versibus :

*Mirificus Samüel , cui Reges ungere primùm,*
*Præceptum , dare chrisma , viros ostendere Christos ,*
*Talibus in vitæ spatio laudabilis egit ,*
*Ut quoque post mortem Prophetica jura teneret.*

Tertullianus seriem Successorum Sancti Petri in Sede Romana describens lib. *De Præscriptione Hæreticorum* , cap. XXXII. Clementem Petro successisse immediatè docet. At contrarium habet Autor libri III. Carminum contra Marcionem his versibus :

*Hâc Cathedrâ Petrus , quâ sederat ipse , locatum*
*Maxima Roma Linum , primum considere jussit ,*
*Postquam Cletus & ipse gregem suscepit ovilis.*
*Hujus Anacletus Successor sorte locatus ,*
*Quem sequitur Clemens.*

Quis credat Tertullianum ita sui oblitum , ut tam contraria tamque sibi invicem repugnantia dixerit ? Quis porrò fuerit Auctor illius Poëmatis, incertum est.

Tertulliano etiam falsò adscripta sunt Poëmata, de Judicio Domini , de Genesi & de Sodoma. Neque enim tantum virum tam iratas unquam habuisse Musas , credendum est ( ut eleganter ait Rigaltius. ) Eodem loco habendum est carmen de Jona , & Ninive , quod ex Codice V. Cl. P. Pithœi edidit Margarinus Bignæus ad calcem Tom. 8. Bibliothecæ Patrum.

Recensendo Tertulliani errores , omisimus eos qui ipsi à nonnullis affinguntur , quòd Deum corporeum esse censuerit , & malè senserit de secunda Trinitatis Sanctissimæ Persona , asserendo Filium non esse verè Deum , ejusdem cum Patre substantiæ , ipsique coæternum. Ab his enim erroribus immunem esse Tertullianum , propriis Dissertationibus demonstrabimus.

Sed non est omittendum , quòd Judiciarium Munus , & Militiam , videtur negasse licere Christiano , ( lib. de Idololatria cap. 17. & 19. & lib. de Corona c. 11. )

## SCHOLION I.

Religiosi Operum meorum Censores ex hoc Articulo Propositionem illam in Indiculo suo notarunt : *Christum fuit facie indecorâ & illiberali.*

R. Id non asserui, sed eam fuisse *Tertulliani* opinionem dixi, de cujus Operibus agebam ; quæ tamen opinio errores argui non possit, cùm in Scripturis & in aliis Patribus fundamentum habeat, & alterâ probabilior videri possit. Eam fuisse & *Clementis Alexandrini* libro III. *Pædagogi* cap. I. & tertio *Stromatum*, & *Origenis* libro VI. *contra Celsum*, probavi Dissertatione VIII. hujus Sæculi, & illud Psalmi XLIV. Oraculum, *Speciosus formâ præ filiis hominum*, de spiritali, non de corporea pulchritudine & vultûs elegantiâ Patres intellexisse observavi, inter alios *Sanctum Augustinum* Enarratione in hunc Psalmum. *Erro*, inquit, *ipse invenit multa fœda, & amavit nos : Si aliquid fœdi invenerimus in eo, non amemus. Quia & hoc ipsum quòd carnem induens est, ut de illo etiam diceretur,*

Isai. 53. 2. Vidimus eum, & non habebat speciem neque decorem. *Quare ? quia non in intellectum. Intelligentibus autem,* Et

Joan. 1. Verbum caro factum est, *magna pulcritudo est. Mihi autem absit gloriari, dixit unus amicorum Sponsi, nisi* in Cruce Domini nostri Jesu Christi. *Parum est ut non inde erubescas, nisi etiam & glorieris. Quare ergo non habuit speciem neque decorem ? Quia* Christus crucifixus

1. Cor. 1. 23. Judæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitia. *Quare autem & in Cruce habuit decorem ? Quia* quod stultum est Dei, sapientius est quàm homines, & quod infirmum est Dei, fortius est quàm homines. *Nobis ergo jam credentibus ubique Sponsus pulcher occurrat. Pulcher Deus, Verbum apud Deum : pulcher in utero Virginis, ubi non amisit Divinitatem, & sumsit humanitatem : Pulcher natus infans Verbum ; quia & cùm esset infans Verbum, cùm sugeret, cùm manibus portaretur, cœli locuti sunt, Angeli laudes dixerunt, Magos stella direxit, adoratus est in præsepi, cibaria mansuetorum. Pulcher ergo in cœlo, pulcher in terra, pulcher in utero, pulcher in manibus parentum ; pulcher in miraculis, pulcher in flagellis, pulcher invitans ad vitam, pulcher non curans mortem ; pulcher deponens animam, pulcher recipiens ; pulcher in ligno, pulcher in sepulcro, pulcher in cœlo. In intellectum audite Canticum, neque oculos vestros à splendore pulcritudinis illius avertat carnis infirmitas. Summa & vera pulcritudo justitia est. Si ubique justus, ubique decorus. veniat ergo nobis inspiciendus oculus mentis.* Quæstio ista fidei summam non spectat. Cum Scriptura & Sanctis Patribus loqui tutum. Quid si corpoream pulcritudinem vultusque elegantiam Christus habere noluit, ut ostenderet fallacem & vanam esse corporis pulcritudinem ; sicut dives esse noluit, ut divitiarum contemptum doceret ? Nihil ergo refert quid ea de Quæstione sentiamus, modò in Christum Jesum verum Deum & verum hominem, propter Passionem mortis gloria & honore coronatum credamus, cumque adoremus & amemus : non amore carnali hærentes in corporea ejus pulcritudine, quam nobis fortè fingimus, sed amore spiritali ad invisibilem Divinitatis ejus pulcritudinem assurgente.

## SCHOLION II.

Ex eodem Articulo num. 12. hanc Propositionem in Indiculo suo notant Religiosi Censores : *Verbum in vera carne apparuit Prophetis.*

R. Non id asserui, sed *Tertullianum* id sensisse scripsi, cui sententiæ nulla erroris nota inurenda est. *Nam quod spectat apparitiones illas*, inquiebam, *omnes Patres quotquot Sanctum Augustinum præcesserunt, Filium Dei propria in persona se aspectabilem præbuisse censuere. In carne autem vera ipsum apparuisse vult Tertullianus, non quam sibi hypostaticè univerit, sed quam ad tempus induerit, ut de Angelis dicimus.* Hæc verba mea. Quòd si omnes, quas refero, sententiæ mihi tribuendæ sunt, dicant me omnium hæresum reum, quia omnes omnium Hæreticorum errores refero. Sic olim Ethnici *Christianos omnium scelerum reos*, Tertulliano teste, conclamabant.

## ARTICULUS IX.

*De cæteris Authoribus Ecclesiasticis, qui vel secundo sæculo cadente, vel tertio ineunte floruerunt.*

VICTORIS Pontificis Maximi, & Severi Imperatoris temporibus floruit *Theophilus* Cæsareæ Palæstinæ Episcopus, qui Synodicam Epistolam valde utilem composuit adversùs eos qui Lunâ 14. Pascha cum Judæis celebrabant. Hujus meminit Eusebius lib. 5. Historiæ cap. 21. & 22. & Sanctus Hieronymus in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum cap. 54. Eadem ætate *Bachyllus* Corinthiorum Episcopus scripsit elegantem de Paschate librum, nomine omnium Achaiæ Episcoporum. Hujus meminit Eusebius locis citatis, & Sanctus Hieronymus in Catalogo cap. 55. Eodem tempore *Polycrates* Ephesiorum Episcopus, cum cæteris Episcopis Asiaticis, Epistolam Synodicam ad Victorem Pontificem Maximum scripsit, ut consuetudinem Ecclesiarum illius regionis Pascha Luna 14. primi mensis, cum Judæis celebrantium vindicaret. Hujus Epistolæ fragmentum refert Eusebius lib. 5. Historiæ cap. 23. & Sanctus Hieronymus in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum cap. 56.

Sub Severi Imperio floruerunt insuper *Heraclius* ( ut Sanctus Hieronymus habet ) sive *Heraclitus* ( ut apud Eusebium legitur ) qui Commentarios in Apostolum composuit. *Maximus*, qui celebrem illam quæstionem insigni volumine ventilavit, *Unde malum ? Et quod materia à Deo facta sit : CANDIDUS*, disputator acutissimus, qui pulcherrimos in Hexaëmeron edidit Tractatus : *Appion*, qui de eodem argumento scripsit : *Sextus*, qui librum edidit de Resurrectione. *Arabianus*, qui nonnulla etiam Opuscula edidit ad Christianum dogma pertinentia. Horum Authorum meminerunt Eusebius, lib. 5. Historiæ, cap. 26. & Sanctus Hieronymus in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum à cap. 57. ad 62.

---

## CAPUT V.

*De Imperatoribus, qui rerum potiti sunt secundo nominis Christiani sæculo.*

I. ANno Christi prope centesimo, Ulpius Trajanus, Italica in Hispaniis oriundus, Imperium cepit. Bellicæ rei peritus inprimis, ac strenuus, multas Provincias Romano adjunxit Imperio. De Dacis, & Scythis triumphavit, victo Rege Decebalo, Iberos, Sauromatas ; Osroënos, Arabes, Bosphoranos, Colchos, in fidem accepit. Seleuciam, Ctesiphontem, Babyloniam, aliasque subegit Urbes ; sed dum in Mare Rubrum navigaret, omnes illi fere populi defecerunt, quos statim per sese ac per suos Duces recepit. Armeniam, Assyriam, Mesopotamiam, Imperii Romani fecit Provincias. Sub ejus Imperio Judæi Cyrenenses in Romanos & Græcos per Ægyptum atque Cyprum, omni crudelitatis genere grassati sunt, quos ipse, misso cum plurimis copiis, instructissimaque classe, Marcio Turbone, funditus delevit. A Judæis qui Mesopotamiam incolebant, novas turbas, insidiasque metuens, Quinto Lucio in mandatis Trajanus

Qq iij dedit,

dedit, ut illos è Provincia exterminaret. Qua de re lege Eusebium lib. 4. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 2.

Mansuetudinis singularis laude celebris fuit Trajanus, adeo ut *Optimi* cognomen omnium consensu meruerit, & post ejus mortem non aliter in Senatu fuerit Principibus acclamatum, nisi, *Felicior Augusto, melior Trajano* : ( ut refert Eutropius, lib. 8. )

Inter Trajani dicta illud egregium notavit idem Author, quòd amicis eum ob nimiam comitatem culpantibus responderit; *Talem se Imperatorem esse privatis, quales esse sibi Imperatores privatus optasset.* Delecto à se Prætorianarum Cohortium Præfecto nudum gladium porrigens, dixit : *Accipe gladium, quem pro me, si bene atque ratione imperavero, distringes : sin minus, eo ad interitum meum utere.* ( Ex Xiphilino, & Dione Cassio. ) Obiit anno ætatis suæ 64. Imperavit annis undeviginti, & sex mensibus Vitrotes nonnullas enormibus vitiis fœdavit, ut observabimus, cùm de ejus fictitia ab inferis revocatione, precibus Sancti Gregorii, agemus propria Dissertatione.

Adrianus.

II. Trajano successit Ælius Adrianus ipsius consobrinus, & popularis, favore Plotinæ, quæ Trajani uxor erat. Trajani gloriæ invidens, de Assyria, Mesopotamia, Armenia, quas ille Provincias fecerat, revocavit exercitus. Antinoum egregiæ pulchritudinis puerum, qui ipsi in deliciis fuerat, inter Deos retulit, cujus etiam nomine urbem in qua obierat, appellari voluit. ( Ex Dione, Xiphilino & Eusebio in Chronico. )

Adriano Imperante, Judæi varios, gravesque tumultus excitarunt, & ad arma contra Romanos sunt conversi, tenente Provinciam Tynio Rufo, cui ad opprimendos rebelles Adrianus misit exercitum. Exinde cum Hierosolymam instaurasset, & ad sui celebritatem nominis Æliam Capitolinam vocasset, eóque deduxisset coloniam : atque in eodem loco, ubi Templum steterat, alterum in honorem Jovis erexisset, Judæi, duce Barchocheba, atrocius quam antea bellum moverunt. Nefarius ille prædo Christianos adversùs Romanum Militem subsidium ferre nolentes omni cruciatuum genere necabat, teste Eusebio in Chronico.

Cæsis à Romano exercitu quingentis octoginta Judæorum millibus, & Barchocheba meritas pœnas dante, cæteris ex tunc lege Imperatoria vetitum est ne in agrum Hierosolymitanum aliquando pedem inferrent. Hæc referunt Dio lib. 69. Xiphilinus & Eusebius tum lib. 4. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 6. tum in Chronico.

Sub Adriani Imperio illustres fuêre civilibus ac politicis virtutibus, & animi fortitudine, *Turbo* Præfectus Prætorio, & *Similis* Prætorianorum Præfectus. Prior nunquam interdiu, ne ægrotus quidem domi visus est; & Adriano consulenti sibi ut quiesceret, respondit; *Præfectum stantem mori oportere.* Posterior verò cùm præfatum munus invitus suscepisset, illo se non diu post abdicavit : & cùm reliquos vitæ septem annos in secessu peregisset, hæc verba suo sepulchro moriens inscribi jussit : *Hic jacet Similis, cujus ætas multorum annorum fuit, ipse septem duntaxat annos vixit.*

Antoninus Pius.

III. Obiit Hadrianus sexagenario major, cùm annos 21. imperasset. Post ipsum Romanæ rei præfuit, quem adoptaverat, Antoninus cognomento Pius. Hujus æquitatem exteri ac longinqui Reges ita reveriti sunt, ut ad eum controversias suas, litesque deferrent, sententiæque ejus parerent. Pacem adeo amavit, ut Scipionis dictum frequenter usurparet : *Malle se unum civem servare, quàm mille hostes occidere.* Propriis opibus suis imminutis, amplificavit ærarium. Salaria otiosis subtraxit, dicens, *Nihil esse sordidius, immo crudelius, quàm si Rempublicam is arroderet, qui nihil in eam suo labore conferret.* Cùm Marcus Antoninus Educatorem suum demortuum fleret, illumque Aulici ab ostentatione pietatis avocarent, dixit : *Permittite illi ut homo sit : neque enim vel Philosophia, vel Imperium, tollit affectus.*

Mortuus est Antoninus Pius anno vitæ suæ 77. cùm regnasset annis viginti tribus, mensibus tribus. Legem tulit æquissimam, ne maritus adulterii accusare posset uxorem, si ipse impudicè viveret. Hanc laudat Sanctus Augustinus lib. 2. de Adulterinis Conjugiis, cap. 6.

M. Aurelius & Ælius Verus.

IV. Post Antoninum Pium imperavit Marcus Aurelius Antoninus Verus ejus gener. Tum primùm duo Imperatores Augusti nomine Rempublicam gesserunt. Adoptavit enim Ælium Verum, cui Lucillam filiam collocaverat & Imperii participem fecit : *Tantumque hujus rei & novitas, & dignitas valuit, ut Fasti Consulares nonnulli ab his sumerent ordinem Consulum*, ( inquit Spartianus. ) Ambo ad undecimum annum communiter imperarunt : Ambo de Parthis communiter triumpharunt. Suscepto ab iis bello Marcomannico, Verus in ipsa profectione obiit, anno regni sui 4. sive ( ut quidam putant ) 11. ut habet Eusebii Chronicon. Solus itaque cum Marcomanis, quibus Quadi, Wandali, Sarmatæ, Suevi, ac Barbari omnes se adjunxerant, Marcus Aurelius triennio dimicavit. Eo in bello, cùm siti opprimeretur, ac penè deficeret exercitus, Melitina legio, quæ Christiana erat, laborantem pluviâ divinitus impetratâ recreavit, fulminibus in Germanos, & Sarmatas mugientibus, & ruentibus, quibus in fugam versi sunt, & magna ex parte interempti. Hinc legio illa Fulminatrix appellata est. Istud miraculum agnovit Marcus Aurelius, & ob id Christianos conquiri vetuit, eisque aditum publicas ad dignitates patefecit. De his legendus Xiphilinus in Epitome Dionis, Eusebius lib. 5. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 5. & in Chronico, & Tertullianus Apologetici cap. 5. dicens : *Cæterùm de tot exinde Principibus ad hodiernum, divinum humanumque sapientibus, edite aliquem debellatorem Christianorum. At nos è contrario edimus protectorem, si Literæ Marci Aurelii gravissimi Imperatoris requirantur, quibus illam Germanicam sitim, Christianorum fortè militum precationibus impetrato imbre, discussam contestatur. Sicut non palam ab ejusmodi hominibus pœnam dimovit, ita alio modo palam dispersit, adjecta etiam accusatoribus damnatione, & quidem tetriore.*

Exemplar Literarum *Marci Aurelii* Imperatoris, quod exhibetur ad calcem Apologiæ posterioris *Sancti Justini*, supposititium Viris Eruditis videtur, & infra sæculum *Justiniani* Imperatoris ab imperito rerum Romanarum Græculo confictum. Aliæ igitur erant Literæ ad quos provocavit *Tertullianus.*

Miraculum sitis Germanicæ precibus Christianorum Militum depulsæ sub M. Aurelio vindicatur.

Objicit quispiam tria adversùs istius miraculi fidem. 1. Quòd *Marcus Aurelius* post Germanicam sitim tam mirabiliter depulsam, anno scilicet Imperii sui decimo-septimo, acerbam in Christianos persecutionem redintegraverit, quæ innumeros prope Martyres per universum orbem

fecit

fecit, teste *Eusebio* libro v. cap. 1. 2. Quòd *M. Aurelius* Germanicæ sitis depulsionem & secutam victoriam JOVI PLUVIO se debere publico monumento professus sit, ut constat ex columna in qua *Marci Aurelii* victoriæ exsculptæ; in qua rei quidem gestæ imago exhibetur, sed iis planè signis, ut Jovis imbres dantis & fulgura admiscentis repræsentet effigiem. Tertiò, quòd jam olim sub *Augusto* duodecima Legio *Fulminatrix* appellata sit, ut constat ex *Dione*, & antiquis Inscriptionibus. Sed has objectiones facilè diluimus.

Ad primam scilicet respondetur, non levem esse suspicionem quòd mendosi sint *Eusebii* numeri, & pro anno 17. scriptum ab ipso, vel certè scribendum fuerit, 7. *Ado* Viennensis in Chronico, graves illas in Christianos persecutiones in Asia & Gallia flagrasse ait *in diebus belli Parthici*. Bellum autem Germanicum Parthico recentius esse constat ex *Capitolino* ita scribente: *Dum Parthicum bellum geritur, natum est Marcomannicum, quod do eorum qui aderant arte suspensum est, ut simile jam Orientali Bello Marcomannicum agi posset.* Præterea, *Sancti Pothini*, aliorúmque Martyrum Lugdunensium Passio tempore *Marci Aurelii Antonini* & *L. Veri* in Martyrologio Romano ad diem secundam Junii consignatur. At *L. Verus* anno nono vel decimo *Marci Aurelii* obiit. Persecutio ergo quæ *Pothinum*, aliósque Martyres Lugdunenses sustulit; & quam *Eusebius* loco supra laudato commemorat, non demum exarsit anno *Marci Aurelii Antonini* decimo-septimo, sed ante annum nonum, quinquennio ante victoriam Germaoicam. Nullum igitur argumentum est quod inde petitur contra istius Imperatoris Edictum pro Christianis. Sed quamvis numeros annorum integros esse apud *Eusebium* concederemus, & persecutionem anno decimo-septimo *Marci Aurelii* rcdintegratam, non tamen inde rectè colligeretur nullum ab illo Edictum pro Christianis fuisse datum. Nam quòd optatos ex illo Rescripto fructus non perceperint Christiani, id Proconsulum, Præsidum, Procuratorum, Judicum crudelitati, ac impiæ Plebis furori adscribendum est, qui aliis quæsitis non non tam causis quàm coloribus, adversùs innoxios & bene meritos sæviebant. Docet enim *Eusebius* persecutionem illam ortam fuisse *ex incursione populorum in singulis urbibus.* Sævitiæ autem hujus potissima causa fuit, quod Christiani quasi Deorum hostes, malorúmque omnium, quæ Rempublicam premebant, auctores, odio humani generis jam prædamnati essent; quòdque Gnosticorum turpitudines Christianis omnibus per calumniam affingerentur. Quarum rerum fama adeo percrebuerat, ut sepositis clementioribus Imperatorum Edictis, Proconsules aliíque Judices Provinciales ipsum Christianorum nomen ad supplicium sufficere arbitrarentur. Id constat ex Epistola Ecclesiarum Lugdunensis & Viennensis ad Ecclesias Asiæ & Phrygiæ. *Capti sunt etiam,* inquiunt, *quidam nostrorum servi, qui Gentiles erant, quandoquidem Præses nos omnes requiri jusserat. Qui dæmonis impulsu, cum tormenta formidarent, quæ Sanctos perpesi videbant, militibus ad hoc ipsum eos incitantibus, Thiesteas quosdam cœnas, & incestos OEdipi concubitus, & alia quæ nec proloqui nobis, nec cogitare fas est, ac ne credere quidem sustinemus apud homines unquam gesta fuisse, adversùs nos ementiti sunt. His in vulgus sparsis, omnes continuò in nos adeò efferati sunt, ut si qui fortè cognationis causâ moderati erga nos hactenus extitissent, tunc acerbissima indignatione commotè adversùs nostros infremerent.*

Ad secundam objectionem respondetur, *Marcum Aurelium*, quantumvis se devinctum Christianis professus sit, non tamen Christianum factum, sed popularem superstitionem sectatum semper fuisse. Quamobrem Deum, quem fortè unum agnovit, ut Philosophi plerique, sub *Jovis pluvii* signo & nomine expressit, quatenus imbribus & fulminibus præest. Unde ipsi accommodari potest illud *Lactantii* libro 1. cap. 11. *Convicti de uno Deo, cùm id negare non possunt, ipsum se colere affirmant; verum hoc sibi placet ut Juppiter nominetur.* Atque hic etiam locum habet illud *Tertulliani* cap 40. *Apologetici*, scribentis: *Denique cum ab imbribus æstiva hyberna suspendunt, & annus in curâ est, vos quidem balneis & cauponis & lupanaribus operantibus Aquilicia Jovi immolatis, Nudipedalia populo denuntiatis, cælum apud Capitolium quæritis, nubila de laquearibus exspectatis, aversi ab ipso Deo & cælo: Nos vero jejuniis aridi, & omni continentiâ expressi, ab omni vitæ fruge dilati, in sacco & cinere volutantes, invidiâ cælum tundimus, & cùm misericordiam extorserimus, Juppiter honoratur.*

Ad tertiam Objectionem respondetur, etsi Legio Melitena ob celebre illud miraculum *Fulminatrix* appellata sit, non propterea negandum quin idem cognomen alteri Legioni jam inde ab *Augusti* temporibus attributum esset ob aliam causam, fortè à fulmine in clypeis insculpto, aut quòd fulminis in modum irrueret in hostes, ipsósque contereret. Unius quidem Legionis fulminatricis meminit *Dio*, qui *Severi* temporibus scripsit: sed fieri potest ut vel antiqua legionum nomina retinuerit, insuperhabito hoc recentiore; vel ex duabus legionibus fulminatricibus una conflata sit *Alexandro Severo* Imperante. Idem namque *Dio* testatur exhaustas militibus Legiones aliis quandoque admisceri, duásque in unam conflari. Fuit & alia Legio fulminatrix sub *Constantino Porphyrogenneta*, imò ex antiquis Nummis patet sex fuisse Legiones fulmineas, suis singulas cognominibus distinctas, ut observat *Hermannus Vvitsius* in Diatriba *De Legione Fulminatrice Christianorum.*

Debellatis hostibus, Marcus Aurelius cum filio suo Commodo, quem Imperii consortem fecit, triumphavit; & Imperatores pecuniam, quæ fisco debebatur, provinciis concedentes, tabulas debitorum in medio Romanæ urbis foro incendi præceperunt, ac ne quid bonitati deesset, severiores quasque leges novis Constitutionibus temperarunt (ex Eusebio in Chronico.)

Marcus Aurelius totâ vitâ philosophatus est, nec Imperatoriam sibi visus est deprimere Majestatem, si Philosophos & Oratores ad aliquid discendum adiret, præsertim verò Apollonium Chalcedonium Stoïcum Philosophum. De Marci Aurelii præclarè gestis, lege Julium Capitolinum. Obiit anno ætatis suæ, cùm annos undeviginti, mensem unum imperasset, quinquagesimo nono.

Commodus

V. Post ipsum solus imperavit Commodus ejus filius, qui non solùm paternis à virtutibus degeneravit, sed morum fœditate, ac immanitate, nihilo fuit Nerone inferior. Eum susceperat Faustina ex Gladiatore (ut testatur Julius Capitolinus) sed uxoris crimen vulgare noluit M. Aurelius, quòd cum ipsa Imperium, loco veluti dotis accepisset. Unde cùm ipsi suaderetur ut illam repudiaret, si occidere nollet, dixisse fertur: *Si*

*uxorem*

*uxorem dimittimus, reddamus & dotem*: dotis nomine Imperium significans.

De Commodi vitis lege Ælium Lampridium. Regnavit annis tredecim, suorumque insidiis oppressus est.

Helvius Pertinax. VI. Ipsi successit P. Helvius Pertinax Urbis Præfectus, septuagenario major, ex Senatusconsulto. Qui cùm Rempublicam optimis institutis regere, ac militum cupiditati obviam ire vellet, intra 88. diem Juliani scelere occisus est. Non noverat Princeps multarum rerum peritus, *Multa simul tutò corrigi non posse; sed si quid aliud in rebus humanis, tum inprimis civilem statum, tempore agere, & consilio.* (inquit Xiphilinus.) Insigne moderationis exemplum præbuit Pertinax. Obsecrante enim Senatu ut uxorem suam Augustam, & filium Cæsarem appellaret, id honoris recusavit, sufficere contestatus quòd ipse invitus regnaret. (ex Eusebio in Chronico.) Sublato Pertinace, Didius Julianus emptum à militibus Imperium cùm duobus mensibus tenuisset, ad Milvium Pontem à Severo, qui ipsum hostem quàm Imperii consortem habere maluerat, interfectus est; quo facinore sibi ad Imperium viam Severus aperuit.

Severus. VII. Hic ex Africa oriundus, statim atque salutatus est Imperator, vindictam à Prætorianis, ob Pertinacis necem, repetiit. Parthos, & Adiabenos superavit, Arabesque interiores ita cecidit, ut regionem eorum Romanam Provinciam faceret. Clodium Albinum Imperii competitorem, apud Lugdunum expugnavit, ac interfecit; inde arma convertit in Britannos, ubi ut receptas Provincias ab incursione Barbarica faceret securiores, vallum per 132. millia passuum à Mari ad Mare duxit. Regnavit annos octodecim; è quibus tredecim tertio Ecclesiæ sæculo exegit. Quapropter de ipso iterum sermo recurret in Synopsi Historiæ Ecclesiasticæ tertii Sæculi, ubi de persecutione ab ipso contra Christianos excitata agemus.





# IN HISTORIAM ECCLESIASTICAM SECUNDI SÆCULI DISSERTATIONES SELECTÆ.

## DISSERTATIO PRIMA.

### *De liberatione commentitia Trajani Imperatoris ab inferis.*



HUIC Dissertationi dant locum, quæ à Joanne Diacono, lib. 2. de Vita Sancti Gregorii, cap. 44. referuntur, & quæ in quibusdam Anglorum Ecclesiis legi asserit, B magnum scilicet Gregorium per forum Trajani, quod ille quondam pulcherrimis ædificiis venustaverat, procedentem, judicii ejus, quo viduam consolatus fuerat, recordatum, magnamque illius in admirationem raptum esse. Ita autem se habuisse judicium illud refert. Trajano quondam ad imminentis belli procinctum festinanti, vidua quædam obviam processit, flebiliter dicens: Filius meus innocens, te regnante, peremptus est: obsecro, ut quia mihi eum reddere non vales, sanguinem ejus legaliter vindicare digneris. C Cumque Trajanus, si sanus reverteretur à prælio, hunc se vindicaturum per omnia responderet, vidua dixit: Si tu in prælio mortuus fueris, quis mihi præstabit? Trajanus dixit: Ille qui post me imperabit. Vidua dixit: Et tibi quid proderit, si alter mihi justitiam fecerit? Trajanus respondit: Utique nihil. Et vidua: Nonne (inquit) melius tibi est, ut tu justitiam mihi facias, & pro hoc mercedem tuam recipias, quàm alteri hanc transmittas? Tunc Trajanus ratione pariter, pietateque commotus, equo descendit, nec ante discessit, D quàm judicium viduæ per semet imminens profligaret. Hujus ergo mansuetudinem Judicis asserunt Gregorium recordatum, ad Sancti Petri Apostoli Basilicam pervenisse, ibique tandiu super errore Clementissimi Principis deflevisse, quousque responsum sequenti nocte accepisset, se pro Trajano fuisse auditum: pro nullô ulterius Pagano



A preces funderet. Hæc Joannes Diaconus. Alii rem aliter memorant: scilicet Sanctum Gregorium ad commiserationem inflexum, & ad fundendam pro Trajano Orationem, conspectu statuæ quæ hunc Imperatorem exhibebat ex equo desilientem, viduæ querimonias ut audiret. Alii aliis figmentis hanc narrationem adornant. De illa quærimus impræsentiarum, veráne sit Historia, an fabula? A Deo fieri potuisse non negamus, ut Trajanus pœnis inferni solveretur, cùm Dei omnipotentia inferos evacuare possit; sed an factum id fuerit, quærimus.

B

## PROPOSITIO.

*Trajani Imperatoris ex inferis liberatio Sancti Gregorii precibus, commentitia prorsus est, nec à Theologo veritatis amante asserenda.*

Probatur primò. Cùm lex aliqua generalis à Deo posita est, quæ in Scriptura sacra, vel traditione exarata habetur ac promulgata, ulla ipsi apponi exceptio nec debet, nec potest, nisi quæ ex iisdem fontibus eruatur ab universa Ecclesia, cui Deus immunitatem ab ista lege alicui, vel aliquibus à se con- C cessam, & in sacris literis, vel traditione contentam, revelaverit: atqui legem statuit generalem Deus ultionum Dominus de æterna impiorum in sua impietate morientium damnatione: deque exclusione illorum qui baptizati non fuerint, à regno Cœlorum; quam Christus Dominus in Evangelio promulgavit, his verbis: Matth. 25. *Tunc dicet his qui à sinistris erunt, Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis ejus . . . . & ibunt hi in supplicium æternum.* & Joann. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest in-* D *troire in regnum Cœlorum.* & Marci 16. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur.*

His igitur legibus ulla exceptio apponi nec debet, nec potest, nisi ex Scriptura sacra eruatur, aut ex traditione, idque authoritate Ecclesiæ fiat hanc exceptionem in sacris illis fontibus contineri decla-

rantis. Atqui ab his legibus concessa alicui immunitas non asseritur, vel innuitur in Scriptura sacra vel traditione; imò Ecclesia nulli concessam, vel concedendam contestatur, cùm canit: *In inferno nulla est redemptio.* Ergo temerarium est asserere Trajanum Sancti Gregorii precibus immunitatem ab his legibus fuisse consecutum, ut vel ab inferis liberaretur, vel absque baptismo, & fide salvaretur.

Probatur major. Innotescere non potest immunitas quam Deus alicui concesserit à lege generali, nisi illis qui Dei mentem fuerint assecuti: legem enim Principis exponere solus ille potest, qui Principis mentem assequitur. Atqui mens Dei non innotescit nisi Scripturâ sacrâ, vel Traditione. Sicut mens Principis ex ejus Rescripto fit conspicua. Nam *Scriptura sacra est quadam Epistola omnipotentis Dei ad creaturam suam. Et discendum est cor Dei, in verbis Dei.* (ut ait Sanctus Gregorius Magnus lib. 4. Reg. Epistola 40. quæ est ad Theodorum Medicum.) Ergo cùm Deus legem statuit generalem, in Scriptura sacra, vel Traditione latam, & promulgatam, nulla ipsi exceptio apponi debet, aut potest, nisi ex Scriptura ipsa & Traditione eruatur.

Probatur secundò. Oratio fructus est fidei: nec postulare quis à Deo potest, quod Deum non credit concessurum: Atqui Sanctus Gregorius non credit Deum concessurum unquam liberationem damnati ex inferis: ergo Sanctus Gregorius non rogavit à Deo Trajani liberationem ex inferis.

Probatur minor. Qui credidit cum universa Ecclesia pœnas inferni æternas esse respectu omnium & singulorum damnatorum, credidit Deum non concessurum cujusquam precibus liberationem ullius damnati: Atqui Sanctus Gregorius cum universa credidit Ecclesia pœnas inferni æternas fore respectu omnium & singulorum damnatorum: Ergo credidit Deum liberationem ullius damnati cujusquam precibus non concessurum.

Probatur minor ex Sancto Gregorio Magno, lib. 34. Moralium, cap. 16. dicente: *Sunt enim nunc etiam, qui idcircò peccatis suis ponere finem negligunt, quia habere quandoque finem futura super se judicia suspicantur. Quibus breviter respondemus: Si quandoque finienda sunt supplicia reproborum, quandoque finienda sunt ergo & gaudia beatorum. Per semetipsam namque Veritas dicit: Ibunt hi in supplicium æternum, Justi autem in vitam æternam. Si igitur hoc verum non est quod minatus est, neque illud verum est quod promisit. At, inquiunt, Ideo æternam pœnam peccantibus minatus est, ut eos à peccatorum perpetratione compesceret: quia creaturæ suæ æterna supplicia minari debuit, non inferre. Quibus citius respondemus: Si falsa minatus est ut ab injustitia corrigeret: etiam falsa pollicitus est ut ad justitiam provocaret. Et quis hanc eorum vesaniam toleret, qui dum promissionibus suis reproborum supplicia finiri asserunt, assertione sua etiam electorum præmia remunerationesque confundunt? Quis hanc eorum vesaniam toleret, qui conantur adstruere verum non esse, quod Veritas de æterno igne minata est, & dum satagunt Deum perhibere misericordem, non verentur prædicare fallacem? At, inquiunt, Sine fine puniri non debet culpa cum fine... Quibus citius respondemus, Quod rectè dicerent, si Judex justus non corda hominum: sed facta pensaret. Iniqui enim ideo cum fine deliquerunt, quia cum fine vixerunt: voluissent quippe sine fine vivere, ut sine fine potuissent in iniquitatibus permanere. Nam magis appetunt peccare, quàm vivere: & ideo hic semper vivere cupiunt, ut nunquàm desinant peccare, cum vivunt. Ad districti ergo Judicis justitiam pertinet, ut nunquam careant supplicio, quorum mens in hac vita nunquam voluit carere peccato: & nullus detur iniquo terminus ultionis, qui, quandiu valuit, habere noluit terminum criminis.* Et infra: *Omnipotens Deus, quoniam pius est, miserorum cruciatu non pascitur; quia autem justus est ab iniquorum ultione in perpetuum non sedatur.* Lege eundem lib. 4. Dialog. cap. 44. Ex his itaque constat Gregorium cum universa Ecclesia credidisse pœnas inferni æternas fore respectu omnium & singulorum damnatorum.

Confirmatur. Sanctus Gregorius non existimavit Justos orare posse, vel debere pro hominibus infidelibus, impiisque defunctis: imò id existimavit illicitum esse, & irritas fore orationes quæ pro illis ad Deum funderentur: ergo incredibile est quòd ipse pro Trajano Imperatore oraverit, ejusque liberationem ab inferis se crediderit impetraturum.

Probatur Antecedens ipsiusmet Sancti Gregorii verbis, l. 34. Moralium cap. 16. ubi cùm sibi objecisset nonnullorum argumentum, dicentium, Sanctos pro inimicis oraturos; quos in inferis ardere videbunt, quia ipsis dictum est, *Pro inimicis vestris orate*, sic respondet huic objectioni: *Orant pro inimicis suis eo tempore quo possunt ad fructuosam pœnitentiam eorum corda convertere, atque ipsa conversione salvare. Quid enim aliud pro inimicis orandum est, nisi hoc quod Apostolus ait, Ut det illis Deus pœnitentiam, & resipiscant à diaboli laqueis, à quo captivi tenentur ad ipsius voluntatem? Et quomodo pro illis tunc orabitur* (nempe in die Judicii extremi) *quando jam nullatenus possunt ad justitia opera ab iniquitate commutari? Eadem itaque causa est cur non oretur tunc pro hominibus æterno igne damnatis, quæ nunc etiam causa est ut non oretur pro Diabolo, Angelisque ejus æterno supplicio deputatis: quæ nunc etiam causa est, ut non orent sancti homines pro hominibus infidelibus, impiisque defunctis, qui de eis utique, quos æterno deputatos supplicio jam noverunt ante illum Judicis justi conspectum orationis suæ meritum cassari refugiunt. Quod si nunc quoque viventes Justi mortuis & damnatis Injustis minimè compatiuntur, quando adhuc aliquid judicabile de sua carne se perpeti etiam ipsi noverunt, quantò districtius tunc iniquorum tormenta despiciunt, quando ab omni vitio corruptionis exuti, ipsi jam justitiæ vicinius, atque arctiùs inhærebunt? Sic quippe eorum mentes, per hoc quod justissimo Judici inhærent, vis districtionis absorbet: ut omnino illis non libeat quicquid ab illius internæ regulæ subtilitate discordat.* Constat igitur Sanctum Gregorium existimasse Justos orare non posse, nec debere pro hominibus infidelibus, impiisque defunctis.

Respondent Adversarii, Sanctos orare non posse, nec debere pro damnatis, secundùm legem ordinariam, quia nec ordinaria lege ab inferis eripiuntur: sed pro iis orare posse secundùm legem extraordinariam; quia & extraordinaria lege, seu omnipotentiæ ac misericordiæ divinæ singulari miraculo ab inferis liberari possunt, quemadmodum liberatus est Trajanus: sicque Sanctum Gregorium extraordinario quodam instinctu pro Trajano orasse.

Contra. Eadem causa est cur non orent Sancti homines in hac vita pro hominibus infidelibus impiisque defunctis, quæ causa est ut non orent pro Diabolo Angelisque ejus æterno supplicio deputatis, ex Sancto Gregorio: atqui nec secundùm legem extraordinariam orare possunt pro Diabolo, & Angelis ejus: ergo nec pro hominibus infidelibus impiisque defunctis, etiam secundùm legem extraordinariam orare possunt.

Deinde, quid hujus distinctiunculæ præsidio fingere non liceat? *Christus pro omnibus mortuus est: ergò omnes mortui sunt.* Regula generalis hæc est,

cùi

cùi nullam exceptionem Scriptura, aut traditio apponit. Veniet alicui in mentem ut aliquos peccatum non contraxisse dicat ex Adamo; nec pro hoc, aut illo mortuum esse Christum: & locum Apostoli bella illa distinctione eludet; secundùm legem ordinariam, concedo; secundùm legem extraordinariam, nego. Oro te, nonne Pelagianus audiet, nonne protinus ab Ecclesia damnabitur? Aliquis sacrum Missæ Sacrificium offeret, vel orationem fundet pro parentibus in hæresi mortuis, vel singulari certamine sublatis, & Ecclesiam id improbantem, ac vetantem eadem distinctione perstringet. Dicet enim se id sperare ab extraordinaria Dei misericordia in gratiam suorum, quod ab ipsa beneficii recepit Trajanus, ut scilicet ab inferi pœnis liberentur. Num Ecclesia Sacerdotem pro his Sacrificium offerre, aut publicas preces fundere patietur? Nonne ipsum, si pertinax sit, non obstante sua de lege ordinaria, & extraordinaria distinctione, anathemate confodiet? Si quis dæmones aliquando salvandos asserat, & preces pro ipsis fundat, quia extraordinariam legem comminiscitur, qua sint aliquando liberandi: nonne damnatæ Origenistarum hæreseos reus tenebitur? Cujus ergo momenti esse potest illa distinctio in causa Trajani, quem in infidelitate, & impietate mortuum nullus diffitetur?

Probatur tertiò. Pro iis qui sunt extra Sanctorum Communionem, & qui nec actu, nec potentia sunt membra Christi, fundi non possunt preces, nec fusæ ipsis prosunt, uti nec Sacrificium Corporis Christi pro illis offerri: *Quis enim offerat Corpus Christi, nisi pro eis qui sunt membra Christi?* (inquit Sanctus Augustinus lib. I. de Anima & ejus Origine, cap. 9.) neque id Sanctus Gregorius ignoravit, uti nec illud quod addit ibidem Sanctus Augustinus, *Neminem fieri membrum Christi, nisi aut baptismate in Christo, aut morte pro Christo.* Et illud rursus quod habet cap. 11. *Salva fide Catholica, & Ecclesiastica regula, nulla ratione conceditur, ut pro non baptizatis cujuslibet ætatis hominibus offeratur Sacrificium Corporis & Sanguinis Christi; tamquam per hujusmodi pietatem suorum, ad regnum cœlorum, quo perveniant, adjuventur.* Atqui damnatus ad inferos Trajanus, & in ignem æternum cum aliis infidelibus detrusus, quingentis ante Sancti Gregorii ætatem annis, nullatenus erat membrum Christi; ergo ipsi prodesse non poterant cujuslibet sancti hominis preces. Ergo nec Sanctus Gregorius istius veritatis non nescius pro ipso oravit, ac suis precibus illius ex inferis liberationem impetravit.

Probatur quartò. Nihil ita prodit falsitatem Historiæ, quam Authorum in ea referenda dissensio, & nugæ quibus suam narrationem adornant: Atqui Scriptores, qui Trajani liberationem velut Historiam sinceram vindicant, vario illam modo referunt, suasque variis nugis adornant narrationes. Ergo falsi convincitur hæc Historia.

Probatur minor. Quidam enim dicunt Trajanum illi viduæ, cui jus se dicturum pollicitus est, filium suum obsidem reliquisse; cùm ex Authoribus omnibus Historiæ Romanæ constet Trajanum nullum filium habuisse. Alii aiunt, Sanctum Gregorium misericordiâ motum erga Trajanum, conspectu statuæ quæ ipsum exhibebat ex equo desilientem ut viduæ querimoniis aures præberet, & hanc statuam erectam fuisse in ipso Trajani foro: cùm certum sit præclariora, & magnificentiora Urbis ornamenta, cujusmodi erant Imperatorum statuæ, à Genserico Wandalorum Rege in Africam delata fuisse postquam Urbem deprædatus est (ut colligitur ex Procopio, lib. de bello Wandalico.) Et verisimile non sit Barbaros pepercisse æneis Statuis, quos etiam intra petras æs impactum, atque plumbum revulsisse, Cassiodorus testatur, (l. 3. Epist. 31.) Alii fatentur sanctum Gregorium pro Trajano orare non debuisse, & peccasse sic orantem, & propterea gravi capitis morbo quandiu vixit, afflictum esse. Quasi verò oratione quæ ipsi fieret in peccatum, salutem æternam impetrare potuerit damnato. Sunt qui divino instinctu motum dicant ut pro Imperatore illo oraret; & non advertunt reprehensum dici propter illam orationem, & cœlesti visione admonitum, ne deinceps pro impiis, & Paganis oraret (ut habent Joannes Diaconus, & putatitius Sanctus Joannes Damascenus) Non fuisset autem ipsi cavendum in posterum ab eo quod Spiritus Sancti afflatu gessisset. Alii Trajanum Sancti Gregorii precibus à mortuis excitatum volunt, & ab ipso baptizatum, statim in cœlum evolasse. Alii ejus animam quingentorum annorum spatio inter beatitudinem, & æternam damnationem suspensam fuisse. Cùm igitur veritas una sit, & simplex, tot Authorum dissensiones & nugæ in istius Historiæ narratione, ipsam evidentis arguunt falsitatis.

Probatur quintò. Non est verisimile Sanctum Gregorium orasse pro flagitiosissimo Principe, Ethnico, persecutore Christianorum atrocissimo, Sodomitâ, & omnibus libidinibus dedito, & Deum ipsi post quingentos ab ejus obitu & damnatione annos singulari misericordia tam nefanda facinora dimisisse, eumque ex inferis liberasse: cùm nec Abrahæ precibus victus fuerit Deus ut Sodomitis in hac mortali vita adhuc positis parceret; & decem Justos postulaverit, quorum meritis concederet Sodomæ & Gomorrhæ conservationem: & Apostolus de nefariu hujus criminis reis dixerit, *Tradidit illos Deus in reprobum sensum:* atqui Trajanus fuit flagitiosissimus Princeps, Christianorum persecutor immanissimus, ut vix tot millia Martyrum sub aliorum Imperatorum persecutionibus notari possint, quot solent sub Trajano, licèt aliquando remissiùs cum Christianis agere visus sit. Fuit denique nefario puerorum amori addictissimus (ut Ethnici ipsi Authores testantur.) Ergo non est verisimile Sanctum Gregorium pro eo orasse, & ejus ab inferis liberationem impetrasse.

Probatur Minor testimoniis luculentissimis Authorum profanorum, qui hac in causa suspecti esse meritò non possunt. Hæc de ipso scribunt Dio, & Xiphilinus: *Cuncta in eo viro optima atque præstantissima erant. Nam etsi erat amoribus puerorum, & vino deditus, tamen nihil ob eam causam turpiter, aut nequiter fecit, passusve est, quamobrem jure reprehenderetur. Licet enim vinum largiter biberet, tamen sobrius erat: & quòd ad pueros attinet, nemini molestus fuit.*

Ælius Spartianus de Hadriano hæc habet: *Fuit in amore Trajani: nec tamen ei per Pædagogos puerorum, quos Trajanus impensius diligebat, Gallo favente defuit.*

Aurelius Victor, de eodem scribit. *Cibo, vinoque paululum deditus erat.* Julianus Apostata ex persona Sileni dixit, *Summam curam & diligentiam adhibendam fuisse à Jove ut illi custodiretur Ganimedes*, quo tempore in convivium Deorum Trajanus receptus est. Quibus verbis turpissimos ejus amores sugillavit.

Probatur ultimò. Fundamentum quo tota illa narratio de liberatione Trajani, & de oratione pro eo fusa à Sancto Gregorio superstruitur, falsum est, ac rumosum, quòd nimirum equo desiliens, cùm pergeret ad bellum contra Scythas, viduæ ultionem in filii sui interfectores roganti jus dixerit. Nullus enim Scriptorum veterum, qui Trajani præclarè gesta, & dicta summâ diligentiâ literis commendarunt, egregium istud facinus retulit. Nec Plinius

ipse in Panegyrico quem Trajano dixit, quamvis nihil eorum quæ ad ipsius commendationem pertinent, prætereat, cùm tamen Panegyricus ille dictus fuerit post Scythas debellatos. Hunc enim habuit Plinius cùm honorarius ipsi delatus est Consulatus. Fuit autem Consul anno Christi 103. quo anno Eusebius in Chronico Trajanum de Scythis triumphum egisse notat. Contigisse igitur debuerat memorandum illud Trajani facinus, & exemplum singularis clementiæ ac humanitatis erga viduam. Cur ergo illud Plinius non celebrasset? Ejus sanè silentium argumento est historiam illam falsam esse: adeoque fabulosam esse Sancti Gregorii orationem pro Trajano, & totam liberationis illius narrationem, quæ huic innititur fundamento.

Objectio prima petitur ex Joanne Diacono, lib. 2. de Vita Sancti Gregorii cap. 44. ubi hanc historiam refert, nimirum Sanctum Gregorium mansuetudinis Trajani recordatum, tamdiu in Sancti Petri Basilica super illius errore deflevisse, quousque responsum sequenti nocte accepisset, se pro Trajano fuisse exauditum: admonitumque ut pro nullo ulteriùs Pagano preces effunderet. Nulla igitur ratio est cur hæc historia velut fabula explodatur.

Respondeo Joannem Diaconum, qui trecentis post Sanctum Gregorium annis vixit, sub Joanne scilicet VIII. Pontifice Maximo hanc narrationem de Trajani liberatione ab inferis ipsius precibus impetrata, non hausisse ex probatis Actis Vitæ S. Gregorii, quæ in scriniis Romanæ Ecclesiæ diligenter asservabantur, sed ex obscuris quarumdam Ecclesiarum Anglicanarum, vel Saxonicarum monumentis, quibus hac in parte non credebat Romana Ecclesia, imò de hujus narrationis veritate dubitabat quammaximè, quia exploratum ipsi erat eam ipsius Sancti Gregorii doctrinæ repugnare. Id constat ex Joannis Diaconi verbis, loco laudato: *Legitur etiam*, inquit, *penes easdem Anglorum Ecclesias, quòd Gregorius per forum Trajani procedens, judicii ejus, quo viduam consolatus fuerat, recordatus, atque miratus sit*, &c. Et infra: *Sed cùm de superioribus miraculis Romanorum nemo sit qui dubitet, de hoc quod apud Saxones legitur, hujus precibus Trajani animam ab inferni cruciatibus liberatam, ob id vel maximè dubitari videtur, quod tantus Doctor nequaquam præsumeret pro Pagano prorsùs orare, qui quarto Dialogorum suorum libro docuerit, eandem causam esse, cur non oretur à Sanctis, in futuro judicio, pro peccatoribus æterno igne damnatis, quæ nunc etiam causa est, ut non orent Sancti homines pro hominibus infidelibus, impiisque defunctis.* Cùm igitur antiquioribus Actis major sit fides adhibenda, secundùm illud Tertulliani, Apologetici c. 19. *Primam instrumentis auctoritatem summa antiquitas vindicat: & Religionis est instar fidem de temporibus asserere:* Magis credendum est silentio Romanæ Ecclesiæ, quæ in probatis Actis Vitæ Sancti Gregorii narrationem istam de Trajani liberatione ab inferis, & de fusis pro ipsa à Sanctissimo Pontifice precibus non legebat: magis ejus deferendum authoritati est illam improbantis ut doctrinæ ejusdem contrariam, adeoque meritò suspectam, quàm Anglicanis quibusdam Ecclesiis, quæ illam, nescio quibus ex fontibus hauserant, & Joanni Diacono, qui post annos à Sancti Gregorii obitu trecentos illam scriptis mandavit.

Deinde Venerabilis Bedæ, quem Sancti Gregorii studiosissimum fuisse constat; & ipsius Sanctissimi Pontificis ac Doctoris silentium, qui suis in Dialogis alia multa refert longè minùs digna, quæ memoriæ proderentur; satis evincit fabulosa esse quæ de Trajani liberatione jactantur: Maximè cùm (ut jam inculcavimus) repugnet Sancti Gregorii doctrinæ illa oratio, & liberatio. Nam, præter ea quæ hunc in scopum ex eo adduximus, idem constat adhuc ex ejus Epistola 15. lib. 6. ad Georgium Presbyterum Constantinop. & Theodorum Diaconum data, ubi hæc scribit: *Nihil aliud teneatis, nisi quod vera fides per Catholicam Ecclesiam docet: quia descendens ad inferos Dominus, illos solummodo ab inferni claustris eripuit, quos viventes in carne per suam gratiam in fide, & bona operatione servavit. Quod enim per Evangelium dicis; Cùm exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum: omnia videlicet electa. Nam trahi à Deo post mortem non potuit, qui se à Deo male vivendo separavit.*

Tertiò, insulsum est quod scribit Joannes Diaconus ut ostendat prætensum Sancti Gregorii factum illius doctrinæ non repugnare: ait enim, *Non legi pro Trajano Gregorium exoravisse, sed tantùm flevisse. Sicque, cùm non oraverit, plangendo potuisse exaudiri; sicuti Moyses, cùm dolendo taceret, potuit clamasse videri: cùm Dominus tacenti labiis: Quid clamas, inquit ad me? Nimirum*, inquit, *Deus omnipotens corda renesque scrutatur, & frequenter ea misertus concedit, quæ homo; quamvis ut carnalis desideret, ea tamen petere non præsumit. Unde Psalmista; Desiderium pauperum exaudivit Dominus: & desideria cordis eorum audivit auris tua.* Quasi verò desiderium cordis Justorum non sit oratio propriè dicta, & necesse esset labia movisse Gregorium ut oraret! Ignoravit sanè Joannes Diaconus Ecclesiæ Theologiam à S. Augustino traditam, Enarratione in Psalmum 37. *Ipsum*, inquit, *desiderium tuum, oratio tua est: & si continuum desiderium, continua oratio. Si non vis intermittere orare, noli intermittere desiderare. Continuum desiderium tuum, continua vox tua est. Tacebis, si amare destiteris.... Frigus charitatis, silentium cordis est: fragrantia charitatis, clamor cordis est. Si semper manet charitas, semper clamas: si semper clamas, semper desideras.* Igitur si Sanctus Gregorius desideravit liberationem Trajani ab inferis, quod fatetur Joannes Diaconus, consequens est ut pro ipsa oraverit: maximè cùm Sanctus ipse Gregorius desiderium cordis orationem esse affirmet, lib. 22. Moralium cap. 13. *Valentiores*, inquit, *voces apud secretissimas aures Dei non faciunt verba nostra, sed desideria. Æternam vitam, si ore petimus, nec tamen corde desideramus, clamantes tacemus. Si verò desideramus ex corde, etiam cùm ore conticescimus, tacentes clamamus.*

4. Falsum est quod Joannes Diaconus ait, Moysem non orasse. Nonne enimverò orasse significat Sanctus Gregorius ibidem, cùm addit: *Hinc est quod in eremo populus vocibus perstrepit, & Moyses à strepitu verborum tacet? & tamen silens aure divinæ pietatis auditur: cum dicitur: Quid clamas ad me? Intus ergo in desiderio est clamor secretus, qui adhuc ad humanas aures non pervenit, & tamen auditum Conditoris replet. Hinc est quod Anna ad Templum pergens, ore quidem tacuit, & tamen tot sui desiderii voces emisit. Hinc in Evangelio Dominus dicit: Intra in cubiculum tuum, & clauso ostio, ora Patrem tuum in abscondito. Clauso quippe ostio petit in cubiculo, qui tacente ore, in conspectu supernæ Pietatis fundit affectum mentis. Et vox auditur in abscondito, cùm per sancta desideria silenter clamatur. Unde rectè quoque per Psalmistam dicitur: Desiderium pauperum exaudivit Dominus, præparationem cordis eorum audivit auris tua.* Tam igitur Moyses oravit, quàm Anna, & quàm ille qui intrans in cubiculum suum, juxta mandatum Christi, Patrem orat in abscondito. Falsò igitur Joannes Diaconus Moysis exemplum urget ut adstruat Sanctum Gregorium non orasse pro salute Trajani, sed tantùm flevisse.

5. Sibi ipsi contradicit Joannes Diaconus in illa narratione: Ait enim Sanctum Gregorium responsum accepisse, *Se pro Trajano fuisse auditum; pro*

nullo

*nullo ulteriùs Pagano preces effunderet.* An porro admonitus est, ut non oraret deinceps pro Pagano, si ne tunc quidem oravit: Et cur dicitur pro Trajano auditus, si nihil à Deo in ejus gratiam postulavit?

6. Longè insulsius est, quod addit Joannes Diaconus, notandum esse, *Quòd non legitur Gregorii precibus Trajani anima ab inferno liberata, & in paradiso reposita: quod omnino incredibile videtur, propter illud quod scriptum est: Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non intrabit in regnum Cœlorum: sed simpliciter dicitur ab inferni solummodo cruciatibus liberata.* Quasi verò non sequatur futurum in gehenna ignis, qui non erit in regno Cælorum (ut toties contra Pelagianos urget Sanctus Augustinus) & fingendus sit singularis quidam locus pro anima Trajani!

Objectio secunda petitur ex Sancto Joanne Damasceno, in Oratione de Fidelibus Defunctis, ubi Trajanum Sancti Gregorii precibus ab inferis liberatum testatur, ejusque miraculi totum Orientem & Occidentem testes advocat. *Prodeat*, inquit, *in medium Gregorius Dialogus antiquioris Romæ Episcopus. Hic, cùm per locum lapidibus stratum aliquando iter faceret, deditâ operâ constitit, intemissimasque pro peccatorum Trajani remissione preces ad animarum amantem, & misericordem Dominum fudit, statimque vocem hujusmodi divinitus emissam audivit: Preces tuas exaudivi, ac Trajano ignosco. Tu verò posthac caveto, ne mihi pro impiis supplex sis. Quòdque istud verum sit, atque ab omni calumnia alienum, Oriens totus atque Occidens testantur. En hoc præstantius eo est, quod de Falconilla refertur. Illa etenim, præter Idolorum cultum, nihil aliud sceleris perpetrarat: hic contrà plurimos Martyres crudelissimâ morte affecerat.* Atqui non est rejicienda Historia Sancti Joannis Damasceni authoritate fulta, & totius Orientis ac Occidentis testimonio comprobata: Ergo non debet velut fabula explodi illa de Trajani liberatione, S. Gregorii precibus impetratâ, narratio.

Respondeo, distinguo minorem. Non est rejicienda Historia Sancti Joannis Damasceni authoritate fulta, &c. Si eam referat verus Damascenus, esto; si eam referat alius Author nomine Damasceni abusus, nego. Distinguo secundò illam propositionem, si Sanctus Joannes Damascenus deceptus non fuerit concedo, si deceptum illum fuisse gravissimis momentis evincatur; nego. Primò itaque respondeo hæc, quæ in objectione prolata sunt, non esse Sancti Joannis Damasceni, quia ejus non est Oratio illa de Fidelibus Defunctis. Adversantur enim illa quæ asserit Orationis istius Author, his quæ verus asserit Damascenus libro secundo de Fide Orthodoxa, cap. 4. Ait enim: *Illud etiam scire non alienum fuerit, quod hominibus mors est, hoc Angelis lapsum extitisse. Post lapsum enim præclusa jam est illis omnis resipiscendi facultas, quemadmodum & hominibus, postquàm ex hac vita migrarunt.* Si igitur asseruisset Sanctus Joannes Damascenus, Trajanum, & Falconillam post mortem fuisse ab inferorum pœnis liberatos; & Sanctum Gregorium orasse pro remissione peccatorum Trajani, secum ipse pugnasset. Non enim id esset Angelis casus, quod mors hominibus, si homines in impietate defuncti Justorum precibus juvari possent, & ab inferis eripi; non possent autem dæmones: nec pariter utrisque præclusa esset resipiscendi facultas, si pro prioribus à Deo postulari posset remissio peccatorum, ut postulasse supponitur Sanctus Gregorius pro Trajano: Non potest namque concedi venia peccatorum sine resipiscentia.

Secundò, falsò supponit Author istius Orationis, preces; & Missæ sacrificia pro damnatis etiam offerri posse, idque Ecclesiam Catholicam, & Apostolicam credere. Nam postquam asseruit preces & sacrificia pro defunctis offerri, illisque prodesse, secundùm Ecclesiæ Fidem, id probat exemplo prætensæ liberationis Trajani, Sancti Gregorii precibus impetratæ; & liberationis Falconillæ, quam Sanctæ Theclæ orationibus concessam supponit. In hunc autem errorem lapsum esse Sanctum Damascenum quis sibi persuadeat, quem in libris de Orthodoxa Fide tam disertis verbis evertit?

Tertiò. Asserit Philosophos Ethnicos, qui omnia virtutis munera, haud quidem piè, sed tamen expleverant, & qui providentiam, tametsi non sine erroris labe, fuerant venerati, divinam tamen fidem non perceperant, à Christo ad inferos descendente, fidei radiis fuisse illustratos, & inferni vinculis solutos. Quod in veri Damasceni mentem venisse non existimo.

Quartò. Neminem eorum, qui crediderint in Christum, periturum esse ait: quod erroneum est. *Nec beneficii loco ducendum*, inquit, *nec novum ac mirum hoc censendum est, iis nimirum, qui crediderint, salutem à Christo allatam esse: cùm solus ipse judex æquitate præstet, nec periturus sit quisquis ipsius verbis fidem adhibuerit. Quocirca eos omnes salutem consequi, atque ad Dei ac Domini descensum inferni vinculis solvi necesse erat.*

Quintò. Ait, totum Orientem, Occidentemque testari liberationem illam Trajani Sancti Gregorii precibus: quod falsissimum est. Nam Joannes Diaconus hanc narrationem à Romana Ecclesia improbatam satis significat; & ut hanc adstruat, confugit ad divisos toto orbe Britannos. Porro facti, quod obscuris duntaxat Anglicanarum quarumdam Ecclesiarum monumentis adstruitur, totusne Oriens, & Occidens testis dici potest? Hæc proculdubio non scripsit Sanctus Joannes Damascenus. Si enim ista scripsisset, Joannes Diaconus illa non omisisset, ipsumque laudasset Damascenum ut ejus authoritate fidem conciliaret dictæ narrationi, & Romanos de ea immeritò dubitare ostenderet, quæ totius Orientis, & Occidentis testimonio esset asserta. Dici enim non potest quòd Joannes Diaconus non evolverit omnia quæ in Græcorum monumentis de Sancto Gregorio habebantur, siquidem adhibito præceptore qui sibi ea interpretaretur, quæ ab iis ad commendationem sanctissimi Pontificis dicta essent, omnia diligenter colligebat, & annotabat: adeo ut Pratum Spirituale cap. 45. libri secundi laudet, ex eoque referat quomodo se gesserit Sanctus Gregorius erga Monachum, quia tria apud se numismata, contra factum paupertatis votum, retinuerat. Igitur verisimile est illius Authorem Orationis vixisse post Joannem Diaconum, & ex eo sumpsisse fabulam illam de Trajani liberatione: quæ quia vulgata erat apud Græcos post dicti Joannis Diaconi tempora, scripsit hujus totum Orientem & Occidentem testem esse.

Sextò, laudat Orationem Sancti Athanasii *De iis, qui è vita discesserunt.* At neque hæc Oratio ullibi extat, nec Sanctum Athanasium talem Orationem edidisse aliunde constat. Laudat etiam sententiam aliquam nomine Sancti Gregorii Nysseni, quæ nullibi in ejus Operibus extat (ut notat Jacobus Billius.) Denique non Trajanum modò, sed Falconillam ereptam ab inferis testatur, Apocrypha addens Apocryphis. Adeoque ex eo, quisquis est, Authore, singulare colligi non potest privilegium pro Trajano, quale venditatur ab illis, qui propterea liberatum illum ab inferis putant Sancti Gregorii precibus, quòd viduæ afflictæ, ex equo desiliens, jus dixisset.

Respondeo secundò. Quòd etsi hæc Oratio germanus esset Sancti Joannis Damasceni fœtus, major ipsi non esset adhibenda fides; quia tot argumentis probaretur illum fuisse in hac facti quæstione de-

ipse in Panegyrico quum Trajano dixit, quamvis nihil eorum quæ ad ipsius commendationem pertinent, prætereat, cùm tamen Panegyricus ille dictus fuerit post Scythas debellatos. Hunc enim habuit Plinius cùm honorarius ipsi delatus est Consulatus. Fuit autem Consul anno Christi 103. quo anno Eusebius in Chronico Trajanum de Scythis triumphum egisse notat. Contigisse igitur debuerat memorandum illud Trajani facinus, & exemplum singularis clementiæ ac humanitatis erga viduam. Cur ergo illud Plinius non celebrasset? Ejus sanè silentium argumento est historiam illam falsam esse: adeoque fabulosam esse Sancti Gregorii orationem pro Trajano, & totam liberationis illius narrationem, quæ huic innititur fundamento.

Objectio prima petitur ex Joanne Diacono, lib. 2. de Vita Sancti Gregorii cap. 44. ubi hanc historiam refert, nimirum Sanctum Gregorium mansuetudinis Trajani recordatum, tamdiu in Sancti Petri Basilica super illius errore deflevisse, quousque responsum sequenti nocte accepisset, se pro Trajano fuisse exauditum: admonitumque ut pro nullo ulteriùs Pagano preces effunderet. Nulla igitur ratio est cur hæc historia velut fabula explodatur.

Respondeo Joannem Diaconum, qui trecentis post Sanctum Gregorium annis vixit, sub Joanne scilicet VIII. Pontifice Maximo hanc narrationem de Trajani liberatione ab inferis ipsius precibus impetrata, non hausisse ex probatis Actis Vitæ S. Gregorii, quæ in scriniis Romanæ Ecclesiæ diligenter asservabantur, sed ex obscuris quarumdam Ecclesiarum Anglicanarum, vel Saxonicarum monumentis, quibus hac in parte non credebat Romana Ecclesia, imò de hujus narrationis veritate dubitabat quammaximè, quia exploratum ipsi erat eam ipsius Sancti Gregorii doctrinæ repugnare. Id constat ex Joannis Diaconi verbis, loco laudato: *Legitur etiam*, inquit, *penes easdem Anglorum Ecclesias, quod Gregorius per forum Trajani procedens, judicii ejus, quo viduam consolatus fuerat, recordatus, atque miratus sit*, &c. Et infra: *Sed cùm de superioribus miraculis Romanorum nemo sit qui dubitet, de hoc quod apud Saxones legitur, hujus precibus Trajani animam ab inferni cruciatibus liberatam, ob id vel maximè dubitari videtur, quod tantus Doctor nequaquam præsumeret pro Pagano prorsùs orare, qui quarto Dialogorum suorum libro docuerit, eandem causam esse, cur non oretur à Sanctis, in futuro judicio, pro peccatoribus æterno igne damnatis, quæ nunc etiam causa est, ut non orent Sancti homines pro hominibus infidelibus, impiisque defunctis.* Cùm igitur antiquioribus Actis major sit fides adhibenda, secundùm illud Tertulliani, Apologetici c. 19. *Primam instrumentis auctoritatem summa antiquitas vindicat*; & *Religionis est instar fidem de temporibus asserere*: Magis credendum est silentio Romanæ Ecclesiæ, quæ in probatis Actis Vitæ Sancti Gregorii narrationem istam de Trajani liberatione ab inferis, & de fusis pro ipsa à Sanctissimo Pontifice precibus non legebat: magis ejus deferendum authoritati est illam improbantis ut doctrinæ ejusdem contrariam, adeoque meritò suspectam, quàm Anglicanis quibusdam Ecclesiis, quæ illam, nescio quibus ex fontibus hauserant, & Joanni Diacono, qui post annos à Sancti Gregorii obitu trecentos illam scriptis mandavit.

Deinde Venerabilis Bedæ, quem Sancti Gregorii studiosissimum fuisse constat; & ipsius Sanctissimi Pontificis ac Doctoris silentium, qui suis in Dialogis alia multa refert longè minùs digna, quæ memoriæ proderentur; satis evincit fabulosa esse quæ de Trajani liberatione jactantur: Maximè cùm (ut jam inculcavimus) repugnet Sancti Gregorii doctrinæ illa oratio, & liberatio. Nam, præter ea quæ hunc in scopum ex eo adduximus, idem constat adhuc ex ejus Epistola 15. lib. 6. ad Georgium Presbyterum Constantinop. & Theodorum Diaconum data, ubi hæc scribit: *Nihil aliud teneatis, nisi quod vera fides per Catholicam Ecclesiam docet: quia descendens ad inferos Dominus, illos solummodo ab inferni claustris eripuit, quos viventes in carne per suam gratiam in fide, & bona operatione servavit. Quod enim per Evangelium dicit; Cùm exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum: omnia videlicet electa. Nam trahi à Deo post mortem non potuit, qui se à Deo male vivendo separavit.*

Tertiò, insulsum est quod scribit Joannes Diaconus ut ostendat prætensum Sancti Gregorii factum illius doctrinæ non repugnare: ait enim, *Non legi pro Trajano Gregorium exorasse, sed tantùm flevisse. Sicque, cùm non oraverit, plangendo potuisse exaudiri; sicuti Moyses, cùm dolendo taceret, potuit clamasse videri: cùm Dominus tacenti labiis: Quid clamas, inquit ad me? Nimirum*, inquit, *Deus omnipotens corda renesque scrutatur, & frequenter ea misertus concedit, quæ homo; quamvis ut carnalis desideret, ea tamen petere non præsumit. Unde Psalmista; Desiderium pauperum exaudivit Dominus: & desideria cordis eorum audivit auris tua.* Quasi verò desiderium cordis Justorum non sit oratio propriè dicta, & necesse esset labia movisse Gregorium ut oraret! Ignoravit sanè Joannes Diaconus Ecclesiæ Theologiam à S. Augustino traditam, Enarratione in Psalmum 37. *Ipsum*, inquit, *desiderium tuum, oratio tua est: & si continuum desiderium, continua oratio. Si non vis intermittere orare, noli intermittere desiderare. Continuum desiderium tuum, continua vox tua est. Tacebis, si amare destiteris.... Frigus charitatis, silentium cordis est: fragrantia charitatis, clamor cordis est. Si semper manet charitas, semper clamas: si semper clamas, semper desideras.* Igitur si Sanctus Gregorius desideravit liberationem Trajani ab inferis, quod fatetur Joannes Diaconus, consequens est ut pro ipsa oraverit: maximè cùm Sanctus ipse Gregorius desiderium cordis orationem esse affirmet, lib. 22. Moralium cap. 13. *Valentiores*, inquit, *voces apud secretissimas aures Dei non faciunt verba nostra, sed desideria. Æternam vitam, si ore petimus, nec tamen corde desideramus, clamantes tacemus. Si verò desideramus ex corde, etiam cum ore conticescimus, tacentes clamamus.*

4. Falsum est quod Joannes Diaconus ait, Moysem non orasse. Nonne enimverò orasse significat Sanctus Gregorius ibidem, cùm addit: *Hinc est quod in eremo populus vocibus perstrepit, & Moyses à strepitu verborum tacet; & tamen silens aure divinæ pietatis auditur: cum dicitur: Quid clamas ad me? Intus ergo in desiderio est clamor secretus, qui adhuc ad humanas aures non pervenit, & tamen auditum Conditoris replet. Hinc est quod Anna ad Templum pergens, ore quidem tacuit, & tamen tot sui desiderii voces emisit. Hinc in Evangelio Dominus dicit: Intra in cubiculum tuum, & clauso ostio, ora Patrem tuum in abscondito. Clauso quippe ostio petit in cubiculo, qui tacente ore, in conspectu supernæ Pietatis fundit affectum mentis. Et vox auditur in abscondito, cùm per sancta desideria silenter clamatur. Unde rectè quoque per Psalmistam dicitur: Desiderium pauperum exaudivit Dominus, præparationem cordis eorum audivit auris tua.* Tam igitur Moyses oravit, quàm Anna, & quàm ille qui intrans in cubiculum suum, juxta mandatum Christi, Patrem orat in abscondito. Falsò igitur Joannes Diaconus Moysis exemplum urget ut adstruat Sanctum Gregorium non orasse pro salute Trajani, sed tantùm flevisse.

5. Sibi ipsi contradicit Joannes Diaconus in illa narratione: Ait enim Sanctum Gregorium responsum accepisse, *Se pro Trajano fuisse auditum; pro*

nullo

*nulla ulterius Pagano preces effunderet.* An potro admonitus est, ut non otaret deinceps pro Pagano, si ne tunc quidem oravit: Et cur dicitur pro Trajano auditus, si nihil à Deo in ejus gratiam postulavit?

6. Longè insulsius est, quod addit Joannes Diaconus, notandum esse, *Quòd non legitur Gregorii precibus Trajani anima ab inferno liberata, & in paradiso reposita: quod omnino incredibile videtur, propter illud quod scriptum est: Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non intrabit in regnum Cœlorum: sed simpliciter dicitur ab inferni solummodo cruciatibus liberata.* Quasi verò non sequatur funitum in gehenna ignis, qui non erit in regno Cœlorum (ut toties contra Pelagianos urget Sanctus Augustinus) & fingendus sit singularis quidam locus pro anima Trajani!

Objectio secunda petitur ex Sancto Joanne Damasceno, in Oratione de Fidelibus Defunctis, ubi Trajanum Sancti Gregorii precibus ab inferis liberatum testatur, ejusque miraculi totum Orientem & Occidentem testes advocat. *Prodeat*, inquit, *in medium Gregorius Dialogus antiquioris Romæ Episcopus. Hic, cùm per locum lapidibus stratum aliquando iter faceret, deditâ operâ constitit, intentissimusque pro peccatorum Trajani remissione preces ad animarum amantem, & misericordem Dominum fudit, statimque vocem hujusmodi divinitus emissam audivit: Preces tuas exaudivi, ac Trajano ignosco. Tu verò posthac caveto, ne mihi pro impiis supplex sis. Quòdque istud verum sit, atque ab omni calumnia alienum, Oriens totus atque Occidens testantur. En hoc præstantius eo est, quod de Falconilla refertur. Illa etenim, præter Idolorum cultum, nihil aliud sceleris perpetrarat: hic contrà plurimos Martyres crudelissimâ morte affecerat.* Atqui non est rejicienda Historia Sancti Joannis Damasceni authoritate fulta, & totius Orientis ac Occidentis testimonio comprobata: Ergo non debet velut fabula explodi illa de Trajani liberatione, S. Gregorii precibus impetratâ, narratio.

Respondeo, distinguo minorem. Non est rejicienda Historia Sancti Joannis Damasceni authoritate fulta, &c. Si eam referat verus Damascenus, esto; si eam referat alius Author nomine Damasceni abusus, nego. Distinguo secundò illam propositionem, si Sanctus Joannes Damascenus deceptus non fuerit concedo, si deceptum illum fuisse gravissimis momentis evincatur; nego. Primò itaque respondeo hæc, quæ in objectione prolata sunt, non esse Sancti Joannis Damasceni, quia ejus non est Oratio illa de Fidelibus Defunctis. Adversantur enim illa quæ asserit Orationis istius Author, his quæ verus asserit Damascenus libro secundo de Fide Orthodoxa, cap. 4. Ait enim: *Illud etiam scire non alienum fuerit, quod hominibus mors est, hoc Angelis lapsum extitisse. Post lapsum enim præclusa jam est illis omnis resipiscendi facultas, quemadmodum & hominibus, postquàm ex hac vita migrarunt.* Si igitur asseruisset Sanctus Joannes Damascenus, Trajanum, & Falconillam post mortem fuisse ab inferorum pœnis liberatos; & Sanctum Gregorium orasse pro remissione peccatorum Trajani, secum ipse pugnasset. Non enim id esset Angelis casus, quod mors hominibus, si homines in impietate defuncti Justorum precibus juvari possent, & ab inferis eripi; non possent autem dæmones: nec pariter utrisque præclusa esset resipiscendi facultas, si pro prioribus à Deo postulari posset remissio peccatorum, ut postulasse supponitur Sanctus Gregorius pro Trajano: Non potest namque concedi venia peccatorum sine resipiscentia.

Secundò, falsò supponit Author istius Orationis, preces & Missæ sacrificia pro damnatis etiam offerri posse, idque Ecclesiam Catholicam, & Apostolicam credere. Nam postquam asserit preces & sacrificia pro defunctis offerri, illisque prodesse, secundùm Ecclesiæ Fidem, id probat exemplo prætensæ liberationis Trajani, Sancti Gregorii precibus impetratæ; & liberationis Falconillæ, quam Sanctæ Theclæ orationibus concessam supponit. In hunc autem errorem lapsum esse Sanctum Damascenum quis sibi persuadeat, quem in libris de Orthodoxa Fide tam disertis verbis evertit?

Tertiò. Asserit Philosophos Ethnicos, qui omnia virtutis munera, haud quidem piè, sed tamen expleverant, & qui providentiam, tametsi non sine erroris labe, fuerant venerati, divinam tamen fidem non perceperant, à Christo ad inferos descendente, fidei radiis fuisse illustratos, & inferni vinculis solutos. Quod in veri Damasceni mentem venisse non existimo.

Quartò. Neminem eorum, qui crediderint in Christum, periturum esse ait: quod erroneum est. *Nec beneficii loco ducendum*, inquit, *nec novum ac mirum hoc censendum est, iis nimirum, qui crediderint, salutem à Christo allatam esse: cùm solus ipse judex æquitate præstet, nec periturus sit quisquis ipsius verbis fidem adhibuerit. Quocirca eos omnes salutem consequi, atque ad Dei ac Domini descensum inferni vinculis solvi necesse erat.*

Quintò. Ait, totum Orientem, Occidentemque testari liberationem illam Trajani Sancti Gregorii precibus: quod falsissimum est. Nam Joannes Diaconus hanc narrationem à Romana Ecclesia improbatam satis significat; & ut hanc adstruat, confugit ad divisos toto orbe Britannos. Porro facti, quod obscuris duntaxat Anglicanarum quarumdam Ecclesiarum monumentis adstruitur, totusne Oriens, & Occidens testis dici potest? Hæc proculdubio non scripsit Sanctus Joannes Damascenus. Si enim ista scripsisset, Joannes Diaconus illa non omisisset, ipsumque laudasset Damascenum ut ejus authoritate fidem conciliaret dictæ narrationi, & Romanos de ea immeritò dubitare ostenderet, quæ totius Orientis, & Occidentis testimonio esset asserta. Dici enim non potest quòd Joannes Diaconus non evolverit omnia quæ in Græcorum monumentis de Sancto Gregorio habebantur, siquidem adhibito præceptore qui sibi ea interpretaretur, quæ ab iis ad commendationem sanctissimi Pontificis dicta essent, omnia diligenter colligebat, & annotabat: adeo ut Pratum Spirituale cap. 45. libri secundi laudet, ex eoque referat quomodo se gesserit Sanctus Gregorius erga Monachum, quia tria apud se numismata, contra sacrum paupertatis votum, retinuerat. Igitur verisimile est illius Authorem Orationis vixisse post Joannem Diaconum, & ex eo sumpsisse fabulam illam de Trajani liberatione: quæ quia vulgata erat apud Græcos post dicti Joannis Diaconi tempora, scripsit hujus totum Orientem & Occidentem testem esse.

Sextò, laudat Orationem Sancti Athanasii *De iis qui è vita discesserunt.* At neque hæc Oratio ullibi extat, nec Sanctum Athanasium talem Orationem edidisse aliunde constat. Laudat etiam sententiam aliquam nomine Sancti Gregorii Nysseni, quæ nullibi in ejus Operibus extat (ut notat Jacobus Billius.) Denique non Trajanum modò, sed Falconillam ereptam ab inferis testatur, Apocrypha addens Apocryphis. Adeoque ex eo, quisquis est, Authore, singulare colligi non potest privilegium pro Trajano, quale venditatur ab illis, qui propterea liberatum illum ab inferis putant Sancti Gregorii precibus, quòd viduæ afflictæ, ex equo desiliens, jus dixisset.

Respondeo secundò. Quòd etsi hæc Oratio genuinus esset Sancti Joannis Damasceni fœtus, major ipsi non esset adhibenda fides; quia tot argumentis probaretur illum fuisse in hac facti quæstione deceptum,

ceptum, quot momentis Propositionem nostram probavimus. Nec verò cedit in Sanctorum Patrum injuriam, asserere quòd in rebus præsertim historicis aliquando decepti fuerint, cùm & in dogmatibus errasse nonnullos nemo neget. Certè Sanctus Gregorius Nazianzenus, Damasceno major, & doctior, Theologus à Græcis antonomasticè nuncupatus; cujus dictis nullus unquam inferre ausus est calumniam, (ut ait Sanctus Thomas) duos Cyprianos, Antiochenum, & Carthaginensem, in unum conflavit, ea in Oratione quam habuit in laudem Sancti Cypriani. An idem propterea asserendum est? Sanctus Augustinus Antipodas extare negavit. An, hac in re sequendus? Cur ergo sequeremur Sanctum Joannem Damascenum fabulam de Trajani liberatione obtrudentem? Tam immutabilis veritas est, ut cujusvis Patris authoritas efficere non possit ut verum sit id quod falsum est, & falsum esse certissimis monumentis comprobatur; ut factum sit, quod factum non esse ipsis, ut ita loquar, Solis radiis demonstratur. Nam *Veritati nemo præscribere potest: non spatium temporum, non patrocinia personarum, non privilegia regionum* (inquit Tertullianus lib. de Virginibus velandis, cap. 1.) Et alii Authores à Canonicis, ita legendi sunt, *Ut quantalibet sanctitate, doctrinaque præpolleant, non ideo verum putemus, quia ipsi ita senserunt, sed quia nobis, vel per Authores Canonicos, vel probabili ratione, quòd à vero non abhorreant, persuadere potuerunt.* (ut ait Sanctus Augustinus Epist. 19. ad Sanctum Hieronymum data.)

Respondeo tertiò, quod penè mihi exciderat, in hac sive Sancti Damasceni, sive alterius Oratione, fabulas alias referri, quæ huic de Trajano narrationi fidem derogent, & hunc Authorem fabulis leviùs credidisse, easque avidè & sine delectu exscripsisse ostendant. Tale est illud quod narrat ex Lausiaca Palladii Historia, de Macario quodam, qui cranium siccum hominis in via inventum interrogavit, nunquam ne aliquid solatii defuncti perciperent? & illud cranium, (quod Sacerdotis ethnici, ac proinde damnati, alii fuisse supponunt, ut constat ex Sancto Thoma, in IV. Sententiarum Dist. 45. Quæst. II. Art. 2. argum. 4.) respondisse; *Quo tempore mortuorum causâ preces offers, tum sane nonnullius solatii sensu afficimur.* Quæ fabula, nec in Lausiaca Palladii Historia extat, unde illam laudat Author Orationis de Fidelibus Defunctis, nec in Vitis Patrum occurrit, unde illam allegat etiam Sanctus Thomas, licèt in illis multa de Macario referantur.

Objicitur tertiò. Euchologium Græcorum, cap. 96. hanc historiam in Oratione quadam pro defunctis, habet. *Quemadmodum*, inquit, *Trajanum per intentam servi tui Gregorii Dialogi intercessionem flagro solvisti, exaudi etiam nos te orantes, non pro idolorum cultore, sed pro fideli servo tuo, qui te, propter imbecillitatem, ad iracundiam provocavit.* Ergo tota Ecclesia Græca hanc narrationem veram esse credit, siquidem eam sacris in ritibus, & publicis precibus usurpat.

Respondeo, ex Pseudo-Joannis Damasceni Oratione hanc fabulam in Græcorum Euchologium irrepsisse, ut observat Jacobus Billius: cui proinde fides major non est adhibenda; maximè cùm Ecclesia Græca, ex quo in schisma lapsa est, & sub Mahumetanorum tyrannide gemit, multos alios in errores majoris longè momenti impegerit. Et quis nescit multas historias apocryphas in Ecclesiasticorum Officiorum libros intrusas fuisse? Multæ sanè fabulæ in Breviario Romano legebantur, priusquam Clementis VIII. curis & diligentiâ emendatum, & expurgatum esset, & nonnullas in eo etiamnum extare viri eruditi agnoscunt. Non mirum igitur si in Græcorum Euchologia historia de liberatione Trajani ab inferis irrepserit. Sed Ecclesiæ Græcæ Romanam opponimus cæterarum Ecclesiarum *Matrem & Magistram* (ex Concilio Lateranensi IV.) cujus Pontifex *omnium Christianorum Pater est & Doctor*, (ut Græca ipsa Ecclesia in Concilio Florentino professa est, in Definitione fidei.) Hæc namque fabulam illam Joannis ipsius Diaconi temporibus explodebat: & in piacularibus precibus canit; *In inferno nulla est redemptio.* Sed & Euchologium editum à nostro Goartio hæc generatim habet de pœnis inferni, quæ prætensam illam Trajani liberationem evertant. Ita enim in Officio funereo Sacerdotis: *Non est in inferis pœnitentia, nulla ibi relaxatio: ibi vigilans vermis, tenebrosa terra, & chaos caliginosum.* Et rursus: *Velut in divina resurrectionis spe mortui, vitam omnino in Christo reperimus fideles: verum judicium ibi plurimum, fratres, nec ullus inferno eripitur.* Et rursus: *Intoleranda intemperanter viventibus videtur mors, ibi dentium stridor, luctus à consolatione alienus, densa caligo, tenebræ exteriores, vigilans vermis, infructuosa lachryma, & judicium absque misericordia. Ante finem propterea clamemus, dicentes: Domine Christe, electo tuo, cum electis tuis requiem confer.* Quomodo porro Trajanus ab inferis ereptus dici potest, si in inferis nulla est relaxatio, si nullus inde eripitur, si denique ibi luctus est à consolatione alienus, & judicium absque misericordia?

Objicitur quartò. Quod revelatum est Sanctis Brigittæ & Mechtildi, explodi ceu fabula non debet: Trajani liberatio ab inferis revelata est Sanctis Brigittæ & Mechtildi: ergo explodi non debet ce fabula.

Probatur Minor ex lib. 4. Revelationum Sanctæ Brigittæ, cap. 13. & ex lib. 5. Revelationum Sanctæ Mechtildis, cap. 6.

Respondeo primò distinguo Majorem: Si revelatio ejusmodi certa sit, & ab Ecclesia probata, concedo. Si præsumptitia sit, & non probata ab Ecclesia, nego. Distinguo pariter Minorem: Trajani liberatio revelata est Sanctis Brigittæ, & Mechtildi, si fides adhibeatur scriptis, seu libris Revelationum earum nomine insignitis, concedo; si fides illis detrahatur, ut detrahi meritò debet, nego. Namque omnes revelationes quæ privatis, sive viris, sive mulieribus fiunt, quantæcumque sanctitatis merito fulgeant, si in alicujus dogmatis Catholici destructionem, vel in legis communis à Deo constitutæ, & in Scripturis, vel traditione promulgatæ exceptionem profectantur, nullius omnino authoritatis ac ponderis esse apud Theologos debere contendimus. Cùm enim Deus revelationum author sit, si veræ sint, non potest illas privatis personis indulgere in eversionem revelationis quæ Ecclesiæ facta est de aliquo fidei dogmate, vel in exceptionem legis universalis, nisi Ecclesiæ de illis exceptionibus propria & singulari revelatione constet. Alioqui Spiritus Sanctus secum ipse committeretur, sibique repugnaret. Certè si Sanctus Augustinus, lib. contra Epistolam fundamenti, cap. 5. ait se *Non crediturum Evangelio, nisi illum Catholicæ Ecclesiæ commoveret auctoritas:* multominùs privatis revelationibus Ecclesiæ approbatione destitutis, viri Theologi fidem adhibere debent. Attendere namque ipsos necesse est ad Ecclesiæ Africanæ Decretum, quod habetur in Codice Canonum ejusdem Ecclesiæ, Num. 83. *Quæ per somnia, & per inanes quasi revelationes quorumlibet hominum ubique constituuntur altaria,*

Revelationes privatis hominibus factæ, nullius sunt authoritatis, si in alicujus dogmatis Catholici destructionem, vel in Legis communis à Deo constitutæ exceptionem profectantur.

ria,

*ria, omni modo improbentur.* Et ad verba Sancti Augustini lib. de Unitate Ecclesiæ, cap. 19. ubi Donastitas exagitat veram Ecclesiam in sola Africa superstitem esse sic probantes : *Verum est, quia ille frater noster, aut illa soror nostra tale visum vigilans vidit, vel tale visum dormiens somniavit. Removeantur,* inquit, *ista vel figmenta mendacium hominum, vel portenta fallacium Spirituum....... Ipse Dominus Jesus, cùm resurrexisset à mortuis, & Discipulorum oculis videndum, manibusque tangendum corpus suum offerret, ne quid tamen fallacia se pati arbitrarentur, magis eos testimoniis Legis & Prophetarum, & Psalmorum, confirmandos esse judicavit, ostendens ea de se impleta, quæ fuerant tantò antè prædicta.* Cùm itaque citatæ Sanctarum Brigittæ & Mecthildis revelationes non sint ab Ecclesia probatæ, nulla ipsarum ratio habenda est, ubi de rebus Theologicis agitur : vel de historiis, quas inter & dogmata Theologica summa connexio est.

Respondeo secundò, revelationes illas inter se contrarias esse, adeòque hoc in negotio parvipendendas : inter se, inquam, contrariæ sunt. Nam Sanctæ Brigittæ revelatum dicitur, animam Trajani ex inferis in sublimem gradum evectam : Sanctæ verò Mecthildi Deus dicitur revelasse, nolle se ut sciant homines, quid sua liberalitate de anima Trajani statuerit. Nonne, quæso, inter se pugnant, revelatam esse Sanctæ Brigittæ liberationem Trajani ex inferis, & velle Deum ut homines ignorent quid præstiterit Trajano ?

Respondeo tertiò, nec præsumptitiam Sanctæ Brigittæ revelationem ita perspicuam esse, ut ex ea certò colligi possit animam Trajani fuisse ab inferis ereptam : siquidem ex ea duntaxat habetur, illam ad gradum quemdam altiorem evectam esse, quod ad solam pœnæ mitigationem referri posse Catholici Authores notant. Fieri autem forsan potuit ut Sancto Gregorio, non quidem orante pro Trajano, sed ingemiscente, & simplici velleitate cupiente ut damnatus non esset, si id justitiæ Dei, & statutæ ab eo legi non repugnaret, mitigata sint illius Imperatoris supplicia. Non enim perinde repugnat Catholico dogmati ut alicujus pœnæ damnati mitigentur interdum, aliàs augeantur, secundùm quod placet justitiæ vindici Dei, sicut repugnat, ut quis ex inferis eripiatur, aut pro ipsius salute oretur. Certè sunt ex Sanctis Patribus, qui levari aliquando pœnas damnatorum hoc pacto non incommodum censent, ut Sanctus Augustinus in Enchiridio, cap. 112. ubi tractans versum illum Psalmi 87. *Non obliviscetur misereri Deus, nec continebit in ira sua misericordias suas,* ait ; *Frustra itaque nonnulli, immo quamplurimi æternam damnatorum pœnam, & cruciatus sine intermissione perpetuos, humano miserantur affectu, atque ita futurum esse non credunt, non quidem Scripturis adversando divinis, sed pro suo motu dura quæque molliendo, & in leniorem flectendo sententiam, quæ putant in eis terribilius esse dicta, quàm verius. Non enim obliviscetur,* inquiunt, *misereri Deus, aut continebit in ira sua miserationes suas : hoc quidem in Psalmo legitur sancto. Sed de his sine scrupulo intelligitur, qui vasa misericordiæ nuncupantur, quia & ipsi, non pro meritis suis, sed Deo miserante, de miseria liberantur, aut si hoc ad omnes existimant pertinere, non ideo necesse est ut damnationem finiri opinentur eorum : de quibus dictum est : Ibunt hi in supplicium æternum.... Sed pœnas damnatorum certis temporum intervallis existiment, si hoc eis placet, aliquatenus mitigari : etiam sic quippe intelligi potest manere in illis ira Dei, hoc est ipsa damnatio, ut in ira sua, non tamen contineat miserationes suas, non æterno supplicio finem dando, sed levamen adhibendo, vel interponendo cruciatibus ! quia nec Psalmus ait : ad finiendam iram suam, vel post iram suam, sed in ira sua. Quæ si sola esset quanta ibi minima cogitari potest, perire à regno Dei, exulare à Civitate Dei, alienari à vita Dei, tam grandis est pœna, ut ei nulla possint tormenta, quæ novimus, comparari, si illa sit æterna : ista autem sint quamlibet multis seculis longa. Manebit ergo sine fine mors illa perpetua damnatorum : id est alienatio à vita Dei, & omnibus erit ipsa communis, quàmlibet homines de varietate pœnarum, de dolorum relevatione, vel intermissione, pro suis humanis motibus suspicentur.* Et Prudentius Hymno 5. τῶν καθημερινῶν, per Festum Paschale damnatis nonnihil quietis, & relaxationis indulgeri ait, ita canens :

*Sunt & spiritibus sæpe nocentibus,*
*Pœnarum celebres sub Styge feriæ*
*Illa nocte, sacer qua rediit Deus*
*Stagnis ad Superos ex Acheronticis,*
*Marcent suppliciis tartara mitibus,*
*Exultatque sui carceris otio*
*Umbrarum populus liber ab ignibus,*
*Nec fervent solito flumina sulphure.*

Aliud autem ex præsumptitia Sanctæ Brigittæ revelatione in gratiam Trajani colligi non potest, quàm ipsius pœnam fuisse mitigatam, non autem ipsum ab inferis fuisse penitus liberatum. Quanquam nec isti pœnæ mitigationi facilè assensum præbuerim, quia nec id fieri asserit Sanctus Augustinus, sed tantùm dogmati Catholico de pœnarum inferni æternitate respectu omnium & singulorum damnatorum, non repugnare, & Prudentius id poëticè scribit, non dogmaticè : nec ullo Scripturæ aut traditionis loco id fulciri potest. Unde hæc Sancti Augustini verba in Enchiridio Cap. cx. de precibus quas Ecclesia Deo pro defunctis offert, *Quibus autem prosunt, aut ad hoc prosunt ut sit plena remissio, aut certè ut tolerabilior fiat ipsa damnatio,* hæc (inquam) verba ad damnatos quosdam perperam referunt Petrus Lombardus in quarto Sententiarum, Distinctione 45. Cap. *Neque negandum est,* Præpositivus ab Alberto Magno citatus eadem Distinctione, Glossa in cap. *Tempus,* Causâ 2, Quæst. 13. Nullius etiam auctoritatis est, quæ in Codice Gellonensi pervetusto inscripta extat *Missa pro cujus anima dubitatur,* in qua hæc legitur Oratio : *Omnipotens & misericors Deus, qui habes potestatem mortificare, & iterum vivificare, deducere ad inferos, & iterum reducere ; & vocat ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt ; cujus potestas & in cœlo & in terra, & in mari & in inferis plena adsistit : te humiles trementesque deprecamur pro anima famuli tui quam traxisti de præsenti sæculo absque pœnitentiæ spatio, ut si forsitan ob gravitatem criminum non meretur surgere ad gloriam, per hæc sacra Oblationis libamina vel tolerabilia fiant ipsa tormenta.* Nec etiam probanda Floriacensium illorum Monachorum orandi ratio, qui pro animabus prædonum in acie fusorum preces ad Dominum fuderunt ; *Quatenus etsi perpetuis non mererentur absolvi cruciatibus, saltem minoribus mulctarentur à stricto Judice pœnis* : ut refert Adrevaldus lib. De Miraculis Sancti Benedicti, cap. 21.

Pro damnatis orare non licet ut eorum tormenta mitigentur.

Objectio quinta nititur auctoritate Sancti Thomæ in Supplemento Quæst. 71. Art. 5. ad 5. ubi dictam historiam approbat ceu veram, Trajanumque censet ab inferis Sancti Gregorii precibus liberatum. *Dicendum,* inquit, *quod de facto Trajani hoc modo potest probabiliter æstimari, quòd precibus Beati Gregorii ad vitam fuerit revocatus, & ibi gratiam consecutus sit, per quam remissionem peccatorum habuit, & per consequens immunitatem à pœna, sicut*

*ficut etiam apparet ex omnibus illis qui fuerunt miraculosè à mortuis suscitati, quorum plures constat idololatras, & damnatos fuisse. De omnibus talibus enim similiter dici oportet, quod non erant in inferno finaliter deputati, sed secundùm præsentem propriorum meritorum justitiam; secundùm autem superiores causas, quibus prævidebantur ad vitam revocandi, erat aliter de eis disponendum. Vel dicendum, secundum quosdam, quòd anima Trajani non fuit simpliciter à reatu pœnæ æternæ absoluta, sed ejus pœna fuit suspensa ad tempus, scilicet usque ad diem Judicii.*

Respondeo, Sanctum Thomam non asserere positivè Trajani liberationem ab inferis, precibus Sancti Gregorii impetratam, sed suppositâ historiâ, quam propter putatitii Damasceni auctoritatem ooluit rejicere, nec ipsi accuratiùs expendere licuit propter librorum penuriam iis temporibus; ea respondisse quæ probabiliùs responderi poterant. Neque enim solet Sanctus Thomas facta historica expendere, neque id sibi proposuit in Summa aut aliis Operibus, sed solùm ut quæstiones Theologicas Scholastica methodo pertractaret. Unde cùm argumentis respondet historico facto innixis, ejus responsiones hypotheticæ sunt duntaxat, non absolutæ. Nec postulat summa & Angelica Saocti Thomæ eruditio, ut historias omnes ipsum scivisse existimemus, vel eas quæ passim suo tempore jactabantur ut veræ, expendere potuisse absque libris, quibus earum probaretur veritas, aut falsitas; vel examinare ac discutere debuisse, præter suum institutum; quo non Theoricam, sed Scholasticam Theologiam tractabat; sed solùm ut propugnemus nihil melius aut solidius responderi potuisse, supposita factorum veritate, quàm quòd ipse respondit. Certè nullus religioni duceret, quantumvis scrupulosus Thomista, asserere multas sub Circulo æquinoctiali, & sub Zona torrida regiones habitabiles esse, licèt id negaverit Sanctus Thomas I. P. Q. 102. Art. 2. fultus auctoritate Aristotelis: quia jam certissimis experimentis, & fidelissimis relationibus istud compertum est. Cur ergo religioni ducamus historias esplodere ut falsas, quarum modò falsitas oculatis quibusque est aperta, licèt Sancti Thomæ temporibus passim ut veræ haberentur?

Respondeo secundò, quòd etiamsi Trajanum Sancti Gregorii precibus ab inferis liberatum fuisse assereret Sanctus Thomas, ab ipso hac in parte discedere nulla nobis deberet esse religio. Quod ne audaciùs dixisse videar, præstat audire præstantissimum & eruditissimum Ordinis nostri Theologum Melchiorem Canum, primariæ Cathedræ in Academia Salmanticensi olim Præfectum, & Episcopum Canariensem, qui suum, & Francisci Victoria, nostri etiam Ordinis viri, Præceptoris, in eadem Academia Professoris Primarii, de sectanda Sancti Thomæ doctrina judicium scriptis mandavit, lib. 12. de Locis Theologicis cap. 1. *Quamquam*, inquit, *illos probare non soleo, qui velut Sacramento rogati, vel etiam superstitione constricti, ut Fabii verbis utar, nefas ducunt à suscepta semel persuasione discedere. Theologo nihil est necesse in cujusquam jurare leges. Majus enim est opus, atque præstantius ad quod ipse tendit, quàm ut Magistri debeat vestigiis semper insistere, siquidem est futurus Theologiæ laude perfectus. Memini de Præceptore meo ipse audire, cùm nobis Secundam Secundæ partem cœpisset exponere, Tanti divi Thomæ sententiam esse faciendam, ut si potior ulla ratio non succurreret, sanctissimi & doctissimi viri satis nobis esset auctoritas. Sed admonebat rursum, non oportere Sancti Doctoris verba sine delectu & examine accipere, imo verò, si quid aut durius, aut improbabilius dixerit, imitaturos nos ejusdem in similii re modestiam & industriam, qui nec Authoribus antiquitatis suffragio comprobatis fidem abrogat, nec in sententiam eorum, ratione in contrarium vocante, transit. Quod ego præceptum diligentissimè tenui. Non enim ullam, non divi Thomæ dico, sed ne Magistri mei opiniationem quidem revocavi ad arbitrium meum; nec cordi tamen fuit jurare in verba Magistri. Nam & vir ille naturâ ipsâ moderatus; at cum divo etiam Thoma aliquando dissensit. Majoremque, meo judicio, laudem dissentiendo, quàm consentiendo assequebatur: tanta erat in dissentiendo reverentia.*

Objicitur ultimò. Historia quam Authores graves & eruditi referunt & probant, non est rejicienda, & inter fabulas explodenda: sed narrationem de Trajani liberatione, Authores graves, & eruditi referunt, & probant, scilicet Sanctus Aotoninus 1. Parte Chronici, titulo 7. cap. 3. §. 2. Vincentius Bellovacensis, in Speculo Historiali, libro decimo, cap. 68. venerabilis Gersonius in Sermone ad Regem Franciæ, pro Pace, Consideratione. 4. Tostatus Abulensis Episcopus, in 4. librum Regum, ad cap. 4. Quæst. 57. Alphonsus Ciaconius Hispanus, Ordinis Prædicatorum, qui ante nonaginta annos proprium singularemque Librum de Trajani liberatione ab inferis, Romæ edidit, Navarrus Tomo 3. Miscellaneo 58. de Oratione, & Hieronymus de Lanuza Ordinis Prædicatorum, Episcopus Barbastrensis Homiliâ 31. in Quadragesimam. §. 1. Ergo liberatio Trajani ab inferis, & fusæ, ad eam impetrandam, à Sancto Gregorio preces, fabulæ loco haberi, & explodi non debent.

Respondeo, distinguo majorem; si eam Authores æquè graves & eruditi probabiliùs non rejiciant, esto; si illam Authores æquè graves & eruditi explodant, melioribus rationibus, & luculentioribus momentis freti, nego. Laudatis autem Authoribus opponimus illustrissimos, & doctissimos Cardinales, Baronium Tom. 8. Annalium, ad annum Christi 604. & Bellarminum, lib. 2. de Purgatorio, cap. 8. Melchiorem Canum, lib. undecimo de Locis Theologicis cap. 2. ubi hæc habet: *Certè quantum Historiæ cognitione Theologus indigeat, vel illi abundè magno argumento sunt, qui ejus ignoratione sunt in varios errores prolapsi. Hujus generis quidam exemplum ponunt, quòd Trajanum Gregorii precibus à gehenna liberatum, non vulgo solùm, sed divo etiam Thomæ olim juveni persuasum est. Persuasum est autem Joannis Damasceni Auctoritate, cui Divus sanè Thomas plurimùm deferebat ... Nec verò historiam ego illam probo. Mirum enim est hominem Græcum, rem & nostram, & toto (ut ipse inquit) orbe vulgatam, Græcis suis prodidisse, quam Historia tamen omnis Latinorum ignorat. Sibi ergo fabula, non repugno, ea quæ de Trajano, & Gregorio referuntur.*

His oppono & Dominicum Soto Ordinis Prædicatorum Theologum, cujus summa eruditio à Patribus Concilii Tridentini commendata fuit. Is porro ita scribit in IV. Sententiarum Dist. 45. Q. 2. Art. 2. *Sed tamen primùm omnium profectò de historia Trajani diffiteri non possum, mihi fieri creditu durissimam: quoniam, ut supradictum est, certum est peccatum esse mortale orare pro damnatis. Quomodo ergo Gregorius hoc ignorare potuit? Quod si non ignoravit, quomodo secus fecit? Atque Abulensis super 4. lib. Reg. Q. 57. fatetur Gregorium mortaliter peccasse orando pro Trajano, sed nihilominus fuisse exauditum: & in pœnam peccati condemnatum fuisse ut dolore stomachi laboraret. Quod profectò nescio quis credas. Mallem dicere, Gregorium dubitantem an esset in inferno, orasse pro illo. Sed neque hoc facilè credo.* Cum his sentiunt Possevinus, in Apparatu

facro,

facto, verbo, *Joannes Damascenus*, & Doctissimus Coëffetæus ex Ordine Prædicatorum ad Massiliensem Episcopatum assumptus lib. 9. Historiæ suæ Romanæ. Verba ejus Gallica Latinè fideliter reddam. *Certè*, ( inquit de Trajano loquens ) *si tam nefarii, tamque execrandi criminis meritò insimulatus est, fabula eorum, qui absque ullo fundamento, & absque ullâ rationis umbra, illum Maximi Pontificis precibus salvam voluerunt, digna est qua ad inferos, cum ipso conflagratura detrudatur.* His omnibus adjungendus est P. Joannes Nicolai in suis ad Articulum suprà laudatum Sancti Thomæ eruditis Notis.

Denique Authores in argumento laudati, vel aliis fabulis Historias suas infarciverunt, ut Sanctus Antoninus, & Vincentius Bellovacensis, qui absque delectu narrationes omnes exscribebant ( ut aliàs cum Doctissimo Cano observavimus ) vel in Concionibus ad populum hanc de Trajano historiam declamarunt, illam accuratiùs & scrupulosiùs non expendentes, ( quod plurimis Concionatoribus frequentiùs contingit ) ut Gersonius, & Hieronymus de Lanuza; vel præjudicatæ mentis affectu in transversum acti sunt, ut Navarrus qui eam propugnavit opinionem ut Alphonsum Ciaconium vindicaret; vel denique dubitanter sunt locuti, & pugnantia scripsisse convincuntur & absurda, ut Tostatus. Quod enim dubitanter locutus sit, constat ex ejus priori responsione. *Etsi vellemus*, inquit, *negare Trajanum fuisse salvatum precibus Beati Gregorii, non esset valde inconveniens: quia ista Vita Sanctorum, quamquam in Ecclesia legantur, tamen non approbat eas omnino Ecclesia, quia pro diversitate locorum à multis gesta Sanctorum conscripta sunt, qui potuerunt in eis ex ignorantia, vel aliàs, aliquid erroris admiscere, & sic possumus licitè negare, si volumus... Et maximè poteramus id negare: quia asseritur ibi aliquid contra legem communem Dei, & si quis velit sic omnino negare Trajanum esse liberatum ab inferis, & quòd non oraverit pro eo Gregorius, & dato quòd oraverit, quòd non fuerit exauditus, satis est rationabile: & sic nulla est difficultas de facto Trajani.*

Pugnantia verò & absurda scripsit eo de argumento Tostatus infra, cùm ait: *De Gregorio autem dicendum, quòd ipse orando pro Trajano peccavit. Quia oravit pro eo, quem damnatum esse sciebat, vel credebat firmiter, & ob hoc punitus est: quia tota vita ejus in languoribus suis. Et sic verum est testimonium Legenda ejus, & testimonium Viri Clarissimi, Joannis Damasceni.* Quid autem absurdius quàm ut oraverit Sanctus Gregorius pro liberatione Trajani, & orando peccaverit, & nihilominus fuerit exauditus: punitusque sit ob orationem, quâ tantum miraculum fingitur promeritus fuisse?

Nota Apocryphum esse Scriptum, quod ex Codice Vaticano profertur, nomine Joannis, & Petri Diaconorum Sancti Gregorii insignitum, quo testari finguntur, Sanctum Gregorium orasse ut quicumque in circuitu Ecclesiæ Sancto Andreæ Apostolo consecratæ in clivo Scauri sepulturam elegisset, modò fidem teneret Christianam, ad æternæ vitæ gaudia sublimaretur: Sancto verò Pontifici apparuisse Angelum, qui ipsi renuntiaverit orationem illius fuisse à Deo exauditam; sed ipsum ab infirmitate corporis, quam patiebatur, nunquam hoc in sæculo liberatum iri, quia istud postulare præsumpserat, & pro Trajano orare. Istud autem Scriptum Apocryphum esse, ac recentioris Impostoris opus, multa probant. Primò quòd Sanctum Gregorium vocet *Divum*, quod nomen apud Scriptores sacros nusquam Sanctis tributum reperies. Quòd Cardinales Episcopis anteponat: quod illius ævi repugnat disciplinæ. 3. Quod affingatur Sancto Gregorio vel impia, vel inepta oratio: Impia, si postulasse dicatur ut salutem æternam obtinerent quicumque sepelirentur intra ambitum Ecclesiæ illius, si fidem Christianam tenerent duntaxat, quantumvis charitate, & bonis operibus essent destituti: Inepta, si dicatur postulasse ut regnum cœlorum illi obtinerent, si in fide Christiana & charitate essent defuncti. Siquidem ad illud essent perventuri, etiamsi sepulturam intra illius Templi ambitum non elegissent.

Nec majorem authoritatem conciliat illi Scripto Vaticana Bibliotheca in qua asservatur, *Quia omnis copiosa Bibliotheca refert similitudinem sagenæ missa in mare, & ex omni genere piscium congreganti, bonos & malos continens libros, utiles & inanes simul amplexans, illos ut sequatur, rejiciat vero istos* ( inquit Annalium Ecclesiasticorum Parens, Tom. 8. ad annum 604. )

Sancti Thomæ principia liberationi Trajani ex inferis penitus contraria.

Nota secundò, propter quorumdam pertinaciam, qui à sententia Trajani liberationem asserente, nullis unquam se machinis dimovendos profitentur, quia illam esse Sancti Thomæ præsumunt, facilè evinci posse Sanctum Thomam, cujus inter principia mira connexio est, in hac sententia de Trajani liberatione ab inferis non fuisse, ut quæ multis ipsius doctrinæ principiis omnino repugnet. Namque adversatur principio quod statuit III. P. Q. I. Art. 3. ubi ait: *Ea, quæ ex sola Dei voluntate proveniunt, supra omne debitum creaturæ, nobis innotescere non possunt: nisi quatenus in sacra Scriptura traduntur, per quam divina voluntas nobis innotescit.* Ex quo colligit, convenientiùs dici, quod peccato non existente, Incarnatio non fuisset, quia in sacra Scriptura ubique Incarnationis ratio ex peccato primi hominis assignatur. At ex eodem principio sequitur nobis innotescere non posse liberatum fuisse aliquem, vel liberandum ab inferis; vel orationem alicujus Viri Sancti pro damnato fuisse exauditam, aut exaudiendam esse, nisi id in Scriptura sacra reveletur, quia hujusmodi liberatio ex sola Dei voluntate proveniret, supra omne debitum creaturæ. Cùm itaque Scriptura tradat ignem inferni respectu omnium damnatorum æternum esse: convenientius est, secundùm Sancti Thomæ principium, asserere nullum unquam damnatum ex inferis liberatum fuisse vel liberandum: adeoque nec Sancti Gregorii precibus hinc ereptum fuisse Trajanum.

Secundò, incredibile est quòd Sanctus Thomas, qui III. item Parte, Q. 27. Art. 2. Beatam Virginem à peccato originali in sua Conceptione immunem non fuisse contendit, & probat, propter legem universalem in Scriptura promulgatam, *Per unum hominem peccatum in mundum intravit, in quo omnes peccaverunt*; senserit Trajanum ab inferis fuisse liberatum, & privilegium pro ipso agnoverit, qui nullum agnovit pro Maria; fueritque in Trajanum damnatum magis pius, quàm in Virginem Deiparam: & à lege universali contrahendi peccati originalis noluerit eximere Mariam, ne fieret injuria dignitati Salvatoris, & à pœnis æternis liberatum senserit Imperatorem ethnicum, Sodomitam, & Christianorum persecutorem, non metuens ne fieret injuria veracitati æterni Judicis.

Tertiò. Quia fingere non potuit Sanctus Thomas id obtinuisse Sancti Gregorii gemitum vel *orationem*, quod Christus suæ passionis virtute non est consecutus, cùm ad inferos descendit. At nullum ex inferis damnatum eripuit Christus. Rationem affert Sanctus Thomas III. P. Q. 52. Art. 6. *Qui* ( nimirum Christus ) *descendens ad inferos, operatus est in virtute suæ passionis. Et ideo ejus descensus ad inferos, illis solis liberationis contulit fruc-*

*rum, qui fuerunt passioni Christi conjuncti per fidem charitate formatam, per quam peccata tolluntur. Illi autem, qui erant in inferno damnatorum, aut penitus fidem passionis Christi non habuerant, sicut infideles: aut si fidem habuerunt, nullam conformitatem habebant ad charitatem Christi patientis. Unde nec à peccatis suis erant mundati. Et propter hoc, descensus Christi ad inferos non contulit eis liberationem à reatu pœnæ infernalis.*

Dic amabo, nonne hæ rationes æquè militant contra liberationem Trajani? Nonne, si de potentia extraordinaria (ut effutiunt adversarii) liberatus est Trajanus ab inferis propter orationem Gregorii, etiam aliqui liberari ab inferis potiori jure dici possunt propter passionem Christi? Cùm itaque nullum à Christo descendente ad inferos damnatum liberatum fuisse disertè asserat Sanctus Thomas; nec Trajanum inde sensit ereptum Sancti Gregorii precibus.

Quartò. Sanctus Thomas in ipso Articulo Supplementi, ex quo in responsione ad quintum, Trajani liberationem eruunt adversarii, Scholasticorum quorumdam opinionem, qui suffragia prodesse damnatis asserebant, non quidem per diminutionem pœnæ, vel per interruptionem, sed per confortationem patientis, ait esse *præsumptuosam utpote Sanctorum dictis contrariam, & vanam, nulla auctoritate fultam, & irrationabilem; tum quia damnati in inferno sunt extra vinculum charitatis, secundum quam opera vivorum continuantur defunctis: tum quia totaliter ad viæ terminum pervenerunt recipientes ultimam pro meritis retributionem, sicut & Sancti, qui sunt in patria.* Et post alia, sic Articulum concludit: *Unde tutius est simpliciter dicere, quòd suffragia non prosunt damnatis, nec pro eis Ecclesia orare intendit.* Hæc autem, quæ contra liberationem Trajani æquè militant, habet Sanctus Thomas in corpore Articuli. At ex iis quæ Angelicus Doctor in corpore Articuli asserit, potiùs quàm ex responsione ad argumentum, & fluctuante præsertim atque hypothetica responsione, eruendam, nullus accurati criterii, & exquisiti judicii Thomista negabit ejus mentem.

Quintò. Sanctus Thomas Secunda Secundæ Q. x. Art. 12. hoc statuit principium: *Maximam habet auctoritatem Ecclesiæ consuetudo, quæ semper est in omnibus æmulanda: quia & ipsa doctrina Catholicorum Doctorum ab Ecclesia auctoritatem habet: unde magis standum est auctoritati Ecclesiæ, quàm auctoritati vel Augustini, vel Hieronymi, vel cujuscunque Doctoris.* Ex quo principio colligit Sanctus Thomas, non esse baptizandos Judæorum filios, invitis parentibus, quia *Hoc Ecclesiæ usus nunquam habuit: quamvis fuerint retro-actis temporibus multi Catholici Principes potentissimi, quibus familiares fuerunt sanctissimi Episcopi, qui nullomodo prætermisissent id ab eis impetrare, si hoc esset consonum rationi.* Cùm igitur Ecclesia non soleat orare pro damnatis, imò credat quod canit, *Quia in inferno nulla est redemptio*: nec sanctissimi viri qui Sanctum Gregorium præcesserunt, usquam pro damnatis oraverint, nec ullus cujusquam precibus ab inferis ereptus legatur; non est verisimile Sanctum Thomam existimasse quòd Gregorius Sanctissimus Pontifex hanc Ecclesiæ consuetudinem in ejus fide fundatam æmulatus non fuerit, & nullo Sanctorum præeunte exemplo, gemitus & preces obtulerit pro liberatione damnati, eamque à Deo impetraverit. Hoc-ne enim rationi consonum existimare potuit Scholæ Angelus; vel id censere à Beato Gregorio factum, quod rationi consonum non esse mens illius Angelica tam luculentis rationibus probaverat in IV. Sententiarum Distinctione 45. ex qua Articulus 5. Quæstionis 71. Supplementi depromptus est, cujus in corpore disertis rationibus adstruitur suffragia prodesse non posse damnatis?

Ultimò. Sancti Thomæ principium est Secunda Secundæ Q. 24. Art. 7. *Nulla vera virtus sine charitate esse potest.* Quomodo itaque existimasset pietatem Trajani erga viduam, & jus illi ab ipso dictum, fuisse opus veræ virtutis? & quomodo rursus existimare potuit hujus operis intuitu, motum esse Deum ut illum Imperatorem inferni pœnis post tot sæcula eximeret, supplicante Sancto Gregorio, si veræ virtutis opus non esse sensit? Ratum igitur maneat, Sanctum Thomam in ea sententia non fuisse, quam ipsi nonnulli Thomistæ affingunt, de liberatione Trajani ab inferis, precibus Sancti Gregorii.

## SCHOLION I.

Ex hoc Articulo Religiosi Operum meorum Censores hanc Propositionem in Indiculo suo notarunt: *Multæ fabulæ legebantur in Breviario Romano ante Clementem VIII. & nunc etiam extant.*

R. An divina est Romani Breviarii auctoritas? an Canonicus Liber est, ut in Sanctorum Historiis quæ in ipso editæ sunt, nullas irrepsisse fabulas, nihil falsi in iis referri credamus? Multa *Clementis VIII.* jussu emendata, alia emendanda superesse, cùm Summo Pontifici placebit, Viri Eruditi consentiunt.

## SCHOLION II.

Ad eumdem Articulum hæc notant: *Quædam dicit Alexander minùs modestè de Juramento Thomistarum in verba Sancti Thomæ.*

R. *Melchioris Cani & Francisci Victoriæ* Illustrium & eruditorum Thomistarum verba usurpavi, in quibus nihil immodestum est. *Trajani* liberationem ab inferis per *Sancti Gregorii* preces nihilominus falsam esse respondi, quamvis in Supplemento *Sancti Thomæ* referatur. Sanctum Doctorem excusavi summa cum reverentia. Thomistarum Juramentum in verba *Sancti Thomæ* nec sprevi, nec improbavi, nec ab iis qui illius religione se obstrinxerunt violari posse censeo. Quid ergo sibi volunt Religiosi Censores?

## SCHOLION III.

Ex eodem Articulo hanc Propositionem in suo Indiculo notant: *Cardinales Episcopis antepont, repugnat Disciplinæ Sæculi* II.

R. Cardinales Presbyteri olim erant & Diaconi Urbis Romæ Titulis seu Parochialibus Ecclesiis præfecti, & Christianam plebem regentes Concilio Romano sub *Joanne XV.* anno nongentesimo nonagesimo tertio, & Claromontano sub *Urbano II.* post Episcopos subscripserunt. Nicolao I. sedente illorum dignitas extolli cœpit, sub *Alexandro III.* accepit incrementum: sub *Innocentio Quarto* sessionis honorem supra Episcopos obtinuerunt, sub *Bonifacio VIII.* æquales Principibus declarati. Patres antiqui quotquot Ecclesiasticam Hierarchiam descripserunt, Episcopos, Presbyteros & Diaconos commemorant, non Cardinales. Concilium Tridentinum Sessione XXIII. Canone VI. *Si quis dixerit in Ecclesia Catholica non esse Hierarchiam divina ordinatione institutam, quæ constat ex Episcopis, Presbyteris, & Ministris, Anathema sit.* Nulla ibi mentio Cardinalium, adeòque ordinatione divinâ non sunt instituti, eo sensu quo Episcopi, neque ex Institutione Christi sunt Episcopis superiores. Verùm doctissimi Cardinalis *Bellarmini* testimonium sufficit ad hanc meam Propositionem vindicandam. Sic ille scribit libro I. *De Clericis*, cap. XVI. *Fateor tamen olim Episcopos quoscumque prælatos fuisse Cardinalibus non Episcopis, imò etiam Cardinalatum gradum fuisse ad Episcopatum, ut Onuphrius rectè docet in libro de Cardinalibus, & apertissimè colligitur ex libro I. cap. VII. Vitæ Sancti Gregorii. Postea tamen mutatus est ordo, & cœpti sunt Cardinales Episcopis anteponi, & Episcopatus gradus esse ad Cardinalatum; cujus mutationis duplex ratio assignari potest. Una, quòd ad solos Cardinales devoluta sit electio Summi Pontificis: Nam qui tempore Pontifices eligebant Imperatores, vel Clerus & Populus, non est mirum si tanti non fierent Cardinales. At postea quàm cœperunt ipsi soli eligere, & etiam soli ipsi ut plurimùm eligi, non sine causa cœpit Dignitas Cardinalitia pluris fieri, quàm antea. Altera causa est, quòd soli Cardinales cœperint adesse Summo Pontifici in Consiliis: Nam antea Cardinales neque soli, neque primarii Consiliarii Pontificis erant. Siquidem primis*

*fexcentis vel octingentis annis Summi Pontifices ad graviora negotia Ecclesiæ dijudicanda cogebant Concilia Nationalia Episcoporum Italiæ, quibus Concilis intererant quidem Cardinales Presbyteri, sed primus locus Episcoporum erat. Quocirca non erat mirum, cur eo tempore Cardinales Presbyteri Episcopis anteponerentur, cùm eo tempore non minùs, imò magis Pontificem juvarent in Ecclesia universali regenda Episcopi quàm Cardinales. At postea crescentibus negotiis Ecclesiæ Romanæ, præsertim cùm accessisset Principatus temporalis, tempore Pippini & Caroli Magni. Proinde egebat Summus Pontifex Consiliariorum ope multò sæpius quàm antea. Neque poterat tam sæpe convocare Concilia Episcoporum, quàm necesse erat. Itaque usu docente, & necessitate cogente, his postremis annis fexcentis vel septingentis, cœperunt paulatim omitti Concilia Episcopalia, & res tota redigi ad Senatum Cardinalium. Facta autem legitima hac mutatione Consilii Pontificii ab Episcopis & Cardinalibus ad solos Cardinales, mirum esse non debet si etiam facta est mutatio Dignitatum.*

## SCHOLION IV.

Ad hunc denique Articulum Religiosi Censores hanc notam appingunt: *De opinione Divi Thomæ de Conceptione Beatæ Virginis loquitur contra prohibitionem Romanorum Pontificum.*

R. In Romanorum Pontificum *Sixti Quarti, Pii V. Pauli V. Gregorii XV. Alexandri VII.* Constitutiones non peccat, qui neutri opinioni de Conceptione Deiparæ Virginis, à Catholicis Doctoribus propugnatæ, notam hæresis aut peccati mortalis inurit; qui non asserit Beatam Virginem *Mariam* fuisse conceptam cum peccato originali. Id non commisi, istud non asserui. Ex incidenti retuli quænam fuerit aut fuisse vulgò putetur *Sancti Thomæ* sententia, quod non prohibuerunt laudati Pontifices, cùm Articulum secundum Quæstionis vigesimæ septimæ Tertiæ Partis typis edi in ejus Summa Constitutiones illorum non vetent. Hanc porro Quæstionem non tractavi, non attigi, sed illam de *Trajani* Imperatoris liberatione ab inferis. Cui commento repugnare *Sancti Thomæ* principia probavi. *Secundò*, inquiebam, *incredibile est quòd Sanctus Thomas qui Beatam Virginem à peccato originali in sua Conceptione immunem non fuisse ostendit & probat, propter legem universalem in Scriptura sacra promulgatam*, Per unum hominem peccatum in mundum intravit, in quo omnes peccaverunt; *senserit Trajanum ab inferis fuisse liberatum, & privilegium pro ipso agnoverit, qui nullum agnovit pro Maria; fueritque in Trajanum damnatum magis pius, quam in Virginem Deiparam: & à lege universali contrahendi peccati originalis noluerit eximere Mariam, ne fieret injuria dignitati Salvatoris; à pœnis autem æternis liberatum senserit Imperatorem ethnicum, sodomitam, Christianorum persecutorem, non metuens ne fieret injuria veracitati æterni Judicis.* Hâc occasione de Sancti Thomæ opinione (qualem vulgò fuisse putant) circa Conceptionem Deiparæ Virginis locutus sum, nihil ibi dixi amplius. Censeo aliòquin Deiparam Virginem conceptam fuisse sine peccato originali, quam opinionem propugnat sacra Facultas Parisiensis; & cui favet Romana Ecclesia; & in quam toto devotæ mentis, & ejusdem Ecclesiæ propensionem semper sequentis affectu, iturum Angelicum Doctorem nullus dubito, si illa sententia communi velut consensu Piorum receptâ & stabilita, atque ab Academiis celeberrimis adoptatâ ac defensâ, & Ecclesiæ approbatione ac favoribus altiores in animis Fidelium radices agente, scripsisset. Hypotheticum autem Argumentum memineram, & ad hominem (ut loquimur in Scholis) contra illos qui Sanctum Thomam in veteri illa & jam antiquata opinione de Conceptione Beatæ Virginis in peccato originali fuisse putant, cùm tamen nostrum communemque Doctorem in Summa sua piam de Immaculata Deiparæ Conceptione sententiam non impugnasse, sed aliam omnino subvertisse hypothesim, probabiliùs sentiam cum Johanne à Sancto Thoma primi subsellii Thomista, in Prolegomenis Commentariorum suorum in Summam ejusdem Angelici Doctoris. Quæ cùm ita sint, non peccavi in Constitutiones Romanorum Pontificum, ut mihi à Religiosis Censoribus affingitur.

# DISSERTATIO II.

## DE MARCIONIS ÆTATE, errore, & confugio ad Ecclesiam Romanam.

---

## ARTICULUS I.

*Quo tempore suam hæresim Marcion disseminaverit.*

## PROPOSITIO.

*Sub Antonini Pii Imperio nefaria sua hæreseos dogmata Marcion prædicare cœpit.*

PROBATUR auctoritate Tertulliani, lib. 1. contra Marcionem, c. 19. dicentis: *Anno 15. Tiberii Christus Jesus de cœlo manare dignatus est*, Spiritus *salutaris: Marcionis salutem, qui ita voluit, quota quidem anno Antonini Majoris de Ponto suo exhalaverit aura canicularis, non curavi investigare. De quo tamen constat, Antonianus hæreticus est, sub Pio impius. A Tiberio autem usque ad Antoninum, anni ferre 115. & dimidium anni, cum dimidio mensis. Tantumdem temporis ponunt. Cùm igitur sub Antonina primus Marcion hunc Deum induxerit, sicut probavimus; statim, qui sapis, plana res est: Præjudicant tempora. quod sub Antonino primùm processit, sub Tiberio non processisse, id est, Deum Antoniani Imperii, Tiberiani non fuisse, atque ita non à Christo revelatum, quem constat à Marcione primùm prædicatum.* Porro cùm Tertullianus Christum passum esse existimaverit sub Rufi atque Rubellii Geminorum Consulatu, anno ætatis suæ trigesimo, & ab eo tempore ad annum æræ vulgaris 146. Antonini Pii 7. centum quindecim anni intercesserint, constat eo Antoniniano anno Marcionis hæresim ortam esse.

Probatur secundò: Marcion hæresim disseminaverat, quo tempore sedebat Romæ Anicetus Pontifex Maximus, id est, vel paulò ante ejus Pontificatum, vel eo ineunte. Cùm igitur Eusebius lib. 4. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 10. Anicetum ultimum recenseat in serie Pontificum Romanorum, qui sub Antonini Pii Imperio sederunt, sequitur sub Antonini Imperio ortam fuisse hæresim Marcionis.

Probatur Antecedens. Marcion hæresim disseminaverat, quo tempore Sanctus Polycarpus Romam venit, & complures Christianos à Marcione & aliis hæreticis seductos revocavit ab errore, ac Marcioni sibi obvio, ac roganti, *Nosce nos, amabo*, respondit: *Novi equidem primogenitum Satanæ.* Atqui Sanctus Polycarpus Romam venit, & hæc gessit sub Aniceto: Ergo tunc hæresim suam Marcion disseminaverat. Minor constat ex Sancto Irenæo, lib. 3. cap. 3. & ex Eusebio, lib. 4. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 13. Hinc Author Carminum contra Marcionem Tertulliano adscriptorum, lib. 3. ita canit rudi & ineleganti Musâ:

*Atque pio suscepit Anicetus ordine sortem,*
*Sub quo Marcion hic veniens nova Pontica pestis.*

Objicitur primò. Marcion errores suos disseminavit sub Eleutheri Pontificatu, à quo extra Ecclesiam ejectus est, sed Eleutherus non rexit Ecclesiam Romanam sub Imperio Antonini Pii: Sedere

enim cœpit anno Marci Aurelii Imperatoris 16. (ut constat ex Eusebio in Chronico.) Ergo Marcion errores suos non disseminavit sub Imperio Antonini Pii.

Probatur Major ex Tertulliano, lib. de Præscriptionibus Hæreticorum cap. 30. ubi Valentinum & Marcionem sub Episcopatu Eleutheri semel & iterum ejectos, novissimè in perpetuum discidium relegatos, hæreseωn suarum venena sparsisse testatur.

Respondeo, Nego majorem. Ad auctoritatem Tertulliani, respondeo ex ea non colligi quòd primùm sub Eleutheri Pontificatu nefaria sua dogmata prædicare cœperit; sed quòd longè antea prædicata, & solemni palinodiâ semel & iterum revocata audaciùs propalaverit, & latiùs disseminaverit, postquam ab Eleuthero anathemate confixus est. Nam Tertullianus ibidem sub Imperio Antonini Valentinum & Marcionem fuisse ex hæresi suâ notos satis innuit. *Ubi tunc*, inquit, *Marcion Ponticus Nauclerus, Stoica studiosus? Ubi Valentinus Platonica Sectator? Nam constat illos neque adeo olim fuisse, Antonini fere Principatu, & in Catholica primo doctrinam credidisse apud Ecclesiam Romanensem sub Episcopatu Eleutheri benedicti, donec ob inquietam semper eorum curiositatem, quam fratres quoque vitabant, semel & iterum ejecti, Marcion quidem cum ducentis, sestertiis,* (id est, quinque millibus aureorum,) *quæ Ecclesiæ intulerat, novissimè in perpetuum discidium relegati, venena doctrinarum suarum disseminaverunt.*

Objicitur secundò. Celsus Epicureus in suis adversùs Christianam Religionem libris, Marcionis meminit non semel, & ejus errores Christianis affingit (ut constat ex Origene lib. 5. contra Celsum in fine, & lib. 6. pag. 504.) ubi hæc habet: *Ac rursum toties inculcatas Marcionis opiniones repetis, nonnunquam has recitans, verè interdum non intellectas etiam, quæ quia nihil ad nos attinent, indignæ sunt responsione: moxque iterum ad Marcionem reversus, pro illo, & contra disserit, partim damnans eum, partim liberans à crimine, & dum vult patrocinari his qui aiunt Christum prænuntiatum Prophetarum oraculis, accusans Marcionem ejusque Sectatores, apertè dicit: Quis affectum tali supplicio crederet Dei Filium, nisi esset id à Prophetis prædictum? Deinde more suo cavillatur, duos inducens filios Deorum, alterum Conditoris, alterum Marcionitarum Dei, eorumque Monarchias depingens.* Atqui Celsus Epicureus scripsit suos adversùs Religionem Christianam Libros sub Imperio Hadriani, cujus Successor fuit Antoninus Pius (ut constat ex eodem Origene, lib. 1. contra Celsum pag. 416.) ergo Marcion hæresim suam jam disseminaverat Hadriano imperante.

Respondeo, Nego minorem. Neque id colligitur ex Origene. Ita enim habet: *Traditur autem duos fuisse Celsos Epicureos, alterum antiquiorem, Neronis ætate, hunc autem Hadriani, & posterioribus temporibus.* Porro qui fuit posterioribus Hadriano temporibus, vixit etiam sub Antonino Pio ejus Successore; quidni autem & sub ejus Imperio scripsit, orta jam hæresi Marcionis?

ARTICULUS II.

*Utrum duos tantùm vel tres Deos Marcion admiserit?*

PROPOSITIO.

*Marcion duos tantùm Deos agnovit; unum, bonum; alterum malum, mundi hujus adspectabilis creatorem.*

PRobatur primò ex Sancto Irenæo, lib. 1. adversùs Hæreses, ubi cùm præmisisset, cap. 28. hæresim Cerdonis in eo positam fuisse, quòd doceret Deum, qui à Lege & Prophetis annuntiatus est, non esse Patrem Domini nostri Jesu Christi: Hunc enim cognosci, illum autem ignorari: & alterum quidem justum; alterum autem bonum esse: cùm, inquam id præmisisset, ait cap. 29. Marcionem ejus errorem amplexum esse, illumque propagasse; nec innuit vel leviter ipsum aliquid addidisse sui Præceptoris errori. *Succedens autem ei Marcion Ponticus*, inquit, *adampliavit doctrinam, impudoratè blasphemans, eum qui à Lege & Prophetis annunciatus est Deus, malorum factorem, & bellorum concupiscentem, & inconstantem quoque sententiâ, & contrarium sibi ipsum dicens. Jesum autem ab eo Patre, qui est super mundi fabricatorem Deum, venientem in Judæam temporibus Pontii Pilati Præsidis, qui fuit Procurator Tiberii Cæsaris, in hominis forma manifestatum his qui in Judæa erant, dissolventem Prophetas, & Legem, & omnia opera ejus Dei, qui mundum fecit, quem & Cosmocratorem dicit.* Ergo Marcion duos tantùm Deos agnovit.

Probatur secundò ex Tertulliano, lib. 1. contra Marcionem, cap. 2. *Duos*, inquit, *Ponticus Deos affert, tanquam duas symplegadas naufragii sui: quem negare non potuit, id est Creatorem, id est nostrum; & quem probare non poterit, id est suum: passus infelix hujus præsumptionis instinctum, de simplici capitulo Dominicæ pronuntiationis, in homines, non in Deos, disponentis exempla illa bonæ & malæ arboris, quòd neque bona malos, neque mala bonos proferat fructus: id est, neque mens, vel fides bona malas edat operas, neque mala bonas. Languens enim circa mali quæstionem: Unde malum? Et obtusis sensibus ipsa enormitate curiositatis, inveniens Creatorem pronuntiantem, Ego sum qui condo mala, quantò ipsum præsumpserat mali authorem, & ex aliis argumentis; quæ ita persuadent perverso cuique, tantò in Creatorem interpretatus malam arborem malos fructus condentem, scilicet mala; alium Deum præsumpsit esse debere in partem bonæ arboris bonos fructus. Et ita in Christo quasi aliam inveniens dispositionem, solius & puræ benignitatis, ut diversæ à Creatore, facilè novam & hospitam argumentatus est divinitatem in Christo suo revelatam, modicoque exinde fermento, totam fidei massam hæretico acore decepit. Habuit & Cerdonem quemdam informatorem scandali hujus. Quo faciliùs duos Deos cæci perspexisse se existimaverunt: Unum enim non integrè viderant. Lippientibus, etiam singularis lucerna numerosa est. Alterum igitur Deum, quem confiteri cogebatur; de malo infamando destruxit; alterum quem commentari conitebatur, de bono præferendo construxit.* Constat igitur Marcionem duos duntaxat Deos agnovisse.

Objectio prima petitur ex Origene, Dialogo 1. contra Marcionem ubi tria ipsius principia recensct, scilicet *Deum Patrem Christi bonum: & alium Creatorem; alium denique malum. Principium illud bonum præesse Christianis, efficiens Judæis,*

*deis; malum Ethnicos.* Ergo Marcion tres Deos adstruxit.

Confirmatur ex Sancto Epiphanio, Hæresi 42. Num. 3. ubi de Marcione ita scribit: *Cujus & Schismatis argumentum nebulo ille & impostor Cerdo præbuit. Nam & duo ipse principia constituit. At Marcio tertium ad illius dogma principium adjecit; ut omnino tria sint, quorum unum sit supremum, quod neque nomine comprehendi, neque visu percipi possit, quem & bonum Deum appellat, à quo nihil sit eorum, quæ in mundo sunt, conditum. Alterum verò Deum esse dicit aspectabilem, ac creatorem. Tertium denique diabolum, inter ambos illos, aspectabilem scilicet, & eum qui aspici nequit, interjectum. Ex iis, qui creator est, & opifex, Judæorum esse Deum, eundemque Judicem.* Ergo Marcioo tria principia seu tres Deos agnovit. Idem sentit Sanctus Cyrillus Hierosolymitanus, Catechesi 16.

Confirmatur secundò ex Theodoreto, lib. 1. Hæreticarum Fabularum cap. 24. ubi recensita Cerdonis hæresi, sic de Marcione loquitur: *Marcion verò Ponticus, cùm hæc à Cerdone didicisset, tradita sibi doctrina contentus non fuit, sed auxit impietatem. Quatuor enim ingenitas substantias oratione sua finxit. Et alium quidem bonum, & incognitum dixit, quem & Domini Patrem appellavit: alium creatorem, & justum, quem & malum nominavit: & præter hæc materiam, quæ mala sit, & alii malo subsit.*

*Dialogi contra Marcionem non sunt Origenis.*

Respondeo ad primum, Dialogos illos non videri Origenis. Nullus enim Veterum, ne ipse quidem Eusebius, qui nihil præterit ad Origenis commendationem spectans, meminit hujus disputationis, quam oportuit esse celeberrimam (si usquam suscepta est ab Origene) siquidem in ea, Eutropio, Ethnico homine, judice ab utraque parte electo, disputante Origene, Ecclesia de Megethio, & Marco, aliisque Hæreticis, victoriam dicitur reportasse: ut constat ex fine secundi Dialogi.

Secundò. Non sapit doctrinam Origenis, nec convenit cum iis quæ in aliis Operibus habet de Filio Dei, & quæ ipsum sensisse refert Sanctus Hieronymus adversùs Ruffinum scribens, quod ipso fere initio Dialogi primi profitetur: *Credo unum omnium conditorem esse, & opificem: & qui ab illo est, Deum Verbum consubstantialem, juxtaque perennem: eumque extremis temporibus hominem ex Maria assumsisse. Credo etiam Spiritui Sancto, qui in omnem æternitatem existit.* Certè si hæc Origenis essent, illa Sanctus Athanasius contra Arianos protulisset, qui Origenis auctoritate abutebantur, cùm luculentiorem proferre non potuisset locum: Ut qui *Consubstantialis* vocem, & rem adstruat, quam Ariani ferre non poterant.

Tertiò. Ait, Marcum & Lucam, cùm in numero LXXII. Discipulorum essent, ipsi etiam Paulo Evangelium prædicasse. Quod sanè non scripsisset Origenes in sacris Literis ita eruditus: meminisset enim Sanctum Paulum testari, se *Non ab hominibus, neque per hominem, sed per Jesum Christum Dominum nostrum Apostolum* esse; & scribere, ad Galatas 1. *Notum enim vobis facio, fratres, Evangelium, quod evangelisatum est à me, quia non est secundum hominem. Neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici, sed per revelationem Jesu Christi.*

Quartò. Non videtur latuisse Origenem, S. Lucam unum ex 72. Discipulis non fuisse; sed solùm Sancti Pauli Discipulum & comitem. Id enim didicerat proculdubio ex Præfatione ipsius Lucæ in Evangelium, dicentis se scribere, *Sicut tradiderunt nobis, qui ab initio ipsi viderunt, & ministri fuerunt sermonis.* Quibus verbis significat se unum è 72. Discipulis non fuisse qui cum Christo in carne versati sunt, ipsique prædicantem viderunt, & audierunt. Unde Patres Origene antiquiores Lucam *Sectatorem & Discipulum Apostolorum* vocant (Sanctus Irenæus lib. 3. cap. 11. & Tertullianus lib. 4. contra Marcionem, cap. 2.) *Porro*, inquit, *Lucas non Apostolus, sed Apostolicus; non Magister, sed Discipulus, utique Magistro minor; certè tantò posterior, quantò posterioris Apostoli sectator, Pauli sine dubio.* Et ibidem vocat Sanctum Paulum *Illuminatorem Lucæ.* Non videtur itaque Origenes, qui Apostolicam Historiam apprime noverat, sensisse & scripsisse, quod scripsit Author dictorum Dialogorum, Sanctum Lucam in numero LXXII. Discipulorum cùm esset, ipsi Paulo Evangelium prædicasse.

Quintò. Noo conveniunt Origenis temporibus, quæ Dialogo 1. ex ejus persona dicuntur. *Ex quo tempore Marcion è vita decesserit, cùm tam numerosa Episcoporum, imò veriùs Pseudo-Episcoporum successiones proseminatæ fuerint, quamobrem non successoris cujuspiam nomen in vestram est sectam derivatum, sed adhuc Marcionis nomen adhærescitis?* Hæc, inquam, Origenis ætati non conveniunt. Nam ab initio Pontificatus Eleutheri, à quo Marcion proscriptus est, id est, ab anno M. Aurelii 16. ad annum Alexandri Mammeæ filii 8. quo clarus jam habebatur Origenes, 53. aut 54. duntaxat anni intercesserunt (ut constat ex Chronico Eusebii,) quo temporis intervallo tam numerosæ Episcoporum successiones esse non potuerunt, quantas jactat Author Dialogi.

Sextò. Nullus Rex fuit Origenis tempore, qui fana falsorum Numinum, & idola destrueret. Non sunt igitur ab Origene scripta quæ Adamantii nomine dicuntur Dialogo 1. *Jam verò, cùm Rex iste pius sit, religionisque studio flagret, quid? Aisne alterum quempiam Deum superiori memoria ante hunc corda illorum tenuisse, & persecutorem fuisse, alterum autem Deum hujus cor flectere, ac moderari? Meliùs enim ac aliter quàm illi Reges, hic imperat; quæ enim dissiparunt illi, restaurat iste. Quos odio persecuti sunt illi, amore complectitur iste: quæ illi fana ac idola in honore habuerunt, hæc iste subvertit.*

Ex his itaque colligitur, Dialogos illos non esse Origenis.

Respondeo secundò, Non Marcionem, sed Marcionitam, tria principia adstruere, in laudato, sive Origenis, sive alterius Dialogo. Ita enim loquitur Megethius Marcioniticæ propugnator Hæreseos. Contra verò Marcus etiam Marcionita, initio 2. Dialogi duo tantum principia profitetur. *Equidem*, inquit, *sic existimo, non tria esse, sed duo principia, malum & bonum.* Fateor itaque quosdam Marcionitas tria admisisse principia, seu tres Deos. Sed contendo Marcionem, & Marcionitas non degeneres, duos tantum propugnasse.

Ad testimonia Sanctorum Epiphanii, Cyrilli, & Theodoreti, respondeo majorem fidem adhibendam esse Sancto Irenæo, & Tertulliano, qui & his antiquiores sunt, & Marcionis errores accuratiùs perscrutati sunt, & expenderunt: maximè cùm Rhodon Asiaticus, qui paucis annis post Marcionem floruit, & Eusebius Cæsariensis, trium principiorum assertionem Marcionitis nonnullis tribuant, ipsi verò Marcioni duorum tantùm prædicationem principiorum. Nam Rhodon apud Eusebium, lib. 5. cap. 13. de Marcionitarum dissensionibus ita loquitur: *Verùm alii, sicut Marcion ipse duo inducunt principia. Inter quos Potitus, & Basiliscus numerantur. Isti Ponticum Lycum imitati, cùm nullam rerum distinctionem (sicut nec ille reperire possent) ad vulgarem quamdam, & perfacilem viam se converterunt, duoque principia, exiliter quidem & jejunè, nulla demonstratione adhibita, esse*

*affirmarunt. Alii rursus ab illis ad deteriores erroris scopulos tanquam procellâ delati, non duas solùm, sed tres naturas constituerunt. Quorum quidem ( sicut ejus disciplinæ Propugnatores memorant ) Dux & Princeps fuit Syneros.*

Idem asserit Sanctus Augustinus lib. de Hæresibus ad Quodvultdeum cap. 22. Nec religioni ducit hac in parte deserere Sanctum Epiphanium. *Marcion quoque*, inquit, *à quo Marcionitæ sunt, Cerdonis secutus est dogmata de duobus principiis : Quamvis Epiphanius eum tria dicat asseruisse principia, Bonum, Justum, Pravum: sed Eusebius Synerum quemdam, non Marcionem, trium principiorum, atque naturarum scribit Authorem.*

Sed & his omnibus antiquior Sanctus Justinus, Apologiâ 2. pag. 92. Marcionis errorem ita exponit, ut duo tantùm principia ipsum admisisse significet : *Marcionem quoque Ponticum*, inquit, *in medium produxerunt pravi dæmones : qui Conditorem cælestium, & terrestrium Deum, & à sacris Vatibus prænuntiatum Christum Filium ejus, pernegare nunc quoque docet : alium autem, nescio quem obnuntiat præter opificem universorum Deum ; atque item Filium alium. Cui permulti credentes, quasi soli vera scienti nos deridens, nullam habentes eorum quæ afferunt, probationem.*

Objicitur secundò. Constat ex Tertulliano, lib. 1. contra Marcionem, cap. 15. istum Hæresiarcham novem Deos admisisse : ergo duos tantùm Deos, seu duo principia non agnovit.

Respondeo, nego Antecedens. Infert quidem Tertullianus, cogi Marcionem ut novem Deos admittat, quia istud ex erroris ipsius principiis sequitur manifestè, cùm Deo suo coævum locum & coæternam assignaret materiam : similiter & materiam innatam, infectam, & æternam, & locum pariter æternum & infectum, ut qui Deum & materiam clauderet, assignaret Creatori : & malum præterea materiæ deputaret, innatum innatæ, infectum infectæ, & æternum æternæ : demum duos Christos. Sed istam consequentiam non admittebat Marcion, nec illam intendebat ( ut ex Tertulliani verbis colligitur ) *Habes igitur in superioribus tres substantias divinitatis ; in inferioribus, quatuor. His cùm accedunt & sui Christi : alter qui apparuit sub Tiberio ; alter qui à Creatore promittitur, manifestam jam fraudem Marcion patitur ab eis, qui duos inferre præsumunt* ( Deos ) *cùm novem assignet, licèt nesciens.*

## ARTICULUS III.

*Utrum Marcion à Patre pulsus ex Ecclesia, Romanum Pontificem appellaverit?*

MARCIONEM, post illatum Virgini stuprum, à pientissimo Episcopo Patre suo extrusum fuisse ab Ecclesia : & cùm veniam ab eo impetrare non posset, nec communionem obtinere qua ob tantum flagitium fuerat privatus, Romam fuisse profectum constat, quò post Hygini Pontificis Maximi obitum pervenit. Rem totam narrat Sanctus Epiphanius, Hæresi 42. ubi de Marcione ita scribit : *Initio vitæ castitatem præ se ferens, Monachorum instituta professus est, parente natus Catholicæ Communionis Episcopo. Postea, cùm virginem quamdam adamasset, ac fraudibus pellexisset, ab spe vitæ cælestis illam juxta ac semetipsum dejecit. Ob hunc igitur incestum, Ecclesiâ ab ipso parente pulsus est, viro cumprimis religioso, ac veritatis amore flagrantissimo, & in hac Episcopalis muneris administratione præstanti. Cui cùm Marcio diù multumque supplicasset, ac pœnitentiam postulasset, hanc à Patre precibus nullus obtinuit. Vehementem siquidem ex ea re dolorem optimus Senex, & Episcopus ceperat, quòd non ipse solùm excidisset, sed & ignominiam sibi, ac dedecus imposuisset. Ergo ubi se nullis artibus eblandiri posse quod cuperet, animadvertit, popularium suorum probra ac ludibria non sustinens, clam ab oppido secessit, ac Romam, post Hygini Papæ obitum se contulit, qui à Petro Pauloque Apostolis nonus Ecclesiæ præfuerat.* An verò ad Sedem Apostolicam Marcion appellaverit, nonnulla est difficultas.

## PROPOSITIO.

*Marcion Romanum Pontificem non appellavit.*

Probatur primò. Si ad Sedem Apostolicam Marcion appellasset, istius appellationis aliquod esset apud Scriptores Ecclesiasticos vestigium : atqui nullum est vestigium, nulla planè Marcioniticæ appellationis ad Sedem Apostolicam memoria apud Ecclesiasticos Scriptores : ergo Marcion ad Sedem Apostolicam non appellavit.

Major evidens est. Namque incredibile est, quòd tanti res momenti tanto fuisset obruta silentio. Porrò si nullus Author Ecclesiasticus illius meminit, illam asserere, fingere est, & ariolari.

Probatur secundò. Nullo monumento antiquitatis, imò nec mediæ ætatis, ostendi potest laicis licitum fuisse appellare ab excommunicatione in se lata ab Episcopis, ob crimen : nullumque proferri potest istiusmodi appellationum exemplum. Si enim tam insolentes visæ sunt Africanæ Ecclesiæ Sacerdotum ad Romanam Sedem appellationes tempore celebris illius controversiæ, quæ illam cum Summis Pontificibus Zosimo & Bonifacio commisit ; quantò magis execrata fuisset Ecclesia Laïcorum anathemate percussorum appellationes. Quàm igitur futile est asserere Marcionem appellasse ad Romanum Pontificem, nullâ Ecclesiæ regulâ, aut usu fretum ?

Probatur tertiò. Si Marcion ad Sedem Apostolicam appellasset, non adiisset Seniores, id est Presbyteros & Doctores, ex quibus Romanus Clerus constabat : sed expectasset Pontificis creationem, ad Pium Hygini Successorem appellationem suam detulisset, suam ipsi exposuisset causam, & Patrem suum ac Episcopum citari postulasset. Atqui nihil horum præstitit Marcion, sed rectà adiit Presbyteros, qui florentissimum Romanæ Ecclesiæ Clerum componebant, in eorum communionem irrepere tentavit, ipsosque importunis quæstionibus sollicitans, inquieti, pertinacis, & hæretici animi dedit argumenta. Ergo Marcion Sedem Apostolicam non appellavit.

Probatur quartò. Nemo à Sententia lata appellat ad superioris Judicis Tribunal, nisi aliquo colore, vel de nimia severitate sententiæ, & acerbitate pœnæ ; vel de vi sibi illata & irrogata calumnia, vel de Judicis livore, malo in se affectu, & corruptela queri possit. Atqui Marcion nullo colore conqueri potuisset de sententiæ in se latæ severitate, quia publicum crimen & adeo nefarium, quale erat stuprum illatum Virgini, ab eo qui Monachorum instituta professus esset, abscissione ab Ecclesiæ corpore plecti debebat, & tradere Satanæ conveniens erat eum, qui se tam turpi facinore polluerat, ut spiritus salvus fieret. Nec etiam calumniam potuisset causari, quia damnatus erat à Patre, in quem refundi quodammodo videbatur illius probrum, ac dedecus. Nec etiam poterat de Judicis livore, aut malo in se affectu conqueri ; quia patrem in filium ita malè affectum crederet nemo, ut ipsi falsum crimen vellet affingere ; aut non convictum damnare. Quod præcipuè de Episcopo *cum primis religioso, veritatis amore flagrantissimo*,

*tissimo, & in Episcopalis muneris administratione præstanti*, qualem fuisse Marcionis patrem ex Sancto Epiphanio constat, persuadere sibi nullus posset. Ergo verisimile non est, Marcionem ad Sedem Apostolicam appellasse.

Propositio nostra hac objectione pulsari potest. Qui adiit Clerum Romanum, vacante Sede Pontificia, ab eoque postulavit ut reciperetur in communionem, & quem, causâ cognitâ, recipere noluit florentissimus Clerus, absque jussu & consensu patris, à quo ejectus fuerat, ille appellavit ad Ecclesiam Romanam; atqui id præstitit Marcion, sicque erga illum se gessit Clerus Romanus: Ergo Marcion appellavit ad Sedem Romanam.

Probatur minor ex Sancto Epiphanio, Hæresi 42. ubi de adventu Marcionis Romam, & de rebus ibi ab eo gestis, hæc habet: *Eo statim ac Marcion pervenit, ad Seniores adiens, qui ab Apostolorum Discipulis edocti adhuc supererant, ut in communionem admitteretur, ab iis frustra petiit: Quamobrem extimulatus invidiâ, quòd non principem illic locum, ac ne Ecclesiæ quidem aditum impetrasset, ad impostoris Cerdonis hæresim confugere in animum induxit.* Et infra: *Palam eos alloquens; Cur me, inquit, recipere noluistis? Responderunt illi: Nobis injussu venerandi Patris tui, istud facere non licet. Una siquidem fides est, & animorum una consensio: neque contra spectatissimum Collegam, patrem tuum, moliri quidpiam possumus.* Ex quibus colligitur, Marcionem adiisse Clerum Romanum, vacante Sede Pontificia, & ab eo postulasse ut reciperetur in communionem; Florentissimum verò Clerum, ipsum recipere noluisse absque jussu Episcopi & Patris, à quo anathemate confixus fuerat.

Respondeo, distinguo majorem, si apud Clerum conquestus sit de injuria, & datô libellô causam suam examinari, ac judicari supplicaverit, [co]ncedo. Si communionem duntaxat Romani Cleri suffurati tentaverit, nego. Porro Marcionem ad Clerum Romanum examen suæ causæ solenni contestatione, aut supplici libello detulisse, nulla monumenta probant, vel leviter quidem innuunt. A venerando Romanorum Sacerdotum cœtu postulavit duntaxat ut ad communionem admitteretur. Id recusarunt sanctissimi illi Ecclesiæ Presbyteri ac Doctores, dicentes se istud facere non posse injussu Patris ipsius. At, si Marcion ad Ecclesiam Romanam, & Sedem Apostolicam appellasset, Romana Ecclesia potuisset judicium ferre de ejus appellatione, invito illius Patre, siquidem *Potentior erat Romanæ Ecclesiæ Principatus.* (ut Sanctus Irenæus suppar Author testatur, lib. 3. cap. 3.) Superior enim judex, absque inferioris consensu, potest appellationem ab illius sententia ad suum tribunal interjectam suscipere, & judicare. Non dixisset igitur Ecclesia Romana in illa hypothesi: *Nobis, injussu venerandi Patris tui, istud facere non licet.* Id autem rectè dixit in hypothesi nostra, qua Marcionem irrepere voluisse in communionem Romani Cleri, post Sanctum Epiphanium, dicimus. Cùm enim lege, quæ ab Apostolorum temporibus in Ecclesia viguerat, (quam proinde Canonem Apostolicum vocat Alexander Episcopus Alexandrinus, in Epistola ad Alexandrum Constantinopolitanum, apud Theodoretum lib. 1. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 4.) sancitum esset ut qui ab uno Episcopo ejecti essent, & anathemate percussi, ab aliis non reciperentur: quam legem Concilium Nicænum postea renovavit, Canone 5. Romanæ Ecclesiæ non licebat Marcionem, inconsulto, & non consentiente illius Episcopo & Patre, in communionem admittere: & stupri reum, non actâ pœnitentia in ipsa Ecclesia, quam tanto flagitio offenderat, absolvere; quia ut omnium Ecclesiarum una fides est, ita in illis una esse debet animorum ad Legis divinæ, & Ecclesiasticæ disciplinæ promovendam observantiam conspirantium consensio. Hanc rationem affert Clerus Romanus cur Marcionem recipere non possit. *Nobis*, inquit; *injussu venerandi Patris tui facere istud non licet. Una siquidem fides est, & animorum una consensio*, &c.

Ex his constat, quæ Bellarmino Cardinali sit adhibenda fides, qui inter exempla eorum, qui Romanam Sedem, & Pontificem Maximum, ante Concilium Sardicense appellarunt, primo loco recenset appellationem Marcionis, lib. 2. de Romano Pontifice, cap. 21.

SCHOLION.

Religiosi Censores ex hoc Articulo Propositionem istam in Indiculo suo notarunt: *Sæculares Excommunicatos ab Episcopo inaudi[t]um est appellare ad Sanctam Sedem.*

R. Facti quæstio est, non juris. Marcionem Hæresiarcham ab optimo Episcopo patre suo pulsum ex Ecclesia, Romanum Pontificem non appellasse, hoc inter alia argumento probavi, quòd *Nullo monumento Antiquitatis, nec mediæ ætatis ostendi possit, Laicis licitum fuisse appellare ab Excommunicatione in se lata ab Episcopis ob crimen.* De Fidei causis non loquor, non de causis dejectorum Episcoporum, quarum alia ratio est.

Ad eumdem Articulum hanc notam Religiosi Censores appingunt: *Redarguit Bellarminum ex facto Marcionis probantem Appellationem ad Sedem Apostolicam.*

R. A *Bellarmino* dissentire, grande piaculum, & censorâ notâ dignum! In iis Quæstionibus quæ fidem aut bonos mores non spectant, & quarum tractationem Ecclesia permittit, disputare non licet, Auctorésque Illustrissimos refellere!

# DISSERTATIO III.

## DE MONTANI FIDE CIRCA Mysterium Sanctissimæ Trinitatis.

---

### ARTICULUS UNICUS.

*Utrum Montanus, & Montanistæ rectè de Trinitate senserint?*

### PROPOSITIO.

*Montanus, & Montanistæ puri de Trinitatis Mysterio rectè senserunt.*

PRobatur primò ex silentio veterum Scriptorum, qui Montani penè ætate floruerunt, & luculentissimis scriptis ipsius errores confutarunt, scilicet Apollinarii, Apollonii, Miltiadis, Serapionis; quorum præclara Fragmenta extant apud Eusebium, lib. 5. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 15. 16. 17. & 18. Hi namque cùm errores Montani, qui longè minoris erant momenti, notaverint, multaque in ipsum congesserint, nullum ipsi errorem circa Trinitatem tribuerunt, aut exprobrarunt: quem proculdubio non dissimulassent, si Fidei Christianæ fundamentum hæresi sua violasset.

Probatur secundò. Si tam horrendas palam blasphemias Montanus effutiisset, nusquam de eo dubitassent Orthodoxi Propheta-ne esset, an Pseudo-Propheta, nec tandiu de eo consultatum fuisset, atque disceptatum. Statim enim Catholici ipsum velut apertum hæreticum execrati fuissent, ut qui præcipuum Catholicæ fidei caput violasset. Atqui de Montano & ejus Prophetiis dubitatum est à Catholicis, nec statim explosus fuit, & ejectus ab Ecclesia: argumento est igitur ipsum rectè sensisse de Mysterio Trinitatis, nec in tantam erupisse blasphemiam

blasphemiam ut se Paracletum diceret, eo sensu quo nomen istud personam divinam significat, vel ut se diceret Patrem omnipotentem, quod alii ipsi affingunt.

Probatur minor ex Eusebio, lib. 5. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 3. ubi hæc habet: *Cùm Montanus, & Alcibiades, & Theodotus in Phrygia jam tum prophetandi opinionem apud complures adepti fuissent (permulta enim, divina gratia largiente, miracula, operaque stupenda, ad illud usque tempus per varias Ecclesias edita, fidem multis faciebant, illos etiam donum Prophetiæ fuisse consecutos) cumque de istis hominibus controversia orta esset, fratres rursus, qui in Gallia habitabant, privatum judicium, idque prudens & rectum cumprimis, de eisdem, Epistola quam diximus, subjunxerunt.* Ergo de Montano, & ejus Prophetis, à Catholicis dubitatum est; nec statim ejectus fuit ab Ecclesia.

Probatur tertiò. Tertullianus, qui Montanum *Paracletum* nominat, & omnia ab eo dicti Paracleto accepta refert, subinde eadem, ut divinitùs tradita, pro viribus propugnat, nihil hujusmodi de Trinitate eum sensisse innuit, immò ipse qui medullitus fuit Moutanista, cùm scripsit librum adversùs Praxeam, in eo libro Trinitatis Mysterium sensu prorsus Catholicè exponit. Ita enim cap. 13. *Nos enim, qui & tempora, & causas Scripturaram per Dei gratiam inspicimus, maximè Paracleti, non hominum discipuli, duos quidem definimus, Patrem & Filium, & jam tres cum Spiritu Sancto, secundum rationem œconomiæ, quæ facit numerum..... Duos tamen Deos, & duos Dominos nunquam ex ore nostro proferimus: non quasi non & Pater Deus, & Filius Deus, & Spiritus Sanctus Deus, & Deus unusquisque: sed quoniam retro & duo Dei, & duo Domini prædicabantur: ut ubi venisset Christus, & Deus agnosceretur, & Dominus vocaretur, quia Filius Dei, & Domini....: At ubi venit Christus, & cognitus est à nobis, quòd ipse sit, qui numerum retro fecerat, factus secundus à Patre, & cum Spiritu tertius, & jam Pater per ipsum pleniùs manifestatus: redactum est jam nomen Dei, & Domini in unionem: ut quia Nationes à multitudine idolorum transierunt ad unicum Deum, & differentia constitueretur inter cultores unius, & plurimæ divinitatis.*

Et lib. de Pudicitia cap. 27. *Ecclesia propriè & principaliter ipse est Spiritus, in quo est Trinitas unius divinitatis, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus.* Igitur Montanus, & Montanistæ rectè de Trinitate senserunt.

Probatur quartò auctoritate Sancti Epiphanii, Hæresi 48. *Cataphryges*, inquit, *tam vetus, quàm novum Testamentum asciscunt; Mortuorum resurrectionem approbant. Sed Montanum quemdam, Prophetam, cum Priscilla, & Maximilla Prophetissis, prædicant: quibus inhærentes, à recta via deflectunt. Nam de Patre & Filio, & Spiritu Sancto, eadem cum Ecclesia Catholica sentiunt.*

Probatur quintò auctoritate Philastrii Brixiensis Episcopi, lib. de Hæresibus, cap. 2. partis secundæ; *Cataphryges*, inquit, *Prophetas & Legem accipiunt, Patrem, & Filium, & Spiritum confitentur, carnis resurrectionem expectant, quæ & Catholica Ecclesia prædicat.*

Probatur sextò auctoritate Theodoreti, lib. 3. Hæreticarum Fabularum cap. 2. *Hæresim*, inquit, *quam Cataphrygas vocant, inchoavit Montanus... Hic & Matrimonium solvi constituit, & nova jejunia, præter Ecclesiæ consuetudinem, introduxit. Doctrinam verò de divina Trinitate non corrupit, & de mundi creatione eadem nobiscum docuit.* Ex quibus omnibus constat, Montanum, plurosque Montanistas, de Trinitatis Mysterio rectè sensisse.

Objicitur primò. Qui se Paracletum nuncupavit, non rectè sensit de Trinitate, uti nec illi qui ipsum, velut Paracletum venerati sunt; & in ejus nomine baptisma contulerunt, non in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti: sed Montanus se Paracletum nuncupavit, & velut Paracletus à Montanistis agnitus est, qui etiam in ejus nomine baptisma contulerunt, non in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti: ergo Montanus, & Montanistæ non rectè de Trinitate senserunt.

Probatur minor, Tum ex Tertulliano, qui passim eum Paracletum vocat: tum ex Basilio Magno, in Epistola 1. Canonica ad Amphilochium, dicente: *Pepuzeni ergo sunt apertè hæretici. In Sanctum enim Spiritum blasphemarunt, Montano, & Priscillæ Paracleti appellationem nefariè & impudenter tribuentes.... Quamnam ergo habet rationem eorum baptisma judicari, qui in Patrem, & Filium, & Montanum, Priscillamque baptizant? Non enim baptizati sunt, qui non in nobis tradita baptizati sunt. Quare etiamsi hoc magnum Dionysium latuit, nobis tamen non est servanda erroris imitatio.* Ergo Montanistæ Sectæ suæ authorem Montanum ut Paracletum agnoverunt, & in ejus nomine baptismum contulerunt.

Respondeo, nego minorem. Ad ejus probationem respondeo, Montanistas authorem suum non vocasse Paracletum, eo sensu ut ipsum existimarent esse Spiritum Sanctum, sed hominem à Spiritu Sancto singulari quadam ratione afflatum: & Prophetiæ dono ornatum. Id constat ex Tertulliano, lib. de Pudicitia, cap. 21. *Sed habet, inquis, potestatem Ecclesia delicta donandi: hoc ego magis & agnosco, & dispono, qui ipsum Paracletum in Prophetis novis habeo dicentem, Potest Ecclesia donare delictum; sed non faciam, ne & alia delinquant.* Vides ut Paracletum quidem agnoscit in novis Prophetis, Montano, Priscilla, & Maximilla, sed Montanum ipsum, Paracletum non dicit. At ipsum evidennus distinguit à Paracleto, lib. de Jejuniis adversùs Psychicos, cap. 1. ubi Catholicos his verbis sugillat: *Hi Paracleto controversiam faciunt; propter hoc novæ Prophetiæ recusantur: non quòd alium Deum prædicent Montanus, Priscilla, & Maximilla, nec quòd Jesum Christum solvant, nec quòd aliquam fidei, aut spei regulam evertant: sed quòd planè doceant sæpius jejunare, quàm nubere.* Et cap. 12. *Quid ergo cessatis*, inquit, *Paracletum, quem in Montano negatis, in Apicio credere?*

Apicius celebris erat helluo, cujus Martialis Poeta meminit.

Sic etiam Montanistarum errorem exponit Philastrius, lib. de Hæresibus cap. 2. partis secundæ: *Quosdam autem suos Prophetas*, inquit, *id est Montanum nomine, & Priscillam, & Maximillam annuntiant: quos neque Propheta, neque Christus nuntiavit. Addunt etiam plenitudinem Sancti Spiritus, non per Apostolos, Christo dante fuisse concessam, sed per illos suos Pseudoprophetas æstimant impartitam.*

Denique Sanctus Augustinus, lib. de Hæresibus ad Quodvultdeum, explicat qua ratione Montanus à suis Paracletus dictus sit: *Cataphryges*, inquit, *quorum Auctores fuerunt Montanus tanquam Paracletus, & duæ Prophetissæ ipsius Prisca & Maximilla, adventum Spiritus Sancti à Domino promissum, in se potiùs, quam in Apostolis ejus fuisse asserunt redditum. Secundas nuptias pro fornicationibus habent, & ideo dicunt eas permisisse Apostolum Paulum, quia ex parte sciebat, & ex parte prophetabat: nondum enim venerat quod perfectum est. Hoc autem in Montanum, & in ejus Prophetissas, venisse delirant.* Ex quibus colligitur, Montanistas non eo sensu Montanum velut Paracletum agnovisse, quòd eum Spiritum Sanctum existimarent: sed quòd majorem Spiritus Sancti plenitudinem, uberioraque charismata, in Montanum & in ejus

Prophetissas

Prophetissas, quàm in Apostolos venisse, delirarent.

Ad auctoritatem Sancti Basilii, respondeo ipsum non disertè asserere quòd Montanistæ Authorem suum Montanum Spiritum Sanctum esse jactarente sed dubitanter, & disjunctivè loqui (ut patet ex verbis quæ interserit ibidem:) *Sive ergo* inquit, *ut qui homines in Deos referant, sunt condemnandi; sive ut qui Spiritum Sanctum, per comparationem cum hominibus injuria afficiant, sic quoque sunt æternæ condemnationi obnoxii, quòd condonari non possit blasphemia in Spiritum Sanctum.* Incertum ergo erat S. Basilio utrùm Montanistæ Paracleti appellationem Montano tribuerent, homines in Deos referendo, id est, existimando Montanum esse Spiritum Sanctum, vel solùm tribuendo ipsi nomen Spiritus Sancti proprium, scilicet *Paracleti*, atque ita Sanctum Spiritum injuriâ afficerent. Sed aliis Patribus à nobis laudatis exploratum fuit quo sensu Montanus à suis Paracletus vocaretur: nec sic eum appellari, quasi crederetur ab eis Spiritus Sanctus.

Quod autem Sanctus Basilius addit, Montanistas baptizasse *in Patrem, & Filium, Montanum, & Priscillam*, non significat ipsos in nomine Patris, & Filii, Priscillæ, & Montani baptizasse, sed in professione Fidei in Patrem, & Filium, quam Montanus & Priscilla tenebant, & docebant. Unde cùm subjungit, *Non enim baptizati sunt, qui non in nobis tradita baptizati sunt:* non est sensus, quòd non in nobis traditâ formâ, sed quòd non in nobis tradita dogmata Montanistæ baptizati essent. Certè Sanctus Dionysius Alexandrinus baptismum Montanistarum ratum habuit, quod Basilius miratus est vehementer: *Pepuzenorum autem Baptismus nullam mihi habere rationem videtur: & miratus sum quomodo hoc Magnum Dionysium, qui fuit Canonicus*, id est, Regularum Ecclesiasticarum peritissimus, *præteriit. Antiqui enim illum Baptismum suscipiendum putarunt, qui nihil à fide recedit.* An, quæso, credibile est Sanctum Dionysium, Alexandrinum probasse eorum baptisma, qui non verbis Evangelicis, sed in nomine Patris, & Filii, Montani & Priscillæ baptizarent? Ob eam utique causam duntaxat Sanctus Basilius Montanistarum baptisma rejecit, & irritum habuit, quòd non solùm Schismatici, sed Hæretici essent, id est, *de ipsa in Deum fide dissentirent.* Unde cùm eorum quos Hæreticos propriè vocat, baptisma rejiceret, consequens erat ut & Pepuzenorum, seu Montanistarum baptisma improbaret. Quæ sors Montanistis apud Basilium, cum cæteris Hæreticis communis erat. *Visum est ergo*, inquit, *ab initio Hæreticos quidem omnino rejicere.* Nec sequitur Basilium existimasse Montanistas circa Mysterium Trinitatis errare, quia dixit: *Hæresis autem est, ut Manichæorum, & Valentinorum, & Marcionistarum, & horum ipsorum Pepuzenorum. Statim enim de ipsa in Deum fide est dissensio.* Non enim omnis dissensio de fide in Deum, est Hæresis circa Mysterium Trinitatis. Namque ibi Hæreticorum nomine omnes omnino Hæreticos intelligit Sanctus Basilius, & obvia tantùm exempla profert: sicut nomine Schismaticorum intelligit omnes qui ab Ecclesiæ unitate recesserunt, licèt obvium duntaxat exemplum afferat eorum, *qui de Pœnitentia dissentiunt ab iis qui sunt ex Ecclesia.* Certum autem est omnes Hæreticos circa Mysterium Trinitatis non errasse. Deinde Basilius opponit Hæreticos Schismaticis, *qui propter aliquas Ecclesiasticas causas, & medicabiles quæstiones inter se dissident.* Dic, amabo, num Sanctus ille Doctor Hæreticos circa Mysterium Incarnationis errantes, illis annumerasset, qui propter Ecclesiasticas causas, & medicabiles quæstiones, ab Ecclesia dissidebant?

A Minimè gentium. Illos igitur inter Hæreticos numerasset. Non igitur eos duntaxat de ipsa in Deum fide dissentire, adeoque Hæreticos esse censuit Sanctus Basilius, qui circa fidem Trinitatis errarent. Non est igitur consequens ut Montanistas malè de adoranda Trinitate sensisse existimarêt, quia dissensionem illis tribuit de ipsa in Deum fide.

Denique, quicquid senserit de Montanistis Sanctus Basilius, constat ipsos baptizasse in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, ex Tertulliano in libro contra Praxeam, quem scripsit jam Montanista factus (ut constat ex cap. 1.) ait enim, cap. 26. Christum, B post resurrectionem *spondentem missurum se Discipulis promissionem Patris, novissimè mandasse ut tingerent in Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum. non in unum, nam nec semel, sed ter, ad singula nomina, in personas singulas tinguimur*, & cap. 30. *Hic interim* (Christus) *acceptum à Patre munus effudit, Spiritum Sanctum, tertium nomen Divinitatis, & tertium gradum Majestatis, unius Prædicatorem Monarchiæ, sed & œconomiæ Interpretatorem, si quis sermones novæ Prophetiæ ejus admiserit, & deductorem omnis veritatis, quæ est in Patre & Filio, & Spiritu Sancto, secundum Christianum Sacramentum.*

C Cùm igitur potiùs credendum sit Tertulliano in his quæ Montani errores spectant, utpote sectæ mysteriis initiato, quàm Sancto Basilio ab ejus temporibus annis ferè 170. distanti, colligendum est Montanistas baptizasse in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti; non verò in nomine Patris, & Filii, Montani, & Priscillæ.

Objectio secunda petitur ex Sancto Epiphanio, Hæresi 48. Qui se Deum Patrem esse effutiit; non rectè sensit de Trinitate: sed Montanus se Deum Patrem esse effutiit, non rectè igitur sensit de Trinitate.

D Probatur minor ipsius Sancti Epiphanii verbis: *Sed hæc insuper Montanus adjicit: Ego sum Dominus Deus, qui in homine versor ...... Pergit Montanus infelix homuncio, Non Angelus*, inquit, *non legatus aliquis: sed egomet Deus Pater accessi.* Et infra: *Dominus noster Jesus Christus ita semetipsum declaravit, reverà ut germanum esse Parentis Filium ostenderet. Montanus contra vel Parentem se esse gloriatur.*

Respondeo; Nego Minorem. Ad probationem dico Sanctum Epiphanium ea tribuere Montano, E non quòd ea ipse sibi arrogaverit Montanus, aut de illo talia prædicaverint puri & non degeneres Montanistæ: Sed quòd insani quidam ex illo grege non ex Sectæ doctrina, sed proprio commento id effutierint, & Montanum induxerint sic loquentem. Id affirmare necesse est, vel dicendum, Epiphanium in eodem loco sibi ipsi contradicere; cùm de Montanistis scripserit: *De Patre, & Filio, & Spiritu Sancto, eadem cum Ecclesia Catholica sentiunt.* Certè si Montanum existimassent esse Deum Patrem, eadem cum Ecclesia Catholica de Trinitatis Mysterio non sensissent. Crediderim quidem Montanum di- F xisse, Patrem in se habitare: at quod ipse Patrem omnipotentem se dixerit, non adducor ut credam. Id ex Sancto Epiphanio quidni colligamus, dicente: *Montanus unum se glorificat, ac Patrem esse dicit omnipotentem, qui in sese habitet?*

Objicitur tertiò. Qui unam duntaxat Personam in Deo agnoverunt, non rectè senserunt de Trinitate: sed Montanistæ unam tantùm in Deo Personam agnoverunt: ergo non rectè senserunt de Trinitate.

Probatur minor auctoritate Sancti Hieronymi, Epistolâ 54. quæ est ad Marcellam, ubi Montanistas Catholicis opponens, hæc habet: *Primùm in fidei regula discrepamus. Nos Patrem, & Filium, & Spi-*

*ritum Sanctum, in sua unumquemque Persona ponimus, licèt substantiâ copulemus: illi Sabellii dogma sectantes, Trinitatem in unius Persona angustias cogunt.*

Respondeo, distinguo minorem. Montanistæ unam tantùm in Deo personam agnoverunt, aliqui concedo; omnes, nego. Non igitur istud asseruere Montanus, & Montanistæ puri, qui *secundum Proclum* vocabantur, sed Montanistæ degeneres, qui vocabantur *secundum Æschinem.* Et de his duntaxat intelligendus est Sanctus Hieronymus. Hanc distinctionem colligo ex Authore Supplementi ad librum Tertulliani de Præscriptionibus, cap. 52. *Accesserunt*, inquit, *alii hæretici, qui dicuntur secundum Phrygas: sed horum non una doctrina est. Sunt enim qui κατὰ Proclum dicuntur: sunt qui secundum Æschinem pronuntiantur. Hi habent aliam communem blasphemiam, aliam blasphemiam non communem, sed peculiarem, & suam: & communem quidem illam, quâ in Apostolis quidem dicant Spiritum Sanctum fuisse, Paracletum non fuisse: & quâ dicant, Paracletum plura in Montano dixisse, quàm Christum in Evangelium protulisse; nec tantùm plura, sed etiam meliora, atque majora: Privatam autem blasphemiam illi, qui sunt κατὰ Æschinem, hanc habent, quâ adjiciunt etiam hoc, ut dicant, Christum ipsum esse Filium & Patrem.* Idem colligitur ex Theodoreto, lib. 3. Hæreticarum Fabularum cap. 2. *Quidam*, inquit, *illorum tres Divinitatis hypostases, sicut Sabellius, inficiati sunt, eumdem esse dicentes & Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, quemadmodum Noëtus Asianus.* Videsne ut quibusdam tantùm Montanistis hunc tribuit errorem, cùm de Montano ipso præmiserit: *Doctrinam verò de Trinitate non corrupit?* Quod de puris etiam Montanistis dicendum est.

Objectio quarta petitur ex Sancto Gregorio Magno, lib. 9. Epistolâ 61. quæ est ad Quirinum, & cæteros Episcopos Hiberniæ: In qua Montanistas ad Ecclesiam redeuntes baptizandos esse scribit, quia Baptismum in sua secta non receperunt in nomine Sanctæ Trinitatis, & Montanum esse Spiritum credunt. *Hi verò hæretici*, inquit, *qui in Trinitatis nomine minimè baptizantur, sicut sunt Bonosiani, & Cataphryga: quia & illi Christum Dominum non credunt, & isti Sanctum Spiritum, perverso sensu, esse quemdam pravum hominem, Montanum, credunt; quorum similes multi sunt, & alii tales, cùm ad sanctam Ecclesiam veniunt, baptizantur, quia Baptismus non fuit, quod in errore positi, in Sancta Trinitatis nomine minimè perceperunt. Nec potest hoc ipsum iteratum dici baptisma, quod (sicut dictum est) in Trinitatis nomine non erat datum.* Ergo Montanistæ in fide Sanctæ Trinitatis errarunt.

Respondeo; Sanctum Gregorium Magnum in facti quæstione deceptum fuisse; ac sibi persuasisse Montanistas in eo fuisse errore quem ipsis affingit, & non baptizasse Ecclesiæ ritu, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, quo supposito, irritum ipsorum baptisma pronuntiavit. Nec mirum quòd circa Montanistas deceptus sit, si quidem circa Bonosiacos lapsum fuisse evidens est ex Concilio Arelatensi II. quod anno Christi 452. celebratum est, annis ante Sanctum Gregorium 140. cùm recens adhuc esset Bonosiacorum hæresis: Ita enim habet Concilium istud Canone 17. postquam Photinianos sive Paulianistas ad Ecclesiam redeuntes baptizandos esse præmisit, secundùm statuta Patrum; Canone 16. *Bonosiacos autem ex eodem errore venientes, quos, sicut Arianos, baptizari in Trinitate manifestum est, si interrogati fidem nostram ex toto corde confessi fuerint, cum chrismate, & manus impositione in Ecclesia recipi sufficit.* Igitur si Bonosiacos in nomine trium Sanctissimæ Trinitatis Personarum baptizasse certum est, quamvis contrarium scripserit Sanctus Gregorius, quia id in Concilio Arelatensi secundo disertè habetur; certum est etiam Montanistas rectè de Trinitate sensisse, & Catholico ritu baptizasse, quia id testantur Patres Gregorio antiquiores. Idque constat ex Tertulliano Montani Symmista & Sectatore.

Sed hac in re nihil luculentius est testimonio Firmiliani, in Epistola ad Sanctum Cyprianum, in qua contra Stephanum Primum Pontificem Maximum, probat Montanistarum baptisma nullum esse, non quòd Montanum esse Spiritum Sanctum crederent, sed quòd Christum prædicarent à quo missus esset Spiritus Sanctus per Montanum & ejus Prophetissas locutus. Ex quibus duo colliguntur, scilicet Montanistas nec in fide Trinitatis errasse, nec peccasse in forma Baptismi: siquidem eorum baptisma ratum habuit Stephanus & Romana Ecclesia. En verba Firmiliani: *Qui Cataphryges appellantur, & novas Prophetias usurpare conantur, nec Patrem possunt habere, nec Filium, nec Spiritum Sanctum; à quibus si quæramus, quem Christum prædicent, respondebunt eum se prædicare, qui miserit Spiritum per Montanum & Priscam locutum. In quibus cùm animadvertamus, non veritatis Spiritum, sed erroris fuisse; cognoscimus eos, qui falsam illorum Prophetiam contra Christi fidem vindicant, Christum habere non posse.*

Denique non abnuo, quin aliqui Montanistæ degeneres & de Trinitate malè senserint, & baptisma in nomine trium Personarum non contulerint. Sed nego eum fuisse Montani, purorumque Montanistarum errorem. Certè non idem semper fuit omnium Hæreseon status. Sæpe Discipuli Magistrorum erroribus novos errores addiderunt. Unde Tertullianus, lib. de Præscriptione Hæreticorum cap. 42. de Hæreticis ita scribit: *Cæterùm nec suis Præsidibus reverentiam noverunt. Et hoc est quod schismata apud hæreticos ferè non sunt: quia cùm sint, non parent. Schisma est unitas ipsis. Mentior, si non etiam à regulis suis variant inter se, dum unusquisque proinde suo arbitrio modulatur quæ accepit, quemadmodum de suo arbitrio ea composuit ille qui tradidit. Agnoscit naturam suam, & originis suæ morem profectus rei. Idem licuit Valentinianis quod Valentino, idem Marcionitis, quod Marcioni, de arbitrio suo fidem innovare. Denique penitus inspectæ Hæreses omnes in multis cum Authoribus suis dissentientes deprehenduntur.* Id in Calvinistica Secta ultimo sæculo comprobatum est, in qua tot divisiones, totque dissensiones in multis fidei capitibus notatæ sunt. Potuerunt itaque & Montanistæ varias in sententias, & sectas abire; ita ut posteriores nonnulli circa Mysterium Sanctissimæ Trinitatis erraverint, peccaverintque in forma Baptismi, quamvis priores cum Montano de adorando illo Mysterio rectè senserint, & legitimam Baptismi formam retinuerint, atque usurpaverint. Hæc autem hypothesis oppositas in speciem Authorum Ecclesiasticorum de Montanistis sententias conciliat.

Objicies auctoritatem Sancti Cyrilli Hierosolymitani, Catechesi 16. Illuminatorum, dicentis: *Montanus iste mente captus, & verè insanus, seipsum esse Spiritum Sanctum homo abjectissimus, & omni immunditia, fœditateque refertus, ausus est asserere.*

Respondeo, Sancti Cyrilli Hierosolymitani auctoritatem, Tertulliani, Eusebii, Epiphanii, Philastrii, Theodoreti testimoniis non esse anteponendam. Ipsum itaque hac in parte deserimus, ut aliis assentiamur, qui Montani errores accuratiùs exploserunt.

Objicies Canonem octavum Concilii Laodiceni,

decernentis,

decernentis, ut qui ab Hæresi Cataphrygum, id est, Montanistarum convertuntur, baptizentur in Ecclesia: *Eos*, inquit, *qui ab eorum Hæresi, qui Phryges dicuntur, convertuntur, sive sint in Clero qui apud illos existimatur, sive Maximi dicantur, eos cum omni studio catechizari, & baptizari ab Ecclesia Episcopis, & Presbyteris.* Ergo nullum erat eorum baptisma. Cur porro nullum, nisi quia in trium Sanctissimæ Trinitatis Personarum nomine non baptizabant?

Respondeo, quosdam Montanistas in forma baptismatis, & fide Sacrosanctæ Trinitatis peccasse, nimirum illos qui Concilii Laodiceni temporibus, in Phrygia grassabantur: sed Montanum, & priores Montanistas isto errore infectos fuisse diffiteor. Idem dicendum est ad Canonem septimum, Concilio primo Constantinopolitano adscriptum, qui Montanistas collocat inter eos Hæreticos, qui ad Ecclesiam redeuntes baptizabantur.

## SCHOLION

Ex isto Articulo hanc Propositionem in Indiculo suo notant Religiosi Censores: *Gregorius Magnus in Quæstione facti deceptus fuit, tribuens Montano errorem quem non propugnavit.*

R. Summos Pontifices in Quæstionibus facti decipi non posse contendunt Religiosi Censores, doctissimus Cardinalibus A. *Turrecremata*, *Bellarmino*, & aliis Auctoribus, Pontificiæ infallibilitati aliàs addictissimis, contrarium asserentibus.

Card. de Turrecrem. in summa De Eccles. lib. 2. c. 112.

## DISSERTATIO LV.

### DE JEJUNIIS MONTANISTARUM & Catholicorum.

*Adversus librum JOANNIS DALLÆI, de Jejuniis & Quadragesima.*

---

### ARTICULUS I.

*Utrum dispar sit Ecclesiasticæ Jejunii & Montanisticæ Disciplina?*

JOANNES DALLÆUS petulantis ingenii Calvinista, lib. 2. *De Jejuniis & Quadragesima*, cap. 3. Catholicam Ecclesiam cum Montanistis in Jejuniorum Disciplina convenire contendit: idque probandum sibi sumit ex Tertulliano, in lib. de Jejuniis. Montanistæ enim *Jejunia propria custodiebant*, in dies certas ac statas lege constituta, ejusdem adeo generis, cujus & hodie sunt Catholicorum solemnia, (inquit Dallæus) iisdem anni diebus perpetuò recurrentia; qualia sunt Quadragesimæ, sextæ feriæ, quatuor Temporum, &c. Illi sua *à Paracleto mandata*, *& constituta jactabant*, necessarióque observari volebant; sic, inquit, & sua Romani, licèt in Scripturis minimè definita fateantur, pugnant tamen à Spiritu Sancto, vel per Apostolos, vel certè per suos Pontifices tradita, adeoque & necessariò servanda. Jam præter jejunia habebant & suas Xerophagias Montanistæ: Planè, inquit Dallæus, ut habent hodie Romani suam Ichthyophagiam & certis temporibus adstrictam, & ex inviolabili lege omnibus incumbentem.

Addit Dallæus, hanc totam de Jejuniis causam Catholicos adversùs Montanistas eodem planè modo egisse, quo Calvinistæ hodie suam agunt adversùs Catholicos; neque vicissim Montanistas adversùs Catholicos aliter pugnasse, aut disputasse, quàm nunc adversùs Calvinistas disputent Catholici. Nam Catholici quidem in primis asserebant, *Abolitas à Christo legales & Propheticas vetustates*; moremque adeo illum, quo *certi dies* ex inviolabili præcepto jejunandi constituebantur, sic *Apostolos observasse, nullum aliud imponentes jugum certorum, & in commune omnibus obeundorum jejuniorum.* Præscribebant, *Constituta esse solennia suæ fidei Scripturis, vel traditione majorum, nihilque observationis ampliùs adjiciendum, ob illicitum innovationis.* Jaculabantur denique illud ex Isaïa in stata istorum jejunia: *Non tale jejunium Dominus elegit, id est, non abstinentiam cibi, sed opera justitiæ, quæ subtexit.* Abstinentias à carnibus & uvidis cibis certas & præscriptas arguebant, velut *Officium Ethnicæ superstitioni proximum; quales castimoniæ Apim, Isidem, & magnam Matrem certorum eduliorum exceptione purificabant.* Objectebant *Fidem liberam in Christo ne Judaicæ quidem legi abstinentiam quorumdam ciborum debere*: Quantò minùs Montanisticæ aut ulli omnino humanæ? Eam *semel in totum macellum ab Apostolo admissam*: ipsum *detestari eos, qui sicut nubere prohibeant, ita jubeant cibis abstinere à Deo conditis.* Objiciebant & Dominum *In Evangelio ad omnem circa victum scrupulositatem compendio respondisse, Non his coinquinari hominem quæ in os inferantur; sed quæ ex ore proferebantur. Et Apostolum docere, Quòd esca nos Deo non commendet.*

Addit Dallæus, contra certos & statos tam xerophagiarum, quam jejuniorum dies, Catholicos attulisse sanctissimam ejusdem Apostoli ad Galatas doctrinam contra temporum discrimina, dierumque distinctiones, *Galaticari istos* affirmantes, adeo cum *Galatis quoque percuti observatores dierum, & mensium, & annorum.* Hæc omnino erat Catholicorum illius sæculi contra Montanistarum de jejuniis & xerophagiis leges disputatio; hæc epicheiremata, hæc enthymemata, eadem cum iis, quibus hac in controversia adversùs Romanæ Communionis Theologos utuntur Calvinistæ, (inquit Dallæus) contra cujus paralellismum, sequentem statuimus Propositionem.

### PROPOSITIO.

*Statorum in Ecclesia Jejuniorum religio, non est germana Montanistica Disciplina.*

Probatur. Quod Ecclesia approbavit & servavit, iisdem temporibus quibus damnavit Montanistas; non est germanum Montanisticæ Disciplinæ: sed Ecclesia statorum dierum jejunia probavit, & servavit, eodem tempore quo damnavit Montanistas: statorum itaque in Ecclesia jejuniorum religio, non est germana Montanisticæ Disciplinæ.

Probatur minor. Tunc enim quartâ & sextâ feriâ per totum annum *Portionalia jejunia*, servabantur, quæ & *Stationum semijejunia* Tertullianus vocat, quibus abstinentia ad horam usque Nonam producebatur: & Ante-Paschale Jejunium tunc apud Catholicos celebre erat: quos sic alloquitur Tertullianus lib. de Jejuniis cap. 13. *Ecce enim convenio vos*, inquit, *& præter Pascha jejunantes, citra illos dies quibus ablatus est Sponsus, & Stationum semi-jejunia interponentes, & vere interdum pane & aqua victitantes, ut cuique visum est. Denique respondetis, Hæc ex arbitrio agenda, non ex imperio*, &c. Et cap. 14. *Si omnem in totum devotionem temporum, & dierum, & mensium, & annorum erasit Apostolus, cur Pascha celebramus annuo circulo, in mense primo? Cur quinquaginta exinde diebus in omni exultatione decurrimus? Cur Stationibus quartam & sextam Sabbati dicamus, & jejuniis Parasceven?* Ubi Tertullianus diem saltem Parasceves tunc ex præcepto Ecclesiæ observatum fuisse

agnoscit, alia verò ex arbitrio, secundùm privatam cujusque Christiani devotionem. Stati igitur jejuniorum dies religiosè in Ecclesia observabantur iis ipsis temporibus, quibus Montanistarum Secta damnata est.

Probatur secundò. Jejunia ab Ecclesia præcepta, cui Spiritus Sanctus jugiter adsistit, secundùm Christi pollicitationem, nihil commune habent cum jejuniis insuetis & extraordinariis, quæ hæretici invehebant, Paracleti, ut somniabant, in Montano residentis auctoritate. Nec Ecclesia Montanistas damnavit, quòd plures hebdomadas in Jejuniis & Xerophagiis transigerent: sed quòd illa Jejunia & Xerophagias necessarias esse existimarent ad salutem, & latam de illis à Montano legem Christianos omnes alligare. Id probat Catholicorum contra Montanistas præscriptio, de qua Tertullianus lib. de Jejuniis cap. 13. *Denique*, inquit, *respondetis, Hæc ex arbitrio agenda, non ex imperio. Movistis igitur gradum, excedendo traditionem, cùm quæ non sunt constituta, obitis. Quale est autem ut suo arbitrio permittas, quod imperio Dei non das? Plus humanæ licebit voluntati, quam divinæ potestati? Ego me sæculo, non Deo liberum memini.* Et cap. 2. de statis Catholicorum jejuniis hæc habet: *Certè in Evangelio illos dies jejuniis determinatos putant, in quibus ablatus est Sponsus, & hos esse jam solos legitimos Jejuniorum Christianorum, abolitis Legalibus, & Propheticis vetustatibus.... Itaque de cætero differenter jejunandum ex arbitrio, non ex imperio novæ disciplinæ, pro temporibus, & causis uniuscujusque. Sic & Apostolos observasse, nullum aliud imponentes jugum certorum & in commune omnibus obeundorum jejuniorum.* Ex quibus colligitur, Catholicos non reprehendisse in Montano statorum dierum jejunia, siquidem & statos jejuniorum dies ipsi religiosè observabant, in quibus scilicet ablatus est Sponsus; id est, quibus Dominicæ Passionis ac mortis Mysteria, ante festum Paschatis celebrantur: sed ob id solùm arguisse Montanistas, quòd nova jejunia, præter Antepaschale, & duas in anno Hebdomadas Xerophagiarum, velut à Paracleto per Montanum præceptas, sive *ex novæ disciplinæ imperio*, ut Tertullianus loquitur, constitutas in Ecclesiam inveherent: illaque jejunia, & xerophagias absque legitima auctoritate, & ex Pseudoprophetiæ inanibus somniis adstruerent. Id colligitur ex eodem Tertulliano, cap. 1. libri laudati. *Arguunt nos*, inquit, *quod jejunia propria custodiamus, quod Stationes plerumque in vesperam producamus, quod etiam Xerophagias observemus, siccantes cibum ab omni carne, & omni jurulentia, & uvidioribus quibusque pomis, ne quid vinositatis vel edamus, vel potemus. Lavacri quoque abstinentiam congruentem arido victui. Novitatem igitur objectant, de cujus illicito præscribunt, aut hæresim judicandam, si humana præsumptio est, aut Pseudoprophetiam judicandam, si spiritalis indictio est.*

Probatur tertiò, ex Apollonio antiquo Ecclesiæ Scriptore, qui Montanistarum hæresim sua adhuc ætate vigentem refutare aggressus est, ex cujus libro fragmentum refert Eusebius lib. 5. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 18. Valesianæ versionis. Hic autem sic de Montani dogmatibus loquitur: *Hic est qui nuptiarum dissidia docuit, qui jejuniorum leges imposuit, qui Pepuzam & Tymium Phrygiæ oppidula Hierusalem nominavit, ut cunctos undique homines eo convocaret.* Error itaque Montani in eo positus non erat, quòd indiceret jejunia, sed quòd ea privatâ auctoritate indiceret, velut lege Paracleti præcepta, à quo se afflatum ostentabat. Jejunia autem Ecclesiastica nihil cum illis Montani Xerophagiis consanguinitatis habent. Nam Ecclesiæ auctoritatem nemo privatam dixerit: nemo falsum asseruerit quòd Patres aiunt, & quod Christus ipse pollicitus est, ipsi adfuturum Spiritum Sanctum, sive Fi-

A des exponenda sit, sive Disciplina sancienda. Qui hoc negaverit, Evangelii sit hostis necesse est.

Probatur quartò ex Sancto Hieronymo Epistolâ 54. ad Marcellam, ubi Catholicæ Ecclesiæ circa jejunia disciplinam opponens Montanistarum moribus ac decretis, sic loquitur: *Nos unam Quadragesimam, secundùm traditionem Apostolorum, toto anno, tempore nobis congruo, jejunamus: illi tres in anno faciunt Quadragesimas, quasi tres passi sint Salvatores: non quo & per totum annum, excepta Pentecoste, jejunare non liceat: sed quòd aliud sit*
B *necessitate, aliud voluntate munus offerre.* Error itaque Montanistarum in eo positus non erat, quòd Quadragesimale jejunium observandum esse ex præcepto dicerent, ac observarent ipsi, sed quòd præter Quadragesimam ab Ecclesia observari solitam, duas alias Quadragesimas jejunandas esse contenderent: ita ut qui huic deesset observantiæ, contra leges à Paracleto latas peccaret. Catholici verò alia quidem jejunia præter antepaschale, esse licita fatebantur, sed esse necessaria pernegabant. Hic controversiæ Montanistas inter & Catholicos status, quem Dallæus dissimulavit. Hoc autem se-
C mel constituto, valida erant Catholicorum contra Montanistas argumenta. Superstitiosa namque meritò videbatur illa disciplina, & cum Christi verbis, Apostolicisque sententiis pugnans, quæ phanaticis tantùm Montani, sociatumque muliercularum Prophetiis fulta erat. Meritò incusabantur à Catholicis Montanistæ, quòd Galatarum instar dies & annos observarent; quòd coinquinari putarent hominem per ea quæ in os inferebantur; quòd essent ex genere hominum ab Apostolo damnatorum, qui nuptias, & abstinentiam à certis cibis erant prohibituri; quòd denique illorum Xerophagiæ Ethnicæ superstitioni cognatæ
D essent. Quid enim aliud credi poterat de semiviro illo Montano, & de Prisca & Maximilla insanis fœminis: quæ novas Prophetias mentitæ unà cùm illo Heresiarcha, in quem Spiritum Sanctum, pleniùs quàm in Apostolos, effusum fuisse effutiebant, novas leges Ecclesiæ statuere, nova indicere jejunia, novasque abstinentias, gestiebant? At immeritò & infeliciter prorsus Calvinistæ hæc adversùs nos argumenta contorquent, cùm delectum ciborum ab Ecclesia institutum, vel ab Apostolis acceptum, statosque jejuniorum dies à Christianis omnibus, ex obedientia, quam Ecclesiæ matri
E debent, religiosè observari & observatos semper fuisse, facilè probetur, ut ex sequentibus Articulis constabit.

## ARTICULUS II.

### De Ciborum Delectu.

*Utrum Abstinentia à carnibus pars Ecclesiastici Jejunii semper fuerit: adeoque publica lege, apud veteres Christianos, diebus esurialibus*
F *præcepta?*

HAnc rursus adversùs Hæreticos disputationem suscipimus, qui in Ecclesiasticam de abstinentia à carnibus legem impotentiùs debacchantur. Hanc toto impugnat conatu Joannes Dallæus lib. 1. & 2. de Jejuniis & Quadragesima; contra interdictionem carnium vulgata ex Scripturis sacris urget argumenta, probandumque sibi sumit, apud veteres Christianos nullam fuisse de abstinentia à carnibus publicam legem, contra quem & alios Heterodoxos sit

PROPOSITIO.

## PROPOSITIO.

*Abstinentia à carnibus, Ecclesiastici Jejunii pars semper fuit, & apud veteres Christianos, diebus esurialibus, publica lege præcepta.*

Probatur primò, ex Sancto Basilio Homiliâ 1. de Jejunio (quod non aliud quàm Quadragesimale ab eo intelligi constat ex totius Homiliæ serie) *Carnes non edis*, inquit, *à vino abstines, vesperam expectas ut cibum sumas.* Ex usu itaque Ecclesiæ conjuncta erat cum jejunio à carnibus abstinentia.

Respondet Dallæus, hæc Sancti Basilii verba, si summo jure agatur, non aliud significare, nisi Christianos, dum jejunarent, carnes non gustasse, neque vinum bibisse: quia qui jejunat, nihil comedit; sed non conficere hunc locum, quòd carnes & vinum, ne in cœna quidem, quâ jejunium solvebant, tetigerint.

Verùm hæc responsio ridicula est. Nam Sanctus Basilius abstinentiam à carnibus urget ut quid distinctum à protractione jejunii usque ad vesperam, & utrumque ad jejunium pertinere significat. Cur enim singularem abstinentiam commendaret velut jejunii comitem indivulsam, si esurialibus diebus carnes comedere licuisset? Certè nugacis repetitionis reus esset Basilius: & æquè abstinentiam à pane & oleribus prædicasset, ac abstinentiam à carnibus, cùm ad serotinam usque refectionem ab omni cibo sibi temperarent jejunantes.

Probatur secundò ex Theophilo Epistolâ 3. Paschali ad universos Ægypti Episcopos. *Nequaquam*, inquit, *diebus Quadragesimæ, sicut luxuriosi divites solent, vini poculum suspiremus, neque in procinctu prælii, ubi labor & sudor est necessarius, carnium edulio delectemur. Qui autem legum præcepta custodiunt, ignorant vinum in jejuniis, carnium esum repudiant.* Et subjungens exemplum Daniëlis, & sociorum ejus, qui in Aula Regis Babylonii à carnibus & à vino abstinebant, seminibusque vescebantur, & potabant aquam, hæc habet: *Nobis*, inquit, *sua fortitudinis exempla reliquerunt, habitantes in Babylone corporibus, sed sensu & fide cum Angelis in cælesti Hierusalem morantes; ut omnem deinceps ætatem docerent, jejuniorum tempore à vino & carnibus abstinendum, sumere de terra semina, & potandam aquam, quibus comitibus utitur Pudicitia.* Theophili igitur temporibus, abstinentia à carnibus & à vino erat aliqua lege constituta, & ab Ecclesia imperata.

Respondet Dallæus, hæc legum præcepta de quibus loquitur Theophilus, non alia esse, quàm hoc ipsum Puerorum Hebræorum exemplum; & illud item alterum de Nazaræis è Lege petitum, quod ibidem affert. *Unde ad continentes*, inquit, *Scriptura quotidie clamat: Vinum & siceram non bibent: E contrario Judæi ob culpam audiunt: Dabatis bibere Sanctis vinum, & Prophetis*, &c. Porro, inquit Dallæus, hæc duo ultima ad Nazaræatum evidentissimè pertinent, in Ecclesia quidem Judaïca olim usitatum, in Christiana verò unà cum cæteris Moysi ceremonialibus institutis, à Domino penitus abrogatum: cuique nihil prorsus est cum Quadragesima negotii. *Danielis verò & sociorum exemplum*, inquit, non minùs est à Quadragesimali carnium abstinentia alienum. Nam Pueri quidem illi ideo semina esitarunt, & aquam potarunt, ne coinquinarentur de mensa Regis, ut monet Scriptura. Romanæ verò Communionis homines non ideo à carnibus in Quadragesima abstinendum putant, ne fortè idolothytis polluantur, aut Paganorum convictu contaminentur; sed ut carnem doment atque humilient. Quòd si, inquit, eam vim habere id Danielis exemplum putant, ut suæ in Quadragesima abstinentiæ lex sit perpetua, atque inviolabilis; cur quod præcipit illud exemplum, de terra semina non sumunt, neque aquam potant? Cur pisces & vinum Quadragesimalibus mensis adhibent?

Sed Theophili sensum vel non est assecutus Dallæus, vel fraudulenter dissimulavit. Trium enim Puerorum exemplum, & alia hujusmodi non adducit Theophilus ut jejunio essentialem probet à carnibus abstinentiam, sed ut legem carnium esu interdicentem jejuniorum tempore, cujus paulò ante meminit, tam insigni exemplo inculcet observandam, jejuniique labores perferendos, ac refrænandam voluptatem, quæ ad carnium esum, vinique potationem provocat. Non alio porro consilio hoc prolatum fuisse à Theophilo exemplum constat ex verbis antecedentibus. *Docet nos*, inquit, *Sancti Danielis historia, & trium Puerorum virtus consona appetere & honorare jejunia, qui in servitutem libertate mutata, cùm captivi debuerunt desiderare delicias, contempserunt Babylonias dapes, & simplicem cibum regali mensæ prætulerunt.* Id & ex verbis sequentibus colligitur. *Hæc idcirco*, inquit, *replicavimus, ut Pauli Apostoli de Sanctorum virtutibus prædicantis verba noscentes, in quibus ait: Quorum considerantes exitum conversationis, imitamini fidem: suadeamus eis qui tempore jejuniorum esu carnium delectantur, imitari Sanctorum continentiam, qui nulla vi superari potuerunt ut vigorem virtutis amitterent, ut Babyloniorum imperia formidantes, captivam in se ostenderent voluptatem; sed manserunt liberi, ventrisque desideria ratione superarunt, & titillantem gulæ vicerunt luxuriam, nobisque suæ fortitudinis exemplaria reliquerunt.* In eundem scopum urget Macabæorum victorias, qui ne illicitis carnibus vescerentur, & communes tangerent cibos, corpora obtulere cruciatibus. Denique sic concludit: *Ergo qui jejunia, id est, conversationem Angelicam imitantur in terris, meminerunt illius dicti: Regnum Dei non est cibus & potus, sed justitia, & gaudium, & pax, & lætitia, quæ per continentiam, brevi & parvo labore, magna sibi & æterna conciliant præmia.* Hæc igitur exempla legem abstinentiæ Christianæ Theophilus non dixit, nec iis usus est ad probandum legem publicam de abstinentia ab esu carnium diebus esurialibus constitui debuisse, aut constitutam fuisse, ut fingit Dallæus: sed heroica illa exempla adduxit, ut fervorem Christianorum ad rite celebranda jejunia, & ad Ecclesiæ leges carnium esum in jejuniis prohibentes, religiosè observandas excitaret. Quibus de legibus præmiserat, antequam exempla illa subjiceret: *Qui legum præcepta custodiunt, ignorant vinum in jejuniis, carnium esum repudiant*, &c.

Respondet secundò Dallæus, Theophilum solam in vini carniumque immodestiam ac intemperantiam & libidinem à jejuniorum temporibus proscribere, non ipsum simpliciter vini carnisque usum. Damnat enim duntaxat illos, qui tempore jejuniorum se carnium edulio oblectent, & poculum vini suspirent. Quod etiam liquidò probat adjecta ab eo ratio, inquit Dallæus: *Crapula quippe*, ait Theophilus, *& ebrietas, & cætera hujus vitæ illecebra, opulentissimum animæ Thesaurum exhauriunt.* Idipsum demonstrare contendit, quæ paulò post sequuntur. *Non possunt*, inquit, *suscipere correctionem, qui luxuriæ oblectatione capiuntur, neque ingluviem ratione & consiliis refrænare, amore jejunii, qui desiderio & peritura citò voluptate stu-*

*dium virtutis infamant, non erubescentes vinum clam bibere, & avidis faucibus, arbitres declinantes, in cubiculis mulsa potare, ut inediam & jejunia, quæ ultro appetere debebant, jejuniorum tempore, luxuria & ebrietate commutent: nescientes quòd, etiamsi hominum conscientiam fugiant, & clausis parietibus vescantur carnibus, atque aves diebus Quadragesimæ & propinquante Pascha immundis manibus lacerent tristi vultu foris jejunia promittentes, corripiat hujuscemodi Dominus & dicat: Iniquitates magnas faciunt isti, ut recedant à Sanctis meis. Non decet jejunantes tempore agenis & prelii, vesci carnibus, monente Scriptura: Affligetis animas vestras neque phasides aves sollicito labore perquirere, & garrulas volucres, earumque pinguedinem hianti ingerere gula: nec investigare magni pretii coquos, qui ventris rabiem jure multiplici, & carnibus confusione mutatis, diversoque ciborum sapore demulceant, fumantibus patinis, & nidore sui furori gutturis blandientibus, cum injuria continentia, diversi coloris & saporis vina quærantur.* Quæ omnia, inquit Dallæus, in nepotes & helluones à Theophilo scripta sunt, vel etiam in hypocritas, qui cum delicatissimo victu se clam pascerent, tristi tamen vultu jejunia promittebant, & quod ait Poëta, Curios simulabant, cùm Bacchanalia viverent. Sed non sequitur, inquit, voluisse Theophilum verè peccatum esse apud Deum, quovis tempore, lardi frustillo, sine cujusquam scandalo, sive contemptu, ad naturæ refectionem, cum gratiarum actione, castè sobrièque vesci.

Contra. Licèt data occasione contra libidinem & lautiores epulas Theophilus Alexandrinus invehatur, tamen absolutè damnat eos qui clausis parietibus, carnibus vescuntur: quamvis adsit nulla fraterni scandali occasio. Publica igitur lege statuta erat abstinentia à carnium esu diebus esurialibus. Si enim res media fuisset, ac uniuscujusque arbitrio permissa, latebras non quæsivissent helluones illi, contra quos declamat, ut clanculùm carnibus vescerentur. Ergo abstinentia à carnibus jam tunc publica lege Quadragesimali jejunio juncta erat.

Probatur tertiò, ex Sancto Cyrillo Hierosolymitano, Catechesi 4. Illuminatorum, *Jejunamus*, inquit, *& à vino carnibusque nos abstinemus, non ea quasi piacula abhorrentes, sed mercedem expectantes, ut dum sensibus grata contemnimus, spiritali cœlestique mensa fruamur: utque nunc seminantes cum lachrymis, cum exultatione metamus in seculo venturo.* Ex quibus colligitur, conjunctam fuisse cum jejunio, ex Ecclesiæ usu, à carnibus abstinentiam. Nec verò Calvinistis favent verba sequentia, quæ laudat Dallæus: *Ne igitur parvipendas eos qui vescuntur, & ob corporum imbecillitatem assumunt: neque culpes qui pauco vino utuntur, propter stomachum, & crebras infirmitates: neque carnes ut alienas oderis: cujusmodi nonnullos noverat Apostolus „ cùm diceret:* Prohibentium nuptias, abstinentium „ à cibis quos Deus creavit percipiendos Fidelibus cum gratiarum actione. *Qui ergo te ab his abstines, non quasi ab abominandis & nefariis abstine, alioqui mercede cares: sed cùm bona sint, prætermitte, ob illa spiritalia meliora tibi proposita.* Ex quibus perperam colligit Dallæus, liberum, & pro singulorum viribus atque arbitrio usurpatum fuisse quicquid istud fuit observationis. Nam quod permittitur duntaxat iis qui corporis imbecillitate laborant, sive quod solis conceditur infirmis, non est unicuique liberum. Nunc enim infirmis conceditur ab Ecclesia Quadragesimali tempore carnium esus: nec tamen cuique liberam esse fatetur apud Catholicos Dallæus abstinentiam à carnium esu. Cùm itaque Cyrillus Hierosolymitanus carnium esum solis dicat infirmis licuisse, Jejunii Ecclesiastici temporibus, argumento est abstinentiam cæteris lege publica fuisse præceptam.

Probatur quartò, ex Sancto Joanne Chrysostomo Homilia 1. in Genesim, ubi tempore Quadragesimalis Jejunii, cujus initio hanc Homiliam habuit, coquorum discursus, & pecorum mactationes è medio tolli asserit. *Hæ*, inquit, *vera feria sunt, ubi animarum salus, ubi pax & concordia est, ubi omnis hujus vitæ apparatus abigitur, ubi clamor, & tumultus, & coquorum discursus, & pecudum mactationes è medio tolluntur*, &c.

Et Homilia 2. *Nunc autem*, inquit, *si quod aliud tempus, hoc hisce doctrinis* (id est sacris Concionibus) *maximè idoneum est: quando serva jam non insurgit adversùs dominam, sed libenter fert habenas, facilè persuadetur, multam præ se fert obedientiam, incompositos carnis motus compescit, & intra suos continet terminos. Jejunium enim est animarum nostrarum tranquillitas, senum decor, adolescentum pædagogus, continentium magister, quod omnem ætatem & sexum quasi diademate quodam ornat. Nusquam hodie tumultus vel clamor, vel carnium concisiones, vel coquorum discursus: sed omnia illa abierunt*; &c.

Et Homilia 6. ad Populum Antiochenum. *Quid difficilius*, inquit, *non jurare, an per totum diem inediam pati, & aqua potu, & tenui victu siccari? Certè est hoc illo gravius. Sed tamen consuetudo res est tam facilis, & expedita, ut adveniente jejunio, etsi millies quis exhortetur, milliesque cruciet, & cogat vinum delibare, vel aliud quid in jejuniis non concessum, vel consuetum gustare, omnia quis mallet pati, quàm prohibitum tangere nutrimentum: & hoc cùm non illibenter erga mensam affecti simus, tamen propter consuetudinem ex conscientia omnia generosè ferimus laborando. Hoc nimirum & in juramentis erit: & sicut nunc etiam si quis maximam necessitatem imponat, permanes consuetudinem servans, sic & nunc, si quis etiam millies exhortetur, à consuetudine non absistes.*

Respondet Dallæus, ex his quidem colligi, circa finem quarti sæculi, solemnem fuisse Quadragesimæ tempore in Ecclesia Antiochena à vino & à nonnullis cibis abstinentiam; legem fuisse de hac abstinentia Ecclesiæ universalis negat hinc concludi. Imò, inquit, Chrysostomus hanc abstinentiam consuetudini tribuit, non legi.

Fateor ex solo Chrysostomo non colligi usum abstinentiæ in Ecclesia universali; sed ex aliorum Patrum locis, sive jam allatis, sive mox proferendis, facilè colligitur. Non enim alio modo Ecclesiæ universalis disciplina innotescit, quàm ex omnium Ecclesiarum particularium testimoniis. Licet porro Sanctus Chrysostomus ad consuetudinem cujusque referat facilitatem jejunandi & abstinendi à vino, ac nonnullis cibis, diebus esurialibus; non tamen ad solam Ecclesiæ Antiochenæ consuetudinem id refert; immò legem evidenter supponit, cùm certum eduliorum genus non concessum vocat. Is igitur sensus ipsius est, Si tanta vis est consuetudinis ut Christiani abstinentiæ & jejuniis assueti, adduci non possint ut Ecclesiasticam legem hæc officia præcipientem violent: poterunt etiam ita contrahere consuetudinem non jurandi, ut adduci nusquam possint ad legem divinam, quæ juramenta prohibet, violandam.

Probatur quintò ex eo quod sub Imperio Justiniani Constantinopoli contigisse refert Nicephorus, lib. 17. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 32. Scilicet, cùm gravis fames urgeret, ideoque secunda Quadragesimæ

simæ Hebdomada carnes in foro à laniis exponi A venalesque proponi jussisset Imperator, populus tamen qui pietatem sibi sectandam statuerat, neque illas emebat, neque edebat, *Mortem sibi potiùs tolerandam ac subeundam existimans, quàm ut quidpiam de patriis moribus ac traditionibus immutaret.* Conjuncta itaque erat, jam ab antiquis temporibus, cum Jejunio Quadragesimali abstinentia ab usu carnium. Eandem historiam referunt Theophanes, Cedrenus & Anastasius Bibliothecarius. Nec refert quòd Agathias, Evagrius, Procopius, Victor Tunnunensis, Nicephorus Constantinopolitanus, Chronicon Alexandrinum de facto illo B Justiniani taceant. Satis enim est ad illius veritatem, quòd ipsum non negent, & quòd ab aliis Historicis asseratur. Nec etiam obstat, quod inter Justiniani Constitutiones reperiatur nulla quæ illud Edictum repræsentet. Non enim necesse est Edictum temporaneum, & extraordinaria occasione latum, quod nec fortè scripto consignatum est, inter Constitutiones Justiniani de rebus regimen Imperii generale spectantibus ac perpetuis, & ad posteritatis memoriam ac usum transmittendis, reperiri, ut notat Pater Nicolai Art. 8. in Dissertatione de Jejunio, Launoii solvens C argumenta.

Probatur sextò ex Sancto Hieronymo in cap. 10. Danielis, ad illa verba: *Panem desiderabilem non comedi*, ita scribente: *Hoc docemur exemplo, tempore jejunii à cibis delicatioribus abstinere (quod ego puto nunc dici panem desiderabilem) nec carnem comedere, nec vinum bibere.*

Probatur septimò ex Sancto Augustino Sermone 64. de Tempore, qui primus est in Dominica 1. Quadragesimæ. *Illa est*, inquit, *in diebus Quadragesimæ grandis utilitas, quòd dum à licitis etiam abstinemus, magis ac magis admonemur illicita vitare:* D *qui enim abstinemus nos à carnibus, quibus uti aliis diebus licet, fugiamus peccata, quæ omnino nunquam licent.* Sancti igitur Augustini temporibus illicitus erat Quadragesimali tempore carnium esus. Cur porro illicitus, nisi quia publica lege ab Ecclesia prohibitus?

Nec obstat huic legi celebris Sancti Augustini locus cap. 5. libri trigesimi contra Faustum Manichæum, cui Quadragesimalem Catholicorum abstinentiam objectanti, sic respondet: *Christiani, non heretici, sed Catholici, edomandi corporis caussâ, propter animam in orationibus amplius humiliandam,* E *non quòd illa esse immunda credant, non solum à carnibus, verùm à quibusdam etiam terræ fructibus abstinent, vel semper (sicut pauci) vel certis diebus atque temporibus (sicut per Quadragesimam ferè omnes) quantò magis quisque vel minus seu voluerit, seu potuerit.* Ex quibus colligit Dallæus, voluntariam fuisse, non necessariam, & pro cujusque arbitrio, non ex communi & publica lege, observatam illam à carnibus & fructibus abstinentiam. Hic, inquam, locus non probat liberum fuisse Catholicis abstinere, vel non abstinere à carnium esu tempore Quadragesimali: sed liberum fuisse ultra F abstinentiam illam quæ lege Ecclesiæ indicta erat, aliam sibi imponere strictiorem, etiam à fructibus, secundùm proprias cujusque vires, aut voluntatem.

Instat contra istam responsionem, à Bellarmino appositè datam, Dallæus hunc in modum: Augustinus ait Catholicos non modo *penè omnes Quadragesima tempore*: sed etiam *paucos semper à carnibus, & quibusdam terræ fructibus abstinere: quantò quisque magis vel minùs seu voluerit, seu potuerit*, Ergo si hæc ultima verba ad abstinentiam, non à carnibus, sed à fructibus tantùm referenda sunt; sequitur Augustinum significare paucos istos, quos memorat, à solis quoque terræ fructibus, prout voluerint, vel potuerint, semper abstinuisse; cæterùm à carnibus, non liberè, sed necessariò, & ex publica lege Ecclesiæ semper abstinuisse. Atqui hoc absurdissimum esse ipsi Romanæ Communionis homines vident; qui fatentur nullas penitus fuisse Ecclesiæ leges de perpetua carnium abstinentia. Ergo cùm eadem omnino sit utriusque particulæ ratio, cumque quod in priori ait Augustinus, de paucis, semper prout quisque seu voluerit, seu potuerit, abstinentibus, ad utramque & à carnibus & à fructibus abstinentiam pertineat; consequens est, quod in altera orationis parte idem ait, de ferè omnibus, à carnibus & fructibus, per Quadragesimam, prout quisque voluerit, vel potuerit, abstinentibus, ad utramque pariter, & à carnibus scilicet, & à fructibus abstinentiam referri.

Respondeo, Nego consecutionem majoris. Hæc etenim Dallæi lachrymabilis est illatio. Quia aliam fuisse Quadragesimalis abstinentiæ rationem, & abstinentiæ, quam quidam inter Christianos magis pii magisque temperantes perpetuam sibi imponunt, nemo non videt, qui Augustinum non lippientibus oculis legerit; qui scilicet non licere carnium esum Quadragesimalis jejunii tempore tam C luculenter asserit in Sermone superiùs laudato. Istud etiam discrimen animadvertit, quisquis legit Augustino coævum Hieronymum, qui ad Eustochium scribens de custodia virginitatis, ait: *Jejunium totius anni æquale est, exceptâ Quadragesimâ, in qua sola conceditur districtiùs vivere.* Et ad Lætam de institutione filiæ scribens, postquam victûs ordinarii modum ipsi præscripsit his verbis: *Cibus ejus olusculum sit, & simila, raròque pisciculi*, subjungit: *Hoc in perpetuo jejunio sit præceptum, ut longo itineri vires suppetant: cæterùm in Quadragesima continentia vela pandenda sunt.* Ex quibus colD ligitur, aliam omnino fuisse abstinentiæ Quadragesimalis, & illius quæ reliquo anni tempore observabatur, rationem. Priorem fuisse necessariam quoad carnes, ut ex laudatis Hieronymi & Augustini locis constat; liberam verò quoad pisces & fructus: posteriorem verò quoad utrumque fuisse sponte susceptam, non verò publica lege præceptam. Non oportet igitur in utraque Augustinianæ orationis parte verba illa, *Prout quisque seu voluerit, seu potuerit*, ad abstinentiam carnium & fructuum æquè referre.

Id confirmat Fausti objectio, qui scripserat de E Catholicis agens: *Si Quadragesima sine vino & carnibus non superstitiosè à vobis, sed divina lege servatur: videte quæso, videte, ne summæ dementia hoc sit à Paulo dictum putare, quòd dæmoniorum doctrina sit abstinentia omnis ciborum.* Porro huic objectioni respondens Sanctus Augustinus, non negat Quadragesimam sine vino & carnibus servari, non dicit hanc esse superstitiosam observantiam, ut Dallæus, aliique Heterodoxi dicunt: non redarguit Faustum quòd dixerit hanc abstinentiam divina lege servari: quia nimirum Ecclesiæ leges divinas vocari posse Sanctus Augustinus existimat, cùm Christus præceperit, ut Ecclesiæ, & ejus Pastori F bus obedientia deferatur; ut constat ex his ipsius verbis: *Qui Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus*, &: *Qui vos audit, me audit; qui vos spernit, me spernit.*

Probatur octavò ex Sancto Leone Sermone 4. de jejunio Quadragesimæ, cap. 4. ubi Christianam abstinentiam abstinentiæ Manichææ opponens, hæc habet: *Utilis quidem est abstinentia, quæ parco assueta victui, deliciarum cohibet appetitum: sed væ illorum dogmati, apud quos etiam jejunando peccatur: Damnant enim creaturarum naturam in Creatoris injuriam; & contaminari asserunt iis, quorum non Deum, sed diabolum conditorem esse definiunt. Vos*

*autem, Catholicæ Matris sancta generatio, quos in Schola veritatis Spiritus Sanctus erudivit, libertatem vestram congrua ratione moderamini, scientes quia bonum est etiam à licitis abstinere: & cùm castigatiùs vivendum est, ita discernere cibos, ut eorum submoveatur usus, non natura damnetur.* Porro non alios cibos Manichæi damnabant, & in Creatoris injuriam execrabantur, ut diaboli opificium, nisi carnes, ut lib. de Moribus Manichæorum cap. 15. & lib. 30. contra Faustum, cap. 5. illis exprobrat Sanctus Augustinus. Carnium itaque esu vult abstineri Sanctus Leo quoties castigatiùs vivendum est, sive quoties est jejunandum.

Probatur nonò ex Sancto Maximo Taurinensi, Homiliâ 9. de Jejunio Quadragesimæ. *Nos verò,* inquit, *quibus Propagnator invictus hanc venerabilem Quadragesimam dedicavit, repudiantes desideria carnalia, sic castigemus membra jejuniis, ut animas virtutibus saginemus.* Et paulò post: *Quale istud est quòd non vesceris carnibus, & de ore tuo sordidius omni esca egreditur maledictum?*

Probatur nonò ex Concilio Toletano VIII. quod anno 653. habitum est, Canone 9. sic decernente: *Quisquis diebus Quadragesimæ, sine inevitabili necessitate atque fragilitate, vel etiam impossibilitate ætatis, esum carnium præsumpserit attentare, non solum reus erit Resurrectionis Dominicæ; verùm etiam alienus ab ejusdem diei sancta Communione, & hoc illi cumuletur ad pœnam, ut ipsius anni tempore ab omni carnium esu abstineat gulam, quia sacris diebus abstinentiæ oblitus est Disciplinam. Illi verò quos aut ætas incurvat, aut languor extenuat, aut necessitas arctat, non ante prohibita violare præsumant, quàm à Sacerdote permissum percipiant.*

Respondet Dallæus, Episcopos tandem glicenti errori cessisse; & quos Christianam libertatem tueri ac servare decebat, eos servitutem ultro à plebe sumptam, suis decretis firmasse; & rerum divinarum per illa sæcula grassante ignorantia corruptos, & falsa Constitutionum Apostolis affictarum auctoritate fortasse impulsos, & vana sanctimoniæ, quæ in istis institutis apparet, specie delusos.

Verùm omnem excussisse verecundiam necesse est, qui hæc scripsit. Quid enim impudentius, quàm erroris accusare Episcopos, qui & fidem, & Christianam disciplinam tam sanctis Decretis confirmarunt, qualia hoc in Concilio leguntur? Quid turpius quàm Christianam libertatem in esca & potu, quæ nos Deo non commendant, collocare? & mortificationem carnis nomine servitutis infamare? Quid indoctius, quàm asserere Episcopos grassante eo sæculo ignorantiâ corruptos, quos eruditissimos fuisse, Decreta ipsius Concilii demonstrant? Grassatam fuisse per Hispanias isto sæculo tam crassam ignorantiam, illis non persuadebit Dallæus, qui Sanctum Isidorum Hispalensem, Sanctum Hildelphonsum, & Julianum Toletanum Episcopum, Hispaniensem Ecclesiam, eo decurrente, illustrasse noverit. Sed quid iterum petulantius, quàm vanam sanctimoniæ speciem abstinentiæ & jejunii institutis affingere, à quibus viros sanctissimos antiqui Ecclesiæ Authores commendarunt, ut Sanctum Petrum Gregorius Nazianzenus Oratione de Pauperum amore; Sanctum Matthæum Clemens Alexandrinus lib. 2. Pædagogi cap. 1. Sanctum Jacobum Apostolum Hierosolymorum Episcopum Eusebius lib. 2. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 22. Quid quod Concilii Toletani Patres novam de abstinentia legem non statuunt, sed supponunt ab antiquo statutam, & pœnas duntaxat in illius infractores decernunt? Id constat ex verbis laudati Canonis; *Detecta est,* inquit, *ingluvies horrenda voracium, quæ dum frano parsimoniæ non adstringitur, Religioni contraire censetur. Nam dicente Scriptura: Qui spernit minima, paulatim decidit in maxima; illi tanto edacitatis improba sumptu grassantur, ut cœlestia, & penè summa contemnere videantur. Etenim cum Quadragesima dies anni totius decima deputetur, qua in oblatione jejunii Domino consecrantur, quibus etiam saluberrimè conditio humani generis expiatur, dum à quatuor mundi partibus ad hanc homo religionem crediturus adducitur, quatuor elementis formatus, propter transgressionem Decalogi quaterdecies convenienter affligitur: illi ausu temerario hæc omnia contemnentes, voracitatis ingluviem non frænant, & (quod pejus est) Paschalia festa illicitorum esuum perceptione profanant.*

Denique Trullana Synodus Canone 56. jussit pariter tota Quadragesima *abstinere ab omni eo quod mactatur,* itemque *ab ovis & caseo;* & qui secus faxint, Clericos quidem deponit; Laïcos verò segregat.

Objicit primò Dallæus. Quod Scriptura sacra rejicit & condemnat, non fuit apud veteres Christianos publica lege præceptum; sed Scriptura sacra legem de abstinentia carnium rejicit & condemnat: abstinentia itaque illa non fuit apud Christianos publica lege uspiam præcepta.

Probatur minor, primò ex Apostolo 1. Corinth. 10. *Omne,* inquit, *quod in macello venit, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam. Domini est terra & plenitudo ejus. Si quis vocat vos infidelium, & vultis ire, omne quod vobis apponitur, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam.* Certè Fideles illi, quos Paulus alloquitur, Corinthi inter Cives Paganos degebant, apud quos, nullo dierum discrimine, carnes, cæterique cibi, quovis tempore in macello venales prostabant. Cùm ergo jubet, eos omne quod in hujusmodi macello venit, liberè manducare, neque quidquam propter conscientiam interrogare, clarissimè significat, nullas tum apud suos fuisse de carnium abstinentia leges, in duas cujusque hebdomadis ferias, totamque Quadragesimam latas: alioqui Fidelibus impiè concessisset iis omnibus frui, quæ in macello Corinthiaco venibant.

Hæreticorum & præsertim Dallæi argumentis respondetur.

Probatur secundò eadem minor ex Apostolo ad Colossenses 2. *Nemo vos judicet in cibo, aut in potu* (inquit) Sed iis legibus de quibus nunc disputamus, Fideles in cibo judicari clarum est; qui ob gustatam carnem in jus rapiuntur, de cibo damnantur, mortis æternæ rei pronuntiantur: ergo hujusmodi leges apud Christianos ferri vetat Apostolus.

Confirmatur rationibus Apostoli, quibus Christianam in ciborum usu ibidem adstruit libertatem. *Si ergo,* inquit, *mortui estis cum Christo ab elementis hujus mundi; quid adhuc quasi viventes in mundo decernitis* (vel, quod Græca potiùs videntur significare, *cur decretis oneramini?*) *Ne tetigeritis, neque gustaveritis, neque contrectaveritis: quæ sunt omnia in interitum ipso usu* (hoc est omnia quæ usu consumuntur, & pereunt) *secundum præcepta & doctrinas hominum, quæ sunt rationem quidem habentia sapientiæ in superstitione & humilitate, & non ad parcendum corpori, non in honore aliquo ad saturitatem carnis.* Primò ponit Apostolus nos Dominicæ crucis beneficio ab elementis mundi liberatos fuisse, hoc est, ab omni Mosaicæ Legis pædagogia, quæ corporali cultu, certarumque rerum abstinentiâ penè tota constabat. Inde concludit, nefas esse ab hujusmodi rerum jugo puerilibus illis, de non gustando, neque tangendo, decretis onerari. Quisquis igitur Christianus hujusmodi

decreta

decreta imponit, *Ne tetigeritis, ne gustaveritis*, is partam nobis à Christo libertatem imminutum it. Unde consequens est, vel Romanæ Communionis plebem parto Christi morte beneficio renuntiare; vel certè, qui ei legem illam de non gustandis carnibus tulerunt, in Christi gratiam ausu nefario grassari. Nam & ipsi in primis edicunt; *Ne gustaveritis*: tum hanc legem *hominum* esse præceptum negare non possunt, quæ scilicet nusquam à Deo lata legitur. Sed & ista ideò commendant, quòd homines humiliem, & quòd carni non parcant, sed eam mortificent. Jam res de quibus præcipiunt, clarum est & usu consumi, adeoque (quod ait Apostolus) *in interitum esse*, & eo esse ingenio, ut earum abstinentiâ minimè constet, vel contineatur *corporis honos*, id est, sanctitas vel decus. Itaque dubitari non potest quin Apostolus suo hoc fulmine omnem de carnium abstinentia legem confregerit.

Probatur tertiò Minor illa ex eodem Apostolo 1. ad Timotheum 4. *Spiritus*, inquit, *manifestè dicit, quia in novissimis temporibus discedent quidam à fide, attendentes spiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum in hypocrisi loquentium mendacium, & cauteriatam habentium conscientiam, prohibentium nubere, abstinere à cibis, quos Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione Fidelibus, & iis qui cognoverunt veritatem: quia omnis creatura Dei bona est, & nihil rejiciendum quod cum gratiarum actione percipitur, sanctificatur enim per verbum Dei & orationem*: quibus verbis contendit Dallæus Catholicæ Ecclesiæ Disciplinam traduci, ejusque de abstinentia leges, doctrinas Dæmoniorum appellari.

Probatur quartò Minor eadem ex verbis Christi, Matth. 15. Cùm enim Scribæ & Pharisæi ejus Discipulos reprehenderent, quòd panem illotis manibus, præter Seniorum traditionem, manducarent, ille suorum innocentiam hac ratione tuetur, *Non*, inquit, *quod intrat in os coinquinat hominem, sed quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem*. Quibus verbis, quæ sit ciborum natura, Apostolus docet; hujusmodi nimirum, quæ per se nullam animæ maculam aut labem affert, nullius adeo peccati vescentes reos facit, nisi vel Deus eorum usum prohibuerit; vel iis immoderatè, & præter Christianæ temperantiæ leges quis utatur. Porro carnium, quibus Romana interdicit Ecclesia certis anni temporibus, usum sub novo Testamento nusquam Deus prohibuit. Ergo qui iis vescitur sobriè ac temperanter, quovis anni die, minimè peccat.

Respondeo, Nego minorem. Ad primam ejus probationem dico, locum illum Apostoli à Dallæo aliisque Heterodoxis, alienum planè in sensum detorqueri: hæc enim Apostoli verba doctrinam de Idolothytorum esu spectant, non Ecclesiasticam de carnium abstinentia legem. Cùm nempe carnes immolatitiæ non solùm in idoliis vescendæ apponerentur, verumetiam publicè cum aliis cibis in macello proponerentur venales, & in mensis privatis infidelium exhiberentur; docet Sanctus Paulus quid Christianis facto sit opus. Quoslibet cibos, inquit, in foro venales emere potestis & comedere. Ita ut nolim vos sollicitè & anxiè interrogare & disquirere num carnes immolatæ sint, quod quidem spectat ad conscientiam, ne ea maculetur; ut qui nullum cibum esse immundum noveritis, & Idolum atque Idolothytum nihil esse, proindeque reum facere non posse comedentem, qui nulla Idoli religione, & absque offensione fratrum, cibos immolatos comedit. Sed insulsè omnino Dallæus his verbis Ecclesiasticam abstinentiam, certis diebus præceptam, damnari contendit, quasi postbabita Ecclesiæ lege, licitum sit quovis tempore Christianis, quibuslibet cibis uti. Quod ab Apostoli mente prorsus alienum esse nemo dubitaverit, qui attenderit ad ipsius verba in Epistola ad Hebræos cap. 13. *Obedite*, inquit, *Præpositis vestris*: qui animadverterit ipsum capite sequenti laudare Corinthios, quòd præcepta sibi ab ipso tradita tenerent: qui denique expenderit, non eo fuisse ingenio Sanctum Paulum, ut cibis omnibus, qui in macello veneunt, uti ac vesci permitteret, quamvis eorum usu interdiceret Ecclesia; qui ad Romanos scripserat: *Bonum esse non comedere carnes, & non bibere vinum, ne frater scandalizetur*. Supponit itaque Apostolus, in hac generali sententia, tam id quod legis est divinæ & Ecclesiasticæ, quàm id quod naturæ lege præscriptum est. Quare sicut carnes insalubres & nocituras edere non licet, quia lex naturæ earum usum prohibet; ita certis diebus ab esu carnium sibi temperare debet Christianus, quia ipso interdicit Ecclesia; quam audiri, moremque ipsi geri Christus jubet Matth. 18.

Ad secundum locum Apostoli, respondeo, ipsum legalibus de ceremoniis agere, non de ciborum delectu, quem edomandæ concupiscentiæ causâ & castigandæ carnis, Fideles observant, ex Ecclesiæ lege. Ex antecedentibus & consequentibus Apostoli mens elucescit. Dixerat antea Christum delevisse, quod erat adversùs nos Chirographum decretis, tulisse illud de medio, id est, novæ legis mandatis veterem abolevisse, & quasi Chirographum expunxisse, quo Mosaïcæ legis adimplendæ Judæi arguebantur debitores. Quo ex principio infert Apostolus; *Nemo ergo vos*, ô Colossenses, *ob cibum aut potum judicet*, quasi Legis violatæ reos, quæ certa ciborum genera prohibet. Idipsum verba sequentia ostendunt: *aut in parte diei festi, aut Neomeniæ, aut Sabbatorum*, id est, nemo vos judicet ob Judaicum aliquod festum, aut Novilunium, aut Sabbatha non observata: *Quæ sunt umbra futurorum: corpus autem Christi*, id est, legales illæ observantiæ rerum futurarum typi quidam erant, figuræ, ac Prophetiæ, quarum veritas in Christo adimpletur. Cùm itaque corpus, id est, Christum, jam teneamus, stultum est ut umbras amplectamur. Ita hunc locum exponunt Sanctus Hieronymus Epistolâ 151. ad Algasiam Quæstione 10. & Theodoretus in Commentariis ad hunc locum.

Ad minorem respondeo, Fideles non judicari in cibo & potu, quasi alii cibi mundi sint, alii immundi, ex vi legis Mosaïcæ, quæ per Christi mortem abrogata est, sed ratione inobedientiæ judicari, cùm Ecclesiæ abstinentiam certis diebus imperanti morem non gerunt: sicut & ratione intemperantiæ in cibo & potu judicantur, qui cibum aut potum immoderatè sumunt.

Ad confirmationem respondeo, erepturos quidem Christianis partam Christi morte libertatem, qui Mosaïcæ legis decretis ipsos onerare voluerint, non autem qui ad exhibendam Ecclesiæ matris legibus obedientiam ipsos compulerint. Nec alius est Apostolicorum verborum sensus. *Si ergo*, inquit, *mortui estis cum Christo ab elementis hujus mundi*; id est, si commortui estis Christo per baptismum; ita ut sicut ille secundùm carnem mortuus est, sic & vos non solùm peccatis, verumetiam quibuscumque carnalibus religionis rudimentis, quales erant ceremoniæ Judaïcæ, mortui estis; quid adhuc decretis oneramini, à quibus estis per Christi sanguinem liberati? Quæ sint autem illa decreta, continuò subjungit, verba Pseudo-Apostolorum referens per figuram, quam Mimesim Rhetores vocant. *Ne tetigeritis, ne gustaveritis, neque contrectaveritis*. Dicebant scilicet Pseudo-Apostoli

judaizantes : Ne tangas cadaver, nec vestimentum mulieris infirmitatem sui sexus patientis, aut scabellum in quo sederit. Ne gustes carnem suillam aut leporinam, aut piscis qui squammas & pinnulas non habeat. Ne contrectes hujusmodi cibos vendendo, aut emendo. *Quæ sunt omnia in interitum ipso usu* : id est, qui cibi usu consumuntur & pereunt ; ut indignum planè sit salutem hominum ex illis suspendere. Ita hunc locum exponit Sanctus Hieronymus in Epistola ad Algasiam, Quæstione 10. Sic interpretatur & Theodoretus in hunc locum. *In Baptismo Christo consepulti*, inquit, *Legi mortui facti estis. Quomodo ergo eos toleratis qui hæc docent, & existimatis hos quidem cibos esse legitimos, illos verò Lege prohiberi ; Et non consideratis nihil horum permanere ? In fimum enim mutantur omnia. Præcepta autem & doctrinas hominum vocat, non Legem, sed morum intempestivam doctrinam.*

Quanquam dici potest, Apostolum non vocasse legem quæ à Deo tradita erat, *Præcepta & doctrinas hominum*, sed prout Pharisaicis permixta erat institutis, & falsis traditionibus, quas *δευτερώσεις* appellabant, ut exponit Sanctus Hieronymus in laudata ad Algasiam Epistola. Sic etiam Sanctus Chrysostomus, Theophylactus, & Oecumenius interpretantur. Quam expositionem cùm à doctissimis illis viris, & Sanctissimis Patribus traditam Dallæus agnoscat, eum fuisse oportet bene naviterque impudentem, qui hunc Apostoli locum contra leges ab Ecclesia latas de carnium abstinentia, & jejuniis detorserit, quasi eas hîc damnaverit Apostolus. Enimvero doctrinas & præcepta hominum non intellexit, quicquid ab hominibus præcipitur, aut docetur ; sed præcepta & doctrinas ab humano spiritu profectas, quatenus humanus spiritus à seipso, non à Deo movetur, nec divinæ auctoritatis sigillo, ut ita loquar, munitus est. Hujusmodi erant Constitutiones Pharisaicæ à Christo damnatæ ; non autem leges quas Apostoli, vel eorum Successores in Ecclesiæ bonum condiderunt potestate à Christo accepta, de qua Lucæ 10. Servator ipse dixit : *Qui vos audit, me audit*, cujusmodi fuere leges, aut præcepta, de quibus Actorum 19. scriptum est, Paulum & Silam, *Cùm pertransirent civitates, tradidisse eis custodire dogmata, quæ erant decreta ab Apostolis, & Senioribus.*

Denique sequentia Sancti Pauli verba ad eundem scopum collineant, & Pharisæorum carpunt instituta, *Quæ sunt rationem quidem habentia sapientiæ in superstitione & humilitate*, id est, quæ sapientiæ speciem habent, non veritatem, sed in simulata religione & ficta humilitate posita sunt : vel, *in humilitate*, quia eorum Authores humilia sentiunt & terrena. *Et non ad parcendum corpori : non in honore aliquo ad saturitatem carnis.* Quibus verbis iterum arguit Apostolus Pharisæorum superstitionem, qui immanes abstinentias specie religionis observabant, ut testatur Sanctus Epiphanius in Hæresi Pharisæorum. Has autem observantias eo nomine sugillat Sanctus Paulus, quòd honorem, id est, sustentationem corpori debitam, & justam refectionem subtrahant. Eum esse Apostoli sensum constat ex doctissimo Interprete Sancto Hieronymo, in Epistola superiùs laudata ad Algasiam. *Non parcunt*, inquit, *Judæi corporibus suis in assumptione ciborum, contemnentes interdum quæ habent, & quærentes quæ non habent, ex qua necessitate debilitatis interdum & morbos contrahunt, nec honorant semetipsos, cùm omnia munda sint mundis, nihilque possit esse pollutum, quod cum gratiarum actione percipitur; & idcirco à Domino sit creatum, ut saturitate & adimpletione carnis humanos artus vegetet, atque sustentet.* Perperam autem ad leges Ecclesiæ de abstinentia carnium & jejuniis, laudata Sancti Pauli verba à Novatoribus referuntur. Abstinentia namque & jejunium ab Ecclesia præceptum, carnem affligunt, non exhauriunt; corpus castigant, non immodicè excruciant ; cohibent cupiditatem, non evertunt valetudinem. Quo fit ut tam multos, ratione ætatis, sexus, ægritudinis, laboris, à jejuniis immunes faciat Ecclesia. Denique abstinentia & jejunia, quæ Ecclesia præcipit, fastu Pharisaïco, & superstitione prorsus carent.

Ad tertium locum Apostoli respondeo, ipsum non damnare abstinentiam à certis ciborum generibus, sive quæ sponte servatur, sive quæ lege lata ab Ecclesia præcipitur, sed abstinentiam quæ assumitur, aut jubetur, propterea quòd immundi malique naturâ suâ existimentur cibi sicut Encratitæ, Marcionitæ, Manichæi, quædam ciborum genera execrati sunt quòd à malo Deo illa esse contenderent. Hunc Apostoli sensum adstruit ejus ratio. *Quia*, inquit, *omnis creatura Dei bona est, & nihil rejiciendum quod cum gratiarum actione percipitur.* Hæc enim probant duntaxat nullam creaturam esse rejiciendam, quasi per se malam. Nam alioquin ea quæ noxia corporibus, & insalubria sunt, rectè tanquam nobis mala rejicimus, etsi simpliciter bona sint. Est autem similis ratio de iis, à quibus ob aliquam causam, aut Deus ipse ( ut primo homini & Judæis ) aut Ecclesia, (ut nobis Christianis) abstinendum esse præcepit. Hæc enim rejiciuntur à Fidelibus, non ut secundùm se mala ; sed ut lege, vel Divina, vel Ecclesiastica vetita.

Hunc locum Apostoli sic interpretantur Sancti Patres. Hieronymus lib. 2. adversùs Jovinianum cap. 2. *Reprobat quidem Apostolus eos, qui prohibebant nuptias, & jubebant cibis abstinere, quos Deus creavit ad utendum cum gratiarum actione: sed Marcionem designat & Tatianum, & cæteros hæreticos, qui abstinentiam indicant perpetuam, ad destruenda, & contemnenda, & abominanda opera Creatoris. Nos autem & creaturam omnem laudamus Dei ; & maciem saginæ, abstinentiam luxuriæ, jejunia præferimus saturitati.*

Sanctus Chrysostomus Homiliâ 12. in Epistolam 1. ad Timotheum ad verba in objectione laudata : *De Manichæis*, inquit, *& Encratitis, & Marcionitis, omnique illorum officina hic loquitur* (Apostolus) *quòd scilicet recedent quidam à fide. Ne*, inquit, *mireris, si modò quidam à fide discedentes, adhuc Judaica superstitione detinentur. Tempus erit, cùm hi qui fidei participes sunt, istud majore cum execratione facient : cùm non modò ad cibos usque perniciosum consilium inferent ; verùm nuptias quoque, & hujusmodi cuncta damnabunt.*

Theodoretus in cap. 4. prioris ad Timotheum Epistolæ, exponens verba Apostoli in argumento laudata. *Execrabiles nuptias*, inquit, *& plurimos cibos appellant, ut Creatorem injuria afficiant.*

Sanctus Augustinus libro 30, contra Faustum, cap. 5. *Cum Apostolus dixisset ; Abstinentes à cibis quos Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione Fidelibus, secutus ait : Et iis qui cognoverunt veritatem : quoniam omnis creatura Dei bona est, & nihil abjiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur : sanctificatur enim per verbum Dei & orationem. Hæc sunt quæ negatis : hoc animo, hac voluntate, hac opinione ; ab escis hujusmodi temperatis, quòd non significatione, sed naturâ mala & immunda sint. Quâ in re Creatorem earum sine dubio blasphematis, hoc est quod pertinet ad doctrinam dæmoniorum! Nolite ergo mirari hoc de vobis tantò antè à Spiritu Sancto prophetatum.*

Et in libro contra Adimantum, cap. 14. *Quodam loco*, inquit, *apertissimè istos significavit* ( Manichæos scilicet Apostolus ) *cùm dicit : In novissimis*

temporibus

*temporibus futuros quosdam prohibentes nubere, abstinentes à cibis quos Deus creavit. Hos enim propriè designat, qui non propterea temperant à cibis talibus, ut aut concupiscentiam suam refrænent, aut infirmitati alterius parcant, sed quia ipsas carnes immundas putant, & earum Creatorem Deum esse negant. Nos autem teneamus Apostolicam Disciplinam dicentem, Quòd omnia munda sint mundis, servata moderatione Evangelica, ut non graventur corda nostra cruditate, & vinolentia, & curis sæcularibus.* Eodem modo hunc locum Apostoli exponunt Ambrosiaster, Oecumenius & Theophylactus.

Contra hanc responsionem urget Dallæus. Falsum est veteres hæreticos, qui hîc damnantur, omnes cibis ut per se immundis interdixisse. Tertullianus enim, & is quem in hac parte sequitur, Montanus, longè abfuerunt ab isto delirio, cibosque boni esse Creatoris, per se mundos, & cum gratiarum actione pro tempore & loco percipiendos, æquè cum adversariis docebant. Neque alium abstinentiæ, quàm à certis cibis pro tempore indicebant, usum aut finem obtendebant, quàm eandem illam sanctitatem, Deique cultum, quæ Bellarminus in ore habet. Et tamen, ut ex Tertulliano manifestum est, etiam in istos hunc Apostoli locum veteres Catholici intorquebant. Ipse enim testatur, *Qui perpetuam abstinentiam præcipiunt ad destruenda & despicienda opera Creatoris, inveniri apud Marcionem, apud Tatianum; non inveniri apud Paracletum*: Id est, apud eum, quem defendit, Montanum. Et Catholicos tamen Montanistis, licèt eorum hæc esset de Creatoris & carnium creatarum naturâ sana fides, hunc nihilo secius Pauli locum objecisse idem quoque fatetur, ubi ipsorum contra suos disputationem referens, ait, inter cætera eos dixisse: *Ab Apostolo detestatore eorum, qui sicut nubere prohibeant, ita jubeant cibis abstinere à Deo conditis*, Montanistas *esse jam tunc prænotatos in novissimis temporibus abscedentes à fide, intendentes spiritibus mundi seductoribus, doctrinis mendaciloquorum, inustam habentes conscientiam*. Ergo ne id quidem prohibet quominus in Romanæ communionis homines idem locus valeat.

Respondeo, Montanistas, quamvis cibos naturâ suâ bonos & mundos esse faterentur, fuisse tamen spiritu erroris ductos, in hypocrisi locutos esse mendacium, & cauteriatam habuisse conscientiam, dum plures Quadragesimas, & Xerophagias à Montano privata auctoritate introductas, quasi Spiritu Sancti in eo, & in phanaticis mulieribus residentis lege præceptas, Fideles omnes observare necessariò debere asserebant. At Ecclesia Spiritu veritatis ipsi à Christo promisso, in eamque effuso, & ipsi perenniter adsistente illustrata; quæ & ipsa firmamentum est & columna veritatis; quæ Deo servit in charitate de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta; his notis ab Apostolo designata non est: & aliunde, auctoritatem habet à Christo legum ferendarum de ciborum abstinentia, jejuniis, aliisque omnibus ad finem suum, scilicet fœlicitatem æternam consequendam conducentibus. Unde non proinde in Ecclesiam Catholicam & Romanam hic valet Apostoli locus, ac in Montanistas.

Præterea, fieri potest ut Catholici quidem aliqui hunc locum objecerint Montanistis, quis ipsorum doctrinam non ita directè ferire videtur. Unde hunc arripuit Tertullianus, ac speciosâ solutione diluit. At Patres, & Theologos illius sæculi, qui illos Hæreticos data opera confutarunt, hunc ipsis objecisse locum, non adeo certum est. Et quis nescit, à quibusdam etiam Patribus, non-nulla contra Hæreticos prolata esse Scripturæ sacræ testimonia, quæ id certò non probant, quod intendunt?

Ad verba Christi, Matthæi 15. Respondeo, quod intrat per os non coinquinare hominem ex natura sua, sed ex inobedientia, vel intemperantia utentis. Ita prorsus respondeant necesse est ipsi adversarii objectionibus quæ contra temperantiæ & sobrietatis leges ab aliquo Sardanapalo fierent. Fingamus enim ipsum ita disputare: Si quod intrat per os non coinquinat hominem; ebrietas ergo non coinquinat hominem; vinum enim per os intrat. Si quod intrat per os, non coinquinat hominem, intemperantia cibi non coinquinat: nam & cibus per os intrat. Quid ad hæc adversarii? Respondebunt sanè, quod intrat per os non coinquinare hominem naturâ suâ, quia omnis creatura Dei bona est, sed intemperantem animum, qui plus cibi aut potûs sumit, quàm ratio præscribit, hominem coinquinare. Ita respondet Dallæus lib. 1. de Jejunio cap. 9. Quod concedo, inquit, non ita sumendum, quasi in usu ciborum peccari nunquam possit. Fateor enim, si vel cibi, quos Deus prohibuit, sumantur; vel si quos concessit, non eo modo quo jussit, quique rationi consentaneus est, sumantur, eo peccari; adeoque, neque Judæum quo tempore lex stabat, suilla vescentem, neque quemcumque hominem, quovis tempore, cibo aliquo, aut potu immoderatè utentem, culpâ carere. Sed utrumque præter cibi naturam accidit, ex vescentis inobedientia, propter Dei mandatum, cui ille non paret. Hæc Dallæus. Cui & nos eodem modo respondemus; quod intrat per os non coinquinare hominem (scimus enim omnem creaturam Dei bonam) sed animum inobedientem ejus, qui contra Ecclesiæ præceptum, cui Deus parere jussit, carnes manducat, hominem inquinare.

Negat Dallæus id juris esse Ecclesiæ, negat, (inquam) ipsam cibos naturâ suâ bonos posse prohibere: Sed erroris convinci facilè potest. Sanguis enim, & pullus columbæ, ficedulæ, & turdi suffocati, cibi sunt naturâ suâ boni. Eorum tamen usu interdixit Ecclesia Actuum 15. Caro bonus naturâ suâ cibus est: & tamen Sanctus Paulus interdicit sibi carne in æternum, ne fratrem offendat; ita ut, si vescatur, non cibi naturâ, sed charitatis defectu, se polluendum existimet. (1. Corint. 8.) Omnis creatura Dei bona est, tamen si quis ægrotus, Medico prohibente, & certum vitæ periculum prædicente, vinum bibat, aut panem comedat; certum est eum peccare, & inquinari, non panis aut vini naturâ, sed pertinaci voluntate. Ipsa Calvanistarum, & Lutheranorum falsi nominis Ecclesia, jejunia se indicere posse, atque adeo cibos certo tempore subtrahere, existimat, ut fatetur Dallæus lib. 1. de Jejuniis cap. 1. Nam & sæpe, inquit, ea incidunt, quæ à tota Ecclesia, vel magnum & singularem orationum conatum, vel insigne pœnitentiæ testimonium requirunt; ut si quando Pastores ordinandi sint, si fames, si pestis, si publica aliqua calamitas immineat; si persecutio, si Hæresis minetur, nemo non videt & Ministrorum esse tali tempore preces & jejunia indicere, & piæ plebis suscipere, atque obedire. Hæc ille.

Porro si potuit Ecclesia temporibus Apostolorum, sanguinis ac suffocati esu Fidelibus interdicere, ut lex vetus suaviùs abrogaretur: quidni poterit nunc carnis esum certis diebus prohibere, ut caro dometur, utque peccati sordes eluantur? Si potuit Sanctus Paulus ad fratrum offensionem devitandam, carnem sibi in perpetuum subtrahere: quidni poterit Ecclesia, ne nos caro nostra pejùs offendat, certorum ciborum usum nobis ad breve tempus prohibere? Si id propter salutem corporis, cujus curam

gerit, Medicus potest: cur id propter salutem animæ, quam procurat, Ecclesia non potest? Si possit id factio Calviniana aut Lutherana, cur illo jure non fruatur Ecclesia toto orbe diffusa?

Contra Dallæus urget. Tametsi Deus cibum lotis manibus sumi minimè jusserat, jusserant tamen Seniores, qui eo tempore Dei Ecclesia erant. Itaque si id jus est Ecclesiæ, ut quæ de cibi sumptione jussit, ea citra peccati maculam violari non queant; omnino rei erant Discipuli, qui cibum illotis manibus, præter Seniorum traditionem sumpserant. Atqui eos tuetur, ac defendit Christus; & quidem hac ratione, quòd hominem minimè coinquinent, quæ intrant in os. Ergo neque rei erant Discipuli, neque si aliquid aliter, quàm Seniores jusserunt, in esu & potu usurpemus, eo nos coinquinati putandum est.

Respondeo, ritum illum non manducandi manibus illotis non fuisse traditionem Synagogæ, seu Ecclesiæ Judaïcæ, sed propriam Pharisæorum doctrinam, planè superstitiosam, quam traditionis nomine, ad invidiam Christo conciliandum, perperàm honestarunt. Unde hanc vocavit Servator *Doctrinam & mandatum hominum.* Quare non poterat vitio verti Apostolis quòd manus ante cibi sumptionem non abluerent. At Ecclesiasticas traditiones de abstinentia carnium & jejuniis, nemo absque errore dixerit doctrinas & mandata hominum: sicut nec inter doctrinas & mandata hominum lex ab Apostolis lata de abstinentia à sanguine & suffocato censeri absque errore potest: de qua Legislatores ipsi dixerunt: *Visum est Spiritui Sancto & nobis.* Non enim Divinum, sed Ecclesiasticum illud præceptum erat, ab omni Ecclesia editum. Quicquid igitur eodem modo congregata sanxit Ecclesia, eodem loco habendum est. Non enim Spiritus Sanctus minùs Ecclesiæ, quàm Apostolis, & promissus, & exhibitus fuit: quin etiam magis; quia in Apostolos propter Ecclesiam effusus est: cui adeo datus est ut perennis Magister, qui eam doceat omnem veritatem.

Objectio secunda petitur ex Sancto Augustino lib. de Moribus Manichæorum cap. 14. ubi nullam vel à carne, vel ab aliquo cibi genere, abstinentiam probat, nisi quæ suscipitur, *Vel ad comprimendam delectationem, quæ in his maximè cibis haberi solet: ad tuendam infirmitatem, propter illa quæ sacrificantur, atque libantur: &, quod maximè commendandum est, propter charitatem, ne imbecilliorum ab his continentium offendatur infirmitas.* Denique disputationem concludens, Manichæos ita convenit: *Ratione igitur mihi persuadete, quomodo vescentem carnes coinquinant, si sine ulla offensione, sine ulla infirma opinione, sine ulla libidine sumantur.* At si Sancti Augustini tempore aliquod extitisset de carnium abstinentia Ecclesiæ præceptum; vel si publicam de ea legem ferri posse existimasset Augustinus, quæ conscientiam per se obligaret: addidisset, carnium esu coinquinari neminem, nisi Ecclesiæ legi eas interdicenti refragetur, aut eam infringat.

Confirmatur primò ex Juliano Pomerio, lib. 2. de Vita Contemplativa, cap. 24. dicente. *Verumtamen sic abstinere, vel jejunare debemus, ut non nos jejunandi, vel abstinendi necessitati subdamus, ne jam non devoti, sed inviti, rem voluntariam faciamus.* Quomodo voluntariam, si immobili lege ita imperatam, ut ei deesse citra gehennæ reatum nequeamus? Tum pergit idem Author: *Si enim quoslibet advenientes jejunio intermisso, reficio, non solvo jejunium, sed impleo charitatis officium. Cæterum, si propter abstinentiam spirituales fratres, quos novi mea remissione delectari, contristo, abstinentia mea non est virtus dicenda, sed vitium.* Tum vetat *Ne pro magno ducamus, quando ab his quæ Manichæi quoque rejiciunt, abstinemus, ipsis verò Catholicis Christianis, qui sive non valendo abstinere, sive nolendo, omnia usui nostro concessa cum gratiarum actione percipiunt, non nos propter abstinentiam præferamus.* Ergo nemo tum abstinere, si nollet, coactus; nemo ex Catholicorum censu, qui abstinere nollet, expunctus. Unde quivis videt, illam abstinentiam liberum ac voluntarium fuisse officium.

Confirmatur secundò ex Isidoro Hispalensi lib. 2. Sententiarum, sive de Summo Bono, cap. 42, ubi ait, *Non qualitatem ciborum, sed eorum cupiditatem cavendam. Nam sæpe accuratiùs præparata, sine gula concupiscentia degustantur; & sæpe abjecta & vilia edendi cupiditate sumuntur. Sicque fit ut non sit in culpa ciborum qualitas, sed illud reputetur in vitium, quod cum desiderio degustatur.*

Respondeo ad testimonium Sancti Augustini, ipsum non loqui de abstinentia carnium statis diebus ab Ecclesia præceptâ, sed de abstinentiâ perpetuâ, quam Manichæi indicebant, & sibi imponebant; eo quòd illas à malo Deo conditas arbitrarentur: & quam sponte observabant Christianorum plurimi, etiam extra dies ab Ecclesia constitutos, vel ad libidinem domandam; vel ad fratrum offensionem vitandam; vel ad propriam infirmitatem tuendam, ne fortè Idolothytis incautè vescerentur. Unde ad rem nullatenus erat, ut Ecclesiasticæ de carnium abstinentia legis Sanctus Augustinus meminisset, cujus infractione maculam contraheret comedentium conscientia. Quamquam & sub triplici illo fine quartus ille obedientiæ legibus Ecclesiasticis deferendæ continetur. Illam enimverò imperat Ecclesia ad frænandam libidinem, & qui illam solvunt absque necessitate, uni gulæ delectationi serviunt: & nedum fratres offendunt ab iis sibi temperantes, sed Ecclesiam universam; nec propriam salutem tuentur, siquidem cibos degustant illis diebus, propter Ecclesiæ præceptum illicitos; ut ait Sanctus Augustinus loco in probationibus laudato. Quod autem existimaverit ipse, legem Ecclesiasticam de abstinentia & jejuniis obligare, constat ex Epistola 86. ad Casulanum, & ex Epistola 116. ad Januarium, in quibus ipsa Ecclesiæ consuetudine teneri Christianos omnes asserit: Si consuetudine; multò magis lege, cujus ad obligandum robur majus est. *In his rebus*, inquit, *de quibus nihil certi statuit Scriptura divina, mos populi Dei, vel instituta Majorum, pro lege tenenda sunt.*

Et Epistolâ 118. De variis moribus Ecclesiarum hæc habet: *Quid horum sit faciendum, si divinæ Scripturæ præscribit authoritas, non est dubitandum quin ita facere debeamus, ut legimus, ut jam, non quomodo faciendum, sed quomodo sacramentum intelligendum sit disputemus. Similiter etiam, si quid horum tota per orbem frequentat Ecclesia. Nam & hinc quin ita faciendum sit disputare, insolentissima insania est...... Faciat ergo quisque quod in ea Ecclesia, in quam venit, invenerit.* Tota porro per orbem Ecclesia carnium abstinentiam servat statis diebus. Dubitare igitur an hæc servanda sit, ut dubitavit Dallæus, & alii Hæretici, insolentissimæ insaniæ est, Sancto Augustino judice.

Addit eadem in Epistola; *Illa quæ non scripta, sed tradita custodimus, quæ quidem toto terrarum orbe observantur, datur intelligi, vel ab ipsis Apostolis, vel plenariis Conciliis, quorum est in Ecclesia saluberrima auctoritas, commendata atque statuta retineri, sicuti quod Domini Passio, & Resurrectio, & Ascensio in cœlum, & Adventus de cœlo Spiritus Sancti, anniversaria solemnitate celebrantur, & si quid aliud tale occurrerit,*

*occurreris, quod servatur ab universa, quacumque se diffundit, Ecclesia. Alia verò quæ per loca terrarum, regionesque variantur, sicuti est quòd alii jejunant Sabbato, alii verò non: alii quotidie communicant Corpori & Sanguini Domini, alii certis diebus accipiunt; alibi nullus dies intermittitur, quo non offeratur: alibi Sabbato tantùm & Dominico, alibi tantùm Dominico: & si quid aliud hujusmodi animadverti potest, totum hoc genus rerum liberas habet observationes: Nec disciplina ulla est melior in his gravi prudentique Christiano, quàm ut eo modo agat, quo agere viderit Ecclesiam ad quamcumque fortè devenerit.* Porro abstinentiam à carnibus, & jejunium statis diebus, maximè verò in Quadragesima, ex traditione Majorum custodimus, & toto terrarum orbe observantur: ergo vel ab ipsis Apostolis, vel à Plenariis Conciliis, vel saltem omnium Ecclesiarum consensu statuta sunt. Quòd si in iis rebus quæ per loca terrarum regionesque variantur, Ecclesiarum singularum morem Christianus quisque sequi debet: multò magis Ecclesiæ legem & disciplinam universæ.

Ad testimonium Juliani Pomerii respondeo, ipsum pariter loqui de abstinentia & jejuniis extra statos dies; & Ecclesiæ lege præscriptos, quæ arbitrio & devotioni cujusque permittuntur, quæ relaxari propter hospites possunt ex Christianæ charitatis officio: non autem de abstinentia & jejuniis Ecclesiastica lege sancitis; quæ necessariò sunt servanda.

Respondeo ad tertium, Sanctum Isidorum Hispalensem nostræ assertioni non adversari, quia de qualitate ciborum secundùm se & absolutè spectatorum loquitur, quam non esse cavendam fateor; non verò de qualitate ciborum ut interdictorum ab Ecclesia. Nec verisimile est Isidorum non agnovisse legem de carnium abstinentia ab Ecclesia latam, & in Concilio Toletano paucos ante annos confirmatam. Adde quòd Sanctus ille Episcopus Ecclesiastica jejunia statis diebus recurrentia adstruit lib. de divinis Officiis, cap. 36. & sequentibus.

Objectio tertia petitur ex Theodoreto in Epitome divinorum Decretorum, sive lib. 5. Hæreticarum Fabularum cap. 29. ubi de abstinentia à vino & ab esu carnium verba faciens, ait: *Ecclesia verò de his nihil lege decrevit. Neque enim horum usum interdicit: & ideo alii quidem permissis bonis & voluptatibus securi fruuntur; alii verò ab eis abstinent. Nullus autem qui sapit & rectè sentit, condemnat eum qui comedit.*

Et in caput 14. Epistolæ ad Romanos. *De solis itaque cibis uniuscujusque sententiæ vel menti potestatem dedit* (Apostolus) *Hæc enim consuetudo in hodiernum usque diem mansit in Ecclesia: & hic quidem abstinentiam amplectitur; ille verò omnibus esculentis absque scrupulo vescitur; & neque hic illum judicat, neque ille alterum reprehendit; sed claros omnes reddit lex concordiæ.* Theodoreti igitur ætate libera erat abstinentia carnium, non publica Ecclesiæ lege sancita.

Respondeo, Theodoretum loqui de abstinentia perpetua à vino & ab esu carnium, qualem Encratitæ & Manichæi observabant, quòd malam harum naturam rerum censerent: hanc: inquam, abstinentiam non præcipi ab Ecclesia Theodoretus ait; non loquitur verò de abstinentia statis diebus imperata, carnis edomandæ, & animi sordium expiandarum consilio. Eam esse Theodoreti mentem constat ex adjunctis. *Abstinentiam*, inquit, *à vino esuque carnium, & reliquam continentiam, non similiter ac hæretici, amplectitur. Hi enim ab his tanquam abominandis abstinere præcipiunt: Ecclesia verò de his nihil præcipit* . . . . . Et infra: *Encratitarum ergo, sive abstinentium etiam errorem divina dogmata clarè convincunt. Dei autem Ecclesia & fabulis hæreticorum adversatur, & divina dogmata sequitur.* Et in caput 14. Epistolæ ad Romanos, hæc præmittit verbis in objectione laudatis: *Alii enim perpetuò abstinebant à cibis lege prohibitis, alii verò quibusdam diebus. Unusquisque in suo sensu abundet. Non hoc posuit generaliter: neque enim de divinis decretis hoc sentire jubet. Eos namque anathematizat, qui veritati contraria docere in animum inducunt. De solis itaque cibis uniuscujusque sententiæ potestatem dedit.*

Objectionem quartam Dallæus arcessit ex Alcibiadis historia, quam describit Eusebius lib. 5. cap. 3. ex Epistola Viennensium & Lugdunensium Christianorum ad Asiaticos fratres, de Martyribus & Confessoribus: cujus Epistolæ verba sic reddit Valesiana Eusebii Versio: *Alcibiades unus ex illorum Martyrum numero, durum & squalidum vivendi genus sectabatur; nullumque omnino cibum admittens, solo pane & aquâ vesci hactenus consueverat. Cùmque in carcere positus eamdem vivendi rationem vellet retinere, Attalo post primum quod in amphitheatro confecerat certamen, revelatum est, non rectè, neque ordine facere Alcibiadem, qui & creaturis Dei minimè uteretur, & aliis exemplum scandali fieret. Paruit itaque Alcibiades, & cunctis promiscuè cibis uti cœpit, gratias agens Deo.* Itaque libera tunc erat carnium abstinentia.

Alcibiadis Confessoris factum imperitè profertur à Dallæo contra Ecclesiæ legem de abstinentia carnium certis diebus.

Respondeo; imperitè à Dallæo & aliis Calvinistis factum illud contra Ecclesiasticam de carnium abstinentia legem proferri, cùm ad abstinentiam perpetuam spectet, quæ propter vitandam fratrum offensionem, & ex charitatis officio remitti non solùm potest, sed debet. Alcibiades enim durum illud vivendi genus perpetuò servaverat, & in carcere positus retinere volebat. Quod scandalum Confessoribus movit: sive quòd Montanistarum jam turbas in Ecclesia excitantium Xerophagiæ suspectum facerent austerius illud vitæ genus, sive suspicarentur Confessores cæteri, quòd hæreticorum more, qui ciborum quorumdam esu hominem pollui dicebant, à carnibus & vino Alcibiades abhorreret: sive periculum esset ne Judices Ethnici duriorem Alcibiadis abstinentiam unum esse è Christianæ legis officiis arbitrarentur; adeóque cæteros à Christiana lege hoc in capite deflectere existimarent. Quamobrem sanctè paruit Alcibiades Attali monitis; immo Spiritui Sancto, quem Consultorem habebant (ut ait illarum Ecclesiarum Epistola.) Cæterùm Sanctum illum Martyrem non remissurum abstinentiam quæ ab Ecclesia indicta esset, neque Attalum ab illius observantia ipsum abducturum, neque cæteros Confessores inde scandalum passuros, imò cum ipso Ecclesiasticas de cibis leges ad amussim & religione summa observaturos, ex eo constat, quòd Christiani omnes tunc Apostolicæ legi de abstinentia à suffocato & sanguine parebant, ut constat ex verbis Biblidis, seu Bibliadis unius è Martyribus Lugdunensibus, quæ in laudata Epistola referuntur: *Qui fieri posset, ut infantes comederent, quibus ne sanguinem quidem animantium degustare licet?*

Objectionem quintam petit Dallæus ex facto Spiridionis, quod narrat Sozomenus lib. 1. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 11. his verbis ex Valesiana Versione: *Instante jam Quadragesima, quidam ex itinere ad eum accessit, iis ipsis diebus quibus ille unà cum domesticis solebat continuare jejunia, ac certo die comedere, reliquos dies absque ullo traducens cibo. Cùm autem Spiridion peregrinum admodum fessum videret; Age, inquit, filia: Lava hominis pedes, eique cibum appone. Cùm Virgo respondisset, nec panem domi esse, nec farinam: supervacuum*

Ex facto Spiridionis, & Martiani perperam colligit Dallæus abstinentiam carnis Quadragesimali tempestate Christianis liberam fuisse.

*enim esse harum rerum apparatum propter jejunium, Spiridion præmissa oratione & petitâ veniâ, præcepit filiæ ut suillas carnes, quas sale conditas habebat, coqueret. Quibus coctis, hospitem unà secum sedere jussis: appositis carnibus cùm ipse comedit, tum hominem hortatus est ut comederet: cumque ille detrectaret, ac se Christianum esse diceret: Eo minùs*, inquit, *detrectandum est. Omnia enim munda esse mundis Sermo divinus edocuit.* Putabat igitur Spiridion Christiano, etiam Quadragesimali tempore, liberum esse cujusvis cibi esum; adeòque liberam, non necessariam, carnium abstinentiam.

Confirmatur ex facto Martiani, quod Theodoretus memorat in Historia Religiosa in *Martiano*. Refert scilicet, cùm illum Avitus inviseret, hicque illum prandiolo lætiùs ac lautiùs acciperet, ille autem vesci abnueret, negans se cibum ante vesperam sumere, tandem Martiani verbis & precibus victum manus dedisse, cùm Martianus diceret: *Scimus charitatem jejunio præstantiorem. Hoc enim divinæ legis est opus: jejunium verò potestatis nostræ & arbitrii.*

Respondeo, Spiridionem carnes apposuisse hospiti urgente necessitate, cùm alii cibi non supperent, & carnes ipsum unà cum hospite comedisse, ut ipsi scrupulum excuteret, eumque suo exemplo ad vires prope deficientes eo cibo reficiendas invitaret. Nemini autem dubium est quin ipsis jejuniorum ab Ecclesia præceptorum diebus, licitus esset carnium esus, si alii cibi, & panis præsertim non inveniretur. At perperam ex hoc facto colligunt hæretici, abstinentiam carnium, etiam Quadragesimali tempore, liberam esse. Contrarium enim planè demonstrant omnes illius facti circumstantiæ. Primò namque notat Socrates, Spiridioni fuisse nihil quod hospiti apponeret, præter carnes salitas, ne panem quidem & polentam. Ex quo rectè infertur eum cibos alios appositurum fuisse, si penes se habuisset. Secundò refert ipsum carnes non apposuisse, nisi præmissa oratione, & petitâ veniâ. At veniam à Deo non petiisset carnes oblaturus hospiti, si necessitate non urgente, & aliorum ciborum suppetente copia, illas æquè apponere potuisset Quadragesimali tempore. Tertiò narrat hospitem primùm carnibus vesci abnuisse, quòd se Christianum esse diceret. Omnibus igitur Christianis tunc liberum non erat abstinere à carnibus, vel earum se esu reficere. Quartò ait, Spiridionem hortatum fuisse hospitem suum & verbis & exemplo ad esum suillarum carnium; quia leges Ecclesiasticæ de abstinentia & jejuniis in summo vitæ, aut valetudinis discrimine, & deficientibus cibis jejunii congruis, Christianos minimè ligant. Unde falsò ait Dallæus, quòd Catholici ne in simili quidem necessitate Quadragesimam suam violari patiantur.

Sed ita urget Dallæus. An Spiridion in eremo habitavit? Nullum habuit vicinum à quo panem peteret? Nulla tota Trimythunte, in qua ille habitabat, vel pistoris, vel salsamentarii, vel denique amici domus fuit, unde civitatis Episcopus cibum illo tempore dignum vel emeret, vel mutuaretur, potiùs quàm ut hospitem interdicta, & nefaria dape pollueret? Quis crediderit sive oppidum, sive castellum, in quo sedebat Episcopus, sic non modò incultum & infrequens, sed planè vacuum ac desertum fuisse, ut nemo istic præter Episcopum habitaverit? Jam si excultum fuit oppidum, (ut profectò fuit) si domos, si focos, si cives aliquos habuit: Non ergo necesse fuit hospiti suillam apponere, quem aliunde petito pane facile erat reficere. Hæc Dallæus.

Respondeo, non constare ex Historia Ecclesiastico, nec ex ullo monumento, an jam Episcopus esset Spiridion cùm illum hospitem excepit, adeò-

A que in urbe aliqua aut oppido degeret; an verò adhuc laicus & agricola ruri vitam degens, qualem eum ante Episcopatum fuisse narrat Sozomenus. Unum constat, tunc ipsi præsto non fuisse panem aut polentam, sed duntaxat carnes: & alios cibos ipsum facilè comparare non potuisse verisimillimum est. Alioqui panem saltem emi jussisset, quem apponeret hospiti cum carnibus.

Ad Martiani factum respondeo, ipsum non carnes, sed olera & legumina hospiti apposuisse, & ad jejunium austerius remittendum ipsum invitasse,
B quod sæpe biduo aut triduo, singulis autem diebus ad vesperam saltem, quovis anni tempore protrahebat. Suasit autem ut jejunium illud arbitrarium, nec ab Ecclesia indictum, horâ nonâ solveret, ex indulgentia charitatis, ut Martiano ad vesperam usque jejunare propter infirmitatem non valenti sese accommodaret. Imperitè igitur Dallæus hoc factum objicit contra Ecclesiasticas de carnium abstinentia, jejuniisque leges. Rem ita se habuisse ut modò exposui, constat ex Theodoreto loco supra laudato, ubi de Aviti ad Martianum peregrinatione loquens, ait: *Cognito autem ejus adventu, magnus Martianus ostio aperto, illum intromisit, præcepitque*
C *admirabili Eusebio, ut & legumen coqueret, & olus, si haberet. Postquàm verò mutuis inter se colloquiis satiati, alter alterius virtutem cognovere, Nona simul Officium peregerunt: venitque Eusebius mensam ferens & panes. Tum magnus Martianus divino Avito: Adesdum, ait, omnium mihi jucundissime, & hujus mensæ simus unà participes. Ille verò: Non memini me, inquit, cibum unquam sumpsisse ante vesperam: sæpe autem binos ac ternos simul dies jejunus permaneo. Et magnus Martianus: Meâ ergo, inquit, causâ mutetur hodie consuetudo. Nam*
D *cum imbecillo sim corpore, vesperam expectare non possum. Quibus verbis, cùm admirabili Avito non persuasisset, ingemuisse fertur, & dixisse: At ego animo angor & discrucior, quòd tantum laborem ceperis, ut laboris amantem hominem videres, & Philosophum, spe autem frustratus, cauponem quemdam & intemperantem vidisti pro Philosopho. Et cùm tristior his auditis factus divinissimus Avitus, gratius sibi futurum diceret carnibus vesci, quàm talia audire: Magnus iterum Martianus: Et nos, inquit, ô amice, eandem quam tu vitam ducimus, & eandem vivendi rationem amplectimur, & quieti labores ante-*
E *ponimus, & jejunium pluris facimus, quàm cibum, quem sub noctem capere solemus; sed scimus charitatem jejunio esse præstantiorem.*

Objectio sexta petitur ex Sancto Epiphanio in Expositione Fidei Catholicæ. *Quadragesimam observare*, inquit, *atque in jejuniis perseverare consuevit Ecclesia. Dominicis verò nullus omninò, adeòque nec ipsius Quadragesimæ quidem jejunare solet. Præterea sex illos Paschatis dies Xerophagiis, hoc est, arido victu transigere populus omnis assuevit; hoc est, panem duntaxat cum sale & aqua post vesperam adhibere ...... Sunt & alia in Ecclesia Catholica instituta vivendi præstantia, nimirum quòd alii*
F *carnibus prorsus abstineant, tam quadrupedum & avium, quàm piscium, necnon ovis & caseo: tum sunt alia vitæ genera, propter quod unusquisque secundùm suum laborem mercedem accipiet. Igitur sunt qui omnibus illis abstineant: alii quadrupedibus duntaxat, sed avibus ac cæteris vescuntur: alii etiam ab avibus temperant, ova & pisces adhibent: alii etiam ova repudiant: sunt qui solos pisces retineant; quibus nonnulli etiam abstinent, qui tamen caseum sibi permittunt: alii verò caseo non utuntur. præterea quidam à pane abstinent, quidam ab arborum fructibus, & coctis omnibus.* Ergo Quadragesimali etiam tempore libera erat carnium abstinentia.

S. Epiphanii testimonio Dallæus abutitur.

Respondeo, nego consequens. Etsi enim numero

22.

22. de Jejunii Quadragesimalis ritu loquatur Sanctus Epiphanius, numero tamen 23. ubi varios abstinentiæ mores, qui à variis Christianis servabantur, describit & commendat, de Quadragesimali Jejunio ampliùs non loquitur; sed de abstinentia, & aliis observantiis ad quodvis anni tempus indifferenter spectantibus, scilicet de precibus & Sacrificiis pro mortuis frequentati solitis, de Matutinis orationibus, & Lucernali Psalmodia; de variis Monachorum, vel in urbibus commorantium, vel in solitudine degentium institutis & moribus. Unde adversarii hoc Sancti Epiphanii loco indignè prorsus abutuntur, ut probent non fuisse conjunctam semper Quadragesimali cum Jejunio carnium abstinentiam.

Objectio septima Dallæi subministratur à Socrate lib. 5. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 22. ubi postquam varios in Ecclesia esse dixit Quadragesimæ observandæ mores, quoad numerum dierum, de vario abstinentiæ ritu per idem tempus hæc subjungit: *Neque verò in dierum numero duntaxat, verumetiam in ciborum abstinentia, discrepare inter se reperiuntur. Nam alii quidem ab animatis penitus abstinent, alii ex animantibus pisces solos comedunt. Nonnulli cum piscibus etiam avibus vescuntur; ex aquis, ut est apud Moysem, eas quoque conditas esse affirmantes. Quidam ab omni arborum fructu, & ab ovis abstinent, quidam solo vescuntur pane: alii ne hoc quidem utuntur. Nonnulli usque ad horam nonam jejunantes, quovis posthac ciborum genere utuntur absque discrimine. Alia rursus apud alias gentes observantia, & innumerabiles earum causæ afferuntur. Et quoniam nemo scriptum de hac re præceptum proferre potest, apparet Apostolos arbitrio cujusque ac voluntati id permisisse, ut unusquisque quod bonum est, sua sponte, non metu, ac necessitate perageret.* Non semper igitur conjuncta fuit in universa Ecclesia abstinentia carnium cum Jejunio Quadragesimali.

Respondeo; Nego consequens. Ex abusu enim quorumdam, Ecclesiæ usus & Disciplina inferri non potest. Porro abusus fuit esus avium tempore Quadragesimæ, & evidens quorumdam corruptela, ut & insulsa ratio ad illam excusandam excogitata. Abusum autem fuisse, luculenter probatur ex Basilio Cilice, in Opere adversùs Joannem Scythopolitanum edito, in quo ipsum accusavit, *Quòd cum sanctam Quadragesimam tribus hebdomadibus concluderet, ne in iis quidem esu volatilium abstineret*: ut refert Photius in Bibliotheca Cod. 107. Porro si liberum fuisset avium esu frui tempore Quadragesimæ, earum esum Joanni vitio non vertisset Basilius.

## ARTICULUS III.

### *De Quadragesimalis Jejunii observantia.*

Contra perduelles Christiano[s] pugnare pergimus, qui in Calvini aut Lutheri schola instituti, Quadragesimam liberæ observationis esse volunt, quòd nec ab Apostolis fuerit institutum Quadragesimale Jejunium; nec à primi, secundi, tertiique Sæculi Christianis observatum: imò nec quarto quintoque Sæculo, ritu eodem & uniformi. Non posse porro Ecclesiam publicas de jejuniis leges condere; adeoque Quadragesimale, cæteraque stata jejunia, Papalem esse tyrannidem. His assertionibus constat Epicureus Dallæi de Jejuniis & Quadragesima liber, quem hocce Articulo refellemus.

PROPOSITIO.

*Antepaschale Jejunium, tribus primis Ecclesiæ Sæculis, Christiani religione summa observabant: quod an plurium hebdomadum fuerit, necne; quamvis disertè non exprimant illorum Sæculorum Patres; longè tamen probabilius est circiter quadraginta dierum illud fuisse: idque ex Apostolica Traditione acceptum.*

Probatur prima & secunda pars, ex Sancto Irenæo in Epistola ad Victorem Romanum Episcopum apud Eusebium lib. 5. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 24. qua in Epistola non solùm varios fuisse mores Ecclesiarum in celebratione Paschatis, sed etiam in Jejunii Antepaschalis observantia asserit. *Neque enim, inquit, de die solùm controversia est, sed etiam de forma ipsa jejunii. Quidam enim existimant unico die sibi esse jejunandum; alii duobus, alii pluribus: nonnulli etiam quadraginta horis diurnis ac nocturnis computatis, diem suum metiuntur. Atque hæc in observando jejunio varietas non nostra primùm ætate nata est, sed longè apud Majores nostros cœpit: qui negligentiùs, ut verisimile est, præsidentes, ex simplicitate & imperitia ortam consuetudinem posteris tradiderunt. Nihilominus tamen & omnes isti pacem inter se retinuerunt, & nos invicem retinemus. Ita jejuniorum diversitas consensionem fidei commendat.* Ex quo Irenæi loco duo colligere est: Primò Antepaschalis Jejunii observandi perpetuum fuisse in Ecclesia morem; secundò non exposuisse Sanctissimum illum Episcopum quot diebus Jejunium illud Antepaschale constaret. Contendit Dallæus illud fuisse unius aut alterius diei duntaxat, & diversam fuisse apud diversos ejus celebrandi rationem; idque ex Irenæi verbis colligere se putat scribentis: *Quidam enim putant una die sibi jejunandum: alii duobus: alii etiam pluribus.* Indeque colligit, illud jejunium non fuisse Apostolicæ institutionis, quale si fuisset, nulla haud dubiè futura erat in ejus observatione hujusmodi diversitas. Addit, ipsum mox Irenæum id disertè docere, cùm hujus diversitatis causam inde arcessit, quòd qui antea fuerant Christiani, *non satis accuratè servassent simplicem & privatam consuetudinem.* Quare ne illud quidem Paschale unius diei aut bidui (ut contendit) jejunium, quod Irenæi temporibus in usu erat, ab Apostolis institutum colligit Dallæus, sed hominum simplicem & privatam consuetudinem retinentium usu invectum apud Christianos. Verùm Irenæi sensum Heterodoxus ille Author non est assecutus. Non enim sic intelligi debent sanctissimi illius Patris verba, quasi apud Christianos quosdam Antepaschale jejunium, quod Quadragesimale vocamus, unius tantùm diei, vel bidui fuerit, pro cujusque arbitrio: sed toto illo dierum intervallo, quibus Antepaschale jejunium constabat (quod quadraginta circiter dierum fuisse, quarti sequentiumque Sæculorum Patres disertè testantur) significat quosdam Christianos integrum diem absque cibo & potu transegisse; quosdam duos vel plures cum eadem districtione decurrisse; alios per horas quadraginta, quas unius diei solidi instar computabant, jejunium prorogasse, ut numerum dierum quibus continuatim Christus jejunaverat, totidem horarum numero quadamtenus imitarentur. Itaque jejunii Antepaschalis diversitatem in eo non posuit Sanctus Irenæus, quòd uno tantùm die, vel duobus, Christianus quisque ante Festum Paschatis, pro suo arbitrio jejunaret: sed quòd in tota illa dierum serie quibus Antepaschale jejunium constabat, quidam quotidie reficerentur, quidam solido die cibum omnem ac potum sibi subtraherent,

traherent, & die sequenti vescerentur; alii cibum A post biduum duntaxat, alii post triduum etiam sumerent, cumque jejunandi morem Antepaschali, seu Quadragesimali toto tempore, servarent religiosiùs. Porro fatemur severiorem illum jejunandi morem ab Apostolis non fuisse institutum, sed privata consuetudine invectum, conniventibusque Pastoribus in Ecclesiis observatum. At negamus diversitatem illam fuisse in numero dierum quibus antepaschalis jejunii tempus constabat. Quanquam etsi res ita se habuisset, ut Dallæus contendit; id est, si uno tantùm die Christiani quidam antepaschale jejunium, alii biduo definivissent, non confecisset Dallæus quod pertendit: B siquidem Sanctus Irenæus morem illum ex imperitia & simplicitate ortum asserit, ac Pastorum negligentia quasdam in Ecclesias irrepsisse. Unde colligi posset hanc non fuisse primævam Ecclesiæ universæ Disciplinam, sed aberrationem potiùs à legitimo usu & Disciplina.

Probatur secundò prima & secunda pars Propositionis ex Tertulliano, lib. de Jejuniis cap. 2. ubi de Catholicorum jejuniis sic loquitur: *Certè in Evangelio illos dies jejuniis determinatos putant, in quibus ablatus est Sponsus, & hos esse jam solos le-* C *gitimos jejuniorum Christianorum. Itaque de cæterò differenter jejunandum ex arbitrio, non ex imperio novæ disciplina, pro temporibus & causis uniuscujusque. Sic & Apostolos observasse, nullum aliud imponentes jugum certorum & in commune omnibus obeundorum jejuniorum.* Dies quibus ablatus est Sponsus, sunt dies antepaschales. Quot illi fuerint, non dicit Tertullianus; sed illos jejunio consecratos in Ecclesia fuisse, disertè asserit, & ex Apostolorum præcepto jejunium illud in commune fuisse Christianis omnibus obeundum.

Et cap. 14. dies memorans quibus & Montanistæ & Catholici jejunium solenne celebrabant, D ait: *Cur stationibus quartam & sextam Sabbati dicamus, & jejuniis Parasceven? Quanquam vos etiam Sabbatum, si quando continuatis, nunquam nisi in Pascha jejunandum, secundùm rationem alibi redditam, nobis certè omnis dies, etiam vulgata, consecratione celebratur.* Ex quibus rursus colligitur, status antè Paschatis Festum dies jejunio fuisse consecratos.

Respondet Dallæus. dies quibus ablatus est Sponsus, non alios posse intelligi, quàm quibus Christus crucifixus est, mortuus & sepultus, E hoc est, Hebdomadis Paschalis Sextam Feriam, & Sabbatum. Unde colligit, istos quibuscum agit Tertullianus, non aliis quàm istis duobus ante Pascha diebus in commune jejunasse; & quidem cum hoc discrimine, quòd Feriâ sextâ omnes; Sabbato neque omnes, neque quotannis jejunarent. Sed nomine dierum *quibus ablatus est Sponsus*; quidni commodè intelligatur, secundùm Tertulliani mentem, totum illud tempus quod in luctu & Pœnitentia Christiani transigebant, ut ad Mortis & Resurrectionis Christi dignè commemoranda celebrandaque mysteria se religiosiùs præpara- F rent? sicut in Pascha jejunandum ait; id est, diebus antepaschalibus. Jejunium autem Parasceves commemorat, non quòd ista solùm dies jejunio esset apud Christianos consecrata; sed quòd austerius esset cùm apud Montanistas, tum apud Catholicos illius diei jejunium, Xerophagiâ scilicet celebre, sive etiam subtractione cibi & potûs usque ad Sabbatum. Enimverò ibi Tertullianus recenset observantias temporum & dierum Ecclesiæ Catholicæ cum Secta Montanistica communes; scilicet celebrationem Paschatis annuo circulo, in mense primo; quinquaginta exinde dierum in omni exultatione decursum; Quartæ & Sextæ Feriæ stationes, & jejunium Parasceves. Cùm itaque Montanistæ, non solùm die Parasceves, sed Quadragesimâ totâ Xerophagi viverent, Tertullianus solùm significat Catholicos cum Montanistis communem habuisse morem ac ritum jejunandi in Parasceve, imo & in Sabbatho Paschatis, id est, Xerophagias pariter illis diebus observasse. Unde sic arguit velut ad hominem contra Catholicos: Si Galatarum mores & insaniam imitamur observantium tempora, & dies, & menses, & annos, & Apostolicæ reprehensioni propterea obnoxii sumus: & vos quoque eandem incurritis, ô Psychici! siquidem status etiam diebus, non secus ac nos, stationes ad vesperam producitis, & Xerophagias observatis, siccantes cibum ab omni carne & jurulentia, & uvidioribus quibusque pomis. Nihil autem intererat ad causam, quam agebat Tertullianus, ut disertè Quadragesimalis Jejunii meminisset; quia Catholici illud aliter ac Montanistæ observabant; nec illas Xerophagias præcipiebat Ecclesia.

Objicit Dallæus Tertulliani locum lib. de Oratione, cap. 14. ubi contra eos disputat, qui ex privata devotione jejunantes, *Habita oratione cum fratribus, subtrahebant osculum pacis, quod est signaculum orationis*; Quia scilicet iis temporibus solenne erat Christianis in Synaxibus & conventibus sacris mutuam cum fratribus pacem sancto osculo testari, ac velut obsignare. Istos autem Tertullianus eo maximè refutat, quòd illa osculi subtractione jejunium suum proderent, quod ex Domini mandato latere debet. Addit autem: *Die Pascha, quo communis, & quasi publica jejunii religio est, deponimus osculum, nihil curantes de occultando quod cum omnibus faciamus.* Porro si alia tum fuissent publica communiaque, ex publica aliqua, vel lege, vel consuetudine, jejunia, dubitandum non est quin & iis (quorum eadem scilicet futura erat ratio) osculum pariter depositum fuerit. Cùm igitur de Quadragesima nihil hoc loco habeat Tertullianus, solius meminerit Paschæ, id est, Sextæ Feriæ Hebdomadis Paschalis; ejus tempore communis & quasi publica jejunii religio solo illo Paschæ die fuit; cæteris Quadragesimæ, qui nunc observantur, diebus nulla fuit.

Respondeo primò, Tertullianum diei Paschatis sive Parasceves ibi meminisse, quia solennius erat illius diei jejunium; unde illud in exemplum affert: non autem quòd illius tantùm jejunii publica esset apud Christianos religio.

Respondeo secundò, nomine Paschatis intellexisse ac significasse Tertullianum totum illud quadraginta dierum intervallum, quod ante Pascha decurrit, & jejunio solenni consecratur; sicut nomine Pentecostes intellexit totum illud tempus quod à Paschate decurrit ad solennem usque Pentecostes diem, ut constat ex lib. de Idololatria, cap. 14. *Ethnicis*, inquit, *semel annuus dies quisque festus est; tibi octavus quisque dies. Excerpe singulas solemnitates nationum, & in ordinem exsere, Pentecostem implere non poterunt.* Ubi evidens est nomen Pentecostes significare quinquaginta dierum intervallum, quod à die Dominicæ Resurrectionis ad diem usque illapsus Spiritus Sancti in Apostolos sacrum intercessit. De quo scribit in libro de Corona Militis, cap. 3. *Die Dominica jejunium nefas ducimus, vel de geniculis adorare. Eadem immunitate à die Pascha in Pentecosten usque gaudemus.* Quidni igitur & nomine Paschatis totam Quadragesimam Tertullianus significaverit, cùm dixit: *Die Pascha, quo communis & quasi publica jejunii religio est, deponimus osculum?*

Probatur tertiò ex Sancto Dionysio Alexandrino in Epistola Canonica ad Basilidem, Canone I.

quo

quo respondet Quæstioni ab ipso propositæ, qua hora solvendum esset jejunium die sancto Paschatis. *Nec sex jejuniorum dies*, inquit, *æquali aut simili tolerantia omnes perferunt: sed alii quidem vel omnes transmittunt jejuni permanentes, alii duos, alii tres, alii quatuor, alii nullum, & iis quidem qui in illis transmittendis valde laboraverunt, deinde defessi sunt, & propemodum deficiunt, ignoscendum est quòd celeriùs gustent. Si qui autem non modo non transmisisse, sed ne jejunaris quidem, vel etiam in delicatis opiparisque conviviis, consumptis præcedentibus quatuor diebus, ad duos, eosque solos extremos dies cum venerint, illis à se cibo non gustato transmissis, Parasceve & Sabbato, magnum quid & egregium se facere existimant, si ad auroram usque permanserint: non existimo eos ex æquo certamen subiisse cum iis qui se pluribus diebus exercuerunt.* Quo rursus loco stabilitur Antepaschale Jejunium.

Dallæus, post alios Calvinistas, totum illud Antepaschalis Jejunii tempus, sex tantùm diebus definitum fuisse contendit, eorumque liberam fuisse ac variam observantiam. Verùm fallitur, aut fallere satagit. Non enim loquitur Sanctus Dionysius de Antepaschalis Jejunii tempore, nec exponit quot dierum fuerit; sed de jejunio magnæ hebdomadis, quod apud Christianos strictius semper fuit & austerius. Alii namque sex dies continuos illius hebdomadæ absque omni cibo transigebant, alii quatuor, alii tres, alii duos, alii nullum; sed jejunium ad vesperam duntaxat diebus singulis protrahebant, & vespere solvebant. Ne cui verò mirum videatur & incredibile, quòd quatuor sexve dies solidos prisci illi Christiani absque cibo transegerint, audiendus est ea de re Sanctus Epiphanius in Expositione Fidei Catholicæ. *Præterea*, inquit, *sex illos Paschatis dies Xerophagiis, hoc est arido victu transigere omnis populus assuevit: hoc est, panem duntaxat cum aqua sub vesperam adhibere: Imo verò nonnulli ad biduum, vel triduum, vel quatriduum usque jejunia prorogant. Alii totam hebdomadam ad usque sequentis Dominicæ gallicinium sine cibo transmittunt.* Audiendus est Sanctus Hieronymus in Epistola 15. ad Marcellam de laudibus Asellæ: *Cumque*, inquit, *per omnem annum jugi jejunio pasceretur, biduo triduoque sic permanens: tum verò in Quadragesima navigii sui vela tendebat; omnes pene hebdomadas vultu lætante conjungens:* Denique audiendus est Sanctus Augustinus lib. de Moribus Ecclesiæ Catholicæ, cap. 33. ubi de Monachorum jejuniis per totum annum sic loquitur: *Jejunia etiam prorsus incredibilia multos exercere didici, non quotidie semel sub noctem reficiendo corpus, quod est usquequaque usitatissimum, sed continuum triduum, vel ampliùs, sæpissime sine cibo ac potu ducere. Neque hoc in viris tantum, sed etiam in fœminis.*

Probatur tertia pars: Jejunium Antepaschale quadraginta dierum fuisse testantur quarti & quinti sæculi Patres, nec illum dierum numerum sua primùm ætate fuisse jejunio consecratum indicant; sed retroactis sæculis institutum fuisse supponunt ac observatum: itaque quadraginta dierum jejunium tribus prioribus sæculis observatum universim ab Ecclesia, longè probabilius est.

Jejunium antepaschale quadraginta dierum fuit secundùm antiquam Ecclesiæ Disciplinam.

Probatur antecedens ex Concilio Nicæno, Canone 5. ubi Quadragesimæ tamquam rei in omnibus Christiani orbis Provinciis cognitæ atque observatæ meminit, cùm in ejus initium unam ex iis Synodis indicit, quas quotannis duas in omnibus Christiani orbis Provinciis celebrari jubet. *Placuit annis singulis per unamquamque Provinciam bis in anno Concilia celebrari.* Fatetur Dallæus Quadragesimæ nomine jejunium intelligi, quod ante Pascha passim ab omnibus celebrabatur; sed jejunium illud duorum aut trium, vel ad summum sex dierum fuisse; interdum verò unius tantùm, nimirum feriæ sextæ fuisse contendit. Sed ubi reperit usurpatum aliquando pro jejunio unius aut paucorum dierum Quadragesimæ nomen? Scio apud Authores Ecclesiasticos nomen illud quandoque transferri ad pauciorum quàm quadraginta dierum jejunia, & hoc sensu Amalarium Fortunatum lib. 4. de Officiis Ecclesiæ, cap. 37. tres Quadragesimas recensere; primam ante Pascha, alteram circa Festum Sancti Joannis, tertiam ante Nativitatem Domini: Scio & Rabanum Maurum lib. 4. de Institutione Clericorum cap. 1. duo illa posteriora jejunia Quadragesimæ nomine insignire; sed quis nescit per analogiam quamdam hoc illis nomen tribui, quod cum jejunio priore, quod quadraginta dierum est, proportionem aliquam & cognationem habeant?

Probatur secundò idem antecedens ex Synodo Laodicena, quæ Quadragesimam supponit non recentis esse institutionis sed antiquæ traditionis, & multarum hebdomadum jejunium complecti, cùm decernit Canone 50. *Quod non oporteat in Quadragesima, in ultima septimana Quinta Feria jejunium solvere, totamque Quadragesimam sine veneratione transire, magisque conveniat omnem Quadragesimam districto venerari jejunio.*

Probatur idem antecedens ex Sancto Athanasio in Apologia ad Constantium, ubi Quadragesimæ disertè meminit. *Deinde*, inquit, *superveniens per tempus Quadragesimæ, qui ab ipsis missus fuerat Georgius, scelera quæ ab iis didicerat, cumulatiora reddidit.* Et in Epistola ad solitariam vitam agentes, de Secundi cæde ait: *In ipsa enim Quadragesima hominem calcitrando enecarunt.* Et in Epistola ad Orthodoxos, de Georgii Ariani in Sedem Alexandrinam intrusione agens, hæc habet: *Hæc autem sub Pascha, in sacra Quadragesima acta sunt, per quod tempus jejuniis dediti erant.*

Probatur 4. ex Sancto Cyrillo Hierosolymitano Catechesi 1. tempore Quadragesimæ ad Catechumenos habita: *Tot annorum*, inquit, *circulos transegisti, mundo frustra operam navans; & quadraginta diebus non vacabis pro anima tua?*

Probatur 5. ex Sancto Basilio in Homilia 2. de Jejunio, quam in Quadragesima habitam fuisse constat. *Jejunium*, inquit, *per omne quidem tempus utile est iis qui illud sponte suscipiunt, sed multò magis hoc tempore, quo per universum terrarum orbem undique denuntiatur jejunii præconium. Nec ulla est insula, nec ulla terra continens, non civitas, non gens ulla, non extremus mundi angulus, ubi non sit auditum jejunii edictum*, &c.

Probatur 6. ex Sancto Gregorio Nazianzeno, Oratione 40. quæ est in sanctum Baptisma: *Christus*, inquit, *paulo ante tentationem jejunavit, nos ante Pascha. Jejunium unum idemque est: at utriusque temporis non parva est differentia. Ille jejunium adversus tentationum impetus objicit: nobis autem hinc significatur cum Christo emoriendum esse: ac perfecta cujusdam purgationis vice est hujusmodi inedia. Jam ille totos quadraginta dies à cibo abstinuit, utpote Deus; nos autem ad virium nostrarum modulum jejunium attemperavimus: etiamsi quidam zelo impulsi, ultra virium facultatem in jejunando prosiliant.*

Probatur 7. Ex Sancto Epiphanio in Expositione Fidei Catholicæ. *Cæterum*, inquit, *ante septem Paschatis dies Quadragesimam observare, atque in jejuniis perseverare, eadem consuevit Ecclesia. Dominicis vero nullis omnino; adeoque nec ipsius quidem Quadragesimæ jejunare solet. Præterea sex illos Paschatis dies, Xerophagiis, hoc est, arido victu transigere omnis populus consuevit*, &c.

Probatur 8. Ex Sancto Joanne Chrysostomo Ho-

milia 16. ad populum Antiochenum. *Secundam,* inquit, *jejuniis septimanam expedivimus, sed non hoc consideremus; non enim hoc est expedivisse jejunium, si tempus præterierimus, sed si transegerimus cùm rectè factis. Hoc supputemus, si studiosiores facti sumus, si defectum aliquem nostrum correximus, si abluimus crimina. Consuetudinem omnes habent per Quadragesimam interrogare quot quisque septimanas Quadragesima jejunavit: & dicentes audire licet, hos quidem quod duas, hos verò quod tres, illos autem quod omnes jejunaverunt septimanas. Et quod lucrum, si rectè factis carentes, jejunium transegerimus? Si alius dicat, Totam jejunavi Quadragesimam: tu dic, Inimicum habebam, & conciliatus sum: habebam detrahendi consuetudinem, & destiti: jurandi tenebar usu, & mos improbus mihi correctus est... Si ciborum jejunium jejunemus, præteritis quadraginta diebus præterit & jejunium. Si vero peccatis abstineamus, & transacto jejunio illud remanet, & continuum erit.*

Frustra verò ex hoc Sancti Chrysostomi loco pugnat Dallæus, variam liberamque fuisse jejunii Quadragesimalis illis temporibus observationem; ita ut etiam ejusdem Ecclesiæ homines, pro sua quisque facultate ac voluntate, alii omnes, alii tres, quidam etiam duas tantùm hebdomadas jejunando implerent, idque vulgare fuisse, & passim in usu positum. Nam disertè colligitur ex Chrysostomi verbis, quadraginta diebus jejunium Quadragesimale definitum fuisse: sed quosdam integro sex hebdomadum ferendo jejunio, præ virium debilitate impares, se excusasse de illius prætermissione: quos pariter excusare se non posse de neglecta emendatione morum, Sanctus Chrysostomus luculenter ostendit. Id magis elucescit ex Homilia ejusdem 22. *Ob hoc enim,* inquit, *jejunium & Quadragesima, & tot dierum Synaxes, auditiones, preces & doctrina suscepta sunt, ut abstersis sceleribus per istiusmodi studium, quæ nobis hoc anno quocumque modo inhæserunt, cum spirituali securitate illius incruenti Sacrificii participes efficeremur..... Fas est eum qui non jejunaverit, veniam consequi, excusata nimirum corporis imbecillitate: is verò qui non castigaverit delicta, impossibile est ut ullam excusationem instituat. Age, dic mihi: non jejunasti ob corporis infirmitatem? Rectè: sed cur inimicis tuis reconciliatus non es? An hîc habes unde prætendas corporis infirmitatem? Rursum si odium, invidiamque retineas, quid possis excusationis allegare? Nusquam enim in istiusmodi delictis, ad corporis imbecillitatem confugere licet. Atque id Christi humanitatis opus est, quod præcipua, & vitam nostram continentia præcepta, nihil a corporis infirmitate læduntur.* Legenda est ejusdem Sancti Doctoris Homilia prima in Genesim.

Probatur nonò ex Sancto Ambrosio, aut certè Authore suppare Sermonis 26. inter Ambrosianos: *In isto,* inquit, *legitimo tempore exceptis Dominica & Sabbato diebus, nullus ante Nonam prandere præsumat, nisi fortè quem jejunare infirmitas non permittit: quia aliis diebus jejunare, aut remedium, aut præmium est: in Quadragesima verò non jejunare peccatum est. Alio tempore qui jejunat, accipiet indulgentiam: in Quadragesima qui non jejunat, sentiet pœnam.* Et Sermone 31. *Quadragesimam,* inquit, *nobis Dominus suo jejunio consecravit..... Quisquis ergo Christianus consecratam jejunando non impleverit Quadragesimam, prævaricationis & contumaciæ reus tenebitur, quòd legem divinitus pro salute sua datam, prandendo ipse rescindit. Rescindit enim legem, qui exemplum jejunii Dominici non custodit.* Et infra: *Quamvis abstineat quis certis diebus, quamvis ciborum dulciora alimenta non sumat, non tamen illi accepto fertur Quadragesimæ jejunium, quòd non diebus quadraginta jejunat... Nam sicut reliquo anno jejunare, præmium est; ita in Quadragesima non jejunare, peccatum est. Illa enim voluntaria sunt jejunia, ista necessaria: illa de arbitrio veniunt, ista de lege: ad illa invitamur, ad ista compellimur.*

Et cap. 13. libri de Noë & Arca, quem Sancti Ambrosii esse nemo it inficias, ubi mysticam rationem protulit cur 40. dierum & 40. noctium spatio diluvii aquæ mundaverint, hæc subjungit de Quadragesimali jejunio: *Unde nunc jam non pœnæ præscripti sunt dies quadraginta, sed vitæ, ut hoc numero jejuniis & orationibus crebrioribus, nostrorum levemus supplicia peccatorum, atque ad decreta legis intenti, devotione ac fide nostrum corrigamus errorem. Itaque per Domini Resurrectionem quadragesimus dies jam non habetur novissimus, sed primus; atque inde vita numeratur, ubi ante mortis numerus ad consummationem mundi & humani generis excidium computabatur.*

Probatur 10. ex Sancto Augustino Epistola 119. ad Januarium cap. 15. ubi postquam præmisit Quadragesimam jejuniorum habere auctoritatem, & in Veteribus Libris ex jejunio Moysis & Eliæ, & ex Evangelio, quia totidem diebus Dominus jejunavit, multa exponit quadragenarii numeri mysteria, & tandem sic concludit: *Ut quadraginta illi dies ante Pascha observentur, Ecclesiæ consuetudo roboravit.* Et Autor antiquus Sermonis olim 69. de Tempore inter Augustinianos: *Hos,* inquit, *sanctæ Quadragesimæ dies debemus omni cum veneratione suscipere, nec longiorem numerum hujus temporis fastidire: quia quantò plures dies sunt jejunii, tantò melior est causa remedii; quantò prolixior abstinentiæ cursus, tantò redemptio copiosior est salutis; quantò austerior cura vulnerum, tantò medicina est salubrior peccatorum. Deus enim qui nostrarum est medicus animarum, congruens tempus instituit, quod & justis satis sit ad adorandum, & peccatoribus sufficiat ad rogandum. Quadraginta enim dierum jejuniis quævis iniquitas peccatoris exorari potest, & quantavis severitas Judicis mitigari.*

Probatur undecimò ex Sancto Leone Magno Sermone 3. de Quadragesima. *Unde quia,* inquit, *dum mortali carne circumdamur, non desinit nobis hostis antiquus laqueos peccati ubique prætendere: & tunc maximè adversùs Christi membra sævire, quando ab eis sunt sacratiora celebranda mysteria, meritò doctrina Spiritus Sancti hac eruditione imbuit populum Christianum, ut ad Paschale Festum quadraginta dierum se continentiâ præpararet.*

Et Sermone 4. *Debebatur quidem tantis mysteriis tam incessabilis devotio & continuata reverentia, ut tales permaneremus in conspectu Dei, quales nos in ipso Paschali Festo dignum est inveniri: sed quia hæc fortitudo paucorum est, & dum carnis fragilitate austerior observantia relaxatur, dumque per varias actiones vitæ hujus sollicitudo distenditur, necesse est de mundano pulvere etiam religiosa corda sordescere: magna divinæ institutionis salubritate provisum est, ut ad reparandam mentium puritatem quadraginta nobis dierum exercitatio mederetur, quibus aliorum temporum culpas, & pia opera redimerent, & jejunia casta decoquerent.*

Et Sermone 5. *Quando autem opportuniùs ad remedia divina decurrimus, quàm cùm ipsa nobis Sacramenta redemptionis nostræ temporum lege referuntur? Quæ ut dignè celebremus, saluberrimè nos quadraginta dierum jejunio præparemus.*

Et Sermone 7. *Ut quadraginta dierum jejunium, quod Festi Paschalis est prævium, interiorem cordis auditum illius vocis instar moveat, quæ verbis Isaiæ Prophetæ Joannes Baptista dicebat: Parate viam Domini, rectas facite semitas ejus.*

Et Sermone 10. *Cognoscentes quicquid per crucem*

*Domini*

*Domini adepta est universitas mundi, cognoscimus ad celebrandam Pascha diem meritò nos quadraginta dierum jejunio præparari, ut digni possimus divinis interesse Mysteriis. Non enim summos tantum Antistites & secundi ordinis Sacerdotes, nec solos Sacramentorum Ministros, sed omne corpus Ecclesiæ, universumque Fidelium numerum ab omnibus contaminationibus oportet esse purgatum: ut templum Dei, cui fundamentum est ipse Fundator, in omnibus lapidibus speciosum, & in tota sui parte sit lucidum.*

Et Sermone 11. *Appropinquante*, inquit, *solemnitate Paschali, adest maximum sacratissimumque jejunium, quod observantiam sui universis Fidelibus sine exceptione denuntiat.*

Et Sermone 12. *Appropinquante Solemnitate Paschali, præcurramus eam consueto jejunio, quod nos quadraginta dierum numero ad sanctificationem mentis & corporis exerceat. Suscepturi enim Festorum omnium maximum Festum ea nos debemus observantia præparare, ut in cujus sumus Resurrectione conresuscitati, in ipsius inveniamur Passione commortui.*

Probatur duodecimò ex Sancto Petro Chrysologo, Sermone 66. de Quadragesimali Jejunio. *Si ergo*, inquit, *quadraginta dierum simplex, purum, æquale, tantis testimoniis, sub tanti numero Sacramenti traditum nobis à Domino jejunium perdocetur; unde ista varietas? Unde novitas ista? Unde hebdomada nunc resoluta, nunc rigida, nunc indulgentes nimium, nunc severa? Unde intemperati jejunii usus iste, qui aut afficiat sine venia, aut remittat ad crapulam? Jejunium sit æquale: & ut est nobis traditum, servetur ad corporis & animæ disciplinam. Certè qui jejunare non potest, non præsumat inducere novitatem; sed fateatur esse fragilitatis propriæ quod relaxat: & redimat eleemosynis, quod non potest supplere jejuniis.* Ex quo Sancti Petri Chrysologi loco, apparet quidem quosdam jejunii Quadragesimalis severitatem relaxasse, atque violasse; sed à sanctissimo Episcopo fuisse acriter objurgatos, quòd traditum à Domino sub tanti numero Sacramenti jejunium violarent.

Probatur denique ex Cassiano Collatione 21. c. 24. in quo Germanus Abbas Theonam interrogat his verbis: *Quid causa est ut sex hebdomadibus Quadragesima celebretur, licèt in quibusdam Provinciis religionis forsitan propensior cura adjecisse hebdomadam etiam septimam videatur, cùm neuter numerus die Dominico, Sabbatoque subtracto, quadraginta dierum impleat summam? Sex enim & triginta dies in ipsis hebdomadibus tantummodo concluduntur.* Cui interrogationi Theonam respondentem inducit Cassianus: Quadragesimam jejunari, ut dierum totius anni decimæ Deo per jejunium offerantur. Triginta namque & sex dies quibus Quadragesimale jejunium constat, sunt anni totius decima pars. Tandem cap. 27. ad alterum interrogationis caput Theonas respondet: *Porro*, inquit, *quod dicitis diverso more, id est sex vel septem hebdomadibus, per nonnullas Provincias Quadragesimam celebrari, una ratio, idemque jejuniorum modus diversa hebdomadarum observatione concluditur. Hi enim sibi sex hebdomadarum observantiam præfixerunt, qui putant die quoque Sabbati jejunandum. Sex ergo in hebdomada jejunia persolvunt, qui eosdem sex & triginta dies sexies revolutos consummant.*

Ex his autem omnibus colligitur, Antepaschale jejunium quadraginta dierum fuisse quarto & quinto sæculo. 2. Neminem Patrum qui Sæculis illis floruerunt, vel leviter indicare quòd ille dierum numerus illorum primùm ætate solemni jejunio fuerit consecratus, sed prioribus Sæculis institutum illud ac observatum supponere. 3. Jejunii istius observandi legem ac disciplinam à priorum sæcu-

A lorum Patribus ad quarti Sæculi Christianos esse transmissam.

Probatur ultima pars Propositionis; quòd scilicet Quadragesimale jejunium ex Apostolorum traditione acceptum probabiliùs asseratur; primò ex Sancto Hieronymo Epistola 54. ad Marcellam. *Nos*, inquit, *unam Quadragesimam, secundùm traditionem Apostolorum, toto anno, tempore nobis congruo jejunamus: illi* (scilicet Montanistæ) *tres in anno faciunt Quadragesimas, quasi tres passi sint Salvatores.* Quibus verbis non Quadragesimæ tantùm unitatem, sed Quadragesimalis observantiam
B jejunii ex Apostolorum traditione, derivat. Jejunia enim quæ reliquo anni tempore celebrabant Fideles, cum jejunio Quadragesimali componit: horumque liberam fuisse & ex privata pietate assumptam supponit observantiam: illius verò celebrandi legem ab Apostolis traditam. Nec obstat quòd idem Hieronymus in cap. 4. Epistolæ ad Galatas jejunia *à viris prudentibus constituta* asserat. Nam id ad Quadragesimæ jejunium referendum non est, sed ad jejunia quæ singulis hebdomadibus, ex Ecclesiæ consuetudine, & publica Fidelium pietate observabantur, quamvis nulla de illis constituta lex
C esset, qualia erant quartæ & sextæ feriæ jejunia; quæ à viris prudentibus constituta scribit, ut Christiani quorum ita remissius erat fervor ut jejunium continuum servare nollent, saltem illis diebus jejunarent. Id ex Hieronymi contextu elucescit, dicentis: *Jejunia & congregationes inter dies, propter eos & à viris prudentibus constitutos, qui magis sæculo vacant, quàm Deo; nec possunt, imò nolunt toto in Ecclesia vita sua tempore congregari, & ante humanos actus Deo orationum suarum offerre sacrificium. Quotus enim quisque est, qui saltem hæc pauca quæ statuta sunt vel orandi tempora, vel jejunandi, semper exerceat? Itaque sicut nobis licet vel jejuna-*
D *re semper, vel semper orare, & diem Dominicam accepto Domini Corpore, indesinenter celebrare gaudentibus: non ita & Judæis fas est omni tempore immolare agnum, Pentecosten agere, Tabernacula figere, jejunare quotidie.* Sed etsi ad ipsum Quadragesimale jejunium illa Hieronymi verba esse etiam referenda concesserimus: quid obest quin virorum prudentium nomine & ipsos Apostolos Sanctus Hieronymus significare voluerit, qui singulari prudentia, qua ipsos ad Ecclesiæ moderationem donavit Spiritus Sanctus, jejunium illud instituerunt? Maximè cum loco superiùs laudato Quadragesimalis institutionem jejunii in Apostolos
E refundat. Unde evanida est Dallæi in prolatum Sancti Hieronymi ex Epistola ad Marcellam testimonium petita objectio.

Probatur secundò eadem postrema pars propositionis ex Sancto Leone Sermone 6. de Quadragesima. *Quod ergo*, inquit, *in omni tempore unumquemque convenit facere Christianum, id nunc sollicitiùs est & devotiùs exequendum: ut Apostolica institutio quadraginta dierum jejuniis impleatur, non ciborum tantummodo parcitate, sed privatione maximè vitiorum.*

Et Sermone 9. *Devotionem nostram*, inquit, *præ-*
F *sentes vel maximè dies exigunt, quos illi sublimissimo divinæ misericordiæ Sacramento scimus esse contiguos. In quibus meritò à Sanctis Apostolis per doctrinam Spiritus Sancti majora sunt ordinata jejunia; ut per commune consortium Crucis Christi, etiam nos aliquid in eo quod propter nos gessit, ageremus.*

Probatur tertiò, ex regulis à Sancto Augustino stabilitis cùm lib. 4. de Baptismo contra Donatistas, cap. 24. tum Epistola 118. cap. 1. nam in priori quidem loco hæc habet: *Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi auctoritate Apostolica traditum rectissi-*

*me creditur.* Posteriori vero loco: *Illa autem*, inquit, *quæ non scripta, sed tradita custodimus, quæ quidem toto terrarum orbe observantur, dantur intelligi vel ab ipsis Apostolis, vel Plenariis Conciliis, quorum est in Ecclesia saluberrima authoritas, commendata atque statuta retineri: sicuti quod Domini Passio & Resurrectio, & Ascensio in cælum, & adventus de cælo Spiritus Sancti, anniversaria solemnitate celebrantur, & si quid aliud tale occurrerit, quod servatur ab universa, quacumque se diffundit Ecclesia.* Jam verò Quadragesimale Jejunium universa tenet, semperque retinuit Ecclesia; nec in aliquo institutum est Concilio; nec dici potest quando incœperit, & quos Authores habuerit: ab Apostolis itaque traditum meritò asseritur.

Probatur quartò, ex Sancto Dorotheo Abbate Græco, Doctrinâ 15. *In lege scriptum est*, inquit, *imperasse Deum Filiis Israël, ut singulis annis decimas darent omnium quæ possiderent, & id facientes, in cunctis operibus suis benedicebantur. Hoc agnoscentes Apostoli sancti, consuluere commodis & utilitatibus animarum nostrarum, quo decimationem hanc excellentiùs & magnificentiùs redderemus: dum scilicet dierum vita nostra decimas daremus, & sic Deo nostro sacrificaremus, sic ab eo benediceremur in operibus nostris: sic quoque anno peccata purgaremus, quæ per integrum annum essent à nobis perpetrata: atque hoc inter se tractantes, consecrarunt nobis ex trecentis sexaginta diebus septem has hebdomadas jejuniorum.*

Respondet Dallæus, Dorotheum esse recentem Scriptorem, qui anno 560. floruerit: quo tempore res Christiana multùm jam à prima puritate defecerat. Verùm Authores Ecclesiasticos pro arbitrio suo nobilitat, vel obscurat Dallæus, & recentes vocat qui sexto sæculo floruerunt, exploditque velut indignos qui audiantur: cùm interim ipse & Rabanum, & Rupertum, & Bernonem Augiensem Abbatem, qui multis post Dorotheum sæculis vixerunt, tanto fastu nobis obtrudat, & quasi Magistros audiri velit.

Addit Heterodoxus Author, Dorotheum septem (ut Græci observant) hebdomadas, non sex (ut Latini) ab Apostolis asserere institutas. Quæ ipsa diversitas satis clamat, inquit, quàm non sit Apostolicum hoc institutum: nisi fortè Latini fateantur ultro se Apostolicum hoc institutum corrupisse. Verùm non animadvertit Dallæus, Dorotheum non asserere septem hebdomadas jejuniorum ab Apostolis institutas, præcisè quoad numerum dierum, sed quoad totius anni decimationem, quæ utrum sex, an septem hebdomadibus fiat, nihil interest ad formalem, ut ita loquar, jejunii Quadragesimalis rationem. Græci enimverò septem hebdomadibus illam decimationem persolvunt, quia Sabbata apud eos jejunii gaudent immunitate: Latini verò sex hebdomadibus eo officio perfunguntur, quia Dominicæ tantùm dies apud eos à jejunii lege absolvuntur. Ex Dorothei verbis id fiet evidentius. *Septem autem hebdomadæ*, inquit, *absque Sabbatis & Dominicis triginta quinque dies complent, quibus adjuncto Sabbato sancto, & media parte illustris illius & splendidissimæ noctis, triginta sex cum dimidio computantur dies, quæ decima pars est trecentorum sexaginta quinque dierum anni. Trecentorum enim dierum decima pars est triginta: sexagenarii verò numeri sex: quinquennarii autem dimidius dies. Hæc est decimatio, quam nobis in pœnitentiam & purgationem peccatorum nostrorum Apostoli sancti consecrarunt.*

Probatur quintò ex Sancto Isidoro Hispalensi, libro 6. Originum, cap. 19. *Quadragesima*, inquit, *in universo orbe, institutione Apostolica observatur, circa confinium Dominicæ Passionis.* Nec repugnat huic sententiæ Isidorus lib. 1. de Divinis Officiis, cap. 36. cùm ait, Jejunium Quadragesimale, *Illis qui per totum anni spatium deliciis ac negotiis sæcularibus implicantur, Ecclesiarum Principes statuisse: ut vel hac legali quodammodo necessitate constricti, his saltem diebus Domino vacare cogerentur; ac dierum vitæ suæ, quos totos quasi quosdam fructus fuerant voraturi, vel decimas Domino dedicarent.* Non, inquam, ex his Isidori verbis confici potest Quadragesimale Jejunium ab Apostolis non fuisse institutum. Quidni enim *Ecclesiarum Principes* Apostolos intellexerit? Cum ex institutione Apostolica dixerit observari, quod ibi ad Ecclesiarum Principes refert.

Argumentis Dallæi contra Jejunii Quadragesimalis legem respondetur.

Objicit primò Dallæus. Jejunium Quadragesimale tribus prioribus sæculis, velut publica lege sancitum Christiani minimè observarunt; nec illam ab Apostolis acceperunt observantiam, si nec quarto, quintove sæculo fuerit apud omnes Ecclesias uniformis illius jejunii observantia. Atqui nequidem quarto quintove sæculo fuit uniformis apud omnes Ecclesias illius jejunii observatio. Illud itaque trium priorum sæculorum Christiani velut publica lege sancitum, & ab Apostolis institutum non observarunt.

Probatur Minor ex Socrate lib. 5. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 22. ubi de variis Ecclesiarum moribus agens: hæc habet: *Primùm igitur jejunia illa quæ ante Pascha fiunt, aliter apud alios observari reperias. Nam qui Romæ sunt, tres continuas hebdomadas ante Pascha, exceptis Sabbato & Dominico die jejunant. Qui vero in Illyrico & per universam Achaiam, & qui Alexandriæ degunt, sex ante Pascha septimanas jejunant, idque jejunium Quadragesimam vocant. Alii rursus diversum ab illis morem secuti, septima hebdomade ante Pascha jejunium ordiuntur; ac tres dumtaxat septimanas, quinque dierum singulas per intervalla jejunantes, nihilominus hoc tempus ipsi quoque Quadragesimam appellant. Ac mihi quidem mirari subit, qua ratione isti, licet de dierum numero inter se dissentiant, eodem tamen nomine Quadragesimam vocent. Hujus autem appellationis pro suo quisque ingenio alius aliam rationem affert.* Idem testantur Sozomenus lib. 7. cap. 19. Cassiodorus in Historia Tripartita, & Nicephorus lib. 12. cap. 34.

Nec respondere juvat, Socratem Novatianum fuisse, adeoque fidem ipsi non esse adhibendam. Novatianismus enim nihil illius Scriptoris in hac causa fidei detrahit, etiamsi constaret Novatianum eum fuisse. Novatianorum enim hæresis cum hac de Quadragesima & Jejuniis disputatione nihil commune habuit. Præterea, hanc ipsam de varietate Quadragesimæ observationem non sólus habet Socrates. Eandem ex ipso habet Cassiodorus, qui Senator & Consul & Præfectus Prætorio fuit in Urbe Roma, qui adeo Romanæ Ecclesiæ morem in observatione Jejunii Quadragesimalis ignorare non potuit: habet Sozomenus; habet denique Nicephorus. Illine omnes Novatiani fuerunt? Certè non de aliquo Fidei capite, sed de facto cuivis obvio, omniumque sensibus exposito agitur. Est-ne verisimile Socratem in re hujusmodi mentiri voluisse, cujus prompta ac expedita probatio in omnium hominum oculis quotidie versabatur? Profectò non hæreticum, sed insanum ac emotæ mentis hominem fuisse istum oportuit, si in hoc argumento sciens ac volens Ecclesiam calumniatus est. Tum si Catholicos tam impudenter esset calumniatus, est-ne credibile, Cassiodorum virum illustrem, doctum, & Ecclesiæ studiosissimum, istud mendacium aut ignoraturum fuisse, aut non confutaturum? Est-ne credibile ut de Sozomeno nihil dicam, Nicephorum Ecclesiæ alumnum calumniam tam immanem non fuisse animadversurum?

madversurum? Atqui & Cassiodorus, & Nicephorus, non modò de Socratis impudentia nihil hoc loco conquesti sunt, sed eandem illam narrationem uterque suæ Historiæ inseruerunt. Itaque argumento est Socratem ea retulisse fideliter & accuratè quæ in Ecclesia Romana sua ætate servabantur. Quinto igitur sæculo, trium tantùm hebdomadum, nec integrarum quidem, jejunium in Ecclesia Romana observabatur.

Error Socratis.

Respondeo, nego Minorem. Ad testimonium Socratis, dico ipsum Novatianorum, sin minus erroribus, saltem partibus addictum, Romanæ Ecclesiæ imposuisse ut illis faveret. Eruditorum enim nemo nescit, sensisse Novatianos liberum esse cuilibet Pascha quo vellet die celebrare, idque esse planè indifferens, etiamsi Ecclesia secus decrevisset. Unde & ἀδιαφόρους nuncupari amabant. Hinc porro sumpsit occasionem Socrates de variis Ecclesiarum moribus ac ritibus differendi, & Romanam Ecclesiam in Quadragesimalis observatione jejunii ab aliis dissidentem repræsentandi: tum ut Novatianorum illam indifferentiam in Disciplinæ rebus, Catholicorum, ac Romanorum imprimis exemplo probatam faceret: tum ut Romanæ Ecclesiæ Disciplinam remissiorem esse Novatianorum Disciplinâ ostenderet.

Respondeo secundò, quicquid sit de Socratis Novatianismo, ipsum hallucinatum esse, & incertis deceptum rumusculis, alios in errorem traxisse. Quid mirum autem si Græcus homo, tanto locorum intervallo à Romana Urbe agens, Romanæ Disciplinæ ignarus fuerit? Porro deceptum fuisse Socratem, Sanctorum Petri Chrysologi, & Leonis, qui eadem ætate vixerunt, necnon Cassiani supparis etiam Authoris, testimoniis luculentissimè probatur. Illi enim quadraginta dierum jejunium, publica lege, Romæ, & in viciniis Ecclesiis, observatum fuisse suis temporibus testantur. Huic autem Socratis errori ortum dedisse plurimorum Christianorum in Ravennensi Ecclesiâ Romæ vicina, & Romæ etiam fortassis degentium, relaxationem in observatione Quadragesimalis jejunii, probabile est: quam in relaxationem & innovationem Sanctus Petrus Chrysologus in probationibus propositionis laudatus acerrimè invehitur. Fieri, inquam, potuit ut Socrates banc innovationem & varietatem privatorum intemperantiâ invectam, totius Ecclesiæ Romanæ Disciplinam esse existimaverit. Quid quod secum pugnat hoc ipso in capite Socrates? Qui enim scribit Romanos tres continuas hebdomadas ante Pascha, *exceptis Sabbatho & Dominica die*, jejunare; ibidem scribit: *Romæ singulis Sabbathis jejunant.* Quis verò sibi persuadeat, Romanos qui reliquo anni tempore Sabbathi jejunium tam religiosè observabant, ut constat etiam ex Epistola 86. Sancti Augustini ad Casulanum, & ex Epistola 116. ad Januarium, ex Sancto Hieronymo Epistola 28. ad Lucinium Bæticum, ex Epistola Innocentii I. ad Decentium, ex Epistola Sancti Leonis 81. seu 11. novæ Editionis, ad Dioscorum Alexandrinum datâ, & ex Joanne Cassiano lib. 5. de Institutis Cœnobiorum cap. 10. Quis, inquam, sibi persuadeat Romanos hujus moris tenacissimos, Quadragesimæ Sabbatha à jejunio absolvisse? Quod si errasse Socratem circa Sabbathi exceptionem à Quadragesimali jejunio, in Romana Ecclesia, evidens est: quidni & circa hebdomadarum numerum Quadragesimalis jejunii erraverit?

Sozomenus lib. 7. cap. 19. Socratis errorem de Romana trium hebdomadum Quadragesima silentio suo correxisse videtur: siquidem Romanæ Ecclesiæ non meminit, varietatem illam Jejunii Quadragesimalis referens. En ejus verba: *Quadragesimam verò quæ hoc festum* (Pascha scilicet) *proximè antecedit, in qua populus jejunare solet, alii quidem sex dierum septimanis computant, ut Illyrii & Occidentales, totaque Africa, & Ægyptus ac Palæstina. Alii verò septem hebdomadas computant, ut Constantinopoli, & per cunctas in circuitu Provincias, usque ad Phœnicem. Nonnulli è sex aut septem hebdomadis, tres per intervalla jejunant. Alii tres simul hebdomadas Paschale Festum proximè antecedentes continuant.*

Cassiodorus errata Socratis & Sozomeni in sua Historia Tripartitâ æquè exscripsit, ac ea quæ veritati consentanea sunt: quod exemplo multiplici probari potest. Quis enim ignoret eruditus, Sozomeni ætate Pontificem Romanum in Ecclesia populum docuisse, cùm id Sancti Leonis Sermones testentur? Scripsit tamen Sozomenus loco mox laudato: *In Urbe Roma nec Episcopus, nec alius quisquam in Ecclesia populum docet:* Idque transtulit in suam Historiam Cassiodorus. Idem Sozomenus lib. 7. cap. 16. agens de Presbytero Pœnitentibus præposito, qui Episcopi vice Confessiones excipiebat, atque pœnitentiam imponebat, quem ab hoc officio removit Nectarius Constantinopolitanum Archiepiscopus; addit: *In Occidentalibus Ecclesiis, & præcipuè in Romana, hunc morem etiamnum studiosè observari.* Errasse Sozomenum id affirmantem Viri Eruditi consentiunt, & Valesius probat in Observationibus ad Sozomenum. Id tamen exscripsit Cassiodorus. Non igitur verior evadit Socratis narratio de Romanæ Ecclesiæ Quadragesima, quia eam Cassiodorus non expunxit, nec impugnavit. Id autem mirum de Cassiodoro nemini videtur, qui animadverterit consilium ejus in scribenda Historia Tripartita aliud non fuisse, quàm *de singulis Dictatoribus desiderata colligere, & cum Auctoris sui nomine in ordinem collocare*, ut ipse monet in ejusdem Historiæ Præfatione.

Dallæus mendacii convincitur in referendis Romanæ & Gallicanæ Ecclesiæ hodierna de Jejunio disciplina.

Quòd verò in re hujusmodi mentitus sit Socrates, cujus prompta ac expedita probatio in omnium oculis versabatur: nulli erit incredibile, qui Dallæum in referenda Romanæ Ecclesiæ & Gallicanæ de jejunio hodierna Disciplina, tam immaniter errasse, tam impudenter mentitum esse conspexerit. Nonne enimverò putidissimum mendacium est, quod scribit lib. 1. de Jejunio & Quadragesima cap. 2. de Romanæ Ecclesiæ Pastoribus loquens? *Docent iidem*, inquit, *reprehendi non posse, adeòque Ecclesiasticè verè jejunare, qui & horâ sextâ prandent, & vespere cœnant. Neque sanè aliter apud eos vulgò jejunatur: si paucissimos vel Monachos, vel superstitiosulos, quos isti devotos appellare solent, exceperis, cæteri omnes Romanæ Communionis homines, posteriori hac lege, non priori, dies jejuniis dicatos transigunt. Neque aliud inter dies jejuniis sacros, & eos qui sunt à jejuniis immunes, discrimen apud eos quidem apparet, nisi quod carne illis abstinent, bis vescuntur. Certè Ecclesiâ Romanâ Pastores nihil aliud vel imperant, vel exigunt, nisi ut jejunia ea lege celantur.* Nonne putidissimum mendacium est quod scribit idem Calvinista, lib. 4. cap. 5. *Jejunium*, inquit, *sextâ feriâ, non voluntarium, sed legitimum esse apud Catholicos, neque ex singulorum arbitrio, spontaneaque devotione, sed ex publica, necessariaque lege sic ab omnibus observari, ut si quis eo die non jejunet, eum isti gravissimi criminis, & quidem æterna morte digni, reum censeant.* Nonne tandem putidissimum mendacium est quod scribit de jejunio Adventus cap. 6. ejusdem libri? *Quamquam apud nos sanè, id est, in Gallia, non minus accuratè, aut religiosè hoc jejunium, quàm quovis aliud, & præcipi, & observari ad adversariis videam.* Porro si Calvinista Gallus de Gallicanæ Ecclesiæ moribus in jejuniorum observatione, suo tempore, scribens,

ſcribens, tam immania mendacia effudit: non eſt à veriſimilitudine alienum, quod Socrates Eccleſiæ Romanæ mores referens, vel deceptus ſit, vel mentitus.

Objectio ſecunda petitur ex Sancto Leone Sermone 4. de Quadrageſimâ, in quo diſertè teſtatur, ferias tertiam & quintam apud ſuos Romanos à jejunio in Quadrageſima liberas & immunes ſuis temporibus fuiſſe. *Secundâ*, inquit, *& quartâ, & ſextâ feriâ jejunemus, Sabatho autem apud Beatum Petrum Apoſtolum Vigilias celebremus.* Itaque quatuor tantùm & viginti dies totâ Quadrageſimâ jejunabant, id eſt, ſex tantùm pluribus, quàm iis temporibus de quibus Socrates. Quadraginta igitur dierum non erat Quadrageſimale Jejunium, nec ab Apoſtolis acceptum.

Reſpondet Bellarminus, Leonem loqui de jejunio quatuor dierum, qui adduntur ante primam Dominicam Quadrageſimæ, ut numerus quadragenarius compleatur. Hanc reſponſionem Viri Doctiſſimi exſufflarunt, & inter alios Hugo Menardus Sacramentarium Sancti Gregorii commentatus. Nam ipſius Gregorii ætate quatuor illos dies in uſu non fuiſſe, nedum Leonis temporibus, probat ex Homilia 16. Sancti Gregorii, ea die habita, qua (ut ipſe ait (*Quadrageſima tempus inchoabant. A præſenti die*, inquit, *uſque ad Paſchales Solemnitatis gaudia ſex hebdomadæ veniunt, quarum videlicet dies 42. fiunt. Ex quibus dum ſex dies Dominici abſtinentia ſubtrahuntur, non plus in abſtinentia quam 36. dies remanent. Dum verò per 355. dies annus ducitur, nos autem per 36. dies affligimur, quaſi anni noſtri decimas Deo damus.* Porro ſi quatuor illi initiales dies additi fuiſſent Quadrageſimæ tempore Sancti Gregorii, quadraginta diebus integris jejunaſſent. Hinc Amalarius Fortunatus, lib. 1. de Officiis Eccleſiaſticis cap. 7. ait quòd *Sanctus Gregorius tantummodo triginta & ſex dies abſtinentia nobis inſinuat Quadrageſimalis temporis, forſan quia nondum erant additi quatuor dies à ſupradicta feria quarta uſque ad primam Dominicam Quadrageſimæ.*

Nec obſtat quòd in Sacramentario Sancti Gregorii quatuor illi dies præmittantur, & peculiaria ſingulis aſſignentur Officia, appelleturque primus dies *Feria quarta caput jejunii.* Hæc enim addita fuiſſe poſt Sancti Gregorii obitum, laudata ejuſdem Homilia evidenter probat.

Hæc tamen doctiſſimi Cardinalis Bellarmini reſponſionem ad laudatum Sancti Leonis teſtimonium non evertunt: quia dies illos initiales ex ſingulari pietate à multis obſervatos fuiſſe tempore Sancti Leonis, & jejunio conſecratos, conſtat ex Sancti Maximi Taurinenſis Homiliâ habitâ in illud Evangelium, quod in die Cinerum legitur: *Cùm jejunatis, nolite fieri ſicut hypocritæ triſtes: QUIA*, inquit, *nonnullorum eſt conſuetudo advenientes Quadrageſimæ dies devotiori jejunio, prævenire, neceſſariò præſens Evangelii decurſa eſt lectio, in qua ſpiritualium bonorum Retributor perfectam nobis regulam jejunandi tradidit*, &c. De his itaque diebus dicere potuit Sanctus Leo: *Secundâ, & quartâ, & ſextâ feriâ jejunemus: Sabbatho apud Beatum Petrum Apoſtolum Vigilias celebremus*: maximè ſi habitus ſit ille Sermo Dominica præcedente Quadrageſimam, ut colligit Bellarminus ex illis verbis: *Ingreſſuri igitur, dilectiſſimi, dies myſticos, & jejuniorum remediis conſecratos, præceptis Apoſtoli obedire curemus*, &c.

Verùm ſolutione Bellarmini relicta, alteram amplector, quam nupero Sancti Leonis Editori, Patri Quenellio Oratorii Sacerdoti debemus: & cum ipſo reſpondeo, verba in objectione laudata non eſſe Sancti Leonis, ſed in ejus Sermonem irrepſiſſe, eique aſſuta fuiſſe uti & pannum integrum quo continentur, ab illis ſcilicet verbis: *Cui ita demum ſacrificium veræ abſtinentiæ & veræ pietatis offerimus, ſi nos ab omni malitia contineamus*, uſque ad illa verba quæ Sermoni fidem imponunt: *Auxiliante nobis per omnia Deo omnipotente.* Et quidem, quam verſamus, ſententiam, vel non eſſe Sancti Leonis, vel depravatum eſſe locum, jam antea vehementer ſuſpicatus eram. Perſuadere namque non poteram mihi, ſibi ipſi contradicere Sanctiſſimum Pontificem, qui toties quadraginta dierum jejunium aliis in Sermonibus nominat, nec uſquam in illis ſelectarum feriarum, quæ ſolæ jejunio conſecratæ eſſent: meminit, ut ex probationibus noſtræ propoſitionis evideos eſt. Succenſebam propterea tacitus doctiſſimis viris Hugoni Menardo & Henrico Valeſio, qui eo loco ducti, quatuor duntaxat Hebdomadæ cujuſlibet quadrageſimalis dies jejunio fuiſſe conſecratos Sancti Leonis ætate propugnarunt. Gratificari hac in parte Dallæo Catholicos Authores graviſſimè ferebam. Nec tamen explodere audebam verba quibus nititur objectio; quia manuſcriptos Codices non evolveram univerſos: & in pluribus verba illa reperiri, nec non in excuſis hactenus, compertum erat. Sed audaciores nos fecit Doctiſſimi Viri diligentia, qui manuſcriptorum quinque Codicum venerandæ antiquitatis & probatæ fidei auctoritate certiores nos fecit verba illa ſancti Leonis Sermoni fuiſſe inſerta. Illorum Codicum MSS. unus extat in Regis Chriſtianiſſimi Bibliotheca num. 341. Alter in Bibliotheca illuſtriſſimi Domini Thuani, num. 49. Tertius in eadem num. 108. Quartus in Bibliotheca Navarrici Collegii. Quintus in Bibliotheca celeberrimi Monaſterii Sancti Germani à Pratis. Quibus à Codicibus cùm abſint verba in objectione laudata, & viginti circiter lineæ, quæ alioquin cùm cæteris non rectè cohærent, nec Sancti Leonis ſtylum ſapiunt; fidenter explodenda ſunt tanquam adventitia, & à ſanctiſſimi Pontificis nedum mente, ſed & ſermone aliena.

Objectio tertia petitur ex Sancto Auguſtino Epiſtola 118. ad Januarium, inſignem quamdam ſuo adhuc ævo in Quadrageſima obſervanda apud Chriſtianos varietatem commemorante. *Sit aliquis peregrinus*, inquit, *in eo fortè loco ubi perſeverantes in obſervatione Quadrageſimæ, nec Quinta Sabbathi levant relaxantque jejunium: Non*, inquit, *hodie jejunabo. Quæritur cauſa: Quia non fit*, inquit, *in patria mea. Quid aliud ille, niſi conſuetudinem ſuam conſuetudini alterius præponere conatur? Non enim mihi de libro Dei hoc recitaturus eſt, aut univerſa quacunque dilatatur Eccleſia plena voce certabit, aut oſtendet iſtum contra Fidem facere, ſe autem ſecundum Fidem; moreſque optimos aut illum violare, aut ſe cuſtodire convincet. Violat ſanè quietem & pacem ſuam, de ſuperflua quæſtione rixando. Mallem tamen in rebus hujuſmodi, ut ille in hujus, & hic in illius patria, ab eo, quod cæteri faciunt, non abhorreret.* Igitur quintis feriis in Quadrageſima jejunare, vel non jejunare, Sancti Auguſtini ætate liberum erat.

Reſpondeo primò Sanctum Auguſtinum de qualibet Feria 5. Quadrageſimæ non loqui, ſed de Feria Quinta duntaxat hebdomadis ſanctæ, quâ Cœnæ Dominicæ commemoratio celebratur. Id colligitur ex ejuſdem Epiſtolæ ſerie. *Si verò*, inquit, *etiam in aliena patria cùm peregrinaretur, & ubi major & frequentior eſt populus Dei, vidit verbi gratia bis offerri Quinta Sabbathi hebdomada ultima Quadrageſimæ, & manè & ad veſperam, veniensque in patriam ſuam, ubi in fine diei mos eſt offerri, malè illicitéque fieri contendat, quoniam alibi aliter ipſe viderit, puerilis eſt ſenſus ille cavendus in nobis, tolerandus in aliis, corrigendus in noſtris. Prima ergo inquiſitio*

tua,

*tua, quam in Commentario posuisti, ex qua trium istorum generum sit, attende: Quæris enim his verbis, quid per Quintam Feriam ultimæ hebdomadis Quadragesimæ fieri debeat; an offerendum sit mane, & rursus post cœnam propter illud quod dictum est: Similiter postquam cœnatum est, an jejunandum, & post cœnam tantummodo offerendum? An etiam jejunandum, & post Oblationem, sicut facere solemus, cœnandum. Ad hæc itaque ita respondeo, ut quid horum faciendum sit, si divina Scriptura præscribit auctoritas, non sit dubitandum quin ita facere debeamus... Similiter etiam si quid horum tota per orbem frequentat Ecclesia... Sed neque hoc, neque illud inest in eo quod tu quæris. Restat ergo ut de illo tertio genere sit, quod per loca regionesque variatur. Faciat ergo quisque quod in ea Ecclesia, in quam venit, inveneris.* De quinta igitur Feria ultimæ hebdomadis Quadragesimæ loquitur Sanctus Augustinus, in qua jejunium à multis solvebatur, qui etiam propter singularem Cœnæ Dominicæ commemorationem, post refectionem Eucharistiam sumebant. Inde autem ortum habuerat illa relaxatio, quòd Catechumenis corpora abluentibus illa die, ut ad Baptismum Sabbatho suscipiendum se pararent, multi cum illis balneum corpori indulgebant. Jejunium autem simul ferre non poterant, & lavacrum. *Sed nonnullos*, (inquit Sanctus Augustinus) *probabilis quædam ratio delectavit, ut uno certo die per annum, quo ipsam Cœnam Dominus dedit, tanquam ad insigniorem commemorationem, post cibos offerri, & accipi liceat Corpus & Sanguinem Domini. Honestius autem arbitror ea hora fieri, ut qui etiam jejunaverit, post orationem quæ horâ nonâ fit, ad Oblationem possit occurrere. Quapropter neminem cogimus ante Dominicam illam Cœnam prandere, sed nulli etiam contradicere audemus. Hoc tamen non arbitror institutum, nisi quia plures & propè omnes in plerisque locis eo die lavare consueverunt. Et quia nonnulli etiam jejunium custodiunt; mane offertur propter prandentes, quia jejunia simul & lavacra tolerare non possunt; ad vesperam verò propter jejunantes. Si autem quæris cur etiam lavandi mos ortus sit: nihil mihi de hac re cogitanti probabilius occurit, nisi quia baptizandorum corpora per observationem Quadragesimæ sordidata, cum offensione sensus ad fontem tractarentur, nisi aliqua die lavarentur. Istum autem diem potius ad hoc electum, quo Cœna Dominica anniversarie celebratur. Et quia concessum est hoc Baptismum accepturis, multi cum his lavare voluerunt, jejuniumque relaxare.* Liberum igitur fuisse fateor in Ecclesia Africana, jejunare, vel non jejunare Feriâ 5. in Cœna Domini; imò & Sacrificium offerre, aut Eucharistiam sumere jejunum vel pransum; ut certum insuper est ex Canone 29. Concilii 3. Carthaginensis decernentis, *Ut Sacramenta Altaris à jejunis celebrentur, excepta unâ die anniversaria, qua Cœna Domini celebratur.* Sed nego liberum fuisse solvere jejunium, vel servare qualibet Feria quinta Quadragesimæ.

Objicies locum S. Augustini Epistolâ 86. ad Casulanum, asserentis, Romæ feriam quintam à jejunio esse immunem. *Videant ergo Romani quid agant*, inquit, *quia ipsi etiam nimis contumeliosè hujus disputatione tractantur; apud quos omnibus istis sex diebus, præter paucissimos Clericos aut Monachos, quotus quisque invenitur, qui frequentet quotidiana jejunia? Maximè quia ibi jejunandum Quinta Sabbathi non videtur.*

Respondeo Sanctum Augustinum ibi de Quadragesimæ jejunio non loqui, sed de jejuniis quæ per totum annum Christiana plebs Romæ servabat ex pia consuetudine, ut eadem in Epistola testis est Augustinus. *Puta enim*, inquit, *quod si ter in Sabbatho quis jejunat, jam superat Pharisæum, qui bis Sabbatho jejunabat. Quod si & quater, vel etiam ut nullus dierum, excepto Sabbatho & Dominico, prætermittatur, in hebdomade quinquies jejunatur, quod multi totâ vitâ suâ faciunt, maximè in Monasteriis constituti: non solum Pharisæus, qui bis in Sabbatho jejunabat, verumetiam Christianus, qui quartâ & sextâ feriâ, & ipso Sabbatho jejunare consuevit, quod frequenter Romana plebs facit, in labore jejunii superabitur.* Ex quibus evidens est, Fideles qui pietati studebant, solitos fuisse quartâ & sextâ feriâ, nec non Sabbatho jejunare, in Ecclesia Romana per totum annum; feriâ verò quintâ non jejunasse nisi paucissimos Clericos aut Monachos, qui quotidie, solis Dominicis exceptis, jejunabant.

Ex his colligitur, falsum esse quòd narrat Author libri de Vitis Romanorum Pontificum Damaso suppositi, Melchiadem scilicet Feriæ 5. jejunium prohibuisse; quod etiam secunda Epistola Melchiadi ab impostore Isidoro supposita testatur; quod denique ex impuris illis fontibus Alcuinus, vel quisquis est Author libri de divinis Officiis Alcuino adscripti, & Micrologus cap. 50. hauserunt. Nolim tamen inficias ire quin abusus ille nonnullas in Ecclesias irrepserit, ut jejunium Feriâ 5. Quadragesimali tempore solveretur ac Missæ omitteretur Sacrificium. Quem abusum Gregorius II. Pontifex Maximus emendavit, ut Anastasius Bibliothecarius in ipsius Vita, & Luitprandus Ticinensis testatur.

Respondeo secundò, si quædam Ecclesiæ quamlibet Quadragesimæ Feriam 5. à jejunio immunem fecerint, eas aliunde hanc relaxationem compensasse, majorem hebdomadarum numerum in jejuniis transigendo, ut quod quintæ cujusvis feriæ subtractione sacræ Quadragenæ decrat, aliorum additione dierum suppleretur: sicut illæ Ecclesiæ in quibus Sabbathum à Jejunio absolvebatur, septem hebdomadas jejunio Quadragesimali consectabant, ut constat ex Cassiano Collatione 21. cap. 25. & Sancto Dorotheo Doctrinâ 15. Idem colligitur ex Auctore Libelli de Officiis Venerabili Bedæ adscripti, qui narrat, Quadragesimale Jejunium quinquagesimo die ante Pascha inchoatum fuisse ex Telesphori Constitutione: ex illis autem quinquaginta diebus, qui à Quinquagesima usque ad sanctam Resurrectionem numerantur, *Si*, inquit, *octo Dominicas subtraxeris, in quibus jejunium non licet observare, remanent quadraginta & duo dies; & hi duo dies, quinta & septima feria, qui quadragenarium excedunt, apud quosdam jejunio deducuntur; apud quosdam in refectione, propter Cœnam Dominicam, & Sanctum Sabbathum habentur.* Et post pauca: *Septuagesima*, inquit, *ideò fertur à Fidelibus celebrari, ut & decimas dierum Deo reddere, & nihilominus primam & quintam feriam, & Sabbathum possint à jejunio relaxare.* Ista tamen Thelesphori, quam laudat, Constitutio, incertæ prorsùs fidei est.

Objectio quarta eruitur ex Sancto Gregorio Turonensi, qui lib. 10. Historiæ Francorum cap. 31. memoriæ prodidit, Perpetuum, qui Eustochio in Turonico Episcopatu circa annum Domini 460. successit, *Instituisse Jejunia, Vigiliasque, qualiter per circulum anni observarentur, quod hodieque*, inquit, *apud nos tenetur scriptum.* Hinc apparet, nullum ante Perpetuum in Ecclesia Turonica fuisse certum ac constitutum jejuniorum ordinem, cùm eam tamen antea rexissent laudatissimi Episcopi Gratianus, Lidorius, Martinus, Briccius, & Eustochius, quorum adeo temporibus videntur illius Ecclesiæ homines, pro vetustissimorum Christianorum more, non sub lege præcepti, sed pro arbitrio, ex caussis, rationibusque occurrentibus jejunasse. Sed & ipse ille jejuniorum ordo, quem à Perpetuo institutum Gregorius memorat, multùm à cæterorum more discrepat. Sic enim ille eum exequitur.

tur : *De jejuniis. Post Quinquagesimam, quartâ & sextâ Feriâ; usque Natale Sancti Joannis. De Calendis Septembris, usque Calendas Octobris bina in septimana jejunia. A depositione Domini Martini, usque Natale Domini, terna in septimana jejunia; De Natali Sancti Hilarii, usque medium Februarium, bina in septimana jejunia.* Hic erat ex Perpetui institutione jejuniorum totius anni apud nostros Turonenses ordo : in quo non alia occurrunt ante Pascha jejunia, nisi quæ à Quinquagesima (id est à septima ante Pascha Dominica) quarta sextaque feriis celebrabantur : indeque ad Sancti Joannis Festum, quod in Junii 24. incidit, continuabantur. Quadragesimalia igitur nostrorum Turonensium, ex Perpetui Episcopi instituto, jejunia, non plura singulis annis fuere, quàm quatuordecim. Ita argumentatur Dallæus.

Respondeo, Perpetuum instituisse Jejunia & Vigilias statis diebus extra Quadragesimam : de Jejunio verò Quadragesimali nihil sanxisse, utpote quod ab Apostolicis temporibus semper servatum esset. Certè quando fuerit institutum Quadragesimale Jejunium ab anno 460. quo Turonensem Ecclesiam regere cœpit Perpetuus, ad annum 560. quo Agathense Concilium celebratum est, indicare nemo poterit. At in Concilio Agathensi, Canone 12. animadvertitur in eos qui vel Sabbathum in Quadragesima à jejunio absolverent. *Placuit etiam*, inquit, *ut omnes Ecclesiæ filii, exceptis diebus Dominicis, in Quadragesima, etiam die Sabbatho, Sacerdotali ordinatione, & districtionis comminatione jejunent.* Anno verò Christi 511. Gallicani Episcopi in Concilio Aurelianensi, Clodovei Regis Christianissimi jussu congregati, varietatem nonnullam quæ in Antepaschalis Jejunii observatione tunc cernebatur, Canone 24. resecarunt. Quidam enim, secundùm Orientalis Ecclesiæ ritum, Sabbathis non jejunabant; qui tamen dierum jejunio consecratorum numerum imminuere veriti, illud à Quinquagesima auspicabantur; atque ita, septem hebdomadibus, demptis Sabbathis, jejunabant. Porro Gallicani Antistites sanxerunt, ut Quadragesimale Jejunium uniformi ritu celebraretur, utque sex hebdomadibus continuis, Dominica duntaxat die excepta, Fideles jejunarent; ut Quadragesima, non Quinquagesima religiosè observaretur. *Id à Sacerdotibus omnibus decretum est*, inquit Canon laudatus, *ut ante Pascha Solemnitatem, non Quinquagesima, sed Quadragesima teneatur.* Cùm itaque non appareat quadraginta dierum Antepaschale Jejunium illo 45. aut 50. annorum intervallo, quod ab initio Episcopatus Perpetui ad illa usque Concilia intercessit, fuisse institutum, colligere est illud ante Perpetui ætatem observatum fuisse, adeoque Sanctum illum Antistitem statos extra Quadragesimam jejuniorum dies designasse, non verò statuisse aliquid de Jejunio Antepaschali.

Nec obstat quòd quartâ & sextâ feriâ post Quinquagesimam jejunandum esse decreverit. Non enim Quinquagesima Antepaschalis ibi intelligenda est, sed Quinquagesima Paschalis, id est, quinquaginta dierum intervallum quod à Paschate ad Pentecostem decurrit. Illis namque quinquaginta diebus jejunare nefas putavit Ecclesia vetus. Post Pentecostem verò observanda jejunia indicta sunt certis diebus pro Episcoporum arbitrio : qualia indixit in Ecclesia Turonensi Perpetuus. Igitur Quinquagesimam in ordine jejuniorum, quem Sanctus ille Antistes constituit, inscitè intellexit Dallæus septimam Hebdomadam ante Pascha, non animadvertens Pentecostem, Ecclesiastico loquendi more, Quinquagesimæ Solemnitatem dictam esse, quia dies est à Dominica Resurrectione quinquagesimus. Id certum est ex Concilio Aurelianensi I. Canone 25. decernente, *Ut nulli civium Pascha, Natalis Domini, vel Quinquagesimæ Solemnitatem in villa liceat celebrare, nisi quem infirmitas probabitur tenuisse.* Eodem sensu sumitur Quinquagesimæ nomen in Concilio Turonensi II. Canone 17. quo de Monachorum jejuniis sic decernit; *De jejuniis vero antiqua à Monachis instituta serventur, ut de Pascha usque Quinquagesimam, exceptis Rogationibus, omni die fratribus prandium præparetur : post Quinquagesimam, tota Hebdomade ex asse jejunent. Postea usque ad Calendas Augusti, ter in septimana jejunent, secunda, quarta, & sexta die, exceptis his qui aliqua infirmitate constricti sunt. In Augusto, quia quotidie Missa Sanctorum sunt, prandium habeant. In Septembri toto, & Octobri, & Novembri, ter in septimana. De Decembri usque ad Natale Domini, omni die jejunent. Et quia inter Natale Domini & Epiphania omni die Festivitates sunt, itemque prandebunt. Excipitur triduum illud, quo ad calcandam Gentilium consuetudinem, Patres nostri statuerunt privatas in Calendis Januarii fieri Litanias, ut in Ecclesiis psallatur, & hora octava in ipsis Calendis Missa Circumcisionis, Deo propitio, celebretur. Post Epiphania vero usque ad Quadragesimam, ter in septimana jejunent.*

Eodem sensu Quinquagesimæ nomen à Cassiano usurpatum est Collatione 21. cap. 11. cujus hæc est inscriptio: *Quæstio cur in Ægypto totis diebus Quinquagesimæ non jejunetur, nec genua in oratione curventur?* Sic autem habet : *Igitur Abbas Theonas cùm diebus Quinquagesimæ nos in nostra cellula visitasset, Vespertina orationum Solemnitate transacta, humi paululum considentes, cœpimus diligentiùs percunctari, cur apud eos tanta observantia caveretur, ne quis penitus totis Quinquagesimæ diebus vel genua in oratione curvare, vel usque ad horam nonam jejunare præsumeret : eoque id diligentiùs scrutabamur, quòd nequaquam hoc tanta cautione servari in Syria Monasteriis videramus.*

Objectionem quintam Dallæo suppeditat S. Johannes Chrysostomus Homiliâ in eos qui Pascha jejunant. *Multi quondam temerè ac sine judicio*, inquit, *præcipuè vero hoc tempore, quo Christus ea tradidit, ad sacra Mysteria accedebant. Cùm intelligerent Patres quantum ex temerario accessu detrimenti caperetur, convenientes, quadraginta dies jejunii, precum, auditionis verbi Dei, & conventuum designarunt; ut in his diebus omnes per preces, per eleemosynam, per vigilias, per jejunium, per lachrymas, per Confessionem, ac per cætera omnia diligenter expurgati, ita pro captu nostro cum conscientia pura accedamus.* Institutionem igitur Quadragesimæ, non Apostolis, sed *Patribus* tribuit; quô nomine nemo nescit Episcopos, qui Ecclesiæ post Apostolica tempora præfuerunt, intelligi.

Respondeo Sanctum Chrysostomum non loqui de prima Quadragesimæ institutione; sed de illius designatione ad omnia illa Christianæ pietatis officia, quæ ibi recenset, præcipuè verò ad vigilias, ad conventus, ad sacrarum Concionum auditionem, & ad Confessionem, qua expurgarent conscientiam peccatores, ut Eucharistiam dignè perciperent. Sed etsi demus ipsum de prima Quadragesimalis observantiæ institutione loqui, non ideo negat ab Apostolis quadraginta illos dies jejuniis designatos esse atque consecratos, quia horum designationem Patribus refert acceptam. Quos enim Patrum nomine veriùs appellare potuit Chrysostomus, quàm Apostolos ipsos : qui hoc ipsum nomen sibi tribuerunt? *Nam etsi*, inquit Paulus, *habeatis multa millia pædagogorum in Christo, sed non multos patres, in Christo enim Jesu per Evangelium ego vos genui.* Et certè institutum ab aliqua Episcoporum Synodo quadraginta dierum Antepaschale

Jejunium

Jejunium his verbis non significavit Chrysostomus; Siquidem Nicæna ipsa Synodus Quadragesimam institutam supponit; Constantinopolitana verò de Quadragesima nullum edidit Canonem. Porro antequam S. Joannes Chrysostomus hanc Homiliam haberet, duo illa dumtaxat Oecumenica Concilia habita erant. Cùm itaque Synodi particulares, aut singulares Episcopi Quadragesimæ observandæ legem Ecclesiæ universæ imponere non potuerint: sequitur observantiam illam, quam non magis suæ Ecclesiæ propriam, quàm Pascha, Sacrificium, & Collectas, Sanctus Chrysostomus significat, sed æquè Ecclesiæ universæ convenientem, fuisse ab Apostolis institutam, quos Patrum nomine designavit. Lucem huic responsioni afferent antecedentia & sequentia Sancti Chrysostomi verba: *Non enim*, inquit, *idem sunt Pascha & Quadragesima; siquidem Quadragesima semel in anno fit, Pascha verò ter in Hebdomada; nonnunquam etiam quater, vel potiùs quotiescunque volumus. Est enim Pascha non jejunium, sed Oblatio & Sacrificium quod in singulis fit Collectis. Hoc autem ita esse, collige ex his Pauli verbis: Pascha nostrum pro nobis immolatus est Christus: Et, Quotiescunque manducabitis Panem hunc & Calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis. Itaque quotiescumque cum conscientia munda accedis, Pascha celebras; non quando jejunas; sed quando Sacrificii illius fis particeps .... Quam ob causam igitur jejunamus, inquit, per hos dies quadraginta? Multi quondam temerè ac sine judicio, præcipuè verò hoc tempore quò Christus ea tradidit, ad sacra Mysteria accedebant*, &c. quæ in argumento laudata sunt. Quibus subjungit: *Porro illos hac sua condescensione magnum quid & egregium præstitisse, dum effecerunt ut in jejunii consuetudinem veniremus, inde constat: Nam nos quidem si toto anno clamare, ac jejunium prædicare non cessemus, nemo verbis nostris animum attendit: quòd si tantùm Quadragesima tempus advenerit, licet cohortetur nemo, licet consilium det nemo etiam is qui negligentissimus fuerit, excitatur, & oblatum ab ipso tempore consilium & cohortationem admittit.*

Tom. 1. Bibliotheca Patrum.

Objectionem sextam instituit Dallæus ex Victore Antiocheno in cap. 2. S. Marci, ubi Dominum de Apostolis ita loquentem inducit: *Isti verò, qui ut nova, antequo inaudita præcepta, & leges hominibus tradant, designati sunt, ad vestras jejunationes compelli hoc tempore non debent, nec jure quoque valent. At suis nihilominus locis, unà cum cæteris virtutibus, jejunii quoque observantiam & religionem ostensuri sunt; non quòd aliqua legis necessitate ad hoc adigentur, aut quod vestro more aut sensu, veteribus ritibus adhuc insistendum arbitrabuntur; sed quòd hoc medium veluti salutare, & opportunum ad virtutis perfectioris studium suo postea tempore adhibituri sunt.* Victor igitur non putavit Apostolis à Domino, aut ejus Spiritu latam ullam jejunandi legem; nullam adeo cæteris tulisse vult; quos certum est nullam aliis legem tulisse, quam non ipsis Dominus, vel ejus Spiritus tulisset. Tum subjicit: *Enimvero inter eos, qui in Moysis, & eos rursum qui in Gratiæ lege jejuniis dant operam, hoc præter cætera interest, quòd illi quidem jejunia à Deo præfinita habebant, quæ proinde modis omnibus explere obligabantur, etiamsi aliàs noluissent: hi verò virtutis amore, liberaque voluntatis electione jejunant veriùs, quàm ulla legis coactione.* Ergo nulla Christianis indicta sunt ab Apostolis jejunia; quæ etiam, qui aliàs nollent, explere obligantur; quæque non libera voluntatis electione, sed vera legis coactione observentur. Denique sic concludit Victor, objectionem de Quadragesima, quæ ejus tempore jam invaluerat, occupans: *Quod si verò Quadragesimale, vel aliud quodcunque jejunium, definitum habemus, propter ignavos, & negligentes, quò nimirum quoque ii officium faciant, præfinitum habemus. Studiosi namque pietatique dediti certo animi consilio, propensaque voluntate jejunium illud persolvunt magis, quàm ulla omnino legis aut præcepti vi compulsi.* Quicquid itaque est jejunii stati ac definiti, id per accidens, propter ignavos & negligentes, post Apostolos scilicet, institutum fuisse docet.

Floruit Victor Antiochenus V sæculo, post S. Chrysostomi tempora.

Respondeo, Victorem Antiochenum ibi solùm asserere Apostolos non fuisse obligatos ad observanda jejunia Mosaicæ legis, & Pharisæorum, aut Discipulorum Joannis. Versatur enim in illo Sancti Marci loco exponendo: *Erant Discipuli Joannis, & Pharisæi jejunantes: & veniunt, & dicunt illi: Quare Discipuli Joannis & Pharisæorum jejunant, tui autem Discipuli non jejunant? Et ait illis* JESUS: *Nunquid possunt filii nuptiarum, quandiu Sponsus cum illis est, jejunare? Quanto tempore habent secum Sponsum, non possunt jejunare. Venient autem dies cum auferetur ab eis Sponsus, & tunc jejunabunt in illis diebus. Nemo assumentum panni rudis assuit vestimento veteri: alioqui aufert supplementum novum à veteri, & major scissura fit. Et nemo mittit vinum novum in utres veteres*, &c. Hæc igitur verba Victor Antiochenus commentatus, ostendit Apostolos Mosaicæ legis ritibus & præceptis, adeóque jejuniis, non fuisse obligatos. *Cùm enim*, inquit, *Apostoli novi Testamenti Præcones & Doctores sint instituti, non debent nunc veterum ceremoniarum & observationum legibus obstringi*, &c. Legis ergo necessitatem, aut coactionem, qua Christianos ad jejunia adigi negat, non aliam intelligit, quàm legis Mosaicæ. Christiani namque, non lege cogente per temporalium pœnarum inflictionem, stata jejunia & ab Apostolis, aut Ecclesia indicta observant; sed libera electione, & virtutis amore, id est, non terrore pœnæ, sed amore justitiæ; non lege terrente per literam, sed charitate jubente per gratiam, (ut Sancti Augustini verbis loquar.) Quamvis autem propter negligentes Quadragesimale jejunium definitum dicat, quod pii voluntate magis, quàm lege aut præcepto compulsi persolvunt: non tamen justis etiam piisque Christianis ex lege incumbere negat Jejunii Quadragesimalis observantiam. Aliud enim est lege non teneri, & voluntate atque amore, potiùs quàm legis necessitate id exequi quod lex præcipit. Quo modo justi, omnes divinis legibus alioqui subditi, ipsas religiosè adimpleot. Nec alius est Victoris Antiocheni sensus, quàm Apostoli ad Galatas 5. dicentis: *Si Spiritu ducimini, non estis sub lege.* Et 1. ad Timotheum cap. 1. *Lex justo non est posita, sed injustis, & non subditis; impiis, & peccatoribus*, &c.

Objectio septima petitur ex Sancto Augustino Epistolâ 86. ad Casulanum dicente: *Ego in Evangelicis & Apostolicis Literis, totoque Instrumento quod appellatur Testamentum novum, animo id revolvens, video præceptum esse jejunium; quibus autem diebus non oporteat jejunare, & quibus oporteat, præcepto Domini vel Apostolorum non invenio definitum.* Igitur Quadragesimale Jejunium non est ab Apostolis institutum.

Respondeo, negare Sanctum Augustinum dies jejuniorum à Christo vel Apostolis, præcepto aliquo fuisse definitos, quod in Evangelicis, aut Apostolicis Literis fuerit exaratum: non verò negare quin statos jejuniorum dies ante Paschalem Solemnitatem viva voce præceperint observandos. In Augustini verbis ita evidens est hic sensus, ut cæcus sit qui illum non videat, hebes qui non capiat. Ibi enim ullum extare negat de statis jejuniorum diebus Domini vel Apostolorum præceptum, ubi præ-

ceptum ipsum jejunii absolutè & in se spectati contineri asserit. In hoc quippe vis antitheseos posita est. Atqui asserit jejunii præceptum in Evangelicis & Apostolicis Literis contineri. Id igitur inficiatur unum, quòd in iisdem Literis, aliquo Domini vel Apostolorum præcepto sit definitum, quibus diebus oporteat jejunare, quibus non oporteat.

Instat Dallæus, Si, quod negat Sanctus Augustinus, jejunandi tempora definivisse Apostolos, de omni omnino Apostolorum præcepto, & scripto, & vocali non sit intelligendum, neque oratio, neque consilium Sancti Augustini constabit. Hanc enim sententiam contra quemdam Disputatorem Urbicum sapienter adhibet, qui omni Sabbatho necessariò jejunandum contendebat, præter omnium Christianorum ( si Romanos, & paucos alios exceperis ) consuetudinem. Augustinus postquam istius hominis inscitiam ac temeritatem longa disputatione, ut dignum erat, compescuit, ac fregit, tandem ita concludit, ut suum cuique jejunandi morem permittentes, alii alios, tametsi in tempore jejunii discrepantes, mutua caritate feramus; quòd scilicet non sint ista tanti, ut pax Ecclesiæ propter res hujusmodi turbanda sit. Quæ scilicet nullo Apostolorum præcepto definitæ, Christianorum prudentiæ atque caritati liberæ relictæ sunt.

Respondeo, nego consecutionem. Satis enim est ut constet Sancti Augustini ratiocinatio, quòd certorum dierum per totum anni curriculum jejunia extra Quadragesimam, nullo Domini vel Apostolorum præcepto definita sint, verbi gratia jejunium Sabbathi: quamvis Antepaschale 40. circiter dierum jejunium ab Apostolis institutum supponatur. Si enim à Christo, aut Apostolis jejunium Sabbathi, de quo agit, præceptum non est, ad mores duntaxat varios Ecclesiarum spectat illius observatio, vel relaxatio: proindeque contendere non debent jejunantes cum non jejunantibus, quasi ab Apostolica traditione desciscant. *Quòd si respondetur*, inquit, *hoc docuisse Jacobum Hierosolymis, Ephesi Joannem, cæterosque aliis locis, quod docuit Romæ Petrus, id est, ut Sabbatho jejunetur, sed ab hac doctrina terras cæteras deviasse, atque in ea Romam stetisse: & è contrario refertur, Occidentis potiùs aliqua loca, in quibus Roma est, non servasse quod Apostoli tradiderunt: Orientis verò terras, unde cœpit Evangelium ipsum prædicari, in eo quod ab omnibus simul cum Petro Apostolis traditum est, ne Sabbatho jejunetur, sine aliqua varietate mansisse: Interminabilis est ista contentio, generans lites, non finiens quæstiones. Sit ergo una fides universa, quæ ubique dilatatur, Ecclesia, tanquam intus in membris, etiamsi ipsa Fidei unitas quibusdam diversis observationibus celebratur, quibus nullo modo quod in Fide verum est, impeditur. Omnis enim pulchritudo filiæ Regis intrinsecùs; illæ autem observationes quæ variè celebrantur, in ejus veste intelliguntur. Unde ibi dicitur: In fimbriis aureis, circumamicta varietate. Sed ea quoque vestis ita diversis celebrationibus varietur, ut non adversis contentionibus dissipetur.* Et infrà: *Verumtamen*, inquit, *in hujus Sabbathi jejunio, sive prandio, nihil mihi videtur tutiùs pacatiúsque servari, quàm ut qui manducat, non manducantem non spernat, & qui non manducat manducantem non judicet; quia neque si manducaverimus, abundabimus, neque si non manducaverimus, egebimus; custodita scilicet eorum inter quos vivimus, in his rebus inoffensa societate.* Cæterùm de Quadragesimali Jejunio idem dici non potest; siquidem nulla quoad illius observantiam, essentialiter, (ut ita loquar) spectatam, diversitas est, aut unquam fuit variis in Ecclesiis, sed ad Ecclesiæ universalis Disciplinam moresque spectat; nec ab aliquo Concilio institutum, sed semper retentum est: adeóque nonnisi auctoritate Apostolica traditum rectissimè creditur, secundùm regulam à Sancto Augustino positam.

Contra. Sanctus Augustinus Quadragesimam non alicui Patrum Concilio, sed Ecclesiæ consuetudini tribuit, in Epistola 119. ad Januarium data, cap. 17. *Ut quadraginta illi dies*, inquit, *ante Pascha observentur, Ecclesiæ consuetudo roboravit. Sic etiam ut octo dies Neophytorum distinguantur à cæteris, id est, ut octavus primo concinat.* Quadragesimam, & Neophytorum dies octo post Pascha, quo tincti fuerant, ejusdem facit originis; atqui hos Neophytorum, neque ipse Augustinus, neque quisquam alius, ab Apostolis institutos, aut præceptos esse sensit. Ergo neque illos quadraginta ab Apostolis institutos fuisse confitendum est, ex Augustini quidem sententia, qui utrosque pares facit. Itaque ut illos Neophytorum octo dies abrogare nulla fuit Catholicis religio; non major necessitas incumbit quadraginta jejunantium dies retinendi.

Respondeo, distinguo Antecedens: Quadragesimam Ecclesiæ consuetudini tribuit, roboranti, concedo; instituenti, nego. Itaque Ecclesiæ consuetudo Quadragesimalis jejunii observantiam ab Apostolis institutam roboravit. Non comparat porro Sanctus Augustinus octo Neophytorum dies cum 40. Jejunii Quadragesimalis diebus quoad originem & institutionem; sed quoad celebrationem duntaxat & robur: quòd nimirum Ecclesiæ consuetudo utrosque roboraverit, & quòd eos pariter observet Ecclesia, quamvis utramque illam observantiam pariter non instituerit, sed primam acceperit ab Apostolis. Quanquam nihil obest quin utrumque illud institutum Apostolis acceptum referatur: licet abrogatum sit alterum, cùm solennis adultorum Baptismus desiit: alterum verò etiamnum vigeat, semperque sit observandum, quia ejus rationes perpetuæ sunt.

Objectionem octavam suggerit Socrates lib. 5. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 22. ubi variis Quadragesimalis Jejunii ritibus recensitis, hæc subjungit: *Et quoniam nemo scriptum de hac re præceptum proferre potest, apparet Apostolos arbitrio cujusque ac voluntati id permisisse, ut unusquisque quod bonum est, sua sponte, non metu ac necessitate perageret.*

Respondeo, Socrati Novatiano homini, & Novatianam circa Festorum celebrationem, & Jejuniorum observationem indifferentiam propugnanti, fidem non esse adhibendam, Sanctisque Hieronymo & Leoni potiùs esse credendum, qui Jejunii Quadragesimalis Authores Apostolos agnoscunt.

Objectio nona sumitur ex Cassiano, Collatione 21. cap. 30. *Sciendum sanè*, inquit, *hanc observantiam Quadragesimæ, quandiu Ecclesiæ illius primitiva perfectio inviolata permansit, penitus non fuisse. Non enim præcepti hujus necessitate, nec quasi legali sanctione constricti arctissimis jejuniorum terminis claudebantur, qui totum anni spatium æquali jejunio concludebant. Verùm cùm ab illa Apostolica devotione descendens quotidie Credentium multitudo suis opibus incubaret, nec eas usui cunctorum, secundùm Apostolorum instituta divideret, sed privatim impendiis suis consulens, non servare tantùm, sed etiam augere contenderet, Ananiæ & Sapphiræ exemplum non contenta sectari: id tunc universis Sacerdotibus placuit, ut homines curis sæcularibus illigatos, & penè ut ita dixerim, continentiæ vel compunctionis ignaros, ad opus sanctum canonica jejuniorum indictione revocarent, & velut*

legalium

*legalium decimarum necessitate compellerent, quæ utisque infirmis prodesse possit, & perfectis præjudicare non possit, qui sub gratia Evangelii constituti, voluntariâ legem devotione transcendunt.* Ergo Quadragesimale Jejunium post Apostolica tempora ab Episcopis institutum est, remisso jam priscorum Christianorum fervore.

Respondeo; hanc privatam fuisse & singularem Cassiani opinionem, quâ relictâ, Sanctorum Hieronymi, Augustini, & Leonis sententiam amplectimur, & propugnamus. Fundamentum præterea sententiæ Cassiani satis caducum est. Christianos enim Apostolicis temporibus arctissimum toto anno jejunium observasse, nec certum, nec verisimile est; quemadmodum nec continentiam & bonorum abdicationem fuisse professos. Multos enim usos fuisse matrimonio, & propria bona retinuisse, ex quibus Sanctorum indigentiæ subveniebant, ex Epistola Sancti Pauli ad Corinthios, & ex Actis Apostolorum certum est.

Objectio decima sumpta est ex Bernone Augiensi Abbate (qui se Henrici I. Imperatoris Coronationi anno Domini 1014. interfuisse testatur.) Is itaque lib. de rebus ad Missam pertinentibus cap. 1. & cap. 7. hæc habet: *Multa consuetudines Ecclesiastica inveniuntur à sanctis Patribus infra Canonica Regula terminos constituta; sicut sunt Adventus Domini, Septuagesima, Sexagesima, Quinquagesima, Quadragesima, Litania major, dies Rogationum ante Ascensionem Domini, Vigiliæ quorumdam Sanctorum, necnon & hæc ipsa Quatuor Temporum jejunia, qua præ manibus habentur.* Viden' ut Quadragesimam inter Ecclesiasticas consuetudines reponit, à Patribus, non adeo ab Apostolis institutas?

Respondeo, hunc Abbatem ab Apostolicis remotissimum temporibus, majorem non mereri fidem, quàm Sancti Hieronymus, Augustinus & Leo, qui Quadragesimale Jejunium ab Apostolis institutum testantur.

Objicitur ultimò. Telesphorus Pontifex Romanus Quadragesimam instituit: ejus itaque origo perperam ad Apostolos refertur.

Probatur antecedens ex Chronico Eusebii ad annum D. 136. *Quadragesimale Jejunium*, inquit, *à Telesphoro per hoc tempus institutum ac præceptum quidam scribunt.*

Idem probatur ex Rabano Mauro libro 2. de Institutione Clericorum cap. 34. in quo scribit *Telesphorum constituisse, ut per septem Hebdomadas ante Pascha corpus jejuniis castigemus; qui alias septem post Pascha usque in Pentecosten in lætitia à jejuniis relaxare volumus.*

Idem asserit Rupertus Tuitiensis Abbas lib. 4. de Divinis Officiis, cap. 9. *Sancta*, inquit, *memoria Papa Telesphorus à Beato Petro septimus, hanc salutarem ante Sanctum Pascha constituit præparationem, ut Christiana plebs, quæ Apostolica abstinentiæ tenorem exequi non posset, non omnino relinqueret. Apostoli namque primi ejus qui ablatus fuerat, Sponsi filii, totâ vitâ suâ jejunium fletumque amaverunt... At postquam multiplicari cœpit numerus Credentium, tamque indiscretos pisces retia fidei contraxerunt, ut cum abstinentibus, multitudo quoque intraret ebriosorum; subvenit Ecclesiastica Disciplina magisterium; & tanquam severa mater, edacium puerorum intemperantiam moderata est, ut quia de toto cogi non poterant, vel partem observarent, vitaque decimas abstinentia dedicarent.*

Respondeo, nego antecedens. Ad primam probationem respondeo, hæc verba Chronico Eusebii addita fuisse, nec in MSS. Codicibus reperiri, ut viri doctissimi Julius Scaliger & Arnaldus Pontacus in Notis ad Eusebium monuerunt.

Ad secundam & tertiam probationem respondeo Rabanum, & Rupertum Tuitiensem, deceptos fuisse, sive testimonio Pontificalis libri Damaso adscripti, sive interpolato jam Eusebii Chronico; & recentiores esse Authores quibus præ Sanctis Hieronymo & Leone fides non sit adhibenda.

## PROPOSITIO II.

*Quamvis Quadragesimale Jejunium ab Apostolis institutum non esset, nihilosecius illius lege tenerentur Christiani, hoc ipso quòd ab Ecclesia publica lege præceptum esset.*

Probatur. Ecclesia authoritatem habet ferendi leges de abstinentia & jejuniis, quibus parere quivis tenetur Christianus. Satis igitur est ut Christiani ad Jejunii Quadragesimalis, aut alterius cujuslibet jejunii observationem teneantur, quòd ab Ecclesia publica lege indictum sit.

Probatur antecedens, primò ex generali principio, quòd auctoritas ferendarum legum pro Christiani populi regimine, in ordine ad salutem æternam, Ecclesiæ fuerit à Christo Sponso tradita (Matth. 18.) *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus?* Et Lucæ 10. *Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit.* Quod etiam ex Actis Apostolorum cap. 15. certum est, ubi de Paulo dicitur: *Perambulabat autem Syriam & Ciliciam, confirmans Ecclesias: præcipiens custodire præcepta Apostolorum & Seniorum.* Sic Apostoli, in Concilio Hierosolymitano, legem de abstinentia à sanguine & suffocato tulerunt, afflante Spiritu Sancto. *Visum est*, inquiunt, *Spiritui Sancto, & nobis*, &c.

Secundò idem antecedens constat ex usu veteris Ecclesiæ, in qua Episcopi jejunia indicebant pro emergentibus rei Christianæ periculis, & publicis causis, ut testis est Tertullianus lib. de Jejuniis, cap. 13. *Bene autem*, inquit, *quòd & Episcopi universæ plebi mandare jejunia assolent; non dico de industria stipium conferendarum, ut vestra captura est, sed interdum, & ex aliqua sollicitudinis Ecclesiastica causa..... Aguntur præterea per Græciam illa certis in locis Concilia ex universis Ecclesiis, per quæ & altiora quæque in commune tractantur, & ipsa repræsentatio totius nominis Christiani magna veneratione celebratur...... Conventus autem illi stationibus prius, jejunationibus operati; dolere cum dolentibus, & ita demum congaudere gaudentibus norunt.*

Respondet Dallæus, indici posse ab Ecclesia communia jejunia, ex temporum personarumque causis ac necessitatibus, nulla verò indici posse perpetua & stata.

Contrà. Quæ potestatem habet indicendi ac præcipiendi jejunia pro emergentibus rei Christianæ causis, habet etiam auctoritatem stata in perpetuum jejunia præcipiendi publica lege, si causæ illorum obeundorum perpetuæ sint, & certis vicibus recurrentes; atqui causæ jejuniorum quæ in Ecclesia statis diebus observantur, & præcipuè Jejunii Quadragesimalis, perpetuæ sunt. Itaque illa jejunia in perpetuum præcipere Ecclesia potuit.

Probatur minor. Jejunia enim instituta sunt ad expiationem peccatorum, ad carnis edomandam concupiscentiam, ad Deum per Pœnitentiæ opera promerendum. Jejunium Quadragesimale, præter alias causas, observatur ut Christiani ad Paschalem Solemnitatem & ad Eucharistiam ea die percipiendam se præparent, utque carnis castigatione Christo quadantenus commoriantur; atqui hæ causæ perpetuæ sunt, & singulis annis recurrunt;

securrunt : ergo Jejuniorum Ecclesiasticorum ac præcipuè Quadragesimalis, rationes suot perpetuæ.

Probatur minor de Jejunio Quadragesimali, ex Sancto Leone Sermone 3. de Quadragesima. *Unde quia*, inquit, *dum mortali carne circundamur, non desinit nobis hostis antiquus laqueos peccati ubique prætendere, & tunc maximè adversùs Christi membra sævire, quando ab eis sunt sacratiora celebranda mysteria, meritò doctrina Spiritus Sancti hac eruditione imbuit populum Christianum, ut ad Paschale Festum quadraginta dierum se continentiâ præpararet. Cujus purificationis ratio jam nos ad observantiam suæ salubritatis invitat, & diligentiam nobis propositæ castigationis indicit. Quantò enim sanctiùs quisque hos dies invenietur egisse, tantò probabitur Pascha Domini religiosiùs honoraſſe.*

Et Sermone 5. *Quando autem opportuniùs, Dilectissimi, ad remedia divina decurrimus, quàm cum ipsa nobis Sacramenta redemptionis nostræ temporum lege referuntur? Quæ ut digniùs celebremus, saluberrimè nos quadraginta dierum jejunio præparemus. Non enim ii tantùm qui per mortis Christi Resurrectionisque mysterium, in novam vitam Baptismo sunt regenerandi, sed etiam omnes populi renatorum, utiliter sibi & necessariè præsidium hujus sanctificationis assumunt: illi, ut quæ nondum habent, accipiant; isti, ut accepta custodiant. Dicente namque Apostolo, Qui stat, videat ne cadat: nemo est tanta firmitate suffultus, ut de stabilitate sua debeat esse securus. Utamur igitur, Dilectissimi, saluberrimi temporis venerabilibus institutis, & solicitiore curâ cordis nostri specula tergamus. Quantumlibet enim castè & sobriè mortalis hæc vita ducatur, quodam tamen pulvere terrenæ conversationis aspergitur, & nitor mentium ad Dei imaginem conditarum, non ita à fumo totius vanitatis alienus est, ut nulla possit sorde fuscari, & non semper indigeat expoliri. Quod si etiam cautissimis animis necessarium est, quantò illis ampliùs est expetendum, qui tota fortè anni spatia, aut securiùs, aut negligentiùs transierunt?*

Et Sermone 10. *Considerantes quicquid per Crucem Domini adepta est universitas mundi, cognoscimus ad celebrandum Pascha diem, meritò nos quadraginta dierum jejunio præparari, ut digni possimus divinis interesse Mysteriis. Non enim Summos tantùm Antistites, aut secundi Ordinis Sacerdotes, nec solos Sacramentorum Ministros, sed omne corpus Ecclesiæ, universorumque Fidelium numerum ab omnibus contaminationibus oportet esse purgatum: ut Templum Dei, cui fundamentum est ipse Fundator, in omnibus lapidibus speciosum, & in tota sui parte sit lucidum.*

Sermone denique 12. hæc habet: *Appropinquante Solemnitate Paschali, præcurramus eam consueto jejunio, quod nos quadraginta dierum numero ad sanctificationem corporis & mentis exerceat. Suscepturi enim Festorum omnium maximum Festum, eâ nos debemus observantiâ præparare, ut in cujus sumus Resurrectione conresuscitati, in ipsius inveniamur Passione commortui.*

Cùm itaque istæ Quadragesimalis Jejunii rationes perpetuæ sint; in perpetuum quoque jejunium illud præcipere potuit Ecclesia: adeòque illius ad observantiam Christiani tenentur universi, quamvis supponatur ab Apostolis institutum non fuisse

Objectio prima petitur ex Cassiano, Collatione 21. cap. 29. asserente Justos Quadragesimalis Jejunii lege non teneri. *Hic igitur*, inquit, *Quadragesimæ lege, qui justus atque perfectus est, non tenetur: nec exigui hujus Canonis subjectione contentus est; quem profectò illis qui per totum anni spatium deliciis vel negotiis sæcularibus implicantur, Ecclesiarum Principes statuerunt; ut vel hac legali quodammodo necessitate constricti, hos saltem diebus vacare Domino cogerentur.... Cæterùm Justi, quibus lex non est posita, quique spiritalibus officiis non exiguam illam, id est decimam partem, sed totum vitæ suæ tempus impendunt, quia liberi sunt à decimarum legalium functione: idcircò si eos superveniens honesta & sancta necessitas coarctarit, audent stationem jejunii absque ulla disceptatione laxare. Non enim ab eis decimarum exiguitas mutilatur, qui omnia sua Domino secum pariter obtulerunt. Quod profectò absque summo fraudis reatu facere ille non poterit, qui nihil voluntariè offerens Deo, inexcusabiliter solvere decimas suas, legis necessitate, compelletur.* Cassiani sententiam sequitur, & verba exscribit Sanctus Isidorus Hispalensis, libro de Officiis Ecclesiæ, cap. 36. Lege igitur Quadragesimalis jejunii Justi non tenentur, nec eos obligare ad illius observantiam Ecclesia potest.

Respondeo, distinguo antecedens: Cassianus asserit Justos Quadragesimalis Jejunii lege non teneri, ut cogente, & compellente, concedo; sic enim Justo lex non est posita, quæ scilicet ipsum terrore pœnarum ad suorum præceptorum observantiam compellat. Asserit Justos hac lege non teneri, ut dirigente, & statuente, nego. Quod autem addit; Justum, superveniente honesta & sancta necessitate, jejunium absque disceptatione laxare, ideò solùm addit, ut ostendat viros perfectos qui per totius anni curriculum jejunia protrahunt, faciliùs ab onere jejunandi absolvi posse, etiam cùm jejunium ab Ecclesia præceptum est; quàm terrenos homines, qui deliciis perpetuò serviunt, & genio indulgent. Illi namque nusquam immunitatem à jejunio quærunt, nisi gravis urgeat necessitas: hi verò levioribus de caussis & fictitii plerumque incommodi specie, jejunium solvunt. Unde non ita facilè cum iis dispensare Sacerdotes debent. At non intendit Cassianus viros justos hoc ipso quòd justi sunt, esse à jejunii lege absolutos: quem errorem Begardi Hæretici propugnarunt, quos Clemens V. Pontifex Maximus in Concilio Viennensi damnavit. Si aliter senserit Cassianus, deserendus est: & auscultandum Tridentinæ Synodo, secundùm Scripturam sacram, & Traditionem ita decernenti Sessione 6. Canone 20. *Si quis dixerit hominem justificatum, & quantumlibet perfectum, non teneri ad observantiam mandatorum Dei, & Ecclesiæ, anathema sit.* Sancti Isidori testimonium eodem modo exponendum est.

Objicitur secundò. *Ubi Spiritus Domini, ibi libertas*, Ex Apostolo 1. Cor. 3. Sed in viris justis & perfectis Spiritus Domini residet: illi itaque ab onere præceptorum Ecclesiæ absolvuntur, adeòque non tenentur jejunii lege, quantumvis ab Ecclesia instituti, aut præcepti.

Respondeo, libertatem à peccato comitem esse individuam Spiritus Dei, non verò libertatem ab observantia Legis Divinæ, vel Ecclesiasticæ. Unde Apostolus ipse Corinthios laudat quòd præcepta sua observent. *Laudo autem vos, Fratres*, inquit, *quòd per omnia mei memores estis; & sicut tradidi vobis, præcepta mea tenetis.* Cæterùm cum obedientiâ quæ legibus Ecclesiæ debetur, Christianam libertatem cohærere docet Sanctus Leo Sermone 4. de Jejunio Septimi Mensis: *Ubi Spiritus Dei*, inquit, *ibi libertas, quæ legem non timore exequitur, sed amore. Obedientia enim mollit imperium, nec dura ibi necessitate servitur, ubi diligitur quod jubetur.*

## ARTICULUS IV.

### *De Jejuniis Quatuor Temporum.*

JEjunii Quatuor Temporum fieri mentionem Actorum 27. frustra contendunt Theologi quidam, qui de Controversiis Religionis nostræ contra Hæreticos scripserunt, ubi dicit Sanctus Lucas: *Incipiebat autem periculosa esse navigatio, quia jejunium jam præterierat.* De jejunio enim Judæorum hæc esse intelligenda certum est, tum ex Syriaca Novi Testamenti Versione, tum ex Sancto Chrysostomo Homilia 53. in Acta, & ex Oecumenio illud Caput commentante. Frustra etiam ex Callisti Primi Pontificis Romani Epistola 1. probant iidem Theologi trium Temporum jejunia fuisse ab Apostolis instituta, hunc verò Pontificem quartum addidisse, scilicet jejunium Decimi Mensis. Hanc enim Callisti Epistolam spuriam esse, in confesso est apud Eruditos. Pontificale Damaso adscriptum, quatuor illa Jejunia à Callisto tradit instituta. Meminit Sanctus Athanasius in Apologia pro fuga sua, cujusdam Alexandrinorum, post Pentecostem, jejunii, quod an fuerit Quatuor Temporum, necne, nullatenus indicat. Quatuor Jejunia per annum in Ecclesia celebrari solita memorat Philastrius libro de Hæresibus, cap. 97. nimirum in Natali Domini, in Epiphania, in Paschate, & in Pentecoste. Locus ille Philastrii ita obscurus ac depravatus est, ut vix aliquis sensus ex eo extundi possit. Ab Ascensione ad Pentecostem usque decem jejuniorum dies memorat, quod in tota Antiquitate Ecclesiastica prorsus inauditum. Author Constitutionum quæ falsò Apostolicæ inscribuntur, integræ hebdomadis jejunium post Pentecostes hebdomadem commendat lib. 5. cap. 20. De Jejuniis illis quid sentiamus, sequens exponet

## PROPOSITIO.

*Quatuor Temporum Jejunia sæculo quinto ab universa Ecclesia religiosè observata fuisse, certum est: nonnulla tamen in hebdomadibus & diebus horum jejuniorum observationi consecratis diu fuit in variis Ecclesiis diversitas.*

Prima pars probatur ex Sancto Leone qui varios Sermones habuit de Jejunio Decimi Mensis, de Jejunio Quadragesimæ, de Jejunio Pentecostes, & de Jejunio Mensis Septimi. Generatim autem de Quatuor Jejunii Temporibus hæc habet Sermone 8. de Decimi Mensis Jejunio, cap. 2. *Hujus observantiæ utilitas, dilectissimi, in Ecclesiasticis præcipuè est constituta Jejuniis, quæ ex doctrina Sancti Spiritus ita per totum anni circulum distributa sunt, ut lex abstinentiæ omnibus sit adscripta temporibus. Siquidem Jejunium Vernum in Quadragesima, Æstivum in Pentecoste, Autumnale in Mense Septimo, Hiemale autem in hoc qui est Decimus, celebramus; intelligentes divinis nihil vacuum esse præceptis, & verbo Dei ad eruditionem nostram omnia elementa servire: dum per ipsos mundi cardines, quasi per quatuor Evangelia, incessabiliter discimus, quod & prædicemus, & agamus.*

Singulariter autem de Jejunio Decimi Mensis, Sermone 6. hæc habet: *Decimi Mensis solemne jejunium à nobis nunc annuâ est consuetudine celebrandum: quia plenum justitiæ est atque pietatis, gratias divinæ agere largitati pro fructibus, quos in usum hominum secundum summæ Providentiæ temperamentum terra produxit.* Et Sermone 7. *Decimi ergo mensis jejunium: quod Hyemalis est temporis, ad agriculturam nos mysticam vocat, quâ segetum, & palmitum, atque arborum vires, quibus humana sustentatur infirmitas, spiritualibus studiis excolantur: ut Dominicus ager suis ditetur impendiis, & quem nunquam expedit esse sine fructu, de propria fiat ubertate fœcundior. Quod utique intelligit Sanctitas vestra ad totius Ecclesiæ profectum esse referendum: quorum in Fide germen est, in Spe incrementum, in Charitate maturitas*, &c.

De Jejunio Pentecostes Sermone 2. de illo habito sic loquitur: *Cùm in die Pentecostes, quem à Pascha Domini Quinquagesimum celebramus, promissus à Domino Spiritus Sanctus expectantium mentes majori quàm unquam copia, & clariore præsentiæ suæ Majestatis impleverit, manifestissimè patet inter cætera Dei munera, jejuniorum quoque gratiam, quæ hodiernam Festivitatem indivisa subsequitur, tunc fuisse donatam: ut sicut fuit concupiscentia initium peccatorum, ita sit continentia origo virtutum.*

Et Sermone 4. de eodem Jejunio. *Ad hanc ergo utilitatem nos, Dilectissimi, præsens tempus invitat, ut à Resurrectione Domini usque ad adventum Spiritus Sancti, quinquaginta diebus emensis, quos in lætitia præcipuæ Festivitatis exegimus, ad jejuniorum remedia recurramus: ne forte per occasionem jejunii blandioris, aliquas negligentia culpas delectabilium usus inciderit.*

Denique de Jejunio Mensis Septimi Sermone 5. hæc ait: *Sed quia insidiæ diaboli etiam inter talia studia non quiescunt, rectissimè in quibusdam articulis temporum, vigoris est nostri reparatio instituta: ut ubi de clementia cæli, & ubertate agri potest mens præsentium bonorum avida gloriari, & in ampla horrea fructibus coagregatis, animæ suæ dicere: Habes multa bona, epulare: ibi quandam increpationem divinæ vocis accipiat, audiatque dicentem: Stulte, hac nocte repetunt animam tuam à te, quæ autem præparasti, cujus erunt?*

Et Sermone 9. de eodem Jejunio Septimi Mensis, rationem generalem affert cur Jejunium Quatuor Temporum fuerit institutum. *Ideo*, inquit, *ipsa continentiæ observantia Quatuor est assignata Temporibus, ut in idipsum totius anni redeunte decursu, cognosceremus nos indesinenter purificationibus indigere, semperque esse nitendum, dum hujus vitæ varietate jactamur, ut peccatum quod fragilitate carnis, & cupiditatum pollutione contrahitur, jejuniis atque eleemosynis deleatur.*

Respondet Dallæus lib. 4. de Jejunio, cap. 7. Romanam quidem Ecclesiam Leonis I. temporibus Quatuor Temporum Jejunia observasse, negat verò hunc fuisse universæ Ecclesiæ morem.

Contra. Sanctus Leo Quatuor Temporum Jejunia ab universa Ecclesia observari disertè asserit Sermone 7. de Jejunio Decimi Mensis cap. 2. *His autem conversionibus*, inquit, *per providentiam gratiæ Dei addita sunt sancta jejunia, quæ in quibusdam diebus ab universa Ecclesia devotionem observantiæ generalis exigerent. Quamvis enim pulchrum sit atque laudabile, ut singula quæque membra corporis Christi propriis ornentur officiis: excellentioris tamen est actionis, sacratiorisque virtutis, cùm in unum propositum pia plebis corda concurrunt: ut ille cui sanctificatio nostra supplicium est, non solùm à parte, sed etiam a soliditate superetur.*

Et Sermone 4. de Jejunio Septimi Mensis cap. 2. *Quamvis autem*, inquit, *unicuique nostrûm liberum sit voluntariis castigationibus proprium corpus afficere... Quibusdam tamen diebus, ab omnibus oportet pariter celebrari generale jejunium, & tunc est efficacior sacratiorque devotio, quando in*

 *operibus*

*operibus pietatis, totius Ecclesiæ unus animus, & unus est sensus.*

Cavillatur porro Dallæus, cùm Ecclesiam universam interpretatur totum Ecclesiæ Urbicæ cœtum, & Bellarminum Cardinalem vellicat, quòd per Ecclesiam universam, intellexerit Ecclesiam orbe toto diffusam.

Respondet secundò Dallæus, non constare ex ipso Leone, an ista, quæ memorat, quatuor anni cujusque jejunia, planè eadem cum iis sint, quæ à Romanæ Communionis hominibus celebrantur. Imò, inquit, diversa fuisse videntur. Sed unde id probat Dallæus? Primùm, inquit, verni temporis jejunium, nullum aliud ille novit præter Quadragesimam. Egregia probatio! nec nos jejunium vernum extra Quadragesimam celebramus, & verè jejunium quatuor temporum in Quadragesimæ hebdomada prima recurrens celebrat, qui Quadragesima jejunat. Verni ergo temporis jejunium à S. Leone celebratum, idem cum nostro fuit.

Addit Dallæus, Leonem æstivum jejunium, non ut nos, post Pentecostem, *sed in Pentecoste collocare.* At nosse debuit ineptus Cavillator, jejunium in Pentecoste, & post Pentecostem, idem esse Sancto Leoni, qui & illud post Pentecostem disertè collocat. *Hodiernam*, inquit, *Festivitatem descensione Sancti Spiritus consecratam sequitur, ut nostis, solenne jejunium, quod animis corporibusque curandis salubriter institutum, devotâ nobis est observantiâ celebrandum. Repletis namque Apostolis virtute promissâ, & in corda eorum Spiritu Veritatis ingresso, non ambigimus inter cætera cœlestis sacramenta doctrinæ, hanc spiritalis continentiæ disciplinam de Paracleti magisterio primitus fuisse conceptam: ut sanctificata jejunio mentes conferendis sibi charismatibus fierent aptiores.... Igitur post sancta dies lætitiæ, quos in honorem Domini à mortuis resurgentis, ac deinde in cœlos ascendentis, exegimus, postque perceptum Sancti Spiritus donum, salubriter & necessariè consuetudo est ordinata jejunii: ut si quid forte inter ipsa Festivitatum gaudia, negligens libertas & licentia inordinata præsumpsit, hoc religiosæ abstinentiæ censura castiget.* Et Sermone 2. ait: *Inter cætera* Dei munera, quæ à Spiritu Sancto in die Pentecostes collata sunt, *Jejuniorum quoque gratiam, quæ illam Festivitatem indivisa subsequitur, tunc fuisse donatam.* Jejunium itaque Æstivum Quatuor Temporum ætate Sancti Leonis post Pentecostes Festum immediatè celebrabatur, sicut etiamnum illud celebramus.

Addit Dallæus, Leonem non dicere quot, quorumve dierum fuerint quatuor tempestatum jejunia. Sed hallucinatur; fuisse enim trium dierum, scilicet quartæ, & sextæ feriæ, necnon Sabbati, Sanctus Leo non semel asserit, qui in Sermonibus de Jejuniis Decimi Mensis, Pentecostes, Mensis Septimi, verba illa identidem repetit: *Quartâ igitur & sextâ ferià jejunemus: Sabbato autem apud beatissimum Apostolum Petrum Vigilias celebremus.*

Probatur secunda pars ex Epistola Goffridi Abbatis, in qua quærit ab Hildeberto Cenomanensi Episcopo, in qua hebdomada Junii jejunia celebraturus sit. Ex quo colligere est ante Goffridi ætatem, id est ante annum 1129. Jejunii Æstivi statam ac definitam sedem in omnibus Ecclesiis non fuisse.

Præterea in Concilio Arvernensi, cap. 27. eorum quæ collegit Lambertus Episcopus Attrebatensis, decretum est, *Ut semper fiat Jejunium Veris in prima hebdomada Quadragesimæ, jejunium verò Æstatis infra hebdomadam Pentecostes.* Et apud Bertholdum, in Appendice ad Hermannum, Gebehardus Episcopus, Legatus Sedis Apostolicæ, idem statuit in Synodo quam habuit Constantiæ, anno Domini M. XCIV. Quàm verò incerta antea fuerit hujus jejunii sedes, constat ex Synodo Salegunstadiensi, habitâ anno Christi M. XXII. quæ jejunium Quatuor Temporum *Incertum* vocat.

Tertiò. Quamvis receptum fuerit à plerisque ut secundâ Junii hebdomadâ Æstivum celebraretur Jejunium, quod ex Synodo Moguntina anni 813. Capitularium lib. 5. cap. 186. excerptum legimus, & in Synodo Rotomagensi Joannis Archiepiscopi, anno M. LXXII. in ipsius tamen hebdomadis designatione non idem omnium sensus & mos fuit; cùm alibi à feria 4. jejunium illud inchoarent, quod præcepit Synodus Salegunstadiensis; alii à Sabbato, quod faciendum docet Berno Augiensis. Fuerunt præterea qui ipsa hebdomade Pentecostem immediate antecedente jejunium illud observarent, si secundum Junii Sabbatum in Vigiliam Pentecostes incideret; nonnulli in hebdomadam Ascensionis tunc jejunium revocarunt; alii in hebdomadam proximè sequentem Festum Pentecostes illud differebant: quem morem etiamnum servamus. Nec minor in Verno, Hybernoque Jejunio diversitas extitit, ut Sirmondus animadvertit in Notis ad laudatam Goffridi Abbatis Epistolam. Concilii Salegunstadiensis Canon secundus hanc probationem firmat. *De incerto autem jejunio Quatuor Temporum*, inquit, *hanc certitudinem statuimus, ut si Calendæ Martii in IV. feria, sive antea evenerint, eadem hebdomadâ jejunium celebretur. Si autem Calendæ Martii in V. feriam, aut VI. aut Sabbatum distenduntur, in sequentem hebdomadam jejunium differetur. Simili quoque modo, si Calendæ Junii in IV. feriam aut antea evenerint, in subsequente hebdomada jejunium celebretur. Et si in V. feriam, aut VI. aut Sabbatum contigerit, jejunium in tertiam hebdomadam reservetur. Quòd si quando jejunium mensis Junii in Vigilia Pentecostes, secundum prædictam regulam evenerit, non ibi celebrandum erit, sed in ipsa hebdomada solemni Pentecostes. Eodem modo de Septembris jejunio constitutum est, ut si Calendæ Septembris in IV. feria evenerint, aut antea, jejunium in tertia hebdomada celebretur: & si in quinta, aut sexta, aut Sabbato contigerit, in quarta hebdomada jejunandum erit. In Decembri illud observandum erit, ut proximo Sabbato ante Vigiliam Natalis Domini celebretur jejunium: quia si Vigilia in Sabbato evenerit, simul Vigiliam & Jejunium celebrare non convenit.*

Eamdem Jejunii Quatuor Temporum varietatem probat Canon octavus Oxoniensis Concilii celebrati anno Christi 1222. *In Martio*, inquit, *primâ hebdomadâ jejunandum est feriâ quartâ, sextâ, & Sabbato. In Junio, in secunda, quod dupliciter observatur à pluribus: in prima hebdomadâ post Litanias, aut in hebdomada Pentecostes. In Septembri per tres dies. In proxima septimana integra ante Natalem Domini.* Aliquam igitur in jejuniis Quatuor Temporum diversitatem variis in Ecclesiis fuisse certum est, quoad hebdomadas & dies hujusmodi jejuniis designatos. Idem constat ex Concilio Ænhamensi anno 1009. Canone 16. in quo Episcopi ita statuunt: *Jejunia Quatuor Temporum nos observare oportet, sicut Sanctus Gregorius nobis constituit, quamvis aliæ gentes aliter exercuerunt.*

Objicitur. Jejunia Judaica servari in Ecclesia non debent: atqui Quatuor Temporum jejunia ex Judaicis observantiis originem acceperunt: non sunt itaque in Ecclesia celebranda.

Respondeo, distinguo majorem: Non debent servari more Judaico, & quatenus lege veteri sunt indicta,

dicts, concedo. Non debent servari ut præcepta lege Ecclesiæ, & animo Christiano, nego. Porro hæc jejunia licèt iisdem ferè temporibus observemus quibus Judæi, non tamen eodem animo. Unde Sanctus Leo Sermone 4. de Jejunio Septimi Mensis ait: *Cum ergo vos, Dilectissimi, ad quadam qua etiam in Veteri Testamento instituta sunt, cohortamur, non Judaica vos observantia jugo subdimus, nec consuetudinem vobis populi carnalis indicimus. Excellit super illorum jejunia continentia Christiana: & si quid nobis atque illis commune est in temporibus, non concordat in moribus.* Et Sermone 5. *Sacratum in Septimo Mense jejunium, ad communis devotionis exercitia prædicemus, fidenter vos paternis cohortationibus incitantes, ut quod fuit ante Judaicum, vestrâ fit observantiâ Christianum. Est enim omni tempore aptum, & Testamento utrique conveniens, ut per castigationem mentis & corporis, misericordia divina quæratur: Quia nihil est efficacius ad exorandum Deum, quàm ut homo ipse se judicet, & nunquam desinat à venia postulanda, qui se scit nunquam esse sine culpa.*

Et Sermone 4. De Jejunio Decimi Mensis, *Decimi hujus mensis*, inquit, *solenne jejunium non ideo negligendum est, quia de observantia veteris Legis assumtum est, tanquam hoc de illis sit, quæ inter discretiones ciborum, inter baptismatum differentias, & avium pecudumque hostias destiterunt. Illis enim quæ rerum futurarum figuras gerebant, impletis, quæ significaverunt finita sunt. Jejuniorum verò utilitatem novi Testamenti gratia non removit: & continentiam corpori atque animæ semper profuturam, pia observatione suscepit. Quoniam sicut permanet apud intelligentiam Christianam: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies: &, Diliges proximum tuum sicut te ipsum, & cætera talium mandatorum; ita quod in eisdem libris de jejuniorum sanctificatione & curatione præceptum est, nulla interpretatione vacuatur. In omni enim tempore jejunia nos contra peccata faciunt fortiores, jejunia concupiscentias vincunt, tentationes repellunt, superbiam inclinant, iram mitigant, & omnes bonæ voluntatis affectus ad maturitatem totius virtutis enutriunt.*

Et Sermone 6. *Evangelicis sanctionibus multùm auctoritatis præbet doctrina legalis, cùm quædam de mandato veteri ad novam observantiam transferuntur: & ex ipsa Ecclesiastica devotione demonstratur, quòd Dominus Jesus-Christus non venit Legem solvere, sed adimplere. Cessantibus enim significationibus, quibus Salvatoris nostri nuntiabatur Adventus; & peractis figuris, quas abstulit ipsa præsentia Veritatis, ea quæ vel ad regulas morum, vel ad simplicem Dei cultum ratio pietatis instituit, in eadem apud nos forma, in qua sunt condita, perseverant: & quæ utrique Testamento erant communia, nulla sunt commutatione variata. Ex iis autem est etiam decimi mensis solenne jejunium.*

## ARTICULUS V.

### *De Quartæ & Sextæ Feriæ Jejunio.*

HAs Ferias, ex Ecclesiæ veteris usu præcipua quadam observantia & religione fuisse celebratas, ex Tertulliano certum est, qui stationibus dies illos dicatos fuisse testatur lib. de Jejuniis, cap. 14. *Cur stationibus quartam & sextam Sabbati dicamus*, inquit, *& jejuniis Parasceven?* Stationes quidem à jejuniis distinctas fuisse, ex hoc ipso Tertulliani loco evidens est, & ex lib. 2. ad Uxorem, cap. 4. ubi sic loquitur: *Ut si statio facienda est, maritus de die condicat ad balneas: si jejunia observanda sunt, maritus eadem die convivium exerceat.* Quid igitur statio apud Tertullianum? Religiosum erat Fidelium officium, quo certis diebus ad Martyrum sepulchra convenientes, atque ibi statim ab exortu Solis, orationibus, hortamentis, sacrarum Lectionum interpretationibus vacantes, & jejuni, sed non ultrà Nonam perstarent; hora nona post Eucharistiam & oscula, conventus & jejunia solverent. Ita stationes Christiana definiunt Rigaltius & Petavius. A militaribus stationibus id nomen desumptum est, ut ad finem libri de Oratione Tertullianus asserit. *Si statio*, inquit, *de militari exemplo nomen accipit (nam & militia Dei sumus) utique nulla lætitia sive tristitia obveniens castris stationes militum rescindit.* Quibus verbis ostendit, stationes Dominici Corporis sumptione minimè dissolvi: quoniam quicquid in castris accidat, sive prosperum, sive triste, militaris nihilominus statio perseverat. His prænotatis, quid de quartæ & sextæ feriæ jejunio sentiendum sit, sequenti exponimus Propositione.

Rigaltius in Observat. ad lib. Tertull. de Orat. Petav. in Animadvers. [illegible] S. Epiphan. Expositio Fid.

## PROPOSITIO.

*Christianis Quarta & Sexta Feria stationibus conjunctam erat antiquitùs jejunium, non publica lege Ecclesiis omnibus indictum, sed communi Fidelium usu ac pietate frequentatum.*

Probatur primò ex Tertulliano lib. de Jejuniis, cap. 13. ubi Catholicos sic alloquitur: *Ecce enim convenio vos & præter Pascha jejunantes, citra illos dies quibus ablatus est Sponsus, & stationum semijejunia interponentes.* Vocat autem illa breviora jejuniis Antepaschalibus; siquidem non ut illa, ad Vesperam usque prorogabantur, sed ad Nonam duntaxat producebantur. Unde Montanistæ à Catholicis reprehensi sunt, quòd contra Ecclesiæ morem stationes suas ad vesperam usque extenderent, ut constat ex Tertulliano lib. de Jejuniis, cap. 10. *Æquè stationes nostras*, inquit, *ut indignas; quasdam verò & in serum constitutas, novitatis nomine accusant: hoc quoque munus & ex arbitrio obeundum esse dicentes, & non ultra Nonam desinendum, de suo scilicet more.*

Illis tamen diebus jejunium nulla lege fuisse ab Ecclesia indictum, constat ex eo quòd solennis, & in commune ab omnibus Christianis observati jejunii diebus, nec Sacrificia celebrarentur, nec Eucharistia in Fideles distribueretur, ut colligitur ex Tertulliano, lib. de Oratione cap. 14. *Similiter*, inquit, *& stationum diebus non putant plerique Sacrificiorum orationibus interveniendum, quò statio solvenda sit accepto Corpore Domini. Ergo devotum Deo obsequium Eucharistia resolvit? An magis Deo obligat? Nonne solemnior erit statio tua, si & ad aram Dei steteris? Accepto Corpore Domini, & reservato; utrumque salvum est; & participatio Sacrificii, & executio officii.*

Probatur secundò ex Clemente Alexandrino, lib. 7. Stromatum ubi de vero Gnostico, seu perfecto Christiano loquens, ait: *Novit ille ænigmata jejunii harum Feriarum, quarta, inquam, & sexta: quæ dicuntur, illa quidem Mercurii, hæc verò Veneris.* Clementis igitur Alexandrini ætate jejunium his diebus observabatur vulgò à Christianis.

Probatur tertiò ex Canone 67. Apostolorum, ex lib. 7. Constitutionum Apostolicarum cap. 24. & ex Pseudo-Ignatiana ad Philippenses Epistola Licèt enim spuria sint illa monumenta, nec eorum Authorum quorum nomen præferunt, satis tamen

tamen probant eorum ætate qui hæc Opera supposuerunt, celebre fuisse apud Christianos quartæ & sextæ Feriæ jejunium.

Probatur quartò ex Sancto Epiphanio in Expositione Fidei: *Porro*, inquit, *istiusmodi jejunium toto anno in Ecclesia Catholica diligenter observatur: quartâ, uti dixi, sextaque feriâ ad horam usque nonam: exceptis quinquaginta Pentecostes diebus; quibus neque genua flectuntur, neque jejunium indicitur.* Errat tamen in assignanda hujusce jejunii ratione Epiphanius, cùm ideo jejunium his diebus indictum ait, *quod quartâ feriâ comprehensus sit Dominus, & sextâ in Crucem sublatus.* Cum Evangelio enim pugnat illa de Christi comprehensione in IV. Feria assertio. Neque etiam Apostoli jejunia horum dierum decreverunt, quod scribit ibidem Sanctus Epiphanius; & multominùs Synaxes, quas solis diebus Dominicis celebratas prima Ecclesiæ temporibus, colligitur ex Sancto Justino Martyre Apologiâ 2. & Sanctus Augustinus Epistolâ 118. testis est, quibusdam in Ecclesiis Sabbato tantùm & Dominica die oblatum esse Sacrificium, quod ex earum genere rerum esse ait, quæ liberas habent observationes; adeòque non videtur ab Apostolis institutum, ut quartâ sextaque feriâ Synaxes agerentur.

Probatur quintò ex Sancto Augustino Epistolâ 86. ad Casulanum, ubi notat, Quartam Sabbati fuisse, quando ait Dominus: *Scitis quia post biduum Pascha fiet, & Filius hominis tradetur ut crucifigatur*, ideòque quartam feriam jejunio deputatam esse, quia illa die Judæi consilium de Christi morte inierunt. Passum autem esse Christum Sextâ Sabbati; & ideo hunc diem rectè esse jejunio etiam deputatum. Et ibidem ait *Christianos quartâ & sextâ feriâ, & ipso Sabbato, jejunare consuevisse, quod frequenter Romana plebs facit.* Ex Augustino itaque colligitur IV. & VI. ferias jejunio fuisse ex Ecclesiæ more consecratas, quamvis jejunium illud nulla lege indictum esset, sed à Fidelibus pro cujusque arbitrio & pietate obeundum, seu *passivè tantùm currens, non sub lege præcepti*, ut de illorum dierum stationibus Tertullianus loquitur.

Probatur sextò ex Innocentio I. Romano Pontifice Epistolâ 1. ad Decentium, cap. 4. *Si diem Dominicum*, inquit, *ob venerabilem Resurrectionem Domini nostri Jesu Christi, non solùm in Pascha celebramus, verum etiam per singulos circulos hebdomadarum, ipsius diei imaginem frequentamus, ac sextâ feriâ propter Passionem Domini jejunamus, Sabbatum prætermittere non debemus.* Et infrà: *Si autem Dominici diei & sextæ feriæ per singulas Hebdomadas reparanda imago est, dementis est bidui agere consuetudinem, Sabbato prætermisso, cùm non disparem habeat causam, a sexta videlicet feria in qua Dominus passus est, quando & ad Inferos fuit ..... Non ergo nos negamus sextâ feriâ jejunandum, sed dicimus & Sabbato hoc agendum.* De quartæ feriæ jejunio silet ibi Innocentius, quòd non tanta religione ac jejunium sextæ feriæ servaretur.

Probatur septimò ex sancto Isidoro Hispalensi lib. de Ecclesiasticis Officiis cap. 42. *Præter hæc autem tempora legitima jejuniorum*, inquit, *omni feria VI. propter Passionem Domini à quibusdam jejunatur; sed & Sabbati dies à plerisque, propter quòd in eo Christus jacuit in sepulchro, jejunio consecratus habetur.* Sanctissimum jejunandi hisce diebus morem quandoque plurimorum intemperantiâ aut ignaviâ collapsum Episcopi & Concilia legibus latis confirmarunt in quibusdam Ecclesiis. Sic Sanctus Fulgentius Ruspæ in Africa statuit, *Ut per singulas septimanas omnes Clerici ac Viduæ, & quicumque potuissent ex Laicis, quartâ & sextâ feriâ jejunarent*; ut in ejus Vita ab uno ex illius Discipulis conscripta memoratur. Sic anno 581. Matisconense I. Concilium Canone 9. decernit *Ut à feria Sancti Martini usque ad Natale Domini, secundâ, quartâ, & sextâ Sabbati jejunetur.* Sic Ænhamense Concilium Canone 17. de sextæ feriæ jejunio decernit: *Sexta etenim jejunia feriæ ab omnibus magnopere per singulas hebdomadas exercenda sunt; si tamen in eadem die aliqua Festivitas non evenerit.* Sic Concilium Coyacense Ovetensis Diœcesis in Castellæ regno habitum anno Christi 1050. Canone 11. jubet *Ut Christiani per omnes sextas ferias jejunent, & horâ congruâ cibo reficiantur, & faciant labores suos.*

Sextæ feriæ jejunium & abstinentiam commendat Nicolaus I. Pontifex Maximus in Responsis ad Consulta Bulgarorum cap. 4. *In sexta verò feria omnis hebdomadæ*, inquit, *& in cunctis Vigiliis insignium Festivitatum, à carnium esu cessandum, & jejuniis incumbendum.* Et cap. 5. Quartæ quidem feriæ liberam esse ait abstinentiam carnium, nisi illis quibus injuncta fuerit in pœnitentiam, aut qui eam voverint; vel si jejunium in illam feriam inciderit. Sextæ verò feriæ abstinentiam ab omnibus in commune decernit observandam, nisi ea die celebretur Festum Nativitatis Domini, aut Epiphaniæ, aut Assumptionis Beatæ Virginis, Apostolorum Petri & Pauli, Sancti Joannis Baptistæ, Sancti Joannis Evangelistæ, Sancti Andreæ, & Sancti Stephani Protomartyris. Quæ cùm secundùm Ecclesiæ suæ mores Nicolaus Primus ad Bulgaros scribat, patet sextas ferias his Solemnitatibus consecratas, ab abstinentia immunes fuisse.

## ARTICULUS VI.

### *De Jejunio Sabbati.*

TRibus prioribus sæculis jejunium Sabbati observatum passim fuisse, nullum antiquitatis monumentum certò probat. Damnatum in aliquibus Ecclesiis per ea tempora fuisse, nihil etiam evincit. Nam & Canon Apostolicus 66. qui deponit Clericos, segregat verò Laicos Sabbato jejunantes, præterquam Paschali, & Ignatii ad Philippenses Epistola quæ *Christi interfectorem* vocat eum qui Sabbato jejunaverit, pseudepigrapha monumenta sunt.

Sabbatarii jejunii prima mentio occurrit in Concilio Illiberitano Canone 26. *Errorem placuit corrigi*, inquit, *ut omni Sabbati die jejunii superpositionem celebremus.* Jejunii superpositionem vocari verisimile est, quòd cùm antea quibuslibet sextis feriis jejunium observaretur, ad Sabbatum etiam functa illa observantia hoc Canone extensa est.

Sabbati jejunium à S. Silvestro fuisse institutum asserit Nicolaus Primus Pontifex Maximus Epistolâ 70. ad Gallicanos Episcopos data. *De jejunio Sabbati*, inquit, *tempore Sancti Silvestri Confessoris Christi satis discussum est, & disputatum, atque ut celebraretur, per omnia definitum, nullusque post hæc ausu temerario contra istud statutum venire, aut saltem mutire præsumpsit.* Id ex Apochryphorum Commentariis hausit Nicolaus. Proindeque huic narrationi fides deroganda est. Quæ si vera esset, Sanctus Augustinus, Innocentius I. Cassianus, qui de Sabbati jejunio Romana in Ecclesia observari solito scripserunt, Silvestri Decretum laudassent. Conjicit vir eruditus, vel Nicolaum memoriâ lapsum esse, ut Silvestrum pro Innocentio supponeret; vel Scribarum hallucinationem esse;

Novissimus S. Leonis Editor in Dissertat. de Jejunio Sabbati in Ecclesia Romana.

esse: idque duplici conjectura confirmat. Primùm, quia auctoritati Silvestri, Innocentii auctoritatem atque Decretum Nicolaus subjunxisset, & ad ejus ratiocinia Photium, qui Romanam Ecclesiam calumniabatur, remisisset: quod certè majoris fuisset roboris, quàm nescio quam disputationem coram Silvestro habitam, omnibusque ignotam, commemorare. Secundò, quia Photius Nicolaò I. asserenti, neminem contra Silvestri statutum mutire ausum fuisse, facilè respondisset, Innocentii I. temporibus contra illud Decretum mussitatum & disputatum fuisse, etiam in Suburbicaria Diœcesi. Idque ex Innocentii ad Decentium Epistola esse evidens. Non minùs apocryphum est fundamentum Scripti de Sabbati jejunio, quod sub Silvestri nomine refert Beatus Petrus Damiani Opusculo 55. His positis sit...

## PROPOSITIO.

*De Jejunio Sabbati varia olim fuit Ecclesiarum consuetudo. Romæ & in aliis nonnullis Occidentis regionibus Jejunio consecratus erat ille dies: apud Orientales à Jejunio immunis. Neuter mos Patribus improbandus visus est. Romanum ergo Sabbati Jejunium Trullana Synodus, & Græci deinceps Schismatici, perperam damnarunt.*

Probatur Propositio quoad omnes partes, primò ex Sancto Hieronymo Epistolâ 28. ad Lucinium Bæticum. *De Sabbato*, inquit, *quod quæris, utrum jejunandum sit: & de Eucharistia, an accipienda quotidie, quod Romana Ecclesia & Hispaniæ observare perhibentur: Scripsit quidem & Hippolytus vir disertissimus, & carptim diversi Scriptores è variis Auctoribus edidere: sed ego illud te breviter admonendum puto, Traditiones Ecclesiasticas, præsertim quæ fidei non officiant, ita observandas, ut à Majoribus traditæ sunt: nec aliorum consuetudinem aliorum contrario more subverti.*

Probatur secundò ex Sancto Ambrosio, qui cùm Sancta Monica Mediolanensem Ecclesiam Sabbato non jejunantem inveniens, quid sibi agendum esset, dubitaret, ab Augustino adhuc Catechumeno interrogatus, respondit: *Quando hic sum non jejuno Sabbato; quando Romæ sum, jejuno Sabbato. Ad quamcumque Ecclesiam veneritis, ejus morem servate, si pati scandalum non vultis, aut facere.* Id refert Sanctus Augustinus Epistolâ 86. ad Casulanum.

Probatur tertiò, ex Sancto Augustino Epistolâ 19. ad Sanctum Hieronymum data: *Vellem*, inquit, *me doceres benigna Sinceritas tua, utrum simulatè quisquam Sanctus Orientalis, cùm Romam venerit, jejunet Sabbato, excepto illo die Paschalis Vigiliæ? Quod si malum esse dixerimus, non solum Romanam Ecclesiam, sed etiam multa ei vicina & aliquantò remotiora damnabimus, ubi mos idem tenetur, & manet. Si autem jejunare Sabbato malum putaverimus; tot Ecclesias Orientis, & multò majorem orbis Christiani partem, qua temeritate criminabimur?*

Et Epistolâ 86. ad Casulanum, Romani cujusdam Disputatoris procaciam retundens, qui universas pene Ecclesias à Romana in more jejunandi Sabbato discrepantes injuriosè lacessebat, hæc habet: *Quod utinam sic quæreret, aut sic affirmaret, ut toto terrarum orbe diffusam, exceptis Romanis, & adhuc paucis Occidentalibus, apertissimè non blasphemaret Ecclesiam. Nunc verò quis ferat per omnes Orientales, & multos etiam Occidentales populos Christianos de tot tantisque famulis famulabusque Christi, Sabbato sobriè modestèque prandentibus, ab isto dici quod in carne sint, & Deo placere non possint? Cùm ergo his opprobriis atque maledictis insectatur Ecclesiam per totum mundum fructificantem atque crescentem, & die Sabbati pene ubique prandentem, admoneo, quisquis est, ut se se cohibeat.*

In eadem Epistola falsam quorumdam traditionem rejicit, qui Sabbatarium Jejunium in Romanam Ecclesiam inde invectum dicebant, quòd Sanctus Petrus contra Simonem Magum Dominica die certaturus, Sabbato cum Romanæ urbis Ecclesia jejunasset. Denique post multa hæc subjungit: *Sequitur Sabbatum, quo die caro Christi in monumento requievit, sicut in primis operibus mundi requievit Deus die illo ab omnibus operibus suis. Hinc exorta est ista in Regimine illius vestis varietas, ut alii, sicut maximè populi Orientis, propter requiem significandam, mallent relaxare jejunium, alii propter humilitatem mortis Domini jejunare, sicut Romana, & nonnullæ Occidentis Ecclesiæ. Quod quidem uno die, quo Pascha celebratur, propter renovandam rei gestæ memoriam, qua Discipuli humanitus mortem Domini doluerunt, sic ab omnibus jejunatur, ut etiam illi Sabbati jejunium devotissimè celebrent, qui cæteris per totum annum Sabbatis prandent, utrumque videlicet significantes, & in uno anniversario die luctum Discipulorum, & cæteris Sabbatis quietis bonum.*

Et Epistolâ 118. ad Januarium: *Alia verò*, inquit, *quæ per loca terrarum regionesque variantur, sicuti est quod alii jejunant Sabbato, alii verò non; alii quotidie communicant Corpori & Sanguini Dominico, alii certis diebus accipiunt: alibi nullus dies intermittitur quo non offeratur, alibi Sabbato tantùm & Dominico, alibi tantùm Dominico, & si quid aliud hujusmodi animadverti potest; totum hoc genus rerum liberas habet observationes: nec disciplina ulla est in his melior gravi prudentique Christiano, quàm ut eo modo agat, quo agere viderit Ecclesiam, ad quamcumque forte devenerit.*

Probatur quartò ex Innocentio I. in Epistola ad Decentium Eugubinum Episcopum. *Non negamus*, inquit, *sextà feriâ jejunandum: sed dicimus & Sabbato hoc agendum. Sabbatum prætermittere non debemus.*

Probatur quintò ex Cassiano lib. de Institutis Cœnobiorum cap. 10. ubi postquam cap. præcedenti præmisit, diem Sabbati apud Orientales à jejunio immunem esse, hæc habet: *Cujus moderaminis causam nonnulli in quibusdam Occidentalibus civitatibus ignorantes, & maximè in Urbe, idcirco putant absolutionem* (jejunii) *Sabbati minimè debere præsumi, quòd Apostolum Petrum eodem die contra Simonem conflicturum asserant jejunasse.*

Probatur sextò ex Socrate lib. 5. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 21. *Romæ*, inquit, *singulis Sabbatis jejunant.*

Probatur septimò ex Sancto Leone Epistolâ 81. seu 11. novæ Editionis, ad Dioscorum Alexandrinum Episcopum datâ, ubi de sacrarum Ordinationum tempore sic decernit: *Quod ergo à Patribus nostris propensiore cura novimus esse servatum, à vobis hoc volumus custodiri, ut non passim diebus omnibus Sacerdotalis vel Levitica Ordinatio celebretur, sed post diem Sabbati, ejus noctis, quæ in prima Sabbati lucescit, exordia deligantur, in quibus his qui consecrandi sunt, jejunis, & à jejunantibus sacra benedictio conferatur: quod ejusdem observantiæ erit, si mane ipso, Dominico die, continuato Sabbati jejunio celebretur: à quo tempore præcedentis noctis initia non recedunt, quam ad diem Resurrectionis, sicut etiam in Pascha Domini declaratur, pertinere non dubium est.* Moris igitur erat apud Romanos Sabbato jejunare, aliàs ab Ordinandis, vel Ordinatoribus jejunium Sabbati continuari Sanctus Leo non jussisset. Quod enim actum non est,

est, continuari nemo dixerit. Ne verò quisquam putet de Paschali solùm Dominica loqui Sanctum Leonem. De omni namque Dominica loquitur quæ Resurrectionis Domini memoriæ sacra est, & quæ usu Ecclesiastico dies Resurrectionis appellatur. Quod ostendit exemplum Paschatis, quod adduxit, ut probet eam noctem, quæ sequitur proximè diem Sabbati, ad Dominicum diem pertinere: *Sicut etiam in Pascha Domini declaratur* (inquit) in quo videlicet nox Sabbato Sancto succedens, Festivitati Paschali deputatur in Officio Ecclesiæ. Qualibet ergo Dominica, sacræ Ordinationes fieri poterant tempore Sancti Leonis, ac proinde jejunium Sabbati, quod continuari jubet usque dum fuerint celebratæ, non erat jejunium Sabbati Sancti, sed cujuslibet per annum recurrentis. De hoc Sancti Leonis loco fusè & eruditè agit Quenellus, in Dissertatione de Sabbati jejunio.

Græci in Trullana Synodo anno Christi 707. congregati, non solùm priscum morem de Sabbatis à jejunio absolvendis firmarunt, sed & legem imponere ausi sunt Romanæ Ecclesiæ Sabbatis jejunanti, & morem illius damnare Canone 55. *Quoniam intelleximus*, inquiunt, *in Romanorum civitate, in sanctis Quadragesimæ jejuniis, in ejus Sabbatis jejunari, præter Ecclesiasticam traditam consequentiam: Sanctæ Synodo visum est, ut in Romanorum quoque Ecclesia inconcussè vires habeat Canon, qui dicit: Si quis Clericus inventus fuerit in sancta Dominica vel Sabbato jejunans (præter unum & solum) deponatur: sin autem Laicus, segregetur.* Pseudo-Apostolicum Canonem 66. intelligunt. Postea Photius jejunium Sabbati Romanis objecit velut crimen: quam accusationem egregiè depellit Ratramnus Corbeiensis Monachus lib. 4. Adversùs Objecta Græcorum cap. 3. Tomo 2. Spicilegii. Eundem Romanæ Ecclesiæ morem Michaël Cerularius Patriarcha Constantinopolitanus, Leo Acridensis Archiepiscopus, & Nicetas Pectoratus petulantiùs lacessiverunt; adversùs quos Humbertus Cardinalis, Sylvæ Candidæ Episcopus, calamum acuit; morem Græcorum & ipse acerbiùs insectatus, eosque accusans, quòd Sabbatum à jejunio absolventes, lætiùsque transigentes, Nazaræorum Hæresim suscitarent, ac Judaismum inveherent.

## SCHOLION. I.

Ad hunc Articulum, Propositionem illam in Indiculo suo notant Religiosi Censores: *Nicolaus I. hallucinatus est agens de Jejunio Sabbati dio indicto à Sancto Silvestro.*

R. Non ita scripsi; sed, *Sabbati Jejunium à Sancto Silvestro institutum fuisse asserit Nicolaus I. Id ex Apocryphorum commentariis hausit. Conjicit Vir Eruditus, vel Nicolaum memoriâ lapsum, vel scribarum hallucinationem esse.* Hallucinatio scribarum sive Amanuensium, non est hallucinatio *Nicolai I.* Deinde meri facti & Historiæ Quæstio est, non dogmatis. In Quæstionibus autem facti & Historiæ Pontifices ipsos hallucinari sive aberrare posse, nemo ad sobrietatem sapiens usquam negavit.

## SCHOLION II.

Hanc rursus Propositionem ex eodem Articulo exceptam in Indiculo suo notant Religiosi Censores: *Tempore Sancti Leonis Ordinationes Sacræ fiebant qualibet die Dominica.*

R. Id probat evidenter Epistola LXXXI. *Sancti Leonis* ad *Dioscorum* Alexandrinum Episcopum data seu XI. Editionis *P. Quesnel*, cujus Epistolæ verba descripsi. Eruditus ille Vir in Notis ad hanc Epistolam: *Restat*, inquit, *examinandum, an certi aliqui dies Dominici Ordinationi deputarentur; an verò quemlibet ad id eligere permitteretur? Quod postremum apud me certissimum est. 1. Quia nullum in particulari designat Leo noster, nullùmque proinde excludit, nisi nec ante ipsum factum fuisse deprehendimus. 2. Ex hodierna etiam consuetudine cognoscimus Dominicam quemlibet diem ex auctoritate consuetudinis antiquæ, Traditionis Apostolicæ, & sacrarum Scripturarum, ex quibus arguit Sanctus Leo, ad Episcoporum consecrationem assumtam fuisse. Si autem Episcoporum, procul dubio & Presbyterorum ac Diaconorum. Nullum enim discrimen quoad diem Ordinationis, inter utrosque ponit Sanctus Leo in præsenti Epistola ..... Ex qua sola satis perspicuum est noctem illam, quæ celebrandis Ordinationibus exigebatur, ad Dominicam pertinuisse. Primùm enim Sanctus Leo expressè asserit satagendum esse Dioscoro:* Ut His, qui consecrandi sunt, nonnquam benedictio nisi in die Resurrectionis Dominicæ tribuatur, cui à Vespera Sabbati initium constat adscribi. *Deinde dum recenset illustriora Mysteria, quæ die Dominica contigerunt ex divina ordinatione, satis innuit, & per diem Resurrectionis eam intelligi debere, quam nunc Dominicam absolutè vocitamus: nec Sabbatum, sed ipsam Dominicam ex Apostolorum instituto consecrationi Sacerdotum fuisse dedicatam. Denique ut alia multa missa faciamus, illud indicat Urbanus secundus in Concilio Claromontano, cùm præcipiens ut Ordines Sabbato Quatuor Temporum celebrarentur, addit:* ET ut TUNC protrahatur Jejunium usque ad Vesperas, & si ita fieri potest, usque ad crastinam, ut magis appareat in ea die Dominico Ordines fieri. *Nihil enim magis certum est hanc sacratissimam diem Ordinibus conferendis destinatam fuisse: quam quòd ne tunc quidem ejus eo usque memoriam penitus aboleri voluerunt Sancti Pontifices, cùm rationes magni, ut credere par est, momenti ad illam mutandum eos impulere. Cujus mutationis varii per succedentes sibi ætates fuere gradus. Primùm enim extra dubitationem omnem esse videtur hanc ceremoniam ipso die Dominico inter sacras Synaxes celebratam fuisse ab Apostolis, & Apostolicorum temporum Episcopis; idque horâ diei certâ, quæ sacris Mysteriis agendis semper assignata fuit. Postmodum ingruente persecutione Gentilium, cùm eadem cœtus antelucanis horis agi cœperunt à Christianis, ut videlicet dirarum hostium fidei diligentiam eluderent, eâdem quoque horâ Ordinationes celebratas fuisse verisimillimum est. Quod postea etiam redditâ Ecclesiæ pace continuatum est: unde inducta Sabbati Vigilia, de quibus Leo noster; tum ne consuetudinis sanguine Martyrum velut consecrata memoria aboleretur; tum ut Resurrectioni Dominicæ, quæ summo mane contigit, honor eadem horâ exhiberetur; tum denique ne Sabbati jejunium ad ulteriorem Dominicæ partem continuatum tum consecrantem Episcopum, quàm consecratos nimiùm fatigaret. Quæ ratio, opinor, in causa fuit, ut sensim à mane Dominico ad initia noctis; deinde a noctis exordio ad præcedentis Sabbati vesperam, ut ex Gelasio patet; post à Vespera ad Meridiem; denique à Meridie ad Matutinas horas, ut fit hodie, Ordinatio retrogrediens tandem revocata sit.* Igitur qualibet Dominicâ sacræ Ordinationes celebrari poterant tempore *Sancti Leonis*; sed alia modò Ecclesiæ disciplina est, & veneratione prosequenda, & religiosè observanda.

## ARTICULUS VII.

### *De hora solvendi Jejunii legitima.*

## PROPOSITIO I.

*Ex veteris Ecclesiæ usu, qui ad sæculum usque duodecimum viguit, Quadragesimale Jejunium Vespere tantùm solvebatur, cæteris Jejuniorum diebus ut plurimùm Horâ Nonâ.*

PRobatur prima pars testimoniis Sanctorum Patrum, aliorumque Authorum Ecclesiasticorum; Sancti Basilii Homiliâ 2. de Jejunio: *Expectas Vesperam*, inquit, *ut cibum capias.* Sancti Chrysostomi Homiliâ 6. in Genesim. *Quæ utilitas jejunii*, inquit, *si tota die nihil comedis, ludis autem & nugaris, imò sæpe pejeras & blasphemas, & ita totum perdis diem?* Sancti Ambrosii Concione 8. in Psalmum 118. *Indictum est jejunium*, inquit, *cave ne negligas: & si te fames quotidianum cogit ad prandium, ut intemperantia declines jejunium, tamen cœlesti magis te serva convivio. Non epula parata extorqueant ut cœlestibus fias vacuus Sacramentis: differ aliquantulum, non longè finis est diei.* Sancti Hieronymi Epistolâ 22. ad Eustochium data: *Jejunium*, inquit, *totius anni æquale est, exceptâ Quadragesimâ, in qua sola conceditur districtiùs vivere: à Pascha autem ad Pentecosten cœnæ mutantur in prandia.*

*prandia.* Sancti Paulini Epistolâ 6. ad Sanctum Amandum, de hospite quem ad ipsum tempore Quadragesimæ miserat: *Quotidiana jejunia non refugiens*, inquit, *pauperem mensam vespertinus conviva non horruit.* Sancti Benedicti cap. 41. suæ Regulæ: *Ab initio Quadragesimæ*, inquit, *usque ad Pascha, ad vesperam reficiant.* Theodulphi Aurelianensis in Capitulari ad suæ Diœceseos Sacerdotes: *Solent plures*, inquit, *qui se jejunare putant in Quadragesima mox ut signum audierint, ad Horam Nonam comedere: qui nullatenus jejunare credendi sunt, si antè manducaverint, quàm Vespertinum celebretur Officium; concurrendum est enim ad Missas, & auditis Missarum solemnibus, & Vespertinis Officiis, largitis eleemosynis, ad cibum accedendum est. Si verò aliquis necessitate constrictus fuerit, ut ad Missam venire non valeat, æstimata Vespertina Hora, completa Oratione sua, jejunium solvat.* Quem Canonem Gratianus, *de Consecratione* Dist. 1. c. *Solent*; Burchardus l. 13. c. 11. Ivo Carnotensis p. 4. c. 45. & Sanctus Thomas Secunda Secundæ Q. 147. Art. 7. Concilio Cabilonensi tribuunt in quo non legitur.

Idem probatur ex Monacho Sancti Galli, lib. 1. De Vita Caroli Magni, cap. 12. Historiam memoriâ dignam referente his verbis: *Religiosissimus & temperatissimus Carolus hanc consuetudinem habebat, ut in Quadragesima diebus octavâ horâ diei* (id est horâ secundâ post meridiem) *Missarum celebritate pariter cum Vespertinis Laudibus peracta, cibum sumeret, nec tamen idcirco jejunium violaret, cùm, secundùm Domini præceptum, ab hora ad horam comederet. Quod Episcopus quidam, contra dictum Sapientis Viri, Multum justus & nimiùm stultus, improvidè reprehendit. Sapientissimus autem Carolus indignatione simulatâ, admonitionem ejus humiliter suscepit, dicens: Bene admonuisti, lætè vir Episcope. Ego autem tibi præcipio ut nihil degustes, antequam externi Officiales, qui sunt in Curte mea, reficiantur. Comedente autem Carolo, ministrabant Duces & Tyranni, vel Reges diversarum gentium, post cujus convivium, cùm illi comederent, serviebant eis Comites & Præfecti, vel diversarum dignitatum Proceres. Ipsis quoque manducandi finem facientibus, Militares Viri, vel Scholares Aulæ reficiebantur. Post hos omnimodorum Officiorum Magistri, deinde ministri: ita ut ultimi ante noctis medium non manducarent. Cùmque jam propè finita esset Quadragesima, & præfatus Episcopus in tali castigatione permansisset, dixit ad illum clementissimus Carolus: Ut puto probasti, Episcope, quia non intemperantia, sed providentia gratia, ante Vespertinam horam convivor in Quadragesima.* Caroli igitur Magni ætate, jejunium in Quadragesima vespere tantùm solvebatur, ex Ecclesiæ disciplina.

Idem constat ex Regula Magistri, ita vocata, quòd ejus Author Christum Magistrum Christianorum semper loquentem inducat, legesque Vitis Religiosis statuentem, cap. 43. *Jejunia Quadragesimæ*, inquit, *protrahantur in vesperam, id est, post Lucernaria reficiatur.*

Author hujus Regulæ vixisse videtur 8. sæculo.

Lucernaria, seu Lucernalis hora, Vespertinæ sunt preces, quæ lucernis accensis, cadente die, persolvebantur: quod S. Hier. ad Lætam scribens his verbis significat: *Lucernâ accensâ reddere Sacrificium Vespertinum.*

Idem ex Micrologo probatur qui Sæculo 11. floruit: *Nec juxta Canones*, inquit, *Quadragesimaliter jejunare censemus, si ante vesperam reficimur.* (De Rebus Eccles. cap. 49.)

Idem constat ex Sancto Bernardo Sermone 5. de Quadragesima. *Hactenus*, inquit, (id est à festo Sanctæ Crucis ad Quadragesimam) *usque ad Nonam jejunavimus soli, nunc usque ad Vesperam jejunabunt nobiscum universi, Reges & Principes, Clerus & Populus, nobiles & ignobiles, simul in unum dives & pauper.*

Probatur secunda paas ex Sancto Athanasio lib. de Virginitate: *Post Communionem Hora Nona*, inquit, *comede panem tuum.* Ex Sancto Epiphanio in Expositione Fidei: *Quarta*, inquit, *& Prosabbato jejunium statutum est usque ad horam nonam.* Ex Sancto Augustino Epistolâ 118. ad Januarium. Ex Cassiano Collat. 21. c. 23. *Ut ergo*, inquit, *& diebus festivis statuta consuetudo Solemnitatis servetur, & saluberrimus parcimoniæ modus minimè transcendatur, sufficit ut indulgentiam remissionis eò usque progredi patiamur, ut cibus qui horâ diei nonâ fuerat capiendus* (id est tertiâ post meridiem) *paululò citiùs, id est sextâ horâ* (sive horâ meridianâ) *pro festivitatis tempore capiatur.* Et Collat. 2. cap. 26. *Commodum satis & utile horâ nonâ refectionis tempus indultum est, in quo reficiens Monachus, non solùm in Nocturnis Vigiliis levis & vacuus, verumetiam in ipsis Vespertinis Solemnitatibus, digesto jam cibo, invenitur aptissimus.* Ex Micrologo, loco supra laudato, *In hoc*, inquit, *Quadragesimale jejunium à cæteris differt diebus, quod in aliis post nonam; in hoc autem post vesperam reficere debemus.*

Verùm decimo tertio Sæculo ineunte, vetus & canonicus jejunandi mos immutatus est, & horâ nonâ solvi cœptum, etiam in Quadragesima, jejunium. Vigebat ætate Sancti Thomæ illa consuetudo, ut videre est Secunda Secundæ Q. 147. Art. 7. Tandem cadente Sæculo 14. hominibus majorem ad relaxationem pronis, ad meridiem jejunium solvi cœpit, ac sufficere ad jejunium visum est, si Officio Vespertino circa meridiem persoluto, pranderetur, Ecclesiâ hominum infirmitati indulgente, ut cœnæ mutarentur in prandia meridiana, modò, quæ jejunio essentialis est, refectionis unitas servaretur; nec meridie pransi, vespere cœnarent. Qui enim bis in die reficerentur, hos jejunare nusquam existimavit Ecclesia; nec eos qui bene pransi, eadem die cœnant, jejunii præcepto facere satis Romanæ Communionis Theologi arbitrantur (ut ipsis Dallæus imponit.)

## PROPOSITIO II.

*Cœnula, quæ hodie Collatio vocatur, ex hominum relaxatione ortum habet, cui Canones non suffragantur, nec consentit Ecclesia latâ lege.*

Hanc assertionem probant omnia momenta, quibus unicam refectionem, eamque serotinam, duodecim prioribus Ecclesiæ sæculis, temporibus jejunii sumi solitam probavimus; sæculo verò decimotertio horâ nonâ, seu tertiâ post meridiem. Probat insuper altissimum omnium Patrum, omniumque Conciliorum, de hujusmodi cœnula & collatione silentium. Cujus in originem inquirentes, invenimus illam ex Virorum Religiosorum usu ortum habuisse, quibus, propter laborem manuum, ipsis jejuniorum diebus permittebatur, ut ante lectionem & collationem spiritualem, quæ vespere fieri solebat, potum sumerent. Id indulsit Monachis Conventus Aquisgranensis Abbatum Franciæ anno 817. habitus, cap. 12. *Ut si necessitas poposcerit, ob operis laborem, post refectionem vespertinam, etiam & in Quadragesima pari modo, & quando Officium Mortuorum celebratur, priusquam lectio Completorii legatur, bibant.* Ejus consuetudinis meminit Uldaricus lib. 3. Antiquiorum Consuetudinum Cluniacensis Monasterii, circa finem 11. sæculi conscripto, cap. 21. *Quòd si aliquando*, inquit, *denuo non reficiant, tamen denuo bibere nunquam omittunt.* Et lib. 2. cap. 24. *Post Nonam, sive sitim habeat, sive non, tamen non dimittit cum aliis ire bibiturus.* Et cap. 41. libri primi narrans quid post Vesperas agatur à Monachis, diebus quibus non cœnant, hæc habet: *Sedemus in Claustro ad lectionem, tangitur cymbalum ut manus lavemus, & in Refectorium bibere veniamus. Sedemus*

*iterum ad lectionem, sonatur scilla ad Collationem.* Ubi nomine Collationis non cœnulam, sed Collationum spiritualium lectionem, intelligi evidens est.

Potui, quem diebus jejunii, extra refectionis horam, sumebant Monachi, frustulum panis postea addiderunt, ne potus noceret, ut in Constitutionibus Patrum Carthusiensium, aliorumque Ordinum videre est: & ne tempus vitæ regularis officiis destinatum ea in actione tererent, lectionem spiritalem, quæ in Claustro vel in Capitulo, fieri solebat, his diebus in Refectorio habuerunt; semperque vespertinum illum ad Refectorium aditum esurialibus diebus his verbis significarunt: *Ire ad Collationem*: aut *accedere ad lectionem Collationum.* Sic nomen Collationis à lectione, ad serotinam illam refectiunculam translatum est, & à sæcularibus eo sensu usurpatum, cùm eousque progressa est relaxatio ut meridie nderent, & vespere nihilominus cœnulam sumerent. Secundùm primævam illam & veterem notionem, non secundùm recentiorem & novitiam, sumitur vox Collationis in Capitularibus, Additione t. lib. 7. c. 70. quæ ex Conventu Aquisgranensi Abbatum Franciæ desumpta est, ubi decernitur: *Ut ad Capitulum lectio tradatur, & ad Collationem, si tempus fuerit opportunum.* Sic usurpata est vox illa in Canone quem sub nomine Concilii Cabilonensis laudant Burchardus l. 8. c. 77. & Yvo Carnotensis Part. 7. c. 95. quò decernitur: *Ut Sanctimoniales omnibus diebus ad Capitulum & ad Collationem veniant.* In Canone verò qui sub Concilii Nannetensis nomine à Burchardo l. 2. cap. 164. & ab Yvone Carnotensi Part. 6. c. 155. laudatur, Collationis nomen pro convivio moderato usurpari quidam recentiores falsò existimarunt, Canonem illum ita interpolatum referentes: *Quando Presbyteri per Calendas simul conveniunt, post peractum divinum Mysterium, ad necessariam Collationem, non quasi ad plenam refectionem, sed quasi ad prandium, ibi ad tabulas resideant, ne per talia inhonesta convivia se invicem gravent.* Cujus Canonis sensum longè alium esse comperiemus, si veram ejus lectionem ex Burchardo restituamus. Sic autem habet apud Burchardum: *Post peractum divinum Mysterium, & necessariam Collationem*, &c. Decreverunt itaque istius Concilii Patres, ut post celebratum Missæ Sacrificium, & habitam Sermonum Collationem quæ in Synodis fieri solet, ad mensam sederent Presbyteri, non plenam quidem refectionem sumpturi, sed prandium, id est, leve jentaculum. Sic enim aliquando usurpatum apud Veteres prandii nomen colligitur ex lib. 3. Antiquiorum Consuetudinum Cluniacensis Monasterii cap. 8. ubi de pueris qui à parentibus oblati, & religiosa veste induti, vitæ regularis tyrocinium quoddam in sancto illo Cœnobio ponebant, dicitur: *A Calendis Octobris usque ad Quadragesimam, si semel comeditur, non est illorum prandium de solo pane, sed etiam aliquid qualecunque sit, apponitur eis.* Ubi prandii nomine jentaculum significatur, quod exhibebatur pueris, quibus jejunium ad horam usque nonam obesse propter debilitatem corporis, ætatisque teneritudinem potuisset. Nannetensis igitur Concilii Patres mederi volentes abusui, qui irrepserat, ut Presbyteri per Calendas convenientes, convivia instruerent, & opiparè epularentur, statuerunt ut post Collationem quæ in hujusmodi conventibus fieri solet de rebus divinis, leve jentaculum duntaxat, non plenam refectionem sumerent. Non sumitur itaque illo in Canone Collationis nomen pro moderato convivio, aut pro cœnula, sed pro collocutione, aut tractatu de rebus Ecclesiasticis, aut de quæstionibus ad Clericorum institutionem necessariis, vel pro spiritali adhortatione, ut ex ejusdem Canonis serie perspicuum est: *Sic, inquit, & qui ad Cœnam Dominicam, id est, ad Collationem verbi, sub occasione conveniunt, & ex veritate, ventris causâ conjunguntur, reprehensibiles coram Deo & hominibus habentur.*

Primùm, nomen Collationis vespertinæ refectiunculæ tributum est in Regula pauperum Commilitonum Templi, in Trecensi Concilio, anno 1128. probata, quæ cap. 16. hæc habet: *Cùm verò sol Orientalem Regionem deserit, audito signo, ut est regionis consuetudo, omnes ad Completas oportet incedere vos, ac priùs generalem Collationem sumere peroptamus. Hanc autem Collationem in dispositione & arbitrio Magistri ponimus, ut quando voluerit, de aqua; & quando jubebit, misericorditer ex vino temperato competenter recipiatur. Verùm hoc non ad nimiam satietatem oportet & in luxu fieri, sed parciùs, quia apostatare etiam sapientes videmus.* Sed in hac Militum Templi Collatione solius potus, non item cibi fit mentio. Nam jejunii diebus semel tantùm refici solitos constat ex cap. 15. *Nisi*, inquit, *generale jejunium evenerit, bis reficiantur.*

## ARTICULUS VIII.

### *Quo sit animo jejunandum? Sive quæ conditiones ad Christianum Jejunium ex Ecclesiæ doctrina desiderentur?*

1. Jejunium Christianè non observari, cùm à peccatis non abstinent jejunantes, constans est Sanctorum Patrum doctrina in illis Scripturæ sacræ verbis fundata: *Ecce in die jejunii vestri invenitur voluntas vestra, & omnes debitores vestros repetitis: Ecce ad lites & contentiones jejunatis, & percutitis pugno impiè. Nolite jejunare sicut usque ad hanc diem, ut audiatur in excelso clamor vester. Nunquid tale est jejunium quod elegi, per diem affligere hominem animam suam? Nunquid contorquere quasi circulum caput suum, & saccum & cinerem sternere? Nunquid istud vocabis jejunium, & diem acceptabilem Domino? Nonne hoc est magis jejunium quod elegi? Dissolve colligationes impietatis*, &c.

Secundùm istud Evangelici Vatis oraculum Sancti Patres jejunium verè Christianum esse negatunt, quod abstinentia à vitiis omnibus, & exercitatio in virtutibus non commendaret. Qua de re audiendus est Sanctus Basilius Homiliâ 1. de Jejunio. *Cave*, inquit, *ne jejunii utilitatem solâ ciborum abstinentiâ metiaris: Verum enim jejunium est ab omnibus esse vitiis alienum. Solve omne vinculum iniquitatis, condona injuriam proximo, ac debitum dimitte: noli ad lites & contentiones jejunare. Carnes non edis: at interim devoras fratrem tuum. Vino abstines: at interim ab injuriis tibi non temperas. Væ his qui ebrii sunt non à vino: ira mentis est temulentia, eam à prudentia non minùs excutiens, quàm vinum.* Et in cap. 1. Isaiæ: *Non satis virium*, inquit, *per se habet abstinentia ab escis, sed oportet & reliquam adesse instituendæ vitæ disciplinam, in sermonibus, in genere conversandi, in familiari congressu, ita ut spiritualem mentis exercitationem comitetur.*

*Prima Christiani Jejunii conditio, abstinentia ab omnibus vitiis, & in Christianis virtutibus exercitatio.*

Audiendus est & Sanctus Joannes Chrysostomus Homiliâ 8. in Genesim: *Jejunium dico*, inquit, *abstinentiam à vitiis, etenim abstinentia à cibis propter hoc recepta est, ut vigorem carnis refrenet. Jejunantem ante omnia oportet iram refrænare, mansuetudinem & lenitatem addiscere, habere cor contritum, absurdas concupiscentias repellere, ante oculos continuò proponendo oculum Æterni Judicis, & Tribunal illud incorruptum: pecuniis superiorem esse, & illis dominari: liberalem esse in danda eleemosyna: nullum malum adversùs proximum in cor admittere. Hoc verum jejunium est.... Hoc vobis cura sit; & non*

ut

*ut plerique existimemus, definiri in hoc jejunium, si ad vesperam usque impransi remaneamus. Non hoc est quod quaeritur, sed ut cum ciborum abstinentia & à caeteris abstineatur, quae nocere possunt, & spiritualibus magis vacetur.*

Eandem tradit doctrinam antiquus Auctor Sermonis inter Augustinianos olim 172. de Tempore, nunc in Appendicem rejecti. *Jejunia Christianorum*, inquit, *spiritaliter potiùs quàm carnaliter observanda sunt. Unde à peccatis nostris principaliter jejunemus, ne jejunia nostra sicut Judaeorum jejunia à Deo respuantur. Quale est enim ut à cibis quos Dominus creavit, nescio quis impostor abstineat, & peccatorum sagina pinguescat? Non tale jejunium ego elegi, dicit Dominus. Parvum est jejunium abstinere à peccatis, nisi addamus & bona: Frange esurienti panem tuum*, &c.

Vetus Auctor Sermonis 41. inter eos qui sub nomine Sancti Ambrosii olim editi sunt, idem luculenter urget. *Quid enim prodest*, inquit, *jejunare visceribus, & luxuriare venatibus? Abstinere cibis, errare peccatis? Castigare corpus inedia, mentem exercere nequitiâ? . . . Unde inutile & inane est tale jejunium, quod inediâ membra debilitat, & animam à perditione non liberat, de quo jejunio dicit Sanctus Propheta ex persona Domini: Ut quid mihi jejunastis? Non tale jejunium elegi, dicit Dominus . . . . Scire igitur debemus, Fratres, hoc acceptum Deo esse jejunium, non solum ut abstinentiâ castigemus corpora, sed etiam humilitate animas induamus. Simus ad servulos mites, blandi ad extraneos, misericordes ad pauperes. Surgentes primo diluculo ad Ecclesiam festinemus. Tota die sit nobis vel oratio, vel lectio. Qui literas nescit, Sanctum Virum perquirens, ejus consolationi pascatur. Nulli actus seculi actus divinitatis impediant: non ludus tabula mentem avocet: non voluptas canum sensus abducat: non negotii compendium animam aviditate pervertat. Quicquid enim aliud praeter mandatum Dei feceris, quamvis abstineas, non jejunas.*

Sanctus Maximus Taurinensis Homiliâ 1. De Jejunio Quadragesimae idem asserit. *Jejunia nostra*, inquit, *religiosis sanctificemus obsequiis: quid autem est aliud sanctificare jejunium, nisi causâ jejunii sancta velle, justa facere, iniqua vitare?* &c.

Sanctus Leo in eandem conspirat sententiam Sermone 4. De Quadragesima. *Digne*, inquit, *ab infidelibus reprehensione carpemur, & nostro vitio lingua impia in injuriam se religionis armabunt, si jejunantium mores à puritate perfectae continentiae discrepaverint. Non enim in sola abstinentia cibi stat nostri summa jejunii, aut fructuosè corpori esca subtrahitur, nisi mens ab iniquitate revocetur; & ab obtrectationibus lingua cohibeatur. Sic ergo nobis edendi est moderanda libertas, ut etiam aliae cupiditates eadem lege fraenentur. Mansuetudinis & patientiae, pacis & tranquillitatis hoc tempus est: in quo exclusa omnium contaminatione vitiorum, perpetuitas nobis est obtinenda virtutum. Nunc piorum mentium fortitudo donare culpas, negligere contumelias, & oblivisci assuescat injurias. Nunc fidelis animus per arma justitiae à dextris & à sinistris se exerceat: ut per gloriam & ignobilitatem, per infamiam, & bonam famam, securam conscientiam, constantemque probitatem nec laudes inflent, nec opprobria defatigent. Religiosorum modestia non sit maesta, sed sancta: nec inveniantur in eis ullarum murmura querelarum, quibus nunquam desunt Sanctorum solatia gaudiorum. Non timeatur inter opera misericordiae terrenarum diminutio facultatum. Semper dives est Christiana paupertas.*

Et Sermone 6. *Quod ergo in omni tempore unumquemque convenit facere Christianum*, inquit, *id nunc sollicitiùs est & devotiùs exequendum: ut Apostolica institutio quadraginta dierum jejuniis impleatur, non ciborum tantummodo parcitate, sed privatione maximè vitiorum. Nam cùm ob hoc castigatio ista sumatur, ut carnalium desideriorum fomites subtrahantur, nullum magis sectandum est continentiae genus, quàm ut semper simus ab injusta voluntate sobrii, & ab inhonesta actione jejuni. Quae devotio non excludit aegros, non secernit invalidos; quia etiam in languido atque inutili corpore potest animi integritas reperiri, si ubi fuit sedes pravitatis, ibi confirmentur fundamenta virtutis.*

Caeteris Patribus concinit Sanctus Bernardus, Sermone 3. De Quadragesima. *Si gula sola peccavit*, inquit, *sola quoque jejunet, & sufficit: Si verò peccaverunt & caetera membra, cur non jejunent & ipsa? Jejunet ergo oculus qui depraedatus est animam: jejunet auris, jejunet lingua, jejunet manus, jejunet etiam anima ipsa. Jejunet oculus à curiosis aspectibus, & ab omni petulantia, ut benè humiliatus coerceatur in poenitentia, qui malè liber vagabatur in culpa. Jejunet auris nequiter pruriens à fabulis & rumoribus, & quaecumque otiosa sunt ac ad salutem minimè pertinentia. Jejunet lingua à detractione & murmuratione: ab inutilibus, vanis atque scurrilibus verbis; interdum quoque ob gravitatem silentii, & ab ipsis quae videri poterant necessaria. Jejunet manus ab otiosis signis & ab operibus omnibus quaecumque non sunt imperata. Sed & multomagis anima ipsa jejunet à vitiis, & à propria voluntate sua. Etenim sine hoc jejunio caetera à Domino reprobantur; sicut scriptum est: Quia in diebus jejuniorum vestrorum inveniuntur voluntates vestrae.*

Eodem spectant verba Concilii Aquisgranensis II. anno 836. sub Ludovico Pio Imperatore celebrati, Parte 1. cap. 17. *Vestram interea, Deo amabilis Auguste, petimus Clementiam, uti, absque inevitabili necessitate, sanctum tempus Quadragesimae liceat Ecclesiasticis Viris sub quiete agere; quatenus tempus illud quod purificatio esset debet aliorum temporum, non inquinetur inquietudine perturbationum.*

II. Jejuniorum diebus, & Quadragesimali potissimùm tempore, à licitis etiam voluptatibus temperare sibi Christianus debet, qui secundùm Ecclesiae mentem jejunare pertendit. Istud docet Theodulphus Aurelianensis Episcopus, qui floruit ad annum Christi 797. capit. 40. ubi de jejunii diebus loquens: *Abstinentia verò*, inquit, *in his diebus omnium deliciarum esse debet.* — Secunda Christiani jejunii conditio, abstinentia ab omni voluptate committenda.

Hinc Nicolaus I. ad Consulta Bulgarorum respondens, à ludis, jocis, venationibus, Quadragesimali tempore abstinendum esse docet. Sic enim cap. 44. loquitur: *Nulla ratio sinit in Quadragesimali tempore venationibus uti . . . . Quantò jejunii tempore arctiùs est divinis cultibus insistendum, tantò est à cunctis mundi nocivis oblectamentis longiùs recedendum, praesertim cùm neminem nisi reproborum, venationes exercuisse Sacra designet Historia.* Et cap. 47. *Consulitis si liceat in Quadragesimali tempore jocis vacare: Quod non solùm in Quadragesimali, verumetiam in nullo tempore licitum est Christianis. Sed quia vobis qui in montem nondum ascendere, tanquam infirmi, potestis, ut inde sublimia mandata Dei percipiatis; sed in campestribus, quemadmodum filii quondam Israël, positi estis, ut saltem ibi plana & minora quaedam praecepta sumatis, needum possumus suadere ut omni tempore jocis abstineatis: Et Quadragesimâ, ac Jejunii tempore, quando perampliùs & instantiùs orationi & abstinentiae, & omnimodae poenitentiae vacare debetis, non solùm jocis, verumetiam ab omni vaniloquio, & scurrilitate, quae ad rem non pertinent, atque ab ipso otioso verbo* — A jocis & ludis, & venationibus.

*temperare debetis. . . . Nulla ergo vos voluptatum, & maximè in tempore jejuniorum, vanitas seducere valeat: non enim lamenta cum jocis conveniunt: & fallax ac deceptrix lætitia veraces lachrymas producere nescit.*

Ab usu matrimonii.

Conjugatos propterea ab usu matrimonii, jejuniorum temporibus abstinere, optat Ecclesia, ut ex Nicolao I. cap. 50. Responsionis ad Consulta Bulgarorum compertum est. *Quid de eo*, inquit, *qui de Quadragesimali tempore cum uxore sua coierit, sit judicandum, Episcopi vestri, & Sacerdotis qui ab eo constituntur, arbitrio considerandum ac diffiniendum committimus, qui singulorum mores agnoscere* B *poterunt, & uniuscujusque vestrûm causas, libratis personis, ac temporibus discernere, seu moderari debebunt. Porro cum ea eodem tempore dormire omnino liceret, si ignis & palea sine læsione communionem aliquam habuissent, vel si diabolica fraudis astutia nescirentur.*

Idem docet Theodulphus Aurelianensis Episcopus in selectis Capitulis, cap. 43. *Abstinendum est*, inquit, *in his sacratissimis diebus à conjugibus, & piè vivendum, ut sanctificate corde & corpore, isti dies transigantur, & sic perveniatur ad diem sanctum Pascha! quia pene nihil valet jejunium, quod conjugali opere polluitur; & quod orationes, vigiliæ, & eleemosyna non commendant.* C

Ejusdem continentiæ doctrinam tradit Herardus Turonensis Archiepiscopus, qui anno 858. sub Imperio Caroli Calvi floruit, cap. 62. *Ut diebus jejuniorum*, inquit, *à conjugibus se abstineant: & quia non est concessa uxor causa libidinis, sed filiorum: & omnia prohibeantur illicita, parcaturque à licitis.*

Idem probatur ex Canone quem sub Illiberitani Concilii nomine Burchardus lib. 19. cap. 75. & Yvo Carnotensis Parte 15. cap. 88. laudarunt. *Qui in Quadragesima*, inquit, *aut Pascha cognoverit uxorem suam, & noluerit abstinere ab ea, unum annum* D *pœniteat; aut pretium 25. solidorum ad Ecclesiam tribuat, aut pauperibus dividat. Si per ebrietatem, & sine consuetudine acciderit, quadraginta dies pœniteat.*

Pœnitentiæ & mœroris tempori hanc convenire continentiam, ostendit exemplum Noë, qui diluvii tempore ab uxoris amplexibus sibi temperavit, quod & filii ejus præstiterunt, ut iram Dei mitigarent, ut observat Sanctus Ambrosius lib. de Noë, & Arca, cap. 21. *Nunc quæramus*, inquit, *qua ratione, quamdiu ingrediebatur in Arcam, hic ordo fuit ingredientium, ut primò ipse ingrederetur, & filii* E *ejus, inde ejus uxor, & uxores filiorum ejus: quando autem exierunt, commutatus sit. Nam scriptum est: Exivit ipse & uxor ejus, & filii ejus, & uxores filiorum ejus. Et litera quidem significat in ingressu abstinentiam generationis; in egressu generationis usum. . . . Apertè igitur velut ordine ipso ingressionis vocem quamdam Justus emittit, Tempus illud non esse concubitus, neque deliciarum, quò omnibus immineret interitus. Unde in Evangelio Dominus ait: Reprehendens quòd temporibus Noë manducarent, & biberent, & uxores ducerent, & filias nuptui traderent: Ideo propter intemperantiam eorum supervenisse* F *diluvium. Mœroris igitur tempus illud, non lætitia erat: & inde Justus consortio non delectabatur uxoris, vel filii Justi petebant copulam conjugalem: quàm indecorum enim ut quo tempore viventes morerentur, tunc perituri generarentur?*

III. Christianum jejunium esse non censet Ecclesia, nisi pauperibus erogetur, quod in sumptus secundæ refectionis impenderetur. Istud docet vetus Auctor Sermonis inter Augustinianos olim 65. de Tempore. *Qui toto anno nobis viximus*, inquit, *saltem vel paucos dies vivamus & Domino. Sed je-* A *junia nostra ut plena sint & suffarta, misericordia pinguedine saginentur. Demus esurientibus prandium nostrum. Nec putes jejunia sola sufficere ad sananda vulnera peccatorum, ni medicamento eleemosynæ recreentur. Jejunium ergo tuum te castiges, sed lætificet alterum: & ita fructuosa erunt angustia tua, si alteri latitudinem præstent. Sic jejuna, ut in alio manducante prandisse te gaudeas. Hilarem enim datorem diligit Deus. Nam manducante paupere de bonis tuis, prandet Christus, qui se in paupere esurire testatur.*

Eleemosyna Christiani jejunii comes.

Idem docet Auctor antiquus Sermonis 41. inter B eos qui sub nomine Sancti Ambrosii olim editi sunt. *Illud*, inquit, *ad perfectionem jejunii tacendum non est, ut qui abstinemus, & minimè prandemus, hoc tempore prandia nostra pauperibus prærogemus. Hæc est enim vera justitia, si te esuriente, de cibo tuo alius satietur, & tu tuis jejuniis Dominum roges, & ille pro te satiatus exoret. Cæterùm qui sic abstinet, ut nihil pauperibus de suis epulis largiatur, videtur quæstum sibi suum fecisse jejunium, & negotiationem parcendo.*

Sanctus Leo Sermone 11. de Quadragesima eandem veritatem confirmat. *In distributione eleemosynarum*, inquit, *&* C *pauperum cura pinguescant Christiana jejunia, & quod suis quisque deliciis subtrahit, debilibus impendat & egenis. Detur opera ut omnes Deo uno ore benedicant, & qui aliquam dat portionem substantiæ suæ, intelligat se Ministrum esse misericordiæ divinæ, quæ partem pauperis in manu posuit largientis: ut peccata quæ Baptismi aquis, aut pœnitentiæ lachrymis abluuntur, etiam eleemosinis deleantur, dicente Scriptura: Sicut aqua extinguit ignem, ita eleemosina extinguit peccatum.*

Et Sermone 10. *In pauperes quoque, & diversis debilitatibus impeditos, benignior nunc largitas exeratur, ut gratiæ Deo multorum voce referantur, &* D *jejuniis nostris egentium refectio suffragetur. Nulla enim devotione Fidelium magis Dominus delectatur, quàm ista, quæ pauperibus ejus impenditur: & ubi curam misericordiæ invenit, ibi imaginem suæ pietatis agnoscit. Non timeatur in iis expensis defectio facultatum, quoniam ipsa benignitas magna substantia est, nec potest largitatis deesse materies, ubi Christus pascit, & pascitur. In omni hoc opere illa intervenit manus, quæ panem frangendo auget, & erogando multiplicat.*

Ex Sermone 9. de Jejunio Decimi Mensis. *Fiat abstinentia Fidelium, cibus pauperum; & quod quisque subtrahit sibi, proficiat indigenti: quia li-* E *cet multum & animis & corporibus conferant remedia parcitatis; parum tamen utilia sunt ipsa jejunia, nisi misericordiæ sanctificentur effectu. In eleemosinis enim virtus quædam est instituta Baptismatis.*

Denique Sermone 3. de Jejunio Pentecostes sic loquitur: *Sanctas continentia delicias appetentes, aliquantulum nobis de terrenorum ciborum abundantia subtrahamus: ita ut proficiat eleemosinis, quod non impenditur mensis. Tunc enim demum ad animæ curationem proficit medicina jejunii, cùm abstinentia jejunantis, esuriem reficit indi-* F *gentis.*

Sanctus Petrus Chrysologus Christianum hocce dogma verbis æquè magnificis ac luculentis confirmat, Sermone octavo. *Esurit jejunium*, inquit, *jejunium sitit, quod non pietatis cibo pascitur, quod potu misericordiæ non rigatur. Alget jejunium, jejunium deficit, quod non eleemosinæ vellus tegit, quod non miserationis operit vestimentum. Fratres, quod est terris ver, hoc misericordiam scimus esse jejunio. Sicut vernus flatus tota facit germina florere camporum; ita misericordia tota jejunii semina producit in florem, in cælestem messem totam jejunii facit fructificare virtutem.*

*tatem. Quod oleum lucernæ est, hoc jejunio pietas. Sicut lucernæ lumen olei pinguedo succendit, & moderato pastu facit illud ad totius noctis solatium perlucere: sic pietas facit splendere jejunium, & ad totam radiare continentiæ claritatem. Quod diei Sol est, hoc eleemosyna noscitur esse jejunio. Sicut jubar Solis clariorem perficit diem, & totam nubium dispergit obscuritatem: sic eleemosyna jejunii sanctificat sanctitatem, totamque cupiditatis mortem lumine pietatis excludit. At ne multis immorer, quod est anima corpori, jejunio largitas hoc habetur. Sicut enim mortificatur corpus, à corpore anima cum recedit: ita mors est jejunii, largitatis abscessio. Est quidem jejunium vitiorum mors, vita virtutum. Est jejunium pax corporis, membrorum decus, ornamentum vitæ. Est jejunium robur mentium, vigor animarum. Est jejunium castitatis murus, pudicitiæ propugnaculum, civitas sanctitatis. Est jejunium schola meritorum, disciplina virtutum. Est jejunium Ecclesiastica via viaticum salutare. Est jejunium invictæ Christianæ militiæ principatus. Sed in his virtutibus jejunium tunc viget, tunc vincit, tunc triumphat, cum duce misericordiâ pugnat. Misericordia & pietas jejunii sunt alæ, per quas tollitur, & portatur ad cœlum, sine quibus jacet, & volutatur in terra. Jejunium sine misericordia, simulachrum famis est, imago nulla est sanctitatis: : Sine pietate jejunium occasio est avaritiæ, non est propositum parcitatis...... Qui non jejunat pauperi, Deo fingit. Qui jejunans prandium suum non erogat, sed deponit, cupiditati probatur jejunare, non Christo.*

Et Sermone 41. *Abstinentia est hominis prima medicina, sed ad plenam curam misericordiæ requirit expensas. Abstinentia extinguit febrem, sed arefacta membra longa febris incendio, nisi largo infundantur unguento, nisi blandissimis rigentur fomentis, nisi juventur medicina sumpta, ad integram sanitatem redire non possunt. Sic jejunium, quamvis excludat vitiorum morbos, carnis amputet passiones, vitiorum causas propellat, tamen sine misericordiæ unguento, sine pietatis rivo, sine misericordiæ sumptu, perfectam salutem mentibus non reponit. Jejunium sanat vulnera peccatorum, sed cicatrices vulnerum sine misericordia non emundat. Jejunium est sanctitatis hostia, sacrificium castitatis, sed sine misericordiæ incenso ad divinum non potest conspectum ascendere. Jejunium nobis aperit cœlum. Jejunium nos intromittit ad Deum: sed nisi tam adfuerit nobis misericordia nostrarum patrona causarum, qui de innocentia constare non possumus, de venia securi non erimus, dicente Domino: Judicium sine misericordia, illi qui non fecerit misericordiam.*

Et Sermone 42. *Jejunium sine pietate jejunat: fames est avaritiæ jejunium sine misericordia: cupiditatis pœna est, sine pietate jejunium: ultio, non devotio est, non Deo jejunare, sed sæculo.* Et infrà: *Non sic imber infundit terram, quomodo jejunium lachrymæ rigant pauperum. Homo, in lachrymas pauperum jacta semina jejunii tui: quia siccantur virtutes, arescunt jejunantium messes, quæ pauperum fletibus non fuerint irrigatæ. Cœli pluvia infundit terram, lachrymæ pauperis cœlum rigant: ergo sitit cœlum, & expectat de ploratu pauperum vice roris.... Illic misericordia seminat, quia quæ susceperis manus pauperis, ibi metis.*

Sanctus Gregorius Magnus hoc pariter Christianæ Moralis caput statuit Homiliâ 16. in Evangelia. *Nemo*, inquit, *abstinentiam solam sibi credat posse sufficere, cùm per Prophetam Dominus dicat: Nonne hoc est magis jejunium quod elegi? Subjiciens: Frange esurienti panem tuum, & egenos, vagosque induc in domum tuam: cùm videris nudum, operi eum, & carnem tuam ne despexeris. Illud ergo jejunium Deus approbat, quod ad ejus oculos manus eleemosynarum levat, quod cum proximi dilectione agitur, quod cum pietate conditur. Hoc ergo quod tibi subtrahis, alteri largire: ut unde caro tua affligitur, inde egentis proximi caro reparetur: Hinc etenim per Prophetam Dominus dicit: Cum jejunaretis & plangeretis, numquid jejunium jejunastis mihi? Et cùm comeditis & bibitis, numquid non vobis comeditis, & vobismetipsis bibitis? Sibi enim comedit & bibit, qui alimenta corporis, quæ sunt communia dona Conditoris, sine indigentibus percipit. Et sibi quisque jejunat, si ea quæ sibi ad tempus subtrahit, non pauperibus tribuit, sed ventri postmodum offerenda custodit. Hinc per Joelem dicitur: Sanctificate jejunium. Jejunium quippe sanctificare, est adjunctis bonis aliis, dignam Deo abstinentiam carnis ostendere.*

Theodulphus Aurelianensis in selectis Capitulis, cap. 38 hanc Ecclesiæ doctrinam proponit his verbis: *Diebus verò jejunii, eleemosyna facienda est; & cibum vel potum, quo quisque uti debuit, si non jejunaret, pauperibus eroget: quia jejunare, & cibos prandii ad cœnam reservare, non mercedis, sed ciborum est incrementum.*

## DISSERTATIO V.

*De Controversia quæ secundo Sæculo emersit circa celebrationem Paschatis.*

HÆc Controversia sub Aniceti Pontificatu cœpta est: sub Victore majori contentione agitata: in Concilio Nicæno ad finem deducta: sexto Sæculo cadente apud Britannos & Scotos quamdamtenus innovata est.

### ARTICULUS I.

*Quid Sanctum Polycarpum inter & Anicetum de ritu celebrandi Paschatis dissidii fuerit?*

### PROPOSITIO.

*Morem Asiaticarum Ecclesiarum Pascha Luna 14. cum Judæis celebrantium, congressus cum Sancto Polycarpo Anicetus suadere non potuit ut abjiceret: nullum tamen inter ipsos propterea dissidium fuit.*

Probatur prima pars Propositionis, quòd scilicet de ea Controversia inter Sanctum Polycarpum & Anicetum disceptatum sit, ex Eusebio, lib. 4. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 13. dicente: *Dum Anicetus Romanæ Ecclesiæ præerat, Polycarpum, cui adhuc suppeditabat Vita, Romam adventasse, & cum Aniceto in congressum, colloquiumque de controversia, quæ fuit de die Paschæ celebranda suscepta, venisse, commemorat Irenæus.*

Probatur secundò ex Sancto Hieronymo, in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum cap. 18. ubi de Sancto Polycarpo: *Hic*, inquit, *propter quasdam super die Paschæ quæstiones, sub Imperatore Antonino Pio, Ecclesiam in Urbe regente Aniceto, Romam venit.*

Probatur secunda pars, ex Sancto Irenæo, in Epistola ad Victorem Pontificem Maximum, cujus insigne fragmentum refert Eusebius, lib. 5. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 24. *Cùm Beatus Polycarpus*, inquit, *Aniceto Episcopatum administrante, Romam adventaret, cùmque illo & Anicetus de aliis rebus, de quibus inter se discrepabant, pauca contulissent, confestim pax fuit inter eos conciliata: quin pro hoc Festo observando, quod controversiæ caput videbatur, charitatis*

*tatis vincula nusquam ruperunt. Neque tamen Anicetus Polycarpo poterat persuadere, ut suum observandi morem (quippe qui cum Joanne Discipulo Domini nostri, & cum reliquis Apostolis, quibuscum multùm versatus fuisset, eundem semper ad illum modum observasset) deponeret. Neque contrà Polycarpus Aniceto persuasit, ut consuetudinem Asiaticam, (quippe qui morem Presbyterorum, qui illum erant antegressi debere sedulò retinere assereret, ullo modo observaret.) Quæ cùm ita essent constituta, communicabant inter se mutuo; & in Ecclesia Anicetus, ritus qui in Eucharistia peragi solent, Polycarpo, (ob reverentiam videlicet, quam erga illum habebat) obeundi potestatem concessit. Atque tandem cum pace alter decessit ab altero: & omnes Ecclesiæ, tum eorum, qui 14. die Festum Paschatis observabant: tum eorum qui secus, placida pace & tranquilla inter se ipsas fruebantur.* Ergo Anicetus Sancto Polycarpo suadere non potuit ut morem Asiaticum Paschatis Luna 14. celebrandi abjiceret; nec tamen inter ipsos ullum propterea dissidium fuit.

## ARTICULUS II.

### *Quid Polycrates Ephesiorum Episcopus egerit in Controversia de celebratione Paschatis?*

SUb Victoris Pontificatu longè magis exarsit illa controversia inter Asiaticos Episcopos, & Summum Pontificem. Concilium Romæ ad eam profligandam celebratum est: varia item in aliis Ecclesiis, cùm Orientis, cùm Occidentis Concilia coacta fuere, quorum sola supersunt nomina apud Eusebium, lib. 5. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 22. quæ uno consensu judicioque uno, eandem de illius Festi observatione tulere sententiam: esse videlicet celebrandum Pascha Dominica die proximè sequente Lunam decimam quartam primi mensis. Suum etiam Concilium ea de re coëgit Polycrates Ephesius Episcopus, ex Præsulibus universis Asiæ Minoris. Quid in eo decreverit, sequenti Propositione exponemus.

## PROPOSITIO.

*Polycrates, celebrato Ephesi Concilio, consuetudinem firmavit à cæteris Ecclesiis reprobatam, de Paschate celebrando Luna 14. in quemcunque diem incideret.*

Probatur primò ex Eusebio, lib. 5. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 25. *Episcopis autem in Asia coactis,* inquit, *qui morem jam olim ipsis à Majoribus traditum, sedulò observandum constanter asseverabant, præfuit Polycrates. Qui in ea Epistola, quam ad Victorem & Ecclesiam Romanam scripsit, Traditionem ad ipsius usque tempora deductam, his ferè verbis exponit: Nos diem Paschatis integrè, incorruptèque recolimus, neque addendo quidquam, neque detrahendo. Etenim hic in Asia obdormierunt in Domino præclara illa Ecclesiæ seminaria, Philippum dico, unum ex septem Diaconis, qui Hierapoli exiit è vita: & duas ejus filias, quæ Virgines ad summam senectutem manserunt: & alteram illius filiam, quæ Spiritus Sancti afflatu inspirata, vitam piè traduxit, Ephesique obiit in Domino. His accedit Joannes, qui super pectus Domini recubuit, qui Sacerdos fuit, qui laminam auream gestavit, qui Martyr & Doctor extitit, qui tandem Ephesi morte consopitus occubuit. Quid Polycarpum commemorem, qui Smyrnæ Episcopus & Martyr fuit? Quid Thraseam Episcopum & Martyrem, Eumeniæ natum civem, qui Smyrnæ ex hac luce migravit? Quid attinet dicere de Sagari Episcopo & Martyre, qui Laodiceæ mortem oppetiit? Quid porro Beatum Papirium & Melitonem eunuchum recenseam, qui Spiritus Sancti instinctu afflatus, totum vitæ suæ tempus piè sanctèque exegit, qui Sardis tumulo conditus est? Isti omnes diem Paschatis 14. die Lunæ ex Evangelii præscripto observarunt, nihil ab eo instituto ac more planè digressi, sed secundùm regulam, & normam fidei eum assiduè tenuerunt. Atque ipse etiam Polycrates, qui inter vos omnes postremus sanè fero, ex Majorum meorum, & cognatorum traditione, quorum libenter insisto vestigiis, illud ipsum perpetuò observo.*

Et infrà, hæc subjungit: *Ego igitur, Fratres, qui sexaginta quinque annos in Domino vixerim, qui multa cum Fratribus per orbem terrarum dispersis de fide communicarim, qui universam sacram Scripturam studiosè evolverim, his, quæ nobis ad terrorem objiciuntur, minimè conturbor. Mei enim Majores dixerunt, Magis Deo, quam hominibus obtemperandum.* Quæ verba innuunt jam tum Victorem Episcopum Romanum excommunicationem Asiaticis interminatum fuisse, cujus metu se à pristina sententia, & observatione nullatenus dimoveri significat.

Denique de Episcopis, qui ipsi in Concilio suffragati sunt, hæc subjungit: *Possem hoc loco Episcopos, qui mihi in Concilio aderant, commemorare: quos ut accerserem à vobis rogatus, diligenter accersebam, Quorum nomina si subscriberem, nimis multa viderentur. Qui licèt me hominem, cùm persona humilem, tum ingenio pertenui animadverterent: tamen cùm intelligerent me istos canos non frustra gessisse, nec ætatem hactenus contrivisse temerè, sed semper in Christo Jesu vitam traduxisse, Epistolam hanc sua approbatione confirmarunt.* Igitur Polycrates, celebrato Ephesi Concilio, consuetudinem firmavit à cæteris Ecclesiis reprobatam, de Paschate celebrando Luna 14. in quemcunque diem incideret.

Confirmatur ex Sancto Hieronymo, in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum cap. 56. *Polycrates,* inquit, *Ephesiorum Episcopus, cum cæteris Episcopis Asiæ, qui juxta quandam veterem consuetudinem, cum Judæis 14. Luna Pascha celebrabant, scripsit adversus Victorem Episcopum Romanum Epistolam Synodicam, in qua docet, se Apostoli Joannis, & Veterum auctoritatem sequi.* Refert subinde Sanctus Hieronymus eadem, quæ modò retulimus ex Eusebio, & se istud Epistolæ fragmentum posuisse ait, ut ingenium, & auctoritatem Viri ex parvo Opusculo demonstraret.

## ARTICULUS III.

### *Quid Concilium Palæstinum de celebratione Paschatis decreverit?*

CUm Ecclesiæ certatim Concilia celebrarent, ederentque Decreta de legitimo Paschatis celebrandi tempore, Palæstinæ Episcopi in unum convenerunt, anno circiter Christi 198. Victore Pontifice Maximo, Severo IV. Imperii sui annum agente. Huic autem Concilio præerat Theophilus Cæsariensis Episcopus. Post quem primas tenebat Narcissus Episcopus Hierosolymorum. Quid porro decreverit illa Synodus Propositio sequens exponit.

## PROPOSITIO.

*Synodus Palæstina celebrationem Paschatis Dominica proximè sequenti Lunam decimam quartam primi mensis, rationibus exquisitis ducta illigavit.*

Probatur prima pars auctoritate Eusebii, lib. 5. cap. 22. *Concilia,* inquit, *& Conventus Episcoporum*

*rum in unum cogebantur, & omnes una sententia Decretum Ecclesiasticum, nempe ut non alio die aliquando, quam Dominico, Mysterium Domini Resurrectionis à mortuis celebraretur, & ut in hoc solo jejuniorum, quæ circiter Pascha fieri solent, finem faceremus, per Literas ad omnes Ecclesias scriptas ratum faciebant. Decretum autem Episcoporum, qui tum erant in Palæstina convocati, ad hanc usque ætatem scriptis custoditum est. In quorum Synodo Theophilus Cæsariensis Ecclesiæ Episcopus & Narcissus Episcopus Hierosolymorum Præsides fuerunt.* Suam porro Epistolam Synodicam his verbis concludebant Palæstini Episcopi: *Epistola nostra exemplaria facile ad quamque Ecclesiam mittantur, ne culpa illorum, qui temerè & inconsultò suas ipsorum animas erroris pravitate inficiunt, in nos ullo modo transferatur. Illud vos minimè ignorare volumus, quòd Alexandriæ etiam eodem die quo nos, istud Festum agunt. Siquidem tum à nobis ad illos, tum ab illis ad nos perferuntur Literæ, ut cum summo consensu unà istum diem sacro-sanctum augustè & religiosè celebremus.* Hæc illi apud Eusebium, lib. 5. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 25. Ergo Synodus Palæstina celebrationem Paschatis Dominicæ proximè sequenti Lunam decimam quartam Primi Mensis illigavit.

Confirmatur auctoritate S. Hieronymi, in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum cap. 54. *Theophilus*, inquit, *Cæsareæ Palæstinæ Episcopus, sub Severo Principe, adversùs eos, qui 14. Luna cum Judæis Pascha faciebant, cum cæteris Episcopis, Synodicam valde utilem composuit Epistolam.*

Probamr secundò ex Venerabili Beda, lib. de Æquinoctio Verno ad Wichredam Presbyterum. *Papa Victor*, inquit, *direxit auctoritatem, ad Theophilum Cæsariensis Palæstinæque Antistitem, ut quomodo Pascha recto jure à cunctis Catholicis celebraretur Ecclesiis, inibi fieret ordinatio, ubi Dominus & Salvator mundi fuerat in carne versatus. Percepta itaque auctoritate, prædictus Episcopus, non solùm de sua Provincia, sed etiam de diversis regionibus omnes Episcopos evocavit.*

Probatur secunda pars, exponendo rationes quibus moti sunt Palæstini Episcopi, quas refert idem Venerabilis Beda, loco mox citato. Primò itaque probarunt primam mundi diem fuisse Domolcam; quia *Requievit Deus die septima ab omni opere suo*, quem diem Sabbatum appellavit. *Cùm ergo novissimum diem designet Sabbatum, quis*, inquiunt, *potest esse primus nisi Dominicus dies?*

Secundò probarunt, primum mundi tempus esse Vernum, quia scriptum est: *Germinet terra herbam feni secundum genus suum, & lignum pomiferum ferens fructum suum.* Hoc autem Verno tempore contingit.

Tertiò constituerunt mundum conditum esse in Æquinoctio, octavo Calendas Aprilis. Scriptum est enim, quia *Fecit Deus lucem, & vocavit lucem diem: & fecit tenebras, & vocavit tenebras noctem, & divisit inter lucem & tenebras æquas partes.*

Quartò sanxerunt conditum fuisse mundum in Plenilunio, quia scriptum est; *Et fecit Deus duo luminaria magna: & posuit ea in firmamento cæli, ut luceant super terram: Luminare majus in inchoationem diei; Luminare minus in inchoationem noctis*; quod esse non poterat nisi in Plenilunio.

Quintò decreverunt, Pascha celebrandum esse die Dominico, quia innumeris benedictionibus sanctificatus est hic dies. Prima namque hujus diei benedictio est, depulsio tenebrarum, & creatio lucis. Secunda, liberatio populi de terra Ægypti, & transitus per mare Rubrum, quo Christianorum liberatio per Baptismum adumbrata est. Tertia, cælestis cibi, Mannæ scilicet, ea die in castra Israëlitarum illapsus. Quarta, præceptum à Moyse populo datum his verbis: *Sit vobis observatus dies primus, & novissimus.* Quinta, quia in Psalmo 117. de Resurrectione Domini dicitur: *Hæc est dies, quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea.* Sexta, quia Christi Domini Resurrectione consecrata est.

His rationibus moti Palæstini Patres, decreverunt Pascha celebrandum esse Dominica die proximè sequente Lunam 14. primi mensis, post Æquinoctium Vernum affulgentem: ergo rationibus exquisitis moti, Pascha Dominicæ proximè sequenti Lunam 14. primi mensis illigarunt.

Constituerunt porro limites Paschalis Festivitatis undecimum Calend. April. & undecimum Calend. Maiar. ita ut aliqua ex Dominicis illo temporis intervallo intercurrentibus, Pascha celebrandum esset. At cum Astronomicas illorum rationes accuratas omnino non fuisse constaret tempore Nicæni Concilii, limites illi fuerunt à magna Synodo immutati. Sed & Nicænorum Patrum limes postea ab Ecclesia reformatus est, Astronomicis rationibus accuratiùs expensis.

## ARTICULUS IV.

### *Utrum Controversia de tempore legitimo celebrandi Paschatis, ad fidem, vel ad disciplinam duntaxat pertineret.*

Ecclesiasticarum Quæstionum aliæ Fidem spectant, aliæ Disciplinam. Fidem spectant, quæ moventur de rebus à Deo revelatis, quarum veritas mutationem subire nullam possit, cui refragari nemo valeat absque nota hæreseos. Disciplinam spectant, quæ moventur de ritibus, aut consuetudinibus Ecclesiarum, quæ pro variis locis, & temporibus subire possunt mutationem. Unde suæ disciplinam Ecclesiæ quisque sequi licèt teneatur, ab ipsa discedit absque periculo hæreseos. Quærimus impræsentiarum quo loco habenda sit controversia, quæ Asianos inter & alias orbis Ecclesias intercessit de Paschate.

## PROPOSITIO I.

### *Quæstio de tempore legitimo celebrandi Paschatis, inter Asiaticos, & alias Ecclesias mota, meram spectabat disciplinam.*

Probatur. Quæstio mota ea de re quæ à variis Ecclesiis variè observatur, absque dispendio unitatis & pacis, meram spectat disciplinam: sed quæstio illa mota est ea de re quæ à variis Ecclesiis variè observabatur, absque dispendio unitatis & pacis: meram itaque spectabat disciplinam.

Major constat. Fides namque eadem est omnium Ecclesiarum (modò veræ sint) sola disciplina varia esse potest. Unde Sanctus Irenæus, lib. 1. adversùs Hæreses, cap. 3. ait: *Hanc fidem, quemadmodum prædiximus, Ecclesia, & quidem in universum mundum disseminata, diligenter custodit, quasi unam domum inhabitans, & similiter credit iis, videlicet quasi unam animam habens, & unum cor, & consonanter hæc prædicat, & docet, & tradit, quasi unum possidens os. Nam etsi in mundo loquelæ dissimiles sunt, sed tamen virtus Traditionis una & eadem est. Et neque hæ quæ in Germania fundatæ sunt Ecclesiæ aliter credunt & aliter tradunt: neque hæ quæ in Iberis sunt: neque hæ quæ in Celtis, neque hæ quæ in Oriente, neque hæ quæ in medio mundi sunt constitutæ.* Hinc Tertullianus lib. de Virginibus velandis: *Regula quidem Fidei*, inquit, *una omnino est, sola immobilis, & irreformabilis... Hac lege fidei manente, cætera jam disciplinæ & conversationis, admittunt novitatem correctionis.*

Probatur minor. Ecclesiæ Asiaticæ Pascha cele-

brabant Luna 14. in quemcunque diem incideret: Ecclesia verò Romana, & ferè omnes aliæ Ecclesiæ, sacram illam Solemnitatem agebant Dominica proximè sequente Lunam 14. nec propterea pax & unitas inter illas scissa fuit (ut constat ex congressu Sancti Polycarpi cum Aniceto Romano Pontifice, de quo Articulo 1. hujus Dissertationis egimus) quod etiam constat ex factis Pii, Hygini, Telesphori, Sixti, Romanorum pariter Pontificum, qui communicaverunt cum Ecclesiis Pascha celebrantibus Luna 14. & ad Episcopos illarum Ecclesiarum Eucharistiam miserunt (ut testatur Sanctus Irenæus in Epistola ad Victorem Summum Pontificem, quam refert Eusebius lib. 5. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 24.) ergo quæstio mota de legitima die celebrandi Paschatis, erat ea de re, quæ à variis Ecclesiis variè observabatur, absque dispendio unitatis, & pacis.

Confirmatur. Nisi solam spectasset Disciplinam illa quæ Asiaticas Ecclesias cum Victore Pontifice Romano, & aliis Ecclesiis, commisit controversia, Sanctus Irenæus non deterruisset Victorem ab anathemate infligendo tot Ecclesiis *Propter Traditionis ex antiqua consuetudine inter illas usurpatæ observantiam.* Non enim anathema ab hæreticis avertisset Vir Apostolicus Irenæus: atqui ille Victori auctor fuit, *ne tam multas Ecclesias omnino, propter Traditionis ex antiqua consuetudine inter illas usurpata observationem, à corpore universæ Christi Ecclesiæ penitus amputaret* (ut testatur Eusebius, lib. 5. Historiæ cap. 24.) Ergo controversia, quæ Asiaticas Ecclesiis cum Victore Pontifice Romano commisit, solam spectabat Disciplinam.

Probatur major. Sanctus enim Irenæus non orasset Victorem ut à Communione non suspenderet eos cum quibus nulla esse debebat Communio, & quibus nec Ave dicendum erat. Porro si quæstio fuisset de fide, hæretici fuissent Asiatici; ac proinde jure Communionis excidissent. Unde Tertullianus ait de hæresibus: *Probent se quaquà putant Apostolicas. Sed adeo nec sunt, nec probare possunt quod non sunt: nec recipiuntur in pacem & communicationem ab Ecclesiis quoquomodo Apostolicis; Scilicet ob diversitatem Sacramenti nullomodo Apostolica* (lib. de Præscriptionibus cap. 32.)

Objicitur primò. Ea quæstio Disciplinam duntaxat non spectabat, sed fidem, si illi hæreseos damnati sint, qui Pascha Luna 14. celebrabant; sed illi hæreseos damnati sunt, & vocati Quartodecimani; quos Sanctus Epiphanius inter hæreticos recenset, Hæresi 50. & Theodoretus lib. 3. Hæreticarum Fabularum cap. 4. & Sanctus Augustinus lib. de Hæresibus cap. 29. Ergo quæstio illa non spectabat Disciplinam duntaxat, sed Fidem.

Respondeo primò, distinguo minorem. Hæreseos damnati sunt, post Nicænum Concilium, esto: ante Nicænum Concilium, nego. Subdistinguo iterum. Hæreseos damnati sunt post Nicænum Concilium, quia legem Mosaicam excitare, ejusque observantias cum Evangelio velle conjungere præsumebantur, concedo. Ob eam præcisè rationem quòd Pascha Luna 14. celebrarent, nego. Itaque post Nicænum duntaxat Concilium inter hæreticos à Patribus numerati sunt Quartodecimani; quia contra totius Ecclesiæ Decretum, & morem, Pascha Luna 14. celebrabant, suamque pertinaciter propugnabant consuetudinem, Concilio Oecumenico morem gerere renuentes. Unde præsumebat Ecclesia ex illorum pervicacia, ipsos Nazaræorum hæresim clam profiteri, qui Legis observantiam cum Evangelio conjungebant. Unde Sanctus Epiphanius Hæresi 50. de illis ita scribit. *Qui cæteris in rebus cum Ecclesia consentientes, hoc ipso ab omnibus aberrant, quòd non illius institutis, doctrinæque consentanea quadam amplexi sunt. Nam & Judaicis insuper fabulis inhærent.* Sed ante Nicænum Concilium Asiatici hæreseos notâ inuri propterea non poterant quòd Pascha Luna 14. celebrarent, tum quia certum erat ipsos Judaicas observantias excitare nolle, cùm essent viri sanctissimi: tum quia res nondum ad examen Plenarii Concilii delata fuerat, in quo veritas eliquaretur. Unde sicut Sanctus Cyprianus & Africani Episcopi, pluresque ex Orientalibus, non sunt inter hæreticos numerati, licet Baptisma hæreticorum iterarent; quia nondum celebratum fuerat Concilium Plenarium quo ista controversia dirimeretur; hæretici autem habiti sunt Donatistæ, qui rebaptizabant, post Concilii Plenarii Decretum: ita Quartodecimani post Concilii Nicæni Decretum Pascha Luna 14. primi mensis celebrantes, à Patribus vocati sunt hæretici: Asiatici verò Episcopi tam infami notâ inusti non fuerunt, nec inuri debuerunt, licet Pascha eodem die celebrarent, quo Judæi, quia nullum ea de re Concilii Oecumenici Decretum editum fuerat. Unde hac in causa usurpare licet, quod Sanctus Augustinus, lib. 7. de Baptismo adversùs Donatistas cap. 7. in quæstione de rebaptizandis hæreticis dixit: *Quæstionis hujus obscuritas magnos viros, & magna charitate præditos Patres Episcopos ita inter se compulit salva pace disceptare: ut diu Conciliorum in suis quibusque regionibus diversa statuta nutaverint: donec Plenario totius orbis Concilio, quod saluberrimè sentiebatur, etiam remotis dubitationibus, firmaretur.*

Respondeo secundò. Distinguo aliter minorem, & Patres qui Quartodecimanos inter hæreticos numerarunt, nomen hæreseos latiùs usurparunt, prout scilicet quamcunque sectam ab Ecclesia divisam significat, concedo. Et nomen istud in strictiori significatione sumpserunt, prout significat pertinacem in aliquo fidei capite dissentionem ab Ecclesia, nego. Hinc Sanctus Epiphanius Audianos, qui in eodem cum Quartodecimanis errore versabantur, Schismaticos esse, non propriè Hæreticos, notat in Indiculo Hæreseon lib. 3. Tom. 1. *Audianorum*, inquit, *propriè schisma ac defectio, non hæresis est.* De quibus tamen Hæresi 70. ait: *Cum Judæis Pascha celebrare volunt: hoc est, quo tempore Judæi azyma sua peragunt, tunc illi Paschatis celebritatem obeunt, ut ab Ecclesia dissentire videantur. Quod videlicet olim hæc in Ecclesia consuetudo recepta fuerit.*

Nec verò negat Sanctus Epiphanius hanc olim consuetudinem nonnullis in Ecclesiis viguisse, sed solùm calumniæ & falsitatis reos agit Audianos quòd dicerent, Ecclesiam consuetudinem antiquam & Traditionem paternam de tempore celebrandi Paschatis deseruisse, & immutasse, ut se ad Constantini Imperatoris nutum accommodaret.

Objicitur secundò: Qui Canones Apostolicos violabant, illi inter hæreticos erant numerandi; sed Asiatici, qui Pascha celebrabant Luna 14. Canones Apostolicos violabant, Ergo erant hæretici.

Respondeo, nego majorem. Cùm enim multa illis Canonibus sancita sint solam spectantia Disciplinam, non erant hæretici quicumque illos violabant. Sed nec hæresis notam illis affingit Canon Apostolicus, qui eodem, quo Judæi tempore Pascha celebrarent, sed solam exauctorationis pœnam in Clericos ita celebrantes decernit: *Si quis Episcopus*, inquit, *aut Presbyter, aut Diaconus Sanctum Paschæ diem ante Vernale Æquinoctium, cum Judæis celebraverit, abjiciatur.* (Canone 8 Apostolorum.)

Respondeo secundò, nego minorem. Neque enim illi Canones verè sunt Apostolici, ut propria Dissertatione probavimus, neque tunc temporis extabant. Alioqui Victor eos Asiaticis objecisset, nec illi suam consuetudinem Sancto Joanni Apostolo acceptam referre ausi essent, si ab omnibus Apostolis edito Canone fuisset reprobata.

PROPOSITIO

## PROPOSITIO II.

*Ex Apostolica Traditione manaverat Ecclesiæ Romanæ aliarumque Ecclesiarum disciplina, Pascha celebrantium Dominica Lunam 14. primi Mensis immediatè sequente.*

Probatur primò ex facto Victoris Primi Pontificis Maximi, qui excommunicationem interminatus non esset Asiaticis, in re quæ solam spectabat disciplinam, nisi disciplina illa cujus ad observantiam compellere volebat Asiaticos, ex Apostolica Traditione derivata esset. Certè si in Ecclesia Romana *Semper conservata est ea, quæ est ab Apostolis Traditio* (ut testatur Sanctus Irenæus libro 3. adversùs Hæreses, cap. 3.) certum est Traditionem illam fuisse Apostolicam, cùm in Ecclesia Romana servata semper fuerit.

Probatur secundò auctoritate Eusebii lib. 5. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 25. *Episcopi verò*, inquit, *quos modo percensuimus, Narcissus, & Theophilus, & unà cum illis Cassius Ecclesiæ Tyri Episcopus, & Clarus, qui Ptolemaidis rexit Ecclesiam, quique cum istis in Palæstina in unum convenerant, simul atque in Decreto suo de Paschatis Traditione, ex Apostolorum successione gradatim ad eos deducta, permulta disseruerunt, in extrema parte ejusdem hæc praterea his fere verbis adjungunt*, &c. Ex quibus sic colligo: Decretum Palæstinorum Antistitum de Paschatis celebratione, morem Ecclesiæ Romanæ confirmabat (ut constat ex Eusebio lib. 5. cap. 22. & ex Beda Venerabili in libro de Æquinoctio Verno) Sed Decretum Palæstinorum Episcoporum exactum est ad regulam Traditionis ex Apostolorum successione gradatim ad eos deductæ: Ergo disciplina Romanæ Ecclesiæ in tempore observandi Paschatis, ex Apostolorum Traditione manaverat.

Probatur tertiò, ex iis quæ inter Acesium Novatianum Episcopum, & Constantinum Imperatorem gesta sunt, cùm ipsum Constantinus ad se accersivit sub finem Concilii Nicæni. Interroganti enim Imperatori, utrum ipse & eidem Fidei, & Decreto quoque de Paschatis observatione assentiretur, respondit: *Nihil novi, ô Imperator! Concilium decrevit, statuitque. Nam antiquitus à primis Ecclesiæ jactis fundamentis, & ab Apostolorum temporibus, eandem fidei decisionem derivatam fuisse, & idem tempus Festi Paschatis celebrandi observatum, accepi.* Ergo ipsis hæreticis fatentibus, Romanæ, aliarumque Ecclesiarum Disciplina quoad celebrationem Paschatis Dominica proximè sequente Lunam decimam quartam, ex Apostolica Traditione manaverat.

*Socrates lib. 1. Histor. cap. 10.*

Probatur quartò, testimonio Sancti Leonis Magni in Epistola ad Proterium Patriarcham Alexandrinum, qua respondet ipsius Epistolæ ad Sedem Apostolicam directæ, ut Circuli Decemnovennalis à Theophilo Alexandrino conscripti ad inveniendum legitimum Paschatis celebrandi diem, rationem redderet. In hac autem Epistola, quam citat Venerabilis Beda, libro de Temporum Ratione, cap. 42. testatur Sanctus Leo Ecclesiam Romanam accepisse à Sancto Petro disciplinam celebrationis Paschatis Dominica proximè sequente Lunam 14. eandemque Disciplinam traditam fuisse Alexandrinæ Ecclesiæ à Sancto Marco: *Lætificaverunt me Literæ Dilectionis tuæ*, inquit, *quas Frater & Coepiscopus noster Nectarius pio adportavit officio. Oportebat enim ut ab Alexandrina Ecclesia Præsule talia scripta ad Sedem Apostolicam mitterentur, quæ ostenderent magisterio Beatissimi Petri Apostoli hoc ab initio per Beatum Marcum ejus discipulum didicisse Ægyptios, quod constat credidisse Romanos.* Ergo ex Apostolica Traditione manaverat Romanæ Ecclesiæ, & aliarum Ecclesiarum in tempore celebrandi Paschatis Disciplina.

Probatur quintò ex Epistola Ceolfridi, Monasterii Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli in Anglia Abbatis, ad Naitanum Pictorum Regem, in qua hæc habet: *Tres sunt ergo regulæ sacris indita Literis, quibus Paschæ celebrandi tempus nobis præfinitum nulla prorsus humana licet auctoritate mutari. e quibus duæ in lege Moysi divinitus statutæ, tertia in Evangelio per effectum Dominicæ Passionis, & Resurrectionis adjuncta est. Præcepit enim Lex ut Pascha primo mense anni, & tertia ejusdem anni septimanâ, id est, à 15. die usque ad 21. fieri deberet. Additumque est per institutionem Apostolicam ex Evangelio, ut in ipsa tertia septimana diem Dominicam expectare, atque in ea temporis Paschalis initium tenere debeamus. Quam videlicet regulam triformem, si quis ritè custodierit, nusquam in annotatione Festi Paschalis errabit.*

Et infrà: *Postquam verò Pascha nostrum immolatus est Christus, diemque, nobis Dominicam, quæ apud antiquos una, vel prima Sabbati, sive Sabbatorum vocatur, gaudio suæ Resurrectionis fecit esse solemnem, ita hanc nunc Apostolica Traditio Festis Paschalibus inseruit, ut nihil omnino tempore Paschæ legalis præoccupandum, nihil minuendum esse decerneret, quin potiùs statuit ut expectaretur, juxta præceptum Legis, idem Primus anni Mensis, expectaretur quarta decima dies illius, expectaretur vespera ejusdem, Et cùm hæc dies in Sabbatum fortè incideret, tolleret unusquisque agnum per familias & domos suas, & immolarent eum ad vesperam; id est, præpararent omnes Ecclesiæ per orbem, quæ unam Catholicam faciunt, panem & vinum in Mysterium Carnis & Sanguinis Agni immaculati, qui abstulit peccata mundi, præcedente congrua lectionum, orationum, & cæremoniarum Paschalium solemnitate, offerrent hæc Domino in spem futuræ suæ redemptionis.*

Et infrà: *Si ergo fieri posset ut semper in diem 15. Primi Mensis, id est, in Lunam decimam quartam Dominica dies incurreret, uno semper, eodemque tempore cum antiquo Dei Populo, quamquam Sacramentorum genere discreto, sicut una eademque fide, Pascha celebrare possemus. Quia verò dies septimana non æquali cum Luna tramite procurrit, decrevit Apostolica Traditio, quæ per Beatum Petrum Romæ prædicata, per Marcum Evangelistam, & Interpretem ipsius Alexandriæ confirmata est, ut adveniente Primo Mense, adveniente in eo vespera diei 14. expectetur etiam dies Dominica à 15. usque ad 21. diem ejusdem Mensis. In quacunque enim harum inventa fuerit, meritò in ea Pascha celebrabitur.*

Et infrà: *Hic autem, quem vobis sequendum monstramus, computus Paschæ, Decennovali circulo continetur, qui dudum, hoc est ipsis Apostolorum temporibus, observari in Ecclesia cœpit, maximè Romæ & Ægypti.*

Refertur hæc Ceolfridi Abbatis Epistola à Beda, lib. 5. Historiæ Ecclesiasticæ Gentis Anglorum cap. 22.

Objicitur primò. Quod ex Apostolica Traditione manavit, idem fuit in omnibus Ecclesiis. Sed tempus celebrandi Paschatis non fuit idem observatum in omnibus Ecclesiis: ergo non manavit ex Apostolica Traditione.

Præterea. Asiatici morem suum ex Traditione à S. Joanne Apostolo accepta derivabant: ergo vel Apostolorum Traditiones contrariæ fuerunt, vel Romanæ Ecclesiæ disciplina de tempore celebrandi Paschatis, ex Apostolica traditione non manavit.

Respondeo, distinguo majorem. Idem fuit in omnibus Ecclesiis, si ad fidem spectet, concedo; si ad disciplinam, nego. Nam trina immersio in baptismate verbi gratiâ, ex traditione Apostolica derivata est. Hic tamen ritus non eodem semper tenore in omnibus Ecclesiis observatus fuit: imò quandoque unica immersio fuit præcepta in quibusdam Ecclesiis, (ut de Hispaniensi constat ex Concilio Toletano 4. Canone 5.) Cùm igitur ad meram Disciplinam spectaret Paschatis observatio certa quadam ac præstituta die, non mirum quod eadem primis Sæculis non fuerit in omnibus Ecclesiis.

Respondeo ad secundum, distinguo antecedens. Ex traditione propriè dicta, id est ex lege lata, sive ex mandato Apostolico tradito à Sancto Joanne, nego; id est, ex consuetudine quæ in exemplo Sancti Joannis fundata esset, concedo. Itaque non sequitur Apostolorum traditiones contrarias fuisse. Quia Romana, & aliæ Ecclesiæ disciplinam observandi Paschatis Dominica proximè sequente Lunam decimam quartam ex Traditione Apostolorum proprie dicta, id est, ex instiutione, lege, & mandato Apostolico Sanctorum Petri & Pauli acperant. Asiaticæ verò Ecclesiæ disciplinam suam celebrandi Paschatis Luna ipsa decimaquarta primi Mensis, non acceperant ex Traditione propriè dicta, id est, ex lege, institutione, & mandato Apostolico Sancti Joannis; sed ex illius duntaxat exemplo, quod secuti Sanctus Polycarpus, aliique Viri Sanctissimi, consuetudinem stabiliverant. Hinc Polycrates in Epistola ad Victorem, quam refert Eusebius lib. 5. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 23. consuetudinem quidem urget, nullius legis, aut Apostolici Mandati meminit, licèt ex veteris moris præjudicio observantiam illam Evangelii præscripto, & regulæ fidei consonam prædicet. Hinc Eusebius ipse cap. 22. ejusdem libri, disertè distinguit disciplinam & morem Asiaticarum Ecclesiarum, & Romanæ, aliarùmque cùm Orientalium, tum Occidentalium: & priorem quidem vocat *Antiquam quandam Traditionem*, quo nomine vetus quælibet Ecclesiarum consuetudo, etiam si non sit ab Apostolis accepta, designari potest: posteriorem verò vocat, *Traditionem Apostolicam. Quoniam verò*, inquit, *illis temporibus de Festo Paschatis in honorem Servatoris observando, non exigua propterea concitata erat controversia, quòd omnes Ecclesiæ Asiæ antiquâ quadam traditione adducta, censebant 14. die Lunæ Festum illud celebrandum; & omnino eo die, in quemcumque hebdomadæ diem fortè incideret, jejuniis finem statuendum: & quòd non in more positum esset, cæteris Ecclesiis per universum terrarum orbem dispersis, quæ consuetudinem ex Apostolica Traditione ad hoc usque tempus continuatam tenebant, istum modum observare: Idcirco Concilia, & Conventus Episcoporum in unum cogebantur: & omnes unâ sententiâ Decretum Ecclesiasticum, nempe ut non alio die aliquando, quàm Dominico Mysterium Domini Resurrectionis à mortuis celebraretur, & ut in hoc solo jejuniorum, quæ circiter Pascha fieri solent, finem faceremus, per Literas ad omnes Ecclesias scriptas ratum faciebant.*

Fateor itaque Sanctum Joannem, Pascha celebrasse Luna 14. quo tempore Judæi celebrabant: quia illud unum Apostolis curæ erat ut fidem propagarent, quæ autem non erant contra fidem & sanctitatem Christianæ Religionis, nedum patiebantur, sed interdum observabant ipsi, quatenùs ad Evangelii propagationem, & conciliandam pacem atque concordiam conducere videbantur. Fateor Sanctum Polycarpum, & alios Viros Sanctissimos eam consuetudinem secutos esse, quam Asiatici deinde Antistites pertinaciùs observarunt. Sed nego Sanctum Joannem lege lata, ac mandato Apostolico instituisse, ut Pascha sic in perpetuum celebraretur. Idque agnoverunt Asiaticæ ipsæ Ecclesiæ, saltem quamplurimæ, ante Nicæni Concilii celebrationem, ut constat ex Epistola Constantini Imperatoris ad Ecclesias, relata ab Eusebio, lib. 3. de Vita Constantini, cap. 16. 17. & 18. in qua testatur Pascha eodem tempore celebrari in Diœcesi Asiatica, & Pontica, ac in Ecclesia Romana. *Ipseque in me recepi*, inquit, *vestram Sapientiam facilè assensuram: vos videlicet, quod in urbe Roma, in Italia, in Africa in Ægypto, in Hispania, in Gallia, & Britannia, in Libya, & universa Græcia, in Diœcesi Asiatica, & Pontica, in Cilicia denique, una & consentiente sententia conservatur, hoc etiam vestrâ prudentiâ libentes approbaturos.*

Idem constat ex Sancto Athanasio, in Epistola de Synodis Arimini & Seleuciæ, in qua solos *Syros, Cilices, & Mesopotamos*, inter eos recenset, qui *in causa Festi claudicabant, atque unà cum Judæis Pascha celebrabant.*

Denique cùm plures Ecclesiæ, & quidem Apostolicæ, varias consuetudines habent, easque Apostolicas esse obtendunt, expendendum est quæ magis Disciplinæ Dei conveniat, pronuntiandumque illam esse Apostolicam, quæ Religioni Christianæ convenientior est, secundùm regulam Tertulliani, lib. de Velandis Virginibus, cap. 2. *Sed eas ego Ecclesias proposui*, inquit, *quas & ipsi Apostoli vel Apostolici Viri condiderunt. Habent igitur & illa eandem consuetudinis auctoritatem. Tempora & Antecessores opponunt magis quàm postera ista. Quid observabimus? Quid deligemus? Non possumus respuere consuetudinem, quam damnare non possumus, utpote non extraneam, quia non extraneorum, cum quibus scilicet communicavimus jus pacis, & nomen fraternitatis. Una nobis & illis fides. Unus Deus, idem Christus, eadem spes, eadem lavacri Sacramenta: semel dixerim, una Ecclesia sumus. Ita nostrum est, quodcunque nostrorum est. Tamen hic sicut in omnibus variè institutis, & dubiis, & incertis fieri solet, adhibenda fuit examinatio, quæ magis ex duabus tam diversis consuetudinibus Disciplina Dei conveniret.* Porro in Concilio Nicæno examinatæ sunt à trecentis decem & octo Patribus variæ consuetudines, quæ in Ecclesia obtinuerant circa tempus celebrandi Paschatis, quas æquè Apostolicas esse obtendebant Ecclesiæ, quæ illas sequebantur, & judicatum est Romanæ Ecclesiæ, aliarumque consuetudinem, Dominica proximè sequente Lunam decimam quartam Primi Mensis Pascha celebrantium, *Disciplinæ Dei*, & Christianæ Religioni convenientiorem esse. Unde illam esse verè ab Apostolis traditam judicatum est.

Objectio secunda petitur ex Constitutionibus Apostolorum, sic decernentium: *Vos temporum rationes ne subducite; sed eo tempore celebrate, quo Fratres vestri, qui ex Circumcisione prodierunt: Cum iis itaque Pascha peragite.* Ergo Disciplina Asiaticarum Ecclesiarum de tempore celebrandi Paschatis, potiùs ex Apostolica traditione manaverat, siquidem Pascha eodem cum Judæis tempore celebrabant, quàm Disciplina Romanæ Ecclesiæ.

Respondeo primò, cum Sancto Epiphanio, librum illum Apostolicarum Constitutionum dubiæ fuisse apud nonnullos Catholicos Doctores fidei. Ego verò illum æquè pseudepigraphum fuisse sentio, ac alterum qui eundem titulum præ se fert, & à Turriano editus est, quanquam in isto planè contraria fingatur ab Apostolis edita Constitutio (ut constat ex lib. 5. cap. 16.) Legatur Dissertatio nostra de Constitutionibus Apostolicis.

Respondeo secundò cum Sancto Epiphanio, Hæ-

sc

tesi 70. citatæ Constitutionis longè alium esse sensum quàm ipsi affingerent Audiani, qui ea abutebantur. Non enim ejus sensus est : Pascha celebrandum esse eodem tempore quo Judæi, sed eodem quo Christiani ex Judæis conversi, vel quo Episcopi Hierosolymitani priores, qui natione Judæi erant. Qui cum rationum Lunarium peritiores essent, poterant securiùs diem celebrandi Paschatis legitimum invenire. Unde non ait Constitutio, *Quo tempore Fratres vestri, qui in Circumcisione sunt, sed qui ex Circumcisione prodierunt* ( ut observat Sanctus Epiphanius. ) Deinde in iisdem Constitutionibus illud extabat præceptum : *Dum epulantur illi*, Judæi, *vos jejunantes pro illis lugete, quoniam Festo illo die Christum in Crucem sustulerunt. Cùmque illi lugentes azymis, & lactucis agrestibus vescentur, vos epulamini.* Ista autem mandari executioni non possunt, si cum Judæis Pascha celebremus. *Nonnunquam enim accidit ut Dominica die azymis utantur. Adveniente quippe Dominica vespera, Pascha suum immolare possunt. Posteaquam igitur sacrificaverint, si ad epulas consurgunt, nos Dominicam diem, quonam pacto luctu ac jejunio traducemus? Cùm Apostolos in illa Constitutione ita præcipientes audiamus : Qui afflixerit animam suam Dominica die, maledictus est Deo.* Hæc notat Sanctus Epiphanius. Sed melior est solutio prima, qua exploduntur illæ Constitutiones ut pseudepigraphæ. Si enim genuinæ essent, & jam fuissent in publica hominum luce tempore Victoris Romani Pontificis, illas proculdubio laudassent Asiatici, ut averterent à se anathema quod illis interminabatur ; suarumque consuetudinem Ecclesiarum, non exemplis solùm Sancti Joannis, Sancti Polycarpi, aliorumque Sanctissimorum Virorum, sed hujus etiam legis auctoritate vindicassent.

Objectio tertia petitur ex Socrate, lib. 5. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 21. dicénte : *Apostolis propositum fuit, non ut leges de Festis diebus celebrandis sancirent, sed ut recta vivendi rationis, & pietatis nobis authores essent. Mihi quidem certè videtur, sicut alia res multa in locis quibusque ex more quodam introducta fuerunt : ita Festum Paschatis, ex quadam consuetudine, apud singulos populos observationem privatam habuisse : propterea quòd nemo ex Apostolis legem de eo cuiquam edidit. Et quòd ex consuetudine potiùs, quàm ex lege, ab antiquis temporibus observari cœptum sit, rerum eventa perspicuè declarant.* Ergo Romanæ Ecclesiæ Disciplina ex Apostolica Traditione non manavit.

Respondeo primò hac in causa fidem non esse adhibendam Socrati, qui cùm fuerit sectâ Novatianus, Symmistas suos damnare noluit ; imo ipsis voluit patrocinari, innuendo rem esse indifferentem, quo tempore Pascha celebretur, quòd eade re nihil constitutum fuerit ab Apostolis. Enimverò Novatiani in tempore celebrandi Paschatis errarunt ( ut testatur ipse Socrates, cap. 22. ejusdem libri. ) *Novatiani*, inquit, *propter Festum Paschatis divisi fuerunt ; atque adeo de hac re non una est solùm inter illos divisio. Nam in variis Provinciis, non modò de Mense in quo illud Festum celebrari debet : sed etiam de diebus septimanæ illius, in qua celebratur, & de aliis rebus non magni momenti dissentientes, partim à seipsis segregantur, partim cohærescunt.*

Et cap. 21. testatur, Angari, quod est Emporium Bithyniæ, prope Helenopolim, Concilium Episcoporum Novatianorum convocatum fuisse in causa Sabbatii Novatiani Presbyteri, & Canonem de Festo Paschatis edidisse, quem ἀδιάφορον id est, indifferentem vocarunt, quo decreverunt

A cuique licitum esse eam consuetudinem in hoc Festo celebrando pro arbitratu sequi, quam jampridem sequi animo instituisset. Non mirum igitur quòd Socrates, ut faveret Novatianis, ipse Novatianus, scripserit Apostolos de observatione Paschatis legem nullam edidisse. Sed in hoc ejus testimonium rejiciendum est, & postponendum auctoritati Eusebii, & aliorum Autborum Ecclesiasticorum, qui Romanæ Ecclesiæ ritum in celebrando Paschate Dominica proximè sequente Lunam decimam quartam Primi Mensis, Apostolicæ Traditioni acceptum referunt.

B Respondeo secundò, nullam quidem extare legem ab Apostolis scriptam de Paschate certo tempore celebrando, ut ait Socrates, cap. 21. *Qui quarta-decima die Pascha celebrant*, inquit, *eum morem observandi à Joanne Apostolo ipsis traditum dicunt : qui autem Romam, & alias partes Occidentis incolunt, Petrum & Paulum Apostolos consuetudinem, quam illi tenent, ipsis reliquisse affirmant. Verùm nemo istorum omnium, testimonium de his rebus scriptis proditum proferre potest.* De hoc, inquam, assentior Socrati, sed nego Apostolos voce tenus, prædicatione & doctrinâ non scriptâ, nihil C præcepisse, & tradidisse de legitimo tempore Paschatis celebrandi.

## SCHOLION.

Ex eo quòd Quartodecimanos ante Nicænum Concilium Hæreticos non fuisse dixerim, Religiosi Censores hanc notam in Indiculo suo appinxerunt : *Docet aliquid ex quo sequitur illud hæresim non esse quod damnatur à Papa, & non à Concilio generali.*

R. Nihil docui ex quo id colligi posset ab iis qui rectè ratiocinantur : nec illam consequentiam approbo. Singulas Hæreses ante Concilium Nicænum exortas refero, earum Historiam describo, universas execror, præcipuas refello ; D Simonis Magi, Menandri, Saturnini, Basilidis, Cerinthi, Ebionis, Nicolaitarum, Helcesaitarum, Gnosticorum, Marcionis, Valentini, Encratitarum, Montanistarum, Apellis, Adamitarum, Ophitarum, Cainanorum, Hermogenis, Novatianorum, Sabellianorum, Pauli Samosatheni, Manichæorum, Donatistarum, quæ ut veræ hæreses habitæ sunt in Ecclesia ante ullius Concilii generalis celebrationem. Plures etiam refero secutis Sæculis natas, quæ vel à Regionalibus Conciliis, vel à Romanis Pontificibus, non à Conciliis generalibus damnatæ sunt, & nihilominus pro hæresibus sunt habitæ, & communi Fidelium execratione rejectæ. Nihil ergo à mente & doctrina mea alienum magis, quàm quod mihi affingitur ; *Hæresim non esse quod damnatur à Papa, & non à Concilio generali.*

E

## ARTICULUS V.

*Utrum Victor Romanus Pontifex Asiaticos Episcopos Pascha Luna 14. celebrantes, in eoque more pertinaces excommunicaverit?*

## PROPOSITIO.

*Victor Pontifex Maximus comminatoriis quidem literis perstrinxit Asianos veteris consuetudinis de celebrando Paschate Luna 14. retinentissimos ; sed hasit intra minas, nec ipsos à Communione reverà præcidit, pacem procurante Sancto Irenæo.* F

PRobatur primò testimonio Firmiliani in Epistola ad Sanctum Cyprianum, in qua bis verbis Romanos perstringit : *Eos autem, qui Romæ sunt, non ea in omnibus observare, quæ sint ab origine tradita, & frustra Apostolorum auctoritatem prætendere, scire quis etiam inde potest, quòd circa celebrandos dies Paschæ, & circa multa alia divinæ rei Sacramenta, videat esse apud illos aliquas diversitates, nec observari illic omnia æqualiter, quæ Hierosolymis observantur. Secundùm quod in cæteris*

*quoque plurimis Provinciis, multa pro locorum & hominum diversitate variantur, nec tamen propter hoc ab Ecclesia Catholica pace atque unitate aliquando discessum est.* Atqui ab Ecclesiæ Catholicæ pace atque unitate aliquando discessum esset propter varias observationes in tempore celebrandi Paschatis, si Victor eam ob rem Asiaticos excommunicasset : ergo Victor illos non excommunicavit.

Probatur secundò, ex Eusebio, lib. 5. cap. 24. ita scribente : *His rebus adductus Victor, qui tum Romanæ Ecclesiæ præerat, totius Asiæ Ecclesias cum aliis finitimis, tanquam alterius fidei & opinionis, simul omnes à communi unitate Ecclesiæ amputare conatur, & in eos per Literas graviter invehitur : atque adeo omnes Fratres eam incolentes regionem, prorsus a Communione secludendos edicit.* Ex quibus Eusebii verbis duò colliguntur : primùm, Victorem comminatoriis Literis Asianos perstrinxisse : secundùm, illos à Communione revera non præcidisse : edixisse quidem à Communione secludendos, nisi Pascha die Dominico celebrarent Lunam decimam quartam primi Mensis immediatè sequente, reipsa illos non seclusisse : conatum fuisse à communi unitate Ecclesiæ omnes amputare ; sed merum fuisse ac irritum ipsius conatum : minas intentasse ; non feriisse usquam, quia Sanctus Iræneus stetit in confractione in conspectu ejus, ut averteret iram ejus.

Pergit Eusebius. *Verùm ista cæteris omnibus parum placebant Episcopis. Illum igitur contra magnopere adhortabantur, ut pacis, concordiæ, & charitatis erga proximos diligentem curam haberet. Quorum verba, utpote Victorem acriùs & acerbius coarguentia, adhuc extant. Inter quos Irenæus, quamquam per Literas scriptas ex persona Fratrum in Gallia, quibus præerat, tradit Mysterium Resurrectionis Domini solo die Dominico recolendum quidem esse : Victorem tamen de hoc monet, videlicet ne tam multas Ecclesias omnino, propter Traditionis ex antiqua consuetudine inter illas usurpatæ observationem, à corpore universæ Christi Ecclesiæ penitus amputet.*

Ex quibus hoc struo ratiocinium. Frustra Victorem adhortati essent Episcopi ut pacis, concordiæ, & charitatis erga proximos diligentem curam haberet, si jam pacis jura violasset, si concordiæ fregisset fœdera, si charitatis Communionem abrupisset : imo ipsum abhortati fuissent, ut Asiaticos Ecclesiasticæ restitueret unitati ; sed Victorem adhortabantur cæteri omnes Episcopi, ut pacis, concordiæ & charitatis erga proximos diligentem gereret curam : credere igitur par est, Victorem hæsisse intra minas, neque anathemate feriisse Asiaticos, quod ipsis fuerat interminatus.

Secundò, anathema illud deprecatur Sanctus Irenæus, ac Victorem sedulò monet, imò dehortatur ardentiùs ne tam multas Ecclesias à corpore universæ Ecclesiæ penitus amputet : Non igitur amputaverat adhuc eas tremenda anathematis falce : Quis enim roget aliquem, ne malum inferat, quod jam intulit ?

His autem verbis ad Victorem scripsit Irenæus, suo & Gallicanæ Ecclesiæ nomine : *Presbyteri ante Soterem, qui Ecclesiæ, cui tu jam præes, præficiebantur, Anicetum dico, Pium, Hyginum, Telesphorum, Sixtum, licet neque ipsi hoc Festum eo die, quo Episcopi Asiæ observarent, neque aliis post se ita observare permitterent : Nihilominus tamen cum Episcopis illarum Ecclesiarum, in quibus ita observabatur, pacem inter se, & concordiam perpetuò retinuerunt, & nunquam, propter istum varium illius Festi observandi modum, fuere ulli ab Ecclesia aliquando ejecti : sed Presbyteri illi, qui te anteiverunt ætate, tametsi minimè illud ita observabant, his tamen Episcopis, qui in aliis Ecclesiis idem sic observabant, Eucharistiam miserunt.* Hæc, & reliquum Epistolæ Sancti Irenæi fragmentum refert Eusebius lib. 5. Historiæ c. 25.

Ex quibus sic colligo. Non est verisimile Victorem eos à Communione præcidisse, quibuscum ipsius Decessores pacificè communicaverant, & qui aliunde cum Ecclesia Romana aliisque Ecclesiis communicabant ; & in sola dissidebant Disciplina: atqui constat ex Sancto Irenæo, & ex Eusebio, Victoris Decessores pacificè communicasse cum Asiaticis, licèt Pascha Luna 14. celebrarent : ergo non est verisimile Victorem sat æquissimum & æquissimum Pontificem, contra tam illustria suorum Decessorum exempla, Asiaticos in mera Disciplinæ quæstione à Romana Ecclesia dissidentes, & cum ea aliisque Ecclesiis nihilominus communicantes, à Communione præcidisse.

Concludit denique Eusebius. *Irenæus autem, cum nominis sui appellationi (εἰρηναῖος enim pacis studiosum significat) pulchrè respondens, tum moribus, quibus se pacis Authorem verè declarabat, ejusmodi pro pace & concordia Ecclesiarum & hortatus est, & magnopere flagitavit. Atque ista, aliaque eisdem congruentia, non ad Victorem solum, sed etiam ad alios plerosque & diversos Ecclesiarum Præsides, de ista, quæ tum jactabatur, controversia conscripsit.* Ex quibus patet, Sanctum Irenæum pacis Authorem, & sequestrem se præstitisse Victorem inter & Asiaticos, quia anathema quod ipsis à Victore imminebat, avertit.

Sensum Eusebii assecutus omnino est Nicephorus, qui ejus ferè verba ubique exscribit, lib. 4. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 38. *Victor verò*, inquit, *Literis ejusmodi acceptis, extemplo Asiæ eique finitimas Ecclesias, veluti alienum, atque diversum dogma propugnantes, rejicere, & ab unitate Catholica arcere, in animo habebat. Quam ob causam & subitò literas conscripsit, quibus illos publicè notabat, omnesque simul à Communione prohibebat. Atque ille quidem ejusmodi sumpserat consilium. Verùm id aliis, qui cum eo erant, Episcopis minùs placuit. Itaque illum sunt adhortati, ut benigniùs per consilia pacata, de iis qui idem fidei prædicarent dogma, statueret : neque tam facilè re intentata, proximorum abjiceret & posthaberet utilitatem. Sensim id & doctrinâ & tempore aliquando corrigi ac perfici posse, & acrius severiùsque cum illo, qui gloria eos anteiret, egerunt, inter quos & Irenæus erat, ut quidem ex eo Scripto, quod Gallicarum Ecclesiarum, quas regebat, nomine ad Victorem dedit, apparet. Adstruit quippe & ipse, debere quidem omnino Dominica die Pascha peragi : Nequaquam tamen Victori permittit, ut tantam Ecclesiarum multitudinem ab Ecclesiastica unitate segreget.*

Et cap. 39. *Quapropter egregiè, ut aptissimo nomini suo responderet, Pacificator Irenæus fuit, qui sic intercessione sua pacem Ecclesiæ conciliarit, & non modò cum Victore, sed etiam cum aliis permultis Ecclesiarum Antistitibus congruentia, convenientiaque eis, quæ diximus, de proposita quæstione afferendo egerit.*

Vides ut Victor Asiaticos à Communione arcere in animo habebat ? Ut ejuscemodi sumpserat consilium ? Ut rogaverit Irenæus, ne illos ab Ecclesiastica unitate segregaret ? Non igitur ipsos revera segregaverat, neque tam durum executioni demandaverat adhuc consilium ; sed cum alii Episcopi, cùm maximè Sanctus Irenæus, gravioribus Epistolis hoc fulmen à Fratrum suorum cervicibus depulerunt.

Probatur tertiò ex Sancto Hieronymo in Catalogo

logo Scriptorum Ecclesiasticorum cap. 46. ubi de Sancto Irenæo ita scribit: *Feruntur ejus & aliæ ad Victorem Episcopum Romanum, de quæstione Paschæ Epistolæ, in quibus commonet eum, non facilè debere unitatem Collegii scindere. Siquidem Victor multos Asiæ, & Orientis Episcopos, qui 14. Luna cum Judæis Pascha celebrabant, damnandos crediderat, in qua sententia ii, qui discrepabant ab illis, Victori non dederunt manus.* Ergo non damnaverat Asiaticos anathemate Victor Pontifex Maximus, licèt damnandos credidisset.

Probatur quartò auctoritate Photii, in Bibliotheca, Codice 120. ubi Scripta Sancti Irenæi recensens, ait: *Victor ea tempestate Romæ Pontificium tenuit: quem crebris Literis hortatus est Irenæus, ne ob Paschatis dissensionem ab Ecclesia aliquos abdicaret.* Sed qui hortatur aliquem ne alios abdicet, nondum fuisse abdicatos manifestè supponit: ergo quo tempore scripsit ad Victorem Irenæus, Victor Asiaticos Antistites non secluserat à Communione, sed comminatoriis duntaxat Literis perstrinxerat, ut his nimis territi, Romanæ Ecclesiæ, aliarumque in tempore celebrandi Paschatis Disciplinam amplecterentur.

Objicitur primò. Abdicatus est Blastus Presbyterii gradu, eo quòd Pascha celebrandum Luna 14. propugnaret, teste Eusebio libro 5. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 14. Ergo etiam verisimile est Asiaticos, quorum par erat causa, fuisse à Victore Pontifice Maximo anathemate damnatos & à Communione præcisos.

Respondeo, distinguo antecedens. Blastus abdicatus est, quòd eos qui Dominica sequente Pascha celebrarent, velut à fide alienos aversaretur; quòd schisma faceret, & ad hæresim Valentini insuper defecisset, concedo. Abdicatus est præcisè eò quòd Pascha celebrandum Luna 14. contenderet, nego. Damnatus est itaque Blastus, primò quia propter controversiam de tempore celebrandi Paschatis ab Ecclesiæ Communione discessit, novam sectam condere, & Fidelium plurimos ab Ecclesiæ sinu spiritu schismatico distrahere gestiens, (ut testatur Eusebius lib. 5. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 14.) *Nonnulli*, inquit, *Hæretici, Romæ vigebant: quorum Florinus Presbyterii Ecclesiastici gradu abdicatus, & Blastus persimili implicatus errore, pariter cum illo principatum obtinuit. Isti certè complures alios, quasi ab Ecclesiæ complexu abstrahentes, in suam pertraxere sententiam. Quorum uterque separatim novam sectam ad veritatem evertendam excogitare laboravit.*

Secundò Blastus abdicatus est, quia Judaismum volebat in Ecclesiam introducere, ut testatur Author Supplementi ad librum Tertulliani de Præscriptionibus, cap. 53. *Est præterea*, inquit, *his omnibus etiam Blastus accedens, qui latenter Judaismum vult introducere. Pascha enim dicit non aliter custodiendum esse, nisi secundum legem Moysi, 14. mensis. Quis autem nesciat, quoniam Evangelica gratia evacuatur, si ad Legem Christum redigit?* Asiatici verò nihil hujusmodi moliti sunt; neque Romanæ Ecclesiæ damnarunt consuetudinem; neque extinctas dudum legis Mosaïcæ observantias suscitare voluerunt; nec asseruerunt usquam non posse Paschatis Solemnitatem celebrari extra Lunam 14. absque dispendio salutis: sed consuetudinis, quam Traditionem Apostolicam existimabant, tenacissimi, cum iis qui aliter Pascha agerent, Communione conjuncti semper extiterunt; nec ab Ecclesia Romana, quæ centrum est unitatis Ecclesiasticæ, sese ullatenus diviserunt. Unde etsi Blastus abdicatus meritò fuerit, & anathemate damnatus; non est verisimile Asiaticos, quorum tam dispar erat causa, fuisse anathemate perculsos.

Tertiò Blastus sanam & sinceram Ecclesiæ Romanæ consuetudinem depravare studuit, cui obsequi debebat, utpote illius Ecclesiæ Presbyter. Asiatici verò suarum consuetudinem Ecclesiarum, & quasi Traditionem propugnabant: unde cùm ipsis duriùs egisset Victor, si illos ab Ecclesiæ unitate præcidisset.

Quartò Blastus ad Valentini Sectam defecit, ut testatur Theodoretus lib. 1. Hæreticarum Fabularum c. 23. *Sed & Florinus & Blastus*, inquit, *Presbyterorum in albo Romæ conscripti, in Valentini pestem declinarunt.* Asiatici verò fidei fuerunt integerrimæ, & plures etiam ex illis sanctitate insignes. Unde est dispar omnino ratio.

Objectio secunda petitur ex auctoritate Sancti Epiphanii, Hæresi 70. quæ est Audianorum, dicentis: *Nec illud eruditis hominibus ignotum est, quam sæpe diversis temporibus, de illius Festi celebritate varii Ecclesiasticæ disciplinæ tumultus, ac contentiones obortæ sint, præsertim Polycratis**, *ac Victoris ætate, cùm Orientales ab Occidentalibus divulsi, pacificas à se invicem Literas nullas acciperent. Quod idem & aliis temporibus accidit: velut Alexandri Episcopi Alexandrini, & Crescentii: quemadmodum contra se mutuò scripserint, & acerrimè pugnaverint.* Sed qui à se invicem divulsi sunt, nec pacificis inter se literis communicant, schismate ab invicem sunt divisi: ergo Asiatici schismate divisi fuerunt ab Ecclesia Romana: cujus schismatis aliam causam quis proferet, quàm anathema in eos à Victore Pontifice vibratum?

* In Græco Textu legitur, τοῦ Πολυκάρπου, errore manifesto, cùm 18 & ampliùs annis ante Victoris Pontificatum Polycarpus Martyrium obierit, ut colligitur ex Eusebio lib. 4. cap. 15.

Respondeo, apertè pugnare illa verba Sancti Epiphanii contra Historiæ fidem, nisi cum aliqua restrictione intelligantur. Quomodo enim divulsi ab Occidentalibus Orientales Victoris ætate, pro quibus apud Victorem, intercedebant Occidentales ipsi, ne eos ab Ecclesiastica unitate segregaret? (ut ex Eusebio, & Sancto Hieronymo, necnon ex Sancto Irenæo coævo Authore vidimus.) Non igitur in ea mente Sanctus Epiphanius fuit, quòd Orientales ab Occidentalibus divulsi essent Communione, aut quòd pax inter ipsos fracta esset; sed quòd moribus, sententiis, & consuetudinibus contrariis Ecclesiarum suarum divulsi essent. Quòd verò Pacificas ab invicem Literas non acciperent, id probat suspensam quidem, & turbatam aliquatenus pacem, quia graviores ad se mutuò dirigebant Epistolas, quæ idcircò dici non poterant Pacificæ: sed pacem inter illos fuisse penitùs abruptam id minimè probat. Hinc Sozomenus lib. 7. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 19. pacem tum Victoris temporibus, tum antea Polycarpi ætate, inter Asiaticas Ecclesias & Romanam, fuisse servatam testatur, non deterritus laudatis Sancti Epiphanii verbis, quæ proculdubio legerat. Ita porrò scribit: *Atque hæ quidem extiterunt circa hoc Festum diversitates. Sapientissimè autem arbitror solvisse subortam olim de eo Controversiam Victorem tunc temporis Romæ Episcopum, & Polycarpum Smyrnensem. Etenim cùm Occidentis Sacerdotes Traditionem Petri & Pauli non esse contemnendam arbitrarentur, & Asiani se Joannem sequi affirmarent, Decreto in commune sancito, singuli (ut consueverant) Festum celebrantes, à mutua inter se Communione non recesserunt. Frivolum enim, & quidem meritò judicarunt, consuetudinis gratiâ à se mutuò segregari eos, qui in præcipuis Religionis capitibus consentirent.*

Objectio tertia nititur auctoritate Socratis, lib. 5. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 21. ubi ita scribit de celebratione Paschatis: *Et quòd ex consuetudine potiùs, quàm ex lege, ab antiquis temporibus observari cœptum sit, rerum eventa perspicuè declarant. Plerique namque in Asia minore antiquitus 14. die mensis,*

*mensis, nulla ratione diei Sabbati habita, hoc Festum observarunt. Quod dum faciebant, cum aliis, qui aliam rationem in eodem Festo agendo sequebantur, usque eo nequaquam dissenserunt, donec Victor Episcopus Romanus supra modum iracundiâ inflammatus, omnes in Asia, qui 14. die mensis Pascha celebrabant, excommunicaverit. Ob quod factum Irenæus Episcopus Lugduni urbis Galliæ, in Victorem per Epistolam graviter invectus est, tum æstum iracundiæ illius incusando, tum docendo, quòd Veteres, qui in illius Festi observatione inter se discrepabant, minimè fuere communione sejuncti.* Ergo constat Victorem Episcopos Asiaticos reverà excommunicasse, eò quòd veteris consuetudinis de Paschate Luna 14. celebrando pertinaciores observatores essent.

Respondeo, Socratis viri Novatiani hac in causa meritò suspectam esse fidem. Cùm enim Novatianorum plurimi celebrarent Pascha Luna 14. omnésque edito Canone, quem indifferentem vocarunt, licitum esse saxerint factum illud Festum celebrare vel Luna ipsâ 14. vel Dominica sequente: Mirum non est Socratem, ipsis ut faveret, invidiam Victori Romano Pontifici creare voluisse. Liceat itaque hic censoria Photii in Bibliotheca Cod. 28. de Socrate verba usurpare: *Stilus illi non admodum splendidus: sed nec in dogmatibus valde accuratus est.* Sed & in rebus Historicis gravissimos in errores impegit, & putidissima mendacia. Nonne enimverò manifestè mentitur, qui scribit in eodem capite in Ecclesia Romana trium duntaxat hebdomadarum jejunium observari ante Pascha: cùm Sanctus Leo coætaneus Socratis, Sermone 4. de Quadragesima, sacram jejunii Quadragenam Romæ religiosè observatam fuisse testetur? Nonne manifestè mentitur, qui ibidem scribit, Sabbatis trium hebdomadum ante Pascha, uti & Dominicis, non observari jejunium, contrarium asserente Sancto Augustino, Epistolâ 86. ad Casulanum? Nonne manifestè mentitur, qui lib. 6. cap. 3. scribit Sanctum Joannem Chrysostomum *iracundia potiùs, quàm observantia* indulsisse; *verum futurarum non satis providum* fuisse, in colloquiis habitum fuisse *insolentiorem*. meritò abdicatum (ut multi dicebant) *quòd Novatianis, & Quartodecimanis Ecclesias abstulisset*: (cap. 17. ejusdem libri) Qui scribit, cap. 19. ipsum in quibusdam Concionibus docuisse, *Temperantiam quodammodo contemnendam esse*: Qui denique aurea illa Chrysostomi verba; *Si millies lapsus pœnitentiam egeris, in Ecclesiam ingredere*, morsu vipereo impetit? Dignum sanè patella operculum! Digna homine Novatiano in acerrimum Novatianorum Debellatorem convitia! Quæ igitur Socrati fides in iis quæ Novatianorum errores vel indirectè spectant? Ipsi certè accidit, quod ille plerísque aliis Scriptoribus contingere notat: *Qui non pauca in Historia missa faciunt*, addam & ego, non pauca exaggerant, ac mentiuntur, *vel studio partium, quibus nimiùm favent, adducti, vel ut certis hominibus gratificentur.*

Objectio quarta nititur Auctoritate Nicolai I. Pontificis Maximi Epistolâ nonâ ad Michaëlem Imperatorem Græcorum data, ita scribentis: *Deinde cum Asiani omnes inter ceteros, Evangelista Joanne authore, quartadecima Luna cum Judæis putarent Pascha celebrandum. hos Præsul meritis & nomine Victor à Communione Collegii separavit. At illi omnes cum nonnullis Ecclesiarum Præsulibus, non solùm huic manus minime præbuerunt; verumetiam pertinacia redarguerunt.* Ergo Victor Pontifex Maximus Asiaticos Luna decimaquarta Pascha celebrantes excommunicavit.

Respondeo, Nicolai Primi auctoritatem in Controversia Historica non esse pluris faciendam, quàm veterum Authorum testimonia. Etenim Nicolaus, ut Sedis Apostolicæ majestatem adversùs Græcorum proterviam tueatur, quævis laudat monumenta, quibus ipsorum contumacia retundi potest (ut constat ex Epistola 8. ad eundem Imperatorem) Quædam interim citat apocrypha, ut Synodum Romanam sub Sylvestro, Actaque ipsa Sylvestri; necnon Acta Synodi Sinuessanæ. Quædam verò in contrarium planè sensum intorquet, ut cùm exponit Canonem nonum Concilii Calchedonensis, quo sancitum est, ut, *Si adversùs Provinciæ Metropolitanum Clericus aut Episcopus habet querelam, Primatem Diœceseos petat, vel Sedem Regiæ urbis Constantinopolitanæ.* Ubi Primatis Diœceseos nomine, intelligendum esse dicit Romanum Pontificem, contra Canonis apertum sensum. Sic itaque, disputationis æstu abreptus, in Epistola, quæ contentiosa magis, quàm dogmatica est, Victorem excommunicasse Asianos scribit, ut supremam Sedis Apostolicæ auctoritatem demonstret; quamvis reverà Victor hæserit intra minas, nec ipsos anathemate confixerit, quod fuerat interminatus.

## SCHOLION,

Ad postremam istam Responsionem Religiosi Censores hanc notam appinxerunt in Indiculo suo. *De Nicolao I. male loquitur, quasi Sedis Apostolicæ Majestatem ex quolibet monumento desumpserit, & apocrypha pro veris allegaverit.*

R. Falsa monumenta laudasse *Nicolaum I.* sed bona fide, cùm illa vera genuináque putaret, & adversùs Græcos illa protulisse ut Sedis Apostolicæ Majestatem tueretur, certum est. Hujus generis sunt Acta *Sancti Silvestri*, Romana sub eo Synodus, Acta Sinuessanæ Synodi, &c. Cæterùm his opus non erat, cùm Scripturæ Sacræ oraculis, & continua constantique Traditione Primatus Romani Pontificis divino Jure institutus confirmetur, ut probavi Dissertatione sexta in Historiam Sæculi primi. Criticam porro *Nicolao I.* defuisse qui dixerit, an injuriæ ipsi illatæ arguendus est?

## SCHOLION ALTERUM.

Auctores Indiculi Censorii in Opera mea hanc mihi Propositionem affingunt velut ex isto Articulo excerptam, pag. 361. Editionis primæ: *In Romana Ecclesia non servantur omnes Traditiones antiquæ.*

R. Tam hæc Propositio non est mea, quàm ista, *Non est Deus*, Davidis non est, apud quem legitur, *Dixit insipiens in corde suo, Non est Deus.* Ibi ostendi *Victorem I* Romanum Pontificem Asiaticos Pascha Lunâ xiv. celebrantes non excommunicasse. Id probavi imprimis testimonio *Firmiliani* in Epistola ad *Sanctum Cyprianum*, cujus hæc sunt verba: *Eos autem qui Romæ sunt, non ea in omnibus observare, quæ sunt ab origine tradita... scire quis etiam inde potest, quòd circa celebrandos dies Paschæ, & circa multa alia divinæ rei sacramenta, videat esse apud illos aliquas diversitates.* Propositionem *Firmiliani*, quæ ab integro ejus testimonio avelli non debuit, mirum est quòd Religiosi Censores mihi tribuant. Loquitur autem *Firmilianus* de traditionibus disciplinam spectantibus, non fidem, quæ apud omnes Ecclesias una est, immobilis, & irreformabilis: cùm ea quæ disciplinam spectant, obnoxia sint mutationi & varietati. Ut ut senserit Firmilianus, falsum est quod scripserim, *In Romana Ecclesia non servari omnes traditiones antiquas*; imò, sensi semper, ut sentio, in Ecclesia Romana, omnium Ecclesiarum Matre & Magistra perpetuò *conservatam esse eam, quæ est ab Apostolis Traditionem, & annuntiatam hominibus fidem, per successiones Episcoporum pervenientem usque ad nos.* Ideóque *Ad hanc Ecclesiam, propter potentiorem Principalitatem, necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est, eos qui sunt undique Fideles* (ut docet *Sanctus Irenæus* lib. III. cap. III.)

## ARTICULUS VI.

*Quid Nicæna Synodus circa tempus celebrandi Paschatis definiverit.*

ALteram, post Arianæ hæreseos damnationem, convocandæ Nicænæ Synodi causam, extitisse Controversiam de salutari Festo Paschatis celebrando, quæ diu multumque Ecclesiam vexaverat, testantur Eusebius, lib. 3. de Vita Constantini, cap. 5. Socrates lib. 1. cap. 15. Sed quid ea de re fuerit à Magnâ Synodo constitutum, impræsentiarum quærimus.

## PROPOSITIO.

*Controversia de tempore Paschatis celebrandi in Magnâ Synodo Nicænâ ad finem perducta est; ibique constitutum suis Oecumenico Decreto, ut Dominicâ proximè sequente Lunam decimamquartam post Vernum Æquinoctium illucescentem, celebraretur.*

Probatur primò ex Epistola Synodica ipsius Concilii Nicæni ad Alexandrinam Ecclesiam, quam refert Theodoretus, lib. 1. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 11. *Quod autem*, inquiunt Patres, *ad omnium consensum de sacratissimo Festo Paschatis celebrando attinet, scitote, quòd vestris precibus Controversia de ea re suscepta, prudenter & commodè sedata est. ita ut omnes Fratres, qui Orientem incolunt, quique Judæorum consuetudinem ante in eo Festo observando imitari solent, jam Romanos nos, & omnes vos, qui eandem morem, quem nos in illo recolendo à primis temporibus tenuistis, sint consentientibus animis in eodem celebrando, deinceps secuturi.*

Probatur secundò ex Epistola Constantini Magni ad Ecclesias, de iis quæ in Concilio Nicæno gesta erant, quam Epistolam referunt Eusebius lib. 3. de Vita Constantini, cap. 16. 17. & 18. & Theodoretus lib. 1. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 10. *Ibi*, inquit Imperator, *cum de sanctissimi festo die Paschatis disceptaretur, communi omnium sententia rectum esse videbatur, ut omnes ubique uno eodemque die illud celebrarent. Quid enim præstabilius, quidve augustius esse poterat, quam ut hoc Festum, per quod spem immortalitatis nobis ostentatam habemus, uno modo & ratione apud omnes constanter observaretur?*

Tres porro profert rationes Constantinus Magnus cur die Dominico decimamquartam Lunam proximè sequente Pascha per universam Ecclesiam celebrandum Nicæni Patres decreverint. Prima est; quia *Indignum planè videbatur, ut sacratissimum istud Festum, Judæorum ritum, & consuetudinem imitati ageremus: qui quidem, quoniam suas manus detestabili scelere polluerunt, cæco animorum errore irretiti meritò tenentur: In nostrâ enim situm est potestate, ut illorum more rejecto, veriore ac magis sincero instituto (quod quidem usque à primâ Passionis die hactenus recolimus) hujus Festi celebrationem ad posterorum sæculorum memoriam propagemus.*

Secunda ratio est, quia, si Pascha Luna 14. celebraretur, periculum erat ne duplex Pascha uno eodemque anno; altero verò nullum perageretur. *Hinc etiam existit*, inquit Constantinus, *qui ne in hac quidem, parte veritatem perspiciant: quippe cum pro errore longissimè evagantur, pro convenienti emendatione, eodem anno alterum Pascha celebrant. Proinde quid est cur istos imitemur quos gravi erroris morbo laborare constat? Eodem namque anno* A *idem Festum denuo recolendo, renovari non permittemus.* Qui enim Luna 14. Pascha celebrabant, de Æquinoctio nihil curantes, quandoque illud peragebant uno anno post æquinoctium, & altero anno ante æquinoctium, quia in illud tempus Luna decima quarta incurrebat.

Tertia ratio est; *Quia maximum nefas est ut in tanto & tam solemni religionis nostræ Festo regnet dissensio: & indecorum est, ut iisdem diebus alii jejuniis vacent, alii agitent convivia: ac post dies Paschatis, alii in festis, & animorum remissione versentur, alii præscriptis jejuniis se dedant: cum* B *unum libertatis nostræ diem festum, hoc est sanctissimæ Passionis; Servator noster nobis tradiderit, unamque Ecclesiam Catholicam esse voluerit; cujus quidem membra, tametsi in multa & varia loca dispersa fiat, tamen uno Spiritu, hoc est divina voluntate & nutu coalescunt.*

Quartam rationem addit Constantinus, omnium Ecclesiarum conspirantem in idem Decretum sententiam. *Ipse etiam*, inquit, *in me recepi, vestram Sapientiam facilè assensuram, ut quod in urbe Româ, in Italiâ, in totâ Africâ, in Ægypto, Hispaniâ, Galliâ, & Britanniâ, in Libyâ, & universa Græ*C*ciâ, in Diœcesi Asiaticâ, & Ponticâ, in Ciliciâ denique, unâ & consentiente sententiâ conservatur, hoc à vobis quoque lubentibus animis approbaretur, illud sedulò reputantibus, non solùm in locis, quæ modo citavi, majorem Ecclesiarum numerum existere: sed etiam sanctissimum institutum esse, ut omnes communi consilio id ratum cupiant, quod accurata & recta ratio postulare videtur, quodque nihil cum Judæorum perjurio habeat commercii.*

Sic denique concludit Constantinus: *Quæ cùm ita se habeant, lubentes hoc Decretum, tanquam donum Dei, & mandatum revera cœlitus demissum* D *amplexamini. Nam quicquid in sanctis Episcoporum Conciliis decernitur, id universum divinæ voluntati debet attribui.*

Ex illis porro Constantini verbis refelluntur Magdeburgenses Centuriatores, qui putant Britannos, non à Romanis, & Occidentalibus; sed ab Orientalibus & Græcis, fidem primùm, simul & ritum Paschatis edoctos. Disertè enim asserit Constantinus, eodem modo in Britannia Pascha celebrari solitum, ac Romæ celebrabatur. At non eodem modo Pascha celebrassent Britanni, nec eodem tempore, quo Romani, si ab Orientalibus ritum Paschatis edocti fuissent: siquidem Orientales, ut diximus, E illud cum Judæis, Luna 14. celebrabant. Quibus Constantini verbis eò major adhibenda fides est, quòd Constantinus Magnus Britannus esset (ut testatur Venerabilis Beda, lib. 1. Historiæ Ecclesiasticæ Anglorum cap. 8.) atque adeo magis nosset Ecclesiæ Britannicæ Mores, ac Disciplinam.

Probatur tertiò auctoritate Sancti Athanasii, in Epistolâ de Synodis, Arimini, & Seleuciæ: *Nicæna Synodus*, inquit, *non temerè habita est, ut quæ habeat gravissimos usus, & legitimam rationem. Syri etenim, Cilices, Mesopotami, in causa Festi claudica*F*bant, atque unà cum Judæis Pascha celebrabant; & jam tum Ariana hæresis, quæ contra Ecclesiam insurrexerat, suos propagatores habebat, qui ipsam defenderent, & piis insidias facerent, Eusebianos scilicet. Atque ea causa fuit ut universus orbis in Concilium coiret, ut & eodem die ubique Festum celebraretur; & hæresis, quæ suppullulaverat, anathemate percuteretur: quod & factum est. Nam & Syri in aliorum sententiam traducti sunt, & Arianam hæresim decreverunt pro Antichristi Præcursatrice habendam esse... Sed tamen, cum tot ac tanti viri essent, nihil tale, quale isti, qui nonnisi tres aut quatuor sunt, ausi fuerunt facere. Siquidem nec Consulem, nec diem, nec mensem, addiderunt, sed in negotio Paschatis*

*noa abhorruerunt ab istiusmodi appendice. Ibi enim placuit ut adderetur : Visum est ut omnes obtemperarent,*

Probatur quartò auctoritate Sancti Epiphanii, Hæresi 70. quæ est Audianorum. *Sanè*, inquit, *illud fatendum nobis est, duo quædam maxima per religiosissimum ac beatæ memoriæ Constantinum à Deo esse præstita. Quorum primum fuit, ut Oecumenica Synodus colligeretur, ac Fidei Summa Nicea explicata proponeretur, & Episcoporum, qui convenerant, subscriptione firmaretur : adeò ut Ario profligato, vera omnibus fides, ac sincera prædicaretur. Alterum fuit celebrandi Paschatis, ad stabiliendam nostrûm omnium concordiam, emendata ratio. Jam pridem enim, & à primis usque temporibus, variæ in Ecclesia de hac Solemnitate controversiæ, ac dissensiones extiterunt. quæ quotannis risum ac ludibrium afferebant .... Quamobrem, qui tum ad Nicænam Synodum undique confluxerant, re accuratè cognitâ, communi ab omnibus concordiâ, atque ex idoneâ temporum computatione, & calculo, celebrandum esse statuerunt.*

Probatur ultimò auctoritate Sancti Ambrosii, in Enarratione ad Episcopos Æmiliæ, de Paschalis Celebritatis ratione. *Non mediocris*, inquit, *esse sapientiæ, diem Celebritatis definire Paschalis, & Scriptura divina nos instruit, & Traditio Majorum: qui convenientes ad Synodum Nicænam, inter illa fidei, ut vera, ita admiranda Decreta, etiam super Celebritate memoratâ, congregatis peritissimis calculandi, decem & novem annorum collegere rationem, & quasi quemdam constituere Circulum, ex quo exemplum in annos reliquos gigneretur.*

## ARTICULUS VII.

*Quanta fuerit Ecclesiæ post Nicænum Concilium cura, ne in tempore Celebritatis Paschalis error aliquis obreperet?*

## PROPOSITIO.

*A Nicæni Concilii temporibus, summam diligentiam adhibuit Ecclesia, ne in celebrando Paschate error aliquis obreperet, vel aliqua contingeret dissensio inter Christianos. Unde, & Alexandrinis Patriarchis Cycli Paschalis conficiendi, Paschalisque Solemnitatis Romano Pontifici denuntiandæ provinciam imposuit : & cùm aliqua circa diem legitimum celebrandi Paschatis orta controversia est, in eam dirimendam Romani Pontifices sedulò incubuerunt.*

PRobatur prima pars ex Sancto Leone Magno, Epistolâ 64. ad Martianum Augustum datâ: *Quia*, inquit, *memor dispensationis mihi creditæ, necesse habeo curas meas, etiam in ea, quæ sunt futura, præmittere : Non improbè cupio Clementiæ vestræ studiis adjuvari, ut in eâ observantiâ, quæ certa semper ratione variatur, nihil possit erroris incurri. Paschale etenim Festum, quo Sacramentum salutis humanæ maximè continetur, quamvis in primo semper Mense celebrandum sit, ita tamen est Lunaris cursûs conditione mutabile, ut plerumque sacratissimæ diei ambigua currat electio, & ex hoc fiat plerumque quod non licet, ut non simul omnis Ecclesia, quod nonnisi unum esse oportet, observet. Studuerunt itaque sancti Patres occasionem hujus erroris auferre, omnem hanc curam Alexandrino Episcopo delegantes : quoniam apud Ægyptios hujus supputationis antiquitus tradita esse videbatur peritia, per quam, quamvis singulis, dies prædictæ Solemnitatis eveniret, Sedi Apostolicæ indicaretur, ut hujus Scripti ad longinquiores Ecclesias judicium generaliter percurreret.*

A Hujus etiam rei sunt argumentum Epistolæ Paschales Theophili Alexandrini, à Sancto Hieronymo Latinitate donatæ, quarum tres extant Tom. 3. Bibliothecæ Patrum Edit. Parisiensis.

Cognito igitur primùm ex Alexandrini Episcopi literis, quo anni die Pascha celebrandum esset, eoque Romani Pontificis literis omnibus Ecclesiis promulgato, sacro Epiphaniæ die Diaconi in singulis Ecclesiis, inter sacra Missarum solemnia illud annuntiare consueverant. Verùm & ante Nicænum Concilium viguisse hunc in Ecclesiâ morem, ut à Romano Pontifice Paschalis dies indicaretur, con-
B stat ex Concilio primo Arelatensi, quod habitum est anno Christi 314. Sic enim habet Canone 1. ad Sanctum Sylvestrum Romanum Pontificem cum cæteris directo : *Primo loco de observatione Paschæ Dominici; ut uno die, & uno tempore per omnem orbem à nobis observetur, & juxta consuetudinem, Literas ad omnes tu dirigas.*

Eandem in indicando Paschatis legitimo die Romani Pontificis curam post Nicænam Synodum, probat Epistola undecima Innocentii I. ad Aurelium Carthagioensem Epicopum data : ex quâ constat moris fuisse, ut si aliqua circa diem Pascha-
C tis à Pontifice Maximo præstitutam oriretur difficultas, de eâ in Synodis Nationalibus ageretur, atque ad ipsum rescriberetur, ut re discussâ, uniformem Paschatis diem omnibus Ecclesiis præscriberet. *Jam Prudentiæ tuæ erit*, inquit Innocentius, *consors mihi Frater, cum unanimis, & Consacerdotibus nostris, hanc ipsam rem in Synodo religiosissima tractare, ut si nihil dispositioni nostræ resultat, nobis plenissimè apertèque rescribas ; quo deliberatam Paschalem diem, jam literis ante, ut moris est, servandam, suo tempore præscribamus.*

Ad primarias duntaxat cujusque regionis Eccle-
D sias ea de re scribere solitum Romanum Pontificem, credere par est, à quarum deinde Episcopis, juxta ipsius literas, Pascha cæteris Antistitibus indicabatur. Verbi gratia, scribebat Summus Pontifex ad Episcopum Carthaginensem, quo die proximum Pascha celebrandum esset. Ipse verò vel in Concilio, vel per Epistolas, cæteris Episcopis Africanis diem illius Festivitatis celebrationi designatum significabat. Id constat ex Concilio Carthaginen 3. Canone 1. ita decernente : *Placuit ergo in principio, propter errorem qui sæpe solet oboriri, ut omnes Africanæ Provinciæ Episcopi observationem Paschalem ab
E Ecclesia Carthaginensi curent accipere.* Idem constat ex Canone 41. *Honoratus & Urbanus Episcopi dixerunt : Quoniam de Concilio quædam tractata noscuntur, adjicimus etiam de die Paschæ nobis esse mandatum, ut de Ecclesia semper Carthaginensi (sicut prædictum est) instruamur, & non sub angusto temporis spatio. Aurelius Episcopus dixit : Si Sanctitati vestræ videtur, ut singulis quibusque annis ad tractandum conveniamus, & cum convenerimus in unum, tunc divulgabitur sanctus Paschæ dies per Legatos qui fuerunt in Concilio. Honoratus & Urbanus Episcopi dixerunt : Nunc de præsenti cœtu peti-
F mus, ut literis Provinciam nostram de hâc die informare dignemini. Aurelius Episcopus dixit : Ita fiat necesse est.*

Probatur secunda pars ex facto Sancti Leonis, qui anno Christi 444. cùm aliquam de Solemnitatis Paschalis legitima die controversiam exortam videret, in eam dirimendam sedulò incubuit. Is autem erat controversiæ cardo. Legerat Sanctissimus Pontifex in Theophili Alexandrini Paschali Cyclo, anno Christi 444. Pascha rejectum ad diem 23. Aprilis : in Occidente vulgò vitium fuisse in Cyclo creditum est, nec Paschalem diem eo usque differendum. S. Leo super hanc controversiam Sanctum Cyrillum Alexandrinum consuluit, necnon Paschasinum

chasinum Lilybæi Episcopum. Uterque Cyclum Theophili confirmavit: idque Paschasinus ex computo Hebræorum approbat, & miraculo quod sub Zosimi Pontificatu accidit. De quo ita scripsit ad Sanctum Leonem: *Non ergo nos dies una longiùs posita terreat, ne cùm hanc vitemus, incurramus errorem, sicut evenit tempore beatæ recordationis Domini mei, Prædecessoris vestri Zosimi, anno Consulatus Honorii Augusti undecimo, & Constantii secundo. Tunc enim cùm declinaretur, ne decima Calendas Maii dies Pascha teneretur, celebratum 8. die Calendas Apriles, id est, pro embolismo communis est annotatus, & error gravissimus est ortus, in tantum; ut mysterio certo, quod dono Sancti Spiritus ministratur, hæc veritas probaretur.* Deinde miraculum refert. *Quædam*, inquit, *vilissima possessio, Meltinas appellatur in montibus arduis, ac sylvis densissimis constituta, illicque perparva, atque vili opere constructa est Ecclesia. In cujus baptisterio nocte Sacrosanctâ Paschali baptizandi horâ, cùm nullus canalis, nulla sit fistula, nec aqua omnino vicina, fons ex sese repletur, paucisque qui fuerint, consecratis, cùm deductorium nullum habeat, ut aqua venerat, ex sese discedit. Tunc ergo cum apud Occidentales error ortus fuisset, consuetis lectionibus nocte sancta discussis, cum Presbyter, secundùm morem, baptizandi horam requireret, usque ad lucem aqua non veniente, non consecrati, qui baptizandi fuerant, recesserunt. Ut ergo breviter narrem, illâ nocte qua lucescebat in diem Dominicam, decimo die Calendas Maii, fons sacer hora competenti repletus est. Evidenti ergo miraculo claruit, Occidentalium partium fuisse errorem.*

Confirmatur ex simili ejusdem Sanctissimi Pontificis facto, qui novam controversiam de Paschali termino excitatam anno Christi 455. elucidari curavit. Annotabatur hoc anno in Paschali Cyclo Theophili, dies Paschatis 8. Calendas Maii. Suspicabantur Sanctus Leo, aliique Occidentales Episcopi, errasse Theophilum. De his itaque consulere peritos voluit Sanctus Pontifex, ut in re tanti momenti omnis abstergeretur difficultatis nebula, antequam indicendi Paschatis tempus immineret. Quâ de controversia his verbis scripsit ad Marcianum Imperatorem Epistolâ 64. vel 94. in novâ Editione. *Paschale Festum, quò Sacramentum salutis humanæ maximè continetur, quamvis in primo semper Mense celebrandum sit: ita tamen est Lunaris cursus conditione mutabile, ut plerumque sacratissimæ diei ambigua occurrat electio; & ex hoc fiat plerumque quod non licet, ut non simul omnis Ecclesia, quod nonnisi unum esse oportet, observet..... Sed sanctæ memoriæ Theophilus Alexandrinæ urbis Episcopus, cùm hujus observationis annos centum numero collegisset, septuagesimi sexti anni Paschale Festum, longè aliter quam alii decreverant, tenendum esse constituit. Nam à primo augustæ memoriæ Theodosii Senioris Consulatu succedentem sibi sacra observantia ordinem ponens, ut longioris temporis ratio ejus Literis teneretur adscripta, hujus complexionis septuagesimus & quartus est annus, in quo pridie Idus Aprilis sanctum Pascha celebravimus: sequenti verò anno, pridie Nonas Apriles eadem, propitio Deo, erit habenda Festivitas, sicut regulariter centenariæ annotationis ordo declarat. Sed in anno qui erit septuagesimus sextus, Paschæ dies invenitur adscriptus, quem à Passione Domini nullius exempli, nullius Constitutionis admittit auctoritas.*

Christi 455. quo hanc Epistolam S. Leo scripsit.

*Nam diem octavum Calendarum Maiarum ab eo cognoscimus præfinitum, qui nimiè limitem antiquæ Constitutionis excedit: cùm alii quintum decimum Calendarum Maiarum huic Festivitati deputaverint diem: siquidem ab undecimo Calendarum Aprilium usque in undecimum Calendarum Maiarum, legitimum spatium sit præfixum.* Super hanc Controversiam Paschasinum rursus consuluit Sanctus Leo, supputationisque Paschalis investigandæ illi demandavit provinciam (ut constat ex Epistola 68. ad ipsum data) Scripsit etiam de ea re ad Julianum Coënsem Episcopum Epistolam 95. vel 65. secundum antiquam Editionem, cujus inscriptionem restituit Quenellius in recenti, quam adornavit, Operum Sancti Leonis Editione: perperam enim ad Eudoxiam Augustam scripta notabatur. Julianum itaque rogavit Sanctus Leo ut peritos supputationis advocaret, qui verum legitimumque diem Paschatis inquirerent, ac definirent. Non multò post, literas Marciani Augusti accepit Pontifex, quibus significabat rectè assignatum Paschatis diem ad 8. Calend. Maij. Acquievit Sanctus Leo contra propriam sententiam studio unitatis, ut ipse ad Marcianum scribit Epistolâ 108. *Cùm*, inquit, *Ægyptiis alia ratio placeat, consensum meum, ne qua discrepantia per Provincias de observantiâ tam venerabilis Festi fieret, commodavi: ut Resurrectionis Dominicæ maximum Sacramentum nusquam die aliâ celebretur: & inter Domini Sacerdotes nihil in tanta Solemnitate sit varium: sed per universas Ecclesias, Deo nostro pro vestra Pietatis prosperitate; vel regno, pariter supplicetur. Literas autem fratris & Coëpiscopi mei Proterii Alexandrinæ civitatis Episcopi, me accepisse significo, quibus ad Pietatem vestram de meo consensione respondi: non quia hoc ratio manifesta docuerit; sed quia unitatis, quam maximè custodimus, cura persuaserit.* Epistolam Proterii inter Leonis Epistolas Doctissimus ejus Operum Editor apposuit, quam Petavius ad calcem Operis de Doctrina Temporum publicaverat. Juxta literas porro Marciani, & Ægyptiorum definitionem, Sanctus Leo Formatas de die Paschatis ad omnes Episcopos misit. Supersunt, quas scripsit ad Episcopos Galliarum & Hispaniarum.

Ex his collige, duas fuisse sub Sancti Leonis Pontificatu excitatas de Paschali termino contentiones, quas Eminentissimus Annalium Ecclesiasticorum Parens in unam incautè confudit, ut notat Quenellius in Dissertatione de Vitâ & rebus gestis Sancti Leonis. Prima contentio excitata est anno Cycli Romani 63. id est anno Christi 444. Cujus quidem Cycli initium est à Consolatu Antonini & Syagrii; ut constat ex Paschasini Epistolâ. Secunda incidit in annum Cycli Theophiliani 76. Christi 455. ut ex Epistolâ Sancti Leonis ad Marcianum certum est: quæ supputatio incipit à primo Consulatu Theodosii Senioris; atque ita biennio Romanam antecedit. Ad priorem disputationem, Paschasini Epistola, ad posteriorem, Leonis ad Paschasinum & Marcianum Literæ à Viro Doctissimo primum editæ pertinent: necnon Epistola Proterii Alexandrini. De primâ Prosper Aquitanus hæc habet in Chronico ad annum Christi 444. *Hoc anno Pascha Domini 9. Calendas Maii celebratum est, nec erratum est: quia inde XI. Calendarum Maiarum dies Passionis fuit: ob cujus reverentiam Natalis urbis Romæ sine Circensibus transiit.* De secundâ verò ita scribit ad annum 455. *Eodem anno Pascha Dominicum die 8. Calend. Maii celebratum est, pertinaci intentione Alexandrini Episcopi, cui omnes Orientales consentiendum putaverunt: quamvis Sanctus Papa Leo 15. Calendas Maii potiùs observandum protestaretur.*

Eandem Ecclesiæ in legitimâ Paschatis die inquirendâ & designandâ solicitudinem probat novi Cycli à Victorio Aquitano facta editio. Cùm nempe Cyclus Paschalis Theophili absolvendus esset anno Christi 480. Hilarius Ecclesiæ Romanæ Archidiaconus, cui ista cura & ex proprio munere, & ex Sancti Leonis mandato incumbebat, Canonem Paschalem à Victorio conscribi curavit, quem Hilario nuncupavit ipse, anno 457. ut ex Præfatione certum est.

Idem probat Canon primus Concilii Aurelianensis IV. quod anno Christi 541. celebratum est, quo decretum fuit, ut secundùm Cyclum Victoris Pascha celebraretur, & per Episcopos die Epiphaniæ indicaretur: si verò aliqua circa illius Festivitatis diem oriretur controversia, Sedes Apostolica per Metropolitanos consuleretur, ejusque eâ de re Constitutio servaretur. En verba Canonis: *Placuit itaque, Deo propitio, ut sanctum Pascha, secundum Laterculum Victorii, ab omnibus Sacerdotibus uno tempore celebretur. Quæ Festivitas annis singulis ab Episcopo, Epiphaniorum die, in Ecclesiâ populis denuntietur, de quâ Solemnitate quotiens aliquid dubitatur, inquisita, vel agnitâ per Metropolitanos à Sede Apostolicâ sacra Constitutio teneatur.*

Victor ille cujus laudatum Concilium meminit, non Capuanus est, ut Baronius existimavit; is enim anno duntaxat 545. circiter Cyclum novum edidit, quo Victorii Aquitani Cyclum priorem refelleret: Sed Victoris ipsius Aquitani Canonem intelligunt Patres Aurelianenses.

Ultimò idem probant ex Pastorali sollicitudine Gregorii XIII. Pontificis Maximi, qui anno Christi 1582. Calendarii emendationem curavit, adhibitis viris ex omnibus Christiani orbis regionibus Syderalis scientiæ peritissimis, & libro usus, quem Aloisius Lilius celebris Mathematicus de hujus Correctionis ratione ediderat. Intelligens igitur Gregorius ad rectam Paschalis Festi celebrationem, juxta Sanctorum Patrum, ac veterum Romanorum Pontificum, præsertim Pii & Victoris Primorum, necnon magni Concilii Niceni, & aliorum sanctiones, tria necessaria conjungenda, & statuenda esse: primùm certam Verni Æquinoctii sedem; deinde rectam positionem Lunæ decimæ-quartæ Primi Mensis, quæ vel in ipsum Æquinoctii diem incidit, vel ei proximè succedit; postremò primum quemque diem Dominicum, qui eandem Lunam 14. sequitur: curavit non solùm Æquinoctium Vernum in pristinam sedem, à quâ jam à Concilio Nicæno decem circiter diebus recesserat, restituendum; & decimam-quartam Paschalem suo loco, à quo quatuor & ampliùs dies distabat, reponendam; sed eam quoque tradendam rationem, quâ caveretur, ut in posterum Æquinoctium & 14. Luna à propriis sedibus nunquam dimoverentur. Porro ut Vernum Æquinoctium, quod à Patribus Concilii Nicæni ad 12. Calendas Apriles fuerat constitutum, pristinam in sedem restitueretur, præcepit, ut de mense Octob. subsequenti anni 1582. 10. dies eximerentur inclusivè à 3. Nonas usque ad pridie Idus. Deinde ne deinceps à 12. Calendas Aprilis æquinoctium recedat, statuit. Bissextum quarto quoque anno (ut moris erat) continuari debere præterquàm in centesimis annis: qui quamvis Bissextiles antea fuissent, qualem etiam voluit esse annum millesimum sexcentesimum: qui tamen deinceps consequentur centesimi, non omnes Bissextiles futuri sint: sed in quadringentis quibusque annis primi tres centesimi sine Bissexto transigantur, quartus verò quisque centesimus Bissextilis sit. 3. Ut 14. Paschalis rectè inveniretur, statuit ut amoto Aureo Numero de Calendario, in ejus locum substitueretur Cyclus Epactarum. Postremò, quia partim ob decem dies de mense Octobris anni labentis 1582. exemptos; partim ob ternos etiam dies intercalandos, necesse erat interrumpi Cyclum Literarum Dominicalium 28. annorum hucusque usurpatum in Ecclesiâ Romanâ; decrevit ejus in locum substitui Cyclum 26. annorum à Lilio magni nominis Mathematico, tum ad dictam Bissexti in centesimis annis intercalandi rationem, tum ad quamcunque anni Solaris magnitudinem accommodatum, ex quo Litera Dominicalis beneficio Cycli Solaris æquè facilè ac priùs reperiri in perpetuum posset. Hæc omnia constant ex Pontificio Diplomate Gregorii XIII. quod incipit, *Inter gravissimas*, dato Tusculi anno Domini 1582. sexto Calendarum Martii; quod inter ipsius Constitutiones extat ordine 74. Tom. 2. Bullarii Romani. Certum igitur est Romanos Pontifices sedulò invigilasse ne in celebrando Paschate error aliquis obreperet.

## ARTICULUS VIII.

*Utrum Scoti, & Britones qui ab anno 566 ad annum 716. in eo versati sunt errore ut Luna 14. Pascha celebrarent, si in eam Dominica dies incurreret, sint Quartodecimanis Hæreticis accensendi?*

SCotos & Britones eo diu detentos errore, ut Paschatis diem Dominica quidem celebrarent, sed Luna 14. si in eam Dominica dies incurreret, testatur Venerabilis Beda, lib. 3. Historiæ Ecclesiasticæ gentis Anglorum, cap. 17. ubi de Sancto Aidano Scotorum Antistite agens: *Hanc*, inquit, *Solemnitatem, non ut quidam falsò opinantur, quartadecimâ Lunâ in quâlibet feriâ cum Judæis, sed die Dominicâ semper agebat, à Lunâ 14. usque ad vigesimam, propter fidem videlicet Dominicæ Resurrectionis, quam unâ Sabbati factam, propter spem nostræ resurrectionis, quam eandem unam Sabbati quæ nunc Dominica dies dicitur, veraciter futuram sancta Ecclesia credebat.*

Et cap. 3. ejusdem libri, postquam retulit Aidanum hoc pacto Pascha celebrasse more suæ gentis; subjungit: *Hoc etenim ordine Septentrionalis Scotorum Provincia, & omnis natio Pictorum, illo adhuc tempore Pascha Dominicum celebrabat, æstimans se in hâc observantiâ sancti ac laude digni Patris Anatolii scripta secutam. Quod quidem an verum sit, peritus quisque facillimè cognoscit.* Cœptus hujusmodi error anno Domini 566. & ad annum usque 716. perduravit, vigens annis centum quinquaginta. Porro cum in Provinciâ Mediterraneorum Anglorum, Episcopi è Scotiâ periti præsiderent, qui etsi in omnibus fide essent Orthodoxi, in celebratione tamen Paschatis ab Ecclesiâ Romanâ & universali dissidebant: Disputatio celebris in utramque partem habita est coram Rege Osuvi anno Domini, secundùm Annales Ecclesiasticos, 664. Vitaliano Pontifice, Constante Imperatore. Quâ de controversiâ hæc habet Venerabilis Beda, lib. 3. Historiæ Ecclesiasticæ gentis Anglorum, cap. 25. *His temporibus*, inquit, *quæstio facta est frequens & magna de observatione Paschæ, confirmantibus eis, qui de Cantia, vel de Galliis advenerant, quòd Scoti Dominicum Paschæ diem contra universalis Ecclesiæ morem celebrarent. Erat in his acerrimus veri Paschæ defensor nomine Ronan, natione quidem Scotus; sed in Galliæ, vel Italiæ partibus regulam Ecclesiasticæ veritatis edoctus, qui cum Finano confligens, multos quidem correxit, vel ad solertiorem veritatis inquisitionem accendit, nequaquam tamen Finanum emendare potuit: quin potius, quòd esset homo ferocis animi, acerbiorem, castigando, & apertum veritatis adversarium reddidit. Observabat autem Jacob Diaconus quondam venerabilis Archiepiscopi Paulini, verum & Catholicum Pascha, cum omnibus quos ad correctionis viam erudire poterat. Observabat & Regina Eanfeld, cum suis, juxta quod in Cantia fieri viderat, habens secum de Cantia Presbyterum Catholicæ observationis, nomine Romanum. Unde nonnunquam contigisse fertur illis temporibus, ut bis in anno uno Pascha celebraretur; & cum Rex*

*Pascha Dominicum, solutis jejuniis, faceret, tunc Regina cum suis, persistens adhuc in jejunio, diem Palmarum celebraret.*

Quæ verò jam mota erat controversia, majori animorum contentione agitata est tempore Colmani, qui Finano in Episcopatu successerat. Pervenit & ad ipsas Principum aures, Osuvi videlicet Regis, & filii ejus Alchfridi, quia (ut ibidem refert Venerabilis Beda) *Osuvi à Scotis edoctus ac baptizatus, illorum etiam linguâ optimè imbutus, nil melius, quam quod illi docuissent, autumabat. Porrò Alchfrid Magistrum habuit eruditionis Christianæ Vuilfridum virum doctissimum. Nam & Romam prius, propter doctrinam Ecclesiasticam, adierat, & apud Delphinum Archiepiscopum Galliarum Lugduni multum temporis egerat, à quo etiam Tonsura Ecclesiastica coronam susceperat. Hujus doctrinam, omnibus Scotorum traditionibus jure præferendam sciebat.* Ut itaque controversia illa sedaretur: habita est Collatio in Monasterio Sinùsfari, cui tunc Hilda Abbatissa præerat, præsentibus Regibus. Præfatus est Rex Osuvi, *Oportere eos qui uni Deo servirent, unam vivendi regulam tenere, nec discrepare in celebratione Sacramentorum cælestium, qui unum omnes in cælis regnum expectarent: inquirendum potiùs quæ esset verior traditio, & hanc ab omnibus communiter esse sequendam* (ut ibidem refert Beda.)

Interrogatus à Rege Colmanus Episcopus, unde originem duceret ritus, quem sequebatur, Paschatis celebrandi: Majorum suorum, id est, Scotorum morem laudavit, quem à Sancto Joanne Apostolo deductum contendebat, qui Pascha, cum omnibus, quibus præerat, Ecclesiis, eo ritu celebrasset, quem Scoti tunc temporis observabant.

Agilbertus item Episcopus, postulatus à Rege, ut morem suæ observationis, ejusque initium, ac Auctores proferret, per Wilfridum Presbyterum ac Interpretem suum respondit: *Pascha quod facimus, vidimus Romæ, ubi Beati Apostoli Petrus & Paulus vixere, docuere, passi sunt, & sepulti, ab omnibus celebrari: hoc in Italiâ, hoc in Galliâ, quas discendi, vel orandi studio pertransivimus, ab omnibus agi conspeximus: hoc Africam, Asiam, & Ægyptum, Græciam, & omnem orbem, quacunque Christi Ecclesia diffusa est, per diversas nationes ac linguas, uno ac non diverso temporis ordine geri comperimus: præter hos tantùm, & obstinationis eorum complices, Pictos dico, & Britones, cum quibus de duabus ultimis Oceani Insulis, hi non toti, contra totum orbem stulto labore pugnant.*

Urgente Colmano, & acriùs objiciente exemplum Sancti Joannis Evangelistæ, reposuit Wilfridus: *Joannem legis Mosaicæ scita juxta literam servasse, Judaizante adhuc in multis Ecclesiâ, nec subitò valentibus Apostolis omnem Legis observantiam, quæ à Deo instituta est, abdicare, quomodo simulachra, quæ à dæmonibus inventa sunt, repudiare omnes, qui ad fidem veniunt, necesse est, videlicet ne scandalum facerent eis, qui inter Gentes erant, Judæis. . . . Itaque Joannes, secundum Legis consuetudinem, 14. die Mensis Primi ad vesperam incipiebat celebrationem Festi Paschalis, nil curans utrum hæc Sabbato, an alia qualibet feria proveniret. At verò Petrus, cùm Romæ prædicaret, memor quia Dominus Primâ Sabbati resurrexit à mortuis, ac mundo spem Resurrectionis contulit, ita Pascha faciendum intellexit, ut secundùm consuetudinem ac præcepta Legis 14. Lunam Primi Mensis, æquè sicut Joannes, orientem ad vesperam expectaret: & hac exorta, si Dominica dies erat mane ventura, in ipsa vespera Pascha Dominicum celebrare incipiebat, quomodo & nos omnes hodie facere solemus. Sin autem Dominica non proximo mane post Lunam 14. sed 16. aut 17. aut aliâ quâlibet Lunâ, usque ad 21. esset ventura, expectabat eam, & præcedente Sabbato, vespere Sacrosancta Paschæ Solemnia inchoabat: sicque fiebat ut Dominica Paschæ dies nonnisi à 15. Luna usque ad 21. servaretur. Neque hæc Evangelica & Apostolica Traditio Legem solvit, sed potiùs adimplet: in quâ observandum Pascha à 14. Lunâ primi Mensis ad vesperam, usque ad 21. Lunam ejusdem Mensis ad vesperam, præceptum est: in quam observantiam imitandam, omnes Sancti Joannis Successores in Asiâ, post obitum ejus, & omnis per orbem Ecclesia conversa est: & hoc esse verum Pascha, hoc solum Fidelibus celebrandum, Nicæno Concilio non statutum noviter, sed confirmatum est, ut Ecclesiastica docet Historia.*

His verbis Colmanum perstringebat Wilfridus: sed & urgebat, illum ejusque asseclas, neque Sancti Joannis exempla sectari (ut jactabant) neque Sancti Petri, cujus traditioni scientes contradicebant, neque Legi, neque Evangelio in observatione sui Paschatis congruere. Joannes enim ad Legis Mosaïcæ Decreta tempus Paschale custodiens, nil de Prima Sabbati curabat: Scoti verò nonnisi Prima Sabbati, id est, Dominica die Pascha celebrabant. Petrus à quinta-decima Luna usque ad 21. diem, Pascha Dominicum celebrabat; Scoti vero à 14. ad vigesimam Lunam Pascha observabant, itaut decima tertia Luna ad vesperam sæpius Pascha inciperent, cujus neque lex ulla meminit, neque Auctor Evangelii Dominus in eâ, sed in decimâ-quartâ Luna vel vetus Pascha manducavit ad vesperam, vel Novi Testamenti Sacramenta in commemorationem suæ Passionis Ecclesiæ celebranda tradidit.

Hujus argumenti pondere oppressus Colmanus, confugit ad auctoritatis præsidium. *Nunquid*, inquit, *Anatolius vir Sanctus, & in præfatâ Historiâ Ecclesiasticâ multùm laudatus, Legi, vel Evangelio contraria sapuit, qui decimâ quartâ usque ad vigesimam Pascha celebrandum scripsit? Nunquid Reverendissimum Patrem nostrum Columbam & Successores ejus Deo dilectos, qui eodem modo Pascha fecerunt, divinis Paginis contraria sapuisse, vel egisse credendum est? cum plurimi fuerint in eis, quorum sanctitatis cælestia signa, & virtutum, quæ fecerunt, miracula, testimonium præbuerunt. quos ut ipse, Sanctos esse non dubitans, semper eorum vitam, mores & disciplinam sequi non desisto.*

Respondet Wilfridus, Anatolium quidem virum esse sanctissimum, doctissimum, & laude dignissimum: sed nec Colmanum, nec ejus asseclas Anatolii Decreta servare: *Ille enim*, inquit, *in Pascha suo regulam utique veritatis sequens, Circulum novemdecim annorum posuit, quem vos aut ignoratis, aut agnitum à totâ Christi Ecclesiâ custoditum, pro nihilo contemnitis. Ille sic in Pascha Dominicum 14. Lunam computavit, ut hanc eâdem ipsâ die, more Ægyptiorum 15. Lunam ad vesperam esse fateretur. Sic idem 20. diem Dominico Paschæ annotavit, ut hanc, declinata eadem die, esse 21. crederet. Cujus regulam distinctionis vos ignorasse probat, quod aliquoties Pascha manifestissimè ante Plenilunium, id est, in 13. Lunâ facitis.*

Ad auctoritatem Sancti Columbæ, & aliorum quos miraculis claruisse dixerat, ait se respondere posse: *Quòd multis in judicio dicentibus Domino, Quòd in nomine ejus prophetaverint, & dæmonia ejecerint, & virtutes multas fecerint, responsurus sit Dominus, Quia nunquam eos noverit.* Sed absit, inquit, *ut de Patribus vestris hoc dicam: quià justius multò est de incognitis bonum credere, quàm malum. Unde & illos Dei famulos, ac Deo dilectos esse non nego, qui simplicitate rusticâ, sed intentione piâ, Deum dilexerunt,*

*dilexerunt*, &c. Et subjungit: *Etsi enim Patres tui sancti fuerunt, nunquid universali, quæ per orbem est, Christi Ecclesiæ, horum est paucitas una de angulo extremæ Insulæ præferenda? Et si Sanctus erat, & potens virtutibus ille Columba vester, imo & noster, si Christi erat, num præferri potuit Beatissimo Apostolorum Principi, cui Dominus ait: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam?*

His auditis, Rex Colmanum rogavit an verè illa Sancto Petro à Salvatore dicta essent; quo affirmante, ita esse, rogavit rursus, an proferre posset aliquid tantæ potestatis Columbæ datum? Illo negante; Rex tam lepidè reposuit, quàm verè: *Et ego vobis dico, quia hic est Ostiarius ille, cui contradicere nolo; sed hujus cupio obedire statutis, ne fortè me adveniente ad fores regni cælorum, non sit qui reseret, averso illo qui claves tenere probatur. Hæc dicente Rege, faverunt assidentes quique, sive astantes, majores unà cum mediocribus, & abdicatâ minùs perfectâ institutione, ad ea quæ meliora cognoverant, sese transferre festinabant.*

Finitâ Collatione, secessit Colmanus, suamque doctrinam spretam videns, sectamque despectam, assumptis his qui illi adhærere voluerunt, in Scotiam regressus est, tractaturus cum suis quid de his facere deberet. Facta est autem hæc Collatio anno Domini, secundùm Annales Ecclesiasticos, 664.

Hæc omnia excerpta sunt ex Venerabili Bedâ, lib. 3. Ecclesiasticæ Historiæ gentis Anglorum, cap. 25. & 26. His præmissis, quæsito Articuli, sequenti Propositione respondemus.

## PROPOSITIO.

*Non sunt Hæreticis, aut Schismaticis annumerandi Scoti & Britones, qui ab anno 566. ad annum 716. in eo versati sunt errore, ut Pascha Lunâ ipsâ 14. celebrarent, si in eam Dominica dies incurreret. A contumaciâ tamen omnes absolvendos non censeo, maximè qui post celebrem eâ de re Collationem in Monasterio Hildæ Abbatissæ habitam, tempore Oswi Regis, errorem non deposuere.*

Probatur prima pars. Illi quorum error ex merâ ignoratione Paschalis computi profectus est, quique cum Romanâ Ecclesiâ, quæ centrum est unitatis, cumque aliis semper communicarunt, & illæ vicissim cum ipsis; qui tandem sanctitate fuere conspicui, non sunt Hæreticis, aut Schismaticis annumerandi, sed Scotorum, & Britonum error ortus est ex merâ ignoratione Paschalis computi: cum Ecclesiâ Romanâ, aliisque Ecclesiis semper illi communicarunt, & illæ vicissim cum ipsis: multi denique ex illis, qui hocce errore detinebantur, sanctitate fuerunt conspicui: ergo non sunt Hæreticis, aut Schismaticis annumerandi.

Probatur minor auctoritate Venerabilis Bedæ, lib. 3. Historiæ Ecclesiasticæ gentis Anglorum, cap. 4. ubi de Sancto Columbano agens, qui Britanniam verbo & exemplo ad fidem Christi convertit, hæc subjungit de illius Discipulis: *Verum qualiscunque fuerit ipse, nos hoc de illo certum tenemus, quòd reliquit Successores magnâ continentiâ; ac Dei amore, regularique institutione insignes: in tempore quidem Summæ Festivitatis dubios Circulos sequentes, utpotè quibus longè ultra orbem positis nemo Synodalia porrexerat Paschalis observantiæ Decreta, tantùm ea, quæ in Propheticis, Evangelicis, Apostolicis Literis discere poterant, pietatis & castitatis opera diligenter observantes. Permansit autem hujusmodi observantia Paschalis apud eos tempore non pauco, hoc est, usque ad annum Dominicæ Incarnationis septingentesimum decimum sextum, per annos centum quinquaginta. At tunc veniente ad eos Reverendissimo Patre & Sacerdote Egberto, de natione Anglorum, qui in Hiberniâ diutiùs exulaverat pro Christo, eratque doctissimus in Scripturis, & longævæ vitæ perfectione eximius, correcti sunt per eum, & ad verum, canonicumque Paschæ diem translati: quem tamen & antea non semper in Lunâ decimâ quartâ cum Judæis (ut quidam rebantur) sed in die quidem Dominicâ, aliâ tamen, quàm decebat, hebdomadâ, celebrabant. Sciebant enim, ut Christiani, Resurrectionem Dominicam, quæ Prima Sabbati facta est, Prima Sabbati semper esse celebrandam: sed ut barbari, & rustici, quando eadem Prima Sabbati, quæ nunc Dominica dies cognominatur, veniret, minimè didicerant. Verùm, qui gratiæ charitatis fervere non omiserant, hujus quoque notitiam rei ad perfectum percipere meruerunt, juxta promissum Apostoli dicentis: Et si quid aliter sapitis, & hoc quoque vobìs Deus revelabit.*

Et cap. 17. de Sancto Aidano Pontifice è Scotiâ oriundo agens, ita scribit: *Nil ex omnibus, quæ in Evangelicis, sive Apostolicis, sive Propheticis Literis facienda cognoverat, prætermittere; sed cuncta pro suis viribus, operibus explere curabat. Hæc in præfato Antistite multùm complector, & amo, quia nimirum hæc Deo placuisse, non ambigo. Quod autem Pascha non suo tempore observabat, vel canonicum ejus tempus ignorans, vel suæ gentis auctoritate, ne agnitum sequeretur, devictus non approbo, nec laudo. In quo tamen hoc approbo, quia in celebratione sui Paschæ non aliud corde tenebat, venerabatur, & prædicabat, quàm quod nos; id est, redemptionem generis humani per Passionem, Resurrectionem, Ascensionem in cælos Mediatoris Dei & hominum hominis Jesu-Christi. Unde & hanc, non (ut quidam falsò opinantur) quarta-decima Luna, in quâlibet feriâ, cum Judæis, sed die Dominicâ semper agebat, à Lunâ quartâ-decimâ usque ad vigesimam, propter fidem videlicet Dominicæ Resurrectionis, quam unâ Sabbati factam, propter spem nostræ Resurrectionis; quam eandem unam Sabbati, quæ nunc Dominica dies dicitur, veraciter futuram sancta Ecclesia credebat.*

Ex his colligitur, Scotorum Ecclesiam licet diverso tempore à communi ritu Catholicæ Ecclesiæ Pascha celebraret, non tamen ob id à Communione Ecclesiæ Romanæ, aliarumque Ecclesiarum recessisse. Unde licet error ille gravis esset, tamen quòd circa ritùs; ac Disciplinam, non circa dogmata versaretur, visus est in gente illâ à Sede Apostolicâ tolerandus, donec ad universalis Ecclesiæ Disciplinam, patefactâ veritate, adduci posset. Hanc ob causam crebras ad eos Literas dedere Summi Pontifices, quibus eos ad amplectendum universæ Ecclesiæ ritum hortabantur. Sed præcipuè id curarunt Honorius Primus, & Joannes Quartus, de quibus Venerabilis Beda l. 2. Ecclesiasticæ Anglorum Historiæ cap. 19. hæc habet: *Misit idem Papa Literas etiam genti Scotorum, quos in observatione sancti Paschæ errare compererat, solerter exhortans, ne paucitatem suam in extremis terræ finibus constitutam sapientiorem antiquis, sive modernis, quæ per orbem terræ erant, Christi Ecclesiis existimarent: neve contra Paschales Computos, & Decreta Synodalia totius orbis Pontificum, aliud Pascha celebrarent. Sed & Joannes pro eodem errore corrigendo Literas eis magnâ auctoritate, atque eruditione plenas direxit, evidenter adstruens, quia Dominicum Paschæ diem à quintadecimâ Lunâ, usque ad vigesimam primam Lunam (quod in Nicænâ Synodo probatum est) oporteret inquiri.*

Probatur

Probatur secunda pax ex verbis Wilfridi Presbyteri Colmanum Episcopum perstringentis, maximumque statuentis discrimen inter Sanctum Columbanum, aliosque Viros pios ejus Discipulos; & ipsum Colmanum, ejusque Sectatores (apud Venerabilem Bedam, libro 3. Historiæ Ecclesiasticæ Anglorum cap. 25.) *Unde & illos Dei famulos, ac Deo dilectos esse non nego, qui simplicitate rusticâ, sed intentione piâ Deum dilexerunt. Neque illis multùm obesse Paschæ talem reor observantiam, quamdiu nullus advenerat, qui eis instituti perfectioris Decreta, quæ sequerentur ostenderet: quos utique credo, si quis tunc ad eos Catholicus Calculator adveniret, sic ejus monita fuisse secuturos, quomodo ea, quæ noverant, ac didicerant, Dei mandata probantur fuisse sequuti. Tu autem & socii tui, si audita Decreta Sedis Apostolicæ, imò universalis Ecclesiæ, & hæc Literis sacris confirmata, sequi contemnitis, absque ullâ dubitatione peccatis.*

Probatur secundò Britonum contumacia, ex eo quòd ipsorum Episcopi ac Doctores Sancto Augustino Anglorum Apostolo, ipsos ad legitimum observandi Paschatis ritum reducere nitenti pertinaciter obstiterunt, adeo ut nec miraculis à priscô ritu deterreri potuerint, ut testatur Venerabilis Beda, libro 2. Historiæ Ecclesiasticæ Gentis Anglorum, cap. 2. *Interea*, inquit, *Augustinus adjutorio usus Edilberti Regis, convocavit ad colloquium suum Episcopos, sive Doctores maximæ & proximæ Britonum Provinciæ, in loco ubi usque hodie lingua Anglorum, Augustineizac, id est, Robur Augustini, in confinio Vicciorum, & Occidentalium Saxonum, appellatur: cœpitque eis fraternâ admonitione suadere, ut pace Catholicâ secum habitâ, communem evangelizandi Gentibus pro Domino laborem susciperent: Non enim Pascha diem Dominicum suo tempore, sed à decimâquartâ usque ad vigesimam Lunam observabant. Quæ computatio 84. annorum Circulo continetur. Sed & alia plurima unitati Ecclesiæ contraria faciebant. Qui cum longâ disputatione habitâ, neque precibus, neque hortamentis, neque increpationibus Augustini ac sociorum assensum præbere voluissent, sed suas potiùs traditiones, universis quæ per orbem sibi in Christo concordant, Ecclesiis præferrent, Sanctus Pater Augustinus hunc laboriosi ac longi certaminis finem fecit, ut diceret: Obsecremus Deum qui habitare facit unanimes in domo, ut ipse nobis insinuare cœlestibus signis dignetur, quæ sequenda Traditio.*

Ibidem narrat Venerabilis Pater, illuminato precibus Sancti Augustini cæco, quem Britonum Sacerdotes curare non potuerant, illos confessos fuisse, *Veram esse viam justitiæ, quam prædicaret Augustinus: sed non se posse, absque suorum consensu, ac licentiâ priscis abdicare moribus. Unde postulabant, ut secundò Synodus, pluribus advenientibus fieret.* Votis ipsorum annuit Sanctissimus Antistes, illisque majori numero congregatis, tres concordiæ Articulos proposuit: *Primum, Ut Pascha suo tempore celebrarent: Secundum, ut Ministerium baptizandi, quo Deo renascimur, juxta morem Romanæ sanctæ Ecclesiæ, & Apostolicæ complerent. Tertium, ut Anglorum Genti, unà cum Augustino & Sociis, Verbum Domini prædicarent.* Quibus Articulis si præberent assensum, cætera quæ agebant, quamvis Ecclesiæ Romanæ moribus contraria, æquanimiter se toleraturum spopondit. *At illi nihil horum se facturos, neque illum pro Archiepiscopo habituros esse responderunt. Quibus Vir Domini Augustinus fertur minitans prædixisse, Quod, si pacem cum Fratribus accipere nollent, bellum ab hostibus forent accepturi. Et si Nationi Anglorum noluissent viam vitæ prædicare, per horum manus ultionem essent mortis passuri. Quod ita per omnia, (ut prædixerat) divino agente judicio, patratum est.*

Probatur ultimò auctoritate ejusdem Venerabilis Bedæ, libro quinto Historiæ cap. 24. ubi totius Britanniæ statum, qualis erat cùm finem huic Operi imposuit, anno scilicet 731. describens hæc habet: *Britones, quamvis maximâ ex parte, domestico sibi odio Gentem Anglorum, & totius Catholicæ Ecclesiæ statutum Pascha, minùs rectè, moribusque improbis impugnent, tamen & divinâ sibi, & humanâ prorsus resistente virtute, in neutro cupitum possunt obtinere propositum.* Quæ verba Britonum in retinendo veteri errore circa celebrationem Paschatis invictam satis indicant contumaciam.

Objicitur Epistola Joannis IV. Pontificis Maximi ad Episcopos, Presbyteros, & Doctores Scotorum, cujus fragmentum refert Venerabilis Beda, lib. 2. Historiæ Ecclesiasticæ Gentis Anglorum, cap. 19. Sic autem habet: *Scripta quæ ad Sanctæ memoriæ Severinum Papam adduxerunt, eo de hâc luce migrante, reciproca responsa, ad ea, quæ postulata fuerant, siluerunt. Quibus reseratis, ne diu tantæ quæstionis caligo indiscussa maneret, reperimus quosdam Provinciæ vestræ, contra Orthodoxam Fidem, novam ex veteri hæresim renovare conantes, Pascha nostrum, in quo immolatus est Christus, nebulosâ caligine refutantes, & quartâ-decimâ Lunâ cum Hebræis celebrare nitentes.* Quæ verba expendens Venerabilis Pater, ait: *Quo Epistolæ principio manifestè declaratur, & nuperrimè temporibus illis hanc apud eos hæresim exortam, & non totam eorum Gentem, sed quosdam ex eis hâc fuisse implicitos.* Ergo constat, tum ex Joanne IV. Summo Pontifice, tum ex Venerabili Bedâ, Scotos & Britones, qui in eo versati sunt errore, ut Lunâ 14. Pascha celebrarent, si in eam Dominica dies incurreret, hæreticis esse annumerandos.

Respondeo Joannem Quartum, & Bedam, eum errorem vocasse hæresim; sive quòd secundùm se hæresis videretur, ac solâ Paschalis computi ignoratione, in qua versabantur, posset excusari: sive quòd præsumerent aliquos è Scotis, qui illum Paschatis celebrandi ritum ardentiùs propugnabant, hæreticos esse, propter singularem pertinaciam. Sed omnes non perstringit Epistola Joannis Quarti, maximéque Viros Sanctos qui à legitimo Paschatis tempore, simplicitate quâdam rusticâ, & ex solâ inscitiâ Paschalis computi, non Schismatico spiritu, aut rerum novandarum studio aberrabant. Tempora igitur distinguenda sunt, & personæ. Viri Sancti errores quandoque asseruerunt, qui fidei adversabantur, nec tamen hæretici dici possunt, quia citra pertinaciam illos propugnabant. Hinc Vincentius Lirinensis, Commonitorio 1. adversùs Hæreses, cap. 11. de Rebaptizantium errore, ejusque Auctoribus, & Sectatoribus ita scribit: *Et ô rerum mira conversio! Auctores ejusdem opinionis Catholici, Consectatores verò hæretici judicantur: absolvuntur Magistri, condemnantur Discipuli: Conscriptores librorum filii regni erunt, Assertores verò gehenna suscipiet: Nam quis ille tam demens est, qui illud Sanctorum omnium & Episcoporum & Martyrum lumen Beatissimum Cyprianum, cum cæteris Collegis suis, in æternum dubitet regnaturum esse cum Christo? Aut quis tam sacrilegus, qui Donatistas, & cæteras pestes, quæ illius auctoritate Concilii rebaptizare se jactitant, in sempiternum neget arsuros esse cum diabolo?* Sic itaque Viri Sanctissimi inter Scotos, aberrarunt à legitimo tempore celebrandi Paschatis: nec tamen hæreseos aut schismatis, imò nec contumaciæ notâ inuri debent: quia illum deposuissent errorem, si aliquem apud se Calculatorem Ecclesiasticum peritum habuissent, qui eis Instituti perfectioris Decreta ostenderet

deret ( ut ait Venerabilis Beda ) & ab unitate Catholicâ nunquam recesserunt. At non ita comparati fuerunt omnes Scotorum Doctores. Quis enim à contumaciâ absolvat eos, qui à Summis Pontificibus admoniti erroris, quo detinebantur : vel convicti in celebri Collatione, de quâ supra dicebamus, Catholicum tamen celebrandi Paschatis Dominicâ proximè sequente Lunam 14. morem amplecti noluerunt ?

## SCHOLION

Hanc Propositionem ex isto velut Articulo exceptam in Indiculo suo notant Religiosi Censores : *Doctores & Sancti aliquam hæresin vel falsum dogma propugnando non sunt Hæretici, nec ipsorum Discipuli.*

R. Hæc Propositio innocens & vera est verbis meis concepta & explicata, etsi fortè reprehensioni obnoxia sit prout mutilata & interpolata est ab Auctoribus Indiculi. Sic enim scripsi : *Viri Sancti errores quandoque asseruerunt qui fidei adversabantur,* priùs quàm ipsos damnasset Ecclesia ; *nec tamen hæretici dici possunt, quia citra pertinaciam illos propugnabant. Hinc Vincentius Lirinensis Commonitorio 1. cap. 11. de Rebaptizantium errore, ejusque Auctoribus & Sectatoribus ita scribit* : O rerum mira Conversio ! AUCTORES EJUSDEM Opinionis CATHOLICI, CONSECTATORES VERÒ HÆRETICI JUDICANTUR : ABSOLVUNTUR MAGISTRI, CONDEMNANTUR DISCIPULI, &c. Hanccine Vincentii Lirinensis sententiam censoria animadversione dignam judicant Religiosi Viri ?

## DISSERTATIO VI.

### *De Nævis Doctrinæ Sancti Justini affictis.*

I. HETERODOXI, quo Sancti Justini auctoritatem elevent, multos ipsi affingunt errores. Nam præter illum, qui ipsi cum aliis nonnullis Patribus eo posterioribus communis est, de Sanctorum beatitudine ad ultimum Judicii diem differendâ, & de millenario in terris Christi regno : alios ipsi tribuunt gravissimos. Primò enim censent animadversione dignum quod scripsit, Apologiâ 2. *Quicunque cum ratione, ac verbo vixere, Christiani sunt, quamvis Athei, & nullius Numinis Cultores habiti sint : quales inter Græcos fuere Socrates, Heraclitus,* &c. Colligunt namque ex iis verbis, sensisse Sanctum Justinum rationem solam posse hominem ad salutem æternam perducere. Sic Casaubonus, qui illa Sancti Martyris verba censoriâ virgulâ notavit, in suis Exercitationibus contra Baronium.

S. Justinus rectè de gratia Christi sensit : nec opinatus est Philosophiam sufficere ad salutem.

Verùm citra injuriam affingi non potest Sancto Justino error ille. Nam rationis nomine, solum illud naturæ lumen non intellexit, quod nobis à supremo Conditore Deo inditum est ; sed Christi, qui Ratio est & Verbum Patris, qualemcunque notitiam, & huic cognitioni congruos mores. Id constat ex eodem loco : *Christum*, inquit, *Primogenitum Dei esse instituti sumus : & Rationem, atque Verbum esse, cujus universum hominum genus particeps est. Et quicunque cum Ratione, ac Verbo vixere, Christiani sunt,* &c. Deinde subjungit : *Perinde atque ex Veteribus, qui iisdem tempore Christum præcessere, & absque Ratione ac Verbo ætatem exegere, ἄχρηστοι, hoc est incommodi, & inimici Christo fuerunt ; eorumque, qui secundùm Rationem & Verbum vixerunt, percussores. Atqui cum Ratione & Verbo vixerunt, atque etiam nunc vivunt, Christiani, & extra metum, atque perturbationem omnem sunt.* Vivere igitur cum ratione ac Verbo, secundùm Sanctum Justinum, est fide Christi illustratum esse, & ejus gratiâ adjutum, quâ perturbationes animi coërcentur, aut omnino superantur.

A Nec verò Socratem, & alios Philosophos, solâ ratione duce, pervenisse ad salutem commentus est Justinus : siquidem disertè asseruit ipsos Christum ex parte duntaxat, & imperfectè fuisse assecutos, quatenus summa ratio est. Unum quippe Deum agnovere, & docuere. Quod ex illustratione rationis & Verbi, quod est Christus, habuerunt. Ipsum Justinum audire operæpretium est Apologia 1. pag. 48. ita disserentem. *Longè ampliores esse res nostras doctrinis humanis, omnibus constat, ob id, quod qui nostrâ causâ apparuit, Christus, rationalis ex parte omni factus est, corpore, ratione &* B *anima. Et quæcunque rectè quovis tempore dixerunt, & invenerunt Philosophi, aut Legum-Latores, juxta eam partem, quæ rationis, inventionis, & contemplationis est, id ab eis est factum. Quia autem non omnia, quæ rationis sunt, & Verbi ( id quippe Christus est ) perviderunt, & promulgarunt, cùm diversa à seipsis & contraria persæpe dixerunt, tum qui ante Christum fuere, quod ratione pro captu humano innixi res plerasque contemplari, explorare, & arguere contenderunt, tanquam impii & curiosi ad Judicum Tribunalia sunt protracti. Qui autem ad hoc omnium inter eos fuit vehementissimus Socrates, ejusdem nobiscum est accusatus criminis. Nam illum dictum* C *est nova dæmonia inferre ; & quos Civitas censeret esse, ipsum non putare Deos. At ille dæmones quidem malos, & probrorum, quæ Poëtæ descripserunt, patratores urbe exegit : hominesque, ut Homerum, & Poëtas alios vitarent, docuit : & ad ignoti eis Dei per rationis & Verbi inquisitionem cohortatus est, dicens : Parentem autem, & Opificem universorum, neque invenire facilè, neque inventum in vulgus promulgare, tutum est. Quæ Christus noster virtute & potentiâ ipse suâ præstitit, & fecit. Ac Socrati quidem certè nemo tantùm fidei habuit, ut pro placito* D *ejuscemodi mortem perferret : Christo autem, qui & à Socrate ex parte est agnitus ; ( Ratio enim & Verbum fuit, & est in universitate rerum existens ; qui & per Prophetas, quæ futura erant, vaticinatus est, & per seipsum hæc, par nobis perpessionibus factus docuit. ) Non Philosophi tantùm, aut Philologi crediderunt : sed etiam manuarii Artifices, atque Idiotæ rudes, prorsus gloriam, metum, & mortem flocci-facientes, persuasione firmâ adducti crediderunt.* Et pag. 46. loquens de Philosophis, qui propter virtutis professionem, ac prædicationem, cæteris mortalium exosi fuerunt, hoc inter illos & veros Christianos discrimen assignat, quòd illi juxta partem E aliquam seminariæ rationis, mores suos conformaverint : Christiani verò vitam exegerint suam ad normam universæ Rationis, & Verbi, quod Christus est. *Nam ut omnes*, inquit, *qui qualicumque pacto juxta rationem vivere, & pravitatem fugere studuerunt, odiis exagitarentur, genii maligni semper vi suâ, & operâ effecerunt. Minimè verò id mirandum videtur, si eos qui juxta partem aliquam seminaria rationis mores suos conformant, periculis objiciunt : verùm, quòd secundùm universa Rationis, & Verbi, quod Christus est, notionem & contempla-* F *tionem viventes, in longè majora odia, ope & operâ suâ conjicere dæmones coarguuntur, id demum admirationem excedit.*

Certè tantùm abest ut Sanctus Justinus rationem & Philosophiam ad salutem æternam homines perducere posse censuerit, quin potiùs in Legis Evangelicæ statu neminem salutem consequi posse sine Baptismo agnoverit, Apologiâ 1. *Quicunque*, inquit, *persuasi fuerint, & crediderint, quæ à nobis traduntur, & dicuntur, ac vivere se ita posse receperint, orare jejunantes, & petere à Deo priorum peccatorum remissionem docentur, nobis cum illis unà & orantibus, & jejunantibus. Deinde eò adducuntur à nobis ubi aqua est ; atque eo regenerationis modo, quo ipsi.*

*ipsi regenerati sumus, regenerantur. Nam in nomine rerum cunctarum Parentis, & Domini Dei, & Servatoris Nostri Jesu Christi, & Spiritus Sancti, in aqua tum lavantur. Christus enim ipse dixit: Nisi regenerati fueritis, non introibitis in regnum cœlorum.*

Quin etiam necessariam gratiam baptizatis ad servanda mandata, Sanctus Justinus agnovit; adeamque impetrandam fundi preces ab Ecclesia: quod certè inutile esset, si sola ratione homo ad salutem perduceretur. *Nos autem*, inquit, *secundum hujuscemodi lavationem, credentem jam, & nobis adjicimus, ad Fratres, qui dicuntur, eò adducimus, ubi illi congregati sunt ad communes preces, & supplicationes, cùm pro seipsis, tum pro illuminato, & aliis ubique gentium omnibus, animo intento peragendas: ut digni, idoneique simus, qui veritate agnita, per opera etiam ipsa boni atque officiosi rerum administratores, & datorum nobis mandatorum custodes inveniamur, atque ut salute salvemur sempiterna.*

Sanctus Justinus Filium Dei verum esse Deum sensit.

II. Alium errorem Sancto Justino quidam ex hæreticis affinxerunt; Maximè Sociniani, qui illius auctoritate abutuntur: scilicet ipsum existimasse Filium Dei non esse verum Deum in omnibus coæqualem Patri. Calumniam suam fulciunt his verbis ex ipsius Dialogo cum Thryphone: *Iste qui à Patriarchis est conspectus: Deus, & Angelus, & Dominus appellatur; ut vel ex his intelligatis, ipsum universorum Parenti ministrasse.* Et paulò post Angelum, qui Moysi dixit: *Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Jacob*, negat fuisse conditorem omnium Patrem, sed Filium Patris administrum fuisse contendit: *Sed quem*, inquit, *vobis demonstravimus Abraham, & Jacob visum esse, qui Conditoris universorum voluntati ministravit.* Et infrà rursus: *Igitur nec Abraham, nec Isaac, nec Jacob, nec alium mortalium quisquam, vidit Patrem, & ineffabilem Dominum omnium, adeòque ipsiusmet Christi: sed illum, qui de ipsius voluntate Deus est, ejus Filius, & Angelus, ex eo quòd illius voluntatis administer sit: quem & hominem nasci per Virginem voluit; qui & ignis aliquando in illo, de rubo, cum Moyse colloquio factus est.* Porro qui ministrat voluntati Patris, inferior est Patre: & qui non est invisibilis sicut Pater, non communicat cum eo in omnibus perfectionibus divinis, adeòque non est verus Deus.

Verùm ex his colligi non potest hujus erroris reum esse S. Justinum, quem ipsi Heterodoxi affingunt. Cùm enim Filium ministrasse Patri asserit, nomine ministerii abutitur, prout idem significat ac cooperationem. Vult itaque S. Justinus, creandi voluntatem Patri, tanquam primo principio adscribendam, & Filio per Patrem communicatam. Quàm autem innoxius sit hic loquendi modus, ex eo constat, quòd ipsi Patres, qui post Concilium Nicænum contra Arianos scripserunt eundem passim usurpaverint. Id Sancti Hilarii exemplo ostendere satis erit; qui lib. 4. de Trinitate, expendens illud Geneseos. *Et vidit Deus quia bona sunt: Placere*, inquit, *Patri opera sua gaudet Filius; per se ex præcepto ejus effecta.* Præmiserat tamen eodem in libro: *In eo quod dicitur, Faciamus, & jussio exæquatur, & factum.* Quasi diceret, ejusdem esse virtutis, ac potestatis, exequi creationem hominis, ac jubere. Nec etiam Patrem solum invisibilem esse asseruit Sanctus Justinus, sed ipsum visum non fuisse veteribus Patriarchis, & Prophetis, visum verò esse Filium, non in essentia quidem sua, in qua æqualis est Patri, sed in corpore ad tempus assumpto. Ex ejusmodi porro apparitionibus probat Sanctus Justinus Filium Dei, quem in propria persona aspectabilem hominibus factum esse sensit,

( uti & post ipsum sensere alii Patres Græci ) non per Angelorum ministerium, verum Deum esse Patri coæqualem, & coæternum. Toto enim Dialogo cum Tryphone passim demonstrat Filium Dei & *Deum* in Scripturis nominari, & *Dominum virtutum*: & quæ iisdem in Sacris Literis, maximè in Psalmis, de summo omnium Domino, ac Deo dicuntur, ea Christo convenire probat. Adhæc, illum, qui Abrahæ, & Jacob, & Moysi apparuit, Deum in Scripturis appellari, & nomine Tetragammaton insigniri ostendit. Is autem, non est Pater, ut contendit S. Justinus, quia nunquam ille hominibus visus est, nec mittitur à quoquam, sed Filius à Patre missus ut ejus voluntatem hominibus annuntiet. Is igitur, ex mente Sancti Justini, voluntatem hominibus annuntiet. Is igitur, ex mente Sancti Justini, verus Deus est, Patri coæqualis, & coæternus.

Sed nihil luculentius ad Filii divinitatem & consubstantialitatem cum Patre adstruendam loco illo Sancti Justini pag. 284. Dialogi cum Tryphone. *Itaque*, inquit, *quemadmodum Verbum, cum qui in somnis apparuit Jacobo, Angelum appellat: deinde eum ipsum, qui in somnis apparuit, Angelum ipsi dixisse ait, Ego sum Deus à te conspectus, cum à facie fratris tui Esau fugeres: & sub Abrahamo in judicio Sodomitarum, Dominum à Domino in cœlis judicium intulisse dixit: ad eundem modum & hîc Verbum Angelum Domini Moysi apparuisse dicens, ac deinceps Dominum eum esse, & Deum declarans; eundem & illum ipsum denotat, quem & pluribus, per ea quæ dicta sunt, administrum esse Deo supermundano, suprà quem alius non est, significat. Aliud vero etiam vobis, ô amici! ex sacris Literis producam testimonium, Principium ante creaturas omnes Deum genuisse ex se virtutem quamdam rationalem: quæ quidem & gloria Domini à Spiritu Sancto vocatur, nonnunquam autem Filius, aliquando Sapientia, quandoque Angelus, interdum Deus, aliquando Dominus & Verbum: suis quando Archiducem seipsum dicit, in hominis forma Josue Nave filio apparens. Hæc enim nominibus omnibus appellari habet, cùm ex paterni consilii, & voluntatis administratione, tum ex voluntaria Patris generatione. Qualem generationem in nobis quoque quodam videmus fieri modo: Verbum enim aliquod proferentes, verbum gignimus: non per resectionem, ita ut quod in nobis proferentibus est, imminuatur verbum: & quomodo in igne videmus alium fieri, non decrescente illo unde facta est accensio, sed in eodem statu permanente: quippe qui ex ipso incenditur, & ipse apparet, non imminuens illum unde est succensus. Testimonium autem mihi dabit Verbum sapientiæ, quod ipsum Deus iste est, à Patre hujus universitatis genitus: qui Verbum videlicet, & Sapientia, & Virtus, & gloria generantis existat, & per Salomonem ita loquitur: Cùm annuntiavero vobis ea, quæ quotidie fiunt, quæ à sæculo facta sunt, memorare incipiam. Dominus creavit me ab initio viarum suarum, ad opera sua. Ante sæculum fundavit me in principio, &c.*

Et pag. 285. *Verùm*, inquit, *hæc ipsa à Patre revera edita Progenies, ante creaturas omnes unà cum Patre fuit, & cum ea Pater colloquitur, prout Verbum per Salomonem declaravit: Principium ante creaturas omnes hanc ipsam progeniem, à Deo genitam esse, quæ Sapientia à Salomone vocatur.*

Et Apologia 2. ubi de Deo Patre sermonem fecit, hæc subjungit de Filio: *Porro Filius ejus, qui solus propriè dicitur Filius, Verbum, simul cum illo ante creaturas & existens, & nascens, quoniam, primitus per eum cuncta condidit, & ornavit. Christus quidem ex eo quòd per illum Deus omnia conformaverit, atque ornaverit, appellatur: quod & ipsum nomen est significationem minimè notam complectens:*

*quemadmodum & Dei appellatio nomen non est, sed rei ineloquibilis natura hominum insita opinio. Jesus verò, & hominis, & Servatoris nomen ac designationem habet.*

Et Apologia 2. pag. 68. fontem indigitans à quo Christiani religionem suam se doctrinam hauserunt, hæc habet: *Et Jesus Christus, unus & solus propriè Filius Deo genitus, qui nimirum Ratio, & Verbum ejus, & Primogenitus, & Virtus est, atque de consilio, voluntateque ejus, instaurandi, & restituendi humani generis ergo homo factus, nos ista docuit.*

Denique pag. 95. hæc habet: *Jesus certè Christus, quòd Judæi non nossent quid Pater, & quid Filius esset, pariter illos reprehendens & ipse dixit: Nemo cognovit Patrem nisi Filius, neque Filium nisi Pater, & quibus revelaverit Filius. Verbum autem Dei est Filius ejus: Vocatur verò & Angelus, & Apostolus. Ipse enim quæcumque cognita oportet, annuntiat: & mittitur, ut quæcumque nuntiantur, indicet: quemadmodum & ipse Dominus noster ait: Qui me audit, eum qui misit me, audit. Ex scriptis quoque Moysi id patebit, in quibus hoc sic est dictum: Et locutus est Moysi Angelus Dei in flamma ignis è rubo, & dixit: Ego sum existens ille, Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob, Deus Patrum tuorum, descende in Ægyptum, & educ populum meum.... Verba autem hæc fecimus, ut probaremus Filium Dei & Apostolum, esse Jesum Christum, qui priùs Verbum existens, cùm aliquando in forma ignis, aliquando autem in imagine etiam incorporeorum apparuisset, nunc porrò de voluntate Dei, humani generis causâ, homo factus,* &c. *Itaque Judæi existimantes, semper Parentem rerum cunctarum cum Moyse esse loquutum: cùm, qui cum eo est colloquutus Filius Dei esset, qui & Angelus, & Apostolus cognominatus est: rectè & à Prophetico Spiritu, & ab ipso Christo coarguuntur, neque Patrem, neque Filium nosse. Qui enim Filium Patrem esse dicunt, comperiuntur neque Patrem scire, neque Filium esse Patris universorum nosse: qui, quòd Verbum, & Primogenitus Dei sit, Deus etiam est.* Ex quibus omnino compertum est, Sanctum Justinum de Filii divinitate, & coæqualitate cum Patre rectè sensisse.

Contrà. Qui rationem afferens cur Pater non sit conspectus à Patriarchis & Prophetis, ait ideo visum ipsis non fuisse, quia è cœlo descendere non potest, nec loco circumscribi, is existimat Filium qui visus est, loco circumscriptum esse & moveri posse: atqui Sanctus Justinus ait, Patrem non esse conspectum à Patriarchis & Prophetis, quia non potest è cœlo descendere, nec loco circumscribi: censet igitur Sanctus Justinus Filium Dei esse loco circumscriptum, non verò immensum sicut Patrem.

Probatur Minor ex ipsius verbis in Dialogo contra Tryphonem. *Cavete putetis*, inquit, *vel ipsum ingenitum Deum descendisse aliunde, vel ascendisse. Nec enim ineffabilis Pater ac Dominus omnium profectus est aliquò, neque ambulat, neque dormit, neque surgit, sed in suo ubicumque demum manet loco, acutè intuens & audiens, vi quadam explicabili omnia prospicit.... Igitur nec Abraham, nec Isaac, nec Jacob, nec ullus mortalium vidit Patrem, & ineffabilem Dominum omnium simpliciter, adeoque ipsius Christi, sed eum qui de ipsius voluntate Deus est, ejus Filius*, &c.

Respondeo, distinguo Majorem: Is existimat Filium esse loco circumscriptum & moveri posse, secundùm naturam assumptam, concedo; secundùm divinitatem, nego.

Respondeo secundò, nego Minorem. Non enim probat Sanctus Justinus Patrem æternum Patriarchis & Prophetis visum non fuisse, quia non potuit absolutè *Superiora cœlo spatia relinquere, nec in exigua terræ parte conspici*: Sed quia id non potuit

A suppositа veritate sacrarum Scripturarum, quas Trypho admittebat: quia in illis invisibilitas Patri semper tribuitur, visibilitas autem Filio: quamvis secundùm essentiam suam æquè sit invisibilis, æquè immensus, æque immobilis ac Pater. Sed visibilitas Filio appropriatur (ut Scholasticorum verbis utar) quia splendor est, & imago Patris. Unde ad extra sese non manifestat Pater nisi per Filium, nec sese nobis invisibilem reddit Filius, nisi redeundo ad Patrem. Quamobrem Sanctus Irenæus lib. 4. adversùs Hæreses cap. 14. præclarè dixit: *Per ipsum Verbum visibile & palpabile factum Pater ostendebatur.... Invisibile etenim Filii Pater: visibile autem*
B *Patris Filius.* Et cap. 37. *Verbum*, inquit, *dispensator paternæ gratiæ factus est ad utilitatem hominum, propter quos fecit tantas dispositiones, hominibus quidem ostendens Deum, Deum autem exhibens hominem: & invisibilitatem quidem Patris custodiens, ne quando homo fieret contemptor Dei, & ut semper haberet ad quod proficeret; visibilem autem rursus hominibus per multas dispositiones ostendens Deum, ne in totum deficiens a Deo homo, cessaret esse.*

Dices: Qui est alius Deus à Conditore mundi, non est unus Deus cum Patre, ipsique consubstan-
C tialis, sed ex Sancto Justino in Dialogo cum Tryphone, Filius est *alius Deus*, à Conditore mundi, θεὸς ἕτερος. Non est igitur unus Deus cum Patre.

Respondeo, non ita habere Sanctum Justinum, sed, Alium præter Conditorem mundi; id est, aliam personam à Patre, cui omnipotentia & creatio tribuitur, esse Deum. Unde istud nomen ἕτερος non habet rationem attributi, quod cum hoc nomine θεὸς conjungatur, sed subjecti, quod connectatur cum his verbis τὸ ἢ λέγειν. Unde ibidem ait, alium esse ab eo qui omnia condidit, *numero, non sententiâ*: Id est, personâ, non verò essentiâ
D distinctum.

Nec alius est Justini sensus, cùm Verbum *Aliud esse à generante*, in eodem Dialogo profitetur. In Hæreticos enim differit, qui Filium non *hypostasin* aut *personam*, sed *virtutem* tantùm, aut *qualitatem* à Patre prosilientem dixerunt, *Quemadmodum lux solaris*, inquit, *Sole Oriente conspicitur, Occidente verò aufertur.* Hos redarguens Sanctus Justinus addit, Verbum, *non ita ut Solis lumen nomine tantùm* (distinctum) numerari (quippe quòd lumen minimè persona sit per se subsistens, & numero distincta, sed accidens tantùm) *verùm numero quoque* (hoc est, personâ seu subsistentiâ, licet non
E consilio & sententiâ) ἕτερόν τι, *Aliud quiddam* reverà diversum aut distinctum. Nemo enim nescit, communi, apud Græcos loquendi usu, ἕτερόν τι, non modò rebus, verumetiam personis, iisque masculini generis accommodari. Hinc idem Justinus Apologia 21. hæc habet: *Intelligitis Verbum declarare, tum à Patre editum esse germen hoc ante creaturas omnes, tum germen ipsum numero aliud esse à generante.* Cùm Verbum esse germen dixerit, τὸ γέννημα dicere debuit ἕτερον, non ἕτερος, ut congruè loqueretur.

Denique unus penè illius in Dialogo toto scopus
F est, ut probet, illum qui Patriarchis olim apparuit, ἕτερον, alium esse à Patre universorum, non aliud, (hoc est substantia divisum aut diversum, quod Deorum multitudinem Justino invisam necessariò inferret) sed alium, id est, personâ distinctum. Hinc Verbum, *Dei Filium*, & *Deum*, non Patris, ποίημα, vel κτίσμα, *opus*, aut *creaturam*, γέννημα & γεννώμενον, *germen* seu *genitum* appellat: Neutiquam à Patre factum aut conditum, ut Sociniani delirant ac blasphemant, sed *Ante omnes creaturas* (hoc est, ab æterno) *genitum*. Hinc rursos in eodem Dialogo pag. 358. *Virtutem istam*, inquit, *quam Deum sermo propheticus vocat, prout pluribus*

*similiter*

*similiter est probatum, & Angelum, non ut Solis lumen nomine tantùm numerari, verùm numero aliud quiddam esse, ratione exquisita supra paucis explicavi: Virtutem hanc dicens de Patre genitam, virtute & consilio ipsius, non per abscissionem, tanquam dispertita esset Patris essentia, prout alia omnia divisa & secta non eadem sunt, quæ ante fuerunt quàm scinderentur. Atque exempli gratiâ illud sumpsi, quòd ex igne ignes alios accensos videmus, illo nihil diminuto, sed eodem manente, unde multi accendi possunt ignes.* His verbis Sanctus Justinus apertè docet, Filium esse quidem numero seu persona alium à Patre, sed neutiquam naturâ diversum; quippe qui ex ipsa Dei Patris essentia genitus sit; sicut ignis ab alio igne accensus ejusdem cum ipso naturæ ac substantiæ est. Filium igitur Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero agnovit & prædicavit Sanctus Justinus sententiâ istâ, quæ substantiæ sine ulla partitione communionem, & identitatem, adeóque consubstantialitatem exprimit.

Dices: Sanctum Justinum docuisse, *Christum sine Deo Patre salvari non posse*. Id autem vero Deo non convenit.

Respondeo, Justinum eo in loco Dialogi cum Tryphone apertissimè loqui de Christo, non ut Deo, sed homine, qui in cruce pendens, Dei salutem, opem, & auxilium imploravit. En ejus verba: *Nam si Filius Dei . . . neque eò quòd mundus à peccato, prout Esaias dicit . . . absque Deo se salvari posse affirmat: quonam modo vos, aut alii, salutem citra spem istiusmodi expectatis?* Hæc Justinus exponens verba illa Psalmi 21. *Deus meus es tu, ne discesseris à me.*

Huic Responsioni lucem afferret locus alter ejusdem Dialogi pag. 314. ubi *Trypho* testimonium Isaiæ, *Egredietur virga de radice Jesse, & requiescet super eum Spiritus Dei*, de Christo, uti debuit interpretatus, *Justinum* sic interrogat: *Cùm Deum ipsum priùs fuisse affirmes, ac de consilio & voluntate Dei incarnatum, & ex Virgine hominem natum asseras: quomodo probari potest eum priùs fuisse, qui per virtutes Spiritus-Sancti, quas Verbum per Isaiam enumerat, completur, perinde atque iis indiguisset?* Cui respondet Sanctus Justinus: *Acutissimè & prudentissimè interrogasti; nam verè hoc dubitationem in se habere videtur. Verùm ut de his quoque rationem teneas, quæ dicam accipe. Virtutes Spiritûs quæ recensita sunt, Verbum non ita super eum venisse ait, quasi indigus earum ipse fuerit; sed quòd acquietura in illo essent, hoc est, in eo finem factura: ita ut in genere vestro non ampliùs more veteri Prophetæ futuri essent. Quod & oculis ipsi vestris cernere potestis: Post illum namque nullus omnino apud vos natus est Propheta.* Christum ut Filium Dei nullius rei indigum, utpote Deum verum; unde nec gratiâ & Spiritus-Sancti donis ea ratione indiguisse, *Sanctus Justinus* disertè propugnat.

His præclarum locum subjungo ex Epistolâ ad *Diognetum*, in qua Filium Dei Ministrum sive creaturam esse expressè negat, cum incomprehensibilem, Creatoremque omnium prædicans, à cujus nutu pendeat, & cujus virtute sustineatur tota mundi tam cælestis quàm terrestris compages; cuique creaturæ omnes cujuscumque ordinis, tanquam auctori, Deo, ac Domino subjectæ sint atque obtemperent. Ait ipsum in hunc orbem missum fuisse ut Regem à Rege, ut Deum à Deo, scilicet Filium Regem à Patre Rege, Filium Deum à Patre Deo. *Ipse omnipotens*, inquit, *& omnium conditor & invisibilis Deus è cælis Veritatem & Verbum Sanctum & incomprehensibile inter homines locavit, & in cordibus eorum firmam habere sedem voluit: non quemadmodum aliquis conjicere possit, misso hominibus ministro aliquo sive Angelo, sive Principe, sive aliquo eorum qui terrena gubernant, aut copiam eorum quibus commissa est rerum in cælis administrandarum cura: sed IPSO OPIFICE ET CREATORE OMNIUM: quo cælos condidit, quo mare suis terminis conclusit . . . Hunc ad eos misit: An, ut aliquis hominum cogitare possit, in tyrannide & metu, & terrore? Minimè verò, sed in clementia & in lenitate, tanquam Rex mittens Filium Regem, misit tanquam Deum, tanquam ad homines misit, tanquam servans misit*, &c.

III. Tertium errorem in Sancto Justino notant Critici, à quo, sicut à præcedentibus, purgari omnino non potest. Sensit enimverò Angelos prævaricatores consuetudinem stupri cum mulieribus habuisse, fuisseque istud ipsorum peccatum. Sic quippe scribit Apologia 1. cap. 44. *Deus qui mundum universum fecit, & terrena hominibus, & cælestia elementa subjecit, & ipsa Hominum gratia eum condidisse apparet, propter frugum proventum, temporum etiam mutationibus exornavit, divinamque hanc legem ordinavit, hominum ipsorum, atque eorum quæ sub cælo sunt, providentiam Angelis ad hæc dispositis attribuit. Angeli autem ordinationem, sive dispositionem eam transgressi, cùm mulierum, concubitus causa, amoribus sunt victi, tum filios procrearunt eos, qui Dæmones sunt dicti: atque insuper reliquum genus humanum in servitutem suam redegerunt. Id verò effecerunt, vel per scripta magica, vel per errores & supplicia, vel etiam per institutionem victimarum, incensorum & libationum, quarum indigentes esse cœperunt, postquam animi perpessionum & concupiscentiarum servi sunt effecti: atque exinde inter mortales, cædes, bella, adulteria, libidines & vitiositatem, malitiamque omnem disseminarunt.* In hac ergo sententia deserendus est cum omni reverentia Sanctus Justinus; sicut & alii Patres, qui post ipsum idem sensere, nimirum Athenagoras, Clemens Alexandrinus, Tertullianus, Sanctus Cyprianus. Neque tamen tanti est hic error, ut propter ipsum in aliis minùs deferri debeat Sancti Justini auctoritati. Sed neque ista sententia Hæreseos notâ inuri debet, quamvis falsa sit, & improbabilis.

Sanctus Justinus censet Angelum peccatum in stuprum iu de.

IV. Leviores Sancti Justini nævos non moror, qualis est ille in Apologia 2. ubi agens de Versione LXX. Interpretum, dicit Ptolomæum Ægypti Regem Legatos ad Herodem Judææ Regem misisse: cùm extra dubium sit Legatos istos missos fuisse ad Summum Sacerdotem Eleazarum, ducentis & quod excurrit annis, antequam Herodes regnaret in Judæa. Ejusdem generis est quod scribit, Davidem mille & quingentis annis antè vixisse, quàm Christus homo factus crucifigeretur; cùm ex serie temporum facile sit colligere, à morte Davidis usque ad Christum natum circiter mille & viginti quinque, aut triginta annos tantùm effluxisse.

V. Sed quartum, quem in Justino Viri Eruditi notant, graviorem Nævum, dissimulare nolim. Existimavit nempe Justinus, eum qui Judæus esset, & cum Christiana lege Judaïca sacra misceret, salutem posse consequi: ac fortassis etiam si jam Christianus Judaïcos postea ritus conjungeret. Tametsi fatetur alios in contraria opinione versari; qui cum Judaïcum cultum retinentibus, neque tecto, neque convictu sociari velint. Legendus Dialogo cum Triphone, Nivellianæ Edit. pag. 264. *Quòd si qui*, inquit, *nunc quoque vivere velint observantes ea quæ à Mose rogata sunt, & credant in hunc Jesum Crucifixum, agnoscentes ipsum Christum esse Dei, eique datum esse universorum prorsus judicium, & regnum ejus esse sempiternum: possunt-ne & ipsi servari? Ex me percunctando Trypho dixit.* Rogatus Trypho de quibus Mosaïcæ legis statutis sciscitaretur: *Sabbata peragere*, inquit, *& circumcidi, & menses servare*,

Judaïca Secta & observantias cum Christiana Lege posse conjungi, Sanctus Justinus sensit.

*vare, & baptizari, abluique, ubi quid attigeris quod à Mose vetitum est: aut in consuetudine Veneris fueris.* Cui cùm respondisset Justinus, Veteres Justos ante legem Moysi datam, absque legalium cærimoniarum observantia salutem consecutos esse, pressiùs interregat Trypho: *Quid si quisquam hæc ita se habere sciens, præter id quod hunc Christum esse noris, & credas, eique pareat, ista insuper servare velit, utrum salvabitur?* Justinus verò respondet: *Ut mihi quidem videtur, ô Trypho! salvatum talem iri aio, si alios mortales (eos autem dico, qui ex Gentibus per Christum ab errore & seductione circumcisi sunt) omni studio in sententiam suam adducere annisus non fuerit, non servatum eos iri ille affirmans, nisi eadem secum observaverint; itidem at tu ab initio disputationis fecisti, confirmans me salvum non fore, nisi ista servarem.* Trypho reposuit: *Quid ita dixisti: Ut mihi quidem videtur, talis salvabitur? An sunt qui dicant, hujuscemodi salvatum non iri?* Cui respondit Justinus: *Sunt, & quidem cum talibus illi neque consuetudinis, neque hospitii communionem habere audent: quos ego non collaudo. Sed si ipsi propter animi imbecillitatem, etiam quæcumque nunc possunt ex Moysi constitutionibus, quæ ob duritiam cordis populi sancita esse intelligimus, unà cum concepta in hunc Christum spe atque perpetuis naturaque comparatis justitiæ & religionis vera actionibus servare, & cum Christianis Fidelibusque vivere voluerint; ut modo illis non suadeant pariter cum eis circumcidi, ac Sabbata agere, aliaque, quæcumque tandem sunt, ejusmodi exequi: eos recipiendos, & ad communionem rerum omnium, ut Fratres, eorumdemque viscerum homines, admittendos esse censuerim.* Erronea est, si absolutè spectetur, illa Sancti Justini sententia, & Apostolicæ-divinæque Traditioni repugnans. Jam enim ejus ætate tempus illud præterierat, intrà quod inutiles quidem, sed nondum perniciosæ erant Judaicæ cæremoniæ: jampridem mortiferæ Christianis esse cœperant, ut ex S. Augustini doctrina Tomo 1 Dissertationum nostrarum, Dissertat. 10. ostendimus. Excusari tamen utcunque potest S. Martyr, quòd nondum præcisam & absolutam esse Decreti illius obligationem intellexerit, quo Judaïca Sacra novæ Legis Professoribus ut mortifera prohibebantur, quam post suo tempore futuram non dubitavit.

S. Justinus Animam immortalem & impiorum cruciatus æternos credidit.

VI. Quintum errorem *S. Justino* quidam pari temeritate affingunt, quòd Animas hominum non naturâ suâ, sed Dei gratiâ incorruptibiles & immortales esse opinatus sit, adeóque impiorum animas aliquando interituras, atque ita eorum supplicia finem habitura. Hæc ex ipsius Dialogo cum Triphone objiciunt, isti errori in speciem faventia: *Si mundus genitus est, Animas quoque genitas esse necesse est, & alicubi fortasse non esse.... Non ergo sunt immortales.... Verum enimvero non mori universas animas affirmo; lucrosum namque hoc esset revera malis. Quid igitur? Pia quidem in loco quopiam meliore manent: injusta verò & prava in deteriore, judicii tempus expectantes. Hoc namque modo, quæ digna sunt ut coram Deo appareant, non moriuntur ampliùs: illæ autem excruciantur quoad eas esse & excruciari vult Deus.* Perperam, inquam, ac temerè hic error *S. Justino* affingitur. Immortales enim ex intrinseco principio, & secundùm substantiam, Animas non negat; sed immortales esse sicut Deus, quasi increatæ sint, independentes, immutabiles, ac indefectibiles. Cùm enim ex nihilo conditæ sint, ut creaturæ cœteræ; Deo manum conservatricem subtrahente in nihilum redigerentur. Hinc mori eas asserit, non morte naturæ, sed peccati. Cruciari quidem Animas impiorum, quoad eas cruciari & esse vult Deus. Illas autem vult semper subsistere, qui ipsas naturâ immortales condidit: vult semper cruciari, qui æterna impiorum supplicia constituit. Eam fuisse Sancti Justini mentem, ejus verba cùm in eodem loco, tum alibi demonstrant. Sic enim loco mox laudato, pag. 223. *Quæcumque secundùm Deum sunt, aut erunt unquam, ea naturam corruptibilitati obnoxiam obtinent, abolerique & ulteriùs non extare possunt. Solus autem ingenitus & incorruptibilis est Deus, & propterea Deus est. Omnia vero reliqua genita sunt & corruptibilia. Qua de causa Animæ & moriuntur, & puniuntur. Quandoquidem ingenitæ si essent, neque peccarent, atque stultitia plenæ essent, neque meticulosæ ac feroces..... Anima vita est, aut vitam habens. Quòd si vita est, aliud quidpiam, non seipsam vivere facit, sicut & motio aliud quidpiam potius quam seipsam movet. Porrò Animam vivere, nemo inficias iverit. Sin vivit, non quòd vita sit, vivit, sed quòd vitam accipiat. Aliud sanè est quod participat quidquam ab eo unde participat. Vitam verò Anima participat quoad usque eam Deus vult vivere: ita videlicet aliquando non participabit, cùm eam vivere nolet. Non enim ita per se ipsam ei vita est, sicut per se ipsum Deus.*

Et in Apologia quæ prima inscribitur, æterna fore impiorum supplicia disertè docet, hancque fidem esse Christianorum. *Plato verò Rhadamanthum & Minoem itidem injustos ad se venientes plexuram esse docuit: Nos autem idipsum etiam factum iri dicimus, sed à Christo, corporibus eisdem cum Animabus suis uniendis; atque æternis prorsus, ac non eis tantùm qui mille annorum decursu ambitu durent, ut ille ait, cruciatibus torquendis.* Et in ea quæ secunda inscribitur Apologia: *Nos autem immortales dumtaxat eos fieri scimus, qui sanctè per virtutem ad imitationem Dei vivunt: torqueri autem in igne æterno, qui injustè absque resipiscentia & morum mutatione ætatem transigunt, credimus.*

## DISSERTATIO VII.

### *De Nævis Sancti Irenæi, & ejus Vindiciæ adversùs Magdeburgenses Centuriatores.*

QUOSDAM esse revera nævos in Sancti Irenæi Scriptis non diffiteor, qualis est millenarii in terris Christi regni cum Sanctis fabula, quam à Papia accepit, & lib. 5. adversùs Hæreses adstruxit. Sed eam opinionem in Irenæo, & aliis antiquis Patribus excusari posse diximus in Panoplia adversùs Hæreses Primi Sæculi, ubi de errore Cerinthi egimus, & Sanctorum Patrum de millenario in terris Christi regno sententiam, ab illius Hæresi toto cœlo distare probavimus. Nævus est, quamvis non tanti momenti, quod lib. 2. cap. 39. scribit, Christum prædicationem suam exorsum fuisse, & passum fuisse post quadragesimum, aut quinquagesimum ætatis suæ annum. Sed ut in his non est sequendus Sanctus Irenæus: ita in cæteris audiendus est, ejusque Scripta ut Traditionis Apostolicæ thesaurus evolvenda; ejus doctrina ut Fidei Catholicæ clypeus, sectanda est. Id Patres, qui post ipsum floruerunt, locupletissimis probaverunt testimoniis, siquidem ipsius auctoritate adversùs Hæreticos pugnavere, ut Tertullianus, libro adversùs Valentinianos, cap. 5. ubi & eum vocat *Curiosissimum omnium doctrinarum Exploratorem.* Ut Eusebius libro 2. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 27. ubi ipsum inter eos recenset, *Quibus propter vera rectaque opinionis Ecclesiasticæ patrocinium meritò fides adjungenda est.* Ut Sanctus Epiphanius Hæresi 24. ejus auctoritatem laudat adversùs Basilidem: *Ac beatus ille Apostolorum Successor Irenæus, loquitur, subtiliùs ea de re disputans, hominis stultitiam cum pari imbecillitate conjunctam sanè admirabiliter con-*

vicit. Et Hæresi 31. quæ est Valentinianorum, postquam multa ex S. Irenæo adversùs Valentini fabulas & errores pugnante descripsit, hæc habet Num. 33. *Hac atque his similia optimus ille Senex Irenæus totidem verbis de vanissimis illorum opinionibus disseruit, vir omnino Spiritus Sancti donis instructissimus, ac tanquam fortis Athleta productus à Domino, & cælestibus ornamentis (ut ita dixerim) ad certamen perunctus: qui sincera fidei, ac scientia præsidiis, omnia illorum prostravit, evertitque mendacia.* Ipsum etiam laudat Hæresi 34. Sanctus Basilius, libro de Spiritu Sancto, cap. 29. Sanctum Irenæum recenset inter *Veteres ac beatos viros, quibus antiquitas fidem conciliat; & qui juxta exactam eruditionem scripserunt, quod ad rectam attinet pietatis intelligentiam.* Sanctus Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 16. meminit honorificè Institutionum Beati Irenæi adversùs Hæreses. Sanctus Hieronymus non solùm in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum ipsum commendat; sed etiam Epistolâ 29. ad Theodoram, ubi historiam de nobilibus fœminis à Marco Hæresiarcha seductis, ex ipso refert, illumque vocat, *Virum Apostolicorum temporum*, & libros ipsius laudat, quos *adversus omnes hæreses doctissimo & eloquentissimo sermone composuit.* Meminit illius & in cap. 64. Isaiæ. Sanctus Augustinus, lib. 1. contra Julianum Pelagianum, cap. 2. Irenæum inter *Fidei Catholicæ Defensores* laudat. *Irenæus Lugdunensis Episcopus non longè à temporibus Apostolorum fuit: Iste ait, Non aliter salvari homines ab antiqua Serpentis plaga, nisi credant in eum qui secundùm similitudinem carnis peccati in ligno Martyrii exaltatus à terra, & omnia traxit ad se, & vivificavit mortuos. Item idem ipse: Quemadmodum adstrictum est*, inquit, *morti genus humanum per Virginem, solvatur per Virginem, æqua lance disposita virginalis inobedientia per Virginalem obedientiam. Adhuc enim Protoplasti peccato per conceptionem Primogeniti emendationem accipiente, serpentis prudentia devictâ per simplicitatem columbæ, vinculis illis resoluti sumus, quibus alligati eramus morti. Vide antiquum Hominem Dei, quid de antiqua Serpentis plaga sentiat*, &c.

Et Theodoretus Dialogo 1. qui inscribitur, *Immutabilis*: inter *Viros Apostolicam doctrinam sonantes* recenset Irenæum, *qui Polycarpi auditor & Discipulus fuit, lumenque Occidentalium Gallorum.* Deinde ex tertio ejus libro adversùs Hæreses luculentissima profert contra Eutychianos testimonia: demum recensitis ejus, & aliorum Patrum sententiis, sic concludit: *Successores divinorum Apostolorum hi viri fuerunt; quorum aliqui sacram illorum vocem audierunt, & admirabili eorum consuetudine usi sunt; plurimi etiam Martyrii coronis ornati sunt. Fas ne ergo sibi videtur blasphemam contra illos linguam movere?* Quæ eadem verba contra Magdeburgenses Sycophantas contorquere licet. Verùm ne ipsos inauditos damnemus, expendendi sunt errores præsumti, quos in Sancti Irenæi libris notant.

S. Irenæus de Fil. Dei rectè sensit, nec Socinianis favet.

Primò objiciunt, quòd de Filio Dei loquutus ipsique Verbi notionem tribuens, Verbum substantiale & internum, à verbo vocali non distinguat; adeoque censere videatur Filium Dei esse Verbum prolatitium.

Respondeo, hanc esse putidissimam calumniam, siquidem Verbi prolatitii labem omnem & imperfectionem à Verbo divino disertè excludit contra Valentinianos & Gnosticos pugnans cap. 46. 47. & 48. lib. 2. *Aliud enim est*, inquit, *Logos, quod est principale, quod excogitat: aliud organum per quod emittitur Logos: & aliquando autem loqui & operari. Deus autem, cùm sit totus mens, totus ratio, &* A *totus Spiritus operans, & totus lux, & semper idem & similiter existens, sicut & utile est nobis sapere de Deo, & sicut ex Scripturis discimus, non jam hujusmodi affectus & divisiones decenter erga eum subsequentur. Velocitati enim sensus hominum, propter spiritale ejus, non sufficit lingua deservire, quippe carnalis existens: unde & intus suffocatur verbum nostrum, & profertur, non de semel, sicut conceptum est à sensu, sed per partes, secundùm quòd lingua subministrare prævalet. Deus autem totus existens mens, & totus existens Logos; quod cogitat, hoc & loquitur; & quod loquitur, hoc & cogitat. Qui ergo* B *dicit mentem Dei, & prolationem propriam menti donat, compositum eum pronuntiat, tanquam aliud quiddam sit Deus, aliud autem principalis mens existens. Similiter autem & de Logo tertiam prolationem ei à Patre donans, unde & ignorat magnitudinem ejus: porro & longè Logon à Deo separavit. Et Propheta quidem ait de eo: Generationem ejus quis enarrabit? Vos autem generationem ejus ex Patre divinantes, & verbi hominum per linguam factam prolationem transferentes in Verbum Dei, justè detegimini à vobis ipsis quòd neque divina, nec humana noveritis.*

C Et infra: *Si quis itaque nobis dixerit: Quomodo ergo Filius prolatus à Patre est? Dicimus ei, Quia prolationem istam, sive generationem, sive nuncupationem, sive adapertionem, aut quomodolibet quis nomine vocaverit, generationem ejus inenarrabilem existentem nemo novit, non Valentinus, non Marcion, neque Saturninus, neque Basilides, neque Angeli, neque Archangeli, neque Principes, neque Potestates, nisi solus qui generavit Pater, & qui natus est Filius. Inenarrabilis itaque generatio ejus cùm sit, quicunque nituntur generationes & prolationes enarrare, non sunt compotes sui, ea quæ inenarrabilia sunt, enarrare promittentes. Quoniam enim ex co-* D *gitatione & sensu verbum emittitur, hoc utique omnes sciunt homines. Non ergo magnum quid invenerunt, qui emissiones excogitaverunt: neque absconditum Mysterium, si id quod ab omnibus hominibus intelligitur, transtulerunt in unigenitum Dei Verbum: & quem inenarrabilem vocant, hunc, quasi ipsi obstetricaverint, primæ generationis ejus prolationem & generationem enuntiant, assimilantes eum hominum verbo emissionis.*

Non minùs iniquè alii objiciunt, *Sanctum Irenæum* Arianis & Socinianis favere, cùm ait Libro III. cap. VIII. Patrem præcepisse Verbo suo ut Mundum conderet: *Quoniam ipse præcepit, & creata* E *sunt; ipse dixit, & facta sunt. Cui ergo præcepit? Verbo scilicet, per quod*, inquit, *cæli firmati sunt, & Spiritu oris ejus omnis virtus eorum.* Minùs enim propriè ibi sumitur præcepti nomen Filii respectu. Præcepit Deus creationem Mundi Verbo suo, non ut Dominus servo, sed ut Pater Filio, ejusdem cum ipso increatæ naturæ, divini imperii ac potestatis consorti. Præcepit Verbo suo ut mundus fieret, hoc est, voluit Mundum fieri per Verbum suum, concurrente ejusdem Verbi voluntate, quæ una est cum voluntate Patris: sicut eadem omni- F potentia. Hinc ibidem ait: *Sed nec quidquam ex his quæ constituta sunt, comparabitur Verbo Dei, per quem facta sunt omnia, qui est Dominus noster Jesus Christus. Quoniam sive Angeli, sive Archangeli, sive Throni, sive Dominationes, ab eo qui super omnes est Deus & constituta sunt & facta per Verbum ejus. Joannes quidem sic significavit: cùm enim dixisset de Verbo Dei quoniam erat in Patre, adjecit, Omnia per eum facta sunt, & sine eo factum est nihil .... Altera autem sunt quæ constituta sunt, ab eo qui constituit, & quæ facta sunt ab eo qui fecit. Ipse enim infectus & sine initio & sine fine, & nullius indigens, ipse sibi sufficiens, & adhuc reliquis*

*omnibus ut sim hoc ipsum præstans : Quæ verò ab ipso sunt facta, initium sumpserunt : Quæcumque autem initium sumpserint, & dissolutionem possunt percipere, & subjecta sunt, & indigent ejus qui se fecit : Necesse est omnino uti differens vocabulum habeant apud eos, etiam qui vel modicum sensum in discernendo talia habent. Ita ut quidem qui omnia fecerit, CUM VERBO SUO JUSTE DICATUR DEUS ET DOMINUS SOLUS. Quæ autem facta sunt, non jam ejusdem vocabuli participabilia esse, neque justè id vocabulum sumere debere, quod est Creatoris.* Et libro II. cap. XLIII. *Non enim infectus es, ô homo, neque semper coexistebas Deo, sicut proprium ejus Verbum; sed propter eminentem bonitatem ejus, nunc initium facturæ accipiens, sensim discis à Verbo dispositiones Dei qui te facit.* Et libro IV. cap. XI. *Qui igitur à Prophetis adorabatur Deus vivus, hoc est vivorum Deus, & Verbum ejus, & locutus est Moysi, qui & Sadducæos redarguit, qui & Resurrectionem donavit .... Ipse igitur Christus cum Patre vivorum est Deus, qui & locutus est Moysi, qui & Patribus manifestatus est.*

Frustra etiam objiciunt, quòd Filio & Spiritui-Sancto ministrorum functionem in rerum creatione Sanctus Irenæus tribuerit libro IV. cap. XVII. Ibi enim ministrum intelligit non Patri extraneum (quod Ariani voluerunt) sed consubstantialem Patri : seu potiùs id unum vult, Deum Patrem per Filium & Spiritum Sanctum creationis opus perfecisse : quod Angelis ministris, aut inferioribus potestatibus tribuebant Hæretici. *Hic enim Filius,* inquit, *qui est Verbum Dei, ab initio præstruebat, non indigente Patre Angelis, uti faceret conditionem, & formaret hominem, propter quem & conditio fiebat : neque rursus indigente ministerio ad fabricationem eorum quæ facta sunt, ad dispositionem eorum negotiorum, quæ secundum hominem erant, sed habente copiosum & inenarrabile ministerium. Ministrat enim ei ad omnia sua progenies & figuratio sua, id est, Filius & Spiritus-Sanctus, Verbum & Sapientia, quibus serviunt & subjecti sunt omnes Angeli.*

Non sensit S. Irenæus diabolum non primùm lapsum esse, cùm hominem seduxit.

Objiciunt secundò Magdeburgenses, Diabolum tum demum lapsum sensisse Sanctum Irenæum, cùm hominem seduxit, (libro 4. adversùs Hæreses, capite 78.)

Respondeo Sycophantas illos imponere Sanctissimo Martyri : nusquam enim hæc habet, quæ ipsi affingunt; sed ita duntaxat scribit : *Ex tunc enim apostata est Angelus hic & inimicus, ex quo zelavit plasma Dei, & inimicum illum Deo facere aggressus est.* Atqui priùs invidit hominis à Deo conditi fœlicitati, quàm eum ad peccatum pelliceret. Imponunt igitur Irenæo, cùm dicunt illum scripsisse, quod tum diabolus lapsus fuerit, cùm hominem seduxit.

At, inquiunt, ibidem scribit, tum primùm maledictum, & abjectum esse dæmonem, cùm post hominis lapsum dixit Deus : *Semen mulieris conteret caput suum. EUM autem*, inquit, *qui negligenter quidem, sed malè accepit inobedientiam, hominem miseratus est, & retorsit inimicitiam, per quam inimicum Deo facere voluit, in ipsum inimicitiarum authorem, retorquens illam & mittens in serpentem : quemadmodum & Scriptura ait dixisse serpenti Dominum ; Et inimicitiam ponam inter te, & mulierem, & inter semen tuum, & semen mulieris: Ipse tuum calcabit caput, & tu observabis calcaneum ejus.*

Respondeo; voluisse duntaxat Sanctum Irenæum, diaboli fraudes, scelera, consilia, ac proinde maledictionem ac damnationem tum primùm nobis manifestante Dei verbo revelatam, cùm refertur à Deo maledictus, ac proscriptus. Nihil enim de his ante hominis lapsum Moyses prælibavit. Et hæc diaboli damnatio in suo cultu, in suis operibus, in suis membris, magis adhuc innotuit post Incarnationem Filii Dei, qui regnum illius evertit, & opera dissolvit. Unde subjungit Irenæus : *Et inimicitiam hanc Dominus in semetipsum recapitulavit, de muliere factus homo, & calcans ejus caput : quemadmodum in eo, qui ante hunc est, libro ostendimus.*

Objiciunt tertiò, quòd scripserit Irenæus lib. 5. cap. 26. *Ante Domini adventum, nunquam ausum esse Satanam blasphemare Deum, quippe nondum scientem suam damnationem. Post autem adventum Domini, ex sermonibus Christi, & Apostolorum ejus, didicisse manifestè, quoniam ignis æternus ei præparatus est, ex sua voluntate abscedenti à Deo, & omnibus, qui sine pœnitentia perseverant in Apostasia : per hujusmodi homines blasphemat eum Deum, qui judicium importat, quasi jam condemnatus, & peccatum suæ Apostasiæ Conditori suo imputat, & non suæ voluntati, & sententiæ : quemadmodum & qui supergrediuntur leges, & postea pœnas dant, queruntur de legislatoribus, sed non de semetipsis :*

Quo sensu scripserit S. Irenæus, Diabolum damnationem suã ante adventum Christi nescivisse.

Gravis porro error est, asserere diabolum non scivisse damnationem suam ante Christi adventum; si enim damnationem suam nescivit, non fuit reipsa damnatus.

Respondeo primò, Opinionem illam, quæ dæmonum damnationem ad ignem æternum, nedum ad Christi adventum, sed ad ultimum judicii diem differt, illosque nondum extremò ac summò supplicio cruciari; sive ignis tormenta experiri asserit, in quibus illorum damnationis, quoad sensum & perpessionem attinet, summa consistit, nulla esse erroris nota inurendam, cùm in eam passim iverint Ecclesiæ Patres, Tertullianus Apologetici c. 5. & 27. Minutius Felix in Octavio, Sanctus Augustinus lib. 13. de Civitate Dei, cap. ultimo & lib. 21. cap. 1. 10. & 13. & alibi passim Sanctus Hieronymus in cap. 25. Isaiæ, Theodoretus lib. 5. Hæreticarum Fabularum cap. 9. Sanctus Gregorius Magnus, lib. 4. Moralium cap. 10. Sanctus Bernardus Sermone de transitu Malachiæ, & alii quorum testimonia refert Petavius Tom. 3. Theologicorum Dogmatum lib. 3. cap. 4. Unde istorum Patrum vestigia terens Caïetanus noster, eamdem sententiam amplectitur ad cap. 2. Epistolæ 2. Sancti Petri. Hinc Sanctus Thomas 1. p. Q. 64. Art. 4. ad 3. cùm eorum commemorasset opinionem, qui asserunt, *Usque ad diem judicii differri pœnam sensibilem, tam dæmonum, quam animarum, similiter beatitudinem Sanctorum* : atque hoc esse *erroneum* pronuntiasset; mox addit; *Alii verò, licet hoc non concedant de animabus; concedunt tamen de dæmonibus.* Quam sententiam nullâ erroris notâ perstringit : sed hoc affirmat unum, *Meliùs esse dicendum, quòd idem judicium sit de malis animabus, & malis Angelis.*

Certè Sanctus Irenæus Diabolum non scivisse damnationem suam ante Christi adventum, asseruit secundùm Sanctum Justinum Martyrem, quem & his verbis laudavit : *Bene Justinus dixit* &c. ait autem Sanctus Justinus Apologia 2. *Apud nos Princeps malorum Dæmonum serpens vocatur, & satanas, & diabolus : quemadmodum & ex monimentis nostris, si scrutari velitis, potestis discere. Quem in ignem esse mittendum cum exercitu ipsius, & hominibus qui eum sequuntur, in æternum puniendos, Christus ante significavit. Porro quòd nondum hoc factum sit à Deo, propter hominum genus, cui mora hæc datur, id accidit.* Sententiam autem S. Justini, quam secutus est Sanctus Irenæus, & Eusebius, lib. 4. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 18.

& Sanctus Epiphanius Hæresi 39. & Oecumenius in fine Commentarii in Epistolam 1. Sancti Petri, cum laude commemorant. Qua igitur fronte Magdeburgenses hanc audent erroris insimulare?

Respondeo 2. ita exponi posse Sanctum Irenæum, ut voluerit *Diabolum non scivisse damnationem suam*, quoad aliquas circumstantias, & pœnas adventitias, puta quòd in tartara esset detrudendus; unde Christum his verbis compellabat: *Venisti ante tempus perdere nos.* Vel nondum scivisse damnationem suam, id est sui cultus, suorum rituum, suorum facinorum in mundo, hoc est in membris suis, damnationem per Christum, de qua Servator ipse ait: *Princeps hujus mundi jam judicatus est: Princeps hujus mundi ejicietur foras.* Sed non negat Sanctus Irenæus diabolum scivisse, etiam ante adventum Christi, damnationem suam, quoad pœnam, quæ *essentialis* à Theologis vocatur, illamque, statim post peccatum suum, expertum fuisse, scilicet visionis beatæ sempiternam privationem.

Quo sensu S. Irenæus dixerit, hominem non esse à Deo perfectum conditum.

Objiciunt quartò, Sensisse Sanctum Irenæum, *Hominem non esse à Deo perfectum conditum*, lib. 4. cap. 73. qui proculdubio gravis error est.

Respondeo Sanctum Irenæum loqui de perfectione accidentaria, non de substantiali. Quia scilicet homo cum libertate conditus est, quæ deficere possit. Enimvero licet omnibus numeris absolutus homo è manibus Dei sit egressus quoad naturæ dotes. Licet insuper scientiæ & gratiæ cumulatus ornamentis creatus fuerit: hoc ipso tamen quòd imperiali Dei verbo evocante prodiit ex nihilo, multis obnoxius est defectibus, quia nulla esse potest creatura, quæ à sui perfectione non degeneret Authoris. Hic Sancti Irenæi dubio procul sensus est, loco laudato dicentis: *Nec enim poterant infecta esse, quæ nuper facta sunt: propter quod autem non sunt infecta; propter hoc & ideo deficiunt à perfecto.*

Respondeo 2. Loqui S. Irenæum de perfectione supernaturali, gratiæ nimirum & gloriæ. In statu namque supernaturali homo conditus est velut infans, qui paulatim proficeret, donec perveniret ad perfectum. Id constat ex ipsius verbis, cap. 74. *Secundùm enim quòd sunt posteriora*, inquit, *secundùm hoc & infantilia: & secundùm quòd infantilia, secundùm hoc & insueta, & inexercitata ad perfectam disciplinam. Quemadmodum enim mater potest quidem præstare perfectam escam infanti, ille autem adhuc non potest robustiorem se percipere escam: sic & Deus ipse quidem potens fuit homini præstare perfectionem ab initio, homo autem impotens percipere illam: infans enim fuit. Et propter hoc Dominus noster in novissimis temporibus recapitulans in seipso omnia, venit ad nos, non quomodo ipse poterat, sed quomodo illum nos videre poteramus. Et propter hoc, quasi infantibus, ille qui erat Panis perfectus Patris, lac nobis semetipsum præstitit, quod erat secundùm hominem ejus adventus, ut quasi à mamilla carnis ejus enutriti, & per talem lactationem assueti manducare & bibere Verbum Dei, & eum, qui est immortalitatis Panis, qui est Spiritus Patris, in nobis ipsis eum continere possimus.*

Quintò sugillant velut fanaticum quiddam, quod scripsit Sanctus Irenæus lib. 4. cap. 30. *Sed & Enoch sine Circumcisione placens Deo, cùm esset homo, Dei legatione ad Angelos fungebatur.*

Sed næ ipsosmet fanaticos Centuriatores, qui id carpant! Sequutus est Sanctus Irenæus Versionem LXX. Interpretum, juxta quam Angelos nuncupavit filios Seth, ad quos Enoch amandatus; conciones habuit de futuro judicio, & pœnis reproborum; ut eos à Cainitarum consortio, perfidia, sceleribus, quibus paulatim assuescebant, & depravabantur, ad Dei timorem, cultumque revocaret.

Sextò insectantur Sanctum Irenæum, quòd non distinctè & accuratè de virium humanarum potestate ratiocinetur, & multis abutatur Christi, Apostoli, & Prophetarum oraculis, toto præcipuè cap. 72. lib. 4.

S. Irenæus de libero arbitrio & gratia rectè sensit.

Respondeo; ibi, & sexcentis in locis, Sanctum Irenæum firmissimis sacrarum Scripturarum testimoniis liberum hominis arbitrium vindicare adversùs Simonianos & Marcionitas, in posterioribus Hæreticis redivivos. Hæc autem assertio solis Lutheranis error est, & eorum similibus. Ad hæc, humanæ libertati adeo necessarium adstruit Sanctus Irenæus divinæ gratiæ præsidium, ut sine ea nihil boni agere possimus. An hæc distincta non est & prorsus accurata ratiocinatio? Quid enim ad exponendam, & adstruendam hominis libertatem nitidius ac luculentius, his Doctoris Martyrisque Sanctissimi verbis, cap. laudato? *Etenim ipsum Evangelium, si noluerit quis sequi, licet quidem, non tamen expedit. Inobedientia enim Dei, & amissio boni est quidem in hominis potestate: læsionem autem & damnum non quamlibet infert: & propter hoc Paulus ait: Omnia licent, sed non omnia expediunt; & libertatem referens hominis, quapropter & omnia licent, non cogente eum Deo, & id non expedit, ostendens, ut non ad velamen malitiæ abutamur libertate; non enim hoc expedit .... Si igitur non in nobis esset hæc facere, aut non facere, quam causam habebat Apostolus, &, multò prius ipse Dominus, consilium dare, quædam quidem facere, à quibusdam verò abstinere? Sed quoniam liberæ sententiæ ab initio est homo, & liberæ sententiæ est Deus, cujus ad similitudinem factus est, semper consilium datur ei, continere bonum, quod perficitur ex ea, quæ est ad Deum, obedientia.*

Et cap. 71. *Quod ait: Quoties volui congregare filios tuos, & noluisti? Veterem legem libertatis hominis manifestavit; quia liberum eum Deus fecit ab initio, habentem suam potestatem, sicut & suam animam, ad utendum sententia Dei voluntariè, & non coactum à Deo. Et propter hoc, consilium quidem bonum dat omnibus. Posuit autem in homine potestatem electionis, quemadmodum & in Angelis.*

Et cap. 9. ejusdem libri: *Homo verò rationabilis*, inquit, *& secundùm hoc similis Deo, liber in arbitrio factus & suæ potestatis, ipse sibi causa est ut aliquando quidem frumentum, aliquando autem palea fiat.*

Et cap. 29. ait: *Id quod erat semper liberum, & suæ potestatis in homine, semper servasse Deum, & suam exhortationem: ut justè damnentur, qui non obediunt ei, quoniam non obedierunt: & qui obedierunt, & crediderunt ei, honorentur incorruptibilitate.*

Et cap. 76. *Non igitur deficit ars Dei; Potens est enim de lapidibus suscitare filios Abrahæ: sed ille qui non consequitur eam, sibimet suæ imperfectionis est causa. Nec enim lumen deficit propter eos, qui semetipsos excæcaverunt: sed illo perseverante, quale & est, excæcati per suam culpam, in caligine constituuntur, neque lumen cum magna necessitate subjiciat sibi quemquam: neque Deus cogit eum, qui nolit continere ejus artem. Qui igitur abstiterunt à paterno lumine, & transgressi sunt legem libertatis, per suam abstiterunt culpam, liberi arbitrii, & suæ potestatis facti.* Quid autem, ad hominis libertatem, & divinæ gratiæ necessitatem commendandam illustrius proferri potest?

Septimò vellicant Sanctum Irenæum, quòd scripserit cap. 72. libri 4. *Deum non tantùm in operibus;*

*sed*

*sed etiam in fide, liberum & suæ potestatis arbitrium hominis servasse.*

Respondeo, hanc assertionem non erroribus, sed Catholicis Dogmatibus esse annumerandam, ut quæ Christi verbis nitatur, Matthæi 8. *Secundùm fidem tuam fiat tibi.* Et Marci 9. *Omnia possibilia sunt credenti.* Et Joannis 3. *Vade, & sicut credidisti, fiat tibi.* Hæc autem *omnia*, inquit Sanctus Irenæus, *suæ potestatis, secundùm fidem ostendunt hominem*; id est liberrimum esse ei, credere, vel non credere. Quanquam credere non possit, nisi gratiâ desuper affulgente adjuvetur.

Octavò, corrodunt Sancti Irenæi doctrinam, quòd scripserit in eodem capite, Prophetas hortatos fuisse homines ad justitiam, & ad bonum operandum, *quia hoc in nobis sit.* Martyrem Sanctissimum protinus Pelagianum inclamant: quasi adversùs gratiæ necessitatem pugnaverit.

Respondeo verissimum esse oraculum; *Bonum operari in nobis est*: gratiæ nimirum prævenientis, & cooperantis beneficio. Id à Sancto Paulo didicerat Sanctus Irenæus dicente; *Omnia possum in eo qui me confortat ..... Plus omnibus laboravi, non ego, sed gratia Dei mecum.* Quòd autem gratiæ necessitatem agnoverit Sanctus Irenæus, constat ex cap. 27. libri 4. ubi explicans hæc Christi verba; *Nisi abundaverit justitia vestra plusquam Scribarum, & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum*: hæc habet: *Quid autem plus? Primò quidem non tantùm in Patrem, sed & in Filium ejus jam manifestatum credere: hic est enim qui in communionem & unitatem Dei hominem ducit. Post deinde; non solùm dicere, sed & facere. Illi enim dicebant, sed non faciebant. Et non tantùm abstinere à malis operibus, sed etiam à concupiscentiis eorum. Hæc autem non quasi contraria Legi docebat; sed adimplens Legem, & infigens justificationes ejus in nobis... Etenim Lex, quippe servis posita, per ea, quæ foris erant, corporalia, animam erudiebat, velut per vinculum attrahens eam ad obedientiam præceptorum, uti disceret homo adservire Deo. Verbum autem liberans animam, & per ipsam corpus voluntariè emundari docuit: quo facto, necesse fuit auferri vincula servitutis, quibus jam homo assueverat, & sine vinculis sequi Deum: superextendi verò decreta libertatis, & augeri subjectionem quæ est ad Regem, ut non retrorsùs quis revertens, indignus appareat ei qui se liberavit.* Et postquam legis novæ præcepta cum veteris legis præceptis comparavit, hæc habet: *Hæc autem omnia, quemadmodum prædiximus, non dissolventis erant Legem, sed adimplentis, & extendentis, & dilatantis in nobis. Tanquam si aliquis dicat, majorem libertatis operationem, & pleniorem erga Liberatorem nostrum infixam nobis subjectionem, & affectionem. Non enim propter hoc liberavit nos ut ab eo abscedamus: nec enim potest quisquam extra Dominica constitutus bona sibimetipsi acquirere salutis alimenta: sed ut plus gratiam ejus adepti, plus eum diligamus. Quantò autem plus eum dilexerimus, hoc majorem ab eo gloriam accipiemus, cùm simus semper in conspectu Patris.*

Sed & lib. 3. cap. 19. gratiæ ad bonum agendum necessitatem magnificis æquè verbis commendat. Nam de Spiritu Sancto loquens hæc habet: *Unde & in Filium Dei Filium hominis factum descendit, cum ipso assuescens habitare in genere humano, & requiescere in hominibus, & habitare in plasmate Dei, voluntatem Patris operans in ipsis, & renovans eos à vetustate in novitatem Christi. Hunc Spiritum petit David humano generi, dicens: Et Spiritu principali confirma me. Quem & descendisse Lucas ait post Ascensum Domini super Discipulos in Pentecoste, habentem potestatem omnium Gentium ad introitum vitæ, & apertionem novi Testamenti: unde & omnibus linguis conspiranter hymnum dicebant Deo, Spiritu ad unitatem redigente distantes Tribus, & primitias omnium Gentium offerente Patri: unde & Dominus pollicitus est mittere se Paracletum, qui nos aptaret Deo. Sicut enim de arido tritico massa una fieri non potest sine humore, neque unus panis: ita nec nos multi unum fieri in Christo Jesu poteramus, sine aqua, quæ de cælo est. Et sicut arida terra, si non percipiat humorem, non fructificat: sic & nos lignum aridum existentes primùm, nunquam fructificaremus vitam sine superna voluntaria pluvia. Corpora enim nostra per lavacrum illud, quod est ad incorruptionem, unitatem acceperunt: animæ autem per Spiritum. Unde & utraque necessaria, cum utraque proficiunt in vitam Dei miserante Domino nostro Jesu Christo Samaritanæ illi prævaricatrici, quæ in uno viro non mansit, sed fornicata est in multis impiis, & ostendente ei, & pollicente aquam vivam, ut ulteriùs non sitiret, neque occuparetur ad humectationem aquæ laboriosa, habens in se potum salientem in vitam æternam: quam Dominus accipiens munus à Patre, ipsam quoque his donavit, qui ex ipso participantur, in universam terram mittens Spiritum Sanctum.*

Et ibidem. *Hanc muneris gratiam prævidens Gedeon ille Israëlita, demutavit petitionem & super vellus lanæ in quo tantùm primùm ros fuerat, quod erat typus populi, ariditatem futuram prophetans: hoc est, non jam habituros eos à Deo Spiritum Sanctum, sicut Esaias ait: Et nubibus mandabo, ne pluant super eam. In omni autem terra fieri ros, quòd est Spiritus Dei, qui descendit in Dominum: quem ipsum iterum dedit Ecclesiæ, in omnem terram mittens de cælis Paracletum, Quapropter necessarius nobis est ros Dei, ut non comburamur, neque infructuosi efficiamur: & ubi accusatorem habemus, illic habeamus & Paracletum; commendante Domino Spiritui Sancto suum hominem, qui inciderat in latrones, cui ipse misertus est, & ligavit vulnera ejus, dans duo denaria regalia; ut per Spiritum imaginem & inscriptionem Patris & Filii accipientes, fructificemus creditum nobis denarium, Domino multiplicatum annumerantes.* Quid, quæso, his proferri potest luculentius ad gratiæ commendationem, & ad ejus necessitatem respectu omnis operis boni comprobandam?

Nonò. Objiciunt adversùs Sanctum Irenæum Magdeburgenses, quòd scripserit lib. 4. cap. 30. *Patres ante Legem promulgatam justos fuisse lege naturæ*: Atque ita gratiæ necessitatem respectu veterum Patrum evertat.

Respondeo, ipsos calumniari. Nusquam enim id scripsit Sanctus Irenæus: ait solùm, *Patres qui Moysem præcesserunt, sine Circuncisione, & sine lege Moysi fuisse justificatos; quia virtute Decalogi conscriptam habebant in cordibus, & animabus suis legem, diligentes scilicet Deum qui fecit eos, & abstinentes erga proximum ab injustitia, propter quod non fuit necesse admonere eos correptoriis literis, quia habebant in semetipsis justitiam legis.* Porro supponit Sanctus Irenæus, quod ibi probandum non susceperat, ipsos hujusmodi justitiam in semetipsis non habuisse absque gratia, qua justificamur, & qua instructi prisci illi Patres mandata Dei, non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus scripta, ad amussim observarunt; atque ita justitiæ augmentum sunt promeriti, secundùm sacrum illud Oraculum; *Augebit incrementa frugum justitiæ vestræ.* Hinc capite sequenti Sanctus Irenæus agnoscit divinorum adimpletionem mandatorum datam fuisse hominibus à Deo per adoptionem, id est, per gratiam quæ filios adoptivos facit, & quæ filiis præsto est. *Hæc ergo*, inquit, *quæ in servitutem & in signum data sunt illis* (antiquis Patribus) *novo libertatis Testamento circumcidit. Quæ autem naturalia, & liberalia*

ralia,

*valia, & communia omnium, auxit & dilatavit, sine invidia largiter donans hominibus per adoptionem, Patrem scire Deum, & diligere eum ex toto corde, & sine aversatione sequi ejus Verbum, non tantùm abstinentes à malis operationibus, sed etiam à concupiscentiis eorum.*

Denique objiciunt adversùs Sanctum Irenæum Centuriatores Magdeburgenses, quod incommodè loquutus sit, cum libro 4. cap. 32. *Sacrificium jugo Corporis & Sanguinis Christi* in Ecclesia commendat. Scilicet, id incommodum errori, firmandæ commodum veritati.

Non minus spiritum produnt, quo agontur, cùm in Sanctissimo Patre & Martyre coarguunt illa verba lib. 5. cap. 19. *Sicut Eva seducta est ut effugeret Deum: sic Virgo Maria suasa est obedire Deo, uti Virginis Evæ Virgo Maria fieret Advocata.* Displicet nempe hæreticis hominibus quòd tam antiquo tamque inconcusso testimonio Traditio de Sanctorum invocatione confirmetur.

Durius paulò est quod lib. 2. cap. 63. statuit Irenæus, *Animas characterem corporis, in quo etiam adaptantur, custodire eumdem*, corpore solutas licet, *& habere hominis figuram, ut etiam cognoscantur.* Sed corpoream esse Animam, & corporeos item Angelos Veterum plurimi senserunt: nec id hæreseos notâ inuri debet.

Animam rationalem naturâ immortalem censet S. Irenæus, & pœnas impiorum æternas.

Nævum alterum seu potiùs gravissimum errorem *Sancto Irenæo* recentior quidam Criticus affinxit, quòd Animam non naturâ, sed gratiâ duntaxat & voluntate Dei immortalem esse senserit Libro III. cap. LI. & sequentibus, præsertim LXIV. lib. IV. capp. XXXVII. & LXXIII. & lib. V. cap. XXXII. Verùm aut de immortalitate naturæ non loquitur *Sanctus Irenæus*, cùm Animam immortalem negare videtur, sed de immortalitate gloriæ & beatitudinis: hæc enim omnino ex gratia est: Aut certè vult solùm Animam indeficientem non esse, cùm ex nihilo condita sit; sed in nihilum redigi posse, si Deus manum conservatricem subtraheret. Is *Sancti Irenæi* sensus est libro II. cap. LXIV. *Propheticus sermo, Protoplastus (ait) factus est in animam vivam: docens nos quoniam secundùm participationem vitæ vivens facta est Anima, ita ut separatim quidem Anima intelligatur, separatim autem quæ erga eam est vita. Deo itaque & vitam & perpetuam perseverantiam donante, capiunt animæ, primum non existentes, dehinc perseverare, cùm eas Deus & esse & subsistere voluerit. Principari enim debet in omnibus & dominari voluntas Dei; reliqua autem omnia huic cedere & subdita esse.* Sanè cùm inconcussum sit istud Sancti Irenæi principium lib. V. *Deus liberè & ex sua potestate disposuit & perfecit omnia, & est substantia omnium voluntas ejus*: Hinc sequitur res omnes à Deo conditas tamdiu subsistere, quamdiu voluerit Deus. *Quando omnia quæ facta sunt initium facturæ suæ habeant; perseverant autem quoadusque ea Deus & esse & perseverare voluerit*; (ut idem ait lib. II. cap. LXV.) Cùm igitur Animas creando, illas semper subsistere ac permanere voluerit, consequens est ut perire non possint, cùm omnipotentem Dei voluntatem frustrare nihil possit. Sunt igitur Naturâ immortales, ut *Sanctus Irenæus* confirmat libro V. cap. VII. *Quæ sunt ergo mortalia corpora? Numquidnam animæ? Sed incorruptibiles animæ, quantum ad comparationem mortalium corporum. Insufflavit enim in faciem hominis Deus flatum vitæ, & factus est in animam viventem. Flatus autem vitæ incorporalis est. Sed ne mortalem quidem possunt dicere hominem ipsum flatum vitæ existentem. Et propter hoc David ait: Et anima mea illi vivet, tanquam immortali substantiâ una ejus existente. Sed neque spiritum possunt dicere mortale corpus. Quid igitur superest dicere mortale corpus, nisi plasma, id est caro, de qua sermo est ei: quoniam vivificabit eam Deus? Hæc enim est quæ moritur & solvitur. Sed non anima neque spiritus. Mori enim est vitalem amittere habilitatem & sine Spiramine in posterum: & inanimalem & immobilem fieri, & deperire in illa ex quibus & initium substantiæ habuit. Hoc autem neque animæ evenit. Flatus est enim vitæ: neque spiritui: incompositus est enim & simplex spiritus qui resolvi non potest, & ipse vita est eorum qui percipiunt illum.* Quamobrem & pœnas impiorum æternas fore docet libro III. cap. XLVII. *Pœna*, inquit, *eorum qui non credunt Verbo Dei, & contemnunt ejus adventum & convertuntur retrorsum, adampliata est, non solum temporalis, sed æterna facta. Quibuscumque enim dixerit Dominus, Discedite à me maledicti in ignem perpetuum, isti erunt semper damnati.*

Hebraicè nescivit Irenæus, unde quasdam Hebraicorum nominum etymologias perperam assignavit. Lib. 2. cap. 41. de nomine Jesu ita scribit: *Jesus nomen secundùm propriam Hebræorum linguam litterarum est duarum & dimidiæ .... Et secundùm antiquam Hebraicam linguam cælum est.* Id autem ex verbis Angeli Matth. 1. falsi convincitur, qui nominis Jesu significationem exponens, docet ipsum significare Salvatorem. *Vocabis nomen ejus Jesum, ipse enim salvum faciet populum suum à peccatis eorum.*

Et cap. 66. ait, nomen *Adonai aliquando nominabile & admirabile significare, aliquando autem duplicata litera, Delta, cum aspiratione, ut puta Addhonai, præfinientem & separantem terram ab aqua.* Et similia etyma vocum *Sabbaoth*, & *Jaoth* Hebræis prorsus incognita ibidem affert. Ejusdem rationis sunt, id est, æquè omnibus qui Hebraicè norunt inaudita, quæ ibidem ait: Deum Hebraicè *Barueth* dici, antiquasque & primas Hebræorum literas Sacerdotales nuncupatas decem numero esse, & scribi quasque per quindecim.

## SCHOLION.

Ex isto Articulo hanc Propositionem in Indiculo suo notarunt Religiosi Censores: *Non est hæresis dicere, Animas & Angelos esse corporeos.*

R. Quamvis corpoream esse Animam rationalem, corporeos item Angelos, falsum sit, idque asseri non possit absque errore: illa tamen opinatio, inquiebam, *Hæreseos notâ inuri non debet; cùm id Veterum plurimi senserint.* Id autem scripsi, ut *Sanctum Irenæum*, qui in ea sententia fuit, à calumniis Hæreticorum vindicarem. Constare corporibus Angelos, sed iisdem æthereis ac subtilibus, quæ nihil quominus spiritus appellentur, prohibere possint, senserunt præter Sanctum Irenæum, *Sanctus Justinus* Martyr in Dialogo cum Tryphone, *Methodius* Martyr apud *Photium*, Cod. CCXXXIV. *Origenes* lib. 1. *De Principiis*, cap. VI. lib. II. cap. VIII. & lib. IV. *Sanctus Clemens Alexandrinus* lib. 1. *Pædagogi*, cap. VI. *Sanctus Basilius* lib. *De Spiritu Sancto*, cap. XVI. *Sanctus Macarius* Hom. IV. *Joannes Thessalonicensis* in Dialogo quem laudavit Septima Synodus generalis. De Angelis & Anima *Tertullianus* idem sensit: Quam opinionem amplexus est & *Sanctus Augustinus* libro II. *De Trinitate*, cap. VII. Enarratione in Psalmum LXXXV. cùm illa verba, *Eruisti animam meam ex inferno inferiori*, explicat. lib. III. *De Genesi ad litteram*, cap. X. Sermone CCLXVIII. aliàs CII. *De Diversis*, cap. IX. & Epistolâ XIV. aliàs CXV. ad *Nebridium*. Eidem opinioni, quoad Angelos subscripsit *Claudianus Mamertus* libro III. & *Sanctus Fulgentius* libro *De Trinitate*. Sed & *Cassianus* Collatione VII. cap. XIII. tam Angelos quàm humanas Animas habere corpora asserit. Angelos quidem meros esse spiritus docent alii Patres: Hæc verior sententia & Scripturæ sacræ magis congruens: Verumtamen Ecclesiæ judicio finita non est hæc Quæstio, ut tot Veterum Patrum opinio nunc pro hæresi habenda sit. Propugnanda non est equidem, quia jam in Ecclesia & apud Catholicos omnes Theologos ea sola recepta est sententia, quæ Angelos & Animas corporis expertes asserit, & simplices spiritus esse docet ab omni materiæ physicæ concretione immunes: Sed illa tamen Veterum opinio non est damnanda ceu hæresis. Id à *Sancto Thoma* discimus, in Quæstionibus Disputatis, Quæstione XVI. *De*

*Dæmonibus*, Articulo 1. scribente: *Respondeo dicendum, quòd sive dæmones habeant corpora sibi naturaliter unita, sive non habeant, hoc non multùm refert ad Fidei Christianæ doctrinam.*

## DISSERTATIO VIII.

### *De Doctrina Sancti Clementis Alexandrini: & de Nævis ipsi verè, aut perperam affictis.*

SANCTI *Clementis Alexandrini* Doctrinam aliqua notandam censurâ non putarunt Eusebius, & Sanctus Hieronymus. Hic de ejus Operibus ita censet in Epistola ad Magnum: *Clemens Alexandrinæ Ecclesiæ Presbyter, vir meo judicio omnium eruditissimus, octo scripsit Stromatum libros, & totidem Hypotyposeon, & alium contra Gentes, Pædagogi quoque volumina tria. Quid in illis indoctum? Immo quid non è media Philosophia est?*

Illum hoc exornat elogio Sanctus Cyrillus Alexandrinus lib. VI. *contra Julianum*, pag. 205. col. 1, *Clemens qui Sanctos Apostolos ubique sequitur, quique infinitas Græcorum Historias audiendo acceperat*, &c.

Non ita fuit in Clementem Alexandrinum benignus Gelasius Pontifex Maximus, qui in Synodo Romana ejus libros in Apocryphorum classem rejecit. Cassiodorus lib. 4. Divinarum Institutionum, *Ipsum aliqua incautè locutum fuisse* testatur. Nos quid jure, quid injuriâ ipsi objiciatur, expendimus.

De Filio Dei rectè sensit Clemens Alexandrinus, nec favet Socinianis.

I. Primò itaque objicitur adversùs Clementem Alexandrinum, quòd de Verbo Dei, ac Filio malè senserit, lib. 7. Stromatum pag. 504. scribens: *Perfectissima autem, & sanctissima, & maximè principalis, & quæ maximè imperat, & est maximè regia, longè beneficentissima, est Natura Filii, quæ est soli omnipotenti propinquissima.* Illud autem Arianum Dogma sapit. Ejusdem est rationis, quod ait ibidem, *Dominum omnium à nullo prohiberi posse, maximè cùm boni, & omnipotentis Patris voluntati servit.* Et lib. 1. Pædagogi, cap. 8. vocat eum *Humanitatis Dei sincerum adjutorem*, & in libro Hypotyposeon, qui nunc non extat, inter alios errores, portentosæ adversùs Verbum divinum blasphemiæ exaratæ erant (ut à Photio summæ eruditionis viro, & accuratissimo librorum Censore, memoriæ proditum est, in Bibliotheca Cod. 109.) *Hypotyposes quidem*, inquit, *disceptationem continent locorum aliquos veteris novique Testamenti, quæ etiam summatim explicat, & interpretatur. Etsi autem rectè in quibusdam sentire visus est: in aliis rursus impiè omnino, fabulosèque disserit. Asserit enim materiam æternam esse, & ideas veluti certis decretis induci fingit. Filium quoque in rebus creatis numerat. Ad hæc, animarum migrationem, multósque ante Adamum mundos prodigiosè comminiscitur, Evam præterea ex Adamo, non ut sacri Libri tradunt, sed obscœnè, atque impiè educit. Angelos quoque cum fœminis congressos, liberos inde sustulisse somniat. Quin & Verbum carnem non esse factum, sed ita visum duntaxat. Duo ad hæc Patris Verba finxisse deprehenditur, quorum minus mortalibus sis visum. Imò ne hoc quidem: sic enim scribit: Dicitur quidem & Filius Verbum æquivocè cum patrio Verbo. Verùm neque hoc illud Verbum est, quod caro factum est; neque etiam patrium illud Verbum, sed vis quædam ac potestas Dei, tanquam à Verbo ipso profluens, mens effecta, hominum animos pervasit.... Quanquam & alia id genus sexcenta, blasphemâ voce nugatur.* Arianæ ergo hæreseos fundamenta posuit Clemens Alexandrinus.

Respondeo; nonnulla quidem in Clementis Alexandrini Operibus minùs propriè dicta de Filio Dei reperiri, ut constat ex locis laudatis, quod & nonnullis aliis Patribus commune est, qui, *Antequam in Alexandria tanquam dæmonium meridianum Arius nasceretur, innocenter quædam & minùs cautè loquuti sunt, & quæ non possint perversorum hominum calumniam declinare.* (ut ait Sanctus Hieronymus in Apologia 2. adversùs Rufinum) Sed quoad substantiam ipsam Catholici de Filii divinitate Dogmatis non errasse Clementem Alexandrinum, & nihil aliud intellexisse consequenter, cùm dixit, *Naturam Filii esse omnipotenti propinquissimam; & ipsum omnipotentis Patris voluntati servire*, quàm ipsum habere eandem naturam cum Patre, & eandem voluntatem, ab ipso communicatam ineffabili generatione, constat ex hoc & aliis ejus locis. Hoc enim ipso in loco propria solius Dei attributa Filio Dei tribuit, verbis sanè magnificis: *Nunquam à sua excedit specula Dei Filius, ut qui non dividatur, non dissecetur, non transeat de loco ad locum, sit autem semper ubique, & contineatur nusquam: totus mens, totus lux paterna, totus oculus, qui omnia videt, omnia audit, scit omnia, potestate scrutatur potestates. Ei subjecta est universa militia Angelorum & Deorum: Verbo, inquam, paterno, quod sanctam suscepit dispensationem propter eum qui subjecit.... Dei autem esse Filium, & eum esse Servatorem & Dominum, quem nos dicimus, apertè divina ostendunt Prophetiæ.*

Et in Admonitione ad Gentes, adhuc de Filio Dei loquitur magnificentiùs: *Verbum divinum*, inquit, *quod reverâ est Deus manifestissimus, quod est universorum Domino exæquatum, quoniam erat ejus Filius: & Verbum erat in Deo, neque quando est primum prædicatus, non creditus, neque quando suscepit personam hominis; nec quando carne formatus, egit salutarem actum humanitatis, ignoratus. Fuit enim verus ac germanus decertator, & suæ creaturæ propugnator. Celerrimè autem omnibus traditus cum sole celerius ortus esset, ex ipsa paterna voluntate, facillimè fecit ut Deus nobis illucesceret, undenam ipse esset, & quis esset, per ea quæ docuit, & demonstravit, ostendens; fœderis initor & reconciliator, & Servator noster, Verbum, fons vivificus, pacificus, qui per universum terræ faciem diffunditur, per quem effecta sunt omnia, pelagus bonorum.*

Et pag. 4. ejusdem libri, Christi divinitati æquè disertè attestatur. *Habes ergo promissionem*, inquit, *habes benignitatem, evade gratiæ particeps, & meum salutare canticum ne ita existimes esse novum, ut vas, vel domum: erat enim ante Luciferum, & In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Est autem vetus error: Res verò nova veritas videtur. Sive ergo veteres Phryges docent fabulosa capra: sive rursus Arcades, qui eos ante Lunam fuisse describunt Poetæ, sive Ægyptios, hi qui hanc primam produxisse terram, Deosque & homines somniant: nullus certè eorum fuit ante hunc mundum, nos autem sumus ante mundi constitutionem, qui eo quod esse oporteret, in ipso prius Deo sumus geniti. Dei Verbi sumus nos figmenta, ratione prædita. Per quem antiqui sumus, quoniam In principio erat Verbum. Sed quoniam Verbum quidem erat, ab alto petita origine, divinum universorum principium & fuit, & est. Quia autem nunc nomen accepit olim sanctificatum, potestate dignum, Christus, novum mihi vocatum est canticum. Hic ergo Verbum Christus, ut nos olim essemus, erat enim in Deo, & ut bene essemus, causa fuit. Nunc autem apparuit hominibus hoc ipsum Verbum, quod solum est ambo,*

Deus

*Deus & Homo : & est nobis omnium causa bonorum. à quo edocti rectè vivere, ad vitam æternam transmittimur. Hoc est canticum novum, adventus qui nunc refulsit in nobis, Verbi quod erat in principio, & prius fuit. Apparuit autem nuper, qui prius erat; Servator : apparuit qui est, in eo qui est, quoniam Verbum quod erat apud Deum, Doctor apparuit, per quod omnia sunt fabricata. Verbum, quod simul olim vitam cum creatione, ut opifex dedisset : postquam tanquam Magister se manifestavit, bene vivere docuit, ut æternam vitam postea ut Deus suppeditaret.*

Sed nihil luculentius est iis quæ habet lib. 1. Pædagogi, cap. 8. *Nihil ergo*, inquit, *odio habet Deus. Sed neque Verbum : utrumque enim unum est, nempe Deus. Dixit enim : In principio erat Verbum, & Verbum erat in Deo, & Deus erat Verbum.*

Et libro III. cap. VIII. de Filio Dei hæc habet sanè magnifica : *Est enim minime indigens* homo, *qui Verbum habet Deum omnipotentem, & nullo eorum quibus opus habet, unquam eget. Verbum enim possessio est, cui nihil deest, & causa omnis copiæ.* Sic tandem in fine *Pædagogi* Filium cum Patre orat : *Propitius esto tuis, ô Pædagoge, pueris, Pater, auriga Israel, Fili & Pater, unum ambo, Domine.* Et mox Sanctissimam Trinitatem hunc in modum laudat: *Gratias agamus soli Patri & Filio, Filio & Patri, Pædagogo & Magistro Filio, unà cum Sancto Spiritu, per omnia uni; in quo omnia; per quem omnia unum; per quem est quod semper est; cujus membra omnes; cujus sunt gloria & sæcula : Qui & undequaque bonus, undequaque pulcher, undequaque sapiens, undequaque justus : cui gloria nunc & in sæcula sæculorum. Amen.* Quibus verbis plena & perfecta consubstantialis Trinitatis, id est, unius Dei in tribus personis Patre, Filio, & Spiritu Sancto subsistentis confessio & laudatio continetur.

Quod spectat Hypotyposeon Clementis Alexandrini libros, verisimilius est errores quos in iis adnotavit Photius, fuisse in hoc Opus maximâ ex parte ab Hæreticis intrusos, quod Photius ipse suspicari se significat, cùm ait : *Quanquam & alia id genus sexcenta, blasphema voce nugatur, seu ipse, sive quis alius ejus personam induens.* Certè à posterioribus Arianis depravata ejus Opera verisimile est. Si enim Arianæ Sectæ Principes aliquid apud Clementem nostrum invenire potuissent, quod suo dogmati favisset, utique, sicut exultant victores captâ præda, illud magna ostentatione protulissent. At nunquam ex Clementis Alexandrini Scriptis factitatum Orthodoxis negotium est, ut constat ex Sanctis Patribus, qui in ipsorum refellendis objectionibus laborarunt. Argumento est itaque Clementis Alexandrini Libros tam portentosis erroribus fœdatos tunc non fuisse. Favet huic conjecturæ Rufinus in Apologia Origenis : *Clemens*, inquit, *alius Presbyter, & Magister illius Ecclesiæ, in omnibus pene libris suis Trinitatis gloriam, atque æternitatem unam eandemque designat : & interdum invenimus aliqua ejus Capitula, in quibus Filium Dei Creaturam dicit. Non quidem credibile est de tanto viro, tam in omnibus Catholico, tamque erudito, ut vel sibi contraria senserit; vel ea, quæ de Deo, non dicam credere, sed audire quidem impium est, scripta reliquerit.*

Clemens Alexand. Christum Passionis penitus expertem fuisse non sensit.

II. Secundò. Objicitur adversùs Clementem Alexandrinum, quòd scripserit lib. 6. Stromatum pag. 468. Christum passionis penitus expertem fuisse, nec revera esuriisse aut sitisse : *Talis enim est is, qui est cognitione præditus, ut in eum ea sola cadant affectiones, quæ oriuntur ut corpus maneat, nempe fames, sitis, & similia. Sed in Servatore quidem corpus ut corpus, necessaria postulare ministeria, ut permaneat, ridiculum fuerit. Comedebat enim, non propter corpus, quod sancta virtute continebatur : sed ne eis, qui unà cum eo versabantur, in mentem veniret aliter de eo sentire; sicut certè postea quidam existimarunt, eum apparuisse visione, & phantasmate. Ipse autem passionis erat expers, ut quem nullus subiret motus affectionis, neque voluptas, nec dolor.*

Respondeo, Clementem excludere solum à Christo, famis, sitisque necessitatem, & affectionum obrepentes inconsultâ ratione motus. Sed non negat, quin famem, sitim, & alias affectiones ex dignatione revera perpessus fuerit. Corpus quidem Servatoris ut corpus Verbo unitum, necessaria non postulabat ministeria, quia vis infinita Verbi illud conservare poterat absque cibis, & sancta virtute continere : sed hoc ipso quòd suum corpus infirmitatibus, & passionibus, quæ humani corporis naturam sequuntur, Dei Filius permisit, verè doluit, esuriit, sitivit, passus est, imò & mortuus. Permisit autem, ne non veram suscepisse carnem, sed apparentem, & adumbratam putaretur (ut Clemens Alexandrinus ait.) Certè quòd Christum verè passum existimaverit, constat ex ipsius Admonitione ad Gentes, c. 49. ubi hæc habet : *Crede, homo, homini & Deo. Crede, homo, Deo viventi, qui passus est & adoratur. Credite, servi, mortuo : omnes homines, credite ei qui solus est Deus ex omnibus hominibus.* Et pag. 76. *Itaque, qui est dilectus & Altor noster, Verbum effudit pro nobis suum Sanguinem, salutem humanæ naturæ afferens, per quem, qui in Deum credidimus, ad mamillam Patris, quæ curarum oblivionem inducit, nempe Verbum, confugimus.* Et lib. 2. Pædagogi, cap. 8. *A ratione alienum est*, inquit, *ut qui audierimus Dominum spinis fuisse coronatum; ipsi venerabili Domini Passioni per ludum insultantes, habeamus capita redimita floribus.* Eam fuisse Clementis sententiam colligi præterea potest ex Origene, qui ut ex Ecclesiæ, sic ex Scholæ Alexandrinæ doctrina, in qua Magistrum audierat Clementem, ita scribit lib. 2. contra Celsum : *Si, ut ait Celsus, nihil doloris ac molestiæ Jesus sensit per illud tempus; quonam pacto qui postea secuti sunt, Jesum adhibere potuerunt in exemplum patiendi laboriosa quælibet, ac molesta propter pietatem, si humana non est revera, sed sola specie perpessus?*

Clemens Alexandrinus Christum pulchra & eleganti corporis formâ fuisse negat.

III. Tertiò objicitur adversùs Clementem Alexandrinum, quod Christum pulchra & eleganti corporis forma fuisse, neget, lib. 3. Pædagogi c. 1. *Ipsum autem Dominum*, inquit, *fuisse aspectu deformem, testatur Spiritus per Isaiam : Et vidimus ipsum, & non habebat speciem, nec pulchritudinem, sed species ejus vilis, deficiens præ hominibus. Quis est autem Domino præstantior? Sed non carnis pulchritudinem, quæ visione apprehenditur, sed veram animæ & corporis ostendit pulchritudinem : animæ quidem beneficentiam, carnis vero immortalitatem.* Et lib. 3. Stromatum pag. 343. *Quomodo autem quæ est in Ecclesia apud nos œconomia, accepisset finem absque corpore, cum etiam ipse, qui est caput Ecclesiæ, in carne quidem deformis & specie carens transiit : docens nos respicere ad id quod est divina causa inaspectabile, & incorporeum.* Et lib. 6. pag. 446. *Jam verò Dominus non frustra voluit uti vili & humili forma corporis, ne quis speciem laudans, & admirans pulchritudinem, absistat ab iis quæ dicuntur : & attendens iis quæ relinquuntur, ab iis abducatur quæ percipit intelligentia.*

Respondeo, nedum erroris notam non mereri illam Clementis Alexandrini sententiam, sed opposita probabiliorem Eruditis plerisque videri. Nam præter ipsum, eam tuetur Origenes lib. 6. contra Celsum, pag. 331. ubi objicienti Celso Christum parvum fuisse, deformem, & humilem, ipsis fatentibus Christianis, respondet; extra controversiam esse quòd Jesu corpus fuerit deforme, quamvis parvum ac vile fuisse neget. En Celsi Epicurei



 verba :

verba : *Quoniam divinus Spiritus erat in corpore, debebat esse præstantior cæteris statura, aut forma, aut robore, aut voce, aut majestate, aut eloquentia. Est enim incredibile, cui plus divinitatis inerat, eum nulla re fuisse præstantiorem cæteris : at hic nihilo erat potior ; sed ( quod ipsi fatentur ) parvus, & deformis erat, & humilis.* En verò Origenis responsionem : *Fateamur scriptum de Jesu corpore despicabili, quamvis non habeatur apertè ascriptum, parvum fuisse ac vile. Est autem locus apud Esaiam prædicentem, venturum eum non supra modum decora specie, nec excellenti pulchritudine : Domine, quis credidit auditui nostro, & brachium Domini cui revelatum est? Annuntiavimus in conspectu ejus : Sicut infantulus, sicut radix in terra siti squallida. Non est species ei, neq; decor, sed species ejus sine honore, & deficiens supra filios hominum.* Tunc igitur inter Christianos ea inoleverat opinio, Christum forma corporis eleganti nequaquam fuisse, sed deformi.

In eandem sententiam descendit Tertullianus, libro de Carne Christi cap. 9. ita scribens. *Denique verbis tantummodo & factis, doctrina, & virtute sola Christum hominem obstupescebant. Notaretur autem etiam carnis in illo novitas miraculo habita. Sed carnis terrena non mira conditio : ipsa erat quæ cætera ejus miranda faciebat, cum dicerent, Unde huic doctrina, & signa ista? Etiam despicientium formam ejus hæc erat vox. Adeo nec humanæ honestatis corpus fuit, nedum cælestis claritatis. Tacentibus apud nos quoque Prophetis de ignobili aspectu ejus, ipsæ passiones, ipsaque contumeliæ loquuntur : Passiones quidem, humanam carnem ; contumeliæ vero inhonestam. An ausus esset aliquis ungue summo perstringere corpus novum? Sputaminibus contaminare faciem nisi merentem?* Hinc Sancti Patres hæc verba Psalmi 44. *Speciosus forma præ filiis hominum*, de spirituali pulchritudine, quæ Christo ratione Divinitatis, & ratione animæ gratiis omnibus cumulatæ conveniret, non de corporis pulchritudine exponunt. Qua de re lege Sanctum Augustinum Enarratione in Psalmum 43. dicentem : *Ut homo non habebat speciem, neque decorem. Speciosus autem forma, ex eo quod est præ filiis hominum.* Lege & expositionem Psalmi 44. Hinc & in Psalmum 118. ait : *Sponsus non carne, sed virtute formosus.*

Christum uno tantùm anno prædicasse, Clemens Alexandrinus censet.

IV. Quartò. Objicitur adversùs Clementem Alexandrinum, quòd scripserit *Christum uno tantum anno prædicasse*, l. 1. Stromat. pag. 244. *Erat Jesus veniens ad baptismα, quasi triginta annorum. & quod anno solo oporteret eum prædicare; hoc quoque sic scriptum est : Annum acceptabilem Domini prædicatum misit me. Hoc & Propheta dixit, & Evangelium.*

Fateor Clementem in ea fuisse sententia, quæ Evangelicæ minùs consona est historiæ : sed non est error ille tam gravis, ut propter eum debeat explodi ipsius auctoritas. Nihil enim verò Scriptura, aut Traditio disertè asserunt de tempore prædicationis Christi, uti nec de ætate qua mortuus est ; quamvis probabiliùs colligatur ex Scriptura quatuor Paschata inter initium prædicationis Christi & ejus mortem interfluxisse, ita ut in quartò mortem subierit.

Error Clementis Alexandrini de Christi & Apostolorum prædicatione in inferis.

V. Quintò. Objicitur adversùs eumdem Patrem, quòd senserit, nedum Christum, verumetiam Apostolos, ad Inferos descendisse, & sua prædicatione eos ad fidem convertisse, qui apud Gentes, Philosophia duce, rectè vixerant. Ita enim lib. 6. Stromat. pag. 459. disserit : *Iis autem*, inquit, *qui erant justi ex Philosophia, non solùm opus erat fide in Dominum, sed etiam ut discederent à cultu Simulachrorum. Jam verò revelata eis veritate, ipsi quoque pœnitentia ducti sunt, propter ea quæ fecerant. Quamobrem prædicavit Dominus iis quoque qui erant apud Inferos....* Et subjungit : *Dominum annuntiasse Evangelium iis qui perierant in diluvio* Et mox : *Ostensum est autem in secundo quoque Stromate, Apostolos ad instar Domini, iis quoque qui erant apud Inferos, annuntiasse Evangelium. Oportebat enim, ut existimo, sicut hic, ita illic quoque, optimos ac præstantissimos Discipulos esse Magistri Imitatores, ut unus quidem eos qui erant ex Hebræis, alii verò Gentes ad conversionem deducerent, hoc est, eos qui in justitia, quæ ex Lege, & ex Philosophia vixerant quidem, sed non perfectè, verùm cum errore & prolapsione vitam transegerant. Hoc enim divinum decebat consilium & providentiam, ut qui in justitia majorem habuere dignitatem, & merita, & præ cæteris egregiè vixerunt, & eorum quæ peccaverant, ducti sunt pœnitentia, etiamsi sint in alio loco ; cùm extra controversiam sint in eorum numero, qui sunt Dei Omnipotentis, salvi fierent per propriam uniuscujusque cognitionem.... Si ergo Dominus nulla alia de causa descendit ad Inferos, quàm ut annuntiaret Evangelium; aut descendit ut annuntiaret omnibus, aut solis Hebræis. Atque si omnibus quidem, salvi erunt omnes qui crediderint, etiamsi sint ex Gentibus, cùm jam illic confessi fuerint. Sunt enim salutares, & quæ erudiunt, Dei castigationes, adducentes ad conversionem : idque cùm possint animæ puriùs perspicere, quæ sunt liberæ à corporibus, etiamsi obscurentur vitiis, & perturbationibus, eò quod non se ampliùs eis opponat, & impediat carnuncula. Sin autem Judæis solùm annuntiavit Evangelium, quibus deërat ea, quæ est per Servatorem, agnitio & fides, clarum est utique, quòd cum apud Deum nullus sit personarum respectus, Apostoli quoque, sicut hìc, ita etiam illic annuntiarunt Evangelium iis qui ex Gentibus erant apti ad conversionem.* In hoc autem Clementis Alexandrini loco duplex error est. Primus, quòd Apostolos prædicasse in Inferis asserat. Posterior, quòd damnatos conversionis capaces esse existimet.

Respondeo ; evidentiorem esse priorem errorem, quàm ut benigna expositione molliri citata verba possint. At non ita evidens posterior. Eos enim quibus Apostolos in Inferis annuntiasse Evangelium Clemens contendit, vinctos quidem fuisse ait, non verò damnatos. Justos namque ipsos fuisse, rectè vixisse, & peccatorum egisse pœnitentiam supponit : quibus proinde sola defuerit Salvatoris explicita fides : ad quam ut ipsos adducerent Apostoli, Evangelium in Inferis prædicarunt.

Clemens Alexandrinus Angelos incontinentiâ peccasse censet.

VI. Sextò, objicitur adversùs Clementem Alexandrinum, quòd senserit Angelos incontinentiâ peccasse, libro 3. Stromatum pag. 349 *Jam verò Angeli quoque quidam*, inquit, *cùm fuissent incontinentes, victi cupiditate, huc è cælo descenderunt.* Et lib. 5. pag. 401. *Angeli illi, quibus superna sors obtigerat, delapsi ad voluptates, enuntiarunt arcana mulieribus, & quæcumque ad eorum venerunt cognitionem. cùm alii celarent Angeli, vel potiùs reservarent in Adventum Domini.*

Hunc esse Clementis nævum fateor ; sed qui ipsi cum nonnullis aliis Veterum Patrum communis sit.

VII. Septimò. In crimen vocatur, quòd Philosophiam Græcos ad Christum duxisse, & ipsos justificasse senserit ; adeoque fidei & gratiæ negaverit necessitatem. Ita enim scribit libro 1. Stromatum pag. 206. *Iis qui à Philosophia fuere justificati, auxilium tanquam thesaurus reconditur : ea quoque consensio quæ ducit ad Dei cultum, & pietatem in Deum.* Et pag. 234. *Quanquam*, inquit, *per se quoque*

aliquando

*aliquando Græcos justificabat Philosophia*, &c.

Clemens Alexandrinus justificationem Græcorum Philosophiæ non tribuit, sed gratiæ Dei, fidei & charitati.

Respondeo; Clementem Alexandrinum catenus tribuisse justificationem Græcorum Philosophiæ, quatenus ipsos remotè ad Christi cognitionem disposuit, unius veri Dei tribuendo notitiam, & media suggerendo ad refellendos errores qui à Dei cognitione & cultu mentem abducerent. Verùm ne eam quidem remotæ ad justificationem dispositionis rationem habere sensit Clemens absque divinæ gratiæ auxilio. Id patet ex eleganti ipsius discursu pag. 234. lib. 1. Stromatum. *Quòd si*, inquit, *propter eos qui lubenter reprehendunt, oportebit nos distinguere, cùm dicamus Philosophiam adjuvantem causam, & cooperatricem veræ comprehensionis, cùm sit inquisitio veritatis, fatebimur eam esse disciplinam, quæ præcedit vim cognoscendi; non causam statuentes eam, quæ est causa adjuvans, neque continens id quod adjuvat & cui cooperatur, nec perinde ac non sit veritas absque Philosophia. Nam omnes ferè absque Disciplinarum orbe, & Græca Philosophia; alii autem etiam absque literis, divina & barbara mota Philosophia, potestate eum qui de Deo est, per fidem accepimus sermonem, eruditi sapientia, quæ per se operatur. Quod autem facit cum alio, cùm sit imperfectum ut per se operetur, cooperans & coadjuvans dicimus, ut quod sit nominatum causa eò quod unà venerit cum alio; per se autem non posset præbere verum effectum. Quamquam per se quoque aliquando Græcos justificabat Philosophia, sed non ad universam ac generalem justitiam, ad quam cooperatrix, & adjutrix invenitur: sicut primus & secundus gradus ei qui ascendit in cœnaculum, & Grammaticus ei qui est Philosophaturus. Non quòd per ejus ablationem universo ac generali verbo desit aliquid, vel perimatur veritas; Nam & visus, & auditus, & vox confert ad veritatem: Mens autem est quæ eam apposite & naturaliter cognoscit. Sed ex iis quidem quæ adjuvant, & cooperantur, alia quidem majorem, alia verò minorem vim afferunt. Perspicuitas itaque open fert ad tradendam veritatem: & Dialectica, ne prosternamur ab Hæresibus, quæ faciunt incursiones. Et est quidem per se perfecta, & nullius indiga Servatoris doctrina, cum sit Dei virtus, & sapientia. Accedens autem Græca Philosophia, non veritatem facit potentiorem, sed debilem adversùs eam efficit Sophisticam argumentationem; & propulsans dolosas adversùs veritatem insidias, dicta est vinea apta sepes, & vallus. Et quæ est quidem ex fide veritas, tanquam panis necessaria est ad vivendum; quæ autem præcedit Disciplina, est obsonio similis & bellariis; desinente vero cœna, suavis placentula, ut ait Pindarus Thebanus.*

Idem innuit pag. 207. dicens: *Atque erat quidem ante Domini adventum, Philosophia Græcis necessaria ad justitiam: nunc autem est utilis ad Dei cultum & pietatem iis qui fidem colligunt per demonstrationem. Quoniam pes*, inquit, *tuus non offenderit, si quæ bona sunt, ad Dei providentiam referas, sive Græca sint, sive nostra. Omnium enim bonorum Deus est causa: sed aliorum quidem principaliter, ut Testamenti veteris & novi: aliorum autem per consequentiam, sicut Philosophiæ. Fortè etiam principaliter tunc etiam Græcis data fuit, priusquam Dominus Græcos quoque vocasset. Nam ipsa quoque Græcos Pædagogi more docebat, sicut Lex Hebræos, ad Christum. Præparat ergo Philosophia, ei viam muniens qui à Christo perficitur. Jam sapientiam*, inquit Salomon, *vallo circunda, & te exaltabit, corona autem voluptatis te proteget. Nam cùm tu eam, per Philosophiam, & multam rectam eruditionem, lorica munieris, Sophistis inaccessam servaveris.* Ait subinde Philosophiam ita veram ad sapientiam, quæ in Dei cognitione & amore posita est, parandam conducere, sicut liberales Disciplinæ ad Philosophiam ipsam, quæ illarum est domina, conferunt. Idque explicat exemplo Abrahæ, qui priùs ad ancillam Agar accessit, quàm ad Saram, priùsque ex illa suscepit filium, quàm ex ista genus Israëliticum propagaret. Agar autem Philosophiæ & sæcularium Disciplinarum figura est: Sara typus est fidei & justitiæ. Philosophia itaque genus Israëliticum non parit, id est justum, sed sola fides & sapientia.

Certè fidem & charitatem necessariam esse ad justificationem, easque supernaturale ac divinum esse munus, Clemens Alexandrinus disertè asserit, non uno in loco. Sic enim libro 2. Stromatum pag. 273. *Justus autem ex fide vivet, quæ est in Testamento & præceptis, quoniam hæc duo nomine & tempore, ætate & profectu data œconomicè, cùm potestate quidem unum sint, illud quidem novum, hoc verò vetus, per Filium ab uno Deo suppeditantur....... Non est ergo ampliùs fides meritò reprehendenda ut & facilis, & vulgaris, & quæ sit quorumlibet. Si humanum enim esset studium (ut existimant Græci) etiam extinctum esset. Sin autem augetur, non est ubi non est. Dico ergo fidem, sive fundata sit à charitate, sive etiam à timore, (ut dicunt accusatores) esse divinum aliquid, ut neque ab alia mundana amicitia dissolvatur, neque à timore præsente divellatur. Charitas enim, eâ, quæ illi cum fide intercedit, amicitiâ, facit fideles. Fides autem est basis, ac stabilimentum charitatis, vicissim inducens beneficentiam, quando etiam legis Pædagogus timor, propterea quòd credatur, timor quoque esse creditur.* Et infra: *At prima quidem ad salutem inclinatio nobis fides apparet, postquam timor, & spes, & pœnitentia, cum continentia & tolerantia proficientes, nos ducunt ad charitatem, & ad cognitionem.*

Et lib. 5. pag. 396. Eandem veritatem urget adversùs Valentinum, & Basilidem. *Si quis ergo Deum scit natura, ut existimat Basilides, intelligentiam eximiam, fidem simul & regnum vocans....... Non autem animæ libero arbitrio utentis rationalem assensionem dicit fidem: sunt ergo supervacanea præcepta tam in Veteri, quam in Novo Testamento, cùm naturâ salvus fiat aliquis (ut vult Valentinus) & sit naturâ fidelis & electus (ut putat Basilides.) Fieri autem poterat ut absque Adventu Servatoris, aliquo tandem tempore posset natura resplendescere. Sin autem necessarium dixerint Adventum Domini, evanescunt eis naturæ proprietates: cùm doctrina, & purgatione, & bonorum operum effectione, non autem naturâ, servetur electio.*

Gratiæ etiam necessitatem ad justificationem, & ad omne bonum opus disertè adstruit, lib. 5. pag. 399. *Gratiâ servamur*, inquit, *sed non absque bonis operibus: sed oportet quidem, cum naturâ apti simus ad bonum, ad id aliquod adhibere studium. Oportet autem mentem quoque habere sanam, & quæ nulla retardetur pœnitentia à boni venatione, ad quod quidem maximè divina opus habemus gratia, rectaque doctrina, castaque & munda animi affectione, & Patris ad ipsum attractione.*

Et libro 6. pag. 501. & 502. Dei notitiam, quanta ad justificationem necessaria est, absque gratia non haberi contendit. *Cæterùm*, inquit, *qui ex Græcis gloriantur, quòd ab eis comprehensa fuerit veritas, dicant nobis, à quonam glorientur se didicisse? A Deo quidem non dixerint, ab hominibus autem consitentur. Et si hoc ita est, aut à seipsis ferè didicerint, aut ab aliis similibus. Sed non sunt fide digni, cùm de Deo dicunt homines, quatenus homines. Neque enim qui homo est, potest pro dignitate de Deo vera dicere; imbecillus & morti obnoxius, de ingenito, & eo in quem non cadit interitus, & opus de eo qui fecit.*

 Deinde

*Deinde, qui non potest de seipso vera dicere, an non multò magis ne de Deo quidem ei credendum est? Quantùm enim abest homo à Dei potestate, tam est etiam ejus oratio imbecilla, etiamsi non Deum, sed de Deo dicat, & Verbo divino.... Quanquam, qui Deum sibi adscribunt Magistrum, vix perveniunt ad Dei notitiam, opem eis ferente gratia ad quantulamcunque cognitionem, utpote voluntate voluntatem, & Sancto Spiritu Sanctum Spiritum contemplari assuefacientes, quoniam Spiritus scrutatur Dei profunda. Animalis autem homo non capit ea quæ sunt Spiritus. Sola ergo est à Deo tradita, quæ est apud nos doctrina, à qua dependent omnes fontes sapientiæ, quicumque ad veritatem tanquam ad scopum feruntur.*

Denique lib. 7. pag. 526. hæc habet, quæ fidei & gratiæ necessitatem invictè probant; *Cognitio autem quæ datur ex Traditione per Dei gratiam, veluti quoddam depositum committitur eis qui seipsos doctrina dignos exhibuerint, ex qua elucescit charitatis dignitas ex luce in lucem, Dictum est enim: Habenti dabitur. Fidei quidem, cognitio. cognitioni autem charitas; charitati autem hæreditas. Hoc autem fit quando quis pependerit à Domino per fidem, cognitionem, & charitatem. & unà cum eo ascenderit, ubi est fidei nostræ, & charitatis Deus & custos.*

Clemens Alexandr. peccati originalis propagationẽ non negat.

VIII. Octavò. Lis movetur Clementi Alexandrino, quòd peccati originalis propagationem in Adami posteros negaverit, libro 3. Stromatum pag. 342. ubi contra Basilidianos, & alios Hæreticos agens, qui nuptias damnabant, ait: *Dicant ergo nobis, ubi fornicatus est infans natus? Vel quomodo sub Ada cecidit execrationem, qui nihil est operatus? Restat ergo eis (ut videtur) consequenter, ut dicant malam esse generationem, non solum eam quæ est corporis; sed etiam quæ est animæ, propter quam etiam corpus. Et quando dixit David, In peccatis conceptus sum, & in iniquitatibus concepit me mater mea: dicit propheticè quidem matrem Evam: sed Eva fuit mater viventium: etsi in peccatis fuerit conceptus, sed non ipse in peccato, neque verò ipse peccatum.*

Respondeo, Clementem Alexandrinum ibi quæstionem de peccato originali non attingere, sed agere duntaxat contra Hæreticos, qui liberorum procreationem esse execrationem effutiebant, & illo Davidis loco ad stabiliendum errorem abutebantur: *In iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.* Negat autem Clemens Infantes cadere sub Adami execrationem ob id quòd generatio mala sit, & peccatum; non autem ob id quòd peccatum originale non contrahant ab Adamo. Unde fatetur quidem conceptum Infantem in peccatis; sed negat ipsum in peccato esse, aut esse peccatum, id est, per actionem esse conceptum, quæ peccatum fit. Nec credibile est Clementem Alexandrinum peccati originalis propagationem in Adami posteros negasse, quam asserebat constans Ecclesiæ Alexandrinæ Traditio, ut ex Sancto Athanasio Alexandrino Patriarcha compertum est, Sermone in ea Christi verba, *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo*; & ex Origene Clementis ipsius Discipulo.

Respondeo secundò; Clementem Alexandrinum locutum ibi fuisse de peccato duntaxat actuali, eoque negasse maculatos Infantes. Pugnabat enimverò contra Basilidianos, qui animas ante corpora creatas fuisse asserebant, & in illa anteriori vita actu peccasse (ut constat ex eodem Patre, lib 4. Stromatum pag. 369.) *Sed Basilidis*, inquit, *fundamentum dicit, Animam quæ priùs peccaverat in alia vita, hic pati supplicium: electam quidem, ut puniatur honorificè per Martyrium. aliam autem, quod suo purgetur supplicio.* Et pag. 370. *Sed ad illa quoque Dogmata, an è corporibus in corpora migrat anima, & de diabolo, dicetur suo tempore. Nunc autem iis, quæ dicta sunt, hæc quoque adjiciamus. Ubi est adhuc fides, si pro luendis pœnis eorum, quæ priùs peccata sunt, subeatur Martyrium?* Et infrà: *Si quis autem ex eis respondens, dicat puniri quidem Martyrem propter peccata, quæ sunt admissa ante hanc in corpus migrationem: Fructum autem rursus esse percepturum vitæ, quæ hic acta fuerit: eum rogabimus, an remuneratio fiat ex providentia?* Itaque cum Infantes esse in peccato negavit Clemens Alexandrinus, intelligi debet de peccato actuali, quod in altera vita ipsorum animæ commisissent, atque sua intulissent in corpora, non verò de originali. Cùm enim per Baptismum remitti peccata agnoverit Clemens Alexandrinus, & semper in Ecclesia baptizati sint Infantes, peccatum in illis agnovit. Sic porrò habet libro 1. Pædagogi cap. 6. de Baptismo scribens: *Tincti illuminamur; illuminati, in filios adoptamur: adoptati, perficimur; perfecti, immortales reddimur. Multis autem modis vocatur hoc opus, gratia, illuminatio, perfectum, & lavacrum. Lavacrum quidem, per quod peccata abstergimus: gratia autem, qua remittuntur pœnæ, quæ peccatis debentur. Illuminatio autem per quam sanctam illam & salutarem lucem intuemur, hoc est, per quam id quod est divinum perspicimus.*

IX. Objicitur nonò. Clementem Alexandrinum in Historia sacra fuisse penitus hospitem & peregrinum, siquidem Simonem Magum, & ejus debellatorem Sanctum Petrum, post Marcionis tempora vixisse scribit, lib. 7. pag. 549. *Similiter autem*, inquit, *Valentinum quoque dicunt audivisse Theodadem: Is autem fuit Pauli familiaris. Marcion enim, cùm natus esset eadem qua ipsi ætate, versabatur ut senex cum junioribus; post quem Simon Petrum audiit paululum prædicantem.*

Respondeo, ibi errorem esse Interpretis, vertendum enim fuit, *Ante quem, vel supra quem, Simon audiit Petrum prædicantem*, id est, ante Marcionis tempora. Præpositio enim Græca. μετὰ, variam & multiplicem sortitur significationem (ut docent Lexica) nec solùm significat, *post*, quo sensu eam Clementis Interpres usurpavit, præposterè (ut opinor) persuadere enim mihi non possum, tam eruditum Sacerdotem & Doctorem ignorasse Actuum Apostolorum historiam.

Clemens Alexandr. simulationis & æquivocationum patronus.

X. Decimò exprobratur Clementi Alexandrino, quòd mendacii patrocinium susceperit, lib. 7. pag. 524. ubi de perfecto Christiano ita loquitur: *Quicquid habet in mente, id etiam fert in lingua, apud eos qui digni sunt audire, ex assensione, & certa sententia simul dicens & vivens. Vera enim simul sentit, & dicit, nisi quando loco medicinæ, ut medicus ad ægrotantes, ad eorum qui laborant, salutem mentietur, aut falsum dicet (ut aiunt Sophistæ.)*

Respondeo, Clementem Alexandrinum revera piam quamdam simulationem tum factis, tum verbis, licitam existimasse, modò fiat œconomiâ charitatis, qua quis propter proximorum salutem, quibus se accommodat, se demittit. Quam proculdubio sententiam & errorem à Præceptore suo accepit Origenes, quam & Sanctus Hieronymus secutus est in sua cum Sancto Augustino disceptatione de observatione legalium, & de reprehensione Sancti Petri à Sancto Paulo: sed simulationem, aut æquivocationem sermonis, illa in hypothesi verè propriéque mendacium non esse, uti existimavit Sanctus Hieronymus, ita sensit & Clemens Alexandrinus: qui in eo ipso in loco, mendacium omne vetitum esse disertè pronuntiat, & Christiano semper indignum. *Qui autem justè vivit*, inquit, *nihil ex iis*

qua

*qua decet fieri transfilient, ubi examinatur judicium veritatis, is factis verè & sanctè jurat. Est ergo ei superfluum lingua testimonium. Cùm ergo sit ei semper persuasum Deum esse ubique, & erubescat non verum dicere, & falsum dicere cognoscat se esse indignum, divina, & sua ipsius contentus est conscientia: & ideo non mentitur, neque præter pacta conventa facit aliquid. Ea ratione, neque jurat, si fuerit rogatus: neque unquam negat, ne falsum dicat, etiamsi moriatur in tormentis.* Et infrà: *Is est ejusmodi ut à timore non redigatur in servitutem, verus in sermone, tolerans in labore, nec in ea, qua profertur, oratione, volens, unquam mentiens: & in ea se semper ita gerens, ut non peccet: Quando quidem ipsum mendacium, ut quod cum aliquo dolo dictum sit, non est sermo otiosus, sed exercetur ad vitium. Undique ergo veritati testimonium fert is solus qui est cognitione præditus, & facto, & oratione. Semper enim in omnibus omnino se rectè gerit, & in sermone, & in actione & in ipsa cogitatione. Hæc ergo est Christiani pietas & religio.*

*Clemens Alexander. observantiam mandatorum Dei solis liberi arbitrii viribus non tribuit.*

XI. Undecimò objicitur adversùs Clementem Alexandrinum, quòd conversionem peccatoris, & observantiam mandatorum solis liberi arbitrii viribus tribuerit Sic enim habet in libro *Quis dives salvandus sit*, quem à se Latinitate donatum, eruditisque Notis illustratum inseruit Auctario novissimo Bibliothecæ Patrum Combefisius noster: *Nec jam alibi*, inquit, *quàm in animæ ipso statu ac affectione, ut Deo obsequatur, mundamque se præbeat, & ut transgrediendo mandata, vitium ac malitiam colligat, causam quæramus cur hæc ita utrinque eveniant.*

Respondeo his verbis liberi arbitrii dntem commendari, gratiæ verò necessitatem non negari, vel elevari dignitatem. Unde eodem in libro exponens illa Christi verba Matth. 19. *Si vis perfectus esse* &c. ait: *Cæterùm præclarè illud atque divinè, Si vis, colloquentis animæ liberam arbitrii facultatem ostendit: in homine quippe tanquam libero libera erat voluntatis electio: in Deo autem dare, tanquam Domino atque arbitro. Dat autem volentibus, & summo studio admittentibus & orantibus, ut sic illorum propria existat salus. Neque enim Deus cogit, sed quærentibus tribuit, & petentibus præbet, ac pulsantibus aperit. Si vis igitur, si verè vis, & te ipsum non fallis, illud compara quò defeceris. Unum tibi deest, illud unum quod manet, quod bonum est, quod jam supra legem est, quod lex non dat, quod lex non capit, quod viventium proprium est.*

Et infrà: exponens illa verba Domini: *Quod est impossibile apud homines, est possibile Deo*; ait: *Et hoc rursus magna sapientia plenum est: Idcirco nimirum quòd homo ipse à se suaque virtute operam ponens, studensque ac laborans ut compressis affectibus tranquilli animi fiat, nihil inde præstat: si autem ejus palam rei desiderio vehementiùs inardescat, diligentiamque omnem adhibeat, adjuncta illi divina virtute evadat votorum compos. Deus namque volentibus animis aspirat. Sin autem à cœpta animi alacritate abscesserint, etiam datus à Deo Spiritus contrahitur. Invitis enim salutem afferre, ejus est qui vim afferat; volentibus autem libero animi proposito, ejus qui liberaliter indulgeat. Nec dormientium, & in deliciis agentium est Regnum cælorum, sed violenti rapiunt illud.* Quibus non solum arbitrii libertas, sed gratiæ necessitas magnificè commendatur.

*Angelos à mundi vanitate liberandos, quo sensu Clemens Alexandr. dixerit.*

XII. Duodecimò arguitur quòd in eodem libro ait Clemens, *Angelos & Potestates liberandos iri à mundi vanitate in revelatione gloriæ filiorum Dei.* Quibus innuit Angelos anxios incertosque suæ esse salutis, nostramque expectare liberationem, ut & ipsi liberentur, asserta eis beatitudine ejus præmio operæ quam in nos contulerunt: vel etiam puniantur, quòd non satis officio functi sint.

Verùm respondeo non eam fuisse Clementis Alexandrini mentem: Sed sic intelligendus est, ut nobis congaudere, nostrisque muneribus beatos Angelos; nostrisque quodammodo malis affici senserit: hincque adeo vanitati servire, quòd nobis student, contrariis etiam quandoque studiis, ubi Dei voluntas non est satis illis explorata (ut in Angelo Persarum, & Hebræorum apud Danielem videre est): à qua servitute liberandi sunt in revelatione gloriæ filiorum Dei: quando unum illis supererit gaudium ejus solicitudinis, qua tutelæ nostræ invigilaverunt, gaudium scilicet de nostra beatitudine, communique in Dei laudem societate. Id autem affine est illi libertati, quâ donandæ sunt ipsæ creaturæ sensibiles, ut nihil amplius conferant in rerum ortus & immutationes, majorique claritate, & sui generis perfectione augeantur.

XIII. Ultimò arguitur quòd in *Electis ex Scripturis Prophetarum*, quæ Combefisius noster novissimo suo Auctario Bibliothecæ Patrum inseruit, laudet Clemens Alexandrinus libros Apochryphos, scilicet librum Enoch & Petri Apocalypsim, ut Scripturam sacram, multasque ex iis fabulas, putidissimas, quidem, & erronea dogmata obtrudat. *Ait Scriptura*, inquit, *projectos infantes, ac abortivos Angelo præsidi ac tutori contradi erudiendos, ac educandos. Eruntque*, inquit, *velut centum annorum Fideles in hoc sæculo. Unde & Petrus in Apocalypsi ait: Et fulgur ignis ab infantibus illis exiliens, ac mulierum oculos perstringens.* Et infrà: *Statim Petrus in Apocalypsi ait, Abortivos infantes sortis melioris esse: hos Angelo contradi, qui diligentem eis curam adhibeat, quò perceptâ scientiâ, eaque imbuti potiores sedes nanciscantur, iis donati, quibus & donarentur, si in corpore versati fuissent.* Similis est furfuris quod ait: *Porro mulierum lac ex uberibus defluens concretumque, ait Petrus in Apocalypsi, minusculas bestias carnivoras pariet, inque eas versò impetu devorabunt, nempe docendo ex peccatis proficisci pœnas, &c.* Præter alia æquè cœnosa quæ in his Electis, propterea meritò reprobandis, occurrunt.

Ad hæc respondeo, Opus illud vel non esse Clementis Alexandrini; vel Hypotyposeon fragmentum esse, Operis olim ab Hæreticis depravati rivulum impurissimum.

## DISSERTATIO IX.

### De Doctrina Tertulliani.

---

### ARTICULUS I.

*Utrum Tertullianus Montanista fuerit.*

### PROPOSITIO.

*Tertullianus ad Montanistas defecit; eorumque errores professus est.*

PROBATUR primò. Qui potestatem remittendi graviora peccata Ecclesiæ negavit, ob idque mœchos contendit ad pœnitentiam non esse recipiendos; qui præterea secundas nuptias ut stupra damnavit; qui usquam in persecutione fugiendum esse inficiatus est; qui denique duplicem Quadragesimam velut Paracleti auctoritate præceptam vindicavit,

vindicavit, Montanum ceu Paracletum agnoscens, is errores Montanistarum professus est: Atqui hos omnes errores propugnavit Tertullianus: Ergo Tertullianus Montanistarum errores professus est.

Major certa est. Hi enim præcipui fuerunt errores Montanistarum. Probatur Minor quoad singulas partes, ex ipsius Tertulliani Scriptis: Et primò quidem quòd potestatem remittendi graviora peccata Ecclesiæ concessam à Christo negaverit, ob idque Mœchis asseruerit patere non posse pœnitentiæ aditum, seu veniam ipsis & communionem tribui non posse ab Ecclesia; probatur ex libro. de Pudicitia, cap. 1. *Audio*, inquit, *etiam edictum esse propositum, & quidem peremptorium: Pontifex scilicet Maximus, quod est Episcopus Episcoporum, edicit: Ego & Mœchiæ, & fornicationis delicta pœnitentia functis dimitto. O edictum, cui adscribi non poterit bonum factum! Et ubi proponetur liberalitas ista? Ibidem, opinor, in ipsis libidinum januis, sub ipsis libidinum titulis. Hic ejusmodi pœnitentia promulganda est, ubi delinquentia ipsa versabitur. Illic legenda est venia, quo cum spe ejus intrabitur, Sed hoc in Ecclesia legitur, & in Ecclesia pronuntiatur, & virgo est? Absit, absit, à Sponsa Christi tale præconium. Illa quæ vera est, quæ pudica, quæ sancta, carebit etiam aurium maculis: Non habet quibus hoc repromittat. Et si habuerit, non repromittit; quoniam & terrenum Dei templum citiùs spelunca latronum appellari potuit à Domino, quàm Mœchorum, & Fornicatorum. Erit igitur & hic adversùs Psychicos* (id est, carnales, quo nomine Catholicos sugillat) *titulus, adversùs mea quoque sententia retro penes illos societatem, quo magis hoc mihi in notam levitatis objectent. Nunquam societatis repudium delicti præjudicium est: quasi non facilius sit errare cum pluribus, quando veritas cum paucis amatur. At enim me non magis dedecorabit utilis levitas, quam ornavit nocens. Non suffundor errore quo carui, quia caruisse delector, quia meliorem me & pudiciorem recognosco.* Itaque Tertullianus hìc revocat pristinam suam sententiam de clavibus Ecclesiæ, ad omnium remissionem delictorum à Christo datis, quàm in libro de Pœnitentia adhuc Catholicus propugnaverat. Quod etiam agnovit Sanctus Hieronymus, Epistola 146. ad Damasum data, scribens. *Vehementer admiror Tertullianum, in eo libro, quem de Pudicitia adversùs Pœnitentiam scripsit, & sententiam veterem nova opinione dissolvit, hoc voluisse sentire*, &c.

2. Qui delicta dividit in remissibilia, & irremissibilia, & in secundo ordine Mœchiam collocat, aliaque graviora, contenditque Deum solum illa remittere posse, non Ecclesiam; is Ecclesiæ claves à Christo collatas negat, omnium ad peccatorum remissionem. Porro ita sensit Tertullianus, ut constat ex cap. 2. lib. citati, & ex cap. 3. ubi Catholicorum objectioni, opponentium, *Frustra agi pœnitentiam, si careat venia, adeoque nec in totum esse agendam*, sic respondet: *Meritò itaque opponunt, quoniam hujus quoque Pœnitentiæ fructum, id est, veniam, in sua potestate usurparunt. Quantùm enim ad illos, à quibus pacem humanam consequitur: quantum autem ad nos, qui solum Dominum meminimus delicta concedere, & utique mortalia, non frustra agetur. Ad Dominum enim remissa, & illi exinde prostrata, hoc ipso magis operabitur veniam, quòd eam à solo Deo exorat, quòd delicto suo humanam pacem sufficere non credit, quod Ecclesia mavult erubescere, quàm communicare.* Et cap. 18. *Quòd si clementia Dei ignorantibus adhuc, & infidelibus competit, utique & Pœnitentia ad se clementiam invitat, salva illa Pœnitentiæ specie post Fidem, quæ aut levioribus delictis veniam ab Episcopo consequi poterit; aut majoribus, & irremissibilibus à Deo solo.* Ergo Tertullianus censuit Ecclesiam non posse remittere graviora scelera.

Idem constat ex cap. 21. ubi Apostolos, si graviorum peccatorum veniam pœnitentibus concesserint, id fecisse ait extraordinaria duntaxat potestate, qualis erat potestas miraculorum patrandorum, quæ non sit cum eorum Successoribus communicata, nec in Ecclesiam transfusa. *Quis enim dimittit delicta*, inquit, *nisi solus Deus? Et utique mortalia, quæ in ipsum fuerunt admissa, & in templum ejus. Nam tibi, quæ in te reatum habeant, etiam septuagies septies juberis indulgere in persona Petri. Itaque si & ipsos beatos Apostolos tale aliquid indulsisse constaret, cujus venia à Deo, non ab homine competeret; non ex disciplina, sed ex potestate fecisse. Nam & mortuos suscitaverunt, quod Deus solus; & debiles redintegraverunt, quod nemo nisi Christus &c.* Et infrà: *Exhibe igitur & nunc mihi, Apostolice, Prophetica exempla & agnoscam divinitatem, & vindica tibi delictorum ejusmodi remittendorum potestatem. Quòd si disciplinæ solius officia sortitus es, nec imperio præsidere, sed ministerio, quis, aut quantus es indulgere? Qui neque Prophetam, nec Apostolum exhibens, cares ea virtute cujus est indulgere. Sed habet*, inquis, *potestatem Ecclesia delicta donandi.... De tua nunc sententia quæro, unde hoc jus Ecclesiæ usurpes. Si quia dixerit Petro Dominus, Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam; tibi dedi claves Regni cœlestis; Quæcumque alligaveris, vel solveris in terra erunt alligata, vel soluta in cœlis; idcirco præsumis & ad te derivasse solvendi & alligandi potestatem, id est, ad omnem Ecclesiam Petri propinquam; qualis es evertens atque commutans manifestam Domini intentionem personaliter hoc Petro conferentem; Super te*, inquit, *ædificabo Ecclesiam meam; &, dabo tibi claves, non Ecclesiæ; &, Quæcumque solveris, vel alligaveris, non quæ solverint, vel alligaverint. Sic enim & exitus docet. In ipso Ecclesia extructa est, id est, per ipsum; ipse clavem induit, vide quam; Viri Israelitæ, auribus mandate quæ dico; Jesum Nazarenum, virum à Deo vobis destinatum &c. Ipse denique primus in Christi Baptismo reseravit aditum cœlestis regni, quò solvuntur alligata retro delicta, & alligantur quæ non fuerint soluta: secundum veram salutem, & Ananiam vinxit vinculo mortis, & debilem pedibus absolvit vitio valetudinis. Sed & in illa disceptatione custodiendæ necne Legis, primus omnium Petrus Spiritu instinctus, & de nationum vocatione præfatus: Et nunc, inquit, cur tentastis Dominum de imponendo jugo fratribus? &c. Hæc sententia & solvit quæ omissa sunt Legis, & alligavit quæ reservata sunt. Adeo nihil ad delicta Fidelium capitalia, potestas solvendi & alligandi Petro emancipata. Cui si præceperat Dominus etiam septuagies septies delinquenti in eum fratri indulgere; utique nihil alligare, id est, retinere mandasset, nisi fortè ea quæ in Dominum, non in fratrem quis admiserit. Præjudicatur enim non dimittenda in Deum delicta, cùm in homine admissa donantur.*

Secunda verò pars, quòd nempe secundas nuptias ut stupra, & adulteria damnaverit, constat ex libro ipsius de Monagamia, qui totus hoc errore scatet. Sic enim cap. 3. *Et nunc recogitans ista, facilè tibi persuadebis multò magis unicas nuptias competisse Paracleto prædicare, qui potuit & nullas.* Et cap. 14. *Regnavit duritia cordis usque ad Christum, regnaverit & infirmitas carnis usque ad Paracletum. Nova lex abstulit repudium, habuit quod auferret. Nova Prophetia secundùm Matrimonium, non minus repudium prioris.* Et cap. 15. *Quæ igitur hic duritia nostra, si non facientibus Dei voluntatem, renuntiamus? Quæ hæresis, si secundas nuptias, ut illicitas, juxta adulterium judicamus? Quid est enim adulterium,*

*vium, quam Matrimonium illicitum!* Cap. 10. tam adulterium esse probat Matrimonium initum post obitum conjugis, quam post ipsius repudium, illo adhuc superstite. *Itaque sine causa*, *dices*, inquit, *Deum vivo marito nolle repudiatam alii viro jungi, quasi mortuo velit: quando si mortuo non tenetur, proinde nec vivo; tam repudio Matrimonium dirimente, quam morte, non tenebitur ei, cui per quod tenebatur, abruptum est; adeo non interest vivo an mortuo viro nubat.*

Et cap. 10. *Hoc erit adulterium, unius fœmina in duos viros conscientia. Si alter à carne disjunctus est, sed in corde permanet. Illic usque adhuc maritus est, ipsum illud possidens, per quod & factus est, id est, animum, in quo si & alius habitabit, hoc erit crimen. Cæterum non est exclusus, si à viliore commercio carnis decessit, honoratior maritus est, quando mundior factus est.*

Hunc errorem passim asserit lib. 1. ad Uxorem, & lib. de Pudicitia cap. 1. ubi hæc habet: *Nobis autem, maxima, aut summa sic quoque præcaventur, dum nec secundas quidem post fidem nuptias permittitur nosse, nuptialibus, & dotalibus si fortè tabulis à Mœchia & Fornicationis opere diversas. Et ideo durissimè, nos infamantes Paracletum disciplinæ enormitate, digamos foris sistimus, eundem limitem liminis Mœchis quoque & fornicatoribus figimus, jejunas pacis lachrymas profusuris, nec amplius ab Ecclesia quam publicationem dedecoris relaturis.*

Tertia pars, scilicet quòd fugam in persecutione licitam negaverit Tertullianus, constat ex libro ipsius de Fuga in Persecutione, in quo totus est eum errorem ut adstruat, præsertim cap. 4. ubi ad Fabii consultationem disertè respondet, *Fugiendum in persecutione non esse. Si enim persecutio à Deo evenit, nullo modo fugiendum erit quod à Deo evenit. Sicut duplex ratio defendit, quia neque debeat devitari, neque evadi possit, quod à Deo evenit. Non debet devitari, quia bonum . . . . . quia delictum sit, quod bonum est recusare, eo ampliùs quod Deo visum est. Jam vero nec posse vitari, quia à Deo evenit, cujus voluntas non poterit evadi. Igitur qui putant fugiendum, aut malum exprobrant Deo, si persecutionem ut malum fugiant; bonum enim nemo devitat; aut fortiores se Deo existimant, qui putant se evadere posse, si Deus tale aliquid voluerit evenire.*

Et cap. ultimo. *Et ideo Paracletus necessarius deductor omnium veritatum, exhortator omnium tolerantiarum: quem qui receperunt, neque fugere persecutionem, neque redimere noverunt, habentes ipsum, qui pro nobis erit, sicut locuturus in interrogatione, ita juvaturus in passione.*

Eundem errorem insinuat lib. de Corona Militis, cap. 1. *Planè superest ut etiam Martyria recusare meditentur, qui Prophetias ejusdem Spiritus Sancti respuerunt. Mussitant denique, tam bonam, & longam pacem periclitari. Nec dubito quosdam Scripturas emigrare, sarcinas expedire, fuga accingi de civitate in civitatem. Nullam enim aliam Evangelii memoriam curant. Novi & Pastores eorum, in pace leones, in prælio cervos.*

Quarta pars probatur, scilicet quòd duplicem Quadragesimam, quasi Paracleti, id est, Montani auctoritate præceptam, prædicaverit, ex libro de Jejuniis adversùs Psychicos, quo nomine Catholicos per contumeliam vocat, cap. 15. *Quantula est enim apud nos interdictio ciborum*, inquit, *duas in anno hebdomadas Xerophagiarum, nec totas, exceptis scilicet Sabbatis, & Dominicis, offerrimus Deo, abstinentes ab eis quæ non rejicimus, sed differimus.* Et cap. 1. *Agnosco igitur animalem fidem, studio carnis, qua tota constat, tam multivorantia, quam multinubentia pronam, ut meritò spiritalem disciplinam pro substantia æmulam, in hac quoque specie continentia accuset: proinde gulæ frænos induentem, per nullas interdum vel seras, vel aridas escas, quemadmodum & libidini per unicas nuptias. Piget jam cum talibus congredi, pudet & jam de eis altercari, quorum nec defensio verecunda est. Quomodo enim protegam castitatem, & sobrietatem, sine taxatione adversariorum? Quinam isti sint, semel nominabo, exteriores, & interiores botuli Psychichorum. Hi Paracleto controversiam faciunt; propter hoc nova Prophetia recusantur; non quòd alium Deum prædicent Montanus, Priscilla, & Maximilla; nec quòd Jesum Christum solvant; nec quòd aliquam Fidei, aut Spei regulam evertant, sed quòd planè doceant sæpius jejunare, quàm nubere . . . . Arguunt nos quòd jejunia propria custodiamus, quòd stationes plerumque ad vesperam producamus, quòd etiam Xerophagias observemus, siccantes cibum ab omni carne, & omni jurulentia, & uvidioribus quibusque pomis: ne quid vinositatis vel edamus, vel potemus. Novitatem igitur objectant, de cujus illicito præscribant; aut hæresim judicandam, si humana præsumptio est, aut Pseudoprophetiam pronuntiandam, si spiritalis indictio est.* Ex his igitur constat, Tertullianum præcipuos Montanisticæ Sectæ errores acriter propugnasse. Sed recessionem ab Ecclesia suam clarè adhuc testatur, libro adversùs Praxeam, cap. 1. *Et nos quidem*, inquit, *agnitio Paracleti, atque defensio disjunxit à Psychicis*: id est, agnitio Montani ut Paracleti à Catholicis.

Probatur secundò, testimonio Sancti Hieronymi in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum, in Tertulliano: *Hic*, inquit, *cum usque ad mediam ætatem Presbyter Ecclesiæ mansisset: invidia postea & contumeliis Clericorum Romanæ Ecclesiæ ad Montani Dogma delapsus, in multis libris novæ Prophetiæ meminit. Specialiter autem adversus Ecclesiam texuit Volumina de Pudicitia, de Fuga in Persecutione, de Jejuniis, de Monogamia, de Extasi libros sex, & septimum, quem adversùs Apollonium composuit.* Et in Apologia adversùs Rufinum de Tertulliano loquens: *Laudo*, inquit, *ingenium hominis, damno hæreses.* Et lib. adversùs Helvidium, qui Tertulliani auctoritate suum errorem protegebat: *Et de Tertulliano quidem*, inquit, *nihil ampliùs dico, quàm Ecclesiæ hominem non fuisse.* Et in cap. 1. Epistolæ ad Titum. *Montanus*, inquit, *& qui Novati Schisma sectantur, nomen sibi munditiæ præsumpsere: putantque secunda matrimonia ab Ecclesiæ Communione prohibenda: cum Apostolus de Episcopis, & Presbyteris hoc præcipiens, in cæteris relaxarit, non quod hortetur ad secunda matrimonia, sed quod necessitati carnis indulgeat. Scripsit & Tertullianus de Monogamia librum hæreticum, quem Apostolo contraire, nemo qui Apostolum legerit, ignorabit.*

Probatur tertiò ex Sancto Hilario Pictaviensi, qui ante Sanctum Hieronymum floruit, & ab ipso celebratus est. Hic enim Canone 5. in Matthæum, de oratione loquens, ita scribit: *Quanquam & Tertullianus hinc volumen aptissimum scripserit: sed consequens error hominis detraxit Scriptis probabilibus auctoritatem.*

Probatur quartò ex Sancto Paciano Barcinonensi Episcopo, Epistola 3. ad Sympronianum Novatianum, ubi Novatianos his verbis compellat. *Tertullianus, post Hæresim, vester est, nam inde multa sumpsistis.*

Probatur quintò ex Optato Milevitano, libro 1. contra Parmenianum: *Marcion*, inquit, *Praxeas, Sabellius, Valentinus, & cæteri temporibus suis, à Victorino Pictaviensi, & Zephirino Urbico, & à Tertulliano Carthaginensi, usque ad Cataphrygas.*

*gas, & ab aliis Assertoribus Ecclesiæ Catholicæ superati sunt.* Quibus verbis Tertullianum cæteros Hæreticos, usque ad Montanistas, prostravisse innuit; sed ipsorum tandem erroribus adhæsisse.

Probatur sextò ex Sancto Augustino libro de Hæresibus cap. 86. *Tertullianus*, inquit, *factus est Hæreticus, quia transiens ad Cataphryges, quos ante destruxerat, cœpit etiam secundas nuptias contra Apostolicam doctrinam, tanquam stupra damnare, & postmodum etiam ab ipsis divisus, sua conventicula propagavit.*

Ex libro de Bono Viduitatis, cap. 5. *Non quia innuptarum bonum honestum dixit Apostolus, ideo putare debemus turpe esse vinculum conjugale, alioqui etiam primas nuptias condemnabimus, quas nec Cataphryges, nec Novatiani, nec disertissimus eorum adstipulator Tertullianus, turpes ausus est dicere.*

Probatur septimò ex Auctore Commentariorum in Epistolas Sancti Pauli, Sancto Ambrosio olim adscriptorum, ad cap. 13. 1. ad Corinthios. *Tertullianus*, inquit, *& Novatianus non parvæ scientiæ fuerunt: sed quia per zelum, charitatis fœdera perdiderant, in Schisma versi, ad perditionem sui Hæreses creaverunt.*

Probatur octavò, ex Vincentio Lirinensi in Commonitorio 1. adversùs Hæreses, cap. 23. ubi cùm de Origene multa ante dixisset, de Tertulliano hæc subjungit: *Sed & Tertulliani quoque eadem ratio est. Nam sicut ille apud Græcos, ita hic apud Latinos nostrorum omnium facile Princeps judicandus est. Quid enim hoc viro doctius? Quid in divinis, atque humanis rebus exercitatius? Nempe omnem Philosophiam, & cunctas Philosophorum sectas, Auctores, Assertoresque sectarum, omnesque eorum Disciplinas, omnem Historiarum, ac studiorum varietatem, mira quadam mentis capacitate complexus est. Ingenio verò nonne tam gravi, ac vehemente excelluit, ut nihil sibi penè ad expugnandum proposuerit, quod non aut acumine irruperit, aut pondere eliserit. Jam porro orationis suæ laudes quis exequi valeat? Quæ tanta nescio qua rationum necessitate conserta est, ut ad consensum sui, quos suadere non poterit, impellat. Cujus quot pene verba, tot sententiæ sunt: quot sensus, tot victoriæ. Sciunt hoc Marciones, Appelles, Praxeæ, Hermogenes, Judæi, Gentiles, Gnostici, cæterique quorum ille blasphemias multis ac magnis Voluminum suorum molibus, velut quibusdam fulminibus evertit. Et tamen hic quoque, post hæc omnia, hic*, inquam, *Tertullianus Catholici Dogmatis, ac vetustæ fidei parum tenax, ac disertior multò quàm fidelior, mutatâ deinceps sententiâ, fecit ad extremum quod de eo Beatus Confessor Hilarius quodam loco scribit: Sequenti*, inquit, *errore detraxit Scriptis probabilibus auctoritatem: & fuit quoque ipse in Ecclesia magna tentatio. Sed de hoc nolo plura dicere. Hoc tantùm commemorabo, quòd contra Moysi præceptum, exurgentis in Ecclesia novellas Montani furias, & insana illa insanarum mulierum novitii dogmatis somnia, veras Prophetias asseverando, meruit ut de se quoque & Scripturis suis diceretur: Si surrexit in medio tui Propheta. Et mox: Non audies verba Prophetæ illius.*

Objicitur primò. Sanctus Cyprianus Tertullianum ut Magistrum veneratus est: testatur enim Sanctus Hieronymus in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum cap. 6. ipsum *Nunquam absque Tertulliani lectione unam diem præteriisse, ac crebro dixisse* Notario suo; *Da Magistrum*, quo nomine Tertullianum significabat. Atqui tanto in pretio non habuisset professum Montanistam: ergo Tertullianus Montanista non fuit.

Respondeo, Sanctum Cyprianum Tertullianum ceu Magistrum agnovisse, ejusque fuisse studiosissimum, in libris quos scripsit pro Ecclesia, non verò in libris quos adversùs Ecclesiam exaravit. Tertullianum Magistrum sectatus est, ejusque sublimia & erudita sensa suis nonnunquam verbis expressit, lib. De Oratione Dominica, De Bono Patientiæ, De exhortatione Martyrii, De Disciplina & habitu Virginum, De Idolorum vanitate, Adversùs Judæos, quæ argumenta Tertullianus tractaverat: sed nullatenus ipsum sectatus est in erroribus Montani. Imò graviorum criminum reos venia & absolutione donandos censuit, postquam pœnitentia functi essent (ut constat ex Epistola ipsius 10. & sequentibus usque ad 15. ex Epistola 52. & lib. de Lapsis.) Præterea Tertullianum plurimi fecit Sanctus Cyprianus, propter ingenium, eruditionem, eloquentiam, quas in eo dotes eximias alii etiam Patres commendarunt, & in his *Magistri* honorificentissimo nomine ipsum exornavit. Sed in fidei rebus, & Ecclesiastica Doctrina, hoc ipsum loco habuisse probari non potest.

Objicitur secundò. In eo non fuit hæreticus Tertullianus, in quo Africanæ, imò & Romanæ Ecclesiæ Traditionem secutus est: atqui harum Ecclesiarum Traditionem secutus est, cùm negavit mœchis, aliisque graviorum criminum reis dandam esse communionem. Ergo propterea ut Montanista damnari non debet.

Probatur minor. Tertulliani enim primùm tempore pax mœchiæ à Romana Ecclesia concessa est, Zephirino Pontifice Maximo decernente, ut ex ipso Tertulliano constat, libro de Pudicitia cap. 1. dicente: *Audio edictum esse propositum, & quidem peremptorium: Pontifex scilicet Maximus, quod est Episcopus Episcoporum, edicit: Ego & Mœchiæ & fornicationis delicta pœnitentiâ functis dimitto*, &c. Idololatriæ verò & homicidio pax tunc à Romana Ecclesia negabatur, ut ex eodem Tertulliano constat cap. 5. ejusdem libri. *Quid agis*, inquit, *mollissima Disciplina? Aut omnibus eis hoc esse debebis; Beati enim pacifici; aut si non omnibus, nostra esse, Idololatram quidem, & homicidam semel damnas, mœchum verò de medio excipis, idololatræ successorem, homicidæ antecessorem, utriusque collegam?*

Denique constat ex Sancto Cypriano, Epistola 52. *Episcopos Africanos Antecessores suos, dandam pacem mœchis non putavisse, & in totum Pœnitentiæ locum contra adulteria clausisse.* Ergo Tertullianus, cùm graviorum criminum reis dandam esse communionem negavit, Africanæ, & Romanæ Ecclesiæ Traditionem secutus est.

Respondeo, nego minorem. Ad cujus probationem dico, Non esse certum quòd illæ Ecclesiæ mœchis, aliisque lapsis communionem aliquando negaverint. Id enim falsum esse Viri Eruditi contendunt, nec Tertulliano adhibendam fidem, qui hac in re Ecclesiæ imposuerit, sibique ipsi contradixerit, studio partium & vertigine erroris in præceps actus. Sed quicquid sit de hoc facto, quod sequenti Seculo, singulari Dissertatione expendemus, respondeo, Pacem, si usquam Lapsis ab illis Ecclesiis negata est, longè alio animo negatam fuisse, quàm à Montanistis, & Tertulliano. Nam ab illis negata fuit, *Non desperatione Indulgentiæ, sed rigore Disciplinæ*, (ut Sancti Augustini verbis utar, Epistola 50.) *Alioqui contra claves datas Ecclesiæ disputabitur, de quibus dictum est: QUÆ solveritis in terra, soluta erunt & in cœlo.* Tertullianus verò claves Ecclesiæ à Christo datas inficiatus est ad delictorum capitalium condonationem, quæ irremissibilia, & indonabilia esse disertè asseruit, illorumque veniam à solo Domino sperandam.

Africani etiam Antistites nonnulli, de quibus loquitur

loquitur Sanctus Cyprianus Epistola 52. (non enim ea fuit universæ Ecclesiæ Africanæ severitas) pacem mœchis negabant, & in totum pœnitentiæ locum contra adulteria claudebant, eodem animo *scilicet rigore Disciplinæ*, non *desperatione Indulgentiæ*, nec quòd potestatem remittendorum, mœchis, & adulteris pœnitentibus, graviorum criminum, Ecclesiæ sibique deesse existimarent: *Unde à Coepiscoporum suorum Collegio non recesserunt, aut Catholicæ Ecclesiæ unitatem, vel duritiæ, vel censuræ suæ obstinatione ruperunt; ut quia apud alios adulteris pax dabatur, qui non dabat, de Ecclesia separaretur. Manente* namque *concordiæ vinculo: & perseverante Catholicæ Ecclesiæ individuo Sacramento, actum suum disponit, & dirigit unusquisque Episcopus, rationem propositi sui Domino redditurus* (inquit Sanctus Cyprianus) At Tertullianus potestatem remittendi graviora delicta, & inter ea mœchiam, Ecclesiæ concessam non esse propugnavit, ut constat ex probationibus, & propterea recessit ab Ecclesia.

Contra; Sanctus Cyprianus graviora crimina, ut Idololatriam, æquè à solo Deo remitti posse censet, non verò ab Ecclesia, ac Tertullianus: nec tamen quis propterea Sanctum Cyprianum hæreseos accusabit: Ergo neque Tertullianus dicendus est hæreticus & Montanista, quòd capitalia delicta à solo Deo remitti posse propugnaverit.

Probatur Antecedens ex Tractatu de Lapsis: *Nemo se fallat*, inquit, *nemo se decipiat, solus Dominus misereri potest. Veniam peccatis, quæ in ipsum commissa sunt, solus potest ille largiri, qui peccata nostra portavit, qui pro nobis doluit, quem Deus tradidit pro peccatis nostris. Homo Deo esse non potest major: nec remittere aut donare indulgentiâ suâ servus potest, quod in Dominum delicto graviore commissum est; ne adhuc lapso & hoc accedat ad crimen, si nesciat esse prædictum: Maledictus omnis qui spem habet in homine. Dominus orandus est, Dominus nostra satisfactione placandus est; qui negantem negare se dixit, qui omne judicium de Patre solus accepit.*

Respondeo nego majorem. Ad cujus probationem dico, Sanctum Cyprianum non negare quin penes Ecclesiam sit potestas absolvendi Lapsos, sed negare duntaxat quòd Indulgentiæ & Communionis beneficium consequi deberent ante satisfactionem. Agit enim contra illos qui libellis Martyrum freti, statim & sine mora Deo & Ecclesiæ reconciliari volebant, negatque Martyrum vota veniam peccatorum, quæ in Deum commissa sunt, conferre posse, aut impetrare debere iis, qui diuturna pœnitentia conversionem suam testati non fuerint, quia homines remittere non possunt peccata, nisi quibus ea Deus condonat; non condonat porrò ea nisi pœnitentibus. Pœnitentia autem & dolor satisfactoriis operibus demonstratur. Eam esse Sancti Cypriani mentem, nec ipsum diffiteri potestatem remittendorum peccatorum Sacerdotibus collatam, imo ipsam disertè adstruere, constat ex serie libri de Lapsis: sic enim habet ante verba laudata: *Ante expiata delicta, ante exomologesim factam criminis, ante purgatam conscientiam Sacrificio & manu Sacerdotis, ante offensam placatam indignantis Domini & minantis: pacem putant esse, quam quidam verbis fallacibus venditant. Non est pax illa, sed bellum, nec Ecclesiæ jungitur, qui ab Evangelio separatur.* Et post verba in argumento laudata, statim subjungit: *Credimus quidem posse apud Judicem plurimum Martyrum merita, & opera justorum: sed cum Judicii dies venerit, cum post occasum sæculi hujus & mundi, ante Tribunal Christi, populus ejus adstiterit. Cæterùm si quis præpropera festinatione temerarius remissionem peccatorum dare se cunctis putat posse, aut audet Domini præcepta rescindere: non tantum nihil prodest, sed & obest Lapsis. Provocasse est iram, non servasse sententiam: nec misericordiam priùs Dei deprecandam putare, sed contempto Domino, de sua facultate præsumere.*

Et infrà, satis potestatem Sacerdotum in remittendis peccatis commendat, his verbis Lapsos adhortatus: *Confiteantur singuli, quæso vos, fratres dilectissimi, delictum suum, dum adhuc, qui deliquit, in sæculo est, dum admitti confessio ejus potest, dum satisfactio & remissio facta per Sacerdotes apud Dominum grata est. Convertamur ad Dominum mente tota, & pœnitentiam criminis veris doloribus exprimentes, Dei misericordiam deprecemur. Illi se anima prosternat, illi mœstitia satisfaciat; illi spes omnis incumbat.* Et in fine Tractatus: *Pœnitenti*, inquit, *operanti, roganti, potest clementer ignoscere, potest in acceptum referre quicquid pro talibus & petierint Martyres, & fecerint Sacerdotes.* At verò Tertullianus negavit potestatem remittendi capitalia peccata penes Ecclesiam esse, qui palmaris erat Montanistarum error.

Objicitur tertiò. Tertullianus agnovit potestatem dimittendi peccata etiam graviora, puta Mœchiam, Ecclesiæ fuisse à Christo collatam: quamvis ea uti non deberet erga Lapsos, ne facilitate veniæ liberiùs ad peccandum propenderent: ergo Montanista non fuit.

Probatur antecedens ipsius verbis, lib. de Pudicitia, cap. 21. ubi hæc scribit: *Sed habet, inquis, potestatem Ecclesia delicta donandi: hoc ego magis & agnosco & dispono, qui ipsum Paracletum in Prophetis novis habeo dicentem. Potest Ecclesia donare delictum, sed non faciam, ne & alia delinquant.*

Respondeo, Nego antecedens. Ad probationem, dico Tertullianum Ecclesiæ nomen hæretico sensu ibi usurpare. Nomine enimvero Ecclesiæ intelligit ibi tres Personas Sanctissimæ Trinitatis, quæ delicta remittunt, non verò cœtum Episcoporum & Sacerdotum, quibus plebs sit adunata. Nihil enim Sacerdotes posse in remissione graviorum peccatorum acriter propugnat ibidem, (ut constat ex probationibus.) Hanc esse Tertulliani mentem constat insuper ex iis quæ subjungit ad finem capitis: cùm enim verba illa Christi ad Sanctum Petrum directa, *Quæcunque solveris &c. Et quæcunque ligaveris, &c.* alienos, & minùs proprios in sensus detorsit; ait: *Quid nunc & ad Ecclesiam, & quidem tuam, Psychice? Secundum enim Petri personam spiritalibus potestas ista conveniet, aut Apostolo, aut Prophetæ. Nam & Ecclesia propriè & principaliter ipse est Spiritus, in quo est Trinitas unius divinitatis, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus. Illam Ecclesiam congregat, quam Dominus in tribus posuit. Atque ita exinde etiam numerus omnis qui in hanc fidem conspiraverint, Ecclesia ab auctore, & consecratore censetur. Et ideo Ecclesia quidem delicta donabit, sed Ecclesia Spiritus, per spiritalem hominem; non Ecclesia numerus Episcoporum. Domini enim, non famuli est jus & arbitrium; Dei ipsius, non Sacerdotis.*

Quæres, Utrum Tertullianus Episcopatûs desiderio & ambitione, & quòd ejus repulsam passus esset, ab Ecclesia secesserit?

Quæ causa Tertullianum impulerit ut ab Ecclesia deficeret.

Respondeo, Tertullianum partim austerioris vitæ, & strictioris disciplinæ prætextu, ab Ecclesia recessisse, partim quòd Romanorum Clericorum exprobrationes impatienter ferret: non verò ob repulsam Episcopatus.

Primam secessionis illius causam conjicere licet ex libro de Monogamia, cap. 2. ubi hæc habet: *Nec ulla magis ex causa Paracletum negari cogun-tur, quàm dum existimant nova disciplina institueretur, & quidem durissima illis: ut jam de hoc pri-*

*mum consistendum sit in generali retractatu, an ca-* A *piat Paracletum aliquid tale docuisse, quod aut novum deputari possit adversùs Catholicam Traditionem, aut onerosum adversùs levem sarcinam Domini.*

Præterea, Ex Scriptis Tertulliani, animi ipsius affectus elucent. Perspicitur autem in illis durum hominis ingenium, austerusque animus; quippe qui severioris disciplinæ, arctiorisque vitæ cultu conspicuus, se judicem gerebat Ecclesiæ: adeo ut, cùm Christianæ vitæ professionem in austeriori vita præcipuè collocaret, eò tandem prolapsus sit erroris, ut ex asperioris vitæ cultu, B de veritate dogmatum judicium ferret. Hinc Montanistis, quòd severiorem profiteri viderentur Disciplinam, se addixit infœlix. Quamobrem non assentior Pamelio, qui ipsum, ob repulsam Episcopatus Carthaginensis, ab Ecclesia descivisse existimat: cùm similem discessionis causam in Valentino vehementer coarguerit Tertullianus: lib. adversùs Valentinianos, cap. 4. *Speraverat*, inquit, *Episcopatum Valentinus, quia & ingenio poterat, & eloquio: sed alium, ex Martyrii prærogativa, loci potitum indignatus, de Ecclesia authensica regula abrupit, (ut solent animi pro prioratu exciti, præsumptione ultionis accendi,) ad expu-* C *gnandam conversus veritatem.* Et lib. de Baptismo, cap. 17. rectè animadverterat ambitionem Schismatum originem esse. *Æmulatio*, inquit, *Schismatum mater est.* Quæ cum ita sint, non videtur Tertullianus ob Episcopatus repulsam ad Montanistas defecisse.

Altera secessionis illius causa, conjecturâ etiam nititur, quam sic expono. Cum Tertullianus integrè ac illibatè in Sacerdotali gradu vixisset, egregiaque ad Ecclesiæ defensionem edidisset monumenta, accidit ut Septimio Severo Imperante, Miles quidam Christianus coronam castrensem in D donativi distributione recusaret. De quo Tertullianus lib. de Corona Militis, cap. 1. *Proximè factum est*, inquit, *liberalitas præstantissimorum Imperatorum expungebatur in castris. Milites laureati adibant: quidam illic magis Dei Miles, cæteris constantior fratribus, qui se duobus Dominis servire posse præsumpserant, solus libero capite, coronamento in manu otioso, vulgato jam & ista Disciplina Christiano relucebat. Singuli designare, & ludere eminus, infrendere cominus, murmur Tribuno defertur: & persona jam ex ordine recesserat. Statim Tribunus: Cur, inquit, tam diversus habitu? Negavit ille sibi cum cæteris licere. Causas ex-* E *postulatus: Christianus sum, respondit. O Militem gloriosum in Deo! Suffragia exinde, & res ampliata, & reus ad Præfectos.*

Factum Militis Romana improbavit Ecclesia, quòd nec crimen esset lauream gestare Milites donativum accepturos, & ex insolentia facinoris nova in Christianos persecutio moveretur. Quod Tertullianus ibidem significat. *Exinde*, inquit, *sententia super illo, nescio, an Christianorum, non enim alia Ethnicorum, ut de abrupto, & præcipiti, &* *mori cupido, qui de habitu interrogatus, nomini ne-* F *gotium fecerit: solus scilicet fortis, inter tot fratres commilitones solus Christianus... Mussitant denique, tam bonam & longam pacem periclitari.* Contra Tertullianus Militis patrocinium suscepit, & ea occasione librum edidit, *De Corona*. Hinc magna ipsi à Romanæ Ecclesiæ Clericis conflata invidia est, qui durioribus verbis ipsum passim ac frequenter excipiebant, quòd privatus Sacerdos totius Ecclesiæ censorem ageret ac judicem. His afflictus objurgationibus, quas in caput ipse suum traxerat, calamum strinxit, stylum acuit, Apologiam pro se conscripsit ac Milite, ac Montani errores, quos jam mente imbiberat, palam propugnare cœpit, pluribus editis contra Ecclesiam libris. Id innuit Sanctus Hieronymus in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum cujus auctoritati refragari, mihi planè religio est. *Cùm*, inquit, *usque ad mediam ætatem Presbyter Ecclesiæ permansisset, invidia postea & contumeliis Clericorum Romanæ Ecclesiæ, ad Montani dogmata dilapsus est.*

## ARTICULUS II.

### *Utrum Tertullianus senserit Deum esse corporeum?*

## PROPOSITIO.

*Tertullianus Deum esse corporeum non existimavit.*

PRobatur primò. Tertullianicæ doctrinæ principium est, Omne corporale esse passibile: sed ex ejusdem doctrina, Deus est impassibilis: ergo & incorporeus.

Major probatur ipsius Tertulliani verbis, libro de Anima, capite 7. *Igitur*, inquit, *si quid tormenti, sive solatii anima præcepit in carcere, seu diversorio inferùm, in igne, vel sinu Abrahæ, probata erit corporalitas animæ. Incorporalitas enim nihil patitur, non habens per quod pati possit: aut si habet, hoc erit corpus. In quantum enim omne corporale passibile est, in tantum quod passibile est, corporale est.*

Minor etiam constat ex ipsius Tertulliani verbis, lib. contra Praxeam, cap. 29. ubi hæreticos refellens, qui Patrem Æternum fatebantur quidem impassibilem, sed compassibilem effutiebant, hæc habet: *Stulti & in hoc. Quid est enim compati, quàm cum alio pati? Porro si impassibilis Pater, utique & incompassibilis.... Tam autem incompassibilis Pater est, quam impassibilis etiam Filius, ex ea conditione quâ Deus.*

Præterea, Fidem nostram, quæ Deo simplicitatem tribuit, Ethnicorum errori *Tertullianus* opponit lib. *De Baptismo*, cap. 11. *Proh! misera incredulitas, quæ denegas Deo proprietates suas, simplicitatem & potestatem.* Porrò simplex Deus non esset, si esset corporeus.

Tertiò, *Deum esse summum magnum & forma, & ratione, & vi & potestate*, asserit libro 1. *Contra Marcionem*, cap. III. Deum negare, qui illi hæc aufert. Id verò non convenit rei corporeæ, quâ præstantior est Spiritus.

Quartò, corpus omne loco continetur. Deum verò in loco esse negat *Tertullianus* libro *contra Praxeam*, cap. V. *Ante omnia*, inquit, *Deus erat, solus ipse sibi & mundus, & locus, & omnia.* Deum igitur corporis expertem esse censet.

Quintò, Patrem & Filium & Spiritum-Sanctum unum Deum, unius substantiæ & naturæ; Spiritum denique esse asserit; Quod cum notione & idæa corporis conciliari non potest. *Apologetici* scilicet cap. XX. ita de Christo scribit: *Hunc ex Deo prolatum didicimus, & prolatione generatum, & idcirco Filium Dei, & Deum dictum ex unitate substantiæ: NAM ET DEUS SPIRITUS: & cùm radius ex sole porrigitur, portio ex summa: sed sol erit in radio; quia solis est radius: nec separatur substantia, sed extenditur: ita de Spiritu Spiritus, & de Deo Deus, ut lumen de lumine accensum.*

Probatur secundò auctoritate Sancti Augustini, lib. 10. de Genesi ad litteram, cap. 25. ubi licet agnoscat Tertullianum aliquando corpus Deo affixisse, censet tamen eum revocasse tam ab-

furdam

suidam sententiam, quæ cum principiis ab ipso positis cohærere nullatenus potest. *Denique*, inquit, *Tertullianus quia corpus esse animam credidit, non ob aliud nisi quòd eam incorpoream cogitare non potuit, & ideo timuit ne nihil esset, si corpus non esset, nec de Deo valuit aliter sapere: qui sanè quoniam acutus est, interdum contra opinionem suam visa veritate superatur. Quid enim verius dicere potuit, quàm id quod ait quodam loco, Omne corporale passibile est? Debuit ergo mutare sententiam, quâ paulò superiùs dixerat, Etiam Deum corpus esse. Neque enim arbitror eum desipuisse, ut etiam Dei naturam passibilem crederet, ut jam Christus non in carne tantùm; neque in carne & anima, sed in ipso Verbo per quod facta sunt omnia, passibilis & commutabilis esse credatur, quod absit à corde Christiano.*

Et lib. de Hæresibus ad Quodvultdeum, cap. 86. *Tertullianus ergo*, inquit, *sicut Scripta ejus indicant, animam dicit immortalem quidem, sed eam effigiatum corpus esse contendit: neque hanc tantùm, sed ipsum etiam Deum corporeum esse dicit, licet non effigiatum. Nec tamen hinc hereticus creditur factus. Posset enim quoquo modo putari ipsam naturam substantiamque divinam corpus vocare; non tale corpus cujus partes alia majores, alia minores valeant vel debeant cogitari, qualia sunt omnia, qua propriè dicimus corpora: quamvis de anima tale quid sentiat: sed potuit, ut dixi, propterea putari corpus Deum dicere, quia non est nihil, non est inanitas, non est corporis, vel anima qualitas; sed ubique totus, & per locorum spatia nulla partitus, in sua tamen natura atque substantia immutabiliter permanet.*

Objicitur primò. Qui sensit nihil esse incorporeum, nisi quod non est, neque notionem Spiritus pugnare cum notione corporis Deo adscripti, quia Spiritus corpus est sui generis, in sua effigie; Ille sensit Deum esse corporeum: sed Tertullianus id asseruit: existimavit igitur Deum esse corporeum.

Probatur minor ipsius verbis, libro de Carne Christi, cap. 11. *Omne quod est*, inquit, *corpus est sui generis. Nihil est incorporale, nisi quod non est.* Et libro contra Praxeam, cap. 7. de Filio Dei loquens, hæc habet: *Hic certè est, qui in effigie Dei constitutus, non rapinam existimavit esse se æqualem Deo. In qua effigie Dei? Utique in alia, non tamen in nulla. Quis enim negabit Deum corpus esse, etsi Deus Spiritus est. Spiritus enim corpus sui generis in sua effigie. Sed & invisibilia illa, quæcunque sunt, habent apud Deum & suum corpus, & suam formam, per quæ soli Deo visibilia sunt.*

Respondeo distinguo majorem. Si nomine corporis intellexerit molem corpoream, divisibilem, & materia constantem, concedo: si substantiam duntaxat intellexerit, nego. Porrò Tertullianus, cùm dixit Deum esse corpus sui generis, & nihil esse incorporeum nisi quod non est, corporis nomine substantiam significavit, & innuere duntaxat voluit, Deum non esse nihil, non esse inanitatem, sed in sua natura atque substantia immutabiliter permanere (ut Sanctus Augustinus explicat.) Id constat ex Tertulliani instituto. Agebat enim adversùs Praxeam, qui Dei Verbum à Patre non distinguebat. Unde contra illum statuit, Deum solidum esse aliquid ac subsistens; suique generis effigiem habere, adeòque corpus esse, id est substantiam: unde post verba in argumento laudata, statim subjungit: *Quantomagis quod ex ipsius substantia missum est, sine substantia non erit? Quæcunque ergo substantia Sermonis fuit, illam dico personam, & illi nomen Filii vindico.* Et antea hæc præmiserat: *Quid est enim, dices, sermo nisi vox & sonus oris, & (sicut Grammatici tradunt) aër offensus, intelligibilis auditu: cæterum vacuum nescio quid & inane, & incorporale? At ego nihil dico de Deo inane & vacuum prodire potuisse, ut non de inani & vacuo prolatum: nec carere substantia, quod de tanta substantia processit, & tantas substantias fecit: Fecit enim & ipse quæ facta sunt per illum. Quale est ut nihil sit ipse, sine quo nihil factum? Ut inanis solida, & vacuus plena, & incorporalis corporalia sit operatus? Nam etsi potest aliquando quid fieri diversum ejus, per quod fit, nihil tamen potest fieri per id quod vacuum & inane est. Vacua & inanis res est Sermo Dei, qui Filius dictus est, qui ipse Deus cognominatus est, Et Sermo erat apud Deum, & Deus erat Sermo?* Itaque cùm Tertullianus Deum esse corpus dixit, corpus pro substantia usurpavit.

Id autem à Tertulliano Catholicè dictum, constat ex eo quod Sanctus Phœbadius Aginnensis Episcopus, Arianæ hæreseos acerrimus expugnator, eadem pene verba, & eodem planè sensu usurpaverit. Nec tamen ipsi erroris notam affingere quispiam ausus est. Sic autem habet: *Imago vera, & figura expressa substantiæ ejus, hoc est Dei Sermo, non sonus vocis, sed res substantiva, ac per substantiam corpulentiva. Non enim sine substantia consistit, quod de tanta substantia fecit. Nihil ergo vacuum de pleno, nihil inane de solido. Quia Dei Sermo Spiritu Dei instructus est: &, ut evidentiùs dicam, Sermonis corpus est Christus. Corpus enim Spiritus, sed corpus sui generis. Nam & invisibilis, & incomprehensibilis Spiritus. Numquid tamen inanis, & vacua res Deus? Deus enim Spiritus est.*

Objicitur secundò. Qui Deo membra, & passiones aliquas, sive sensus generis sui tribuit, is Deum existimavit esse corporeum; sed Tertullianus Deo membra corporea, & passiones aliquas, sive sensus generis sui tribuit: ergo sensit Deum esse corporeum.

Major constat. Nam ideo Tertullianum sensisse animam esse verè corpoream colligimus, quia ipsi effigiem, & passiones tribuit.

Probatur minor ex libro 2. Tertulliani contra Marcionem, cap. 16. ubi Marcioni objicienti, iram, æmulationem, & sævitiam, atque justitiam non esse in Deo, tamque alienum esse ipsum ab his motibus, quantùm à corruptione & morte alienus est, sic respondet: *Stultissimi, qui de humanis divina præjudicant, ut quoniam in homine corruptoriæ conditionis habentur hujusmodi passiones, idcirco & in Deo ejusdem status existimentur. Discerne substantias, & suos eis distribue sensus, tam diversos, quàm substantiæ exigunt, licet vocabulis communicare videantur. Nam & dexteram, & oculos, & pedes Dei legimus, nec ideo tamen humanis comparabuntur, quia de appellatione sociantur. Quanta erit diversitas divini corporis & humani, sub eisdem nominibus membrorum, tanta erit & animi divini, & humani differentia, sub eisdem licet vocabulis sensuum: quos tam corruptorios efficit in homine corruptibilitas substantiæ humanæ, quàm incorruptorios in Deo efficit incorruptibilitas substantiæ divinæ ........ Et hæc ergo imago censenda est Dei in homine, quòd eosdem motus & sensus habeat humanus animus, quos & Deus, licet non tales quales Deus. Pro substantia enim & status eorum, & exitus distant ..... Ita & illas species, iræ dico, & exasperationis non tam feliciter patimur, quia solus Deus de incorruptibilitatis proprietate felix. Irascetur enim, sed non exacerbabitur; movebitur; sed non evertetur.*

Eeeiij Respondeo

Respondeo distinguo majorem : Si membrorum nomen & passionum propriè usurpaverit, concedo. Si metaphoricè & figuratè nego. Porro Tertullianus sensu figurato, non proprio & naturali, membrorum, passionum ac sensuum nomina accepit, cum ea contulit in Deum : Quo modo scilicet sacris in Scripturis adhibentur. His enim vocabulis non intellexit illam corporeæ molis effigiem suo etiam colore nativo adornatam, qualem tribuit animæ : non intellexit substantiam partibus majoribus & minoribus constantem (ut ex Sancto Augustino notavimus) quales tamen partes adscripsit animæ : non intellexit denique passiones propriè dictas, quæ mutationem aliquam & corruptionem dolorisque sensum per se afferant, cujusmodi cruciatus est & esustio, quibus ex passionibus animæ corporeitatem colligit. Sed nomine membrorum, cùm illa Deo tribuit, *Efficacias divinas, non habitus Dei, nec corporalia lineamenta significat,* (ut cum Novatiano loquar lib. de Trinitate cap. 6.) *Nam*, cùm à Tertulliano, uti & à Canonicis Scriptoribus, *oculi describuntur, quòd omnia videat, exprimitur. Et quando auris, quòd omnia audiat, proponitur. Et cùm digitus, significantia quadam voluntatis aperitur. Et cùm nares, precum quasi odorum, perceptio ostenditur. Et cùm manus, quod creatura sit omnis Author probatur. Et quando brachium, quòd nulla natura contra robur ipsius repugnare possit, edicitur. Et quando pedes, quòd impleat omnia, nec sit quidquam ubi non sit Deus, explicatur. Neque enim sunt ei aut membra, aut membrorum officia necessaria, ad cujus etiam tacitum arbitrium & serviunt & adsunt omnia.* Denique passiones corruptorias non adscripsit Deo Tertullianus, sed perfectas. fœlices, & cum suprema ipsius immutabilitate cohærentes : unde non sequitur quod Deum esse corporeum senserit, quia passiones & sensus in eo agnovit : quamvis existimaverit animam esse corpoream, quòd esset passibilis.

Objicitur tertiò. Sanctus Thomas 1. Contra Gentes, cap. 20. Tertullianum iis accenset, qui Deo corpus affinxerunt. Ad finem etenim illius Capitis, in quo rationes luculentissimas persecutus est, quibus Deum non esse corpus evincitur, hæc subjungit : *His etiam rationibus excluduntur deliramenta simplicium Judæorum, Tertulliani, Audianorum, sive Antropomorphitarum, qui Deum corporalibus lineamentis figurabant.* Ergo Tertullianus sensit Deum esse corporeum.

Respondeo, Sanctum Thomam spectasse duntaxat verba Tertulliani, & primam idæam quam ingerunt; reconditiorem autem illorum sensum, facta cum ejus doctrinæ principiis collatione, penitiùs perscrutatum non fuisse, quia id institutum ipsius non postulabat ; nihilque pertinebat ad Gentium conversionem expendere illam controversiam. At illam Sanctus Augustinus datâ operâ expendit, & discussit, quem sibi anteponi ægrè non ferret ita illi addictus Sanctus Thomas.

## SCHOLION.

Mirum nemini non videbitur, quod Responsionem istam postremam ad objectionem ex *Sancti Thomæ* auctoritate petitam Religiosi Censores in Indiculo suo notaverint : cùm nihil veritati contrarium, nihil *Sancto Thomæ* injuriosum contineat.

## ARTICULUS III.

### *Utrum Tertullianus de Filio Dei rectè senserit.*

MUlta sunt in Tertulliani Operibus de Verbo Divino paulò durius dicta, propter quæ Viri quidam Eruditi hanc ejus doctrinæ labem asperserunt, quòd Filium non ejusdem esse substantiæ, perfectionis, & divinitatis cum æterno Patre senserit : & eam tenuerit de Sanctissima Trinitate opinionem, quæ etiam Arianam hæresim impietate, & absurditate sua superaret. Nos verò ipsum hac ab accusatione purgari facilè posse existimamus.

## PROPOSITIO.

*Tertullianus de Filio Dei rectè omnino sensit, cum scilicet ejusdem cum Patre substantiæ, perfectionis, & divinitatis esse arbitratus.*

Probatur ex multis Operum ipsius locis, & ita evidentibus, nullam ut calumniam pati possint. Primò ex cap. 21. Apologetici. *Apud vestros quoque Sapientes*, inquit, *λόγον, id est, Sermonem, atque rationem, constat artificem videri universitatis. Hunc enim Zeno determinat Factitatorem, qui cuncta in dispositione formaverit : eumdem & fatum vocari, & Deum, & animum Jovis, & necessitatem omnium rerum. Hac Cleanthes in Spiritum congerit, quem permeatorem universitatis affirmat : & nos etiam Sermoni, atque rationi, itemque virtuti, per quæ omnia molitum Deum ediximus, propriam substantiam Spiritum inscribimus, cui & Sermo insit pronuntianti, & ratio adsit disponenti, & virtus præsit perficienti. Hunc ex Deo prolatum didicimus, & prolatione generatum, & idcirco Filium Dei, & Deum dictum ex unitate substantiæ : nam & Deus Spiritus.* Deinde ineffabilem illam Verbi divini generationem iis similitudinibus explicat, quibus alii Patres, etiam post Arianam Hæresim exortam usi sunt. *Et cum radius ex Sole porrigitur, portio ex summa ; sed Sol erit in radio, quia Solis est radius, nec separatur substantia, sed extenditur : ita de Spiritu Spiritus, & de Deo Deus, ut lumen de lumine accensum : Manet integra & indefecta materia matrix, etsi plures inde traduces qualitatum mutuerit : ita & quod de Deo profectum est, Deus est, & Dei Filius, & unus ambo : Ita & de Spiritu Spiritus, & de Deo Deus : modulo alterum, non numero ; gradu, non statu fecit : & à matrice non recessit, sed excessit. Iste igitur Dei radius, ut retro semper prædicabatur, delapsus in Virginem quamdam, & in utero ejus caro figuratus, nascitur homo Deo mixtus.*

II. Ex libro 3. contra Marcionem : cap. 16. *Non negans enim*, inquit, *Filium & Spiritum, & substantiam Creatoris esse Christum ejus, concedas necesse est eos, qui Patrem non agnoverint, nec Filium agnoscere potuisse, per ejusdem substantiæ conditionem.*

Et lib. 4. contra Marcionem, cap. 25. observans Christum dicere, *Omnia sibi tradita à Patre* : hæc habet. *Credas si Creatoris est Christus cujus omnia, qui non minori se tradidit, omnia Filio Creator, quæ per eum condidit.* Christum itaque non esse minorem Patre essentiâ, censuit Tertullianus. Et lib. 5. cap. 20. explicans verba illa Apostoli ad Philippenses 2. *In effigie Dei constitutus, & figurâ inventus ut homo* : hæc habet: *Æquè non erit Christus verè, si nec homo verè fuit in effigie hominis constitutus,*

*stitutus. Utrobique enim veritas necesse habebit excludi, si effigies, & similitudo, & figura phantasmati vindicabitur. Quod si in effigie & imagine quâ Filius Patris verè Dei prædicatus est; etiam in effigie & imagine hominis quâ Filius hominis verè hominem inventum..... Sic & Deus inventus est per virtutem, sicut homo per carnem.* Sicut igitur Christus verè & substantialiter homo erat, ita verè & substantialiter Deus credendus est, ex Tertulliano.

III. Ex libro contra Praxeam, cap. 2. *Unicum quidem Deum credimus*, inquit, *sub hac tamen dispensatione, quam œconomiam dicimus, ut unici Dei sit & Filius, Sermo ipsius, qui ex ipso processerit, Per quem omnia facta sunt, & sine quo factum est nihil. Hunc missum à Patre in Virginem, & ex ea natum hominem & Deum, Filium hominis, & Filium Dei...... Qui exinde miserit, secundum promissionem suam, à Patre Spiritum Sanctum Paracletum, Sanctificatorem fidei eorum, qui credunt in Patrem, & Filium & Spiritum Sanctum. Hanc regulam ab initio Evangelii decucurrisse, etiam ante priores quosque Hæreticos, nedum ante Praxeam hesternum, probabit* [...] *ipsa posteritas omnium Hæreticorum, quàm ipsa novellitas Praxeæ hesterni.* Et infra, de proxima Hæresi hæc subjungit: *Se existimat meram veritatem possidere, dum unicum Deum non aliàs putat credendum, quam si ipsum eumdemque & Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum dicat: quasi non sic quoque unus sit omnia, dum ex uno omnia, per substantiæ scilicet unitatem; & nihilominus custodiatur œconomiæ Sacramentum, quæ unitatem in Trinitatem disponit, tres dirigens, Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum. Tres autem non statu, sed gradu, nec substantia, sed forma; nec potestate, sed specie: unius autem substantiæ, & unius status: & unius potestatis: quia unus Deus, ex quo & gradus isti, & formæ, & species, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti deputantur.*

Et cap. 3. *Numerum*, inquit, *& dispositionem Trinitatis, divisionem præsumunt unitatis: quando unitas ex semetipsa derivans Trinitatem, non destruatur ab illa, sed administretur. Itaque duos & tres jam jactitant à nobis prædicari, se verò unius Dei cultores præsumunt. Quasi non & unitas irrationaliter collecta Hæresim faciat, & Trinitas rationaliter expensa, veritatem constituat.* Et cap. 4. *Filium*, inquit, *non aliunde deduco, sed de substantia Patris.*

Et cap. 8. *Sermo ergo & in Patre semper, sicut dicit; Ego in Patre. Et apud Deum semper, sicut scriptum est; Et Sermo erat apud Deum: Et nunquam separatus à Patre, aut alius à Patre; quia, Ego & Pater unum sumus. Hæc erit probola veritatis, custos unitatis, quâ prolatum dicimus Filium à Patre, sed non separatum. Protulit enim Deus Sermonem, sicut radix fruticem, & fons fluvium, & Sol radium. Nam & istæ species probolæ sunt earum substantiarum, ex quibus prodeunt. Nec dubitaverim Filium dicere, & radicis fruticem, & fontis fluvium, & Solis radium; quia omnis origo parens est, & omne quod ex origine profertur, progenies est: multò magis Sermo Dei, qui etiam propriè nomen Filii accepit. Nec frutex tamen à radice, nec fluvius à fonte, nec radius à Sole discernitur, sicut nec à Deo Sermo. Igitur secundùm horum exemplorum formam profiteor me duos dicere Deum, & Sermonem ejus, Patrem & Filium ipsius. Nam & radix, & frutex duæ res sunt, sed conjunctæ. Et fons, & flumen duæ species sunt, sed indivisæ. Et Sol & radius duæ formæ sunt, sed cohærentes. Omne quod prodit ex aliquo, secundum sit ejus necesse est de quo prodit. Non ideo tamen est separatum. Secundus autem ubi est, duo sunt. Et tertius ubi est, tres sunt. Tertius enim est Spiritus à Deo, & Filio, sicut tertius à radice, fructus ex frutice; &* A *tertius à fonte, rivus ex flumine: & tertius à Sole, apex ex radio. Nihil tamen à matrice alienatur, à qua proprietates suas ducit. Ita Trinitas per consertos & connexos gradus à Patre decurrens, & Monarchiæ nihil obstrepit, & œconomiæ statum protegit.*

Et cap. 9. idem Fidei dogma sic explicat: *Hanc me regulam professum, quâ inseparatos ab alterutro, Patrem, & Filium, & Spiritum testor, tene ubique; & ita quid quomodo dicatur, agnosces. Ecce enim dico alium esse Patrem, & alium Filium, & alium Spiritum. Malè accipit Idiotes quisque aut perversus hoc dictum, quasi diversitatem sonet, & ex diversi-* B *tate separationem protendat, Patris, & Filii & Spiritus.*

Et cap. 11. *Sed & cætera utique idem fecit, qui & priora, id est Sermo Dei, per quem omnia facta sunt, & sine quo factum est nihil. Qui si ipse Deus est, secundùm Joannem, Deus erat Sermo: habes duos, alium dicentem ut fiat, alium facientem. Alium autem quomodo accipere debeas, jam professus sum; personæ, non substantiæ nomine; ad distinctionem, non ad divisionem. Cæterum etsi ubique teneam unam substantiam in tribus cohærentibus, tamen alium dicam oportet ex necessitate sensus, eum qui jubet, &* C *eum qui facit.*

Et cap. 13. *Nam & lucere in mundo Christianos oportebat, ut filios lucis, lumen mundi unum & Deum & Dominum colentes, & nominantes. Cæterùm si ex conscientia, quâ scimus Dei nomen & Domini, & Patri, & Filio, & Spiritui convenire, Deos & Dominos nominaremus, extinxissemus faces nostras, etiam ad Martyria timidiores, quibus evadendi quoque pateret occasio, jurantibus statim per Deos & Dominos, ut quidam Hæretici, quorum Dii plures. Itaque Deos omnino non dicam, nec Dominos; sed Apo-* D *stolum sequar, ut si pariter nominandi fuerint Pater & Filius, Deum Patrem appellem, & Jesum Christum Dominum nominem. Solum autem Christum potero Deum dicere, sicut idem Apostolus. Ex quibus Christus, qui est Deus super omnia benedictus in ævum omne. Nam & radium Solis seorsum Solem vocabo; Solem autem nominans, cujus est radius, non statim & radium Solem appellabo. Nam etsi Soles duos non faciam, tamen & Solem, & radium ejus, tam duas res, & duas species unius indivisæ substantiæ numerabo, quàm Deum, & Sermonem ejus, quàm Patrem & Filium.*

Et cap. 17. hæc habet: *Sed & nomina Patris,* E *Deus Omnipotens, Altissimus, Dominus virtutum, Rex Israelis, Qui est. Quatenus ita Scripturæ docent, hæc dicimus & in Filium competiisse, & in hus Filium venisse, & in his semper egisse: & sic ea in se hominibus manifestasse. Omnia*, inquit, *Patris mea sunt. Cur non & nomina? Cùm ergo legis Deum Omnipotentem, & Altissimum, & Deum virtutum, & Regem Israelis, & Qui est, vide ne per hæc Filius etiam demonstretur; suo jure Deus Omnipotens, quà Sermo Dei omnipotentis, quàque omnium accepit potestatem; Altissimus, quà dextrà Dei exaltatus; Dominus virtutum, quia omnia subjecta sunt illi à* F *Patre; Rex Israëlis, quia illi propriè excidit sors gentis istius; item Qui est, quoniam multi filii dicuntur, & non sunt..... Interim hic mihi promptum sit responsum adversus id quod de Apocalypsi Joannis proferunt; Ego Dominus, Qui est, & qui fuit, & venit omnipotens; & sicubi alibi Dei omnipotentis appellationem non putant etiam Filio convenire: quasi qui venturus est, non sit omnipotens: Cùm & Filius omnipotentis tam omnipotens sit, quàm Deus Dei Filius.*

Denique cap. 25. *Ita connexus Patris in Filio, & Filii in Paracleto, tres efficit cohærentes, alterum ex altero: qui tres unum sint, non unus: quomodo dictum est, Ego & Pater unum sumus; ad substantiæ unitatem,*

*unitatem, non ad numeri singularitatem.*

Et libro contra Judæos, cap. 7. *Christi regnum & nomen*, inquit, *ubique adoratur, omnibus Rex, omnibus Deus, & Dominus est.*

Et cap. 9. *Christus accepit spolia Samariæ ipsos Magos, qui cùm illum cognovissent, & muneribus honorassent quasi Deum & Regem, spolia facti sunt Samariæ.*

Et cap. 12. *Aspice universas nationes de voragine erroris humani exinde emergentes ad Dominum Deum creatorem, & ad Deum Christum ejus.*

Et libro de Præscriptionibus, cap. 3. *Credimus unum omnino Deum esse, nec alium præter mundi Conditorem, qui universa de nihilo produxerit per Verbum suum primò omnium emissum. Id Verbum Filium ejus appellatum, in nomine Dei variè visum Patriarchis, in Prophetis semper auditum, postremò delatum ex Spiritu Dei Patris & virtute in Virginem Mariam, carnem factum in utero ejus . . . misisse vicariam vim Spiritus Sancti, qui credentes agat.*

Et lib. de Carne Christi, cap. 3. *Non potes*, inquit, *dicere, Si natus fuisset, & hominem verè induisset, Deus esse desiisset: amittens quod erat, dum assumit quod non erat. Periculum enim status in Deo nullum est.*

Et cap. 6. *Utriusque substantiæ census hominem & Deum exhibuit. Hinc natum, inde non natum. Quæ proprietas conditionum divinæ & humanæ, æquâ utique naturæ veritate cujusque dispuncta est, eadem fide spiritus & carnis.*

Et cap. 14. *Infra Angelos diminutus dum homo fit. Quà autem Spiritus Dei, & virtus Altissimi, non potest infra Angelos haberi, Deus scilicet, & Dei Filius.*

Ex his omnibus constat, Tertullianum rectè sensisse de Filio Dei, eumque existimasse ejusdem cum Patre substantiæ, perfectionis, & divinitatis. Unde non est cur Sociniani Tertullianum suas in partes trahant, qui ipsorum errorem penitus profligavit.

Objicitur primò. Qui durationem infinitam ante mundi constitutionem præcessisse Filii generationem agnovit, & tunc Verbum divinum perfectionem consecutum suam, & speciem, quando dixit Deus, *Fiat lux*, hic non rectè sensit de Filio Dei, nec eum existimavit ejusdem esse perfectionis, divinitatis, & æternitatis cum Patre. Sed hæc propugnavit Tertullianus. Nemo igitur dixerit ipsum de Filio Dei rectè sensisse.

Probatur Minor ex libro contra Praxeam, cap. 5. ubi cùm præmisisset Filium esse à Patre persona distinctum, ex quorundam ratione, qui Genesim in Hebraico ita incipere dicebant; *In principio Deus fecit sibi Filium*: hujus infirmitatem argumenti sic ostendit: *Hoc ut firmum non sit, alia me argumenta deducunt, ab ipsa Dei dispositione, quâ fuit ante mundi constitutionem, ad usque Filii generationem. Ante omnia enim Deus erat solus, ipsi sibi & mundus, & locus & omnia.*

Et cap. 6. *Nam ut primùm*, inquit, *Deus voluit ea quæ cum Sophia ratione, & Sermone disposuerat intra se, in substantias & species suas edere, ipsum primum protulit Sermonem, habentem in se individuas suas, Rationem & Sophiam; ut per ipsum fierent universa, per quem erant cogitata, atque disposita, imò & facta jam, quantùm in Dei sensu.*

Et cap. 7. *Tunc igitur*, inquit, *etiam ipse Sermo speciem & ornatum suum sumit, sonum & vocem, cùm dicit Deus, Fiat lux. Hæc est nativitas perfecta Sermonis, dum ex Deo procedit*, &c.

Et cap. 12. *Sed & in antecedentibus operibus mundi quomodo scriptum est? Primùm quidem nondum Fi-* A *lio apparente: Et dixit Deus, fiat lux, & facta est: ipse statim Sermo lux vera quæ illuminat hominem venientem in hunc mundum, & per illum mundialis quoque lux. Exinde autem in Sermone Christo assistente, & administrante, Deus voluit fieri, & Deus fecit.*

Respondeo, distinguo Mioorem. Et hæc omnia dixit Tertullianus de Verbo & Filio externo, concedo. Et hæc dixit de Filio & Verbo interno, nego. Itaque Verbum divinum & Filium duplici respectu & ratione Tertullianus spectavit. Primò quà interiùs genitum est & prolatum à Patre, ut imago invisibilis substantiæ ipsius: & sic B coæternum est Patri; ejusdemque cum ipso perfectionis. Secundò quà exteriùs prolatum est in conditione creaturarum, ut divini significativum imperii, quo illas ex nihilo prodire jussit, & hac ratione tunc tantùm factum est & prolatum, cùm universitatem hanc mundi fabricare constituit Deus. Porro & Filius dicitur à Tertulliano prolatitium istud Verbum analogiâ quadam, quatenus Filium manifestat, per quem omnia facta sunt. Hanc distinctionem duplicis in Verbo divino respectus verba Tertulliani, ca[illegible]. libri contra Praxeam innuunt. *Hæc est*, inquit, *nativitas perfecta Sermonis, dum ex Deo procedit, conditus ab eo* C *primùm ad cogitatum in nomine Sophiæ: Dominus condidit me initium viarum.* Eo Verbum internum & à Patre genitum ab æterno. *Dehinc generatus ad effectum: Cum pararet cælum, aderam illi simul.* En Verbum externum, & prolatitium. Sed clariùs hanc doctrinam exponit cap. 6. ubi Sophiam, quâ Deus rationalis est, & quæ nihil aliud est quàm Filius ipse Dei, Patri coæternam esse ait; Sermonem verò, ut qui rationis divinæ sit fœtus, ipsa posteriorem esse, & tunc speciem, & ornatum suum sumpsisse, cùm dixit Deus, *Fiat lux.* Quemadmodum in homine, qui Dei imago est, quatenus rationalis, ratio prior est sermone, D cui vis inest rationis ipsius. Audire præstat disserentem ea de re Tertullianum, *Ante omnia enim*, inquit, *Deus erat solus, ipse sibi; & mundus, & locus, & omnia. Solus autem, quia nihil aliud extrinsecus præter ipsum. Cæterùm ne tunc quidem solus, habebat enim secum, quam habebat in semetipso, Rationem suam scilicet. Rationalis enim Deus, & ratio in ipso priùs, & ita, ab ipso omnia. Quæ ratio sensus ipsius est. Hanc Græci λόγον dicunt, quo vocabulo etiam Sermonem appellamus. Ideoque jam in usu est nostrorum, per simplicitatem interpretationis, Sermonem dicere apud Deum fuisse; cùm magis rationem competat antiquiorem haberi; quia non sermonalis à principio*, E *sed rationalis Deus etiam ante principium; & quia ipse quoque Sermo ratione consistens, priorem eam ut substantiam suam ostendat. Tamen & sic nihil interest. Nam etsi Deus nondum Sermonem suum miserat, proinde eum cum ipsa, & in ipsa ratione, intra semetipsum habebat, tacitè cogitando, & disponendo secum, quæ per Sermonem mox erat dicturus. Cum ratione enim sua cogitans, atque disponens, sermonem eam efficiebat, quam sermone tractabat.*

Contra. Qui par tantùm factus est Patri, cùm condidit mundum, non est ab æterno unus Deus cum Patre: Sed Tertullianus sensit Filium tunc F tantùm parem factum esse Patri, quando condidit mundum: ergo non sensit Filium unum esse Deum cum Patre, ipsique coæternum.

Probatur Minor ipsius Tertulliani verbis, cap. 7. *Exinde*, inquit, *eum parem sibi faciens, de quo procedendo, Filius factus est.*

Respondeo, distinguo Minorem: Sensit Filium tunc tantùm parem factum esse Patri, id est, parem demonstratum, concedo; id est, perfectiones consecutum quibus ipsi par evaderet, nego. Ibidem enim

Verbum

Verbum ante omnia genitum, & solum ex Deo genitum, propriè de vulva cordis paterni, cùm res aliæ genitæ non sint, sed creatæ, profitetur. *Exinde*, inquit, *eam parem sibi faciens, de quo procedendo, Filius factus est, primogenitus, ut ante omnia genitus; & unigenitus, ut solus ex Deo genitus propriè de vulva cordis ipsius, secundum quod & Pater ipse testatur: Eructavit cor meum sermonem optimum. Ad quem deinceps gaudens, proinde gaudentem in persona illius, Filius meus es tu, ego hodie genui te: &, Ante Luciferum genui te.*

Objicitur secundò. Qui portionem duntaxat substantiæ paternæ obtinet, & illarum partem perfectionum, quarum plenitudine gaudet Pater, non est unus Deus cum Patre: sed Tertullianus sensit Filium portionem duntaxat obtinere substantiæ divinæ. Ait enim lib. contra Praxeam, cap. 9. *Pater tota substantia est, Filius verò derivatio totius, & portio.* Et cap. 14. postquam dixit Filium esse alium persona à Patre, quia non potest idem esse invisibilis, & aspectabilem se præbere: Pater autem invisibilis est, Filius aspectabilem se exhibuit Patriarchis & Prophetis, sic concludit: *Consequens erit ut invisibilem Patrem intelligamus, pro plenitudine majestatis; visibilem verò Filium agnoscamus, pro modulo derivationis.* Tertullianus igitur sensit Filium non esse unius divinitatis cum Patre.

Respondeo; Nego Minorem, cujus probationem distinguo. Et Tertullianus his verbis duntaxat significavit Filium esse personam genitam, adeoque aliam à Patre, concedo. Et his verbis significavit Filium partem duntaxat obtinere divinæ substantiæ à Patre decerptam, nego. Cùm itaque constans fuerit Tertulliani sententia, naturam divinam esse impartibilem: quocirca lib. contra Hermogenem cap. 7. scripsit: *Divinitas autem gradum non habet, utpote unica.* Et cùm locis supra laudatis libri contra Praxeam, unam esse substantiam, unamque divinitatem Patris & Filii disertè asserat, & lib. insuper de Pudicitia, cap. 21. profiteatur *Trinitatem unius divinitatis, Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum*: Filium non vocavit portionem, & Patrem totam substantiam, quòd pars duntaxat divinæ substantiæ in Filium esset transfusa: sed quòd Pater sit fons & principium aliarum personarum, quo dignitas quædam & auctoritas significatur, propter quam Patres, etiam Ariana hæresi posteriores, Patrem esse majorem Filio dixerunt, & eo sensu exposuerunt illa Christi verba, *Pater major me est*, quæ de se ipso quatenus Dei Filius est, dixerit: ut Concilium Sardicense in Epistola Synodica apud Theodoretum lib. 2. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 8. Sanctus Athanasius lib. 2. contra Arianos pag. 181. Sanctus Basilius lib. 1. contra Eunomium pag. 35. Sanctus Gregorius Nazianzenus Oratione 5. 30. & 40. & (ut alios omittam) Sanctus Hilarius lib. 9. de Trinitate. Eum porro esse Tertulliani sensum constat ex serie loci in argumento laudati ex cap. 9. lib. contra Praxeam. *Necessitate autem hoc dico*, inquit, *cum eundem Patrem, & Filium, & Spiritum contendunt, adversùs œconomiam Monarchiæ adulantes: non tamen diversitate alium Filium à Patre, sed distributione; nec divisione alium, sed distinctione, quia non sit idem Pater & Filius, vel modulo alius ab alio. Pater enim tota substantia est, Filius verò derivatio totius & portio, sicut ipse profitetur, quia Pater major est. Sic & Pater alius à Filio, dum Filio major; dum alius qui generat, alius qui generatur; dum alius qui mittit, alius qui mittitur; dum alius qui facit, alius per quem fit.*

Contra. Qui non est invisibilis sicut Pater, non est unus Deus cum Patre. Siquidem, non habet dotes omnes, sine quibus stare vera divinitas non potest. Sed, ex Tertulliano, solus Pater est invisibilis, non verò Filius: ergo non est unus Deus cum Patre.

Probatur Minor, tum ex verbis in argumento præcedenti laudatis ex cap. 14. libri contra Praxeam: *Consequens erit ut invisibilem Patrem intelligamus pro plenitudine majestatis; visibilem vero Filium agnoscamus, pro modulo derivationis.* Tùm ex lib. 2. contra Marciooem, cap. 27. ubi pleniùs hanc doctrinam statuit his verbis: *Nam & profitemur Christum semper egisse in Dei Patris nomine; ipsum congressum cum Patriarchis & Prophetis, Filium Creatoris, Sermonem ejus, quem ex semetipso proferendo, Filium fecit; & exinde omni dispositioni suæ, voluntatique præfecit; diminuens illum modico citra Angelos, qua diminutione, in hæc quoque dispositus est à Patre, quæ ut humana reprehenditis, ediscens jam inde à primordio, jam inde hominem, quod erat futurus in fine. Ille est qui descendit; ille qui interrogat; ille qui postulat; ille qui jurat. Cæterùm Patrem nemini visum, etiam commune testabitur Evangelium, dicente Christo: Nemo cognovit Patrem, nisi Filius. Ipse enim & Veteri Testamento pronuntiarat: Deum nemo videbit, & vivet; Patrem invisibilem determinans, cujus auctoritate, & nomine ipse erat Deus, qui videbatur Dei Filius.*

Respondeo; distinguo Minorem. Solus Pater est invisibilis, ex Tertulliano, Filius verò visibilis, in forma assumpta, concedo. In forma Dei, nego. Patrem itaque invisibilem Tertullianus dixit, Filium verò visibilem; non quòd naturam Patris invisibilem, Filii verò visibilem agnosceret; sed quòd Patrem existimaret nunquam in forma corporea visum (quod videri hoc modo proprium censeret illius duntaxat personæ, quæ ab alia mitteretur) Filium autem sæpe sæpius aspectabilem se hominibus præbuisse, tam veteris tempore Testamenti, in corpore ad tempus assumpto, quàm Novi, in carne vera & passionibus obnoxia. Quod verò ait, *Filium visibilem pro modulo derivationis*, non est intelligendum de derivatione Filii à Patre per æternam generationem; sed de ipsius ad nos adventu per formæ visibilis assumptionem. Eam esse omnino Tertulliani sententiam constat, in libro contra Praxeam. Primò quia ejus unum illud erat institutum, probare contra Praxeanos, distinctas esse personas Patris, & Filii, quod ut evincat, inter multas alias rationes, hanc etiam adhibet, quòd Pater visus sit nusquam, Filius verò visus sit, etiam ante carnem assumptam; eadem autem persona esse non possit invisibilis, & visibilis. Ad vim autem istius rationis, satis erat, quòd Filius in corporibus ad tempus assumptis aspectabilem se Patriarchis & Prophetis præbuisset. Secundò, quia Filium invisibilem non secus ac Patrem profitetur, quà Deus est. *Dicimus enim*, inquit, *& Filium suo nomine eatenus invisibilem, quà Sermo, & Spiritus Dei, ex substantiæ conditione jam nunc, & quà Deus, & Sermo, & Spiritus: visibilem autem fuisse ante carnem, eo modo quo dicis* (Num. 12.) *ad Aaron & Mariam: Et si fuerit Propheta in vobis, in visione cognoscar illi, & in somnio loquar illi, non quomodo Moysi*, &c.

Et cap. 15. cùm ex Apostolo nonnulla eundem in scopum præmisisset, hæc subjungit: *Ostendit & ipse visibilem Dei Filium, id est, Sermonem Dei; quia qui caro factus est, Christus dictus est. De Patre autem ad Timotheum: Quem nemo vidit hominum, sed nec videre potest. Exaggerans ampliùs, Qui solus habet immortalitatem, & lucem habitat inaccessibilem. De quo & supra dixerat, Regi sæculorum immortali, invisibili, soli Deo: ut & contraria ipsi Filio adscriberemus, mortalitatem, accessibilitatem: quem mortuum contestatur secundum Scripturas, & à se novissimè visum, per accessibilem utique lucem. Quamquam & illam neque ipse sine periculo luminis expertus est;*

*neque Petrus, & Joannes, & Jacobus, sine rationis, & amentia; qui si non passuri Filii gloriam, sed Patrem vidissent, credo morituri ibidem. Deum enim nemo videbit & vivet. Si hac ita sunt, constat eum semper visum ab initio, qui visus fuerit in fine: & eum nec in fine visum, qui nec ab initio fuit visus, & ita duos esse, visum, & invisum. Filius ergo visus est semper, & Filius conversatus est semper, & Filius operatus est semper, ex auctoritate Patris, & voluntate.* Ex quibus constat, Tertullianum existimasse Filium æquè invisibilem esse ac Patrem, in forma Dei: aspectabilem autem factum vel in carne, vel in forma obiter assumpta ante Incarnationem, quà jam disceret inter homines conversari.

Idem est planè sensus celeberrimi contra Marcionem loci, qui in argumento laudatus est, ut ex antecedentibus, & consequentibus constat. Nam ipso statim initio capitis ait: *Deum non potuisse humanos congressus inire, nisi humanos & sensus, & affectus suscepisset, per quos vim majestatis sua, intolerabilem utique humana mediocritati, humilitate temperaret, sibi quidem indigna, homini autem necessaria; & ita jam Deo digna; quia nihil tam dignum Deo, quam salus hominis.* Et post verba in argumento laudata statim subjungit: *Igitur quacumque exigitis Deo digna, habebuntur in Patre invisibili, incongressibilique. & placido, &, ut ita dixerim, Philosophorum Deo. Quacumque autem ut indigna reprehenditis, deputabuntur in Filio, & viso, & audito, & congresso, arbitro Patris, & ministro miscente in semetipso hominem & Deum; in virtutibus Deum, in pusillitatibus hominem; ut tantùm homini conferat, quantum Deo detrahit: totum denique Dei mei penus vos doceo, sacramentum est humana salutis. Conversabatur Deus, ut homo divinè agere doceretur. Ex æquo agebat Deus cum homine, ut homo ex æquo agere cum Deo posset. Deus pusillus inventus est, ut homo maximus fieret.* Ex quibus evidens est, Tertullianum contendisse Filium visum esse duntaxat in carne, vel in forma ad tempus assumpta ante Incarnationem, ut se humanæ mediocritati attemperaret; invisibilem autem esse ratione divinitatis, non secus ac Patrem.

Contra. Nisi Tertullianus existimasset Filium visibilem, quà Deus est, non rectè probasset ipsum quà Deus est, esse personam à Patre distinctam. Respondere enim ipsi potuissent Praxeani, eandem personam visibilem esse in specie creata, invisibilem verò in sua essentia. Atqui Tertullianus legitimam intulit consequentiam, colligendo Filii distinctionem à Patre, ex ipsius visibilitate. Filium igitur visibilem esse, etiam quà Deus est, existimavit.

Respondeo; distinguo Majorem. Non rectè probasset, secundùm accuratas Philosophiæ leges, & rigorem, ut ita loquar, Philosophicum, Esto. Non enim Patrum rationes ad Philosophiæ regulas semper exiguntur; aut invictæ semper sunt, & inconcussæ. Non rectè probasset, supposita veritate principii, quo nititur ejus ratiocinatio, nego. Principium autem illud est, *Patrem nunquam esse visum*; ex quo sequitur Filium in illis Veteris Testamenti apparitionibus (ut Tertullianus quidem putat) visum esse. Ex quo colligit esse à Patre distinctum. Sed ut istud principium firmum non est, ita nec accurata omnino & invicta Tertulliani argumentatio.

Objicitur tertiò. Fuit tempus quando Filius non erat (secundùm Tertullianum) ergo non existimavit Filium esse coæternum Patri.

Probatur antecedens. Filius esse non potest absque Patre, & ante Patrem: Sed Deus non fuit

A Pater ab æterno: ergo nec Filius ab æterno fuit.

Probatur minor. Non fuit Deus Pater antequam Judex: sed ab æterno non fuit Judex: igitur nec Pater.

Probatur minor. Judex non fuit ante delictum: ab æterno delictum non fuit: ergo ab æterno Deus Judex non fuit.

Omnes illæ Propositiones sunt Tertulliani, libro contra Hermogenem: *Quia*, inquit, *& Pater Deus est, & Judex Deus est; non tamen ideo Pater & Judex semper, quia Deus semper. Nam nec Pater potuit esse ante Filium, nec Judex ante deli-* B *ctum. Fuit autem tempus, cùm & delictum, & Filius non fuit, quod Judicem, & qui Patrem Dominum faceret.*

Respondeo, nego primum antecedens. Ad cujus probationem, distinguo minorem. Non fuit Pater ab æterno, respectu creaturarum, concedo; respectu Filii unigeniti, nego. Eum esse Tertulliani sensum, constat ex ejus instituto, & ex serie capitis. Contendebat Hermogenes Deum ab æterno fuisse Dominum, adeòque aliquid fuisse retro semper, cujus Dominus haberetur. Et inde colligebat materiam esse Deo coæternam. Hanc ratiunculam C ut refellat Tertullianus, duplicis rationis distinguit nomina Deo attributa; alia scilicet essentiæ, alia potestatis. Priora semper fuisse ait, sicut & ipsam Dei substantiam: posteriora tantùm ipsi convenire cœpisse in tempore: quando nimirum esse cœperunt, in quæ divina potestas ageret: Talia esse nomina Domini, Patris, & Judicis. Cùm itaque potestatem non exerceat Deus nisi in res creatas, sequitur non fuisse illum ab æterno Dominum, & Patrem, & Judicem: Patrem, inquam, creaturarum, qua ratione ait Moyses: *Nunquid non ipse est Pater tuus, qui possedit te, & fecit, & creavit te?* D Quibus consonum est quod Sanctus Thomas probat, I. P. Q. 13. Art. 7. *Nomina quæ relationem ad creaturas important. dici de Deo ex tempore.* Quod etiam ex Sancto Augustino confirmat lib. 5. de Trinitate cap. 16. Id constat etiam ex toto loci in argumento laudati contextu. *Dei nomen*, inquit, *dicimus semper fuisse apud semetipsum, & in semetipso: Dominum verò non semper: diversa enim utriusque conditio. Deus substantia ipsius nomen, id est divinitatis: Dominus verò non substantia, sed potestatis: Substantiam semper fuisse cum suo nomine, quod est Deus, postea Dominus, accedentis scilicet rei mentio.* E *Nam ex quo esse cœperunt, in quæ potestas Domini ageret, ex ille per accessionem potestatis, & factus, & dictus est Dominus. Quia & Pater Deus est, & Judex Deus est. Non tamen ideo Pater, & Judex semper; quia Deus semper. Nam nec Pater potuit esse ante Filium, nec Judex ante delictum. Fuit autem tempus cùm delictum, & Filius non fuit, quod Judicem, & qui Patrem Dominum faceret. Sic & Dominus non ante ea quorum Dominus existeret, sed Dominus tantùm futurus quandoque, sicut Pater per Filium, sicut Judex per delictum; ita & Dominus per ea quæ sibi servitura fecisset.* Cæterùm Filium unigenitum Dei semper fuisse, sensit Tertullianus (ut F constat laudatis ex locis libri contra Praxeam) Cap. enim 5. hæc habet: *Ante omnia Deus erat solus ipse sibi & mundus, & locus, & omnia. Solus autem, quia nihil aliud extrinsecùs præter ipsum. Cæterùm ne tunc quidem solus: habebat enim secum, quam habebat in semetipso: Rationem suam scilicet.*

Et cap. 8. *Sermo ergo & in Patre semper, sicut dicit, Ego in Patre. Et apud Deum semper, sicut scriptum est, Et Sermo erat apud Deum: & nunquam separatus à Patre, aut alius à Patre: quia, Ego & Pater unum sumus.*

Contra. Qui censet materiam, si coæterna

fit,

sit, præponendam Filio ut quid antiquius, ut quid generosius, ut quid fortius & validius, is Filium agnoscit non esse coæternum Patri; sed Tertullianus, libro contra Hermogenem, cap. 18. censet materiam præponendam Filio ut quid antiquius, fortius, & generosius, si Deo coæterna sit: ergo cognoscit Filium non esse Patri coæternum.

Respondeo, distinguo majorem: Si censeat materiam præponendam Filio, ea duntaxat ratione quòd Deo coæterna sit, concedo. Si propterea præponendam censeat, quòd ingenita sit & infecta, nego. Porro Tertullianus ait, materiam in hypothesi Hermogenis fore Filio præponendam ut quid antiquius, generosius, & validius, quia ipsa nullum principium originis haberet, sed esset innata, & infecta: Filius autem natus est ex Patre, & ipsum originis principium suæ agnoscit. En locum integrum Tertulliani, ex quo mens ipsius clariùs elucescet: *Agnoscat ergo Hermogenes idcirco etiam Sophiam Dei natam & conditam prædicari, ne quid innatum, & inconditum, præter solum Deum crederemus. Si enim intra Dominum, quod ex ipso, & in ipso fuit, sine initio non fuit: Sophia scilicet ipsius exinde nata, & condita, ex quo in sensu Dei ad opera mundi disponenda cœpit agitari: multò magis non capit sine initio quidquam fuisse, quod extra Dominum fuerit. Si verò Sophia eadem Dei Sermo est, quale est ut Filio Dei, Sermone unigenito & primogenito, aliquid fuerit præter Patrem antiquius: & hoc modo utique generosius, nedum quod innatum nato fortius, & quod infectum facto validius? Quia quod ut esset, nullius eguit Authoris, multò sublimius erit eo quod ut esset aliquem habet Authorem. Proinde si malum quidem innatum est, natus autem Sermo Dei; Eructavit enim*, inquit, *Sermonem optimum, non scio an bono malum possit adduci validius ab infirmo, ut innatum à nato. Ita & hoc nomine materiam Deo præponit Hermogenes, præponendo eam Filio. Filius enim Sermo, & Deus Sermo; &, Ego & Pater unum sumus.* Cùm igitur ex eo probet Tertullianus Hermogenem præponere materiam Deo, quia præponit eam Filio, existimavit Filium verum Deum esse, & unum cum Patre.

## SCHOLION.

Religiosi Censores in suo Indiculo hanc mihi Propositionem affingunt ceu ex hoc Articulo exceptam: *Verbum carnem seu corpus assumsit ad tempus in Veteri Testamento.*

R. Hæc Propositio mea non est, neque id dixi, aut sensi, sed, *Tertullianum contendisse, Filium Dei visum esse in carne, vel in forma alter & ad tempus assumtá ante incarnationem*, &c. Quòd *Tertullianus* sensit & scripsit, imputari mihi non debet.

## ARTICULUS IV.

*Utrum Author libri De Trinitate, qui extat ad calcem Tertullianicorum Operum in multis Editionibus, sit Tertulliani: & Catholicam de adoranda Trinitate doctrinam contineat?*

## PROPOSITIO I.

*Adscriptus olim Tertulliano Liber de Trinitate, non est Tertulliani, sed Novatiani.*

NOn esse Tertulliani, probat styli dissimilitudo, qui Tertullianico paulò nitidior & facilior est. 2. Quod cap. 6. disertè neget Deum esse corpus; quod Tertullianus ita evidenter non negavit, imò verbis tenus asseruisse visus est, ita ut Eruditorum plurimi eum hoc in errore fuisse existimaverunt. Nec solùm Author ipsius libri Deum esse corpus inficiatur, sed totum caput 6. in hujus probatione veritatis expendit. 3. Quia caput 12. Sabellianæ hæreseos meminit, quæ longè post Tertulliani tempora exorta est. *Si venisse ajunt*, inquit, *omnipotentem Deum Patrem, jam per istos Sabelliana hæresis sacrilega corporatur.*

Quod verò Liber ille Novatianum Authorem habeat, suadet Sancti Hieronymi auctoritas in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum cap. 81. ubi inter Novatiani Opera recenset, *De Trinitate grande volumen quasi Epitomen Operis Tertulliani faciens: quod plerique nescientes, Cypriani existimant.* Et lib. . Apologiæ contra Ruffinum, pag. 514. col. 2. *Transit*, inquit Ruffinus, *ad inclytum Martyrem Cyprianum, & dicis Tertulliani librum, cui titulus est, De Trinitate, sub nomine ejus Constantinopoli à Macedonianæ partis hæreticis lectitari. In quo crimine mentitur duo. Nam nec Tertulliani Liber est, nec Cypriani dicitur, sed Novatiani, cujus & inscribitur titulo: & Authoris eloquium styli proprietas demonstrat.*

## PROPOSITIO II.

*Novatiani Liber de Trinitate, Catholicam de adorando illo Mysterio doctrinam continet.*

Probatur. Substantia Catholicæ Fidei de Trinitate in eo posita est ut tres personas in unius Deitatis essentia profiteamur: atqui hanc professionem disertè adstruit Novatiani Liber: ergo Catholicam continet de Trinitate doctrinam.

Probatur minor. Primo namque capite de Persona Patris ita scribit: *Regula exigit veritatis, ut primò omnium credamus in Deum Patrem, & Dominum omnipotentem, id est, rerum omnium perfectissimum Conditorem*, &c. Et postquam septem primis capitibus Dei perfectiones universas Catholicè in primis, Theologicè, & disertè exposuit, sic concludit 8. capite: *Hunc ergo omissis Hæreticorum fabulis atque figmentis, Deum novit & veneratur Ecclesia, cui testimonium reddit tam invisibilium, quàm etiam visibilium, & semper, & tota natura.* De Filio verò Dei cap. 9. ita scribit: *Eadem regula veritatis docet nos credere, post Patrem, etiam in Filium Dei Christum Jesum Dominum Deum nostrum, sed Dei Filium, hujus Dei qui unus & solus est.*

Capite verò undecimo ejus divinitatem luculentè probat: *Verùm*, inquit, *ne ex hoc quod Dominum nostrum Jesum Christum Dei Creatoris Filium, in substantia veri corporis exhibitum asserimus, aliis Hæreticis hoc in loco hominem tantùm & solum defendentibus, atque adeò hominem illum nudum & solitarium probare cupientibus, aut manus dedisse, aut loquendi materiam commodasse videamur: non sic de substantia corporis ipsius exprimimus, ut solum tantùm hominem illum esse dicamus, sed ut divinitate Sermonis in ipsa concretione permixta, etiam Deum illum, secundùm Scripturas esse teneamus. Est enim periculum grande Salvatorem generis humani, totius Dominum, & Principem mundi, cui à suo Patre omnia tradita sunt, & cuncta concessa; per quem instituta sunt universa, creata sunt tota, digesta sunt cuncta, ævorum omnium & temporum Regem, Angelorum omnium Principem, ante quem nihil præter Patrem, hominem tantummodo dicere, & auctoritatem illi divinam in his abnegare. Hæc enim contumelia Hæreticorum ad ipsum quoque Deum Patrem redundabit, si Deus Pater Filium generare non potuit. . . . . . Si probatio ex infirmitatibus Christi illuc proficit ut homo ex infirmitatibus comprobetur: probatio divinitatis in illo collecta ex virtutibus illuc proficiet,*

*ut etiam Deus ex operibus asseratur. Si enim passiones ostendunt in illo humanam fragilitatem, cur opera non asserant in illo divinam potestatem?*

Et infrà: *Ut enim præscripsit ipsa natura hominem credendum esse qui ex homine sit, ita eadem natura præscribit & Deum credendum esse qui ex Deo sit: ne si non & Deus fuerit, cùm ex Deo sit, jam nec homo sit, licet ex homine fuerit. Qui legunt ergo hominis Filium Hominem Christum Jesum, legant hunc eundem & Deum, & Dei Filium nuncupatum. Nam quomodo quà homo ex Abraham, sic est etiam quà Deus, ante ipsum Abraham. Et quomodo quà homo Filius David, ita Dominus David, quà Deus, nuncupatus est. Et quomodo quà homo sub lege factus est, ita quà Deus, Sabbati Dominus expressus est. Et quomodo quà homo sententiam patitur; sic omnis quà Deus, de vivis & mortuis habere judicium reperitur. Et quomodo post mundum, quà homo nascitur, sic ante mundum quà Deus fuisse perhibetur. Et quomodo ex semine David, quà homo genitus est, sic per ipsum quà Deum, mundus dicitur institutus. Et quomodo quà homo post multos; sic quà Deus, ante omnes. Et quomodo cæteris, quà homo, inferior; sic omnibus, quà Deus, major.*

Et cap. 13. *Quòd si*, inquit, *cùm nullius sit nisi Dei, cordis nosse secreta, Christus secreta conspicit cordis: quòd si, cùm nullius sit nisi Dei, peccata dimittere, idem Christus peccata dimittit: quòd si, cùm nullius sit hominis de cœlo venire, de cœlo veniendo descendit: quòd si, cùm nullius hominis hæc vox esse possit, Ego & Pater unum sumus, hanc vocem de conscientia divinitatis Christus solus edicit: quòd si postremò, omnibus divinitatis Christi probationibus & rebus instructus Apostolus Thomas, respondens Christo, Dominus meus, & Deus meus dicit: quòd si & Apostolus Paulus: Quorum*, inquit, *Patres, & ex quibus Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula: quòd si idem se Apostolum Non ab hominibus, aut per hominem, sed per Jesum Christum constitutum esse depromit: quòd si idem Evangelium. Non se ab hominibus, aut per hominem, sed per ipsum Jesum Christum accepisse contendit, meritò Deus est Christus.*

Et cap. 14. idem luculentiùs adhuc & evidentiùs probat. *Et tamen*, inquit, *adhuc dubitat Hæreticus Christum dicere esse Deum, quem Deum tot & rebus animadvertit, & vocibus approbatum. Si homo tantummodo Christus, quomodo veniens in hunc mundum, in sua venit, cùm homo nullum fecerit mundum? Si homo tantummodo Christus, quomodo mundus per ipsum factus esse refertur, cùm non per hominem mundus, sed post mundum homo institutus referatur? Si homo tantummodo Christus: quomodo non ex semine tantùm David Christus: sed Verbum caro factum est, & habitavit in nobis? Si homo tantummodo Christus, quomodo qui de cœlo venit, quæ vidit & audit testificatur, cùm constet hominem de cœlo, quia ibi nasci non possit, venire non posse? Si homo tantummodo Christus, quomodo visibilia, & invisibilia, Throni, Virtutes, & Dominationes, per ipsum, & in ipso creata esse referuntur, cùm Virtutes cælestes per hominem fieri non potuerint, quæ ante hominem ipsum esse debuerint? Si homo tantummodo Christus, quomodo adest ubique invocatus, cùm hæc hominis natura non sit, sed Dei, ut adesse omni loco possit? Si homo tantummodo Christus, cur homo in Orationibus Mediator invocatur, cùm invocatio hominis ad præstandam salutem inefficax judicetur? Si homo tantummodo Christus, cur spes in illum ponitur, cùm spes in homine maledicta referatur? Si homo tantummodo Christus; cur non licet Christum sine exitio animæ negari, cùm in hominem commissum delictum referatur posse dimitti? Si homo tantummodo Christus, quomodo Joannes Baptista testatur, & dicit, Qui post me venit, ante me factus est, quia prior me fuit? Cum si homo tantummodo Christus, post Joannem natus, ante Joannem esse non possit, nisi quoniam illum, quà Deus est, antè præcessit. Si homo tantummodo Christus, quomodo quæ Pater facit, & Filius similiter facit, cum homo cælestibus operibus Dei similia opera facere non possit? Si homo tantummodo Christus, quomodo sicut Pater in se vitam habet, ita dedit Filio vitam habere in semetipso, cum exemplo Patris Dei homo in se vitam habere non possit; cùm non in æternitate sit gloriosus, sed in materia mortalitatis effectus? Si homo tantummodo Christus, quomodo refert, Ego sum panis vitæ æternæ, qui de cœlo descendi: cùm neque panis vitæ homo esse possit ipse mortalis, nec de cœlo descenderit, nulla in cœlo constituta materia fragilitatis? Si homo tantummodo Christus, quomodo dicit, Quia Patrem Deum nemo vidit unquam nisi qui est a Deo, hic vidit Deum? Quoniam si homo tantummodo Christus Deum videre non potuit, quia Deum nemo hominum vidit. Si autem, dum ex Deo est, Deum vidit, plus se quàm hominem, dum Deum vidit, intelligi voluit. Si homo tantummodo Christus, cur dicit: Quid si videritis Filium Hominis ascendentem illuc ubi ante erat? Ascendit autem in cœlum: ibi ergo fuit, dum illuc redit, ubi priùs fuit.*

Denique de Spiritu Sancto hæc habet cap. 29. *Sed enim ordo rationis, & fidei auctoritas, digestis vocibus & literis Domini, admonet nos post hæc credere etiam in Spiritum Sanctum olim Ecclesiæ repromissum, sed statutis temporum opportunitatibus redditum.* Et post multa subjungit, illum sanctitatis effectorem in nobis esse: *Qui id agens in nobis, ad æternitatem, & ad resurrectionem corpora nostra producat, dum illa in se assuefacit cum cælesti virtute misceri, & cum Spiritus Sancti divina æternitate sociari.*

Objicitur primò. Qui Filium scripsit Patris imperio & voluntati obedientem fuisse, atque subjectum, etiam ante carnis assumptionem, & quatenus erat ex Patre, Catholicè non sensit de Filio Dei: sed Novatianus scripsit Filium Patris imperio & voluntati obedientem fuisse, atque subjectum, etiam ante carnis assumptionem, & quatenus erat ex Patre. Catholicè igitur non sensit de Filio Dei.

Probatur Minor ex cap. 17. ubi exponens hunc locum Apostoli ad Philippenses 2. *Quamvis in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo*; hæc habet: *Quamvis enim se ex Deo Patre Deum esse meminisset, nunquam se Deo Patri aut comparavit, aut contulit, memor se esse ex suo Patre, & hoc ipsum quod est habere se, quia Pater dedisset. Inde denique & ante carnis assumptionem; sed & post assumptionem corporis, post ipsam præterea Resurrectionem, omnem Patri in omnibus rebus obedientiam præstitit pariter ac præstat. Ex quo probatur nunquam arbitratum illum esse rapinam quamdam divinitatem, ut æquaret se Patri Deo. Quinimo contrà omni ipsius imperio & voluntati obediens, atque subjectus, ut formam servi susciperet, contentus fuit.*

Respondeo, distinguo Majorem: Si nomen imperii & obedientiæ, propriè acceperit, concedo: si impropriè illas voces usurpaverit, nego. Porro Novatianus cùm scripsit Filium Patris imperio & voluntati, ante Incarnationem, obedientem fuisse, imperii & obedientiæ nomina in proprio naturalique sensu non accepit, sed prout imperium auctoritatem principii, seu dignitatem originis significat in Patre, obedientia verò & subjectio significant originem, & emanationem in Filio, qui idipsum quod Deus est non habet, nisi prout ex Patre genitus. Quapropter

propter Dei Filius nunquam se Deo Patri comparavit, in ratione scilicet primi Principii omnium emanationum, & personarum divinarum, *Memor se esse ex suo Patre, & hoc ipsum quod est habere se, quia Pater dedisset.*

Quòd autem ibi obedientiæ, imperiique nomen impropriè usurpaverit Novatianus, constat ex verbis immediatè antecedentibus, quibus Filium omnium Deum & Dominum, sicut Patrem, profitetur: quæ notio cum obedientiæ & servitutis propriè dictæ notione conjungi non potest ab homine sanæ mentis. En ejus verba: *Si homo tantummodo Christus, in Imagine Dei, non in forma Dei velatus fuisset. Hominem enim scimus ad Imaginem, non ad formam Dei factum .... Et meritò in forma pronuntiatus est Dei; dum & ipse super omnia, & omnis creaturæ divinam obtinens potestatem, & Deus exemplo Patris: hoc ipsum tamen à Patre proprio consecutus, ut omnium & Deus esset, & Dominus esset, & Deus ad formam Dei Patris ex ipso genitus, atque prolatus. Hic ergo quamvis in forma esset Dei, non est rapinam arbitratus esse se æqualem Deo.*

Respondeo secundò, Christum ante carnis assumptionem obedientiam præstitisse Patri, non actu, sed in præparatione; quia divino consilio decretum fuerat, ut Filius Dei nostram assumeret naturam, in eaque fieret obediens Patri usque ad mortem. Hanc autem obedientiam in natura assumpta exhibendam, cùm acceptam habuisset Dei Filius, atque in divina Prædestinatione dixisset: *In capite libri scriptum est de me ut faciam voluntatem tuam: Deus meus volui, Holocausta, & pro peccato non postulasti; tunc dixi, Ecce venio:* Non absurdè Novatianus dixit eo sensu, Filium Dei ante carnis assumptionem, obedientiam Patri præstitisse. Hunc sensum nonne sequentia immediatè illius Auctoris verba præ se ferunt, & obedientiam illam paterno imperio restringunt ad Verbi Incarnati statum, in quo se exinanivit, à Deitate non excidens, in qua erat idem cum Patre? *Omni,* inquit, *ipsius imperio & voluntati obediens, atque subjectus, ut formam servi susciperet contentus fuit: hoc est hominem illum fieri, & substantiam carnis & corporis, quam paternorum, & secundum hominem delictorum servitute venientem, nascendo susceperit. Quo tempore se etiam exinanivit, dum humanam conditionis fragilitatem suscipere non recusavit. Quoniam si homo tantummodo natus fuisset; per hoc exinanitus non esset: homo enim nascens augetur, non exinanitur. Ac si Christus exinanitur in eo quod nascitur, formam servi accipiendo: quomodo homo tantummodo est? De quo veriùs dictum fuisset, locupletatum illum esse tunc cùm nasceretur, non exinanitum, nisi quoniam auctoritas divini Verbi ad suscipiendum hominem interim conquiescens, nec se suis viribus exercens, dejicit se ad tempus, atque deponit, dum hominem fert, quem suscepit. Exinanivit se, dum ad injurias contumeliasque descendit, dum audit infanda, experitur indigna: cujus tamen humilitatis adest statim egregius fructus. Accepit enim nomen, quod utique non aliud intelligimus esse, quàm nomen Dei. Nam cùm Dei sit solius esse super omnia, consequens est ut nomen illud sit super omne, quod est ejus qui super omnia est, Dei. Neque enim si non & Deus esset Christus, omne se in nomine ejus genu flecteret, &c. Ex quo dum in forma Dei esse Christus dicitur, & dum in Nativitatem secundum carnem se exinanivisse monstratur: & dum id accepisse nomen à Patre, quod sit super omne nomen exprimitur: & dum in nomine ejus omne genu se flectere & curvare monstratur: & hoc ipsum in gloriam Dei Patris succurrere asseritur, consequenter non ex illo tantum homo est, quia obediens Patri factus est usque ad mortem; sed ex his etiam rebus superioribus, divinitatem Christi sonantibus, Christus Jesus & Deus, quod Hæretici nolunt, esse monstratur.*

Objicitur secundò. Qui exponit illa verba Christi, Joann. 10. *Ego & Pater unum sumus*, de unitate concordiæ, non verò de unitate essentiæ, Catholicam de Trinitate doctrinam non tenet: sed illa verba sic explicat Novatianus: Ergo non sensit Catholicè de Trinitate, & de divinitate Verbi.

Probatur Minor ipsius verbis cap. 22. *Unum autem quod ait, ad concordiam, & eandem sententiam, & ad ipsam charitatis societatem pertinet, ut meritò unum sit Pater & Filius per concordiam, & per amorem, & per dilectionem.... Denique novit hanc concordiæ unitatem & Apostolus Paulus, cum personarum tamen distinctione. Nam cùm ad Corinthios scriberet* (1. Cor. 3.) *Ego*, inquit, *plantavi, Apollo rigavit, sed Deus incrementum dedit. Itaque neque qui plantat, est quidquam, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus. Qui autem plantat, & qui rigat, unum sunt. v. Nam quando duorum una sententia est, veritas una est, fides una est, una atque eadem religio est, unus etium Dei timor est, unum sunt, etiamsi duo sint: ipsum sunt, dum ipsum sapiunt. Etenim quos personæ ratio ab invicem dividit; eosdem rursus invicem religionis ratio conducit. Et quamvis idem atque ipsi non sint; dum idem sentiunt, ipsum unum sunt. Et cùm duo sunt, unum sunt, habentes in fide societatem, etiamsi gerant in personis diversitatem.*

Respondeo, distinguo Majorem. Si ita exponat illa verba de unitate concordiæ, ut excludat unitatem essentiæ, concedo: Si illam non excludat, nego. Porro Novatianus sic illa verba: *Ego & Pater unum sumus*, explicat de unitate concordiæ, ut illa intelligi non neget de unitate essentiæ. Ut enim illa de priori duntaxat unitate explicaret hoc in capite, postulabat ejus institutum. Siquidem refellebat Sabellianos, qui ex hoc loco unam esse Patris, Filiique personam colligebant. Cùm autem unitas concordiæ magis probaret personarum distinctionem, quàm unitas essentiæ, & de utraque unitate divinum illud intelligeretur Oraculum, Novatianus priorem sensum accipit ut instituto magis convenienti suo; de posteriori verò silet impræsentiarum. Nec tamen excludit unitatem essentiæ, quàm antea tam disertè professus fuerat, ut probationes nostræ ostendunt. Hunc autem esse Novatiani sensum, hocque ipsius consilium, constat ex initio capitis laudati. *Sed quia*, inquit, *frequenter intendunt illum nobis locum, quo dictum sit, Ego & Pater unum sumus: & in hoc illos æquè facilè vincemus. Si enim erat, ut Hæretici putant, Pater Christus, oportuit dicere, Ego & Pater unus sum. At cùm, Ego, dicit; deinde Patrem infert dicendo, Ego & Pater, proprietatem personæ suæ, id est Filii, à paterna auctoritate discernit, atque distinguit, non tantummodo de sono nominis, sed etiam de ordine dispositæ potestatis. Qui potuisset dicere, Ego Pater, si Patrem se esse meminisset. Et quia dixit, Unum, intelligant Hæretici quia non dixit, Unus. Unum enim naturaliter positum, societatis concordiam, non unitatem personæ sonat. Denique adjicit dicens, Sumus, non sum, ut ostenderet, per hoc quod dixit, Sumus, & Pater, duas esse personas.*

Objicitur tertiò. Qui negat Filium invisibilem esse, incomprehensibilem, & parem Patri in cæteris divinitatis dotibus, non sentit Catholicè de Filio Dei: sed Novatianus negavit Filium Dei invisibilem esse, incomprehensibilem, & parem Patri in cæteris dotibus divinitatis: non sensit igitur Catholicè de Filio Dei.

Probatur Minor ex cap. 31. libri de Trinitate:

*Si invisibilis cum invisibili fuisset collatus, par expressus duos invisibiles ostendisset, & ideo duos comprobasset Deos. Si incomprehensibilis, si & cætera quæcumque sunt Patris; meritò dicimus, duorum Deorum, quam isti confingunt, controversiam suscitasset.* Deinde ipsum divinitatem precariò accepisse innuit, his verbis: *Subjectis enim ei quasi Filio omnibus rebus à Patre, dum ipse cum his quæ illi subjecta sunt, Patri suo subjicitur, Patris quidem sui Filius esse probatur; cæterorum autem & Dominus, & Deus esse perhibetur. Ex quo dum huic, qui est Deus, omnia substrata traduntur; & cuncta sibi subjecta Filius accepta fert Patri, totam divinitatis auctoritatem rursus Patri remittit; unus Deus ostenditur verus, & æternus Pater; à quo solo hæc vis divinitatis emissa in Filium etiam tradita, & directa rursum per substantiæ communionem ad Patrem revolvitur. Deus quidem ostenditur Filius, cui divinitas tradita & porrecta conspicitur, & tamen nihilominus unus Deus Pater probatur; dum gradatim reciproco meatu, illa majestas, atque divinitas ad Patrem, qui dederat eam, rursum ab illo ipso Filio missa revertitur, & retorquetur.*

Respondeo, distinguo Majorem. Si neget absolutè & simpliciter Filium esse invisibilem, incomprehensibilem, & parem Patri, concedo. Si neget esse invisibilem & incomprehensibilem, quia invisibilem, incomprehensamque naturam à se non habet, sed à Patre communicatam; & parem non esse Patri asserat in ratione ingeniti, primique principii divinarum emanationum, nego. Porro Novatianus non negat absolutè & simpliciter Filium esse invisibilem, incomprehensibilem, & in cæteris divinitatis dotibus parem Patri: sed tantùm inficiatur has illum dotes habere ex Patre non derivatas, & absque origine: alioqui contendit fore duos ingenitos, consequenter & duos Deos. Enimverò si secunda Sanctissimæ Trinitatis persona ἀνωθεος esset, & ingenita, non esset ejusdem cum prima divinitatis. Alter itaque Deus esset. Cæterùm Novatianus disertè astruit ibidem Filii divinitatem, & coæqualitatem Patri. Id constat ex verbis antecedentibus, quæ ejus etiam institutum demonstrant. Sic enim habet initio capitis: *Est ergo Deus Pater omnium institutor, & Creator, solus originem nesciens, invisibilis, immensus, immortalis, æternus, unus Deus . . . . Ex quo, quando ipse voluit, sermo Filius natus est, qui non in sono percussi aëris, aut tono coactæ de visceribus vocis accipitur, sed in substantia prolatæ à Deo virtutis agnoscitur: cujus sacræ & divinæ nativitatis arcana nec Apostolus didicit, nec Prophetes comperit, nec Angelus scivit, nec creatura cognovit: Filio soli nota sunt, qui Patris secreta cognovit. Hic ergo cùm sit genitus à Patre, semper est in Patre. Semper autem sic dico, ut non innatum, sed natum probem. Sed qui ante omne tempus est, semper in Patre fuisse dicendus est. Nec enim tempus illi assignari potest, qui ante tempus est. Semper enim in Patre, ne Pater non semper sit Pater: quia & Pater illum etiam quadam ratione præcedit, quòd necesse est quodammodo prior sit quà Pater sit. Quoniam aliquo pacto antecedat necesse est eum qui habet originem, ille qui originem nescit.... Hic ergo, quando Pater voluit,* ( voluntate scilicet quam Theologi nostri concomitantem vocant ) *processit ex Patre: & qui in Patre fuit; processit ex Patre: & qui in Patre fuit, quia ex Patre fuit, cum Patre postmodum fuit, quia ex Patre processit, substantia scilicet illa divina, cujus nomen est Verbum, per quod facta sunt omnia, & sine quo factum est nihil. Omnia enim post ipsum sunt, quia per ipsum sunt. Et meritò ipse est ante omnia, quando per illum facta sunt omnia, qui processit ex eo cujus voluntate facta sunt omnia. Deus utique procedens ex Deo, secundam Personam efficiens, sed non eripiens illud Patri quòd unus Deus est. Si enim natus non fuisset, innatus comparatus cum eo qui esset innatus, æquatione in utroque ostensâ, duos faceret innatos: & ideo duos faceret Deos . . . , Si sine origine esset, ut Pater, inventus; & ipse Principium omnium* ( tam ad intrà, quàm ad extrà, ut Theologi de Schola loquuntur ) *ut Pater, duo faciens principia, duos ostendisset nobis consequenter & Deos. Aut si & ipse Filius non esset, sed Pater generans de se alterum filium, meritò collatus cum Patre, & tantus denotatus, duos Patres effecisset, & ideo duos approbasset etiam Deos. Si invisibilis fuisset cum invisibili collatus, par expressus, duos invisibiles ostendisset; & ideo duos comprobasset & Deos. Si incomprehensibilis, si & cætera quæcumque sunt Patris; meritò dicimus, duorum Deorum, quam isti confingunt, conversiam suscitasset. Nunc autem quicquid est, non ex se est, quia nec innatus est, sed ex Patre est, quia genitus est, sive dum Verbum est, sive dum virtus est, sive dum sapientia est, sive dum lux est, sive dum Filius est, & quicquid horum est, dum non aliunde est quàm ex Patre, Patri suo originem suam debens, discordiam divinitatis de numero duorum Deorum facere non potuit, qui ex illo, qui est unus Deus, originem nascendo contraxit. Quo genere dum & Unigenitus est & Primogenitus ex illo est qui originem non habet; unus est omnium rerum & principium, & caput. Idcirco unum Deum asseruit, quem non sub ullo principio, aut initio, sed initium potiùs & principium rerum omnium comprobavit.*

Objicitur quartò. Qui sentit Spiritum Sanctum non esse Deum, Catholicam de Trinitate doctrinam non tenet: sed Novatianus sensit Spiritum Sanctum non esse Deum, idque passim innuit in suo de Trinitate libro. Iste igitur liber Catholicam de Trinitate doctrinam non continet.

Probatur Minor, tum ex capite 7. ubi istud statuit principium: *Omnis Spiritus creatura est*: tum ex capite 24. ubi Paracletum Christo minorem disertè asserit. *Nec Paracletus à Christo acciperet*, inquit, *nisi minor Christo esset. Minor autem Christo Paracletus, Christum etiam Deum esse hoc ipso probat, à quo accepit quæ nuntiat, ut testimonium Christi divinitatis grande sit, dum minor Christo Paracletus repertus, ab illo sumit, quæ cæteris tradit.* Denique cap. 29. ubi de Spiritu Sancto agit, cùm de ipso multa præclarè scripserit, nusquam illi Dei nomen detulit.

Respondeo, nego Minorem. Ad probationem respondeo, Novatianum asserere omnem spiritum creaturam esse, spectatâ notione spiritûs ut primùm nostris mentibus occurrit, prout à rebus creatis desumpta est, & à viventium halitu ac respiratione translata ad Deum existimari potest: vel prout cœlestes etiam intelligentias significat. Unde contendit ille Auctor, Dei Majestatem satis dignè exprimi non posse nomine Spiritus, sicut nec qualibet alia voce. Sed non negat Spiritum Sanctum esse Deum, nec ipsum creaturam esse asserit: nec omnem spiritum creaturam esse, si omne illud spectetur ad quod significandum spiritûs nomen translatum est. Hunc esse Novatiani sensum constat ex verbis antecedentibus: *Sed illud*, inquit, *quod dicit Dominus, Spiritum Deum, puto ego sic locutum Christum de Patre, ut adhuc aliquid plus intelligi velit, quàm Spiritum Deum. Hominibus enim, licet in Evangelio suo intelligendi incrementa facientibus disputet, sed tamen & ipse sic adhuc de Deo loquitur hominibus, quomodo possunt adhuc audire, vel capere: invenimus enim scriptum esse quòd Deus charitas dictus sit: nec ex hoc tamen Dei substantia charitas expressa est: & quòd lux dictus est, nec tamen in hoc substantia Dei, sed totum hoc de Deo dictum est,*

quantùm

*quantum dici potest: ut meritò & quando Spiritus dictus est, non omne id quod est, dictus sit; sed ut dum usus hominem intelligendo usque ad ipsum proficit Spiritum, conversa jam ipsa in spiritu, aliud quid amplius per Spiritum conjicere Deum esse possit. Id enim quod est, secundum id quod est, nec humano sermone edici, nec humanis auribus percipi, nec humanis sensibus colligi potest.*

Paracletum porro minorem Christo scripsit Novatianus, habita ratione originis, ac principii, quia procedit à Filio; non verò habita ratione Majestatis & perfectionis. Quæ locutio quàm sana sit, & Catholica, constat ex Sancto Athanasio, Oratione 2. contra Arianos, pag. 174. ubi eundem loquendi modum usurpat. Exponens enim illa Christi verba: *Quicunque dixerit verbum contra Filium Hominis, remittetur ei; qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei:* hæc habet. *Ejusmodi ergo Judæis tanquam homo loquebatur Dominus: Discipulis verò Divinitatem & Majestatem suam indicans, non jam minorem se Spiritu, sed majorem & æqualem esse significans, Spiritum dabat, & dicebat: Accipite Spiritum Sanctum; & ego ipsum mitto: & ille me clarificabit.* Non absimili sensu Sanctus Basilius Epistola 43. quam ad fratrem suum Gregorium Nyssenum dedit de Differentia substantiæ, & hypostasis, Spiritum Sanctum à Filio dependere asserit: *Quoniam igitur*, inquit, *Spiritus Sanctus à quo velut ex fonte, bonorum omnium in creatas res largitas emanat, à Filio quidem dependet, quo cum sine ulla distantia mente comprehenditur; ex Patre verò, ut principio, suspensum habet esse, unde & procedit; hanc proprietatis, quæ est secundum hypostasim, notam obtinet, ut post Filium, & cum ipso dignoscatur.*

Denique etsi Dei nomen palam apertèque non tribuerit Spiritui Sancto Novatianus, ea tamen ipsi tribuit, quæ nonnisi vero Deo conveniant; scilicet quòd in ipsum fidei auctoritas credere admoneat, & divinam æternitatem. Sed enim primis Ecclesiæ sæculis, ante Concilium Constantinopolitanum primum, adeo explicata non erat de Spiritus Sancti divinitate fides. Imò Sanctus Basilius œconomiæ pacisque gratia, appellatione Dei, cùm de Spiritu Sancto ageret, aliquando prudenter abstinuit, rem ipsam, quæ caput erat fidei, verbis æquivalentibus professus. Qua de re Sanctus Gregorius Nazianzenus in Oratione illius funebri ipsum laudat. Quid mirum igitur si Novatianus Spiritum Sanctum apertè Deum non nominet, cùm ea ipsi tribuat, quæ divinitatis unius propria sunt? Quid mirum, inquam, si ab hoc vocabulo abstineat, quod nec à Macedonianis exigendum esse scripsit Sanctus Basilius (Epistola 203. & 204. ad Tarsenses Presbyteros) modò Spiritum Sanctum creaturam esse negarent, quando ad Catholicas partes transibant? Nihil igitur ex hujus suppressione nominis contra Novatiani Orthodoxiam circa Mysterium Trinitatis colligi potest. Certè errorem in Spiritus Sancti divinitatem Novatiano, aut Novatianis, Veterum nemo affinxit: & ab isto errore immunes ipsos fuisse testatur Innocentius Pontifex Maximus Epistola 22. quæ est ad Episcopos Macedoniæ, cap. 5. ubi exponens cur Nicæna Synodus Paulianistas ad Ecclesiam redeuntes baptizari jusserit, Novatianos verò accepta manuum impositione, Ecclesiæ reconciliari, imò & ad Clerum admitti: Rationem affert discriminis inter istos Hæreticos à Patribus constituti, *Quod Paulianistæ in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti minimè baptizabant: & Novatiani iisdem tremendis venerandisque nominibus baptizant: nec apud istos de unitate potestatis divinæ, hoc est Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, quæstio aliquando mota est. Et idem omnibus segregatis, hæc sola electa est, cui istud crederent concedendum, quia nihil in Patris, & Filii, & Spiritus Sancti Sacramento peccarent.*

Idem colligitur ex Sancto Cypriano, Epistola 76. ad Magnum data, in qua fatetur Novatianos in fide Trinitatis cum Ecclesia Catholica convenire. *Quòd si*, inquit, *aliquis illud opponit, ut dicat, eandem Novatianum legem tenere, quam Catholica Ecclesia tenent: eodem Symbolo, quo & nos, baptizare, eundem nosse Deum Patrem, eundem Filium Christum, eundem Spiritum Sanctum, ac propter hoc usurpare eum potestatem baptizandi posse, quod videatur in interrogatione Baptismi à nobis non discrepare: sciat quisquis hoc opponendum putat, primùm non esse unam nobis, & Schismaticis Symboli legem, neque eandem interrogationem. Nam cùm dicunt: Credis remissionem peccatorum & vitam æternam per sanctam Ecclesiam? Mentiuntur in interrogatione, quando non habeant Ecclesiam. Tunc deinde voce sua ipsi confitentur remissionem peccatorum non dari nisi per sanctam Ecclesiam posse, quam non habentes, ostendunt remitti illic peccata non posse. Quod verò eundem, quem & nos Deum Patrem, eundem Filium Christum, eundem Spiritum Sanctum nosse dicuntur, nec hoc adjuvare tales potest.*

His omnibus addi non improbabiliter omnino posset, Novatiani librum de Trinitate à Macedonianis depravatum fuisse, qui illum sub Sancti Cypriani nomine ad erroris confirmationem sui obtrudebant (ut testatur Ruffinus in Apologia sua pro Origene.) Cui licet non assentiar in eo quòd hoc Opus Tertulliani esse scribit, in quo ipsi adversatur Sanctus Hieronymus: cum illo tamen non dissentio, in eo quòd ipsum à Pneumatomachis interpolatum suspicatur.

## ARTICULUS V.

### *De sententia Tertulliani circa Eucharistiæ Sacramentum.*

### Ad illa verba lib. 4. contra Marcionem cap. 40.

*Acceptum Panem, & distributum Discipulis, Corpus illum suum fecit, Hoc est Corpus meum, dicendo, id est, figura Corporis mei.*

CAlviniani qui realem Corporis Christi in Eucharistia præsentiam impugnant, hunc Tertulliani locum ostentant ambitiosiùs, velut suo faventem errori: unde illius expositionem hic tradere operæ pretium est; Africanique Doctoris circa Sacramentum Eucharistiæ fidem vindicare à Sacramentariorum injuria.

Hunc, de quo agimus, locum doctissimus Cardinalis Perronius, aliique Theologi Polemici ita intelligendum censent, ut verba illa (*id est, figura Corporis mei*) non ad prædicatum, quod est *Corpus*, sed ad subjectum, quod est pronomen *Hoc*, referantur: Quod quidem Panis demonstrativum est, non manentis, sed in substantiam Corporis Christi transeuntis. Unde hæc verba: *Hoc est Corpus meum, id est, figura Corporis mei*, per hyperbaton à Tertulliano dicta esse contendunt, cujus hic est sensus: *Hoc quod erat figura Corporis mei, modò est Corpus meum.* Sicut cùm idem Tertullianus libro contra Praxeam cap. 29. ait: *Christus mortuus est: id est unctus; τὸ unctus*, non refertur ad prædicatum, sed ad subjectum, hicque sensus resultat: *Christus, id est unctus, mortuus est.* Sic & lib. 4. contra Marcionem, cap. 11. per hyperbaton ait: *Aperiam in parabolam os meum, id est, similitudinem.*

*militudinem.* Ubi similitudo non ad aurem, sed ad parabolam refertur.

Hunc esse Tertulliani eo in loco sensum, demonstrat ejus scopus 4. contra Marcionem libro. Convincere nimirum intendit Marcionitas asserentes, Legem à malo Deo, seu à Principe tenebrarum datam; ad hoc autem venisse Christum Optimi Dei Filium, ut ipsam penitus abrogaret. Quamobrem contra ipsos probat Tertullianus, Christum non venisse ut Legem solveret, sed ut adimpleret, umbram transferendo in corpus, & figuram in veritatem. Id ex eo maximè probat, quòd Christus in Novo Testamento id suum efficit Corpus, quod in Veteri Testamento erat figura Corporis sui: *Acceptum panem, & distributum, Corpus suum fecit, dicendo; Hoc est Corpus meum, id est, figura Corporis mei.* Unde subjungit: *Figura autem non fuisset: nisi veritatis esset Corpus. Cæterùm vacua res, quod est phantasma, figuram capere non posset.* Ubi evidens est *to figura*, de Eucharistia non intelligi, siquidem cum verbo præteriti temporis construitur. Namque si de Eucharistia intelligeretur, dixisset, *Figura autem non esset.* Loquitur ergo de figura Veteris Testamenti, quæ certè vera non fuisset, nisi verum ipsi corpus in Novo Testamento responderet.

Verùm quia Marcion reponebat, non ideo Christum panem Corpus suum fecisse, ut veterem figuram adimpleret, qua nimium Corpus suum in veteri lege signatum erat; sed panem Corpus suum fecisse, quia verum Corpus non habebat, illumque sibi propterea in Corpus adoptasse: sic eum urget Tertullianus: *Aut si propterea panem Corpus sibi finxit, quia Corporis carebat veritate: ergo panem debuit tradere pro nobis. Faciebat ad vanitatem Marcionis ut panis crucifigeretur.* Quibus verbis significat, ex Marcionis errore sequi panem fuisse pro nobis crucifixum, si Christus illum in Corpus assumpsit, & adoptavit. Explosa Marcionis responsione, excipit adversùs ipsum Tertullianus, illum non intellexisse quòd panis in Lege veteri figura fuit Corporis Christi dicentis per Jeremiam: *Adversùs me cogitaverunt cogitatum, dicentes, Venite conjiciamus lignum in panem ejus, id est, Crucem in Corpus ejus,* ut Tertullianus exponit. *Itaque,* inquit, *Illuminator antiquitatum, quid tunc voluerit significasse panem satis declaravit, Corpus suum vocans panem.* Et paulò post addit: sicut per Hieremiam Corpus Christi in pane præfiguratum est; sic Gen. 49. per vinum præfiguratum esse Sanguinem Christi in benedictione Judæ: *Lavabit,* inquit, *in vino stolam suam, & in sanguine uvæ amictum suum.* Ubi *stolam & amictum carnem demonstrat, & vinum Sanguinem,* inquit Tertullianus, *ita & nunc Sanguinem suum in vino consecravit, qui tunc vinum in sanguine figuravit.* Ex quibus splendescit, verum Tertulliani eo in loco sensum esse, vinum, quod in veteri Lege figura erat Sanguinis Christi, nunc, id est, in nova Lege, consecratione fieri Sanguinem Christi; & panem qui in veteri Lege figura erat Corporis Christi, in nova lege fieri revera Corpus Christi, ut umbra in Corpus, & figura in veritatem transiret. Panem itaque figuram Corporis Christi Tertullianus dixit, non Evangelicam, sed Legalem.

Alio sensu non minùs naturali & commodo laudata Tertulliani verba exponi possunt: ut scilicet Sacramentum Eucharistiæ inadæquatè spectatum, secundùm externam duntaxat sui partem, quæ sensibus obvia est, non adæquatè, secundùm id etiam quod in eo internum est, præcipuum, & invisibile, figuram Corporis Christi vocaverit, non inanem & vacuam; sed plenam: plenam, inquam, non sola Corporis Christi virtute & efficacia (ut

A Calviniani fingunt) sed ipsa Corporis Christi veritate, cujus proinde Eucharistia figura est, præsentis, non absentis. Unde eodem sensu figuræ nomen Tertullianus usurpavit, quo Sacramenti nomen accepimus, cùm Eucharistiam Corporis & Sanguinis Christi Sacramentum esse dicimus; & quo concedimus ipsam, ea ratione qua Sacramentum est, id est, secundùm externam speciem, quæ corporis oculis obversatur, Corpus & Sanguinem Christi non esse. Quod Auctor Tractatus qui inscribitur, *Gemma Animæ*, cap. 106. Hugo Victorinus in Speculo, Stephanus Æduensis Tractatu de B Sacramento Altaris, Sanctus Anselmus Tractatu de Corpore & Sanguine Domini, fatentur, omnesque Scholastici admittunt. Quòd autem Tertullianus nomine figuræ intellexerit Sacramentum Corporis Christi præsentis, & re ipsa & substantialiter sub speciebus contenti, alia ejus loca ostendunt; scilicet quod ait lib. de Resurrectione Carnis: *Caro Corpore & Sanguine Christi vescitur, ut anima de Deo saginetur:* Lib. de Oratione cap. 6. *Corpus ejus in pane censetur.* Et cap. 14. *Accepto Corpore Domini, & reservato, utrumque salvum est, & participatio Sacrificii, & executio officii.* Lib. de Pudicitia cap. 9. *Opimitate Dominici Corporis* C *vescitur:* Eucharistia scilicet. Libro de Idololatria cap. 7. *Alleguntur in Ordinem Ecclesiasticum Artifices Idolorum. Proh Scelus! semel Judæi Christo manus intulerunt, isti quotidie corpus ejus lacessunt. O manus præcidendæ!*

Objiciunt Calviniani, Tertullianum libro 1. contra Marcionem cap. 14. scripsisse de Christo: *Pane ipsum corpus suum repræsentat:* Proindeque sensisse panem Eucharisticum esse meram & inanem figuram Corporis Christi.

Respondeo hoc in verbo, *repræsentare*, latere D æquivocationem: idem enim est ac rem aliquam præsentem facere, sive re ipsa, sive in signo tantùm sit præsens. Unde repræsentare pecuniam quis dicitur, id est, præsentem numerare. Et oramus in Missa pro Defunctis, ut *Archangelus Michael repræsentet animas in lucem sanctam*, id est, ut Deo sistat, & re ipsa præsentes exhibeat. Et ipse Tertullianus hoc sensu repræsentandi verbum sæpius usurpavit. Lib. de Oratione cap. 5. ait, Nos in Oratione Dominica *Regni Dominici repræsentationem postulare*, id est, adventum & præsentiam regni cælestis. Et libro de Resurrectione carnis, cap. 14. E ait, *Plenitudinem perfectionemque judicii, nonnisi de totius hominis repræsentatione constare*; id est, totius hominis exhibitione & præsentia. Et libro 4. contra Marcionem, cap. 22. ait Deum Patrem repræsentasse Filium, quem promiserat, in Monte Thabor. *Itaque jam repræsentans eum, Hic est Filius meus, utique subauditur, quem repromisi.* Ubi certum est, repræsentare idem esse, ac præsentem facere & exhibere. Non enim dici potest Christum Apostolis repræsentatum esse à Patre in imagine & figura, sed re ipsa & in veritate. Unde subjungit: *Si enim repromisis aliquando, & postea dicis: Hic est, ejus est exhibentis voce uti in demonstratione promissi qui aliquando promisit.* Cùm igitur hæ propo- F sitiones simillimæ sint, *Hic est Filius meus* &, *Hoc Corpus meum:* sicut Pater æternus dicendo, *Hic est Filius meus*, repræsentavit, id est, re ipsa præsentem exhibuit Filium suum: sic Christus dicendo: *Hoc est Corpus meum*, Corpus suum in pane repræsentavit, id est, re ipsa præsens exhibuit sub specie panis.

ARTICULUS

## ARTICULUS VI.

*De Baptismi solemnis tempore,*

### Ad illa verba Tertulliani, libro de Baptismo, cap. 19.

*Diem Baptismo solemniorem Pascha præstat… Exinde Pentecoste ordinandis Lavacris latissimum spatium est.*

HAc de Quæstione acriùs inter se disceptarunt B viri doctissimi Launoius, & P. Nicolai celebris inter Eruditos memoriæ. Hic duo tantùm tempora pro solenni Baptismo conferendo fuisse olim constituta contendit, scilicet Pascha & Pentecosten: ille & in Natali Domini, & in Epiphania, & in Nativitate Sancti Joannis Baptistæ conferri solitum quibusdam in Ecclesiis propugnat. Utriusque sententia ex parte vera est. Nam & communior Ecclesiæ Disciplina, cui & Sancti Patres, & Canones attestantur, Paschatis tantùm & Pentecostes dies Baptismo solenni constituit: & quarumdam nihilominus Ecclesiarum usus Epipha- C niæ, Natalis Domini, & Præcursoris dies adjunxit.

Baptismi solemnis tempus Pascha & Pentecoste, secundum antiquam Disciplinam.

Primam partem hujus assertionis probat iste, quo de agimus, Tertulliani locus. *Diem*, inquit, *Baptismo solenniorem Pascha præstat, cùm & Passio Domini, in quam tinguimur, adimpleta est: nec incongruenter quis ad figuram interpretabitur, quòd cum ultimum Pascha Dominus esset acturus, missis Discipulis ad præparandum: Invenietis*, inquit, *hominem aquam bajulantem. Pascha celebrandi locum de signo aquæ ostendit. Exinde Pentecoste ordinandis Lava-* D *cris latissimum spatium est, quo & Domini Resurrectio in discipulos frequentata est, & gratia Spiritus Sancti dedicata, & spes adventus Domini subostensa …. Cæterum omnis dies Domini est: omnis hora, omne tempus habile Baptismo: si de solennitate interest, de gratia nihil refert.*

Accedunt Sanctus Basilius Magnus in Exhortatione ad Baptismum, Sanctus Gregorius Nyssenus in Epistola Canonica ad Letoïum Melitinensem Episcopum, qui Paschatis, quoad solemnem Baptismi administrationem meminerunt. Sanctus Chrysostomus Sermone 36. idem jus Pentecosti vindicat. Sanctus Hieronymus Epistola 61. ad Pammachium E data, Solemnitatis utriusque meminit.

Secundò id constat ex Epistola Siricii Romani Pontificis ad Himerium Taraconensem Episcopum cap. II. ubi usum administrandi Baptismi solennis extra tempora Paschatis & Pentecostes, vocat *improbabilem & emendandam confusionem*: aitque eos, qui passim in Natali Christi, Epiphania, & Festivitatibus Apostolorum ac Martyrum, Baptismum ritu solenni conferebant, *Non ratione auctoritatis alicujus, sed sola temeritate id præsumere: cùm*, inquit, *hoc privilegium sibi & apud nos, & apud omnes Ecclesias Dominicum specialiter cum Pentecoste sua Pascha defendat: quibus solis per annum diebus,* F *ad fidem confluentibus generalia baptismatis tradi convenit Sacramenta.* Excipit subinde naufragii discrimen, hostilitatis incursum, obsidionis ambiguum, vel cujuslibet ægritudinis corporalis desperationem. Denique sic concludit: *Nunc præfatam regulam omnes teneant Sacerdotes, qui nolunt ab Apostolica Petra, supra quam Christus universalem construxit Ecclesiam, soliditate divelli.*

Tertiò idem constat ex Sancto Leone Epistola 4. vel 16. secundùm novissimam Editionem, ad Episcopos per Siciliam constitutos, ubi scribit eos, quod

A in die Epiphaniæ solemnem Baptismum conferrent, *Ab Apostolicæ Institutionis consuetudine discrepare.* Solos Paschatis & Pentecostes dies *Baptizandis in Ecclesia Electis, secundùm Apostolicam regulam præscriptos*: Paschatis quidem, ut in renascentibus & mors Christi operetur, & vita, dicente Apostolo: *Quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus.* Unde notat Christum Apostolis suis formam & auctoritatem baptizandi post Resurrectionem tantùm suam contulisse, ut gratiam regenerationis ex sua Resurrectione cœpisse innueret. Pentecosten verò solenni baptismatis administrationi præfixam, quia Spiritus Sancti adven- B tu consecrata est. Tandem ita concludit. *His itaque, Fratres, tot tantisque existentibus documentis, quibus, omni ambiguitate submota, evidenter agnoscitis in baptizandis Electis duo tempora, id est, Pascha & Pentecostem esse servanda, hoc vestræ indicimus Caritati, ut ab Apostolicis Institutis nullo ulterius recedatis excessu: quia inultum post hac esse non poterit, si quisquam Apostolicas regulas in aliquo crediderit negligendas.* Idem constat ex Epistola 70. ejusdem Sancti Pontificis; ex Decreto Gelasii I. in Epistola ad Episcopos Lucaniæ, cap. 10. ex Epistola 4. Gregorii II. ad Plebem cui Bonifacius ordina- C tus fuerat Episcopus; ex Sancto Gregorio Turonensi, lib. 5. Historiæ Francorum, cap. 11. ubi Judæos à Beato Avito Episcopo Arverni, cùm in Paschate, tùm in Pentecoste, baptizatos commemorat. Et lib. 6. cap. 27. ubi Theodoricum Chilperici Regis filium die sancto Paschatis baptizatum Parisiis scribit, & à Ragnomodo ejusdem urbis Episcopo è sacro Fonte susceptum. Et libro 8. cap. 4. narrat Childebertum die sancto Paschatis fuisse baptizatum.

Id confirmatur ex Fortunato Pictaviensi Episco- D po, libro 3. Metro 3. ubi Paschalem Baptismum, & lib. 5. Metro 4. ubi Baptismum solemnem Pentecostes commendat.

Quartò. Idem compertum est ex Conciliis, Matisconensi II. Canone 3. quod infantes ipsos, nisi imminente vitæ periculo, extra legitimum Baptismi diem, id est, extra Pascha, in Natalitiis Martyrum prohibet baptizari: ex Autissiodorensi, Canone 18. ex Meldensi, Canone 48. ex Rotomagensi, anno 1072. intercedente, ne *In vigilia, vel in die Epiphania, nullus nisi infirmitatis necessitate baptizetur.* Quod idem ex Caroli Magni, & Ludovici Pii Capitularibus confirmatur, libro 5. Num. E 104. & lib. 6. Num. 178. Idem à Londiniensi in Anglia Concilio anno 1237. statutum est. Idem in Germania Synodus Wormatiensis, anno 868. Moguntina anno 813. Canone 3. Triburiensis, anno 895. cap. 12. sanxerunt.

Secunda Pars Assertionis, scilicet quòd aliis etiam diebus supra indicatis Baptismus, secundùm privatos aliquarum Ecclesiarum mores ritu solenni conferretur, constat ex Sancto Gregorio Nazianzeno Oratione XXXIX. in Sancta Lumina. *Tempus*, inquit, *regenerationis est; renascamur desuper: Tempus restaurationis, primum Adam deponamus: Christus illuminatur, simul fulgeamus: Christus baptiza-* F *tur, descendamus cum eo, & unà cum eo ascendamus*, & Oratione XL. *Excusas te*, inquit, *excusationes in peccatis obtendis: Diem Luminum expecto: Pascha mihi charius est: ad Pentecosten usque præstolabor: cum Christo mihi melius est illuminari.* Et infrà: *Non tantùm te demittes, quantùm Christus cui hodie baptizaris.* Et infrà: *Confessionem in Patrem & Filium & Spiritum Sanctum hodierno die tibi committo, & cum illa te baptizabo.* Ex quibus perspicuum est Baptismum solennem in Ecclesia Orientali, die sacro Epiphaniæ administrari solitum. Idem probat Majoris Aquæ Benedictæ solenniori ritu

Baptismus solemnis in Epiphaniæ festo in quibusdam Ecclesiis olim collatus.

Baptiſmo apud Orientalem Eccleſiam perficiendo deſtinatæ benedictio & conſecratio die Epiphaniæ facta, de qua Sanctus Chryſoſtomus Oratione de Baptiſmo Chriſti, & Euchologium à Goartio noſtro editum pag. 453. Lege eruditas ejuſdem Patris Goar Notas. Præterea Rex Herulorum Getis, vel Gethes, cum Proceribus, & Senatoribus ſuis Conſtantinopoli baptizatus eſt die Epiphaniæ, & ab Imperatore Juſtiniano, quo cum fœdus iniit, è ſacro fonte ſuſceptus, ut Paulus Diaconus lib. 16. Hiſtoriæ ad annum Chriſti 520. & Theophanes in Chronico teſtantur.

Id confirmat Joannes Moſchus in Prato Spirituali, cap. 214. referens quòd in Somba vico, ad radices montis, in quo ſita eſt Coënnenſium civitas, baptiſterium eſt, quod in Sanctis Theophaniis ſudat: qui ſudor per tres horas continuis incrementis augetur; & poſt baptiſma peractum, decreſcere incipit, & tribus aliis horis ſenſim deficit. Ergo ſolemnis Baptiſmi in Epiphaniæ feſto adminiſtrandi ritus fuit etiam miraculis comprobatus. Huic denique Orientalis Eccleſiæ conſuetudini Rupertus Abbas lib. 12. de Victoria Verbi Dei, cap. 21. atteſtatur.

Africanam pariter Eccleſiam die Epiphaniæ Baptiſmum ſolemnem adminiſtraſſe, conſtat ex facto Sancti Eugenii Carthaginenſis Epiſcopi, qui Baptiſmum ea in Feſtivitate pro more adminiſtrans, cæcum quemdam nomine Felicem illuminavit; teſte Victore Vitenſi, lib. 2. de Perſecutione Wandalica.

Eccleſia Gallicana in Natali Domini, & Sancti Joannis Baptiſtæ ſolennem olim adminiſtravit Baptiſmum. Clodoveus Regum Chriſtianiſſimorum primus in Feſto Nativitatis Dominicæ baptizatus eſt, ut teſtatur Avitus Viennenſis Epiſcopus in Epiſtola ad ipſum data. Perperam enim ad Baptiſmi votum ea die à Clodoveo emiſſum, Aviti teſtimonium aliqui detorquent: quem de Baptiſmo re ipſa ſuſcepto à Rege loqui, verba illius perſpicuè oſtendunt. *Occiduis*, inquit, *partibus in Rege non novo novi jubaris lumen effulgurat. Cujus ſplendorem congruè Redemptoris noſtri Nativitas inchoavit: ut conſequenter eo die ad ſalutem regenerari ex unda vos pateat, quo natum redemptioni ſuæ cœli Dominum mundus accepit. Igitur qui celeber eſt Natalis Domini, ſit & veſtri: quo vos ſcilicet Chriſto, quo Chriſtus ortus eſt mundo, in quo vos animam Deo, vitam præſentibus, famam poſteris conſecraſtis. Quid jam de ipſa glorioſiſſima Regenerationis veſtræ ſolennitate dicatur? Cujus miniſteriis etſi corporaliter non acceſſi, gaudiorum tamen communione non defui. Quandoquidem hoc quoque regionibus noſtris divina pietas gratulationis adjecit, ut ante Baptiſmum veſtrum ad nos ſublimiſſimæ humilitatis nuntius perveniret. Unde nos poſt hanc expectationem jam ſecuros veſtri ſacra nox reperit. Conferebamus namque, nobiſcumque tractabamus, quale eſſet illud, cum adunatorum numerus Pontificum, manus ſancti ambitione ſervitii membra Regia undis vitalibus confoveret: Cum ſe Dei ſervis inflecteret timendum gentibus caput: Cum ſub caſſide crines nutritos ſalutaris galea ſacræ unctionis indueret: Cum intermiſſo tegmine loricarum, immaculati artus ſimili veſtium candore fulgerent.*

P. Nicolas.

Baptiſmus ſolemnis in Natali Domini, & Sancti Joannis Baptiſtæ in Eccleſia Gallicana olim collatus.

Nec verò Avito qui coævus fuit Clodoveo, ad quem nuntium de ſuo Baptiſmate miſit Clodoveus, qui ad Regem recèns baptizatum ſcripſit, eique de ſua converſione & regeneratione gratulatus eſt, vel Fredegarii Scholaſtici, qui ducentis & ampliùs annis poſt Clodovei Baptiſmum ſcripſit ipſum in Paſchate Baptiſmi gratiam fuiſſe conſecutum, anteponi debet auctoritas, vel Hincmari, qui annis trecentis quinquaginta junior eſt Avito, pariter ſcribentis magnum illum Regem fuiſſe in Paſchate baptizatum: vel denique Flodoardi lib. 1. Hiſtoriæ cap. 13. teſtimonium.

Eundem Eccleſiæ Gallicanæ morem probat celebre miraculum apud Ebredunenſem Eccleſiam in baptiſmali fonte, die Natali Domini, quotannis renovari ſolitum: de quo Gregorius Turonenſis lib. de Gloria Confeſſorum, cap. 69. ita ſcribit: *Habet Ebredunenſis urbs patronum proprium Marcellinum Antiſtitem, per quem, dum adhuc in corpore moraretur, multa Chriſtus miracula operatus eſt. Hic enim feciſſe dicitur lavacrum, ad baptizandum, in quo in Natali die Domini, & Dominicæ Cœna, aqua dicitur divinitus exoriri. De quo etiam ad aliud lavacrum, in quo priſca conſuetudo baptizari inſtituit, aqua defertur.* Nec obſtat quòd Ado in Martyrologio ad XII. Calendas Maii, hoc miraculum in Paſchalis Feſti Pervigiliis fieri referat: quia & in Natali Domini fieri non negat, quod Gregorius Turonenſis tunc contigiſſe literis prodidit.

Denique in Natali Sancti Joannis Baptiſtæ conferri ſolitum antiquitus in Eccleſia Gallicana ſolennem Baptiſmum, ſicut & in Natali Domini, Gregorius etiam Turonenſis teſtis eſt lib. 8. Hiſtoriæ Francorum, cap. 9. ubi de Gunthramno Rege ita ſcribit: *Poſt hæc Rex Pariſius venit, & coram omnibus loqui cœpit, dicens: Germanus meus Chilpericus moriens dicitur filium reliquiſſe; cujus Nutritores Matre deprecante petierunt ut eum de Sancto lavacro in Dominici Natalis Solennitate deberem excipere; & non venerunt: Rogaverunt deinceps ut ad ſanctum Paſcha baptizaretur; ſed nec tunc allatus eſt Infans: deprecati ſunt autem tertiò ut ad Feſtivitatem Sancti Joannis exhiberetur; ſed nec tunc venit.* Non ſolùm igitur in Paſchate; verùm etiam in Natali Domini, & Præcurſoris, conferebatur olim in Eccleſia Gallicana ſolennis Baptiſmus.

In Anglicana Eccleſia idem factitatum in Solennitate Dominicæ Nativitatis, qua Sanctus Auguſtinus Anglorum Apoſtolus mille homines baptizavit, teſte Sancto Gregorio Magno, lib. 7. Epiſtola 30. Indictione 1. Eundem in Hibernia invaluiſſe uſum die Epiphaniæ, certum eſt ex Synodo Sancti Patricii cap. 19. Igitur quamvis communior Eccleſiæ diſciplina Paſchatis tantùm & Pentecoſtes dies ſolenni Baptiſmo deſtinaverit: quarumdam tamen Eccleſiarum uſu Natalis Domini, Epiphaniæ, & Nativitatis Sancti Joannis Baptiſtæ dies adjuncti ſunt.

## DISSERTATIO X.

### DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS.

Ad hæc Tertulliani verba, libro DE BAPTISMO, cap. 7. *Exinde egreſſi de Lavacro, perungimur benedicta Unctione*, &c.

Contra Librum JOANNIS DALLÆI Calviniſtæ.

---

### QUÆSTIO UNICA.

*Utrum Confirmatio ſit verum novæ legis Sacramentum, an merus Baptiſmi ritus?*

TRIPLICI de Confirmatione Libro probare aggreſſus eſt Dallæus, ipſam non eſſe Sacramentum à Chriſto inſtitutum. In primo, argumenta

argumenta è Scripturis sacris petitia, quibus nostri Controversiarum Tractatores ipsum adstruxerunt, eludit verbosus Cavillator. In secundo libro Baptizatorum Chrismationem ab Ecclesiæ veteris usu alienam probare conatur, & Patrum Græcorum atque Latinorum, qui ad Innocentium I. usque floruerunt, testimonia excutit, suasque in partes trahit ac detorquet. In tertio libro ad examen vocat Patrum, qui sequentibus sæculis scripserunt, vel Conciliorum, quæ deinceps habita fuere, testimonia. His in libris si quid alicujus ponderis est contra Catholicam de Confirmatione doctrinam, illud expendemus, ac refellemus.

## PROPOSITIO.

*Confirmatio est verum Evangelicæ Legis Sacramentum.*

Probatur. Signum sensibile à Christo institutum ad gratiæ singularis collationem, & ab Ecclesia usu perpetuo celebratum in eundem finem, Sacramentum est; atqui Confirmatio est signum sensibile à Christo institutum ad gratiæ singularis collationem, & usu Ecclesiæ perpetuo celebratum: itaque Confirmatio verum Evangelicæ Legis Sacramentum est.

### §. I.

*Scripturæ Sacræ testimoniis evincitur Confirmationem esse verum, & distinctum à cæteris Sacramentum.*

PRobatur Minoris prima pars. Ex Scriptura sacra Actorum 8. & 19. certum est Apostolos manuum impositione, & oratione, Spiritum Sanctum contulisse recèns baptizatis. *Cum audissent Apostoli*, inquit Sanctus Lucas, *quòd recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum & Joannem: qui cùm venissent, oraverunt pro ipsis ut acciperent Spiritum Sanctum: nondum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantùm erant in nomine Domini Jesu. Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum Sanctum.* Et Actorum 19. de quibusdam Discipulis Ephesiis ait: *Baptizati sunt in nomine Jesu. Et cum imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus Sanctus super eos, & loquebantur linguis, & prophetabant.*

Porro manuum impositionem, cum oratione, qua Spiritus Sanctus impetratur & confertur, ad Confirmationem pertinere, Ecclesiæ usus ostendit: illamque signum esse sensibile gratiæ singularis collativum, evidens est; siquidem gratia & charitas diffunditur in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis: à Christo denique institutum esse efficax illud gratiæ signum, constat ex eo quod Apostoli illud usurpaverint; & Ecclesiis Apostolicis tradiderint: quod argumento est à Christo Præceptore ipsos id accepisse. *Ecclesia* enim *ab Apostolis, Apostoli à Christo, Christus à Deo accepit* (ut loquitur Tertullianus lib. de Præscriptionibus Hæreticorum cap. 21.)

Repondet primò Dallæus, Nullum se in isto argumento olfum sentire, nullum odorari balsamum; adeoque hæc Scripturæ sacræ loca nullatenus Confirmationi suffragari, cujus materia essentialis chrisma est.

Contrà. Quamvis Chrismatis non meminerint hæc testimonia, tamen manus impositionis & orationis impetrantis atque conferentis Spiritum Sanctum disertè meminerunt: quæ ad Confirmationem essentialiter spectant non minùs quàm Chrismatio: & aliunde unctionem innuit aliis in locis eadem A Scriptura, quæ ad Confirmationem videtur pertinere: *Qui confirmat nos vobiscum in Christo*, inquit, *& qui unxit nos Deus, qui & signavit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus nostris.* Quibus verbis vel unctio sensibilis significatur, vel certè ad eam fit allusio, quatenus unctio externa infusam Fidelium cordibus Spiritus Sancti gratiam significat, quæ per metaphoram unctio nominatur, ob quamdam cum externa illa similitudinem. Fateor hunc locum non demonstrare Sacramentum Confirmationis: sed innuere dumtaxat. Nec est necesse ut ex divina Scriptura demonstrentur quæcunque Sacramentorum essentiam spectant, aut omnia Christianæ Fidei dogmata. Satis est ut altero B Fidei principio, scilicet Verbo Dei tradito probentur certissimè. At manuum impositionem & orationem quæ ad conferendum Spiritum Sanctum ab Ecclesia adhibentur, ex divinis Scripturis habemus: Chrismatis delibutionem in eundem finem adhibitam ab Apostolis, & ab eorum Successoribus, fuisseque ab Ecclesia perpetuò usurpatam, invictissimè probaturi sumus ex Traditione. Ex duobus igitur Fidei principiis totum vindicabimus Confirmationis Sacramentum.

Respondet secundò Dallæus, Manuum impositionem in hodierna Confirmatione nullam esse, C mendaciique reum agit Bellarminum, dum ait, Episcopum super confirmandos manus extendere, atque orare; idque ex Pontificali Romano intelligi posse.

Contrà. Dallæus ipse fallitur, qui manuum impositionem his Pontificalis Romani verbis significari non agnoscit: *Tunc extensis versùs confirmandos manibus dicit*, &c. Nugatur namque contentiosus & procax Disputator, qui idem esse negat extensionem manus versùs Confirmandos, & manus super illos impositionem. Non enim necesse est ut hominem physicè tangat manus Episcopalis, D ut ipsi dicatur imponi: sed satis est quòd ipsum tegat atque adumbret, ut Tertulliani verbis utar lib. de Resurrectione Carnis, cap. 8. *Caro manus impositione adumbratur*, inquit, *ut & anima Spiritu illuminetur.* Nec animadvertit Dallæus, hanc ipsam extensionem manus super baptizatos, in Ordine Romano manus impositionem appellari. *Pontifex veniens ad infantes, tenente Archidiacono Chrisma, & imposita manu super capita eorum, dat orationem super eos cum invocatione septiformis gratiæ Spiritus Sancti. Oratione expleta, interrogantibus Diaconibus nomina singulorum, Pontifex tincto E pollice in Chrismate, faciat crucem in frontibus singulorum, ita dicendo: Confirmo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Denique in Sacramentario Sancti Gregorii, non *versùs* sed *super capita omnium* Confirmandorum *levata manu* Pontifex Orationem fundit.

Præterea. Chrismatio ipsa manus impositio quædam est: unde quamvis nullam aliam impositionem manuum in toto Confirmationis ritu Episcopi adhiberent, nec aliam Romanum Pontificale præscriberet, satis probaretur manuum impositionem in hodierna Confirmatione usurpari, hoc ipso quòd F unctio Chrismatis in ea fiat.

Glossam illam Bellarmini velut absurdissimam sugillat Dallæus: tangere digito frontem baptizati tam negat idem esse, quàm esse idem pollicem ac manus: Veteres manus impositionem pro actu à Chrismatione distincto nusquam non sumpsisse pertendit: Presbytero, qui baptizandi non frontem, sed verticem ungit; quod à propriè dicta manus impositione propiùs abest, Theologorum neminem jus manus imponendi asserere: adeoque manuum impositionem aliud esse à Chrismatione.

Contrà. Quamvis prioribus sæculis Chrisma &

manus impositio actione duplici adhiberentur; ab octavo tamen sæculo in unam & eandem actionem Chrismatio & manus impositio contractæ sunt. Unde Scriptores Ecclesiastici mediæ ætatis non dicunt unctionem & manus impositionem in Confirmatione exhiberi, sed unctionem manus impositione, vel manus impositionem unctione. Sic Beda in Psal. 29. *Illa unctio*, inquit, *quæ per manus impositionem ab Episcopis fit, & vulgo Confirmatio dicitur*, &c. Sic Amalarius lib. 1. de Officiis cap. 27. *Ut ab Episcopis solis inungatur per manus impositionem, ab Apostolis assumptum est.* Sic Rabanus Maurus lib. 1. de Institutione Clericorum cap. 28. *Episcopus baptizatum per manus impositionem cum ipso Chrismate consignat.* Sic Ratramnus Corbeiensis lib. 4. contra Græcorum opposita, cap. 7. *Baptizatis*, inquit, *Paulus manus imposuit; & ita demum venit super eos Spiritus Sanctus. Docemur igitur Baptismi gratiam per Presbyteros posse contribui; donum verò Spiritus Sancti, quod tribuitur per manuum impositionem; quando frontes baptizatorum Chrismate sancto liniuntur, nonnisi per Episcopos posse promereri.* Sic Ivo Carnotensis Sermone de convenientia Veteris & Novi Testamenti: *Per manus impositionem*, inquit, *sacro Chrismate confirmantur*: Sic Auctor Vitæ Sancti Anselmi, quosdam Sanctum illum Antistitem adiisse scribit, ut eorum liberos *per impositionem manus suæ sacri Chrismatis unctione signaret.* Sic Hugo à Sancto Victore libro 2. de Sacramentis, part. 15. cap. 1. *Pontifex*, inquit, *per manus impositionem Confirmandos ungit in fronte.* Innocentius III. *Extra de Consuetudine, cap. Quanto*, sic loquitur: *Sacramentum Confirmationis chrismando renatos soli debent Episcopi per manus impositionem conferre.* Et *Extra, de Sacra Unctione: PER frontis chrismationem*, inquit, *manus impositio designatur.* Denique Michaël Palæologus Græcorum Imperator, in Fidei Professione, quam eis Sedis Apostolicæ Nuntii præscripserant: *Sacramentum Confirmationis*, inquit, *per manus impositionem Episcopi conferunt, chrismando renatos.* Itaque manus impositio cum Chrismatione, Ecclesiastico loquendi more, confusa est à decem Sæculis. Unde in nullis Græcorum Euchologiis alia manuum impositio apparet.

Nec absurdum, est ut clamat Dallæus, verticis unctionem quam Presbyter in Baptismo adhibet, aliquo sensu manus impositionem appellari. Sic enim eam appellavit Hugo à Sancto Victore libro 1. de Sacramentis part. 7. cap. 3. *In gestis Pontificalibus*, inquit, *legitur quòd Silvester Papa constituit, ut baptizatum Presbyter in vertice chrismate liniat, propter occasionem transitus mortis, ne fortè per absentiam Episcopi, & difficultatem eum consequendi, sine manus impositione baptizatum ab hac vita migrare contingeret.* Dum ait Hugo verticis unctionem institutam ne baptizati sine manus impositione morerentur, planè dicit manus impositionem in verticis unctione inesse, non quidem ad Sacramentum Confirmationis pertinentem, qualis est manuum impositio Episcopalis: sed quæ ejus imaginem aliquam præstet, quâ Ecclesia eos qui assequi illam non possunt propter Antistitum absentiam, aliquo modo consoletur.

Objicit Dallæus Eugenii IV. sententiam in Decreto de Instructione Armenorum, dicentis: *Loco illius manus impositionis, per quam Apostoli dabant Spiritum Sanctum, in Ecclesia dari Confirmationem:* Adeòque hodiernæ Confirmationi cum Apostolica manus impositione nihil esse commune. Addit, Synodum Moguntinam cap. 28. Rectoribus Ecclesiarum injungere, *Ut diligenter populum instruant cur hoc Sacramentum ab initio sola manuum impositione exhibitum, mox sub ipsis temporibus Apostolorum, ex eorumdem traditione, adhibita Chrismatis unctione cœperit conferri.* Itaque Chrismationem cum Apostolica manuum impositione nihil commune habere Moguntini Patres existimarunt.

Respondeo, Eugenium asserere Confirmationem dari loco manus impositionis Apostolicæ; id est, Sacramentum illud quod Apostolicis temporibus à manuum impositione mutuabatur nomen, Confirmationem deinde fuisse appellatum: Non autem pertendere laudatum Pontificem, quòd Confirmatio hodierna sit ritus ab Apostolica manuum impositione planè diversus. Imò ad Confirmationem, quâ datur Spiritus Sanctus ad robur; hanc manuum Apostolicarum inumbrationem pertinuisse idem Eugenius apertè significat, dum ait: *Et cùm cæteras unctiones simplex Sacerdos valeat exhibere, hanc nonnisi Episcopus debet conferre, quia de solis Apostolis legitur, quorum vicem tenent Episcopi, quòd per manus impositionem Spiritum Sanctum dabant, quemadmodum Actuum Apostolorum lectio manifestat.* Nihil porro concluderet hoc Eugenii ratiocinium, nisi manuum impositio Apostolica ad idem Sacramentum pertinuisset, ad quod pertinet Chrismatio Fidelium frontibus adhibita; & ad conferendum Spiritum Sanctum ad robur utraque pariter destinata esset.

Ad Concilium Moguntinum, respondeo illud esse recentius, utpote celebratum anno Christi 1549. & unius tantum Provinciæ; & Scholasticorum quorumdam sententiæ plus detulisse, quàm Traditioni. Fuerunt enim Scholastici, qui Apostolos, manuum impositione sola, non item Chrismatis inunctione Confirmationem contulisse assererent, sive Chrismationem partem duntaxat integrantem istius censerent Sacramenti, non essentialem; sive Sacramenti hujus materiam *in genere* tantùm (ut loquuntur) à Christo institutam putarent; ideoque Ecclesiam [illegible]lam modò manuum impositionem velut materiam Confirmationis usurpare potuisse, modò Chrismationem addere, vel solam retinere, sive denique privilegium aliquod sc dispensationem Apostolis divinitus concessam fingerent, ut Chrismatione prætermissa Confirmationem administrarent. Sed Traditio longè aliter docet: Chrismatis nimirum delibutione fuisse confirmatos ab Apostolis recentes Christianos, & Ecclesiam omnibus retroactis sæculis Chrisma semper adhibuisse ut istius Sacramenti partialem saltem materiam; ut ex Sanctorum Patrum testimoniis infra discutiendis perspicuum evadet. Verùm quæcunque fuerit Moguntinæ Synodi de materia Confirmationis opinio, certum est ipsam agnovisse sc propugnasse Confirmationem esse Sacramentum à Christo institutum, & ab Apostolis celebratum. Sic enim habet, cap. 17. *Sacramentum Confirmationis ex institutione Christi, & Apostolorum praxi Ecclesia relictum esse, in quo juxta Domini promissionem, Spiritum Sanctum, quo in Baptismo ad peccati emundationem signati sumus, cum novo gratiæ suæ munere accipimus: videlicet ut virtute ejus contra Satanæ tentationes muniamur: ut gratiâ ejus ad meliùs capienda Fidei Mysteria illuminemur, ad confessionem Christi fiduciam, & contra vitia robur accipiamus. Quæ omnia Christus Dominus per Spiritum Sanctum, quem missurus erat, Fidelibus conferenda disertè promisit. Ea verò ut erant à Christo promissa, ipsis Apostolis in die Pentecostes exhibita, & ab eisdem per manuum impositionem in alios transfundi cœpta, Actus ipsorum satis testantur. Unde Ecclesia Catholica Spiritum Sanctum per manus Episcoporum Fidelibus tradendi normam accepit.*

Respondet tertiò Dallæus, Datum ab Apostolis per manuum impositionem Spiritum, fuisse propriè Spiritum Charismatum gratis datorum & extraordinariorum

dinariorum. Nam & hic Spiritus non paucis ab initio Fidelibus datus, licet minùs copiosus, minusque illustris, ejusdem tamen generis atque ordinis cum eo fuit, quem ipsi Apostoli divino illo Pentecostes die cœlitus missum acceperant; eodemque pertinuit, ad constituendam scilicet ac sanciendam in ipsis principiis Evangelii veritatem ac Fidem. Aliud igitur fuit id donum, quàm quod Romani homines in Confirmationis Sacramento nunc dari contendunt. Est enim omnium Sacramentorum effectus gratia aliqua ordinaria, ac in Ecclesia perpetua. Cùm itaque fuerit Spiritus ille Apostolis à Christo promissus, & postea Pentecostes die collatus, gratia planè extraordinaria, non perpetuò in Ecclesia futura, scilicet donum Prophetiæ, Linguarum, Sanationum, &c. necessariò confitendum est gratiam ab Apostolis per manuum impositionem Fidelibus impetratam, à Confirmationis Sacramento alienam esse.

Contra. Spiritus Sanctus die Pentecostes in Apostolos illapsus, & manuum impositione Apostolica recentibus Christianis collatus, non fuit solùm Spiritus Charismatum, sed ipsa Spiritus Sancti Persona, quæ nedum illa dona, sed seipsam, & gratiam quamdam singularem Fidelibus infunderet: ergo idem fuit quoad substantiam istud donum cum illo C quod in Confirmationis Sacramento dari contendimus; licet non idem sit qui nunc datur quoad spiritualem illam cælestium donorum pompam, quæ Fidei in istis Ecclesiæ primordiis propagandæ & confirmandæ necessaria erat.

Probatur Antecedens. Spiritus in Apostolos illapsus, & Fidelibus per manuum impositionem ab ipsis collatus, ille ipse est quem Christus promisit Joan. 14. *Ego rogabo Patrem*, inquit, *& alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere, quia non videt eum, nec scit eum. Vos autem cognoscetis eum; quia apud vos manebit, & in vobis erit.* D Et infra: *Paracletus autem Spiritus Sanctus quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis.* At dona Prophetiæ, Linguarum, Sanationum, non efficiunt ut Spiritus Sanctus inhabitet in Fidelibus, in eisque maneat: nec dona illa ordinaria sunt, sed extra ordinem concessa, ut fomenta quædam nascentis Fidei. Spiritus Sanctus itaque Apostolis, & per eorum impositionem manuum Christianis collatus, non fuit Spiritus duntaxat charismatum, sed ipsa Spiritus Sancti Persona.

Secundò. Nusquam in Novo Testamento Spiritus Sancti nomen ejus donis tribuitur: imò ubique E dona illa significantur ut effectus Spiritus Sancti. Sic Apostolus 1. ad Corinthios 12. *Unicuique*, inquit, *datur manifestatio Spiritus ad utilitatem. Alii quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ: alii autem sermo scientiæ secundùm eundem Spiritum; alteri fides in eodem Spiritu: alii gratia sanitatum in uno Spiritu: alii operatio virtutum, alii Prophetia, alii discretio spirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum. Hæc autem omnia operatur unus atque idem Spiritus dividens singulis prout vult.* Sic Sanctus Lucas Actuum 2. & 19. donum Linguarum, & Prophetiam disertè à Spiritu Sancto distinguit. *Repleti sunt omnes Spiritu Sancto*, inquit, *& cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis.* Et, *Cum imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus Sanctus super eos, & loquebantur linguis, & prophetabant.* Igitur nomine Spiritus Sancti, qui Apostolica manuum impositione recentibus Christianis conferebatur, non sola charismata; sed ipsa Spiritus Sancti Persona, & gratia singularis per eam infusa in Fidelium animos ad robur in Fidei confessione præstandum, &

A ad eximium quoddam gratiæ sanctificantis incrementum ipsis tribuendum, intelligenda est.

Tertiò. Donum Linguarum peccatoribus etiam tribui à Deo potest: at peccatores manentem in se Spiritum Sanctum non habent. *In malevolam enim animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis. Spiritus enim Sanctus Disciplinæ effugiet fictum* (ut dicitur Sap. 1.) Donum igitur Linguarum habere, & Spiritum Sanctum habere, planè sunt distincta.

Quartò. Sancti Patres eundem Spiritum nunc dari ab Ecclesiæ Præpositis in Confirmatione asserunt, quem Apostoli per manuum impositionem B dabant: nunc autem non confertur donum Linguarum: Spiritus Sanctus itaque Apostolica manuum impositione impetratus non erat merum donum Linguarum.

Ad probationem Antecedentis una sufficiet, eritque instar omnium Sancti Augustini auctoritas lib. 15. de Trinitate, cap. 26. ubi de Christo sic loquitur: *Quomodo ergo Deus non est, qui dat Spiritum Sanctum? Imò quantus Deus est qui dat Deum? Neque enim aliquis Discipulorum ejus dedit Spiritum Sanctum. Orabant quippe ut veniret in eos quibus manus imponebant, non ipsi eum dabant; quem morem in suis Præpositis etiam nunc servat Ecclesia.* Itaque C Spiritus Sanctus quem suprema auctoritate non dabant Apostoli, quamvis potestate Ministerii illum tribuerent, impetrando ejus illapsum in eos quibus manus imponebant, non erat donum Prophetiæ, aut similium charismatum apparatus; sed ipsa divina Persona Spiritus Sancti, cujus illapsum nunc etiam Ecclesiæ Catholicæ Antistites in Confirmatione Fidelibus impetrant, eos manuum impositione ungendo, & super eos orando.

Objicit Dallæus, Samaritanos illos, qui à Philippo tincti sunt, jam ante Petri & Joannis adventum habuisse Spiritum Sanctum, qui datur in Baptismo, id est, gratiam sanctificantem: igitur ea gra- D tia quam *Spiritus* nomine significat in Actis Apostolorum Sanctus Lucas, alterius generis fuit, quàm quæ in Baptismo accipitur; hoc est, non ut hæc, gratia fuit gratum faciens; sed gratis data.

Respondeo, nego consequens ultimum; licet enim alterius generis gratiam acceperint per manuum impositionem Apostolicam, quam in Baptismo accepissent, non sequitur gratiam illam fuisse gratis datam. Quæcumque enim post Baptismum conferuntur gratiæ, quibus illa prima augetur, non sunt dona gratis data, & extraordinaria charismata; & tamen alterius sunt generis ab illa; siquidem non sunt gra- E tiæ regenerationis; nec ad originale peccatum delendum, & ad primam sanctitatem animæ tribuendam infunduntur. Meliùs dixerim, intra idem genus gratiæ gratum facientis, diversæ sunt speciei gratiæ illæ, utpote quarum singulares quidam & eximii sunt effectus. Ita gratia Samaritanis illis collata, & Spiritus nomine significata, alterius speciei fuit ab ea quam in Baptismo acceperant. Licet enim illis in Baptismo datus fuisset Spiritus Sanctus ad regenerationem & sanctificationem, nondum tamen ipsum acceperant ad robur; quod Apostolica F manuum impositione consecuti sunt. Quod de Samaritanis illis dico, de Christianis omnibus dicendum est. Duplicem illam gratiam diversæ quidem speciei, disertè exponit Author antiquus Homiliæ de Pentecoste, quæ sub Eusebii Emisseni nomine circumfertur, sive sit ille Eucherius Lugdunensis, sive Hilarius Arelatensis. *Quod nunc*, inquit, *in confirmandis Neophytis manus impositio tribuit singulis; hoc tunc Spiritus Sancti descensio in credentium populo donavit universis. Sed quia diximus quod manûs impositio, & confirmatio ei, qui*

*jam regeneratus in Christo est, conferre aliquid possit: forte cogitat sibi aliquis; Quid mihi prodest post Mysterium Baptismatis ministerium confirmantis? Aut quantùm video, non totum de fonte suscepimus, si post fontem adjectione novi generis indigemus? Non ita est, dilectissimi, attendat charitas vestra. Sic enim exigit militaris ordo, ut cùm Imperator quemcumque in militum receperit numerum, non solùm signet receptum, sed etiam armis competentibus instruat pugnaturum: ita in baptizato benedictio illa munitio est. Dedisti militem, da ei adjumenta militiæ. Numquid prodest si quisquam parentum magnam parvulo conferat facultatem, nisi providere studeat & tutorem? Paracletus regeneratis in Christo Custos & Consolator & Tutor est . . . . . . Ergo Spiritus Sanctus, qui super aquas Baptismi salutifero descendit illapsu, in Fonte plenitudinem tribuit ad innocentiam, in Confirmatione augmentum præstat ad gratiam: quia in hoc mundo tota ætate victuris inter visibiles hostes & pericula gradiendum est. In Baptismo regeneramur ad vitam, post Baptismum confirmamur ad pugnam: in Baptismo abluimur, post Baptismum roboramur. Ac sic continuò transituris sufficiunt regenerationis beneficia: victuris autem necessaria sunt Confirmationis auxilia. Regeneratio per se salvat mox in pace beati sæculi recipiendos; Confirmatio autem armat & instruit ad agones mundi hujus & prælia reservandos.* Quem sive Eucherii, sive Hilarii Arelatensis locum, omnino inverecundè ad Baptismum referendum esse respondet Dallæus, cum istius Homiliæ Author Confirmationem post Baptismum conferri disertis verbis asserat, & novum gratiæ genus ipsi pro effectu assignet.

Objicit Dallæus. Scriptor ille *Post fontem adjectione novi generis indigere nos negat.* Homini enim ex iis quæ dixerat colligenti, *Nos non totum de fonte suscepisse, si post fontem adjectione novi generis indigemus*, exsertè respondet; *Non ita est, dilectissimi.* Et mox: *Qui Spiritus in Confirmatione augmentum præstat ad gratiam*, cum ait *super aquis Baptismi salutifero descendisse illapsu.* Ergo & Baptismi Spiritus est, qui in Confirmatione accipitur.

Respondeo, Mala prorsus fide id objicere Dallæum; non enim negat hujus, quam expendimus, Homiliæ Author nos adjectione novi generis, id est, nova gratia indigere post fontem: sed negat ex eo sequi quòd non totum de fonte hauserimus Spiritum. Itaque fateor eundem Spiritum dari in Baptismo & in Confirmatione, secundùm illum Authorem: sed nego eosdem ad effectus dari: idque exsertè negat laudatus Author, qui *Plenitudinem ad innocentiam*, & gratiam *regenerationis ad vitam* in Baptismo: *Gratiam* verò *roboris*, & quæ *instruit ad hujus mundi prælia*, in Confirmatione dari profitetur.

Objicit Dallæus: Author Homiliæ, de chrismatione verbum nullum facit. De manus impositione omnis est ejus sermo. Atqui ea, inquit, nulla nunc est apud Latinos. Ergo si quam iste hîc celebrat Confirmationem, ea verum est ac propriè dictum Sacramentum; si per eam accepto Spiritu armamur, munimur, confirmamur denique, nullum est hodie apud Latinos Confirmationis Sacramentum; omnes eorum milites nudi atque inermes sunt, qui ea scilicet manus impositione carent, qua iste totum Confirmationis Sacramentum censuit.

Respondeo ad Majorem, Authorem illum chrismationis quidem non meminisse ubi de Confirmatione loquitur, sed eam non excludere; ejus verò meminisse alios Patres. Ad Minorem, nego quòd nulla sit apud Latinos impositio manuum. Nam & extensio manuum super Confirmandos quam Pontificale Romanum imperat, quæ tunc adhibetur cùm funditur super eos Oratio septiformem Spiritum Sanctum invocans, Dallæum mendacii convincit.

Respondet quartò Dallæus, etiamsi donaretur gratiam aliquam gratum facientem ab Apostolis per manus impositionem collatam fuisse, non ideo fieri, ut ea manus impositio Sacramentum fuerit. Hunc enim imponendæ manus ritum apud Judæorum Gentem in omni fere sacra, civilique ad publicum aliquod munus ordinatione, in victimarum, ac reorum devotionibus, in beneficiorum denique Dei singularium donationibus solennem fuisse ex Scripturis sacris probat: cùm tamen illas manuum impositiones Sacramenta non fuisse, in confesso sit apud omnes. Addit, manuum impositionem quæ vel à Christo, vel ab ejus Discipulis ante Ascensionem Dominicam in cœlos facta est, nullum fuisse Sacramentum; sed ne post evectum quidem in cœlos Christum, Sacramenti nomine eam nos dignari, quæ vel ab Anania ad illuminandum Paulum, vel ab ipso Paulo ad Publii patrem morbo liberandum, vel ab aliis si fortè seu Apostolis, seu Discipulis, ad similes valetudinum caussas adhibita est. Indéque colligit, manuum impositionem illam, quæ ad Spiritum dandum ab Apostolis usurpata est, Sacramentum non fuisse; sed tantùm precationis, quâ Spiritum Sanctum in eos, quibus benedicebant, evocarunt, adjunctum solenne. Precum namque symbolum quoddam fuit manuum impositio, secundùm illud Sancti Augustini lib. 3. de Baptismo, cap. 16. *Quid est aliud manuum impositio, nisi oratio super hominem?*

Contrà. Ritus manuum impositionis quâ Sacerdotes & Magistratus in veteri lege designabantur, qua devovebantur victimæ & rei, quâ magna beneficia conferebantur, qua Christus & Apostoli ægrotos curarunt, Spiritum Sanctum non conferebat, neque illi adnexa erat gratiæ promissio: neque ullum est in Traditione monumentum quo ipsi asseratur Sacramenti ratio. At manuum impositione Apostolica super Christianos recentes, cujus meminit Sanctus Lucas Act. 8. & 19. conferebatur Spiritus Sanctus, illi adnexa erat gratiæ promissio ex Institutione Christi; quod non minùs probat Apostolorum usus, & Ecclesiæ perpetua doctrina ab ipsis accepta, quàm eorum verba testarentur. Denique Sancti Patres manuum impositionem illam Sacramenti nomine insigniunt, quod nomen memoratis manuum impositionibus detulere nusquam. Absona est igitur Dallæi illatio, qui hanc impositionem manuum, qua Apostoli Spiritum Sanctum in Fideles evocarunt, & qua etiamnum confertur in Ecclesia Catholica Spiritus Sanctus, non esse Sacramentum ex eo colligit, quòd solennis apud Judæos manus impositio, vel quæ à Christo, & Apostolis, ad morbos depellendos facta est, Sacramentum non esset.

Objicit Dallæus, ab hujus materiæ ingenio, quam in aliis Christi Sacramentis assumptam videmus, hanc manuum impositionem planè alienam esse, nihilque cum ea habere simile. Neque enim in Baptismi, neque in Eucharistiæ Sacramentis, Ministrorum vel manus, vel aliquod aliud membrum, materiæ vicem obtinet; sed elementum, extra Ministri personam, aliunde assumptum.

Respondeo, Ludicrum esse hoc Dallæi ratiocinium. Quis enim deberc similem esse omnium Sacramentorum materiam somniet? Quis nisi absurdè contendat esse necessariò elementum aliquod, extra Ministri personam assumptum? Actus pœnitentis, secundùm omnem Theologorum Catholicorum Scholam, Pœnitentiæ materiam esse; mutuum contrahentium consensum, Matrimonii, nemo

mo nescit. Deinde chrismatio, quam partialem esse ac pariter essentialem cum impositione manuum materiam Traditio probat, fit ex chrismate, quod elementum est extra Ministri personam aliunde assumptum: ut nihil sit quod desiderare ultra debeat Dallæus, ut aliud sit signum, & manus ejus signi ministra. Quamquam oppidò fallitur, cùm manus Episcopi Confirmationis materiam à Catholicis asseri Theologis blaterat. Nemo enim id dixit unquam; sed impositionem manuum hujus Sacramenti materiam esse, vel solam, ut Sirmondus cum aliis plurimis, vel partialem: quam sententiam amplectimur.

B Objicit iterum Dallæus, Manuum impositionem illud à Sacramenti Christiani ingenio alienum habere, quòd ea ritus fuerit pluribus communis; nam Sacramenta à Christo instituta, suam singula propriam materiam habent. Idque Dei sapientiâ dignum est, quæ ut rebus in natura singulis propriam materiam dedit; ita & in Religione, Sacramentis sua singulis elementa propria ac peculiaria instituit. Jam verò manus impositionem plurium aliorum, præter Confirmationem, rituum materiam & fuisse olim, & nunc etiam apud Latinos esse, manifestum est. Nam in ipsis quidem Ecclesiæ initiis Apostoli manus imponebant; & ægrotis atque invalidis, quos per donum *ἰαμάτων* sanabant, & Fidelibus, quibus Prophetiæ vel Linguarum donum impertiebantur, & Ministris, quos Dei gratiæ extra ordinem commendabant, & iis quos ad sacrum & Ecclesiasticum Ministerium promovebant, & peccatoribus abstentis, cùm eos legitimâ pœnitentiâ functos in Communionem Christianæ societatis redintegrabant. Porro ineptum atque absonum est, unum idemque manus impositionis signum hic & illic Sacramentum esse, in aliis non esse Sacramentum. Secutis verò Ecclesiæ sæculis, manus impositio ad hos etiam, imò & ad alios ritus, ut ad conjugum benedictionem, adhibita est. Itaque manuum impositio non est materia Sacramenti Confirmationis.

C D Respondeo distinguo Majorem. Manus impositio ritus fuit pluribus communis, secundùm se spectata, esto; ut adjuncta formæ singulari, scilicet orationi, invocanti septiformem Spiritus Sancti gratiam super baptizatos, ad robur ipsis in Christianæ militiæ periculis tribuendum, nego. Certum est Sacramentorum materias aliis rebus communes esse posse, sed non eodem modo, eodem usu, eodemque fine, & quatenus ad rationem Sacramenti evectæ sunt. Sic ablutio communis est Baptismo cum Judæorum purificationibus; communis est cum balneis quæ ad corporis munditiam vel sanitatem frequentantur. An ideo rectè quis inferat ablutionem esse non posse materiam Baptismi? Absurda sanè illa esset illatio. Ita quamvis manuum impositio ritus fuerit extra Confirmationem usurpatus, non sequitur illam non esse materiam singularis istius Sacramenti, quatenus ad Spiritus Sancti donationem à Christo destinata est, & subjecta Orationi Spiritum septiformem super Fideles ad robur invocanti. Nec refert quòd in aliis etiam Sacramentis adhibeatur. Vel enim aliorum pars non est Sacramentorum, sed Ceremonia mera, ut in Pœnitentia; & in Unctione-Extrema ac Matrimonio, secundùm quarumdam Ecclesiarum morem: vel pars est ut alteri formæ addicta, aliumque ad finem destinata, ut in Ordinatione.

E F Respondeo secundò, Manuum impositionem solam non esse materiam essentialem Confirmationis, sed cum Chrismatione conjunctam. Dogma enim Catholicæ Ecclesiæ non est, quod propugnat Sirmondus, manuum impositione sola cùm oratione Confirmationem perfici: licet hanc opinionem non improbet. Imò probabiliùs longè est Chrismationem quoque partem ejus necessariam ac essentialem esse. Cùm itaque manus impositio cum Chrismatione conjuncta aliorum non fuerit materia rituum; nihil obest quominus singularis materia Sacramenti esse possit.

## §. II.

### SS. Patrum testimoniis probatur Confirmationem esse Sacramentum, & primùm expenditur mens Tertulliani.

Probatur secunda pars primæ Minoris, quod scilicet Confirmatio perpetuo Ecclesiæ usu fuerit celebrata, proferendo Sanctorum testimonia Patrum, qui illius ceu veri novæ Legis Sacramenti meminerunt. Quos inter occurrit primò Tertullianus libro de Baptismo capite 7. ubi hæc habet: *Exinde egressi de Lavacro, perungimur benedicta Unctione, de pristina disciplina, qua ungi oleo de cornu, in Sacerdotium solebant. Ex quo Aaron à Moyse unctus est; unde Christus dicitur à Chrismate, quod est unctio, qua Domino nomen accommodavit, facta spiritalis, quia Spiritu unctus est à Deo Patre, sicut in Actis: Collecti sunt enim verè in ista civitate adversus Sanctum Filium tuum, quem unxisti. Sic & in nobis carnaliter currit unctio, sed spiritaliter proficit; quomodo & ipsius Baptismi carnalis actus, quòd in aqua mergimur; spiritalis effectus, quòd delictis liberamur.* Illam porro unctionem ceremoniam duntaxat Baptismi fuisse perperam contendit Dallæus; siquidem post Baptismum adhiberi solitam verba Tertulliani perspicuè significant: *Egressi*, inquit, *de Lavacro, perungimur* &c. Secundò, unctioni illi spiritalem effectum tribuit Tertullianus, non secus ac Baptismo: *Sic & in nobis*, inquit, *carnaliter currit unctio, sed spiritaliter proficit: quomodo & ipsius Baptismi*, &c. Sentiebat itaque Ecclesia Tertulliani ætate, unctionem quæ adhibebatur recèns baptizatis, signum esse sensibile gratiæ interioris operativum, ac proinde Sacramentum. Hoc autem est quod nomine Confirmationis intelligimus.

Ne autem manus impositionem hoc in ritu desideret importunus Cavillator, sequentibus Tertulliani verbis ejus dicacitas comprimitur: *Dehinc manus imponitur, per benedictionem advocans & invitans Spiritum Sanctum . . . . Tunc ille Sanctissimus Spiritus super emundata & benedicta corpora libens à Patre descendit, super Baptismi aquas, tanquam pristinam sedem recognoscens conquiescit, columba figurâ delapsus in Dominum.* Et infra: *Quemadmodum enim, post aquas diluvii, quibus iniquitas antiqua purgata est, post baptismum (ut ita dixerim) mundi, pacem cœlestis iræ, præco columba terris annuntiavit demissa ex arca & cum oleo reversa: quod signum etiam apud nationes paci prætenditur; eadem dispositione spiritalis effectus, terræ, id est, carni nostræ emergenti de lavacro post vetera delicta, columba Sancti Spiritus advolat pacem Dei afferens, emissa de cælis, ubi Ecclesia est Arca figurata.* Atqui manus impositio advocans Spiritum Sanctum super homines per Baptismum emundatos, est Sacramentum distinctum à Baptismo. Itaque Confirmatio distinctum à Baptismo Sacramentum est.

Objicit Dallæus primò, Balsamum, quod Romani in suo Chrismate necessarium esse decernunt, nullum apud Tertullianum olere. 2. Tertulliani unctionem *de pristina disciplina* esse; id est, de Mosaica, ut liquet, *qua ungi oleo de cornu in Sacerdotium solebant*: Chrismationem verò Latinorum de Christi disciplina fingi. 3. Priùs memoratur unctio,

unctio, postea manus impositio advocans Spiritum Sanctum. At in Confirmatione manus impositio ab unctione non sejungitur : neque Chrismationem apud Romanos excipit ulla manus impositio. 4. Tertullianus unctionem & manus impositionem suas Baptismalibus aquis penè immergit ; & ipsa libri inscriptio, *De Baptismo*, clamat hos ambos ritus non alterius Sacramenti, sed Baptismi rem esse. Denique Author, tum hæc ipsa quæ recitavimus, tum alia quædam executus, non alia se, quam quæ ad Baptismum pertinent, enarrasse profitetur, cap. 10. *Diximus*, inquit, *quantùm mediocritati nostræ licuit, de universis quæ Baptismi religionem struunt.* Ergo & unctio, & manus impositio, quæ eorum, de quibus dixit, pars sunt, ad Baptismum pertinent.

Ad singula respondeo. Ad primum, Balsamum à Tertulliano non excludi. Quamquam nec materiæ Confirmationis essentiale videtur balsamum, aut necessarium necessitate Sacramenti, sed solius præcepti Ecclesiastici. Ad 2. Dico unctionem Baptizatorum dici à Tertulliano de pristina disciplina, id est, de Mosaïca, non quòd sit merus Legis Mosaïcæ ritus ; sed quòd unctio in veteri lege celebrata unctionis Confirmatoriæ typus esset. Nihil enim in Religionis Christianæ Mysteriis esse *Sine argumento præcedentis figuræ*, satis ibi Tertullianus innuit. Ad tertium, dico, licet unctio priùs quàm manus impositio memoretur, non sequi priùs esse factam. Ad 4. respondeo, Unctionem & manus impositionem à Tertulliano recenseri inter ea quæ Baptismi religionem struunt, non quòd meræ essent Baptismi ceremoniæ, sed quòd simul cum Baptismo, Confirmatio, ad quam pertinent, prioribus nominis Christiani sæculis conferretur. Denique ait Tertullianus se de universis quæ Baptismi religionem struunt, egisse usque ad Caput decimum ; quia de Baptismo præcipuè egit quoad ejus materiam, formam, vim & efficaciam : quamvis de Confirmatione obiter & data occasione locutus sit, quæ statim post Baptismum conferebatur. Sequentibus autem capitibus quæstiunculas quasdam discutit ad tractatum de Baptismo pleniorem necessarias, nimirum de Baptismo Joannis, de Baptismo à Christi Discipulis suscepto : de tempore quo cœpit obligare lex Baptismatis, de ministro Baptismi : de tempore Baptismi solennis : de dispositionibus ad ejus susceptionem præmittendis. *Diximus*, inquit, *quantùm mediocritati nostræ licuit de universis quæ Baptismi religionem struunt : nunc ad reliquum statum ejus æquè ut potero progrediar, de quæstiunculis quibusdam.*

Confirmatur ex libro de Resurrectione Carnis, cap. 8. ubi ostendit suas esse & carni in pietatis actibus partes, ut & suum ei jus in immortalitate vindicet contra Hæreticos, qui ejus resurrectionem negabant. Id ut conficiat, Sacramenta profert, quorum effectus ad animam pertinent, elementa & signa carne suscipiuntur. *Denique*, inquit, *cùm anima Deo allegitur, ipsa est* (caro) *quæ efficit ut anima allegi possit. Scilicet caro abluitur, ut anima emaculetur. Caro ungitur, ut anima consecretur. Caro signatur, ut & anima muniatur. Caro manus impositione adumbratur ; ut & anima Spiritu illuminetur. Caro corpore & sanguine Christi vescitur, ut & anima de Deo saginetur. Non possunt ergo separari in mercede, quas opera conjungit.* Sicut ergo ablutio carnis ad animæ sanctificationem ordinata, singulare Sacramentum est novæ legis, nempe Baptismus : & Corpus, Sanguisque Christi Domini est etiam Sacramentum singulare, nimirum Eucharistia, ad nutritionem animæ spiritalem destinata : sic unctio carnis, & manus impositio quâ adumbratur, ad animæ consecrationem, illuminationem, ac munimen adhibita, Sacramentum est singulare novæ legis.

Respondet Dallæus, Illas tum unctionem, cùm manus impositionem, ceremonias fuisse Baptismales, quæ peracta lotione, Neophyto ante Eucharistiam ministrabantur ; non verò legitima seorsim à Baptismo esse Sacramenta. Addit, si quòd caro ungitur, Sacramentum est ; quòd eadem manus impositione adumbratur, alterum quoque Sacramentum esse necesse est. Ita aut duo ista confitenda sunt Sacramenta, aut neutrum Sacramentum esse concedendum est.

Contra. Illud non est mera Baptismi ceremonia, cui novus assignatur effectus ab effectu Baptismi diversus, & novæ gratiæ operatio : atqui unctioni & impositioni manuum Tertullianus novam gratiæ operationem tribuit, novumque ac diversum à Baptismali effectum assignat, scilicet consecrationem quandam eximiam qua munitur anima & roboratur. Illæ itaque non sunt meræ Baptismi ceremoniæ.

Præterea. Etsi unctio facta in vertice mera sit ceremonia Baptismi, non tamen quæ in fronte ab Episcopis post Baptismum adhibetur, sed res Sacramenti divini à Baptismo diversi, ut ex eodem Tertulliano constat lib. de Præscriptionibus Hæreticorum cap. 40. ubi *Diabolum ipsas res Sacramentorum* Christianorum *æmulari* probat *idolorum Mysteriis, quia tingit & ipse quosdam, utique credentes & fideles suos : &, expositionem delictorum de lavacro repromittit : &, quia Mithra signat in frontibus milites suos : celebrat & panis oblationem.* Sicut ergo Baptismum & Eucharistiam Sacramenta esse divina Tertullianus agnoscit, quæ diabolus profana tinctione & sacrilega panis oblatione in sacris Ethnicorum æmulatur : ita & signationem frontis atque inunctionem, quam in Mithræ Mysteriis æmulatus est dæmon, rem esse Sacramenti divini agnoscit. Nec sequitur duo esse Sacramenta, unctionem frontis, & manuum impositionem, sed duas ejusdem Sacramenti partes : sicut panis verbis Christi consecratus, & vinum ejusdem Servatoris verbis sanctificatum, & in ejus Sanguinem conversum, non sunt duo Sacramenta, sed duæ ejusdem Sacramenti, & Sacrificii partes.

Dices. Actio illa est merus Baptismi ritus, cui Baptismi proprium effectum Tertullianus tribuit, animæ scilicet illuminationem. Atqui unctioni illi & manus impositioni, quas in libro de Carnis Resurrectione memorat, proprium Baptismi tribuit effectum, scilicet illuminationem. *Caro*, inquit, *manus impositione adumbratur ut anima Spiritu illuminetur.* Cùm itaque Baptismum à Patribus Sacramentum illu[illegible]ionis dictum esse nemo nesciat, & illorum [illegible]tiones de Baptismo, plerumque inscribi, *In Sancta Lumina*, ut apud Sanctum Gregorium Nazianzenum videre est : Ritus ille cui tribuitur spiritalis illuminatio, ad Baptismum pertinet.

Respondeo, nego Minorem. Illa enimverò illuminatio quam manus impositioni tribuit Tertullianus, non est ea quæ convenit Baptismo ; sed illuminatio quædam singularis & eximia septiformis Spiritus Sancti, qui, secundùm promissionem Christi, *Docet nos omnem veritatem.* Præterea, non illuminationem solam ut Confirmationis effectum Tertullianus affert, sed & consecrationem, & munimen, id est, gratiam roboris. *Caro ungitur*, inquit, *ut anima consecretur : Caro signatur, ut & anima muniatur.*

Confirmatur secundò Catholica sententia ex eodem Tertulliano lib. 2. contra Marcionem, cap. 14. ubi ostendit Deum ipsum Marcionis probare Creatoris

totis opera, quibus in Sacramentis ad gratiæ collationem utitur, nempe aquam ad Baptismum, oleum ad Confirmationem, panem ad Eucharistiam assumptum. Sed *Ille quidem*, inquit, *usque nunc neque aquam reprobavit Creatoris, qua suos abluit; nec oleum, quo suos unguit; nec mellis & lactis societatem, qua suos infantat; nec panem quo ipsum corpus suum repræsentat; etiam in Sacramentis propriis egens mendicitatibus Creatoris.*

Dices. Tertullianus inunctionem olei præmittit degustationi mellis & lactis, quæ procul dubio non est Sacramentum, sed Baptismi ritus jam antiquatus. Igitur nec ipsa Unctio Sacramentum est, sed mera Baptismi ceremonia.

Respondeo, nego consequens. Ibi enim referre non satagit Tertullianus ritus omnes ad Baptismum pertinentes, vel ipsum consequentes ex Ecclesiæ more, eo quo celebrantur ordine; cùm de Baptismo, aliisque Mysteriis ex occasione tantùm loquatur, nec data opera de illis agat: sed hoc intendit unum, opera Creatoris mala non esse, quæ Deus ipse Marcionis in Mysteriis suis adhibet, sive illa in Sacramentorum materiam assumens, ut aquam, oleum, & panem; sive ad significationem aliquam duntaxat effectus per Sacramentum producti; aut officii quod initiatis impositum est: ut mellis & lactis societatem, quorum prægustatio significabat Neophytos per Baptismum in novam regeneratos infantiam, & quasi modo genitos infantes, rationabile, sine dolo, lac concupiscere debere, ut in eo crescant in salutem: & malitia, non sensibus, parvuli sint.

§. III.

*Expenditur Cornelii Romani Pontificis testimonium.*

Probatur secundò Propositio ex Epistola Cornelii Romani Pontificis ad Fabium Antiochenum, apud Eusebium lib. 6. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 43. ubi de Novatiano sic loquitur: *Cui causam atque initium credendi præbuit satanas in ipsum ingressus, atque in ipso aliquandiu commoratus. Cumque ab Exorcistis foveretur, in morbum gravissimum collapsus; dum jam jamque moriturus creditur, in ipso, in quo jacebat, lectulo perfusus, Baptismum suscepit; si tamen hujuscemodi Baptismum suscepisse dicendus est. Sed neque postquam liberatus est morbo, reliqua percepit, quæ juxta Ecclesiasticam Regulam percipi debent: neque ab Episcopo consignatus est. Hoc autem signaculo minimè percepto, quo tandem modo Spiritum Sanctum potuit accipere?* Consignationem porro Episcopalem, qua Sanctus Spiritus confertur, Confirmationis Sacramentum esse contendimus, nec aliud Confirmationis nomine Catholica intelligit Ecclesia.

Respondet Dallæus, reliqua illa post Baptismum solemnia, quæ Novatianus non percepit, intelligi lactis & mellis prægustationem, & alias, si quæ tum erant in Ecclesiæ Romanæ usu, Baptismales ceremonias; quibus cùm hìc à Cornelio liquidò accenseatur, *Obsignari ab Episcopo*; non modò hinc non conficitur obsignationem istam fuisse verum ac propriè dictum Sacramentum, sed contra hinc apparet, eam non veri nominis Sacramentum, sed ceremoniam Baptismalem fuisse, ejusdem cum illis cæteris census, quæ non expressit Cornelius.

Contra. Baptismi ceremoniis quas recensere omittit Cornelius, non tribuit advocationem Spiritus Sancti: hanc autem Episcopali consignationi ceu proprium effectum adsignat. Non censet itaque consignationem illam ejusdem esse cum cæteris census,

Præterea ceremonias Baptismi supplere poterat Presbyter, qui Sacramentum istud ministravit: obsignare proprium erat Episcopi munus, ut patet ex Cornelii verbis.

Objicit Dallæus, Cornelium istorum observationem, non ad Christi mandatum, aut Evangelii præceptum, aut Apostolorum traditionem, sed ad Regulas Ecclesiasticas referre. Jam Ecclesiæ quidem si fortè est cerimonias invenire, & Canonibus suis præscribere, Sacramenta instituere non est. Ea res unius Christi est.

Respondeo, Cornelium ceremonias, quas non recenset, ad Ecclesiasticam Regulam referre; sed consignationem Episcopalem ab his disertè distinguere. Deinde aliud est usus, aliud institutio Sacramenti. Usum Canonibus suis præscribere potest Ecclesia: institutionem unius Christi sibi vindicat auctoritas. Esto igitur, consignationis Episcopalis susceptionem ad Ecclesiæ regulas Cornelius Pontifex retulerit; eo non fit ut ex albo Sacramentorum expungi debeat.

Instat Dallæus. Si illa, qua Novatianus carebat Unctio, non Baptismalis, Baptismoque cohærens cerimonia, sed proprium seorsim Sacramentum erat, qualis Latinorum est hodie Confirmatio; cur Fabianus hominem, cùm eum vellet Presbyterum consecrare, eo quo carebat, Sacramento non donavit? Atqui nihil ille fecit hujusmodi, sed precibus tantùm apud suos effecit, ut sibi, præter consultum Ecclesiæ ordinem, unius Novatiani in Clerum allegendi potestas esset. Unde nemo non videt, planè aliam fuisse veteris istius obsignationis rationem ac naturam, quàm quæ nunc Confirmationis est apud Latinos.

Respondeo, certum non esse an Fabianus Novatianum consignaverit, nec-ne, antequam eum ad Presbyterorum Ordinem eveheret. Sed etsi id non fecerit, non sequitur consignationem illam cœrimoniam dumtaxat baptismalem fuisse. Roganti igitur Dallæo, cur Cornelius Novatianum eo, quo carebat, Sacramento non donavit, respondemus; Quia Sacramentum ad salutem necessarium non est, imò nec sacris Ordinationibus absoluta necessitate præmittendum.

Objicit Dallæus, A causæ studio profectum quòd Cornelius hìc Novatiano objicit: *Hoc autem signaculo minime percepto, quo tandem modo potuit Spiritum Sanctum accipere?* Ait id negare Cornelium contra apertam Decessoris sententiam, qui Novatianum in Presbyterium numquam allecturus fuerat, si quod Cornelius hìc statuit, id ipse quoque sensisset, Spiritu Sancto necessariò carere, qui non fuerit ab Episcopo consignatus; sed & præter Cleri plebisque opinionem, qui de sua adversùs Novatiani Ordinationem intercessione non videntur quidquam remissuri fuisse, si eum, quem allegi tandem concesserunt, Spiritus Sancti consortem fieri nunquam posse, quod hìc arbitratur Cornelius, censuissent. Addit Dallæus, mittere se manifestam rei ipsius absurditatem. Nam si, inquit, Spiritum Sanctum consequuntur, qui Baptismum suscipiunt; vel fatendum est etiam eos, qui non sunt ab Episcopo consignati, Spiritum Sanctum interdum consequi; vel certè negandum est, quemquam verè baptizatum esse, nisi qui & ab Episcopo idem consignatus fuerit.

Respondeo, Ex veritatis, non ex causæ studio id objecisse Novatiano Cornelium: nego id statuisse contra Decessoris sui mentem. Spiritum enim Sanctum non accepisse ad eos effectus ad quos per consignationem Episcopalem datur, meritò asseruit Cornelius, ad robur nimirum, & ad pugnam contra Christiani hostes nominis? & piè nihilominus credidit Fabianus, cum eo indulgere se posse, ut eum

ad Clerum promoveret, quem Spiritum Sanctum in Baptismo recepisse supponebat, quo regeneratus esset ad vitam, licet nondum per eum confirmatus esset ad pugnam. Varios enim ad effectus, in diversis Sacramentis, dari Spiritum Sanctum qui nescierit, eum in rebus Theologicis hospitem esse ac peregrinum necesse est. In Baptismo datur ad regenerationem & innocentiam: In Confirmatione, ad augmentum gratiæ & ad robur: In Pœnitentia, ad remissionem peccatorum: In Ordinatione, ad sacrum Ministerium, ad actus Hierarchicos, ad Ecclesiæ regimen. Nequaquam igitur absurdum est, ut fingit Dallæus, consecutos esse Spiritum Sanctum, qui Baptismum susceperunt, & nihilominus eum non accepisse quoad eos omnes effectus, ad quos per alia Sacramenta confertur.

### §. IV.

### *Sancti Cypriani auctoritate Catholicum Dogma fulcitur.*

Probatur tertiò Propositio ex Sancto Cypriano, Epistolâ 71. ad Januarium, dicente: *Ungi quoque necesse est eum qui baptizatus sit, ut accepto Chrismate, id est, unctione, esse unctus Dei, & habere in se gratiam Christi possit. Porro autem Eucharistia, & unde baptizati unguntur oleum, in altari sanctificatur. Sanctificare autem non potuit olei creaturam, qui nec altare habuit, nec Ecclesiam. Unde nec Unctio spiritualis apud Hæreticos potest esse, quando constet oleum sanctificari, & Eucharistiam fieri apud illos omnino non posse.* Quibus verbis, unctionem illam qua de loquitur, necessariam fuisse innuit Sanctus Cyprianus; adeóque non esse illam Presbyteralem unctionem, quæ Baptismi cœrimonia est, cùm ea nondum esset ubique frequentata initio quinti sæculi, quod ex Arausicana Synodo colligitur. 2. Adhiberi unctionem illam hominibus baptizatis ait Cyprianus, adeóque ritum agnoscit à Baptismo distinctum. 3. Hac unctione fieri ait, ut baptizatus gratiam Christi in se habeat: quod meræ cœrimoniæ non convenit. Qui enim baptizatus est, gratiam Christi per Baptismum accepit, si ad illum pio animo accessit. Novam gratiam cœremoniæ sacram lotionem subsequentes non conferunt, nec per se augent: sed proprium istud Sacramentorum est. 4. Oleum quod in altari sanctificatur, & quo inunguntur baptizati, cum Baptismo & Eucharistia componit. Censet igitur oleum illud & unctionem singularis cujusdam Sacramenti res esse, sicut Baptismus & Eucharistia singularia Sacramenta sunt.

Objicit Dallæus, unctionem quam ibi Sanctus Cyprianus memorat, cœrimoniam Baptismi fuisse, ejusque appendicem: atque id docere ipsum quæstionis, quam hic Cyprianus agit, titulum. Non enim de unctione, vel de manus impositione, sed de Baptismo solo errasse, vel cum Sancto Stephano Romæ Episcopo litigasse dicitur. Ergo quas hic urget, unctionem, & manus impositionem, eas fuisse necesse est Baptismi appendices; à quarum, velut baptismalis administrationis partium natura atque ingenio, ad ipsum Baptismum pro sua sententia argumentatur: Ex iis concludens baptizandum & innovandum, qui ad Ecclesiam ab Hæreticis venit.

Respondeo: Etsi Sanctus Cyprianus in Epistola laudata de Baptismo agat, non sequi quòd pertineant ad Baptismum, ut ejus cœrimoniæ & appendices, illa omnia à quibus argumentatur: alioqui & ipsa Eucharistia merus Baptismi ritus & appendix esset. Nam & ab illa trahit argumentum; sicut ab oleo quo inunguntur baptizati. Ideo autem ab his argumentatus est Cyprianus in controversia de Baptismo Hæreticorum, quòd ex Ecclesiæ more continenter post Baptismum Confirmatio & Eucharistia tunc recentibus Christianis conferrentur.

Confirmatur probatio tertia ex eodem Sancto Cypriaoo Epistola 72. ad Stephanum data, in qua meritò decrevisse Africanos Episcopos in Concilio congregatos contendit, ut Hæretici ad Ecclesiam redeuntes de integro baptizarentur: *Eo quòd parum sit eis manum imponere ad accipiendum Spiritum Sanctum, nisi accipiant & Ecclesiæ Baptismum. Tunc enim demum plenè sanctificari, & esse filii Dei possunt, si utroque Sacramento nascantur, cùm scriptum sit, Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non potest introire in regnum Dei.* Quibus verbis indicat, quòd manus impositio, quæ ad conferendum Spiritum Sanctum adhibetur, id est, Coofirmatio, æquè Sacramentum est, ac Baptismus. Certè si manus impositionem illam nudam ac simplicem esse Baptismi cœrimoniam Sanctus Cyprianus existimasset, nec ipsam exornasset Sacramenti à Baptismo distincti nomine, nec spiritalem ipsi adsignasset effectum. Quamvis enim de partibus ejusdem Sacramenti, quasi plura essent Sacrameota, Veteres interdum loquantur, & singulas seorsim Sacramentum appellent, ut de Corpore & Sanguine Christi Dallæus probat: nusquam tamen de cœrimoniis Sacramentorum pompam instruentibus ita locuti sunt.

Objicit Dallæus, de ea manus impositione agere Cyprianum, qua Stephanus & Romani Hæreticos in Ecclesiam suscipiebant. Constat autem manus impositionem qua Ecclesia Romana Hæreticos recipiebat, non fuisse confirmatoriam, nec habitam fuisse à Stephano in legitimo verorum Sacramentorum censu. Quis enim crediderit ita amentem futurum fuisse Stephanum, ut quorum Baptisma valere arbitrabatur Hæreticorum, eorum nullam fuisse Confirmationem existimaturus esset? Par est, imò eadem, ut liquet, utriusque in hoc negotio natura & ratio. Si manus impositio Confirmationis Sacramentum est, repeti, & iterari eam non magis quàm Baptismum fas est. Iteravit autem eam Stephanus. Non ergo Confirmationis Sacramentum fuisse putavit.

Respondeo, distinguo antecedens: Et Cyprianus causæ studio abreptus existimabat manuum impositionem, qua Hæreticos redeuntes recipiebat Stephanus & Romana Ecclesia, esse confirmatoriam, & Sacramentum, concedo; & censebat esse meram cœrimoniam, nego. Putabat itaque Cyprianus manuum impositionem redeuntibus Hæreticis adhiberi à Stephano, & cæteris partium ejus Episcopis, ut septiformem Spiritum Sanctum hocce ritu acciperent, velut legitimo Sacramento. At nequaquam ita erat. Manuum enim impositio quam laudatus Pontifex iterabat, reconciliatoria tantùm erat. Unde ab ipso vocatur, *Manus impositio in Pœnitentiam*: quamquam & in Spiritum Sanctum manus imposita Hæreticis redeuntibus dicitur, quatenus ejuratis erroribus, corpori Ecclesiæ copulabantur, & excitatâ per hunc ad unitatem reditum Baptismi gratiâ, quæ in suspenso apud illos erat, Spiritum Sanctum accipiebant, qui extra Ecclesiæ unitatem conferri non potest. Unde Sanctus Augustinus lib. 2. de Baptismo, cap. 16. ait. *Spiritus Sanctus, quòd in sola Catholica per manus impositionem dari dicitur, nimirum hoc intelligi Majores nostri voluerunt, quod Apostolus ait; Quoniam charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis. Non autem habent Dei charitatem, qui Ecclesiæ non diligunt unitatem. Ac per hoc rectè intelligitur dici,*

qui

*non accipi nisi in Catholica Spiritus Sanctus.* Hinc & Sanctus Leo Epistolâ 92. sive 11. postremæ Editionis, ad Rusticum Narbonensem data, cap. 18. de his qui nesciunt qua in secta sint baptizati, sic decernit: *Quoniam, quolibet modo, formam Baptismatis acceperunt; baptizandi non sunt; sed per manus impositionem invocatâ virtute Spiritus Sancti, quam ab Hæreticis accipere non potuerunt, Catholicis copulandi sunt.*

Et Epistola 37. seu 135. novissimæ Editionis, cap. 2. *Quòd si*, inquit, *ab Hæreticis baptizatum quempiam fuisse constiterit, erga hunc nullatenus Sacramentum regenerationis iteretur: sed hoc tantùm quod ibi defuit, conferatur, & per Episcopalis manus impositionem virtutem Spiritus Sancti consequatur.* Quia ergo manua imponi à Stephano Hæreticis redeuntibus ad Ecclesiam noverant Sanctus Cyprianus, aliique Africani Antistites, & ipsis conferri Spiritum Sanctum hac manus impositione Stephanus, & qui ipsi adhærebant, Episcopi asserebant; quamvis non per se, sed ratione Ecclesiasticæ unitatis cui copulabantur: inde occasionem sumpserunt argumentandi contra Stephanum ex impositione manus, quam ab ipso repeti super Hæreticos existimabant, quatenus pars est Sacramenti Confirmationis. Id non solùm constat ex laudatis Sancti Cypriani verbis, verumetiam ex Nemesiani à Tubunis sententia in Concilio Sancti Cypriani: *Neque*, inquit, *Spiritus sine aqua operari potest, neque aqua sine Spiritu. Malè ergo sibi quidam interpretantur, ut dicant, Quòd per manus impositionem Spiritum Sanctum accipiant, & sic recipiantur: Cum manifestum sit utroque Sacramento debere eos renasci in Ecclesia Catholica.* Illud quoque argumentum arripuit, & contra Stephanum torsit Firmilianus in Epistola ad Sanctum Cyprianum. *Si in nomine Christi*, inquit, *valuit foris Baptisma ad hominem purgandum, in ejusdem Christi nomine valere illic potuit & manus impositio ad accipiendum Spiritum Sanctum.*

Objicit secundò Dallæus, disertè pronuntiare Cyprianum, Fideles ex utroque hoc Sacramento nasci. Ex Confirmatione verò Latina nemo in Ecclesia nascitur; tantùm jam ante natus in fide per eam confirmari fingitur. Ergo Latinorum quidem Confirmatio neutrum est ex his à Cypriano significatis Sacramentis; non adeo manus impositio, quæ duorum istorum Sacramentorum unum est. Item ex quocumque Sacramento in Ecclesia nascimur, id Baptismi est Mysterium. Utrumque autem illud à Cypriano memoratum Sacramentum, id est, ex quo homines in Ecclesia nascuntur: ergo utrumque Baptismi Mysterium est. Manus autem impositio, quæ duorum istorum Sacramentorum est alterum, non aliter potest baptismalis Mysterii pars censeri, & ad id pertinere, nisi ut cœrimonia & appendix. Ergo illa manus impositio, quam hic Cyprianus intelligit, Baptismi cœrimonia sive appendix quædam tantùm fuit.

Respondeo, Cyprianum *vò renasci* in propria & strictâ significatione non usurpare, cùm illud ad manuum impositionem refert, quasi manus impositione regeneremur; sed solùm cùm illud referri ad Baptismum, qui est *Lavacrum regenerationis*, ut ait Apostolus: quod satis ipse exponit Epistola 74. ad Pompeium data: *Porro autem*, inquit, *non per manus impositionem quis nascitur, quando accipit Spiritum Sanctum, sed in Baptismo, ut Spiritum jam natus accipiat; sicut in primo homine Adam factum est. Ante enim eum Deus plasmavit, & tunc insufflavit in faciem ejus flatum vitæ. Nec enim potest accipi Spiritus, nisi priùs fuerit qui accipiat.* Hæc itaque Sancti Cypriani verba; *Si utroque Sacramento nascantur*, idem esse patet ac illa, si utroque Sacramento sanctificentur.

Confirmatur secundò tertia probatio ex eodem Sancto Cypriano, Epistola 73. ad Jubaianum data, in qua id solvit quod ex Actibus Apostolorum urgebat Stephanus, ut ostenderet satis esse iis, qui apud Hæreticos baptismum susceperant, manus imponere, neque necesse esse eos iterum baptizare; quòd scilicet Samaritanis à Philippo baptizatis manus dumtaxat ab Apostolis impositam legamus. Huic autem objectioni sic respondet Sanctus Cyprianus: *Idcirco quia legitimum & Ecclesiasticum Baptismum consecuti fuerant, baptizari eos altera non oportebat: sed tantummodo quod deerat, id à Petro & Joanne factum est, ut oratione pro eis habita, & manu imposita, invocaretur, & infunderetur super eos Spiritus Sanctus. Quod nunc quoque apud nos geritur, ut qui in Ecclesia baptizantur, Præpositis Ecclesiæ offerantur, & per nostram orationem ac manus impositionem Spiritum Sanctum consequantur, & signaculo Dominico consummentur.* Porro manus impositio Episcopalis & oratio Spiritum Sanctum advocans super eos qui jam sunt baptizati, eosque signaculo Dominico, id est, Chrismatis unctione consummans, non est mera baptismi cœrimonia, sed proprium seorsim ac legitimum Sacramentum.

Tricatur more solito Dallæus, & respondet primò, Nihil necesse esse *Præpositos Ecclesiæ*, de solis Episcopis accipere: eum titulum tam Presbyterorum, quàm Episcoporum esse communem, qui utrique, sed suo singuli loco atque ordine Ecclesiæ præerant, ejusque Præpositi erant, quod ex nonnullis ejusdem Sancti Cypriani locis ostendit. Respondet secundò, Etiamsi Præpositos de solis hic Episcopis acceperimus, non ideo tamen sequi Presbyteris nefas fuisse manus imponere baptizatis. Respondet tertiò, ultima hæc verba, *Et signaculo Dominico consummentur*, de Spiritu Sancto intelligi.

Verùm vanæ sunt Dallæi strophæ. Etsi enim Præpositi Ecclesiæ quandoque appellentur Presbyteri, hic tamen solos Episcopos intellexit Sanctus Cyprianus, siquidem in Ecclesia idem geri asserit, quod à Petro & Joanne factum est in Samaritis recèns à Philippo baptizatis. Cùm itaque Philippus ad ejus executionem Mysterii Apostolos vocaverit, quod præstare per se potuisset, si mera fuisset Baptismi cœrimonia & appendix: sequitur Præpositos Ecclesiæ quibus offerebantur baptizati ut signaculo Dominico consummarentur, Cypriani ætate, fuisse Apostolorum Successores, id est, Episcopos. Deinde id ostendunt disertè illa verba: *Ut qui in Ecclesia baptizantur, Præpositis Ecclesiæ offerantur, & per nostram orationem & manus impositionem, Spiritum Sanctum consequantur.* Si enim Presbyteros simplices Præpositorum nomine hic intellexisset, non dixisset Præpositis Ecclesiæ offerendos, qui in Ecclesia, & à Presbyteris quidem frequenter tinguntur; siquidem iis jam supponerentur oblati à quibus tincti essent. Nec dixisset, *per nostram*, sed, *per eorum orationem & manus impositionem.*

Sequentia porro verba: *Et signaculo Dominico consummentur*, Spiritus Sancti operationem non significant, ut Dallæus contendit, sed executionem Mysterii quo confertur Spiritus Sanctus: alioqui inutilis esset in una Sancti Cypriani linea repetitio, isque sensus esset: *Per nostram orationem ac manus impositionem Spiritum Sanctum consequantur, & Spiritu Sancto consummentur.*

### §. V.

*Ex Conciliis Illiberritano & Laodiceno idem ostenditur.*

Probatur quartò Propositio ex Concilio Illiberritano, Canone 38. *Peregre navigantes*, inquit, *aut si Ecclesia in proximo non fuerit, posse Fidelem, qui Lavacrum suum integrum habet, nec sit bigamus, baptizare in necessitate; ita ut si supervixerit, ad Episcopum eum perducat, ut per manus impositionem perfici possit.* B Et Canone 77. *Si quis Diaconus regens plebem, sine Episcopo, vel Presbytero aliquot baptizaverit, Episcopus eos per benedictionem perficere debebit.* Manus autem impositio Episcopalis, qua vitæ Christianæ perfectio & robur confertur, Sacramentum Confirmationis est. Nec enim ad Ecclesiæ ordinem atque Disciplinam duntaxat, non ad interiorem animi statum, hæc perfectio tota spectabat, ut effutiit Dallæus. Perfectio siquidem illa fit per infusionem Spiritus Sancti, & signaculi Dominici impressionem, ut priores, posterioresque Patres loquuntur: numquid verò non pertinet ad perficiendum intus animum Spiritus Sancti in- C fusio?

Probatur quintò ex Laodicena Synodo Canone 48. asserente, *Quòd oportet eos qui illuminantur, post Baptisma inungi supercalesti Chrismate, & esse regni Christi participes.* Unctio sanè Chrismatis, quæ post Baptisma adhibetur, non est Baptismi ritus, sed proprii singularisque res Sacramenti.

### §. VI.

*Sancti Cyrilli Hierosolymitani auctoritate Catholica Veritas roboratur.* D

Probatur sextò ex Sancto Cyrillo Hierosolymitano, Catechesi 3. Mystagogica, quæ tota est de Chrismate. *Christi verò*, inquit, *estis facti, posteaquam Sancti Spiritus Imaginem recepistis, & omnia in Imagine facta sunt in vobis: quoniam Christi Imagines estis. At ille quidem cùm in flumine Jordane lavisset corpus in quo Divinitas habitabat, aquis tradidit, ascenditque ex illis, & Spiritus Sanctus substantialiter super eum descendit. Et vobis, postquam similiter ex aquis sacri Lavacri ascendistis, datum est Chrisma, quod imaginem gerit illius quo unctus est* E *Christus: Hoc autem est Spiritus Sanctus...... Cæterum vide ne illud esse putes unguentum merum ac simplex. Quemadmodum enim Panis Eucharistiæ, post Sancti Spiritus invocationem, non ampliùs est panis communis, sed est Corpus Christi: sic & sanctum hoc Unguentum, non ampliùs est unguentum nudum neque commune, postquam jam consecratum est, sed est charisma Christi, & Spiritus Sancti præsentiâ Divinitatis illius effectivum. Quo frons, & alii sensus corporis tui symbolicè inunguntur: & corpus equidem isto visibili unguento perungitur, anima verò sancto vivificoque Spiritu vivificatur.* F Et infra: *Ut Salvator post Baptismum, & illum Sancti Spiritus adventum, egressus in prælium, devicit adversarium: sic & vos post sacrum Baptisma, & Chrisma Mysticum, induti armis Sancti Spiritus, adversus oppositam vobis potestatem consistitis & præliamini.*

Ex quibus colligo primò, chrismationem illam non esse Baptismi cærimoniam, seu initiationis partem ritualem, ut pertendit Dallæus: alioqui Cyrillus de ea egisset in Homiliis de Baptismo, sicut in illis egit de abrenuntiatione Satanæ, de unctione ex oleo exorcizato, de interrogationibus: non autem singularem de Chrismatione, velut altero de Sacramento Homiliam scripsisset, sicut & singula- A res duas de Eucharistia Homilias dixit. Colligo secundò, Chrismationem illam verum ac legitimum Sacramentum esse, siquidem sacrum Chrisma præsentiæ & divinitatis Spiritus Sancti operatorium est, & anima Spiritu Sancto vivificatur, cùm unguento visibili corpus perungitur. Hanc autem sanctificandi vim & impertiendi Spiritus Sancti efficaciam qui per se habet ritus, verè & propriè Sacramentum est. Collígo tertiò, post sacrum Baptisma illam Chrismatis Mystici inunctionem adhibitam esse Neophytis, ut armis B Sancti Spiritus roborati, adversùs oppositas potestates infracto animo pugnarent: adeóque non ad Baptisma ipsum Chrismationem illam pertinuisse, sed singularis rem fuisse Sacramenti, quo Spiritus Sanctus confertur ad robur, id est, Confirmationis.

Objicit Dallæus illa Cyrilli verba: *Hujus sancti Chrismatis dono accepto, appellamini Christiani, ut regenerationi & nomen ipsum verè respondeat. Ante enim quàm hæc gratia vobis donata est, non eratis propriè digni eo nomine: sed pergentes usque eò progressi estis, ut efficeremini Christiani.* Inauditum autem esse clamat Dallæus, ut qui baptizatus est, is propriè C Christiani nomine sit indignus. Unde colligit, illud Cyrilli Chrisma Baptismi partem fuisse, & ad nostræ regenerationis Mysterium pertinuisse. Non enim aliter verè dici posset, Neophytos hoc accepto Chrismate, Christianos tum demum vel esse, vel appellari; quod scilicet per regenerationis Sacramentum, id est Baptismum, & sunt, & appellantur.

Respondeo ex his Sancti Cyrilli verbis colligendum potiùs esse Chrismationem, qua de loquitur, non esse meram Baptismi cærimoniam. Absurdè enim quis dixerit, cærimoniâ ab hominibus institutâ D opus esse ut Christiani appellentur, qui jam sunt in Christo regenerati. Solum igitur Christiani nomen, non autem & rem ipsam Chrismati fert acceptam Cyrillus; quasi hoc nomen ab unctione mystica sit derivatum, adeóque illo indigni sint, qui sacro unguento non sint delibuti, & sic Christi participes & consortes facti, qui Spiritu Sancto unctus est, cujus typus est sacrum Chrisma. Adde, Sanctum Cyrillum eo solùm sensu Christianorum nomine propriè non esse dignos asseruisse, qui Chrismate mystico inuncti non essent; quia singularem illam septiformis Spiritus gratiam non E receperant, quâ baptismalis gratia perficeretur atque consummaretur; & robore ad sustinendos in Christiana militia hostium impetus necessario destituti essent.

### §. VII.

*Testimonio Theodoreti Catholica roboratur Assertio.*

Probatur septimò ex Theodoreto in Notis ad vers. 3. cap. 1. Cantici Canticorum, ubi enarrans F hæc verba, *Unguentum effusum nomen tibi*, ait: *Quod si magis etiam mysticè vis intelligere, sacri Baptismatis Mysterium recordare; in quo qui initiantur, post tyranni abnegationem, & Regis confessionem, spiritualis Unguenti unctionem suscipiunt, veluti regium quoddam sigillum, invisibilem Sanctissimi Spiritus gratiam in unguento, tanquam in typo recipientes.* Certè de oleo ante Baptismum adhibito nemo sanæ mentis Theodoreti verba intellexerit; cùm gratia Spiritus Sancti per olei illius ministerium ante Baptisma non daretur. Loquitur ergo de unctione post Baptismum adhiberi solita, quæ ad Confirmationem pertinet. Inanis porro est Dallæi evasio respondentis, Theodoretum vim dandi

Spiritus

Spiritus Sancti gratiam Unctioni mysticæ tribuisse, quòd gratiam Sancti Spiritus verè largiretur is Baptismus, cui Chrismatio adhærebat, & quidem ad hoc ipsum addita ut Spiritus donum adumbraret, ac repræsentaret. Si enim mens ea fuisset Theodoreti, invisibilem Spiritus Sancti gratiam in Unguento tantùm adumbrari, non autem recipi dixisset, sed potiùs in Baptismo. Nec figuratam Theodoreto locutionem affingere necesse est, cùm proprio in sensu ejus verba intelligi nihil vetet, nec à modo loquendi aliorum Patrum aliena sint, quos figuratæ genus locutionis affectasse quoties hoc de Mysterio locuti sunt, nemini quem non excæcaverit caussæ studium, persuadere Dallæus poterit.

### §. VIII.

### *S. Optatus Milevitanus eidem suffragatur Dogmati.*

Probatur octavò ex Optato Milevitano, lib. 4. adversùs Parmenianum, ubi in Christi Baptismo adumbratum esse docet non solùm Baptismum nostrum, sed etiam unctionem & manus impositionem quæ illum comitantur, fuisse repræsentatas. *Descendit in aquam*, inquit, *non quia erat quod in Deo mundaretur; sed venturum oleum aqua debuit antecedere ad Mysteria initianda, & ordinanda, & implenda Baptismatis. Lotus cùm in Joannis manibus haberetur, secutus est ordo Mysterii, & complevit Pater quod rogaverat Filius, & quod nuntiaverat Spiritus Sanctus. Apertum est cælum Deo Patre ungente. Spiritale oleum statim in imagine columbæ descendit, & insedit capiti ejus, & perfudit eum; unde cœpit dici Christus, quando unctus est à Deo Patre. Cui ne manus impositio defuisse videretur, vox audita est Dei de nube dicentis, Hic est Filius meus, de quo bene sensi, hunc audite. Hoc igitur est, quod lectum est: Oleum peccatoris non unget caput meum.*

Ex his colligitur, tum chrismationem, tum manus impositionem ad singulare aliquod Sacramentum pertinere, quod Confirmationem vocamus; non autem esse Baptismi partes ac ritus. Nam Mysteria Baptismatis, secundùm Optatum, initiantur, ordinantur, & implentur per aquam, quæ venturum ideo oleum, seu Chrismatis Mystici inunctionem antecedit, quam impositio manus sequitur: quemadmodum ad Baptismum Joannis quo tinctus est Christus, non pertinebat ut pars ritualis spirituale oleum, id est, Spiritus Sanctus in imagine columbæ descendens, & vox Patris illum nube inumbrantis, atque clamantis, *Hic est Filius meus.* (*Luc. 3.*) Non enim cùm baptizaretur Jesus, sed *Jesu baptizato, & orante, apertum est cælum, & descendit Spiritus Sanctus corporali specie sicut columba in ipsum, & vox de cælo facta est, Tu es Filius meus dilectus, in te complacuit mihi.*

Nec refert quòd qui initiabantur, ut loti erant, continuò chrismati fuerint: quod probant illa Optati verba; *Spiritale oleum statim in imagine columbæ descendit*: Nunc nonnisi multis post lotionem annis apud nos inunguntur; & quidem multi post susceptam Eucharistiam. Id enim probat olim quidem Confirmationis administrationem ab administratione Baptismatis nullo intervallo fuisse disjunctam; sed continua serie tria hæc Sacramenta fuisse collata, Baptismum, Confirmationem, & Eucharistiam: quæ disciplina jam mutata est. Inde autem non sequitur, unctionem Chrismatis, & manuum impositionem Baptismi ritus meros fuisse, sicut nec Eucharistia Baptismi pars ritualis & appendix dici potest, quantumcumque Baptismo olim adjuncta esset, ac nedum adultis, verùm & infantibus statim post lavacrum porrigeretur.

Confirmatur ex eodem Optato, sive antiquissimo alio Auctore libri 7. contra Parmenianum ipsi adscripti. *Oleum*, inquit, *simplex est, & nomen suum unum & proprium habet: confectum jam Chrisma vocatur, in quo est suavitas, quæ cutem conscientiæ mollit, exclusa duritie peccatorum; quæ animum innovat lenem; quæ sedem Spiritui Sancto parat, ut invitatus illic, asperitate fugata, libenter inhabitare dignetur. Hæc est suavitas olei, quam possunt muscæ morituræ corrumpere. Si nos exterminaremus à vobis confectum oleum, meritò nos muscas morituras appellare possetis: sed, dum quod à vobis unctum est, tale servamus, quale suscepimus, muscæ morituræ esse non possumus.* Vides spiritalem effectum & Sacramento novæ legis proprium Chrismationi tribui, nimirum animi innovationem, & advocationem Spiritus Sancti?

Confirmatur secundò ex eodem Optato lib. 2. ubi sacrilegum æquè facinus ab Donatistis perpetratum innuit, cùm sacri Chrismatis ampullam per fenestram projecerunt, & cùm Eucharistiam canibus fuderunt; & miraculo sceleris utriusque immanitatem fuisse demonstratam refert: quod argumento est eodem prope loco inter Sacrosancta censeri Chrisma mysticum ac Eucharistiam: utique quia singularis Sacramenti, id est, Confirmationis materia est. *Facinus immane commissum est*, inquit, *ut omnia Sacrosancta supra memorati vestri Episcopi violarent, jusserunt Eucharistiam canibus fundi; non sine signo divini judicii. Nam iidem canes accensi rabie, ipsos dominos suos quasi latrones Sancti Corporis reos, dente vindice tanquam ignotos, & inimicos laniaverunt. Ampullam quoque Chrismatis per fenestram, ut frangerent, jactaverunt. Et cùm casum adjuvaret abjectio, non defuit manus Angelica, quæ ampullam spiritali subvectione deduceret: projecta casum sentire non potuit, Deo muniente, illæsa inter saxa consedit.*

### §. IX.

### *S. Pacianus ejusdem veritatis Assertor.*

Probatur nonò ex Sancto Paciano Barcinonensi Episcopo Epistola 1. adversùs Sympronianum Novatianum, ubi probat jus remittendi peccata competere Episcopis, eo quòd Apostolis dictum sit à Christo, Quæcunque solvissent, soluta fore. Excipiebant Novatiani hoc dictum fuisse solis Apostolis: quam exceptionem Pacianus sic refellit. *An tantum*, inquit, *hoc solis Apostolis licet? Ergo & baptizare solis licet: & Spiritum Sanctum dare solis & solis Gentium peccata purgare; quia totum hoc non aliis quam Apostolis imperatum est. Quod si uno in loco & resolutio vinculorum, & Sacramenti potestas datur: aut totum ad nos ex Apostolorum forma & potestate deductum est; aut nec illud ex Decretis relaxatum est.* Et infrà: *Si ergo & Lavacri & Chrismatis potestas, majorum longe charismatum, ad Episcopos inde descendit, & ligandi quoque jus adfuit atque solvendi.* Porro Chrismatis potestas majora inter charismata non conseretur cum Baptismo, nec ad Spiritum Sanctum impartiendum diceretur destinata, & ab Apostolis ad Episcopos derivata, nisi Chrisma ad Sacramentum à Baptismo diversum pertineret. Cur enim ex Chrismatis potestate ab Apostolis ad Antistites universos transfusa, Pacianus argumentatus esset ad probandum contra Novatianos, transmissam quoque esse ad eos ligandi & solvendi potestatem, si meræ celebratio cæremoniæ chrismatio Spiritum Sanctum advocans extitisset? Lepidum sanè & jocu-

lare fuisset istud ratiocinium : *Potestas exequendi ritum baptismalem ab Apostolis ad Episcopos descendit : ergo & ligandi solvendique potestas inde adfluit.*

Confirmatur ex illis ejusdem Paciani verbis Epistola 3. ad Symptonianum ; *Vestra plebi unde Spiritus Sanctus, quam non consignat unctus Sacerdos?* Consignatione igitur Antistitum dari Spiritum Sanctum plebibus Christianis, Pacianus existimavit, ex Ecclesiæ sententia : proindèque illam consignationem non esse meram Baptismi cœrimoniam, sed proprium per se ac seorsim Sacramentum.

Objicit Dallæus hæc Paciani verba in Sermone seu Epistola de Baptismo ; *Generat Christus in Ecclesia per suos Sacerdotes, ut idem Apostolus ; In Christo autem ego vos genui ; atque ita Christi semen, id est Dei Spiritus, novum hominem alvo matris agitatum, & partu fontis exceptum, manibus Sacerdotis effundit, fide tamen pronuba. Neque enim aut insertus in Ecclesiam videbitur, qui non credidit, aut genitus à Christo, qui Spiritum ipso non recepit. Credendum est igitur posse nos nasci. Sic enim ait Philippus : Si credis, potes. Recipiendus est Christus ut generet, quia sic Joannes Apostolus dicit : Quotquot enim receperunt, dedit eis potestatem filios Dei fieri. Hæc autem compleri aliàs nequeunt, nisi Lavacri, & Chrismatis, & Antistitis Sacramento. Lavacro enim peccata purgantur, Chrismate Sanctus Spiritus superfunditur : utraque verò ista manu & ore Antistitis impetramus ; atque ita totus homo renascitur & innovatur in Christo ; ut sicut resurrexit Christus à mortuis, sic & nos in novitate vitæ ambulemus.* Quo ex loco Dallæus colligit Chrismationem inter solennes Baptismi ritus à Paciano manifestè censeri : Primò quia id ipse Sermonis titulus qui *De Baptismo est*, clamat. Quorsum enim hæc, si non pertinent ad Baptismum, in eo Tractatu agitat, qui de Baptismo est? Secundò, quia ipse Auctor ita in limine præfatur : *Aperire desidero qualiter in Baptismo nascamur, & qualiter innovemur.* At Chrisma inter cætera censet, quibus adhibitis nascimur : ergo & Chrisma Baptismi est, in quo scilicet qualiter nascamur dicturum se profitetur. Tertiò, quia ista de quibus dixit, *Christum recipere, & nasci*, compleri aliàs posse negat, *Nisi Lavacri, & Chrismatis, & Antistitis Sacramento.* Igitur & Lavacri, & Chrismatis, & Antistitis (id est manus impositionis) unum Sacramentum esse significat, qui in singulari numero, non in plurali de iis loquitur. Huc accedit, quod cùm Pacianus Lavacro, & Chrismate, & Antistite ea compleri scribat, de quibus dixerat : apertè significat hæc omnia Baptismi esse. Cùm enim hæc quæ illis compleri dicit, non alia esse quàm Christum & Spiritum ad hoc ut nascamur recipere ; qui hæc illis compleri dicit, idem intelligit ac si dixisset, nos illis, id est, Lavacro, & Antistitis manu, & Chrismate nasci. Non autem alio Sacramento nascimur, quàm Baptismo. Ergo hæc quibus nasci nos significat, omnia unum Baptismi Sacramentum esse Pacianus putavit.

Respondeo, Perperàm hoc ex loco Dallæum inferre Chrismationem cœrimoniam Baptismi meram esse, & caducam esse ejus probationemn ex inscriptione Sermonis *de Baptismo* petitam. Non enim necesse est ut ad Baptismum velut partes ejus aut ritus pertineant omnia de quibus hîc scribit. Satis est ut ipsi quovis modo adjuncta sint, & ad illud consequantur. Cùm itaque statim post Baptismum Confirmatio conferretur, ex Ecclesiæ Disciplina, Paciani temporibus, non mirum quòd, in Sermone de Baptismo, illius meminerit, quamvis per se & seorsim Sacramentum esse censeret. Quod autem *renasci & innovari* ad Lavacrum, & Chrisma, & Episcopalis manus impositionem Sanctus Pacianus refert, divisivè intelligendum est : ita ut regeneratio quidem spiritualis per Baptismum fiat ; innovatio autem quædam singularis quæ fit per Spiritus Sancti superesfusionem, ad Chrismationem & manus impositionem pertineat. Innovatur enim homo & per Baptismum in quo peccata ipsius purgantur, & per Confirmationis Sacramentum, quò vim Spiritus Sancti adipiscitur, & uberioribus gratiæ incrementis augetur, & quò prima sanctitas per Baptismum suscepta consummatur.

§. X.

*S. Hieronymus ejusdem Traditionis testis.*

Probatur decimò ex Sancto Hieronymo in Dialogo adversùs Luciferianos, ubi Heterodoxus Interlocutor hæc habet : *An nescis Ecclesiarum hunc esse morem, ut baptizatis postea manus imponantur, & ita invocetur Spiritus Sanctus? Exigis ubi scriptum sit? In Actibus Apostolorum. Etiamsi Scripturæ auctoritas non subesset, totius orbis in hanc partem consensus instar præcepti obtineret.* Id verò non diffitetur Sanctus Hieronymus. *Non quidem abnuo*, inquit, *hanc esse Ecclesiarum consuetudinem, ut ad eos qui longè in minoribus urbibus per Presbyteros & Diaconos baptizati sunt, Episcopus ad invocationem Sancti Spiritus manum impositurus excurrat.* Porro manus impositio Episcopalis invocans Spiritum Sanctum, quæ ex Actibus Apostolorum auctoritatem habet, est Sacramentum Confirmationis, quod Latina pariter & Græca Ecclesia prædicat & profitetur. Itaque Sancti Hieronymi ætate Confirmationem esse meram Baptismi cœrimoniam non censebat Ecclesia, sed Sacramentum propriè dictum, & à baptismo distinctum.

Nec refert quòd Sanctus Hieronymus Chrismationis non meminerit. Satis namque est quòd ipsam non excludat, nec dicat eos, qui à Presbyteris & Diaconis in Baptismo chrismati essent, deinde ab Episcopis sola manuum impositione, sine Chrismate confirmatos.

Objicit Dallæus, in eo Dialogo, cùm dixisset Luciferianus, apud suos Laïcum ab Ariana hæresi conversum recipi per manus impositionem & invocationem Spiritus Sancti, quòd scirent ab Hæreticis Spiritum Sanctum non posse conferri, Sanctum Hieronymum respondere ; id nulla necessitate factum, quasi qui baptizati essent, ii Spiritu Sancto carerent, qui per Episcopalem manus impositionem tradi dicebatur : *Spiritum enim ferri super aquas, sine eo non esse Baptisma, verum esse Baptisma quo Spiritus Sanctus adveniat* ; idque demonstrasse Spiritus Sancti in Christum descensum, *Statim ut caput extulit de fluento, & qui Spiritum non potest dare, ne baptizare quidem posse ; Ecclesiæ Baptisma sine Spiritu Sancto nullum esse.* Disertè profitetur se asserere *in vero Baptismate Spiritum Sanctum tribui, qui per manus Episcopi traditur.* Idque inde probat, quòd alioqui, *Si ad Episcopi tantùm imprecationem Spiritus Sanctus defluit, lugendi sunt qui in vinculis, aut castellis, aut in remotioribus locis, per Presbyteros & Diaconos baptizati, ante dormierunt, quam ab Episcopis inviserentur.* Igitur vi Baptismi, omnibus qui initiantur, confertur Spiritus Sanctus. Unde sequitur, quicquid Baptismo additur, id, si propriè loquendum est, nullam per se vim habere ad Spiritum conferendum ; quo in genere cùm sint & Chrismatio, & manus impositio, apparet eas, ex Hieronymi sententia, significare quidem & adumbrare Spiritum posse, conferre eum, qui Neophytis necessarius est, per se non valere, quem illi ex salutari Lavacro hauriunt, non ab ullo alio ritu.

Secundò

Secundò, satis ostendit Sanctus Hieronymus id non à Christo, non ab Apostolis, sed ab Ecclesia institutum, neque in Scripturis præceptum, sed usu introductum. Nam & Luciferianum dicentem inducit: *Ecclesiarum hunc esse morem, & consensum orbis instar præcepti obtinere*: & cœrimonias Ecclesiasticas referentem, usque adeo hunc quoque usum accensentem. Atqui si hic mos est ejusdem ordinis cum istis, quos ille recenset, ritibus, omnino necesse est ut pro Ecclesiæ arbitrio mutabilis fuerit. Nam illa quidem quæ Luciferianus isthic recenset, *In Lavacro ter caput mergitare, egreßos lactis & mellis concordiam prægustare, die Dominico & per totam Pentecostem nec de genicalis adorare, & jejunium solvere*, apud Latinos omnia antiquata atque abolita sunt. Ergo nihil vetat ipsam quoque Episcopalem manus impositionem antiquari. Hæc Luciferianus Interlocutor, quæ Sanctus Hieronymus eo ipso admittit, quòd non refellit. Imò & ipse eadem confirmat. Nam eadem de re verba faciens, *Consuetudinem Ecclesiarum*, item *Ecclesiæ leges* vocat, non Domini aut Apostolorum præceptum. Sed & causam refert, qua impulsa fuit Ecclesia ad hunc inducendum morem, & rationem quam in eo inducendo secuta est. Causam fuisse ait *Episcopi honorem*. Rationem verò hanc edit, quod sicut Apostoli Spiritum, tametsi jam antea & in Baptismo, & ex divino Magistri flatu postea haustum, iterum ipso Pentecostes die acceperunt; ita quoque consentaneum esset, ut Spiritum Neophyti, licet jam baptizati, manu & imprecatione Antistitis acciperent: *Non quidem abnuo*, inquit, *hanc esse Ecclesiarum consuetudinem, ut ad eos qui longè in minoribus urbibus per Presbyteros & Diaconos baptizati sunt, Episcopus ad invocationem Sancti Spiritus manum impositurus excurrat. Sed quale est ut Leges Ecclesiæ ad hæresim transferas? Quòd si hoc loco quæris, quare in Ecclesia baptizatus, nisi per manus Episcopi non accipiat Spiritum Sanctum, quem nos asserimus in vero Baptismate tribui; disce hanc observationem ex ea auctoritate descendere, quod post Ascensum Domini Spiritus Sanctus ad Apostolos descendit. Et multis in locis idem factum reperimus, ad honorem potiùs Sacerdotii, quàm ad legis necessitatem.*

Respondeo, velle tantùm Sanctum Hieronymum, non esse absolutè necessarium ad salutem Confirmationis Sacramentum, quia & in Baptismo accipitur Spiritus Sanctus. At non ait inutilem esse manuum impositionem Episcopi, aut meram esse Baptismi cœrimoniam, vel symbolum quô Spiritus Sanctus adumbretur: imò ibidem asserit *per eam accipi Spiritum Sanctum*. Et licet ad Ecclesiæ consuetudinem Confirmationem referat; eam tamen ex Scriptura sacra descendere ait, & *ex ea auctoritate, quòd post Ascensum Domini Spiritus Sanctus ad Apostolos descendit*. Nec cum Ecclesiasticis ritibus, quos ibi recenset, Confirmationem enumerat Luciferianus, aut eodem loco illam habet Hieronymus, quo trinam in Baptismo immersionem, lactis & mellis prægustationem, &c. sed institutam ab Heterodoxo comparationem in eo solùm admittit, quòd sicut hi ritus in Ecclesiis observari, auctoritatem sibi scriptæ legis usurpant, quamvis nullum de illis extet divinæ Scripturæ præceptum; ita totius orbis Christiani consensus valeret ad Episcopalis manus impositionis consuetudinem vindicandam, quamvis nulla Scripturæ sacræ auctoritas subesset. Quòd autem ait id factum *ad honorem Sacerdotii, potiùs quàm ad legis necessitatem*, non probat inventum esse humanum; sed Deum Pontifices, qui Sacerdotii apicem tenent, hujus administratione Sacramenti honorare voluisse, quamvis lex Evangelica illud necessarium esse ad salutem non edicat.

## §. XI.

### *SS. Ambrosii & Augustini auctoritate idem conficitur.*

Probatur undecimò ex Sancto Ambrosio lib. 3. de Sacramentis, cap. 2. *Sequitur*, inquit, *spirituale signaculum, quia post fontem superest ut perfectio fiat, quando ad invocationem Sacerdotis Spiritus Sanctus infunditur, Spiritus sapientiæ & intellectus, Spiritus consilii atque virtutis, Spiritus cognitionis atque pietatis, Spiritus sancti timoris. Septem quasi virtutes Spiritus. Et omnes quidem virtutes ad Spiritum pertinent: sed ista quasi Cardinales sunt, quasi principales . . . Ista sunt septem virtutes, quando consignaris.*

Et libro 6. cap. 2. *Baptizatus es*, inquit, *in nomine Trinitatis. Deus qui te unxit & signavit, posuit Spiritum Sanctum in corde tuo. Accipe aliud, Christum dicentem ad Ecclesiam: Pone me ut signaculum in corde tuo. Ergo unxit te Deus, signavit te Christus. Quomodo? Quia crucis ipsius signatus es formâ. In Baptismate quasi specialiter crucifigeris Christo . . . Deinde quasi specialiter, quandò accipis spiritale signaculum.* Tum denique libro de iis qui Mysteriis initiantur, cap. 7. *Repete*, inquit, *quia accepisti signaculum spirituale: Serva quod accepisti. Signavit te Deus Pater, confirmavit te Christus Dominus, & dedit pignus Spiritus in corde tuo.* Atqui spirituale signaculum, quod post fontem, id est, post Baptismum superest, quo ad invocationem Sacerdotis Spiritus Sanctus septiformis infunditur, est Sacramentum à Baptismo distinctum, non verò ejus cœrimonia aut appendix. Igitur Confirmatio est verum per se & propriè dictum legis Evangelicæ Sacramentum. Scio Dallæum, aliosque Heterodoxos utrumque hoc Opus abjudicare Sancto Ambrosio: sed genuinos esse Sanctissimi Doctoris libros suo loco & tempore ostendemus. Satis sit impræsentiarum illos antiquissimi Auctoris fœtum esse.

Probatur duodecimò ex Sancto Augustino, libro 15. de Trinitate cap. 26. ubi de Christi Discipulis sic loquitur. *Neque enim aliquis Discipulorum ejus dedit Spiritum Sanctum. Orabant quippe ut veniret in eos quibus manus imponebant, non ipsi eum dabant. Quem morem in suis Præpositis etiam nunc servat Ecclesia. Denique & Simon Magus offerens Apostolis pecuniam non ait, Date mihi & hanc potestatem ut dem Spiritum Sanctum: sed, Cuicumque imposuero manus, ut accipiat Spiritum Sanctum. Quia neque Scriptura superiùs dixerat, Videns autem Simon quòd Apostoli darent Spiritum Sanctum: sed dixerat, Videns autem Simon, quòd per impositionem manuum Apostolorum daretur Spiritus Sanctus.* Ex quibus sic colligo: Episcopi ex Sancto Augustino idem præstant imponendo manus Neophitis quod præstabant Apostoli manus imponendo recentibus Christianis: sed per Apostolorum manuum impositionem & orationem dabatur Spiritus Sanctus: ergo & per manuum impositionem Episcoporum in Confirmatione: adeoque illa Sacramentum est, non mera Baptismi cerimonia, ut Dallæus pertendit.

Objicit Dallæus, Quòd Augustinus Præpositos manum imponentes statuit non ipsos Spiritum dare, sed orare duntaxat ut veniat in eos quibus manum imponunt: Ergo, inquit, non ex opere operato, sed ex opere operantis Spiritus per manus impositionem dabatur.

Respondeo, nego consequens. Solùm enim negat

negat Sanctus Augustinus, Apostolos dedisse Spiritum Sanctum quomodo Christus dedit, auctoritate scilicet propria; non autem negat ipsos dedisse Spiritum Sanctum auctoritate à Christo accepta, ut ejus Ministros; illum impositione manuum & oratione super Fideles advocando. Quæ vis cùm impositioni manuum Apostolicæ, & orationi per se conveniret, & ad illius ritus exhibitionem Spiritus septiformis in Fideles semper effunderetur, argumento est illam ex opere operato Spiritum Sanctum contulisse. Hanc fuisse Sancti Augustini mentem patet tum ex verbis antecedentibus, cùm ex adjunctis. Cùm enim præmisisset, Christum insufflavisse in Apostolos, & dixisse eis, *Accipite Spiritum Sanctum*, ut eum de se procedere ostenderet, deinde illum etiam de cœlo misisse die Pentecostes, tum subjungit: *Quomodo ergo Deus non est qui dat Spiritum Sanctum? Imò quantus Deus est qui dat Deum? Neque enim aliquis Discipulorum ejus dedit Spiritum Sanctum*, &c. Postea demum addit: *In eo etiam quod de illo scriptum est, quòd acceperit à Patre promissionem Spiritus Sancti, & effuderit, utraque natura monstrata est, & humana scilicet & divina. Accepit quippe ut homo, effudit ut Deus. Nos autem accipere quidem hoc donum possumus pro modulo nostro; effundere autem super alios non utique possumus: sed ut hoc fiat, Deum super eos, à quo hoc efficitur, invocamus.*

Præterea, infantes manuum impositione accipere Spiritum Sanctum Augustinus asserit, quem tamen ex opere operantis ipsos non consequi evidens est, quantùm est ex ipsorum parte, cùm nullum per se pietatis actum elicere possint; nec ex parte Episcoporum manus imponentium, qui forsan improbi sunt. *Primis temporibus* (inquit Tractatu 6. in Joannem) *cadebat super credentes Spiritus Sanctus & loquebantur linguis. Signa erant tempori opportuna. Oportebat enim ita significari in omnibus linguis Spiritum Sanctum; quia Evangelium Dei per omnes linguas cursurum erat toto orbe terrarum. Significatum est illud, & transiit. Nunquid modo quibus imponitur manus ut accipiant Spiritum Sanctum, hoc expectatur ut linguis loquantur? Aut quando imposuimus manum istis infantibus, attendit unusquisque vestrûm utrum linguis loquerentur? Et cùm videret eos linguis non loqui, ita perverso corde aliquis fuit ut diceret: Non acceperunt isti Spiritum Sanctum? Nam si accepissent, linguis loquerentur, quemadmodum tunc factum est. Si ergo per hæc miracula modò testimonium præsentiæ Spiritus Sancti non fit: unde cognoscit quisque accepisse se Spiritum Sanctum? Interroget cor suum. Si diligit fratrem, manet Spiritus Dei in illo.*

Objicit Dallæus verba illa Sancti Augustini lib. 3. de Baptismo contra Donatistas cap. 16. *Manus autem impositio non sicut Baptismus repeti non potest. Quid est enim aliud nisi oratio super hominem?* Non igitur inquit, manus impositio Sacramentum Augustino verum ac propriè dictum fuit. Quis enim de Baptismo, vel de Eucharistia, vel dicat, vel dicentem ferat, nihil aliud utrumque esse nisi orationem super hominem? Profectò quicquid verè ac propriè Sacramentum est, illud omninò aliud est quàm oratio super hominem. Huc accedit quòd Augustinus actum illum suum ad Spiritum Sanctum tradendum fieri solitum, iterari posse affirmat. Latini suam Confirmationem, non magis quàm Baptismum repeti posse, quod notum est, docent.

Respondeo, nego consequens. Non enim manus impositionem orationem esse dixit S. Augustinus, quòd oratione tota constet ejus essentia, sed quòd manuum impositioni semper conjuncta sit oratio. Non est autem par ratio ut Baptismus, vel Eucharistia dicantur oratio super hominem. Forma nam-

A que Baptismi non est deprecatoria. Eucharistiæ verò forma sunt verba consecratoria, quæ sæpe à Patribus mysticæ preces appellantur, non quidem super hominem fusæ, sed super dona in altari oblata, panem scilicet ac vinum. Confirmationis autem forma est oratio Spiritum septiformem super hominem invocans: Non super Chrisma, quia Sacramentum istud usu, non consecratione perficitur. Quamquam nec de manuum impositione, chrismationi conjuncta, & confirmatoria loquitur S. Augustinus, sed de manuum impositione, cujus semper comes est Oratio, quamcumque ad speciem con-
B trahatur, vel quemcumque destinetur ad finem, & quæ repeti potest, cùm non solùm in Confirmatione, & Ordinatione, sed etiam in reconciliatione Hæreticorum usurpetur, ut ad Catholicam unitatem & pacem redeuntes, Spiritum Sanctum & charitatem recipiant in illa unitate, quatenus vis Baptismi & Confirmationis per Hæresim impedita & sopita, Ecclesiæ orationibus & pace suscitatur. Verba Sancti Augustini hunc sensum facilè patiuntur. *Spiritus autem Sanctus*, inquit, *quòd in sola Catholica per manus impositionem dari dicitur, nimirum hoc intelligi Majores nostri voluerunt, quod Apostolus ait,*
C *Quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis. Ipsa est enim charitas quam non habent, qui ab Ecclesiæ Catholicæ communione præcisi sunt; ac per hoc, etiamsi linguis hominum loquantur & Angelorum, si sciant omnia Sacramenta & omnem scientiam; & si omnem habeant Prophetiam, & omnem fidem, ita ut montes transferant, & distribuant omnia sua pauperibus, & tradant corpus suum ut ardeat, nihil eis prodest. Non autem habent Dei charitatem, qui Ecclesiæ non diligunt unitatem, ac per hoc rectè intelligitur dici non accipi nisi in Catholica Spiritus Sanctus. Neque enim temporalibus & sensibilibus miraculis attestantibus*
D *per manus impositionem modò datur Spiritus Sanctus, sicut antea dabatur ad commendationem rudis fidei, & Ecclesiæ primordia dilatanda. Quis enim nunc hoc expectat, ut ii quibus manus ad accipiendum Spiritum Sanctum imponitur, repentè incipiant linguis loqui? Sed invisibiliter & latenter intelligitur per vinculum pacis eorum cordibus divina charitas inspirari, ut possint dicere: Quoniam charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis..... Cùm ergo sit aliud Sacramentum quod habere etiam Simon Magus potuit; aliud operatio Spiritus, quæ in malis etiam hominibus fieri so-*
E *let, sicut Saul habuit prophetiam; aliud operatio ejusdem Spiritus, quam nisi boni habere non possunt, sicut est finis præcepti charitas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta; quodlibet Hæretici & Schismatici accipiant, charitas quæ cooperit multitudinem peccatorum, proprium donum est Catholicæ unitatis & pacis, nec ejus in omnibus, quia nec ejus sunt omnes. Præter ipsam tamen esse illa charitas non potest, sine qua cætera, etiamsi agnosci & approbari possunt, prodesse tamen & liberare non possunt. Manus autem impositio non sicut Baptismus repeti non potest. Quid est enim aliud nisi oratio super homi-*
F *nem?* De Baptismo Hæreticorum agebat Sanctus Augustinus: contendebat illos accipere Sacramentum, negabat accipere Spiritum Sanctum, nisi cùm ab hæresi resipiscunt, & unitati Catholicæ sociantur, quia Spiritus Sanctus non datur nisi in Ecclesia Catholica. Charitatem, qua susceptus extra Ecclesiam Baptismus ipsis prosit, latenter & invisibiliter per vinculum pacis eorum cordibus inspirari asserebat. Cùm itaque reciperentur in Ecclesiam Hæretici per manuum impositionem & orationem, illa manus impositio qua de loquitur hoc in loco, est reconciliatoria; vel certè manus impositio in genere, quæ semel adhibita in Confir-

matione

mationе, secundò adhibebatur in Hæreticorum reconciliatione, quamvis diversæ speciei esset, prout confirmatoria, & prout reconciliatoria. Quòd autem confirmatoriam manus impositionem repeti noluerit Sanctus Augustinus, etiamsi Baptismi cærimoniam meram censuisset, evidens est. Cùm enim integrum Baptismum, & nusquam repetendum, accipere Hæreticos totis septem libris de Baptismo contra Donatistas propugnet; nec impositionem manuum, quæ Dallæo pars est ritualis Baptismi, nobis verò singulare Sacramentum in consecratione quadam non secus ac Baptismus positum, iterari voluisset.

Confirmatur duodecima probatio ex eodem Sancto Augustino lib. 2. contra Literas Petiliani, capite 104. ubi exponens illa verba, *Sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron,* ait: *Et in hoc unguento Sacramentum Chrismatis vultis interpretari, quod quidem in genere visibilium signaculorum sacrosanctum est, sicut ipse Baptismus: sed potest esse & in hominibus pessimis in operibus carnis vitam consumentibus, & regnum cælorum non possessuris, & ideo nec ad barbam Aaron, nec ad oram vestimenti ejus, nec ad ullam contextionem vestis Sacerdotalis pertinentibus* ... *Discerne ergo visibile sanctum Sacramentum, quod esse & in bonis, & in malis potest; illis ad præmium, illis ad judicium, ab invisibili unctione charitatis, quæ propria bonorum est.* Vides Sanctum Augustinum Confirmationem Sacramentorum loco & numero habere sicut Baptismum ipsum quô de agebat, nec de illa velut de Baptismi ritu loqui. Sanè quoscunque in gyros se contorqueat Dallæus ut vim hujus testimonii declinet, nusquam ostendet Augustinum de Baptismi cærimoniis, verbi gratia de exorcismis, & interrogationibus dixisse, illas esse Sacramenta, in genere visibilium signaculorum, id est, Sacramentorum, sacrosanctas esse, sicut ipsum Baptismum.

Præterea Chrismationi tribuit Sanctus Augustinus invisibilem unctionem charitatis; illiusque effectum præterea alterum agnoscit, nimirum internam quandam, perpetuam; & indelebilem consecrationem, id est, caracterem, quæ & in malis est ad judicium. Hæc autem vero & propriè dicto Sacramento, non meræ cærimoniæ conveniunt. Confirmationem itaque Sacramentorum loco & numero censuisse Sanctum Augustinum negare nemo potest, nisi projectæ audaciæ, & invictæ pertinaciæ.

His gemina sunt, quæ Tractatu 3. in Epistolam S. Joannis scribit: *Unctionis Sacramentum est*, inquit, *virtus ipsa invisibilis*. Quæ virtus quid efficiat, continuò exponit: *Unctio invisibilis Spiritus Sanctus, Unctio invisibilis charitas est.*

## §. XII.

### *Innocentii I. pro eodem Dogmate testimonium.*

Probatur decimo tertiò ex Innocentio I. Romano Pontifice in Epistola ad Decentium Eugubinum Episcopum, quam pridem Isidorus Hispalensis, Rabanus, & Amalarius laudarunt, in qua de Neophytorum consignatione illius Episcopi consultationi sic respondet capite 3. *De consignandis verò infantibus manifestum est, non ab alio quàm ab Episcopo fieri licere. Nam Presbyteri, licet sint Sacerdotes, Pontificatus tamen apicem non habent. Hæc autem Pontificibus solis deberi, ut vel consignent, vel Paracletum Spiritum tradant, non solum consuetudo Ecclesiastica demonstrat, verùm & illa lectio Actuum Apostolorum, quæ asserit, Petrum & Joan-* A *nem esse directos, qui jam baptizatis traderent Spiritum Sanctum. Nam Presbyteris, seu extra Episcopum, seu præsente Episcopo baptizant, chrismate baptizatos ungere licet, sed quod ab Episcopo fuerit consecratum, non tamen frontem ex eodem oleo signare, quod solis debetur Episcopis, cùm tradunt Spiritum Paracletum. Verba vero dicere non possum, ne magis prodere videar, quàm ad consultationem respondere.* Ibi Innocentius duplicem Chrismationem distinguit, unam quæ in vertice fiat, alteram quæ in fronte. Primam inter solennes Baptismi cærimonias recenset; secundam Sacramen- B tum agnoscit, quo traditur Baptizatis Spiritus Sanctus. Primæ jus Chrismationis Presbyteris tribuit: secundæ potestatem solis Episcopis asserit, tum ex Actibus Apostolorum, cùm ex Ecclesiæ consuetudine, non Romanæ solùm, ut asserit Dallæus, sed universæ. Nec ideò falsi reus est Innocentius, ut procacissimus Auctor improperat: Nam iisdem temporibus ea erat Ecclesiæ Orientalis sententia & usus, ut ex Sancto Chrysostomo Homilia 18. in Acta colligitur, ubi quærens cur Philippus Samaritanis quos baptizaverat, non tradidisset Spiritum Sanctum, sed hoc C munus Petro & Joanni reservasset, ait: *Videtur mihi hic Philippus unus è septem fuisse, secundus a Stephano. Ideo & baptizans Spiritum baptizatis non dabat: non enim potestatem habebat. Hoc quippe donum solorum duodecim erat.* Et infrà: *Potestatem quidem acceperant* (inferiores Ministri) *faciendi signa, non tamen Spiritum aliis dandi. Hoc igitur in Apostolis erat singulare. Quare Ecclesiæ Coryphæos, nec ullos alios videre est hoc facientes.* Testatur igitur, tum potestatem conferendi Sacramentum Confirmationis solis Apostolis, eorumque successoribus Episcopis datam; D tum suo tempore hos solos ea potestate usos esse. Impudenter itaque adversùs Innocentium I. Dallæus oblatrat, quòd Episcopis solis jus frontalis Chrismationis quâ traditur Spiritus Sanctus, ex Ecclesiæ consuetudine, & ex Actis Apostolorum vindicaverit.

Non sequitur porro jus illius ministerii valde dubium atque obscurum eo tempore fuisse, de quo Eugubinus Episcopus Romanum Pontificem interpellandum putaverit: Non enim de Confirmationis Ministro, aut de Confirmatione ipsa Innocentium consuluerat Decentius, quem ignoE rasse quod juris erat Episcopalis, non est verisimile: sed de unctione quam Presbyteri in Baptismo adhibere non ita pridem solebant, ex Institutione Silvestri sensim ad omnes Ecclesias propagata. Illam porrò unctionem, quam vertici adhiberi solenne fuerat, Umbriæ, cujus erat Eugubium civitas, Presbyteri, ad frontem extenderant. Hoc de abusu Innocentium I. Decentius monuit, rogavitque num liceret Presbyteris Neophytorum frontes in solenni Baptismo inungere; cùm frontis Chrismatio ad Confirmationem pertineret, quam F Episcopi soli conferebant. Respondit Innocentius, Presbyteris licere ungere baptizatos extra frontem, Chrismate quod ab Episcopo fuisset consecratum, non tamen frontem ex eodem oleo signare, quia hoc solis debetur Episcopis; cùm Spiritum Sanctum in Confirmatione, cujus ordinarii sunt Ministri, conferunt. Ex unius igitur Eugubinæ Ecclesiæ Presbyterorum usu, vel totius (si demus) Umbriæ, perperàm Dallæus colligit id juris fuisse penès totius Ecclesiæ Presbyteros, vel id fuisse ab ipsis universim usurpatum, ut Neophytos in fronte inungerent.

## §. XIII.

*Arausicanæ I. Synodi Canon II. idem probat ; cujus sensus discutitur.*

Probatur decimoquartò ex Arausicana Synodo prima, quæ anno Christi 441. celebrata est, Canone 2. cujus lectionem sic restituit Sirmondus Tom. 1. Conciliorum Galliæ : *Nullum Ministrorum, qui baptizandi recepit officium, sine Chrismate usquam debere progredi, quia inter nos placuit semel chrismari. De eo autem qui in Baptismate, quacumque necessitate faciente, non chrismatus fuerit, in Confirmatione Sacerdos commonebitur. Nam inter quoslibet Chrismatis ipsius nonnisi una benedictio est; non ut prajudicans quidquam, sed ut non necessaria habeatur repetita Chrismatio.* Mentem Canonis hanc esse ait Sirmondus, ut unicam, eamque in fronte, Chrismatis unctionem fieri præcipiat, ideòque Ministrum Baptismi Chrisma in promptu habere, ut baptizatum mox inungat. Si quo verò casu chrismatus in Baptismate quisquam non fuerit, commonendum Episcopum in Confirmatione ; nempe ut baptizatus, qui Chrismate in Baptismo linitus non est, tunc ab Episcopo chrismetur. Chrismatis unam esse benedictionem, vel in Baptismo, vel in Confirmatione. Non esse autem necessariam repetitam Chrismationem, semel scilicet à Presbytero in Baptismo, & iterum ab Episcopo in Confirmatione ; quæ sola manuum impositione confertur.

Petrus Aurelius Binii editionem retinendam esse contendit, sicque legendum esse finem Canonis : *Non ut prajudicans quidquam dico, sed ut necessaria habeatur repetita Chrismatio.* Sirmondum stylo mordacissimo vexat propter adjectam negationem. Hanc verò Canoni laudato interpretationem adhibet. Nullus Presbyterorum, aut Diaconorum qui ad ægros baptizandos accedunt, absque Chrismate progrediatur : quia constitutum est ut Baptisma non administretur ab iis sine Chrismatis unctione: quam semel tantùm conferant, nulla alia scilicet extra Baptismum Chrismatione illis permissa, quæ tunc ab Episcopis administrari debet. Si quis autem in Baptismo chrismatus non fuerit, Episcopus ea de re tempore Confirmationis admonendus est. Nempe ut Baptizatum arceat à Confirmatione, & ad Presbyterum remittat priùs chrismandum in vertice. Ipse enim Episcopus ejusmodi Chrismationem præbere non potest, quia chrismatis ipsius nonnisi una benedictio est. Esset autem duplex, si eam quæ priùs à Ministris petenda erat, deinde suam expleret. Cæterùm à Ministris expetenda est prima chrismatio omissa, quia necessaria est repetita chrismatio, nempe prima illa baptismalis, & secunda, quæ ab Episcopo in Confirmatione adhibetur. Quod eò non pertinet ut chrismatis baptismalis omissionem sola necessitate contractam cuiquam obesse, aut chrismationis Episcopalis vim minuere velint, sed ut sine ullo ejusmodi præjudicio repetita chrismatio, seu chrismatio duplex necessaria habeatur.

Lectionem Sirmondi omne penè Eruditorum genus sequitur, & ex fide MSS. Codicum optimæ notæ & venerandæ antiquitatis ab ipso laudatorum, Lugdunensis, Remensis, Fossatensis, Tiliani, &c. negationem retinet, Aurelianamque glossam explodit. Verùm ut ut sese res habeat, Confirmationis Sacramentum Arausicano Canone laudato disertè adstruitur, qui de chrismatione à Ministris Baptismi fortè omissa Episcopum jubet in Confirmatione commoneri. Itaque Confirmationem diversum quid à Baptismi cærimoniis agnoscebat illa Synodus, nempe Sacramentum cujus administratio Episcopis servata erat.

Objicit Dallæus, Illis duntaxat Arausicanum Canonem commemorare in Confirmatione ab Episcopo chrismandos, qui in Baptismate ex aliqua necessitate chrismati non fuerant. Ex quo infert iis qui chrismati fuerant in Baptismo, nullum in Confirmatione chrisma illis temporibus administratum fuisse.

2. Ministris, id est Diaconis, qui quidem baptizandi officium susceperunt, non concedit modò, sed etiam præcipit ut chrisment quos baptizant; eòque Chrisma quoties ad id officium progrediuntur, secum habeant. Igitur ministerium Chrismationis solos ad Episcopos jure divino pertinere non censebant Arausicani Patres.

3. Repetitam Chrismationem negant esse necessariam, qua una voce, inquit, Dallæus, omne Latinorum recentium Confirmationis Sacramentum, in repetita hac Chrismatione situm, penitus sustulerunt.

Respondeo ad primum, nego antecedens ; statuit enim Canon laudatus, commonendum Episcopum in Confirmatione, si Ministri Baptismi Chrismationem in illius administratione omiserint, quia semel chrismari Neophytos in Baptismate decernunt Patres Gallicani. Enimvero Baptismalis unctio ante Synodum Arausicanam præcepta non erat in Ecclesia Gallicana, sed licita duntaxat, ut ex Innocentii I. Epistola ad Decentium colligitur. Hinc Gallicani Episcopi Canone Arausicano sanxerunt, ut Ministri simul & semel cum Baptismo chrisma adhiberent. Hic est verborum illorum sensus : *Placuit inter nos semel chrismari.* Idem est enim si legas *semel*, vel *simul*. Par est hoc loco utriusque verbi significatio, ut eruditi viri Pater Sirmondus, & Dominus de Marca Archiepiscopus Parisiensis,* adnotarunt. Sed non edixerunt Arausicani Patres ut qui chrismati fuissent à Presbyteris in Baptismo, ii ab Episcopis in Confirmatione minimè chrismarentur. Nam etsi Presbyteri vertici Chrisma adhibuissent in Baptismo, Episcopi eodem Chrismate baptizatorum frontem in Confirmatione liniebant, quod Presbyteris non licebat, ut asserit Innocentius paulò ante hæc tempora ad Decentium scribens.

* In Notis ad Concil. Claromont.

Ad secundùm respondeo ; Synodum Arausicanam Canone laudato, Ministris Baptismi, non solis Diaconis (ut Dallæo interpretari placet) unctionem quidem verticis præcipere in Baptismo peragendam ; non verò Chrismationem frontis in Confirmatione solennem.

Ad tertium respondeo, distinguo antecedens. Chrismationem repetitam negant esse necessariam, id est, Chrismationem in Baptismo fortè omissam, repetendam esse negant, eò quòd Episcopalis Chrismatio in Confirmatione adhibita copiosè resarciat defectum baptismalis Chrismationis, concedo : id est, negant adhibendam Chrismationem ab Episcopo in Confirmatione, cùm à Ministris adhibita est in Baptismo, nego. Is itaque sensus Canonis est. Si aliquo casu omissa sit in Baptismo Chrismatis unctio, ea de re commonebitur Episcopus, cùm ad Neophytos consignandos accedit. Qui si duplicem adhibere Chrismationem voluerit ; unam, qua vicem omissæ in Baptismo cærimoniæ impleat, ungendo baptizatum ante Confirmationem ; alteram, quam in Confirmatione cum impositione manuum, ex traditione Apostolica, ut partem essentialem adhibeat, nihil oberit mysterio, vel, *non prajudicabit quidquam*, ut loquitur Canon : sed Chrismationem illam repetitam non esse necessariam docet Synodus : *Quoniam*, inquit, *chrismatis ipsius inter quoslibet nonnisi una benedictio est*,. Id est, una eademque benedictione consecratum est chrisma quo utuntur Episcopi & Presbyteri, adeoque licet

licet unctio in Baptismate fuerit omissa, ex eo nullum patitur spiritale detrimentum baptizatus, cùm illa mera sit cœrimonia, & Chrismatio Confirmationis, quæ longè præstantior est, utpote pars essentialis Sacramenti, illam uberiùs suppleat & magnificentiùs. Quamvis autem Canon Arausicanus in illis verbis desineret, *in Confirmatione Sacerdos commonebitur*; quod Dallæus asserit, nihil de vi probationis nostræ esset imminutum. Sed sequentia verba assuta non esse, Codices MSS. melioris notæ probant, & editiones omnes. Unum Justelli exemplar in his verbis desinit: *Placuit inter nos semel Chrismari*. Concilium Arelatense secundùm Can. 27. Arausicanum quidem Canonem tacito nomine laudare clarum est: sed priorum Conciliorum Canones frequenter à posterioribus laudari & recenseri non integros, sed ex parte, prout illorum instituto conveniunt, nemo nescit. Denique Canonum Collectores plerumque omnia illorum verba non describunt; sed quod in illis est præcipuum. Unde licet Burchardus, Ivo Carnotensis, & Regino, Canonem Arausicanum absque illa clausula exhibeant: *Nam inter quoslibet Chrismatis ipsius nonnisi una benedictio est, non ut præjudicans quidquam, sed ut non necessaria habeatur repetita Chrismatio*: non sequitur hæc verba contra tot MSS. Codicum & omnium excusorum fidem esse ex Arausicano Canone expungenda.

## §. XIV.

*Sanctus Gregorius Magnus idem adstruit.*

Probatur decimoquintò ex Sancto Gregorio Magno libro 3. Epistola 9. ad Januarium Calaritanum Episcopum datâ, quâ sic decernit: *Presbyteri baptizatos Infantes signare sacro in fronte Chrismate non præsumant. Sed Presbyteri baptizatos infantes tangant in pectore, ut Episcopi postmodum tangere debeant in fronte*. Et Epistola 26. ad eundem data: *Pervenit ad nos*, inquit, *quosdam scandalizatos fuisse, quòd Presbyteros Chrismate tangere eos qui baptizati sunt, prohibuimus: & nos quidem secundum usum nostræ Ecclesiæ fecimus: sed si omnino hac de re aliqui contristantur, ubi Episcopi desunt, ut Presbyteri etiam in frontibus baptizatos Chrismate tangere debeant, concedimus*. Sed Chrismatio frontis ab Episcopo administrata, & Presbyteris prohibita, non pertinet ad Baptismum, quem cum omnium ipsius cœrimoniarum apparatu conferre jure suo poterant & solebant Presbyteri; sed ad Confirmationem. Itaque Confirmatio non est mera Baptismi cœrimonia, ex Sancti Gregorii mente, sed Sacramentum à Baptismo diversum. Ejus administrationem hoc Decreto Sardiniæ Presbyteris permittit. Unde Presbyterum simplicem, extraordinarium Confirmationis esse Ministrum colligimus. Hanc S. Gregorii dispensationem spectavit Eugenius 4. in Decreto Unionis Armenorum cum Latina Ecclesia, ubi Ministrum Confirmationis cùm assignasset Episcopum, addit: *Legitur tamen aliquando per Apostolicæ Sedis dispensationem, ex rationabili & urgente admodum causa, simplicem Sacerdotem Chrismate per Episcopum confecto hoc administrasse Chrismatis Sacramentum*.

Idem Decretum spectavit Tridentina Synodus Sessione 7. Canone 3. de Confirmatione, in quo Episcopus non ob aliud Minister ejus ordinarius appellatur, nisi ut judicetur extraordinarius esse posse alius inferior Sacerdos, cui per dispensationem hoc Ministerium Ecclesia commiserit. En verba Canonis: *Si quis dixerit sanctæ Confirmationis ordinarium Ministrum non esse solum Episcopum, sed quemvis simplicem Sacerdotem, anathema sit*.



Ex his refellitur Estii, & Petri Aurelii singularis opinio, qui respondent eam frontis Chrismationem, quam Sardensibus indulget Presbyteris Sanctus Gregorius, non Sacramentum Confirmationis, sed meram Baptismi cœrimoniam fuisse, quæ ab Ecclesia Romana in alias Occidentis Ecclesias transfusa erat. Indulsisse verò Gregorium, ut quæ in vertice, & in pectore ab aliis Ecclesiis adhibebatur, Sardiniæ Presbyteri hanc in fronte, secundùm priscam consuetudinem suam adhiberent.

Estius in 4. Sentent. dist. 7. paragra. 11. Aurelius in Anuerret.

Verùm & ipsa laudatarum Sancti Gregorii Epistolarum verba hoc apertè commentum refellunt. Eam enim se Sardorum Presbyteris Chrismationem concedere significat posteriore Decreto, quam priori iisdem prohibuerat. Quam autem antea prohibuerat, chrismatio erat Episcopalis, in Confirmatione baptizatorum frontibus adhiberi solita: *Presbyteri*, inquit, *baptizatos Infantes signare in fronte sacro chrismate non præsumant: sed Presbyteri baptizatos tangant in pectore, ut Episcopi postmodum tangere debeant in fronte*. Igitur posteriori Decreto Presbyteris Sardiniæ eam chrismationem permisit, quæ in Romana Ecclesia à solis Episcopis fieri solebat, & quæ illis dumtaxat jure competebat.

Objicit Dallæus, ex his Sancti Gregorii verbis apertissimè nos doceri, in Ecclesiis Sardiniæ eum morem, etiam anno Domini 593. perseverasse, ut Presbyteri, ubi deerat Episcopus, baptizatos ipsi chrismate in fronte inungerent. Nisi enim hic mos Calaritanorum, cæterorumque Sardorum fuisset, nihil causæ erat cur vel Gregorius hanc, qua id vetabatur, legem primario ejus Insulæ Episcopo Januario scriberet; vel cur accepta & promulgata lege Sardi scandalizarentur: quòd scilicet non quæ solennia, legitima ac usitata, sed quæ insueta, nova, ac inusitata sunt, ea nos perturbare & scandalizare soleant.

Respondeo, Morem quidem eum invaluisse apud Sardos, sed legitimum fuisse nego. Abusus erat & corruptela, quam Sanctus Gregorius emendare studuit lege lata. Quo facto cùm Sardis movisset offensionem, ut mos est hominibus perturbari, cùm à pristina consuetudine aliorum imperio revocantur, ipsis indulsit quod ante prohibuerat, licitumque fecit quod erat priùs illicitum, concedens ut Chrismatis Sacramentum cujus administratio solis Episcopis, ut ordinariis quidem Ministris, divino jure convenit, Presbyteri extra ordinem administrarent. Nec ideo aliquid in divino jure immutare aggressus est: quia hoc ipsum jus Presbyteris conferendæ Confirmationis tribuere potestatem ut extraordinariis Ministris, quæ potestas nonnisi Ecclesiæ dispensatione accedente completa evadat, ex ipsius Ecclesiæ Decretis & usu certum est, quam juris divini optimam Interpretem esse, verè Catholicorum nemo inficiabitur.

Instat Dallæus. Si lege præceptus à Gregorio ritus, totius Occidentalis Ecclesiæ fuisset, frigida, imò & inepta fuisset ipsius defensio, legem à se latam, oborto Sardorum scandalo purgantis: Ait enim, *Et nos quidem secundùm usum veterem Ecclesiæ nostræ fecimus*. Usum Ecclesiæ suæ, id est, urbis Romæ, non perpetuum, sed veterem dicit, huncque solum opponit Calaritano abusui, qui universi orbis religionem objicere potuisset. Nemo sanè Gregorium tam molliter tamque frigidè legem defendisse suam sibi persuadeat.

Respondeo, nego antecedens. Ecclesiæ namque suæ usum cùm laudat Gregorius, totius Occidentis morem laudat. Siquidem omnes Occidentis Ecclesiæ, sicut à Romana fidem & Sacramenta, ita eorumdem administrandorum usum acceperunt. Perpetuum autem hunc fuisse Occidentalium Ecclesiarum morem, constat ex Innocentio I. in Epi-

stola ad Decentium, ex Sancto Hieronymo in Dialogo adversùs Luciferianos, ex Sancto Augustino libro 15. de Trinitate, cap. 26. ex Illiberritana Synodo cap. 38. & 77. ex Sancto Cypriano Epistola 73. ad Jubaianum, & ex Cornelio in Epistola ad Fabium Antiochenum, apud Eusebium libro 7. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 43. Sed & in Ecclesia Orientali administrandæ jus Confirmationis ut Episcoporum proprium agnitum fuisse, præter Sanctum Chrysostomum Homilia 18. in Acta, testatur Sanctus Dionysius, qui nobis Areopagites, Dallæo sexti sæculi Author, cap. 2. Ecclesiasticæ Hierarchiæ. *Rursus*, inquit, *illum ad Pontificem ducunt: qui divinitus sacrato oleo virum consignans, sacrosancta Eucharistia participem declarat.* Hæc ipsa unctio est de qua cap. 4. loquitur: *Quin etiam ei qui sanctissima divina regenerationis sacro initiatus est, consummans illa unctio divini Spiritus illapsum elargitur.*

Confirmatur decima quinta probatio ex eodem Sancto Gregorio in Sacramentario, quod tanto Pontifici vindicavit, eruditisque Notis illustravit Hugo Menardus O. B. Ibi in Officio Sabbati Sancti describuntur Baptismi ritus, memoratur unctio à Presbyterorum uno in vertice baptizati, chrismate facienda; simul & hæc ab ipso fundenda præscribitur Oratio: *Deus omnipotens, Pater Domini nostri Jesu Christi, qui te regeneravit ex aqua & Spiritu Sancto, quique dedit tibi remissionem omnium peccatorum, ipse te liniat chrismate salutis in vitam æternam.* Addit, post Baptismi solenois administrationem, *Pontificem redire in Sacrarium*, ibique, *expectare, ut cùm vestiti fuerint Infantes, confirmet eos.... Pontifex verò veniens ad Infantes, tenente Archidiacono chrisma, involutis scapulis & brachiis ex panno lineo, & levata manu sua super capita omnium, dicet:*
„ Omnipotens sempiterne Deus, qui regenerare di-
„ gnatus es hos famulos tuos ex aqua & Spiritu San-
„ cto, quique dedisti eis remissionem omnium pecca-
„ torum, emitte in eos septiformem Spiritum tuum
„ Sanctum Paraclitum de cœlis, Spiritum sapientiæ
„ & intellectus, Spiritum consilii & fortitudinis,
„ Spiritum scientiæ & pietatis: Adimple eos Spiritu
„ timoris tui, & consigna eos signo crucis in vitam
„ propitiatus æternam. *Et interrogantibus Diaconibus nomina singulorum, Pontifex tincto pollice in chrismate, facit crucem in fronte unius: similiter per omnes sigillatim.* Vides duplicem chrismationem, unam in vertice baptizati, quæ baptismi ritus est, & quæ ideo à simplici Sacerdote administratur: alteram in fronte, quæ ab Episcopo adhibetur post manuum impositionem, & solennem orationem, quæ pars est Sacramenti Confirmationis, quod ex illa, & manuum impositione, velut ex materia integra, & ex oratione cru forma, essentialiter coalescit.

## §. XV.

### *S. Isidorus Hispalensis secundùm priores Patres sensit.*

Probatur decimo-sextò ex Sancto Isidoro Hispalensi libro 6. Originum, cap. 19. ubi de Sacramentis agens, sic loquitur: *Sunt autem Sacramenta, Baptismus, & Chrisma, Corpus & Sanguis Christi: quæ ob id Sacramenta dicuntur, quia sub tegumento corporalium rerum, virtus divina secretiùs salutem eorumdem Sacramentorum operatur.* Chrismatis Sacramentum eodem in ordine ac censu habet Isidorus ac Baptismum & Eucharistiam. Illud itaque verum & propriè dictum Sacramentum agnoscit. Falsò autem respondet Dallæus, Baptismum & Chrisma Isidoro, non duo propriè Sacramenta, sed duas esse unius ejusdemque partes, nempe Baptismi: sicut Corpus & Sanguis Christi unius ejusdemque Sacramenti partes duæ sunt diversæ inter se; non tamen duo diversa distinctaque Sacramenta. Hanc enimverò pertinacissimi Cavillatoris responsionem sequentia Isidori de chrismate & manuum impositione verba validè refellunt. *Chrisma*, inquit, *Græcè, Latinè unctio nominatur, ex cujus nomine & Christus dicitur, & homo post Lavacrum sanctificatur. Nam sicut in Baptismo peccatorum remissio datur; ita per Unctionem sanctificatio Spiritus adhibetur, & hoc de pristina Disciplina, qua ungi in Sacerdotium, & in regnum solebant, ex quo & Aaron à Moyse unctus est. Quæ dum carnaliter fit, spiritualiter proficit: quomodo & in ipsâ Baptismi gratia, visibilis actus est quòd in aqua mergimur, sed spiritalis effectus quòd delictis mundamur.*

Tum de manus impositione subjungit: *Manus impositio ideo fit, ut per benedictionem advocatus invitetur Spiritus Sanctus: tunc enim ille Paracletus post mundata & benedicta corpora, libens à Patre descendit, & quasi super Baptismi aquam, tanquam pristinam sedem recognoscens, quiescit.*

Ex his, quæ ex Tertulliano mutuatus est Isidorus, colligitur primò, chrismationem & manus impositionem de quibus loquitur, post Lavacrum administratam fuisse, adeòque non esse meram Baptismi cœrimoniam. 2. Hancce chrismationem spiritualiter proficere & sanctificationem dare, sicut ablutio baptismalis spiritalem effectum, nempe emundationem à peccatis operatur; & manuum impositionem cum benedictione, id est, cum oratione conjunctam, advocare Spiritum Sanctum super baptizatos. Quæ cum Sacramenti propriè dicti sint effectus, & meræ cœrimoniæ, sive ad Baptismum pertinentis, ut vult Dallæus, sive à Baptismi ritibus distinctæ, ut Hammondus contra ipsum contendit, virtutem superent, colligere est Isidorum Hispalensem, Confirmationem inter Sacramenta propriè dicta censuisse.

Confirmatur ex eodem Isidoro, libro de Officiis Ecclesiæ cap. 25. *Postquam*, inquit, *Dominus noster verus Rex & Sacerdos æternus, à Deo Patre cælesti mystico unguento est delibutus: jam non soli Pontifices & Reges, sed omnis Ecclesia unctione chrismatis consecratur, pro eo quòd membrum est æterni Sacerdotis & Regis. Ergo quia genus regale & Sacerdotale sumus, ideo post lavacrum ungimur, ut Christi nomine censeamur.*

Et cap. 26. de manus impositione sic loquitur: *Sed quoniam post Baptismum per Episcopos datur Spiritus Sanctus cum manuum impositione, hoc in Actibus Apostolorum fecisse meminimus Apostolos.* Refert locum Actorum cap. 8. deinde subjungit: *Spiritum Sanctum accipere possumus, dare autem non possumus, sed ut detur, Deum invocamus. Hoc autem à quo potissimùm fiat, quemadmodum Papa Sanctus Innocentius scribit, subjiciam. Dicit enim, Non ab alio quàm ab Episcopo fieri licere: Nam Presbyteri, licet sint Sacerdotes, tamen Pontificatus apicem non habent*, &c. Frustra verò ex his Isidori colligit Dallæus, Chrismationem ad Baptismum pertinuisse, fallaci hac argumentatione. Disertè chrismationem Baptismo concludi atque contineri significat Isidorus, cùm ait: *Sed quoniam post Baptismum per Episcopos datur Spiritus Sanctus cum manuum impositione*, &c. *Post Baptismum*, inquit: Ergo quidquid Episcopalem manus impositionem antecesserat, id Baptismi censebatur. Chrisma autem manus impositionem præcessisse, ex toto hoc Isidori sermone manifestum est. Ergo & Chrisma Baptismi partem seu ritum habitum esse manifestum est.

Hanc

Hanc porro ad objectionem respondeo, negando consecutionem antecedentis, quòd scilicet id ex Isidori verbis sequatur, quod Dallæus periendit: & admissis Patris sanctissimi verbis, distinguo consequens: Ergo quicquid Episcopalem manus impositionem anteccesserat, id Baptismi censebatur, nisi post Baptisma dicatur peractum ac celebratum, concedo; si dicatur post Baptisma factum, seu administratum, nego. At licet manus impositinnem ab Episcopo post Baptismum adhibitam scripserit Sanctus Isidorus, tamen & chrismationem ipsam post lavacrum administratam pariter scripsit: ideoque non est consequens ut ad Baptismum, ceu ritus pertinuisse censeatur, quamvis manuum impositionem anteverteret.

## §. XVI.

### *Venerabilis Bedæ pro eodem Dogmate suffragium.*

Probatur decimoseptimò Propositio ex Venerabili Beda, in Commentatio Psalmi 26. ad illa tituli verba: *Prinsquam liniretur David, id est, prinsquam ungeretur unctione tertia.* Observat namque ex Sacris Literis ter unctum fuisse Davidem, quod eorum typum fuisse ait, *Qui nunc in Ecclesia initiati Domino per geminam unctionem olei & chrismatis, tertiam unctionem perfectam, qua tunc erit, cùm facie ad faciem videbimus, expectant.* Nonnullis deinde interjectis, ait: *Nunc autem in Sacramento olei & chrismatis ungimur, per quod Sacramentum quiddam mirum & ineffabile, quod in fine futuri sumus, significatur, quod omni intentione desiderare debemus; & ideo nunc in Sacramento suspiremus, ingemamus, ut tandem in re Sacramenti gaudeamus.* Sacramentum olei & chrismatis Confirmatio est. Hanc igitur Sacramentorum in ordine & censu habuit Beda. Nec refert quòd per unctionem initiari nos Domino asserat; Baptismus verò sit initiationis in Christo nostræ Sacramentum. Non enim eo sensu nos per chrismatis unctionem initiati scripsit Doctor Venerabilis, quòd sit illa Baptismi ritus, sed quòd unctin illa ad tertiam comparata, quæ scilicet in nobis spiritaliter perficienda est, cùm cognoscemus, sicut & cogniti sumus, initium quoddam est novæ in Christo creaturæ, & ejus, quæ tunc erit consummata & numeris omnibus expleta, gratiæ & sanctitatis.

Pergit Venerabilis Pater, & prima Psalmi verba, *Dominus illuminatio mea & salus*, accipit velut ex persona cujuslibet Christiani dicta, ultimam unctionem in se perfici desiderantis, eaque sic interpretatur: *Dominus animam meam, qua priùs in tenebris infidelitatis fuit, illuminavit per notitiam Fidei, datam mihi & in prima unctione olei, quando Satanæ & pompis ejus abrenuntiavi, & in secunda unctione chrismatis, quando nominis ejus manifestè professor fui.* Et infra: *Potest quoque, si cui libuerit, illuminatio ad primam tantum unctionem, in qua simpliciter abrenuntiamus Satanæ, referri. Salus verò ad secundam, in qua magis firmamur; quia & nomen Christi in ea profitemur. Et ab eo nomen accipimus, scilicet ut Christiani dicamur. Et congruè fidelis anima hic agit de duabus primis unctionibus, ut quia se de his non ingratam ostendit, ad tertiam, quam desiderat, mereatur perduci.* Duplicem perspicuè distinguit unctionem Doctor Venerabilis: unam baptismalem quæ tunc fit cùm Satanæ & pompis ejus Catechumenus abrenuntiat: alteram in Confirmatione, qua magis firmamur, quando nominis Christi manifestè professores simus. Tunc quippe Spiritum Sanctum accipimus ad robur, ut Christi fidem occasione data liberè possimus & intrepidè profiteri. Tunc perfectè & plenè Christiani dicimur, quia Confirmatio baptismalis gratiæ consummatio est & coronis.

Addit Beda: *Sciendum autem, quòd illa unctio, qua per manuum impositionem ab Episcopis, quasi alia à duabus prædictis, & vulgò Confirmatio dicitur, eadem est cum secunda. Propter arrogantiam tamen non concessa est singulis Sacerdotibus, sicut & multa alia.* Sensus Venerabilis Doctoris est, unctionem quæ manuum impositione fit ab Episcopis, & quæ Confirmationis nomen usu Ecclesiastico obtinuit, esse secundam illam unctionem de qua paulò superiùs scripsit, nos in ea magis firmari, quia nominis Christi professores in ea evadimus, seu vires accipimus ad Christi nomen coram tyrannis, si opus esset, ingruente persecutione palam profitendum. Quòd autem ait Beda, Chrismationem illam, quæ Confirmatio dicitur, Sacerdotibus concessam singulis non fuisse, propter arrogantiam, Dallæo nullatenus favet. Ea enim Venerabilis Patris mens est, Christum conferendæ jus Confirmationis, seu Paracleti Spiritus per manuum impositionem & chrismationem Fidelibus tribuendi, singulis Sacerdotibus non concessisse, ne in superbiam efferrentur, si essent Episcopis in isto ministerio pares. Quæ tamen ratio admodum infirma videtur. Non is est autem Bedæ sensus, quem ipsi Dallæus pessima fide affingit, Chrismationem scilicet Episcopi in Confirmatione, non fuisse ab initio & per se, sed per accidens, & propter quorumdam arrogantiam, institutam.

Confirmatur ex eodem Authore lib. 6. in Lucam, cap. 22. in illa verba, *Et egressus ibat secundum consuetudinem in Montem Olivarum*, quæ sic exponit: *Pulchrè sui Corporis & Sanguinis mysteriis imbutos in Montem Olivarum Discipulos educit, ut omnes in morte suâ baptizatos altissimo Spiritus Sancti chrismate confirmandos esse designet, qui dicere possint cum Psalmista: Signatum est super nos lumen vultus tui Domine. Dedisti lætitiam in corde meo.* Et Homilia in Octavas Epiphaniæ: *Post acceptum*, inquit, *undâ regenerationis lavacrum, per unctionem sacri Chrismatis, gratiâ Spiritus Sancti signamur.* Unctionem post lavacrum adhibitam, quâ signamur gratiâ Spiritus Sancti, atque confirmamur, Baptismi cærimoniam esse quis asserat? Quis Sacramentum esse neget, quod gratiam Spiritus Sancti impartitur? Si id figuratè & symbolicè intelligendum sit, sequitur Patres omnes hoc de argumento agentes, figuratè fuisse locutos, & symbolicis illis locutionibus consultò inducere voluisse homines in errorem, cùm ne semel quidem propriam & claram locutionem hac in re usurpaverint, dicendo quod res est, secundùm Dallæum, id est, Confirmationem, Sacramentum Chrismatis, unctionem, manuum impositionem, Spiritum Sanctum non conferre, non advocare, nec spiritaliter proficere.

## §. XVIII.

### *Ex Ordine Romano, & Auctoribus Ecclesiasticis noni sæculi probatio informatur.*

Probatur decimooctavò ex Ordine Romano, qui liber ante nonum sæculum, nemine reclamante, conscriptus est. In eo post Baptismi Officium, Sabbato sancto, describitur Confirmationis ritus his verbis: *Pontifex veniens ad infantes, tenente Archidiacono chrisma, involutis scapulis & brachiis ex panno lineo, elevatâ & impositâ manu super capita omnium, det Orationem super eos cum invocatione septiformis gratiæ Spiritus Sancti.*

### Oratio.

*Omnipotens sempiterne Deus, qui regenerare dignatus es hos famulos tuos, & has famulas tuas ex aqua & Spiritu Sancto, quique dedisti eis remissionem omnium peccatorum, emitte in eos septiformem Spiritum tuum Sanctum Paracletum de cælis*, &c. Oratione expleta, interrogantibus Diaconibus nomina singulorum, *& Pontifex tincto pollice in chrismate, faciat crucem in frontibus singulorum, ita dicendo: Confirmo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Denique descripta alia Oratione post Confirmationem dicenda, hoc subjungitur monitum: *Hoc autem omnino præcavendum est ut non negligatur, quia tunc omne Baptismum legitimum Christianitatis nomine confirmatur.* Lege in eodem libro ritum consecrationis Chrismatis Feria V. in Cœna Domini.

Probatur decimononò ex Amalario Fortunato lib. 1. de Ecclesiasticis Officiis, cap. 27. ubi de manus impositione Episcopi super Neophytum agit. Hanc Baptismum ignis appellat. *Baptizamur*, inquit, *Spiritu Sancto & igne. Baptizamur Spiritu Sancto, quando abluimur à peccatis, quam ablutionem significant albæ vestes in Baptismate. Baptizamur igne, quando ardorem Spiritus accipimus, ut Apostoli acceperunt in die Pentecostes. Baptismum ignis accipimus per impositionem manus Episcoporum, qui consumat ligna, fœnum, stipulam; quia Deus ignis consumens est, & calorem præstat vitæ æternæ, atque lumen videndi ea quæ mortalibus oculis clausa sunt.* Tum addit: *Si quis sine isto Baptismate migraverit de sæculo, periculosum iter arripit. Hoc prævidens Silvester Papa, quantùm potuit, subvenit: & propter absentiam Episcoporum, necessitate addidit, ut à Presbytero ungerentur.* Non quòd putaret Silvester, si verè hoc Decretum edidit (quod ex Apochryphis acceptum videtur) Presbyteralem unctionem manus Episcopalis impositionem supplere, sed quòd hanc cærimoniam gratiæ Spiritus Sancti designandæ idoneam à Presbyteris peragi voluerit, qui Spiritum Sanctum per manuum impositionem conferre non poterant, ut hoc olei sanctificati ministerio curatas per Baptismum Neophytorum plagas, eorumque animam gratia sanctificante unctam demonstrarent. Addit Amalarius, *Timendum esse, ne illa differentia sit inter illum qui sine impositione manus moritur, & inter illum qui eam accipit, quæ est inter stellarum claritudinem; hoc est, quamvis non excludantur à regno Dei propter cætera bona opera, tamen non habeant illum locum quem haberent, si illam acciperent.*

Et infrà, de signaculo Crucis quod ex Chrismate Baptizatorum frontibus imprimitur, hæc habet. *Hæc crux Chrismate efficitur, quod confectum est ex oleo & balsamo. Opera hospitis nostri*, id est, Spiritus Sancti, *talis liquor monstrat. Charitatem quæ signatur per oleum, cum suis frondentibus foliis plantat in mente; & odorem bonæ notitiæ à nobis exhalat, sicut ex balsamo bonus odor redolet.*

Postea de Ministro hujus Sacramenti subjungit: *Ut ab Episcopis solis inungatur per manus impositionem, ab Apostolis assumptum est, ut Beda declarat in Tractatu super Actus Apostolorum. Notandum autem, quòd Philippus, qui Samariæ evangelizabat, unus de septem fuerit. Si enim Apostolus esset ipse, utique manum imponere potuisset ut acciperent Spiritum Sanctum. Hoc enim solis Pontificibus debetur... & ut per manus impositionem, & orationem detur Spiritus Sanctus, similiter ab Apostolica auctoritate sumptum est.*

Denique ex Romano Ordine refert: *Oratione expleta, Episcopum facere crucem cum pollice ex chrismate in singulorum frontibus, ita dicendo: In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Pax tibi, & cum spiritu tuo.*

Probatur vigesimò ex Rabano Mauro lib. de Institutione Clericorum cap. 29. ubi, exposito Baptismi ritu, hæc habet: *Deinde, Corpore & Sanguine Dominico omne præcedens Sacramentum in eo confirmatur.* Tum capite 30. quod *De impositione manus Episcopalis, & Chrismatis Sacramento* inscribitur: *Novissimè autem*, inquit, *à Summo Sacerdote per impositionem manus Paracletus traditur illi Spiritus Sanctus, ut roboretur per Spiritum Sanctum ad prædicandum aliis idem donum, quod ipse in Baptismate consecutus est, per gratiam vitæ donatus æternæ. Signatur enim baptizatus cum chrismate per Sacerdotem in capitis summitate; per Pontificem verò in fronte, ut priori unctione significetur Spiritus Sancti super ipsum descensio ad habitationem Deo consecrandam: in secunda quoque ut ejusdem Spiritus Sancti septiformis gratia, cum omni plenitudine sanctitatis, & scientiæ, & virtutis, venire in hominem declaretur. Tunc enim ipse Spiritus Sanctus post mundata, & benedicta corpora atque animas, libens à Patre descendit, ut vas suum sua visitatione sanctificaret, & illustraret: & nunc in hominem ad hoc venit, ut signaculum Fidei, quod in fronte suscepit, faciat eum donis cælestibus repletum, & sua gratia confortatum, intrepidè & audacter coram Regibus & Potestatibus hujus sæculi portare, ac nomen Christi libera voce prædicare.*

Confirmatur ex Walafrido Strabone, lib. de Rebus Ecclesiasticis, cap. 26. ubi de Baptismi cærimoniis loquens, hæc habet: *Hujus mystici Lavacri, gradatim per temporum augmenta in majus celebratio crevit. Addiderunt alii Chrismatis unctionem, quam ex veteri sumptam consuetudine, nemo est qui dubitet: cùm primis temporibus impositione manuum Baptismum confirmari soleret, quod in Samaria fecisse Petrum legitur & Joannem. Quæ Confirmatio & tunc ad primos Ecclesiæ Pastores pertinuit, & nunc pertinere non dubitatur. Unde in Canonibus sæpe interdicitur Presbyteris, ne Chrisma conficiant: neque baptizatos in fronte consignent, quod solis debetur Episcopis.* Cùm additam à Patribus Chrismatis unctionem ait, de verticali unctione loquitur quæ Baptismi cærimonia est; non de Chrismatione frontali, quæ manuum impositioni semper fuit adjuncta: quamvis primis temporibus confirmari solitum dicat Baptisma impositione manuum, nulla facta unctionis mentione. Vel in ea forsan fuit opinione Walafridus, quam & nunc Theologi non ignobiles propugnant, Apostolos sola manuum impositione, & oratione, Chrismatione nulla, Spiritum Sanctum super Fideles advocasse, adeóque manuum impositionem solam esse essentialem Confirmationis materiam; ad quam postea Ecclesiæ usu Chrismatio accesserit.

Confirmatur secundò, ex libro de Officiis Divinis, qui sub Alcuini nomine circumfertur, cap. de Sabbato Sancti Paschæ, ubi & multa describit ex Ordine Romano ad Baptismi, Confirmationisque administrandæ ritum pertinentia, & singularia quædam habet. Ait inter alia, Baptizatum infantem, postquam fuerit in vertice à Presbytero *Chrismate unctus, & vestitus, si Episcopus adest, statim confirmari oportet cum Chrismate, & postea communicare: & si Episcopus deest*, inquit, *communicetur à Presbytero, dicente ita: Corpus Domini nostri Jesu Christi custodiat te in vitam æternam, Amen.* Et infrà, de Confirmationis Ministro sic loquitur: *De hac verò Confirmatione Sanctus Innocentius Papa asserit, non ab alio quàm ab Episcopo fieri licere.* Et Innocentii I. Decretum ad verbum describit. De hujus verò Sacramenti effectu antea hæc præmiserat: *Novissimè per impositionem manus à Summo Sacerdote & septiformis*

*formis gratia Spiritum accipit, ut roboretur per Spiritum Sanctum ad prædicandum aliis, qui fuit in Baptismo per gratiam vitæ donatus æterna.*

Notat Dallæus triplicem in hac noni sæculi Confirmatione à Veterum usu diversitatem: primam, quòd cùm majores semel Neophytos chrismarent; isti recepto Romano more, bis chrismabant. Alteram, quòd Episcopus priùs manus imponeret, deinde chrismaret: quod est absurdum & præter antiquum morem. Tertiam, quòd apud Veteres Eucharistia ultimo semper loco initiatis conferretur; nono verò sæculo plerumque ante Confirmationem administraretur Eucharistia.

Verùm aut falsæ sunt, aut inanes hæ Dallæi Notæ. Nam quòd primum discrimen spectat, longè ante nonum sæculum Chrismatio duplex invaluit, ut probat Arausicana prima Synodus. Sed etsi Chrismatio baptismalis ante quinti sæculi exordia in usu non fuerit, quid hoc ad Confirmationis immutationem? Secundum discrimen vel nullum est, vel nullius momenti. Chrismationem olim fuisse manuum impositione priorem negare meritò possumus: nec id probant Tertulliani, & Optati Milevitani testimonia, quamquam illi priùs Chrismationem memorent. Quis enim nescit à Scriptoribus Sacris & Ecclesiasticis, non eo recenseri semper ordine omnia quo gesta sunt, vel quo fiunt? Adde quòd essentiam Confirmationis non immutavit illa, si quæ fuit, in manus impositionis & Chrismationis ordine variatio; nihil enim refert utra sit prior vel posterior, modò in toto ritu adhibeatur utraque. Tandem quòd Confirmatio prioribus sæculis nunquam ante Eucharistiam conferretur, nono verò sæculo sæpius post Eucharistiam dilata sit; quòd primis temporibus, & media etiam illa ætate, unà cùm Baptismo sit administrata; modò verò longo intervallo sit à Baptismo divulsa, sola disciplinæ, nulla Sacramenti mutatio est. Sicut non est immutatus Baptismus ex eo quòd non trina ut olim immersione, sed effusione aquæ conferatur; vel ex eo quòd singulis diebus, extra periculum, non verò solis Paschatis & Pentecostes diebus, secundùm antiquos Ecclesiæ mores administretur. Nec immutatum est Eucharistiæ Sacramentum, ex eo quòd infantibus ampliùs non detur. Hæ enim circumstantiæ Sacramento extrinsecæ sunt & accidentariæ. Oppidò tamen fallitur Dallæus, cùm necesse esse ait, minimùm decem, aut duodecim annorum intervallum à Baptismo ad Confirmationem intercedere. Nam in Concilii Tridentini Catechismo ista de Confirmandorum ætate statuuntur. Primò, *Omnibus post Baptismum Confirmationis Sacramentum posse administrari.* Secundò, *Minùs expedire hoc fieri antequam pueri rationis usum habuerint.* Tertiò, *Si duodecimus annus expectandus non videatur, usque ad septimum certè hoc Sacramentum differre maximè convenit.*

Objicit Dallæus, Noni sæculi Patres manuum impositionem & factitasse; & vel præcipuam, vel certè necessariam hujus Confirmationis partem putasse: unde apparet, inquit, Latinos, qui ea carent, non modò à Vetustiorum, sed ab horum quoque dogmate ac sententia plurimùm abesse.

Respondeo, Immaniter falli Dallæum, cùm tantâ fiduciâ asserit nostram Confirmationem impositione manuum carere. In Pontificali enim diserta fit illius mentio. *Tunc*, inquit, *elevatis, & super Confirmandos extensis manibus, dicit: Omnipotens Sempiterne Deus*, &c.

Objicit secundò Dallæus, Noni Sæculi Authores Confirmationis Episcopalis ritum pro Baptismi cærimonia censuisse. Id verò primùm ex eo probat, quòd de hac Episcopali, sive Chrismatione, sive manus impositione nusquam ferè nisi in iis locis ac capitibus agunt, in quibus ipsius Baptismi ritus tradunt; ut videre est apud Theodulphum libro *de Baptismi Ordine*, cujus caput XVII. de Episcopali Confirmatione totum est: & apud Alcuinum, qui Oduino, *Ut is cognosceret rationabilem sacri Baptismatis ordinem, nihilque prætermitteret quod à sanctis Patribus sumptum est in illo Officio, de ministeriis totius Officii breviter scribere instituens*, in eo Opusculo, tametsi brevissimo, Episcopalem Confirmationem nequaquam prætermisit. Quorsum, si ea nullus Baptismi ritus, nullaque pars est?

Respondeo, nego antecedens. Ideo enim agunt de Episcopali, sive chrismatione, sive manus impositione, in illis locis ubi agunt de Baptismo, quia simul cum Baptismate Confirmationem conferri adhuc illis temporibus solemne erat, non quòd ipsam Baptismi cærimoniam esse meram censerent. Nam Alcuinus in Epistola ad Oduinum, recensitis Baptismi cærimoniis, subjungit: *Sic, Corpore, & Sanguine Dominico confirmatur* (Neophytus) *ut illius sit caputis membrum, qui pro eo passus est, & resurrexit. Novissimè per impositionem manuum à Summo Sacerdote, septiformis gratia Spiritum accipit, ut roboretur per Spiritum Sanctum ad prædicandum aliis, qui fuit in Baptismo per gratiam vitæ donatus æterna.* Vides non minùs ab Alcuino in Epistola de Baptismo, Eucharistiam, quàm Episcopalem manuum impositionem, imò priùs illam, quàm istam memorari: & tamen Eucharistiam merum Baptismi ritum esse, nec ipse Dallæus asseret: non est itaque argumento Confirmationem ad Baptismum ut cærimoniam pertinere, quia Alcuinus, & alii Officiorum Ecclesiasticorum Tractatores de illa agunt iis in locis in quibus agunt de Baptismo. Hinc Theodulphus Aurelianensis lib. de Ordine Baptismi, cap. 17. impositionem manuum à Baptismi Sacramentis distinguit, & efficientiam gratiæ Spiritus Sancti ipsi adscribit singularem. *Sciendum est*, inquit, *quia sicut cætera Baptismatis Sacramenta per Sacerdotes visibiliter fiunt, per Deum invisibiliter consecrantur; ita nimirum & Spiritus Sancti gratia per impositionem manuum & ministerium Episcoporum Fidelibus traditur.* A cæteris Baptismi Sacramentis manuum impositionem Episcopalem ita distinguit, ut vim conferendæ Spiritus Sancti gratiæ in ea agnoscat, quod nulla de cærimonia dixit. Eo igitur dumtaxat sensu Baptismi ritibus Confirmationem adjunxit, quòd continenter post Baptismum ea ætate conferretur. Eodem sensu accipienda sunt illa Magnonis Senonensis verba ad Carolum Magnum scribentis: *Peractis omnibus Baptismi Sacramentis, novissimè per manus impositionem à Summo Sacerdote septiformis gratia Spiritum accipiunt, ut corroborentur in fide rectâ per Spiritum Sanctum.* Quod peractis omnibus Baptismi Sacramentis administratur, ad Baptismum ut pars ritualis minimè pertinet.

Objicit Dallæus verba Haymonis Halberstatensis in cap. 13. Epistolæ ad Hebræos, *Gratiam*, quam Apostolus iis precatur, explicantis. *Gratia nomine*, inquit, *debemus hic accipere fidem perfectam*, &c. *donum etiam Spiritus Sancti, quod datur in Baptismate per impositionem manus Episcoporum.* Quomodo inquit Dallæus, Spiritum Sanctum in Baptismate per Episcopalem manus impositionem dari, verè & ex animi sui sententia scribere potuit Haymo, si hanc manus impositionem, per quam eum in Baptismate dari dicit, putavit à Baptismo alienam? Certè si quid per aliquem ritum detur, quod in Baptismo dari verè dici possit, eum ritum ad Baptismum pertinere necesse est, ejusque partem esse.

Respondeo, Dallæum Haymonis locum fœdè mutilasse. Hunc integrum repræsento. *Gratia autem nomine*, inquit, *debemus hic accipere fidem perfectam cum executione bonorum operum, remissionem*

quoque

*quoque peccatorum, quam percipiunt Electi tempore Baptismatis, donum etiam Spiritus Sancti, quod datur tam in Baptismate, quam per impositionem manus Episcoporum.* Qui Spiritum Sanctum dari dicit tam in Baptismate, quam per manus impositionem Episcopalem, hanc apertè à Baptismate distinguit. Sed quænam Haymonis, & Ecclesiæ illius temporis doctrina fuerit, patet evidentiùs ex ejus Commentario in cap. 6. ejusdem Epistolæ, ad illa verba: *Non rursus jacientes fundamentum Pœnitentiæ ab operibus mortuis, & Fidei ad Deum, baptismatum doctrinæ, impositionis quoque manuum*, &c. quæ ultima verba sic interpretatur: *Impositionem manuum appellat Confirmationem, per quam plenissimè creditur accipiendus Spiritus Sanctus: quod post Baptismum ad Confirmationem unitatis in Ecclesia à Pontificibus fieri solet.* Non in Baptismate, sed post Baptismum impositionem manuum Episcopalem adhiberi Fidelibus asserit, uti Spiritus Sancti plenitudinem accipiant. Non existimavit itaque Confirmationem esse partem ritualem Baptismi, sed proprium & singulare seorsim à Baptismo Sacramentum.

Objicit Dallæus, Noni sæculi Patres ministratam ab Episcopo Chrismationem, eandem cum Presbyterali censuisse, hancque posteriorem qui suscepissent, confirmatos existimasse. Rem claram esse clamat ex his Walafridi Strabonis verbis libro de Rebus Ecclesiasticis cap. 26. *Silvester*, inquit, *instituit, ut Presbyter baptizatum Chrismate liniat propter occasionem transitus mortis. Quòd si à Diacono, vel quolibet alio homine baptizatus, casu ante Confirmationem transierit, credendum est non perire propter hoc.* Ante Confirmationem transire, non alios dicit, quàm qui à Diacono, vel quolibet alio homine (id est Laico) baptizati, mortui fuerint, ab Episcopo non consignati. Inter istos non censet eos qui à Presbytero baptizati, adeòque & uncti erant. Ergo hos quidem sine Confirmatione transisse non putavit. Quod falsum esset, nisi & Presbyteralis unctio Confirmatio fuisset.

Secundò, idem ex eo probat, quòd Walafridus, Amalarius & Rabanus tradunt, præceptam à Silvestro Presbyteris Chrismationem ideo esse, ne quis sine Confirmatione moreretur. *Legimus & in gestis Patrum*, inquit Rabanus, libro de Institutione Clericorum cap. 28. *Quòd Silvester Papa in Ecclesia Romana constituerit, ut sicut potestas & privilegium apud solum Episcopum constat quòd sacrum Chrisma ipse conficiat, & baptizatum per manus impositionem cum ipso Chrismate consignet, propter hæreticam suasionem: ita Presbyter eodem Chrismate liniat baptizatum levatum ex aqua propter occasionem transitus mortis... Ac deinde profectò patet, quia quicumque non est Christi, regni sui particeps fieri nequit. Ideòque necessarium est ut statim succurratur baptizato cum Chrismatis unctione, ut Spiritus Sancti participationem accipiens, alienus à Christo non existat.* Chrismationem Presbyteralem, & Episcopalem eamdem docet, eademque vi præditam. Nam & baptizato succurri ait Presbyterali unctione, non autem succurritur, nisi eadem sit ejus, quæ Episcopalis, vis & ratio. Sed & disertè ait, per eam *Spiritus participationem & Christum* haberi; quo nescio quid Episcopali unctioni majus tribui possit.

Tertiò idem probat ex ipsa Patrum illorum praxi, & Ritualibus Ecclesiæ illius sæculi libris. Nam ipsum primò chrisma unum idemque, & una eademque benedictione consecratum est, quo tam Presbyteri, quam Episcopi chrismant. Atqui si diversæ essent unctiones, diversam quoque ipsam esse materiam, saltem diversa benedictione consecrari decebat. Deinde ipsæ Orationes, quibus Chrisma conficientes in Ordine Romano utuntur, idipsum docent. Deum enim precantur, *Ut quicumque exteriùs perunctus fuerit, ita interiùs liniatur.* Item, *Ut chrisma fiat omnibus perunctis propitiatio, & custodia salutaris in secula seculorum.* Denique *Ut fiat omnibus, qui ex eo ungendi sunt, in adoptionem filiorum per Spiritum Sanctum.* Jam ex chrismate ungi & perungi etiam eos, qui à Presbytero in Baptismate chrismantur, nemo dubitat. Ergo & eos ipsos quoque interiùs liniri, & adoptionem filiorum per Spiritum Sanctum consequi, & volebant illi Patres, & intelligebant. Cùm ergo his contineatur summus Episcopali Chrismatione designatus effectus, necesse est Presbyteralem, cui id ipsum tribuebant illi Patres, cum Episcopali, ex eorum judicio atque sententia eaodem fuisse.

Denique ipsi passim Spiritum Sanctum dari, etiam per Presbyteralem unctionem docent, ut Rabanus, qui ad eam refert *Spiritus Sancti super Neophytum descensionem ad habitationem Dei consecrandam*, libro 1. de Institutione Clericorum cap. 30. & mox hominem bis eodem chrismate *ad accipiendum Spiritum Sanctum* ungi dicit. Et cap. 28. ait, *Spiritum Sanctum per chrismatis unctionem in Baptismate virorem conferre Fidelibus cœlestis gratiæ.*

Respondeo, nego antecedens; ad cujus probationem dico; Walafridum, & Amalarium apochrypho Sancti Silvestri Decreto deceptos, Presbyterali chrismationi plus æquo tribuisse, ut scilicet Episcopalem, cùm adesse non poterat Antistes, ipsa suppleret. Verùm in ista æquè ac in illa positam ab ipsis fuisse Confirmationem, Dallæi figmentum est. Ait enim Walafridus, *Primis temporibus, impositione manuum Baptismum confirmari solitum fuisse, quod in Samaria fecisse Petrum legitur, & Joannem. Quæ Confirmatio & tunc ad Primos Ecclesiæ Pastores pertinuit, & nunc pertinere non dubitatur. Unde in Canonibus sæpe interdicitur Presbyteris, ne chrisma conficiant, neque baptizatos in fronte consignent, quod solis debetur Episcopis.* Solam itaque manuum impositionem & consignationem Episcopalem Walafridus Confirmationem appellat, & censet. Non autem asserit eum ante Confirmationem mori, qui fuerit à Diacono, vel alio homine baptizatus, quòd Chrismationem Presbyteralem, qua caret ille, Confirmationem esse putet; sed quòd illam ejus putet esse virtutis, ut Confirmationem quodammodo suppleat, cùm Episcopus abest, & mortis periculum imminet.

Ad secundam probationem, nego antecedens. Non enim ait Rabanus, Presbyteralem chrismationem à Silvestro fuisse præceptam, ne quis sine Confirmatione moreretur; sed *propter occasionem transitus mortis*, id est, ut si morte præveniretur ante susceptam ab Episcopo Confirmationem, saltem Presbyterali chrismatione illius effectus suppleretur: quæ Rabani, ut & Walafridi opinio fuit, apocripho Silvestri testimonio malè fulta.

Ad tertiam probationem, nego minorem. Ut enim eadem sit unctio, non sufficit ut idem sit Chrisma, & eadem benedictione consecratum: sed necesse est ut eodem modo fiat, eundemque ob finem. At Presbyteralis, & Episcopalis unctiones, eodem modo non fiunt. Illa enim adhibetur in vertice, hæc in fronte; illa fit sine manuum impositione; ista manuum impositionem comitatur; priori nulla per se forma verborum adjuncta est; posteriori adjuncta est Oratio: prior cœrimonia est ab Ecclesia instituta; posterior à Christo Apostolis tradita est. Illa per se Spiritum Sanctum non confert; ista septiformem Spiritum ad robur

super

ſuper baptizatos advocat. Illius miniſtrandæ jus Presbyteris; iſtius ſolis Epiſcopis convenit.

Orationes porro Eccleſiæ, non ſignificant interiùs liniendum eſſe, & adoptionem filiorum per Spiritum Sanctum recepturum, quicumque Chriſmate unctus fuerit, ita ut vis illa ex opere operato Chriſmati conveniat, vel ei per ſe inſita ſit, extra Confirmationem; ſed ſolùm ratione alterius, ſcilicet manus impoſitionis Epiſcopalis & Orationis, quibus conjunctum pars eſt eſſentialis Sacramenti: vel ratione Baptiſmi, cùm à Presbytero capita baptizatorum ex eo liniuntur.

Ad tertiam probationem Reſpondeo, Noni ſæculi Eccleſiaſticos Authores aſſerere, Spiritum Sanctum dari per Presbyteralem unctionem, non per ſe, ſed ratione Baptiſmi; vel ratione etiam pietatis quam illa unctio excitat in adultis.

## §. XIX.

### *Petrus Damiani, & Arnoldus Bonævallis priorum Patrum ſententiæ ſubſcribunt.*

Probatur vigeſimo-primò Propoſitio ex Sancto Petro Damiani, Sermone 69. in Dedicatione Eccleſiæ: *Secundum Sacramentum*, inquit, *eſt Confirmationis. In Baptiſmate Spiritus datur ad veniam, hîc ad pugnam. Ibi mundamur ab iniquitatibus: hîc virtutibus præmunimur. Nonne in ſuperliminari fronte domus noſtræ terreſtris conſecrata manus ſacri chriſmatis imprimit unctionem? Nec quilibet tanti Myſterii legitur executor, ſed ſolus Epiſcopus, ſuper cujus caput fuſum eſt unctionis oleum, & cujus ditioni Sacerdotalis ſubditur multitudo. Baptiſmi gratiam omni homini, vel omni ſexui tradidit auctoritas Antiquorum. Confirmationis autem inſigne ſola Pontificalis perſona ſua vindicat dignitati. Inde eſt quòd Decretales paginæ & Sanctorum Patrum inſtituta decernunt, non eſſe differendam poſt Baptiſmum Sacramenti hujus virtutem; ne nos inermes inveniat fraudulentus ille contortor, à quo nemo unquam nocendi inducias extorſit. Delibuti igitur utriuſque rotis unguento; illo ſanati, confortati iſto, ſecuriùs deſcendamus ad ſingulare certamen.* Sacramentum propriè dictum, Confirmationem eſſe ſignificat Petrus Damiani, quo Spiritus Sanctus datur ad pugnam; ipſamque in ratione Sacramenti comparat cum Baptiſmo. Unde colligere eſt, ipſum ſtrictè & æquè ſumpto Sacramenti nomine uſum eſſe, cùm hoc illud nomen ipſi tribuit; quamvis impropriè ſumat in eodem Sermone Sacramenti vocabulum, cùm illud transfert ad Eccleſiæ Dedicationem, ad inunctionem Regis, ad Canonicorum, Monachorum, Eremitarum, Sanctimonialium inſtituta vel benedictiones.

Probatur vigeſimo-ſecundò ex Arnoldo Bonævallis Abbate, in libro de Cardinalibus Operibus Chriſti, qui Sancto Cypriano olim adſcriptus eſt, Sermone de Unctione Chriſmatis, in quo hæc habet. *Hodie in Eccleſia cum cæteris unctionibus ad populum acquiſitionis ſanctificandum, in participationem dignitatis & nominis, ſacrum Chriſma conficitur: in quo mixtum oleo balſamum, Regiæ & Sacerdotalis gloriæ exprimit unitatem.* Et infrà: *Non hæc medendis corporibus unctio inſtituta; quia ſanctificatis elementis, jam non propria natura præbet effectum, ſed virtus divina potentius operatur, ſed adeſt veritas ſigno, & Spiritus Sacramento, ut & ipſis rerum efficientiis gratia dignitas pateat, & interiori homini quanta ex his detur auctoritas, deiformi converſatione, & cæleſtibus moribus innoteſcat..... Ex hujus unctionis beneficio & ſapientia nobis, & intellectus divinitus datur, conſilium & fortitudo cælitus illabitur, ſcientia & pietas, & timor inſpirationibus ſupernis infundi-*



A *tur. Hoc oleo uncti, cum ſpiritalibus nequitiis colluctamur, nec fœtoribus ſpuriis imbui poſſumus, qui balſami ſpiritalis odore flagramus.* Et infra: *Nec tamen ceſſantibus his, quæ ritu antiquo inoleverant, cùm jam in populo Chriſtiano Circumciſio videretur damnabilis, & Sacrificia idololatriæ imputarentur, unctionis Myſterium Religio Chriſtiana contempſit: ſed cæteris generali conſenſu Sanctorum damnatis, non ſolùm in Regibus & Sacerdotibus unctionis honor permanſit, ſed in omnem populum Catholicum effuſa eſt hujus gratiæ plenitudo; ut ſicut Chriſtus à Chriſmate dictus eſt, eo quod ſingularis excellentiæ oleo unxerit*
B *eum Deus: ita & participes ejus quotquot ſunt, conſortes ſint tam unctionis, quàm nominis.* Cùm unctioni virtutem divinam gratiæ operatricem tribuit, eamque Sacramentum vocat cui Spiritus adeſt, quo ſeptiformis Spiritus traditur, quo denique roboramur ad colluctandum cum ſpiritalibus nequitiis, manifeſtum eſt ipſum Confirmationis Sacramentum ſpectare.

## §. XX.

### *Eugenii IV. & Synodi Tridentinæ auctoritas,*
C *coronidis loco additur.*

Probatur ultimò ex Eugenio IV. in Decreto Inſtructionis Armenorum, ſeptem novæ legis Sacramenta & inter ea Confirmationem enumerante; & ex Concilio Tridentino Seſſione 7. Canone 1. ita decernente: *Si quis dixerit Confirmationem baptizatorum, otioſam cæremoniam eſſe, ac non potiùs verum & proprium Sacramentum; aut olim nihil aliud fuiſſe quàm Catecheſim quamdam, qua adoleſcentiæ proximi, fidei ſuæ rationem coram Eccleſia exponebant, anathema ſit.*

D

## §. XXI.

### *Solvitur objectio, quam ex Eccleſiæ Græcæ ſententiâ informat Dallæus.*

Objicit Dallæus tum libro 2. de Confirmatione cap. 17. tum l. 2. de Cultibus Latinorum religioſis, c. 53. Græcam Eccleſiam Confirmationem in numero Sacramentorum non cenſere. Quod probat primò Ex Euchologio, in quo non duo diverſa ſunt Baptiſmi & Chriſmationis Officia, ſed unum & idem cui titulus eſt, *Ordo ſancti Baptiſmatis.* Ergo ad Ordinem, ſeu ad Officium Baptiſmi pertinent, quæ-
E cumque in ea tractatus parte, ſive in eo capite traduntur, inter quæ occurrit chriſmatio. *Et poſt orationem*, inquit Euchologium, *baptizatum Sancto Unguento ungit, crucis ſignum faciens in fronte, & in oculis, & in naribus, & in utraque aure, & in pectore, & manibus, & pedibus, dicens: Signaculum doni Spiritus Sancti. Amen.* Itaque cùm Græci nullam præter hanc, aliam chriſmationem vel habeant, vel agnoſcant: hanc verò ad Baptiſmum pertinere vel ipſe hic, in quo occurrit, baptiſmalis ritus evidentiſſimè doceat; illud poſtremò fatendum
F eſt nullum apud eos eſſe ab ipſo baptiſmali ritu diverſum Sacramentum.

Secundò id probat Dallæus ex eo quòd Græci neminem ad Menſam Domini admittendum putent, qui idem non fuerit chriſmatus. Atqui hoc apud omnem Eccleſiam valet, valuitque ſemper, ut nihil hominem ritè baptizatum à ſacra Communione arcere poſſit, niſi vel admiſſum poſt Baptiſma crimen pœnitentiâ dignum, vel certè tenerior ætas. Inde apud Latinos, quibus chriſmatio aliud à Baptiſmo Sacramentum eſt, communicantur baptizati, etiam non confirmati. Cùm ergo apud Græcos nemo ad Communionem admittatur non chriſmatus; liquet

eos chrismationem, pro parte, vel ritu Baptismi habere.

Tertiò id ex eo probat Dallæus, quòd Græci ex quacumque Hæresi conversos chrismant; isque eorum mos, non posteriorum Græcorum est error, sed perpetuus jam inde à vetustissimis temporibus Orientalis Ecclesiæ usus. Cùm ergo Latinæ Chrismationis Sacramentum iterari, non magis quàm ipsum Baptismum, fas sit; vel cæci vident, idem cum Latinorum Confirmatione neque tunc esse, neque verò unquam fuisse illam Græcorum unctionem, cujus iterandæ, & post apostasiam, vel hæresim ad Ecclesiam redeuntibus de novo conferendæ, nulla unquam Græcis religio fuit.

Quartò. Idem ex eo probat Dallæus, quòd hæc unctio apud Græcos à Presbytero & nunc ministratur, & semper ministrata est, cùm Latinorum chrismationem non ab alio, quàm ab Episcopo, conferri fas sit: Cùm enim Minister Sacramenti de ejus essentia sit: ut valere nisi à legitimo Ministro collatum non possit, apparet Græcorum chrismationem, utpote à Ministro legitimo minimè collatam, verè Latinorum Sacramentum (si quod re verâ esset, quale ab iis fingitur) nequaquam esse posse.

Respondeo, nego antecedens. Ad ejus probationem primam, fateor in Officio Baptismatis Confirmationis ritum contineri; quia est à Baptismo individua, & post illud continenter administratur: sed hinc nego rectè colligi quòd non sit distinctum à Baptismo Sacramentum. Imò distinctum esse probat Oratio quam *Peracta Baptismi actione* (ut habet Euchologium) *& postquam indutus fuerit Neophytus, adjicit Sacerdos sacrum administraturus Unguentum:* quæ Oratio Confirmationis forma est apud Græcos. Sic autem habet. *Benedictus es Domine Deus omnipotens, Fons bonorum, Sol Justitia, qui per Unigeniti Filii tui & Dei nostri apparitionem, velut Sol salutis iis qui in tenebris erant, illuxisti, & nobis indignis beatam purgationem in vivifica Unctione contulisti, qui & nunc recens illuminatum servum tuum per aquam & Spiritum, peccatorum sponte, atque etiam indeliberate commissorum remissione ei concessa, regenerare voluisti; ipse, Domine Rex omnium benigne, signaculum doni Sancti & omnipotentis, & adorandi tui Spiritus, & sancti Corporis, & pretiosi Sanguinis Christi tui Communionem ei largire, in sanctitate tua custodi illum, in vera Fide confirma,* &c. Signaculum doni Spiritus Sancti, unctione chrismatis tribuendum, quo in Fide confirmentur Neophyti, ipsis non adprecatur Ecclesia Græca, nisi postquam regenerati sunt & illuminati per aquam & Spiritum. Confirmationem itaque non censet esse Baptismi cœrimoniam. Præterea, eodem modo precatur Deum, ut ei *Signaculum doni Spiritus Sancti, & Communionem sancti Corporis & pretiosi Sanguinis Christi largiatur.* Ut igitur nemo dixerit, Corporis & Sanguinis Christi Communionem, ritum fuisse merum Baptismi, quamvis statim eâ post Baptismum Neophyti donarentur: ita nemo partium studio non occupatus & præjudiciis omnibus liber, negaverit Signaculum doni Spiritus Sancti Sacramenti à Baptismo diversi rem esse.

Præterea, ex Euchologio Cryptoferratensi Bessarionis clarum est, Confirmationem ad Baptismum non pertinere, siquidem hanc administrare dicitur *Patriarcha exutus ornatu Baptismatis. Tum vadit ad Sanctum Petrum: & Cantore dicente: Quotquot in Christo baptizati estis; Unguento sancto baptizatos ungit, faciens signum Crucis in fronte, oculis, naribus, ore, & duabus auribus, dicens: Signaculum doni Spiritus Sancti.* Qui Baptismatis ornatu exutus, mutato etiam loco, baptizatos ungit, planè

A significat, illam, quam administrat, Unctionem, ritum Baptismatis non esse.

Idem constat ex Barberino Sancti Marci Euchologio, in quo hæc habentur. *Postquam verò baptizatus fuerit, dicit Cantor: Beati quorum remissa sunt,* &c. *Tum verò Diacono faciente orationem: precatur Sacerdos hoc pacto: Benedictus es Domine,* &c. *& oratione hac peracta, dicit, Quotquot in Christo baptizati estis, Christum induistis. Et Unguento sacro baptizatos ungit Sacerdos, facitque signum Crucis in fronte, oculis, naribus, ore, & duabus auribus dicens: Signaculum doni Spiritus Sancti.*

Similia sunt quæ leguntur in alio Euchologio B MS. ejusdem Eminentissimi Cardinalis. *Baptizatis omnibus, tertiò cantat: Beati quorum remissa sunt iniquitates: & dicit versum, & Deo laudes persolvit. Diaconus, Dominum precemur: Sacerdos orationem, Benedictus es Domine,* &c. *& responso. Amen, digreditur Patriarcha, vel Pontifex ad Vestiarium, & Cantore dicente: Quotquot in Christo baptizati estis, Christum induistis: baptizatos Unguento sacro Sacerdos ungit: faciens Crucis signum primò in fronte, dicens: Signaculum doni Spiritus Sancti. In oculis dicens, Unctio Spiritus Sancti. In auribus dicens, Unctio participationis vitæ æternæ. In manuum vola interiore dicens: Unctio Sancti Christi* C *Dei, & signaculum insidiis liberum. In corde tandem, Complementum doni Spiritus Sancti, thorax Fidei & veritatis.*

Denique quòd Græci Confirmationem verum esse Sacramentum agnoscant, eademque sit circa hoc caput, Orientalis Occidentalisque Ecclesiæ doctrina, certum est ex Simeone Thessalonicensi, in libris de Sacramentis, ex Mathæo Blastare in Nomocanone, ex Jeremia Patriarcha in sua Catholica Responsione, ex Gabriele Philadelphiæ Antistite, Germano in Actis Synodalibus, quæ Euchologium D MS. Allatianum exhibet, ac doctissimus Goarius noster laudat; Neophyto Rhodino in Synopsi Doctrinæ Christianæ, Caturnsyrito in Elenchis, & aliis. Sed luculentissimè id probatur ex Synodo Bethleemitica anno Christi 1672. sub Dositheo Patriarcha Hierosolymitano celebrata cap. 15. quo Ecclesiæ Græcæ Fidem se doctrinam de Christianis Sacramentis exponunt Patres. *Credimus,* inquiunt, *esse in Ecclesia legis novæ Sacramenta, eaque septem, nec minorem majoremve in Ecclesia Sacramentorum numerum admittimus: siquidem Hæreticorum dementiæ fœtus est, alius Sacramentorum numerus,* E *quàm septenarius. Non enim minùs quàm cætera Catholica fidei dogmata, septenarius iste Sacramentorum in Evangelio statuitur numerus, & ex ipso colligitur. Ac primò quidem Baptismi Sacramentum Dominus tradidit, quando dixit. Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos,* &c. *Confirmationis verò, seu balsami sacri, & sancti chrismatis, cùm dixit: Vos autem sedete in Civitate Jerusalem, quoadusque induamini virtute ex alto. Hâc autem, Spiritu Sancto superveniente, sunt induti, cujus quidem adventum significat Confirmationis Sacramentum. De quo & Apostolus Corinth. cap. 1. & apertiùs per Dionysium Areopagitam disputavit.*

F Ad secundam probationem respondeo, Græcos arcere à sacra Communione non confirmatos, non quòd arbitrentur Baptismi ritum illam esse: Et cur enim à Sacra Mensa regeneratos arcerent, quibus mera & extrinseca Baptismo cœrimonia deesset? Sed quòd Ecclesiæ Orientalis Disciplinâ sancitum sit, & usu firmatum, ut Confirmatio ante Eucharistiam conferatur, sicut conferebatur olim & in Occidentali.

Ad tertiam probationem respondeo, Græcos unctione quidem chrismatis redivivos ab hæresi homines recipere, sed eam unctionem Confirmationem esse nego.

Contrà

De Chrismatione Hæreticorum ad Ecclesiam redeuntium an sit Confirmatio; adeoque an Sacramentorum illud [illegible]?

Contrà : Ubi eadem est materia, eadem forma ; idem effectus, idem est Sacramentum ; vel si unus eorum rituum Sacramentum non est, nec alter inter Sacramenta censeri debet. Sed unctionis quâ unguntur Neophyti & qua Hæretici ad Ecclesiam redeuntes suscipiuntur, una materia est, scilicet chrisma ; una forma, scilicet Oratio, & hæc verba, *Signaculum doni Spiritus Sancti* ; idem effectus, scilicet gratia Spiritus septiformis, quæ super utrosque invocatur : ergo vel unctio Hæreticorum ad Ecclesiam redeuntium Sacramentum est, vel unctio Neophytorum est ex numero Sacramentorum expungenda.

Probatur minor ex Concilio Constantinopolitano 1. Canone 7. qui sic habet : *Eos qui rectæ fidei adsciscuntur, recipimus secundùm subjectam hic consequentiam & consuetudinem. Arianos quidem & Macedonianos, & Sabbatianos, & Novatianos, & Thessaradecatitas, & Apollinaristas recipimus, dantes quidem libellos, & omnem hæresim anathematizantes .... Et signatos, sive unctos primùm sancto chrismate, & frontem, & oculos, & nares, & os, & aures. Et eos signantes dicimus, Signaculum doni Spiritus Sancti.*

Nec ullius roboris est Arcudii responsio, dicentis, Canonem de Hæreticis non confirmatis intelligendum esse, nimirum de Novatianis, de quibus Theodoretus lib. 3. Hæreticarum Fabularum cap. 5. ait : *Iis quos baptizant, sanctissimum chrisma non præbent. Quapropter eos qui ex hac hæresi corpori Ecclesiæ conjunguntur, laudatissimi Patres inungi præceperunt.* Probabilis enim esset ea responsio, si de Novatianorum duntaxat susceptione Synodus decerneret ; sed cùm aliorum Hæreticorum de reconciliatione loquatur, quos pariter Confirmatione caruisse verisimile non est ; & nullum instituat in illis suscipiendis discrimen qui Baptismum extra Ecclesiam accepissent, & qui Baptismo, adeóque & Confirmatione, quæ simul primis illis temporibus ministrabatur, in Ecclesia Catholica acceptis, ad Hæreticos defecissent : liquet Synodum ritum præscripsisse, quo omne Hæreticorum ritè baptizatorum genus reciperetur in Ecclesiam.

Confirmatur ex Canone Methodii Patriarchæ Constantinopolitani : *De iis qui abnegârunt, secundum diversas personas & ætates, & ad Orthodoxam veramque Fidem revertuntur.* Post varias enim Orationes hæc habentur : *Et sacro Unguento accepto, secundùm baptizatorum consuetudinem, illum inungit, Crucis signo expresso in fronte, & oculis, & naribus, & ore, & duabus auribus, & manibus, & pectore, & scapulis & genubus dicens : Sigillum doni Spiritus Sancti.* Tum subjungitur Oratio, in qua dicitur hominem ab hæresi redivivum *Spiritus Sancti fragrantiâ per hujus unguenti unctionem dignum habitum.* Eadem itaque unctio est, & fuit olim, quâ recipiuntur apud Græcos Hæretici, & quâ Neophyti confirmantur ; eademque utriusque materia, forma eadem, idem effectus.

Nec in Oriente solùm, verùmetiam in Occidente, sic suscipi Hæreticos ad Ecclesiam redeuntes mos erat, ut constat ex Concilio Arelatensi II. Canonibus 16. & 17. Cùm enim in priori decrevisset, *Photiniacos, sive Paulianistas, secundùm Patrum statuta baptizari oportere*; Canone sequenti sic statuit : *Bonosiacos autem ex eodem errore venientes, quos sicut Arianos baptizari in Trinitate manifestum est, si interrogati fidem nostram ex toto corde confessi fuerint, cum chrismate & manus impositione in Ecclesia recipi sufficit.*

Idem constituerat Synodus Arausicana I. Canone 1. *Hæreticos in mortis discrimine positos, si Catholici esse desiderant, si desit Episcopus, à Presbyteris cum chrismate & benedictione consignari placuit.*

Idem in Concilio Epaonensi cap. 16. sancitum est : *Presbyteris*, inquit, *propter salutem animarum, quam in cunctis optamus, desperatis & decumbentibus Hæreticis, si conversionem subitam petant, chrismate permittimus subvenire. Quod omnes conversuri, si sani sunt, ab Episcopo noverint expetendum.*

Ejus moris variis in locis meminit Sanctus Gregorius Turonensis : libro enim 2. Historiæ Francorum, cap. 31. de Conversione Lanthildis sororis Clodovæi hæc scribit : *Conversa est & alia soror ejus Lanthildis nomine, quæ in hæresim Arianorum dilapsa fuerat, quæ confessa æqualem Filium Patri & Spiritui Sancto, chrismata est.* Et lib. 4. cap. 27. de Atanagilde Regis Hispaniæ filia, quam Sigibertus in matrimonium duxit, hæc habet : *Et quia Arianæ legi subjecta erat, per prædicationem Sacerdotum, atque ipsius Regis commonitionem conversa, Beatam in unitate confessa Trinitatem, credidit, atque chrismata est, quæ in nomine Christi Catholica perseveravit.* Et cap. 28. de Galsuintha ejusdem Reginæ sorore, quam Chilpericus uxorem duxit : *Jam enim*, inquit, *in lege Catholica conversa fuerat, & chrismata.* Et lib. 5. cap. 39. de Hermenigildo Leuvigildi Regis Hispaniæ filio, & Ingunde illius uxore hæc habet : *Cœpit Ingundis prædicare viro suo, ut relicta hæresis fallacia, Catholicæ legis veritatem agnosceret. Quod ille diu refutans, tandem commotus est ad legem Catholicam : ac dum chrismaretur, Joannes est vocitatus.*

Non eadem erat Romanæ & finitimarum Ecclesiarum, Sancti Gregorii Magni temporibus, in recipiendis Hæreticis Disciplina ; sed tamen ea ætate Ariani chrismate ungebantur in Orientalibus Ecclesiis, cùm ab hæresi redibant. De his lib. 9. Epistola 61. ad Quiricum & cæteros Episcopos Iberiæ ita scribit : *Ab antiqua Patrum institutione didicimus, ut qui apud hæresim in Trinitatis nomine baptizantur, cùm ad sanctam Ecclesiam redeunt, aut unctione chrismatis, aut impositione manus, aut sola professione Fidei, ad sinum matris Ecclesiæ revocentur. Unde Arianos per impositionem manus Occidens, per unctionem verò sancti Chrismatis ad ingressum sanctæ Ecclesiæ Catholicæ Oriens reformat. Monophysitas verò, & alios, ex sola Confessione recipit : quia sanctum Baptisma, quod sunt apud Hæreticos consecuti, tunc in eis vires emundationis recipit, cùm vel illi per impositionem manus Spiritum Sanctum acceperint, vel isti, propter professionem veræ Fidei, sanctæ & universalis Ecclesiæ visceribus fuerint uniti.*

At Siricii ætate, non chrismatione sola ; sed etiam Episcopali manus impositione, cum invocatione septiformis Spiritus, homines ab hæresi redivivi, æquè in Orientali, ac in Occidentali Ecclesia recipiebantur, ut testatur ipse in Epistola ad Himerium Taraconensem Episcopum, cap. 1. quô Arianos iterum baptizari vetans, addit : *Quos nos cum Novatianis, aliisque Hæreticis, sicut in Synodo constitutum est, per invocationem solam septiformis Spiritus, Episcopalis manus impositione, Catholicorum conventui sociamus, quod etiam totus Oriens, Occidensque custodit.*

Is reconciliandorum Hæreticorum ritus longè antea constitutus fuerat in Concilio Arelatensi I. cap. 8. quo jubetur ut Hæreticis, qui in Trinitate baptizati sunt, ab hæresi redeuntibus, *Manus tantùm imponatur ut accipiant Spiritum Sanctum.* Cùm igitur manus impositio & chrismatio adhibitæ Hæreticis conversis cum invocatione septiformis Spiritus Sancti, Sacramentorum loco & numero nusquam habitæ sint, sequitur nec unctionem & chrismationem Neophytorum, cum ejusdem Sancti Spiritus invocatione, Sacramentum esse, nec censeri debere : aut Sacramentum Confirmationis iterari.

Respondeo, nego minorem. Licet enim in susceptione Hæreticorum ad Ecclesiam Catholicam redeuntium, Chrismatio & manus impositio, quæ sunt adæquata Confirmationis materia, occurrerent, non tamen illa manuum impositio & chrismatio erant confirmatoriæ, sed reconciliatoriæ dumtaxat; quia formula Orationis diversa omnino erat. Id ex Euchologiis compertum est, in Oratione enim quæ forma est Confirmationis, invocatur Spiritus Sanctus ad robur, *Qui recèns illuminatum servum suum in vera Fide confirmes, & à maligno, omnibusque ejus astutiis illum eruat.* In receptione verò Hæreticorum, invocatur Spiritus Sanctus ad remissionem peccati hæreseos, ad baptismalis gratiæ, vel suspensæ, vel extinctæ suscitationem, ad agnitionem veritatis, ad conjunctionem cum cæteris Ecclesiæ membris, & ad dignam Mysteriorum participationem, ut videre est in Orationibus quæ in Euchologio habentur. Harum una sic habet: *Ipse benigne Domine, servum tuum istum, rationalis ovilis Christi tui ovem, inimicorum impiorum captivitate redemptam respice: & quamvis puerili inscitia, aut tyrannica vi, mores eorum imitatus fuerit, nunc tamen populi tui congregationi restitui permitte, virtute & operatione Sancti tui Spiritus mentem ejus irradia, ut salutaris Baptismatis scintilla in ejus anima insidens & relicta, aurâ gratia ventilata, spiritualiter rursum accendatur, & impressum ei sigillum, in ejus corde & cogitationibus, per crucis Christi tui signationem, per spem in te, & veritatis agnitionem, evidentiùs appareat, ut te solum verum & Patrem, & Unigenitum Filium tuum Dominum nostrum Jesum Christum, & Sanctum tuum Spiritum agnoscat, & veneretur. Sancta tua Catholica & Apostolica Ecclesia illum conjunge, Gentilis omnis impietatis ritum ab ejus mente absterge, in mandatis & præceptis tuis ut dignè ambulet, illum dirige, & Sanctorum tuorum Mysteriorum indemnata sumptione dignum redde, & in futura vita cœlestis regni participem illum ostende.*

Altera Oratio, quam unctione perfectâ super caput Hæretici conversi recitat Sacerdos, est hujusmodi: *Domine Deus omnipotens, qui per Sanctissimi tui Spiritus missionem, gratia discipulos tuos replevisti, servum etiam tuum hunc ab erroris via revocatum, & ad fidem tuam reductum, & Sancti tui Spiritus fragrantiâ per hujus unguenti unctionem dignum habitum, in tua sanctitate custodi: da ei secundum voluntatem tuam ambulare, illumque tremendis tuis Mysteriis frui, & rectam semper in te fidem servantem, regnum cœleste promereri concede.* Ex quibus patet, diversam longè Orationem esse, quæ super Hæreticos reconciliandos funditur, & unctionis, sive manuum impositionis illis adhibitæ comes est, ab ea quæ Spiritum septiformem super Neophytos invocat. Porro Oratio Confirmationis forma est, non verò illa verba, *Signaculum doni Spiritus Sancti,* quæ ad significandam dumtaxat illius unctionis sanctitatem, & ad excitandam Fidelium illam recipientium pietatem proferuntur: sicut cùm olim Christianis porrigebatur Communio, præmittebantur illa verba: *Corpus Domini nostri Jesu Christi,* ad veritatem rei contentæ declarandam, ad excitandam reverentiam suscipientis, ad exigendam & erigendam ejus fidem, qui propterea subjungebat, *Amen.* Quantumvis igitur unctio & manus impositio redivivis ab hæresi hominibus adhibeantur, non iteratur in iis Confirmatio: quia cùm hi peraguntur ritus, Oratio quæ Confirmationis forma est, non profertur.

Idem Respondeo ad Canonem Methodii, & addo, Ecclesiam unctione vel manus impositione, cum his etiam verbis, *Signaculum doni Spiritus Sancti,* qui ritus Confirmationis Sacramento videntur affines, hæreticos suscepisse, ut Confirmationis gratiam, vel ab hæreticis Episcopis quibuscum communicaverant, & pravè senserant, non acceptam; vel eorum defectione ab Ecclesia deperditam, & extinctam, quodammodo compensaret, aut excitaret. Quod tamen ita intelligi nolim, ut ille ritus ex se, propriaque virtute ad gratiam renovandam valeat; sed quòd vel Ecclesiæ precibus, vel Sacerdotis meritis, vel conversi hominis humilitate, vel tandem pœnitentiæ simul semper adjunctæ vi & potentia, infidelitatis defectus omnis resarciatur, & remoto obice, Baptismatis, Confirmationisque gratia conferatur, aut quadamtenus reparetur amissa. Sicut ergo non iterabatur Baptismus apud Græcos, cùm puerum qui à Christiana & Catholica fide, sive metu, sive ignorantia defecisset, lavabant, & post lavacrum, linteo accinctum chrismate inungebant, ut solent inungi qui baptizantur, & vestibus novis induebant, ut recèns illuminatos (ut habet laudatus magni Methodii Canon:) Sed hunc ritum Baptismo nonnihil similem usurpabat Ecclesia Græca, ut baptismalem innocentiam pueris illis, necnon hujus cærimoniæ spectatoribus universis in memoriam revocaret, quam defectio ab Ecclesia extinxerat, quamque reditus ad Ecclesiam & sincera Fidei Catholicæ professio, quodammodo renovabat. (Hinc Hæretici quicumque ad Ecclesiam redeuntes, decem aut quindecim dierum jejunio purgati, & orationibus mane & vespere, more Catechumenorum expiari, *Coram Sancti Baptismatis piscina,* errores ejurabant, Fideique Professionem emittebant: deinde ungebantur chrismate, sicut & recèns illuminati, Communione donabantur; illisque prohibebatur carnis esus & vultûs ablutio, idemque præscribebatur vivendi ordo & modus qui recèns baptizatis: & tandem octava die abluebantur) Sicut, inquam, illi ritus quamvis Baptismo nonnihil affines, super Hæreticos ad Ecclesiam conversos celebrati, Baptismi iterationem non probant: ita nec iterationem probant Confirmationis illi ritus unctionis, vel impositionis manuum, super homines ab hæresi redivivos, cùm in Orientali, tum in Occidentali Ecclesia repetiri.

Ad quartam Dallæi probationem, respondeo Chrismationem Confirmatoriam Neophytorum in Ecclesia Græca conferri à Presbytero ut à Ministro extraordinario, & qui non proprio jure, sed demandata sibi à Patriarchis & Episcopis potestate, connivente etiam Romana Ecclesia & Summo Pontifice, sacrum illud obeat ministerium: in Ecclesia verò Latina conferri ab Episcopo, ut ab ordinario Ministro. Cæterùm nec semper Ecclesia Græca Confirmationis administrationem permisit Presbyteris, ut constat ex Sancto Chrysostomo suprà laudato) nec solis Episcopis illam ita arrogat Ecclesia Latina, ut Presbyteris eam concedi posse neget ceu extraordinariis Ministris: cùm id & Eugenius IV. in Decreto pro Instructione Armenorum, & Tridentini Patres evidenter supponant: eamque potestatem Sanctus Gregorius Magnus Sardiniæ Presbyteris aliàs concesserit.

¹ Presbyter Confirmationis Minister extraordinarius.

Porrò Presbyterum simplicem esse extraordinarium Confirmationis Ministrum, præter hæc momenta, alia quoque gravissima probant. Primò Auctor Commentariorum in Epistolas Sancti Pauli B. Ambrosio olim adscriptorum qui in c. 4. Epistolæ ad Ephesios ita scribit; *Denique apud Ægyptum Presbyteri consignant, si præsens non sit Episcopus.* Idem testatur Author Quæstionum in Vetus & Novum Testamentum, apud S. Augustinum Quæst. 101. *In Alexandria,* inquit, *& per totam Ægyptum, si desit Episcopus, consecrat Presbyter.* Ubi Consecrationis vocabulum consignationem, seu Confirmationem;

tionem, non Eucharistiæ celebrationem significat (quod contendit Hammondus.) Nam illa consecrandi potestas per totam Ægyptum, laudato Quæstionum in utrumque Testamentum loco, ut tes Ægypti Ecclesiæ singularis & propria commemoratur. At potestas Eucharistiam, absente Episcopo, conficiendi, non in Ægypto solùm, sed in omnibus orbis Christiani Provinciis, omnium semper fuit communis Presbyterorum. Hanc ergo conficiendæ Eucharistiæ potestatem nequaquam intellexit laudatus Auctor, cùm dixit, apud Ægyptum Presbyteros consecrare, si desint Episcopi. Hanc Alexandrinæ Ecclesiæ disciplinam Sanctus Hieronymus spectasse videtur, cùm ait: *Quid facit, excepta Ordinatione, Episcopus, quod non faciat Presbyter?* Ubi cùm solam Ordinationem Presbyteris adimit, cæteras sacri Mysterii partes, adeoque & ipsam confirmandi potestatem cum Presbyteris communicari aliquando, non obscurè significat.

Secundò. In Ecclesia Græca Presbyteris demandatum fuisse Confirmationis ministerium, etiam ante Photianum Schisma, probat Epistola secunda Encyclica Photii ad Orientis Patriarchas data, quâ inter cætera crimina, quorum Latinos Episcopos in Bulgariam à Romano Pontifice missos, postulat, hoc disertè urget, quòd chrismatos à Presbyteris Græcis iterata chrismatione consignaverint. *Chrismate*, inquit, *inunctos per Sacerdotes denuo chrismate inungere non exhorruerunt, cùm se Episcopos prædicarent, & Presbyterorum chrisma inutile quiddam ac frustra factum comminiscerentur. An talem quis insaniam fando unquam audivit, quam non exhorruere insani isti factitare; ut semel unguento sacro delibutos, rursus inungerent, & augusta illa divinaque Christianorum Mysteria in bene longas nugas, & risum lubentiamque conversa proculcarent?*

Pergit Photius ibidem. *Porro sapiens & egregium eorum responsum, qui revera sunt Sacrorum Mysteriorum immunes, hoc est: Non enim*, inquiunt, *licet Sacerdotibus eos, qui sacro Baptismate initiantur, Unguento sanctificare: Solis enim Pontificibus hoc lege datum est. Unde hæc lex? Quis author? Quæ Apostolorum? An Patrum? An ex Synodis aliqua? Sed ubi & quando habita? Et quorumnam confirmata sententiis? Non licet Sacerdoti eos, qui baptizantur, consignare. Igitur neque omnino baptizare, neque Sacra facere: ut sibi Sacerdos, non jam dimidiatus, sed totus ad profanum statum redigatur. Conficit Sacerdos Dominicum Corpus & Christi Sanguinem, & hos jam olim initiatos sanctificat. Quomodo non sanctificat unguenti inunctione eos qui jam initiantur? Baptizat Sacerdos donum baptizati expiatorium perficiens: quomodo cujus purgationis sive purificationis ipse author, & consummator est, ejus illi custodiam atque signaculum eripies? Verùm si signaculum ei eripis, ne illud quidem ei concede ut Donum ministret, vel quemquam eo sanctificet; ut nudis nominibus exornatus tuus Sacerdos, te quoque ejusdem cum ipso chori Coryphæum & Episcopum ostendat.*

Idem probant Annales Bertiniani ad annum Domini 867. Et ex iis Flodoardus lib. 3. Historiæ Remensis Ecclesiæ cap. 7. referentes Nicolaum Romanum Pontificem *Hincmaro & Episcopis in regno Caroli Calvi constitutis Epistolam transmisisse, innotescentem, Græcorum Imperatores Michaelem & Basilium, sed & Orientales Episcopos, calumniari sanctam Romanam Ecclesiam, imò omnem Ecclesiam quæ Latina utitur lingua, quia jejunamus in Sabbatis; quòd Spiritum Sanctum ex Patre Filioque procedere dicimus; quia Presbyteros sortiri conjuges prohibemus; & quoniam eosdem Presbyteros chrismate linire baptizatorum frontes inhibemus.*

Tertiò id probatur ex Ratramno Corbeiensi Monacho, qui jussu Nicolai I. & Gallicanorum Episcoporum Græcis respondens libro 4. cap. 7. scribit: *Nunc ad illud veniamus quod objicitur, quia penes Romanos baptizatorum frontes Presbyteri chrismate non liniunt; quod objectum, sicut & reliqua, magis levitate quàm ratione propositum est. Siquidem Ecclesia sua consuetudinem sequentes, ista proponunt, non aliquam divinæ legis authoritatem.* Ecclesiæ itaque Græcæ consuetudo erat ac Disciplina, etiam ante Schisma Photianum, quam Ratramnus, Ecclesiæ Latinæ nomine contra ipsos scribens non reprehendit, ut Presbyteri Confirmationis Sacramentum administrarent. Quod etiam ex Ænea Parisiensi Episcopo lib. adversùs Græcos, in responsione ad quartam Objectionem colligitur.

Hanc Ecclesiæ Græcæ Disciplinam Latina probavit Ecclesia, quoties pacem cum Græcis à Schismate resipiscentibus inivit, & maximè in Concilio Lugdunensi II. sub Gregorio X. & in Florentino sub Eugenio IV. siquidem illos cum omnibus ritibus suis recepit. Nam in Florentina quidem Synodo proposuerat Græcis Eugenius XI. quæstiunculas. Inter cæteras sexta ordine erat: *Quare Pontifices non inungunt sacro chrismate, sed Sacerdotes, cum hoc Pontificibus sit datum? Quæ à Latinis objecta*, inquit Concilium, *Mitylenensis Præsul legitimè ac secundùm Canones omnia dissolvit, præterquam duo, videlicet separationem Matrimonii quoad vinculum, & creationem Patriarchæ extra Constantinopolim.*

Quod autem Presbyteris à tot retro sæculis Ecclesia Græca concessit Confirmandi Ministerium; idem aliquoties indulsit quibusdam è suis Ecclesia Romana, quod non Sancti Gregorii duntaxat factum: sed recentiora exempla evincunt. Scilicet Hadrianus VI. anno 1521. die 25. Aprilis, petentibus Fratribus Galapione, & Francisco de Angelis, concessit ut in Indiis & Regionibus in quibus non erant Episcopi, Sacerdos Regularis ex Ordine Minorum, chrismate ab Episcopo consecrato confirmare posset. Authenticum istius Privilegii exemplar in Cœnobio Hispalensi Sancti Francisci asservari testatur Wadingus in Annalibus Fratrum Minorum. Præterea, Pater Ludovicus Fonseca Societatis Jesu Sacerdos affirmavit Arcudio coram plurimis Gymnasii Græcorum in Urbe alumnis, anno 1593. se in Brasilica ora Sacramentum Confirmationis administrare solitum authoritate Pontificia, vi Diplomatis quod illis in partibus asservabatur, ut refert Arcudius ipse lib. 2. de Confirmatione cap. 15.

Dices, Græcos Presbyteros ordinario jure Confirmationis Sacramentum administrasse: siquidem quo jure Baptisma conferebant, & Eucharistiam consecrabant, eodem jure Neophytos chrismate consignabant, ut ex Epistola Photii colligere est.

Respondeo, nego antecedens. Nec Photii ratiocinium admitto, quod nimis probat, ut Scriptoribus partium studio abreptis frequenter contingit. Enimverò Græci hisce in contentionibus ad ordinarii extraordinariique Ministerii distinctionem non attendebant; sed Ecclesiæ duntaxat suæ mores vindicabant & Disciplinam; stylo quidem petulantiori, & rationibus vehementioribus, plusque probantibus quàm par esset, adeoque non consentaneis veritati.

Dices. Latini Episcopi confirmatos à Græcis Presbyteris Christianos iterum confirmarunt, non solùm Photii temporibus, ut ex illius Epistola certum est, sed etiam paulò ante Florentinam Synodum ut constat ex Gregorio Protosyncello, qui

huic Synodo interfuit, & subscripsit, in Epistola Encyclica adversùs Marcum Ephesium. Existimarunt itaque Episcopi Latini, Græcos Presbyteros Confirmationis Sacramentum, nequidem extra ordinem, administrare posse.

Respondeo, Latinos Antistites, in facto errasse, & arbitratos fuisse, Græcos Presbyteros Confirmationis ministerium usurpare, illudque obire absque suæ Ecclesiæ facultate.

Respondeo secundò, Photii temporibus potuisse repeti Confirmationem eorum, quos Presbyteri à Photio ordinati, ex ipsius mandatis & concessione confirmaverant, cùm Patriarcharum legitimorum facultas necessaria sit Presbyteris ad sacrum istud Ministerium obeundum. Photius autem non erat legitimus Patriarcha, sed adulter, utpote in Constantinopolitanam Sedem vivente Sancto Ignatio, ex Laicorum Ordine, conculcatis Canonibus intrusus.

Respondeo denique, Ante Florentinam Synodum, qui Græcos iterum chrismabant Episcopi, id propria præsumptione, non verò ex Latinæ Ecclesiæ sententia præstitisse. Quod ex Gregorio Protosyncello in Epistola Apologetica adversùs Marcum Ephesium constat. *Latini*, inquit, *nostros ungebant, & chrismatos appellabant. Quòd verò non secundum rectam rationem ista fierent, manifestum est. Etenim cùm iniremus concordiam, nullam rationem contra nos afferre poterant: sed cùm Orthodoxi essemus, & rectè sentiremus, ab Orthodoxis Orthodoxi judicati sumus.*

Dices, Innocentium III. Pontificem Maximum prohibuisse Parochis Constantinopoleos Confirmationis administrationem. Gregorium IX. 1. Decretal. tit. 4. *de consuetudine*, solum Episcopum agnoscere Ministrum hujus Sacramenti: Innocentium IV. ad Episcopum Tusculanum Sedis Apostolicæ in regno Cypri Legatum, qui ipsum de ritibus Græcorum consuluerat, scribentem respondisse, *Solos Episcopos consignare posse in frontibus baptizatos.* Clementem denique VIII. in Instructione super ritibus Græcorum, Confirmationis Ministerium solis Episcopis asserere.

Respondeo, Innocentium III. Latinis Parochis, non Græcis, prohibuisse ne Confirmationem administrarent. Tunc enim Latini Constantinopoli dominabantur. Id verba ipsius Innocentii ad Lucium Vicarium suum scribentis demonstrant: *Mandamus*, inquit, *quatenus omnibus Latinis Presbyteris apud Constantinopolim constitutis districtè prohibeas, ne talia de cætero sua temeritate præsumant.* Gregorius IX. Decessorum suorum Decreta referens, secundùm ea intelligendus est, licere scilicet solis Episcopis Confirmationis Ministerium ut ordinariis Ministris. Innocentius IV. Decretum edidit, ut Græcos Cyprios ab usu veteri revocaret, & ad Romanæ Ecclesiæ Disciplinam adduceret, quæ Confirmationis administrationem Presbyteris passim non permittit. Sed hoc ejus Decretum promulgatum non est, nec executioni mandatum in Cypro Insula, vel in aliis Græciæ regionibus. Clementis VIII. Instructio spectat dumtaxat Græcos Presbyteros in Latina Ecclesia degentes, & Latinis Episcopis subditos, quibus absque Romani Pontificis concessione administrare Sacramentum Confirmationis nefas erat.

## §. XXII.

*Diluuntur argumenta Dallæi, ex Materia, forma, Ministro, fine Confirmationis petita.*

Argumentatur iterum Dallæus in Catholicam sententiam hoc modo. Latinum Confirmationis Sacramentum planè abhorret à Christianæ Religionis ritibus, primò quoad materiam; 2. quoad formam; 3. quoad Ministrum; 4. quoad finem, qui nullus fuit hujus instituendi Sacramenti. Quoad materiam, ab aliis Sacramentis alienum est, siquidem Baptismus & Eucharistia simplex elementum pro materia habent; ille quidem aquam meram, hæc verò panem & vinum: in Confirmatione verò non simplex, sed mixta, & ex duabus diversissimis speciebus concreta materia sumitur. Tum & illud mirum est, quòd cum Christus in veris atque indubitatis Sacramentis species eas adhibuerit, quæ ferè ubique sunt obviæ & facilè à quibusvis comparari possunt; in Confirmatione contra ea species usurpatur, quæ & rara est in rerum natura, & ingentis pretii, & exigui in vita communi usus. Balsamum enim in Judæa olim proveniebat; nunc verò ipsas arbores quæ id sudant, in hortos Cairenses jampridem fuisse translatas narrant, neque ullum in orbe nostro locum esse simili proventu fœlicem.

Forma verò ista Confirmationis in his verbis sita, *Consigno te signo Crucis*, &c. ab Evangelii majestate plurimùm distat. Nihil certè in omnibus Dei literis est verbis istis conceptis simile. Jam totus ritus superstitionis plenus est, nempe ut frons propriè ungatur, ut in Crucis figuram ducatur unguentum; ut Episcopus pollice, non alio digito signet; ut alapam infligat Confirmato, ut ei fascia frontem obliget. Eone, inquit Dallæus, Majestatem Domini deducemus, ut ista cum penè puerilia suis post divinos illos Sermones tradidisse somniemus, quos supremâ vitæ terrestris nocte cum illis habuit?

Quod Ministrum spectat, Confirmatio à Christi Institutis in hoc etiam videtur aliena, quòd eam non ut mera certaque Domini Sacramenta, Baptismum scilicet & Eucharistiam, quilibet Presbyteri, sed soli Episcopi ministrent; qui cùm paucissimi sint præ Fidelium multitudine; & totæ interdum gentes sine ullis Episcopis agant, eò fit ut ingens hominum multitudo eo omni spirituali præsidio, quod huic Sacramento tribuitur, necessariò careat. Id autem quàm sit à Christi in suos bonitate alienum, nemo non videt. Nam hoc Sacramentum vel neque omnino instituendum fuit, si eo carere nullo fidei aut salutis detrimento totis gentibus licet, vel si necessarium est, aliter certè, quàm nunc est, instituendum fuit: ita scilicet ut à quovis Presbytero, perinde ac Baptismus haberi posset.

Ad hæc, nulla omnino in tota Disciplina Christi ratio apparet, cur hoc Confirmationis Mysterium institui in Ecclesia Christi oportuerit, vel cur Christus Discipulos cœlestibus Baptismi, atque Eucharistiæ Sacramentis munitos, aliptis Romanis inungendos tradere debuerit. Quod enim dici solet, spiritali robore ad mystica adversùs persecutores certamina opus fuisse, inane est. Quasi verò Spiritus ille, quem in genitali Christi unda hausimus, iners sit, vel ignavus; vel *cor* non *confirmet Panis* ille quem in Domini Mensa accipimus. Paulus quidem de Spiritu quo in omni Evangelica Disciplina potamur, ita docet 2. ad Timotheum 1. *Non dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis, & dilectionis, & sobrietatis. Noli itaque erubescere testimonium Domini.* Vel ergo negandum est istum nos Spiritum & in Baptismo accipere, & in Eucharistia potare; vel certè confitendum quod res est, post donata cœlestia illa præsidia, nullam fuisse Christo instituendæ Confirmationis necessitatem. Eucharistiæ autem hanc esse vim, ut eâ ad fortitudinem Christianam in periculis pro fide subeundis confirmemur

mur atque muniamur, docet Sanctus Cyprianus Epistola 54. ad Cornelium. *Non morientibus*, inquit, *sed viventibus communicatio à nobis danda est, ut quos excitamus, & hortamur ad prælium, non inermes ac nudos relinquamus, sed protectione Corporis & Sanguinis Christi muniamus. Et cùm ad hoc fiat Eucharistia, ut possit accipientibus esse tutela, quos tutos esse contra adversarium volumus, munimento Dominicæ saturitatis armamus.* Ex quibus intelligitur, necesse non fuisse aliud Christianis Sacramentum tradi, hoc à Domino suo abundè munitis.

Respondeo ad hanc Dallæi argumentationem, nego antecedens, quantùm ad omnes partes. Ad id quod objicit contra Confirmationis materiam, respondeo, aliam esse Baptismi, aliam Confirmationis rationem. *Baptismus enim datur ad spiritualem vitam simpliciter consequendam; & ideo competit illi Sacramento materia simplex. Sed hoc Sacramentum datur ad plenitudinem consequendam Spiritus Sancti, cujus est multiformis operatio, secundùm illud Sap. 7. Est in illa Spiritus intelligentia, Sanctus, unicus, multiplex. Et ad Cor. 12. dicitur: Divisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus. Et ideo convenienter hujus Sacramenti est materia composita*, (inquit, Sanctus Thomas III. P. Quæst. 72. Art. 2. ad 2.) Sed etsi hæc ratio conveniens sit, supposita Christi institutione: tamen aliam afferre non est opus, quàm Christi ita instituentis voluntatem. Sicut enim in Mysteriis & miraculis, tota ratio facti est potentia facientis: ita in Sacramentis tota ratio cur hæc vel illa materia assumpta sit, cur hæc forma præscripta, cur hic Minister designatus, est voluntas instituentis. Non erat porro necesse ut hujus materia Sacramenti ubique esset obvia sicut materia Baptismatis: *Quia Baptismus est Sacramentum absolutæ necessitatis: & ideo ejus materia debet inveniri ubique. Sufficit autem quòd materia hujus Sacramenti, quòd non est tantæ necessitatis, de facili possit ad omnia loca terrarum deferri* (inquit Sanctus Thomas III. P. Q. 72. Art. 2. ad 4.) Neque verò adeo rarum balsamum est, ut comparari facilè non possit, cùm & ejus feracissima esset olim Judæa, ut testatur Josephus libro 8. Antiquitatum c. 2. & lib. 15. cap. 5. & nunc India sit hoc proventu fœlix, ex qua in omnem orbem Christianum facilè transvehi potest.

Balsamum non videtur essentialis materia Confirmationis.

Adde, non esse certum quòd balsamum ad materiam Confirmationis divino jure pertineat, & necessitate Sacramenti, aut præcepti divini desideretur: cùm ex Ecclesiæ duntaxat præcepto mixtionem illam balsami cum oleo necessariam esse, sicut mixtio aquæ cum vino in Sacramento Eucharistiæ necessaria est, celebres eruditione Theologi propugnent, his rationibus adducti.

Prima. Sanctus Dionysius lib. de Ecclesiastica Hierarchia cap. 4. ubi de materia hujus Sacramenti agit, balsami non meminit, sed tantùm in genere scribit, *Unguenti* istius *compositionem esse collectionem quamdam materiarum fragrantium, quæ in se abundanter suaveolentes continent qualitates.* Quæ verba innuunt, non unum aliquod genus fragrantis materiæ, puta balsamum, sed plura, chrismatis oleo misceri solita fuisse; quæ tamen ad substantiam Sacramenti non pertinere, certissimum est.

Secunda ratio quâ moventur illi Theologi, hæc est. Sancti Patres materiam Sacramenti Confirmationis frequenter oleum simpliciter appellant, ut Tertullianus libro 1. contra Marcionem, cap. 14. Sanctus Augustinus lib. 15. de Trinitate cap. 26. lib. 5. contra Donatistas cap. 20. Tractatu 118. in Joannem, & alii. Balsamum itaque non censebant ad essentiam Sacramenti necessarium.

Tertiam rationem petunt ex Innocentio III. Extra, *de Sacramentis non iterandis*, cap. *Pastoralis*, ubi consultus Pontifex utrum Confirmationis Sacramentum in eo debeat iterari, qui per errorem fuerat, non chrismate, sed oleo delinitus, respondet, quòd in talibus *Non est aliquid iterandum, sed cautè supplendum quod incautè fuerat prætermissum.* Ubi dicens, non esse iterandum, sed supplendum, planè significat fuisse Sacramentum, & proinde chrisma quatenus balsami admixtionem includit, non fuisse ad ejus substantiam necessarium; alioquin enim iterandum fuisset, quod priùs factum non subsistebat: sicut esset iterum baptizandus, qui non aquâ sed vino fuisset baptizatus. His rationibus Caietanus III. P. Q. 72. Art. 1. & 2. Dominicus Soto in IV. Sententiarum Dist. 7. Q. unica, Art. 2. Estius in IV. Dist. 4. cap. 8. probant balsamum ad materiam essentialem Confirmationis non spectare, nec esse necessarium necessitate Sacramenti, sed necessitate duntaxat præcepti, quam tantùm innuunt verba Innocentii III. Extra, *de sacra Unctione*, & Eugenii IV. in Decreto pro Instructione Armenorum asserentis, materiam hujus Sacramenti esse *Chrisma confectum ex oleo quod nitorem significat conscientiæ, & balsamo, quod odorem significat bonæ famæ.* Nec verba quæ profert Episcopus inungendo in fronte confirmandum, *Chrismo te chrismate salutis*, postulant ut balsamum oleo sit admixtum, ad hoc ut eorum constet veritas, quasi absque hac admixtione chrisma non esset. Nam chrisma in genere unctionem, seu unguentum significat. Unde & Innocentius I. in Epistola ad Decentium, Oleum Infirmorum cui balsamum non admiscetur, Chrisma vocavit. Et Sanctus Augustinus lib. 17. de Civitate Dei cap. 10. ait: *In veteri Testamento Reges, Christi vocabantur, chrismate illo mystico consecrati.* Ubi nomine chrismatis, oleum merum, quo Reges olim inungebantur, significat.

Fuisse tamen ab antiquo admixtum oleo balsamum ad confectionem chrismatis, constat ex S. Gregorio Magno illud Canticorum 1. exponente, *Botrus Cypri dilectus meus mihi, in vineis Engaddi.* Postquam enim nomine Cypri universalem designari præmisit Ecclesiam, quæ in multas particulares Ecclesias velut in totidem vineas divisa, vinum gignit cor lætificans, mox appositè ad rem nostram subjungit: *In vineis Engaddi (qua fontem hædi sub symbolo Baptismi significat) balsamum gigni, quod cum oleo, benedictione Pontificali chrisma efficitur: quo dona Spiritus Sancti exprimuntur.*

Idem constat ex Sancto Gregorio Turonensi lib. 1. de Gloria Martyrum cap. 41. narrante, quòd cùm Sacerdos idolorum, ex præcordiis animalium immolatorum, ad Juliani Apostatæ Imperatoris nutum, pro suo more augurari non posset, adeoque facinus suum Christiani alicujus præsentia suspicaretur impediri, obstupefactus dixit: *Require nunc, sacratissime Auguste, quis adest ablutus, balsamo unctus, & abscedat:* Quasi diceret, quis baptizatus, & quis Chrismate consignatus. Hinc statim Imperator: *Quis est hic Numinibus nostris contrarius, ac Religionis Christianæ socius, qui frontem chrismatis inscriptione signatam ferat?* Possunt & alia ad idem adstruendum proferri momenta, quæ prætermittimus.

Forma essentialis Confirmationis est Oratio, non verò hæc verba · Consigno te, &c.

Ad id quod objicit Dallæus contra formam Confirmationis, Respondeo, Non esse necesse ut omnes Sacramentorum formæ in Evangelio conscriptæ sint. Satis est ut ex traditione, & ex usu Ecclesiæ habeantur. Certè verba illa *Consigno te signo Crucis, & confirmo te Chrismate salutis*; non sunt à Scripturæ divinæ majestate aliena, cùm Apostolicis illis sint simillima: *Qui confirmat nos vobiscum in Christo*,

*sto, & qui unxit Deus, qui & signavit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus nostris.* Adde quod hæc verba non sunt forma essentialis Confirmationis, sed Oratio quâ Spiritus Sanctus super Confirmandos invocatur, ut ex Actibus Apostolorum colligere est, ex testimoniis Sanctorum Patrum supra laudatis, ex Ritualibus antiquissimis Latinæ Ecclesiæ, & Euchologiis Græcæ, in quibus eadem Oratio saltem quoad sensum habetur: cùm ea verba, *Consigno te signo crucis, & confirmo te Chrismate salutis*, in omnibus non occurrant, nec in hujus administratione Sacramenti semper fuerint usurpata. Absunt enim à Sancti Gregorii Sacramentario sive in Codicibus MSS. sive in excusis. Absunt & ab aliis Ritualibus MSS. nimirum à Petaviano, & Fuxensi, quæ post Orationem ab Episcopo fusam super confirmandos, hæc ab eo proferri tantum verba referunt, cùm eorum frontes chrismate inungit: *Signum Christi in vitam æternam. Amen.* Addit Fuxense hanc benedictionem quæ totum ritum claudit: *Confirmet te Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus. Amen. Pax tecum, & cum spiritu tuo.* Amalarius lib. 1. de Ecclesiasticis Officiis, cap. 27. Romanum libellum citat, in quo Oratione expleta, crux cum pollice in singulorum Confirmandorum frontibus chrismate facienda præscribitur, ita dicendo: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Pax tibi, & cum spiritu tuo.* Ordo Romanus editus docet Pontificem post Orationem hæc verba duntaxat proferre: *Confirmo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen Pax tecum, & cum spiritu tuo.* Ordo Romanus MS. isto antiquior addit hæc verba, *& consigno.* Antiquissimum Sacramentarium Tolosanum à Patre Morino cum aliis laudatum, ait Pontificem, recitata Oratione, facere crucem de chrismate cum pollice in singulorum frontibus dicendo: *Signat te Deus sigillo Fidei suæ in consignatione Fidei, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Ordo Romanæ Ecclesiæ tempore Innocentii III. qui in Fuxensis Collegii Bibliotheca MS. extat, ait Pontificem Oratione completa facere crucem in frontibus singulorum, cum pollice, de chrismate, ita dicendo; *Signo te signo crucis. Pax tecum, & cum spiritu tuo.* Qui Edictum Constantini fabricatus est, scribit Silvestrum Pontificem, cùm Baptismo regeneratum confirmavit, hac usum formula: *Signet te Deus sigillo Fidei, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Cùm itaque tanta sit, quoad verba quæ Chrismationem comitantur, in antiquis Ritualibus, & Ecclesiasticis monumentis varietas, apparet hanc formam. *Consigno te signo crucis, & confirmo te chrismate salutis*, accidentariam esse Confirmationi; & ab Eugenio IV. Armenis post Florentinum Concilium traditam, non quòd huic Sacramento essentialis existimaretur, sed quòd Romanæ Ecclesiæ solenne esset illa verba proferre post Orationem invocantem septiformem Spiritum Sanctum super Confirmandos, quæ forma essentialis est. Volebat autem Eugenius Armenos ad Ecclesiæ Romanæ ritus traducere.

Cæterùm Sancti Patres Oratione sola velut forma legitima & solemni perfici hoc Sacramentum asserunt. Sanctus Cyprianus Epistola 73. ad Jubaianum data, de Samaritanis à Philippo baptizatis loquens; *Tantummodo*, inquit, *quod deerat, id à Petro & Joanne factum est, ut Oratione pro iis habita; & manu imposita, invocaretur & infunderetur super eos Spiritus Sanctus. Quod nunc quoque apud nos geritur, ut qui in Ecclesia baptizantur, Præpositis Ecclesiæ offerantur, & per nostram Orationem ac manus impositionem Spiritum Sanctum consequantur, & signaculo Dominico consummentur.*

Idem constat ex Sancto Ambrosio lib. 3. de Sacramentis, cap. 2. *Sequitur*, inquit, *spiritale signaculum, quia post fontem superest ut perfectio fiat, quando ad invocationem Sacerdotis Spiritus Sanctus infunditur.*

Sanctus Hieronymus in Dialogo adversùs Luciferianos idem testatur, asserens *Hanc esse Ecclesiarum consuetudinem, ut ad eos qui longè in minoribus urbibus per Presbyteros & Diaconos baptizati sunt, Episcopus ad invocationem Spiritus Sancti manum impositurus excurrat.*

Idem colligitur ex Sancto Augustino, lib. 15. de Trinitate, cap. 26. *Neque enim*, inquit, *aliquis Discipulorum ejus dedit Spiritum Sanctum. Orabant quippe ut veniret in eos quibus manus imponebant, non ipsi eum dabant, quem morem in suis Præpositis etiam nunc servat Ecclesia.* Cùm igitur solius Orationis meminerint illi Patres, ubi de Confirmatione agunt, sequitur Orationem solam esse formam essentialem Sacramenti Confirmationis, non verò illa verba, *Consigno te signo crucis, & confirmo te chrismate salutis.*

*Cærimoniæ Confirmationis defenduntur.*

Ad id quod contra cærimonias Confirmationis objicit Dallæus, Respondeo, Ab ipso impiè superstitiosas vocari, cùm piis de causis vel ab Apostolis traditæ, vel ab Ecclesia institutæ sint, & mysticas significationes habeant, quibus Fidelium accendere possint pietatem. Chrismatio enim in fronte confirmandorum facta, declarat eos nullo metu aut verecundiâ, quarum affectionum signa maximè solent in fronte apparere, à libera Christiani nominis confessione absterrendos esse. Præterea, nota illa, qua Christianus veluti miles insignibus quibusdam ab aliis distinguitur, in illustriori corporis parte imprimenda erat, inquit Concilii Tridentini Catechismus. In crucis figuram ducitur unguentum, quo significatur Christiano de Cruce Christi, quæ Judæis scandalum est, & Gentibus stultitia, non esse erubescendum, sed in ea gloriandum esse: alioque signo munitum, esse diabolo terribilem. Pollice potiùs quàm alio digito chrismatur, quia ad consignandum aptior est. Alapa leviter infligitur, ut qui jam unctus & confirmatus est, meminerit se tanquam fortem athletam paratum esse oportere ad omnia adversa invicto animo pro Christi nomine ferenda. Fasciâ frons obligatur, ne sacrum chrisma diffluat; utque admoneantur confirmandi, internam Sancti Spiritus unctionem & gratiam, quæ ipsis in Confirmatione collata est, esse omni diligentia conservandam.

*Confirmationis Minister.*

Ad id quod objicit Dallæus contra Ministrum Confirmationis, respondeo, Baptismum, qui majoris necessitatis est, & Eucharistiam quæ frequentioris usus, ac magis etiam necessarii, à Presbyteris quibuslibet confici; Confirmationem solis Episcopis servari absque plebis Christianæ damno, quia non est absolutè ad salutem consequendam necessaria. Præterea facilè possunt Antistites commissas sibi plebes hoc Sacramento munire, si Visitationes sacras accuratè obeant, ut Canonibus sancitum est. Quod si Christiani populi nullos aut paucos Episcopos habeant, nullum idcirco salutis dispendium ex Confirmationis defectu patiuntur, quia (ut dixi) non est absolutè ad salutem necessaria: Unde Concilium Illiberitanum Canone 77. ita decernit: *Si quis Diaconus regens plebem sine Episcopo, vel Presbytero, aliquos baptizaverit, Episcopus eos per benedictionem perficere debebit. Quod si ante de seculo recesserit, sub fide qua quis credidit, poterit esse justus.* Cur autem Episcopis solis ut ordinariis Ministris à Christo concessa fuerit hujus Sacramenti administratio, rationem verisimilem & convenientem affert Sanctus Thomas III. P. Q. 72. Art. 11. *In quolibet opere*, inquit, *ultima consummatio supremæ arti aut virtuti reservatur: Fideles autem Christi sunt quodam*

*dam divinum opus, secundùm illud 1. Cor. 3. Dei ædificatio estis. Hoc autem Confirmationis Sacramentum est quasi ultima consummatio Sacramenti Baptismi. Et ideo collatio hujus Sacramenti Episcopis reservatur, qui obtinent summam potestatem in Ecclesia: sicut & in primitiva Ecclesia, per impositionem manus Apostolorum, quorum vicem gerunt Episcopi, plenitudo Spiritus Sancti dabatur, ( ut habetur Actor. 8. )*

Finis Confirmationis.

Ad ea quæ objicit Dallæus contra finem institutionis hujus Sacramenti, respondeo, Institutum rectè asseri ut Spiritus Sanctus ad robur conferatur, quò instructi, hostibus Fidei tum internis, cùm externis intrepidè obsistamus. Nec sequitur inertem esse Spiritum Sanctum, quem in Baptismo accepimus, si robur istud singulare non conferat: cùm enim divisiones gratiarum sint, & varii Spiritus Sancti effectus, non eandem in Baptismo, quam in cæteris Sacramentis, gratiam confert. Gratia enim regenerationis est illa, quâ homo expunctis peccatorum maculis & pœnarum ipsis debitarum sublato reatu; in novam creaturam emergit. Gratia verò Confirmationis est, quâ baptizatus, qui in vita Christiana infantium instar adhuc tener & debilis est, roboratur, & armatur ad pugnam contra Fidei hostes, tum externos qui suarum impetu persecutionum fidem nostram oppugnare possunt, tum internos & invisibiles, qui non Fidei tantum nostræ fundamentum concutere, sed omnes quæ illâ sustentantur, ipsique inædificantur virtutes, tentationum suarum, quà vi, quà dolo, evertere moliuntur. Hinc Sancti Patres Confirmationem *Perfectionis*, & *consummationis* nomine exornarunt. Hinc Tertullianus lib. de Resurrectione Carnis, *Caro*, inquit, *signatur, ut anima muniatur.* Hinc Sanctus Cornelius in Epistola ad Fabium Antiochenum ab Eusebio laudata, negat Novatianum, quamvis baptizatus fuisset, *Spiritum Sanctum accepisse*, ( utique ad singularem hunc effectum, id est, ad spiritale robor hominibus in Christi militia conscriptis necessarium ) quia *Signaculum Dominicum*, id est, Confirmationem *minime acceperat.* Hinc Eucherius Lugdonensis sive alius Auctor Sermonum sub Eusebii Emisseni nomine editorum ait, *Post Baptismum nos confirmari ad pugnam, quia in hoc mundo tota ætate victuris inter invisibiles hostes & pericula gradiendum est.*

Licet verò Christianum etiam robur & fortitudinem in Fidei confessione Sanctus Cyprianus Eucharistiæ acceptum referat, non sequitur inutile esse illud, quo de agimus, Confirmationis Sacramentum. Alia enim est in utroque roborandi ratio. Nam corpus & sanguis Christi muniunt animam, eique robur conferunt instar alimenti, quo nutritur & vegetatur. Spiritus verò Sanctus in Confirmatione roborat animam instar ducis, qui milites edocet artem militarem, eosque armis instruit ad pugnandum; ac suorum denique vehementia sermonum ipsis animos addit. Sicut ergo non satis sunt ad pugnam comparati milites, quamvis alimentorum copia & annonæ ubertas ipsos non deficiat, sintque corporibus vegeti & membris robusti, nisi armis instructi sint, animoque fortes & impavidi: ita non sufficit Christianis ad pugnandum contra Fidei hostes divinum Eucharistiæ alimentum, sed arma insuper necessaria sunt, quæ Spiritus Sanctus in Confirmatione suppeditat; & maximè perfecta ætas vitæ spiritalis, ad quam istius Sacramenti beneficio Christiani promoventur. Id suadet Apostolorum exemplum, qui quamvis Christi Baptismo tincti essent, ejusque Corpore & Sanguine sacratissimo in ultima Cœna muniti, tamen jussi sunt à Christo sedere in civitate, *Donec virtute ex alto induerentur*: & *Virtutem supervenientis in illos Spiritus Sancti* ipsis pollicitus est, ut ipsi *testes essent in Jerusalem, & in omni Judæa & Samaria, & usque ad ultimum terræ.*

§. XXIII.

*Cæteris nominis Christiani Gentibus ignotum esse Confirmationis Sacramentum, Dallæus falsò asserit.*

Objicit Dallæus, Cæteris Christiani nominis gentibus ignotum esse Confirmationis Sacramentum: scilicet Æthiopum Ecclesiæ, ut testatur Alvares Hispanus Monachus in suo Æthiopiæ Itinerario, utque scribit Zaga Zabo ipse Æthiops ad Damianum à Goës Lusitanum. Nobilissimam Armenorum gentem Chrismatis & Extremæ Unctionis Mysterium pariter nescivisse, auctor est Guido Carmelita. Sed & Chaldæos Christianos longè latèque per Arabiam, Mesopotamiam, Chaldæam, Assyriam, Persidem, ipsamque etiam Ægyptum diffusos, quorum Patriarcha in urbe Mesopotamiæ *Monsoul* sedet, Antonius Gouveanus Lusitanus Augustinianus testatur utrumque hoc Latinorum ex unctione Sacramentum, quo vel Baptizati confirmantur, vel morientes dimittuntur, planè penitusque nescire. Jam & Græcis Latinæ confirmationis Sacramentum ignotum est, ut testatur mox laudatus Guido Carmelita in Summa cap. 15. *Nec*, inquit, *conficiunt chrisma* ( Græci ) *nec benedicunt oleum sanctum, nec Extrema Unctionis, nec Cathechumenorum; sic quod baptizandos non inungunt; nec Sacramentum Confirmationis credunt.* Itaque ex omnibus Christiani nominis gentibus, soli Latini hoc Confirmativæ Unctionis mysterium norunt & factitant. Hoc autem ita se non haberet, si Sacramentum esset à Christo institutum.

Respondeo, Ecclesias quasdam, quæ Sacramentum Confirmationis non agnoscunt, falsi nominis Ecclesias esse, cùm in multos lapsæ sint errores, nefario schismate ab Ecclesia Occidentali divisæ. Sed illæ ipsæ Ecclesiæ Sacramentum istud aliàs agnoverunt, ut Ecclesia Æthiopum, Armenorum, Syrorum. Quin etiam illarum Ecclesiarum nobilissimæ, ut Græca & Armena, Confirmationem inter novæ legis Sacramenta etiamnum recensent. Æthiopum Christianorum hoc de Sacramento Fidem testatur *Ordo Mysteriorum, sive administrationis Sacramenti Confirmationis secundum usum Æthiopum*, excusus Tomo 6. Bibliothecæ Patrum. Ibi leguntur primò *Orationes, quas dicit Sacerdos, cùm imponit manus super eos qui confirmandi sunt.* Has tibi absolvit, *Accipit balsamum, & orat super ipsum, dicens: Deus in quo potestas est: qui solus factor es omnium mirabilium: ( nihil enim tibi est impossibile ) confirmet Domine virtus sua omnem gratiam Spiritus Sancti super hoc balsamum: Fiat Sanctum, Amen. Fiat signum vitæ, Amen. Et Confirmatio famulis tuis, Amen*, &c. Postea ungit frontem, dorsum, & oculos eorum in figuram crucis, & dicit: *In unctionem gratiæ Spiritus Sancti, Amen.* Ungit nares & labia, & dicit: *Pignus regni cælorum, Amen.* Ungit aures & dicit: *Unctio sancta Dei nostri Christi, & signum quod non aperitur, Amen.* Ungit dorsum, & granum pectoris, seu os stomachi, & dicit: *Perfectio gratiæ Spiritus Sancti, Fidei, & justitiæ, Amen.* Ungit tibias, & ulnas, genua, & omnes juncturas eorum, sola pedum, & spinam, & dicit: *Ungo te unctione sancta, ungo te, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti Paracleti, Amen.* Postea imponit manum suam super eos, & dicit: *Benedicti sitis benedictione Angelorum cælestium: Benedicat vobis Dominus noster Jesus Christus: accipite Spiritum Sanctum, per virtutem*

*Dei Patris, per virtutem Filii Jesu Christi, & per virtutem Spiritus Sancti*, &c.

Cophtos, seu Ægyptios, Confirmationem Sacramentorum loco & numero censere, constat ex Professione Fidei, quam literis consignatam Matthæus Alexandrinus Patriarcha, agente Illustrissimo Domino de Nointel Regis Christianissimi ad Imperatorem Ottomanum Legato, ad eundem Regem Christianissimum Ludovicum Magnum nunc feliciter & gloriosè regnantem misit, 18. mensis Hatur. Tam insigne Fidei, nedum Cophtorum, sed & Æthiopum, quibus etiam Alexandrinus Patriarcha præest, testimonium videsis Tomo 3. de Perpetua Ecclesiæ Catholicæ Fide circa Eucharistiam à Clarissimo Doctissimoque viro Antonio Arnaldo, Sorbonico Doctore edito, lib. 8. cap. 19. Idem constat ex libro nondum typis excuso Vanslebii nostri, viri linguarum Orientalium peritissimi, *De Fide, Disciplina, & Ritibus Ecclesiæ Alexandrinæ*: In quibus veterum Manuscriptorum Arabicorum notitia & lectio, diuturna satis in Ægypto mora, & frequentes cum Patriarcha, Episcopis, Presbyteris, & Monachis illius Ecclesiæ congressus, ipsum eruditum fecere.

Quod spectat Armenos, certum est Concilii Florentini temporibus ipsos Sacramentum Confirmationis agnovisse, quamvis eo in errore versarentur, quòd passim à Presbyteris, velut ab ordinariis Ministris, conferri posset. Quòd vero Guido Carmelita ipsos explosæ Confirmationis reos facit, id non de tota Armenorum Ecclesia, sed de privatis quibusdam intelligendum est. Nam & Benedictus XII. Pontifex Maximus in Pontificio Diplomate in quo centum & septemdecim Armenorum errores recenset, quos in Summa sua Guido Carmelita fere transcripsit, hos errores innuit à quibusdam Armenis, potiùs quam tota gente propugnatos. *Dictos Armenos*, inquit, *vel aliquos ex eis*. Certè Jacobus de Vitriaco Acconensis Episcopus in Historia Hierosolymitana lib. 1. cap. 78. & Marinus Sanutus lib. 3 Historiæ parte 8. cap. 5. singulares Armenorum ritus & errores recensentes, nullum ipsis circa Sacramentum Confirmationis tribuunt. Nec verisimile est sub Innocentii III. Pontificatu, qui cum Gregorio Armenorum Patriarcha, & Leone minoris Armeniæ Rege communionem fovit arctissimam, ut Raynaldus ad annum 199. Num. 65. & 66. & ad ann. 1201. Num. 40. & 41. & ad ann. 1205. Num. 31. refert & probat: Et sub Pontificatu Clementis IV. qui eandem communionem fovit, quo tempore Rex Hayto alterius Haytonis filius, religioso Sancti Francisci indutus habitu Armenorum genti moderabatur, ut refert Sanutus lib. 3. pag. 13. cap. 1. & sub Pontificatu Joannis XXII. quo tempore Osinius Armeniæ Rex Legationem ad Sedem Apostolicam misit, cujus caput erat Jacobus Episcopus, cujus ex Fidei Professione certior factus est Pontifex Christianos Armeniæ ab Ecclesia Romana in nullo Fidei capite dissidere, ut ipse testatus est in Epistola ad Regem illum data, quam describit Odoricus Raynaldus ad annum 1318. Num. 8. Non est (inquam) verisimile Armenorum Ecclesiam iis temporibus Confirmationis Sacramentum explosisse, quod Ecclesia Romana admittebat. Tandem Armenos Christianos etiamnum Confirmationem inter novæ legis Sacramenta recensere, testatur Uscanus Episcopus Sancti Sergii in magna Armenia, in Responsione ad varias Quæstiones sibi propositas circa fidem Armenorum, data Lugduni Batavorum, 21. Februarii, anno 1667. Interrogatus inter alia, utrum Armeni damnent eorum sententiam, *Qui negant per chrismatis unctionem & manus impositionem conferri baptizatis Spiritum Sanctum, tanquam per propriè dictum Sacramentum?* Ita respondet: *Damnant, quamvis apud ipsos administratio istius Sacramenti sit infrequens, quod factum per varios motus & tempestates, quibus Ecclesia fuit jactata.*

Idem Sacramentum agnoscunt Suriani, sive Syri, qui consuetudines & institutiones Græcorum in divinis Officiis, & in aliis spiritualibus penitus observant, & Græcis Episcopis parent. De Ministro solùm Confirmationis cum Latina Ecclesia non conveniunt, quia ex Ecclesiæ Græcæ disciplina passim illam conferri permittunt à Presbyteris simplicibus. Id testatur Jacobus de Vitriaco lib. 1. Historiæ Hierosylimitanæ cap. 74. *Parvuli eorum*, inquit, *statim post Baptismum à simplicibus Sacerdotibus in frontibus chrismate consignantur, quod non est concessum, vel licitum apud Latinos, nisi Episcopis qui locum in Ecclesia Dei obtinent Apostolorum: per impositionem enim manuum Apostolorum Spiritus Sanctus ad robur & Confirmationem conferebatur: cujus impositionis manuum locum obtinet prædictum Sacramentum.*

De Græcis superiùs egimus, & Ecclesiam Græcam, cùm veterem, tum recentem, eandem cum Latina amplecti & propugnare de Sacramento Confirmationis fidem, ex Sanctis Patribus, ex Euchologiis, ex Theologis illius Ecclesiæ, qui de Sacramentis scripserunt; ex recenti etiam Concilio Bethlemitico, à nobis probatum est. His addo, ut Guidonis Carmelitæ testimonium validiùs exsuffletur, nullam unquam cum Græcis, quoties cum Romana Ecclesia fuere conciliati, potissimùm autem in Concilio Lugdunensi II. sub Gregorio X. & in Concilio Florentino sub Eugenio IV. motam fuisse de Sacramento Confirmationis controversiam. Præterea Græcorum hodiernorum hoc de Sacramento Fides probatur ex Synodo Leucosiæ in Insula Cypri celebrata sub Nicephoro totius Insolæ Archiepiscopo VI. Idus Aprilis 1668. cujus summa capita exstant Parisiis in Bibliotheca Abbatiæ Sancti Germani à Pratis. Tertio porro capitulo hæc habentur. *Si quis sacratissimum chrisma non unum propriè fateatur ex septem Sacramentis per traditionem Apostolorum ab ipsomet omnium Rege Christo institutis, novamque gratiam ac sanctificationem propriam ex hoc iis qui inunguntur, præstari per Spiritum Sanctum, veluti caracterem regalis spiritualis dignitatis consignantem in hæreditatem regni cælestis, itemque robur ac fortitudinem adversùs visibiles invisibilesque hostes, & odorem suavitatis ad Deum in bonis operibus, is integritatem Ecclesiasticæ tollit pulchritudinis, quam ædificans suam domum Sapientia per septem Columnas prænotavit, & Lex antiqua per Columnas septem candelabri in Templo aliisque typis præfiguravit.*

Tertiò id constat ex Epistola quam de Fide Ecclesiæ Orientalis Paysius Ligaridius Gazæ Metropolita ad illustrissimum virum D. de Lilienthal Regis Sueciæ ad latus Magni Ruthenorum Ducis Residentem, dedit 8. Novembris 1666. in qua de Sacramentis eodem modo ratiocinatur & censet ac Latini Theologi. *Sacramenta*, inquit, *non propter aliam rationem instituta fuerunt, tum in lege naturæ, tum in lege à Moyse scripta, tum etiam in lege nova gratiæ, quam ob vitam hominis spiritualem. Quoniam verò vita corporalis extat vitæ spiritualis simulachrum, & universaliter dicendo res visibiles sunt quasi umbra atque imagines rerum invisibilium, mirandum non est si Sacramenta singula proportionem quamdam obtineant cum rebus iis quæ sunt necessaria atque utilia ad humani corporis vitam. Idcirco tu vides Baptismum habere proportionem ortui natalitio, nostræ vitæ primo principio. Amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei. (Joan. 3.) Item Confirmatio correspondet spirituali augmento: Pœnitentia, & Unctio Extrema medicinæ assimilantur: sunt Matrimonium, atque sacer*

Ordo

*Ordo propagationi filiorum comparatur. Consequens igitur fuit ut aliquid foret in forma cibi & potus. Prædiximus autem debere omne symbolum habere aliquam analogiam seu proportionem : nullum autem nutrimentum æquiparatur animis nostris, quàm Christus Dominus.* Vides Confirmationem ex Ecclesiæ Orientalis fide inter Evangelicæ legis Sacramenta recenseri, illiusque effectum assignari *augmentum spirituale?*

Denique idem probatur ex Enchiridio Nicolai Spadarii nobilis Moldavi, Baronis ac olim Generalis Wallaquiæ, conscripto Holmiæ anno 1667. mense Februario, quo sensus Ecclesiæ Græcæ de Transsubstantiatione panis in Corpus Domini, aliisque controversiis exponitur. *Quo verò*, inquit, *plenius cognoscas Ecclesia Orientalis septem Sacramenta, ecce & ista tibi exhibeo. Sunt autem ista: Baptismus, Eucharistia, Sacerdotium, sive Ordo, Pœnitentia, Matrimonium, Extrema-Unctio, & Confirmatio. Hinc omnes qui hæc septem Sacramenta non agnoscunt, Ecclesia Orientalis tanquam hæreticos censet, & anathematizat.* Ex quibus patet quàm falsò asseruerit Dallæus Orientales Ecclesias nullum agnoscere Confirmationis Sacramentum.

## §. XXIV.

### *Respondetur objectioni Dallæi, petitæ ex pugnantibus Theologorum sententiis.*

Objicit Dallæus ipsorum inter se Latinorum multa & antiqua de Confirmationis Sacramento certamina, tum quoad materiam, quam alii manuum impositionem esse voluerunt, chrismationem non esse essentialem Sacramento contendentes, ut veteres Canonistæ, Petrus Aureolus, Sirmondus; alii chrismationem solam, ita ut manuum impositio sit mera cærimonia, ut Estius, Valentia, Bellarminus, Ægidius Conink, Petrus Aurelius : tum quoad materiæ compositionem, quam alii oleum solum ex Sacramenti necessitate esse dicunt, cui ex Ecclesiæ tantùm præcepto balsamum admisceatur. Ita sentiunt Cajetanus, Navarrus, Soto, & Victoria : alii unguentum ex balsamo & unguento confectum ad essentiam Sacramenti necessarium pugnant, ut Ægidius Conink, & alii : tum quoad sanctificationem materiæ; quidam enim Episcopi benedictione consecrandum esse chrisma defendunt ut validum sit Sacramentum, ut Sanctus Thomas, Navarrus, & alii nonnulli : quidam simplicis Presbyteri benedictionem sufficere affirmant, ut Cajetanus : alii nullam ex necessitate Sacramenti requiri, ut Franciscus à Victoria. Non minùs dissentiunt de forma, quam Armacanus in illis verbis sitam esse volebat, *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti* : alii in his constituunt ; *Consigno te signo crucis*, &c. alii in Oratione, alii in his verbis apud Græcos, *Signaculum doni Spiritus Sancti.* De Ministro Confirmationis magna etiam fuit, estque adhuc opinionum differentia. Armacanus olim statuit Sacerdotes, quin imó & Diaconos jure divino esse ordinarios hujus Sacramenti Ministros : Presbyteris ut extraordinariis Ministris ejus administrationem committi posse ab Ecclesia Sanctus Thomas & ejus Discipuli tuentur : solis Episcopis convenire, nec aliis tam sacram demandari posse provinciam, Durandus, Major, Adrianus propugnant, quibus Estius suffragatur, quos sequitur & Petrus Aurelius. Eorumdem Scholasticorum rixas de necessitate, & effectu Confirmationis missas facio. Ad institutionem venio, de qua Antiqui minimè conveniunt. Neque enim à Christo, neque ab Apostolis, sed ab Ecclesia institutam fuisse, Spiritus Sancti instinctu, in Concilio Meldensi, Alexander Alensis, & Sanctus Bonaventura asserunt : Sanctus Thomas Christum instituisse scribit hoc Sacramentum, *non exhibendo, sed promittendo* : alii à Christo simpliciter institutum contendunt. Atqui Confirmationis materia, forma, Minister, Institutio, & cætera penè omnia tamdiu in incerto Canonistarum & Scholasticarum opinionum salo non fluctuassent, si totus hic ritus à principio Christianæ Religionis divinitus positus ac constitutus fuisset. Itaque Confirmatio in Sacramentorum censu non est reponenda.

Respondeo, Hæc Scholasticorum dissidia summam fidei non spectare, quia in ejus assertionem veritatis conspirant universi, quòd Confirmatio sit verum & distinctum à Baptismate legis Evangelicæ Sacramentum. Cœteræ autem quæstiones, quæ Ecclesiæ judicio finitæ non erant, vel nondum sunt, Theologorum fuere disceptationibus permissæ, vel etiamnum iisdem in utramque partem agitandæ relinquuntur. Quod autem Alexander Alensis, & Sanctus Bonaventura scripserunt, Confirmationem à Christo non fuisse institutam, sed ab Ecclesia, nævus est in tantorum virorum doctrina ; sed hic ipsis error condonandus est, quia nondum plenè discussa fuerat & eliquata illa quæstio in Plenario totius Ecclesiæ Concilio, *Utrum Sacramenta omnia novæ legis à Jesu Christo Domino nostro instituta sint*, quæ Concilii Tridentini judicio finita est Sessione 7. Canone 1. Sicut ergo veterum Patrum nonnulli de quibusdam fidei capitibus aliter senserunt, quàm Ecclesia Catholica sentiat, nec tamen inde fit illa ad fidem non pertinere, quia illi ex propria mente, non ex Ecclesiæ sententia, hæc scripserunt, quæ in eorum doctrina fuere à cæteris Patribus jure meritóque reprehensa : ita non est negandum Confirmationem esse à Christo institutam, non à Concilio Meldensi, quamvis Alexander Alensis & Sanctus Bonaventura secus senserint, quia id ex Ecclesiæ sensu non scripserunt, sed ex propria sententia, quam Doctores cæteri oppugnarunt, & imprimis Sanctus Thomas. Errasse autem illustre illud par Theologorum, Ecclesiæ Sententia in Concilio Tridentino anathema dicentis iis *qui Sacramenta novæ legis omnia*, inter quæ Confirmationem recenset, *non fuisse à Christo instituta* asserunt, evidenter ostendit.

Confirmatio à Christo instituta.

Quod autem asserit Sanctus Thomas, Christum instituisse hoc Sacramentum *non exhibendo, sed promittendo*, non ita intelligendum est, quasi pertendat Angelicus Doctor Christum ante Ascensum in cælos hoc Sacramentum non instituisse, ejusque ritum Apostolos docuisse ; sed quòd verè illud instituerit ante Passionem, exhibendum tamen post Ascensionem. Itaque non institutionem, sed exhibitionem Confirmationis Christum promisisse significat Sanctus Thomas his verbis ; *Christus instituit hoc Sacramentum, non exhibendo, sed promittendo, secundum illud Joannis 16. Si non abiero, Paracletus non veniet ad vos : si autem abiero, mittam eum. Et hoc ideo, quia in hoc Sacramento datur plenitudo Spiritus Sancti, quæ non erat danda ante Christi Resurrectionem & Ascensionem, secundum illud Joannis 7. Nondum erat Spiritus datus, quia Jesus nondum erat glorificatus.* Absurdum itaque & ridiculum commentum hanc S. Thomæ responsionem, non minùs falsò quàm inurbanè & insolenter Dallæus appellat.

Objicit Dallæus, Verbum *confirmare*, unde dicta est Confirmatio, & de Eucharistia, & de Calice solo dictum à Scriptoribus Ecclesiasticis. Ita Alcuinus in Epistola de Cærimoniis Baptismi ad Carolum Magnum : *Confirmatur postea* (Neophitus) *Corpore & Sanguine Domini, ut sciat per talia Mysteria diabolum expulsum ab ejus corde, ac Christum inhabitare.* Ita etiam Ivo Carnotensis Sermone de Sacramentis Neophytorum ; *His omnibus supra memoratis Sacramentis novus homo in utero Ecclesiæ inchoatur, provehitur, consummatur, & unitati Ecclesiæ aggregatur, unde etiam si est ejus valetudinis, Sacramentis unisa-*

De nomine Confirmationis, & quo sensu confirmandi v s Eucharistia conveniat?

*tis, id est, Christi Corpore & Sanguine confirmatur.* Ita Ordo Romanus: *Episcopus accipit Calicem de manu Archidiaconi, & stat in cornu altaris, ut confirmet sequentes Ordines.* Item Subdiaconus Regionarius tradit pugillarem Archidiacono, *cum quo confirmet populum*, id est, porrecto Calice communicet. Et ibidem: *Episcopi communicant populum, innuente Pontifice, & post eos Diaconi confirmant.* Ita Rabanus Maurus libro I. de Institutione Clericorum cap. 29. postquam omnes Baptismi ritus, tinctionem, unctionem, vestitum candidum, accuratè executus est: *Deinde*, inquit, *Corpore & Sanguine Dominico omne præcedens Sacramentum in eo* (Neophyto) *confirmatur, quia hæc ideo accipere debet, ut Deum habere mereatur in se habitatorem, & illius sit Capitis membrum qui passus est & resurrexit pro nobis.* Sicut ergo ex illis Patrum dictis non sequitur, vel Eucharistiam totam, vel sacrum ejus Calicem aliquod esse Confirmationis Sacramentum: ita non sequitur manuum impositionem, vel chrismationem esse propriè dictum Sacramentum, ex eo quòd Veteres his ritibus Neophytos confirmari dixerint.

Respondeo, Latinos Theologos non colligere chrismationem & manus impositionem esse Sacramentum, ex Confirmationis nomine, quod his ritibus Veteres quandoque tribuunt, sed ex productione gratiæ singularis, nimirum ex collatione Spiritus Sancti ad robur, quam illis asseruot. Optimè enim colligunt, *Tunc esse diversa Sacramenta, quando sunt plures actiones ordinatæ ad effectus salutis omnino distinctos; quia Sacramenta sunt quædam actiones Hierarchicæ secundum Sanctum Dionysium, ordinatæ ad aliquos effectus salutis: & ideò cùm Confirmatio habeat per se effectum distinctum ab effectu Baptismi*, secundùm Sanctos Patres, *non est Sacramentale Baptismi*, sive accessorium quiddam ad Baptismum, *sed potiùs per se est principale Sacramentum.* Ita ratiocinatur Sanctus Thomas in IV. Sententiarum Dist. 7. Q. 1. Art. 1. Longè autem alio sensu confirmandi vis Eucharistiæ, & huic Sacramento à Veteribus tribuitur, ut jam superiùs diximus, objectum à Dallæo Sancti Cypriani locum exponentes. Hîc solùm addemus responsionem Sancti Thomæ & Sancti Bonaventuræ ad hanc objectionem. *Dicendum*, inquit Sanctus Thomas explicans textum Magistri Sententiarum, *quòd per Eucharistiam roboratur charitas; per hoc autem Sacramentum fides: in his enim duabus virtutibus tota virtus spiritualis ædificii consistit. Vel dicendum, quòd Eucharistia perficit & roborat ad standum in seipso per modum cibi; sed Confirmatio ad pugnam, qua quis ab aliis patitur in confessionem nominis Christi contra adversarios audaciam præbens.*

Sanctus verò Bonaventura eumdem Magistri textum exponens dicentis; *Virtus autem hujus Sacramenti est donatio Spiritus Sancti ad robur*, hoc sibi argumentum objicit; *Si hoc verum est, Eucharistia confirmat: unde illud Psalmi: Panis cor hominis confirmat.* Quod ita solvit: *Ad hoc multipliciter respondetur; primo modo sic: Quòd istud Sacramentum ordinatur ad robur per se, sed Eucharistia per accidens. Sed hoc non solvit, quia sive per se, sive per accidens, dum tamen habeat effectum eumdem, videtur alterum superfluere. Secundus modus dicendi est, quòd Confirmatio confirmat contra malum, sed Eucharistia in bono. Sed nec illud sufficit, quia omne Sacramentum, cùm sit remedium, est contra malum, & ita Eucharistia. Alii dicunt, quod duo sunt nobis necessaria, fides & mores, & unum confirmat in fide, scilicet Confirmatio: sed Eucharistia quantùm ad bonos mores, quia ut dicit Bernardus, Eucharistia non solùm delet venialia, sed etiam consensum fortificat ne inclinetur ad mortalia. Alii dicunt, quòd utrumque fortificat fidem; sed duo necessaria sunt ad fidem firmam, scilicet corde credere, & ore confiteri; & Eucharistia confirmat quantùm ad fidem in corde, sed Confirmatio quantùm ad confessionem, sive prolationem in ore. Alii dicunt, quod utrumque fortificat in charitate, quia ab ejus fortitudine pendet fortitudo omnium. Sed charitas potest deficere dupliciter, scilicet per defectum alimenti, vel per actionem contrarii, sicut patet in igne materiali: & contra primum est Eucharistia, quæ cibat: contra secundum Confirmatio, ut impugnantibus resistat. Alii dicunt aliter & probabilius, quòd Confirmatio est ad corroborationem Fidei, sed Eucharistia charitatis: & hoc patet, quia hic est signum confessionis fidelis, ibi signum unionis. Et si quæratur, quare magis confirmantur hæ duæ virtutes quàm aliæ? Dicendum quod quia in his duabus pendet fortitudo spiritualis ædificii quantùm ad intellectum & affectum; & quia in Fide est prima elevatio, in charitate elevatio summa, & utrobique difficultas, & quia pronitas est ad contrarium; ideo magis confirmantur.*

Ex his confutatam habes non solùm Calvinistarum & Lutheranorum, sed & Waldensium, Wiclefistarum, & Taboritarum hæresim (his enim Calvinistæ & Lutherani parentibus gloriantur) qui Confirmationis Sacramentum pertinaciter impugnarunt. Confutatos habes & tres Joannis Dallæi de Confirmatione libros, quibus Catholicæ Ecclesiæ fidem circa istud Sacramentum infeliciter aggressus est. Alias Calviniani hominis contra Catholica dogmata lucubrationes, suis locis, in Operis nostri progressu, Deo dante, refellemus.

## SCHOLION I.

Religiosi Censores in Indiculo suo hanc Propositionem notant: *Balsamum in Confirmatione non est pars essentialis Sacramenti.*

R. *Materiæ Confirmationis essentiale non videri balsamum, aut necessarium necessitate Sacramenti, sed solius præcepti Ecclesiastici*, revera scripsi, probabilem multorum Theologorum opinionem secutus, inter alios Cardinalis *Cajetani* ad III. P. Q. LXXII. Art. II. *Dominici Soto* in IV. Sententiarum Dist. VII. Quæst. unica, Art. III. *Estii* ibidem §. VIII. *Gabrielis à Sancto Vincentio* Carmelitæ Excalceati, &c. Scholastica hæc quæ[illegible] est, fidei summam non spectat.

## SCHOLION II.

Hanc Propositionem velut ex ista etiam Dissertatione, pag. 456 prioris Editionis excerptam, notant Religiosi Censores: *Erravisse Episcopos Latinos, confirmando de novo confirmatos à Græcis, existimantes id factum esse sine facultate Ecclesiæ Latinæ.*

R. Nec meis verbis, nec meo sensu, quem non sunt assecuti, (pace illorum dixerim) Propositio ista concepta est. Latinos quosdam Antistites, qui confirmatos à Græcis Presbyteris iterum confirmabant, *in facto errasse* scripsi. Existimabant scilicet Græcos Presbyteros Confirmationis Ministerium usurpare, illudque obire absque suæ Ecclesiæ facultate. At non ita se res habebat: Hæc enim erat Ecclesiæ Græcæ consuetudo ac disciplina, etiam ante Schisma Photianum, ut firmis probavi momentis. Quæ scripsi, ut *Dallæi* objectionem adversùs Sacramentum Confirmationis ex ejus Ministro petitam diluerem, ostenderemque collatum aliquando hoc Sacramentum in Ecclesia Græca à Presbytero, sed ut à Ministro extraordinario, & qui non proprio jure, sed demandata sibi à Patriarchis & Episcopis potestate, connivente etiam Romana Ecclesia, & Summo Pontifice, sacrum illud obiret Ministerium. In hac porrò doctrina quid reprehensione dignum? Denique Episcopos illos qui confirmatos à Græcis Presbyteris iterum confirmabant, *id propria præsumtione, non ex Latinæ Ecclesiæ sententia præstitisse* probavi.

## SCHOLION III.

Religiosi Censores ex eadem Dissertatione hanc Propositionem in Indiculo suo notant: *Hæc verba, Confirmo te, &c. non sunt forma essentialis, sed Oratio septiformem Spiritum Sanctum invocans super baptizatos.*

R. Hæc verba, *Confirmo te*, &c. ad formam Confirmationis, secundùm Ecclesiæ Latinæ Ritum pertinere censeo, sed formam essentialem non esse. Hanc enim esse solam Orationem invictè probo ex Scriptura sacra, Patribus, & Ritualibus

bus antiquis. Quam propugno sententiam, magni nominis Theologi defendunt, in Academia Parisiensi ut plurimum docetur, in Actibus Academicis propugnatur. Cum Scripturæ, Patribus, & Doctissimis Theologis locutus, quid vapulo? Hæc mihi commodior visa sententia est ad Sacramentum Confirmationis contra Hæreticos defendendum.

# DISSERTATIO XI.

## *De Scripturæ Sacræ Translationibus, quibus quatuor primis nominis Christiani Sæculis usa est Ecclesia.*

PRÆNOTANDUM primò, Textum Veteris Testamenti primigenium, Hebraïcum esse, vel Chaldaïcum. Sacri namque Authores Hebraica lingua divinos illos libros scripserunt; præter Tobiam, Judith, Esdræ libros, & Danielem, qui Chaldæo sermone conscripti fuere, ut Sanctus Hieronymus in Præfationibus testatur. Excipiendus est secundus Machabæorum liber, quem Græcum duntaxat S. Hieronymus asserit.

Prænotandum secundò, Novum Testamentum Græcè scriptum fuisse, excepto Sancti Matthæi Evangelio, & Epistola ad Hebræos, quæ Hebraïco sermone primitus scripta sunt.

*Versio LXX. Interpretum omnium antiquissima.*

Prænotandum tertiò, varias fuisse ad Sancti Hieronymi tempora Sacræ Scripturæ Versiones. Prima & antiquissima omnium ea vulgò creditur, quæ Septuaginta Interpretum vocatur. Ea sub Ptolomæo Philadelpho Ægypti Rege adornata est annis ante Christi Natalem fermè trecentis. Scilicet, cùm Demetrius Phalereus Regiæ Bibliothecæ Præfectus isti Principi suggessisset, sacros in Judæa libros, divinasque leges extare, quæ maximo Bibliothecæ ejus futuræ essent ornamento; esseque operæ pretium ut à selectis ex Hebræa gente Doctoribus, Græcæ etiam linguæ peritis, Græco sermone donarentur: Ptolomæus centum & viginti mille Judæis, qui sub Ptolomæo Lagi in captivitatem abducti fuerant, in libertatem restitutis; missaque ad Eleazarum Pontificem magnifica legatione, splendidisque muneribus, Legem & LXX. Seniores, qui eam Græco sermone donarent, ab eo obtinuit. Id in Pharo insula factum: an diversis in cellulis, an mutua collatione, dissidium est inter Patres. De hac Versione lege Josephum Antiquitatum Judaicarum l. 12. c. 2. & Philonem lib. 2. de Vita Moysis. Hæc Versio vulgata fuit in Ecclesia, maximæque auctoritatis extitit quatuor primis Ecclesiæ Sæculis. An solos Legis libros, an totum Instrumentum vetus verterint, inter Eruditos disceptatur. Libros omnes tam legis, quam Prophetarum ab iis in Græcum sermonem conversos fuisse, testantur Sanctus Justinus in Dialogo cum Tryphone, Sanctus Irenæus lib. 3. cap. 25. Clemens Alexandrinus lib. 1. Stromatum. Eusebius lib. 8. Præparationis Evangelicæ, cap. 1. Theodoretus in Præfatione Commentarii in Psalmos, Olympiodorus in Commentariis ad librum Job, & reliqui fere omnes. Aristobulus verò apud Eusebium lib. 13. Præparationis Evangelicæ, & Josephus in Procemio librorum de Antiquitatibus Judaicis & lib. 12. cap. 2. & lib. 2. contra Apionem, Legem duntaxat ab illis Græcè redditam fuisse innuunt. Sed responderi potest, Judæos Legis nomine Prophetas etiam & Psalmos, totamque veteris Testamenti Scripturam interdum intelligere. Unde Christus Dominus Joannis X. ait: *Nonne scriptum est in Lege vestra: Quia ego dixi, Dei estis?* Quæ verba ex Psalmo 81. desumpta sunt. Et cap. 15. *Ut adimpleatur sermo qui in lege eorum scriptus est: Quia odio habuerunt me gratis.* Quod scriptum est Psalmo 24. & Sanctus Paulus 1. ad Corinthios 14. *In lege scriptum est*, inquit, *Quoniam in aliis linguis, & labiis aliis loquar populo huic; & nec sic exaudient me, dicit Dominus.* Quod Isaïæ oraculum est cap. 28. Sic Legis nomen usurpasse Josephus videtur lib. 2. contra Apionem, ubi de Ptolomæo Philadelpho sic loquitur: *Desideravit agnoscere nostras leges, & sacrarum Scripturarum volumina concupivit, misitque rogans destinari viros, qui ei interpretarentur Legem.* Equidem Sanctus Hieronymus in Quæstionibus Hebraïcis, in cap. 5. Ezechielis, & in 2. cap. Micheæ, in eam propendere videtur sententiam, ut solum Pentateuchum Septuaginta Interpretes verterint: sed eam opinionem ipsum retulisse potiùs quàm asseruisse, ex eo perspicuum est, quòd Psalterium secundùm LXX. Editionem Romæ correxerit, & secundùm eandem Salomonis libros emendaverit, & in Commentariis quæ scripsit in Prophetas, Versionis illius meminerit persæpe, eamque exposuerit. Legatur Dissertatio nostra VIII. in Historiam Veteris Testamenti, ad sextam Mundi Ætatem.

*Chaldaïcarum Paraphraseon ætas.*

Post Septuaginta Interpretes, primi qui sacros libros ex Hebræo sermone in alium transtulerunt, fuere (ut quidam volunt) Chaldæi Paraphrastæ Jonathan, & Onkelos: hic in Pentateuchum Moysis: ille in Prophetas priores & posteriores Paraphrasim adornavit. Quo tempore floruerint, ex Judæorum Scriptoribus colligere licet. Aiunt enim Jonathanem Hillelis fuisse discipulum, & ad eum Schammai Hillelis æmulum sæpius ventitasse. Vixerunt autem Hillel & Schammai Herodis Magni ætate, quem Josephus alteri fuisse paulò inferiorem, alteri æquiorem testatur. Unde conjicere liceat, Jonathanem circa Christi tempus, paulò ante, vel paulo post ejus Natalem, suam instituisse Paraphrasim. Onkelosum autem aiunt procurasse funus R. Gamalielis Senioris, quem obiisse volunt ann. 18. ante postremum Templi per Titum & Vespasianum, excidium. Gamaliel nempe is est ad cujus pedes institutus fuit Paulus Apostolus. Itaque Onkelosi Paraphrasim factam esse circa tempus excidii Templi & Hierosolymorum, id est, anno Æræ Christianæ 70. existimant, qui posteriores Judæorum Scriptores sequuntur, ut Ludovicus Capellus lib. 5. Criticæ Sacræ, cap. 1. Monet idem Author, Paraphrasim aliam in Legem, quæ Jonathæ nomen profert, jure à Doctis adulterinam censeri, non Jonathæ genuinam. Observat insuper, incertum esse quo Authore quove tempore scriptum sit Targum Hierosolymitanum, & Paraphrases quæ hodie extant in Hagiographi, hoc est, in Psalmos, Proverbia, Jobum, Esdram, Nehemiam, Danielem, duos libros Paralipomenon, &c. Paraphrases tamen illas reliquis duabus longè recentiores asserit, idque probat partim ex ipsa Judæorum confessione, partim quia frequens est in iis Talmudis, Constantinopoleos, Imperii Mahumedanorum, exilii hodierni Judæorum sub Romano Imperio mentio, quæ omnia arguunt Paraphraseon illarum novitatem. Harum postremarum Paraphraseon Auctor esse fertur R. Joseph Cæcus, quem Sixtus Senensis anno Christi circiter 400. floruisse memorat. De variis Targumim, sive Paraphrasibus Chaldaïcis, deque earum utilitate ad Textus Hebraïci integritatem confirmandam, ad Fidei Christianæ articulos multos explicandos, ad lucem locis obscuris, & inusitatis afferendam: deque auctoritate earundem Paraphraseon apud Judæos, quæ par est cum Hebræo textu, lege Prolegomenon duodecimum in Biblis Polyglottis Waltoni.

Sed ut de Targumim ætate dicam quod sentio: mihi magis arridet Joannis Morini sententia, qui

omnium Paraphrasewn Chaldaïcarum novitatem demonstrat, earumque Authores quinque saltem sæculis post Christum vixisse. Id probat ex silentio Origenis, qui cùm Translationes quascumque & Editiones Scripturarum divinarum tantâ diligentiâ inquisierit, & in unum compegerit, nullius ex istis Paraphrasibus meminit, illas minimè neglecturus, si tum apud Judæos extitissent. Item ex silentio Sancti Epiphanii, qui cùm natione Judæus esset, & peractâ adolescentiâ Christo nomen dedisset, Paraphrases istas ignorare non potuit, si tum fuissent adornatæ. Tertiò, ex silentio Sancti Hieronymi, qui Sacras Literas ex Hebræo interpretari aggressus, quaslibet Translationes inspexit ac defloravit: qui eam ob caussam in Orientem profectus, à Christianis Judæis primò literas Hebraïcas didicit, deinde celebres Rabbinos non modò semel iterumque consuluit; sed magna mercede ut illum docerent, conduxit: qui Chaldaïcam linguam labore maximo ab iis didicit, & libros sacros Chaldaïcè scriptos Latinè transtulit. Cujus ætate si Chaldaicæ Paraphrases aliquæ extitissent, illas proculdubio aliquoties laudasset, vel earum meminisset. Quartò probat Vir Eruditus earumdem Paraphrasewn novitatem ex eo quòd Turcas nominent, qui Romanis, Græcis, & Populis Asiæ Minoris, atque etiam Syris, vix ante annum Christi sexcentesimum cogniti fuerunt. Quintò, quod Misnæ meminerint; qui liber, Judæis ipsis fatentibus, ducentis post Christum natum annis à Juda Sancto compositus est; imò plusquam quingentis, ut Morinus demonstrat. Sextò, quòd de Constantinopoli, ut de civitate jam multis adversùs Judæos actionibus celebri loquantur; cujus tamen ædificatio anno duntaxat Imperii Constantini vigesimo perfecta est. Septimò, quòd Talmudicis fabulis totæ scateant: Talmud autem sive Hierosolymitanum, sive Babylonium, ante sextum sæculum compositum non fuerit. Lege Morinum Exercitationum Biblicarum lib. 2. Exercitat. 8. totis septem Capitibus, & Tractatum Christophori Helvici de Chaldaïcis Bibliorum Paraphrasibus.

Primam itaque post Septuaginta Interpretum Scripturæ Sacræ Versionem, illam numeramus, quæ ab Aquila; secundam, quæ à Symmacho; tertiam quæ à Theodotione; Quartam, & Quintam quæ ab Auctoribus anonymis editæ sunt, & fortuitò repertæ, una Hierichunte, altera Nicopoli, quarum additione Origenes Hexapla adornavit: sextam Luciani Martyris; septimam Hesychii; octavam Origenis; nonam, Vulgatam Editionem Latinam ante Sancti Hieronymi tempora editam, quæ à Sancto Augustino Itala vocatur; decimam denique numeramus eam quæ à Sancto Hieronymo edita est.

Versio Aquilæ.

Aquila ex Ponto oriundus, patria Synopensis, primùm Ethnicus, deinde Christianus, cùm à piis reprehensus esset, quod studiis profanis & Astrologiæ Judiciariæ potissimùm addictus esset, à Christianis ad Judæos defecit, à quibus etiam circumcisus est. Hinc à Sancto Hieronymo Judæus, & Proselytus appellatur. Duas edidit Veteris Testamenti ex Hebræo in Græcum sermonem Versiones; quarum posterior dicta est κατ᾽ ἀκρίβειαν, quòd in vertendo tam fuerit morosus, ut non solùm voces, sed vocum etiam etymologias transferret, *calorem* verbi gratia pro Sole, & *albam* pro Luna reddens. Floruit anno 12. Hadriani, Christi 129.

Versio Symmachi.

Symmachus gente Samaritanus, cùm apud suos tantùm honoris non assequeretur, quantùm optabat, descivit ad Nazaræos, hoc est, Judæos qui Christum amplectebantur, inter quos erant Ebionitæ. Unde interdum Semichristianus, interdum Ebionita à Sancto Hieronymo vocatur, & ab Eusebio lib. 6. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 17. Translationem suam, imo duas (ut Sanctus Hieronymus ad cap. 32. Jeremiæ testatur) Translationes, edidit sub Severo Imperatore.

Versio Theodotionis.

Theodotion Ephesius, è Secta Marcionis, ad Ebionitas defecit, unde à Sancto Hieronymo Judaizantibus Hæreticis cum Symmacho annumeratur. Floruit sub Commodo Imperatore. Danielem Prophetam juxtà Theodotionis Editionem, non verò juxta LXX. Interpretes Ecclesiam olim legisse testatur Sanctus Hieronymus Præfatione in Danielem. De trium istorum Interpretum Versionibus, Aquilæ nimirum, Theodotionis, & Symmachi, Sanctus Hieronymus in sua ad librum Job Præfatione sic loquitur: *Quod si apud Græcos, post Septuaginta editionem, jam Christi Evangelio coruscante, Judæus Aquila, & Symmachus, ac Theodotion Judaizantes Hæretici, sunt recepti, qui multa mysteria Salvatoris subdola Interpretatione celarunt, & tamen in Hexaplis habentur apud Ecclesias, & explanantur ab Ecclesiasticis viris: quanto magis ego Christianus, cujus studium fuit omissa reperire, depravata corrigere, & Sacramenta Ecclesiæ puro & fideli aperire sermone; vel à fastidiosis, vel à malignis lectoribus non debeo reprobari?*

Quinta & Sexta Editiones.

Quintæ, & Sextæ Editionis, quas ex nescio quibus angulis Origenes primus in lucem produxit, meminit Eusebius lib. 6. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 16. De illis Sæculo 3. agemus, uti & de Tetraplis & Hexaplis Origenis; ubi illius Opera expendemus.

Lucianus Editionem vulgatam LXX. Interpretum emendavit.

Lucianus Antiochenæ Ecclesiæ Presbyter, vir tum vitæ continentia, tum Sacrarum Literarum scientia conspicuus, sub Diocletiani persecutione Martyr, visis præcedentibus Scripturæ sacræ Editionibus, & cum Hebraica Veritate diligentissimè & magno cum labore collatis, novam Editionem adornavit; sive potiùs Editionem LXX. Interpretum recensuit, quæ ejusdem manu descripta, Nicomediæ reperta est, Constantino Magno Imperante. De ipso Sanctus Hieronymus in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum ita loquitur. *Lucianus vir disertissimus, Antiochenæ Ecclesiæ Presbyter, tantùm in studio Scripturarum laboravit, ut usque nunc quædam exemplaria Scripturarum Lucianea nuncupentur.* Notandum tamen est Lucianum Editionem LXX. Interpretum non emendasse, quam Origenes Hexaplis inseruerat, hæc enim erat integra & immaculata: sed Editionem eorumdem vulgatam, quæ mendis quamplurimis scatebat. Id testatur Sanctus Hieronymus in Epistola ad Suniam & Fretelam nobiles eruditosque viros, de Psalmorum emendatione data. *Breviter*, inquit, *illud admoneo, ut sciatis aliam esse editionem, quam Origenes, & Cæsariensis Eusebius, omnesque Græciæ Tractatores κοινὴν, id est, communem appellant, atque Vulgatam, & a plerisque nunc λουκιανοῦ dicitur; aliam LXX. Interpretum, quæ & in Hexaplis codicibus reperitur, & à nobis in Latinum sermonem fideliter versa est: & Hierosolymæ, atque in Orientis Ecclesiis decantatur.* Et paulò post: *Κοινὴ autem ista, hoc est communis Editio, ipsa est quæ & LXX. Sed hoc interest inter utramque, quod κοινὴ pro locis & temporibus, & pro voluntate Scriptorum veterum, corrupta editio est: ea autem quæ habetur in Hexaplis, & quam nos vertimus, ipsa est quæ in eruditorum libris incorrupta & immaculata LXX. Interpretum Translatio reservatur. Quicquid ergo ab hac discrepat, nulli dubium est quin & ab Hebraica Auctoritate discordet.*

Hesychius Alexandrinus Versionem LXX. Interpretum etiam recensuit.

Hesychius Alexandrinus Versionem LXX. Interpretum

pretum etiam recensuit. Ejus Editio per Ægyptum legebatur universam, sicut Versio Luciani Martyris Constantinopoli & Antiochiæ: Versio verò Origenis in mediis Provinciis, ut testatur Sanctus Hieronymus in Præfatione ad librum Paralipomenon. *Alexandria*, inquit, *& Ægyptus in Septuaginta suis Hesychium laudat auctorem; Constantinopolis usque Antiochiam, Luciani Martyris exemplaria probat. Media inter has Provincia Palestinos codices legunt; quos ab Origene elaboratos, Eusebius & Pamphilus vulgaverunt: totusque orbis hac inter se trifaria varietate compugnat.* Sed Luciani & Hesychii in Veteris Testamenti Versione labores non admodum fœlices fuisse, in Novi Codicibus recensendis ac emendandis infœlices prorsus lucubrationes, Sanctus Hieronymus testatur Præfatione in Evangelistas ad Damasum. *Prætermitto*, inquit, *eos Codices, quos à Luciano & Hesychio nuncupatos; paucorum hominum asserit perversa contentio: quibus utique nec in toto Veteri Instrumento post lxx. Interpretes emendare quid licuit, nec in Novo profuit emendasse: cùm multarum gentium linguis Scriptura ante translata, doceat falsa esse quæ addita sunt.*

Versio Itala.

Versio Itala ante Sanctum Hieronymum Vulgata erat in Ecclesia Latina. Quanquam enim multæ aliæ Editiones Latinæ circumferrentur: hæc tamen omnium accuratissima erat. De his Sanctus Augustinus lib. 2. de Doctrina Christiana, cap. xi. & xv. *Qui Scripturas*, inquit, *ex Hebræa lingua in Græcam verterunt, numerari possunt: Latini autem Interpretes nullo modo. Ut enim cuique primis Fidei temporibus in manus venit Codex Græcus, & aliquantulum facultatis sibi utriusque linguæ habere videbatur, ausus est interpretari. In ipsis autem interpretationibus Itala cæteris præferatur. Nam est verborum tenacior cum perspicuitate sententiæ.*

De Versione Sancti Hieronymi agemus, ubi de Sanctissimi istius Doctoris Operibus à nobis instituetur tractatio. De Samaritana Pentateuchi Versione, quæ ante Christum natum facta meltis videtur: de Syriaca tam Veteris quàm Novi Testamenti, quæ publicè per Orientem in Ecclesiis legitur, quamque non multò post Apostolorum tempora factam esse, constans est Orientalium Traditio: de Æthiopica, cujus meminit Sanctus Joannes Chrysostomus Homilia 1. in Joannem; de Armeniaca cujus meminit Theodoretus lib. 5. de Curandis Græcorum Affectionibus: de Coptica, sive Ægyptiaca, quam circa Nicæni Concilii tempora factam conjicit Kircherus: de Versionibus Arabicis, ac præsertim Alexandrina, quæ à Christianis sub Alexandrino Patriarcha degentibus usurpatur: de Persica denique Versione, cujus meminit olim Theodoretus, & cujus vix ullæ supersunt reliquiæ, cùm recentiores videantur Persicæ Versiones quas habemus: De his, inquam, Versionibus dicere supersedeo. Legantur de his Prolegomena Bibliorum Polyglottorum Waltoni. De Gothica etiam Versione ab Ulphila Gothorum Episcopo, circa Nicæni Concilii tempora facta, cujus meminerunt Socrates lib. 4. cap. 17. & Sozomenus, lib. 2. cap. 37. nihil dicam impræsentiarum.



QUÆSTIO PRIMA.

## De Auctoritate Versionis LXX. Interpretum in Ecclesia.

### ARTICULUS I.

*Utrum Apostoli, & Patres, Scripturam sacram secundum lxx. Interpretum Editionem legerint atque laudaverint?*

### PROPOSITIO.

*Translatio lxx. Interpretum, maximæ fuit in Ecclesia auctoritatis ante Sanctum Hieronymum, cæterisque antepositu est Versionibus, utpote Apostolorum usu consecrata.*

PRobatur ex Sancto Irenæo libro 3. adversùs Hæreses cap. 25. *Firma est autem*, inquit, *& non ficta, & sola vera, quæ secundùm nos est fides, manifestam ostensionem habens ex his Scripturis, quæ interpretatæ sunt illo modo quo prædiximus, & Ecclesiæ annuntiatio sine interpolatione. Etenim Apostoli, cùm sint his omnibus vetustiores, consonant prædictæ interpretationi, & interpretatio consonat Apostolorum Traditioni. Etenim Petrus, & Joannes, & Matthæus, & Paulus, & reliqui deinceps, & horum sectatores, Prophetica omnia ita annuntiaverunt, quemadmodum Seniorum interpretatio continet. Unus enim & idem Spiritus Dei, qui in Prophetis quidem præconisavit quis & qualis esset adventus Domini: in Senioribus autem interpretatus est bene, quæ bene prophetata fuerant.* Editione igitur 70. Seniorum utebatur Ecclesia tempore Sancti Irenæi, eaque usos esse Apostolos existimabat.

Probatur secundò ex Sancto Cyrillo Hierosolymitano, Catechesi 4. ubi de Translatione 70. Interpretum agens, hanc in Ecclesiis legi testatur. *Has tantùm*, inquit, *studiosè meditare Scripturas, quas in Ecclesiis confidenter legimus. Multò prudentiores te, & religiosiores fuerunt Apostoli, & primi Episcopi veritatis duces, qui nobis eas tradiderunt. Tu itaque cùm sis filius Ecclesiæ non transgrediaris illius terminos.*

Probatur tertiò ex Sancto Hieronymo, Quæstionibus in Genesim, ubi difficultatem excutit ex varietate Hebraïci Textus & Versionis LXX. Interpretum ortam, quòd nimirum Textus Hebraïcus 70. animas Ægyptum ingressas affirmet, Græca verò LXX. Interpretum Translatio 75. afferat, cui numero Sanctus Stephanus Actuum 7. suffragatur. Sic autem habet Sanctus Hieronymus: *Non debuit Sanctus Lucas, qui ipsius Historiæ Scriptor est, in Gentes Actuum Apostolorum volumen emittens, contrarium aliquid scribere adversùs Scripturam, quæ jam fuerat Gentibus divulgata. Et utique majoris opinionis illo dumtaxat tempore LXX. Interpretum habebatur auctoritas, quàm Lucæ, qui ignotus & vilis, & non magnæ fidei in Nationibus ducebatur ..... Hoc autem generaliter observandum, quòd ubicumque Sancti Apostoli, aut Apostolici viri loquuntur ad populos, iis plerumque testimoniis abutuntur, quæ jam fuerant in Gentibus divulgata.* Cùm itaque Apostoli & Evangelistæ ferè ubique in Testamento Novo aut loquantur, aut scribant ad populos, sequitur ex hac Sancti Hieronymi regula ipsos fermè ubique usos esse Editione LXX. Interpretum, quæ apud Gentes vulgata erat.

Idem colligitur ex ejus Commentariis in cap. 2. Habacuch Prophetæ. *Porro*, inquit, *quòd Apostolus LXX. magis testimonio abusus est ad Romanos scribens: Justus autem ex fide mea vivet; & non eo quod habetur in Hebraeo, causa perspicua est. Scribebat enim Romanis, qui Scripturas Hebraicas nesciebant: nec erat ei cura de verbis, cùm sensus esset in tuto, & damnum ex eo præsens disputatio non haberet.* Si Apostolus ad Romanos scribens Versione 70. Interpretum usus est, quia linguæ Hebraïcæ ignari erant, sequitur ipsum in omnibus Epistolis Versionem illam secutum esse, quia pariter ad linguæ Hebraïcæ ignaros eas scripsit. De sola Epistola ad Hebræos afferri hîc posset exceptio; sed in ea usum fuisse Apostolum testimoniis *quæ in Hebrais voluminibus non habentur*, & quæ leguntur in Editione LXX. Interpretum, auctor est Sanctus Hieronymus in Commentario ad cap. 6. Isaïæ.

Hæc Sancti Hieronymi regula evertit funditus Theorema quod in Commentario ad cap. 28. Isaïæ proponit his verbis: *Et hoc in Veteri observavimus Testamento, absque paucis testimoniis quibus Lucas solus abutitur, qui magis Græcæ linguæ habuit scientiam: ubicumque de Veteri Instrumento quid dicitur: non eos juxta LXX. sed juxta Hebraicum ponere, nullius sequentes interpretationem, sed sensum Hebraicum suo sermone vertentes.* Istud, inquam, Theorema directè repugnat regulis Sancti Hieronymi suprà expositis. Et præterea cuilibet inspicienti testimonia ab Apostolis & Evangelistis ex Veteri Testamento laudata, & ea cum Græca 70. Interpretum editione, & cum Hebraïco textu comparanti, patebit eos ex translatione LXX. Interpretum, non ex textu Hebraïco illa desumpsisse.

Illud tamen, de quo mox dicebamus, Theorema suum Sanctus Hieronymus aliquatenus mollivit Procemio in 15. lib. Commentar. in Isaïam, ad Eustochium Virginem: Ubi asserit Apostolos testimonia ex LXX. Interpretibus semper usurpasse, cùm Hebraïco textui consentiebant; aliàs textum Hebraïcum sequutos. *Crebrò*, inquit, *dixisse me novi Apostolos & Evangelistas, ubicumque de Veteri Instrumento ponunt testimonia, si inter Hebraicum & LXX. nulla diversitas sit, vel suis, vel 70. Interpretum verbis uti solitos. Sin autem aliter in Hebraico, aliter in veteri editione sensus est, Hebraicum magis, quàm 70. Interpretes sequi.* Verùm & illa totiès à Sancto Hieronymo repetita observatio plurimùm à veritate abest. Nam unicum proferri potest testimonium, aut alterum fortasse, quod cum 70. Interpretibus non convenit; convenit autem cum textu Hebraico, ut infrà videbimus.

Probatur quartò ex Sancto Augustino libro 18. de Civitate Dei, cap. 43. *Nam cùm fuerint & alii Interpretes*, inquit, *qui ex Hebræa lingua in Græcam sacra illa Eloquia transtulerunt, sicut Aquila, Symmachus, Theodotion, hanc tamen quæ Septuaginta est, tanquam sola esset, sic recepit Ecclesia, eaque utuntur Græci populi Christiani, quorum plerique utrum alia sit aliqua ignorant. Ex hac Septuaginta in Latinum linguam interpretatum est, quod Ecclesiæ Latinæ tenent. Quamvis non defuerit temporibus nostris Presbyter Hieronymus homo doctissimus, & omnium trium linguarum peritus, qui non ex Græco, sed ex Hebræo in Latinum eloquium easdem Scripturas converterit. Sed ejus tam literatum laborem quamvis Judæi fateantur esse veracem, 70. verò Interpretes in multis errasse contendant; tamen Ecclesiæ Christi tot hominum auctoritati, ab Eleazaro tunc Pontifice ad hoc tantum opus electorum, neminem judicant præferendum; quia etsi non in eis unus apparuisset Spiritus sine dubitatione divinus, sed inter se verba interpretationis suæ Septuaginta docti more hominum contulissent, ut quod placuisset omnibus hoc maneret, nullus eis unus Interpres debuit anteponi. Cùm verò tantum in eis signum divinitatis apparuit, profectò quisquis alius illarum Scripturarum ex Hebræa in quamlibet aliam linguam Interpres est verax, aut congruit illis 70. Interpretibus, aut si non congruit, altitudo Prophetica ibi esse credenda est.*

Objicitur primò: Multa in novo Testamento ex Veteri laudantur quæ desunt in Versione LXX. Interpretum, leguntur verò in Textu Hebraïco: ergo Apostoli Codices Hebraïcos, non verò Translationem 70. Interpretum secuti sunt.

Probatur antecedens ex Sancto Hieronymo Præfatione in Pentateuchum Moysis ad Desiderium, ubi de Evangelistarum & Apostolorum Scriptis sic loquitur: *In quibus multa de Veteri Testamento legimus, quæ in nostris Codicibus non habentur; ut est illud, Ex Ægypto vocavi Filium meum: &, Quoniam Nazaræus vocabitur: &, Videbunt in quem compunxerunt: &, Flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. Et, Quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt, quæ præparavit Deus diligentibus se: & multa alia, quæ proprium σύνταγμα desiderant. Interrogemus ergo eos ubi hæc scripta sunt: & cùm dicere non potuerint, de libris Hebraicis proferamus. Primum testimonium est in Osee, secundum in Isaia, tertium in Zacharia, quartum in Proverbiis, quintum æquè in Isaia.* Eadem repetit Præfatione in librum Paralipomenon, Præfatione in Esdram & Nehemiam ad Domnionem & Rogatianum, in lib. de optimo genere interpretandi, in Procemio Quæstionum in Genesim, & in cap. 6. Isaiæ. Ergo multa in Novo Testamento ex Veteri laudantur, quæ desunt in Versione LXX. Interpretum, leguntur verò in textu Hebraïco.

Respondeo; Primum dumtaxat locum in Versione 70. Interpretum non haberi, legi verò in textu Hebræo Oseæ 11. cap. contigisse autem discrimen illud ex varia lectione. Legerunt enim 70. in Hebræo Codice quem præ manibus habebant, *Benau*, quod interpretati sunt *filios ejus*; unde sic verterunt: *Ex Ægypto vocavi filios ejus.* Sanctus verò Evangelista literam Vau rejiculam esse censuit, legitque *Beni*, id est, *Filium meum*: unde legimus in Vulgata nostra: *Ex Ægypto vocavi filium meum.*

Alii respondent, Septuaginta Interpretes consultò sic vertisse, ne istius loci lectio Ptolomæum adduceret ad credendum Judæos duplicem divinitatem colere: Unde quæcumque de Patre & Filio & Spiritu Sancto Scriptura habet, vel tacuerunt, vel aliter verterunt, ne arcanum Fidei vulgarent, aut Regem offenderent. Hanc fuisse Judæorum solutionem Sanctus Hieronymus refert Præfatione in Pentateuchum. *Judæi*, inquit, *prudenti factum dicunt esse consilio: ne Ptolomæus unius Dei Cultor, etiam apud Hebræos duplicem divinitatem deprehenderet. Quod maximè idcirco faciebant, quia in Platonis dogma cadere videbatur. Denique ubicumque sacratum aliquid Scriptura testatur de Patre & Filio & Spiritu Sancto, aut aliter interpretati sunt, aut omnino tacuerunt: ut & Regi satis facerent, & arcanum fidei non vulgarent.*

Ad secundum testimonium respondeo, Ipsum nec in Hebræis Codicibus reperiri, Sancto ipso Hieronymo teste, qui Isaiæ 11. iisdem quibus LXX. verbis hunc locum reddit: *Et egredietur virga de radice Jesse, & flos de radice ejus ascendet,*

*det*. Non autem, *Nazaræus de radice ejus ascendet*. Quin & aliter verti non debere asserit, Commentario in eumdem locum. *Illud*, inquit, *quod in Evangelio Matthæi omnes quærunt Ecclesiastici, & non inveniunt ubi scriptum sit: Quoniam Nazaræus vocabitur, eruditi Hebræorum de hoc loco assumptum putant. Sed sciendum quòd hîc Netser per Thsade literam scribatur: cujus proprietatem inter z & s Latinus sermo non exprimit...., Porro Nazaræi, quos LXX. Sanctificatos, Symmachus Separatos transtulerunt, per zain semper scribuntur elementum.* Non attendebat igitur Sanctus Hieronymus ad locum illum Isaiæ, cùm scripsit in caput 2. Matthæi & Tractatu de optimo genere interpretandi, juxta Hebraïcam veritatem scriptum esse: *Exiet virga de radice Jesse, & Nazaræus de radice ejus conscendet.* Christum itaque Nazaræum vocavit Sanctus Matthæus, non à voto Nazaræatûs, quo sensu Nazaræus significat *sanctificatum*, aut *separatum*, & scribitur apud Hebræos per *zain*; sed ab urbe Nazareth, quo sensu significat *floridum* à Civitate florida, & scribitur apud Hebræos per *Thsade*. Idem autem est sensus LXX. vertentium, *Et flos de radice ejus ascendet*. Id confirmat Morinus ex Testamento Syriaco, ex titulo Sanctæ Crucis, & ex Judæorum usu, qui Christianos vocant Narsarenos, id est, floridos.

Ad tertium testimonium respondeo; Illud in plurimis Codicibus Versionis LXX. eodem modo lectum fuisse Zachariæ 12. quo ipsum laudat Sanctus Joannes cap. 19. Evangelii sui, ut Nobilius, aliique viri eruditi in Romana Editione LXX. Interpretum auctoritate Sixti V. Pontificis Maximi facta adnotarunt. Unde Sanctus Cyprianus & Tertullianus, qui Versione LXX. utebantur, adversùs Judæos ipsos agentes, legunt; *In quem transfixerunt*, vel *in quem pupugerunt*. Cùm igitur varia esset lectio apud LXX. & quidam codices haberent juxta Hebræum: *Et aspicient ad me quem confixerunt*, alii verò, *Aspicient ad me pro eo quod insultaverunt*, (quæ lectionis varietas ex litterarum leviuscula commutatione & similitudine nata est) Sanctus Hieronymus in æmulos suos commotior, ut Versionem septuaginta Interpretum deprimeret, suamque magis commendaret, lectionem quæ ab Hebræo paululùm dissentiebat, avidè arripuit; alterius prorsus non meminit. Quamquam prior illa, quam Sanctus Hieronymus recensuit apud 70. Interpretes lectio, non longè dissideat ab Hebræo, & ad Christi passionem prænuntiandam æquè referatur, ut agnoscit Sanctus ipse Hieronymus Græcam 70. Interpretum Versionem exponens in cap. 12. Zachariæ. *Verbum*, inquit, κατωρχήσαντο *apud Græcos, non ab illusione, sed à saltatu compositum est, quòd scilicet contra Dominum quasi ludendo saltaverint, quando dicebant illudentes atque ridentes: Vah qui destruis templum, & in tribus diebus ædificas illud: salvum fac te ipsum descendens de Cruce: Hæc & alia illudentes, & quodam amentiæ tripudio saltantes loquebantur.* Et in Tractatu de optimo genere interpretandi, sive Epistola 101. ad Pammachium data, cap. 3. ubi utramque loci istius lectionem enarravit, hæc habet: *Discrepat Evangelista, septuaginta Interpretum, nostraque translatio: & tamen sermonum varietas spiritus unitate concordat.* Tandem utramque lectionem in nonnullis 70. Interpretum codicibus extare, Viri Eruditi in Scholiis Editionis Sixtinæ adnotarunt.

Ad quartum locum respondeo, Testimonium istud quod Sanctus Joannes Evangelii sui cap. 7. ex Veteri Testamento laudat, nullibi in sacra Scriptura iis verbis legi, nec in textu Hebraïco, nec in Editione LXX. Interpretum. Marianus Victorius in Scholiis super Præfatione Sancti Hieronymi in Pentateuchum allusisse putat Christum, sive Evangelistam verba Christi referentem, ad hæc verba Proverb. 18. *Aqua profunda ex ore viri, & torrens redundans fons sapientiæ*: quæ cum Hebraïco textu consentiunt in Vulgata nostra Editione. Verùm quæ similitudo hujus loci cum Christi verbis, *Flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ?* Sed etsi aliqua sit, major erit secundùm Versionem 70. Seniorum, quàm secundùm textum Hebraïcum; ita enim hunc locum Proverbiorum 70. Interpretes reddiderunt: *Aqua profunda sermo in corde viri; flumen autem scaturit, & fons vitæ.* Colligitur itaque Sanctum Joannem ex Græco 70. Interpretum, potiùs quàm ex Hebraïco textu hoc testimonium laudasse.

Ad quintum locum respondeo, Hoc testimonium quod Sanctus Paulus in Epistola 1. ad Corinthios cap. 2. laudat, & quod Sanctus Hieronymus ex cap. 64. Isaiæ petitum esse contendit, non magis in textu Hebraïco, quàm in LXX. Interpretum Codicibus legi: quod facilè patebit utrumque textum legentibus. Ita nempe vertit ex Hebræo Sanctus Hieronymus: *A sæculo non audierunt, neque auribus perceperunt: oculus non vidit, Deus absque te, quæ præparasti expectantibus te.* Versio autem LXX. sic habet: *A sæculo non audivimus, neque oculi nostri viderunt Deum absque te, & opera tua quæ facis expectantibus misericordiam.* Certè Sanctus Hieronymus de optimo genere interpretandi ad Pammachium scribens, ait, Apostolum *Non verbum expressisse è verbo, sed* παραφραστικῶς *eumdem sensum aliis sermonibus indicasse.* Sed facilè Sancto Hieronymo reponi potuisset, hunc locum Apostoli Versionem LXX. æquè paraphrasticè exprimere, ac Textum Hebraïcum. Has responsiones uberiùs exponit doctissimus Morinus lib. 1. Exercitationum Biblicarum, Exercitat. 3. cap. 5.

Objicitur secundò. Hoc testimonium quod ex Propheta laudat Sanctus Matthæus cap. 2. & quod ex Michææ cap. 5. petitum vulgo dicitur: *Et tu Bethleem terra Juda: nequaquam minima es in principibus Juda: ex te enim exiet Dux qui regat Populum meum Israel*: Longè aliter, imò contrario sensu legitur in Versione LXX. Interpretum. Sic enim habent: *Et tu Bethleem domus Ephrata, modica es ut sis in millibus Juda: ex te mihi egredietur ut sit in Principem Israel.* Itaque Sanctus Matthæus ex Hebræo testimonium istud depromsit, non ex LXX. Interpretibus.

Respondeo Nego consequens. Neque enim in Hebræorum, neque in 70. Interpretum Codicibus locus ille extat ut ab Evangelista laudatur. Consentiunt cum Hebræo textu LXX. Interpretes; sed nec cum illis, nec cum Hebræo textu Prophetæ consentit Sanctus Matthæus. Hanc varietatem oculis subjicit Sanctus Hieronymus in Tractatu de optimo genere interpretandi, sive Epistola 101. ad Pammachium cap. 3. *Quanta sit*, inquit, *inter Matthæum & Septuaginta verborum ordinisque discordia, magis hoc admiraberis, si Hebraïcum videas, in quo ita scriptum est: Et tu Bethleem Ephrata, parvulus es in millibus Juda: ex te mihi egredietur qui sit dominator in Israël. Considera gradatim, quæ ab Evangelista sunt posita. Et tu Bethleem terra Juda. Pro terra Juda, in Hebræo habetur Ephrata, in Septuaginta, Domus Ephrata. Et pro, Nequaquam minima es in Ducibus*

*bus Juda, in Septuaginta legitur, Modicus es ut sis in millibus Juda: in Hebræo, Parvulus es in millibus Juda. Sensusque contrarius est, Septuaginta sibi in hoc dumtaxat loco, & Hebraïco concordante. Evangelista enim dixit, quòd non sit parvulus in Ducibus Juda, cùm è regione sit positum, Parvulus quidem es & modicus; sed tamen de te mihi parvulo & modico egredietur Dux in Israël, secundùm illud Apostoli: Elegit infirma mundi Deus ut confundat fortia:* Neque igitur ex Hebræo, neque ex Versione LXX. Interpretum hunc locum laudavit Sanctus Matthæus, sed ejus verba retulit, prout à Sacerdotibus & Scribis laudata fuerant, ut Scripturarum in illis ignorantiam notaret. Ea Sancti Hieronymi sententia est in caput 5. Michææ, ubi varietate illa textus Sancti Matthæi ab Hebraïco & 70. Interpretibus exposita, ait: *Quod testimonium, nec Hebraïco, nec 70. Interpretibus convenire, me quoque tacente, perspicuum est: & arbitror Matthæum volentem arguere Scribarum & Sacerdotum erga divinæ Scripturæ lectionem negligentiam, sic etiam posuisse ut ab eis dictum est.*

Quòd si cui incredibile videatur Sacerdotes Prophetæ verba infideliter recitasse, qui forsan & libros suos consuluerunt: Respondeo, Ipsos locum Prophetæ quoad ipsa verba non recitasse, sed illum fuisse interpretatos, ut Herodi facerent satis. Evangelista itaque non verba Prophetæ, sed Sacerdotum, Scribarumque interpretatiooem recitare voluit: quæ ejusmodi fuisse videtur: *Et tu Bethleem Ephrata*, id est, *terra Juda*. Hæc enim Bethleem olim Ephrata vocata fuerat Genes. 35. & 48. Quia ergo alia erat Bethleem in tribu Zabulon, de qua Josue 19. & Judic. 12. quæ Ephrata non cognominabatur, addidit Propheta hoc epithetum, ut hanc Bethleem ab illa distingueret: Sacerdotes verò epithetum Prophetæ alio clariore exponere voluerunt. *Et tu Bethleem Ephrata*, id est, quæ es terra Juda, non Zabulon; ut docerent sensum Prophetæ esse, non in ea Bethleem quæ erat in tribu Zabulon, sed in ea quæ in tribu erat Judæ, Christum nasciturum. Quod autem sequitur: *Parvulus es in millibus Juda*, sic exposuerunt, quasi Propheta ironicè locutus fuisset: Minima quidem videris, si murorum tuorum spectetur ambitus, sed nequaquam minima es. *Ex te enim exiet Dux qui regat Populum meum Israël.* Quod denique dixit Propheta, *In millibus Juda*, ipsi interpretati sunt, *In Ducibus Juda*, id est, inter Duces, aut in proventu Ducum Juda. Nomen enim Hebraïcum *Alaphim*, utrumque significat, & *Duces*, & *mille*, quia Duces mille plerumque populo præerant, inde χιλίαρχοι à Græcis nuncupati. Fuisse autem Populum Judaïcum in Chiliadas etiam distributum, ex cap. 18. Exodi, & 23. lib. 1. Paralipomenon colligitur.

Objicitur tertiò. Hoc testimonium quod ex veteri Testamento laudat Apostolus ad Galatas 3. *Maledictus omnis qui pendet in ligno*, non est desumptum ex Versione LXX. Interpretum, quæ longè aliter habet Deuterooomii 21. scilicet, *Maledictus à Deo omnis qui pendet in ligno.* Non igitur ex LXX. Interpretibus hoc testimonium desumpsit Sanctus Paulus, sed ex Hebræo.

Respondeo, nego consequens. Neque enim in Hebræo sic habetur, ut laudavit Apostolus, sed sic: *Maledictio Dei est suspensus.* Vel igitur Apostolus sensum Scripturæ posuit, non ipsa verba: vel hæ voculæ (*à Deo*) in Codices Septuaginta Interpretum, sicut & in Hebræos, malitiâ Judæorum intrusæ sunt, qui infamiæ notam hinc inurere voluerunt Christianis, quòd Christum à Deo maledictum colerent. Ita nodum illum solvit Sanctus Hierooymus in caput 3. Epistolæ ad Galatas. *Scire non possum*, inquit, *quare Apostolus in eo quod scriptum est, Maledictus à Deo omnis qui pendet in ligno, vel subtraxerit aliquid, vel addiderit. Si enim semel auctoritatem LXX. Interpretum sequebatur, debuit, sicut ab illis editum est, & Dei nomen adjungere. Sin verò ut Hebræus ex Hebræis, id quod in sua lingua legerat, putabat esse verissimum, nec omnis, nec in ligno, quæ in Hebræo non habentur, assumere. Ex quo mihi videtur, aut veteres, Hebræorum libros aliter habuisse, quàm nunc habent: aut Apostolum sensum Scripturarum posuisse, non verba: aut, quod magis est æstimandum, post Passionem Christi, & in Hebræis, & in nostris Codicibus, ab aliquo nomen Dei appositum, ut infamiam nobis inureret, qui in Christum à Deo maledictum credimus.* Has autem voces (*à Deo*) additirias esse ex eo probat Sanctus Hieronymus, quòd nullo loco scriptum sit, à Deo quemquam esse maledictum, & ubicunque maledictio ponitur, nunquam Dei nomen sit adjunctum: Quod multis exemplis ostendit.

Objectio quarta petitur ex Sancto Hieronymo, Commentario in caput 6. Isaïæ, ubi ait: *Pauli idcirco ad Hebræos Epistola contradicitur, quòd ad Hebræos scribens, utatur testimoniis, quæ in Hebræis voluminibus non habentur.* Atqui ob eam caussam non fuisset Epistolæ Sancti Pauli ad Hebræos contradictum, si Versio Septuaginta Interpretum vulgata fuisset in Ecclesia; & ipse aliis in Epistolis Testamenti Veteris testimonia ex illa Versione laudasset, non verò ex textu Hebraïco. Igitur Sanctus Paulus in omnibus Epistolis Versionem Septuaginta Interpretum secutus non est, nec ea maximæ fuit in Ecclesia auctoritatis.

Respondeo, Incredibile esse quod asserit ibi Sanctus Hieronymus. Primò namque Epistolæ Pauli ad Hebræos nusquam fuit à Græcis Patribus, aut ab Orientalibus Ecclesiis, imò nec ab Occidentalibus contradictum, sed solùm à paucis Latinæ Ecclesiæ hominibus. Id ex ipso Sancto Hieronymo probare facile est. Is enim vero Epistola 129. ad Dardanum data, ait: *Illud nostris dicendum est, Hanc Epistolam, quæ inscribitur ad Hebræos, non solum ab Ecclesiis Orientis, sed ab omnibus retro Ecclesiis, & Græci sermonis Scriptoribus, quasi Pauli Apostoli suscipi, licet plerique eam vel Barnabæ, vel Clementis arbitrentur, & nihil interesse cujus sit, cùm Ecclesiastici Viri sit. & quotidie Ecclesiarum lectione celebretur.* Addit, Latinorum consuetudinem eam non admittere inter Canonicas, sicut nec quasdam Græcorum Ecclesias Apocalypsim, quod de Latinis omnibus verum non esse: Innocentius I. in Epistola ad Exuperium, Concilium Carthaginense III. cap. 47. Sanctus Augustinus lib. 2. de Doctrina Christiana cap. 8. testantur, cùm hanc Epistolam Scripturis Canonicis accensent. Unde & ipse Hieronymus addit ibidem: *Et tamen nos utraque suscipimus, nequaquam hujus temporis consuetudinem, sed veterum Scriptorum auctoritatem sequentes, qui plerumque utriusque abutuntur testimoniis, non ut interdum de Apocryphis facere solent ...... sed quasi Canonicis & Ecclesiasticis.* Ex his perspicuum est non adeo fuisse Epistolæ Sancti Pauli ad Hebræos contradictum, ipso S. Hieronymo auctore.

Sed etsi adeo generalis fuisse ista contradictio supponeretur, incredibile tamen esset propterea receptam illam Epistolam non fuisse, quod Scripturæ veteris testimonia ex Translatione Septuaginta Interpretum, non ex Hebræo Textu laudaret,

datet. Siquidem Translationem illam Ecclesiæ universæ recipiebant ac legebant, ut Sanctus Augustinus Hieronymo coævus testatur, lib. 18. de Civitate Dei, cap. 43. *Hanc tamen quæ Septuaginta est*, inquit, *tanquam sola esset, sic recepit Ecclesia, eaque utuntur Græci populi Christiani, quorum plerique utrum alia sit aliqua ignorant. Ex hac LXX. Interpretatione, etiam in Latinam linguam interpretatum est, quod Ecclesiæ Latinæ tenent.* Hinc tam frequenter conquestus est Sanctus Hieronymus, plerosque omnes ipsi detrahere, quòd aliter verteret quàm LXX. Interpretes transtulissent. Denique, si propter eam rationem fuisset Epistolæ ad Hebræos contradictum, æquè Actis Apostolorum, & Evangelio Sancti Lucæ, imò toti Testamento Novo contradictum fuisset, siquidem Testamenti Veteris testimonia non minùs ex Translatione Septuaginta Interpretum laudant, quàm Epistola ad Hebræos. Lege P. Morinum de hoc Sancti Hieronymi loco uberius disserentem lib. 1. Exercitationum Biblicarum Exercitat. 3. cap. 4.

Objicitur quintò. Illa Versio, quæ innumeris in locis aberrat à textu primitivo Scripturæ sacræ, scilicet ab Hebræo, non fuit maximæ in Ecclesia auctoritatis: sed Translatio Septuaginta Interpretum innumeris prope in locis à textu Scripturæ sacræ primitivo, id est, ab Hebræo immaniter aberrat. Non fuit igitur maximæ in Ecclesia auctoritatis.

Unde variæ lectiones in Versione LXX. Interpretum & in Hebræo Textu.

Probatur minor. Variæ lectiones occurrunt in Translatione Græca LXX. Interpretum & in Hebræo textu, sive quoad puncta vocalia, quæ in sacro Veteris Testamenti textu nonnisi post quingentesimum à Christo nato annum à Massorethis addita sunt: sive quoad periodorum distinctionem, quæ in Hebræo etiam textu primitus nulla erat, & modò longè diversa est ab ea quam Translatio 70. Interpretum exhibet: sive ex literarum sono, aut figura affinium permutatione, transpositione, detractione, aut additione. Oritur etiam illa varietas ex unius vel plurium vocum omissione, vel additione. Multæ namque voces omittuntur à 70. Interpretibus, quæ in Hebræo textu extant: multæ ab iisdem adduntur, quibus nullæ respondent in Hebræis Codicibus. 3. Oritur varietas ista ex vocum permutatione. Septuaginta nempe Interpretes unam sæpe vocem pro alia substituerunt: atque hoc ab illis factum est frequentiùs in numeris. Verbi gratia, Genes. 46. omnes animæ de familia Jacob, quæ descenderunt in Ægyptum, dicuntur fuisse septuaginta secundùm Hebræum; at secundum 70. Interpretes, sunt septuaginta quinque: & in supputatione ætatis primorum Patriarcharum, Chronologia LXX. Interpretum ab Hebraïca toto cœlo differt, uti & in ipsorum Genealogiis: & juxta Septuaginta Chronologiam, invenitur Mathusalem vita functus annis post diluvium quatuordecim, quod fidei Historiæ sacræ repugnat, cùm octo dumtaxat animas diluvii exitium evasisse constet, scilicet Noë & uxorem ejus; & tres ejus filios, cum tribus earum uxoribus. Hac de varietate Sanctus Hieronymus libro Quæstionum Hebraïcarum in Genesim ita disserit: *Famosa quæstio, & disputatione omnium Ecclesiarum ventilata, quòd juxta diligentem supputationem, quatuordecim annos post diluvium Mathusala vixisse refertur. Etenim cùm esset Mathusala annorum centum sexaginta septem, genuit Lamech: rursum Lamech, cùm esset annorum centum octoginta octo, genuit Noë: & fiunt usque ad diem nativitatis Noë anni vitæ Mathusala trecenti quinquaginta quinque. Sexcentesimo autem anno vitæ Noë diluvium factum est, ac per hoc habita supputatione per partes, nongentesimo quinquagesimo quinto anno Mathusala, diluvium fuisse convincitur. Cùm autem supra nongentis sexaginta novem annis vixisse sit dictus, nulli dubium est quatuordecim eum annos vixisse post diluvium. Et quomodo verum est quod octo tantùm animæ in Arca salvæ factæ sunt?*

Ostendit subinde Sanctus Hieronymus istud incommodum vitari, si Textus Hebraïci Chronologiam sequamur. *Siquidem*, inquit, *& in Hebræis, & Samaritanorum libris ita scriptum reperi: Et vixit Mathusala centum octoginta septem annis, & genuit Lamech. Et vixit Mathusala postquam genuit Lamech, septingentos octoginta duos annos, & genuit filios & filias, & fuerunt omnes dies Mathusala anni nongenti sexaginta novem, & mortuus est. Et vixit Lamech centum octoginta duobus annis, & genuit Noë. A die vero nativitatis Mathusala; usque ad diem nativitatis Noë, sunt anni trecenti sexaginta novem. His adde sexcentos annos Noë: quia in sexcentesimo vitæ ejus anno factum est diluvium: atque ita fit; ut nongentesimo sexagesimo nono anno vitæ suæ Mathusala mortuus sit, eo anno quo cœpit esse diluvium.* Varietas itaque immanis est quoad numeros in textu Septuaginta Interpretum, & in Hebraïco.

Oritur quartò illa varietas ex vocum permutatione in nominibus propriis virorum, urbium, animalium, lapidum. Sic Oseæ 5. pro *Leæna*, quæ Hebraïcè dicitur *Sahal*, Septuaginta interpretati sunt *Pantheram*. Sic Proverb. 30. & Psalm. 103. Vocem Hebraïcam *Scaphan*, quæ *Cuniculum* significat, Septuaginta interpretantur *Choerogrillum*, vel *Herinacium*. Joëlis 3. & Micheæ 6. pro *Setim*, quod ligni incorruptibilis genus est, Septuaginta vertunt, *Funiculos*. Sic Jonæ 4. pro *Hedera*, quam significat vox Hebraïca *Kikaion*, Septuaginta *cucurbitam* posuerunt. 1. Paralipom. 29. cap. pro *Sardoniche*, Septuaginta legunt *Smaragdum*. In toto libro Esther, pro *Assuero*, Septuaginta suffecerunt *Artaxerxem*.

Oritur quintò illa varietas ex vocum metathesi, compositione & divisione. Septuaginta nimirum Interpretes voces è loco suo interdum transposuerunt aut unam in duas diviserunt, aut duas in unam composuere. Unde sensus planè diversus à Textus Hebraïci sensu natus est.

Sextò varietas illa emergit ex integrarum periodorum, seu versiculorum additione & omissione. Sic Josue 15. post versum 59. adduntur in Sixtina Septuaginta Interpretum Editione duo versiculi, in quibus habentur nomina undecim urbium Judæ, qui duo versus in Hebræo non extant. De hac additione Sanctus Hieronymus Commentario in Micheæ cap. 5. ad hæc verba, *Et tu Bethleem Ephrata*, sic loquitur: *Legimus juxta LXX. dumtaxat Interpretes, in Jesu Nave, ubi Tribus Juda urbes & oppida describuntur, inter cætera etiam hoc scriptum: Theco & Ephrata, hæc est Bethleem, & Phagor, & Æthan, & Culon & Tami, & Soris, & Caram, & Gallim & Bather, & Manocho civitates undecim & viculi earum: quod nec in Hebraico, nec apud alium invenitur Interpretem: & sive de veteribus libris erasum sit malitiâ Judæorum, ne Jesus Christus de Tribu Juda ortus videretur, sive à LXX. additum, nequaquam liquidò cognoscentes, certum quid nescimus.*

Sic Psalmo 13. octo versus addiderunt Septuaginta Interpretes, qui in Hebræo non habentur, quos laudat Sanctus Paulus ad Romanos

cap. 3. *Sepulchrum patens est guttur eorum. Linguis suis dolosè agebant : venenum aspidum sub labiis eorum : Quorum os maledictione & amaritudine plenum est : veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem : Contritio & infelicitas in viis eorum, & viam pacis non cognoverunt ; non est timor Dei ante oculos eorum.* Hanc difficultatem Sancto Hieronymo opposuit nobilis & erudita Virgo Eustochium quâ facilè refelli videbatur id quod asseruerat ipse in Præfatione libri 15. Commentariorum in Isaïam, *Apostolos & Evangelistas ea tantùm de Septuaginta Interpretibus, vel suis, vel eorum verbis ponere testimonia, quæ cum Hebraico consonarent : si qua autem ab illis addita sunt, omnino negligere.* Id cùm audisset Sanctus Hieronymus, quasi à fortissimo pugile percussus esset, cœpit tacitus æstuare, & stuporem mentis vultûs pallore signare. Tandemque in se reversus, unius diei spatium postulavit, ut ejus responsio nequaquam argumentum humani esset ingenii, sed fructus assiduæ lectionis, ut ipse testatur in Prœmio libri 16. Commentariorum in Isaïam.

Ad omissiones quod attinet, Sanctus Hieronymus Præfatione in librum Job, monet septingentos ferme, aut octingentos versus deesse eo in libro in Latinis editionibus, quæ vulgò ex Græco Septuaginta Interpretum translatæ ferebantur, quos à se repositos, atque restitutos, ait in ea, quam ex Hebræo instituit, translatione. Et Isaïæ 9. ubi de Christo dicitur : *Et vocabitur nomen ejus Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis :* Septuaginta sex illis nominibus omissis, posuerunt *Magni consilii Angelum:* quod in Hebraico non habetur.

Et cap. 2. ejusdem Prophetæ, notat Sanctus Hieronymus Septuaginta Interpretes versum illum omisisse : *Quiescite ab homine cujus spiritus in naribus ejus, quia excelsus reputatus est ipse.* Et ait : *Tacitus mecum mente pertractans, non possum invenire rationem quare Septuaginta tam perspicuam de Christo Prophetiam in Græcum noluerint vertere.*

Multa quoque in Jeremia desunt, secundùm Versionem 70. Interpretum, ut passim notat Sanctus Hieronymus. Sic namque scribit in cap. 27. v. 11. *In 70. non habetur, & idcirco admoneo, ut prudens Lector intelligat quantum desit per singula Græcis Codicibus & Latinis.* Et in versum 18. *Et si Prophetæ sunt,* &c. sic ait : *Quod sequitur, & subditurі sumus usque ad finem hujus capituli, in 70. non habetur. Domino Exercituum : Hæc ut diximus, in 70. non habentur, sed de Hebraica Veritate translata sunt : pro quo aliud quod scriptum non erat, posuere dicentes : Mihi quia sic dixit Dominus : Et reliqua vasa quæ non tulit Rex Babylonis, quando transtulit Jechoniam de Jerusalem, in Babylonem intrabunt, dicit Dominus.* Et in versum 14. cap. 29. *Et reducam captivitatem,* &c. *quam emisi de Jerusalem in Babylonem. Hucusque in LXX. non habetur* ( id est à versu 14. ad 21. ) *quæ asteriscis prænotavi. Cætera enim in quibus, vel singuli versus, vel pauca ab eis prætermissa sunt verba, victus tædio annotare nolui, ne fastidium legentibus facerem.*

Et Jeremiæ 31. v. 22. ubi habetur ex Hebræo, *Creavit Dominus novum super terram, fœmina circumdabit virum:* Septuaginta sic habent : *Creavit Dominus salutem in plantationem novam, in salute tua circuibunt homines.* Et cap. 17. hæc verba : *Peccatum Juda scriptum est stylo ferreo,* &c. omissa sunt à 70. Interpretibus. Cujus omissionis in caussam inquirens Sanctus Hieronymus ait : *Cur à Septuaginta prætermissum sit, nescio, nisi forsitan pepercerunt populo suo, sicut & in Isaïa eos fecisse manifestum est : Quiescite ergo ab homine cujus spiritus in naribus ejus, quia excelsus reputatus est ipse. Multaque ejusmodi, quæ si voluero cuncta digerere, non dicam libro, sed libris opus erit.* Ultima denique species varietatis oritur ex versiculorum, periodorum, imò & capitum integrorum transpositione. Septuaginta namque Interpretes capitum ordinem quandoque invertunt, nedum sententiarum ordinem perturbant ; quod vel inspicientibus Sixtinam Veteris Testamenti, secundùm LXX. Editionem, compertum est.

Harum varietatum multò plura exhibet exempla vir linguarum peritissimus Ludovicus Capellus libro 4. Criticæ Sacræ, totis quatuordecim primis capitibus. De his etiam fusè agit Morinus, libro 1. Exercitationum Biblicarum, Exercitatione VI. Ex his autem probatur Versionem Septuaginta Interpretum innumeris prope in locis à textu sacræ Scripturæ primitivo, id est, ab Hebræo immaniter aberrare : proindeque, vel illam non fuisse ab Ecclesia receptam quatuor primis sæculis : vel Ecclesiam tunc Scripturam sacram puram & integram non habuisse.

Respondeo ad prolixum illud & difficile argumentum, distinguo majorem : Si ita aberret, ut quæ occurrit varietas periculum creet fidei, aut Christianæ morum Disciplinæ, & sit interpolatio Sacri Textus ab Interprete facta malo animo, vel ex ignorantia, concedo : si quæ occurrit varietas, fidei non noceat, sitque solum in rebus minoris momenti, nec sit interpolatio Sacri Textus ab Interprete facta malo animo & ex ignorantia ; sed ex varia Codicum lectione orta sit diversitas illa ; aut ex eo quòd primitivus Textus à Judæis depravatus sit ; aut interpolata ab iisdem Versio Septuaginta Interpretum ; aut si varietatis illius Auctor sit Spiritus Sanctus quo afflati erant 70. Interpretes ; aut si varietas illa sit specie tenus, non reipsa in Codice Græco & Hebræo, nego. Porro varietates quæ in textu primitivo Testamenti Veteris, & in Translatione Septuaginta Interpretum occurrunt, sunt in rebus minoris momenti, non verò in iis quæ Fidem spectant, aut Christianam morum Disciplinam ; vel ex varia Codicum lectione, non ex Interpretum inscitia, vel malitia ortæ sunt : vel alteruter textus depravatus est à Judæis : vel istius varietatis Author est Spiritus Sanctus, quo Septuaginta Interpretes afflati erant : vel denique varietas illa specie tenus, non re ipsa invenitur. Singulas responsionis istius partes explicare est operæ pretium.

*Varietates in LXX. Versione & Hebræo Textu, Versionis illius auctoritatem non elevant.*

Dico itaque primò, Varietatem, quæ nullum Fidei, aut Christianæ morum Disciplinæ creat periculum, sed in levioris momenti rebus occurrit inter Versionem Septuaginta Interpretum & textum Hebraicum, istius Versionis Canonicam auctoritatem non lædere, nec impedire quin vulgata fuerit Ecclesiæ editio quinque spatio sæculorum. Cùm enim Versiones Scripturarum nobis proponit Ecclesia, & publico etiam usu suo illas consecrat, eas nobis à quolibet errore, aut mendarum irreptione non præstat immunes ; nec accuratiorem textus Hebræi quoad singula verba, singulasque sententias Versionem fieri nunquam posse vadem se nobis pollicetur. Doctores namque suos varias Interpretum translationes enarrantes semper approbavit & laudavit, modò fidei & morum honestati contrariæ non essent. Quin non laudasset, nisi varias interpretationes, variasque lectiones admodum utiles existimasset sive fidei illustrandæ,

lustrandæ, sive inflammandæ pietati. Imò illam etiam lectionum varietatem probat Ecclesia, quamvis alterutra validum fidei propugnandæ argumentum eripiat; modò nihil falsi in utraque exprimatur. Id multis exemplis demonstrat Morinus libro 1. Exercitatione 6. cap. 14. Primum exemplum petitur ex Psalmo 95. v. 10. *Dicite in Gentibus quia Dominus regnavit.* Antiqui Patres suis in Codicibus legerunt: *Dominus regnavit à ligno*, & inde validissimum pro Christi crucifixione argumentum deprompserunt, Tertullianus libro adversùs Judæos, cap. 11. & 13. Sanctus Augustinus & Arnobius in hunc Psalmum, Sanctus Leo Sermone 4. de Passione. Sanctus Justinus Martyr in Dialogo adversùs Tryphonem has voces, (*à ligno*) Judæorum malitia sacris ex Codicibus expunctas fuisse asserit. Eædem voces extant in Psalterio Veteri & Romano, ut notat Nobilius in Scholiis Editionis Sixtinæ Septuaginta Interpretum. Sic habuisse olim Septuaginta Interpretes, testis est Cassiodorus. Eas nunc probat Ecclesia, quæ canit in Hymno sacro: *Regnavit à ligno Deus.* Nec tamen extat modò hæc additio in textu Hebraïco, neque in Versione Septuaginta, neque in Vulgata Sancti Hieronymi.

Alterum exemplum petitur ex Deuteronomio cap. 27, versu ultimo, ubi Vulgata sic textum Hebræum accuratè reddit: *Maledictus qui non permanet in sermonibus legis hujus.* Septuaginta verò Interpretes, & ex his Sanctus Paulus ad Galatas 3. ita hunc versum effert: *Maledictus omnis qui non permanet in omnibus quæ scripta sunt, in libro legis.* Dictionem, *omnibus*, malitia Judæorum ereptam fuisse hinc ex testimonio Sanctus Hieronymus asserit, ne Legis maledictione teneri viderentur, omnia ejus mandata non implentes. Idque Pentateuchi Samaritani auctoritate confirmat: & hunc nihilominus locum vertit absque dictione (*omnibus*) quam nec Vulgata Ecclesiæ Versio nunc habet. Non evertitur itaque Sacri textus auctoritas nec ipsi minùs defert Ecclesia, quamvis sint variantes lectiones.

Tertium exemplum ex capite 3. Habacuch v. 2. depromptum est, qui sic effertur juxta Septuaginta Interpretes: *In medio duorum animalium cognosceris.* Ita legerunt Tertullianus libro 4. contra Marcionem cap. 11. Eusebius lib. 6. Demonstrationis Evangelicæ Sanctus Augustinus libro 18. de Civitate Dei cap. 31. Author lib. de Promissis & Prædictionibus Dei, Sancto Prospero adscripti, & Theodoretus. Hunc locum Patrum plurimi ad Christi nativitatem referunt, quæ interpretatio Isaïæ verbis niti videtur: *Cognovit bos possessorem suum & asinus præsepe Domini sui.* Et secundùm hunc sensum illum usurpat Ecclesia in Officio Circumcisionis. Nonnulli hæc verba Passioni accommodant, & duo animalia, duos latrones interpretantur. Secundùm quem sensum canere videtur Ecclesia in Tractu primæ Prophetiæ Missæ Parasceves. Vulgata nihilominus Versio longè aliter habet secundùm Hebræos Codices, nempe: *In medio annorum vivifica illud.* Utrumque textum Ecclesia probat ut sacrum & canonicum. Variantes igitur lectiones non impediunt quin Scriptura sacra Canonicam auctoritatem habeat. Quamvis igitur variæ lectiones occurrant in editione Septuaginta Interpretum & in textu Hebræo, quæ longè discrepantes pariunt sensus, id non impedit quin summam in Ecclesia auctoritatem habuerit LXX. Interpretum Translatio prioribus Ecclesiæ sæculis.

Dico secundò, Enumeratas in argumento varietates non esse refundendas in inscitiam, vel in malam fidem Septuaginta Interpretum, sed in Codices quos penes se habuerunt: & aliunde variantes illas lectiones esse quandoque in rebus minimi momenti, ut in numeris, quorum diversitatem in utroque textu tam Hebræo, quam Græco floccifacit Ecclesia, ut testatur Sanctus Hieronymus Epistola 132. ad Vitalem data, in qua hæc habet: *Quid enim prodest hærere in litera, & vel Scriptoris errorem, vel annorum seriem calumniari? Cum manifestissimè legatur: Litera occidit, Spiritus vivificat? Relege omnes Veteris & Novi Testamenti libros, & tantam annorum reperies dissonantiam, & numerum inter Judam & Israel, id est, inter regnum utrumque confusum, ut hujuscemodi hærere quæstionibus, non tam studiosi, quàm otiosi hominis esse videatur.*

Sancto Hieronymo suffragatur Sanctus Augustinus libro 15. de Civitate Dei, capite 13. *Nam etiam nunc*, inquit, *ubi numeri non faciunt intentum ad aliquid quod facilè possis intelligi, vel quod appareat utiliter disci, & negligenter describuntur, & negligentiùs emendantur. Quis enim existimet sibi esse discendum quot millia hominum tribus Israël sigillatim habere potuerunt? Quoniam prodesse aliquid non putatur: & quotus quisque hominum est, cui profunditas utilitatis hujus appareat?*

Adde, utrumque sæpe numerum tùm qui in Hebræo textu & Vulgata nostra, quàm qui in LXX. Interpretibus legitur, quamvis longè diversum, nihilominus verum esse, quia aliam numerandi rationem Septuaginta Interpretes inierunt. Sic verum est septuaginta animas de familia Jacob descendisse in Ægyptum, & simul verum est descendisse septuaginta quinque. Nam Hebræus Codex recenset solùm filios & nepotes Jacob qui geniti erant cùm in Ægyptum descendit: Septuaginta verò eos etiam numerant, qui nati sunt post descensum Jacob, Joseph adhuc vivente; & ideo numero 70. qui in Hebræo habetur, addunt quinque, scilicet Machir filium Manassis, & Galaad ejus nepotem; ac Ephraimi filios Sutalaam & Taam, & Edem ejus nepotem: sicque 75. animas per prolepsim, id est, per anticipationem numerant. Ita hanc difficultatem solvunt Sanctus Hieronymus lib. de Quæstionibus Hebraicis in Genesim, & Sanctus Augustinus libro 16. de Civitate Dei cap. 40.

Codices Hebræos Judæorum malitia depravatos, plurimi Veterum fatentur.

Dico tertiò, Multiplicem illam & immanem varietatem inter Translationem Septuaginta Interpretum & textum Hebraïcum, vel ex Judæorum ortam esse malitia, qui Textum primitivum corruperunt, vel ex incuria & oscitantia Scribarum qui Versionem LXX. Interpretum descripserunt. Et quidem sacros Codices à Judæis fuisse depravatos omnes ferme antiqui Patres testantur. Sanctus Justinus in Dialogo cum Tryphone Judæo: *Nec vestris*, inquit, *Doctoribus credo negantibus Septuaginta Seniores, Interpretis officio rectè functos apud Ptolemæum Regem. Ipsi secus interpretari conantur. Multas quoque Scripturas in totum sustulerunt ex Editione Septuaginta Seniorum, quæ manifestè hunc ipsum crucifixum, & Deum, & hominem, & in Cruce mortuum prædicabant, quod vos ignorare non patior.* Tum insignia istius depravationis profert exempla Sanctus Justinus præcipuèque illud Jeremiæ à Judæis resectum: *Ego sicut Agnus destinatus sacrificio, contra me cogitarunt cogitationes: Venite, ponamus lignum in panem ejus, & deleamus eum de terra viventium, & nominis ejus nemo posthac mentionem faciat.* Addit Sanctus Justinus; *Et quoniam hæc particula de Scriptis Jeremiæ resecta superest adhuc in aliquot exemplaribus, quæ in Synago-*

*gis leguntur : ( ante paucos enim annos eam ademerunt ) expedire se non valentes ex his angustiis, vertuntur ad convitia.*

Tertullianus libro De Habitu Muliebri cap. 3. *Et legimus*, inquit, *omnem Scripturam ædificationi habilem divinitus inspirari, à Judæis postea jam videri propterea rejectam, sicut & cætera quæ Christum sonant. Nec utique mirum hoc, si Scripturas aliquas non receperint de eo locutas, quem & ipsum coram loquentem non erant recepturi.*

Origenes Homilia 12. in Jeremiam, ad hæc verba : *Peccatum Juda conscriptum est stylo ferreo* ; hæc habet : *Quoniam difficile est aliquem se malum confiteri, ideo Judæi, qui exemplaria nonnulla falsarunt, etiam in hoc loco, pro peccato Juda, peccatum eorum posuerunt.* Plura hoc de argumento habet in Epistola ad Julianum Africanum de Susannæ Historia.

Sanctus Chrysostomus Homilia 5. in Matthæum eidem sententiæ suffragatur. Eandem de textus Hebraici depravatione à Judæis facta suspicionem juvat Sanctus Hieronymus Commentario in cap. 3. Epistolæ ad Galatas, & in Micheæ cap. 5. Istud non improbabile censet Sanctus Augustinus libro 15. de Civitate Dei, cap. 11. *Sed inquiunt, non esse credibile Septuaginta Interpretes, qui uno simul tempore, unoque sensu interpretati sunt, errare potuisse ; aut ubi nihil eorum intererat, voluisse mentiri : Judæos verò dum nobis invident quòd Lex & Propheta ad nos transierint, mutasse quædam in Codicibus suis, ut nostris minueretur auctoritas. Hanc opinionem vel suspicionem accipiat quisque ut putaverit.*

Probabilius est Judæos Codices sacros ex industria non corrupisse.

Hanc tamen sententiam de textus Hebraici interpolatione, Judæorum malignitate factâ, Sanctus Hieronymus & Sanctus Augustinus, re accuratiùs expensa, ut improbabilem rejecerunt. Ille quidem cap. 6. Commentarii in Isaiam, ita scribens : *Si aliquis dixerit Hebræos libros postea à Judæis esse falsatos, audiat Origenem quid in octavo volumine explanationum Isaiæ huic respondeat quæstiunculæ ; Quod nunquam Dominus & Apostoli, qui cetera crimina arguunt in Scribis & Pharisæis, de hoc crimine quod erat maximum, reticuissent. Sin autem dixerint, Post adventum Domini Salvatoris, & Prædicationem Apostolorum, libros Hebræos fuisse falsatos, cachinnum tenere non potero, ut Salvator, & Evangelistæ & Apostoli ita testimonia protulerint, ut Judæi postea falsaturi erant.*

Sanctus verò Augustinus libro 15. de Civitate Dei, cap. 13. hæc habet : *Si quæram quod sit credibilius, Judæorum Gentem tam longè latèque diffusam, in hoc conscribendum mendacium uno consilio conspirare potuisse, & dum aliis invideant auctoritatem, sibi abstulisse veritatem : vel LXX. Homines, qui etiam ipsi Judæi erant, in uno loco positos, quoniam Rex Ægypti Ptolomæus eos ad hoc opus adsciverat, ipsam veritatem Gentibus alienigenis invidisse, & communicato istud tunc fecisse consilio, quis non videat quid proclivius, faciliusque credatur ? Sed absit ut prudens quispiam, vel Judæos cujuslibet perversitatis, atque malitiæ, tantùm potuisse credat in Codicibus tam multis, & tam longè latèque dispersis, vel Septuaginta illos memorabiles Viros hoc de invidenda Gentibus veritate unum communicasse consilium.*

Viri etiam è recentioribus doctissimi, textum Hebraicum à Judæis, vel ante, vel post Christi Adventum, depravatum esse negant. Non ante, quia Christus qui alia Judæis exprobrat crimina, hujus eos nusquam arguit sceleris. Imò Joannis 5. ad Scripturas scrutandas Auditores suos remittit ; quod nunquam fecisset, si depravatæ fuissent, sed de interpolatinne muruisset. Et Matthæi 23. *Super Cathedram Mosis*, inquit, *sederunt Scribæ & Pharisæi. Quæcunque ergo dixerint vobis, servate & facite.* Certè ad corruptores Scripturarum audiendos, Christus populos non misisset. Neque etiam post Christi Adventum sacros Codices depravarunt Judæi : quòd multis argumentis probatur. Primò quòd in Codicibus Hebræis nunc extent, quæ ex iis à Christo & Apostolis laudata sunt testimonia. Secundò, quòd vaticinia de Christo, ejusque Mysteriis, & de Ecclesia, illibata sint, quibus non pepercissent Judæi, si Libros Sacros violassent. Tertiò, quòd interdum textus Hebræus Judæis magis obsit, quàm Græcus, vel Latinus, ut in Psalmo 2. videre est, ubi pro eo quod Græci & Latini Codices habent : *Apprehendite Disciplinam, ne quando irascatur Dominus*, in Hebræo legitur : *Osculamini Filium ne irascatur.* Quæ lectio Christum Dei Filium evidentiùs demonstrat, quàm prior. Quartò Judæorum tantus fuit zelus erga legem & Libros sacros, ut mortem potiùs, omniaque tormenta subirent, quàm vel unum Legis apicem mutare, aut adulterare vellent, ut de ipsis testantur Josephus libro 1. contra Apionem, & Philo apud Eusebium, libro 8. cap. 6. & 8. Quintò injuriosum esset Dei Providentiæ, qui se Ecclesiæ adfuturum promisit, asserere libros, quibus Deus totam voluntatem suam de doctrina salutis consignavit, Deo permittente fuisse corruptos in iis capitibus quæ summam religionis spectant : Maximè cum Judæos per omnes Gentes, ideo dispersit, ut hos libros ubique ad probandam Christianæ religionis veritatem circumferrent, *Tanquam capsarii nostri*, inquit Sanctus Augustinus, *ut cùm Pagani non credunt quæ nos de Christo prædicta fuisse dicimus, quasi à nobis essent conficta, mittamus eos ad inimicos fidei nostræ Judæos, qui libros circumferunt, in quibus eadem habentur, quæ nos prædicamus.*

Patrum verò supra laudatorum testimonia ita exponunt viri docti, ut non de textu Hebraico, nec contra Judæos ita scripsisse, sed contra Aquilam, Theodotionem & Symmachum, qui erant Indæi Apostatæ, & versionibus suis Scripturam contaminarunt, intelligendi sint. Ego verò recentiores cum antiquis conciliari posse existimo, asserendo Judæos, licet ex industria Sacrum Textum non corruperint, ubi tamen duplex esset lectio, quarum una Christianæ Religioni magis faveret : eos alteram secutos esse ex odio Christianorum.

Verùm quamvis depravati malignitate Judæorum Hebræi sacræ Scripturæ Codices non dicantur, omnino tamen necesse est variantes ab Hebræo textu in Translatione LXX. Interpretum lectiones in Librariorum & Scribarum incuriam plerumque refundere, ut refundit Sanctus Augustinus varietatem numerorum quæ in Chronologia Septuaginta Interpretum & in Hebraica occurrit quad annos, & tempus generationis veterum Patriarcharum. Sic enim habet loco mox laudato. *Itaque illa diversitas numerorum aliter se habentium in Codicibus Græcis & Latinis, aliter in Hebræis, ubi non est de centum annis priùs additis, & postea detractis per tot generationes continuata parilitas, nec malitiæ Judæorum ; nec diligentiæ vel prudentiæ 70. Interpretum, sed Scriptoris tribuatur errori, qui de Bibliotheca supradicti Regis codicem describendum primus accepit.*

At quoniam videtur habere, quamdam, si dici potest, error iste constantiam ; nec casum redolet,

sed

sed industriam : rationem scrutatur Sanctus Augustinus, quæ Exscriptorem illum ad præfatam annorum additionem aut detractionem movere potuit. Hanc autem exponit valde probabili conjecturæ innixam, his verbis : *Nimirum cùm vellet persuadere qui hoc fecit, ideo numerosissimos annos vixisse Antiquos, quod eos brevissimos numerabant: & hoc de maturitate pubertatis, quâ idoneâ filii gignerentur, conaretur ostendere : atque ideo in illis centum annis decem nostros insinuandos putaret incredulis, ne homines tamdiu vixisse recipere in fidem nollent, addidit centum, ubi gignendis filiis habilem non invenit ætatem : eosdemque, post genitos filios : ut congrueret summa, detraxit. Sic quippe voluit credibiles facere idonearum generandæ proli convenientias ætatum, ut tamen numero non fraudaret universas ætates viventium singulorum.*

Porro eas quæ in Translatione LXX. Interpretum occurrunt, à textu Hebraico aberrationes, in scribarum festinantium & indoctorum oscitantiam frequentiùs refundendas esse, ex eo evincitur, quòd omnes codices quandoque non invaserint errores illi, unde castigatiorum codicum ope emendari possunt. Id de errore Versionis LXX. in annis Mathusalem Sanctus Augustinus asserit Quæstione secunda in Genesim. *Quæri solet*, inquit, *quomodo Mathusalem, secundùm annorum computationem, vivere post diluvium potuerit, cùm omnes, præter eos qui in Arcam ingressi sunt, periisse dicantur. Sed hanc quæstionem plurium codicum mendositas peperit. Non solum quippe in Hebræis aliter invenitur, verùmetiam in 70. Interpretibus, Mathusalem, in Codicibus paucioribus, sed veracioribus, sex annos ante diluvium reperitur fuisse defunctus.* Id post Eusebium, Origenem, Julium Africanum, & Theophilum Antiochenum, Sanctus Augustinus asseruit. Quibus Editiones Septuaginta Interpretum Aldina, seu Veneta, Argentoratensis, & Basileensis consentiunt, Mathusalem sex annis ante diluvium obiisse referentes.

Dico quartò, Varietatis illius authorem quæ inter Septuaginta & Hebræum textum occurrit, plerique in locis esse Spiritum Sanctum, cujus afflatu Septuaginta illi Seniores aliqua interdum omiserunt, addiderunt, aut permutarunt. Ita existimavit Sanctus Hieronymus Præfatione in Pentateuchum. *Ubicumque*, inquit, *sacratum aliquid Scriptura testatur de Patre & Filio & Spiritu Sancto, aut aliter interpretati sunt, aut omnino tacuerunt, ut & Regi satisfacerent, & arcanum Fidei non vulgarent.*

Et Præfatione in Translationem Isaiæ, id eos præstitisse ait, *Ne sanctum canibus, & margaritas porcis darent.* Et in Proœmio super Quæstiones in Genesim; *Neque verò*, inquit, *septuaginta Interpretum, ut invidi latrant, errore arguimus, nec nostrum laborem illorum reprehensionem putamus : cùm illi Ptolomæo Regi Alexandriæ mystica quæque in Scripturis sanctis prodere noluerint, & maximè ea quæ Christi adventum pollicebantur, ne viderentur Judæi & alterum Deum colere.* Hoc utique consilio, Isaiæ cap. 9. v. 6. sex Christi divina nomina prætermiserunt, ipsorumque loco reposuerunt, *Magni consilii Angelum.* Ipsos *Nominum Majestate perterritos, non ausos esse dicere de Puero, quod apertè Deus appellandus sit, & cætera : sed pro his sex nominibus posuisse, quod in Hebræo non habetur, Magni Consilii Angelum*, Sanctus Hieronymus in hunc locum affirmat. Quæ aliàs omissa, vel permutata sunt, in Scribarum imperitiam vel oscitantiam sunt refundenda; secundùm eundem Sanctissimum Doctorem, Præfatione 2. in Paralipomenon. *Liberè vobis loquor*, inquit, *ita in Græcis & Latinis Codicibus hic Nominum liber vitiosus est ut non tam Hebræa, quàm barbara quædam, & Sarmatica nomina conjecta arbitrandum sit. Nec hoc 70. Interpretibus, qui Spiritu Sancto pleni, ea quæ vera fuerunt, transtulerant; sed Scriptorum culpæ adscribendum, dum de emendatis inemendata scriptitant.*

Et Præfatione in Job. : *Cogor*, inquit, *per singulos Scripturæ libros, adversariorum respondere maledictis, qui interpretationem meam, reprehensionem Septuaginta criminantur . . . Audiant quapropter canes mei, idcirco me in hoc Volumine laborasse, non ut interpretationem antiquam reprehenderem; sed ut ea quæ in illa aut obscura sunt, aut omissa, aut certè Scriptorum vitio depravata, manifestiora nostra interpretatione fierent.*

Eodem Spiritus Sancti afflatu quædam addiderunt septuaginta Interpretes, quæ in Hebræo textu non extabant. Id constat ex Sancto Hieronymo Præfatione 2. in lib. Paralipomenon. *Ubicumque*, inquit, *asteriscos, id est, stellas, radiare in hoc Volumine videritis : ibi sciatis de Hebræo additum, quod in Latinis Codicibus non habetur. Ubi verò obelus, transversa scilicet virga præposita est, illic signatur quid Septuaginta Interpretes addiderint, vel ob decoris gratiam, vel ob Spiritus Sancti auctoritatem, licet in Hebræis Voluminibus non legatur.*

Idem sensit Sanctus Epiphanius libro de Ponderibus & Mensuris : *Septuaginta*, inquit, *voces istas addiderunt ex sese; non frustra tamen, sed utiliter ac cum fructu. Etenim sicubi manca ac defecta erat oratio, nonnullis adjectis, plurimum ei lucis attulerunt, ut non sine Spiritus Sancti afflatu ad scribendum accessisse, credibile sit . . . . Quâ in re admiratione digni sunt : nec audeat quis eos reprehendere, sed potiùs laudet; cùm illud omne divinô quodam consilio ab illis esse factum, prudens quisque non dubitet . . . . Cæterum quicquid ab eis ademptum est, id inutile est : quidquid verò relictum, necessarium est.*

Sed nihil luculentius hac in re proferri potest iis quæ scripsit Sanctus Augustinus lib. 18. de Civitate Dei, cap. 43. *Nam cum fuerint & alii Interpretes*, inquit, *qui ex Hebræa lingua in Græcam Sacra illa Eloquia transtulerunt; hanc tamen quæ Septuaginta est, tanquam sola esset, sic recepit Ecclesia.* Et infrà : *Spiritus qui in Prophetis erat, quando illa dixerunt, idem ipse erat etiam in LXX. Viris, quando illa interpretati sunt. Qui profectò auctoritate divina & aliud dicere potuit, tanquam Propheta ille utrumque dixisset, quia utrumque idem Spiritus diceret, & hoc ipsum aliter; ut si non eadem verba, idem tamen sensus bene intelligentibus dilucesceret : & aliquid prætermittere, & aliquid addere : etiam ut hinc ostenderetur, non humanam fuisse in illo Opere servitutem, quam verbis debebat Interpres; sed divinam potius potestatem, quæ mentem replebat & regebat Interpretis . . . . Si igitur, ut oportet, nihil aliud intueamur in Scripturis illis, nisi quid per homines dixerit Dei Spiritus, quicquid est in Hebræis Codicibus, & non est apud Interpretes LXX. noluit hoc per istos, sed per illos Prophetas Dei Spiritus dicere, sic ostendens utrosque fuisse Prophetas. Isto enim modo, alia per Isaiam, alia per Jeremiam, alia per alium atque alium Prophetam; vel aliter eadem per hunc ac per illum dixit, ut voluit : quicquid porro apud utrosque invenitur, per utrosque dicere voluit unus atque idem Spiritus : Sed ita ut illi præcederent prophetando, isti sequerentur, prophetice illos interpretando : quia sicut in illis vera & concordantia*

*cordantia dicentibus unus pacis Spiritus fuit, sit & in istis non secum conferentibus, & tamen tanquam uno ore cuncta interpretantibus, idem Spiritus unus apparuit.*

Et lib. 2. de Consensu Evangelistarum cap. 66. *Hujus distantia causa si quaratur, cur tanta auctoritas Interpretationis Septuaginta multis in locis distet ab ea veritate, qua in Hebrais Codicibus invenitur, nihil occurrere probabilius existimo, quam illos LXX. eo Spiritu interpretatos, quo & illa qua interpretabantur, dicta fuerant, quod ex ipsa eorum mirabili, qua pradicatur, consensione firmatum est. Ergo & ipsi nonnulla in eloquio variando, & ab eadem voluntate Dei, cujus dicta illa erant, & cui verba servire debebant, non recedendo, nihil aliud demonstrare voluerunt, quàm hoc ipsum, quod nunc in Evangelistarum concordi quadam diversitate miramur: quâ nobis ostenditur non esse mendacium, si quispiam ita diverso modo aliquid narret, ut ab ejus voluntate, cui consonandum & consentiendum est, non recedat.* Hoc Spiritu addita sunt Josue 15. nomina undecim civitatum; nisi malignitate Judæorum posteriorum Nativitate Christi, ex Hebræorum Codicibus expuncta sint: quod suspicatur Sanctus Hieronymus. Hoc Spiritu additi sunt & octo versus Psalmo 13. qui in Hebræo non habentur, & qui ab Apostolo sunt laudati.

Sanctus quidem Hieronymus Procemio in lib. 16. Commentariorum in Isaiam, objectioni Sanctæ & eruditæ Virginis Eustochium respondens, contendit Apostolum ex LXX. Interpretum Translatione hæc non sumpsisse, nec 13. Psalmum in mente habuisse, cùm hos versus laudavit, sed centonem contexuisse ex variis Scripturæ locis, in quibus textus Hebræus harum sententiarum aliquam exhibet. *Itaque*, inquit, *omnem Scripturam mente perlustrans, animadverti, sicut omnis penè ad Romanos Epistola de Veteri structa est Instrumento; sic & hoc testimonium de Psalmis, & de Isaia esse contextum. Nam duo primi versus: (Sepulchrum patens est guttur eorum, linguis suis dolosè agebant) quinti Psalmi sunt. Illud autem quod sequitur: (Venenum aspidum sub labiis eorum,) centesimi trigesimi noni Psalmi est. Rursumque quod dicitur: (Quorum os maledictione & amaritudine plenum est) de nono Psalmo sumptum est. Tres autem versiculos qui sequuntur; (Veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem: Contritio & infœlicitas in viis eorum, & viam pacis non cognoverunt) in Isaia Propheta reperi. Ultimus autem versus: (Non est timor Dei ante oculos eorum:) in trigesimi quinti Psalmi principio est.* Denique sic colligit Sanctus Hieronymus: *Arbitror solutam quaestionem tuam, & nostram regulam super Translatione Veteris Instrumenti concussam magis esse, quam motam: & non tam Apostolum de Psalmo tertio-decimo sumpsisse, quod in Hebraico non habetur, quàm eos qui artem contexendarum inter se Scripturarum Apostoli nesciebant, quaesisse aptum locum, ubi assumptum ab eo testimonium ponerent, quod absque auctoritate Scriptura positum non putabant. Denique omnes Gracia Tractatores, qui nobis eruditionis sua in Psalmos Commentarios reliquerunt, hos versiculos veru annotant, atque pratereunt: liquidò confitentes, in Hebraico non haberi, nec esse in Septuaginta Interpretibus; sed in Editione Vulgata qua Gracè κοινὴ dicitur: & in toto orbe diversa est.*

Sed causæ studio abreptum Sanctum Hieronymum hæc scripsisse, ut quoquo modo se à difficultate sibi proposita extricaret, nec fateri cogeretur Apostolum additionem textus Hebraico Psalmi 13. à Septuaginta Interpretibus factam comprobasse, constat ex eo quòd Sixtina Septuaginta Interpretum Editio ex veteri Codice MS. Vaticanæ Bibliothecæ, Sancto Hieronymo antiquiore, aliisque optimæ notæ & venerandæ antiquitatis MSS. adornata, & cum veterum Patrum, qui testimonia & fragmenta ex divina illa Translatione laudarunt, scriptis collata, octo illos versus Psalmo 13. exhibeat. Illos & Sanctum Justinum Martyrem, & Sanctum Augustinum, & Psalteria Romanum, Arabicum, Æthiopicum habere notat Nobilius; & Scholion Græcum à Viris Doctissimis, qui Romanam Editionem curarunt, relatum, notat eosdem illos versus Diodorum, Theodorum, Cyrillum, Didymum ex Psalmo 13. laudasse, quamvis in Hexaplis non sint inventi.

Dico quintò: Sæpius Versionem Septuaginta Interpretum ab Hebræo specie tenus, non reipsa discrepare. Nam quod attinet permutationem nominum, Hebraica plantarum, animalium, lapidumque nomina utplurimùm generica sunt, non specifica, ideòque non magis illam speciem significant quàm istam. Unde ex æquo vertit appositè, qui hanc animalium, plantarum, margaritarum speciem dicit, quàm qui istam, modò sub eodem analogo genere contineatur. Ita *Sahal*, non leonem solùm, sed ferocium bestiarum genus significat. Unde Septuaginta æquè appositè ad Prophetæ mentem verterunt: *Ego sum quasi panther Ephraim, & quasi leo in domo Juda*: ac appositè vertit Vulgatus Interpres: *Ego quasi leana Ephraim, & quasi catulus leonis domui Juda.* Hinc Sanctus Hieronymus hunc in locum ait: *Tam nomen bestia, quam omnis bestia accipi potest: ut quicquid sævum in bestiis est, hoc in Dei indignatione cognoscas. Nihil panthere velocius, nihil leone fortius: in panthere velox per Assyrios regni Samaria significatur interitus: & in leone fortissimum contra Jerusalem & Judam, aliquanto post tempore, regnum ostenditur Chaldaeorum.* Sic vocabulum *Schaphan*, propter eandem analogiam, Septuaginta Interpretes vertunt *chœrogryllum*, Vulgata *herinacium & lepusculum.* Quanquam & *Herinacii* vox in Psalmo 103. secundùm Septuaginta legatur. Nec ulla istarum versionum inepta est aut prava; quia vox Hebræa genus animalis significat, cujus proprietas est intra cavernarum petras & terræ foveas cubilia scalpere & infodere; de quo Sanctus Hieronymus Epistola 135. ad Suniam & Fretelam, ait: *Sciendum est animal esse non majus Hericio, habens similitudinem muris & ursi: unde & in Palæstina ἀρκόμυς dicitur, & magna est in istis regionibus hujus generis abundantia, semperque in cavernis petrarum, & terra foveis habitare consueverunt.* Ob similem analogiam Septuaginta vocem Hebraicam *Kikaion*, interpretati sunt *Cucurbitam*, quam Sanctus Hieronymus *Hederam* vertit. Genus scilicet arbusculæ est, quæ vel Hederæ, vel Cucurbitæ non absimilis est. Unde commodè utroque nomine potest appellari, cùm nomen proprium Hebræo respondens in Græco, Latinove idiomate non habeat. Unde utramque Versionem Sanctus Hieronymus probat in cap. 4. Jonæ: *Pro Cucurbita*, inquit, *sive hedera, in Hebræo legimus Kikaion: qua etiam linguâ Syrâ & Punicâ Elkeroa dicitur. Est autem genus virgulti vel arbuscula, lata habens folia in modum pampini, & umbram densissimam, suo trunco sesustinens: qua in Palæstina creberrimè nascitur, & maximè in arenosis locis: mirùmque in modum, si sementem in terram jeceris, citò confota consurgit in arborem, & intra paucos dies, quam herbam videras, arbusculam suspicis. Unde & nos eodem tempore, quo interpretabamur Prophetas, voluimus idipsum Hebraa*

*lingua*

*lingua nomen exprimere, quia sermo Latinus hanc speciem arboris non habebat: sed timuimus Grammaticos, ne invenirent licentiam commentandi, & vel bestias Indiæ, vel montes Bœotiæ, aut istiusmodi quadam portenta confingerent; secutique sumus veteres Translatores, qui & ipsi hederam interpretati sunt. Aliud enim quid dicerent, non habebant.* Et ibidem, Prophetæ sensum in utraque Versione servari & exprimi ostendit: *Cucurbita*, inquit, *& Hedera hujus naturæ sunt ut per terram reptent, & absque furcis, vel adminiculis, quibus innituntur, altiora non appetant. Quo modo igitur ignorante Propheta, Cucurbita in una nocte consurgens umbraculum præbuit.... ad personam Domini Salvatoris sic referri potest ut illud commemoremus Isaiæ: Relinquetur filia Sion sicut tabernaculum in vinea, & velut casula in cucumerario, quasi Civitas quæ expugnatur. Et dicamus quia in alio Scripturæ loco cucurbitam non invenimus, quod ubi cucumis nascitur, ibi nasci soleat & cucurbita. Et Israël huic generi comparatur: quòd quondam protexerit Jonam sub umbra sua conversionem Gentium præstolantem, & non parvam lætitiam tribuerit ei, faciens umbraculum & tabernaculum, potiùs quàm domum. Porro. Kikaion nostra arbuscula modica, citò consurgens & citè arescens, ordine & vita comparabitur Israël, radices parvas mittentibus terram, & conanti quidem in excelsa sustolli, sed altitudinem Cedrorum Dei, & abietum non æquanti.* Legatur & Epistola 89. ad Sanctum Augustinum data. De hoc & Sanctus Augustinus ad Hieronymum rescribens, sic loquitur: *Illud apud Jonam virgultum, si in Hebræo, nec hedera est, nec cucurbita, sed nescio quid aliud, quod trunco suo nixum, nullis sustentandum adminiculis erigatur, mallem jam in omnibus Latinis cucurbitam legi: non enim frustra hoc puto Septuaginta posuisse, nisi quia & huic simile sciebant.*

Ob eamdem analogiam, Septuaginta, *Soham*, *Smaragdum* verterunt, quod alii Sardonychem, alii Onychinum transtulerunt; rectè omnes ac fideliter, quia genericum nomen est, has omnes species significatione sua complectens. De hoc Sanctus Hieronymus Epistola 128. ad Fabiolam: *Qui Hebraicè dicuntur Soam*, inquit, *ab Aquila & Symmacho, & Theodotione onychini, à Septuaginta smaragdi transferuntur. Josephus sardonychas vocat, cum Hebræo Aquilaque consentiens, ut vel colorem lapidum, vel patriam demonstraret.*

Sed & illi nominum permutationi aliud quiddam interim fundamentum præbet, nimirum admiranda dictionum Hebraicarum potestas, quæ multas significationes continent, multosque sæpe sensus pariunt æquè sacri Scriptoris menti convenientes, æquè à Spiritu Sancto insinuatos. Unde Interpretes ex eodem textu Hebræo diversissima sæpe transtulerunt absque ullo errore. Sic Joëlis 3. pro *torrente spinarum*, Septuaginta transtulerunt, *Torrentem funiculorum*, & utramque versionem appositam esse docet Sanctus Hieronymus Commentario in hunc locum, ubi notat, funiculum apud Ægyptios certi itineris esse mensuram, cui significationi convenit illud Psalmistæ: *Semitam meam & funiculum meum investigasti*. Cùm enim in *Nilo flumine, sive in rivis ejus, soleant naves funibus trahere, certa habentes spatia, quæ appellant funiculos: ut labori defessorum recentia trahentium colla succedant*, (ut ait Sanctus Hieronymus) inde factum est, ut Septuaginta effectum pro causa metonymicè transferentes, certum spatium, nomine τῶν χοινιῶν, id est, funiculorum designaverint. Sanctus Hieronymus vocem Hebraicam *Sethim*, non funiculos transtulit, sed spinas, ob similitudinem quam arbor illa quæ ab Hebræis *Sethim*

A vocatur, cum spinis habet. *Est autem*, inquit, *genus arboris in eremo, spinæ albæ simile colore & foliis, non magnitudine. Alioquin tam grandes arbores sunt, ut latissima ex illis tabulata cædantur, lignumque fortissimum est, & incredibilis levitatis ac pulchritudinis; ita ut ex his etiam vasa torcularium, quæ ἀγγεῖα ἢ ληνοὺς vocant, ditissimi quique & studiosissimè faciant, quæ ligna in locis cultis & in Romano solo, absque Arabia solitudine non inveniuntur.*

Michææ verò 6. cap. *Sethim* retinet Vulgata nostra, quia proprium loci nomen est, ut notat

B Sanctus Hieronymus loco mox laudato. *Est autem locus*, inquit, *juxta Liviadem, trans Mare Mortuum, sexto ab ea distans milliario, ubi quondam cum Madianitis fornicatus est Israel. Hujus loci ex persona Dei Michæas Propheta meminit, dicens: Populus meus, memento quæso, quid cogitaverit Balach Rex Moab, & quid responderit Balaam filius Beor de Sethim usque ad Galgalam.*

Denique in his nominum, aut periodorum integrarum permutationibus, mysticus quandoque sensus latet: quod præcipuè in permutationibus numerorum locum habere Sanctus Augustinus testatur libro 18. de Civitate Dei, cap. 44. ubi

C notat, secundùm Septuaginta, Jonam triduum Pœnitentiæ Ninivitis indixisse: Textum verò Hæbræum quadraginta diebus Pœnitentiæ spatium ipsis constitutum coërcere. Hanc autem varietatem ut conciliet, ad sensum mysticum confugit. *Quapropter*, inquit, *si per illam Civitatem rectè accipitur Ecclesia Gentium prophetice figurata, eversa scilicet per Pœnitentiam, ut qualis fuerat, jam non esset: hoc quoniam per Christum factum est in Ecclesia Gentium, cujus illa Ninive figuram gerebat, sive per quadraginta dies, sive per triduum, idem ipse significatus est Christus: per quadraginta scilicet,*

D *quia tot dies peregit cum Discipulis suis post Resurrectionem suam, & ascendit in cœlum: Per triduum verò, quia die tertio resurrexit: tanquam lectorem nihil aliud quàm historiæ rerum gestarum inhærere cupientem, de somno excitaverint Septuaginta Interpretes, iidemque Prophetæ, ad perscrutandam altitudinem Prophetiæ, & quodammodo dixerint; In quadraginta diebus ipsum quære, in quo & triduum poteris invenire: illud in Ascensione, hoc in ejus Resurrectione reperies. Propter quod utroque numero significari convenientissimè potuit, quorum unum per Jonam Prophetam, alterum per Septuaginta Inter-*

E *pretum Prophetiam, tamen unus atque idem Spiritus dixit.* Tum subjungit Sanctus Augustinus: *Longitudinem fugio, ut non hæc per multa demonstrem, in quibus ab Hebraica Veritate putantur Septuaginta Interpretes discrepare, & bene intellecti inveniuntur esse concordes. Unde etiam ego pro meo modulo vestigia sequens Apostolorum, quia & ipsi ex utrisque, id est, ex Hebræis, & ex Septuaginta, testimonia Prophetica posuerunt, utraque auctoritate utendum putavi; quoniam utraque una atque divina est.*

Ad id quod de commutatione nominis Assueri

F in nomen Artaxerxis, in objectione dictum est, respondeo Assuerum commune Regum Medorum esse nomen, Artaxerxem verò nomen Regum Persarum. Unde quia Rex cui nupsit Esther, Persis & Medis imperabat, utroque nomine vocatus est, idemque Assuerus in Hebræo textu, & Artaxerxes in Translatione LXX.

Objicitur sextò. Si Translatio Septuaginta Interpretum fuit summæ in Ecclesia primitiva auctoritatis; sequitur ipsam recepisse additamenta ad Scripturam factam ab hominibus facta velut Scripturam Canonicam: absurdum consequens: ergo & antecedens.

Probatur minor. In Editione Septuaginta Interpretum, leguntur in libro Esther septem capita quæ in Hebræo non habentur; nec in eo legebantur Sancti Hieronymi tempore, ut ipse in versione istius libri testatur: Si ergo Ecclesia priorum sæculorum, translationem Septuaginta Interpretum sequebatur, recipiebat additamenta Scripturæ sacræ ab hominibus facta ut Scripturam Canonicam. Præterea, duo postrema Danielis capita, quibus Historiæ Susannæ, & Bellis, & Draconis continentur, in Hebræo volumine non habentur, sed ex Theodotionis Editione translata sunt: habentur autem in Editione 70. Interpretum. Illa itaque translatio additamenta plurima continet ad Scripturam sacram.

Respondeo, nego majorem, ad cujus probationem dico, septem illa capita non fuisse quidem in Codicibus Hebræis tempore Sancti Hieronymi, sed in illis extitisse tempore Septuaginta Interpretum; ante Hieronymi verò ætatem (quo tempore nescimus) excidisse. Certè Josephus, qui Historiam suam ex libris Canonicis Hebræorum exscripsit, duas Epistolas Assueri, & Orationem Mardochæi non prætermisit, ut libro 11. Antiquitatum cap. 6. videre est. Aliam responsionem conjecturis, ut putant, non inanibus fundatam, Viri proferunt Eruditi. Aiunt scilicet, primum Authorem qui Historiam Hester scribendam suscepit, summam tantùm Historiæ edidisse: deinde ab alio scriptam esse uberiori stylo, & Græco idiomate donatam à Lysimacho, regnantibus in Ægypto Ptolomæo & Cleopatra (ut ex cap. 11. istius libri colligi videtur:) porro prioris Authoris ἀντίγραφον Hebraicum; posterioris autem non ἀντίγραφον ipsum, sed translationem solam ad nos pervenisse.

Respondeo similiter, duo postrema Danielis capita, quæ Susannæ Historiam continent, in Hebræis Codicibus fuisse, quibus usi sunt Septuaginta Interpretes: expuncta autem deinceps fuisse malignitate Judæorum. Ita sensit Origenes in Epistola ad Julium Africanum: *Ex iis*, inquit, *quæ continebant Presbyterorum & Magistratuum, & Judicum vituperationem, quæcumque potuerunt, sustulerunt à cognitione populi: quæ quidem servabantur in arcanis .... Quamobrem non aliud procurasse existimo eos qui existimabantur Sapientes, & Principes, & Seniores populi, quàm ut ea adimerent, quæ eorum continebant accusationem ad populum. Non est ergo mirum si veram Historiam Susannæ, cui pararunt insidias impudici Seniores, ii qui non longè aberant ab instituto illorum Presbyterorum suffurati sunt, & subtraxerunt à Scripturis* Et Tractatu 31. in Matthæum. *Ut autem*, inquit, *timeamus illud quod ait* (Christus) *Dividet eum: Recordari convenit ea quæ à Daniele sunt dicta contra Presbyteros malos: Quoniam Angelus Domini habens gladium, scindet te medium. Scindens autem dividet. Ausi sumus nisi hoc loco, Danielis exemplo, non ignorantes quoniam in Hebræo positum non est, sed quoniam in Ecclesiis tenetur.* Non itaque existimavit Ecclesia Historiam Susannæ additamentum esse ad librum ἀντίγραφον Danielis, quamvis in Hebræis Codicibus non extaret; sed probabilius censuit illam fuisse malignitate Judæorum expunctam.

Objicitur septimò. In Versione Septuaginta Interpretum, præter ea quæ jam adnotata sunt, multa desiderantur, quæ in Hebræo textu leguntur; & è contrario multa leguntur in ea Translatione, quæ in Hebræis Codicibus desunt. Multa etiam contrario planè sensu efferuntur. Igitur Versio τῶν Septuaginta, nec est, nec fuit unquam Ecclesiæ suffragio comprobata.

Probatur antecedens multis exemplis, quorum nonnulla profert Origenes in Epistola ad Julium Africanum. Nam in Job, illa verba; *Surgens manè offerebat pro peccato, pro animæ eorum* (Job scilicet pro filiorum peccans) &, *Quando venerunt Angeli Dei ut adstarent coram Deo, Diabolus quoque venit cum ipsis.* Et illud: *Postquam circuivi terram, & obambulavi in ea:* apud Septuaginta non leguntur: extant autem in Codicibus Hebræis. Non est apud Hebræos illud, *Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino visum est, ita & factum est*: quod Versio τῶν Septuaginta habet. Item verba illi uxoris Job. *Quousque permanebis, dicens: Ecce maneo adhuc modicum tempus, expectans spem salutis meæ*; usque ad illud, *donec quiescam à laboribus meis, & doloribus qui me nunc angunt?* Leguntur apud Septuaginta, ab Hebræis autem Codicibus absunt, in quibus hæc solùm verba mulieris legere est: *Dic verbum ad Dominum, & morere.* Interdum etiam circa medium libri quatuordecim, sexdecim, aut novemdecim versus desiderantur in Translatione τῶν Septuaginta, quos textus Hebraicus exhibet. Multa etiam deficiunt, vel abundant in Jeremia, secundùm illorum versionem: multa transposita sunt, vel commutata. Ad hæc, in Genesi illud, *Vidit Deus quod esset bonum*, post enarratam Firmamenti creationem, apud Hebræos non extat. In Exodo, quæ pertinent ad Tabernaculum, & ejus atrium, & Arcam, & quæ pertinent ad indumenta Pontificis & Sacerdotum, valde sunt mutata, adeo ut ne videatur quidem sensus esse similis.

Confirmatur. Origenes Versioni Septuaginta Interpretum, quam unâ operâ edidit cum Hebræo textu comparatam, addidit Asteriscos, ut indicaret quæ in Versione Septuaginta ab Hebræo textu deficiebant. In ea igitur Translatione multa erant deficientia, quæ resarciri; multa superflua quæ resecari deberent: proindeque Scriptura secundùm Translationem τῶν Septuaginta non est purum & integrum Dei verbum. Non fuit igitur, aut saltem esse non debuit illa Translatio summæ in Ecclesia authoritatis.

Probatur antecedens ex ipsomet Origene in Epistola ad Julium Africanum. *Sed nec ea*, inquit, *inveniri possunt in Genesi, quibus signa adjecimus, quæ apud Græcos vocantur Obeli seu Obelisci.* ÷ ÷, *ut id sit nobis notum: sicut rursus Asteriscos* * *iis quæ sunt quidem in Hebræo, apud nos autem non inveniuntur.*

Idem probatur ex Sancto Hieronymo Epistola 135. ad Suniam & Fretelam data, in qua hæc habet: *Ubi quid minus habetur in Græco ab Hebraica veritate, Origenes de Translatione Theodotionis addidit, & signum posuit Asteriscum, id est, stellam, quæ quod priùs absconditum videbatur, illuminet, & in medium proferat. Ubi autem quod in Hebræo non est, in Græcis Codicibus invenitur*, ὀβελὸν, *id est, jacentem præposuit virgulam, quam nos Latinè veru possumus dicere, quo ostenditur, jugulandum esse & confodiendum, quod in Authenticis Libris non invenitur.*

Et Præfatione in Job. *Omnia*, inquit, *veteris Instrumenti volumina Origenes Obelis, Asteriscisque distinxit, quos vel additos, vel de Theodotione sumptos, Translationi antiquæ asseruit, probans defuisse quod additum est. Discant igitur obtrectatores mei recipere in toto, quod in partibus susceperunt, aut interpretationem meam cum Asteriscis suis radere. Neque enim fieri potest ut quos plura intermisisse susceperint, non eosdem etiam in quibusdam errare fateantur, præcipuè in Job: cui si ea quæ sub Asteriscis addita sunt, subtraxeris: pars maxima detruncabitur.*

*bitur. Et hoc dumtaxat apud Græcos. Cæterùm apud Latinos, ante eam translationem, quam sub Asteriscis, & Obelis nuper edidimus, septingenti ferme aut octingenti versus desunt, ut decurtatus & laceratus, corrosusque liber fœditatem sui publicè Gentibus prabeat.* Ex quibus patet, Origenem Versioni Septuaginta Interpretum addidisse Asteriscos & Obelos, ut deficientia, vel superflua indicaret.

Jam verò quòd multa longè alio sensu efferant Septuaginta Interpretes ac textus Hebræus, quamvis id plurimis exemplis probatum sit, ac innumeris adhuc probari queat, in duobus dumtaxat modò periculum faciemus. Primum est Psalmi 39. versu 7. qui juxta Hebræum habet, *Aurem perforasti mihi*; à quo non multùm recedit Vulgata nostra sic reddens; *Aures autem perfecisti mihi.* At Septuaginta Interpretum Translatio habet longè alio sensu; *Corpus autem perfecisti mihi.* Ex qua Apostolus ad Hebræos 10. versum illum sic laudat: *Corpus autem aptasti mihi.* Alterum est, Psalmi 67. v. 19. *Ascendisti in altum, cepisti captivitatem, accepisti dona in hominibus.* Ita Vulgata nostra ex Hebræo reddit. At Apostolus Versionem τῶν Septuaginta secutus, habet ad Ephesios 4. *Dedit dona hominibus*, contrario planè sensu.

Respondeo, distinguo priorem partem antecedentis: Et ideo desunt, aut addita sunt in Translatione τῶν Septuaginta, quia Codices Hebræi mutili sunt, aut superfluis abundantes; vel quia Codices ipsi τῶν Septuaginta sinceri non sunt, sed Scribarum oscitantiâ passim integris periodis truncati, vel quia Spiritus Sancti afflatu, Septuaginta Seniores illa resecarunt, aut addiderunt, concedo. Ideo desunt, aut addita sunt, quòd sincera & genuina Versio τῶν Septuaginta ἀυτόγραφῳ Hebræorum Codici non consentiat, nego. Illam quippe Translationem Ecclesiæ authoritas primitivo textui consonam esse probat. Unde Origenes, in laudata ad Julium Africanum Epistola, Ecclesiasticæ Versioni potiùs quàm Hebræis Codicibus credendum esse asserit. *Vide ergo*, inquit, *ne imprudentes & inscientes abrogemus exemplaria qua habemur passim in Ecclesiis, & legem statuamus fraternitati, ut deponant quidem sacros, qui apud eos feruntur, libros; assententur autem Hebræis, & persuadeant ut nos puris impertiant, & qui nihil habeant figmenti. An non providentia in sanctis Scripturis dedit omnibus Christi Ecclesiis ædificationem? Non curam gessit eorum qui empti sunt pretio, pro quibus Christus est mortuus? Ad hæc autem considera, an non sit bonum meminisse ejus quod scriptum est, Non transpones terminos æternos, quos statuerunt Patres tui? Hæc autem dico, non quòd verear ne dubitem scrutari qua sunt apud Judæos Scripturas, & omnes nostras cum illorum Scripturis conferre, & videre quænam sint in eis differentiæ. Si non est quidem certè grave & arrogans dicere, hoc gnaviter pro viribus fecimus, ut mentem nostram exerceremus in omnibus Editionibus & earum differentiis; cum eo quòd longè magis exercebamus interpretationem Septuaginta, ne videremur falsi & adulterini aliquid inducere in Ecclesias qua sunt sub cælo. Exercemus autem, ut cum Judæis differentes, eis adducamus qua sunt posita in eorum exemplaribus, & cum eis utamur iis qua apud illos habentur, & non sunt in nostris libris. Nam cùm sit ejusmodi noster apparatus in quæstionibus adversus ipsos, non despicient, neque ut mos est eorum, irridebunt eos qui credunt ex Gentibus, tanquam qui ignorent vera qua apud eos scripta sunt.*

Ex quibus colligitur, primas semper deferendas esse editioni Scripturæ Sacræ, quàm amplectitur, usuque suo consecrat Ecclesia. Secundò, adeundos etiam esse fontes, nempe textum Hebraicum aut Græcum, sed eruditionis caussa, & ut contra adversarios Fidei fœliciùs disputemus, non verò absoluta necessitate. Tertiò, Translationem τῶν Septuaginta maximo in pretio habendam esse, cùm Vulgata fuerit Ecclesiæ Editio quinque prioribus Christianæ Religionis sæculis, & nunc ex vetustissimis Codicibus MSS. & antiquis Patribus emendata & recognita jussu Sixti V. Pontificis Maximi ab omnibus Catholicis recipienda & retinenda sit.

Ad confirmationem respondeo, nego antecedens: Quod nimirum Asteriscos & Obelos Versioni τῶν Septuaginta ideo addiderit Origenes, quòd aliquid deesse, aut abundare in divina illa Translatione existimaret; sed ut ostenderet, quæ Judæi in Ecclesiæ Codicibus manca esse, aut superflua calumniabantur, quæ ipsi aut addebant, aut resecabant, quò ad pugnam cum Judæis instructiores prodirent Christiani, propriisque ipsorum armis illos confoderent; nec non etiam ut iidem Christiani inde argumenta explicandæ & illustrandæ τῶν Septuaginta Translationi depromerent. Istud unum fuisse Origenis consilium, ipsius verba ex Epistola ad Julium Africanum supra laudata demonstrant. Idem constat ex Sancto Epiphanio lib. de Mensuris & Ponderibus. *Aquila*, inquit, *cæterique ad interpretandas Scripturas accedentes, cùm ea quæ à Septuaginta prætermissa fuerant, edidissent, otiosa ac supervacanea sunt habita. Successit his Origenes, qui unicuique loco, quod deerat, adjunxit, eique Asterisci notam appinxit: non quòd addita illa vocabula admodum necessaria sint, cùm supervacua videantur: sed ne Judæis, ac Samaritanis ullam calumniandi Sacras Literas, quibus in Ecclesiis utimur, occasionem relinqueret.* Idem testatur Ruffinus Invectiva 2. in Sanctum Hieronymum, ubi ait, Origenem has notas Editioni Septuaginta Interpretum apposuisse, *Ut sciremus, non quid nobis, sed quid Judæis adversum nos certantibus, aut deesse, aut abundare videretur.*

Nec verò alia Sancti Hieronymi mens fuit, qui priori suæ Translationi Asteriscos & Obelos exemplo Origenis apposuisse se ait, non ut Editionem 70. Interpretum abolerer, quàm emendatam de Græco in Latinum transtulerat; *Sed ut ea testimonia, quæ à Judæis prætermissa sunt, vel corrupta, proferret in medium, ut scirent nostri quid Hebraica Veritas contineret*, (ut scribit ipse ad Sanctum Augustinum Epistola 89.) & Præfatione 2. in Paralipomenon, ait *Obelo signari quid Septuaginta Interpretes addiderint: vel ob decoris gratiam, vel ob Spiritus Sancti auctoritatem, licet in Hebræis voluminibus non legatur.*

Ad secundam partem antecedentis, nego hanc propositionem, quòd multa contrario planè sensu efferantur in Septuaginta Translatione, & in textu Hebraico. Etsi enim verò diversus aliquando sensus utriusque videatur, nusquam tamen contrarius est: & uterque est sacer, atque à Spiritu Sancto inspiratus. Imò nequidem est diversus, qui multoties alius omnino apparet. Sic versus ille septimus Psalmi 39. qui secundùm Hebræum sic effertur, *Aures autem perforasti mihi*, sic verò secundùm Septuaginta, *Corpus autem perfecisti mihi*, eundem utrobique sensum habet. Nam juxta Hebræum fit allusio ad servitutem perpetuam. Unde quia servo, cùm donari libertate nolebat, auris subulâ perforabatur, ex Legis Mosaicæ præscripto, ut hoc stigmate perpetuæ addictus servituti cognosceretur; Christus se Patris

æterni servum professus Davidis ore, apposite inducitur dicens: *Aurem perforasti mihi*: quia servitutem illam ratione naturæ humanæ assumptæ sibi convenientem, secundùm illud: *Ego servus tuus, & filius ancillæ tuæ*, excussurus nunquam est, sicut nec ipsam naturam servilem depositurus. Quia verò præcipuum servitutis argumentum est subjectio & obedientia: ideo ut se paratum semper testetur ad obediendum Patri, ait, ipsum aures sibi perfecisse ad capessenda ipsius mandata semper apertas. *Aures autem perfecisti mihi*: ut habet Vulgata nostra. Rursus, quia servituti non fuit obnoxius Dei Filius, nisi ex quo corpus assumpsit, *Nihil enim in Trinitate servum*: nec in locum legalium victimarum semetipsum suffecit, idem Sacrificii sui Sacerdos & victima, nisi quatenus assumpsit corpus, cujus voluntaria sumus oblatione sanctificati: Ideo apposite etiam Septuaginta Interpretes verterunt: *Corpus autem perfecisti mihi*: & ex iis Apostolus: *Corpus autem aptasti mihi*.

Aliter hunc nodum solvit Morinus, Præfatione in Sixtinam Septuaginta Interpretum Editionem. Conjicit nimirum Codicem Hebræum corruptum fuisse. Scripsisse quidem Davidem, & legisse Paulum cum Septuaginta Interpretibus, *Eth, Gevia Barathali*, hoc est, *Corpus formasti*, seu *creasti mihi*: Postea literarum similium permotatione, depravate scriptum esse, pro *Baratha*, *Caritha*, quod significat, perfodisti. Quod cùm legeret Rabbinus aliquis, existimavit Psalmographum ad morem servitutis perpetuæ significandæ alludere, quo lege jubetur dominus servo qui se in æternum vendidit, aures perfodere: idcirco erasit has voces, *Eth Gevia*, *Corpus*, tanquam verbo, *fodisti*, minimè congruentes, atque hanc, *Aznaiim*, *aures*, substituit.

Alii Viri eruditi existimant, Septuaginta ita scripsisse, *σῶμα δὲ κατηρτίσω μὲ σοι*, id est, *Servum me fecisti tibi*. Nam σῶμα pro servo ac mancipio à Græcis etiam usurpatur. Septuaginta igitur Hebræam phrasim, *aurem perforasti mihi*, hac Græca aptissimè expressisse contendunt. Scribam verò, cùm non satis caperet phrasim illam, maximè de Deo usurpatam, quia σῶμα non intelligebat nisi corpus, nec poterat mente assequi quomodo corpus Deo aptari posset, putavisse levi mutatione σοι in μοι posse emendari locum, quem veriùs pervertit. Apostolus verò ex Versione Septuaginta Interpretum hunc locum laudavit cum leviusculo illo errato, quod verbis parum immutatis, sensus integritati & unitati nihil nocebat; quia hæc vox *Corpus*, ejus instituto magis conveniebat, cùm de Corporis Christi oblatione, nostraque per eum sanctificatione ageret.

Versus etiam decimus nonus Psalmi 67. contrarium sensum non patitur apud Hebræos, & apud Apostolum, ex Septuaginta, ut quidam putant, illum laudantem. Nam Christus in cœlos ascendens, dona in hominibus accepit, & hominibus dona contulit. Cùm enim *Caput & membra sint unus Christus*, secundùm celeberrimum Sancti Augustini principium; idem qui dona dedit hominibus, in iis dona accepit. Vel, Christus in cœlos ascensurus, quomodo prænuntiabatur à Propheta, dona in homines eroganda accepit à Patre in Incarnatione suâ, & in cœlos re ipsa ascendens, quando Prophetia illa impleta est, dona illa in homines distribuit. Unde Prophetæ sensus in utroque textu salvus est, *Accepisti dona in hominibus*; *Dedit dona hominibus*.

2. Dici potest Apostolum non sequi Versionem τῶν Septuaginta in hoc loco, sed oraculi Prophetici sensum, non verba laudare.

3. Responderi potest cum Morino, Præfatione in Sixtinam Septuaginta Interpretum Editionem, depravatum esse modò textum Hebræum: In eo legisse Apostolum, & cum eo Septuaginta *Hhalachcha*, quod *dividere & dare* frequenter apud Hebræos significat; at levi trajectione literarum istud vocabulum postea mutatum esse in *Lachabhcha*, quod significat accipere. Addit vir doctissimus, in hodierna τῶν LXX. Versione vocem ἔλαβες *accepisti*, irreptitiam videri pro ἔδωκε, *dedit*. Notant quippe Scholia Romana, ἔδωκε legisse Sanctum Justinum Martyrem, Psalterium Romanum, Sanctumque Hilarium in Psalmorum textu, qui omnes Editionem τῶν Septuaginta sequuti sunt.

Objicitur octavò. Novam ex Hebræo Versionem Sanctus Hieronymus condidit, & Septuaginta Translationem sæpius improbavit. Existimavit itaque Versionem τῶν Septuaginta non esse Canonicam.

Respondeo, nego secundam partem antecedentis, & consequens. Quamvis enim Sanctus Hieronymus adversùs Translationem LXX. Interpretum quædam duriùs pronuntiaverit, à se susceptæ Versionis vindicandæ studio, cui plurimi detrahebant, illa tamen emoliit, excusavitque senex factus; & nihil à se dictum voluit, quod Ecclesiasticam Versionem vel tantisper læderet. Nec ideo se novam adornasse professus est, ut 70. Interpretum editionem reprehenderet; sed quòd multi in eam errores incuriâ Scribarum irrepsissent; & quòd operæ pretium esset ipsa exemplaria, quibus utebantur Judæi, Latinam in linguam vertere, ut Christiani Doctores adversùs ipsos iis ex locis disputarent, quos non poterant non recipere, atque ita proprio mucrone ipsos confoderent. Suum ipse consilium aperit pluribus in locis, nempe Apologia 3. adversùs Ruffinum, ubi hæc habet: *Mihi non licebit post Septuaginta Editionem, quam diligentissimè emendatam, ante annos plurimos, mea lingua hominibus dedi, ad confutandos Judæos, etiam ipsa exemplaria vertere, quæ ipsi verissima confitentur; ut si quando adversùm eos Christianis disputatio est, non habeant subterfugiendi diverticula, sed suomet potissimum mucrone feriantur.* Et Apologia 2. *Ego-ne*, inquit, *contra* LXX. *Interpretes aliquid sum locutus, quos ante annos plurimos, diligentissimè emendatos, mea lingua studiosis dedi, quos quotidie in conventu fratrum edissero, quorum Psalmos jugi meditatione decanto? Tam stultus eram, ut quod in pueritia didici, senex oblivisci vellem? Universi Tractatus mei horum testimoniis texti sunt. Commentarii in duodecim Prophetas, & meam, & Septuaginta Editionem edisserunt. O labores hominum semper incerti! O mortalium studia contrarios interdum fines habentia! Unde me putabam bene mereri de Latinis meis, inde in culpam vocor.*

Et Præfatione in Pentateuchum, de sua librorum Moysi ex Hebræo sermone in Latinam linguam Translatione sic loquitur. *Periculosum certè opus, & obtrectatorum meorum latratibus patens: qui me asserunt in* LXX. *Interpretum sugillationem nova pro veteribus cudere, ita ingenium quasi vinum probantes: cùm ego sæpissimè testatus sim, me pro virili portione in tabernacula Dei offerre quæ possim, nec opes alterius aliorum paupertate fœdari.*

Et Præfatione in librum Paralipomenon ad Chromatium: *Si Septuaginta*, inquit, *Interpretum, pura, & ut ab eis in Græcum versa est, Edi-*
*tio* a

*tis permaneret, superstitue me, Chromati Episcoporum sanctissime atque doctissime! impelleres, ut Hebræa tibi volumina Latino sermone transferrem. Quod enim semel aures hominum occupaverat, & nascentis Ecclesiæ roboraverat fidem, justum erat etiam nostro silentio comprobari. Nunc verò, cum pro varietate regionum diversa ferantur exemplaria, & germana illa antiquaque Translatio corrupta sit, atque violata; nostri arbitrii putas, aut è pluribus judicare quid verum sit, aut novum opus in veteri opere cudere, illudentibusque Judæis, cornicum, ut dicitur, oculos configere.* De Versione LXX. Interpretum, qui plura volet, legat doctissimos viros Usserium in Syntagmate, Isaacum Vossium in libro de LXX. Interpretibus, & eorum Translatione, Joannem Morinum in Exercitationibus Biblicis, Henricum Valesium in Epistola ad Usserium; & Prolegomena Bibliorum Polyglottorum.

## SCHOLION.

Religiosi Censores hanc Propositionem ex isto velut Articulo excerptam in Indiculo suo notarunt: *Scriptura quam nobis exhibet Ecclesia, non est immunis ab omni errore leviori.*

R. Non est hæc Propositio mea, sed ista, quam æqui & eruditi Censores non improbabunt: *Varietates quæ in Texto primitivo Testamenti Veteris, & in Translatione septuaginta Interpretum occurrunt, sunt in rebus minimi momenti, non verò in iis quæ Fidem spectant, aut Christianam morum Disciplinam.* Varietates dixi, non errores: easque varietates *vel ex varia codicum lectione*; non *ex Interpretum inscitiâ vel malitiâ ortas*, dixi; *vel ipsius varietatis auctorem esse Spiritum Sanctum, quo septuaginta Interpretes afflati erant, vel denique varietatem illam specietenus, non re ipsa inveniri.*

## ARTICULUS II.

*Utrum Editio Septuaginta Interpretum, etiam ut nunc habetur auctoritate Sixti V. à Viris Doctissimis emendata, sit ab omni menda immunis.*

## PROPOSITIO.

*Plurima sunt adhuc in Sixtina τῶν Septuaginta Editione menda leviores.*

PRobatur Propositio earum enumeratione, quas Viri Eruditi adnotarunt. Genes. XI. secundùm LXX. Interpretum codices, Arphaxad genuit Cainam: quod etiam legitur apud Sanctum Lucam cap. 3. At mendum ibi esse, nomenque Cainan esse irrepititium ac supposititium, constat ex codicibus Hebræis, & Chaldæo Paraphraste, & ex utraque editione Samaritana, in quibus ab Arphaxad immediatè genitus Sale memoratur. Secundò, nec in LXX. Editione primitus fuisse evincitur. Nam Josephus, qui Græcè scripsit, & LXX. sequi solet, Cainan non admittit (ut lib. 1. Antiquitatum cap. 6. videre est.) Præterea, nec Philo, nec Eusebius in Chronico suo annos veterum Patriarcharum ex triplici textu, Hebræo, Græco, & Samaritano recensens (ut Georgius Syncellus pag. 86. & 169. observat) in ullo eorum Cainam posuit: sed in eo etiam qui est juxta LXX. Interpretationem, Arphaxad annos 135. natum genuisse Salam commemorat. Quam ob causam ipsum, sed immeritò, Georgius Syncellus reprehendit. Ignorabat scilicet Georgius, quod Eusebio erat probè cognitum, discrimen inter communem, & sinceriorem illam LXX. Editionem, quæ in Hexaplis fuerat: Ex quibus in Cæsariensi Bibliotheca à Pamphilo suo repositis cognovit ille Cainan ab illis Interpretibus prætermissum esse, quamvis in editionem communem irrepsisset. Sed & Julius Africanus Origenis æqualis, & Theophilus Antiochenus lib. 3. ad Autolycum, temporum Epilogismum juxta LXX. instituens, omisso Cainan, Arphaxad Sale patrem faciunt. Accedit, quòd neque illius meminerit Sanctus Epiphanius Hæresi 55. quæ est Melchisedechianorum, quo in loco generationes omnes recenset; nec Sanctus Hieronymus, in Traditionibus Hebraicis, Cainan vel per umbram indicat, quem certè non omisisset, si extitisset in Editione τῶν Septuaginta; siquidem nullum prætereit locum, in quo Græci Codices dissentirent ab Hebræis, cujus conciliationem non tentaverit. Ad hæc, Quintus Julius Hilarion in libello de mundi duratione, anno Æræ Christi 397. conscripto; in quo Epilogismum juxta Septuaginta Interpretes instituit, Cainan tempora & generationem prætermisit. Majoris ponderis est, quod nec modò in omnibus codicibus Græcis legitur lib. 1. Paralipomenon cap. 1. (ubi neque in Græco Codice Vaticano, neque in Bibliorum Jayanorum Versione Arabica, neque in Rutheoica, sive Illyrica Translatione vetere, adhuc insertum illud repetitur. Confer cum nostra Dissertatione IV. in Historiam Veteris Testamenti, ad secundam Mundi Ætatem.

II. Genes. 46. v. 27. Romana LXX. Interpretum Editio habet: *Omnes animæ domus Jacob, quæ ingressæ sunt cum Jacob in Ægyptum, animæ septuaginta quinque.* Locus hic depravatus est. Corruptionis manifesta sunt indicia. Primùm enim omnia exemplaria Hebræa; Versiones, Samaritana, Syriaca, Arabica; Paraphrastes Chaldæus, Vulgata Versio Latina Hebræo ad amussim respondens, Josephus lib. 2. Antiquitatum c. 4. septuaginta duntaxat animas cum Jacob ingressas in Ægyptum memorant. 2. Ipsi Septuaginta Interpretes Deuteron. 10. v. 22. ubi hæc historia repetitur, consentiunt cum Hebræo, & septuaginta duntaxat enumerant. Huic interpolationi occasionem præbuit v. 14. c. 7. Actorum Apostolorum, ubi Sanctus Stephanus ait: *Mittens autem Joseph accersivit Patrem suum Jacob, & omnem cognationem suam, in animabus septuaginta quinque.* Cùm enim quidam è Christianis scioli, hæc Sancti Stephani verba cum loco Mosis conciliare non possent, & Stephano fidem omnino habendam esse crederent, textum Græcum Mosis emendare voluerunt; sed veriùs corruperunt, ut demonstrare possent unde hæc Stephanus hausisset. Et ut cum specie aliqua veritatis versum illum 27. interpolarent, versum etiam 20. corruperunt: ubi contra fidem omnium exemplarium Hebræorum, & Samaritani, & veteris Latini, quinque alios addiderunt ex posteris Josephi, nempe Machir filium Manassis ex concubina Syra, & Machiris filium, Manassis nepotem Galaad: Deinde Ephraimi filios duos, Sutalaam & Taam; filiumque Sutalaami unum, Ephraimi nepotem, Edom. In quo simul capite observandum, nec Taam, nec Edom fieri mentionem, & Manassis, Machiris, atque Ephraimi plures recenseri filios quàm quinque. Cur ergo apud Mosem quinque tantùm ex his excerpserunt? Quia pluribus opus non habebant, qui numerum Stephani supplere apud Mosem voluerunt. At iidem illi sibi nequaquam constantes, v. 27. Manassi & Ephraimo, cum quinque eorum filiis ac nepotibus, addiderunt, etsi innominatos, duos alios. Nam pro eo quod apud Moysen est: *Et filii Joseph, qui nati erant ei in Ægypto, sunt animæ duæ*, Septuaginta habent, *animæ novem*. Patet itaque Versionem Septuaginta ibi esse corruptissimam. Quod spectat verba Sancti Stephani, dicendum est, Protomartyrem numerum 75. animarum ex Septuaginta Interpretum Versione non hausisse, nec cum

Mose septuaginta dumtaxat animas numerante, ullatenùs pugnare. Non sunt enimverò loca ista parallela. Moses siquidem Catalogum instituit, in quo cum Jacob soli ejus posteri, & quidem *Ex femore* ejus egressi, exceptis disertè filiorum uxoribus, vers. 26. comprehenduntur. Ob quam causam non ii solùm qui cum ipso Ægyptum actu sunt ingressi, sed & Joseph cum duobus filiis Ephraim & Manasse, in septuagenario numero continentur, etsi jam ante in Ægypto essent: quia & ex Jacobi femore nati, & è terra Canaan orti, peregrini in Ægypto degebant, adeòque meritò habebantur quasi cum Jacob in Ægyptum introissent. Singularis autem ratio est cur duo Judæ nepotes ex Phares, Hezron scilicet & Hamul, etsi nondum, sed postea in Ægypto nati, in numerum istum vers. 12. referantur: ut nempe duorum filiorum Judæ Er & Onam jam defunctorum locum supplerent. Quam ob causam & Numerorum 26. vers. 21. cùm in reliquis tribubus, velut Rubenis, Simeonis &c. non nepotes, sed soli filii, ut Principes familiarum recenseantur; in sola Tribu Judæ non modò filii ejus Selah, Phares, & Zerah, sed & nepotes Hezron & Hamul, Principes familiarum Judæ constituuntur, quasi filiis ejus accensiti. Nihil autem horum in Oratione Sancti Stephani locum habet. Non enim Genealogia Jacobi instituitur, sed quosnam Josephus è terra Canaan in Ægyptum advocaverit, docetur. Plures quàm è Jacobi femore ortos accersivit: Neque omnes è Jacobi femore ortos advocavit. Duos certe Judæ nepotes nondum natos, & seipsum, suosque filios jam in Ægypto degentes non potuit accersere in Ægyptum. His quinque demptis, deinde & Patre Jacob, qui seorsim à Stephano commemoratur, supersunt ex septuagenario Mosis numero sexaginta quatuor, nempe undecim fratres, una soror Dina, & quinquaginta-duo fratrum filii. Quibus si adjunxeris undecim fratrum undecim uxores, quas necessariò Joseph cum maritis accersivit, conflet numerus septuaginta-quinque animarum. Quod autem quidam objiciunt, decem filiorum Benjaminis, qui in numero quinquaginta-duo nepotum Jacob à Mose censentur vers. 21. aut nullos aut paucos tum temporis natos fuisse, eadem facilitate qua asseritur, negari potest: cùm ejus ætas omnes istos filios ferat. Joseph enim trigesimum annum attigerat, cùm primùm sisteretur Pharaoni, (Genes. 41. v. 46.) quod tempus inter & ingressum Jacob in Ægyptum, septem fertilitatis, & duo sterilitatis, anni intercesserunt (Genes. 45. v. 6.) quo tempore porro Joseph annum trigesimum nonum compleverat, potuit Benjamin triginta septem annos natus esse, qua ætate (præsertim ubi polygamiæ locus erat) non est mirum quod decem filiorum pater extiterit. Ex quibus omnibus colligi potest, nec textui Mosaico ex verbis Sancti Stephani, nec verbis Protomartyris ex textu Mosaico, mendum ullum adscribendum esse: cùm pro diverso instituto optimè ambo numeraverint, ille 70. hic 75. animas. Unde simul consequitur, Sanctum Stephanum ex 70. Interpretibus numerum illum non hausisse, sed Septuaginta Seniorum Versioni eo loco mendum inesse, quo septuaginta quinque animas domus Jacob cum eo in Ægyptum ingressas memorat.

III. Genesis 31. v. 7. Ubi Jacob conqueritur apud uxores suas quòd Laban pater earum mutaverit mercedem ipsius *decem vicibus*, secundùm Hebræum, & Vulgatam nostram: Septuaginta

A reddunt τῶν δέκα ἀμνῶν *decem agnis*. Videntur ipsi reddidisse δέκα μνῶν, *decem minis*; quasi sensus & mens Jacob esset, Laban sibi dedisse decem minas loco mercedis de qua inter ipsos convenerat. Sed Sciolus quidam hunc locum in vitio cubare arbitratus, ex μνῶν fecit ἀμνῶν, ex minis argenteis fecit agnos, quod merces de qua Jacob cum Laban convenerat, essent agni maculosi & nigri seu subrufi.

Genesis 15. v. 15. Vulgata nostra, secundùm Hebræum, Deum inducit sic Abraham compellantem: *Tu autem ibis ad Patres tuos in pace, se-*
B *pultus in senectute bona.* Sixtina Editio habet, τραφεὶς ἐν γήρει καλῷ, *nutritus in senecta bona.* Verterunt Septuaginta Interpretes ταφεὶς, id est, *sepultus*, ad sensum textus Hebræi, sed Scribarum oscitantia ταφεὶς, *sepultus*, in τραφεὶς, *nutritus*, mutatum est.

IV. Genesis 26. v. 32. Vulgata nostra vertit ex Hebræo: *Venerunt servi Isaac annuntiantes ei de puteo quem foderant, atque dicentes: Invenimus aquam.* Romana Septuaginta Interpretum Editio habet, οὐχ εὕρομεν ὕδωρ: *Non invenimus aquam.* Negationem, omiserunt proculdubio Sep-
C tuaginta Interpretes, sed scribarum hallucinatione irrepsit negatio. Quapropter Complutensis editio τῶν Septuaginta hoc in loco anteponenda est Romanæ, & secundùm eam negatio expungenda est: quo pacto Hebræus Textus, Septuaginta, Aquila, & Symmachus conveniunt, & cum illis omnibus Vulgata nostra consentiet. Sanè, delendam esse negationem, patet ex versu sequenti, quò secundùm Hebræum, Aquilam, Symmachum, & Vulgatam, dicitur Jacob vocasse puteum illum, *Saturitatem vel abundantiam.* Quod nomen optimè convenit cum versu antecedenti,
D si ita legatur, *Invenimus aquam*: non conveniret autem, si adjiceretur negatio, & legeretur, *Non invenimus aquam.* Antiqua tamen menda est: nam omnes Codices Græcos, Sanctum Chrysostomum Homilia 52. in Genesim, Sanctum Ambrosium libro de Isaac cap. 4. Sanctum Hieronymum in Traditionibus Hebraicis, negationem habere, & legere, *Non invenimus aquam*, notat Nobilius in Scholiis Editionis Romanæ. Sanctus Augustinus, Quæst. 78. in Genesim eodem modo legit: *Quanquam*, inquit, *alii Interpretes inventam potius aquam nunciasse dixerunt.*
E V. Josue X. Vulgata nostra ex Hebræo habet: *Qua cum audisset Adonisedec Rex Jerusalem.* Romana τῶν Septuaginta Editio habet, *Adonibesec.* Sed mendum manifestum est, nam Adonibesec non fuisse Regem Jerusalem, sed Bezec urbis Chananæorum constat ex capite primo libri Judicum. *Mendum igitur est in Græcis libris*, inquit doctissimus Masius, *sed ut videtur, olim admissum. Nam Eusebius quoque Adonibesec legit. Et verò sunt ejusmodi multa alia; præsertim quibus appellationes hominum, vel locorum propria sunt deformata, menda tam vetusta, ut nullius exemplaris antiquitate possint corrigi.* Legit tamen S. Augustinus Quæstione 15. in Josue, *Adonisedec.*

VI. Judicum 20. v. 15. Ubi Vulgata nostra habet ex Hebræo: *Divitias quas devoravit, evomet, & de ventre illius extrahet eas Deus.* Septuaginta vertunt: *Divitia iniquè congregata evomentur de domo ejus.* Sed mendum ibi est: credibilius est Septuaginta Interpretes vertisse, ἐκ κοιλίας αὐτοῦ: scribas verò sciolos mutasse κοιλίας in οἰκίας, & ex *ventre domum* fecisse.

VII. 1. Regum 27. versu 8. Romana 70. Interpretum Editio sic habet: *Et ecce terra habitabatur ab advenientibus, quæ à Gelampsur muratæ,*

&

*& usque ad terram Ægypti.* Ibi menda est ex inscitia scribarum profecta, qui ex duabus dictionibus Græcis unam fecerunt. Cùm enim legendum esset ἀπὸ γέλαμ ψοὺς ἀναδύνων, id est, *à sæculo euntibus Sur*; quæ lectio Hebræo respondet; scribæ cespitantes ex γέλαμ & ψοὺς, unicum vocabulum γελαμψοὺς compegerunt, quasi Gelampsue proprium loci alicujus nomen esset. Hebræi textus sensum assecutus est hoc in loco Vulgatus Interpres, cùm ita vertit: *Hi enim pagi habitabantur in terra antiquitus, euntibus Sur usque ad terram Ægypti.*

VIII. Psalmo 5. versu 9. ubi vertunt Septuaginta Interpretes, in Editione etiam Romana, *Dirige in conspectu tuo viam meam*, τὴν ὁδόν μου: legendum est, *Dirige in conspectu meo viam tuam*, secundùm textum Hebræum, qui sic habet: *Hajesar, Lephanai, Darchecha*: quod omnes Interpretes, scilicet ipsi Septuaginta, Aquila, Symmachus, & Theodotio voce simili transtulerunt: *Dirige in conspectu meo viam tuam*: ἐνώπιόν μου τὴν ὁδόν σου: secundùm illud quod in Oratione Dominica dicitur: *Sanctificetur nomen tuum: Non quòd nobis orantibus sanctificetur, quod per se sanctum est; sed quòd petamus, ut quod per naturam sui sanctum est, sanctificetur in nobis. Ergo & nunc Propheta postulat, ut via Domini, quæ per se recta est, etiam sibi recta fiat.* Denique sola communis editio, quæ innumeris scatebat erroribus, non verò sincera & incorrupta editio τῶν Septuaginta habebat: *Dirige in conspectu tuo viam meam.* Unde Vulgata nostra nec textui Hebræo, nec Septuaginta Interpretibus, nec Aquilæ, nec Symmacho, nec Theodotioni consona est. Romana itaque Septuaginta Editio, & Vulgata nostra, hoc in loco emendandæ sunt. Hujus adnotationis doctrinam Sancto Hieronymo debemus Epistola 135. ad Suniam & Fretelam.

IX. Psalmo 16. versu 2. Romana Septuaginta Interpretum Editio habet: *Oculi mei videant æquitates*, ὀφθαλμοί μου, sed legendum esse ὀφθαλμοί σου, id est, *oculi tui*, monet Sanctus Hieronymus loco mox laudato, meliúsque cum verbis antecedentibus hæc lectio cohæret, *De vultu tuo judicium meum prodeat: ut oculi Domini in Propheta recta operante, non prava, sed recta conspiciant.* Hanc lectionem juvant Psalterium Romanum, & Vulgata nostra, in quibus habetur: *Oculi tui videant æquitates.*

X. Psalmo 22. v. 5. Romana 70. Interpretum Editio vertit: *Calix tuus inebrians quam præclarus est.* τὸ ποτήριόν σου. At hunc errorem in Editione κοινῇ obtinuisse Sanctus Hieronymus Epistola 135. testatur. Cæterùm, & textum Hebraïcum, & Septuaginta, & omnes Interpretes habere: *Calix meus*: & Hebraïcè dici, *Chosi*: Si autem esset *Calix tuus*, diceretur *Chosecha.* Hanc lectionem juvant Versio Theodotionis, Quinta & Sexta Editio, Psalterium Æthiopicum, & Vulgata nostra. Menda tamen vetus est, *Calix tuus*, quam plerique libri Græci habent; Sanctus Cyprianus libro 2. Epistola 3. Psalterium Arabicum, Sanctus Augustinus, & Psalterium Romanum, ut notat Nobilius in Scholiis Editionis Romanæ.

XI. Romana Editio Psalmo 26. v. 6. habet; *Et nunc ecce exaltavit caput meum super inimicos meos.* Sed τὸ *ecce*, expungendum est ut superfluum, ut notat Sanctus Hieronymus Epistola 135. Hancque lectionem juvat Vulgata nostra.

XII. Psalmo 30. v. 6. Romana Septuaginta Interpretum Editio habet: *Quoniam tu es es protector meus, Domine.* Sed ista vox, *Domine*, addititia est, ut Sanctus Hieronymus docet Epistola 135. Hancque rejicit & Vulgata nostra.

XIII. Psalmo 44. v. 6. Romana Septuaginta Interpretum Editio habet: *Sagitta tuæ acutæ, Potentissime.* Sed postremam illam vocem additiam esse, & de superiori tertio versiculo, in quo habetur: *Accingere gladio tuo super femur tuum, Potentissime*, perperam huc translatam, Sanctus Hieronymus, docet Epistola 135. Abesse hanc vocem ab Eusebio, Nobilius notat, quæ nec in Vulgata nostra legitur.

XIV. Psalmo 47. vers. 5. Romana τῶν Septuaginta Editio habet: *Quoniam ecce Reges terræ congregati sunt.* Sed hanc vocem τῆς γῆς, *terræ*, expungendam esse, cùm nec in Septuaginta, nec in Hebræo habeatur, docet Sanctus Hieronymus Epistola 135. Expungenda videtur itaque è Vulgata nostra: quamquam huic Psalterium Æthiopicum, Sanctus Ambrosius, & Sanctus Augustinus suffragentur.

XV. Psalmo 58. v. 12. Romana τῶν Septuaginta Editio habet, *Ne quando obliviscantur legis tuæ*: τοῦ νόμου σοῦ: Sed legendum esse, τοῦ λαοῦ μου, *Populi mei*, Sanctus Hieronymus testatur, sicque se vertisse ait secundùm Septuaginta, & secundùm Hebræum, quanquam in Græco vulgari legeretur, τοῦ νόμου σοῦ, *legis tuæ.* Emendationem quam Sancto Hieronymo duce isto in loco Romanæ Editionis faciendam putamus, juvant Aquilæ & Theodotionis Versiones quæ reddunt, λαός μου, *populi mei*, ut & Vulgata nostra. Vetus tamen est menda, quæ omnes ferme Codices Græcos pervasit, & quæ jure antiquitatis quamdam obtinuisse videtur auctoritatem: siquidem apud Sanctos Hilarium & Augustinum, & in Psalterio Romano & veteri legitur, *Ne quando obliviscantur legis suæ*, ut notat Nobilius.

XVI. Psalmo 67. v. 25. Romana τῶν Septuaginta Editio habet, *Ingressus Dei mei, Regis qui est in Sancto.* Omissum est pronomen *mei*, quod nomini Regis adjungi debere notat Sanctus Hieronymus Epistola 135. & sic totum efferri versiculum: *Dei mei, Regis mei.* Repetitur namque, τὸ *mei, blandientis affectu: ut qui omnium Deus & Rex est, suus specialiter Deus fiat & Rex merito servitutis. In Hebræo scriptum habetur*, Eli Mulchi, *quod Deum meum, & Regem meum significat.*

In eodem Psalmo v. 33. Romana τῶν Septuaginta Editio vertit, *Psallite Deo, qui ascendit super cœlum cœli ad Orientem.* At ista verba, *Psallite Deo*, non haberi in libris authenticis docet Sanctus Hieronymus Epistola 135. additque: *Ergo & vos legite magis ea quæ vera sunt, ne, dum additum suscipitis, quod à Propheta dictum est, relinquatis.* Abesse illa verba à cæteris libris Græcis, notat etiam Nobilius, licet apud Sanctum Augustinum & Sanctum Hilarium, & in Psalterio veteri & Romano, in Vulgata denique, hæc additio legatur, cùm Ecclesiæ videbitur, expungenda.

XVII. In Romana Editione τῶν Septuaginta Psalm. 71. v. 18. legimus, *Benedictus Dominus Deus Israel.* Quo in versiculo omissum est scribarum incuriâ Dei nomen, quod bis repetendum est, & dicendum: *Benedictus Dominus Deus, Deus Israel*: nam & in textu Hebraïco, & apud Septuaginta sic habetur, & triplex hæc Domini, Dei, Deique nuncupatio, mysterium indicat Sanctissimæ Trinitatis (ut notat Sanctus Hieronymus Epistola 135.)

In eodem Psalmo v. 16. habet Editio Romana: *Et benedictum nomen gloriæ ejus in æternum &*

*& in sæculum sæculi.* At quatuor postrema verba nec in Hebraïco, nec apud Septuaginta inveniri, testatur Sanctus Hieronymus.

XVIII. Psalmo 72. v. 7. Romana Editio habet: *Prodibit quasi ex adipe iniquitas earum: ἐξελεύσεται*: sed legendum esse, *ἐξελεύσετο*, *prodiit*, & ita habere Septuaginta Interpretes, Sanctus Hieronymus testatur Epistola 135. hancque lectionem juvat Vulgata nostra.

In eodem v. 18. Romana Editio habet: *Ut annuntiem omnes laudes tuas*, cùm legendum sit, *omnes prædicationes tuas, aut promissa.* Id enim significat, *τὰ ἀπαγγέλματά σου*; quod à Septuaginta Interpretibus scriptum est, ut testatur Sanctus Hieronymus ibidem. Huic lectioni Vulgata nostra suffragatur.

XIX. Psalmo 73. v. 8. Romana Editio habet: *Huc quiescere faciamus solemnitates Domini à terra.* Menda ibi vetustissima est: legendum: *Incendamus omnes dies festos Dei à terra*, juxta Hebraïcam Veritatem. Aquila etiam & Symmachus verterunt: *Incenderunt omnes solemnitates Dei in terra.* Quod Septuaginta etiam Interpretes transtulisse, constat ex Hexaplis. Unde in eorum versione legebatur, *κατακαύσωμεν*, id est, *incendamus*: cujus loco scribæ dormitantes posuerunt, unius literæ mutatione, *καταπαύσωμεν*, id est, *quiescere faciamus.* Theodotion quoque vertit *ἐμπυρίσωμεν*, id est, *succendamus.* Huic lectioni Quinta quoque & Sexta Editio suffragantur. Hanc adnotationem Sancto etiam Hieronymo debemus Epistola 135. Quamquam verò has mendas noverimus, nobisque perspectum sit qua ratione plurima Scripturæ sacræ loca restituenda sint, id tamen auctoritate propria præstare non debemus: ne pro libito quisque suo Ecclesiasticam perturbet Versionem. Quæ regula generalis esto pro omnibus locis, quos in mendo jacere, sive in Editione Septuaginta Interpretum, sive in Vulgata Latina, vel hîc ostendimus, vel aliàs ostensuri sumus, cùm de Sancti Hieronymi Versione agetur. Cantemus igitur, *Quiescere faciamus omnes dies festos Dei à terra*, quamvis id Vulgata nostra præter Hebraïcum textum, necnon præter germanam Septuaginta interpretationem, cæterasque Versiones habeat: & eruditionis tamen gratiâ, hanc, aliasque similes mendas, earumque emendationem discamus, Sancti Hieronymi præclarum audientes præceptum Epistola 135. *Sic psallendum*, inquit, *ut nos interpretati sumus: & tamen sciendum quid Hebraica Veritas habeat. Hoc enim, quod Septuaginta Interpretes transtulerunt, propter vetustatem in Ecclesia decantandum est: & illud ab Eruditis sciendum, propter notitiam Scripturarum. Unde si quid pro studio ex latere additum est, non debet poni in corpore: ne priorem Translationem pro scribentium voluntate conturbet.*

XX. Psalmo 89. v. 2. Romana Septuaginta Interpretum Editio habet: *A sæculo & usque in sæculum tu es.* Deest ibi vox *Deus*, quam & 70. Interpretes, & Hebraïcam Veritatem habere, testatur Sanctus Hieronymus Epistola 135. quibus consonat Vulgata nostra. Græcos tamen Codices hanc vocem Θεὸς non habere, & cum iis convenire Sancto Augustino & Psalterio veteri & Romano, adnotat in Scholiis Nobilius.

XXI. Psalmo 118. v. 109. Romana Septuaginta Interpretum Editio sic vertit: *Anima mea in manibus tuis semper.* At ibi mendum est. *Nam & apud Hebræos, & apud Septuaginta, & apud omnes alios Interpretes scriptum est: In manibus meis; & non, In manibus tuis: & omnes apud Græcos Ecclesiastici Interpretes istum locum sic edisserunt: & est breviter hic sensus: Quotidie periclitor: & quasi in manibus meis sanguinem meum porto: & tamen legem tuam non obliviscor.* Hæc Sancti Hieronymi adnotatio est Epistolâ 135.

XXII. Psalmo 139. v. 2. Romana 70. Interpretum Editio habet, *Et dixi, Forsitan tenebræ conculcabunt me.* Cui consonat omnino Vulgata nostra. At utrobique mendum esse videtur. Verterant proculdubio Septuaginta *κατασκιάσει με*, id est, *Velo oppanso teget me*, quæ versio Hebraïco textui fideliter respondet. Librariorum autem oscitantiâ mutatum est *κατασκιάσει* in *καταπατήσει*, quod significat, *conculcabit.*

XXIII. Romana Septuaginta Editio Michææ 5. vers. 7. sic habet: *Et erunt reliquiæ Jacob in Gentibus, in medio populorum multorum, quasi ros à Domino cadens, & quasi agni super gramen, ὡς ἄρνες ἐπὶ ἄγρωστιν.* Ibi menda esse videtur. Septuaginta forsan scripserunt ὡς ῥανίς, hoc est ῥανίδες: *sicut stillæ.* Quæ versio Hebraïco textui apprimè respondet, secundùm quem Vulgata nostra reddit: *Quasi stillæ super herbam.* Sed imperiti Librarii ex ῥανίς, ἄρνες, ex stillis agnos fecerunt.

XXIV. Habacuch 2. vers. 5. Septuaginta Editio sic habet: *Qui autem arrogans est & contemptor, vir superbus nihil perducet ad finem.* Vulgata autem nostra secundùm textum Hebræum, sic habet: *Et quomodo vinum potantem decipit: sic erit vir superbus, & non decorabitur.* In Græco LXX. Interpretum legimus, ὁ δὲ κατοιόμενος καὶ καταφρονητής. Quod Sanctus Hieronymus Latinè reddidit, *Qui verò arrogans est & contemptor.* Quasi κατοιόμενος à verbo Græco οἴεσθαι, quod significat opinari, seu existimare, derivetur; atque ita κατοιόμενος sit ille qui multùm de se existimat, qui plurimùm sibi arrogat. Verùm nulla prorsus proferri possunt ex probis Authoribus exempla quibus ostendatur hanc esse istius vocis vim ac potestatem, aut eo in significatu fuisse vulgò apud Græcos usurpatam. Probabilius igitur est, hodierno in textu Septuaginta Interpretum, mendam esse jam ab antiquo, & ipsos scripsisse κατοινώμενος, id est, vino madidus, atque perfusus, seu temulentus: quo verbo vim Hebraïcæ vocis expresserunt: deinde verò à Librariis inscitè mutatum esse ablata litera ν in κατοιόμενος.

XXV. Oseæ 13. vers. 13. Romana Septuaginta Interpretum Editio sic habet: *Dolores quasi parturientis venient ei: Iste est filius tuus sapiens.* Secundùm Hebræum, & Vulgatam nostram, legendum est: *Ipse filius non sapiens.* Per Ironiam dictum putat à Septuaginta Sanctus Hieronymus: *Iste filius sapiens*, hoc est, *quem sapientem putabas, ut è contrario intelligatur insipiens.* Sed cur sapientissimi illi Interpretes Phrasim Hebræam simpliciter ac planè non reddidissent? Videtur planè mendum esse in hodierna Septuaginta Editione. Scripserant proculdubio οὗτος υἱὸς οὐ φρόνιμος, id est, *Ipse filius non sapiens*; in quo illis conveniebat cum Hebræo. Sed scribarum oscitantiâ facilè fuit mutatum in οὗτος ὁ υἱός σου ὁ φρόνιμος, id est, *Iste filius tuus sapiens.*

XXVI. Romana Septuaginta Interpretum Translatio Zachariæ 10. vers. 2. sic habet: *Ideo arefacti sunt sicut oves, ἐξηράνθησαν.* Vulgata nostra vim Hebraïcæ vocis meliùs assequitur, sensumque commodiorem reddit: *Idcirco*, inquit, *abducti sunt quasi grex.* Hoc est, quàm facilè grex ovium ab uno pascuo in aliud traducitur, & transfertur, tam facilè illi è patria sua in Babylonem

lonem propter sua peccata translati sunt. Mendum esse in hodierno textu τῶν LXX. suspicor, post Viros Eruditos. Videntur scilicet reddidisse, ἐξῇρθησαν ὡς πρόβατα, *translati sunt sicut oves.* A verbo ἐξαίρω, quod significat, *transferre & loco suo movere.* Sed Librariorum errore ἐξῇρθησαν in ἐξηράνθησαν, *translati*, in *arefacti*, mutatum est. Quanquam vetus est error: siquidem Sanctus Hieronymus hunc locum secundùm Septuaginta sic vertit: *Arefacti sunt sicut oves.* Qui tamen indicat quantùm à textu Hebraïco hæc interpretatio recedat; siquidem ita vertit ex Hebræo, *Adducti sunt quasi grex.*

XXVII. Malachiæ 2. vers. 15. Romana τῶν Septuaginta Editio sic habet: *Et nonne bonum fecit, & reliquiæ spiritus ejus?* Sanctus Hieronymus, Theodoretus, & Complutensis Editio aliter legunt, scilicet, *Et non alius fecit, & reliquiæ spiritus tui.* Mendum itaque ibi esse perspicuum est, & Septuaginta vertisse, καὶ οὐκ ἄλλος ἐποίησε, ex quo factum est, Librariorum hallucinatione, καὶ οὐ καλὸν ἐποίησε.

XXVIII. Rursus Zachariæ 14. vers. 5. Romana τῶν Septuaginta Editio habet: *Et adjungetur vallis montium usque Jasod.* Ibi mendum est, pro Ἰασὸδ legendum est Ἀσήλ. Sanctus enim Hieronymus ex Græco 70. reddidit *Asel*, idemque ex Hebræo Aquila & Theodotio verterunt.

XXIX. Habacuch 3. vers. 3. Romana Editio habet, *Et sanctus de monte Pharan, umbroso, condenso.* Ibi mendum esse constat ex Sancto Hieronymo, qui Græcam Septuaginta versionem sic Latinè reddidit: *Et sanctus de monte umbroso & condenso.* Ab aliis etiam libris ferè abesse τὸ Pharan, monet Nobilius. Videtur itaque illud Φαράν additiitium esse, & è margine irrepsisse in textum.

XXX. Isaïæ 27. vers. 1. Romana Editio habet, *Occidet Draconem.* Hæc lectio manca est, vertit enim Sanctus Hieronymus ex Græco τῶν 70. *Et occidet Draconem qui est in mari.* Cui consona est Complutensis Editio, quæ addit, ὁ ἐν θαλάσσῃ.

Ibidem vers. 2. Romana Editio habet: *Die illa vinea bona, desiderium cantare super eam.* Sanctus Hieronymus ex Græco Septuaginta Interpretum reddit, *Vinea bona desiderium ejus, ut Principi illius sit.* Videntur ergo scripsisse ἐξάρχειν, quod & plerique libri habent, teste Nobilio, ex quod factum est ἐξάρχειν.

Item Isaïæ 29. vers. 8. Romana Editio habet: *Et sicut qui in somno bibunt & comedunt.* Sanctus Hieronymus ex Græco Septuaginta vertit, *Eruntque sicut qui in somnis esuriunt & comedunt.* Quæ lectio & Hebræo magis convenit, & planiorem reddit apud Septuaginta sententiam. Sequitur enim: *Et sicut somniat, qui sitit, quasi bibens.* Itaque sicut potum in somnis cum siti, ita & cibum cum fame in somnis comparatunt. Mendum igitur ibi est. Scripserant Septuaginta, πεινῶντες, *esurientes.* Ex quo factum est πίνοντες, *bibentes.*

Item Isaïæ 42. vers. 1. Romana Editio habet: *Jacob puer meus, assumam eum: Israel electus meus: suscepit eum anima mea.* Voces illæ, *Jacob & Israël*, additiiæ sunt, nec videntur primitus fuisse apud Septuaginta: Unde Eusebius lib. 9. Demonstrationis Evangelicæ ait: *Apud Septuaginta obelo notatum est nomen Jacob & Israël, atque apud cæteros Interpretes silentio transmissum: nam neque in Hebraïco fertur.* Et libro 11. hunc locum sic laudat: *Ecce servus meus, suscipiam eum, electus meus.* Mendum tamen vetus est: siquidem Sanctus Hieronymus & *Jacob & Israel* in Græco textu Septuaginta Interpretum legit, & ex ea Versionis ipsorum ab Hebraïco diversitate ansam sumpsit commendandæ Translationis suæ, & deprimendæ Versionis τῶν Septuaginta, ut constat ex ejus Commentariis in hunc locum, & in Matth. 12. caput & Epistola 151. ad Algasiam, Quæstione 2.

XXXI. Jeremiæ 5. vers. 10. Romana τῶν Septuaginta Editio habet: *Relinquite sustentacula ejus, quia Domini sunt.* Ibi mendum est, ex Editione Complutensi corrigendum, quæ negationem habet, *Disperdetis sustentacula ejus, quia non sunt Domini.* Quomodo ferè Sanctus Hieronymus ex Hebræo vertit, nullam in Septuaginta indicans varietatem. Irrepsit tamen hoc mendum jam ab antiquo in Codices Græcos, siquidem & Vaticanus, & alii cum eo collati negationem omittunt, cum Theodoreto.

XXXII. Ezechielis 4. vers. 5. Romana Editio sic habet: *Et ego dedi tibi iniquitates eorum in numero dierum, nonaginta & centum dies*, id est, nonaginta & centum annos, secundùm illud quod sequitur: *Diem in annum posui tibi.* Mendum ibi est, & legendum est, *nonaginta & trecentos dies*, ut monet Sanctus Hieronymus in Commentario. *Satisque miror*, inquit, *cur Vulgata exemplaria centum nonaginta annos habeant, & in quibusdam scriptum sit, centum quinquaginta: cùm perspicuè & Hebraicum, & Aquila, Symmachusque & Theodotio, trecentos nonaginta annos teneant: & apud ipsos Septuaginta (qui tamen non sunt Scriptorum vitio depravati) idem numerus reperiatur.*

Longè plures mendæ in Romana Septuaginta Interpretum Editione adnotari possunt; sed has indicasse sufficit, ad veritatem, quam proposuimus, evincendam.

## SCHOLION I.

Religiosi Censores hanc Propositionem in Indiculo suo notarunt ex pag. 755. prioris Editionis: *Error in numeratione generationis Cainan, & alii in Scriptura a scribis Scriptis introducti.*

R. Primitivæ Ecclesiæ temporibus Cainanis generationem in Codicibus Græcis adscriptam non fuisse genealogiæ Christi apud *Sanctum Lucam*, probavi ex *Sancto Irenæo* & *Origene*, aliisque momentis. *Ex corrupta igitur jam Editione septuaginta, longo demum intervallo, Evangelio Lucæ à scribis exscriptoribus additum nomen Cainan verisimile est. Quæ scribarum vel negligentia vel temeritas, multas alias in sacris Codicibus varietates peperit.* Kei testem appello Origenem, harum, si quis unquam fuit, literarum peritissimum, Tractatu VIII. in *Sanctum Matthæum.* Cæterùm problematicam esse illam Quæstionem de *Cainan*, discere poterant Auctores Indiculi à *Jansenio*, *Cajetano*, *Cornelio a Lapide*, aliisque eruditis Scripturæ sacræ Interpretibus, qui omittendum *Cainan* censent, Hebraïcum Genesis & Paralipomenon Textum Paraphrasem Chaldaïcam, Josephum, *Sanctum Hieronymum*, pluresque alios Patres secuti.

## SCHOLION II.

Religiosi Censores hanc mihi Propositionem velut ex isto Articulo excerptam affingunt, & in Indiculo suo notant: *Nostra Vulgata emendanda ob errores quibus scatet.*

R., Verùm id non scripsi, neque pag. 761. prioris Editionis, quam notant, nec alibi. Observaveram autem ex *Sancto Hieronymo* in Epistola ad *Sunniam & Fretelam*, aliam esse Editionem Græcam Scripturæ, quam *Origenes & Eusebius*, omnésque Græciæ Tractatores κοινήν, hoc est, communem appellant atque vulgatam; aliam quæ in Hexaplis legebatur, & quam ipse *Sanctus Hieronymus* in Latinum sermonem vertit. Primam *corruptam*, secundam *incorruptam & immaculatam* vocat. De communi illa Editione Græca dixi, quod innumeris erroribus

ſcateret, non de Vulgata noſtra Latina. Quamquam ibi Romanam Editionem LXX. Interpretum, & Vulgatam noſtram ſingulari quodam loco emendandam dixerim: nimirum Pſalm. v. ubi ſecundùm incorruptam Editionem LXX Interpretum, & Hebraicam Veritatem, necnon ſecundùm Aquilæ, Symmachi, & Theodotionis Verſiones, legendum eſſe, *Dirige in conſpectu meo viam tuam*, Sanctus Hieronymus obſervat Epiſtola CXXXV. Ob illam obſervationem non magis ſum reprehendendus, quàm Sanctus Hieronymus, ex quo illam hauſi.

---

## QUÆSTIO II.

### De modo quo Septuaginta Verſionem ſuam adornarunt.

### ARTICULUS I.

*Utrùm Septuaginta Interpretes Tranſlationem ſuam in ſingulis incluſi cellulis ediderint?*

### PROPOSITIO.

*Septuaginta Interpretes Verſionem ſuam in ſingulis cellulis incluſos edidiſſe, probabilior eſt opinio, ſi Patres Eccleſiæ, & nobiles Judæorum Hiſtorici audiantur.*

PRobatur prima pars, primò ex Sancto Juſtino Martyre Oratione ad Gentes, ubi ait: *Illis extra urbem conſtitutis, primo quoque tempore ut interpretationem abſolverent, non in urbe ipſa, ſed ſeptem ab ea ſtadiis, ubi Pharos conſtructa eſt, pari cum Interpretibus numero, domunculas extrui cœpiſſe, ut ſigillatim quiſque pro ſe intepretationem perficeret: ea quoque cura iis, qui operam iis dare juſſi fuerant, mandata, ut omnibus quidem modis ipſis inſervirent: à congreſſu autem mutuo illos prohiberent, quo exquiſita interpretationis veritas ex ipſorum etiam ſenſu cognoſci poſſet. Et cognito Septuaginta iſtos viros, non ſolum eadem ſententia, verùmetiam iiſdem verbis in tranſlatione uſos, ac ne una quidem dictione alium ab alio diſſenſiſſe, admiratione attonitum* (Ptolomæum) *cum Interpretationem abſolutam eſſe divina virtute credentem; tum quovis honore dignos illos, ut Dei amantes & Deo charos viciſſim judicantem, cum muneribus multis in patriam ſuam redire juſſiſſe: ac libros, ut par erat, exoſculatum fuiſſe, & Deo conſecratos in Bibliotheca ſua repoſuiſſe.* Et mox ſubdit: *Hæc vobis, viri Græci! non ut fabulam, neque ut confictam hiſtoriam renuntiamus: Sed qui ipſi Alexandriæ fuerimus, & veſtigia domuncularum apud Pharum adhuc reliqua viderimus; & ab incolis, qui res patrias à majoribus per manus ſibi traditas acceperunt, audierimus, commemoramus, quæ ex aliis quoque intelligere poteſtis, & potiſſimum ex iis qui iſta Scriptis ſuis inſeruerunt, ſapientibus & ſpectatis viris, Philone, Joſepho, & aliis pluribus.*

Probatur ſecundò ex Sancto Irenæo lib. 3. adversùs Hæreſes, cap. 25. cujus verba ſic laudat Euſebius lib. 5. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap. 8. *Priùs quàm Romani Imperium ſuum confirmaſſent*, inquit, *cùm Macedones adhuc Aſiam obtinerent, Ptolomeus Lagi* * *filius Bibliothecam, quam Alexandriæ extruxerat, omnium gentium libris, quotquot lectu digni eſſent, exornare contendens, petiit ab Hieroſolymitanis, ut ipſorum Scripturas Græco ſermone interpretatas acciperet. At illi* (*erant enim tunc Macedonibus obnoxii*) *quos habebant Sacrarum Litterarum, & utriuſque linguæ peritiſſimos Septuaginta Seniores ad Ptolomeum miſerunt, ejus deſiderio ſatisfacturi. Ptolomæus, cùm ſingulorum ſeorſum periculum facere vellet, veritus ne fortè ex compacto veritatem Scripturæ interpretatione ſua occultarent, ſemotos ab invicem eandem omnes Scripturam interpretari juſſit: idque in omnibus præſtitit libris. Poſt hæc, cùm omnes ſimul conveniſſent apud Ptolomeum, ac verſiones ſuas inter ſe contuliſſent, & Deus glorificatus eſt, & Scripturas verè divinas eſſe compertum eſt. Quippe omnes cuncta à capite ad calcem iiſdem dictionibus ac vocabulis expreſſerant: adeo ut ipſi qui aderant Gentiles, afflatu divino converſas eſſe Scripturas cognoſcerent. Neque verò mirandum eſt id à Deo præſtitum fuiſſe, cùm in captivitate populi, quæ ſub Nabuchodonoſoro contigit, corruptis Scripturis, ac poſt Septuaginta demum annos regreſſis in patriam Judæis, Artaxerxis Perſarum Regis temporibus, Eſdram Sacerdotem de Tribu Levi afflatu ſuo Deus impulerit, ut omnes veterum Prophetarum libros denuo componeret, Legemque miniſterio Moyſis latam populo reſtitueret.*

Probatur tertiò ex Clemente Alexandrino lib. 1. Stromatum pag. 250. ubi eadem ferme habet quæ Sanctus Irenæus; ſed hæc maximè notanda ſunt, ut propiùs ad rem noſtram facientia: *Cùm autem unuſquiſque ſigillatim ex ſua propria interpretatus eſſet Prophetia, conſpirarunt omnes ſimul collata interpretationes & ſententiis & dictionibus. Dei enim inerat voluntas, quæ id ad Græcorum aures conſultò comparaverat. Neque verò ab inſpiratione Dei erat alienum, qui Prophetiam dederat, ut interpretationem quoque tanquam Græcam efficeret Prophetiam.*

Probatur quartò ex Tertulliano Apologetici cap. 18. *Sed ne notitia vacaret*, inquit, *hoc quoque Ptolomæo à Judæis ſubſcriptum eſt, LXX. Interpretibus indultis, quos Menedemus quoque Philoſophus providentiæ vindex de ſententiæ communione ſuſpexit.* Res porro non fuiſſet tanta admiratione digna eorum in eadem interpretatione ſumma conſenſio, ſi mutua & quotidiana collatione verſionem illam adornaſſent.

Probatur quintò ex Sancto Cyrillo Hieroſolymitano Catecheſi 4. ubi de Septuaginta Interpretibus ſic loquitur. *Et ut divinæ Legis eſſe hos libros experientia diſceret, & ne hi qui fuerant ad illum miſſi, mutuo conſpirarent, proſpiciens, in inſula Pharo ſingulis Interpretibus ſingulas domos diſtribuit; & unicuique ut ſeparatim omnes Scripturam interpretarentur, mandavit. Qui cùm ſeptuaginta duobus diebus negotium perfeciſſent, ſimul omnium interpretationes ex diverſis domibus prodeuntes protulerunt: collatas autem ſimul, non ſolùm in ſenſibus, verùmetiam in verbis conſonas invenit.*

Probatur ſextò ex Sancto Epiphanio, qui in eandem conſpirat ſententiam, niſi quòd binos in ſingulis cellulis incluſos fuiſſe tradit, libro de Ponderibus & Menſuris.

Probatur ſeptimò ex Sancto Auguſtino lib. 2. de Doctrina Chriſtiana, cap. 15. ubi de Scripturæ ſacræ Verſionibus agens ſic loquitur: *Latinis quibuſlibet emendandis Græci adhibeantur, in quibus LXX. Interpretum, quod ad Vetus Teſtamentum attinet, excellit auctoritas: qui jam per omnes peritiores Eccleſias tantâ præſentiâ Spiritus Sancti interpretati eſſe dicuntur, ut os unum tot hominum fuerit. Qui ſi* (*ut fertur, multique non indigni fide prædicant*) *ſinguli cellis etiam ſingulis ſeparati cùm interpretati eſſent, nihil in alicujus eorum codice inventum eſt, quod non iiſdem verbis, eodemque*

* Non Ptolomæus Lagi, ſed Philadelphus, Verſionem LXX. fieri curavit. Quamobrem S. Irenæus hic in nomine lapſus eſt. Niſi dixerimus illam ſub Ptolomæo Lagi filio inchoatam, ſub Ptolomæo verò Philadelpho perfectam: quod ex Anatolio confirmat doctiſſimus Valeſius in Notis ad Euſebium.

*eodemque verborum ordine inveniretur in cæteris: quis huic auctoritati conferre aliquid, nedum præferre audeat? Si autem contulerunt, ut una omnium communi tractatu judicioque vox fieret; nec sic quidem quemquam unum hominem, qualibet peritia, ad emendandum tot Seniorum Doctorumque consensum aspirare oportet, aut decet. Quamobrem etiamsi aliquid aliter in divinis Exemplaribus invenitur, quàm isti posuerint, cedendum esse arbitror divinæ dispensationi quæ per eos facta est: Ut libri quos Gens Judæa cæteris populis, vel religione, vel invidia prodere nolebat, credituris per Dominum Gentibus, ministra Regis Ptolomæi potestate, tantò ante proderentur. Itaque fieri potest ut sic illi interpretati sint, quemadmodum congruere Gentibus, ille qui eos regebat, & qui os unum omnibus fecerat, Spiritus Sanctus judicavit.*

Quod verò hic probabile asserit Sanctus Augustinus, constanter affirmat velut rem à majoribus traditam, libro 18. de Civitate Dei, cap. 42. *Traditur sanè*, inquit, *tam mirabilem ac stupendum, planèque divinum in eorum verbis fuisse consensum, ut cùm ad hoc opus separatim singuli sederint (ita enim eorum fidem Ptolomæo Regi placuit explorare) in nullo verò quod idem significaret, & tantumdem valeret, vel in verborum ordine alter ab altero discreparet: sed tanquam si unus esset Interpres, ita quod omnes interpretati sunt, unum erat: quoniam re vera Spiritus erat unus in omnibus. Et ideò tam mirabile Dei munus acceperunt, ut illarum Scripturarum, non tanquam humanarum; sed, sicut erant, tanquam divinarum, etiam isto modo commendaretur auctoritas, credituris quandoque Gentibus profutura, quod jam videmus effectum.*

Probatur secunda pars Propositionis ex Philone Judæo, libro de Vita Moysis, ubi de Septuaginta Interpretibus ita scribit: *In eo secessu cùm consedissent solitarii, nemine interveniente arbitro præter naturæ partes, terram, aquam, aërem, cælum, de quibus proximèædituri erant Mysteria (nam mundi opificium legum est exordium) tanquam Numine correpti prophetabant, non alia alii, sed omnes ad verbum eadem, quasi quodam suggerente, & interiùs dictante singulis invisibiliter.*

Ibidem testatur, ab eo tempore, ad suam usque ætatem, Judæorum, aliarumque Gentium, magnum quotannis ad Insulam Pharum concursum fieri, ut Translationis Septuaginta Interpretum memoriam celebrent, & pro ea Deo gratias agant. Quæ omnia Philonem non proprio marte finxisse, sed ex Gentis monumentis accepisse, verisimile est. Quapropter silentium hac de re Josephi inaniter objicitur.

Verùm (inquiet aliquis) Hac in re magis uni credendum est Aristeæ, quàm cæteris. Ille siquidem toti negotio præsens fuit, cùm à Ptolomæo Philadelpho ad Eleazarum Sacerdotem Legatum missus esset, ut Septuaginta Seniores, qui Legis divinæ interpretationi incumberent, ab eo obtineret. Hic autem in Epistola ad Philocratem fratrem, in qua totius rei gestæ seriem accuratissimè describit ad minimas usque circunstantias, testatur eos simul contulisse, & quotidie in Aulam ad invisendum Regem profectos. En ejus verba: *Post tres autem dies, quàm illa quæ exposuimus, sunt acta, Demetrius assumpsit ad se illos Viros, & in Insulam per aggerem maris septem stadiorum est progressus, ac trajecto Ponte, partes versus Septentrionem occupavit. Ibi congregatis illis Viris in domo splendidè extructa, juxta littus, & ab omni tumultu & strepitu remota, cùm ibi etiam adessent omnia quibus opus foret, hortabatur eos ad interpretationem Legis perficiendam. Illi autem rem aggressi, singula ex collationibus ad consonantiam elaborabant: & quod ita consonum & elaboratum erat, ut dignum esset descriptione, à Demetrio scripto excipiebatur. Ac quidem quotidie ad nonam usque horam in tali studio congregati erant. Deinde discedebant ad curandum corpus; quibus omnia largè suppeditabantur quæ cupiebant, & præterea hæc quotidie de illis quæ Regi apparabantur, & his Dorotheus ex mandato Regio subministrabat. Atque etiam quotidie bene mane veniebant in Aulam, & salutato Rege, redibant ad suum locum, lotisque manibus, pro communi omnium Judæorum more ex mari, & votis ad Deum peractis, pergebant legere, & singula interpretari.* Non igitur in singulis Cellulis inclusi, Versionem Scripturæ sacræ privatim ediderunt, sed mutua inter se collatione.

Confirmatur ex Sancto Hieronymo Præfatione in Pentateuchum dicente: *Nescio quis primus Auctor septuaginta Cellulas Alexandriæ mendacio suo extruxerit: quibus divisi eadem scriptitarint: cùm Aristæas ejusdem Ptolomæi ὑπερασπιστὴς, & multo post tempore Josephus, nihil tale retulerint; sed in una Basilica congregatos, contulisse scribant, non prophetasse. Aliud est enim Vatem, aliud est esse Interpretem: ibi Spiritus ventura prædicit: hic eruditio & verborum copia, ea quæ intelligit, transfert.*

Et Præfatione in libros Paralipomenon: *Si igitur aliis licuit non tenere quod semel susceperant; & post septuaginta Cellulas, quæ vulgò sine Auctore jactantur, singulas Cellulas aperuere, hocque in Ecclesiis legitur, quod Septuaginta nescierunt; cur me non suscipiant Latini mei, qui inviolata Editione veteri ita novam condidi, ut laborem meum Hebræis, &, quod his majus est, Apostolis auctoribus comprobem?* Septuaginta igitur Cellulæ, in quibus totidem Seniores Versionem suam seorsim ediderint, fictitiæ sunt.

Respondeo ad primum, nego majorem. In rebus enim quæ Christianam spectant Religionem, versionem Scripturarum, vel miracula quæ Deus in populi sui gratiam edidit, major adhibenda fides est Scriptoribus Ecclesiasticis, quàm profanis & Ethnicis, qui dæmonis instinctu veritatem sæpius vel adulterarunt, vel occultarunt, & miracula præsertim, quibus veram fidem confirmandam diabolus prævidebat. Istam regulam Tertulliani verbis confirmo libro de Præscriptionibus cap. 12. *Nobis*, inquit, *& si quærendum esset adhuc & semper, ubi tamen quæri oportet? Apud hæreticos,* (Dicamus nunc; apud Ethnicos) *ubi omnia extranea & adversaria nostræ veritati, ad quos vetamur accedere? Quis servus cibaria ab extraneo, ne dicam ab inimico domini sui sperat? Quis miles ab infœderatis, ne dicam hostibus Regibus, donativum & stipendium captat, nisi planè desertor, & transfuga, & rebellis? Etiam anus illa intra tectum suum drachmam requirebat: etiam pulsator ille vicini januam tundebat: etiam vidua illa non inimicum, licet durum, Judicem interpellabat. Nemo inde strui potest, unde destruitur. Nemo ab eo illuminatur, à quo contenebratur. Quæramus ergo in nostro, & à nostris, & de nostro.* Cùm itaque Sancti Patres testentur Septuaginta Interpretes seorsim singulis in Cellulis Versionem suam adornasse, id secundùm ipsos asserendum videtur, quamvis Aristeas asseruerit mutua illos collatione suam translationem edidisse.

Respondeo secundò, Librum illum Aristeæ à

Judæo quodam Alexandrino confictum esse, ut probat post Scaligerum Valesius in Notis ad Eusebium. Certè Epistola Demetrii Phalerei ad Ptolomæum Philadelphum, suam totiusque Operis falsitatem satis prodit. Falsitatis rationes profert vir eruditus, utique non spernendas. Prima est, quòd ea in Epistola Hecatæus Abderites laudetur, ejusque testimonium tanquam vetusti Scriptoris adducatur; cùm tamen constet Demetrio Phalereo antiquiorem non esse. Vixit enim Hecatæus ille sub Alexandri Magni Successoribus, ut Suidas, aliique testantur. Et Josephus libro primo contra Apionem, ait Hecatæum Abderitam cum Ptolomæo Lagi filio familiariter esse versatum: ex quo sequitur Hæcatæum & Demetrium Phalereum æquales fuisse. Secunda ratio falsitatis est, quòd Epistola illa Demetrii Phalerei, planè insulsa sit, & barbaris vocibus scatens; cùm tamen constet Demetrium, utpote Atheniensem, eloquentissimum fuisse. Tertia denique ratio falsitatis est, quòd Aristeas Heptastadii meminerit, quod tamen post Philadelphi tempora à Regibus Ægypti ædificatum est. Confictus autem fuit Aristeæ liber ante Josephi tempora, siquidem ipsum laudavit, ex eoque excerpsit plurima libro 12. Antiquitatum. Ex eo etiam plurima descripsit Eusebius libro 8. Præparationis Evangelicæ, cap. 2. 3. 4. 5. & 9.

Ad confirmationem respondeo, Sanctum Hieronymum in ea quidem fuisse sententia, sed nos ipsum summa cum veneratione hac in causa dimittere, ut cæteris Patribus adhæreamus. Ideo autem sententiam, quam propugnamus, Sanctus Hieronymus explosit, quia Septuaginta Interpretum Versionem deprimere data occasione solebat, ut suæ ex Hebræo Translationi auctoritatem conciliaret. Unde quia Versioni τῶν Septuaginta plurimùm accedebat auctoritatis, ex eo quòd singulis in Cellulis seorsim afflante Spiritu Sancto, consensione summa, Scripturæ sacræ unam interpretationem edidissent, Cellulas istas destruxit, personati potissimùm Aristeæ testimonio inductus.





# PANOPLIA
# ADVERSUS HÆRESES
# SECUNDI SÆCULI.

## DISSERTATIO XII.

Adversùs Helceseitas.

---

### ARTICULUS UNICUS.

*Quo refellitur ipsorum error de simulatione Religionis, & negatione Fidei.*

### PROPOSITIO.

*Fidem negare, & Religionem simulare quocumque in casu, & quovis prætextu illicitum est.*



D evincit Scripturæ sacræ authoritas, & oraculum Christi Matthæi 10. dicentis: *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere: sed potiùs timete eum qui potest & animam, & corpus perdere in gehennam.... Omnis ergo qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in cœlis est. Qui autem negaverit me coram hominibus, negabo & eum coram Patre meo, qui in cœlis est.* Et Lucæ 9. *Qui me erubuerit, & meos sermones; hunc Filius hominis erubescet cum venerit in majestate sua, & Patris, & Sanctorum Angelorum.*

Idem constat ex Apostolo ad Romanos 10. dicente: *Si confitearis in ore tuo Dominum Jesum, & in corde tuo credideris quod Deus illum suscitavit à mortuis, salvus eris. Corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.*

Secundò id probant testimonia Patrum, & Authorum Ecclesiasticorum locupletissima, quæ fidem faciunt à Christianis id unum Tyrannos postulasse ut Christum negarent; seque Christianos esse palam inficiarentur. Quod velut impium Fideles sunt execrati, mori potiùs quàm fidem negare, vel falsam religionem simulare eligentes. Quâ de re Tertullianus Apologetici cap. 2. præclarè scribit: *Itaque nec in illo ex forma malorum judicandorum agitis erga nos, quòd solis negantibus adhibetis tormenta ad confitendum, solis Christianis ad negandum; cùm si malum esset, nos quidem nega-*

A *remus; vos verò confiteri tormentis compelleretis.... Vociferatur homo, Christianus sum: quod est, dicit, tu vis audire quod non est. Veritatis extorquendæ Præsides de nobis solis mendacium elaboratis audire. Hoc sum*, inquit, *quod quæris an sim. Quid me torques in perversum? Confiteor, & torques: quid faceres si negarem? Plane aliis negantibus non facilè fidem accommodatis: nobis, si negaverimus statim creditis. Suspecta sit vobis ista perversitas, ne qua vis lateat in occulto, quæ vos adversùs formam, adversùs naturam judicandi, contra ipsas quoque leges ministret. Nisi enim fallor, leges malos erui jubent, non abscondi: Confessos damnari præscribunt,*
B *non absolvi: hoc Senatus-consulta, hoc Principum mandata definiunt. Hoc Imperium, cujus Ministri estis, civilis non tyrannica dominatio est. Apud Tyrannos enim tormenta etiam pro pœna adhibentur: apud vos soli quæstioni temperantur: vestram illis servate legem usque ad confessionem: si confessione præveniantur, vacabunt: sententia opus est: debito pœnæ nocens expungendus est, non eximendus: denique nemo illum gestit absolvere: non licet hoc velle: ideo nec cogitur quisquam negare. Christianum hominem omnium scelerum reum, Deorum, Imperatorum, legum, morum, naturæ totius inimicum existimas, & cogis*
C *negare ut absolvas; quem non poteris absolvere, nisi negaverit. Prævaricaris in leges: vis ergo neget se nocentem, ut eum facias innocentem. Et quidem invitum jam, nec de præterito reum. Unde ista perversitas? Ut etiam illud non recogitetis, sponte confesso magis credendum esse, quàm per vim neganti; vel ne compulsus negare, non ex fide negarit, & absolutus, ibidem post tribunal de vestra rideat æmulatione, iterum Christianus.*

Et libro de Idololatria, cap. 14. Ne festa quidem Ethnicorum à Christianis citra impietatem, observari posse ait. Ubi loquens de Apostoli institutione
D & doctrina, hæc habet: *Sed etsi non prohibet nos conversari cum Idololatris, & adulteris, & cæteris criminosis, dicens: Cæterùm de mundo exiretis: non utique eas habenas conversationis immittat, ut quoniam necesse sit & convivere nos, & commisceri cum peccatoribus, idem & compeccare possimus. Ibi est commercium vitæ, quod Apostolus concedit sibi peccare, quod nemo permittit. Licet convivere cum Ethnicis, commori non licet. Convivamus cum omnibus: collætemur ex communione naturæ, non superstitionis. Pares animâ sumus, non disciplinâ: compossessores mundi, non erroris.*

Et libro de Pœnitentia, cap. 5. *Sed aiunt quidam, satis Deum habere, si corde & animo suspiciatur, licet actu minùs fiat. Itaque se salvo metu & fide peccare: hoc est, salva castitate matrimonia violare, salva pietate parenti venenum temperare. Sic ergo & ipsi salva venia in gehennam detrudentur, dum salvo metu peccant.*

Eundem errorem confodit Sanctus Augustinus lib. de Fide & Symbolo cap. 1. dicens: *Salvi esse non possumus, nisi ad proximorum salutem nitentes, fidem ore profiteamur, quam etiam corde gestamus.*

Idem error profligatur ex sanctissima Ecclesiæ disciplina, quæ ignavos Christianos, qui libellos à Judicibus ethnicis numeratâ pecuniâ obtinuerant, ne ob Fidei Christianæ professionem in judicium vocarentur, severissimæ Pœnitentiæ addixit. De quibus Sanctus Cyprianus in Tractatu de Lapsis, ait: *Nec sibi quo minùs agant Pœnitentiam, blandiantur, qui etsi nefandis Sacrificiis manus non contaminaverunt, libellis tamen conscientiam polluerunt. Et illa professio denegantis, contestatio est Christiani, quod fuerat abnegantis: fecisse se dicit, quicquid alius faciendo commisit. Christus in Præceptis suis dicit: Qui confusus me fuerit, confundetur eum Filius hominis. Et Christianum se putat, qui Christianus esse confunditur, aut veretur? Quomodo potest esse cum Christo, qui ad Christum pertinere aut erubescit, aut metuit? Minùs planè peccaverit, non videndo Idola, nec sub oculis circumstantis atque insultantis populi sanctitatem fidei profanando, non polluendo manus suas funestis Sacrificiis, nec sceleratis cibis ora maculando. Hoc eò proficit ut sit minor culpa, non ut innocens conscientia. Faciliùs potest ad veniam criminis pervenire, non est tamen immunis à crimine. Nec cesset in agenda Pœnitentia, atque in Domini misericordia deprecanda: ne quod minus esse in qualitate delicti videtur, in neglecta satisfactione cumuletur.*

Sed adversùs hunc errorem nihil luculentius Tertulliani testimonio Apologetici cap. 27. *Igitur*, inquit, *provocati ad sacrificandum, obstruimus gradum, pro fide conscientia nostra, quâ certi sumus ad quos ista perveniant officia, sub imaginum prostitutione, & humanorum nominum consecratione. Sed quidam dementiam existimant, quòd cùm possimus & sacrificare in præsenti, & illæsi abire, manente apud animum proposito, obstinationem saluti præferamus. Datis scilicet consilium quo vobis abutamur: sed agnoscimus unde talia suggerantur, quis totum hoc agitet, & quomodo nunc astutia suadendi, nunc duritia sæviendi, ad constantiam nostram dejiciendum operetur. Ille scilicet Spiritus angelicæ & dæmoniacæ paraturæ, qui noster ob divortium æmulus, & ob Dei gratiam invidus, de mentibus vestris adversùs nos præliatur.*

Denique Sanctus Augustinus redivivum in Priscillianistis veterum illorum Hæreticorum errorem confutavit, libro contra Mendacium, ad Consentium, cap. 2. Contendebant Priscillianistæ, etiam in professione religionis, corde retinendam esse veritatem, ore autem ad alienos falsum proferri posse citra peccatum: & hunc esse hujus versiculi sensum Psalmi 14. *Qui loquitur veritatem in corde suo*: quasi satis esset ad justitiam, coram proximis non mentiri; coram alienis verò hoc liceret. In hunc etiam tam pravum sensum Apostoli verba detorquebant ad Ephesios 4. *Deponentes mendacium, loquimini veritatem, unusquisque cum proximo suo, quoniam sumus invicem membra.* Hanc autem hæresim sic refellit sanctus Augustinus: *Quæ sententia Sanctos Martyres exhonorat, imò verò aufert Sancta omnino Martyria. Justiùs enim, sapientiùsque facerent, secundùm istos, si persecutoribus suis non* A *se confiterentur esse Christianos, nec eos sua confessione facerent homicidas: sed potiùs mentiendo, & negando quod erant, & ipsi salvum haberent carnis commodum, cordisque propositum: & illos conceptum animo scelus implere non sinerent. Non enim proximi eorum erant in fide Christiana, ut cum eis deberent loqui veritatem in ore suo, quam loquebantur in corde suo, sed ipsius veritatis insuper inimici. Si enim Jehu, quem sibi inter cæteros ad exemplum mentiendi prudenter videntur intueri, servum Baal se esse mentitus est, ut servos ejus occideret: quantò justiùs, secundùm istorum perversitatem, tempore per*B*secutionis servos dæmonum se mentirentur servi Christi, ne servi dæmonum servos occiderent Christi: & sacrificarent Idolis ne interficerentur homines, si sacrificavit ille Baali ut interficeret homines? Quid enim eis obesset, secundùm egregiam doctrinam mendaciloquorum, si diaboli cultum mentirentur in corpore, quando Dei cultus servabatur in corde? Sed non sic intellexerunt Apostolum Martyres veri, Martyres sancti. Viderunt quippe, tenueruntque quod scriptum est: Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Et in ore eorum non est inventum mendacium.*

C Objicitur primò in gratiam Helcesaitarum. Jehu Rex Israël simulavit se cultorem esse Baal, dicens: *Achab coluit Baal parùm, ego autem colam eum ampliùs. Nunc igitur omnes Prophetas Baal, & universos servos ejus, & cunctos Sacerdotes ipsius vocate ad me: nullus sit qui non veniat. Sacrificium enim grande est mihi Baal: quicumque defuerit, non vivet. Porro Jehu faciebat hoc insidiosè ut disperderet cultores Baal.* (inquit Scriptura sacra, 4. Reg. 10. capite.) Atqui Jehu propter hoc opus remuneratus à Deo est, qui firmavit thronum Israël filiis ejus usque ad quartam generationem (ut ibi-D-dem habetur.) Licitum igitur est Religionem exteriùs simulare, aut fidem negare, modo corde retineatur.

Respondeo, distinguo minorem: Jehu propter hoc opus à Deo remuneratus est, id est, propter deletam domum Achab, juxta Dei mandatum, concedo: Id est, propter mendacium & simulationem falsæ Religionis, nego. Id significat Scriptura, cùm Dominum sic Jehu perhibet allocutum: *Quia studiosè egisti quod rectum erat & placebat in oculis meis, & omnia quæ erant in corde meo fe*E*cisti contra domum Achab: Filii tui usque ad quartam generationem sedebunt super thronum Israël.* Cæterùm simulationem Jehu tantùm abest ut probet sacra Scriptura, quin potiùs ipsum impietatis notâ ibidem inurit. *Delevit itaque Jehu Baal de Israël. Verumtamen à peccatis Jeroboam filii Nabat, qui peccare fecit Israël, non recessit, nec dereliquit vitulos aureos, qui erant in Bethel, & in Dan.* Et infrà: *Porro Jehu non custodivit ut ambularet in lege Domini Dei Israël in toto corde suo: Non enim recessit à peccatis Jeroboam, qui peccare fecerat Israël.* Ista responsio est Sancti Augustini lib. contra Mendacium, cap. 2. dicentis: *Illum verò Jehu menda*F*cio impio, & sacrificio sacrilego occidendos impios & sacrilegos inquirentem non imitarentur, nec si de illo qualis fuisset, eadem Scriptura tacuisset. Cùm verò scriptum sit, Eum rectum cor non habuisse cum Deo; quid ei profuit quod pro nonnulla obedientia, quam de domo Achab omnino delenda, pro cupiditate suæ dominationis exhibuit, aliquantam mercedem transitoriam regni temporalis accepit?*

Objicitur Secundò. Elisæus concessit Naaman Principi militiæ Regis Syriæ, ut Rege adorante in templo Remmon, & ipse cum eo adoraret in eodem loco: atqui hæc erat religionis falsæ aperta simulatio: itaque simulatio religionis licita est.

4. Reg. 5. Probatur Major ex verbis Naaman ad Elisæum, & ex Prophetæ responsione. *Hoc autem solum est*, inquit Naaman, *de quo depreceris Dominum pro servo tuo : Quando ingredietur Dominus meus templum Remmon, ut adoret, & illo innitente super manum meam, si adoravero in templo Remmon, adorante eo in eodem loco ; ut ignoscat mihi Dominus servo tuo pro hac re.* Dixi autem ei Elisæus : *Vade in pace.*

Respondeo, distinguo majorem : Et ibi nomen adorationis impropriè sumitur, pro corporis incurvatione, concedo ; & ibi sumitur vox adorationis pro cultu soli Deo vero exhibito, nego. Naaman itaque non postulavit ab Elisæo facultatem adorandi idolum Remmon, sed munus duntaxat suum gerendi in templo Remmon, sicut alibi gerebat, sustentando scilicet Benadab coram idolo procumbentem, & inclinandi corpus, aut procumbendi, cùm Rex procubuisset. Hoc autem obsequium non erat simulatio falsæ Religionis, cum idolo nullatenus deferretur, sed Regi. Simulatio autem fuisset, aut aperta professio cultus Remmon, si gessisset aliquid Naaman quod proximè ad sacrificium falso Numini oblatum pertineret, vel ad impios falsæ Religionis ritus, ut si vinum sacrificanti Regi porrexisset : si verbum aliquod sacrilegis sacrificiis necessarium protulisset ; aut similem aliquam contulisset operam ; ut colligitur ex Tertulliano lib. de Idololatria, cap. 17. dicente : *Cæterùm quid facient servi, vel liberti Fideles ? Item Officiales sacrificantibus dominis, vel patronis, vel Præsidibus adhærentes ? Sed si merum quis sacrificanti tradiderit, immò si verbo quoque aliquo sacrificio necessario adjuverit, minister habebitur idololatriæ. Hujus regulæ memores, officium etiam Magistratibus, & Potestatibus possumus reddere secundùm Patriarchas, & cæteros Majores, qui Regibus idololatris usque ad finem idololatriæ apparuerunt.* Porro nulla esse poterat suspicio de Naaman, quòd idolum Remmon adoraret, etiamsi genu flecteret cum Benadab in templo Remmon : quia Judæorum Religionem palam profitebatur, sicut antea contestatus fuerat Elisæo, auferens onus duorum burdonum de terra Israël, ut ædificaret altare Deo vero, & ipsum unicè coleret. *Concede mihi servo tuo*, inquit, *ut tollam onus duorum burdonum de terra : non enim faciet ultra servus tuus holocaustum, aut victimam Diis alienis, nisi Domino.*

Contrà. Naaman non rogasset Elisæum ut veniam postularet à Deo pro opere, quod sine ullo prorsus peccato potuisset exerceri : atqui si illa adoratio in templo Remmon fuisset merum obsequium exhibitum Regi Syriæ, sine ullo prorsus peccato potuisset exerceri ; non igitur postulasset Naaman ab Elisæo ut veniam rogaret à Deo pro illa adoratione in templo Remmon.

Respondeo, Hoc argumentum concludere quod peccaverit Naaman, adeoque non favere Helcesaitis. Sed quia ipsum à sacrilega simulatione vindicamus, dicendum est ad majorem : Ipsum nondum satis in Moralibus eruditum, & scrupulis agitatum, quod Neophytis facilè contingit, veniam postulasse facinoris de quo timebat ne Deo displiceret. Cæterùm Elisæus ostendit illud opus citra peccatum exerceri posse, cùm scrupulo ipsum exemit, his verbis, *Vade in pace.* Et certè licitum id fuisse Naamæ non solùm Elisæus, sanctus, eruditus, & divinæ legis studiosus, si quis unquam extitit, director persuadet : sed etiam Tertullianus, cùm hanc regulam Moralis Christianæ statuit lib. de Idololatria cap. 16. *Malus circumdedit sæculum idololatria ; licebit adesse in quibusdam quæ nos homini, non idolo officiosos habent. Planè ad Sacerdotium, & Sacrificium vocatus, non ibo, proprium enim idoli officium est : sed neque consilio, neque sumptu, aliâve operâ, in ejusmodi fungar. Si propter Sacrificium vocatus adsistam, ero particeps idololatriæ : si me alia causa conjungit sacrificanti, ero tantum spectator Sacrificii.* Cum itaque alia causa à Sacrificio conjungeret Naaman Regi Syriæ domino suo, idolo Remmon sacrificanti, illudque adoranti, non erat particeps idololatriæ, sed tantùm spectator.

# DISSERTATIO XIII.

## Adversùs Gnosticos.

---

### ARTICULUS UNICUS.

*Quo Martyrii necessitas, & sanctitas adversùs ipsos vindicatur.*

ERRОREM Gnosticorum Martyrium contemnentium atque damnantium refellit Clemens Alexandrinus lib. 4. Stromatum pag. 250. ubi de perfecto Gnostico, id est, Christiano, quem Gnosticis Hæreticis opponit, sic loquitur : *Is verò feret testimonium, sibi quidem quòd sit in Deum sincerus, & germanus Fidelis : Tentatori autem quòd frustra sit æmulatione percitus in eum, qui est fidelis, per dilectionem. Domino autem, quòd à Deo sit inspirata doctrinæ persuasio, à qua non deficit metu mortis : quin etiam facto confirmat veritatem prædicationis, potentem eum esse ostendens ad quem contendit. Miraris autem ejus dilectionem, quam docet evidenter, ei quod est cognatum, & unius generis, grato animo unitus ; quin etiam pretioso sanguine infideles pudore afficient. Is ergo metu, propter præceptum, declinat Christum negare, ut metu fiat testis. Sed neque propter spem donorum paratorum fidem vendens : sed propter suam in Dominum dilectionem, lubentissimè ab hac vita liberabitur ; habens fortasse gratiam & ei qui causam præbuit ut hinc exiret, & ei qui molitus est insidias : quia ita honestam accepit occasionem, quam ipse non præbuit, seipsum ostendendi quisnam sit, illi quidem per tolerantiam, Domino vero per charitatem .... Jam consummationem vocamus Martyrium : non quòd vitæ finem homo acceperit, ut cæteri, sed quòd perfectum opus ostenderit charitatis.*

Et pag. 358. *Qui mentitus est*, inquit, *& seipsum ostendit infidelem, & ad diaboli transfugit exercitum, in quanto eum malo versari credimus ? Mentitur itaque Domino, vel potiùs spei suæ mentitur, eamque frustratur, qui Deo non credit. Non credit autem, qui non facit ea quæ mandaverat. Quid verò ? An non seipsum negat, qui negat Dominum ? Domino enim non aufert Dominium, qui se ea, quæ cum illo intercedit, privat necessitudine. Qui negat ergo Servatorem, negat vitam, quoniam lux erat vita. Eos quidem non dicit esse modicæ Fidei, qui nominis quidem suscipiunt inscriptionem, Fideles autem sese abnegant... Atqui si vel pro proximo moriaris, propter charitatem existimes Servatorem nostrum esse propinquum : mortem eligens propter vitam, & propter teipsum potiùs, quàm propter illum patiens. Et numquid propterea dictus est frater, qui passus propter suam suam in Deum dilectionem, passus propter propriam salutem, & qui rursus moritur propter propriam salutem, sustinet propter dilectionem Domini ? Etenim ipse, cum esset vita, propter nos pati voluit, ut ejus passione viveremus.*

Et pag. 359. *Vides per dilectionem doceri Martyrium. Quòd si velis Martyr esse, & testimonium ferre propter bonorum remunerationem, rursus audies : Spe*

*enim salvi facti sumus. Spes autem qua videtur, non est spes. Quod enim videt quis, quid sperat? Si autem quod non videmus, speramus, per patientiam expectamus: Sed etsi patimur propter justitiam* (*inquit Petrus*) *beati.*

Eundem refellit errorem Tertullianus toto libro qui inscribitur, *Scorpiacum adversùs Gnosticos.* Et primò quidem, ut Martyrii subeundi necessitatem probet divina auctoritate atque præcepto, idololatriam nedum à Deo prohibitam, sed à Deo vindice severissimè punitam ostendit, cap. 2. & 3. & inde colligit, necessarium esse Martyrium Christianis. Enimvero si divina mandata de non colendis idolis observando vim patimur, intelligimus perpessionem Martyrii esse à Deo præceptam, ne idola colamus. *Si enim*, inquit Tertullianus cap. 4. *Præceptum observatum vim patitur, hoc erit quodammodo observandi præceptum, ut id patiar, per quod potero observare præceptum: vim scilicet, quæcumque mihi imminet caventi ab idololatria. Et utique qui imponit præceptum, extorquet obsequium. Non potuit ergo noluisse ea evenire, per quæ constabit obsequium. Præscribitur mihi, ne quem alium Deum dicam, ne vel dicendo, non minùs linguâ quam manu Deum fingam: ne quem alium adorem, aut quoquomodo venerer præter unicum illum: qui ita mandat: quem & jubeor timere, ne ab eo deserar; & de omni substantia diligere, ut pro eo moriar. Huic sacramento militans, ab hostibus provocor. Par sum illis, si illis manus dedero. Hoc defendendo, depugno in acie, vulneror, concidor, occidor: quis hunc militi suo exitum voluit, nisi qui tali eum sacramento consignavit?*

Id probat subinde Tertullianus exemplis Martyriorum in veteri lege præmissis: *A primordio*, inquit, *justitia vim patitur. Statim ut coli Deus cœpit, invidiam Religio sortita est. Qui Deo placuerat, occiditur, & quidem à fratre, quò proclivius impietas alienum sanguinem sectaretur, à suo auspicata est. Denique non modò Justorum; verùmetiam & Prophetarum. David exagitatur, Elias fugatur, Jeremias lapidatur, Esaias secatur, Zacharias inter altare & ædem trucidatur, perennes cruoris sui maculas silicibus assignans. Ipse clausula Legis, & Prophetarum; nec Prophetes, sed Angelus dictus, contumeliosa cæde truncatur, in puella psaltriæ lucar. Et utique qui Spiritu Dei agebantur, ab ipso in Martyria dirigebantur, ut & jam patiendo quæ & prædicassent. Proinde & trina Fraternitas, cum dedicatio imaginis regiæ urbem urgeret officio, non ignoraverunt quid fides, quæ sola in illis captiva non fuerat, exigeret, moriendum scilicet adversùs Idololatriam .... Talia à primordio & præcepta, & exempla, debitricem Martyris fidem ostendunt.*

Idem probat Tertullianus ex Præceptis Christi in Novo Testamento, & ex præmiis quæ Fidelibus suis persecutionem passis repromisit: Matthæi 5. *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum. Beati estis, cùm maledixerint vobis, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum adversùs vos, mentientes, propter me: gaudete; & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis. Sic enim persecuti sunt Prophetas qui fuerunt ante vos.* Quæ verba Tertullianus expendens, ait: *Quamquam etsi omnem hanc persecutionem conditionalem in solos tunc Apostolos destinasset, utique per illos cum toto Sacramento, cum propagine nominis, cum traduce Spiritus Sancti, in nos quoque spectasset etiam persecutionis obeundæ Disciplina, ut in hæreditarios Discipulos, & Apostolici seminis frutices.* Hæc ille, cap. 9. Scorpiaci.

Ad idem institutum ibidem urget insignes Christi sententias, Matthæi 10. *Tradent enim vos in Conciliis, & in Synagogis suis flagellabunt vos, & ad Præsides, & ad Reges ducemini propter me in testimonium illis, & Gentibus*, &c. *Nolite timere eos qui occidunt corpus*, &c. *Omnis ergo, qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo*, &c. Quam confessionem in cælis duntaxat fieri debere, Valentinus stultissimè commentus est, ut Tertullianus probat cap. 9.

Idem probat ex Epistolis Sancti Petri, Sancti Joannis, & ex ejus Apocalypsi; & illius firmitatem argumenti commendans, præmittit: *Quis nunc medullas Scripturarum magis noscet, quàm ipsa Christi Schola? Quos & sibi Discipulos Dominus adoptavit, omnia utique edocendos, & nobis Magistros adornavit, omnia utique docturos.* Deinde ad commendandum Martyrium laudat illa verba 1. Sancti Petri Epistolæ cap. 4. *Communicantes Christi passionibus, gaudete, ut in revelatione gloriæ ejus gaudeatis exultantes. Si exprobramini in nomine Christi, beati eritis: quoniam quod est honoris, gloriæ, & virtutis Dei, & qui est ejus Spiritus, super vos requiescit. Nemo autem vestrûm patiatur ut homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor. Si autem ut Christianus, non erubescat: glorificet autem Deum in isto nomine.*

Et 1. Joannis 3. *In hoc cognovimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit: & nos debemus pro fratribus animas ponere. QUOD si pro fratribus* (inquit Tertullianus) *quantò magis pro Domino moriendum docet?*

Et Apocalypsis 2. *Nihil horum timeas quæ passurus es. Ecce missurus est diabolus aliquos ex vobis in carcerem, ut tentemini, & habebitis tribulationem diebus decem. Esto fidelis usque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.* Et cap. 7. *Hi sunt qui venerunt de tribulatione magna, & laverunt stolas suas, & dealbaverunt eas in sanguine Agni. Ideo sunt ante thronum Dei.* Ubi stolarum nomine corpora intelliguntur. *Vestitus enim animæ, caro*, inquit Tertullianus. *Sordes quidem Baptismate abluuntur, maculæ verò Martyrio candidantur.*

Idem probat Tertullianus cap. 10. ex multis Sancti Pauli locis, II. ad Thessalonicenses 1. *Ita ut & nos ipsi in vobis gloriemur in Ecclesiis Dei, pro patientia vestra & fide, & in omnibus persecutionibus vestris, & tribulationibus quas sustinetis in exemplum justi judicii Dei, ut digni habeamini in regno Dei, pro quo & patimini.* Et ad Romanos 5. *Gloriamur in tribulationibus: scientes quod tribulatio patientiam operatur: patientia autem probationem, probatio verò spem, spes autem non confundit.* Et cap. 8. *Quis ergo separabit nos à Charitate Christi? Tribulatio? An angustia? An fames? An nuditas? An periculum? An persecutio? An gladius? Sicut scriptum est: Quia propter te mortificamur tota die, æstimati sumus sicut oves occisionis. Sed in his omnibus superamus propter eum qui dilexit nos. Certus sum enim quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque Virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei.* Et 2. ad Corinthios, 4. *In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur: aporiamur, sed non destituimur: persecutionem patimur, sed non derelinquimur: dejicimur, sed non perimus: semper mortificationem Jesu in corpore nostro circumferentes .... Semper enim nos qui vivimus, in mortem tradimur propter Jesum: ut & vita Jesu manifestetur in carne nostra mortali .... Quod in præsenti est momentaneum & leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis, non contemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia sunt: quæ autem non videntur, æterna.* Laudat & alia loca

ibidem

ibidem Tertullianus. Denique cap. 15. ex Martyriis Apostolorum Petri, Pauli, Jacobi, & Sancti Stephani Martyrum Principis, eandem Martyrii pro Christo subeundi legem confirmat. *Hæc ubicumque jam legero*, inquit, *pati disco: nec mea interest quos sequar Martyrii Magistros: sensusne, an exitus Apostolorum; nisi quod & sensus in exitibus recognosco. Nihil enim passi fuissent, quod non prius patiendum esse sensissent.*

Martyrium commendat etiam Tertullianus Apologetici cap. 50. elegantibus omnino verbis: *Planè volumus pati*, inquit, *verùm eo more, quo & bellum nemo quidem libens patitur, cùm & trepidare, & periclitari sit necesse: tamen & præliatur omnibus viribus, & vincens in prælio gaudet, qui de prælio querebatur, quia & gloriam consequitur, & prædam. Prælium est nobis, quod provocamur ad Tribunalia, ut illic sub discrimine capitis pro veritate certemus. Victoria est autem, pro quo certaveris, obtinere. Ea victoria habet & gloriam placendi Deo, & prædam vivendi in æternum. . . . Ergo vincimus, cùm occidimur. Licet nunc sarmentitios, & semaxios appelletis, quia ad stipitem dimidii axis revincti, sarmentorum ambitu exurimur. Hic est habitus victoriæ nostræ: hæc palmata vestis. Tali curru triumphamus: meritò itaque victis non placemus.* Et infrà: *Nec quicquam tamen proficit exquisitior quæque crudelitas vestra, illecebra est magis sectæ. Plures efficimur, quoties metimur à vobis: Semen est sanguis Christianorum . . . . Illa obstinatio, quam exprobratis, Magistra est. Quis enim non contemplatione ejus concutitur ad requirendum quid intus in re sit? Quis non ubi requisivit, accedit? Ubi accessit, pati exoptat, ut Dei totam gratiam redimat, ut omnem veniam ab eo compensatione sanguinis sui expediat? Omnia enim huic operi delicta donantur. Inde est quòd ibidem sententiis vestris gratias agimus. . . . Cum damnamur à vobis, à Deo absolvimur.*

Idem præstitit Tertullianus in libro ad Martyres. Nam cap. 2. carceris pœnam, quæ Martyrii inchoatio erat, Christianis utilissimam esse ostendit. *Si enim*, inquit, *recogitemus ipsum magis mundum carcerem esse, exisse vos è carcere, quam in carcerem introisse intelligimus. Majores tenebras habet mundus, quæ hominum præcordia excæcant. Graviores catenas induit mundus, quæ ipsas animas hominum constringunt. Pejores immunditias expirat mundus, libidines hominum. Plures postremò reos mundus continet, universum hominum genus. Judicia denique non Proconsulis, sed Dei sustinet. Quo vos, Benedicti, de carcere in custodiarium si forte translatos existimetis. Habet tenebras, sed lumen estis ipsi. Habet vincula, sed vos soluti Deo estis. Triste illic expirat, sed vos odor estis suavitatis. Judex expectatur, sed vos estis de ipsis Judicibus judicaturi. Contristetur illic qui fructum sæculi suspirat. Christianus etiam extra carcerem sæculo renuntiavit, in carcere autem etiam carceri. Nihil interest ubi sitis in sæculo, extra sæculum estis: etsi aliqua amisistis vitæ gaudia, negotiatio est aliquid amittere ut majora lucreris.* Et infrà: *Hoc præstat carcer Christiano, quod eremus Prophetis . . . . Auferamus carceris nomen, secessum vocemus.*

Et cap. 3. *Vocati sumus ad militiam Dei vivi, jam tunc cùm in Sacramenti verba respondimus. Nemo miles ad bellum cum deliciis venit; nec de cubiculo ad aciem procedit, sed de papilionibus expeditis, & substrictis: ubi omnis duritia, & inbonitas, & insuavitas consistit . . . . Proinde vos, Benedicti, quodcumque hoc durum est, exercitationem virtutum animi & corporis deputate. Bonum agonem subituri estis, in quo Agonothetes, Deus vivus est: Xystarches, Spiritus Sanctus: corona, æternitas; bravium, angelicæ substantiæ politia in cælis, gloria in sæcula sæculorum.*

Refellitur insuper Gnosticorum error auctoritate Sancti Cypriani, in lib. de Exhortatione Martyrii ad Fortunatum, ubi solis Scripturæ sacræ verbis Fideles ad Martyrium fortiter subeundum accendit. In Præfatione porrò Martyrium baptismatis vim habere testatur. *Nos*, inquit, *qui Domino permittente, primum baptisma credentibus dedimus, ad aliud quoque singulos præparemus, insinuantes, & docentes, hoc esse baptisma in gratia majus, in potestate sublimius, in honore pretiosius: baptisma in quo Angeli baptizant, baptisma in quo Deus & Christus ejus exultant, baptisma post quod nemo jam peccat, baptisma quod fidei nostræ incrementa consummat, baptisma quod nos de mundo recedentes statim Deo copulat. In aqua Baptismo accipitur peccatorum remissa; in sanguinis, corona virtutum. Amplectenda res est, & optanda, & omnibus postulationum nostrarum precibus expetenda, ut qui servi Dei sumus, simus & amici.*

Legenda est ejusdem Epistola nona ad Martyres & Confessores data, Epistola 37. scripta ad Clerum; & Epistola 56. ad Moysem & Maximum, cæterosque Confessores.

Eundem errorem Ecclesia damnavit, cùm Lapsos durissimæ Pœnitentiæ subjecit, Martyres verò summis prosecuta est honoribus, festos dies in eorum memoriam instituendo, & Sacrificia celebrando. Qui ritus quàm antiquus sit, constat ex Epistola 37. Sancti Cypriani. *Cùm*, inquit, *voluntati, & Confessioni nostræ in carcere; & vinculis accedit & moriendi terminus; consummata Martyrii gloria est. Denique & dies eorum, quibus excedunt annotate, ut commemorationes eorum inter memorias Martyrum celebrare possimus. Quanquam Tertullus fidelissimus & devotissimus frater noster, pro cætera solicitudine & cura sua, quam fratribus in omni obsequio operationis impertit, scripserit, & scribat, ac significet mihi dies quibus in carcere Beati Fratres nostri ad immortalitatem gloriosæ mortis exitu transeunt, & celebrentur hic à nobis Oblationes & Sacrificia ob commemorationes eorum, quæ citò vobiscum, Domino protegente, celebrabimus.* Legatur & Epistola 34. ejusdem, in qua de Celerino Lectore à se ordinato, & Christi Confessore sic scribit: *In servo Dei victoriam gloria vulnerum fecit, gloriam cicatricum memoria custodit. Nec rudis iste aut novus est in Celerino nostro titulus gloriarum: per vestigia cognationis suæ graditur, parentibus ac propinquis suis honore consimili divinæ dignationis æquatur. Quia ejus avia Celerina jampridem Martyrio coronata est. Item patruus ejus, & avunculus Laurentinus, & Ignatius, in castris & ipsi quondam secularibus militantes, sed veri & spiritales Dei milites, dum diabolum Christi confessione prosternunt, palmas à Domino & coronas illustri passione meruerunt. Sacrificia pro eis semper, ut meministis, offerimus, quoties Martyrum passiones & dies anniversaria commemoratione celebramus.*

Denique Gnosticorum refellit errorem honos ab Ecclesia semper delatus reliquiis Martyrum. Unde Sanctus Hieronymus consequens esse ait ut prohibeant Martyria, & ipsa execrentur, qui Martyrum reliquias non colunt. Sic enim alloquitur Vigilantium hæreticum in libro contra ipsum composito: *Scribis adversùs hæresim tuam, quæ erupit adversùs Ecclesiam, ne & in hoc quasi repertor novi sceleris glorieris, Tertullianus vir eruditissimus insigne volumen, quod Scorpiacum vocat rectissimo nomine: quia arcuato vulnere in Ecclesiæ corpus venena diffudit, quæ olim appellabatur Caiana hæresis, & multo tempore dormiens, vel sepulta nunc à Dormitantio suscitata est. Miror quod non dicas, nequa-*

*quam perpetranda Martyria; Deum qui sanguinem hircorum, taurorumque non quærat, multò magis hominum non requirere. Quod cùm dixeris; immo etsi non dixerit, ita habeberis quasi dixeris. Qui enim reliquias Martyrum asseris calcandas esse, prohibes sanguinem fundi, qui multo honore dignus est.*

Objicitur io gratiam Gnosticorum. Deus hominum sanguinem non flagitat, aliàs crudelis esset; ergo non præcipit perpessionem Martyrii. Præterea, Nemo perire debet sine causa: atqui Christiani subeundo Martyrium, pereunt sine causa: ad illud itaque subeundum non tenentur.

B Respondeo, nego antecedens; fore scilicet crudelem Deum, si humani sanguinis effusionem postulet. Imò pietas est suprema, quâ mortem exigit à servis suis, ne deteriùs moriantur, morte nimirum peccati; & quâ fœliciorem ipsis vitam per Martyrium procurat. Hinc Tertullianus lib. Scorpiaci, cap. 7. *Talem Deum*, inquit, *de fiducia rationis amplectar, qua ratione etiam ipse plusquam homicidam pronuntiavit ex Sophia sua persona, voce Salomonis: Sophia*, inquit, *jugulavit filios suos. Sophia, sapientia est. Sapienter itaque jugulavit, dum in vitam, & rationabiliter dum in gloriam. O parricidii ingenium! O sceleris artificium, ò argumentum crudtatis, qua idcirco occidis, ne moriatur quem occiderit ..... O bonam matrem! Opto & ipse in filios ejus redigi, ut ab ea occidar. Opto occidi, at salvus fiam. Solum autem jugulat filios suos, an & torquet! Audio enim & alibi dicentem Deum: Uram illos, sicut uritur argentum, & probabo illos sicut probatur aurum. Utique per tormenta ignium & suppliciorum, per Martyria Fidei examinatoria.* Sicut igitur nemo Deum crudelem dixerit, cùm proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum; neque Christum crudelem, qui seipsum obtulit pro peccatis nostris: ita dementiæ est asserere Deum fore immanem & sævum, si exigat à Martyribus ut pro fide tuenda, & pro suæ Majestatis confessione mortem subeant. *Vides*, inquit Tertullianus, *quomodo etiam proprium suum Filium primogenitum, & unigenitum Sophia divina jugulaverit; utique victurum, imò & cæteros in vitam redacturum. Possum dicere cum Sophia Dei: Christus est qui se tradidit, pro delictis nostris: Jam & semetipsam Sophia trucidavit. Verba non solo sono sapiunt, sed sensu: nec auribus tantummodo audienda sunt, sed mentibus. Crudelem, Deum qui non intelligit, credit.*

E Præterea, nemo crudelem dicet Medicum, qui ferrum & cauterium adhibet infirmo, uritque & secat ut curet; *Quia horrorem operis fructus excusat.* Et infirmus *ululans, & gemens, & mugiens inter manus Medici, postmodum easdem mercede cumulabit, & artifices optimas prædicabit, & sævas jam negabit. Sic*, inquit Tertullianus, *& Martyria desæviunt, sed in salutem. Licebit & Deo in vitam vitam æternam per ignes, & gladios, & acerba quæque curare.* Gerit se planè Deus ut Medicus sapientissimus, qui similibus interdum remediis morbos curat, ardores siti restinguens, fellis excessus amaris potiunculis colligens, sanguinis fluxum, aperta F vena revocans: ita Deus cum causa morborum nostrorum certat, quando Martyrium præcipit. Homo namque peccando periculum sibi mortis attraxerat, & quidem æternæ. Deus verò omnipotens Medicus hanc mortem alia morte excludit, quæ Martyres consecrat. *Deum verò*, inquit Tertullianus cap. 5. Scorpiaci, *culpandum existimabis, si voluit certasse cum causa, & injuria æmulando prodesse: mortem morte dissolvere, occisionem occisione dispergere, tormentis tormenta discutere, supplicia suppliciis evaporare, vitam auferendo conferre, carnem lædendo juvare, animam eripiendo servare. Perversi-* A *tas quam putas, ratio est: quod sævitiam existimas; gratia est; ita Deo de momentaneis æterna medicante.* Et infrà: *Quid gravatur pati nunc homo ex remedio, quod non est tunc gravatus pati ex vitio? Displicet occidi in salutem, cui non displicuit occidi in perditionem? Nauseabit ad antidotum, qui hiavit ad venenum?*

Ad secundùm respondeo, nego minorem. Non enim sine causa pereunt, qui pereunt ne peccent, & in æternum pereant, qui mortem subeunt, ut ab Idololatria liberentur; ut omnia delicta sanguine quasi altero baptismate eluant; ut coronam deni-B que consequantur immortalem. Porro hæc omnia commoda morte sua obtinent Martyres. Martyrium, inquit Tertullianus cap. 5. Scorpiaci, *Liberat ab Idololatria. Quod à malo liberat, quis non bonum pronuntiabit? Quid aliud est adversario Idololatriæ atque Martyrii, quam mortis & vitæ? In tantùm vita Martyrio deputabitur, quantùm morti Idololatria. Martyribus etiam*, inquit idem Auctor cap. 6. *propriè nihil jam reputari potest, quibus in lavacro vita ipsa deponitur. Sic dilectio operit multitudinem delictorum, quæ Deum scilicet diligens ex totis viribus suis, quibus in Martyrio decertat, ex tota anima sua,* C *quam pro Deo ponit, hominem Martyrem excudit.* Morte sua consequitur, ut uno verbo complectar omnia, *Regnum Dei, certam salutem, secundam regenerationem.* Hoccine est sine causa petire? Certè *Nulli compensatio invidiosa est, in qua aut gratia, aut injuria communis est ratio* (inquit ibidem Tertullianus.) Denique liberalitatem suam maximè commendat Deus cùm Martyria præcipit. *Evulsum enim hominem de diaboli gula per fidem, jam & inculcatorem ejus voluit efficere per virtutem, ne solummodo evasisset, verumetiam evicisset inimicum. Amavit qui vocaverat in salutem, invitare & ad gloriam; ut gaudeamus liberati, exultemus etiam* D *coronati.*

---

## DISSERTATIO XIV.

### Adversùs Hæresim Marcionis.

---

### ARTICULUS I.

E *Quo Dei unitas adversùs Marcionem vindicatur.*

§. I.

1. UNUM Deum esse demonstrat adversùs Marcionem Sanctus Irenæus, lib. 3. adversùs Hæreses, cap. 63. *Marcion igitur ipse*, inquit, *dividens Deum in duos, alterum quidem bonum, alterum judicialem dicens, ex utrisque interimit Deum. Hic enim qui judicialis, si non & bonus sit, non est Deus; quia Deus non est, cui bonitas desit: & ille* F *rursus qui bonus, si non & judicialis, idem quod hic patietur, ut auferatur ei ne sit Deus. Quemadmodum autem & sapientem dicunt Patrem omnium, si non & judiciale ei assignent? Si enim sapiens, & probator est: probatori autem subest judiciale; judiciale autem assequitur justitiam; ut juste probet justitiam, provocat judicium: judicium autem cum sit, cum justitia transmittet ad sapientiam.*

Et cap. 45. Platonem Hæreticis *Religiosiorem* fuisse ait, *qui eundem Deum justum & bonum confessus est.*

Et lib. 4. cap. 26. *In Lege igitur & Evangelio, cùm sit primum, & maximum præceptum, Diligere Dominum Deum ex toto corde: dehinc simile illi, Diligere*

*ligere proximum sicut teipsum*, *unus & idem ostenditur Legis & Evangelii Conditor. Consummata enim vitæ præcepta in utroque Testamento cùm sint eadem, eumdem ostenderunt Deum, qui particularia quidem præcepta apta utrisque præcepit: sed eminentiora & summa, sine quibus salvari non potest, in utroque eadem suasit.* Alia apud Irenæum luculentissimè contra Marcionis errorem scripta passim occurrunt.

II. Adversùs Marcionem Dei unitatem vindicavit egregiè Tertullianus. Lib. 1. cap. 3. probat unum Deum esse, quia Deus est summum magnum, summa autem magna duo esse non possunt. *Quantùm*, inquit, *humana conditio de Deo definire potest, id definito, quod & omnium conscientia agnoscet, Deum summum esse magnum; in æternitate constitutum, &c. Quæ erit jam conditio ipsius summi magni? Nempe ut nihil illi adæquetur, id est, ut non sit aliud summum magnum; quia si fuerit, adæquabitur; & si adæquabitur, non erit jam summum magnum. Ergo unicum sit necesse est, quod fuerit summum magnum, par non habendo, ne non sit summum magnum... Proinde Deus, cùm summum magnum sit, rectè veritas nostra pronuntiavit: Deus si non unus est, non est.*

Cap. 5. probat plures Deos admitti posse, si duo prædicentur. *Quæ ratio*, inquit, *duo summa magna composuit? Primo enim exigam cur non plura, si duo: Quando locupletiorem oporteret credi substantiam divinitatis, si competeret ei numerus.*

Cap. 7. occupat responsionem Marcionitarum dicentium, pluribus tribui Dei nomen in Scripturis, qui non sint summa magna; unde scriptum est, *Deus stetit in Synagoga Deorum, in medio autem Deos dijudicat*: &, *Ego dixi, Dii estis*: Ita nec sequi Creatorem esse summum magnum, quia Deus est. Sic porro ipsis respondet: *Si communio nominum conditionibus præjudicat, quanti nequam servi Regum nominibus insultant Alexandri, & Darii? Nec tamen ideo Regibus id quod sunt detrahetur. Nam & ipsa idola gentium, Dei vulgo; sed Deus nemo, ea re qua Deus dicitur. Ita ego non nomini Dei, nec sono, nec notæ nominis hujus, summum magnum in Creatore defendo, sed ipsi substantiæ cui nomen hoc contigit. Hanc invenient solam, innatam, infectam, solam æternam, & universitatis conditricem: non nomini, sed statui, nec appellationi, sed conditioni ejus summum magnum adscribo & vindico.* Et hinc colligit duos Deos esse non posse, nec pares, nec dispares: Non pares, *Quia id prohibet disposita regula summi magni, comparationem non sustinentis*: Nec dispares; *Quia & alia summi magni regula occurrit, diminutionem non admittentis.*

Cap. 8. probat Deum Marcionis nullum esse, quia novus est, & ante Jesum Christum, qui ipsum revelaverit, planè inauditus. Verus autem Deus, æternus est. *Quis Deus novus*, inquit, *nisi falsus? Ne Saturnum quidem tanta hodie antiquitas Deum probabit, quia & illum novitas aliquando produxerit, cùm primùm consecravit. At enim viva & germana divinitas, nec de novitate, nec de vetustate, sed de sua veritate censetur. Non habet tempus æternitas: Omne enim tempus ipsa est. Quod facit, pati non potest. Caret ætate, quod non licet nasci. Deus, si est vetus, non erit; si est novus, non fuit. Novitas initium testificatur, vetustas finem comminatur. Deus autem tam alienus ab initio & fine est, quam à tempore, arbitro & metatore initii, & finis.*

Verùm quia respondebant Marcionitæ, Deum Marcionis sola agnitione recenti novum esse, urget Tertullianus cap. 9. opponitque primò, *Deum ignorari non potuisse, nomine magnitudinis: nec debuisse, nomine benignitatis.* 2. Ostendit Deum incertum esse, si ignotus fuit. *Quod enim quæritur, quandiu ignoratur, incertum est quandiu quæritur: & potest non esse, quandiu incertum est.* 3. Verum Deum ab initio semper cognitum fuisse probat cap. 10. *A primordio rerum*, inquit, *Conditor earum cum ipsis pariter compertus est, ipsis ad hoc prolatis ut Deus cognosceretur.... Denique major popularitas generis humani, ne nominis quidem Mosis compotes, nedum instrumenti, Deum Mosis tamen norunt; etiam tantam idololatria dominationem obumbrante: seorsum tamen illum, quasi proprio nomine Deum perhibent, & Deum deorum; &, Si Deus dederit; &, Quod Deo placet; &, Deo commendo. Vide an noverint, quem omnia posse testantur. Nec hoc ullis Mosis libris debent. Ante anima, quàm Prophetia. Anima enim a primordio conscientia Dei dos est: eadem, nec alia in Ægyptiis, & in Syris, & in Ponticis. Judæorum enim Deum, dicunt animæ Deum....* Et infrà. *Habet Deus testimonia, totum hoc quod sumus, & in quo sumus. Sic probatus & Deus, & unus, dum non ignoratur: alio adhuc probari laborante.*

Probat deinde Tertullianus cap. 11. Marcionis Deum commentitium esse, quia Deus omnium Dominus jure creationis esse debet: Marcionis autem Deus nihil creavit. *Sicut*, inquit, *Creator, ex hoc & Deus, & indubitatus Deus, quia omnia ipsius, & nihil extraneum illi: ita & alius idcirco non Deus, quia omnia non ejus, ideoque & extranea. Denique si universitas Creatoris est, jam nec locum video Dei alterius. Plena & occupata sunt omnia suo Auctore. Si vacat aliquid spatii alicujus divinitati in creaturis, planè falsa vacabit.*

Secundò. Si Deus nihil condidit, ratio proferri debet aliqua cur nihil condiderit. *Duplex ista videatur necesse est*, inquit Tertullianus, *ut aut noluerit condere quid, aut non potuerit. Sed non potuisse indignum Deo est. Noluisse, an dignum, volo inquirere.... Quale est ut Creator quidem ignorans esse alium super se Deum, ut volunt Marcionitæ, qui solum se etiam jurans asseverabat, tantis operibus notitiam sui armaverit, quam poterat non ita exrasse, secundùm singularitatis suæ præsumptionem: ille autem sublimior sciens inferiorem Deum tam instructum, nullam sibi prospexerit agnoscendo paraturam? Quando etiam insigniora, & superbiora opera debuisset condidisse, ut Deus ex operibus cognosceretur, secundùm Creatorem; & ex honestioribus, potior & generosior Creatore.*

Evincit postea Tertullianus, cap. 15. Deum Marcionis invisibilium tantùm opificem dici non posse; quia idem visibilium, & invisibilium auctor est. *Quis autem*, inquit, *poterit inducere in animum, nisi spiritus hæreticus, ejus esse invisibilia, qui nihil visibile præmiserit; quàm ejus qui visibilia operatus, invisibilium quoque fidem fecerit: cum justius multò sit aliquibus exemplariis annuere, quam nullis?... Sicut tota operatio ejus* (scilicet Creatoris) *ex diversitatibus constat: ex corporalibus, & incorporalibus; ex animalibus, & inanimalibus; ex vocalibus & mutis; ex mobilibus & stativis; ex calidis & frigidis: Sic & hominem ipsum diversitas temperavit, tam in corpore, quàm in sensu. Alia membra fortia, alia infirma: alia gemina, alia unica: alia comparia, alia disparia. In sensu nunc lætitia, nunc anxietas: nunc amor, nunc odium: nunc ira, nunc lenitas. Quod si ita est, ut æmula inter se conditionis universitas ista modulata sit; jam igitur & visibilibus invisibilia debentur, non alteri authori deputanda, quam cui & æmula eorum.* Id est, si idem est author contrariorum, & si diversi rerum gradus ab eodem sunt condita opifice; consequens est ut idem Deus sit Creator visibilium, & invisibilium.

Cap. 21. Dei unitatem traditionis auctoritate demonstrat, quia temporibus Apostolorum nulla controversia de Dei unitate excitata est, & fides de uno Deo, & quidem Creatore, ab Apostolis prædicata fuit, & in Apostolicis Ecclesiis semper conservata.

*Nam*, inquit, *alii de Idolothyto edendo, alii de mulierum velamento, alii de nuptiis, vel repudiis, nonnulli & de spe resurrectionis disceptabant; de Deo nemo. Nam si fuisset hac quoque quaestio disceptata, & ipsa apud Apostolum inveniretur, vel quantò principalis*: Id est, quia longè majoris est momenti. *Quod si post Apostolorum tempora adulterium veritas passa est circa Dei regulam; ergo jam Apostolica Traditio nihil passa est in tempore suo circa Dei regulam; & non alia agnoscenda erit traditio Apostolorum, quàm quae hodie apud ipsorum Ecclesias legitur. Nullam autem Apostolici census Ecclesiam invenias, quae non in Creatore Christianizet. Aut si haec erunt à primordio corrupta, quae erant integra? Nimirum adversaria Creatoris. Exhibe ergo aliquam ex tuis Apostolici census, & obduxeris.*

Capitibus 22. 23. & 24. Probat Deum Marcionis non esse naturaliter bonum, rationabiliter bonum, perfectè bonum; quia ab initio non est operata bonitas ejus, lapsum hominem erigendo. *Non posse quid*, inquit, *Deo non licet, nedum naturalibus suis fungi, quae si contineantur quominus currant, naturalia non erunt. Otium enim sui natura non novit. Hinc censetur, si agat.... Sed cessavit aliquando in Deo Marcionis de opere bonitas. Ergo non fuit naturalis bonitas, quae potuit aliquando cessasse, quod naturalibus non licet. Et si non erit naturalis, jam nec aeterna credenda, nec Deo par, quia non aeterna, dum non naturalis; quae denique nullam suam perpetuitatem aut de praeterito constituat, aut de futuro repromittat. Nam & à primordio non fuit, & in finem sine dubio non erit. Potest enim & non esse quandoque, sicut non fuit aliquando. Igitur cum constet in primordio cessasse bonitatem Dei illius, (non cum à primordio liberavit hominem;) & voluntate potiùs eam, quàm infirmitate cessasse, jam voluntas suppressa bonitatis, finis invenietur malignitatis. Quid enim tam malignum, quam nolle prodesse cùm possis?..... Quid de tali medico judicabis, qui nutriat morbum morâ praesidii, & periculum extendat dilatione remedii, quo pretiosiùs, aut famosiùs curet? Talis & in Deum Marcionis dicenda sententia est, mali permissorem, injuriae fautorem, gratiae lenocinatorem, benignitatis praevaricatorem, quam non statim causae suae exhibuit.*

Cap. 23. Probat bonitatem Dei Marcionici esse irrationalem, quia hominem ab alio Deo creatum adjuvit. *Nego*, inquit, *rationalem bonitatem Dei Marcionis jam hoc primò, quòd in salutem processerit hominis alieni.* Tum occupat responsionem Marcionitarum, dicentium, hanc esse praecipuam & perfectam bonitatem, cùm sine ullo debito familiaritatis, in extraneos voluntaria & libera effunditur, secundùm quam inimicos quoque nostros diligere jubeamur. Sic autem respondet Tertullianus: *Cùm prima bonitatis ratio sic in rem suam exhiberi, ex justitia; secunda autem, in alienam, ex redundantia; quale est secundam ei rationem referri, cui deficit prima; non habenti proprium hominem, ac per hoc exigua? Porro exigua, quae suum non habuit, quomodo in alienum redundavit? Exhibe principalem rationem, & tunc vindica sequentem. Nulla res sine ordine rationalis potest vindicari: tantùm abest ut ratio ipsa in aliquo ordinem amittat.*

Irrationalem insuper probat Dei Marcionici bonitatem, quia injusta esset. *Caeterùm*, inquit, *qualis bonitas, quae per injuriam constat? Quid enim injustius, quàm ita alieno benefacere servo, ut Domino eripiatur; ut alii vindicetur; ut adversùs caput Domini subornetur? Et quidem, quò indigniùs, in ipsa adhuc domo Domini, de ipsius adhuc horreis vivens; sub ipsius adhuc plagis tremens? Talis assertor etiam damnaretur in saeculo, nedum plagiator. Non aliter Deus Marcionis, irrumpens in alienum mundum, eripiens Deo hominem, Patri filium, educatori alumnum, Domino famulum, ut eum efficiat Deo impium, Patri irreligiosum, educatori ingratum, Domino nequam. Oro te, si rationalis bonitas talem facit, quatem faceret irrationalis?*

Ostendit denique cap. 24. Deum Marcionis non esse perfectè bonum, non solùm quia longè pauciores salvat omnibus & Judaeis, & Christianis Creatoris, sed etiam quia solam animam salvat, non carnem. *Sed nolo jam*, inquit, *de parte majore pereuntium imperfectum bonitatis arguere Deum Marcionis: Sufficit ipsos, quos salvos facit, imperfectae salutis inveniens, imperfectam bonitatem ejus ostendere: scilicet anima tenus salvos, carne deperditos, quae apud illum non resurgit. Unde haec dimidiatio salutis, nisi ex defectione bonitatis? Sed etsi carni delicta reputantur, praecedit animae reatus, & culpa principatus animae potiùs adscribendus, cui caro ministri nomine occurrit. Carens denique anima caro hactenus peccat. Ita & in hoc injusta bonitas, & sic quoque imperfecta; innocentiorem substantiam relinquens in exitium; obsequio, non arbitrio delinquentem.*

Cap. 26. Ostendit Deum Marcionis nullum esse, quia non est justus, & vindex. *At hic sufficit*, inquit, *perversissimum Deum ostendi in ipso praeconio solitariae bonitatis..... Quale est enim ut praecepta constituat, non executurus? Ut delicta prohibeat, non vindicaturus, quia non judicaturus? Extraneus scilicet ab omnibus sensibus severitatis, & animadversionis. Cur enim prohibet admitti, quod non defendit admissum? Cùm multò rectiùs non prohibuisset, quod defensurus non esset, quàm ut non defenderet, quod prohibuisset: imò & permisisse directò debuit, sine causa prohibiturus, ut non defensurus. Nam & tunc tacitè permissum est, quod sine ultione prohibetur: & utique non aliud prohibet admitti, quàm quod non amat fieri..... Stupidissimus ergo qui non offenditur facto, quod non amat fieri; quando offensa comes sit frustratae voluntatis: aut si offenditur, debet irasci; si irascitur, debet ulcisci. Nam & ultio fructus est irae; & ira debitum offensae. Sed non ulciscitur, ergo nec offenditur. Sed non offenditur: ergo nec laeditur voluntas ejus, cùm fit quod fieri noluit. Et fit jam delictum secundùm voluntatem ejus: quia non fit adversus voluntatem, quod non laedit voluntatem.*

Deum denique non timendum esse probat, si justus non sit ac severus, atque adeo securè & impunè peccari posse. Et quia Marcionitae respondebant malum Deum timendum esse, bonum diligendum duntaxat: hanc responsionem sic refellit Tertullianus: *Stulte, quem Dominum appellas, negas timendum; cùm hoc nomen potestatis sit, etiam timendae. At quomodo diliges, nisi timeas non diligere? Planè nec Pater tuus est, in quem competat & amor, propter pietatem, & timor, propter potestatem? Nec legitimus Dominus ut diligas propter humanitatem, & timeas propter disciplinam? Sic denique plagiarii diliguntur, non etiam timentur. Non enim timebitur nisi justa & ordinaria dominatio. Diligi autem potest etiam adultera. Sollicitatione enim constat, non auctoritate: & adulatione, non potestate. Quid denique adulantius, quàm delicta non exequi? Age igitur, qui Deum non times quasi bonum, quid non in omnem libidinem ebullis?* &c.

Cap. 28. Perversissimum ostendit Deum Marcionis, quia nec ipsum fidei ejus Sacramentum consistere potest, scilicet Baptismus. *Cui enim rei*, inquit, *Baptisma quoque apud eum exigitur? Si remissio delictorum est, quomodo videbitur delicta dimittere, qui non videbitur retinere? Quia retineret, si judicaret. Si absolutio mortis est, quomodo absolveret à morte,*

*morte, qui non devinxit ad mortem? Devinxisset enim si à primordio damnasset. Si regeneratio est hominis, quomodo regenerat, qui non generavit? Iteratio enim non competit ei, à quo quid nec semel factum est. Si consentio est Spiritus Sancti, quomodo Spiritum attribuat, qui animam non prius contulit? Quia factura est quodammodo Spiritus, anima. Signat igitur hominem, nunquam apud se resignatum. lavat hominem, nunquam apud se coinquinatum. & in hoc totum salutis Sacramentum, carnem mergit exortem salutis. Nec rusticus terram rigabit fructum non relaturam, nisi tam vanus, quàm Deus Marcionis.*

III. Sanctus Epiphanius Marcionis errores multis refellit Hæresi 42. ex ipsissimet Scripturæ libris, quibus utebantur Marcionitæ, scilicet ex Evangelio Sancti Lucæ, & ex Paulinis Epistolis, quas Marcion agnoscebat. Sed hæc ad unius Dei & Creatoris quidem probationem pertinent, qui sit Legis Mosaicæ Author, & Inspirator Prophetarum.

Lucæ cap. 5. Christus Leprosum sic alloquitur: *Vade, ostende te Sacerdoti, & offer pro purgatione tua, sicut præcepit Moyses in testimonium hoc vobis.* Quæ verba Sanctus Epiphanius sic expendit: *Potuit-ne Dominus, si contra Legem, Legisque Deum suam haberet comparatam doctrinam, curatis à se hominibus, veluti Leproso huic, istiusmodi mandatum edere? Vade, ostende te Sacerdoti. Ubi cùm Sacerdotem commemorat, Legis Sacerdotium non abrogat. Quod si Moysis præcepto jubet obtemperari, Legis Deum minimè condemnat, aut ei maledicit. Sed tam semetipsum, quàm Deum Patrem suum, Legem Moysi tradidisse confirmat.*

Ibidem ait Christus, secundùm Evangelium etiam Marcionis: *Ut sciatis quia potestatem habet Filius hominis dimittendi peccata in terra.* Quæ verba expendens Sanctus Epiphanius, ita colligit: *Si potestatem habet in terra, non erit terra ab illius, ac Patris ipsius operibus aliena.*

Cap. 6. Lucæ, hæc habentur: *Dominus est Filius hominis, etiam Sabbati.* In quæ verba Sanctus Epiphanius: *Sabbati*, inquit, *se Dominum profitetur, ne Sabbatum à molitione sua abhorrere crederetur.*

Ibidem habentur hæc verba: *Secundùm hæc eadem faciebant Prophetis Patres vestri.* Ex quibus Sanctus Epiphanius ita concludit: *Cùm Prophetarum mentionem faciat, Prophetas non repudiat; eorumque torum cædem ulciscatur, non à Prophetis alienus, sed eorum Deus erit.*

Lucæ 9. hæc leguntur, *Et ecce viri cum illo loquebantur, Moyses & Elias in gloria.* In quæ Sanctus Epiphanius sic notat: *Si alienus esset Moyses ille, cui Legis est à Christo quondam mandata provincia: Si alieni insuper Prophetæ, nunquam eos secum sua illa in gloria repræsentaret.*

Ibidem in hæc verba: *E nube vox: Hic est Filius meus dilectus. SI de nube*, inquit, *locutus Pater Filium suum Discipulis ostendit, non alius esse potest Conditor, quàm is ipse qui per nubem Filio suo testimonium præstitit: nec in ea solùm, quæ cœlo superiora sunt, dominatum obtinebit.*

Cap. 10. Hæc extant in Evangelio Lucæ Marcionitico: *Gratias ago tibi, Domine cœli.* Quæ contra Marcionem sic intorquet Sanctus Epiphanius: *Domino itaque cœli gratias agit; licet, terra, sustulerit, licet Patris vocem subtraxeris, Marcio: ne Patrem à Christo suum pronuntiari Conditorem ostenderet. Vivunt adhuc & spirant veritatis illa à te relicta membra. Vocula ista nimirum, quas tu velut in reliquiis neglectas, per oblivionem retinuisti: Etiam Pater. Ex quibus planè istud conficitur, proprio Patri gratias egisse Christum Dominum, eumdemque cœli Dominum appellasse.*

A Ibidem. Dixit Christus Legisperito: *In Lege quid scriptum est?* Et respondens post Legisperiti verba, dixit: *Rectè dixisti; hoc fac, & vives.* Ex quibus hoc elicit ratiocinium Sanctus Epiphanius: *Cùm Dei Filius ipsamet veritas esset, neminem eorum, qui se de vita consequenda interrogarent, fefellit. Quare cùm & vita nostra curam gesserit, & eo, qui Legem servaret, ad futuram vitam ostenderit; sed & eum, qui cum Lege ipsa consentaneè responderat, præclarè dixisse testatus fuerit, quis erit tam vecors ac stupidus, Marcioni ut inhæreat, qui Deo illi maledicat, à quo non modò Lex in homines, sed & Evangelii* B *gratia est derivata?*

Lucæ 12. hæc scripta sunt: *Timete eum, qui habet potestatem mittendi animam in gehennam.* Quæ verba sic adversùs Marcionem urget Sanctus Epiphanius: *Velim mihi respondeas, ô Marcion! quid de eo censeas, qui potestatem habere dicitur? Si enim Patrem illum esse dixeris, eumdemque, quem in bonum Deum prædicat, Judicem esse confiteris, qui pro meritis suis unumquemque compenset: aut si alium quempiam esse judicas, Conditorem scilicet, quem tu propriè judicem constituis; cedo, quis ei potestatem commiserit? Hanc enim si habet ipse per sese, magnus* C *utique est, ac potestate præditus. Quod si judicandi penes eum facultas est, erit & servandi. Qui enim jurisdictionem exercere potest, potest & absolvere. Præterea, si cùm Judex in gehennam præcipites immittit animas, bonus ille Deus, qui tantam animarum curam gerit, non eas liberat, haberi bonus quî poterit? Aut enim ille fortior est, nec ex ejus manibus extorquere potest: aut, ut facultas suppetat, deest tamen liberandi voluntas. Ubinam igitur illa bonitas est?*

Ibidem extant illa verba: *Quærite regnum Dei,* D *& hæc omnia adjicientur vobis.* Quæ in Deum Marcionis sic urget Sanctus Epiphanius: *Si alienis sustentamur opibus, estque alius cœlestis regni Deus, quid potest in hoc esse sermone consentaneum? Nam aut ad illum tam inferiora ista pertinent, quàm cœlesto regnum: ideoque inferiora hæc omnia, quæ sua sunt, pro labore illo, quem regni sui desiderium efferre soles, hominibus rependit: aut ita regnum, futurumque sæculum ad illum pertinet, ut hæc infima Conditori tribuenda sint. Ex quo sequitur, Conditoris ipsius voluntatem ad Supremi illius regnum accommodatam esse; cùm iis omnibus gratificetur, & faveat, qui justitiam ipsius, ac regnum requirunt. Quod si* E *voluntatis nulla dissensio, sed summa quædam concordia sit, non jam duo sunt, triave principia.*

IV. Theodoretus libro 5. Hæreticarum Fabularum cap. 17. eumdem Veteris & Novi Testamenti Deum esse contra Marcionem probat. *Nos autem*, inquit, *scimus & Veteris, & Novi Testamenti Authorem unum esse, quod ipsum per Hieremiam Prophetam apertè docet: Disponam*, inquit, *domui Israel, & domui Juda, Testamentum Novum, non secundùm Testamentum quod disposui Patribus eorum, in die quo apprehendi manum ipsorum, ad educendos eos de terra Ægypti; sed* F *disponam eis Testamentum Novum, dans leges meas in mentem eorum, & in cordibus illorum scribam eas. Quibus verbis apertè docuit, quòd qui Vetus dedit, Novum etiam exhibebit. Quòd si Prophetiis fidem non habent, audiant Legislatorem leges antiquas non subvertentem, sed adstringentem. Subvertentis enim esset dicere: Dictum est antiquis, Non mœchaberis: Ego verò dico vobis, Mœchare: &, Dictum est antiquis, Non occides; Ego verò dico vobis, Occide. Hoc enim faciunt Antitactæ cognati Marcionis. Dominus autem in legibus quas sancit, apertè docet quod non subvertit antiqua, sed perfectiorem vitæ rationem inducit. Et quemadmodum literator eos, qui discere incipiunt,*

 *literarum*

*literarum caracteres docet : iis verò qui hos didicerint, syllabarum connexiones tradit ; alios autem docens quomodo conjungenda sint nomina, & alios qua sit lectionis concinnitas, non contrarias doctrina leges profert, sed congrua atati documenta prabet : Sic Christus Dominus convenientes unicuique generationi leges dedit. Necessarias enim & primas in hominum natura inscripsit... Alias autem diversis modis dedit in unaquaque generatione : Ada quippe legem de arbore imposuit : Noe verò de usu carnium : Patriarcha de Circumcisione legem tulit, alias per Moysem magnum Prophetam conscripsit. In divinis autem Evangeliis de parvis rebus latas leges, velut elementorum quorumdam exercitationem cessare faciens, leges dedit perfectissimas. Et quemadmodum matres recens natis infantibus mammam prabent, postmodum cibum dentibus comminutum ; deinde cùm pueri, & adolescentes evaserint, solidum : sic universorum Deus, iis qui illa didicerint, perfectiorem prabet doctrinam. Vetus tamen Testamentum, velut maternam mammam veneramur, sed lac non sumimus. Perfectis enim supervacaneum est lac ejus qua nutrit : Nutricem tamen honorant, ut qui alti ab ea fuerint. Sic & nos Circumcisionem quidem, & Sabbatum, & Sacrificia, & aspersiones servare non ferimus : Alias autem. Veteris Testamenti utilitates carpimus. Nam & pietatem, & fidem in Deum, & dilectionem erga proximum, & temperantiam, & justitiam, & fortitudinem exactè docet, & veterum Sanctorum exempla imitanda proponit.*

V. Errorem Marcioniticum de duobus Diis, uno bono & altero malo à Manete & Manichæis excitatum, Ecclesia execrata est. Contra hunc pugnavit Sanctus Augustinus passim in Operibus contra Manichæos. Ipsum audire præstat disputantem contra Faustum, libro 21. cap. 3. *Vos autem*, inquit, *non valentes discernere quid faciat Deus beneficio, quid judicio: quia & à corde & ab ore vestro longè est Psalterium nostrum, ubi dicitur : Misericordiam & judicium cantabo tibi Domine : quicquid vos pro infirmitate humana mortalitatis offenderit, alienatis omnino ab arbitrio, & judicio Dei veri : videlicet habentes paratum alterum Deum malum, quem vobis non veritas ostendit, sed vanitas fingit : cui tribuatis non solùm quicquid facitis injustè, verùmetiam quicquid patimini justè : ita Deo tribuentes beneficia donorum, & ei auferentes judicia pœnarum, quasi de alio dixerit Christus, Quod praparaverit ignem aternum malis, quàm de illo, Qui facit Solem suum oriri super bonos & malos, & pluit super justos, & injustos. Unde hic tantam bonitatem, & ibi tantam severitatem ad unum pertinere Deum non intelligitis, nisi quia misericordiam & judicium cantare non nostis?*

Eundem errorem profligat lib. *de Natura Boni* contra Manichæos, cap. 1. hac ineluctabili ratione: Omnis natura bona est : ergo est à summo bono: ergo non est aliquod principium supremum, à quo sint naturæ malæ. *Quia ergo*, inquit, *bona omnia, sive magna, sive parva, per quoslibet rerum gradus non possunt esse nisi à Deo : omnis enim natura, in quantum natura est, bonum est : Omnis natura non potest esse nisi à summo & vero Deo : quia omnia, etiam non summa bona, sed propinqua summo bono ; & rursus omnia etiam novissima bona, qua longè sunt à summo bono, non possunt esse nisi ab ipso summo bono. Omnis ergo spiritus, etiam mutabilis, & omne corpus à Deo : & hac omnia facta natura. Omnis quippe natura aut spiritus, aut corpus est.*

Et lib. 1. *Contra Adversarium Legis & Prophetarum*, cap. 5. non minùs disertè probat nullam esse naturam malam, quia malum nihil aliud est quàm privatio boni, & non est nisi in re bona : unde sequitur nullum esse malum subsistens, quod in malum Deum velut in Authorem refundatur. *Sed ipsa qua vitia*, inquit, *testimonium perhibent bonitati naturarum. Quod enim malum est per vitium, profectò bonum est per naturam. Vitium quippe contra naturam est, quia natura nocet : nec noceret, nisi bonum ejus minueret. Non est ergo malum, nisi privatio boni. Ac per hoc nusquam est nisi in re aliqua bona. Ac per hoc bona sine malis esse possunt, sicut ipse Deus, & quaque superiora calestia : mala verò sine bonis esse non possunt. Si enim nihil nocent, mala non sunt ; si autem nocent, bonum minuunt : & si amplius nocent, habent adhuc bonum quod minuant : & si totum consumunt, nihil natura remanebit cui noceatur. Ac per hoc, nec malum erit à quo noceatur ; quando natura defuerit, cujus bonum nocendo minuatur.*

Et cap. 16. *Evangelium*, inquit, *Legi veteri comparans Dominus, & non illud malum, quod homines ante didicerant ; sed quod ipse docebat, perfectius esse contestans : Audistis*, inquit, *quia dictum est antiquis, Non occides. Qui autem occiderit, reus erit judicio. Ego autem dico vobis : Quicumque iratus fuerit fratri suo, reus erit judicio : Qui autem dixerit, Racha, reus erit consilio ; Qui autem dixerit, Fatue, reus erit gehenna ignis. Quid tam parvum in peccatis, quàm fratri dicere, Fatue ? Quid tam magnum in suppliciis, quàm gehenna ignis ? Sola Lege, vel Prophetis, iste invenisset aliquem, qui dixisset fratri suo, Fatue, lapidari jussum fuisse divinitus, quanta Deum crudelitatis argueret ? Quis autem, non dico lapidari, sed per singulos artus, imò per singula corporis frusta, paulatim, atque minutatim, vivens, & sentiens dilaniari, consumique non maluisset, quàm gehenna ignibus mancipari ? Absit tamen ut crudeliorem quisquam dicat Evangelii quàm Legis Deum, intelligens utrinsque esse unum & eumdem Deum, in Lege terrentem carnalibus, in Evangelio spiritalibus pœnis : & ibi & hic fidelem, nusquam crudelem.*

§. II.

*Solvuntur argumenta Marcioni in speciem faventia.*

OBjiciebant Marcionitæ. Si Deus bonus, & præscius futuri, & avertendi mali esset, nullo modo passus esset hominem labi de obsequio legis in mortem, circumventum à diabolo. Si enim & bonus, qui evenire tale quid nollet ; & præscius, qui eventurum non ignoraret ; & potens, qui depellere valeret, nullomodo evenisset. Atqui Creator hominem in peccatum labi passus est : ergo non est bonus Deus ; vel non est præscius futuri ; vel non est omnipotens.

Respondeo, nego consecutionem majoris. Hominem enim labi passus est in peccatum, ut ejus libertas eluceret. Nec tamen Deo, sed homini sua malè utenti libertate peccatum tribuendum est. Ita Tertullianus respondet libro 2. contra Marcionem, cap. 5. *Liberum*, inquit, *& sui arbitrii, & sua potestatis invenio hominem à Deo institutum : nullam magis imaginem & similitudinem Dei in illo animadvertens, quàm ejusmodi status formam. Neque enim facie, & corporalibus lineis, tam variis in genere humano, ad uniformem Deum expressus est, sed in ea substantia, quam ab ipso Deo traxit, id est, anima ad formam Dei respondentis, & arbitrii sui libertate & potestate signatus est. Hunc statum ejus confirmavit etiam ipsa lex tunc à Deo posita. Non enim poneretur lex ei, qui non haberet obsequium debitum legi in sua potestate : nec rursus comminatio mortis transgressioni adscriberetur, si non & contemptus legis in arbitrii libertatem homini deputaretur. Tota ergo libertas arbitrii*, inquit Tertullianus cap. 6. *in utramque partem concessa est illi, ut sui Dominus, constanter occurreret & bono sponte servando, & malo sponte vitando.*

*tando . . . Aliàs quale erat ut totius mundi possidens homo, non inprimis animi sui possessione regnaret, aliorum Dominus, sui famulus?*

Cæterùm impedire libertatis usum, imò & abusum, non debuit Deus: *Si enim*, inquit Tertullianus cap. 7. *Semel homini permiserat arbitrii libertatem & potestatem, & dignè permiserat, utique fruendas eas ex ipsa institutionis auctoritate permiserat: fruendas autem quantùm in ipso, secundùm ipsum, id est secundum Deum, id est, in bonum. (Quis enim adversus se permittit aliquid?) quantùm vero in homine, secundùm motus libertatis ipsius. Quis enim non hoc præstat ei, cui semel frui præstat, ut pro animo & arbitrio suo fruatur? Igitur consequens erat ut Deus secederet a libertate semel concessa homini: id est contineret in semetipso & præscientiam suam, & potentiam suam, per quas intercessisse potuisset, quominus homo libertate sua male frui aggressus, in periculum laberetur. Si enim intercessisset, rescidisset arbitrii libertatem, quam ratione & bonitate permiserat.* Non itaque in Deum refundendum est peccatum hominis. *Libertas enim arbitrii*, inquit Tertullianus cap. 9. *non ei culpam respuet à quo data est, sed à quo, non ut debuit, administrata est.* Ille namque non habendus est delicti author, qui invenitur interdictor, imò & condemnator.

Contrà. Homo imago Dei est, & ejus anima est Dei Spiritus: igitur si sit delicti capax, Creator erit etiam capax defectionis.

Respondeo, Hominem neque esse perfectam imaginem Dei, neque animam esse Spiritum Dei, seu substantiæ divinæ portionem, ut Hæretici intellexerunt, sed Dei afflatum. Unde non sequitur Deum esse capacem delicti; vel impeccantiam animæ convenire. Ut enim ait eleganter Tertullianus cap. 9. lib. 2. adversùs Marcionem. *Imago veritati non usquequaque adæquabitur. Aliud est enim secundum veritatem esse, aliud ipsam veritatem esse. Sic & afflatus, cùm imago sit Spiritus, non potest ita imaginem Dei comparare, ut quia veritas, id est, Spiritus, id est, Deus, sine delicto est; ideo & afflatus, id est, imago, non debuerit admisisse delictum. In hoc erit imago minor veritate, & afflatus Spiritu inferior, habens illas utique lineas Dei quà immortalis anima, quà libera & sui arbitrii, quà præscia plerumque, quà rationalis, capax intellectus & scientiæ: tamen & in his imago, & non ad ipsam vim divinitatis; sicut nec usque ad integritatem à delicto; quia hoc soli Deo cedit, id est veritati; & hoc solum imagini non licet. Sicut enim imago, cùm omnes lineas exprimat veritatis, vi tamen ipsa caret, non habens motum: ita & anima imago Spiritus, solam vim ejus exprimere non valuit, id est, non delinquendi fœlicitatem. Cæterùm non esset anima, sed Spiritus; nec homo qui animam sortitus est, sed Deus.*

Objiciebant secundò Marcionitæ. Deus à primordio severus fuit: qui autem à primordio severus est, non est naturâ bonus: Creator igitur non est naturâ bonus.

Respondeo, distinguo Minorem: Si severitatem exerceat absque causa, concedo. Si ex causa, & legitima ratione, nego. Deus porro severitatem à primordio suam non exercuit, nisi creaturæ delicto provocatus, in quam priùs bonitatis suæ divitias effuderat. Sic respondet Tertullianus cap. 11. *Prior bonitas Dei, secundùm naturam; severitas posterior, secundum causam: illa ingenita, hæc accidens: illa propria, hæc accommodata. Nec natura enim inoperatam debuit continuisse bonitatem; nec causa dissimulatam evasisse severitatem. Alteram sibi, alteram rei Deus præstitit. Igitur usque ad delictum hominis, Deus à primordio tantùm bonus*, inquit Tertullianus, *exinde judex & severus. Statim mulier*

A *in doloribus parere, & viro servire damnatur: sed quæ ante sine ulla contristatione, per benedictionem, incrementum generis audierat: sed quæ in adjutorium masculo, non in servitium fuerat destinata. Statim & terra maledicitur, sed ante benedicta. Statim tribuli & spinæ, sed ante fœnum & herba. Statim sudor & labor panis; sed ante ex omni ligno victus immunis, & alimenta secura. Exinde homo ad terram, sed ante de terra. Exinde ad mortem, sed ante ad vitam.* Tantùm itaque abest ut Deus bonus non sit, quia justus & severus est; quin imò bonus non esset, nisi justus esset. *Justitia enim tu-* B *tela est bonitatis*, inquit Africanus noster; *Quia bonitas, nisi justitiâ regatur, non erit bonitas. Nihil enim bonum, quod injustum, bonum autem omne quod justum.*

Præterea, Dei severitas & in peccatores animadversio, bonitatis ipsius consilia juvat, quia pœnarum timor homines à malo avellit. Proinde severitas Deum esse bonum demonstrat. *Quis enim boni author*, inquit Tertullianus cap. 13. *nisi qui & exactor? Proinde quis mali extraneus, nisi qui & inimicus? Quis inimicus, nisi qui & expugnator? Quis expugnator, nisi qui & punitor? Sic totus* C *Deus bonus est, dum pro bono omnia est.*

Addit, In justitia cæteras divinitatis dotes promicare; & ideo ipsam eleganter vocat plenitudinem divinitatis. *Usque adeo*, inquit, *justitia plenitudo est divinitatis ipsius, exhibens Deum perfectum, & Patrem, & Dominum: Patrem, clementiâ; Dominum, disciplinâ: Patrem, potestate blanda; Dominum severa: Patrem, diligendum piè: Dominum, timendum necessario. Diligendum, quia malit misericordiam, quàm sacrificium; & timendum, quia nolit peccatum.*

D Objiciebant tertiò Marcionitæ. Ipse Creator se profitetur conditorem malorum: Amos 3. *Si erit malum in civitate, quod Dominus non fecerit.* Et Isai. 45. *Ego Dominus creans malum:* ergo Creator malus est.

Respondeo distinguo antecedens: Se profitetur conditorem malorum pœnæ, concedo; malorum culpæ, nego. Sic respondet Tertullianus cap. 14. *Quia*, inquit, *mala dicuntur & delicta, & supplicia passim, volunt eum conditorem intelligi malorum, ut & malitiæ author renunsietur. Nos autem adhibita distinctione utriusque formæ, separatis malis delicti, & malis supplicii, malis culpæ, & malis pœnæ, suum* E *cuique parti definimus authorem: malorum quidem peccati & culpæ, diabolum; malorum vero supplicii & pœnæ Deum Creatorem; ut illa pars malitiæ deputetur, ista justitiæ, mala condentis judicia adversùs mala delicti. De his ergo Creator profitetur malis, quæ congruunt judici. Quæ quidem illis mala sunt, quibus rependuntur: Cæterum suo nomine bona, quà justa, & bonorum defensoria, & delictorum inimica, atque in hoc ordine, Deo digna.*

Ita etiam respondet Sanctus Augustinus lib. contra Adimantum Manichæum cap. 26. *Malum*, inquit, *hoc loco, non peccatum, sed pœna intelligen-* F *da est. Dupliciter enim appellatur malum; unum quod homo facit, alterum quod patitur, pœna. De pœnis ergo loquebatur Propheta, cùm hoc diceret. Divina enim providentia cuncta moderante, & gubernante, ita homo malè facit quod vult, ut malè patiatur quod non vult. Ita ergo Deus malum facit, quod non ipsi Deo malum est, sed eis in quos vindicat . . . Et ideo non est contrarium quod Adimantus objicit dixisse Dominum: Arbor bona fructus bonos facit, mala autem arbor malos fructus. Quamvis enim malum sit gehenna damnato; justitia tamen Dei bona, & ipse fructus est ex arbore bona.*

Objiciebant

Objiciebant quartò Marcionitæ. Sævus est, qui patrum delicta in filiis punit : sed Creator patrum delicta in filiis punit : Igitur crudelis est, non bonus. Minor constat ex cap. 20. *Ego sum Deus Zelotes, visitans iniquitatem Patrum in filios*, &c.

Respondeo, distinguo Minorem : Si filii peccata parentum imitentur concedo. Sin minùs, nego. *Quamquam*, inquit Tertullianus, *si Evangelium veritatis accipias, ad quos pertineat sententia reddentis in filios patrum delicta, cognosces : ad illos scilicet, qui hanc ultro sibi sententiam fuerant irrogaturi : Sanguis illius super capita nostra, & filiorum nostrorum.* Sic respondet etiam Sanctus Augustinus lib. contra Adimantum, cap. 7. *Quare*, inquit, *intelligendum est & illud rectum esse, quòd Deus retribuit parentum peccata filiis qui eum oderunt. Ex eo enim quod addidit, Qui me oderunt, intelligitur eos puniri peccatis parentum, qui in eadem perversitate parentum perseverare voluerunt. Tales enim non sævitia, sed potiùs justitia Dei, & sua iniquitate puniuntur. . . . . Quod autem in tertiam, & quartam scriptum est generationem vindictam procedere, non aliud significari arbitror, nisi quòd ab ipso Abraham, qui pater esse incipit populi Judæorum, 4 Ætates sunt, cum ista quæ nunc agitur; una ab Abraham usque ad David : alia à David usque ad transmigrationem in Babyloniam; tertia à transmigratione usque ad Domini adventum : inde usque ad finem quarta deputatur. Quas ætates pro generationibus positas credimus. Et quoniam tertia incipit à transmigratione Babylonia, quando Judæorum est facta captivitas : in quarta vero, id est, post adventum Domini nostri, gens Judæorum à solo proprio penitus eradicata est : hoc datur intelligi, quod dictum est, tertia, & quarta generatione peccata parentum redditurum Deum : his utique legitimè, atque debitè, qui parentum peccata perseverantes tenere, quàm Dei justitiam sequi maluerunt. Nam non pertinere patris peccata ad filium justè viventem, Propheta Ezechiel apertissimè ostendit.*

Ita porrò habet Ezechielis locus sanè luculentissimus, cap. 18. ubi postquam de impio, & ejus pœnis multa præmisit, hæc subjungit : *Quòd si genuerit filium, qui videns omnia peccata patris sui, quæ fecit, timuerit, & non fecerit simile eis . . . . . Judicia mea fecerit, in præceptis meis ambulaverit : hic non morietur in iniquitate patris sui, sed vita vivet . . . . Anima quæ peccaverit, ipsa morietur. Filius non portabit iniquitatem patris : & pater non portabit iniquitatem filii : justitia justi super eum erit, & impietas impii erit super eum.*

Respondeo secundò. Negari posse Majorem, de temporali punitione intellectam. Cùm enim filius sit aliquid patris, meritò patres in filiis puniuntur temporaliter, ut hujusmodi pœnarum suæ posteritati imminentium timore, parentes deterreantur à peccato. Ita respondet Tertullianus cap. 15. lib. 2. contra Marcionem. *Nam*, inquit, *etsi patrum delicta ex filiis exigebat, duritia populi talia remedia compulerat, ut vel posteritatibus suis prospicientes, legi divinæ obedirent. Quis enim non magis filiorum salutem, quàm suam curet? Sed etsi benedictio patrum semini quoque eorum destinabatur, sine ullo adhuc merito ejus; cur non & reatus patrum in filios quoque redundaret, ut per totum genus & gratia decurreret, & offensa? Salvo eo, quod postea decerni habebat : non dicturos : Acidam uvam patres manducasse, & dentes filiorum obstupuisse, id est, non sumpturum patrem delictum filii, nec filium delictum patris; sed unumquemque delicti sui reum futurum, ut post duritiam populi, duritia legis edomita, justitia jam non genus, sed personas judicaret.*

Objiciebant quintò Marcionitæ. Bonus Deus non est, qui talionis legem indixit, qui multos cibos populo suo abstulit; qui ipsum sacrificiorum, operationum, oblationum onere prægravavit. Talis est Deus Creator. Totus igitur ad sævitiam, non ad bonitatem comparatus est.

Respondeo distinguo Majorem : Nisi illa omnia præstiterit in gloriæ suæ, & hominis ipsius bonum, concedo. Si illa præstiterit, tum propter gloriam suam, cùm propter hominum salutem, nego. At Creator hæc omnia ordinavit hunc in finem. Ut enim à lege Talionis incipiamus, hanc Deus tulit, non ut exercendæ injuriæ licentiam daret, sed ut violentiam, paris pœnæ metu, cohiberet. Ita respondet Tertullianus cap. 18. lib. 2. *Sed quæ potiùs legis bona defendam*, inquit, *quam quæ Hæresis concupiit, ut talionis definitionem, Oculum pro oculo, dentem pro dente? Non enim injuriæ mutuo exercendæ licentiam sapit, sed in totum cohibendæ violentiæ prospicit; ut quia durissimo, & in Deum infideli populo longum, vel etiam incredibile videretur à Deo expectare defensam, edicendam postea per Prophetam : Mihi defensam, & ego defendam, dicit Dominus : interim commissio injuriæ metu vicis statim occursura repastinaretur; & licentia retributionis, prohibitio esset provocationis.*

Lex itaque Talionis, vindictam non permittebat, sed primum lenitatis gradum rudi adhuc populo impetrabat, scilicet non rependere pœnam injuriâ graviorem. Quæ lenitas, Christi magisterio ad summum erat gradum provehenda. Hunc nodum ita solvit Sanctus Augustinus lib. contra Adimantum cap. 8. citatum Veteris Testamenti locum cum illo Evangelii concilians, quô præcepit Christus : *Ego dico vobis non resistere malo : sed si quis te percusserit in maxillam, præbe illi & alteram*, &c. *In quibus duabus sententiis*, inquit Sanctus Augustinus, *duorum Testamentorum differentia demonstratur; sed amborum tamen ab uno Deo constitutorum. Nam quoniam primò carnales homines ardebant multò amplius se vindicare, quam erat illa injuria de qua querebantur, constitutus est eis primus lenitatis gradus, ut injuriæ acceptæ mensuram nullo modo dolor vindicantis excederet. Sic enim & donare aliquando posset injuriam, qui eam primo non superare didicisset. Unde Dominus jam per Evangelii gratiam ad summam pacem populum deducens, huic gradui superædificavit alterum : ut qui jam audierat, non ampliorem vindictam, quàm quisque læsus esset, reddere; placatâ mente totum se donare gauderet. Quod etiam in illis veteribus libris Propheta prædicat, dicens : Domine Deus meus, si feci istud; si est iniquitas in manibus meis : si reddidi retribuentibus mihi mala. Et alius Propheta dicit de hujusmodi viro patiente injurias, & lenissimè tolerante : Dabit percutienti se maxillam; saturabitur opprobriis. Ex quo intelligitur, & mensuram vindicandi rectè carnalibus constitutam, & omnimodam injuriæ remissionem non tantùm in Novo Testamento esse præceptam, sed longè ante in Veteri prænuntiatam.*

Et lib. 19. contra Faustum cap. 25. *Proinde*, inquit, *Oculum pro oculo, dentem pro dente, non fomes, sed limes furoris est : non ut id quod sopitum erat, hinc accenderetur; sed ne id quod ardebat, ultra extenderetur. Imposita est enim quædam justa vindicta, justèque debetur ei qui fuerit passus injuriam : unde utique cùm ignoscimus, de nostro quodammodo jure largimur. Unde etiam debita dicuntur, quæ in Oratione Dominica humanitus dimittere monemur, ut nobis & nostra divinitùs dimittantur. Quod autem debetur, etsi benignè dimittitur, non tamen iniquè repetitur : sed sicut in jurando, etiam qui verum jurat, propinquat perjurio, unde longè abest qui omnino non jurat : & quamvis non peccet qui verum jurat, remotior tamen à peccato est qui non jurat : unde admonitio non jurandi, conservatio est à peccatu perjurii;*

*perjurii : Ita cùm peccet, qui per immoderationem injustè vult vindicari; non peccet autem, qui modum adhibens, justè vult vindicari, remotior est à peccato injusta vindicta, qui non vult omnino vindicari.* Totum caput laudatum Sancti Augustini in fonte legi potest.

Quod spectat certorum interdictionem ciborum, illam pariter bonam esse contendo, quia exercendæ continentiæ causa præcepta erat; & ut ad cæteras virtutes abstinentiæ beneficio populus electus formaretur. *Sic cibis detrahit*, inquit, *& immunda pronuntiat animalia, quæ aliquando benedicta sunt, consilium exercendæ continentiæ intellige; & frenos impositos illi gulæ agnosce, quæ cùm Panem ederet Angelorum, cucumeres, & pepones Ægyptiorum desiderabat. Agnosce simul & comitibus gulæ, libidini scilicet atque luxuriæ prospectum, quæ ferè ventris castigatione frigescunt. Proinde ut & pecuniæ ardor restingueretur ex parte, quà de victus necessitate causatur, pretiosorum ciborum ambitio detracta est. Postremò ut faciliùs homo ad jejunandum Deo formaretur, paucis, & non gloriosis escis assuefactus, & nihil de lautioribus esuriturus* (inquit Tertullianus.)

Respondeo secundò, Interdictum esse certis cibis, non quod naturâ immundi essent, sed mystica significatione. Sic respondet S. Augustinus lib. 6. contra Faustum, cap. 7. *Testamento autem Veteri*, inquit, *ubi quidam cibi carnalium prohibentur, cur non sit contraria ista sententia, quæ dicit Apostolus, Omnia munda mundis, &, Omnis creatura Dei bona est : si possunt, intelligant hoc Apostolum de ipsis dixisse naturis : illas autem Literas, propter quasdam præfigurationes tempori congruentes, animalia quædam, non natura, sed significatione immunda dixisse. Ita quòd verbi gratia, si de porco & agno requiratur, utrumque naturâ mundum est, quia omnis creatura Dei bona est : quadam vero significatione agnus mundus, porcus immundus est . . . Immundum quippe illud animal in Lege positum est, eò quòd non ruminet : non autem hoc ejus vitium, sed natura est. Sunt autem homines, qui per hoc animal significantur, immundi, proprio vitio, non naturâ : qui cùm libenter audiant verba sapientiæ, postea de his omnino non cogitant. Quod enim utile audieris, velut ab intestino memoriæ, tanquam ad os cogitationis, recordandi dulcedine revocare, quid est aliud quàm spiritaliter quodammodo ruminare? Quod qui non faciunt, illorum animalium genere figurantur. Unde & ipsa à talibus carnibus abstinentia tale vitium nos cavere præmonuit.*

Quod denique spectat multitudinem sacrificiorum, & oblationum, respondeo, Deum ista imperasse propter bonum hominum, ut eos his observantiis illigatos, ab idololatria in quam propensi erant, avocaret. Sic respondet Tertullianus cap. 18. lib. 2. contra Marcionem. *Sacrificiorum onera*, inquit, *& operationum, & oblationum negotiosas scrupulositates nemo reprehendat quasi Deus talia sibi proprie desideraverit, qui tam manifestè exclamat : Quò mihi multitudinem sacrificiorum vestrorum? Et quis exquisivit ista de manibus vestris? Sed illam Dei industriam sentiat, quæ populum pronum in Idololatriam & transgressionem, ejusmodi officiis Religioni suæ voluit adstringere, quibus superstitio sæculi agebatur, ut ab ea avocaret illos, sibi jubens fieri, quasi desideranti, ne simulachris faciendis delinqueret.*

*Sed & in ipsis commerciis vitæ*, pergit Tertullianus cap. 19. *& conversationis humanæ, domi, & foris, ad usque curam vasculorum, omnifariam distinxit : ut istis legalibus Disciplinis occurrentibus ubique, ne ullo momento vacarent à Dei respectu. Quid enim faceret beatum hominem, quàm, In lege Domini voluntas ejus? Et in lege Domini meditabitur die ac nocte? Quam legem non duritia promulgavit Authoris : sed ratio summæ benignitatis, populi*

A *potiùs duritiam edomantis, & rudem obsequio fidem operosis officiis dedolantis : ut nihil de arcanis attingam significantis Legis, spiritalis scilicet, & Propheticæ, & in omnibus penè argumentis figuratæ. Sufficit enim in præsenti, si simpliciter hominem Deo obligabat, ut nemo eam reprobare debeat, nisi cui non placet Deo deservire.*

Eamdem doctrinam tradit Sanctus Gregorius Nazianzenus, Oratione 42. *Propterea*, inquit, *nobis adjumenti causà Lex datur, velut maceria quædam inter Deum & Idola interjecta, ab his quidem nos abducens, ad illum autem revocans. Ac paulùm*
B *quiddam primo indulget, ut majus accipiat. Sacrificia ad tempus concedit, ut Deum in nobis inferat : at postea, cum commodum fuerit, ipsa quoque Sacrificia de medio tollat, mirâ sapientiâ per tacitas subtractiones animos nostros sensim immutans, atque ad Evangelium traducens, jam ad obediendum exercitatos, & assuefactos. Sic igitur, atque his de causis Lex scripta introducta est, ad Christum nos colligens. Atque hæc Sacrificiorum est ratio.*

Contrà. Sacrificia Legis veteris mala erant : siquidem erant simillima Sacrificiis, quæ falsis Numinibus offerebantur. Ergo à Malo Deo imperata sunt.

C Respondeo, nego antecedens. *Tantum enim interest inter Sacrificia Paganorum, & Hebræorum*, (inquit Sanctus Augustinus lib. 21. contra Faustum, cap. 10.) *quantùm inter imitationem errantem, & præfigurationem prænuntiantem. Sicut autem non ideo contemnenda vel detestanda est virginitas Sanctimonialium, quia & Vestales Virgines fuerunt : sic non ideo reprehendenda Sacrificia Patrum, quia sunt & Sacrificia Gentium; quia sicut inter illas virginitates multum distat, quamvis nihil aliud distet, nisi quæ cui voveatur, atque reddatur : sic inter Sacrificia Paganorum & Hebræorum multum distat, eo ipso*
D *quòd hoc solum distat, quæ cui sint immolata, & oblata : illa scilicet superbæ impietati dæmoniorum, idipsum sibi ob hoc arrogantium, quo haberentur Dii, quia divinus honor est Sacrificium : Illa verò uni Deo, ut ei offerretur similitudo promittens veritatem Sacrificii, cui erat offerenda ipsa reddita veritas in Passione Corporis & Sanguinis Christi.*

Contrà. Si idem esset Veteris & Novi Testamenti Deus, Sacrificia, oblationes, cæteræque observantiæ, quæ præceptæ erant in Veteri Testamento, in Novo prohibitæ non essent. Alias sibi ipsi Deus ille contradiceret. Ergo non est idem Ve-
E teris & Novi Testamenti Deus.

Respondeo, nego majorem. Hæc enim cùm ad Christum figurandum pertinerent universa, & promissiones essent gratiæ per ipsum exhibendæ; ipsâ veritate affulgente, & gratia per Jesum Christum data, impleta sunt. Sic respondet Sanctus Augustinus libro 19. contra Faustum, cap. 18. *Quid ergo habent isti*, inquit, *unde Legi & Prophetis calumnientur, quòd eos Christus solvere venerit potiùs, quàm adimplere; quia Christiani non observant quæ ibi præcepta sunt, cùm ea sola non observent, per quæ Christus promittebatur, & ideo non observent magis,*
F *quia eadem promissa jam Christus implevit : nec adhuc promittuntur, quia jam impleta sunt; eorùmque promissiva signa in eis terminari debuerunt, quos fides Christi hæc adimplentis jam talibus imbutos invenerat?* Deinde recensitis Decalogi præceptis, quæ à Christianis observari ait, quamvis ad veterem legem etiam pertinerent, hujus discriminis rationem hanc profert : *Hæc*, inquit, *Præcepta sunt morum; illa Sacramenta sunt promissorum : hæc implentur per adjuvantem gratiam; illa per redditam veritatem; utraque per Christum, & illam semper gratiam donantem, nunc etiam revelantem; & hanc veritatem tunc promittentem, nunc exhibentem : quia Lex per Moysem data est, Gratia & veritas per Je-*

*sum Christum facta est. Denique ista, quæ in rectè vivente conscientia conservantur, fide per dilectionem operante complentur: illa verò quæ in promittente significatione versata sunt, rebus redditis transierunt. Ita & ipsa non soluta, sed impleta sunt; quin ea non irrita, nec fallacia Christus ostendit, cùm id quod eorum significatione promittebatur, exhibuit.*

Nec ideo secum pugnat Creator, quòd tam diversa præcepta tradiderit hominibus, quia eorum statui accommodata erant. Id præclaro exemplo explicat Sanctus Augustinus libro 32. contra Faustum, cap. 14. *Sicut æger,* inquit, *non debet reprehendere medicinalem doctrinam, si aliud illi hodie præceperis, aliud cras, prohibens etiam quod ante præceperas; sic enim se habet sanandi ejus corporis ratio: ita genus humanum ab Adam usque ad finem sæculi, quandiu corpus quod corrumpitur, aggravat animam, ægrum atque saucium, non debet divinam reprehendere medicinam, si in quibusdam hoc idem, in quibusdam verò aliud priùs, aliud posteriùs observandum esse præcepit; præsertim quia se aliud præcepturum esse promisit.*

Objiciebant sextò Marcionitæ, Deum Veteris Testamenti repudium uxoris permisisse: Novi verò Testamenti Authorem prohibuisse dimissionem uxoris, his verbis: *Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.* Adeoque non esse eundem Deum.

Respondeo, Illegitimam fore consequentiam, etsi verum esset antecedens. At illud falsum est. Nam repudium uxoris non permisit approbando, sed tolerando, ad duritiam cordis, ut Christus in Evangelio exposuit, Matth. 19. *Quanta enim duritia erat,* (inquit Sanctus Augustinus libro 19. contra Faustum, cap. 29.) *quæ nec per libelli interpositionem, ubi dissuadendi locus justis & prudentibus tribuebatur, solvi & flecti posset ad recipiendam, vel revocandam conjugii charitatem: ita Dominus quid Lex & bonis præciperet, & duris permitteret, ejusdem Legis testimonio declaravit, cùm & non dimittendam uxorem, & eadem Scriptura commemoratà conjunctione masculi & fœminæ monuit, divinamque auctoritatem ejusdem conjunctionis exposuit: & dandum libellum repudii, propter duritiam, vel domandi, vel indomiti cordis ostendit.*

Objiciebant septimò Marcionitæ verba Apostoli 2. ad Corinthios 4. *In quibus Deus hujus sæculi excæcavit mentes infidelium.* Ex quibus colligebant alium esse Deum hujus sæculi, qui spiritalis excitatis, omniumque malorum author esset. Alium bonorum omnium fontem, & suprà omnem principatum & potestatem evectum.

Respondet Sanctus Irenæus, In isto S. Pauli loco, ut in pluribus aliis, hyperbaton esse, seu vocis transpositionem, & genitivum istud, *hujus sæculi*, referendum esse ad hæc verba, *infidelium mentes*, non ad hoc nomen Deus, eundemque esse illius sententiæ sensum, ac si dixisset Apostolus: *Deus excæcavit mentes infidelium hujus sæculi.* Lege S. Irenæum, libro 3. adversùs Hæreses cap. 7. Hanc etiam expositionem probat Sanctus Augustinus lib. 21. contra Faustum, cap. 2. Nec ideo malum esse Deum sequitur: quia excæcatio illa pœna est, quam ipsorum peccatis infligit, *Spargens pœnales cæcitates super illicitas cupiditates*, ut ait alicubi Sanctus Augustinus. Quod etiam loco mox citato docet his verbis: *Potest etiam talis operatio, quæ excæcantur mentes infidelium, secundùm quemdam modum pertinere ad verum Deum; quod non facit malitiâ, sed justitiâ*, &c.

Respondeo secundò, His verbis, *Deus hujus sæculi*, non intelligi Creatorem, sed diabolum, qui mentes infidelium malis suasionibus, & tentationibus excæcat. Huic responsioni suffragatur Sanctus

A Augustinus lib. 21. contra Faustum, cap. 9. *Ubi*, inquit, *etiam si quis diabolum intellexerit excæcare mentes infidelium, non negamus, malis suasionibus, quibus qui consentiunt, justitia tamen amittunt, Deo retribuente quod justum est.* Et infrà: *Perturbati homines non intelligunt in uno eodemque opere malo, non postea consequente alia, quæ manifesta erit, sed quadam continuò comitante vindicta, aliud venire de astutia suadentis, aliud de nequitia volentis, aliud de justitia punientis: cùm diabolus suggerit, homo consentit, Deus deserit.*

Objiciebant nonò Marcionitæ. Qui præcipit fornicationem, non est bonus Deus: sed Deus Veteris B Testamenti præcepit fornicationem; cùm dixit Oseæ Prophetæ: *Vade, sume tibi uxorem fornicationum, & fac tibi filios fornicationum.* Quis igitur eum bonum prædicet?

Respondeo, nego minorem. Non enim præcepit Deus Prophetæ ut cum muliere illa fornicaretur, sed ut eam, quæ fornicata priùs erat, ad meliorem frugem revocatam, duceret uxorem, ad Gentium vocationem significandam. Sic respondet Manichæis, qui idipsum objiciebant, Sanctus Augustinus libro 22. contra Faustum, cap. 80. *Quid enim*, inquit, *adversum clementia veritatis, quid inimicum* C *Fidei Christianæ, si meretrix, relicta fornicatione, in castum conjugium commutetur; & quid tam incongruum, & alienum à fide Prophetæ, quam si non crederet omnia peccata impudica dimissa esse in melius commutata? Itaque cùm meretricem Propheta fecit uxorem, & ad vitam corrigendam mulieri consultum est; & figura Sacramentorum, de quo mox loquemur, expressum.* Lege cap. 89. ejusdem libri.

Objiciebant decimò Marcionitæ. Bonus Deus rapinam & fraudem non mandat. Atqui Deus Hebræorum fraudem & rapinam imperavit: igitur malus est. Minor evidens est. Jussit enim spoliari D Ægyptios ab Hebræis.

Respondeo, nego minorem. Non enim rapina fuit, sed merces laborum. Ita respondet Tertullianus lib. 2. contra Marcionem cap. 20. *Reposcunt*, inquit, *Ægyptii de Hebræis vasa aurea, & argentea. Contra, Hebræi mutuas petitiones instituunt, allegantes sibi mercedes restitui oportere illius operariæ servitutis, pro laterinis deductis, pro civitatibus, & villis ædificatis.* Hac de re conjicit actum utrinque per Legatos, & tandem Ægyptios pretiosæ illi supellectili renuntiasse. Demum sic colligit: *Igitur si bona Hebræorum causa, bona jam & causa, id est,* E *mandatum Creatoris, qui Ægyptios gratos fecit nescientes, & suum populum in tempore expeditionis angusto aliquo solatio tacitæ compensationis expunxit. Planè minùs exigi jussit: Hebræis enim etiam filios Ægyptii restituere debuerant.*

Sic & Sanctus Augustinus lib. 22. contra Faustum, cap. 71. ubi de Israëlitis Ægyptios spoliantibus hæc habet: *Carnalis itaque adhuc ille populus erat, & rerum terrenarum cupiditate occupatus; Ægyptii verò sacrilegi, & iniqui: nam & auro illo male utentes ad Creatoris injuriam, Idolis suis serviebant: &* F *homines peregrinos labore gratuito injustè ac vehementer afflixerant. Digni ergo erant & isti quibus talia juberentur, & illi qui talia paterentur. Et fortè secundùm suas voluntates, & cogitationes, Hebræi magis permissi sunt facere ista, quàm jussi: sed eis Deus permissionem suam per famulum suum Moysem innotescere voluit, quando mandavit ut diceret. Fieri autem potest ut sint alia causa occultissima, cur hoc illi populo divinitus dictum sit: sed divinis imperiis cedendum obtemperando, non resistendum est disputando.*

Objiciebant undecimò Marcionitæ. Sibi ipsi contrarius est Deus Judæorum: contraria siquidem præcipit. Prohibet enim operari Sabbato, & jubet

bernihilominus Arcam circumferri Sabbato in expugnatione Civitatis Jericho. Vetat fieri simulachra; & Moysi præcipit extructionem & erectionem ænei Serpentis; & effigies Cherubim & Seraphim in Arca fieri imperat.

Respondeo, nego antecedens. Prohibuit enim Sabbato Deus opera servilia, non verò opera Religionis, & charitatis. Sic respondet S. Irenæus lib. 4. adversùs Hæreses, cap. 19. *Continere se*, inquit, *jubebat eos Lex ab omni opere servili, id est, ab omni avaritia, quæ per negotiationem, & reliquo actu terreno agitatur: animæ autem opera, quæ fiunt per sententiam, & sermones bonos, in auxilium eorum qui proximi sunt, adhortabatur fieri: & propter hoc Dominus arguebat eos qui injustè exprobrabant ei quia Sabbatis curabat. Non enim solvebat, sed adimplebat Legem Summi Sacerdotis operam faciens, propitians pro hominibus Deum*, &c.

Sic respondet & Tertullianus cap. 21. lib. 2. contra Marcionem. *Nec Sabbati*, inquit, *inspicias legem, opera humana, non divina prohibentem. Siquidem, Sex*, inquit, *diebus operare, & facies omnia opera tua, septima autem die, Sabbata Domino Deo tuo: non facies in ea omne opus. Quod? Utique tuum. Consequens enim est, ut ea opera Sabbato auferret, quæ sex diebus supra indixerat: tua scilicet, id est humana, & quotidiana. Arcam verò circumferre, neque quotidianum opus videri potest, neque humanum: sed & rarum, & sacrosanctum, & ex ipso tunc Dei precepto utique divinum.* Huic solutioni Sanctus Augustinus suffragatur, lib. contra Adimantum, cap. 22. Quod simulachra spectat, Deus illa prohibuit, ut Idololatriam cohiberet. Subjicit enim, *Non adorabitis ea. Serpentis autem Ænei effigies postea præcepta Moysi à Domino, non ad Idololatriæ titulum pertinebat, sed ad remediandos eos, qui à serpentibus infestabantur*, inquit Tertullianus cap. 22. libri 2. contra Marcionem. *Sic & Cherubim & Seraphim aurea in Arca figuratum exemplum, certè simplex ornamentum longè diversas habendo causas ab Idololatria conditione, ob quam similitudo prohibetur, non videntur similitudinum prohibitarum legi refragari.*

Objiciebant duodecimò Marcionitæ. Creator inconstans est & ignorans: inconstans, quia pœnitentiæ obnoxius, *Pœnitet quod Regem fecerim Saul.* Jonæ 3. *Pœnituit Dominum de malitia quam dixerat facturum se Ninivitis, nec fecit.* Ignorans est, ut patet ex illis interrogationibus: *Adam ubi es?* & ad Cain, *Ubi est Abel frater tuus?* Igitur alius est Deus præter Creatorem.

Respondeo, nego antecedens. Ad probationem dico, Pœnitentiam longè alio sensu Deo tribui quàm hominibus. Illi metaphoricè, his propriè. Hanc solutionem tradit aliis paulò verbis Tertullianus c. 24. libri 2. contra Marcionem. *Non enim*, inquit, *si hominem ex recordatione plurimùm delicti, interdum & ex alicujus boni operis ingratiâ pœnitet, ideo & Deum proinde. In quantum enim Deus nec malum admittit, nec bonum damnat, in tantum nec Pœnitentiæ boni & mali apud eum locus est. Nam & hoc tibi eadem Scriptura determinat*, cùm nempè de Deo ait: *Non convertetur, neque pœnitentiam aget, quia non sicut homo est ad pœnitendum. Hæc itaque definitio aliam formam divinæ pœnitentiæ statuit, quæ neque ex improvidentia, neque ex levitate, neque ex ulla boni, aut mali operis damnatione reputetur, sicut humana.... Nihil enim aliud intelligitur, quàm simplex conversio sententiæ prioris, quæ etiam sine reprehensione ejus possit admitti, etiam in homine nedum in Deo, cujus omnis sententia caret culpa. Nam & in Græco sono pœnitentiæ nomen, non ex delicti confessione, sed ex animi demutatione compositum est, quam apud Deum, pro rerum variantium sese occursu regi ostendimus.* Sic & Sanctus Augustinus respondet lib. 1. contra Adversarium Legis & Prophetarum cap. 20.

Porro Deus interrogabat Adam, inquit Tertullianus cap. 25. libri 2. contra Marcionem, *Non incertus admissi, neque ignarus loci. Enimvero oportebat conscientiâ peccati delitescentem, evocatum prodire in conspectum Domini, non sola nominis inclamatione, sed cum aliqua jam tunc admissi sugillatione. Nec enim simplici modo, id est, interrogatorio sono legendum est, Adam ubi es? Sed impresso, & incusso, & imputativo, Adam ubi es? id est, In perditione es, jam hic non es, ut increpandi & dolendi exitus vox sit.* Igitur *Interrogabat Deus quasi incertus, ut & hic liberi arbitrii probans hominem, in causa aut negationis, aut confessionis, daret ei locum sponte confitendi delictum, & hoc nomine relevandi.* Idem de Cain dicendum est.

## ARTICULUS II.

*Quo Nuptiarum bonitas, & sanctitas Matrimonii adversùs Marcionem vindicatur.*

I. NUptias licitas esse, & bonas contra Marcionem, Encratitas, Manichæos, aliasque pestes, plurima & locupletissima Scripturæ sacræ testimonia evincunt. 1. Verba Christi, Math. 19. *Non legistis, quia qui fecit hominem ab initio, masculum & fœminam fecit eos? Et dixit: Propter hoc dimittet homo patrem, & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne unâ. Itaque jam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.*

Christus nuptiis in Cana Galileæ interfuit, ibique primum miraculorum suorum patravit Joann. 2. cap. Porro si nuptiæ malæ essent, eas præsentia sua non decorasset, neque miraculo illustrasset.

Apostolus 1. ad Corinthios 7. *Iis autem qui matrimonio juncti sunt*, inquit, *præcipio, non ego; sed Dominus, uxorem à viro non discedere.* Et infrà: *Si acceperis uxorem, non peccasti, & si nupserit virgo, non peccavit.* Et ad Ephesios 5. non solùm bonum esse matrimonium, sed Sacramentum esse disertè asserit. *Mulieres*, inquit, *viris suis subditæ sint sicut Domino: quoniam vir caput est mulieris: sicut Christus caput est Ecclesiæ: ipse Salvator corporis ejus. Sed sicut Ecclesia subjecta est Christo, ita & mulieres viris suis in omnibus. Viri diligite uxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam: & seipsum tradididit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquæ, in verbo vitæ... Ita & viri debent diligere uxores suas ut corpora sua. Qui suam uxorem diligit, seipsum diligit. Nemo enim unquam carnem suam odio habuit: Sed nutrit, & fovet eam, sicut & Christus Ecclesiam: quia membra sumus corporis ejus, de carne ejus, & de ossibus ejus. Propter hoc relinquet homo patrem, & matrem suam, & adhærebit uxori suæ: & erunt duo in carne una. Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico, in Christo & in Ecclesia.* Et 1. ad Timotheum 4. *Spiritus autem manifestè dicit: Quia in novissimis temporibus discedent quidam à fide, attendentes spiritibus erroris, & doctrinæ dæmoniorum, in hypocrisi loquentium mendacium, prohibentium nubere.* Denique ad Hebræos cap. 13. *Honorabile connubium in omnibus, & thorus immaculatus.*

II. Hunc errorem Marcionis & Encratitarum, refellit Clemens Alexandrinus lib. 3. Stromatum pag. 335. *Intemperantiam*, inquit, *& fornicationem, diabolica vitia, & affectiones nos quoque confitemur. In moderato autem matrimonio intercedit consensio, & ad precationem continenter deducens, & ad pro-*

*creandos liberos cum honestate concilians. Cognitio quidem à Scriptura dictum est semper liberorum procreationis, cùm dixit : Cognovit autem Adam Evam uxorem suam, & concepit & peperit filium, & nominavit nomen ejus Seth : suscitavit enim mihi Deus aliud semen pro Abel. Vides quemnam maledictis incessant, qui honestam ac moderatam incessunt seminationem. & diabolo attribuunt generationem.*

Et infrà : *Sed nec eum qui ex conjugali surgit cubili, similiter ut olim, tingi nunc quoque jubet divina per Dominum providentia : non enim necessariò à liberorum abducit procreatione, qui credentes per unum baptismum, ad consuetudinem omni ex parte perfectam abluit Dominus, qui etiam multa Mosis baptismata per unum comprehendit baptismum. Olim itaque Lex, per carnalem generationem, nostram prædicens regenerationem, propter generantem seminis facultatem adhibebat baptismum, non abhorrens hominis generationem.* Et infrà : *Si [illegible], peccatum est Matrimonium, quod est ex lege, nescio quomodo quis dicet se Deum nosse, dicens Dei jussum esse peccatum. Quòd si Lex sancta est, sanctum est matrimonium. Mysterium ergo hoc ad Christum & Ecclesiam ducit Apostolus.* Subjungit & alia ibidem in eundem scopum Clemens Alexandrinus. Multa de eodem argumento habes lib. 2. Pædagogi, cap. 10. ubi de honestate à conjugibus servanda in liberorum procreatione agit.

III. Eundem errorem profligat Tertullianus multis in locis. Lib. 1. contra Marcionem, cap. 29. ubi contra illum Hæresiarcham hæc scribit : *Non tinguitur apud illum caro, nisi virgo, nisi vidua, nisi cælebs, divortio baptisma mercata. . . . Sine dubio ex damnatione conjugii institutio ista constabit. Videamus an justa, non quasi destructuri fælicitatem sanctitatis, ut aliqui Nicolaitæ assertores libidinis, atque luxuriæ : sed qui sanctitatem sine nuptiarum damnatione noverimus, & sectemur, & præferamus : non ut malo bonum, sed ut bono melius. Non enim projicimus, sed deponimus nuptias : Nec præscribimus, sed suademus sanctitatem : servantes & bonum, & melius pro viribus cujusque sectando. Tunc denique conjugium exertè defendentes, cùm inimicè accusatur spurcitia nomine, in destructionem Creatoris, qui proinde conjugium pro rei honestate benedixit, crementum generis humani, quemadmodum & universum conditionis, in integros, & bonos usus. Non ideo autem & cibi damnabuntur, quia operosiùs exquisiti, in gulam committunt ; ut nec vestitus ideo accusabuntur, quia pretiosiùs comparati, in ambitionem tumescunt. Sic nec matrimonii res ideo despuentur, quia intemperantiùs diffusa in luxuriam inardescunt.*

Probat deinde Marcionitas adversari sanctitati, cùm sanctitatis prætextu nuptias impugnant, quia sine nuptiis sanctitas non esset. Deesset quippe abstinentiæ à voluptatibus matrimonialibus materia, adeoque & meritum. *Unde jam dicam*, inquit, *Deum Marcionis, cùm matrimonium ut malum, & impudicitiæ negotium reprobat, adversus ipsam facere sanctitatem, cui videtur studere : materiam enim ejus tradit. Quia si nuptiæ non erunt, sanctitas nulla est. Vacat enim abstinentiæ testimonium, cùm licentia eripitur.*

Demum probat optimum Deum nuptias prohibere non debuisse. *Quomodo enim*, inquit, *salvum hominem voles, quem vetat nasci, de quo nascitur, auferendo? Quomodo habebis in quo bonitatem suam signet, quem esse non patitur? Quomodo diligis, cujus originem non amas? Timet forsitan redundantiam sobolis, ne labores, plures liberando, ne multos facias hæreticos, ne generosiores habeat Marcionitas ex Marcionitis.* Legatur & lib. 5. contra Marcionem, cap. 15. & cap. 18. ubi Matrimonium Sacramenti nomine cohonestat. *Sufficit inter ista*, inquit, *si Creatoris magna sunt apud Apostolum. Sacramenta, minima apud hæreticos. Sed, Ego autem dico, inquit, in Christum, & in Ecclesiam. Habet interpretationem, non separationem Sacramenti. Ostendit figuram Sacramenti ab eo præministratam, cujus erat utique Sacramentum.* Lege etiam cap. 3. lib. 1. ad Uxorem : & cap. 9. libri secundi ad eamdem, ubi hæc habet : *Unde sufficiamus ad enarrandam fælicitatem ejus matrimonii, quod Ecclesia conciliat, & confirmat Oblatio, & obsignat benedictio : Angeli renuntiant, Pater rato habet? Quale jugum fidelium duorum unius spei, unius voti, unius disciplinæ, ejusdem servitutis? Ambo fratres, ambo conservi, nulla spiritus carnisve discretio, atquin verè duo in carne una.*

IV. Hunc errorem damnavit Synodus Gangrensis Canone 1. *Si quis*, inquit, *vituperat nuptias, & dormientem cum viro suo fidelem ac religiosam detestatur, aut culpabilem æstimat, velut quæ in regnum Dei introire non possit, anathema sit.* Et Canone 9. *Si quis vel virginitatem, vel continentiam professus, tanquàm abominabiles nuptias judicat, & non propter hoc solum, quòd continentiæ & virginitatis bonum sit, sanctumque propositum, anathema sit.* Et Canone 14. *Si qua mulier virum proprium relinquens, discedere voluerit, nuptias execrans, anathema sit.*

V. Eundem errorem feriunt verba Innocentii I. Epistola 9. quæ est ad Probum, in qua gratiam Christianorum Matrimonio annexam disertè testatur : ex quo sequitur illud nedum bonum esse, sed & Sacramentum. *Statuimus*, inquit, *Fide Catholica suffragante, illud esse conjugium, quod primitùs erat gratiâ divinâ fundatum : conventumque secundæ mulieris, priore superstite, nec divortio ejectâ, nullo pacto posse esse legitimum.*

VI. Sanctus Chrysostomus Homilia 20. in Epistolam ad Ephesios, matrimonium Sacramentum esse innuit, explicans hæc verba, *Sacramentum hoc magnum est &c. Interim autem dicit, In Christo dico, quoniam & ipse dimisso Patre descendit, & venit ad Sponsam, & factus est in Spiritum unum. . . . Revera est magnum mysterium, eo qui procreavit, qui genuit, qui educavit : eâ quæ concepit, quæ cum dolore peperit, qui tot & tantis affecerunt beneficiis, cum quibus diuturnus fuit usus & consuetudo, relictis, ei adhærere, quæ ne visa quidem fuit, & cum eo nihil habet commune, & eam omnibus præferre, revera est mysterium.* Legatur & Sanctus Hieronymus in Commentario ad cap. 5. Epistolæ ad Ephesios.

VII. Sanctus Augustinus Matrimonii sanctitatem pluribus in locis vindicat, ipsique Sacramenti dignitatem asserit lib. de Bono Conjugali, cap. 7. *Conjugalis*, inquit, *concubitus generandi gratia non habet culpam ; concupiscentiæ verò satianda, sed tamen cum conjuge, propter fidem thori, venialem habet culpam : adulterium verò, sive fornicatio, lethalem habet culpam : ac per hoc melior est quidem ab omni concubitu continentia, quàm vel ipse Matrimonialis concubitus, qui fit causa gignendi. Sed quia continentia illa meriti amplioris est, reddere verò debitum conjugale nullius est criminis ; exigere autem ultra generandi necessitatem, culpæ venialis ; fornicari verò, vel mœchari, puniendi criminis : cavere debet charitas conjugalis, ne dum sibi quærit unde ampliùs honoretur, conjugi faciat unde damnetur. Qui enim dimittit uxorem suam, excepta causa fornicationis, facit eam mœchari. Usque adeo fœdus illud initum nuptiale, cujusdam Sacramenti res est, ut nec ipsa separatione irritum fiat.* Et infra : *Tantùm valet illud sociale vinculum conjugum, ut cum causa procreandi colligetur, nec ipsâ causâ procreandi solvatur. Posset enim homo dimittere sterilem uxorem, & ducere de qua filios habet : & tamen non licet . . . Quod tamen*

si

*si non licet, sicut divina regula præscribere videtur, quem non faciat intentum quid sibi velit tanta firmitas vinculi conjugalis? Quod nequaquam puto tantum valere potuisse, nisi alicujus rei majoris ex hac infirma mortalitate hominum quoddam Sacramentum adhiberetur, quod deserentibus hominibus, atque id dissolvere cupientibus, inconcussum illis maneret ad pœnam. Siquidem interveniente divortio, non aboletur illa confœderatio nuptialis: ita ut sibi conjuges sint etiam separati: cum illis autem adulterium committant, quibus etiam fuerint post suum repudium copulati: nec tamen nisi in civitate Dei nostri, in monte sancto ejus, talis est causa cum uxore.* Ex quibus colligo, Nuptias nedum Sacramentum esse, quia hoc illas nominē Sanctus cohonestat Augustinus: verùmetiam quia illas indissolubilitatem non obtinere nisi in Ecclesia profitetur. Cùm itaque id omne habeant infidelium nuptiæ, quod fidelium, præter sanctitatem Sacramenti; sequitur conjugalis vinculi firmitatem ex Sacramenti ratione, ad quam contractus ille à Christo evectus est, esse repetendam.

Et capite 18. Matrimonium in ratione Sacramenti cum Baptismo confert. *Sacramentum*, inquit, *nuptiarum temporis nostri, sic ad unum virum, & unam uxorem redactum est, ut dispensatorem Ecclesiæ non liceat ordinare, nisi unius uxoris virum. Quod acutiùs intellexerunt, qui nec eum, qui Catechumenus, vel Paganus habuerit alteram, ordinandum esse censuerunt: de Sacramento enim agitur, non de peccato: nam in baptismo peccata omnia dimittuntur. Sed qui dixit: Si acceperis uxorem, non peccasti, &c. satis declaravit nuptias nullum esse peccatum: propter Sacramenti autem sanctitatem (sicut fœmina etiamsi Catechumena fuerit vitiata, non potest post Baptismum inter Dei Virgines consecrari) ita non absurdè visum est, eum qui excessit uxorum numerum singularem, non peccatum aliquod commisisse, sed normam quamdam Sacramenti amisisse, non ad vitæ bonæ meritum, sed ad Ordinationis Ecclesiasticæ signaculum necessariam.* Et infrà: *In nostrarum nuptiis plus valet sanctitas Sacramenti, quam fœcunditas uteri.*

Et cap. 24. *Bonum igitur nuptiarum per omnes Gentes, atque omnes homines in causa generandi est, & in fide castitatis. Quod autem ad populum Dei pertinet, etiam in sanctitate Sacramenti, per quam nefas est, etiam repudio discedentem, alteri nubere, dum vir ejus vivit, nec saltem ipsâ causâ pariendi. Quæ cùm sola sit quâ nuptiæ fiunt, nec ea re non subsequente propter quam fiunt, solvitur vinculum nuptiale, nisi conjugis morte. Quemadmodum si fiat Ordinatio Cleri ad plebem congregandam, etiamsi plebis congregatio non subsequatur, manet tamen in illis ordinatis Sacramentum Ordinationis: & si aliqua culpa quisquam ab officio removeatur, Sacramento Domini semel imposito non carebit, quamvis ad judicium permanente. Generationis itaque causa fieri nuptias, Apostolus ita testis est: Volo*, inquit, *juniores nubere, filios procreare, matres-familiæ esse. Ad fidem autem castitatis illud pertinet: Uxor non habet potestatem corporis sui, sed vir. Similiter & vir non habet potestatem corporis sui, sed mulier. Ad sacramenti autem sanctitatem illud: Uxorem à viro non discedere; quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari; & vir uxorem non dimittat. Hæc omnia bona sunt, propter quæ nuptiæ bona sunt, proles, fides, Sacramentum.*

Et lib. 1. de Nuptiis, & Concupiscentia, cap. 10. *Quoniam*, inquit, *non tantùm fœcunditas, cujus fructus in prole est; nec tantum pudicitia, cujus vinculum est fides; verùmetiam quoddam Sacramentum nuptiarum commendatur fidelibus conjugatis: unde dicit Apostolus, Viri, diligite uxores vestras, sicut Christus dilexit Ecclesiam: hujus procul dubio Sacramenti res est, ut mas & fœmina connubio copulati, quamdiu vivunt, inseparabiliter perseverent, nec liceat, exceptâ causâ fornicationis, à conjuge conjugem dirimi. Hoc enim custoditur in Christo & Ecclesia, ut vivens cum vivente in æternum nullo divortio separetur. Cujus Sacramenti tanta observatio est in Civitate Dei nostri, in Monte sancto ejus, hoc est, in Ecclesia Christi, quibusque fidelibus conjugatis, qui sine dubio membra sunt Christi, ut cùm filiorum procreandorum causa vel nubant fœminæ vel ducantur uxores, nec sterilem conjugem fas sit relinquere, ut alia fœcunda ducatur. Quod si quisquam fecerit, non lege hujus sæculi, ubi interveniente repudio, sine crimine conceditur cum aliis alia copulare connubia: sed lege Evangelii, reus est adulterii: sicut etiam illa, si alteri nupserit. Usque adeo manent inter viventes semel inita jura nuptiarum, ut potiùs sint inter se conjuges, qui ab alterutro separati sunt, quàm cum his, quibus aliis adhæserunt . . . , Ita inter viventes manet quoddam vinculum conjugale, quod nec separatio, nec cum altero copulatio possit auferre: manet autem ad noxam criminis, non ad vinculum fœderis: sicut apostata anima velut de conjugio Christi recedens, etiam fide perdita, Sacramentum fidei non amittit, quod lavacro regenerationis accepit.*

Et cap. 11. Triplex Matrimonii bonum commendat, quod in connubio Sancti Josephi & Deiparæ Virginis agnoscit. *Omne itaque nuptiarum bonum*, inquit, *impletum est in illis Parentibus Christi, Proles, Fides, Sacramentum. Prolem cognoscimus ipsum Dominum Jesum: Fidem quia nullum adulterium: Sacramentum, quia nullum divortium.* Ex quibus & aliis plurimis Sancti Augustini testimoniis evidens est; Matrimonium Sacramenti dignitatem obtinere; & non veterum duntaxat Hæreticorum nuptias damnantium error, sed & Lutheri Hæresis, Matrimonio Sacramenti rationem denegans, profligatur.

VIII. Sanctus Leo Epistola 92. ad Rusticum Narbonensem data eosdem errores confodit his verbis: *Cum societas nuptiarum ita ab initio constituta sit, ut præter sexuum conjunctionem, haberet in se Christi & Ecclesiæ Sacramentum; dubium non est eam mulierem non pertinere ad Matrimonium, in qua non docetur nuptiale fuisse mysterium.*

Legatur etiam Sanctus Bernardus Sermone 66. in Cantica, ubi quosdam sui temporis Hæreticos, nuptias condemnantes refellit.

IX. Concilia, Lateranense IV. Constantiense, Florentinum, & Tridentinum, Sacramenti dignitatem Matrimonio asserunt. Ut enim alia prætermittam, Tridentinum Sessione 24. Canone 1. sic decernit: *Si quis dixerit, Matrimonium non esse verè & propriè Legis Evangelicæ Sacramentum à Christo Domino institutum, & gratiam non conferre, anathema sit.*

Objicitur primò in gratiam Marcionis, & aliorum Hæreticorum. Quod secundùm indulgentiam duntaxat conceditur, non secundùm imperium, bonum non est: siquidem indulgentia culpam supponit, quæ condonetur. Sed Matrimonium concedit Apostolus secundùm indulgentiam duntaxat, non secundùm imperium, 1. ad Corinthios 7. ergo Matrimonium bonum asseri non debet.

Respondeo, nego Minorem. *Non enim*, ut Sanctus Augustinus notat libro de Bono Conjugali, cap. 10. *Nuptias secundùm veniam concedit Apostolus. Nam quis ambigat absurdissimè dici, non eos peccasse, quibus venia datur? Sed illum concubitum secundùm veniam concedit, qui fit per incontinentiam, non sola causâ procreandi, sed etiam aliquando nullâ causâ procreandi, quem nuptiæ non fieri cogunt, sed*

*ignosci impetrant : Si tamen non ita sit nimius, ut impediat, quæ seposita esse debent, tempora orandi, nec immutetur in eum usum qui est contra naturam. Concubitus enim necessarius causâ generandi, inculpabilis, & solus ipse nuptialis est. Ille autem qui ultra istam necessitatem progreditur, non rationi, sed libidini obsequitur. Et hunc tamen non exigere, sed reddere conjugi, ne fornicando damnabiliter peccet, ad personam pertinet conjugalem. Si autem ambo tali concupiscentia subiguntur, rem faciunt non planè nuptiarum. Verumtamen si magis in sua conjunctione diligunt quod honestum, quàm quod inhonestum est; id est, quod est nuptiarum, quàm quod non est nuptiarum, hoc eis authore Apostolo, secundùm veniam conceditur; cujus delicti non habent hortatrices nuptias, sed deprecatrices, si Dei misericordiam non à se avertant; vel non abstinendo quibusdam diebus, ut orationibus vacent, & per hanc abstinentiam, sicut per jejunia, commendent preces suas; vel immutando naturalem usum in eum qui est contra naturam; quod damnabilius fit in conjuge.* Et cap. 13. *Quod ergo præcipiunt conjugatis Apostoli, hoc est nuptiarum : quod autem venialiter concedunt, aut quod impedit orationes, non cogunt nuptiæ, sed ferunt.*

Et lib. 1. de Nuptiis & Concupiscentia, cap. 14. *Ubi ergo venia danda est, aliquid esse culpa nulla ratione negabitur. Cùm igitur culpabilis non sit generandi intentione concubitus, qui propriè nuptiis imputandus est, quid secundum veniam concedit Apostolus, nisi quod conjuges, dum se non continent, debitum ab alterutro carnis exposcunt, non voluntate propaginis, sed libidinis voluptate? Quæ tamen voluptas non propter nuptias cadit in culpam, sed propter nuptias accipit veniam. Quocirca etiam hinc sunt laudabiles nuptiæ, quia & illud quod non pertinet ad se, ignosci faciunt propter se.*

Contrà. Quod non potest esse absque libidine, peccatum est : sed nuptiale commercium non potest esse absque libidine; ergo peccatum est. Ergo & Matrimonium ipsum est peccatum.

Respondeo primò, nego ultimam consequentiam; verum enim Matrimonium esse potest absque commixtione sexuum : *Quibus enim placuit, ex consensu, ab usu carnalis concupiscentiæ in perpetuum continere, absit ut inter illos vinculum conjugale rumpatur : imo firmius erit, quo magis ea pacta secum inierint, quæ chariùs concordiùsque servanda sunt, non voluptariis corporum nexibus, sed voluntariis affectibus animorum* (inquit Sanctus Augustinus lib. 1. de Nuptiis & Concupiscentia cap. 11.) Quod exemplo Sancti Joseph & Deiparæ Virginis probat, quos inter verum conjugium intercessit.

Respondeo secundò distinguo Minorem : Si non possit esse absque libidine dominante, concedo; si non possit esse absque libidine serviente, nego. Porro nuptiale commercium sine libidine dominante esse potest. Unde Sanctus Augustinus cap. 12. libri mox laudati, negat istud esse peccatum, si fiat intentione generandi : *Quia bona voluntas animi sequentem ducit, non ducentem sequitur corporis voluptatem; nec humanum arbitrium trahitur subjugante peccato; cùm justè redigitur in usum generandi plaga peccati. Hujus plaga quidam pruritus in adulteriorum & fornicationum, & quorumlibet stuprorum, atque immunditiarum fœditatibus regnat; in connubiorum verò necessitudinibus servit. Ibi de domino tali turpitudo damnatur : hîc de pedissequo talis honestas verecundatur. Non est igitur hæc libido nuptiarum bonum, sed obscœnitas peccantium, lasciviarum ardor, nuptiarum pudor.* Et cap. 17. *In nuptiis tantùm bona nuptialia diligantur, proles, fides, Sacramentum... Carnis autem concupiscentia non est nuptiis imputanda, sed toleranda. Non est enim ex naturali connubio veniens bonum, sed ex antiquo peccato accidens malum.*

Et cap. 7. Libidinem à nuptiarum bono discernendam esse probat exemplo primorum parentum. *Quod enim*, inquit, *illi propagatione postea fecerunt, hoc est connubii bonum : quod vero prius confusione texerunt, hoc est concupiscentiæ malum, quod vitat ubique conspectum, & quærit pudendo secretum. Proinde nuptiæ, quia etiam de illo malo aliquid bonum faciunt, gloriantur : quia verò sine illo fieri non potest, erubescunt. Tanquam si quispiam pede vitiato, ad aliquod bonum claudicando perveniat, nec propter claudicationis malum mala est illa perventio; nec propter illius perventionis bonum, bona est claudicatio : ita nec propter libidinis malum, nuptias condemnare; nec propter nuptiarum bonum, libidinem laudare debemus.*

Contrà. Libido frequentiùs dominatur conjugatis : ergo nuptiæ peccati proxima sunt occasio, ideòque malæ censendæ sunt.

Respondeo distinguo antecedens : Vitio conjugum, concedo : vitio nuptiarum, nego. Porro, ut ait Sanctus Augustinus libro de Bono Conjugali, cap. 14. *Quod sit nuptiarum considerandum est, non quid nubentium, & immoderatiùs nuptiis utentium : Neque enim si agris iniquè ac perperam invasis ita quisque utatur, ut ex eorum fructibus largas eleemosynas faciat, ideo rapinam justificat. Neque si alius ruri paterno vel justè quæsito avarus incumbat, ideo culpanda est juris civilis regula, qua possessor legitimus factus est. Nec tyrannicæ factionis perversitas laudabilis erit, si regia clementia Tyrannus subditos tractet : nec vituperabilis ordo Regiæ potestatis, si Rex crudelitate tyrannica sæviat. Aliud est namque injustâ potestate justè velle uti, & aliud est justa potestate injustè velle uti. Ita nec concubinæ ad tempus adhibitæ, si filiorum causa concumbant, justum faciunt concubinatum suum : nec conjugatæ, si cum maritis lasciviant, nuptiali ordini crimen imponunt.*

Contrà. Fons originalis peccati malus est : sed peccatum originale ex nuptiis, & nuptiali commercio velut ex fonte derivatur; ergo nuptiæ malæ sunt.

Respondeo nego Minorem. Nam ut ait Sanctus Augustinus libro 1. de Nuptiis & Concupiscentia, cap. 24. *Natos non ex bono, quo bonæ sunt nuptiæ, sed ex malo concupiscentiæ, quo bene quidem utuntur nuptiæ, de quo tamen erubescunt & nuptiæ, reos diabolus parvulos tenet.* Itaque, inquit idem Pater, *Ita nuptiarum bonum malo originali, quod inde trahitur, non potest accusari : sicut adulteriorum, & fornicationum malum bono naturali, quod inde nascitur, non potest excusari. Nam sicut peccatum, sive hinc, sive inde à parvulis trahatur, opus est Diaboli : sic homo, sive hinc, sive inde nascatur, opus est Dei. Intentio igitur hujus libri hæc est, ut quantùm nos Dominus adjuvare dignatur, carnalis concupiscentiæ malum, propter quod homo, qui per illam nascitur, trahit originale peccatum, discernamus à bonitate nuptiarum. Hæc enim, quæ ab impudentibus impudenter laudatur, pudenda concupiscentia nulla esset, nisi homo ante peccasset; nuptiæ verò essent, etiamsi nemo peccasset. Fieret quippe sine isto morbo seminatio filiorum in corpore vitæ illius, sine quo nunc fieri non potest in corpore mortis hujus.* Lege caput 21. ejusdem libri.

Objectio secunda petitur ex Apostolo 1. ad Corinthios 7. dicente, *Melius est nubere, quàm uri*. Quod *sic accipiendum est* (inquit Tertullianus libro de Castitatis Exhortatione, cap. 4.) *quomodo melius est uno oculo, quàm duobus carere : Si tamen à comparatione discedas, non erit melius unum oculum habere, quia nec bonum.* Igitur nec bonum est absolutè nubere.

Respondeo,

Respondeo, Apostolum his verbis non innuere A quòd nuptiæ malæ sint, cum continentia comparatæ: sed quòd minus bonum sint. Qua de re Sanctus Augustinus libro de Bono Conjugali, cap. 8. præclarè ait: *Non ergo duo mala sunt connubium, & fornicatio, quorum alterum est pejus: sed duo bona sunt connubium & continentia, quorum alterum est melius. Sicut ista temporalis sanitas, & imbecillitas non sunt duo mala, quorum alterum pejus: sed ista sanitas, & immortalitas duo bona sunt, quorum alterum melius. Item scientia & vanitas, non duo mala sunt, quorum vanitas pejus: sed scientia & charitas, duo bona sunt, quorum charitas est* B *melius.*

Tertullianus porro locum Apostoli malè interpretatus ibi est, in transversum actus errore Montanistarum, ad quos jam defecerat. Hic enim liber unus ex iis est, quos contra Ecclesiam scripsit. Quanquam hoc absolutè nuptias malas esse asseruit, quas potiùs propugnavit per se optimas (ut constat ex probationibus) sed alteras tantùm nuptias malas esse, secundùm Montani dogma, pugnaciter defendit, ut ex antecedentibus, & consequentibus perspicuum est.

Objicitur tertiò. Quod purificationem postu- C labat in Lege, peccatum est: sed nuptiale commercium purificationem postulabat in Lege (Levit. 15.) ergo peccatum est. Ergo & nuptiæ malæ sunt.

Respondeo, nego Majorem. Hic enim purificationis ritus ad aliud significandum imperatus est, non ad conjugalis actus vitium aliquod innuendum, si sit absque libidine dominante. Nam *Sicut multa Lex ponit in Sacramentis & umbris futurorum*, inquit Sanctus Augustinus lib. de Bono Conjugali, cap. 20. *Quædam in semine quasi materialis informitas, quæ formata corpus hominis reddituræ* D *est, in significatione posita est vita informis, & inerudita: a qua informitate quoniam oportet hominem doctrinæ forma & eruditione mundari, in hujus rei signum illa purificatio præcepta est.* Præterea, *Nunquid & mori peccatum est?* (inquit Sanctus Augustinus) *Aut mortuum sepelire non etiam bonum opus humanitatis est? Et tamen purificatio etiam inde mandata est: quia & mortuum corpus vita deserente, peccatum non est, sed peccatum significat animæ deserta à justitia.*

Objectio quarta petitur ex Apostolo ad Galatas E 6. *Qui seminat in carne, de carne metet corruptionem.* In carne autem seminat, qui mulieri jungitur: ergo & is qui uxore utitur, & seminat in carne ejus, de carne metet corruptionem: Nuptiæ igitur malæ sunt.

Respondeo ad hoc argumentum Tatiani Encratitarum Principis, cum Sancto Hieronymo in Commentar. ad cap. 6. Epistolæ ad Galatas, Hæc Apostoli verba nullatenus nuptias spectare. Non enim dixit Paulus: *Qui seminat in carne, sed in carne sua. Nemo autem secum ipse concumbit, & in sua carne seminat. Deinde, ut observationem hanc, quam annotavimus, in carne sua, ex abundanti ei concedamus, addendum est eos quoque qui comedant, & bibant, & dormiant, & aliquid faciant ob refrigerium corporis, juxta illum, seminare in carne, & de ea metere corruptionem. Quòd si ad hoc confugerit, ut dicat, eos qui sive bibant, sive manducent, sive dormiant, in nomine tamen Domini omnia cum ratione perficiant, non in carne seminare, sed in spiritu: & nos ei similiter respondebimus, eos quoque qui Dei primam rationem sequantur, cum ratione facientes: Crescite & multiplicamini, replete terram, non in carne, sed in spiritu seminare. Syllogismus itaque ejus futilis & caducus, sophismate primum decepit audientem. Cæterum diligenter inspectus facile* A *solvitur. Neque enim possumus dicere, Abraham, Isaac & Jacob, & alios sanctos viros, qui de repromissione nati sunt, ipsum quoque Domini Præcursorem, quia in carne natus est, de corruptionis germine pullulasse.*

Objicitur quintò. Quod homines impedit ne ad Cœnam mysticam Patris familiâs admittantur, malum est: sed nuptiæ sunt hujusmodi. Unus enim ex invitatis ait, Lucæ 14. *Uxorem duxi, & ideo non possum venire.* Igitur nuptiæ malæ sunt.

Respondeo nego Minorem. *Qui enim dicit,* B *Uxorem duxi, non possum venire ad divinam Cœnam, est quidem exemplum ad eos arguendos, qui propter voluptates abstinent à divino mandato: Nam hac ratione nec qui justi fuere ante adventum, nec qui post adventum uxores duxerunt, servabuntur, etiamsi sint Apostoli.* Sic respondet Clemens Alexandrinus, libro 3. Stromatum, pag. 339.

## DISSERTATIO XV.

C

### Adversùs Valentinianos.

---

### ARTICULUS PRIMUS.

*Quo Æonum fabula subvertitur.*

HANC fabulam Sanctus Irenæus validissimis rationibus confutavit libro 2. adversùs Hæreses.

D Prima ratio ostendit quòd Demiurgus seu rerum Creator non possit esse extra Pleroma, id est, extra universum, & quòd supra eum non sit alius Deus. *Quemadmodum enim*, inquit, *poterit super hunc alia plenitudo, aut potestas, aut alius Deus esse, cùm oporteat Deum horum omnium Pleroma in immenso omnia circumcontinere, & circumcontineri à nemine? Si autem extra illum est aliquid, jam non continet omnia. Deerit enim Pleromati, aut ei qui sit super omnia Deo, hoc quod extra eum esse dicunt. Quod autem deest, & delibatum est ab aliquo, hoc* E *non est omnium Pleroma: & terminum autem, & medietatem, & finem habebis ad eos qui sunt extra eum. Si autem finis est in ea quæ sunt deorsum, initium est in ea quæ sunt sursum.*

Secunda ratio hæc est. *Secundùm Valentinianos, est aliquid extra Pleroma, in quod & superiorum erraticam virtutem descendisse opinantur. Illud igitur quod extra Pleroma est, ipsum Pleroma continet: alioquin extra illud non esset. Id porro quod continet, eo quod continetur, majus est. Quod autem majus est, id & firmius est, & magis Dominus: & quod majus est, & firmius, & magis Dominus, hoc erit Deus.*

Tertia ratio. *Si in immensum distant Pleroma, &* F *quod est extra illud*, ut fingunt Valentiniani, *tertium quid admitti necesse est, quod in immensum ea separet; & hoc tertium circumdefiniet & continebit utraque: erit igitur majus, utpote sinu suo utraque continens. Ex quo rursus sequitur, quòd in infinitum de his quæ continentur, & de his quæ continent, incidet sermo. Si enim tertium hoc initium habebit in superiora, & finem in inferiora; necesse est & à lateribus definiri illud, ita ut vel inchoet, vel desinat ad alia quædam, & illa rursus ad alia, & hoc usque in infinitum.*

Quarta ratio. *Oportet aut unum esse qui omnia continet, & fecit: aut multos rursus indeterminatos factores, & Deos, ab invicem quidem incipientes, &* ad

ad invicem desinentes per omnem partem, & alios omnes à foris ab alterutro quodammodo contineri. Hoc vero posito, sequitur neminem horum omnium esse Deum. Unicuique enim eorum deerit aliquid, & solvetur omnipotentis appellatio. Præterea, Unusquisque Deus contentus erit, non curiosè aget de alienis: Si quominus, injustus erit, & avarus, & cessans esse quod Deus est.

Quinta ratio. Peccant Valentiniani somniantes Angelos, præter voluntatem primi Dei omnia condidisse. Quasi efficaciores sint Angeli, quàm Deus, aut rursus quasi ille negligens sit, aut minor existens, aut nullam curam habens eorum, quæ in propriis ipsius fiant, utrum malè fiant, an bene; aut illud quidem dissipet, ac prohibeat, illud autem laudet & gaudeat. Hoc autem ne homini quidem solerti applicet quis; quantò magis Deo? Has quinque rationes profert Sanctus Irenæus lib. 2. cap. 1.

Sexta ratio. Vel sciente Propatore, id est, primo rerum omnium Patre, fabricatum est hoc universum, vel ignorante: Si ignorante, non omnium erit præscius Deus. Si autem præscius est, & mente contemplatus est mundi conditionem, ipse fecit eam, qui & præformavit eam in semetipso. Nec enim possibile erat alium quidem mente concipere, alium verò facere quæ ab illo concepta fuerant..... Quod autem à Patre universorum mente conceptum est & præformatum, sic quemadmodum & factum est, labiis dicere fructum, & ignorantiæ, magna blasphemia est. Hæc lib. 2. cap. 3.

Septima ratio impugnat Umbram, & Vacuitatem, quam fingunt Valentiniaoi, hoc pacto: Vacuum illud vel emissum est ab omnium Patre, vel non. Si emissum ab eo est, simile est ei qui emisit, & his cum quibus emissum est. Ergo necesse est primarios Æonas, cùm sint Bython & Sige, Vacuo similes esse: & reliquos Æonas, cùm sint Vacui fratres, vacuam & substantiam habere. Si autem non est emissum, sed à se natum est, erit coævum Bytho omnium Patri, & ejusdem naturæ, & honoris.

Octava ratio demonstrat absurdum esse ut Bythus permiserit Angelos, & Demiurgum in aliqua labe creari, quam postea emendaverit. Qui enim postea emendat labem, multomagis prohibere poterat, ne initio in suis fieret talis macula. Vel si initio quidem concessit, quoniam aliter fieri non poterant: oportet & semper sic fieri illa. Quæ enim initio non possunt emendationem percipere, quemadmodum hanc postea percipient? Præterea, si ideo quod benignus sit, in novissimis temporibus misertus est hominum, & perfectum eis dat; illorum primò misereri debuit, qui fuerunt hominis factores, & dare eis perfectum. Sic utique & homines miserationem percepissent, de perfectis perfecti facti. Si enim operis ipsorum misertus est, multo priùs illorum misereri debuit. Hæc libro 2. cap. 4.

Nona ratio ostendit Demiurgum, & Angelos non potuisse ignorare summum Patrem, sive primum supremumque Deum. Quomodo enim illum ignorabant; cùm in ejus propriis essent, & creatura existerent ejus, & continerentur ab ipso? Invisibilis quidem poterat eis esse propter eminentiam, ignotus autem nequaquam propter providentiam. Etenim licet valde per descensionem separati essent ab eo, ut aiebant, sed tamen dominio in omnes extenso, oportuit cognoscere dominantem ipsorum. Unde etiam si nemo cognoscit Patrem nisi Filius, neque Filium nisi Pater & quibus Filius revelaverit: tamen hoc ipsum omnia cognoscunt, quoniam ratio mentibus infixa moveat ea, & revelet eis; Quoniam est unus Deus omnium Dominus.... Aut nunquid hi qui sub Romanorum Imperio sunt, quamvis nunquam viderint Imperatorem, sed valde & per terram, & mare separati ab eo, cognoscent propter dominium, eum qui maximam habet potestatem Principatûs? Qui autem super nos erant Angeli, non cognoscent Omnipotentem, quando jam & muta animalia tremant, & cedant tali invocationi, & utique non viderunt eum; tamen Domini nostri nomini subjecta sunt omnia: sic & unus qui omnia fecit, & condidit vocabulo, cùm alter non sit, quàm ipse qui mundum fecit. Et propter hoc Judæi usque nunc hac ipsa advocatione dæmones effugant, quando omnia timeant invocationem ejus qui fecit ea. Si itaque mutis animalibus irrationabiliores noluerint Angelos esse, invenient quoniam oportebat (licet non vidissent hi eum qui super omnia Deus est) uti cognoscerent potentatum & dominium ejus. Hæc libro 2. cap. 5.

Decima ratio evincit non esse facta hæc ioferiora à Salvatore in honorem superiorum Æonum, & secundùm ipsorum imagines. Si enim secundùm imaginem illorum quæ sursum sunt, facta sunt hæc à Salvatore in honorem eorum, semper ea oportet perseverare, ut semper sint in honore superiores illi Æones. Si autem transeunt, quæ utilitas brevissimi hujus honoris? Vana igitur gloriæ appetitor magis erit Salvator, quàm honorans ea quæ sunt sursum. Quis enim honor est æternorum, ea quæ sunt temporalia? Eorum quæ stant, transitoria? Incorruptibilium, corruptibilia? Quandoquidem & apud homines qui sunt temporales, nulla gratia est ejus honoris qui celeriter præterit; sed ejus qui plurimùm, quantùm potest, perseverat. Quæ autem, statim ut facta sunt, examinantur, in contumeliam magis eorum, qui putantur honorari, facta esse justè dicentur: & contumeliosè tractari id quod est æternum, corruptâ, & solutâ ejus imagine. Hæc lib. 2. cap. 6.

Undecima ratio. Si hæc inferiora secundùm similitudinem superiorum facta sunt; illa rursus ad quorum similitudinem erant facta? Si enim mundi Fabricator non à semetipso fecit hæc, sed quemadmodum nullius momenti artifex, & quasi primùm discens puer, de alienis Archetypis transtulit: Bythus ipsorum unde habuit speciem ejus, quam primùm emisit, dispositionis? Consequens est igitur illum ab altero quodam, qui super eum est, exemplum accepisse, & illum rursus ab altero, & sic in immensum de imaginibus excidet sermo, nisi stemus in uno Artifice Deo, qui à semetipso fecit ea quæ facta sunt.

Denique, Homines à semetipsis multa adinvenerunt utilia ad vitam; ergo multòmagis Deus qui mundum consummavit, à semetipso formavit speciem eorum quæ facta sunt, & adinventionem ornatæ dispositionis. (Ibidem.)

Duodecima ratio idipsum probat, scilicet inferiora ista non esse superiorum imagines. Quæ enim sunt contraria, contrariis quidem suis exitiosa esse possunt, imagines esse non possunt: quemadmodum aqua igni, & lumen tenebris. Sic nec ea quæ sunt corruptibilia, & terrena, & composita, & prætereuntia, spiritalium imagines erunt. (Ibidem.)

Decima tertia ratio petitur ex omnium hominum consensu. Primùm quidem, A Veteribus hanc à Primoplasti traditione suadelam custodientibus, & unum Deum Fabricatorem cæli & terræ hymnizantibus. 2. à consensu eorum qui sub Lege vixerunt, Qui id à Prophetis accepere. Tertiò ex consensu Ethnicorum, Qui ab ipsa conditione didicerunt. Ipsa enim conditio Conditorem ostendit, & mundus manifestat eum qui se disposuit. 4. Ex consensu omnis Ecclesiæ per universum orbem, quæ hanc accepit ab Apostolis traditionem (libro 2. cap. 9.)

Decima quarta ratio Valentinianum Systema undequaque concutit, & funditus evertit. Primò, quia reliquis Æonibus annumerant Propatorem. At Pater omnium reliquæ emissioni accenseri non debet;

debet; qui non est emissus, ei quæ emissa est; & innatus ei quæ nata est; & Æoni passibili, ac in errore constituto, qui est impassibilis, & non errans. 2. Quia sermo & silentium in eodem Pleromate cohærere non possunt, cùm se invicem destruant, sicut lux & tenebræ. 3. Quia si conjugationes Æonum ab ipsis positæ veræ sunt, non triginta solùm, sed quatuor insuper numerari debent Æones, scilicet Horon, Christus, Spiritus Sanctus & Salvator. 4. Quia vanè comminiscuntur, quòd Bythus, id est, Profundum, & Cogitatio, Mentem prodixerint: cùm contra Cogitatio à Mente emittatur. 5. Quia absurdum est ut Enthymesis sive consilium, & inquisitio, Deo tribuatur, cujus cogitationes multùm absimiles sunt cogitationibus hominum: & rursus absurdum est ut sensus à Deo, qui totus sensus est, separetur. 6. Quia si Deus emittit sensum, compositus erit, siquidem separabitur aliquid ab eo, quod priùs inerat, scilicet sensus. 7. Quod ab aliquo emittitur, in aliquod subjectum emittitur: Quid autem subjacebat antiquius sensu Dei? Quantus autem erat locus, ut susciperet, & caperet Dei sensum? 8. Quia prolatitium verbum transferunt in Dei Verbum æternum, prolationis initium, & genesim, sicut humano verbo assignantes. *Et in quo distabit Dei Verbum, imò magis ipse Deus, an sit Verbum, à verbo hominum, si eandem habuerit ordinationem & emissionem generationis?* inquit Sanctus Irenæus. 9. Stare non potest quod fabulantur, Vitam sexto loco emissam. Illam enim oportebat omnibus præponere, quia Deus vita est. Hæc persequitur Sanctissimus Pater lib. 2. à cap. 13. ad 19.

Cap. 19. Plagiarios esse Valentinianos demonstrat, qui fabulas suas ex tredecim Philosophorum placitis suffurati sint; quamvis multò verisimilius & gratiùs tradiderint eas Philosophi, quàm Hæretici. Deinde validissimo dilemmate ipsos premit. *Philosophi*, inquit, *cum quibus eadem dicentes arguimini, cognoverunt veritatem, aut non cognoverunt. Si, cognoverunt, superfluus est Salvatoris in hunc mundum descensus. Si non cognoverunt, & cur vos eadem cum ipsis dicentes, vos soles cognitionem eam quæ est super omnia, habere gloriamini, quam illi etiam habent, qui Deum ignorant?*

Decima quinta ratio ab aliis absurdis evertit hypothesim Valentini. Primùm, quia cum Æones sint ejusdem substantiæ cum Principe emissionis ipsorum, aut omnes impassibiles perseverant: aut & Pater ipsorum participavit passiones. Secundùm, quia Christum, qui post Sermonem genitus est, perfectum dicunt emissum fuisse, Sermonem verò imperfectum, & cœcum. Tertiùm, quia Sophiam in ignorantia, & in demonstratione, & in passione fuisse fingunt: quæ aliena sunt à Sophia. Ubi est enim improvidentia, & ignorantia utilitatis, ibi Sophia non est. Hæc cap. 23. 24. & 25. urget Sanctus Irenæus.

Decima sexta ratio probat, quòd Patris exquisitio, & investigatio magnitudinis ejus, neque passionem, neque labem efficere poterat in Æone, sed perfectionem potiùs, & impassibilitatem, & veritatem. *Nec enim ipsi* Valentiniani, *cùm sint homines, excogitantes de eo qui ante ipsos est, & velut jam comprehendentes perfectum, & intra ejus constituti agnitionem, dicunt semetipsos in passione consternationis esse; sed magis in apprehensione veritatis* (capite 28.)

Valentinianorum argumentis respondetur.

Argumenta quibus Valentiniani fabulam illam suam utcumque probare nitebantur, à numeris petita, solvit Sanctus Irenæus cap. 36. & sequentibus. In primis quod dicebant, duodecimi Æonis passionem per Judam demonstrari, qui duodecimus erat Apostolus, per quem Christus traditus est, ipsorum figmentum non juvare, sed evertere ostendit. Nam Judas ejectus est è numero duodecim Apostolorum, nec in locum suum restitutus est. Æon verò cujus typum Judam gessisse effutiebant, nimirum Sapientia, separata ejus Enthymesi, restituta est, & revocata ad dodecadem. Convenientiùs itaque juxta fictitium systema suum dixissent, duodecimum Æonem ejectum fuisse de pleromate, & alium in locum ejus emissum; sicut è duodenario numero ejectus est Judas, & Mathias in locum ejus adlectus.

Præterea, Judas non est passus, sed passurum tradidit Christum; quomodo igitur typus & imago esse poterat passi Æonis? Tertiò, si propter hoc electi sunt Apostoli duodecim, ut per eos numerus 12. Æonum significetur: & 70. Discipuli in typum Æonum 70. electi dicendi sunt. Non igitur triginta duntaxat Æonas, sed octoginta & duos factos effutiant Valentiniani.

Æquè futile ac ineptum ostendit esse argumentum, quod ex duodecim annis infirmitatis Hemorrissæ eruebant, ad probandam Æonis duodecimi passionem. Illa namque mulier undecim annis passa est, & duodecimo sanata: Typus igitur potiùs fuisse dicenda esset undecim Æonum, quàm duodecimi Æonis, adeoque dicendum esset undecim Æonas passos esse. Præterea, non solùm hac in muliere anni infirmitatis descripti sunt, quos figmento suo coaptant: sed ecce & alia mulier similiter decem & octo annis infirmata, sanata est, de qua Dominus ait; *Hanc autem filiam Abrahæ, quam alligavit Satanas decem & octo annis, non oportebat solvi in die Sabbathi?* Si ergo illa typus erat duodecimi Æonis passi, & hæc typus decimioctavi Æonis passi esse debuit. Sed & alius quidam sanatur à Domino *Triginta & octo annos habens in infirmitate:* Trigesimum octavum igitur Æonem passum dicant. Sic istorum Hæreticorum deliramentis respondet Sanctus Irenæus lib. 2. cap. 40.

Aliud argumentum ex annis Christi conficiebant, & 30. Æonum inde colligebant numerum, quod Christus 30. annos natus ad Baptismum venisset, & completa solidi anni curriculo prædicatione, passus esset. Illud porro argumentum solvens S. Irenæus, in singularem opinionem abit de ætate Christi, quam propè quinquagenariam fuisse asserit. Sed seposita illa sententia, respondet certam dogmatis alicujus probationem ex numeris peti non posse, cùm omnis numerus in Scripturis multifariè positus legatur: ita ut possit quilibet, pro arbitrio suo, non solum octonarium, & decadem, & dodecadem, sed & quemvis alium ex Scripturis numerum colligere, & hunc velut typum assumere conficti à se erroris. Id urget cap. 42. illustratque exemplo quinarii in Scripturis celeberrimi. Enimverò Dominus quinque panes benedicens, satiavit hominum quinque millia. Sapientes Virgines quinque. Cùm Christo Transfigurato quinque viri, Petrus, Jacobus, Joannes, Moyses, & Elias. In Natatoria Piscina quinque porticus. Ipse habitus crucis fines & summitates habet quinque, duos in longitudine, duos in latitudine, & unum in medio. In quinque libris Legem populo Moyses tradidit. Unaquæque tabula Legis quinque præcepta complectebatur. Altitudo altaris holocausti erat quinque cubitorum. An ob hoc quinque Æonas esse dixerunt Valentiniani, & quinionem quasi rem divinam consecrarunt? Apage nugas. *Non ergo regula ex numeris; sed numeri ex regula: nec Deus ex factis; sed ea quæ facta sunt, ex Deo mensurari debent*, inquit Sanctus Irenæus

lib. 2. cap. 43. Sed esto in hujusmodi numeris mysteria lateant, temeritatis notam incurret quisquis illos, uti & quælibet Scripturæ loca in suorum trahet figmentorum patrocinium. Quàm tutius est auscultare Sanctum Irenæum ibidem dicentem: *Si autem aliquis non invenerit causam omnium quæ requiruntur: cogitet quia homo est in infinitum minor Deo, & qui ex parte acceperit gratiam, & qui nondum sit æqualis, vel similis Factori, & quia omnium experientiam & cogitationem habere non possit ut Deus: sed in quantum minor est, ab eo qui factus non est, & qui semper idem est, ille qui hodie factus est, & initium facturæ accepit: in tantum secundum scientiam, & ad investigandum causas omnium, minorem esse eo qui fecit. Non enim infectus es, ô homo! neque semper coexistebas Deo, sicut proprium ejus Verbum: sed propter eminentem bonitatem ejus nunc initium facturæ accipiens, discis à Verbo dispositiones Dei, qui te fecit. Ordinem ergo serva tuæ scientiæ, & ne ut bonorum ignarus, supertranscendas ipsum Deum.* Certè si multa naturæ arcana ignoramus, ut causam inundationis Nili, accessus, & recessus maris; non mirum si plura in Scripturis sacris intelligentiam nostram fugiant. *Si ergo,* (inquit Sanctus Irenæus cap. 47. lib. 2.) *& in rebus creaturæ quædam quidem adjacent Deo; quædam autem & in nostram venerunt scientiam; quid mali est, si & eorum quæ in Scripturis requiruntur, quædam quidem absolvamus secundum gratiam Dei, quædam autem commendemus Deo, & non solum in hoc sæculo, sed & in futuro: ut semper quidem Deus doceat, homo autem semper discat quæ sunt à Deo.*

## ARTICULUS II.

*Quo refellitur error Valentini, asserentis Christum nihil ex B. Maria Virgine sumpsisse, & corpus è cœlo detulisse.*

Refellitur primò hic error ex his verbis Christi, Lucæ ultimo, *Spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere.* Caro namque & ossa terrenum, & ex elementis compositum corpus arguunt, non cœleste.

Refellitur secundò omnibus rationibus, quibus in Panoplia adversùs hæreses primi sæculi probavimus Filium Dei verum corpus nostris simile, & consubstantiale assumpsisse.

Tertiò ex Sancto Irenæo, lib. 3. adversùs Hæreses, cap. 32. *Si non accepit Christus ab homine substantiam carnis*, inquit, *neque homo factus est, neque filius hominis: & si hoc non factus est quod nos eramus, non magnum faciebat quod passus est & sustinuit. Nos autem quoniam corpus sumus de terra acceptum, & anima accipiens à Deo Spiritum, omnis quicunque confitebitur. Hoc itaque factum est Verbum Dei, suum plasma in semetipsum recapitulans, & propter hoc filium hominis se confitetur. Et Apostolus ad Galatas manifestè ait: Misit Deus Filium suum factum de muliere, & ad Romanos: De Filio autem ejus, qui factus est ex semine David, secundum carnem: qui prædestinatus est Filius Dei in virtute. Cæterùm supervacua est in Mariam descensio ejus. Quid enim in eam descendebat, si nihil incipiebat sumere ab ea? Aut si nihil sumpsisset ex Maria, nunquàm eas, quæ à terra erant, percepisset escas, per quas id, quod à terra sumptum est, nutritur corpus: nec 40. diebus, quemadmodum Moyses & Elias, jejunans esuriisset corpus ejus suam quærens escam: sed neo Joannes Discipulus ejus de eo scribens, dixisset: Jesus autem fatigatus in itinere sedebat. Nec David præclamasset in eum: Et super dolorem vulnerum meorum apposuerunt: nec lachrymatus esset super Lazarum, nec sudasset globos sanguinis..... Hæc enim omnia signa carnis, quæ à terra sumpta est; quam in se recapitulatus est, suum plasma salvans.*

Quartò ex Tertulliano, lib. de Carne Christi, cap. 15. *Licuit & Valentino*, inquit, *ex privilegio hæretico, carnem Christi spiritualem comminisci. Quidvis eam fingere potuit, quisquis humanam credere noluit; quando si humana non fuit, nec ex homine; non video ex quâ substantia ipse se Christus hominem & Filium hominis pronuntiavit.* Et laudatis pluribus utriusque Testamenti locis, quibus naturæ humanæ veritas in Christo comprobatur, subjungit, *Hæc sola sufficere vice præscriptionis debuerunt ad testimonium carnis humanæ: & ex homine sumptæ, & non spiritalis, sicut nec animalis, nec siderea, nec imaginaria; si sine studio & artificio contentiosæ hæreses esse potuissent.*

Et cap. 20. *Per Virginem*, inquit, *dicitis natum, non ex Virgine; & in vulva, non ex vulva, quia & Angelus in somnis ad Joseph: Nam quod in ea natum est, de Spiritu Sancto est; non dixit, Ex ea. Nempe tamen etsi, Ex ea dixisset, In ea, dixerat. In ea enim erat, quod ex ea erat. Sed bene quod idem dicit Matthæus originem Domini decurrens ab Abraham usque ad Mariam: Jacob, inquit, generavit Joseph virum Mariæ, ex qua nascitur Christus. Sed & Paulus Grammaticis istis silentium imposuit: Misit, inquit, Deus Filium suum factum ex muliere. Nunquid per mulierem, aut in muliere? Hoc quidem impressius quod factum potiùs dicit, quàm natum: Simpliciùs enim enuntiasset natum. Factum autem dicendo, & Verbum caro factum est, consignavit; & carnis veritatem ex Virgine factam asseveravit. Nobis quoque ad hanc speciem Psalmi patrocinabantur. Accipe Christum, audi Dominum Patri Deo colloquentem: Tu es qui avulsisti me ex utero matris meæ, Spes mea ab uberibus Matris meæ, Super te sum projectus ex vulva. Ab utero Matris meæ Deus meus es tu. Nunc ad sensus ipsos decertemus. Avulsisti, inquit, me ex utero. Quid avellitur, nisi quod inhæret? Quod infixum, innexum est ei, à quo ut auferatur, avellitur? Si non adhæsit utero, quomodo avulsus est? Si adhæsit qui avulsus est, quomodo adhæsisset, nisi dum ex utero est, per nervum illum umbilicarem, quasi folliculi traducem, adnexus origini vulvæ?*

Et cap. 21. *Accedam adhuc cominus ad congressum: Ecce, inquit,* (Isaïas) *Virgo concipiet in utero. Quidnam? Utique Dei Verbum, non viri semen: certè ut pareret Filium. Nam, Et pariet, inquit, filium. Ergo ut ipsius fuit concepisse, ita ipsius est quòd peperit: licet non ipsius fuerit quòd concepit. Contra, si Verbum ex se caro factum est; jam ipsum se concepit, & peperit, & vacat Prophetia. Non enim Virgo concepit, neque peperit, si non quicquid peperit ex Verbi conceptu, caro ipsius est. Sola hæc autem Prophetæ vox evacuabitur? An & Angeli conceptum & partum Virginis annuntiantis? An & omnis jam Scriptura, quæcumque matrem pronuntiat Christi? Quomodo enim mater, nisi quia in utero ejus fuit? Sed nihil ex utero ejus accepit, quod matrem eam faceret, in cujus utero fuit. Hoc nomen non debet caro extranea. Matris uterum non appellat nisi filia uteri ejus. Filia uteri porro non est, si sibi nata est. Tacebit igitur & Elizabeth Prophetam portans, jam Domini sui conscium infantem, & insuper Spiritu Sancto adimpleta. Sine causa enim dicit: Et unde mihi ut mater Domini mei ad me veniat? Si Maria non Filium, sed hospitem in utero gestabat Jesum, quomodo dicit: Benedictus fructus uteri tui? Quis hic fructus uteri, qui non ex utero germinavit? Qui non in utero radi-*

cem

*cem egit? Qui non ejus est cujus est uterus? Et qui utique fructus uteri? Christus...... Ideo hunc fructum ex lumbis David, id est ex posteritate carnis ejus, jurat illi Deus consessurum in Throno ipsius. Si ex lumbis David, quanto magis ex lumbis Mariæ, ob quam in lumbis David?*

Ex cap. 22. *Matthæus fidelissimus Evangelii Commentator, ut comes Domini, non aliam ob causam, quam ut nos originis Christi carnalis compotes faceret, ita est exorsus; Liber genituræ Jesu Christi Filii David, Filii Abraham. His originis fontibus genere manante, cùm gradatim ordo deducitur ad Christi Nativitatem, quid aliud quàm caro ipsa Abrahæ & David per singulos traducem sui faciens, in Virginem usque describitur, inferens Christum?... Sed & Paulus, utpote ejusdem Evangelii & Discipulus, & Magister, & testis, quà ejusdem ipsius Christi Apostolus, confirmat Christum ex semine David secundùm carnem, utique ipsius. Ergo ex semine David caro Christi. Sed secundùm Mariæ carnem ex semine David: ergo ex Mariæ carne est, dum ex semine est David.*

Et infrà: *Quam debemus, & possumus agnoscere in Christo carnis qualitatem? Utique non aliam, quàm Abraham; siquidem semen Abraham Christus: nec aliam, quam Jesse, siquidem ex radice Jesse flos Christus: nec aliam quàm David, siquidem fructus ex lumbis David Christus: nec aliam quàm ex Maria; siquidem ex Mariæ utero Christus. Nec aliam quàm Adam; siquidem secundus Adam Christus. Consequens ergo est ut aut illos spiritalem carnem habuisse contendant, quo eadem conditio substantiæ deducatur in Christo; aut concedant carnem Christi spiritalem non fuisse, quæ non de spiritali stirpe censetur.*

Eumdem refellit errorem Tertullianus ratione ductâ ex forma Christi inelegant, & ex ejus passionibus. *Quæ enumeravimus* (inquit cap. 9.) *adeo terrena testimonia carnis sunt, ut & nostra.... Denique verbis tantummodo & factis, doctrinâ & virtute solâ Christum hominem obstupescebant. Notaretur autem etiam carnis in illo novitas miraculo habita. Sed carnis terrenæ non mira conditio, ipsa erat quæ cætera ejus miranda faciebat, cùm dicerent: Unde huic doctrina, & signa ista? Etiam despicientium formam ejus hæc erat vox: adeo nec humanæ honestatis corpus fuit, nedum cælestis claritatis. Tacentibus apud nos quoque Prophetis de ignobili aspectu ejus, ipsæ passiones, ipsæque contumeliæ loquuntur: passiones quidem humanam carnem, contumeliæ verò inhonestam..... Quid dicis cælestem carnem, quam unde cælestem intelligas, non habes? Quid terrenam negas, quam unde terrenam cognoscas, habes? Esuriit sub Diabolo, sitiit sub Samaritide, lachrymatus est super Lazarum; trepidavit ad mortem. Caro enim*, loquit, *infirma: Sanguinem fudit postremò. Hæc sunt, opinor, signa cœlestia. Sed quomodo*, inquam, *contemni, & pati posset, si quid in illa carne de cælesti generositate radiasset? Ex hoc ergo convincimus nihil in illa de cælis fuisse, propterea ut contemni & pati posset.*

Quintò refellitur hic error auctoritate Sancti Hilarii libro 10. de Trinitate pag. 70. *Quomodo*, inquit, *Filius Dei hominis Filius erit natus, vel manens in Dei forma, formam servi acceperit: Si non potente Deo Verbo ex se & carnem intra Virginem assumere, & carni animam tribuere, homo Christus Jesus ad redemptionem animæ & corporis nostri perfectus est natus: & corpus quidem ita assumpsit, ut id ex Virgine conceptum, formam eum esse servi efficeret? Virgo enim nonnisi ex Sancto Spiritu genuit, quod genuit. Et quamvis tantum ad nativitatem carnis ex se daret, quantùm ex se fœminæ*
A *edendorum corporum susceptis originibus impenderent: non tamen Jesus Christus per humanæ conceptionis coaluit naturam. Sed omnis causa nascendi invecta per Spiritum, tenuit in hominis nativitate quod matris est: cùm tamen haberet ut originis nativitate, quod Dei est.*

Objectio proponitur in gratiam Valentini, ex verbis Christi Joann. 3. *Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo, Filius hominis qui est in cælo*, & Joann. 6. *Ego sum panis vivus, qui de cælo descendi*. Et ex verbis Apostoli 1. ad Corinthios 15. *Primus homo de terra terrenus: Secundus* B *homo de cælo cælestis*. Quæ omnia indicant corpus Christi esse cæleste, & è cœlis delatum. Nam panem vivum corpus suum dixit Salvator, ut constat ex serie capitis laudati Sancti Joannis: hic autem panis de cœlo descendit; corpus igitur Christi descendit è cœlis.

Respondeo, Christum è cœlis descendisse ratione personæ & naturæ divinæ, non ratione corporis assumpti: quod cœleste quidem dici potest, & Panis de cœlo, ratione virtutis quâ formatum in utero Virginis fuit: (compactum siquidem est obumbrante, & agente Spiritu Sancto) non verò ratione substantiæ. Ita hæc Scripturæ sacræ testimonia C Sanctus Hilarius exponit libro 10. de Trinitate pag. 70. *Hinc igitur*, inquit, *maximum illud ac pulcherrimum suscepti hominis Sacramentum Dominus ipse ostendit, dicens: Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo, Filius hominis qui est in cælo. Quòd descendit de cælo, conceptu de Spiritu originis causa est. Non enim ex se corpori Maria originem dedit: licet ad incrementa, partumque corporis omne quod sexus sui naturale est, contulerit. Quod verò hominis Filius est, suscepta in Virgine carnis est partus. Quod autem in cælis est, naturæ* D *semper manentis potestas est: quæ initiata, conditaque per se carne, non se ex infirmitatis suæ virtute intra regionem definiti corporis coarctavit, Spiritus virtute, ac Verbi Dei potestate, in forma servi manens, ab omni intra extraque cæli, mundique circulos, cœli ac mundi Dominus non abfuit. Per hoc ergo & de cælo descendit, & Filius hominis est, & in cælis est: quia Verbum caro factum non amiserat manere quod Verbum est. Nam dum Verbum est, & in cælis est: dum caro est, & hominis Filius est: dum, Verbum est caro factum, & de cælo est, & Filius hominis est, & in cælo est: quia & Verbi virtus* E *non corporalibus modis manens, non deerat unde descenderat, & caro non aliunde originem sumpserat, quam ex Verbo.*

Et mox: *Absolutè autem beatus Apostolus etiam hujus inenarrandæ corporeæ nativitatis Sacramentum locutus est dicens; Primus homo de terra limo; secundus homo de cælo. Hominem enim dicens, Nativitatem ex Virginitate docuit: quæ officio usa materno, sexus sui naturam in conceptu & partu hominis executa est. Et cùm ait: Secundum hominem de cælo, originem ejus ex supervenientis in Virginem Sancti Spiritus aditu testatus est. Atque ita cùm & homo est, & de cælis est, hominis hujus & partus à Virgine est, &* F *conceptus ex Spiritu est.*

Denique ibidem addit: *Ipse autem Dominus hujus nativitatis suæ mysterium pandens, sic locutus est: Ego sum Panis vivus, qui de cælo descendi. Si quis manducaverit de meo pane, vivet in æternum; se panem dicens, Ipse enim sui corporis origo est. At ne Verbi virtus atque natura defecisse à se existimaretur in carne, suum rursum panem esse dixit: ut per hoc quod descendens de cælis panis est, non ex humanæ conceptione origo esse corporis existimaretur, dum cæleste esse corpus ostenditur. At verò cum suus panis est, assumpti per Verbum corporis est professio subjectio*

*jecit enim : Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & Sanguinem ejus biberitis, non habebitis vitam in vobis. Ut quia id quod Filius hominis est, & Panis de cælis ipse descendit, per panem suum de cælo descendentem & per Carnem ac Sanguinem Filii hominis, & concepta ex Spiritu Sancto, & nata ex Virgine carnis intelligatur assumptio.*

Objicitur secundò. Si Christus terrenam carnem assumpsisset, deterioris fuisset conditionis quàm Angeli, qui non terrenæ carnis extiterunt : atqui Christus non fuit deterior Angelis : terrenum igitur corpus non assumpsit.

Deinde caro nostræ carni similis, parem nativitatis conditionem sortita fuisset ; non de Spiritu, nec de Deo ( ut Joannis 1. dicitur ) sed ex viri voluntate. Atqui caro Christi non eandem cum nostra nativitatis conditionem sortita est : ergo non fuit similis nostræ, sed origine & substantia cælestis.

Respondeo distinguo Minorem. Non fuit deterior Angelis, quà Deus, concedo ; quà homo, nego. *Legunt*, inquit Tertullianus libro de Carne Christi cap. 16. *Minorasti eum modicè citra Angelos, & negant inferiorem substantiam Christi ; nec hominem se, sed vermem pronuntiantis : qui nec formam habuit, nec speciem, sed forma ejus ignobilis, despecta citra omnes homines. Homo in plaga, & sciens ferre imbecillitatem. Agnoscunt hominem Deo mixtum, & negant hominem. Mortuum credunt, & quod est mortuum, ex incorruptela natum esse contendunt : quasi corruptela aliud sit à morte.*

Respondeo ad secundum, distinguo Majorem : Caro nostræ similis similiter nata fuisset, si caro esset hominis meri, concedo ; si caro esset hominis Deo mixti, id est, personaliter unita Deo, nego. Christus autem est *Homo Deo mixtus*, ut cum Tertulliano loquamur. Unde etsi novo modo, & planè mirabili natus ex Virgine est, Spiritu Sancto fœcundatâ, carnem tamen habuit ejusdem cum nostra conditionis quantùm ad substantiam. *Ex Deo* igitur *natus est Christus ; quà Verbum Dei* ( inquit Tertullianus cap. 19. libri citati ) *quà caro autem, non ex sanguine, nec ex carnis, & viri voluntate : quia ex Dei voluntate Verbum caro factum est. Ad carnem enim, non ad Verbum pertinet negatio formalis nostra nativitatis, quia caro sic habebat nasci, non Verbum. Negans autem ex carnis quoque voluntate natum, cur non negavit etiam ex substantia carnis ? Neque enim quia ex sanguine negavit, substantiam carnis renuit, sed materiam seminis. . . . . . Intelligimus ergo, ex concubitu nativitatem Domini negatam, quod sapit voluntas viri, & carnis ; non ex vulva participatione. Et quid utique tam exaggeranter inculcavit, Non ex sanguine, nec ex carnis voluntate, aut viri natum : nisi quia ea erat caro, quam ex concubitu natam nemo dubitaret ? Negans porro ex concubitu, non negavit ex carne, immo confirmavit ex carne ; quia non proinde negavit ex carne, sicut ex concubitu negavit.* Præterea Valentiniani textum Sancti Joannis interpolaverant, ita scriptum esse contendentes : *Non ex sanguine, nec ex carnis voluntate, nec ex viri : sed ex Deo natus est.* Cùm scriptum sit, *Sed ex Deo nati sunt* : & verba illa ad Fideles, Justos & electos ; non ad Christum ipsum referantur.

A

# DISSERTATIO XVI.

## Adversùs Valentinianos, Gnosticos, & Marcionitas.

*De Traditionibus non scriptis, earumque necessitate, & auctoritate.*

B *In qua & Riveti Tractatus De Patrum auctoritate, & Dallæi libri, De vero Patrum usu, refelluntur.*

Prænotandum est Traditionis nomen bifariam usurpari posse. Primò, secundùm generalem significationem ; quo sensu omnis doctrina quam aliquis communicat cum altero, traditio dicitur. Sic Apostolus 1. ad Corinthios 11. Traditionis nomen sumpsit : *Ego enim*, inquit, *accepi à Domino, quod & tradidi vobis.* Et 2. ad Thessalonicenses 2. *Tenete*, inquit, *traditiones quas accepistis, sive per sermonem ; sive per epistolam.* Secundò sumitur traditionis nomen in strictiori significatione, pro doctrina scriptis non mandata : sic Tertullianus libro de Corona Militis : *Si legem expostules Scripturarum*, inquit, *nullam invenies, traditio tibi prætenditur auctrix*, &c.

Prænotandum secundò, traditionum multiplex esse genus ; quædam enim divinæ sunt, aliæ Apostolicæ, aliæ Ecclesiasticæ. Divinæ dicuntur, quæ cùm in sacris Scripturis nullibi legantur, è Christo Domino acceptæ sunt Apostolos ipsos docente. Hujus generis sunt, quæ materias formasque Sacramentorum Confirmationis, Ordinationis, &c. spectant. Apostolicæ vocantur, quæ non à Christo, sed ab Apostolis ad nos manarunt, cùm tamen scriptis Apostolicis non sint consignatæ. Ecclesiasticæ dicuntur antiqui Ecclesiæ mores, qui tacito Episcoporum & Plebis Christianæ consensu vim legis obtinuerunt. Traditiones ratione materiæ dividuntur in eas quæ fidem, & eas quæ mores spectant. Perpetuam Deiparæ Mariæ virginitatem quæ asserit doctrina, vel quæ quaternarium Evangeliorum numerum, traditio de Fide est. Quæ statos dies solennes esse præcepit, aut jejuniis sacros, traditio est de moribus. Traditiones ratione durationis dividuntur in perpetuas, & temporaneas. Perpetuæ sunt, quæ tamdiu stabunt, quamdiu stabit militans Ecclesia, ut doctrina de Baptismo Parvulorum : Temporaneæ, quæ ad certum tempus institutæ fuerunt, ut legalium quarumdam ceremoniarum observantia, quæ ad perfectam usque Evangelii promulgationem obtinuit, ut faciliùs Ecclesia ex Judæis Gentibusque coalesceret. Traditiones ratione locorum dividuntur in universales, quæ ubivis Gentium receptæ sunt & Christianos obligant universos, ut Paschatis, Pentecostes, & Quadragesimalis Jejunii celebritas & observatio : & particulares, quæ unam tantùm aut plures Ecclesias, obligant ; hujusmodi erat Sabbatarum in Ecclesia Romana, primis sæculis, Jejunium.

Prænotandum tertiò, hanc fuisse veterum Hæreticorum indolem ut solas ad Scripturas provocarent, Traditiones verò rejicerent, & aspernarentur : cùm verò Scripturis premebantur, sacros libros vel eorum partes pro causæ suæ commodo rejiciebant. Id de Valentinianis, Gnosticis, Marcionitis, aliisque

que id genus pestibus Sanctus Irenæus testatur lib. 3. adversus Hæreses cap. 2. *Cum enim ex Scripturis arguuntur*, inquit, *in accusationem convertuntur ipsarum Scripturarum, quasi non rectè habeant, neque sint ex auctoritate, & quia variè sint dicta, & quia non possit ex his inveniri veritas ab his qui nesciant traditionem. Non enim per literas traditam illam, sed per vivam vocem: ob quam causam & Paulum dixisse. Sapientiam autem loquimur inter perfectos, sapientiam autem non mundi hujus. Et hanc sapientiam unusquisque eorum esse dicit, quam à semetipso adinvenit; fictionem videlicet, ut dignè secundùm eos sit veritas, aliquando quidem in Valentino, aliquando autem in Marcione, aliquando in Cerintho, deinde in Basilide. Unusquisque enim ipsorum omni modo perversus, semetipsum, regulam veritatis depravans, prædicare non confunditur. Cùm autem ad eam iterum traditionem, quæ est ab Apostolis, quæ per successiones Presbyterorum in Ecclesiis custoditur, provocamus eos, adversantur Traditioni... Evenit itaque neque Scripturis jam, neque Traditioni consentire eos. Adversùs tales certamen nobis est.*

Hunc à veteribus illis Hæreticis Ariani hauserant errorem, quem prodit Maximinus unus ex istius sectæ Coriphæis apud Sanctum Augustinum libro 1. contra Maximinum. *Si quid*, inquit, *de divinis Scripturis protuleris, quod commune est cum omnibus, necesse est ut audiamus. Hæ verò voces, quæ extra Scripturam sunt, nullo casu à nobis suscipiuntur. Præterea cùm ipse Dominus moneat nos & dicat: Sine causa colunt me, docentes mandata & præcepta hominum.*

Aëriani etiam traditiones explosisse colligitur ex Sancto Epiphanio, Hæresi 75. Eunomianos easdem rejecisse, ex Sancto Basilio lib. de Spiritu Sancto, cap. 27. & 29. habemus. Pelagiani eodem in luto hæserunt. Ait enim Pelagius apud Sanctum Augustinum lib. de Natura & Gratia cap. 39. *Credamus igitur quod legimus, & quod non legimus, nefas credamus adstruere.* Nestoriani Beatam Virginem θεοτόκον dicere nolebant, quòd illa vox in Scripturis non extaret, ut ex Actis Ephesini Concilii perspicuum est. Eutyches in Concilio Chalcedonensi, Act. 1. ait: *In qua Scriptura jacent duæ naturæ?* Cujus interrogationem hac altera Mamas tetendit: *Et qua Scriptura dicit ὁμοούσιον?* Iconomachi in eundem errorem impegerunt, ut constat ex Synodo VII. Actione 1. in qua Basilius Ancyranus Episcopus ab iis ad Catholicam Ecclesiam reversus, inter alios, quos anathemate ferit errores, hunc etiam execratur his verbis: *His qui spernunt magisteria Sanctorum Patrum, & traditionem Catholicæ Ecclesiæ, & prætendentes & assumentes voces Arii, Nestorii, Eutychetis & Dioscori, atque perhibentes quòd nisi de Veteri ac Novo Testamento fuerimus edocti, non sequemur doctrinas sanctorum Patrum, neque sanctarum Synodorum, atque traditionem Catholicæ Ecclesiæ, anathema.* Veteribus illis Hæreticis Petrobusiani, Waldenses, Witclefistæ illo in errore consenserunt. Hos magistros sequuntur Sociniani, Lutherani, Calvinistæ, quos sequenti Propositione profligabimos.

## PROPOSITIO.

*Traditionum non scriptarum necessitatem & auctoritatem contrà Valentinianos, Marcionitas, similisque furfuris Hæreticos in Socinianis, Lutheranis, & Calvinistis redivivos, sacra Scriptura, & Sanctorum Patrum doctrina communis, constans, & perpetua, invictissimè demonstrant.*

### §. I.

*Traditionum necessitas & auctoritas ex Scriptura sacra demonstratur.*

Probatur prima pars ex Apostolo 1. ad Corinthios 11. dicente: *Laudo vos, fratres, quod per omnia mei memores estis, & sicut tradidi vobis, præcepta mea tenetis.* Id est, laudo vos, gratulorque vobis, quòd non sola tenetis memoria quæ vobis servanda tradidi & præcepi, id est, traditiones, instituta, præcepta; verùm ipso opere ea præstatis. Quædam igitur traditiones non scriptæ necessariò tenendæ sunt. Si enim eas tenere liberum fuisset, non præceptorum nomine, sed consiliorum illas vocasset Apostolus.

Hunc locum Apostoli ita Veteres interpretantur. Sanctus Basilius lib. de Spiritu Sancto, cap. 29. *Arbitror*, inquit, *Apostolicum esse, etiam non scriptis traditionibus inhærere. Laudo*, inquit, *vos quod omnia mea meministis, & quemadmodum tradidi vobis, traditiones tenetis.* Ita Sanctus Epiphanius Hæresi 61. quæ est Apostolicorum: *Sed & traditione quoque opus est*, inquit, *neque enim ex Scripturis peti possunt omnia. Idcirco alia scripto; traditione alia sanctissimi Apostoli reliquerunt. Quod ipsum ita Paulus affirmat. Quemadmodum tradidi vobis. Item alio loco: Ita doceo, & ita tradidi in Ecclesiis.* Ita Sanctus Joannes Chrysostomus Homilia 26. in Epistolam 1. ad Corinthios, ubi ex verbis laudatis Apostoli sic colligit: *Ergo & sine scripto multa tunc illis tradebat, quod etiam multis aliis in locis indicat.*

Confirmatur ex illis ejusdem Apostoli verbis capite laudato: *Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis, &c.* Ubi significat antea se tradidisse Corinthiis sine scripto doctrinam quam à Domino acceperat de Eucharistiæ Mysterio ejusque institutione: & nunc illam se scripto tradere. Ex quibus colligitur, non omnia ad salutem & ad fidem Christianam necessaria fuisse ab Apostolis scriptis mandata; sed ea sola quæ pro rerum opportunitate scribenda occurrebant. Denique postquam de tremendi istius Mysterii institutione, ac usu dixit, indignéque communicantium scelus exposuit, addit in fine capitis: *Cætera cùm venero disponam.* In Græco habetur, διατάξομαι, id est, ordinabo, constituam, ac sigillatim præscribam. Cætera porro intelligit ad congruam dignamque mysteriorum divinorum celebrationem & sumptionem spectantia. Quæ cùm in Sancti Pauli Epistolis scripta non habeamus, nec in ullo alio sacrorum Codicum loco, evidens est illa nonnisi ex Traditione accepta esse. *Neque enim*, inquit Theodoretus, *de omnibus poterat: sed cùm scripsisset de magis necessariis, reliqua præsentiæ reservavit.* Ex iisdem verbis colligit Sanctus Augustinus Epistola 118. ad Januarium, traditum ab Apostolo esse ritum & ordinem, quem in istius celebratione & sumptione Mysterii universa Ecclesia observat. *Unde intelligi datur*, inquit, *quia multum erat ut in Epistola totum illum agendi ordinem insinuaret, quem universa per orbem servat Ecclesia, ab ipso ordinatum esse, quod nulla morum diversitate variatur.*

Probatur secundò ex eodem Apostolo 2. ad Thessalonicenses cap. 2. dicente: *Itaque, fratres, state, & tenete traditiones quas didicistis, sive per sermonem, sive per Epistolam nostram.* Ubi cùm doctrinam sermone solo traditam opponat doctrinæ per Epistolam traditæ, evidenter ex eo loco colligitur, non omnia, quæ vel credere, vel agere jubemur ad salutem, quæve ab Apostolis instituta sunt, esse sacris Literis comprehensa, sed quædam traditione

non scriptâ contineri. Ita ut à Christianæ Religionis exordiis Ecclesia duplici velut jure fuerit gubernata, scripto, & non scripto, tanquam legibus, & consuetudine: quod cuique bene institutæ Reipublicæ commune est. Inane porro est quod ad istum locum respondent Heterodoxi, Apostolum ea quæ sermone tradiderat, scriptis postea mandasse aliis in Epistolis; ac proinde nihil esse sermone traditum, quod scriptum non extet: quasi verò consultò egerint Apostoli, ut si quod sacrorum dogmatum vel Fidem, vel Mores spectantium una eorum Epistola non haberet, id aliis insererent; aut quod unus eorum prætermisisset, suppleret alius, ne quid omnino non scriptum remaneret: cùm sit evidens eos non ex composito dogmata Christianæ Religionis in scriptum redegisse, quibus nimirum prædicandi Evangelii, non scribendi provincia à Christo demandata erat; sed pro natis occasionibus quædam mandasse literis ad absentes datis, quæ profectò scripturi non erant, si vel præsentes fuissent iis ad quos scribebant, vel occasio quæ ipsos ad scribendum impulit, defuisset. Nisi enim Timotheus absens à Paulo fuisset; non haberemus hujus ad illum duas Epistolas tam multiplici ac necessariâ doctrinâ, quæ alibi non legitur, refertas. Nisi Thessalonicenses falsa persuasione instantis diei Domini, id est, postremi ad judicium adventus fuissent turbati: nihil de discessione & homine peccati ante diem Domini venturis, ab Apostolo scriptis mandatum esset.

Præterea. De traditionibus non scriptis locum istum Apostoli, Veteres interpretantur. Sanctus Joannes Chrysostomus Homilia 4. in Epistolam ad Thessalonicenses ex illis verbis ita colligit: *Hinc est perspicuum, quod non omnia tradiderunt per epistolam, sed multa etiam sine scriptis: & ea quoque sunt fide digna. Quamobrem Ecclesiæ quoque traditionem censeamus esse fide dignam. Est traditio: Nihil quæras amplius.* Sancto Chrysostomo suffragantur Oecumenius & Theophilactus, qui pene ejus verba describunt, nec non Sanctus Joannes Damascenus lib. 4. de Fide Orthodoxa, cap. 17.

Confirmatur ex eâdem ad Thessalonicenses Epistola cap. 3. *Denuntiamus autem vobis, fratres,* inquit, *in nomine Domini nostri Jesu Christi, ut subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinatè; & non secundum traditionem quam acceperunt à nobis.*

Probatur tertiò ex eodem Apostolo in utraque ad Timotheum Epistola; *O Timothee,* inquit cap. 6. Epistolæ 1. *depositum custodi, devitans profanas vocum novitates.* Et 2. Epistolæ cap. 1. *Formam habe sanorum verborum quæ à me audisti in fide & in dilectione in Christo Jesu. Bonum depositum custodi per Spiritum Sanctum.* Et cap. 2. *Quæ audisti à me per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere.* Capite denique 3. *Tu verò permane in iis quæ didicisti, & credita sunt tibi, sciens à quo didiceris.* Quibus in locis, traditionum necessitas ab Apostolo commendatur. Nomine enim depositi, metaphoricè significat doctrinam successori creditam, ac per manus traditam: quomodo pecuniæ apud amicum deponi solent, ejusque fidei credi. Itaque traditiones etiam non scriptas, quæ in Ecclesiæ deposito conservantur, ad Christianam doctrinam pertinere, hoc ex loco evidenter colligitur. Neque enim solas Scripturas apud Timotheum deposuerat Apostolus, sed doctrinam sanam viva voce ei tradiderat. Nam Scripturam habent & Hæretici, qui sacrum illud depositum non habent. Præterea cùm 3. loco ait: *Quæ audisti à me per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus,* satis innuit sanam doctrinam, verbo magis quàm scripto ab Apostolis tradi solitam. *Quæ audisti à me,* inquit, non quæ scripto tradidi, aut literis consignavi. Nomine porro depositi, in duobus prioribus Apostoli locis traditiones esse intelligendas, docet Vincentius Lirinensis in Commonitorio 1. cap. 27. *Quid est,* inquit, *depositum? Id est, quod tibi creditum est, non quod à te inventum: quod accepisti, non quod excogitasti: rem non ingenii, sed doctrinæ: non usurpationis privatæ, sed publicæ traditionis: rem ad te perductam, non à te prolatam: in qua non autor debes esse, sed custos: non institutor, sed sectator; non ducens, sed sequens.*

## §. II.

### *Necessitas, & auctoritas Traditionum probatur ex Patribus Apostolicorum temporum, Ignatio Martyre, Dionysio, Papia, Polycarpo.*

Probatur secunda pars Propositionis primò ex Sancto Ignatio Martyre, qui (teste Eusebio lib. 3. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 36.) *Cùm per Asiam sub accuratissima satellitum custodia ductaretur, singularum nihilominus civitatum quas ingrederetur, Ecclesias sermonibus & cohortationibus suis confirmans, monebat inprimis ut sibi à pravis Hæreticorum opinionibus caverent, quæ tunc primùm in lucem emergere cùm cœpissent, copiosiùs pullulabant. Hortatusque est ut Apostolorum traditionibus tenaciter inhærerent: quas quidem ad certiorem posteritatis notitiam testimonio suo confirmatas, scriptis mandare necessarium duxit.*

Probatur secundò ex Sancto Dionysio lib. de Ecclesiastica Hierarchia, cap. 1. *Necessariò,* inquit, *primi illi nostri Sacerdotalis muneris Duces* (Apostoli) *cùm ex summa supersubstantialique Deitate ipsi sancti muneris plenitudinem percepissent, & idipsum deinceps proferre & propagare à divina bonitate missi essent, ipsique posteros ad divina provehere affatim cuperent, visibilibus signis cælestia Sacramenta texuerunt, atque in iis quæ nobis sunt familiaria, summa illa & supersubstantialia, partim scriptis, partim non scriptis institutionibus suis, juxta quod sacræ definiunt leges, nobis tradiderunt.* Traditiones itaque non scriptas, sive doctrinam ab Apostolis ore tenus traditam, & ad posteros propagatam primitiva custodiebat & venerabatur Ecclesia, non ut rem mediam ac indifferentem, sed pari jure necessariam ac institutiones ipsas scripto ab iisdem Apostolis consignatas.

Probatur tertiò ex S. Papia S. Joannis auditore lib. 4. sui Operis dicente: *Nec pigebit ea quæ quondam à Senioribus didici ac memoriæ mandavi, cum interpretationibus nostris adscribere, ut veritas eorum nostrâ quoque assertione firmetur. Non enim (ut plerique solent) eos unquam sectatus sum, qui verbis affluerent, sed eos potiùs qui verum docerent: nec eos qui nova quædam & inusitata præcepta, sed illos qui Domini mandata in figuris tradita, & ab ipsa veritate profecta memorabant. Quod si quis interdum mihi occurrebat qui cum Senioribus versatus fuisset, ex eo curiosè sciscitabar, quænam essent Seniorum dicta: quid Andreas, quid Petrus, quid Philippus, quid Thomas, quid Jacobus, quid Joannes, quid Matthæus, quid cæteri Discipuli Domini dicere soliti essent: quidnam Aristion & Joannes Presbyter Discipuli Domini prædicarent? Neque enim ex librorum lectione tantam me utilitatem capere posse existimabam, quantam ex hominum adhuc superstitum viva voce.* Quædam igitur Domini mandata, & Apostolorum præcepta scriptis mandata non fuerunt, quæ tamen cùm prædicare populis soliti essent, necessaria existimabant ad salutem.

Dices, Papiæ fidem hac in controversia non esse adhibendam, qui traditionum nomine obtrusit

Novas

*Novas quasdam Servatoris Parabolas ac Prædicationes, aliaque fabulis propiora. Inter quæ & mille annorum spatium post corporum resurrectionem fore dicit, quo regnum Christi corporaliter stet in orbe terrarum*, ut refert Eusebius libro 3. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 39. ubi & laudata Polycarpi verba describit.

Contra. Papiæ errores traditionum fidem non evertunt, sicut nec errores eorum qui Scripturis abutuntur ad perversas opiniones stabiliendas, fidem evertunt Scripturarum divinarum; sed ostendunt solùm ipsum Apostolorum doctrinam malè intellexisse, ut ibidem testatur Eusebius: *Quæ quidem*, inquit, *ita opinatus esse videtur Papias ex malè intellectis Apostolorum narrationibus, cum ea quæ arcano quodam sensu, & exempli causa ab illis dicebantur, non satis pervidisset. Fuit enim mediocri admodum ingenio præditus, ut ex Scriptis illius conjicere licet.*

Probatur quartò ex Sancto Polycarpo, qui (ut refert Sanctus Irenæus in Epistola ad Florinum, apud Eusebium libro 5. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 20.) *De Miraculis Domini ac de doctrina, prout ab iis, qui Verbum vitæ ipsi conspexerant, acceperat, eodem prorsus modo referebat, in omnibus cum Scriptura sacra consentiens*: De quibus Sanctus Irenæus subjungit: *Hæc ego divinâ mihi largiente clementiâ, tunc studiosius audiebam, non in charta, sed in corde meo audita describens: eademque per Dei gratiam assiduè repeto, ac revolvo.* Non omnis igitur doctrina Domini scriptis mandata est, sed quædam ore tenus ab ipsis Apostolis tradita, & ab Apostolis ad eorum Successores transmissa.

## §. III.

### *Sanctus Irenæus Traditionum necessitatem & auctoritatem agnovit.*

Probatur quintò ex Sancto Irenæo libro 3. adversus Hæreses, cap. 3. *Traditionem*, inquit, *Apostolorum in toto mundo manifestatam, in omni Ecclesia adest perspicere omnibus qui vera velint audire; & habemus annumerare eos qui ab Apostolis instituti sunt Episcopi in Ecclesiis, & Successores eorum usque ad nos, qui nihil tale docuerunt, neque cognoverunt, quale ab his deliratur. Etenim si recondita mysteria scissent Apostoli, quæ seorsim & latenter ab reliquis perfectos docebant, his vel maximè traderent ea, quibus etiam ipsas Ecclesias committebant.* Deinde ait: In Ecclesia Romana omnium Ecclesiarum maxima & antiquissima, *Eam, quæ est ab Apostolis, traditionem, & annuntiatam hominibus Fidem, per successiones Episcoporum* ad sua usque tempora pervenisse, cujus vi traditionis *confunduntur omnes qui quoquo modo, vel per sui placentiam malam, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem & malam sententiam, præter quàm oportet, colligunt.* Et post, ait, Clementem, qui tertio ab Apostolis loco Romanum Episcopatum sortitus est, *Vidisse ipsos Apostolos, & contulisse cum eis, cùm adhuc insonantem prædicationem Apostolorum, & Traditionem ante oculos haberet.* Et infra, ait: Sub Clemente, cùm dissensio non modica inter Christianos Corinthi exorta esset, scripsisse Romanam Ecclesiam potentissimas literas Corinthiis, quibus eos ad pacem congregavit, & reparavit fidem eorum, *Annuntiavitque, quam in recenti ab Apostolis acceperant, Traditionem, docentem unum Deum omnipotentem, Factorem cæli & terræ.* Tum subdit Irenæus: *Hunc Patrem Domini nostri Jesu Christi ab Ecclesiis annuntiari, ex ipsa Scriptura, qui velint, discere possunt; & Apostolicam Ecclesiæ Traditionem intelligere, cùm sit vetustior Epistola his qui nunc falsò docent, & alterum Deum, super Factorem horum omnium quæ sunt, commentiuntur.* Deinde recensitâ duodecim Romanorum Pontificum successione, à Sancto Petro scilicet ad Eleutherium, ait: *Hac ordinatione & successione, ea quæ est ab Apostolis in Ecclesia Traditio, & veritatis præconizatio pervenit usque ad nos. Et est plenissima hæc ostensio, unam & eamdem vivificatricem fidem esse, quæ in Ecclesia ab Apostolis usque nunc sit conservata, & tradita in veritate.*

Post hæc, de Sancto Polycarpo, quem ab Apostolis edoctum præmittit & conversatum cum multis ex eis qui Dominum nostrum viderunt, hæc habet: *Hic docuit semper quæ ab Apostolis didicerat, quæ & Ecclesia tradidit, & sola sunt vera. Et testimonium his perhibent quæ sunt in Asia Ecclesiæ omnes, & qui usque adhuc successerunt Polycarpo, qui vir multo majoris auctoritatis, & fidelior veritatis est testis, quàm Valentinus, & Marcion, & reliqui qui sunt perversæ sententiæ. Is enim est qui sub Aniceto cùm advenisset in Urbem, multos ex his, quos prædiximus, Hæreticos convertit in Ecclesiam Dei, unam & solam hanc veritatem annuntians ab Apostolis percepisse se, quam & Ecclesia tradidit. Est autem & Epistola Polycarpi ad Philippenses scripta perfectissima, ex qua & characterem fidei ejus, & prædicationem veritatis, qui volunt & curam habent suæ salutis, possunt discere. Sed & quæ est Ephesi Ecclesia à Paulo quidem fundata, Joanne autem permanente apud eos usque ad Trajani tempora, testis est verus Apostolorum Traditionis.* Totum illud Sancti Irenæi caput luce meridiana clarius ostendit, duplicem esse fidei regulam, Scripturam nimirum, & Traditionem, quæ ab Apostolis ad eorum Successores transmissa est, & in Ecclesia perpetuò conservata; utramque ad confutationem hæreseon esse necessariam, & ab iis quibus sua salus cordi est, amplectendam.

Porro non de Traditione eorum tantùm, quæ scripta sunt, dogmatum, Sanctum Irenæum loqui, ex eo constat, quòd veritatem ab Ecclesia quærendam asserat, in quam velut in depositum omnia ad salutem necessaria dogmata sancti Apostoli contulerunt; adeundas esse antiquissimas Ecclesias, & Apostolicas in dubiis & disceptationibus quæ circa fidem oriuntur, & ab eis exquirendum quid his de rebus credendum sit, de quibus movetur controversia: necessariò Traditionibus esse inhærendum, quamvis Apostoli Scripturas nullas reliquissent: multas Gentes barbaras, veteris Traditionis retinentissimas, absque Scripturis consequi salutem, credentes in unum Deum, & Filium ejus Dominum nostrum Jesum Christum. Itaque Sanctus Irenæus Traditiones à Scripturis apertè distinguit, & latiùs patere vult traditis in Scriptura dogmatibus. En Irenæi verba: *Tanta igitur ostensionis cùm sint hæc, non oportet adhuc quærere apud alios veritatem, quam facile est ab Ecclesia sumere; cùm Apostoli quasi in depositorium dives plenissimè in eam contulerint omnia quæ sint veritatis: uti omnis, quicumque velit, sumat ex ea potum vitæ. Hæc est enim vitæ introitus: omnes autem reliqui fures sunt & latrones, propter quod oportet devitare quidem illos: quæ autem sunt Ecclesiæ cum summa diligentia diligere, & apprehendere veritatis traditionem. Quid enim? Etsi quibus de aliqua modica quæstione disceptatio esset, nonne oporteret in antiquissimas recurrere Ecclesias, in quibus Apostoli conversati sunt, & ab eis de præsenti quæstione sumere quod certum & re liquidum est? Quid autem si neque Apostoli quidem Scripturas reliquissent nobis, nonne oportebat sequi ordinem Traditionis, quam tradiderunt iis quibus committebant Ecclesias?*

*Ecclesias? Cui ordinationi assentiunt multæ Gentes barbarorum, quorum qui in Christum credunt, sine charta & atramento scriptam habentes per Spiritum in cordibus suis salutem, & veterem Traditionem diligenter custodientes, in unum Deum credentes Fabricatorem cœli & terræ, & omnium quæ in eis sunt, per Christum Jesum Dei Filium .... Hanc fidem qui sine literis crediderunt, quantum ad sermonem nostrum, barbari sunt: quantum ad sententiam, & consuetudinem, & conversationem, propter fidem, per quam sapientissimi sunt, & placent Deo, conversantes in omni justitia & castitate, & sapientia. Quibus si aliquis annuntiaverit ea quæ ab Hæreticis adinventa sunt, proprio sermone eorum colloquens, statim concludentes aures, longiùs fugient, ne audire quidem sustinentes blasphemum colloquium. Sic per illam veterem Apostolorum Traditionem ne in conceptionem quidem mentis admittunt, quodcumque eorum portentiloquium est.*

Et libro 4. cap. 43. *Quapropter eis qui in Ecclesia sunt Presbyteris obaudire oportet, his qui successionem habent ab Apostolis, qui cum Episcopatus successione charisma veritatis certum, secundùm placitum Patris acceperunt.*

§. IV.

*Clemens Alexandrinus, Origenes, & Serapion, pro Traditionibus suffragium tulerunt.*

Probatur sextò ex Clemente Alexandrino, qui in octo Hypotyposeon libris, qui perierunt, Pantænum magistrum suum nominatim appellavit, *Quæcunque ille à majoribus accepisset, & Traditiones quas posteris reliquisset, exponent*, teste Eusebio libro 6. cap. 13.

In libris verò Stromatum, quos habemus, locupletissimum Traditionibus testimonium præbet. Libro namque primo duplicem animarum agriculturam distinguit: *Unam quidem quæ non sit scripta; alteram verò quæ sit scripta.* Addit, *Arcana, sicut Deus, verbo credi, non scripto. Sed enim*, inquit, *traduntur mysticè mysteria, ut sit etiam in ore loquentis id quod loquitur, potiùs autem non in voce, sed in intelligentia.* Et libro 6. *Cognitio autem ipsa est*, inquit, *quæ per successionem ad paucos, ex Apostolis, absque scripto tradita pervenit. Hinc ergo cognitio seu sapientia exerceatur oportet ad contemplationis habitum æternum, & in quem non cadit alteratio.* Et libro 7. *Domino fidelis esse perdidit, qui adversùs Ecclesiasticam recalcitravit Traditionem, & in humanarum hæreseon desilivit opiniones.* Et rursus: *Sunt enim socordes, qui, cùm liceat ex ipsis Scripturis divinis, Scripturis convenientes colligere demonstrationes, id omninò non faciunt, sed quod eorum voluptatibus suffragatur, eligunt. Gloriæ autem tenentur desiderio, qui ea quæ ex sua natura conveniunt sermonibus divinitus inspiratis, tradita à beatis Apostolis & Magistris, sua sponte, fallaci simulatione corrumpunt per alias Traditiones, humanis doctrinis resistentes divinæ Traditioni, ut hæresim constituant. Nam inter eos viros qui tanti erant in Ecclesiastica cognitione, quid restabat dicendum à Marcione verbi gratia, aut Prodico, aut similibus, qui non sunt ingressi rectâ viâ? Neque enim eos, qui præcesserunt, superare potuerunt sapientiâ, ut aliquid adinvenirent iis, quæ ab illis verè dicta sunt: sed benè cum eis actum esset, si scire potuissent ea quæ priùs sunt tradita. Is ergo solus qui est cognitionis præditus, cùm in ipsis consenuerit Scripturis, Apostolicam & Ecclesiasticam servans dogmatum rectitudinem, rectissimè vivit convenienter Evangelio, & demonstrationes ita ut quærit, invenit: ut qui emittatur à Domino, à Lege & à Prophetis. Nam vita ejus qui est præditus cognitione, nihil est aliud quàm facta & verba quæ sequuntur Traditionem Domini.* Et infrà: *Qui impiè ergo attingunt sermones, neque verbis divinis rectè, sed perversè utuntur, neque ipsi in regnum cœlorum ingrediuntur, neque eos quos deceperunt, sinunt assequi veritatem. Sed nec ipsi introitûs clavem habentes, sed falsam quamdam & adversam clavem, per quam, non relaxato velo, ut nos ingredimur per Domini Traditionem, sed exciso ostio, & muro Ecclesiæ clam perfosso, veritatem transgredientes, efficiuntur Principes ac Duces mysteriorum animæ impiorum. Quòd enim Catholicâ Ecclesiâ posteriora sua fecerint Conciliabula, non est opus multis probare.*

Ex quibus omnibus perspicuum est, Clementem Alexandrinum duplicem agnovisse, tum Fidei, tum Morum regulam, scilicet Scripturam sacram, & Traditionem, quæ Sermonibus divinitus inspiratis conveniens est, & quam sancti Apostoli & Magistri Christianorum, ad posteros transmiserunt: veritatem in Ecclesia velut pretiosum depositum conservari: eos qui Ecclesiam audiunt, eique obsequuntur, illam assequi: Hæreticos verò ab ea deficere, quia veram clavem non habent, qua reserari possit illius aditus. Cùm ergo Scripturas habeant & Hæretici, nec à veritate deficiant, nisi quatenus illas rejiciunt, vel depravant, aut denique ipsas pravis expositionibus ad suorum confirmationem detorqueant errorum: sequitur ex Clementis Alexandrini sententia, necessarias esse Traditiones non scriptas, quibus & vera Scriptura ab apocryphis, & integra ac pura ab interpolatis discernatur; & verus Scripturæ sensus intelligatur.

Probatur septimò ex Origene in Præfatione libri primi Periarchon, asserente Traditionem Apostolicam esse certissimam regulam veritatis. *Quoniam*, inquit, *multi ex his qui in Christo se credere profitentur, non solùm in parvis & minimis discordant, verùmetiam in magnis & maximis, id est, de Deo, vel Domino nostro Jesu Christo, vel de Spiritu Sancto: non solùm autem de his, sed & de aliis creaturis, id est, vel de Dominationibus, vel de Virtutibus sanctis: propter hoc necessarium videtur priùs de his singulis certam lineam, manifestámque regulam ponere, tum deinde etiam de cæteris quærere. Sicut enim multis apud Græcos & barbaros pollicentibus veritatem, desuevimus apud omnes eam quærere, qui eam falsis opinionibus asserebant, postcaquam credidimus Filium Dei esse Christum, & ab ipso nobis hanc discendam esse persuasimus; ita cùm multi sint qui se putant sentire quæ Christi sunt, & nonnulli eorum diversa à prioribus sentiant, servetur verò Ecclesiastica Prædicatio per successionis ordinem ab Apostolis tradita, & usque ad præsens in Ecclesiis permanens: illa sola credenda est veritas, quæ in nullo ab Ecclesiastica discordat Traditione.*

Et Tractatu 29. in Matthæum, hæc Servatoris Christi verba: *Si autem dixerint vobis: Ecce in solitudine, nolite exire; Ecce in domibus, nolite credere*, Hæreticis accommodat, de quibus sic loquitur: *Quidam enim secreta proferentes dicunt; Ecce in solitudine. Quando enim secretas & non vulgatas Scripturas proferunt ad confirmationem mendacii sui, videntur dicere: Ecce in solitudine verbum est veritatis. Secreta enim Scripturæ rectè solitudines appellantur, in quibus aut pauci sunt credentes, aut nullus. Quoties autem Canonicas proferunt Scripturas, in quibus omnis Christianus consentit & credit, videntur dicere: Ecce in domibus verbum est veritatis. Sed nos illis credere non debemus, nec exire à prima & Ecclesiastica Traditione, nec aliter credere, nisi quemadmodum per successionem Ecclesiæ Dei tradiderunt nobis.* Ex quibus sic colligo: Necesse est ad confutationem hæreseon Scripturas apocryphas, quas Hæretici obtrudunt, à veris & genuinis discerni, & Canonicarum

nonicarum verum legitimumque sensum à falso, quem iidem Hæretici ipsis affingunt. Id autem fieri non potest, nisi ad Traditionem velut ad regulam confugiamus, secundùm Origenem: Traditiones igitur non scriptas Ecclesiæ utiles atque necessarias esse fatendum est.

Confirmatur ex eodem Origene libro 5. in Epistolam ad Romanos: *Ecclesia*, inquit, *ab Apostolis Traditionem suscepit, etiam parvulis Baptismum dare.*

Confirmatur secundò ex eodem Origene, qui in libro 1. Expositionum in Evangelium Sancti Matthæi, Ecclesiastico insistens Canoni, quatuor duntaxat Evangelia esse testatur his verbis: *Sicut ex Traditione*, inquit, *accepi de quatuor Evangeliis, quæ sola in universa Dei Ecclesia quæ sub cœlo est, citra controversiam admittuntur*, &c. Quæ refert Eusebius lib. 6. cap. 25.

Probatur octavò ex Setapinne in libro de Evangelio Petri, apud Eusebium lib. 6. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 12. ubi Evangelium illud à Marciano quodam hæretico oberusum ideo rejicit, quòd Traditio illud Sancto Petro falsò inscriptum esse doceat. *Nos enim*, inquit, *& Petrum, & reliquos Apostolos, perinde ac Christum ipsum suscipimus. Sed quæ nomen illorum falsò inscriptum præferunt, ea nos utpote gnari ac periti repudiamus; quippe qui compertum habeamus ea nos à Majoribus minimè accepisse.*

§. V.

*Tertullianus & S. Cyprianus Traditionum necessitatem & auctoritatem propugnarunt.*

Probatur nonò ex Tertulliano lib. de Corona, cap. 3. & 4. ubi Christianorum consuetudinem de corona capiti non imponenda, ad Traditionem refert & ea occasione Traditiones non scriptas vindicat, earumque necessariam demonstrat observantiam. *Hanc adeo inveteratam observationem*, inquit, *si nulla Scriptura determinavit, certè consuetudo corroboravit, quæ sine dubio de Traditione manavit. Quomodo enim usurpari quid potest, si traditum prius non est? Etiam in Traditionis obtentu exigenda est*, inquis, *auctoritas scripta. Ergo quæramus, an & Traditio nisi scripta non debeat recipi? Planè negabimus recipiendam, si nulla exempla præjudicent aliarum observationum, quas sine ullius Scripturæ instrumento; solius Traditionis titulo, & exinde consuetudinis patrocinio vindicamus. Denique ut à baptismate ingrediar, Aquam adituri, ibidem, sed & aliquantò priùs, in Ecclesia, sub Antistitis manu contestamur nos renuntiare diabolo, & pompæ, & angelis ejus: dehinc ter mergitamur, amplius aliquid respondentes, quàm Dominus in Evangelio determinavit: inde suscepti lactis & mellis concordiam prægustamus, exque ea die lavacro quotidiano per totam hebdomadem abstinemus. Eucharistiæ Sacramentum & in tempore victus, & omnibus mandatum à Domino, etiam antelucanis cœtibus, nec de aliorum manu quàm Præsidentium sumimus. Oblationes pro defunctis, pro natalitiis, annuâ die facimus. Die Dominico jejunium nefas ducimus, vel de geniculis adorare. Eadem immunitate à die Paschæ in Pentecostem usque gaudemus. Calicis, aut panis etiam nostri aliquid decuti in terram anxiè patimur. Ad omnem progressum atque promotum, ad omnem aditum & exitum, ad vestitum, ad calceatum, ad lavacra, ad mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia, quacumque nos conversatio exercet, frontem Crucis signaculo terimus. Harum, & aliarum hujusmodi disciplinarum si legem expostules Scripturarum, nullam invenies: Traditio tibi prætendetur auctrix, consuetudo confirmatrix, & fides observatrix. Rationem traditioni, & consuetudini, & fidei patrocinaturam aut ipse perspicies, aut ab aliquo qui perspexerit, disces: interim nonnullam esse credes, cui debeatur obsequium.... His igitur exemplis renuntiatum erit, posse etiam non scriptam Traditionem in observatione defendi, confirmatam consuetudine, idonea teste probatæ tunc Traditionis, ex perseverantia observationis. Consuetudo autem, etiam in civilibus rebus, pro lege suscipitur, cum deficit lex: nec differt, Scripturâ, an ratione consistat, quando & legem ratio commendet.*

Idem probatur ex lib. de Carne Christi, cap. 2. ubi Marcionem Scripturas sacras mutilantem, vi Traditionis exagitat, ipsumque nomine Christiano probat indignum, nisi sentiat cum Apostolis, & nisi credat quod traditum est. Traditum autem non erat in Scripturis sacris loca quæ Marcion ex Evangelio, & ex Epistolis Apostolicis resecabat, esse ab Evangelista, vel Apostolo conscripta. Id solius Traditionis non scriptæ constare poterat testimonio. Ex mente itaque Tertulliani, & ex Ecclesiæ sententia Tertulliani ætate, non scriptas Traditiones admittere, venerari, credere necesse est. *His opinor consiliis*, inquit, *tot originalia Instrumenta Christi delere Marcion ausus es, ne caro ejus probaretur. Ex qua, oro te, auctoritate? Si Propheta es, prænuntia aliquid: si Apostolus, prædica publicè: si Apostolicus, cum Apostolis senti: si tantùm Christianus es, crede quod traditum est: si nihil istorum es, meritò dixerim, Morere: nam & mortuus es, qui non es Christianus: qui cùm fuisses, excidisti, rescindendo quod retro credidisti. Non tamen quia credere desiisti, rectè rescidisti: atque in rescindendo quod credidisti, probas, antequam rescinderes, aliter fuisse quod credidisti. Aliter illud, ita erat traditum: porro quod traditum erat, id erat verum, ut ab eis traditum, quorum fuit tradere. Ergo quod erat traditum, rescindens, quod erat verum rescidisti. Nullo jure fecisti.*

Idem probatur ex libro de Præscriptionibus Hæreticorum ubi disertè ostendit Scripturas solas ad revincendos Hæreticos non sufficere, adeoque non scriptis Traditionibus opus esse; quia (ut ait cap. 17.) *Hæresis non recipit quasdam Scripturas: & si quas recipit, non recipit integras: adjectionibus & detractionibus ad dispositionem instituti sui intervertit: & si aliquatenus integras præstat, nihilominus diversas expositiones commentata convertit.* Tum subjungit: *Quid promovebis, exercitatissime Scripturarum, cum si quid defenderis, negetur: ex diverso, si quid negaveris, defendatur? Et tu quidem nihil perdes nisi vocem in contentione: nihil consequeris nisi bilem de blasphematione. Ille verò* (inquit cap. 18.) *si quis est cujus caussa in congressum descendis Scripturarum, ut eum dubitantem confirmes, ad veritatem, an magis ad hæreses deverget? Hoc ipso motus, quod te videat nihil promovisse, æquo gradu negandi & defendendi adversa parte, statu certè pari, altercatione incertior discedet, nesciens quam hæresim judicet.* Ex quibus cap. 19. sic colligit. *Ergo non ad Scripturas provocandum est: nec in his constituendum certamen, in quibus aut nulla, aut incerta victoria est, aut par incerta. Nam etsi non ita evaderet collatio Scripturarum, ut utramque partem parem sisteret, ordo rerum desiderabat illud priùs proponi, quod nunc solum disputandum est: Quibus competat fides ipsa? Cujus sint Scripturæ? A quo, & per quos, & quando, & quibus sit tradita disciplina quâ fiunt Christiani? Ubi enim apparuerit esse veritatem & disciplinæ, & fidei Christianæ, illic erit veritas Scripturarum, & Expositionum, & omnium Traditionum Christianarum.*

Et cap. 21. recipiendos oon esse alios Prædicatores ostendit, præter eos quos Christus instituit, nec aliam doctrinam ab ea quam Apostoli verbo, vel Scripto tradiderunt: ut autem innotescat quid præ-

dicaverint Apostoli, ad Ecclesias Apostolicas, id est, ab Apostolis fundatas, confugiendum esse, in quibus Apostolicæ Traditiones conservantur. *Quid autem prædicaverint*, inquit, *id est, quid illis Christus revelaverit, & hic præscribam non aliter probari debere, nisi per easdem Ecclesias, quas ipsi Apostoli condiderunt, ipsi eis prædicando, tam viva (quod aiunt) voce, quàm per Epistolas postea. Si hæc ita sunt, constat proinde omnem doctrinam, quæ cum illis Ecclesiis Apostolicis matricibus & originalibus fidei conspiret, veritati deputandam: sine dubio tenentem quod Ecclesia ab Apostolis, Apostoli à Christo, Christus à Deo accepit: omnem verò doctrinam de menda-* B *cio præjudicandam, quæ sapiat contra veritatem Ecclesiarum, & Apostolorum, & Christi, & Dei. Superest ergo uti demonstremus, an hæc nostra doctrina cujus regulam supra edidimus, de Apostolorum Traditione censeatur, & ex hoc ipso, an cætera de mendacio veniant. Communicamus cum Ecclesiis Apostolicis, quod nulli doctrina diversa. Hoc est testimonium veritatis.*

Ostendit deinde Tertullianus veritatem Catholicam ex multarum Ecclesiarum Traditione innotescere. *Age nunc* (inquit cap. 28.) *omnes erraverint, deceptus sit & Apostolus de testimonio reddendo:* C *Nullam respexerit Spiritus Sanctus, uti eam in veritatem deduceret, ad hoc missus à Christo, ad hoc postulatus à Patre, ut esset doctor veritatis: neglexerit officium Dei villicus, Christi vicarius, sinens Ecclesias aliter interim intelligere, aliter credere, quod ipse per Apostolos prædicabat: ecquid verisimile est, ut tot ac tanta in unam fidem erraverint? Nullus inter multos eventus unus est. Exitus variasse debuerat error doctrinæ Ecclesiarum. Cæterùm, quod apud multos unum invenitur, non est erratum; sed traditum. Audeat ergo aliquis dicere, Illos errasse qui tradiderunt.*

Addit cap. 13. *Id esse Dominicum & verum, quod sit priùs traditum: id autem extraneum & falsum, quod sit posteriùs immissum.*

Denique cap. 37. ita concludit: *Si hæc ita se habent ut veritas nobis adjudicetur, quicumque in ea regula incedimus, quam Ecclesia ab Apostolis, Apostoli à Christo, Christus à Deo tradidit, constat ratio propositi nostri, definientis non esse admittendos Hæreticos ad ineundam de Scripturis provocationem, quos sine Scripturis probamus ad Scripturas non pertinere. Si enim Hæretici sunt, Christiani esse non possunt, non à Christo habendo, quod de sua electione sectati, Hæreticorum nomina admittunt. Ita non Christiani, nullum jus capiunt Christianarum literarum. Ad quos meritò dicendum est: Qui estis? Quando & unde venistis? Quid in meo agitis, non mei? Quo denique, Marcion, jure sylvam meam cædis? Quâ licentia, Valentine, fontes meos transvertis? Qua potestate, Apelles, limites meos commoves? Mea est possessio, olim possideo, prior possideo, habeo origines firmas ab ipsis auctoribus quorum fuit res. Ego sum hæres Apostolorum. Sicut caverunt testamento suo, sicut fidei commiserunt, sicut adjuraverunt, ita teneo. Vos certè exhæredaverunt semper & abdicaverunt,* F *ut extraneos, ut inimicos. Unde autem extranei & inimici Apostolis Hæretici, nisi ex diversitate doctrinæ, quam unusquisque de suo arbitrio adversùs Apostolos, aut protulit, aut recepit?* Christianæ itaque doctrinæ veritas solis Scripturis sufficienter non probatur, sed Traditionis non scriptæ accedat præsidium necesse est, quâ probetur Scripturas illas esse verum Dei verbum, hancque Doctrinam quæ ex illis colligitur, esse Apostolicam; quia Ecclesia sic exponendas, quemadmodum ipsa exponit, Scripturas, ab Apostolis didicit.

Probatur decimò ex Sancto Cypriano Epistola 63. ubi aquam meram in Calicis Dominici Sacra- A mento non esse offerendam, sed vinum aqua mixtum, ex Traditione probat: *Admonitos autem nos scias*, inquit, *ut in Calice offerendo Dominica Traditio servetur, neque aliud fiat à nobis, quàm quod pro nobis Dominus prior fecerit: ut Calix qui in commemorationem ejus offertur, mixtus vino offeratur.*

## §. VI.

### *Ex Eusebio Cæsareensi, & Sancto Athanasio, Traditionum auctoritas asseritur.*

B Probatur undecimò ex Eusebio Cæsareensi lib. 1. Demonstrationis Evangelicæ, cap. 8. Ubi præmisit Moysem Vetus Testamentum in tabulis inanimatis, Christum verò in mentibus vitâ præditis perfecta Novi Testamenti documenta descripsisse, hæc subjungit. *Ejus verò Discipuli*, Christi scilicet, *ad Magistri sui nutum, auribus multorum doctrinam suam accommodantes, quæcumque quidem veluti ultra habitum progressis, à perfecto ipsorum Magistro præcepta fuerant, ea iis qui capere poterant, tradiderunt: quæcumque verò iis convenire arbitrabantur, qui animas adhuc affectibus obnoxias gererent, curationisque indigentes:* C *ea ipsi ad imbecillitatem multorum se demittentes, partim literis, partim sine literis, quasi jure quodam non scripto, servanda commendarunt.*

Et libro 1. contra Marcellum, cap. 1. *Hæc sunt illa*, inquit, *quæ breviter Galatis proponimus consideranda, ex illa ipsa ad Galatas Epistola Pauli, in qua Fidei salutaris illa mystica continetur regeneratio, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Quæ præterquam quòd sint Literis divinis consignata, sunt etiam adhuc majorem in modum confirmata per Traditionem Catholicæ Ecclesiæ Dei à finibus ad fines terræ, quæ ex non scripta Traditione sacrarum Scripturarum testimonia confirmat & obsignat.* D Deest negatio in Latina Versione, errore potius Typographi (ut opinor) quàm Interpretis; & habetur, *ex scripta Traditione*, sed ita restituendum esse hunc locum Græco ex textu liquet, in quo sic legitur, ἐξ ἀγράφου παραδόσεως.

Probatur duodecimò ex Sancto Athanasio in Epistola ad Afros, ubi Nicænos Patres, non tam Scripturarum testimoniis, quàm Traditione Apostolica fretos, sacram vocem ὁμοούσιος qua Ariana hæresis prosternitur ac jugulatur, Symbolo testatur E appofuisse. *Episcopi*, inquit, *non sibimetipsis adinvenientes verba; sed habentes ea à Patribus, testimonia conscripserunt.*

Et libro de Synodi Nicænæ Decretis, ita Arianos vocem illam impugnantes exagitat: *Cur igitur ipsi vocabula in Scripturis non usurpata, ad impietatem excogitantes, illos accusant, qui verba non scripta ad pietatem producunt?* Et postquam vim hujus vocabuli ὁμοούσιος exposuit; subjungit. *Hoc igitur intellectu, Patres qui Nicææ convenerunt, istas voces usurpare voluerunt. Ipsos porro non ex se, quod adversarii objiciunt, hæc vocabula finxisse, sed ab aliis* F *olim accepisse, age in præsentia declaremus.*

Et in Epistola de Synodis Arimini & Seleuciæ: *In negotio*, inquit, *Paschatis, quia res ea ad Ecclesiæ praxim pertinebat, dicebant Patres, Visum est nobis; De Fide verò non scripserunt, Visum est nobis; sed, Sic credit Catholica Ecclesia; & statim Confessio ipsa credendi adjuncta est: ut ostenderent non novam eam esse sententiam, sed Apostolicam: & quæ ipsi scripsissent, non esse sua inventa, sed Apostolorum documenta.* Nicæni itaque Patres, ex Sancto Athanasio, non ad solam Scripturam sacram, verùm etiam ad Apostolicas Traditiones, velut ad certissimam regulam, Decreta sua exegerunt.

## §. VII.

*Traditionum necessitati & auctoritati, testimonium perhibent SS. Basilius, Gregorius Nissenus, Epiphanius, & Hieronymus.*

Probatur decimotertiò ex Sancto Basilio Magno, libro de Spiritu Sancto, cap. 27. *Dogmata*, inquit, *& instituta, quæ in Ecclesia prædicantur, quædam habemus è doctrina scripto prodita, quædam rursus ex Apostolorum Traditione in Mysterio, id est, in occulto tradita recepimus: quorum utraque parem vim habent ad pietatem, nec his quisquam contradicit, quisquis sanè vel tenuiter expertus est quæ sint Jura Ecclesiastica. Nam si consuetudines, quæ scripto prodita non sunt, tanquam haud multum habentes momenti, conemur rejicere, imprudentes gravissimum Evangelio detrimentum inferemus, imò potiùs ipsam Fidei prædicationem ad nudum nomen contrahemus. Quod genus est, ut ejus quod primum est & vulgatissimum primo loco commemorem: ut signo Crucis eos qui spem collocarunt in Christum, signemus, quis scripto docuit? Ut ad Orientem versi precemur, quæ nos docuit Scriptura? Invocationis verba, cùm conficitur Panis Eucharistiæ, & poculum benedictionis, quis Sanctorum in scripto nobis reliquit? Nec enim his contenti sumus, quæ commemorat Apostolus, aut Evangelium: Verùm alia quoque & ante & post dicimus, tanquam multum habentia momenti ad Mysterium, quæ ex Traditione citra scriptum accepimus. Consecramus autem aquam Baptismatis, & oleum Unctionis. Præterea ipsum qui Baptismum accipit, ex quibus scriptis? Nonne à tacita secretaque Traditione? Ipsam porro olei inunctionem, quis sermo scripto proditus docuit? Jam ter immergi hominem, unde ex Scriptura haustum? Reliqua item quæ fiunt in Baptismo, veluti renunciare Satanæ & Angelis ejus, ex qua Scriptura habemus? Nonne ex doctrina quam Patres nostri silentio quieto minimèque curioso servarunt? Pulchrè quidem illi, nimirum docti arcanorum venerationem silentio conservari.*

Profert deinde Sanctus Basilius exemplum Moysis, qui non omnia quæ erant in Templo, passus est omnibus esse pervia, *Probè sciens*, inquit, *pro sua sapientia, res usu tritas expositas esse contemptui: cæterùm ei quod sepositum est, quodque rarum est, huic naturâ conjunctam esse summam admirationem ac studium. Ad eundem profectò modum, & qui in primordiis Ecclesiæ certos ritus præscripserunt Apostoli, & Patres, in occulto, silentioque, Mysteriis suam servavere dignitatem. Neque enim omninò Mysterium est, quod ad populares ac vulgares aures effertur. Hæc est ratio cur quædam citra scriptum tradita sunt, ne dogmatum cognitio, propter assuetudinem, vulgo veniret in contemptum.*

Et cap. 29. Contra eos agens, qui Spiritum Sanctum Patri Filioque in Hymno Glorificationis conjungi ægrè ferebant, illumque his verbis concludi, *Cum Spiritu Sancto*, quòd illa formula in Scripturis sacris non legeretur, hæc habet: *Sane contra id quod dicunt, Glorificationem, Cum Spiritu, & carere testimonio, nec in Scripturis extare, illud dicimus: Si nihil aliud est receptum absque Scripturis, ne hoc quidem recipiatur. Sin plurima arcana citra scriptum recepta sunt nobis, cum aliis pluribus & hoc recipiamus. Arbitror autem Apostolicum esse, etiam non scriptis Traditionibus inhærere..... Quarum maximè una est & hæc de qua nunc agimus, quam qui ab initio præscripserunt, per longam consuetudinem Ecclesiis irradiarunt. Ergo si apud Tribunal probationibus à scripto destituti, multos vobis testes produceremus, nonne sententiam absolventem à vobis consequere-*



A *mur? Ego quidem arbitror; In ore siquidem duorum aut trium testium, stabit omne verbum. Quòd si etiam temporis diuturnitatem pro nobis facientem vobis evidenter ostenderimus, atnon videbimur vobis probabilia dicere, non posse litem istam nobis jure intendi? Veneranda sunt enim vetusta dogmata, quòd ob antiquitatem, seu caniciem quamdam, habeant quiddam venerandum.* Hæc Sanctus Basilius: quibus ad adstruendam non scriptarum Traditionum necessitatem nihil certè luculentius dici potest.

Confirmatur ex eodem, Homilia 27. contra Sabellianos, Arium, & Anomæos: *At ne Spiritum*
B *Sanctum à Patre ac Filio separes*, inquit, *absterreat te Dominica Traditio: Dominus ita docuit, Apostoli prædicarunt, Patres observarunt, Martyres confirmarunt. Satis tibi sit ut dicas quemadmodum edoctus es.*

Et Epistola 61. ad Occidentales Episcopos data, qua eos ad Orientalis Ecclesiæ, grassantium Hæreticorum pravis opinionibus perturbatæ commiserationem & auxilium cohortatur, hæc habet: *Patrum dogmata contemnuntur, Apostolicæ Traditiones nullo numero habentur, recentiorum hominum inventa in Ecclesiis dominantur. Homines in posterum*
C *artificiosè disputant, non Theologos agunt.*

Sancto Basilio concinit Sanctus Gregorius Nissenus ejus frater, libro 3. contra Eunomium, pag. 126. *Ac ne mihi*, inquit, *aliquis obstrepat, quòd illud etiam quod à nobis pro confesso habetur, rationibus & argumentis roboretur; sciat is sufficere nobis ad nostri dogmatis probationem, quòd venientem ad nos à Majoribus traditionem habemus, velut hæreditatem quamdam, per successionem ab Apostolis, continuatâ per sequentes Sanctos serie transmissam. At illi qui ad novitatem Fidei dogmata convertunt, multis opus haberent rationum præsidiis, si vellent non pulveris*
D *instar leves & agitabiles, sed graves & animo constantes homines ad suam sententiam adducere. Quamdiu vero rudis, nec ratione ullâ perpolita, aut argumento probata prodibit eorum opinio: Ecquis ita fatuus, ac pecudi similis erit, ut Evangelistarum, & Apostolorum, ac cæterorum qui in Ecclesiis postea floruerunt, imbecilliorem putet esse doctrinam, quàm nugacem istam loquacitatem omnis funditus demonstrationis expertem?* Censet itaque Sanctus Gregorius Nissenus, solam absque probatione satis esse Traditionem, ad Catholici fidem dogmatis: sive nulla præterea diserta sit hujus in sacris libris expressio, sive
E ita contineatur, ut interpretatione sit adjuvanda.

Probatur decimo quartò ex Sancto Epiphanio Hæresi 75. n. 8. ubi Aërium, qui Purgatorium, & Orationes in Ecclesia pro defunctis fieri solitas impugnabat, ex traditione non scripta refellendum sibi sumit. *Necessariò*, inquit, *facere illud Ecclesiam dico; quæ traditum sibi ritum illum à Majoribus acceperit. Potest vero quisquam maternam sanctionem, aut legem Patris evertere? Quemadmodum à Salomone scriptum est: Audi, fili, sermones patris tui, & ne repellas leges matris tuæ: quibus patrem, hoc est, unigenitum Deum, cum Spiritu Sancto declarat partim scripto, partim sine scripto docuisse: matrem*
F *verò nostram Ecclesiam decreta quædam habere penes se, quæ dissolvi, evertique nequeunt. Quæ quidem cùm in Ecclesia constituta sint, præclara quidem ac penitus admiranda, ex hoc ipso capite Veterator ille convincitur.*

Probatur decimoquintò ex Sancto Hieronymo in Dialogo adversùs Luciferianos, illa Hæretici Interlocutoris verba probante, cap. 4. *Etiamsi Scripturæ auctoritas non subesset* (quâ nimirum probatur ab Episcopis per impositionem manuum Spiritum Sanctum Fidelibus tradi) *totius orbis in hanc partem consensus instar præcepti obtineret. Nam & alia multa, quæ per Traditionem in Ecclesiis ob-*

*servantur, auctoritatem sibi scripta legis usurpaverunt.*

## §. VIII.

*Sanctus Augustinus, Capreolus Carthaginensis, Patres Ephesinæ Synodi, & Sixtus III. P. M. Fidei controversias secundùm Traditionem judicandas censuerunt.*

Probamt decimosextò ex Sancto Augustino, qui & Donatistas, & Pelagianos, argumentis ex Traditione Apostolica depromptis egregiè confutavit, & necessitatem Traditionum luculenter adstruxit, in primis libro 2. de Baptismo contra Donatistas cap. 7. ubi de consuetudine Ecclesiæ redeuntes in gremium suum Hæreticos non rebaptizantis, sic loquitur: *Quam consuetudinem credo ex Apostolica Traditione venientem (sicut multa quæ non inveniuntur in literis eorum, neque in Conciliis posteriorum: tamen quia per universam custodiuntur Ecclesiam, nonnisi ab ipsis tradita & commendata creduntur) Hanc ergo saluberrimam consuetudinem per Agrippinum prædecessorem suum dicit Sanctus Cyprianus quasi cœpisse corrigi. Sed sicut diligentiùs inquisita veritas docuit, quæ post magnos dubitationis fluctus ad plenarii Concilii confirmationem perducta est, veriùs creditur per Agrippinum corrumpi cœpisse, non corrigi.*

Et libro 5. cap. 23. & 24. Sacramentum Baptismi parvulis ad salutem prodesse, quamvis Sacramenti voluntas ipsis desit, ex universæ Ecclesiæ Tratione probat, cujus cùm nullum post Apostolica tempora designari possit initium, eam Apostolicam esse argumento est. *Quod traditum*, inquit, *tenet universitas Ecclesiæ, cùm parvuli infantes baptizantur, qui certè nondum possunt corde credere ad justitiam, & ore confiteri ad salutem, quod Latro potuit: quin etiam flendo & vagiendo, cum in eis Mysterium celebratur, ipsis mysticis vocibus obstrepunt; & tamen nullus Christianorum dixerit eos inaniter baptizari. Etsi quisquam in hac re auctoritatem divinam quærat (quamquam quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi auctoritate Apostolica traditum rectissimè creditur) tamen veraciter conjicere possumus, quid valeat in parvulis Baptismi Sacramentum, ex Circumcisione carnis, quam prior populus accepit*, &c.

Et libro 5. de Baptismo cap. 23. *Nam si non habent Baptismum*, inquit, *qui de Deo prava sentiunt, hoc posse & intus accidere, jam satis, ut arbitror, disputatum est. Apostoli autem nihil quidem exinde præceperunt, sed consuetudo illa quæ opponebatur Cypriano, ab eorum Traditione exordium sumpsisse credenda est: sicut sunt multa, quæ universa tenet Ecclesia, & ob hoc ab Apostolis præcepta bene creduntur, quamquam scripta non reperiantur.* Agnoscit itaque Sanctus Augustinus Traditiones non scriptas, easque non liberæ, sed necessariæ observationis esse censet. Quis enim Hæreticorum rebaptizationem rem mediam & indifferentem esse dixerit? Quæ tamen Traditione duntaxat non scripta, nullo Scripturarum loco disertè prohibita est.

Nec verò Donatistas solùm, verumetiam Pelagianos, Traditionis pondere Sanctus Augustinus premit: ut videre est libro 2. contra Julianum Pelagianum. *Propter quam Catholicam veritatem*, inquit, *sancti ac beati, & in divinorum eloquiorum pertractatione clarissimi Sacerdotes, Irenæus, Cyprianus, Reticius, Hilarius, Olympius, Gregorius, Ambrosius, Innocentius, Joannes, Basilius, quibus addo Presbyterum, velis nolis, Hieronymum, (ut omittam eos qui nondum dormierunt) adversùs vos proferunt de omnium hominum peccato originali obnoxia successione sententiam, unde nemo eruit, nisi quem sine lege peccati repugnante legi mentis Virgo concepit.*

Et infra: *Quod invenerunt in Ecclesia, tenuerunt: quod didicerunt, docuerunt: quod à Patribus acceperunt, hoc filiis tradiderunt. Nondum vobiscum apud istos Judices aliquid agebamus, & apud eos acta est causa nostra.*

Et infra: *Isti Episcopi sunt docti, graves, sancti, veritatis acerrimi Defensores adversùs garrulas vanitates, in quorum ratione, eruditione, libertate, quæ tria bona Judici tribuisti, non potes invenire quod spernas. Si Episcopalis Synodus ex toto orbe congregaretur, mirum si tales possent illic facilè tot sedere, quia nec isti uno tempore fuerunt. Sed fideles & multis excellentiores paucos Dispensatores suos Deus per diversas ætates temporum, locorumque distantias, sicut ei placet, atque expedire judicat, ipse dispensat. Hos itaque de aliis atque aliis temporibus, atque regionibus, ab Oriente & Occidente congregatos vides, non in locum quò navigare cogantur homines, sed in librum qui navigare possit ad homines. Quantò sibi essent isti Judices optabiliores, si teneres Catholicam Fidem, tantò tibi sunt terribiliores, quia oppugnas Catholicam Fidem, quam in lacte suxerunt, quam in cibo sumpserunt, cujus lac & cibum parvis magnisque ministraverunt, quam contra inimicos, etiam vos tunc nondum natos, unde nunc revelamini, apertissimè ac fortissimè defenderunt. Talibus post Apostolos sancta Ecclesia Plantatoribus, Rigatoribus, Ædificatoribus, Pastoribus, Nutritoribus crevit. Ideo profanas voces vestræ novitatis expavit.* Eodem in libro, ut & libro 1. sanctorum Patrum testimoniis Juliani atque Pelagianorum cæterorum errorem refellit.

Libro verò sexto cap. 5. Peccati originalis in omnes Adami posteros propagationem, etiamsi nec ratione indagari, nec sermone explicari posset, credendam tamen esse propugnat hoc nomine, quòd tota illam credit Ecclesia. *Sed etsi*, inquit, *nulla ratione indagetur, nullo sermone explicetur; verum tamen est quod antiquitus veraci Fide Catholica prædicatur & creditur per Ecclesiam totam; quæ filios Fidelium nec exorcizaret nec exsufflaret, si non eos de potestate tenebrarum, & à Principe mortis erueret; quod in libro meo, cui velut respondes, à me positum est: sed id tu commemorare timuisti, tamquam ipse ab orbe toto exsufflandus esses, si huic exsufflationi, quâ Princeps mundi & à parvulis ejicitur foras, contradicere voluisses.*

Confirmatur ex eodem Sancto Augustino libro 10. *de Genesi ad literam*, cap. 23. ubi parvulorum Baptismum, seu Ecclesiæ in baptizandis parvulis consuetudinem, ex Apostolica Traditione ortum habere asserit. *Consuetudo*, inquit, *matris Ecclesiæ in baptizandis parvulis nequaquam spernenda est, neque ullo modo superflua deputanda, nec omnino credenda, nisi Apostolica esset Traditio.*

Confirmatur secùndò ex Epistola ejusdem 118. ad Januarium data. *Illa autem*, inquit, *quæ non scripta, sed tradita custodimus, quæ quidem toto terrarum orbe observantur, dantur intelligi, vel ab ipsis Apostolis, vel Plenariis Conciliis, quorum est in Ecclesia saluberrima auctoritas, commendata atque statuta retineri; sicuti quod Domini Passio, & Resurrectio, & Ascensio in cælum, & Adventus de cælo Spiritus Sancti, anniversaria solemnitate celebrantur, & si quid aliud tale occurrerit, quod servatur ab universa, quacumque se diffundit, Ecclesia. Alia verò quæ per loca terrarum, regionesque variantur, sicuti est quòd alii jejunant Sabbato, alii verò non: alii quotidie communicant Corpori & Sanguini Dominico, alii certis diebus accipiunt: alibi nullus dies intermittitur quo non offeratur; alibi Sabbato tantùm & Dominico, alibi tantùm Dominico; & si quid aliud hujusmodi animad-*

verti

*verti potest, totum hoc genus rerum liberas habet observationes*, &c. Ubi cùm privatarum Ecclesiarum consuetudines, quarum liberam observationem dicit, Ecclesiæ totius moribus opponat, quos ad Traditionem ceu ad fontem refert, planè indicat Traditiones Ecclesiasticas, vel Apostolicas, non liberæ & indifferentis, sed necessariæ observationis esse.

Probatur decimo-septimò ex Capreolo Carthaginensi Episcopo, in Epistola ad Patres Ephesini Concilii, Oecumenici tertii, quæ Actioni primæ ejusdem sacri Concilii inserta est, & omnium Episcoporum suffragiis & assensu probata: in qua Sanctorum Patrum sententiis & auctoritati in Fidei controversiis standum esse asserit, & secundùm eas decernendum. *Deinde*, inquit, *ad posteritatis exemplum, ut ea qua nunc pro Catholica Fide definita sunt, perpetuam firmitatem obtinere valeant, oportet ea omnia inconcussa, immotaque conservare, qua superioribus temporibus à Sanctis Patribus constituta sunt. Nam qui illa perpetuam stabilitatem retinere voluerit, qua de Catholica Fidei ratione statuerit, is non propriâ auctoritate, sed antiquorum Patrum judicio sententiam suam corroborare debet: ita ut ea ratione partim Veterum, partim Recentiorum decretis & sententiis placita sua comprobans, unicam Ecclesia veritatem, inde ab initio ad præsens usque tempus simplici puritate, invictaque constantia & auctoritate decurrentem, sic asserere, docere, & tenere ostendat.*

XVIII. Idem constat ex Sancto Cyrillo in Apologetico pro XII. Capitulis adversùs Orientales, in defensione Anathematismi 8. *Mens*, inquit, *humana, licet nonnumquam propter amorem sui à recta via egrediatur, & à veris dogmatibus discedat, ferme semper gravatur: & formidat suas cogitationes absurditatis damnare; sed tamen seipsam facilè corriget, si labores scrutata fuerit Sanctorum Patrum, qui ab omnibus de rectitudine & certitudine dogmatum celebrantur, tum suam rectè Fidem explorabit. Omnes enim quibus integrum cor est, illorum sententias sequi contendunt: quia & ipsi Evangelica & Apostolica Traditione suam mentem cùm implevissent, & ex sacris Scripturis sermonem Fidei rectè & citra reprehensionem tractassent, mundi fuere luminaria, sermonem vita continentes, prout scriptum est.*

Decimò-nono idem probatur ex Ephesina Synodo quæ Nestorianam Hæresim, nisi expensis priùs Sanctorum Patrum testimoniis, & Traditione, non damnavit. Quamobcausam Vincentius Lirinensis in Commonitorio 2. cap. penultimo, sacram illam Synodum ita commendat: *Ubi cùm de faciendis fidei regulis disceptaretur, ne qua illic forsitan profana novitas in modum perfidia Ariminensis obreperet, universis Sacerdotibus, qui illo ducenti fermè numero convenerant, hoc Catholicissimum, fidelissimum atque optimum factu visum est, ut in medium Sanctorum Patrum sententia proferrentur, quorum alios Martyres, alios Confessores, omnes verò Catholicos Sacerdotes fuisse, & permansisse constaret: ut scilicet ritè atque solemniter, ex eorum decreto atque consensu, antiqui dogmatis religio confirmaretur, & profana novitatis blasphemia condemnaretur. Quod cùm ita factum foret, jure meritòque impius ille Nestorius, Catholica vetustati contrarius, Beatus verò Cyrillus Sacro-sancta antiquitati consentaneus judicatus est. Et ut ad fidem rerum nihil deesset, etiam nomina & numerum, licet ordinem fuissemus obliti, edidimus eorum Patrum, juxta quorum ibidem concinentem concordemque sententiam, & legis sacra proloquia exposita sunt, & divini dogmatis regula constabilita est.*

Deinde, ubi Patrum nomina, quorum testimonia in Concilio Ephesino laudata sunt, recensuit, A hæc habet: *Ii sunt igitur omnes apud Ephesum sacrato Decalogi numero Magistri, consiliarii, testes, judicesque producti, quorum beata illa Synodus doctrinam tenens, consilium sequens, credens testimonio, obediens judicio, absque odio, radio, præsumptione, & gratia, de fidei regulis pronuntiavit.*

Et infrà: *Post qua omnia, adjecimus etiam Beati Cyrilli sententiam, qua gestis ipsis Ecclesiasticis continetur. Namque cùm lecta esset Sancti Capreoli Episcopi Carthaginensis Epistola, qui nihil aliud intendebat & prædicabat, nisi ut expugnata novitate, B antiquitas defenderetur, ita Episcopus Cyrillus prolocutus est & definivit: Et hæc, inquit, qua lecta est venerandi & multum religiosi Episcopi Carthaginensis Capreoli, fidei gestorum inseretur, cujus aperta sententia est: vult enim antiqua fidei dogmata confirmari, novitia verò & superfluè adinventa, & impiè promulgata, reprobari atque damnari. Omnes Episcopi acclamaverunt: Ha omnium voces sunt, hæc omnes dicimus, hoc omnium votum est. Qua tandem omnium voces, atque omnium vota, nisi ut quod erat antiquitus traditum teneretur, quod adinventum nuper exploderetur?*

Pergit Vincentius: *Post hæc admirati sumus, & C prædicavimus quanta Concilii illius fuerit humilitas & sanctitas, ut tot numero Sacerdotes, penè ex majori parte Metropolitani, tanta eruditionis, tantaque doctrina, ut prope omnes possint de dogmatibus disputare: quibus præterea ipsa in unum congregatio audendi ab se aliquid & statuendi videtur addere fiduciam, nihil tamen novarent, nihil præsumerent, nihil sibi penitus arrogarent, sed omnimodis præcaverent, ne aliquid posteris traderent, quod ipsi à Patribus non accepissent.*

Probatur vigesimò ex Sixto III. Pontifice Maximo in Epistola ad Joannem Antiochenum: D *Ergo*, inquit, *quia una fides, dicenda credamus, & tenenda dicamus. Nihil ultra liceat novitati, quia nihil adjici convenit vetustati. Dilucida & perspicua Majorum credulitas nulla cœni permixtione turbetur.*

## §. IX.

*Vincentius Lirinensis, & Sanctus Leo Traditionem ceu Fidei regulam agnoverunt.*

Probatur vigesimo primò ex Vincentio Lirinensi E in Commonitorio cap. 3. dicente: *In ipsa Catholica Ecclesia magnopere curandum est, ut id teneamus, quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est. Hoc est etenim verè propriéque Catholicum, quod ipsa vis nominis, ratioque declarat. Sed hoc ita demum fiet, si sequamur universitatem, antiquitatem, consensionem. Sequemur autem universitatem hoc modo, si hanc unam fidem veram esse fateamur, quam tota per orbem terrarum confitetur Ecclesia: antiquitatem vero ita, si ab iis sensibus nullatenus recedamus, quos sanctos Majores ac Patres nostros celebrasse manifestum est. Consensionem quoque itidem, F si in ipsa vetustate omnium, vel certè penè omnium Sacerdotum & Magistrorum definitiones sententiasque sectemur.*

Et cap. 4. quærit, quid facto sit opus, si emergenti Hæresi, vel errori, integram etiam Provinciam pervadenti, nulla universalis Concilii decreta opponi possint? Et ita respondet: *Tunc operam dabit, ut collatas inter se Majorum consulat interrogetque sententias, eorum dumtaxat, qui diversis licet temporibus & locis, in unius tamen Ecclesia Catholica communione & fide permanentes, Magistri probabiles extiterunt, & quidquid non unus aut duo tantùm, sed omnes pariter uno eodemque consensu, apertè,*

*frequenter, perseveranter, tenuisse, scripsisse, docuisse cognoverit, id sibi quoque intelligat absque ulla dubitatione credendum.*

Denique cap 9. hoc nomine Stephanum Pontificem Maximum laudat, quòd in controversia de Baptismo Hæreticorum illud scripserit: *Nihil innovetur, nisi quod traditum est. Intelligebat etenim,* inquit, *vir sanctus & prudens, nihil aliud rationem pietatis admittere, nisi ut omnia quæ fide à Patribus suscepta forent, eadem fide filiis consignarentur; nosque religionem, non quà vellemus, ducere, sed potiùs quà illa duceret, sequi oportere, idque esse proprium Christianæ modestiæ & gravitatis, non sua posteris tradere, sed à Majoribus accepta servare.* Quæ Vincentii Lirinensis testimonia, Traditionum necessitati adeo evidenter suffragantur, nihil ut ad illa respondere Novatores possint.

Probatur vigesimo secundò ex Sancto Leone, qui suæ ad Flavianum dogmaticæ contra Eutychetis hæresim Epistolæ, Sanctorum Patrum, partim Latinorum, partim Græcorum testimonia subnexuit, qui duas in Christo naturas asseruere: ut non solùm Scripturæ sacræ, verumetiam Traditionis pondere Hæresiarcha ille prosterneretur. Leguntur hæc testimonia ad calcem laudatæ Epistolæ, Actione 2. Concilii Chalcedonensis, quæ à Leone ipso selecta & adjuncta fuisse constat ex ipsius Epistola 68. ad Paschasinum, cap. 3. *Ut autem,* inquit, *in omnibus pleniùs tua sit instructa Dilectio, Sanctorum Patrum nostrorum de Sacramento Incarnationis Domini, quid senserint, & quid Ecclesiis prædicaverint, ut evidenter agnosceres, aliqua ad Dilectionem tuam scripta transmisi, quæ nostri quoque apud Constantinopolim cum mea Epistola allegarunt.* Propter hæc proculdubio testimonia, & convenientem cum illis Sancti Leonis doctrinam, Chalcedonenses Patres Actione 2. acclamarunt: *Hæc Patrum Fides. Omnes ita credimus. Anathema qui ita non credit. Petrus per Leonem locutus est. Apostoli ita docuerunt.* Sanctus igitur Leo Scripturas solas ad plenam Ecclesiæ de Hæreticis victoriam non sufficere, sed Traditionibus quoque opus esse existimavit: cui & Synodus Chalcedonensis suffragata est.

Confirmatur ex eodem Sancto Leone Epistola 62. novissimæ Editionis, ad Marcianum Augustum data. *Et cum,* inquit, *ab Evangelica Apostolicaque doctrina ne uno quidem verbo liceat dissidere, aut aliter de Scripturis divinis sapere, quàm Beati Apostoli & Patres nostri didicerunt atque docuerunt, nunc demum indisciplinatæ moventur & impiæ quæstiones, quas olim mox ut eas per apta sibi corda diabolus excitavit, per discipulos veritatis Spiritus Sanctus extinxit.*

Confirmatur secundò ex Epistola ejusdem sanctissimi Pontificis 134. ad Leonem Augustum, cui eadem Patrum testimonia subjecit, quæ cum sua ad Flavianum Epistola ad Synodum Chalcedonensem miserat. In hac autem ad Imperatorem cognominem Epistola, cap. 10. doctrinam Catholicam Traditione firmari disertè asserit. *Ut autem,* inquit, *Pietas tua cum venerabilium Patrum prædicationibus nos concordare cognoscat, aliquantas eorum sententias huic credidi subjiciendas esse sermoni. Quibus si dignaveris, recensitis, non aliud nos prædicare reperies, quàm quod Sancti Patres nostri toto orbe docuerunt: nec quemquam ab illis nisi solos impios Hæreticos discrepare. His igitur quanta potui brevitate perstrictis, cum inspirata tibi divinitus fide etiam nostram prædicationem unitam esse cognoscet; nec in aliquo nos ab Evangelica Apostolicaque doctrina, vel à Catholicæ Professionis Symbolo discrepare.*

§. X.

*Synodi Oecumenicæ V. VI. VII. & VIII. ac demum Tridentina, idem Dogma confirmant.*

Probatur vigesimotertiò ex Quinta Synodo Oecumenica quæ Canone 8. Anathemate ferit eum, qui *Ex duabus naturis deitatis & humanitatis confitens unitatem factam esse, vel unam naturam Dei Verbi Incarnatam dicens, non sic ea excipit sicut Patres docuerunt, quòd ex divina natura & humana, unitione secundùm subsistentiam facta, unus Christus effectus est.* Et Canone 9. anathemate percellit eum qui *Non una adoratione Deum Verbum Incarnatum cum propria ipsius carne adorat, sicut ab initio Dei Ecclesiæ traditum est.* Sic denique suas omnes Definitiones Concilium concludit: *Cùm igitur hæc ita rectè confessi sumus, quæ tradita nobis sunt tam à divinis Scripturis, quàm à Sanctorum Patrum doctrina, & ab his quæ definita sunt de una eademque fide à prædictis sanctis quatuor Conciliis... Si quis conatus fuerit contra hæc quæ piè disposuimus, vel tradere, vel docere, vel scribere, siquidem Episcopus vel Clericus sit, iste tanquam aliena à Sacerdotibus & statu Ecclesiastico faciens, denudabitur Episcopatu vel Clericatu: si autem Monachus, vel Laicus sit, anathematizabitur.* Ex quibus patet Quintæ Synodi Oecumenicæ Patres, non ad Scripturam solam, sed ad Traditionem, sacrorum expositionem dogmatum, suaque de fide Decreta exegisse.

Probatur vigesimoquartò ex his quæ de Sophronio Episcopo Hierosolymitano testatur Stephanus Dorensis Episcopus in Actis Concilii Romani sub Martino 1. Secretario 2. *Beatæ memoriæ,* inquit, *quondam Patriarcha sanctæ Dei nostri Civitatis, dictis temeratoribus* (Monothelitis) *validissimè contradixit, contestans eos & admonens ut à propria hæresi quiescerent, & ad rectam Patrum fidem remearent, dans in duobus libris sexcenta testimonia Patrum, ad evictionem impietatis eorum, & veritatis ostensionem.* Sic ex Traditione Monothelitas confutavit Sophronius.

Probatur vigesimoquintò ex Epistola Victoris Episcopi Carthaginensis ad Theodorum Pontificem Romanum. *Nos itaque,* inquit, *Patrum in omnibus Decreta sequentes: vestrùm est, Frater sanctissime, solicitè contrariis Catholicæ Fidei obviare, nec permittere noviter dici; quod Patrum venerabilium auctoritas omnino non censuit.*

Probatur vigesimosextò ex Synodo Sexta Oecumenica, in qua lecta & discussa sunt Actione 10. *Testimonia sanctorum ac probabilium Patrum ostendentia duas voluntates, & duas operationes in Domino, & Deo, & Salvatore nostro Jesu Christo.*

Et Actione 18. Synodus Fidei Definitionem edidit secundùm Suggestionem Agathonis Pontificis, & ad alteram Synodalem Suggestionem sacri Concilii sub ipso congregati: *Utpote consonantes sancto Chalcedonensi Concilio, & Tomo sacerrimi ac beatissimi Papæ ejusdem antiquæ Romæ Leonis, qui directus est ad Sanctum Flavianum, & Synodicis Epistolis, quæ scriptæ sunt à Beato Cyrillo adversus impium Nestorium, & ad Orientales Episcopos, & ut qui assecuti sint sancta quinque universalia Concilia, & Sanctos atque probabiles Patres.*

Confirmatur ex Epistola Agathonis Romani Pontificis ad Constantinum Pogonatum Imperatorem & ejus filios, quæ in eadem Synodo Actione 4. lecta est, in qua habet: *Ut autem vestra divinitus instructæ Pietati, quid Apostolicæ nostræ Fidei vigor contineat, breviter intimemus, quam percepimus per Apostolicam,*

*Apostolicam, Apostolicorumque Pontificum Traditionem, & sanctarum quinque Generalium Synodorum, per quas fundamenta Catholica Christi Ecclesiæ firmata atque stabilita sunt? Hic igitur status est Evangelica atque Apostolica Fidei, regularisque Traditio, ut confitentes sanctam & inseparabilem Trinitatem, id est, Patrem, & Filium, & Sanctum Spiritum unius esse deitatis, unius naturæ & substantiæ sive essentia, unius eam prædicemus & naturalis voluntatis, virtutis, operationis, dominationis, majestatis, potestatis & gloria.* Traditione igitur velut Fidei regula usi sunt, cùm Agatho Pontifex, tum Sextæ Synodi Oecumenicæ Patres.

Probatur vigesimoseptimò ex Synodo Septima Oecumenica in Definitione Fidei, in qua hæc habentur: *Fatemur autem unanimiter nos Ecclesiasticas Traditiones, sive scripto, sive consuetudine valentes & decretas, retinere velle, quarum de numero est imaginum effiguratio.*

Et infrà: *Regiam viam incedentes, & Sanctorum nostrorum & divinorum Patrum doctrina insistentes, & Catholica Ecclesiæ in qua Sanctus Spiritus inhabitat, Traditionem observantes: definimus cum omni diligentia & cura venerandas & sanctas imagines ad modum & formam veneranda & vivificantis Crucis è coloribus & tessellis, aut alia quavis materia commodè paratas, dedicandas, & in Templis sanctis Dei collocandas, habendasque.* Usum igitur & honorariam venerationem imaginum ex Traditione asseruit Septima Synodus.

Probatur vigesimooctavò ex Synodo Octavâ Oecumenica Actione 10. Canone 1. Traditiones etiam non scriptas disertè asserente, & necessariò observandas decernente: *Ut rectam*, inquit, *regiamque divinæ justitiæ viam sine erroris offensa teneamus, Sanctorum Patrum Decreta velut inextincta quadam semperque lucentes faces, sequenda sunt. Quapropter sanctiones Ecclesiæ Catholica & Apostolica per Traditionem, tum à sanctis omnique laudis præconio celebrandis Apostolis, tum ab Orthodoxis, Oecumenicisque, & Provincialibus Conciliis, aut à quovis Deiloquo Patre & Ecclesiæ Doctore acceptas, servandas custodiendasque profitemur. Traditiones enim sive per ser[illegible]em, sive per epistolam Majorum nostrorum, qui vita sanctitate nobis praluxerunt, acceptas, disertè magnus Apostolus Paulus tenendas monet.*

Mitto testimonia Anastasii Antiocheni libro 1. de rectis dogmatibus fidei, Venerabilis Bedæ ad cap. 6. Sancti Marci, Sancti Joannis Damasceni lib. 4. de Fide Orthodoxa, cap. 13. & in Oratione de sanctis Imaginibus cap. 17. Sancti Bernardi Epistola 174. & Epistola 190. aliorumque Authorum Ecclesiasticorum. Quæ enim hucusque protulimus, sufficiunt ad Traditionum non scriptarum auctoritatem ac necessitatem contra veteres novosque Hæreticos adstruendam: simulque ad demonstrandum quàm rectè & meritò sacra Synodus Tridentina Sessione 4. *Omnem veritatem Fidei & morum Disciplinæ, contineri in Libris scriptis, & sine scripto Traditionibus, quæ ex ipsius Christi ore ab Apostolis acceptæ, aut ab ipsis Apostolis Spiritu Sancto dictante, quasi per manus traditæ, ad nos usque pervenerunt*, asseruerit: *seque Orthodoxorum Patrum exempla secutam, omnes libros tam veteris, quàm novi Testamenti cùm utriusque unus Deus sit Auctor, necnon Traditiones ipsas, tum ad fidem, tum ad mores pertinentes, tanquam vel oro tenus à Christo, vel à Spiritu Sancto dictatas, & continua successione in Ecclesia Catholica conservatas, pari pietatis affectu ac reverentia suscipere ac venerari.*

Et infrà, eadem sacra Synodus, *Ad coërcenda petulantia ingenia decernit, ut nemo sua prudentia innixus, in rebus fidei, & morum ad ædificationem doctrinæ Christianæ pertinentium, sacram Scripturam ad suos sensus contorquens, contra eum sensum quem tenuit & tenet Sancta mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu & interpretatione Scripturarum sanctarum, aut etiam contra unanimem consensum Patrum, Scripturam sacram interpretari audeat.*

Denique hæc sancta Synodus Traditionum contemptores anathemate contrivit: *Si quis*, inquit, *Traditiones prædictas sciens & prudens contempserit, anathema sit.*

## §. XI.

### *Objectio prima ex Scripturis sacris petita, de Scripturæ ipsius integritate servandâ, & de illius sufficientiâ ad salutem, diluitur.*

Objicitur primò. Qui sacræ Scripturæ majestatem servat & auctoritatem tuetur, non est hæreticus; sed qui Traditiones non scriptas rejicit, divinæ Scripturæ majestatem servat & authoritatem tuetur. Is igitur non est damnandus hæreseos.

Probatur minor. Qui negat addendum esse ad Verbum Dei, vel ex eo auferendum: qui anathema dicit iis, qui nobis evangelizaverint aliquid præter id quod ab Apostolis prædicatum est; qui Scripturas sacras sufficere contendit ut instruatur homo ad salutem, ut erudiatur in justitia, ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus; hic Scripturæ sacræ dignitatem & auctoritatem tuetur & servat: Siquidem Scriptura sacra eadem iisdemque penè verbis asserit. Sed qui rejicit Traditiones non scriptas, negat addendum esse ad Verbum Dei, vel ex eo auferendum, &c. Itaque sacræ Scripturæ dignitatem & auctoritatem tuetur.

Probatur major ipsius Scripturæ sacræ testimoniis: Deuteronom. 4. *Non addetis ad verbum quod vobis loquor, nec auferetis ex eo*, & ad Galatas 1. cap. *Sed licet nos, aut Angelus de cœlo, evangelizet vobis, præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit.* 3. Sanctus Joannes caput 20. Evangelii sui sic concludit: *Multa quidem & alia signa fecit Jesus in conspectu Discipulorum suorum, quæ non sunt scripta in libro hoc. Hæc autem scripta sunt ut credatis quia Jesus est Christus Filius Dei, & ut credentes, vitam habeatis in nomine ipsius.* 4. Apostolus 2. ad Timotheum 3. *Ab infantia*, inquit, *sacras Literas nosti, quæ te possunt instruere ad salutem, per fidem quæ est in Christo Jesu. Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia, ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus.* Igitur qui negat addendum esse ad Verbum Dei, vel ex eo auferendum; qui anathema dicit iis qui evangelizaverint nobis præter id quod Apostoli prædicarunt; qui Scripturas sacras sufficere contendit ut instruatur homo ad salutem, utque erudiatur in justitia, ille sacræ Scripturæ dignitatem & auctoritatem tuetur.

Confirmatur. Qui Traditiones non scriptas rejicit ac damnat, Scripturam sacram sequitur easdem damnantem: non est igitur hæreseos nota inurendus.

Probatur antecedens ex verbis Christi, Matth. 15. *Irritum fecistis mandatum Dei propter Traditionem vestram.... Sine causa autem colunt me, docentes doctrinas & mandata hominum.* Et ex verbis Apostoli ad Colossenses 2. cap. *Videte ne quis vos decipiat per Philosophiam & inanem fallaciam, secundùm Traditionem hominum.* Christum igitur & ejus Apostolum rejicit, quisquis Traditiones ut alteram fidei regulam admittit.

Respondeo nego, primam minorem. Ad ejus probationem

bationem distinguo majorem: Si hæc asserat secundùm Scripturæ sensum, concedo: si contra sensum sacræ Scripturæ, nego. Distinguo similiter minorem: Qui Traditiones rejicit, negat addendum esse ad Verbum Dei, anathema dicit iis qui evangelizaverint præter id quod Apostoli prædicaverunt, &c. & loca Scripturæ sacræ, cujus verba usurpat, malè intelligit, concedo; & rectè intelligit, ac exponit, nego. Fateor itaque Hæreticos, qui non scriptas Traditiones rejiciunt, Scripturæ sacræ sententias & verba usurpare ad earum necessitatem & auctoritatem elevandam; sed hæc testimonia pravum in sensum detorquent. Unde Scripturæ sacræ majestati & auctoritati, quæ Traditiones adstruit, inferunt injuriam. Prolata enimvero Scripturæ sacræ loca Traditiones non oppugnant, ut singula expendenti perspicuum fiet.

Primum testimonium ex Deuteronomio petitum de verbo Dei scripto dumtaxat non est intelligendum, verùm etiam de tradito: Non enim ait; *Non addetis ad verbum quod scribo*, sed, *ad verbum quod loquor*. & subjungit statim: *Custodite mandata Domini Dei vestri, quæ ego præcipio vobis.* Ad verbum autem prolatum & præceptum Traditiones etiam non scriptæ pertinent. Æquè igitur ad eas spectat prohibitio de additione aut subtractione. Secundò, etsi de Verbo Dei scripto duntaxat locum illum exponendum esse demus, Traditiones non evertit. Prohibet enim additionem, quæ fiat proponendo Scripturam extraneam aut apochrypham quasi Canonicam Divinamque Scripturam, aut vim faciendo Textui sacro, pravosque sensus ipsi affingendo: Sed non prohibet additionem, quæ sit vera expositio & elucidatio. De prima additione loquitur Sapiens Proverb. 30. c. *Omnis sermo Dei ignitus, clypeus est sperantibus in se. ne addas quidquam verbis illius, & arguaris, inveniarisque mendax.* Reus namque mendacii est, qui velut verbum Dei jactat, quod revera Dei verbum non est; vel qui alienum ipsi sensum affingit. De secundo additionis genere, Ecclesiastici 24. sub persona Sapientiæ dicitur: *Qui elucidant me, vitam æternam habebunt.* Prima additio, Hæreticorum propria est, qui adjectionibus, detractionibus, & diversis, quas ipsi commenti sunt, expositionibus, divinarum Scripturarum testimonia intervertunt, *Qui his nituntur, quæ ex falso composuerunt, & quæ de ambiguitate ceperunt*, ut ait Tertullianus lib. de Præscriptionibus cap. 17. Hæc additio veritatis inimica est. *Tantùm enim veritati obstrepit adulter sensus, quantùm & corruptor stylus*, ut ibidem Tertullianus ait: Secunda additio, Apostolorum & sanctorum Patrum propria est, qui quod implicitè tantum & obscurè in Sacris Literis continetur, & ad Fidem nihilominus, aut morum Disciplinam pertinet, exposuerunt, hancque Successoribus suis expositionem tradiderunt.

Tertiò, nego Traditiones esse propriè additionem ad Scripturam sacram, imò potiùs illius complementum dicendæ sunt: Sicut libri Prophetici, non sunt additio ad libros Legis: nec Testamenti Novi ad Vetus accessio, propriè additio est, sed complementum. Hoc sensu ad Thessalonicenses scribebat Apostolus: *Nocte ac die abundantiùs orantes, ut videamus faciem vestram, & compleamus ea quæ desunt fidei vestræ.*

Ad secundum testimonium petitum ex cap. 1. Epistolæ ad Galatas, respondeo, Anathemate percelli ab Apostolo, qui annuntiaverit aliquid, non quocumque modo diversum ab iis quæ Galatis prædicaverat, sed iisdem contrarium. Enimverò & ipse Paulus tum in hac Epistola, tum in aliis postea Scriptis, quædam docuit & tradidit antea Galatis

A non tradita, & Sanctus Joannes Evangelium & Apocalypsim postea scripsit. Nec est existimandum, Angelum, qui mysterium aliquod nondum revelatum hominibus, volente Deo, annuntiaret, Apostolico anathemate feriendum. Is itaque verborum Sancti Pauli sensus est: Si vel ego ipse, vel Angelus Dei vobis annuntiet, ac pro Evangelio proferat aliquid contrarium iis quæ vobis evangelizavi, anathema sit. Porro Traditiones Apostolicæ nequaquam doctrinæ quam Sanctus Paulus prædicavit, ac generatim Verbo Dei scripto adversantur; imò cum eo maxime consentiunt, easque in genere di- B vina Scriptura continet. Id verò quod Pseudo-Apostoli, contra quos agit hac in Epistola Sanctus Paulus, docebant, Legis Mosaicæ observantiam omnibus Christianis necessariam esse, cum doctrina Sancti Pauli & aliorum Apostolorum è regione pugnabat. Et quidem hæc significatio præpositionis παρὰ, frequens est apud Græcos, ut & istius, *præter*, apud Latinos (quemadmodum notat eruditus Paulinarum Epistolarum Interpres Estius in hunc locum. Hinc παράνομος, legis violator; & παρανομία legis transgressio, & multa similia. Sic ipse Paulus ad Romanos 1. *Præter naturam*, id est, C *contra naturam*, ut benè vertit Interpres. Et cap. 4. ait, *Abraham præter spem in spem credidisse*, quod Interpres vertit, *contra spem*. Et cap. 16. præcipit observari eos, qui dissensiones & offendicula *præter* (id est contra) doctrinam ipsis traditam faciebant. Et Latinè dicimus, præter legem, præter morem, præter opinionem, præter spem, præter dignitatem, id est contra. Sic igitur hoc in loco, *præterquam quod evangelizavimus vobis*, idem est ac, contra id quod evangelizavimus. Sic istum locum exponunt Sanctus Hieronymus, & Ambrosiaster, in Commentariis. Sic & Sanctus Augustinus libro 17. contra Faustum, cap. 3. *Nos autem*, inquit, D *non propterea dicimus non esse credendum Manichæo, quia dictis factisque Christi non interfuit, & longè post natus est: sed quia de Christo contra Christi Discipulos loquitur, & contra Evangelium quod illorum auctoritate firmatum est. Habemus enim Apostoli vocem, qui Spiritu Sancto tales venturos esse cernebat. Unde Fidelibus dicebat: Si quis evangelizaverit, præter quam quod accepistis, anathema sit.* Secundùm hunc sensum exponendus est Sancti Augustini locus quem contra nos Heterodoxi intorquent, lib. 3. contra Literas Petiliani, cap. 6. *Proinde*, inquit, *sive de Christo, sive de ejus Ecclesia, sive de quacumque* E *alia re, quæ pertinet ad fidem, vitamque nostram, non dicam nos, nequaquam comparandi ei qui dixit: Licet si nos, sed omnino quod secutus adjecit: Si Angelus de cælo vobis annunciaverit præter quàm quod in Scripturis legalibus & Evangelicis accepistis, anathema sit.* Eam planè fuisse Sancti Augustini mentem constat ex Tractatu ejusdem 98. in Joannem: *Propterea*, inquit, *admonitio beatissimi Apostoli de vestris cordibus non recedat: Si quis vobis evangelizaverit præter quod accepistis, anathema sit. Non ait, Plusquam accepistis; sed, Præter quod accepistis. Nam si illud diceret, sibi ipse præjudicaret: quia cu-* F *piebat venire ad Thessalonicenses, ut suppleret quæ illorum fidei defuerunt. Sed qui supplet, quod minùs erat addit: non quod inerat, tollit. Qui autem prætergreditur regulam fidei, non accedit in via, sed recedit de via. Quod itaque ait Dominus, Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò: adjicienda illis fuerunt quæ nesciebant, non quæ didicerant evertenda.*

Objicies Theophylacti expositionem dicentis: *Nec dixit*, Apostolus, *si contraria prædicent, cæterùm si parum quiddam annuntient præter id quod annuntiavimus.* Etiamsi igitur Traditiones verbo Dei scripto, & doctrinæ Sancti Pauli contrariæ non sint,

nihilominus

nihilominus sunt explodendæ, quia sunt diversæ à Scriptura sacra.

Respondeo, Theophylactum iis de dogmatibus loqui, quæ licet totum Evangelium, aut præcipua ipsius doctrinæ Evangelicæ capita non evertunt, ipsum tamen, aut traditam ab Apostolis doctrinam, aliquatenus labefactant. Hunc esse Theophylacti sensum fatebitur, quisquis animadverterit Sanctum Joannem Chrysostomum, cujus Commentaria penè ad verbum exscribit, aut in compendium redigit Theophylactus, ita hunc locum exponere. En ejus verba, Homilia 1. in Epistolam ad Galatas: *Neque dixit, Si contraria annuntiaverint, aut totum* B *Evangelium subverterint: verùm, si vel paululum evangelizaverint præter Evangelium quod accepistis; etiamsi quidvis labefactarint, anathema sint.* Unde antea præmiserat: *Cæterùm quoniam ad auctoritatem confugiebant, & ubique celebrabant Jacobum & Joannem, hac de causa & Angelorum meminit. Ne mihi (inquit) Jacobum narres, & Joannem: Etiamsi quis Angelorum è cælo descenderit, corrumpens Evangelii prædicationem, anathema sit.* Unde consultò notat idem Chrysostomus, Apostolum dixisse, *Sunt aliqui qui vos conturbant, & volunt convertere*, sive *subvertere Evangelium Christi.* Quæ C verba sic exponit: *Atqui unum aut alterum dumtaxat præscriptum induxerant, Circumcisionem, & dierum observationem innovantes. Verum ut ostenderet quòd pusillum quiddam perperàm admixtum, totum corrumpit, dixit subverti Evangelium. Quemadmodum enim in moneta regia, qui paululum aliquid de impressa imagine amputare præsumpserit, totum numisma reddidit adulterinum: ita quisquis sanæ fidei vel minimam particulam subverterit, in totum corrumpitur, ab hoc initio semper ad deteriora procedens.*

Ad tertium testimonium ex 20. Sancti Joannis D capite, respondeo Sanctum Evangelistam non loqui de doctrinæ sufficientia, sed de sufficientia miraculorum & signorum, quæ post Resurrectionem suam Christus patravit: quæ numerosa satis & insignia sunt ad persuadendum hominibus Christum Filium Dei esse. Rectè ergo asserit Sanctus Joannes aliis opus non esse signis ad stabiliendam fidem Resurrectionis, & divinitatis Christi. Sed perperam inde colligitur omnem Christianæ Religionis institutionem Joannis Evangelio contineri: alioqui eodem jure colligeretur superflua esse alia E tria Evangelia, Apostolicas Epistolas, & Apocalypsim, quo jure infertur superfluas esse Traditiones non scriptas.

Objicies verba Sancti Augustini Tractatu 49. in Joannem dicentis: *Cùm multa fecisset Dominus Jesus, non omnia scripta sunt, sicut idem ipse Sanctus Joannes Evangelista testatur, Multa Dominum Christum & dixisse, & fecisse, quæ scripta non sunt. Electa sunt autem quæ scriberentur, quæ saluti credentium sufficere videbantur.* Quæ ergo scripsit Sanctus Joannes, sufficiunt ad salutem: nec Traditiones non scriptæ necessariæ sunt.

Addes auctoritatem Sancti Cyrilli lib. 12. in F Joannem cap. ultimo, dicentis, *Ea ab Evangelistis scripta fuisse, per quæ maximè possent auditores ad incorruptam fidem firmari, & doctrinâ tam morum, quam dogmatum institui.* Traditionibus itaque non scriptis minimè opus est ad salutem.

Respondeo, Sanctum Augustinum de miraculis, non de dogmatibus esse intelligendum, quod ex verbis antecedentibus evidens est. *Inter omnia miracula*, inquit, *quæ fecit Dominus noster Jesus Christus, Lazari resurrectio præcipuè prædicatur*, &c. Et ex consequentibus; addit enim statim post verba in objectione laudata: *Audisti enim quia Dominus* A *Jesus mortuum suscitavit? sufficit tibi ut scias quia, si vellet, omnes mortuos suscitaret.* Unde hæc verba: *Electa autem sunt quæ scriberentur, quæ saluti Fidelium sufficere videbantur:* Hæc, inquam, verba ad sola miracula, non ad Christi doctrinam referenda sunt. Solùm itaque pertendit Sanctus Augustinus, necesse non fuisse ut alia Christi miracula scriberentur ad fidem nostram firmandam: non autem vult necessariam non esse de aliis dogmatibus fidem, quàm de iis quæ Evangelistæ literis mandaverunt.

Nec refert, quòd Evangelistam laudet Sanctus B Augustinus asserentem, Christum multa & dixisse, & fecisse, quæ scripta non sunt. Nam & miracula quædam Christi, eorum quæ dixit numero continentur. Siquidem prædictio eversionis Hierosalem, Martyrii Sancti Petri, finis sæculi, ultimique judicii, miraculorum loco censeri debent. Non vult itaque Sanctus Augustinus dicta & facta Christi, quæ ab Evangelistis memoriæ prodita sunt, ad Fidelium institutionem & salutem satis esse. Alioqui Epistolæ Apostolicæ, Acta Apostolorum, Apocalypsis, nec non totum Legis Veteris Instrumentum, supervacanea esse, non necessaria viderentur. C Sed id intendit unum, ad Fidelium salutem non fuisse opus ut ex dictis factisque Jesu alia scriberentur, quàm quæ sunt ab Evangelistis recensita, adeoque ipsos non esse negligentiæ coarguendos quòd cætera prætermiserint.

Idem est Sancti Cyrilli sensus: nam de miraculis dumtaxat Christi, non de doctrina ipsum eo loci fuisse locutum, tota testimonii series ostendit. *Multa quippe*, inquit, *miraculorum millia virtute Servatoris nostri facta esse cogitandum est: verumtamen illustriora tantùm ab Evangeliorum Præconibus scripta fuere, & ea per quæ maximè possent auditores ad in-* D *corruptam fidem firmari, & doctrinâ tam morum, quam dogmatum institui.*

Ad quartum locum ex Epistolæ 2. ad Timotheum cap. 3. respondeo, Sacras Literas, ex Apostoli sententia, potuisse instruere Timotheum ad salutem, non absolutè; sed ad hunc finem, qui est credere in Jesum Christum. Hic enim erat disputationis cardo inter Apostolum & Judæos, quòd illi salutem in Lege, Paulus autem in fide Christi constituendam esse prædicaret.

Respondeo secundò, Sacras Literas erudire po- E tuisse Timotheum ad salutem, initiativè (ut cum Theologis de Schola loquar) non consummativè absque Traditionibus. Etenim si Scripturam sacram, qua de loquitur Sanctus Paulus, ad plenitudinem doctrinæ fidei, & ad salutem per se sufficere voluisset, seclusis Traditionibus non scriptis, sequeretur solos Veteris Testamenti libros sufficere, neque quatuor Evangeliis, cæterisve Novi Testamenti libris opus esse. De Scriptura enimverò Testamenti Veteris hic loqui Apostolum certum est; tum quia tota Novi Testamenti Scriptura nondum erat composita & edita, nec sacrorum librorum in Canonem relata erat pars, quæ recèns conscripta erat: F tum quia ea de Scriptura loquitur, de qua gratulatur Timotheo, quòd *ab infantia sacras literas noverit*; non potuit autem Timotheus ab infantia sacras literas nosse quoad Novum Testamentum, quod eo infante, aut puero, nondum scriptum ulla ex parte erat. Quod autem addit, *Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est*, &c. Traditionibus non scriptis nullatenus officit. Fatemur namque quod res est, Scripturam sacram ad docendam fidei veritatem, ad refellendos errores contrarios, ad morum depravatorum emendationem, ad instituendos Fideles ad justitiam & sanctimoniam, quæ quatuor sunt Pastoris & Doctoris officia, cumprimis utilem esse: sed ad omnium Catholicæ ve-

ritatis dogmatum probationem, & ad omnium confutationem errorum Scripturam per se sufficere negamus. Utilem enimverò dixit Apostolus, non sufficientem. Et certè si ex utilitate posset inferri sufficientia, sequeretur quamlibet Scripturæ sacræ partem sufficere, adeóque non esse opus cæteris libris divinitùs inspiratis. Quicquid utile est, imò quicquid est necessarium, non est propterea sufficiens: Nisi aqua sufficit ad vitam, quia utilis est: Nisi pietas ad regendam Ecclesiam sufficit, quia *Pietas ad omnia utilis est.*

Contra. Si Scriptura sacra præstat ut perfectus sit homo Dei, & ad omnem officii sui partem instructus (ut Apostolus ait) ergo quicquid populum docere debet, Sacris Literis continetur, adeóque non scriptis Traditionibus non est opus.

Respondeo, distinguo consequens: Quicquid populum docere debet, Sacris Literis continetur, in genere concedo, in specie nego. Igitur ad hæc quatuor, scilicet ad docendum, ad arguendum, ad corrigendum, ad erudiendum in justitia, Scriptura omnis tendit & collineat: sed singulatim & in specie dogmata non tradit universa, neque de omnibus præcipit. Si enim in specie scripta sunt omnia, cur dixit Apostolus, *Cætera cùm venero, disponam?* (1. Corinth. 11.) Cur dixit Sanctus Joannes in Epistola 2. Canonica; *Plura habens vobis scribere, nolui per chartam & atramentum: spero enim me futurum apud vos, & ore ad os loqui?* Cur scripsit Paulus 2. ad Thessalonicenses 2. *Tenete Traditiones quas accepistis, sive per sermonem, sive per Epistolam nostram?* Cur denique in hac ipsa ad Timotheum Epistola cap. 3. cùm dixisset, *Tu autem assecutus es meam doctrinam, institutionem* &c. quibus verbis utrumque genus disciplinæ complexum est, & quod scripto, & quod instituto, seu traditione, continetur; mox subjungit: *Tu verò permane in his quæ didicisti, & credita sunt tibi?* Non ergo Traditionum necessitatem elevat Apostolus, imò eam magnificè commendat.

Ad confirmationem, nego antecedens; cujus ad probationem respondeo, Christum damnasse dumtaxat Pharisaicas Traditiones, non verò Mosaicas, & Propheticas, hoc est divinas. Traditiones erant Pharisaicæ, quòd illotis manibus cibum attingere nefas esset, quòd inter epulas lotio manuum esset repetenda, quòd cibus cum peccatoribus sumendus non esset, quòd non liceret Sabbato ægrotos curare, & alia id genus. Quarum Traditionum etsi aliquæ indifferentes essent, meritò tamen ob scrupulosiorem ipsarum observantiam objurgati sunt à Christo Pharisæi, quia ex iis inanem humanæ gloriolæ auram captabant, mandata Dei negligentes. Traditiones Mosaicæ, & Propheticæ, sive divinæ, docebant libros Canonicos à Deo inspiratos esse, fœminis aliquod remedium ad expungendum peccatum originale à Deo provisum, & alia hujusmodi. Has autem Traditiones Christus non damnavit. Ita ferme hunc locum exponit Sanctus Irenæus lib. 4. cap. 26. *Non ergo,* inquit, *eam legem quæ est per Moysem data, incusabat, quam adhuc salvis Hierosolymis, suadebat fieri: sed illos redarguebat, quòd verba quidem Legis enuntiarent, essent autem sine dilectione; & propter hoc injusti in Deum & in proximos extiterunt, quemadmodum ait Esaias: Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me. Frustra autem colunt me, docentes doctrinas & præcepta hominum: Non per Moysem datam legem dicens præcepta hominum, sed Traditiones Presbyterorum ipsorum, quas finxerant, quas vindicantes, frustrabantur legem Dei.*

Ad locum Apostoli respondeo; Ipsum vocare *Traditionem* hominum, non quicquid est extra Verbum Dei scriptum, alioqui alias ipse Traditiones damnaret: sed Philosophiæ sæcularis & Ethnicæ placita, quæ Judaicæ Religioni admiscentes primi sæculi Hæretici, errorum monstra pepererunt. Ita hunc locum exposuit Tertullianus lib. de Præscriptionibus, cap. 7. *Hæ sunt,* inquit, *doctrinæ hominum & dæmoniorum, prurientes auribus, natæ de ingenio sapientiæ sæcularis, quam Dominus stultitiam vocans, stulta mundi in confusionem etiam Philosophiæ ipsius elegit. Ea est enim materia sapientiæ sæcularis, temeraria interpres divinæ naturæ & dispositionis. Ipsæ denique hæreses à Philosophia subornantur ..... Miserum Aristotelem! qui illis Dialecticam instituit, artificem struendi & destruendi, versipellem in sententiis, coactam in conjecturis, duram in argumentis, operariam contentionum, molestam etiam sibi ipsi, omnia retractantem, ne quid omnino tractaverit. Hinc illæ fabulæ & genealogiæ interminabiles, & quæstiones infructuosæ, & sermones serpentes velut cancer, à quibus nos Apostolus refrænans, nominatim Philosophiam contestatur caveri oportere, scribens ad Colossenses: Videte ne quis vos circumveniat per Philosophiam & inanem seductionem, secundùm traditionem hominum, præter providentiam Spiritus Sancti. Fuerat Athenis, & istam sapientiam humanam, affectatricem & interpolatricem veritatis, de congressibus noverat; ipsam quoque in suas hæreses multipartitam varietate sectarum invicem repugnantium. Quid ergo Athenis & Hierosolymis? Quid Academiæ, & Ecclesiæ? Quid Hæreticis & Christianis? Nostra institutio de Porticu Salomonis est, qui & ipse tradiderat Dominum in simplicitate cordis esse quærendum.*

Respondeo secundò, Apostolum de Traditionibus duntaxat legalium cæremoniarum inibi loqui, quibus Nazaræi, Gentiles recèns conversos adstringere volebant, ut totius Capitis series ostendit: vel de Traditionibus Pharisaicis, ut Sanctus Hieronymus exponit Epistola 151. ad Algasiam, Quæstione 10. *Quantæ Traditiones Pharisæorum sint,* inquit, *& quàm aniles fabulæ, evolvere nequeo. Neque enim libri patitur magnitudo: & pleraque tam turpia sunt, ut erubescam dicere.* Et postquam obscœnam consuetudinem ex cœnoso harum Traditionum gurgite derivatam exposuit, subjungit: *Præterea, quia jussum est, ut diebus Sabbatorum sedeat unusquisque in domo sua, & non egrediatur, neque ambulet de loco in quo habitat: si quando eos juxta literam cœperimus arctare ut non jaceant, non ambulent, non stent, sed tantùm sedeant, si velint præcepta servare: solent respondere & dicere: Raba Kiba, & Simeon, & Hille Magistri nostri, tradiderunt nobis ut bis mille pedes ambulemus in Sabbato, & cætera istiusmodi, doctrinas hominum præferentes Doctrinæ Dei.*

Et infrà: *Videntur igitur observationes Judaicæ apud imperitos & vilem plebeculam imaginem habere rationis humanæque sapientiæ, unde & Doctores eorum σοφοὶ, hoc est sapientes vocantur, & si quando certis diebus Traditiones suas exponunt, Discipulis suis, solent dicere, οἱ σοφοὶ δευτερῶσιν, id est, Sapientes docent Traditione. Elementa autem mundi, à quibus, imò quibus mortui sumus, Lex Moysi & omne Vetus Instrumentum intelligendum est, quibus quasi elementis, & religionis exordiis Deum discimus.* Cum itaque Apostolus ait: *Videte ne quis vos decipiat per Philosophiam & inanem fallaciam, secundùm Traditionem hominum, secundum elementa mundi, & non secundùm Christum,* Colossenses his verbis non deterret à Traditionibus Aposto-

licis

liciis recipiendis : sed eos monet atque hortatur, ne vel sæcularis Philosophiæ fallaciis, vel Hæreticorum, legalium cærimoniarum observantiam cum Evangelica Lege necessariò conjungendam esse contendentium, malis artibus, vel Traditionibus Pharisaicis, à Christi Fide & cultu sese abduci patiantur.

## §. XII.

### *Objectio altera diluitur petita ex evidentiâ Scripturæ sacræ.*

Objicitur secundò. Si Traditionibus opus esset, maximè ut Scripturæ sacræ sensus plerumque obscurus exponeretur : atqui non sunt eum ob finem necessariæ ; Traditionibus igitur non est opus.

Probatur minor. Scripturæ sacræ sensus planus & facilis est, & ex ipsa Scriptura absque extraneæ interpretationis subsidio potest intelligi. Non est igitur necesse, ut ex Traditionibus non scriptis divinæ Scripturæ sensum expiscemur.

Probatur antecedens ex illis Scripturæ oraculis: Deuteronomii 30. *Mandatum hoc quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est, neque procul positum*, &c. & Psalmo 18. dicitur, *Præceptum Domini lucidum, illuminans oculos* : & Psalmo 118. *Lucerna pedibus meis verbum tuum* : & *Declaratio sermonum tuorum illuminat, & intellectum dat parvulis*. Denique Proverb. 6. *Mandatum lucerna est, & lex lux*. Sacræ igitur Scripturæ sensus planus & facilis est.

Respondeo, distinguo primam majorem : Et hæc non est sola, & adæquata ratio cur necessariæ sint Traditiones, concedo : & hæc unica ratio est, cur sint necessariæ, nego : iis namque opus etiam est, & maximè, ut Canonicæ Scripturæ ab apocryphis discernantur, utque Scripturas illas quas legimus Ecclesia proponente, esse verum Dei Verbum certò cognoscamus. Deinde necessariæ sunt Traditiones ut quæ in Scripturis disertè non continentur, & ad doctrinam tamen Christianam pertinent, nobis hoc medio innotescant, ut perpetua Deiparæ Mariæ virginitas, Baptismus parvulorum, processio Spiritus Sancti à Filio, transsubstantiatio panis & vini in Corpus & Sanguinem Christi, Imaginum cultus, invocatio Sanctorum.

*Scripturæ sacræ obscuritas.*

Secundò, nego etiam minorem. Ad cujus probationem, nego antecedens. Nec enim laudata Scripturæ sacræ oracula ipsius perspicuitatem, & facilem intellectum evincunt. Ut enim ab eo incipiam quod ex Deuteronomio laudatum est, probat illud duntaxat, Præcepta Decalogi tum facilè cognosci posse, quia pertinent ad legem naturalem, quæ in omnium hominum animis à Deo descripta est, ut & ipsis notitia Dei est congenita : tum facilè posse observari cum divinæ gratiæ auxilio. Unde sequitur : *Juxta te est sermo valde, in ore tuo, & in corde tuo, ut facias illum.*

Quæ verò ex Psalmis & Proverbiis proferuntur, solùm probant Mandata Dei, vitæ nostræ, operationumque regulas esse debere, nosque lucis instar in officiis dirigere : vel Scripturas sacras illorum illustrare mentem qui sensum ipsarum fuerint assecuti : non verò sensum illum probant nullis abditum latebris, nullis difficultatum nebulis involutum, sed omnibus Scripturas sacras legentibus pio saltem animo, pervium.

Verùm obscuram esse Scripturam sacram, res adeo evidens est, ut nullum sit Hæreticorum commentum isto insanius. At enim si planus est ac facilis Scripturæ sensus, cur Sanctus Petrus Epistola 2. cap. ultimo scripsit, *In Pauli Epistolis quædam esse difficilia intellectu, quæ indocti & instabiles depravant* ? Cur Eunuchus ille, cujus in Actis Apostolorum Sanctus Lucas meminit, tam religiosus ut relicta aula regia de extremis orbis finibus veniret ad Templum, tam divinæ Legis amator, ut etiam in vehiculo sacras Literas legeret, non poterat intelligere hunc Isaiæ locum, *Tanquam agnus ad occisionem ductus est*, &c. nisi aliquis ipsi exponeret ? Quomodo Discipulis Christus *aperuit sensum ut intelligerent Scripturas* ? (Lucæ ultimo) Cur viri sanctissimi post tot studia, vigilias, labores, professi sunt se *multò plura in sacris Scripturis nescire, quàm scire* ? Quod Sanctus Augustinus Epistola 119. cap. 21. de seipso ingenuè fatetur. Cur Sanctus Hieronymus in laudata ad Algasiam Epistola, Quæstione 8. ait, omnem *Epistolam ad Romanos nimiis obscuritatibus involutam esse*? Cur in Præfatione Commentarii in Epistolam ad Ephesios, ait, se Alexandriam perrexisse ut videret Didymum, *& ab eo in Scripturis omnibus, quæ habebat dubia, sciscitaretur* ? Cur Epistola 103. ad Paulinum data, totus in eo est, ut Scripturæ sacræ obscuritatem, ejusque sensuum reserandorum difficultatem probet, singulorum enumeratione librorum ? Cur prolatis exemplis Eunuchi Isaiam non intelligentis, libri qui in Apocalypsi septem sigillis signatus ostenditur, quem homo sciens literas reserare non potest, sed solus Agnus, & ex verbis Davidis Deum ita rogantis, *Revela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua*, probat revelatione opus esse, & Magistro, ut Scriptura sacra intelligatur ; adeoque Paulinum *sine prævio & monstrante sacrarum Scripturarum semitam non posse ingredi* ? Cur exemplo ab omnibus Disciplinis & artibus, sive liberalibus, sive mæchanicis ducto probat neminem absque Doctore sacras literas intelligere posse, & tam graviter in eos declamat, qui eas per se absque alicujus institutione & auxilio discere, intelligere, & exponere se posse putant ? *Quod Medicorum est*, inquit, *promittunt Medici, tractant fabrilia Fabri. Sola Scripturarum ars est, quam sibi passim omnes vendicant. Scribimus indocti, doctique Poemata passim. Hanc garrula anus, hanc delirus senex, hanc Sophista verbosus, hanc universi præsumunt, lacerant, docent antequam discant. Alii adducto supercilio, grandia verba trutinantes, inter mulierculas de sacris literis philosophantur. Alii discunt, proh pudor ! à fœminis quod viros doceant : & ne parvum hoc sit, quadam facilitate verborum, immo audaciâ edisserunt aliis, quod ipsi non intelligunt. Taceo de mei similibus : qui si fortè ad Scripturas sanctas post sæculares literas venerunt, & sermone composito aurem populi mulserint, quicquid dixerint, hoc legem Dei putant, nec scire dignantur quid Prophetæ, quid Apostoli senserint : sed ad sensum suum incongrua aptant testimonia : quasi grande sit & non vitiosissimum docendi genus ; depravare sententias, & ad voluntatem suam Scripturam trahere repugnantem.* Hæccine Scripturam sacram perspicuam esse & intellectu facilem probant ?

Præterea, pugnantia in speciem divinarum Scripturarum testimonia conciliare, tropos multiplices & obscurissimos evolvere, Phrases Hebraicas in sacris literis frequentes, nostris inaudita proverbia, parabolas peregrinas, translationes interdum etiam longissimè petitas exponere, quis difficile non existimet ? Quis multiplicem ex hisce capitibus oriri obscuritatem, cogente experientia, non fateatur ? Hinc tot hæreses ex prava Scripturarum intelligentia ortæ sunt, dum eas quisque

varios in sensus pro sua libidine torqueret. Hinc inter ipsos Calvinistas & Lutheranos, qui mutuam inter se communionem fovent, tot de rebus maximis & ad Christianam doctrinam pertinentibus controversiæ; ut de verbis istis Christi Domini, *Hoc est Corpus meum*, quibus alii meram Corporis Christi figuram, alii Corpus ipsum Christi realiter præsens significari & effici contendunt.

Objicies verba Sancti Joannis Chrysostomi Concione 3. de Lazaro, hocce inter Ethnicorum Philosophorum & Scriptorum sacrorum libros discrimen assignantis, quòd illi utilia etiam dogmata in quadam sapientiæ caligine consuetâ obscuritate occultaverint: *Apostoli verò & Prophetæ manifesta claraque, quæ prodiderunt, exposuerunt omnibus veluti communes orbis Doctores, ut per se quisque discere possit ea quæ dicuntur, è sola lectione.* Et infrà: *Cui enim non sunt manifesta quæcumque in Evangelio scripta sunt?* Et Homilia 3. in 2. Epistolam ad Thessalonicenses: *Quid opus est*, inquit, *aliquo qui verba faciat, & sermonem habeat? Ex nostra socordia hoc evenit. Quid enim opus est sermone? Omnia sunt dilucida & recta quæ sunt in divinis Scripturis: manifesta sunt quæcumque sunt necessaria.* Igitur Scriptura sacra ex se perspicua est, ejusque sensus quibusvis est obvius. Non est igitur propterea ad Traditiones non scriptas confugiendum, ut sacræ Scripturæ sensus legitimus innotescat.

Respondeo, distinguo consequens: Scriptura sacra ex se perspicua est, quoad historias aliquas, & quoad morum præcepta omnibus necessaria, esto; quoad omnia capita, nego. Nec alius est Sancti Joannis Chrysostomi sensus in locis mox laudatis. Scilicet Concione 3. de Lazaro omnes Christianos ad sacræ Scripturæ lectionem adhortatur. *Id semper hortor*, inquit, *& hortari non desinam, ut non hic tantùm attendatis iis quæ dicuntur, verùmetiam cum domi fueritis, assiduè divinarum Scripturarum lectioni vacetis.* Quia verò plurimi hominibus curis rei familiaris implicitis, vel publicorum negotiorum mole gravatis, non incumbere officium legendi Scripturas dicebant, sed Clericis tantùm & Monachis, hanc eorum excusationem ut absurdam planéque damnandam repellit. *Quid ais, homo?* inquit, *Non est tui negotii Scripturas evolvere, quoniam innumeris curis distraheris? Imò tuum magis est, quàm illorum. Neque enim illi perinde Scripturarum egent præsidio, atque vos in mediis negotiorum undis jactati... Illi sedent procul à conflictu, eóque nec accipiunt multa vulnera: Tibi verò, quia perpetuò stas in acie, quia frequentes accipis plagas, idcirco magis opus est remediis.* Enumerat deinde sacrorum Librorum utilitatem, qui sunt artis Christianæ instrumenta, quibus animam nostram fabricamur; depravatam corrigimus, inveteratam renovamus. Ideirco imitandos esse Artifices, qui omnia artis suæ instrumenta parata habent semper & integra, nec ea quacumque inopia urgente, divendunt: sic neminem in comparandis sibi Scripturæ sacræ libris esse debere negligentem. Addit multos ex sacris libris fructus etiam in eos redundare, qui illos apud se repositos habent, quamvis sæpius illos legere non vacet: sicut arma regia multam præbent illis custodiam ac munimen contra fures, apud quos sunt deposita, quamvis ea non tractent. *Nam ipse per se Librorum aspectus segniores nos reddit ad peccandum... & simul atque tetigit aliquis Evangelium, mox composuit suam ipsius mentem, & à rebus mundanis abduxit... Quòd si accesserit diligens lectio, non aliter quàm in sacris adytis, rebus divinis initiata anima sic repurgatur, meliorque redditur, Deo cum ipsa per illas Scripturas colloquente.*

Scriptura sacra ab omnibus Christianis assiduè legenda.

Verùm quia sacræ Scripturæ obscuritatem vulgò causabantur Christiani, quos suis Concionibus Sanctus Joannes Chrysostomus instruebat, atque inutilem se operam in sacrorum lectione Librorum collocare, quos non intelligebant: hanc eorum excusationem evertit multis rationibus. Ait primò, *Ex ipsa Scripturarum sacrarum lectione multam nasci sanctimoniam, etiamsi non intelligantur illic recondita.* Secundò, *Fieri non posse*, ait, *ut ex æquo omnia ignorentur: propterea siquidem Spiritus gratia providit ut publicani, pastores, idiotæ, illiterati hos libros componerent, ut ne quis idiotarum ad hanc difficultatis confugere posset excusationem, ut omnibus facilia conspectu essent ea quæ dicuntur, ut & opifex, & famulus, & vidua mulier, & omnium hominum indoctissimus, ex auditu lectione aliquid lucri utilitatisque reportaret.* Non pertendit itaque Sanctus Chrysostomus totam Scripturam sacram perspicuam esse, ejusque sensus quibusvis eam legentibus esse obvios, sed solum omnia in sacris libris non esse obscura; multa posse à simplicibus etiam & imperitis intelligi, quod satis est ut multam eorum lectio utilitatem pariat. Tertiò discrimen, de quo diximus, inter libros Ethnicorum Philosophorum, & libros sacros adducit. Ea quæ à Prophetis & Apostolis scripta sunt, *Disci*, ait, *ex sola lectione, manifesta esse quæcumque in Evangelio scripta sunt*: Sed ad Historias duntaxat, vel ad præcepta morum Fideles universos spectantia, restringendam esse Chrysostomi propositionem, adjuncta demonstrant. *Cui*, inquit, *non sunt manifesta quæcumque in Evangelio scripta sunt? Quis autem audiens beatos esse mites, beatos misericordes, beatos mundo corde, cæteraque ejusmodi, desiderabit Præceptorem, ut aliquid eorum discat quæ dicuntur? Quin etiam signa, miracula, historiæ, nonne cuivis nota, manifestaque sunt? Prætextus iste est & causatio, pigritiæque velamentum. Non intelligis quæ insunt? Quomodo possis aliquando intelligere, qui ne leviter quidem inspicere velis? Sume librum in manus, lege historiam omnem; & quæ nota sunt memoria tenens, ea quæ obscura sunt parumque manifesta, frequenter percurre.*

Quartò indicat Sanctus Chrysostomus quid facto sit opus, si assiduè legens Scripturam sacram, ejus sensum non assequatur: ait enim adeundum esse sapientiorem, Sacerdotem aut Doctorem consulendum, qui loca obscura exponat. Supponit itaque non esse illam ita perspicuam ut ejus sensus cuilibet assiduè legenti sit obvius. *Quòd si*, inquit, *non poteris assiduitate lectionis invenire quod dicitur, accede ad sapientiorem, vade ad Doctorem, communica de his quæ scripta sunt, declara vehemens studium. Et si viderit te Deus tantam animi promptitudinem adhibere, non despiciet tuam vigilantiam, ac solicitudinem. Verùm etiamsi nullus homo te docuerit quod quæris, ipse sine dubio reserabit.*

Quintò addit Sanctus Chrysostomus, Deum sine dubio reseraturum loca Scripturæ difficilia & obscura, ei qui pio animo ipsas assiduè legerit, etiamsi nullus homo ipsum doceat. Id probat exemplo Eunuchi Reginæ Æthiopum, qui nec in itinere lectionem Scripturæ sacræ dimittens, Dei miserentis beneficio doctorem consecutus est, scilicet Philippum. *Verùm*, inquit, *non adest Philippus, sed Spiritus qui moverat Philippum, adest.* Quibus verbis legem aliquam à Deo positam non significat, ut Scripturam sacram legentibus omnia loca obscura & difficilia revelet; sed non defuturum ex misericordia sua Deum confidit, ut cognoscat Fidelis quæ sibi ad salutem necessaria sunt, & ut spiritale aliquod commodum tam sacra ex lectione

ctione referat. *Magna*, inquit, *adversùs peccatum munitio est Scripturarum lectio; magnum præcipitium, profundum barathrum Scripturarum ignoratio: ea & hæreses peperit, & vitam corruptam invenit: hoc sursum deorsum miscuit omnia. Nam fieri non potest ut quis sine fructu discedat, qui assidua attentaque Scripturarum lectione fruatur.*

Eadem prorsus mens est Sancti Joannis Chrysostomi Homilia 3. in 2. Epistolam ad Thessalonicenses; post verba siquidem in objectione laudata, eorum excusationem repellens, qui Scripturarum sacrarum obscuritate ab earum se lectione absterreri dicebant, subjungit: *Quænam ea obscuritas? Dic quæso. An non sunt historia? Nostine quæ sunt clara & dilucida, ut de iis quæ sunt obscura, percunteris? Historiæ innumerabiles sunt in Scripturis. Dic mihi unam ex illis.*

Ex his itaque patet, Sanctum Joannem Chrysostomum laudatis in objectione verbis nihil aliud significare voluisse, quàm facilia esse & dilucida plurima quæ in Scripturis sacris occurrunt, sive historias, sive præcepta & consilia mores spectantia, sive comminationes, sive promissa: unde colligit quod pertendebat, sacram Scripturam absque magna utilitate non legi; adeoque ejus lectioni esse assiduè vacandum.

Hanc ob causam Sanctus Chrysostomus Christianam plebem ad lectionem Scripturarum semper adhortatus est. Qua de re legenda est ejus Homilia 9. in Epistolam ad Colossenses, Præfatio in Epistolas Sancti Pauli, Homilia 2. in Matthæum, & Homilia 10. in Joannem. Ex quibus patet non solùm ab Ecclesiæ Pastoribus non esse negandam licentiam legendi Scripturas Christianis, quos in Catholica Fide stabiles atque confirmatos noverint; etiam mulieribus, si eam ex pio affectu postulent: verùmetiam ad tam salutarem lectionem eos adhortari debere, quorum animum ita affectum sciverint, ut iis sacrorum librorum lectio prodesse possit, non obesse. Hinc Sanctus Hieronymus Epistola 7. ad Lætam de Institutione filiæ, nobilem illam matronam hortatur ut parvulam Virginem sacræ Scripturæ lectionem amare, eique assuescere doceat. *Pro gemmis*, inquit, *& serico divinos Codices amet, in quibus non auri & pellis Babylonicæ vermiculata pictura, sed ad fidem placeat emendata & erudita distinctio. Discat primò Psalterium, his se canticis avocet, & in Proverbiis Salomonis erudiatur ad vitam. In Ecclesiaste consuescat quæ mundi sunt calcare. In Job virtutis & patientiæ exempla sectetur. Ad Evangelia transeat, nunquam ea positura de manibus. Apostolorum Acta & Epistolas tota cordis imbibat voluntate. Cùmque pectoris sui cellarium his opibus locupletaverit, mandet memoriæ Prophetas, Pentateuchum, & Regum, & Paralipomenon libros, Esdræ quoque & Hester volumina: Ad ultimum sine periculo discat Canticum Canticorum, ne si in exordio legerit, sub carnalibus verbis spiritualium nuptiarum epithalamium non intelligens, vulneretur.*

Hinc idem Sanctus Doctor Epistola 16. Marcellam nobilem viduam ob lectionem sacrorum librorum, & eruditionem ex illa partam impensè laudat. *Quia*, inquit, *alicujus nominis esse existimabar super studio Scripturarum, nunquam convenit quin de Scripturis aliquid interrogaret, nec ut statim acquiesceret, sed moveret è contrario quæstiones; non ut contenderet, sed ut quærendo disceret earum solutiones, quas opponi posse intelligebat....... Quicquid in nobis longo fuit studio congregatum, & meditatione diuturna quasi in naturam versum, hoc illa libavit, didicit atque possidet, ita ut post profectionem nostram, si in aliquo testimonio Scripturarum esset oborta contentio, ad illam judicem pergeretur.*

Et Epistola 25. super obitu Blesillæ ad Paulam data, juvenem illam nobilemque Viduam laudat, quòd in ipsa ægritudine *aut Prophetam, aut Evangelium semper in manibus teneret*. Et Epistola 27. ad Eustochium Virginem, Paulam matrem laudat, *Quòd Scripturas sanctas teneret memoriter. Et cùm amaret Historiam, & hoc veritatis diceret fundamentum; magis tamen sequebatur intelligentiam spiritalem: & hoc culmine ædificationem animæ protegebat. Denique*, inquit Hieronymus, *compulit me ut Vetus & Novum Instrumentum cum filia, me disserente, perlegeret. Quod propter verecundiam negans, propter assiduitatem tamen & crebras ejus postulationes præstiti, ut docerem quod didiceram, non à me ipso, id est, à præsumptione pessimo præceptore, sed ab Illustribus Ecclesiæ Viris.*

Epistolæ tandem frequentes Sancti Hieronymi ad Fabiolam, Marcellam, Principiam, Hedibiam, Algasiam, Paulam & Eustochium, illustres fœminas, quibus vel sacrorum Librorum Versiones, & Commentarios eis nuncupat, vel difficillimas Scripturæ sacræ quæstiones ab eis rogatus exponit, totidem argumenta sunt, quibus evincitur sacrarum literarum lectionem & studium Christianis etiam mulieribus, nedum viris, permissa fuisse, imò & præcepta ab Ecclesiæ Pastoribus. Quæ tamen passim nunc omnibus concedi non convenit, in lingua præsertim vulgari, ob translationes ab Hæreticis, aut suspectis hominibus factas; sed iis solum qui pietate & ingenio pollent, quique in humilitate & simplicitate cordis quærunt voluntatem Dei in verbis Dei; qui denique prohibitis ab Ecclesia Versionibus non utuntur.

Objicies verba Sancti Augustini lib. 2. de Doctrina Christiana cap. 6. dicentis: *Magnificè & salubriter Spiritus Sanctus ita Scripturas sanctas modificavit, ut locis apertioribus fami occurreres, obscurioribus autem fastidia detergeret. Nihil enim ferè de illis obscuritatibus eruitur, quod non planissimè dictum alibi reperiatur.* Ad exponendam itaque Scripturam sacram Traditionibus non est opus: sed loci obscuriores per alios clariores explicandi sunt.

Respondeo, nego consequens. Nec enim omnia Scripturæ sacræ loca quæ obscura sunt, alibi in ipsis Scripturis exposita Sanctus Augustinus dixit, sed plurima. Hanc siquidem exceptionem apponit, (*Ferè*) qua indicat & nonnulla esse quæ nullibi exposita inveniuntur. Sed & illa quæ planissimè dicta putat, quamvis Fidelibus & eruditis perspicua sint; non tamen infidelibus, & iis quorum minùs perspicax est ingenium, eruditioque mediocris, vel nulla: unde innumeræ natæ sunt hæreses, dum homines ignari vel superbi Scripturam in suos quisque sensus traxerunt. Quos proinde aliis Scripturæ testimoniis confutare non potuerunt Doctores Ecclesiastici, absque Traditionis ope. Arius enim evidentissima de Filii deitate sacrarum Literarum loca alienum in sensum detorquens, ea suo nequaquam pugnare cum errore contendebat. Catholici contra, locis quibus abutebantur Ariani, respondebant, & aliis maximè quidem perspicuis, sed quæ talia ipsis non videbantur, eorum refellebant hæresim. Suum quisque sensum tuebatur. Unde (quæso) veram esse Catholicorum expositionem demonstrari poterat his in contentionibus, nisi ex Traditione? Hanc esse, quam diximus Sancti Augustini mentem, ex

eodem loco qui in argumento laudatus est, satis patet. *Sed multis,* inquit, *& multiplicibus obscuritatibus, & ambiguitatibus decipiuntur, qui temerè legunt, aliud pro alio sentientes; quibusdam autem locis quid vel falsò suspicentur, non inveniunt: ita obscurè quadam dicta densissimam caliginem obducunt. Quod totum provisum esse divinitus non dubito ad edomandum labore superbiam, & intellectum à fastidio revocandum, cui facilè investigata plerumque vilescunt.*

Idem patet ex iis quæ cap. 7. scribit, ubi de septem gradibus differens, quibus ad sapientiam pervenitur, postquàm præmisit ante omnia opus esse Dei timore converti ad cognoscendam ejus voluntatem, hæc subjungit: *Deinde opus est mitescere pietate, neque contradicere divinæ Scripturæ, sive intellectæ, si aliqua vitia nostra percutit, sive non intellectæ, quasi nos meliùs sapere, meliùsque præcipere possimus; sed cogitare potiùs & credere id esse melius & verius quod ibi scriptum est, etiamsi lateat, quàm id quod nos per nosmetipsos sapere possumus.*

Hinc 2. & 3. de Doctrina Christiana libro tot tradit intelligendæ Scripturæ sacræ regulas, aut traditas à Tichonio Donatista exponit. Tot præterea rerum necessariam esse cognitionem ad sacrarum Literarum intellectum asserit, ut nulli sit dubium quin paucissimi sint, qui in illis eruditi evadant. Denique viros ipsos doctissimos obscura & ambigua Scripturæ loca non solùm aliis planioribus, verùmetiam ex Traditione & Ecclesiæ auctoritate exponere debere existimat. Quibus de rebus ita differit libri 3. cap. 1. superiores libros in compendium redigens. *Homo timens Deum,* inquit, *voluntatem ejus in Scripturis diligenter inquirit. Et ne amet certamina, pietate mansuetus, præmunitus etiam scientia linguarum, ne verbis locutionibusque ignotis hæreat. præmunitus etiam cognitione quarumdam rerum necessariarum, ne vim naturamve earum, quæ propter similitudinem adhibentur, ignoret, adjuvante etiam codicum veritate, quam solers emendationis diligentia procuravit, veniat ita instructus ad ambigua Scripturarum discutienda, atque solvenda. Ut autem signis ambiguis non decipiatur, . . . . . sciat ambiguitatem Scripturæ aut in verbis propriis esse, aut in translatis: quæ genera in secundo libro demonstravimus. Sed cùm verba propria faciunt ambiguam Scripturam, primò prævidendum est ne malè distinxerimus, aut pronuntiaverimus. Cùm ergo adhibita intentio incertum esse previderis quomodo distinguendum, aut quomodo pronuntiandum sit, consulas regulam fidei, quam de Scripturarum planioribus locis, & Ecclesiæ auctoritate percepit.*

Et lib. 2. cap. 8. librorum Canonicorum criterium ex Traditione, & Ecclesiæ auctoritate faciendum esse asserit. *Erit igitur,* inquit, *divinarum Scripturarum solertissimus Indagator, qui primò totas legerit, notasque habuerit, & si nondum intellectu, jam tamen lectione, duntaxat eas quæ appellantur Canonicæ. . . . In Canonicis autem Scripturis Ecclesiarum Catholicarum quamplurium auctoritatem sequatur, inter quas sanè illæ sunt, quæ Apostolicas Sedes habere, & Epistolas accipere meruerunt. Tenebit igitur hunc modum in Scripturis Canonicis, ut eas quæ ab omnibus accipiuntur Ecclesiis Catholicis, præponat eis quas quidam non accipiunt. In eis verò quæ non accipiuntur ab omnibus, præponat eas quas plures gravioresque accipiunt, eis quas pauciores, minorisque auctoritatis Ecclesiæ tenent. Si autem alias invenerit à pluribus, alias à gravioribus haberi, quamquam hoc facilè invenire non possit, æqualis tamen auctoritatis eas habendas puto.*

Denique si Sanctus Augustinus ita perspicuam esse Scripturam sacram, ejusque sensum ita planum existimasset, ut quibusvis legentibus obvius sit, non dixisset tantam esse divinarum Literarum profunditatem, *Ut in eis quotidie proficeret, si eas solas ab ineunte pueritia usque ad decrepitam senectutem, maximo otio, summo studio, meliore ingenio conaretur addiscere: non quò ad ea quæ necessaria sunt saluti tanta in eis perveniatur difficultate; Sed cum quisque ibi fidem tenuerit, sine qua piè rectèque non vivitur, tam multa, tamque multiplicibus mysteriorum umbraculis opaca intelligenda proficientibus restant; tantaque non solùm in verbis, quibus ista dicta sunt, verùmetiam in rebus quæ intelligendæ sunt, latet altitudo sapientiæ, ut annosissimis, acutissimis, flagrantissimis cupiditate discendi hoc contingat, quod eadem Scriptura quodam loco habet: Cum consummaverit homo, tunc incipit.* Id autem disertè profitetur Sanctus Augustinus Epistola 3. ad Volusianum.

Ad hæc. Si claram esse & omnibus perspicuam Scripturam sacram Sanctus Augustinus sensisset, non exclamasset libro 12. Confessionum cap. 14. *Mira profunditas Eloquiorum tuorum, quorum ecce ante nos superficies blandiens parvulis: sed mira profunditas, Deus meus, mira profunditas. Horror est intendere in eam, horror honoris, & tremor amoris.*

## §. XIII.

### *Solvitur objectio ex Spiritûs Dei ad Scripturam intelligendam illustratione petita.*

Objicitur tertiò. Ad Scripturæ sacræ intelligentiam, utque in ea omnia ad salutem necessaria discantur, sufficit Spiritus Dei, qui piis omnibus adest: Non est igitur opus Traditionibus non scriptis.

Probatur antecedens ex Apostolo 1. ad Corinthios 2. *Animalis homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei. . . . . . Spiritualis autem judicat omnia.* Et ex Epistola 1. Sancti Joannis, cap. 2. *Non necesse habetis ut aliquis doceat vos: sed sicut unctio ejus docet vos de omnibus, & verum est, & non est mendacium.*

Respondeo, nego antecedens. Ad cujus probationem explico locum Apostoli, & dico sensum ejus esse quòd animalis homo, id est, Christianus qui & mente, & affectu rudis adhuc, imperfectus, & infirmus est, nondum ad capiendum sublimiora divini Spiritus mysteria idoneum gerit animum. Quæ proinde ipsi tradenda non sunt, donec in virum spiritualem & perfectum evadat. Hinc ad ipsos Corinthios Paulus scribit: *Tanquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam; nondum enim poteratis.* Hinc Sanctus Augustinus libro de vera Religione, cap. 28. de Christianæ Religionis Doctoribus loquens, ait: *Sapientiam loquuntur inter perfectos: carnalibus verò & animalibus, quamvis novis hominibus, adhuc tamen parvulis, nonnulla obtegunt, sed nulla mentiuntur.* Spiritualis autem homo, id est, Christianus in vita spirituali jam adultus & provectus, atque divinis in rebus exercitatus, non solùm ad faciendum terrenis de rebus seculique obnoxiis judicium; sed etiam de spiritualibus, id est, de altioribus, difficilioribusque religionis nostræ Mysteriis idoneus est. Quamobrem de illo Sanctus Augustinus ait libro de vera Religione, cap. 31. *Omnia judicat, quia super omnia est quando cum Deo est. Cum eo autem est, quando purissimè intelligit, & tota charitate quod intelligit, diligit.*

Non

*Privatus Spiritus ad Sacram Scripturam intelligendam, & ad judicium de Religionis controverſiis ferendum non ſufficit.*

Non vult autem Apoſtolus ſpiritales illos viros, nedum Chriſtianos omnes, Scripturam omnem intelligentiâ comprehendere, aut omnia Fidei dogmata abſque Traditionis lumine cognoſcere poſſe, & contra Hæreticos tueri : vel de religionis controverſiis privato ſpiritu, propriaque auctoritate ferre poſſe judicium. Enimverò ſi vir ſpiritualis hoc quo Heterodoxi contendunt ſenſu, judicare poteſt omnia, quomodo Apoſtoli *non intelligebant quæ dicebantur, & verbum* Chriſti *erat abſconditum ab eis* ? ( Lucæ 18. ) Quomodo Petrus & Joannes ad Chriſti monumentum currentes *nondum ſciebant Scripturam, quia oportebat eum à mortuis reſurgere* ? ( Joannis 20. ) Quomodo Chriſtus Diſcipulis Emmaüs proficiſcentibus, *Incipiens à Moyſe, & omnibus Prophetis, interpretabatur in omnibus Scripturis quæ de ipſo erant* ? ( Lucæ 24. ) Quomodo Sanctus Petrus non animadvertit, *Simulationem ſuam reprehenſibilem eſſe, & non rectè ſe ambulare ad veritatem Evangelii* ? ( ad Galatas 2. cap. ) Quomodo Eunuchus Candacis Reginæ, Iſaiæ locum abſque Interprete intelligere non potuit ( Actorum 8. ) Quomodo Chriſtiani Antiocheni orta contentione de neceſſitate Circumciſionis & Legis Moſaïcæ, non diſcreverunt veritatem prædicationis Pauli & Barnabæ negantium eſſe neceſſarias, à ſententia Phariſæorum recèns converſorum ad fidem, qui id aſſerebant ? Eccur ad Apoſtolos & Seniores hanc referri controverſiam neceſſe fuit, ut illorum judicio in Concilio Hieroſolymitano finiretur ? ( Actorum 15. )

Præterea Spiritus Dei ſibi ipſi contrarius eſſe non poteſt. Contrarios autem ſenſus teſtimoniis ſacrarum Scripturarum, in graviſſimis fidei controverſiis tribuunt Catholici & Hæretici : ipſique Hæretici, pro ſuæ quique cauſæ ſtudio, varios & repugnantes ſenſus eidem Scripturæ loco affingunt. Quanam ergo ratione verus ac legitimus à falſo & peregrino diſcerni poterit ? Lutheranus perinde gloriabitur Spiritum Dei ſe habere ac Calviniſta ; Socinianus æquè ac Catholicus. Ecquis probabit Spiritus ſi ex Deo ſint ? Quinam erit controverſiarum finis, niſi ad Eccleſiam deferantur, quæ aſpectabilis eſt, & Chriſti auctoritate donata, & Spiritus Sancti lumine nunquam ipſi defuturo illuſtrata ? Certè ſi in Republica cuique leges interpretari proprio judicio non licet, ſed publica auctoritate exponi quod in illis occurrit ambiguum atque obſcurum neceſſe eſt, licebit in Eccleſia privato judicio Scripturam divinam, Deique legem exponere ? Abſit. Judex igitur controverſiarum Fidei eſto Eccleſia. Hoc verò in judicio regulam ſequatur aliquam oportet. Regula illa non eſt Scriptura ſacra per ſe & ſeorſim ; ſiquidem ipſius de ſenſu moveri controverſiam ſupponimus : accedat igitur Traditio, judicetque Eccleſia ſecundùm doctrinam quam ab Apoſtolis accepit, Apoſtoli à Chriſto, Chriſtus à Deo. Id Sancto Auguſtino valde perſuaſum erat, qui libro contra Epiſtolam Fundamenti, cap. 5. *Ego verò*, inquit, *Evangelio non crederem, niſi me Eccleſia Catholica commoveret auctoritas.*

Et libro 1. contra Creſconium, cap. 33. *Proinde*, inquit, *quamvis hujus rei certè de Scripturis Canonicis non proferatur exemplum, earumdem tamen Scripturarum etiam in hac re à nobis tenetur veritas, cùm hoc facimus quod univerſæ jam placuit Eccleſiæ, quam ipſarum Scripturarum commendat auctoritas : ut quoniam ſancta Scriptura fallere non poteſt, quiſquis falli metuit hujus obſcuritate quæſtionis, eamdem Eccleſiam de illa conſulat, quam ſine ulla ambiguitate ſancta Scriptura demonſtrat.*

Ad teſtimonium Sancti Joannis, reſpondeo hæc verba quibus non ſimplex fides eorum quæ credenda ſunt ; ſed ſcientia ſignificatur, qua ſublimiora fidei Myſteria aliquouſque intelliguntur, & idoneis rationibus explicentur, ſingulos Fideles non ſpectare, cùm plurimi ſint rudes & ignari ; ſed eorum Eccleſiam ſpectare ad quos ſcribit, huncque eorum ſenſum eſſe : Spiritus Sanctus Eccleſiæ veſtræ adeſt, & qui vobis præeſt Epiſcopum, ejus unctio docet de omnibus. Quapropter alio Doctore vobis non eſt opus. Vel ſi mavis hunc locum ad ſingulos Fideles referre : Reſpondeo, Apoſtolum non loqui de omnibus quæ in Scriptura continentur, cujus nequidem ibi meminit, ſed de omnibus ad ſalutem neceſſariis, quæ ſatis noverant illi, ad quos ſcribit, Chriſtiani, non quidem ex ſacris Literis privato ſpiritu intellectis & expoſitis, ut Hæretici pertendunt, ſed ex prædicatione Apoſtolorum, & ex Epiſcoporum ſuorum inſtitutione ac doctrina à Chriſto per Apoſtolos tradita. Unde præmittit Sanctus Joannes : *Non ſcripſi vobis quaſi ignorantibus veritatem, ſed quaſi ſcientibus eam.... Vos, quod audiſtis ab initio, in vobis permaneat. Si in vobis permanſerit quod audiſtis ab initio : & vos in Filio & Patre manebitis ... Hæc ſcripſi vobis de his qui ſeducunt vos. Et vos unctionem quam accepiſtis ab eo, maneat in vobis.* Ex hoc itaque Sancti Joannis teſtimonio extundi non poteſt privatus ille Hæreticorum ſpiritus, qui ad Scripturam ſacram exponendam, & ad controverſias fidei judicandas per ſe ſufficiat.

Verùm quamvis hoc ad commentum refellendum ſatis ſint quæ diximus, addam coronidis loco, quod de Sanctis Baſilio, & Gregorio Nazianzeno Rufinus refert libro 2. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap. 9. quòd ſcilicet in Monaſterio *Per annos tredecim, omnibus Græcorum ſæcularium libris remotis, ſolis Scripturæ divinæ voluminibus operam dabant, earumque intelligentiam non ex propria præſumptione, ſed ex Majorum ſcriptis & auctoritate ſequebantur : quos & ipſos ex Apoſtolica ſucceſſione intelligendi regulam ſuſcepiſſe conſtabat.* Vides ſanctiſſimos doctiſſimoſque Patres, non privato ſpiritu, ſed ex Majorum ſcriptis & auctoritate, id eſt, Traditione, Scripturam ſacram intelligendam duxiſſe ac exponendam.

## §. XIV.

### *Diluuntur objectiones petitæ ex Sancti Irenæi, Tertulliani, Origenis, & S. Cypriani teſtimoniis.*

Objectio quarta nititur auctoritate Sancti Irenæi libro 3. adversùs Hæreſes cap. 1. dicentis : *Non enim per alios diſpoſitionem ſalutis noſtræ cognovimus, quàm per eos per quos Evangelium pervenit ad nos : quod quidem tunc præconizaverunt, poſtea verò per Dei voluntatem in Scripturis nobis tradiderunt, fundamentum & columnam fidei noſtræ futurum.* Ex quibus ſic colligo : Sanctus Irenæus aſſerit Apoſtolos in Evangelio ſcripſiſſe quod ſua prædicatione annuntiaverunt : atqui annuntiaverunt omnia neceſſaria ad ſalutem : igitur & omnia neceſſaria in Scripturis tradiderunt.

Reſpondeo, diſtinguo majorem : Aſſerit Apoſtolos ſcripſiſſe quod ſua prædicatione annuntiaverunt, ita ut aliqua prædicaverint quæ ſcriptis non conſignavere, concedo : ita ut omnia ſcripſerint quæ prædicavere, nego. Unum enim hic intendit S. Irenæus, Evangelium ab Hæreticis rejici ſine ſcelere non poſſe. Id probat ex illius Auctoribus. Ii enim ſunt Apoſtoli, aut Diſcipuli, qui perfectam habuere cognitionem rerum divinarum,

utpote

ntpore à Spiritu Sancto illustrati, & à Christo edocti. Illi jubente Deo, Evangeliom quod prædicaverunt, scriptis mandavere, qnibus *Unum Deum Factorem cæli & terræ à Lege & Prophetis annunciatum, & unum Christum Filium Dei tradiderunt nobis: quibus si quis non assentit, spernit quidem participes Domini; spernit autem & ipsum Christum Dominum; spernit verò & Patrem, & est à semetipso damnatus, resistens & repugnans saluti sua, quod faciunt omnes Hæretici.* Cæterùm tantùm abest ut Sanctus Irenæus Traditiones rejiciat, quin potiùs eas disertè adstruit cap. 3. ejusdem libri, cujus verba inter probationes Propositionis descripsimus. Unde & lib 4. cap. 45. ubi præmisit Scripturas sacras esse thesaurum in agro, id est, in isto mundo absconsum; & consummatum Discipulum similem esse Patrifamilias qui profert de thesauro suo nova & vetera, subjungit: *Iis qui in Ecclesia sunt, Presbyteris obaudire oportet, his qui successionem habent ab Apostolis, qui cum Episcopatus successione, charisma veritatis certum, secundùm placitum Patris, acceperunt.*

Contrà. Sanctus Irenæus cap. 2. lib. 3. Hæreticis exprobrat, quòd à Scripturis sacris ad Traditiones non scriptas provocarent. *Cùm ex Scripturis arguuntur*, inquit, *in accusationem convertuntur ipsarum Scripturarum, quasi non rectè habeant, neque ex Authenticis, & quia variè sint dicta; & quia non possit ex his inveniri veritas ab his qui nesciant Traditionem.* Ergo ad Traditionem confugere, Hæreticorum proprium est.

Respondeo, Sanctum Irenæum ibi loqui de apochryphis Traditionibus, quas Hæretici, Scripturis sacris, Traditionibusque Apostolicis pro libito explosis, obtrudebant. *Hanc sapientiam*, inquit, *unusquisque eorum esse dicit, quam à semetipso adinvenit, fictionem videlicet, ut dignè, secundum eos, sit veritas, aliquando quidem in Valentino, aliquando autem in Marcione, aliquando in Cerintho, deinde in Basilide. Unusquisque enim ipsorum omnimodo perversus, semetipsum, regulam veritatis depravans, prædicare non confunditur.* Cæterùm Traditiones Apostolicas rejicere, ingenii hæretici caracterem esse Sanctus Irenæus testatur, ibidem subjungens: *Cùm autem ad eam iterum Traditionem, quæ est ab Apostolis, quæ per successiones Presbyterorum in Ecclesiis custoditur, provocamus eos, adversantur Traditioni.* Igitur & Traditionibus non scriptis ad propugnandam veritatem contra Hæreticos utebatur Ecclesia, Sancto Irenæo teste, & eas Hæretici impugnabant.

Objectio quinta petitur ex Tertulliano, libro adversùs Hermogenem cap. 22. *Adoro*, inquit, *Scripturæ plenitudinem, quæ mihi & Factorem manifestat & facta. An autem de aliqua subjacenti materia facta sint omnia, nusquam adhuc legi: scriptum esse doceat Hermogenis officina. Si non est scriptum, timeat Væ illud adjicientibus aut detrahentibus destinatum.* Certè nullum esset contra Hermogenem Tertulliani argumentum, si Scriptura dogmata universa fidei planè non contineret, & recipiendum esset aliquid extra Scripturam sacram, scilicet non scripta Traditio.

Confirmatur ex libro de Carne Christi, in quo sic Marcionem alloquitur: *Non recipio quod extra Scripturam de tuo infers.* Nihil est itaque recipiendum præter divinam Scripturam.

Respondeo, Tertullianum adorare Scripturæ plenitudinem, quæ in eo posita non est ut omnia fidei dogmata in specie contineat, vel quòd sola sufficiat ad propugnandam veritatem contra Hæreticos, sed quæ Hermogenis errorem vel hac una sententia confodit: *In principio creavit Deus cælum & terram.* Plenitudinem, inquam, Scripturæ adorat his in verbis, quibus & Creator, & creatura demonstrantur, quibusque evincitur materiam non esse infectam, nec Deo coæternam. Validissimum autem est Tertulliani argumentum, etiamsi Scriptura omnia fidei dogmata in specie non contineat, quia satis est ad refellendum Hermogenem ut contineat illud quod ipse impugnat. Timendam porro huic Heresiarchæ maledictionem, quam adjicientibus vel detrahentibus verbis Scripturæ interminatus est Sanctus Joannes, Tertullianus meritò docet, quia ejus opinio nedum in Scriptura sacra non legebatur, sed cum ipsius verbis è regione pugnabat. Cæterùm tam ab Heterodoxorum Traditiones rejicientium ingenio alienus fuit Tertullianus, ut hoc ipso in libro Hermogeni de doctrinæ posteritate præscribat: ad Traditionem ante confugiens, quàm aciem contra ipsum instruat ex Scripturis, ut cap. 1. videre est.

Ad confirmationem respondeo, Tertullianum Traditiones his verbis non rejicere, quas cap. 2. ejusdem libri disertè contra Marcionem propugnat, sed ea solum explodere quæ nullo Scripturæ vel Traditionis testimonio probata, de sui erroris officina proferebat Marcion, Scripturas corrodens & mutilans, *Totque originalia Instrumenta Christi delere ausus.*

Objicitur sextò auctoritas Origenis Homilia 1. in Jeremiam dicentis: *Necesse est nobis Scripturas sanctas in testimonium vocare. Sensus quippe nostri & enarrationes sine iis testibus non habent fidem.* Et Tractatu 25. in Matth. *Debemus*, inquit, *ad testimonium omnium verborum quæ proferimus in doctrina proferre sensum Scripturæ, quasi confirmantem quem exponimus sensum.* Ex quibus sic colligo. Inutiles sunt Traditiones, si ad omnium dogmatum Catholicorum confirmationem sacræ Scripturæ testimonia proferenda sint. Atqui ad omnium fidei Catholicæ dogmatum confirmationem proferenda sunt Scripturæ sacræ testimonia, ex Origene; Traditiones itaque non scriptæ sunt inutiles.

Respondeo, nego minorem. Id enimverò non probant laudata Origenis testimonia. In priori siquidem loco de omni Christianæ religionis dogmate non loquitur, sed de singulari quodam Prophetæ oraculo quod sibi sumit exponendum. Quærit scilicet qua ratione hæc verba, *Ecce ego constitui te hodie super Gentes & regna, ut evellas, & destruas*, &c. & illa, *Ecce nescio loqui, quia puer ego sum*: Quæ de Jeremia figuratè dicta sunt, de Christo Servatore intelligantur. Id sacrarum Scripturarum testimoniis ostendere aggreditur, Veterisque cum Novo Testamento summam consensionem, in probando verum Messiam Christum, demonstrare, quantùm ad præsens ipsius institutum necesse est. Unde post verba in objectione prolata, subjungit: *Ut firmem verbum intellectus mei, accipiam duos testes de Veteri Testamento; accipiam tres testes de Evangelio, de Propheta, de Apostolo: sic enim stabit omne verbum.* Sed non est consequens Origenem sensisse, quòd nullum fidei dogma credendum sit, quod Scripturæ sacræ testimonio non probetur. Traditiones namque Apostolicas regulam esse veritatis Christianæ certissimam agnovit, & disertè asseruit, ut constat ex ipsius testimoniis inter probationes descriptis.

Secundus verò Origenis locus hunc non præ se fert sensum, quem ipsi Heterodoxi affingunt, quod nempe nullum sit dogma Catholicum cujus ad probationem disertum sacræ Scripturæ testimonium proferre non teneamur: sed id unum intendit Origenes, non debere nos, cùm aliqua Scripturæ testimonia ad confirmationem doctrinæ proferimus,

ea

ea usurpare secundùm proprium intelligentiæ nostræ sensum, sed secundùm sensum, qui in Scripturis continetur. Versatur nempe Origenes in exponendis illis Christi verbis : *Væ vobis, duces cæcorum, qui dicitis : Quicumque juraverit per templum, nihil est : Qui autem juraverit per aurum templi, debet.* Adversùs unam è Pharisaicis Traditionibus hæc verba à Christo dicta esse ait, qui debitorem eum esse, qui per aurum Templi jurasset, eum autem reum non esse qui jurasset per Templum ipsum asserebant. Traditionis illius stultitiam Christum ex eo ostendisse ait, quòd causa sanctificandi auri Templum est, adeoque gravius est per Templum, quàm per aurum Templi jurare. Deinde hunc locum ad allegoriam pro more flectens, subjungit : *Omne juramentum confirmatio est verbis de quo juratur. Juramentum ergo esse intelligendum est omne testimonium Scripturarum, quod profertur ad confirmationem nostri verbi : ut sit quidem Templum gloria Domini omnis Scriptura divinitus inspirata; aurum autem positus sensus in ea. Debemus ergo ad testimonium omnium verborum quæ proferimus in doctrina, proferre sensum Scripturæ, quasi confirmantem, quem exponimus, sensum. Sicut enim omne aurum, quod fuerit extra Templum, non est sanctificatum : sic omnis sensus, qui fuerit extra divinam Scripturam, quamvis admirabilis videatur quibusdam, non est sanctus, quia non continetur à sensu Scripturæ, quæ solet eum sensum sanctificare, quem habet in se, sicut Templum proprium aurum. Non ergo debemus ad confirmandam doctrinam nostram nostros proprios intellectus jurare, & quasi testimonia assumere, quos unusquisque nostrûm intelligit, & secundùm veritatem existimat esse, ni ostenderit eos sanctos esse, ex eo quòd in Scripturis continentur divinis, quasi in Templis quibusdam Dei.* Cùm itaque Scripturæ sacræ sensus plerumque obscurus sit, ad Traditionem non scriptam confugiendum est, quæ illum aperiat ; ut ex eodem Origene Tractatu 29. in Matthæum colligitur : Quem in probationibus adduximus.

Objectio septima nititur auctoritate Sancti Cypriani Epistola 74. ad Pompeium data, in quâ de Stephano Romano Pontifice loquens, qui contra rebaptizationes Hæreticorum Traditionem objiciebat, hæc habet : *Unde est ista Traditio? Ea facienda esse quæ scripta sunt, Deus testatur, & proponit ad Jesum Nave dicens : Non recedet liber legis hujus ex ore tuo, sed meditaberis in eo die ac nocte, ut observes facere omnia quæ scripta sunt in eo. Item Dominus Apostolos suos mittens, mandat baptizari gentes & doceri, ut observent omnia quæcumque ille præcepit. Si ergo aut Evangelio præcipitur, aut in Apostolorum Epistolis, aut Actibus continetur, ut à quacumque hæresi venientes non baptizentur, sed tantùm manus illis imponatur in pœnitentiam, servetur divina hæc & sancta Traditio* &c. Sanctus igitur Cyprianus Traditiones non scriptas improbavit.

Respondeo ; distinguo consequens : Traditiones non scriptas improbavit, quasdam, concedo : omnes, nego. Improbavit eas, quas falsas & supposititias existimabat : Apostolicas & legitimas judicio suo, approbavit. Traditionem itaque de non rebaptizandis Hæreticis ideò explodebat, quia censebat non esse veram Traditionem, sed vetustum errorem, Scripturis sanctis & Apostolicæ Traditioni contrarium ( ut ex eadem Epistola compertum est. ) *Si ad divinæ Traditionis caput & originem revertamur, cessat error humanus ; & sacramentorum cœlestium ratione perspectâ, quicquid sub caligine ac nube tenebrarum obscurum latebat, in lucem veritatis aperitur. Si canalis aquam ducens, qui copiosè priùs & largiter profluebat, subitò deficiat ; nonne ad fontem pergitur, ut illic defectionis ratio noscatur, utrumne arescentibus venis in capite unda siccaverit ; an verò integra inde & plena procurrens, in medio itinere destiterit? Ut si vitiò interrupti aut bibuli canalis effectum est quominus aqua continua perseveranter ac jugiter flueret, refectò & confirmatò canali ad usum atque ad potum civitatis aqua collecta eadem ubertate atque integritate repræsentetur, qua de fonte proficiscitur. Quod & nunc facere oportet Dei Sacerdotes præcepta divina servantes, ut si in aliquo nutaverit & vacillaverit veritas, ad originem Dominicam & Evangelicam, & Apostolicam Traditionem revertamur ; & inde surgat actus nostri ratio, unde & ordo, & origo surrexit.*

§. XV.

*Respondetur objectionibus ex Sancto Athanasio, Constantino Magno, SS. Basilio & Chrysostomo comparatis.*

Objectio octava depromitur ex Sancto Athanasio in Oratione contra Gentes pag. 1. dicente : *Sufficiunt per se sacræ & divinitus inspiratæ Scripturæ ad veritatis indicationem.* Et in Epistola ad Serapionem pag 359. *Ne igitur interroget*, inquit, *sed solum ex Sacris Literis condiscas. Sufficiunt enim quæ in illis reperias documenta.* Et in libro de Incarnatione Christi contra Apollinarium : *Hæc scripsi*, inquit ; *dilecti, tametsi nihil omnino opus fuit ut scriberem : sufficit enim per se Evangelica Traditio, sed respondendum fuit : tum quia de fide mea interrogatus eram : tum propter eos qui contentiosiùs ingerunt sua inventa, quibus in mentem non venit, eum qui ex propriis loquitur, mendacia loqui. Neque enim vel pulchritudinem, vel gloriam corporis Dei fas est exprimi humano intellectu : sed ea quæ acta sunt, secundùm Scripturam confitenda sunt.* Et in Epistola de Synodis Arimini & Seleuciæ pag. 673. de Arianis sic loquitur : *Frustra igitur circumcursitantes, prætexunt, ob fidem Synodos sese postulare, cùm sit divina Scriptura omnibus potentior.*

Et Epistola Festali 39. ubi libros Canonicos utriusque Testamenti recensuit, subjungit : *Hi sunt fontes salutares, ex quibus sitiens haurire possit eloquia. In his solis pietatis schola beatè annuntiatur.* Denique in Synopsi sacræ Scripturæ, libris Novi Testamenti enumeratis, sit : *Hi sunt & tot Novi Instrumenti libri Canonici, & fidei nostræ veluti primitiæ quædam vel certæ anchoræ, & sustentacula ; utpote ab ipsis Apostolis Christi, qui & cum illo conversati, ab eo instructi sunt, conscripti & expositi:* Sacra igitur Scriptura per se & absque Traditionibus non scriptis, ad fidem, & ad salutem sufficit, ex Sancto Athanasio.

Respondeo, nego consequens. Nullus enim ex laudatis Sancti Athanasii locis Traditionum necessitatem universim evertit : quamvis nonnulla Fidei dogmata satis superque probari ex solis Scripturis Sanctus ille Patriarcha contendat, puta, *Quòd idola non sint Dii*, & *Quòd Christus sit verus Deus & verus homo.* Quæ argumenta sunt *Orationis contra Gentes*, ex qua prior locus laudatur, & alterius Libri de *Incarnatione Verbi Dei*, ad Macarium pariter directi.

Respondeo præterea, truncatum ab Hæreticis proferri S. Athanasii testimonium & interpolatum. Depravationem notaverunt Cardinalis Bellarminus, aliique Controversiarum Tractatores, cùm vocem ( *omnem* ) ab Athanasii textu abesse monuerunt, nec haberi apud eum : *Sufficiunt Scripturæ ad omnem veritatis indicationem*, ( ut Hæretici mentiuntur ) sed solùm, *ad veritatis indicationem.* Sed locum illum truncatum esse ; & Traditionibus

favere, si legatur integer, Eruditi illi Viri, quod miror, non animadverterunt. Sic autem se habet. *Sufficiunt quidem per se tum sacra & divinitus inspirata Scriptura ad veritatis indicationem: tum plurimi de eadem re libri à sanctissimis Magistris conscripti, quos si quis evolvat, intelliges aliquo modo Scripturarum mentem, & fortasse eam, quam cupis, cognitionem adipiscetur. Caterùm quia eas lucubrationes ad manum non habemus, necessum est qua ab illis didicerimus, tibi scripto proferamus. Loquor autem de nostra in Salvatorem fide.* Sanctus Athanasius, ut patet, solas Scripturas ad veritatis indicationem sufficere non ait, sed cum plurimis Sanctorum Magistrorum, seu Patrum libris, ex quibus Scripturarum mentem intelligere possumus. Quid autem est, amabo, illa Sanctissimorum Magistrorum doctrina ad Scripturæ sacræ sensum intelligendum conducens, nisi Traditio quam propugnamus?

Ad secundum locum respondeo, Sanctum Athanasium Traditionem non excludere, cùm ait, *Sufficere qua in Scripturis reperiuntur documenta*; sed solùm futiles & blasphemas Arianorum & Pneumatomachorum quæstiones & interrogationes. Aiebant enim homines impiissimi: *Si Spiritus Sanctus nec creatura est, nec Angelus est, sed ex Patre procedit: ergo & ipse quoque Filius habendus est, eruntque inter se germani Verbum & Spiritus. Quapropter, si germanus est, quomodo Verbum Filius unigenitus nominabitur? Aut quid est cur non similes inter se habeamur? Denique si ex Patre est, cur non & ipse quoque genitus esse dicitur, & Filius appellatur, sed Spiritus Sanctus duntaxat nuncupatur? Porro si Spiritus Filii est Spiritus: Ergo Deus Spiritui Sancto avus existimari debet.* Ad blasphemas illas interrogationes nihil aliud respondet Sanctus Athanasius, quàm nomina à sacris Scripturis aliena Deo tribuenda non esse; absque furore *Non posse dici de Filio, illum alieni avum esse. Non enim*, inquit, *Spiritus in Sacris Literis nominatus est Filius, ne frater Verbi haberetur: neque Filius Filii, ne avus illi esse existimaretur: sed Filius ibi Filius Patris est dictus, & Spiritus Patris, Spiritus Filii nominatus est. Et sic Trinitatis una est deitas, & una fides.* Addit, *Hac sufficere Fidelibus: fide tradita, non humana sapientiâ, sed auditione Fidei debere comprehendi: esse omnibus creatis, maximè autem nobis hominibus impossibile, condignè loqui de rebus ineffabilibus: temerarium deinde maximè, cùm loqui nequeat, comminisci super arcanis illis novas dictiones contra Scripturas.* Tam absurdum esse ac stultum interrogationes illas de Filio ac Spiritu Sancto proponere, ac absurdum esset si quis quæreret, quomodo Pater est Pater? Tum subjungit: *Ne igitur interroges sed solùm ex Sacris Literis condiscas. Sufficiunt enim qua in illis reperias documenta.* Non vult igitur Sanctus Athanasius sufficere Scripturas ad omnia Fidei Christianæ dogmata credenda, exponenda, & contra Hæreticos propugnanda; sed solùm satis esse ut cognoscamus quæ divinis personis nomina tribuenda sint, & compertum habeamus, Patrem non esse avum Spiritûs Sancti, nec Spiritum esse fratrem Filii. Cæterùm in hac ipsa Epistola ad Serapionem p. 366. Sanctus Athanasius Traditionis auctoritate adversùs Hæreticos pugnat. Ubi enim ex Scriptura sacra disertè probavit Spiritum Sanctum creaturam non esse, hæc subjungit: *Videamus tamen adhuc illam ipsam ab initio Traditionem & doctrinam, & fidem Catholica Ecclesia, quam Christus quidem dedit; Apostoli verò prædicaverunt, & servaverunt. In hac enim Ecclesia fundamur, & qui inde excidit, Christianus non poterit dici. Trinitas igitur sancta & perfecta in Patre, & Filio, & Spiritu Sancto, rationem deitatis accepit, nihil alienum aut foris superinductum possidet, neque ex Creatore & creatura consistit, sed tota est ex Creatore, sibi similis, & indivisibilis, unaque ejus operatio. Pater enim per Verbum in Spiritu Sancto omnia facit. Atque ita unitas Trinitatis servatur, ita unus Deus in Ecclesia prædicatur.*

Et pag. 370. *Concorditer ergo*, inquit, *ex sacris Literis ostenditur, Spiritum Sanctum creaturam non esse, sed proprium illum & suum esse Verbi & deitatis Patris.* Hujusque rationem istam reddit, quòd Sancti Patres, & Ecclesia Catholica Scripturas sacras hoc sensu exponant. *Ita enim* (inquit) *Sanctorum doctrina in sanctam & indivisibilem Trinitatem, in unum coit ac conciliatur, atque una ea fides est Catholica Ecclesia.*

Denique non solas Scripturas, verùmetiam Traditionem, illo in Opere secutum se esse, & ex utraque illa fidei regula Spiritus Sancti divinitatem evicisse, ad Serapionem scribit, sic Epistolam concludens: *Ego igitur, etsi in eremo agam, tamen ob improbitatem eorum qui alios avertunt à veritate, pauca scripsi, & tua Religiositati misi, plurimùm te adhortans ut in istis legendis quadam emendes, & ubi imbecillior est lectio, veniam dones. Ego enim, secundùm Apostolicam à Patribus acceptam fidem, ista tradidi, nihil prorsus aliunde adjiciens: sed sicuti didiceram, ea scripsi, qua cum sacris Scripturis congruerent.*

Ad tertium locum respondeo, Sufficere per se Evangelicam Traditionem ad errorem Apollinarii, quo de loquitur, & quem illo in libro impugnat Sanctus Athanasius, refellendum. Siquidem Christum perfectum esse hominem, animâ & corpore, quemadmodum homines cæteri, constantem; ejusque corpus non esse consubstantiale deitati; nec supercœlestem virtutem, aut ipsum Verbum, in eo implere vices animæ (qui Apollinaris errores erant) satis superque ex Scriptura sacra probari potest. Sed non dixit Sanctus Athanasius Scripturam divinam ad probationem omnium fidei dogmatum per se sufficere. Imò in eo, quod ibi tractat, argumento, Traditionis vim & Ecclesiæ auctoritatem ad Scripturæ sacræ testimonia adjungit, quibus Apollinaristas profligat. *Cur igitur*, inquit, *ista ad fabulandum excogitatis, verbis fictitiis cauponantes, diluentesque Verbum Dei? Atqui Dei Ecclesia ea non ita accepit, neque tradidit, sed quemadmodum scriptum est, Deum illum agnoscit esse apud Deum ante sæcula existentem, & qui sub consummationem sæculorum advenit, & ex Maria Virgine, & ex Spiritu Sancto genitus sit Filius hominis..... Interim tamen verus Deus, ut etiam pro nobis pateretur ut homo, & liberaret nos à morte & Passione ut Deus.*

Et pag. 479. *Patrum mandata*, seu Traditiones inter fidei regulas recenset, quas Hæretici contemnunt. *Cucutientes odio*, inquit, *prætereunt Prophetarum indicia & Apostolorum documenta, & Patrum mandata, ipsasque irrefutabiles Domini voces.*

Ideo autem confessionem fidei fieri secundùm Scripturam vult Sanctus Athanasius, quia Apollinaristæ verba à Scripturis, & ab earum sensu aliena obtrudebant. Unde ipsos ad Scripturas attendere, & secundùm eas loqui jubet Sanctissimus Pater; quod si præstent, Catholicæ Fidei causam superiorem fore sibi pollicetur. *Aut igitur negate Scripturas*, inquit, *aut eas agnoscentes, abstinete à verbis diversis à Scriptura, qua prorsus habent insanabilem impostùram.*

Et pag. 484. *Si igitur*, inquit, *Discipuli estis Evangeliorum, ne loquamini contra Deum iniquitatem, sed per Scripturas incedite. Quod si diversa à Scripturis fabulari vultis, cur nobiscum concertatis,*

*qui*

*qui neque loqui, neque audire sustinemus quod extraneum sit ab istis? Dicente Domino: Quòd si vos manseritis in meo sermone, revera liberi eritis. Quo pacto igitur aut Fideles, aut Christiani habeamini, qui neque secundùm Scripturas inceditis, neque fidem rebus gestis habetis: sed quæ supra naturam sunt, statuere audetis?*

Ad quartum locum respondeo, Scripturam Synodis omnibus potentiorem asseruisse Sanctum Athanasium, contra Arianos, qui post Nicænam Synodum, alterius Concilii convocationem postulabant: cùm Nicænum Concilium satis *valens adversus Arianam, cæterasque hæreses quas per sanam fidem condemnavit.* Sed Traditiones non rejecit Sanctus Athanasius, imò illas disertè propugnavit in eâdem Epistola de Synodis Arimini & Seleuciæ, vocem ὁμοούσιον vindicans, perperamque rejici ostendens ab Arianis, ob eam rationem quòd in sacra Scriptura non legatur. Quos in Hæreticos eo invehitur nomine, quòd *cum antecessoribus & Patribus suis pugnent.* Addit Nicænos Patres vocem ὁμοούσιον in scripta non retulisse: *Quasi novum aliquid sapientes, neque sui fiducia voces in Scriptura non solennes defendisse, sed à Patribus incitatos, eorum vocabulis uti voluisse.* Laudat deinde Dionysium Alexandrinum, & Dionysium Romanum cum ejus Synodo. Epistolam tandem his verbis concludit: *Vos autem permanentes super fundamentum Apostolorum, & Traditiones Apostolorum retinentes, optate, quæso, ut conquiescat in posterum omnis contentio & Zelus, & Hæreticorum stolida quæstiones condemnentur.*

Ad quintum locum respondeo, Sanctum Athanasium, cùm in solis Scripturis pietatis scholam ait annuntiari, non opponere Scripturas sacras Traditionibus, sed libros Canonicos apocryphis, qui ab Hæreticis obtrudebantur. Eam esse ipsius mentem constat ex initio Epistolæ, vel potiùs fragmenti quod ex illa superest. *Quandoquidem*, inquit, *aggressi sunt aliqui describere sibi apocrypha quæ dicuntur, & ea cum divinitus inspirata Scriptura confundere, de qua certissimè persuasi sumus, quemadmodum tradiderunt Patribus qui ab initio Spectatores & Ministri sermonis fuerunt: visum est & mihi instructo à veris Fratribus Discipulo, ab initio ordine exponere Canonica, & tradita necnon credita divina Biblia, ut quicumque deceptus est, norit eos qui in errorem induxerunt, ipse autem purus permanens, gaudeat in viam reductus.* Post hæc libros Canonicos enumerat, quibus recensitis, hæc subjungit quæ in objectione laudata sunt. Ex his patet Sanctum Athanasium solùm voluisse, *pietatis scholam* in libris apocryphis non annuntiari, sed in solis Canonicis de quibus mox dixerat. Nonne enimverò dogma non est è pietatis schola profectum, Veteris Novique Testamenti libros quos enumerat Sanctus Athanasius, Canonicos esse? Unde verò id ipse probat? Ex Traditione, quam accepere Patres ab iis qui ab initio Spectatores & Ministri sermonis fuerunt, ut ipse ait, id est, ab Apostolis.

Ad ultimum locum respondeo, Sanctum Athanasium, cùm Novi Instrumenti libros Canonicos *Fidei nostræ primitias, anchoras, & sustentacula* nuncupat, tam non excludere Traditiones, quàm Veteris Instrumenti libros non excludit. Nam & eas ad illustrationem & testimonium Scripturæ sacræ valere plurimùm, ibidem profitetur. Subjungit siquidem immediatè post verba in objectione laudata: *Quanquam postea ad istorum normam & consonantiam, & alii innumeri sunt à magnis, sapientissimis, & divino Spiritu repletis Patribus, temporum successu, ad præmissorum testimonium & illustrationem elaborati.* Et ibidem Apocalypsim Sancti Joannis in librorum Canonicorum numero esse reponendam, ex Traditione probat. *Est præterea*, inquit, *& Apocalypsis Joannis Theologi, à priscis Sanctis, & Spiritu Dei imbutis Patribus, velut quæ illius sit, accepta & probata.*

Objectio nona eruitur ex verbis Constantini Imperatoris ad Nicænos Patres, apud Theodoretum libro 1. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 7. *Ecclesiastici*, inquit, *atque Apostolici libri, & veterum Prophetarum oracula, quid sentiendum sit de Deo nos apertè docent. Quamobrem hostili contentione depositâ, ex Scripturis divinitus inspiratis solutionem eorum quæ in controversiam veniunt, requiramus.* Sensit igitur Constantinus, & asseruit, Traditiones non esse necessarias, sed Scripturam sacram sufficere ad fidei controversias dirimendas; idque toto plaudente Nicænorum Patrum consessu.

Respondeo, nego consequens. Nihil enim est in his Constantini verbis, quod Traditionibus noceat. Quid sentiendum sit de Deo apertè docet Scriptura; sed quid de omnibus fidei dogmatibus sentiendum sit, apertè non docet. Ex Scripturis solutionem eorum, quæ in controversiam veniunt requirere debemus, cùm ea in Scripturis disertè & explicitè continentur, sicut in iis legitur Filii divinitas, qua de quæstio erat in Concilio Nicæno; sed cùm nihil de iis Scriptura docet explicitè, ad Traditiones non scriptas necessariò recurrendum est. Imò quamvis ea, quæ disceptantur dogmata, in Sacris Literis apertè contineri videantur, opus tamen est Traditione ad eorum sensum contra Hæreticos propugnandum. Quod Nicæni Patres egregiè præstiterunt, ut testatur Sanctus Athanasius à Theodoreto quoque laudatus libro 1. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 8. *Quod autem*, inquit, *obmurmurant Ariani, voces illas in Scripturis non reperiri, ex ipsismet inanis esse convincitur eorum obmurmuratio: Nam cùm ipsi verbis non scriptis ad impietatem suam abusi sint: nusquam enim scriptum est illud, Ex non extantibus, & illud, Fuit tempus cùm non esset: damnatos se queruntur ex verbis non scriptis, piè tamen intellectis. Etenim ipsi quidem velut in stercore repertis vocibus, verè de terra locuti sunt. Episcopi verò non ex se ipsis voces commenti, sed Patrum habentes testimonia, ita scripserunt. Prisci enim Episcopi, qui ante annos ferè centum ac viginti, tum in magna urbe Roma, tum in nostra Civitate sederunt, eos qui Filium Dei facturam esse dicerent, non autem Patri consubstantialem, reprehenderunt: nec hujus rei ignarus fuit Eusebius Episcopus Cæsareensis. Scripsit enim ad cives suos his verbis: Reperimus quosdam ex antiquis disertos & illustres Episcopos ac Scriptores, in explicanda Patris ac Filii Deitate, consubstantialis vocabulo usos esse.*

Quicquid igitur senserit & dixerit Constantinus adhuc Catechumenus, constat Nicænos Patres nedum Scripturæ sacræ, sed & Traditionis auctoritate Arianos contrivisse. Quamquam Gregorius Presbyter Cæsareensis Oratione in Nicænos Patres, quam in lucem edidit Combefisius noster Tom. 2. Auctarii Bibliothecæ Patrum, aliter verba Constantini refert, eumque sic loquentem inducit: *Agite, Patres, ut studio omni ac animorum contentione, per Propheticas prædictiones ac Traditiones Apostolicas, veritatem unam æqualibus numeris eruamus ac assequamur, citra indecorum omne fraternum odium ac inanem gloriam.* Et infrà. *Credimus enim fore, ut nobis non desit Spiritus Sancti adventus dives, per quem confirmanda sit nostra fides, nihil hæreticæ opinionis criminis habens, sinistraque de Deo intelligentiæ expers.* Non solùm igitur Scripturæ sacræ, verùm & Apostolicæ Traditionis auctoritate dogmata fidei esse confirmanda sentiebat Constantinus.

Objectionem decimam subministrat Sanctus Basilius in Asceticis, cap. *De vera ac pia fide*, dicens: *Manifestissimum hoc infidelitatis argumentum fuerit & signum superbiæ certissimum, si quis eorum quæ scripta sunt, aliquid velit rejicere, aut eorum quæ non scripta, introducere.* Traditiones itaque non scriptas introducere, infidelitatis argumentum est, ex Sancto Basilio.

Confirmatur ex Epistola ejusdem 80. in qua hæc habet: *Stemus arbitratui inspirata à Deo Scripturæ: & apud quos inveniuntur dogmata divinis oraculis consona, illis omnino veritatis adjudicetur sententia.* Si Scripturæ standum est, certè Traditionibus non est opus.

Respondeo, Nihil contra nos efficere laudatum ex Sancti Basilii Asceticis locum, qui ea dumtaxat rejicit, quæ à sacra Scriptura aliena sunt, eique contraria, quæ ab Hæreticis Scripturas divinas violantibus obtruduntur. Unde statim post verba laudata urget locum Apostoli, *Qui, sumpto ex hominibus exemplo, vehementissimè interdicit, ne quid eorum, quæ in divinis Literis habentur, demantur: aut quod absit, addatur. Sic enim est apud illum: Tamen hominis confirmatum testamentum nemo spernit aut superordinat.* Ex quibus sic colligit: *Quamobrem nos quoque cùm antehac semper illud ratum in animo habuerimus, ut omnem à Dominica Doctrina alienam & vocem & sententiam fugeremus: tum verò hoc ipso tempore hoc à nobis servari arbitror oportere, cùm id nobis simul vobisque propositum sit tractandum, longè diversum ab argumentis illis, à quibus alio modo aliàs vel ad scribendum aliquid, vel ad dicendum inducebamur. Quoniam videlicet eo tempore de hæresi confutanda studiosè agebatur: nunc autem simplex fidei confessio, explanatioque proposita est.* Addit se, quando contra Hæreticos pugnavit, iis frequenter verbis usum esse, quæ in divinis Literis scripta non essent; nunc autem ab iis abstinere, quia cum Catholicis piisque viris ipsi congressus est. His sæpenumerò vocabulis Hæreticorum impietatem refellebam, inquit, *Quæ licet in sacrosancta Scriptura nusquam reperirentur, à pio tamen & sanctis Literis consentaneo sensu neutiquam abhorrerent....... Hoc autem tempore, communi omnium vestrûm proposito, simul ac meo arbitratus sum convenire, si impositum mihi à vestra Charitate negotium, cum ea, quæ sana fidei congrueret, simplicitate conficerem, eaque dicerem quæ à sanctis Literis accepissem: & si in his quidem verbis usurpandis parcus essem, quæ, ut voce ipsa cum divinis Literis non convenirent, eumdem tamen sensum tenerent. Quæ verò ejus generis essent, ut præter vocis novitatem, sensum etiam nobis novum atque insitatum afferrent, & apud Sanctos Viros nusquam in usu reperirentur, hæc omnia veluti peregrina, atque à pia fide penitus aliena repudiarem atque aversarer.* Sanctus igitur Basilius Traditiones non rejicit, sed verba tantùm & sententias Scripturis sacris repugnantes. Unde ad finem istius capitis, eos ad quos scribit sic verbis Apostoli alloquitur, *Ut subtrahatis vos ab omni fratre inordinatè ambulante, & non secundum Traditionem quam acceperunt à nobis.* Additque: *Ordine incedamus in regula Sanctorum tanquam superædificati super fundamentum Apostolorum & Prophetarum*, &c.

Ad confirmationem respondeo, Sanctum Basilium non ita standum asserere sacris Scripturis, quin Traditio consulatur, cùm illis de dogmatibus disertè non agunt, quæ in controversiam vocantur. Sed standum esse ait arbitratui Scripturæ, in contentione quæ Catholicos cum Catholicis committebat; de una hypostasi, vel tribus dicendis in Deo. Aliqui enim tres hypostases & unam naturam dicebant, è quibus erat Basilius. Alii hanc loquendi formulam damnabant, tum suæ consuetudinem regionis opponentes, in qua una hypostasis dicebatur, tum sacræ Scripturæ silentium. *Novandi studium nobis objiciunt*, inquit Sanctus Basilius, *accusationem contra nos texentes, ex eo quòd tres confitemur hypostases. Verùm culpandi gratia hoc dicunt, quòd sit contra ipsorum consuetudinem, & Scriptura non adstipuletur.* Primum illorum fundamentum Sanctus Basilius diruit, scilicet consuetudinem, aitque nihil ex ea certi colligi posse hac in causa, quia & illi qui tres hypostases dicebant, contraria suæ regionis consuetudine nitebantur. *Non putamus æquum esse*, inquit, *ut quæ apud ipsos obtinuit loquendi consuetudo, pro lege ac canone habeatur recta doctrina. Si enim ad probandam doctrinam rectam valet consuetudo, licet & nobis omnino prævalentem apud nos consuetudinem ex adverso opponere. Quòd si nostram hanc consuetudinem ipsi refigent, nobis planè licet illos imitari.* Unum igitur superest, inquit Basilius, ut siquidem ex consuetudinis auctoritate nihil hac in causa confici potest, expendatur Scriptura sacra, videaturque utrum in illa occurrat aliquid quo lis ista dirimi possit. Hic planè est laudatorum in objectione verborum sensus: *Stemus itaque arbitratui inspirata à Deo Scripturæ, & apud quos inveniuntur dogmata divinis oraculis consona, illis omnino veritatis adjudicetur sententia.*

Objectio undecima petitur ex Sancto Joanne Chrysostomo Homilia in Psalmum 95. in qua hæc habet: *Neque enim oportet quidquam dicere sine testibus, solaque animi cogitatione: nam si quid dicitur absque Scriptara, auditorum cogitatio claudicat, nunc annuens, nunc hæsitans, & interdum sermonem ut frivolum aversans, interdum ut probabilem recipiens. Verùm ubi è Scriptura divina vocis prodiit testimonium, & loquentis sermonem, & audientis animum confirmat.* Igitur nullum dogma fidei recipiendum est, cui sacræ Scripturæ testimonium non suffragetur.

Respondeo, nego consequens. Nihil enim dicendum esse absque Scriptura Sanctus Chrysostomus rectè dixit, ita ut sola dicentis cogitatione nitatur; non autem negat aliquid dici posse sine Scriptura, si attestetur Traditio. Deinde proferendam esse Scripturam sacram ait, ut Moralis Evangelicæ dogmata, quæ in divinis Literis planè & perspicuè tradita sunt, auditoribus persuadeat Concionator. Unde statim subjungit: *Quis igitur sermo nobis attestabitur quòd afflictiones & flagella hominibus illata imputantur ad peccatorum remissionem? Audi beatum Paulum*, &c.

Contra. Sanctus Chrysostomus Homilia 13. in 2. Epistolam ad Corinthios, Scripturam sacram vocat *Exactam rerum omnium lancem ac normam*: Neque attendendum esse ait quid hic aut ille sentiat, sed *Scripturas sacras consulendas.* Non sunt igitur necessariæ Traditiones.

Respondeo, Non Scripturam sacram, sed legem Domini, seu Dei Verbum à Sancto Chrysostomo vocari exactam rerum omnium normam ac lancem. Lex autem & Verbum Domini Traditione pariter ac Scriptura continentur. Præcepit autem ut Scripturæ consulantur, non ad omnes fidei controversias dirimendas, cùm vix ulla ex solis Scripturis finiri possit; sed ad planam illius veritatis, quam prædicabat, notitiam, scilicet, Meliorem esse apud Deum pauperis, quam divitis conditionem. *Quæ cùm ita fiat*, inquit, *vulgi opiniones ne circumferamus, sed res ipsas expendamus. An non enim absurdam ac præposteram fuerit, nos, cùm de pecuniis agitur, aliis fidem non habere, sed numero & calculo id committere: cùm autem de rebus judicandum est, in*

aliorum

*Non ex hominum opinionibus, sed ex lege Domini, Christianæ vitæ officia vult pensari S. Chrysostomus.*

*aliorum opiniones temerè, ac velut obtorto collo trahi: idque cùm exactam rerum omnium lancem ac normam, & amussim habeamus, nempe divinarum legum sententiam? Quocirca vos omnes rogo atque obsecro, ut quid hic aut ille de his rebus sentiat, nihil morantes, Scripturas sacras de iis consulatis, quæ vera sint opes cognoscatis, cognitas omni studio consectemini.*

Contra. Sanctus Chrysostomus Homilia 49. in Matth. ait: *Neque refugium potest esse Christianorum aliud, volentium cognoscere fidei veritatem, nisi Scriptura divina.* Ergo ad cognoscendam fidei veritatem necesse non est confugere ad Traditiones non scriptas.

Respondeo primò, Locum illum non esse Sancti Joannis Chrysostomi: siquidem ex Opere Imperfecto in Matthæum descriptus est, cujus Authorem alium esse à Chrysostomo Eruditi consentiunt.

Respondeo secundò, Confugiendum esse ad Scripturas, ex illius Authoris mente, ut Ecclesia Christi cognoscatur Antichristi temporibus: non verò ut omnis omninò fidei veritas percipiatur. Id patet ex tota illius loci serie. Scilicet ibi exponit spiritalem istorum verborum sensum: *Tunc qui in Judæa sunt, fugiant ad montes. Tunc cùm videritis abominationem desolationis stantem in loco sancto.* Quæ sic interpretatur: *Id est, cùm videritis hæresim impiam, quæ est exercitus Antichristi, stantem in locis sanctis Ecclesiæ, in illo tempore, qui in Judæa sunt, fugiant ad montes: id est, qui sunt in Christianitate, conferant se ad Scripturas. Sicut enim verus Judæus est Christianus, dicente Apostolo: Non qui in manifesto Judæus est, sed qui in occulto: sic vera Judæa Christianitas est, cujus nomen intelligitur confessio. Montes autem sunt Scripturæ Apostolorum, aut Prophetarum, de quibus dictum est: Illuminas tu mirabiliter à montibus æternis. Et quare jubet in hoc tempore omnes Christianos conferre se ad Scripturas? Quia in tempore hoc, ex quo obtinuit hæresis illas Ecclesias, nulla probatio potest esse veræ Christianitatis, neque refugium potest esse aliud Christianorum, volentium cognoscere fidei veritatem, nisi Scriptura divina. Antea enim multis modis ostendebatur quæ esset Ecclesia Christi, & quæ Gentilitas: nunc autem nullo modo cognoscitur, volentibus cognoscere quæ sit vera Ecclesia Christi, nisi tantummodò per Scripturas. Quare? Quia omnia hæc quæ sunt propriè Christi in veritate, habent & hæreses illæ in schismate: similiter Ecclesias: similiter & ipsas Scripturas divinas, similiter Episcopos, cæterosque ordines Clericorum, similiter Baptismum, Eucharistiam, & cætera omnia. Volens ergo quis cognoscere quæ sit vera Ecclesia Christi, unde cognoscat in tanta confusione similitudinis, nisi tantummodò per Scripturas?*

## §. XVI.

### *Diluitur objectio, quam ex S. Cyrilli Hierosolymitani Catechesibus Rivetus informat.*

Objectio XII. trahitur ex Sancto Cyrillo Hierosolymitano, cujus loca plurima ex Catechesibus Illuminatorum profert Rivetus lib. 3. Critici sacri, cap. 9. ad probandam Scripturæ sacræ sufficientiam, & Traditionum necessitatem evertendam. Ex Catechesi 4. hæc verba profert: *Hoc Symbolum semper in mente tua impressum habeto, cujus hoc quidem tempore capita tibi breviter enumerata sunt. Si verò Dominus concesserit, ex Scripturarum demonstratione pro viribus explicabuntur. Nam divinorum sanctorumque fidei Sacramentorum nihil ne minimum quidem absque divinis Scripturis tradi debet; neque simplici probabilitate, neque verborum ornatu traduci. Ne mihi quidem ea tibi proferenti simpliciter fidem adhibeas, nisi de divinis Scripturis eorum quæ dicam, demonstrationem accipias. Nam fidei nostræ salus & conservatio non orationis facundia nititur, sed Scripturarum divinarum comprobatione.*

Ex Catechesi 5. profert hunc locum: *Fidem posside, & custodi illam à sola Ecclesia tibi nunc traditam, & ex omni Scriptura munitam.* Et paulò post: *Excerpe*, inquit, *tempore opportuno ex sacris Scripturis, quæ est insita illis, probationem. Non enim, ut videtur, ab hominibus compositæ sunt res fidei, sed ex omni Scriptura, quæ sunt potissima, unam replent fidei doctrinam. Et quemadmodum semen sinapis in parvo grano multos continet ramos: sic & fides in paucis verbis omnem tam Veteris, quàm Novi Testamenti pietatis cognitionem involvit.*

Ex Catechesi 11. profert hunc locum: *Quis est alius qui cognoscat profunda Dei, nisi Spiritus Sanctus, cujus eloquia sunt divinæ Scripturæ? Neque tamen vel ipse Spiritus Sanctus de Filii ex Patre generatione in Scripturis locutus est. Cur igitur curiosè inquiris ea, quæ Spiritus non scripsit in Scripturis? Qui ea, quæ scripta sunt, non nosti: in his quæ scripta non sunt, ne sis curiosus. Quæstiones multæ sunt in Scripturis divinis, & tamen quæ scripta etiam sunt, non comprehendimus: quid de eo quod scriptum non est, curiosi sumus?*

Ex Catechesi 12. *Non meis*, inquit, *commentis attende: posses enim fortè decipi: sed nisi Prophetarum de singulis acceperis testimonia, ne credas assertionibus. Nisi & de Virgine, & de loco, & de tempore, & de modo, didiceris ex Scripturis divinis, non recipias ab homine testimonium. Qui enim nunc adest & docet, suspectus vel dubius esse potest. Qui autem ante mille & ampliùs annos prophetavit, quis mentis compos suspectum illum habuerit? Si igitur Christi adventus causam quæris, recurre ad primum Scripturarum librum.* Ad Scripturas provocabat Cyrillus, nec volebat sibi sine Scripturis credi, quia suspectus esse poterat. Num, inquit Rivetus, iisdem conditionibus sibi credi velint Pontificii?

Ex Catechesi 13. *Omnia*, inquit, *[de] Christo scripta sunt, & nihil est ambiguum, nihil non testatum. Omnia in columnis Propheticis inscripta sunt: non in tabulis lapideis, sed ex Spiritu Sancto manifestè descripta. Cùm itaque audis Evangelium, quod de Juda dicit, nunquid non debes recipere testimonium? Audisti quod crepuit latus, nonne debes videre si & hoc scriptum est?* Et post alia recensita Passionis Mysteria: *Audisti*, inquit, *quòd resurrexit, non debes videre, si non te ludimus hæc dicentes?*

Ex Catechesi 16. *Dicemus*, inquit, *de Spiritu Sancto ea tantùm, quæ scripta sunt: si quid autem scriptum non est, non scrutabimur curiosè. Ipse Spiritus Sanctus elocutus est Scripturas: ipse etiam de seipso dixit, quantùm voluit, aut quatenus fuimus capaces. Dicantur ergo quæcumque dixit, nam quæ ille non dixit, nos non audemus.*

Denique ex Catechesi 17. hæc profert Rivetus: *Ingenuè fatemur, nos non humanis ratiocinationibus usuros: inutile est enim: verùm ea tantùm quæ sunt in sacris Scripturis commemoraturos: hoc enim est tutissimum.* Notat Rivetus interpretem Papistam illud, ἀνωφελὲς γὰρ, *inutile est enim*, consultò omisisse, ut illustris testimonii vis minueretur.

Ad hæc testimonia, respondeo, Sanctum Cyrillum Hierosolymitanum in illis omnibus locis solùm velle, de fidei mysteriis, quæ Symbolo Apostolico continentur, nihil esse tradendum, nisi quod in Scripturis sacris legitur. Non autem negat quin ad ipsas exponendas, vel dignoscendas Scripturas

necessaria sit Traditio; & ad ea dogmata probanda, quæ licet nec mysteria sint, nec ad Symbolum pertineant, ad fidem tamen spectant. Hunc esse prioris loci sensum verba ostendunt: aliaque ex eadem Catechesi 4. confirmant. Ibi enim de Hæreticis sic loquitur: *Hæretici, qui blandis ac bonis verbis, linguaque facundia simplicium corda decipiunt, nomine Christi quasi melle illita impiorum dogmatum venenata jacula contegentes, de quibus omnibus simul Dominus ait* (Matth. 24.) *Videte ne quis vos fallat. Unde & fidei doctrina traditur, & ejus expositiones fiunt.* Certè Hæreticorum impia dogmata cognosci non possunt ac refelli per solam Scripturam, siquidem & ipsi Scripturæ sacræ testimonio errores suos protegunt; sed solùm per Scripturam Ecclesiæ sensu expositam. Expositiones autem illæ apud Ecclesiam ab Apostolis depositæ, quibus vetus ac legitimus divinæ Scripturæ sensus & aperitur, & propugnatur, quid sunt aliud nisi Traditio non scripta? Præterea in eadem Catechesi, titulo *Scriptura sacra*, hæc habet, quæ Traditionum auctoritatem ac necessitatem luculentiùs probant. *Disce quoque studiosè ab Ecclesia, quinam sint Veteris Testamenti libri, qui vero Novi: neque mihi legas quidquam apocryphorum.* Et infrà, ubi de Versione librorum Veteris Testamenti à Septuaginta Interpretibus adornata locutus est, subjungit: *Horum libros lege duos atque viginti. Hos solos studiose meditare, quos & in Ecclesia securè tutoque recitamus. Multò prudentiores te erant Apostoli, veteresque illi Episcopi Ecclesiæ Antistites, qui hos tradiderunt. Tu ergo filius Ecclesiæ cum sis, ne leges institutaque Patrum evertas, corrumpasve.* Vidèn, ut ex Apostolicæ Traditionis, & Ecclesiæ auctoritate probat Sanctus Cyrillus quinam sint libri Canonici; utque hanc Traditionem docet religione maxima retinendam?

Secundus locus, ex Catechesi 5. laudatus fidem ab Ecclesia traditam Scripturæ sacræ muniri testimoniis rectè asserit, sed non Scripturæ solius: alioqui cur *à sola Ecclesia veram fidem traditam* Cyrillus assereret, nisi Ecclesiæ auctoritas & Traditio veræ fidei regulæ essent cum sacra Scriptura? Id verba sequentia evidentiùs demonstrant. *Cùm enim*, inquit, *non omnes possint Scripturas legere: & alios quidem inscitia, alios verò occupatio quædam impediat à cognitione, ne ob inscitiam animam perdas, in paucis versibus universam fidei doctrinam comprehendimus, quod in ipsa lectione meminisse vos volo, & apud vos ipsos studiosè recolere: non in chartis inscribendo, sed in corde memoriam insculpendo, & in meditatione custodiendo, necubi Catechumenus ea, quæ vobis tradita sunt exaudiat.* Certè qui Scripturas legere non poterant, & universam fidei doctrinam paucis Symboli versibus comprehensam acceperant, Traditionis auctoritate ducebantur: siquidem nec Symbolum ipsum in Scripturis habetur, nec omnia fidei dogmata in illo explicitè contineri manifestum est. Præterea quæ recèns Illuminatis tradebatur doctrina, & Catechumenis, tanto studio abscondebatur, non erat ita perspicuè tradita in Scripturis, ut absque Traditione innotescere quibusvis Scripturas legentibus certò posset. Cùm enim legere Scripturas possent Catechumeni, inutilis fuisset ea Ecclesiæ cautio, si omnia Scripturæ sacræ loca, quæ dogmata Christiana spectant, absque Traditionis auctoritate intelligi & exponi potuissent. Ait autem Sanctus Cyrillus, cavendum esse, *Ne Catechumenus ea, quæ tradita sunt, exaudiat.* Quibus verbis innuit, esse in Ecclesia arcanum quoddam doctrinæ genus, quod in Scripturis sacris explicitè non continetur. Hæc autem quid aliud præter Traditiones non scriptas? Denique, omnem tam Novi quàm Veteris Testamenti cognitionem in paucis fidei verbis involvi ait Sanctus Cyrillus, sicut multi rami in grano sinapis continentur. Igitur in Symbolo fidei implicitè tantum contineri vult, *quæ sunt in omni Scriptura potissima*. Unde & Traditiones statim commendat Sanctus Antistes his verbis: *Videte itaque, Fratres, ut servetis Traditiones quas accepistis, & in latitudine cordis eas describite, & cum pietate illas custodite: Ne quando vacillantes aliquos inimicus dissolvat; ne quis Hæreticus ex his quæ tradita sunt, aliquid evertat.*

Tertium testimonium ex 11. Catechesi laudatum, nihil Traditionibus officit, sed solùm docet mysteriorum divinorum modum non esse curiosiùs perscrutandum, nec inutiles de illis quæstiones proponendas, sed satis esse Christiano si illa noverit, quæ illis de mysteriis in Scriptura sacra revelavit Spiritus Sanctus. Exempli gratia, satis est scire Filium Dei esse genitum, quod Scripturæ divinæ testantur; alias quæstiones quæ circa modum adorandæ istius generationis proponi possunt, perscrutari non debemus. *Sufficit nobis scire*, inquit Sanctus Cyrillus, *quòd genuit Deus Filium unum solum. Non te pudeat ignorantiam confiteri: quandoquidem cum Angelis id ignoras. Qui genuit, ipse solus novit, & qui ab illo genitus est, novit Genitorem. Qui genuit, novit quem genuit. Et Sanctus Dei Spiritus testatur in Scripturis, quòd Deus genitus est ab æterno*, &c.

Quartum testimonium ex Catechesi 12. contra Traditiones non magis pugnat. Agit enim de Incarnatione Christi ex Virgine, & de loco, tempore, & modo, quibus hoc mysterium adimpletum est. Hæc autem fatemur ex Prophetarum testimoniis esse exponenda, non humanis opinionibus asserenda. Sed perperàm hinc Rivetus colligit nullum fidei dogma recipiendum esse, quod diserto Scripturæ sacræ testimonio non probetur. Non ideo tamen suspecti esse debent Catholici, ut vult Rivetus, si aliqua dogmata ad fidem pertinere propugnent, quæ in Scripturis non leguntur. Illos enim solùm in suspicionem meritò venire docet Sanctus Cyrillus, qui suis commentis fidem adhiberi volunt: *Non meis*, inquit, *commentis attende, posses enim fortè decipi.* Suspectum esse vult de mysteriis divinis hominis solius testimonium. *Non recipias*, inquit, *ab homine testimonium.* At Traditiones non scriptæ, commenta nostra non sunt, aut humana testimonia, sed Dei verba à Christo Apostolis credita, & ab Apostolis Ecclesiæ commendata, in eaque ut depositum divinum continuâ successione fideliter conservata.

Quintum testimonium ex Catechesi 14. non probat omnia fidei dogmata scripta esse, sed omnia quæ Christum, & ejus mysteria spectant, in columnis Propheticis esse inscripta, ex quibus Judæorum contradictiones satis refelli possunt. Unde subjungit Sanctus Cyrillus post verba in argumento laudata: *Sed prædicamus Christum crucifixum, à Prophetis jampridem eundem prædictum. Tu ergo accipiens de hic testimonia, obsigna in corde tuo.* Præterea in eadem Catechesi, aquæ & sanguinis, quæ ex Christi crucifixi latere profluxerunt, mysterium ex Traditione exponit. *Assignarunt*, inquit, *enarratores Patres nostri, & aliam quoque ejus rei causam. Cum enim duplex sit Baptismi salutaris virtus (ut est in Evangeliis) una quidem quæ baptizatis donatur per aquam: altera vero Sanctorum Martyrum in persecutionibus, per proprium sanguinem; exivit de latere salutari sanguis & aqua, propter eam, quæ esset futura, Christi confessionem, & in Baptismo; & in temporibus martyrii confirmans gratiam.*

Denique

Denique unde acceperat Sanctus Cyrillus, quod in eadem Catechesi habet de signo Crucis fronti imprimendo, & in omnibus occasionibus faciendo? *Non pudeat*, inquit, *nos Crucifixum confiteri, sed in fronte confidenter signaculum Crucis digitis imprimatur, & in aliis omnibus Crux fiat: in panibus comedendis, & in poculis bibendis, & in egressu, & ingressu, ante somnum, recumbendo, & surgendo, eundo, & quiescendo*. Certè cùm hæc in Scripturis non extent, Sanctus Cyrillus tam sacrum usum, tamque universalem, aliunde quàm ex Traditione non hausit.

Sextum testimonium ex Catechesi 16. probat non esse curiosè scrutandum, quod Spiritus Sanctus in Scripturis sacris de se non scripsit; & satis esse ut Christiani recentes ea credant de Spiritu Sancto, quæ ipse in divinis Literis de se docuit. Sed illa sacræ Scripturæ testimonia Traditionis & Ecclesiæ auctoritate exponenda esse non negat Sanctus Cyrillus. Et certè Spiritui Sancto Dei nomen in Scripturis disertè non tribuitur: Ecclesia tamen in Secunda Synodo Oecumenica congregata, multis Scripturæ sanctæ testimoniis, secundùm Traditionem expositis, divinitatem Spiritus Sancti contra Macedonianos asseruit. Spiritum Sanctum à Patre Filioque procedere, non est ex Scriptura sola perspicuum: quod tamen Traditionis auctoritate comprobatum, multis in Conciliis definivit Ecclesia. Denique multa de Spiritu Sancto in hac ipsa Catechesi docet Sanctus Cyrillus, quæ disertis verbis in Scriptura sacra non leguntur.

Ad ultimum testimonium, respondeo, Inutiles quidem esse ratiocinationes humanas, cùm de Spiritu Sancto, aut de rebus divinis agendum est; idque asserit unum Sanctus Cyrillus loco laudato ex 17. Catechesi; sed non ait esse inutiles Traditiones. Quamobrem nihil causæ est cur Catholico Interpreti petulantiùs insultet Calvinista Rivetus, qui etsi ex oscitantia non sit interpretatus illa verba ἀσύμφορον γάρ, *inutile est enim*; illustris tamen loci mala fide vim non minuit: qui illis verbis additis, nobis potiùs quàm Calvinistis suffragatur.

## §. XVII.

*Testimoniis Theophili Alexandrini, Sancti Hieronymi, & Sancti Augustini, quæ adversùs Traditiones Heterodoxi objiciunt, respondetur.*

Objicitur XIII. auctoritas Theophili Alexandrini Patriarchæ, Epistola 2. Paschali, dicentis; *Diabolici spiritus est, aliquid extra Scripturarum auctoritatem putare divinum*. Traditiones igitur non scriptæ perperam Verbum Dei dicuntur, ac in eadem veneratione, qua Scripturæ sacræ habentur.

Respondeo, distinguo antecedens: Diabolici spiritus est aliquid extra Scripturas sacras putare divinum, si illud vel ex apocryphis, vel ex humanæ mentis arbitrio, contra Scripturæ divinæ testimonia affetatur, concedo; si ex Traditione probetur, nego. Hanc esse Theophili mentem ex eo constat, quòd ibi agat contra Origenem, ejusque errores, quorum immanitatem & insaniam inde ostendit, quòd cum sacris Scripturis apertè pugnent. *Equidem*, inquit, *scire non possum qua temeritate Origenes tanta confingens, & non Scripturarum auctoritatem, sed suum errorem sequens, ausus sit cunctis in medium nociturn proferre, nec æstimaverit unquam ullum hominum fore, qui suis assertionibus contrairet, si Philosophorum argutias propriis tractatibus miscuisset, & male exordio in fabulas quasdam & deliramenta procedens, Christianum dogma jocum & ludum faceret, nequaquam divinæ doctrinæ veritate utens, sed humanæ mentis arbitrio, & in tantum seipso Magistro intumescens superbiâ, ut non imitaretur humilitatem Pauli, qui plenus Spiritu Sancto contulit cum prioribus Apostolis Evangelium, ne fortè in vacuum curreret, aut cucurrisset: Sed ignorans quòd dæmoniaci spiritus esset instinctus sophismata humanarum mentium sequi, & aliquid extra Scripturarum auctoritatem putare divinum.*

Et infrà: *Origenes*, inquit, *absque ullo divinæ vocis testimonio vim facere nititur veritati, & extinctâ lucernâ invenire eam, fautor dæmonum, & non hominum.*

Denique sic Epistolam illam concludit: *Abjectis itaque Origenis malis, & Scripturarum, quæ vocantur apocrypha, id est absconditæ, discipulis prætermissis, iterum atque iterum Dominicæ Passionis festa celebremus*, &c. Ex quibus patet, Theophilum diabolico ingenio tribuisse, aliquid extra, id est, contra Scripturarum auctoritatem putare divinum, quomodo perversam doctrinam suam divinam putavit Origenes.

Objicitur decimoquartò auctoritas Sancti Hieronymi in Epistola ad Ctesiphontem dicentis: *Omnes oblatrationes eorum, Christi auxilio destruendæ, quod nobis sanctarum Scripturarum testimoniis asserendum est, in quibus quotidie credentibus loquitur Deus.* Sufficiunt itaque Scripturæ ad revincendos Hæreticos.

Et in Psalmum 86. exponens illa verba: *Dominus narrabit in Scripturis populorum & Principum, horum qui fuerunt in ea*, hæc habet: *Dominus narrabit in Scripturis populorum: In Scripturis sanctis. Quæ Scriptura populis omnibus legitur, hoc est, Apostolorum & Evangelistarum, horum qui fuerunt in ea. Videte quid dicat? Qui fuerunt, non qui sunt, ut exceptis Apostolis, quodcumque aliud postea dicetur, abscindatur, non habeat postea auctoritatem.* Et præmittit ibidem Hieronymus: *Dominus narrabit. Et quomodo narrabit? Non verbo, sed Scriptura.* Traditiones ergo quæ verbo tenus, non Scripturâ habentur, rejiciendæ sunt.

Et in cap. 1. Michææ Prophetæ, exponens illa verba: *Quæ habitat bene in Civitatibus suis, non est egressa habitans in Sennam*; hæc habet: *Ecclesia Christi, quæ habitat bene, & in toto orbe Ecclesias possidens, Spiritus unitate conjuncta est, & habet urbes, Legis, Prophetarum, Evangelii, & Apostolorum, non est egressa de finibus suis, id est, de Scripturis sanctis, sed cœptam retinet possessionem.* Itaque Ecclesia Scripturæ sacræ finibus circumscripta est, proindeque ad Traditiones excurrere non licet.

Et in cap. 1. Aggæi. *Sed & alia*, inquit, *quæ absque auctoritate & testimoniis Scripturarum, quasi Traditione Apostolica sponte reperiunt, atque confingunt, percutit gladius Dei.* Divina igitur ultio timenda est iis, qui traditiones amplectuntur.

Et in cap. 23. Matthæi. *Quod*, inquit, *de Scripturis non habet auctoritatem, eadem facilitate contemnitur, qua probatur.*

Denique in cap. 1. Epistolæ ad Titum: *Sine Scripturarum auctoritate*, inquit, *garrulitas non habet fidem.* Garruli igitur sunt, & fide indigni, qui solis Traditionibus non scriptis freti, aliquod dogma velut ad fidem pertinens, obtrudunt.

Respondeo, Ex his Sancti Hieronymi testimoniis nihil contra Traditiones posse inferri. Nam prior locus privatum quendam errorem ex Scripturis sacris refelli posse, sive aliquam ex iis assertam veritatem demonstrat;

demonstrat : Sed omnes hæreses ex Scriptura posse confutari, aut universa fidei dogmata ex ea probari non evincit. Agit nempe Sanctus Hieronymus contra Pelagianos, qui ex Pithagoræ, & Zenonis Stoicorum Principia fontibus, ἀπάθειαν, id est, perturbationum animi immunitatem, in Ecclesiam invexerant, eamque Justis in hujus vitæ curriculo tribuebant. Hoc de errore loquens Sanctus Hieronymus, ejusque confutationem suscipiens ait : *Neque nunc mihi necesse est ire per singulos Sanctorum, & quasi in corpore pulcherrimo nævos quosdam & maculas demonstrare : quod plerique nostrorum simpliciter faciunt, cum paucis sententiolis Scripturarum, possint Hæreticorum, & per eos Philosophorum argumenta convinci :* Et post multa, probat multos in Scriptura Justos appellari, *Non quòd omni vitio careant, sed quòd majori parte virtutum commendentur. Denique & Zacharias silentio condemnatur, & Job suo sermone reprehenditur, & Josaphat & Josias, qui justi absque dubio dicti sunt, fecisse narrantur quæ Domino displicerent .... De cæteris non est hujus temporis scribere : Neque enim à me librum, sed epistolam flagitasti : qui dictandus est ex otio, & omnes oblatrationes eorum Christi auxilio destruendæ, quod nobis sanctarum Scripturarum testimoniis asserendam est, in quibus quotidie credentibus loquitur Deus.* Hanc itaque propositionem duntaxat Scripturarum testimoniis probari posse ibi asserit, Justos omnes animi perturbationibus non carere. At pessimè hoc ex loco Hæretici inferunt omne fidei dogma solis Scripturæ sacræ testimoniis probari posse, adeóque inutiles esse Traditiones.

Secundus locus profertur ex Commentario Sancti Hieronymi nomini supposito : & tamen adversùs Traditiones magis non pugnat : auctoritatem namque derogat iis, qui aliud ab Apostoli doctrina dixerint. At Traditiones ab Apostolica doctrina non sunt alienæ. Privatos igitur Doctores perstringit, qui alienas quandoque nedum à Scripturis, verùm à Traditione sententias emiserunt, eosque, quamvis diserti sint & sancti, nullius esse dicit auctoritatis, si peregrinum quid & Scripturæ sacræ contrarium effutiant. *Quamvis ergo*, inquit, *Sanctus sit aliquis post Apostolos, quamvis disertus sit, non habet auctoritatem. Quoniam Dominus narrat in Scriptura populorum & Principum, horum qui fuerunt in ea.*

Ad tertium locum respondeo, Ecclesiam suis è finibus non egredi, cùm Traditiones amplectitur, quia in Scripturis sanctis Traditionum asseritur auctoritas, quæ non minùs ad Ecclesiæ possessionem, quàm ipsæ Scripturæ pertinent. Agit porro ibi Sanctus Hieronymus contra Hæreticos, qui contraria Scripturis divinis dogmata invehunt, atque ita Ecclesiæ fines transiliunt. Unde subjungit : *Vos verò qui habitatis juxta Sennam, id est, juxta abundantem Ecclesiam, ò Hæretici, ò contraria dogmata ! plangite vos : quia ædificastis vobis domum in derisum, & pressistis torcular in superbiam, nec in Scripturis, sed in vicinia Scripturarum, domum vestram, jam non risu, sed planctu dignam, & lachrymis construxistis.*

Quartus locus adversùs eos militat, qui proprias observantias ab Ecclesiæ doctrina & usu alienas, velut Traditiones Apostolicas venditabant ; nempe Montanistas, qui tres Quadragesimas, & Xerophagias introduxerant, necnon Encratitas, qui suæ etiam sectæ mores Traditione Apostolica niti falsò jactabant. Hanc esse Sancti Hieronymi mentem lectio integri loci demonstrat. *Sed & alia, quæ absque auctoritate & testimoniis Scripturarum, quasi Traditione Apostolica sponte reperiunt atque confingunt, percutit gladius Dei : homines autem & jumenta, vel cogitationes & sensus eorum accipiamus ; vel certè rationabiles in eis &, irrationabiles, id est, doctos & indoctos pariter, & omnem laborem manuum, & jejunia eorum, & observationes varias & χαμευνίας id est, humi dormitiones. Qui tribus Quadragesimis per annum jejunantes, & Xerophagiis humiliantes animam suam, & vel maximè de Tatiani radice crescentes, super hujuscemodi laboribus audiunt : Tanta passi estis sine causa ?*

Quintus locus contemnendum esse docet quod non habet auctoritatem ex Scripturis, sed nec ex Traditione, verùm ex solis apocryphorum somniis depromptum est. Exponit scilicet illa Christi verba Sanctus Hieronymus : *Ut veniat super vos omnis sanguis justus qui effusus est super terram, à sanguine Abel justi, usque ad sanguinem Zachariæ, filii Barachiæ, quem occidistis inter templum & altare.* Quærit quis sit iste Zacharias : ait quosdam existimasse Zachariam illum esse qui in duodecim Prophetis undecimus est ; quam opinionem ex eo refellit, quòd ejus temporibus vix Templi ruinæ fuerint. Tum subjungit : *Alii Zachariam patrem Joannis intelligi volunt, ex quibusdam apocryphorum somniis approbantes, quòd propterea occisus sit, quia Salvatoris prædicaverit Adventum. Hoc quia de Scripturis non habet auctoritatem, eadem facilitate contemnitur, qua probatur.*

Sextus denique locus garrulos esse & fide indignos non probat, qui Traditiones non scriptas amplectuntur, earumque auctoritatem urgent, quia ad eas amplectendas auctoritate moventur Scripturarum. Hos proinde Sanctus Hieronymus non perstringit, sed eos qui Scripturæ testimoniis abutuntur, eaque in suorum patrocinium errorum contorquent. *Et quidem*, inquit, *sine Scripturarum auctoritate garrulitas non haberet fidem ; nisi viderentur perversam doctrinam etiam divinis testimoniis roborare. Hi sunt de Circumcisione Judæi, qui tunc temporis nascentem Christi Ecclesiam subvertere nitebantur, & introducere præcepta legalia .... Tales homines Doctor Ecclesiæ, cui animæ populorum credita sunt, Scripturarum debet ratione superare, & silentium illis testimoniorum pondere imponere.*

Objectio xv. nititur auctoritate Sancti Augustini variis in locis. Primò, lib. 2. de Doctrina Christiana, cap. 9. ubi ait : *In his quæ apertè in Scriptura posita sunt, inveniuntur illa omnia quæ continent fidem, moresque vivendi.* Non sunt igitur necessariæ Traditiones.

Et lib. 2. de Peccatorum Meritis & Remissione, cap. 36. hæc habet. *Ubi de re obscurissima disputatur, non adjuvantibus divinarum Scripturarum certis clarisque documentis, cohibere se debet humana præsumptio, nihil faciens in partem alteram declinando. Etsi enim quodlibet horum, quemadmodum demonstrari & explicari possit ignorem : illud tamen credo, quod etiam hinc divinorum Eloquiorum clarissima auctoritas esset, si illud homo sine dispendio promissæ salutis ignorare non posset.* Quo ex loco duo colliguntur : primum, in controversiis quæ de rebus religionis oriuntur, assensionem esse cohibendam, si quæstio certis clarisque Scripturarum documentis finiri non valeat : secundum, de iis, quæ sine dispendio salutis ignorari non possunt, legi clarissima divinorum Eloquiorum testimonia.

Ex libro de Bono Viduitatis, cap. 1. *Quid igitur ampliùs te doceam*, inquit, *quàm id quod apud Apostolum legimus ? Sancta enim Scriptura nostræ doctrinæ regulam figit ... Non sit ergo mihi aliud te docere, nisi verba tibi Doctoris exponere, & de iis quod Dominus dederit, disputare.* Si sancta Scriptura nostræ fidei regulam figit, non est opus Traditionibus.

Ex libro

Et lib. 3. contra Maximinum, cap. 14. *Sed nunc*, inquit, *nec ego Nicanum, nec tû debes Ariminense, tanquam præjudicaturus proferre Concilium. Nec ego hujus auctoritate, nec tu illius detineris: Scripturarum auctoritatibus, non quorumque propriis, sed utrisque communibus testibus, res cum re, causa cum causa, ratio cum ratione concertet.* A Conciliis ad Scripturas provocat Sanctus Augustinus, Traditiones silet, id nequaquam facturus, si parem cum Scripturis auctoritatem habuissent.

Respondeo, Hæc Sancti Augustini testimonia adversùs non scripias Traditiones nequaquam pugnare. Primus enim locus solùm probat, in iis quæ apertè in Scripturis posita sunt, inveniri illa omnia, quæ unicuique Christiano explicitè credere necesse est, ut salutem consequatur: & quæ ad morum præcepta in genere pertinent, qualia sunt quæ fide, spe, & charitate animos informant. Sed non omnia, quæ ad fidem spectant, in Scripturis saoctis in specie contineri asserit Sanctus Augustinus, nec aperta legi Scripturarum testimonia de iis omnibus dogmatibus, quæ implicitè credere singulis Christianis necesse est, explicitè verò Pastoribus & Doctoribus.

Respondeo secundò, Sensum hujus loci non esse quòd omnia fidei dogmata, omniaque præcepta morum apertè posita sint in Scripturis: sed quòd ea, quæ in Scripturis apertè posita sunt, ad fidem, aut ad mores pertineant, sive ad fidem, spem, aut charitatem revocentur. Hunc sensum totius loci series demonstrat. Ubi nim præmonoit Sanctus Augustinus primùm opus esse ut qui in sacrarum Literarum studia vult incumbere, libros Canonicos noverit, etsi nondum ad intellectum, legendo tamen vel mandet memoriæ, vel omnino incognitos non habeat; subjungit: *Deinde illa quæ in eis apertè posita sunt, vel præcepta vivendi, vel regulæ credendi, solertius diligentiusque investiganda sunt. Quæ tantò quisque plura invenit, quanto est intelligentiâ capacior. In iis enim quæ apertè in Scriptura posita sunt, inveniuntur illa omnia quæ continent fidem, moresque vivendi, spem scilicet atque charitatem, de quibus libro superiore tractavimus.* Cùm ait Sanctus Augustinus, illa quæ in Scripturis sacris apertè posita sunt; vel præcepta vivendi, vel regulas credendi, solertiùs, diligentiúsque investiganda esse, supponit omnia præcepta vivendi, vel omnes credendi regulas, apertè in divinis Literis esse posita. Vult itaque Sanctus Augustinus Scripturam universam, ad fidem, spem & charitatem velut ad scopum collineare, quod in superiore libro ad quem lectorem remittit, probaverat. Capite enim 35. dixerat: *Legis & omnium Scripturarum divinarum plenitudo & finis est dilectio rei quæ fruendum est, & rei quæ nobiscum ea re frui potest: quia ut se quisque diligat, præcepto non est opus.* Et cap. 36. *Quisquis igitur Scripturas divinas, vel quamlibet earum partem intellexisse sibi videtur, ita ut eo intellectu non ædificet istam geminam charitatem Dei & proximi, nondum intellexit. Quisquis verò talem inde sententiam duxerit, ut huic ædificandæ charitati sit utilis; nec tamen hoc dixerit, quod ille quem legit, eo loco sensisse probatur, non perniciosè fallitur, nec omnino mentitur.*

Et cap. 37. *Titubabit fides*, inquit, *si divinarum Scripturarum vacillat auctoritas. Porro fide titubante, charitas etiam ipsa languescit. Nam si à fide quisque ceciderit, à charitate etiam necesse est cadat: non enim potest diligere, quod esse non credit. Porro si & credit, & diligit, benè agendo, & præceptis bonorum morum obtemperando efficit, ut etiam speret se ad id quod diligit, esse venturum. Itaque tria hæc sunt, quibus scientia, & omnis Prophetia militat, fides, spes, charitas.* Ex quibus sic colligit cap. 39. *Homo itaque fide, spe, & charitate subnixus, eaque inconcussè retinens, non indiget Scripturis nisi ad alios instruendos. Itaque multi per hæc tria etiam in solitudine, sine codicibus vivunt. Unde in illis arbitror jam completum esse quod dictum est: Sive Prophetiæ evacuabuntur, sive linguæ cessabunt, sive scientia destruetur. Quibus tamen quasi machinis tanta fidei, & spei, & charitatis in eis surrexit instructio, ut perfectum aliquid tenentes, ea quæ sunt ex parte non quærant.*

Et cap. 40. *Quapropter*, inquit, *cùm quisque cognoverit finem præcepti esse charitatem de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta, omnem intellectum divinarum Scripturarum ad ista tria relaturus, ad tractationem illorum librorum securus accedat. Cùm enim diceret, Charitas: addidit, de corde puro: ut nihil aliud quàm id quod diligendum est, diligatur. Conscientiam verò bonam subjunxit, propter spem. Ille enim se ad id quod credit & diligit, perventurum esse desperat, cui mala conscientiæ scrupulus inest. Tertiò, & fide, inquit, non ficta. Si enim fides nostra mendacio caruerit, tunc & non diligimus quod non est diligendum, & rectè vivendo id speramus, ut nullo modo spes nostra fallatur.*

Ibidem habetur ex lib. 3. cap. 10. *Non autem*, inquit, *præcipit Scriptura nisi charitatem, nec culpat nisi cupiditatem, & eo modo informat mores hominum.* Ex quibus omnibus colligitur, Scripturam omnem ad fidem, spem, & charitatem, velut ad finem referri: & omnia quæ in divinis Literis apertè posita sunt, fidei regulas, aut spei, charitatisque præcepta spectare. Quod principium in his de Christiana Doctrina libris toties inculcatum reperit Sanctus Augustinus verbis illis in objectione laudatis: *In iis quæ apertè in Scriptura posita sunt, inveniuntur illa quæ continent fidem, moresque vivendi, spem, scilicet, atque charitatem.*

Contra: Sanctus Augustinus ibidem ait, Obscuriora Scripturæ sacræ loca per evidentiora exponi debere: censet igitur non esse ad Traditiones non scriptas confugiendum.

Probatur antecedens ex verbis immediatè sequentibus ea quæ in objectione laudata sunt, lib. 2. de Doctrina Christiana cap. 9. *Tum verò facta quadam familiaritate cum ipsa lingua divinarum Scripturarum, in ea quæ obscura sunt aperienda, & discutienda pergendum est, ut ad obscuriores locutiones illustrandas de manifestioribus sumantur exempla, & quædam certarum sententiarum testimonia dubitationem de incertis auferant.*

Respondeo, distinguo antecedens: Obscura Scripturæ loca exponi per evidentiora debent, quando evidentiora suppetunt, concedo: quando nulla sunt evidentiora, nego. Si enim vel obscura sint utrobique Scripturæ loca; vel quæ in se manifestiora sunt; imò & Orthodoxis talia videntur, pertinacibus Hæreticis non videantur clariora, necessariò ad Traditionem confugiendum est.

Ad secundum locum ex lib. 2. De Peccatorum Meritis & Remissione, respondeo, In re obscurissima, ubi desunt Scripturæ sacræ certa, claraque documenta, suspendendum esse assensum, nec in partem alterutram declinandum, nisi Traditio alterutri parti apertè faveat. Quod si favere alteri opinioni Traditionem perspicuum fit, ab ea standum est: sed tunc mutatur hypothesis Sancti Augustini, quia quæstio desinit esse obscurissima, quæ Traditione apertè dirimitur. Hanc fuisse Sancti Augustini mentem ex eo constat, quòd ibidem loquatur de quæstione quæ nec Scripturæ, nec Traditionis judicio finiri poterat, & in qua ipse anceps erat ac dubius; scilicet de animæ rationalis origine, an

à solo Deo per creationem producta, an simul cum carne à parentibus propagata? *De anima verò*, inquit, *utrum & ipsa eodem modo propagata, reatu, qui ei dimittatur, obstricta sit: an etiam non propagata, eo ipso quò carni peccati aggravanda miscetur, jam ipsius peccati remissione, & sua redemptione opus habeat: .... & quomodo Deus, etiamsi non de traduce animas creat, non sit tamen auctor reatus ejusdem, propter quem redemptio Sacramenti necessaria est anima parvuli: magna quæstio est, aliamque disputationem desiderat, eo tamen, quantum arbitror, moderamine temperatam, ut magis inquisitio cauta laudetur, quàm præcipitata reprehendatur assertio. Ubi enim de re obscurissima disputatur, non adjuvantibus divinarum Scripturarum certis clarisque documentis, cohibere se debet humana præsumptio, nihil faciens in partem alteram declinando.*

Quod autem subjungit Sanctus Augustinus: *Illud credo, quod etiam hinc divinorum Eloquiorum clarissima auctoritas esset, si homo illud sine dispendio promissæ salutis ignorare non posset*: Probat quidem illud omne in Scriptura sacra clarissimè haberi, quod explicitè credere quilibet tenetur Christianus, videlicet mysteria omnia quæ Apostolico Symbolo continentur; quæ soli sine dispendio promissæ saluris ignorare nemo potest. Sed non evincunt illa Sancti Augustini verba, clarissimam esse Scripturæ sacræ auctoritatem de omnibus Fidei Christianæ dogmatibus. Nec verò illa ipsa religionis capita quæ divinæ Scripturæ certis clarisque documentis probantur, ut Christi divinitas, descensus ejus ad Inferos, Sanctorum Communio, propugnari contra Hæreticos possunt, qui his dogmatibus adversantur, nisi ad auctoritatem Scripturæ, subsidium Traditionis accedat.

Ad tertium locum, ex libro de Bono Viduitatis, respondeo, Sanctum Augustinum eo loci de bono dumtaxat viduitatis agere, non de fidei quibusvis dogmatibus, Quia igitur Sanctus Paulus boni illius præstantiam satis explicuerat, Sanctus Augustinus satis sibi esse ait, si verba Apostoli exponat. Quod autem subjungit: *Scriptura nostra doctrina regulam figit*: generatim adversùs eos dictum est, qui ex proprio judicio novas doctrinas Scripturæ sacræ minimè consentaneas fabricantur & prædicant. Denique de regula generali non est intelligendus Sanctus Augustinus, sed de particulari, scilicet de regula ad quam Tractatus de Bono Viduitatis exigeretur.

Respondeo secundò, Si propositionem illam generatim intelligere placeat, Sanctum Augustinum vocasse Scripturam sacram *Regulam fidei nostræ*, sed inadæquatam. Adæquata namque regula est Verbum Dei tam scriptum, quàm traditum. Et certè Scripturam sacram non esse adæquatam regulam credendorum, multis rationibus suaderi posset. Primò, quia regula planissima esse debet, ita ut nusquam ex ea occasio errandi sumi possit. Ex Scripturis porro Hæretici errandi occasionem sumpserunt, ut ait Tertullianus lib. de Præscriptionibus cap. 39. *Nec periclitor dicere*, inquit, *ipsas quoque Scripturas sic esse ex Dei voluntate dispositas, ut Hæreticis materias subministrarent, cùm legam, Oportere hæreses esse, quæ sine Scripturis esse non possunt.* Hinc Sanctus Basilius libro de vera Virginitate ait, Quòd sicut Ethnici, persuasione diaboli, creaturis ad Idololatriam abusi sunt, quibus ad Creatoris cognitionem adduci debebant: *Sic unde oportebat Christum agnoscere, inde in primis illum ignorari* (diabolus) *molitus est: De Scripturis scilicet prædicantibus Christum, ignorationes ejus hæreticis intelligentiis callidus inserens.*

Sola itaque Scriptura non est regula adæquata fidei.

Secunda ratio hæc est. Regulæ certus est finis & exitus; si adæquata sit ac sufficiens: cúmque de aliquo litigatur an cum regula conveniat, ille de victoria securus est qui ab ea non non deflexerit. Id verò Scripturæ sacræ non convenit, ut colligitur ex Tertulliano libro de Præscriptionibus cap. 17. 18. & 19. ubi sic concludit: *Ergo non ad Scripturas provocandum est, nec in ipsis constituendum certamen, in quibus aut nulla, aut incerta victoria est.* Igitur Scriptura sacra non est adæquata fidei regula.

Ad ultimum Sancti Augustini locum ex libro 3. contra Maximinum Arianum, respondeo, Utriusque Concilii, Nicæni scilicet, ac Ariminensis testimonium prætermitti voluisse Sanctum Augustinum hac in disputatione, quia nihil promovisset, cùm Ariani Concilium Nicænum exploderent, Ariminense verò Catholici rejicerent. Sed ex Scripturis causam agi voluit, quas utraque pars recipiebat ac venerabatur. Traditionis autem auctoritate non pugnavit, quia Hæreticorum illam rejicientium protervia ipsum cogebat ut medio isto cederet, quod urgere cœperat paulò antè his verbis; *Hoc est illud homousion, quod in Concilio Nicæno adversus Arianos hæreticos à Catholicis Patribus veritatis auctoritate, & auctoritatis veritate firmatum est: quod postea in Concilio Ariminensi, propter novitatem verbi, minùs quàm oportuit intellectum: quod tamen fides antiqua pepererat, multis paucorum fraude deceptis, hæretica impietas sub hæretico Imperatore Constantio labefactare tentavit. Sed post non longum tempus, libertate Fidei Catholicæ prævalente, posteaquam vis verbi sicut debuit, intellecta est, homousion illud Catholicæ Fidei sanitate longè latèque defensum est. Quid est enim homousion, nisi unius ejusdemque substantiæ? quid est, inquam, homousion, nisi, Ego & Pater unum sumus? sed nunc nec ego Nicænum, nec tu debes Ariminense tanquam præjudicaturus proferre Concilium*, &c. Et post verba 10 objectione laudata continuò subjungit: *Utrique legimus: Ut simus in vero Filio ejus Jesu Christo: Ipse est verus Deus & vita æterna; utrique tanti ponderis molibus cedamus.*

Objicies verba Sancti Augustini Epistola 19. ad Sanctum Hieronymum data, quibus non esse verum pertendit, adeòque nec recipiendum, quod alii Auctores à Canonicis scripserunt, nisi quatenus vel Canonicis Scriptoribus, aut rationi consentaneum est. *Ego enim*, inquit, *fateor Caritati tuæ, solis eis Scripturarum libris, qui jam Canonici vocantur, didici hunc timorem, honoremque deferre, ut nullum eorum Auctorem scribendo aliquid errasse firmissimè credam ... Alios autem ita lego, ut, quantalibet sanctitate doctrinaque præpolleant, non ideo verum putem quia ipsi ita senserunt, sed quia mihi vel per illos Auctores Canonicos, probabili ratione, quod à vero non abhorreat, persuadere potuerunt* &c. Sola igitur Scriptura sacra inconcussæ auctoritatis est, non verò Traditio, aut doctrina Patrum.

Hunc locum urget Dallæus, libro 2 de vero Patrum usu c. 2

Respondeo, Sanctum Augustinum loqui de Patribus, & Scriptoribus Ecclesiasticis distributivè sumptis, non verò collectivè. Equidem hic & ille Pater, quamvis sanctissimus ac doctissimus, errare potest; unde ejus auctoritas non est regula fidei, nec verum est censendum quod asseruit, quia ille scripsit, aut dixit; sed quia Scripturis sacris, aut Traditioni consonum est, aut certè probabili ratione suadetur. Dixi, *Traditioni*; quia etsi Sanctus Augustinus disertè illius non meminerit, tamen eam innuit satis. Qui enim ait, Se verum existimare quod senserunt Patres, quia per Auctores Canoni-

cos

eos persuadent quòd à vero non abhorreat, ille censet assensum eorum testimoniis esse præbendum, si Traditionem sequantur: quia Canonici Authores Traditionibus credendum esse docent. Patres verò collectivè sumpti, id est, vel omnes, vel eorum pars maxima, errare non possunt: quia eorum consensio Traditionem ostendit, cujus vim ac pondus non uno in loco Sanctus Augustinus prædicat, ut ex locis inter probationes laudatis evidens est. Quòd verò de singulis Patribus hoc in loco Sanctus Augustinus loquatur, non de omnibus, constat ex ejus instituto. Volebat enim ostendere Sancto Hieronymo, Necesse non esse, quando cum amico doctiore disputamus, quicquid dixerit approbare. Hanc propositionem ex eo probat, quòd solis sacræ Scripturæ libris, qui Canonici vocantur, hic timor honosque sit deferendus, ut nullus eorum Author scribendo aliquid errasse firmissimè credatur. Deinde post verba in objectione laudata subjungit: *Nec te, mi Frater, sentire aliud existimo: prorsus, inquam, non te arbitror sic legi tuos libros velle tanquam Prophetarum, vel Apostolorum, de quorum Scriptis, quòd omni errore careant, dubitare nefarium est. Absit hoc à pia humilitate, & veraci de temetipso cogitatione, qua nisi esses præditus, non utique diceres: Utinam mereremur complexus tuos, & collatione mutuâ vel doceremus aliquid, vel disceremus.* Ex quibus patet, Sanctum Augustinum hic de singulis Patribus, non de omnibus collectivè sumptis locutum fuisse.

## §. XVIII.

### *Objectionibus Hæreticorum ab incommodis petitis respondetur.*

Objicitur decimosextò. Illud non est admittendum, quod est erroris occasio: atqui Traditiones non scriptæ, sunt erroris occasio: non sunt igitur admittendæ.

Probatur minor. Illud est erroris occasio, quod Hæretici ad conciliandam figmentis erroribusque suis auctoritatem venditarunt: atqui Hæretici veteres ad conciliandam erroribus suis fidem Traditiones non scriptas venditarunt: igitur Traditiones non scriptæ, sunt occasio erroris.

Probatur minor. Basilides namque Glauciam Sancti Petri Interpretem suum dicebat Magistrum; Valentinus se Theodadum Sancti Pauli familiarem audivisse; Marcion & alii, à Sancti Mathiæ Discipulis se fuisse institutos, ut testatur Clemens Alexandrinus libro 6. Stromatum. Artemon gloriabatur Apostolos prædicasse Christum extitisse purum hominem, & id Ecclesiam sensisse usque ad Victorem Pontificem, ut constat ex Eusebio, libro 5. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 27. Igitur Hæretici veteres ad conciliandam erroribus suis fidem, Traditiones non scriptas venditarunt.

Respondeo, distinguo majorem. Illud non est admittendum, quod est erroris occasio, per se, concedo; per accidens, nego. Traditiones autem per accidens tantùm sunt erroris occasio, quia ex iis sumunt Hæretici ansam confingendi falsas Traditiones, & eas velut Apostolicas obtrudendi. Unde non sunt propterea rejiciendæ; sicut nec Scriptura sacra rejicienda est, licet ea Hæretici ad suos errores confirmandos abutantur, aut apocryphas Scripturas confingant. Certè non solùm Hæreticis, sed etiam Ethnicis familiare fuit, Christianam æmulari Disciplinam. Sic Julianus Apostata, (Sancto Gregorio Nazianzeno teste, Oratione 3.) *Scholas in omnibus Civitatibus, & Sacraria, subselliaque partim altiora, partim humiliora, extruere parabat, profanorum etiam dogmatum lectiones, & explicationes instituere, tamqua mores componerent, quàm quæ in abstrusiorum rerum tractatione versarentur: tum precationum alternatim canendarum formam, ac supplicii in eos qui peccarent, pro delicti modo constituendi: initiationis item & perfectionis, atque omnia, quæ nostra haud dubiè Disciplina sunt: Diversoria etiam & hospitales domos ædificare; Monasteria item & Virginum Cœnobia instituebat, simulque humanitatem & benignitatem erga pauperes adjungere: cùm in aliis rebus, tum in commendatitiis epistolis situm, quibus illos qui inopia premuntur, ex Gente ad Gentem transmittimus.* Sed cùm Ethnici, tum Hæretici Ecclesiæ ritus æmulati, & Traditiones confingentes ad Traditionum Apostolicarum, vel Ecclesiasticarum imitationem, simiis similes sunt, qui hominum motus imitantur, sed eorum solertiam assequi non possunt. *Hujusmodi enim ritus & sanctiones Christianis aptissimè congruunt: talesque sunt, ut nullus eorum qui vestigiis nostris insistere cupiunt, eas æmulari possit: quandoquidem non magis humanis ingeniis atque inventionibus, quàm vi divina, temporisque firmitate vigorem adepta sunt;* ut loquitur Sanctus Gregorius Nazianzenus Oratione tertia, quæ prima est adversùs Julianum, pag. 102.

Objicitur decimoseptimò. Si Traditionum certa est auctoritas; eæ potiùs recipiendæ sunt, quæ viciniores sunt fontibus, nimirum Apostolis: atqui id falsum est: alioqui doctrina de Millenario in terris Christi regno, quam Papias, Justinus, Irenæus, Tertullianus, Lactantius propugnarunt, velut Apostolica Traditio recipienda esset: Non est igitur certa & inconcussa Traditionum auctoritas.

Respondeo, distinguo majorem: Eæ potiùs recipiendæ sunt, quæ viciniores sunt fontibus, si sint veræ Traditiones, concedo; sin minùs, nego. Nam & Apostolicis temporibus errores fuerunt: unde non *antiquitas* sola Traditiones ab erroribus discernit, sed & *universitas & consensio.* Et illud solum verè ab Apostolis traditum censeri debet, quod omnes pariter Ecclesiæ Magistri & Patres *uno eodemque consensu apertè, frequenter, perseveranter tenuerunt, scripserunt, docuerunt* (ut ait Vincentius Lirinensis.) Cùm itaque doctrina de Millenario in terris Christi regno, quam Papias, Justinus, Irenæus, Tertullianus, Lactantius asseruerunt, à cæteris Patribus fuerit illis ipsis temporibus impugnata, & deinde ab omnibus constantissimè improbata, certum est illam sententiam è Traditionis fontibus haustam non esse: & Patres illos in eum errorem lapsos fuisse, partim ex loco Apocalypsis malè intellecto, partim ipsius Papiæ auctoritate cui nimiùm detulerunt; ipsum verò Papiam ex malè intellectis Apostolorum narrationibus, quas Joannes Presbyter & Aristion ipsi retulerant, eum in errorem abiisse. Id testatur Eusebius libro 3. Historiæ Ecclesiasticæ cap. ultimo, ubi de Papia agens, hæc habet: *Idem præterea Scriptor alia nonnulla nuda vocis Traditione ad se pervenisse testatur, novas quasdam scilicet Servatoris parabolas ac prædicationes, aliáque fabulis propiora. Inter quæ & mille annorum spatium post corporum resurrectionem fore dicit, quo regnum Christi corporaliter stet in orbe terrarum. Quæ quidem ita opinatus esse videtur Papias ex male intellectis Apostolorum narrationibus, cum ea quæ arcano quodam sensu, & exempli causâ ab illis dicebantur, non satis pervidisset. Fuit enim mediocri admodum ingenio præditus, ut ex Scriptis illius conjicere licet: plerisque tamen post ipsum Ecclesiasticis Scriptoribus ejusdem erroris occasionem præbuit, hominis vetustate sententiam suam tuentibus: puta, Irenæo, & si quis alius ejusdem opinionis fautor extitit.* Lege Dissertationem nostram 26. in Historiam Ecclesiasticam 1. Sæculi, Volum. 2.

Objicitur. Quod mutationi est obnoxium, certa fidei regula esse non potest: atqui Traditiones mutationi sunt obnoxiæ: Traditio itaque non est certa fidei regula.

Probatur minor. Olim namque multa ex Traditione observabantur, quæ jam antiquata sunt; ut lactis & mellis prægustatio à baptizatis, cujus meminerunt Tertullianus libro de Corona Militis, cap. 3. & lib. 1. contra Marcionem cap. 14. Sanctus Hieronymus in cap. 35. Isaiæ, & alii: ut trina immersio in Baptismo, cujus in Canone 50. Apostolorum; apud Sanctum Hieronymum, lib. 2. in Epistolam ad Ephesios ad cap. 4. apud Sanctum Ambrosium lib. 2. de Sacramentis, cap. 7. apud Sanctum Gregorium Magnum, lib. 1. Epistolarum, Epistola 41. & in Concilio Toletano 4. Canone 6. diserta mentio est. Olim Pœnitentia publica erat in usu: modò sublata est. Olim sub utraque specie communicabant Laici, quibus ablatus est Calicis usus. Olim Eucharistiam recipiebant in manibus, & in domos deferebant, quando vellent sumpturi: nunc antiquati sunt isti mores. Denique Romani Pontifices multas quotidie dispensationes concedunt de iis observantiis, quas à Traditione Apostolica derivatas Catholici existimant. Itaque Traditiones mutationi sunt obnoxiæ.

Quæ Traditiones sint mutationi obnoxiæ?

Respondeo, distinguo minorem: Traditiones mutationi sunt obnoxiæ, quæ Disciplinam, cœrimonias, externamque politiam spectant, concedo: Quæ Fidem, & Moralis Christianæ regulas, nego. *Nam*, ut ait Tertullianus lib. de Virginibus velandis, cap. 1. *Regula fidei una omninò est, sola immobilis, & irreformabilis...... Hac lege fidei manente, cætera jam Disciplinæ & conversationis, admittunt novitatem correctionis, operante scilicet & proficiente usque in finem gratia Dei.* Consuetudines autem in objectione memoratæ, quæ jam antiquatæ sunt, spectant vel cœrimonias, ut lactis & mellis prægustatio, & trina immersio; vel Disciplinam, externamque Ecclesiæ politiam, ut Pœnitentia publica, Communio sub utraque specie, &c.

Respondeo secundò ad majorem hujus solutionis evidentiam, Consuetudinum illarum, quæ recensitæ sunt, plurimas non esse Apostolicas Traditiones, sed mores Ecclesiæ, qui ab ea legitimis de caussis immutati sunt, nec passim & ubique observati iis etiam, quibus vigebant, temporibus. Id patet de trina immersione, quæ ita observata est, ut laudaretur etiam unica immersio. Ait namque Sanctus Gregorius Magnus loco in objectione laudato: *Reprehensibile esse nullatenus potest, infantem in Baptismate vel ter, vel semel immergere: quando & in tribus mersionibus personarum Trinitas, & in una potest Divinitatis singularitas designari.* Imò iis ad quos hanc Epistolam scribit, unicam mersionem suadet magis, ob Hæreticos divinitatem dividentes. *Sed quia*, inquit, *nunc usque ab Hæreticis infans in Baptismate tertiò mergebatur, fiendum apud vos esse non censeo, ne dum mersiones numerant, divinitatem dividant.* Propter eandem rationem Concilium Toletanum IV. Canone 6. decrevit ut unica deinceps immersio usurparetur. *Propter vitandum autem schismatis scandalum*, inquit, *vel hæretici dogmatis usum, simplam teneamus Baptismi immersionem, ne videantur apud nos qui tertiò mergunt, Hæreticorum approbare assertionem, dum sequuntur & morem.* Nec verisimile est Apostolos trinam immersionem semper usurpasse, cùm tot hominum millia una die baptizarunt. Denique Sanctus Cyprianus Baptisma per aspersionem collatum Clinicis, seu infirmis in lecto decumbentibus, legitimum esse probavit Epistola 76. ad Magnum data. Communio sub utraque specie non fuit etiam ab omnibus, ubique, & semper frequentata, iis quibus in usu fuit sæculis, ita ut sub unica tantùm specie communicare nefas esset. Nam qui Eucharistiam in domos deferebant, pro necessitate & pietate sumpturi, Calicem non sumebant, qui sumi dumtaxat solebat porrigentibus Diaconis; & Serapion particulam dumtaxat Eucharistiæ aqua madefactam ægrotus à puero accepit, cui illam Sacerdos deferendam tradiderat, ut narrat Sanctus Dionysius Alexandrinus apud Eusebium lib. 6. Historiæ cap. 44. Et Manichæi, qui ad tegendam infidelitatem suam nostris audebant interesse Mysteriis, ita in Sacramentorum Communione se temperabant, ut interdum, ne penitus latere non possent, ore indigno Christi Corpus acciperent, Sanguinem autem redemptionis nostræ haurire omnino declinarent, ut testatur Sanctus Leo Sermone 4. de Quadragesima. Latere autem sic non potuissent Manichæi, nisi liberum Fidelibus fuisset sub unica, vel sub utraque specie Eucharistiam sumere. Idem suadet historia quam de Macedoniana muliere Sozomenus refert lib. 8. cap. 5. quæ nimirum coacta minis mariti ut divinis Mysteriis communicaret, *Id quod acceperat retinens, quasi Deum oratura, caput submisit: ancilla verò quæ ei astabat, id quod domo attulerat, clanculùm ei tradidit. Quod cùm mulier dentibus admovisset, instar lapidis obduruit.* Fallere autem maritum non potuisset mulier illa fidæ ancillæ ministerio (ut refert Sozomenus) si necessariò tunc temporis Fideles Eucharistiam sub utraque specie accepissent. Traditionem itaque Apostolicam antiquatam esse nemo dicat, cùm usus Calicis Laicis prohibitus est. Quod spectat Pœnitentiam publicam, fateor ex Apostolica Traditione descendisse ut graviorum criminum rei publicam Pœnitentiam agerent: sed cùm lugubris ille Pœnitentiæ apparatus & solemnitas ad externam dumtaxat Ecclesiæ Disciplinam & Politiam pertineret, non mirum quòd pia mater quodam suæ Disciplinæ vulnere filiis minùs ferventibus mederi voluerit: cupiens nihilominus ut sanctissima illa Disciplina, si fieri possit, restauretur; & graviora crimina, si publica sint, publicis etiam pœnis, ubi Disciplina viget, coërcens.

Romani Pontifices dispensationes Traditioni contrarias non concedunt.

Denique Romani Pontifices dispensationes generales non concedunt de iis observantiis, quæ ex Traditione Apostolica ortum habuere: sed solùm declarant non obligari certis in casibus privatos quosdam ad illas observantias; quia mens Apostolorum non fuit ut obligarentur, cùm illas servare non possent: vel cùm illarum omissio in majus Ecclesiæ bonum cederet; cùm denique illorum præceptorum observatio contraria esset charitati. Quòd si absque caussa legitima dispensent Pontifices & Episcopi, dispensationes hujusmodi irritæ sunt, & reos coram Deo constituunt concedentes. Hæc responsio firmatur locupletissimo Sancti Bernardi testimonio, in libro de Præcepto & Dispensatione cap. 4. ubi loquens de Patrum statutis, ait: *Quamdiu ergo charitati militant, immobiliter fixa sunt: mutarique omnino, ne ab ipsis quidem Præpositis, sine offensa possunt. At si è contrario contraria fortè aliquando charitati visa fuerint, his dumtaxat quibus hoc posse videre datum est, & providere creditum est: nonne justissimum esse liquet, ut quæ pro charitate inventa fuerunt, pro charitate quoque, ubi expedire videtur, vel omittantur, vel intermittantur, vel in aliud fortè commodius demutentur? Sicut è regione iniquum proculdubio foret si statuta pro sola charitate, contra charitatem tenerentur. Teneant ergo fixam, firmamque immobilitatem, etiam apud Prælatos, quæ ex stabili necessaria sunt, sed quatenus charitati deserviunt. Nunquid autem hoc ego vel solus sentio; vel primus dico? Annon hoc ipsum & Papa Gelasius sensit? Ait siquidem: Ubi necessitas non est, inconvertibilia*

Dispensationes à Romano Pontifice, Episcopo, & quibuscumque Prælatis, absque legitima caussa concessæ irritæ sunt, & reos coram Deo statuunt concedentes.

*bilia maneant Patrum Sanctorum Decreta. Leo quoque Papa, Ubi (inquit) necessitas non est, nullo modo SS. Patrum instituta violentur. Et infert: Ubi ergo necessitas fuerit, ad utilitatem Ecclesiæ, qui potestatem habet, ea dispenset. Ex necessitate enim fit mutatio legis.*

Et lib. 3. de Consideratione ad Eugenium, cap. 4. *Quid, inquis, prohibes dispensare? Non, sed dissipare. Non sum tam rudis, ut ignorem positos vos dispensatores: sed in ædificationem, non in destructionem. Deinde quæritur inter dispensatores ut fidelis quis inveniatur. Ubi necessitas urget, excusabilis dispensatio est. Ubi utilitas provocat, dispensatio laudabilis est: utilitas dico communis, non propria. Nam cum nihil horum est; non planè fidelis dispensatio, sed crudelis dissipatio est.* Nec solùm iis de statutis ac moribus qui ab Apostolis instituti creduntur, dispensare Pontifex non potest, nisi conditionibus mox expositis, sed nec de consuetudinibus antiquis, legitimis, & probatis Ecclesiarum & Monasteriorum. *Si quis enim aliter in Ecclesia dispensationes facit, rationi simul & veritati contradicit, nec solùm lucernam lucentem non habet; verùmetiam aliorum ardentes extinguit. Et ideo non rectè dicitur Christi Vicarius; sed dux est cæcorum ipse cæcus* (ut ait Goffridus Vindocinensis in Opusculo quod Calixto II. nuncupavit, cap. 5.)

Has regulas in mente habuerunt Tridentini Concilii Patres, Sess. 24. cap. 25. de Reformatione Matrimonii, ubi ita sanxerunt: *In contrahendis matrimoniis, vel nulla omnino detur dispensatio, vel rarò, idque ex caussa, & gratis concedatur. In secundo gradu nunquam dispensetur, nisi inter magnos Principes, & publicam ob caussam.* Eamdem de dispensationum conditionibus doctrinam confirmant S. Thomas Prima Secundæ, Quæst. 97. Art. 4. Venerabilis Parisiensis Ecclesiæ Cancellarius Joannes Gerson in Tractatu de Potestate Ecclesiastica, Considerat. 10. Regula 4. & Durandus Mimatensis in Opusculo quod jussu Clementis V. edidit, de Modo Generalis Concilii celebrandi, tit. 4. Eodem spectat Facundi Hermianensis testimonium lib. 2. pro defensione Concilii Chalcedonensis cap. 6. ubi de Romano Pontifice ita scribit: *Ille non in destructionem paterna sententia, sed potiùs in defensionem atque ultionem, primam accepit & maximam potestatem; nec aliquid contra veritatem, sed pro veritate plus cæteris Consacerdotibus potest. Paulus enim dicit Apostolus: Non enim aliquid possumus adversùs veritatem, sed pro veritate.*

## §. XIX.

### *Loci duo, unus S. Augustini, alter S. Thomæ, quos Dallæus, & Rivetus objectant, explicantur.*

Pugnant rursus auctoritate Sancti Augustini lib. 11. contra Faustum Manichæum, cap. 5. ubi disertè asserit. Doctores non scripsisse præcipiendi auctoritate: quæ vera sunt in Scriptis Patrum, non esse ejusdem cum Scriptura auctoritatis: liberum esse cuivis Scriptori, vel auditori, de Patrum scriptis judicare: non reprehendi, vel temeritatis argui, qui credere noluerit, quæ ab iis sine certa ratione, vel Scripturæ testimonio proferuntur. Hac libertate neminem uti posse in evolvendis Libris Canonicis, quibus omnis humanus servire debet intellectus: Scripturam solam Canonicam paginam esse, qua sola humanæ imperitiæ regitur infirmitas: ejus auctoritatem non posse aboleri, quin omnia susque deque habeantur. Ex quibus colligit Rivetus, Scripturam solam esse omnium controversiarum supremum & ultimum judicem; & aliarum omnium scriptionum normam & regulam.

Sed verba ipsa Sancti Augustini apponere operæ pretium est. *Id genus literarum*, inquit, *quæ non præcipiendi auctoritate, sed proficiendi exercitatione scribuntur à nobis, non cum credendi necessitate, sed cum judicandi libertate legendum est; cui tamen ne intercluderetur locus, & adimeretur posteris ad quæstiones difficiles tractandas, atque versandas, linguæ ac styli saluberrimus labor; distincta est à posterioribus libris excellentia Canonicæ Auctoritatis Veteris & Novi Testamenti, quæ Apostolorum confirmata temporibus, per successiones Episcoporum, & propagationes Ecclesiarum, tanquam in sede quadam sublimiter constituta est, cui serviat omnis fidelis & pius intellectus. Ibi si quid velut absurdum moverit, non licet dicere, Author hujus libri non tenuit veritatem: sed, Aut codex mendosus est, aut interpres erravit, aut tu non intelligis. In Opusculis autem posteriorum, quæ libris innumerabilibus continentur, sed nullo modo illi sacratissimæ Canonicarum Scripturarum excellentiæ coæquantur, etiam in quibuscumque eorum invenitur eadem veritas, longè tamen est impar auctoritas. Itaque in eis, si qua fortè propterea dissonare putantur à vero, quia non ut dicta sunt intelliguntur; tamen liberum ibi habet lector, auditorve judicium; quo vel approbet quod placuerit, vel improbet quod offenderit. Et ideo cuncta ejusmodi, nisi vel certa ratione, vel ex illa Canonica Auctoritate defendantur, ut demonstretur sive omnino ita esse, sive fieri potuisse quod ibi disputatum est, vel narratum: si cui displicuerit, aut credere noluerit, non reprehenditur. In illa verò Canonica Eminentia sacrarum Literarum, etiamsi unus Propheta, seu Apostolus, aut Evangelista, aliquid in suis literis posuisse, ipsa Canonis confirmatione declaratur, non licet dubitare quod verum sit; alioquin nulla erit pagina, quâ humanæ imperitiæ regatur infirmitas, si librorum saluberrima auctoritas aut contempta penitus aboletur, aut interminata confunditur.*

Hunc locum urget Rivetus, in Tractatu de Patrum auctoritate cap. 4. & Dallæus lib. 2. de vero usu Patrum, cap. 2.

Respondeo; Hæc omnia quæ ad deprimendam auctoritatem Patrum infra Canonicæ Auctoritatis arcem à Sancto Augustino ibi dicuntur, de scriptis Patrum intelligenda esse, per se & sigillatim spectatorum, utque proprio ex sensu loquuntur, suasque singulares opiniones in Scripturæ sacræ interpretatione, aut Christianorum quorumvis dogmatum expositione proferunt: Non verò prout summo consensu, apertè, frequenter, & perseveranter, Scripturam sacram exponunt, aut dogma aliquod proponunt, asseruntque ut ab Ecclesia Catholica creditum & prædicatum. Tunc enim Traditionis testes sunt, custodes, & vindices. Unde cùm Scriptura sacra tenendas Traditiones, iisque fidem testetur adhibendam; quæ sic à Patribus sunt asserta, non imparis sunt cum ipsa Scriptura Canonica auctoritatis, nec lectorum, auditorumve judicio permittuntur: nec integrum est & reprehensioni non obnoxium, nolle ipsis credere: quia Sacrorum Librorum saluberrima auctoritas contemnitur, si Traditiones explodantur; nec licet dubitare quòd verum sit Traditiones esse necessarias, earúmque tantam esse, quantam Scripturæ sacræ auctoritatem, quia Evangelistæ & Apostoli id in suis Literis posuisse, ipsa Canonis confirmatione declarantur. Perperàm itaque ex hoc Sancti Augustini testimonio colligit Rivetus, Scripturam solam esse omnium controversiarum supremum & ultimum judicem: cùm istud Ecclesiæ, quæ de Scripturis ipsis Canonicis judicat, disertè tribuat Sanctus Augustinus, præsertim lib. contra Epistolam Fundamenti, cap. 5. & lib. 2. contra Cresconium cap. 33. supra in solutione tertii argumenti laudatis.

Objicitur & auctoritas Sancti Thomæ 1. Parte Quæst. 1. Art. 8. ad 2. *Sacra doctrina*, inquit, *aritur auctoritate Canonicæ Scripturæ propriè ex necessitate argumentando: auctoritatibus verò aliorum Doctorum Ecclesiæ, quasi argumentando ex propriis, sed probabiliter. Innititur enim fides nostra revelationi Apostolis & Prophetis factæ, qui Canonicos Libros scripserunt; non autem revelationi, si qua fuit, aliis Doctoribus facta.* Ergo sola argumenta ex Scripturis sunt necessaria, è Patribus autem sunt probabilia: proindeque non est tanta Traditionum, quanta Scripturæ sacræ auctoritas,

Respondeo distinguo propositionem Sancti Thomæ: Argumenta dumtaxat probabilia ex auctoritate Patrum singulorum eruuntur; concedo; omnium, nego. Cùm enim omnes in eamdem sententiam conspirant, eamque propugnant ac proponunt ut Apostolicam Doctrinam, & Ecclesiæ dogma catholicâ fide credendum, tunc eorum auctoritas necessarium argumentum Sacræ Doctrinæ subministrat; quia revelationem sibi factam non proponunt, sed Apostolis, quamvis eorum Literis non mandatam.

§. XX.

*Rationes Riveti diffl[untur].*

Objicit Rivetus, Tractatu de Patrum auctoritate cap. 6. Nullum testimonium humanum ex se fidem in rebus divinis facere potest indubitatam: atqui consensus Patrum, quorum scripta extant, est testimonium humanum; ergo talis consensus fidem indubitatam ex se facere non potest. Humanum autem esse testimonium, nemo paulò humanior negabit, inquit Rivetus; nam uniuscujusque Patris testimonium humanum esse, etiam concedunt Romanæ Communionis Theologi. Et singulorum testimonia in unum collata, non possunt esse alterius generis, quàm cujus sunt singula per se considerata. Etsi enim fortassis crescant auctoritatis gradus propter multitudinem, non tamen mutatur auctoritatis species. Nam magis & minus (ut vulgò dicitur) eam non mutant. Testimonium autem humanum fidem indubitatam in rebus divinis facere non posse, ex eo constat, quòd omnis homo mendax est, labi & errare humanum sit; nec id tantùm hominibus singulis accidat, sed pluribus quoque etiam in unum congregatis; multòmagis pluribus, temporibus & locis disjunctis, qui vel in errando sæpe consentiunt; vel à se invicem, quod & Patribus accidit nonnumquam, dissentiunt.

Confirmatur. Quorum (quantalibet polleant doctrina & pietate) testimonium non ideo verum esse existimari oportet, quòd ipsi scripserunt, sed prout ratio ab iis adducta, vel Scriptura citata persuaserit; eorum testimonium non per se sufficit ad fidem divinam ingenerandam. At tale est omnium & quorumvis Patrum, sive solitarium, sive consentiens testimonium. Alioqui à divino testimonio non distaret, quod per se solum nullo indiget rationis præsidio, ut ex Augustino ostensum est. Ergo testimonium etiam ex consensu Patrum ad fidem divinam ingenerandam non valet.

Majorem verissimam esse nemo negaturus est, qui naturam fidei exploratam habebit. Cùm enim debeat esse veritatis & certitudinis immotæ, non potest ultimò terminari nisi in prima veritate, quæ est auctoritas divina, sola immota existens. Auctoritatem autem Doctorum Ecclesiæ divinam esse & immotam, nemo adhuc Theologorum decernere ausus est. Imò Sanctus Augustinus, ut inter Christum & Ecclesiam discrimen constitueret (contra Cresconium Grammaticum lib. 2. cap. 21.) agnoscebat, *Christum semper veraciter judicare; Ecclesiasticos autem Judices homines plerumque falli.*

Respondeo, distinguo minorem: Consensus Patrum est testimonium humanum; & doctrina in qua consentiunt, quamque proponunt universi, aut maxima pars, non est humana, concedo; & doctrina in qua ita consentiunt, quamque hoc modo proponunt, est humana, nego. Itaque quamvis testimonium Patrum etiam in aliquo dogmate fidei docendo aut exponendo consentientium, humanum sit, argumento est dogma quod docent *omnes, frequenter, apertè, perseveranter*, humanum non esse, sed Apostolicum & divinum: quia illud semper non docuisset Ecclesia, nisi ab Apostolis accepisset; nec tradidissent Apostoli, nisi à Christo, aut Spiritu Sancto edocti.

Secundò. Respondeo, distinguo minorem alio modo: Consensus Patrum est testimonium humanum, quatenus Patrum est concedo; quatenus Ecclesiæ Fides est, nego. Sicut enim Regia Diplomata Regiam auctoritatem non habent, ut ab ipsius Ministris conscripta sunt, sed ut Regio sigillo sunt obsignata, & Mandata Regia continent; ita Patrum sententiæ in ejusdem dogmatis assertionem diversis locis atque temporibus consentientium, illudque proponentium ut dogma fidei, testimonii humani limites & vires excedunt, non per se spectatæ, sed ut Ecclesiæ veluti sigillo obsignatæ, & auctoritate receptæ, ejusque doctrinam ab Apostolis traditam continentes & exprimentes.

Ad confirmationem, respondeo; distinguo minorem: Tale est Patrum omnium, sive solitarium, sive consentiens testimonium; & Scriptura sacra persuadet Traditioni quam hujusmodi consensus demonstrat, inesse divini testimonii pondus cui credendum sit, concedo; & Scriptura sacra id non persuadet, nego. Porro consensus ille Patrum Traditionis index est & argumentum certissimum. Scriptura verò sacra docet inesse Traditioni divini testimonii pondus, ipsam supremæ esse divinis in rebus auctoritatis, eamque non esse recipiendam ut verbum hominum, sed sicut est verè verbum Dei. Proinde etsi testimonia Patrum divisim & solitariè sumpta non sufficiant ad fidem divinam ingenerandam: ad id tamen sufficiunt collectivè sumpta, & consentientia, non quòd ex propriis meritis id habeant, sed quòd Traditionem repræsentent, sive doctrinam Ecclesiæ ab Apostolis concreditam; quæ doctrina divina sanè est, & immota.

Quod autem ait Sanctus Augustinus libro 2. contra Cresconium Grammaticum cap. 21. *Ecclesiasticos homines Judices plerumque falli*: Intelligendum est de quæstionibus facti: puta, cùm de aliquibus hominibus ob fidei violatam integritatem, vel morum sanctimoniam degeneri conversatione pollutam, fertur judicium. In his namque falli possunt Judices Ecclesiastici. At in Fidei rebus decernendis, quamvis privati Antistites falli possent, non tamen Oecumenicus Antistitum cœtus, sive Ecclesia ipsa universa. Hanc esse Sancti Augustini mentem integer loci contextus ostendit. *Si autem quæris*, inquit, *quomodo baptizant quos damnavit Deus, antequam de illis quidquam judicaret Ecclesia: Qui enim mente perversa videtur intus esse, cum foris sit, ab ipso Christo jam judicatus est. Paulus Apostolus dicit: Ecclesia subdita est Christo: Non igitur debet Ecclesia se Christo præponere, ut putet baptizare posse ab illo judicatos, à se autem judicatos baptizare non posse;*

*posse: cùm ille semper veraciter judicet, Ecclesiastici autem Judices, sicut homines plerumque fallantur.*

## §. XXI.

*Solvitur argumentum, quod ex pugnantibus Patrum, & recentiorum Theologorum de Sanctissimæ Virginis Deiparæ Conceptione sententiis, Erasmus, & Rivetus informant.*

Rivetus aliique Heterodoxi; post Erasmum objiciunt: Universi Patres uno ore asseverarunt Beatam Virginem in peccato originali esse conceptam, scilicet Sanctus Irenæus Lugdunensis Episcopus, à Sancto Augustino laudatus, lib. 1. contra Julianum; Sanctus Cyprianus in Epistola de baptizandis parvulis, Sanctus Olympius Hispanus Episcopus, Sanctus Gregorius Nyssenus in libro contra Novatianos, Sanctus Basilius Cæsareensis in libro contra Manichæos, Sanctus Joannes Chrysostomus in Homilia ad Olympiam & variis in locis Commentarii in Matthæum & in Joannem; Sanctus Hilarius in libris de Trinitate, Sanctus Ambrosius super Isaiam, libro de Noë & Arca, in Psalmum *Beati immaculati in via*, & in Sermone de Purificatione Beatæ Virginis: Quorum testimoniorum maximam partem profert Sanctus Augustinus libro 1. & 2. contra Julianum Pelagianum. Idem sensit Sanctus Hieronymus libro 2. contra Pelagium hæreticum, & in Epistolis ad Laurentium Episcopum, & ad Dulcidium. Sanctus Augustinus libro 1. de Nuptiis & Concupiscentia, cap. 12. & Epistola 57. & lib. 2. contra Julianum, cap. 9. & libro 10. de Genesi ad literam cap. 8. & libro 6. adversùs Julianum cap. 4. & libro de Natura & Gratia, cap. 36. & libro 4. Operis perfecti contra Julianum, cap. 122. qui locus insignis est, ubi respondet objectioni Juliani, qua Augustinum ipsum accusabat velut pejus de Beata Virgine sentientem, quàm Jovinianus sensisset. Scripserat scilicet Julianus Augustinum cum Joviniano componens: *Ille virginitatem Mariæ partûs conditione dissolvit: Tu ipsam Mariam transcribis conditione nascendi.* Sanctus Augustinus respondit: *Mariam non transcribimus conditione nascendi: sed ideò quia ipsa conditio solvitur gratiâ renascendi.* Certè si Sanctus Augustinus sensisset Beatam Virginem immunem fuisse à peccato originali, postulabat Juliani argumentum ut de illa immunitate hîc loqueretur. Sic S. Fulgentius libro de Incarnatione, cap. 6. Joannes Cassianus in Collatione penultima Abbatis Theonæ; Sanctus Remigius, in Psalmum *Deus Deus meus, respice in me*; Sanctus Maximus Episcopus in Sermone de Assumptione Beatæ Virginis, Sanctus Isidorus Hispalensis in 1. lib. Sententiarum capp. 12. & 14. Venerabilis Beda in cap. 1. Lucæ, & Homilia super *Missus est*. Sanctus Hildephonsus libro de perpetua Virginitate Beatæ Mariæ. Sanctus Anselmus Cantuariensis Archiepiscopus libro 2. *Cur Deus Homo*, capp. 15. & 16. Et libro de Conceptu Virginali, capp. 2. 13. 17. & 19. Sic Sanctus Bernardus in Epistola ad Canonicos Lugdunenses, quæ est inter ejus Epistolas 174. Idem confirmant Pontificum testimonia, qui Pelagianos damnarunt, Innocentii 1. Zosimi, Bonifacii, Conciliorumque Africanorum contra illos Hæreticos celebratorum. Et Sancti Leonis Magni Sermonibus 2. 4. & 5. de Nativitate Christi. Hisce Patribus Scholastici & Canonistæ peritissimi concinunt. At qui sententia tamen illa tanto consensu tot sæculorum comprobata, non solùm in dubium revocatur, sed contraria jam obtinet. Et sanè Concilium Tridentinum Sessione 5. in appendice Decreti de originali peccato hæc habet: *Declarat sancta Synodus non esse suæ intentionis comprehendere in hoc Decreto, ubi de peccato originali agitur, beatam & immaculatam Virginem Mariam Dei genitricem.* Igitur Traditio ex unanimi Patrum consensu collecta non est suprema fidei regula, & æqualis cum Scriptura sacra auctoritatis.

Respondeo distinguo majorem: Et certum non est, atque evidens sanctos Patres suprà laudatos in ea fuisse sententia, concedo. Et id certum est atque evidens, nego. Nam antiqui illi Patres quos Sanctus Augustinus adversùs Pelagianos educit in aciem, & Augustinus ipse, de peccati originalis debito facilè exponi possunt: cùm enim ex Adamo, non secus ac homines cæteri, Maria propagata fuerit, communi lege peccati originalis contrahendi tenebatur, illudque reipsa contraxisset, nisi singulari Christi Redemptoris servata fuisset beneficio. Eximium istud beatæ Virginis privilegium agnovisse volunt Sanctum Augustinum, quicumque piam de immaculato ipsius Conceptu sententiam propugnant. Proferunt nempe hæc ejus verba libro de Natura & Gratia, cap. 36. *Excepta itaque Sancta Virgine Maria, de qua, propter honorem Domini, nullam prorsus cùm de peccatis agitur, habere volo quæstionem: unde enim scimus quid ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quæ concipere ac parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum.*

> Maria Virgo Christi Redemptoris beneficio à peccato originali servata est.

Proferunt & illud ejusdem Sancti Doctoris, libro 5. contra Julianum Pelagianum, cap. 15. ubi Christum nullum fecisse peccatum sic probat: *Profectò enim peccatum etiam major fecisset, si parvulus habuisset. Nam propterea nullus est hominum præter ipsum, qui peccatum non fecerit grandioris ætatis accessu, quia nullus est hominum præter ipsum, qui peccatum non habuerit infantilis ætatis exortu.* Unde colligunt, Beatam Virginem, quæ peccatum non fecit grandioris ætatis accessu, id est, quæ nullum prorsus actuale peccatum admisit, peccatum non habuisse infantilis ætatis exortu, id est, peccatum originale reipsa non contraxisse.

Sanctos Anselmum & Bernardum, disertè asseruisse fateor Beatam Virginem originalis peccati labe aliquandiu fuisse infuscatam: sed Traditionem illi nec efficiunt, nec proferunt; aut suam sententiam velut fidei dogma proponunt. Quod verò Scholasticos spectat, cùm varias in partes abierint ex quo majori paulò fervore hæc in Scholis agitari cœpit controversia, non est magni momenti ad seriem Traditionis ostendendam eorum auctoritas. Unde sicut in Concilio Florentino, Authorum qui post Schisma Photii & Nicolai I. Pontificatum scripsissent, nullam in dogmatum Græcos inter & Latinos controversorum examine ac judicio habendam esse rationem utraque pars communi consensu decrevit, quòd Scriptores illi, seu Græci, seu Latini, alterutri partium suspecti esse possent: ita si discutiatur quænam è Traditione sit opinio, an illa quæ immunem ab originali peccato Beatam Virginem facit; an quæ eam communi sorti filiorum Adami propugnat obnoxiam, non est magni momenti Scholasticorum Theologorum auctoritas, qui ab anno tercentesimo supra millesimum scripserunt, ex quo Scotus hanc movit acriùs controversiam; quia alii aliis suspecti evasere, proindéque ad ferendum hoc de argumento suffragium sunt minùs idonei.

Distinguo etiam minorem quoad primam partem;

tem : Hæc sententia in dubium revocatur ab eis qui censent ipsam non esse Veterum consensu comprobatam, concedo ; ab eis qui id censent, nego.

Sententia de Conceptione immaculata Virginis Deiparæ non est dogma fidei, pia tamen est, probabilis, & Ecclesiastica.

Distinguo etiam secundam partem minoris: Contraria sententia jam obtinet, ut probabilis & pia, concedo ; obtinet ut dogma fidei, nego. Pia sanè est. & Ecclesiastica opinio, sed opinionis tamen limites non prætergreditur. Unde Sixtus IV. Pontifex Maximus in Constitutione, quæ incipit : *Grave nimis*, data Romæ pridie Calendas Septembris anno Domini 1483. eos anathemate ferit, qui vel hanc opinionem, vel oppositam propugnantes, *Hæreseos, aut mortalis peccati labe pollutos dixerint ; cum nondum sit à Romana Ecclesia, & Apostolica Sede decretum.* Hujus vestigia Pontificis premunt Tridentini Patres loco suprà laudato, Sixti IV. Constitutiones, quas innovant, sub pœnis in iis contentis observandas esse decernentes. Quo Decreto sententiam de Immaculata Beatæ Virginis Conceptione dogma Fidei non esse confirmarunt, licet ipsam probabilem, piam, & Ecclesiasticam opinionem esse satis superque declaraverint, additâ post Decretum de peccato originali hac exceptione, *Sua intentionis non esse beatam & immaculatam Virginem Mariam Dei genitricem, hoc Decreto comprehendere.* Quæ exceptio licet in sex prioribus Tridentini Concilii Sessionibus, quæ Parisiis apud Reginaldum *Chaudiere* anno 1546. excusæ sunt, non inveniatur (quo fato, nescio) nec in excusis ibidem, annis 1551. & 1555. nec in Summa Conciliorum à Carranza conscripta, nec in editione Conciliorum adornatâ à Petro *Crabbe* : legitur tamen in Editione Romana anni 1564. A Paulo Suave, & Palavicino Cardinali in Historia Tridentini Concilii agnoscitur & refertur : imò à Calvino ipso vellicatur in Antidoto, quod anno 1547. excusum est : quò fit ut supposita, & Concilio Tridentino assuta censeri non debeat. Eodem loco & numero probabilium opinionum hanc sententiam habuit venerabilis Universitatis Ecclesiæ Parisiensis Cancellarius Joannes Gerson in Tractatu *De propositionibus ab Episcopo hæreticandis*, Conclusione 3. *Ad Episcopos*, inquit, *non spectat propositionem aliquam hæreticare, quæ ex se, & de jure penitus dubia est, an ad fidem pertineat ; neque est scandalosa, & potest sine periculo ejus veritas vel falsitas ignorari. Exemplum : Potest Deus creare supremam speciem, Deus non potest novam speciem creare : Virgo Maria fuit concepta in peccato originali &c. Quia apud maximos Doctores in Theologia, non corruptos affectu, vel intellectu, judicantur probabiles, neque scandalizant, nec oportet eas scire ad bene vivendum, vel credendum.* Cùm itaque hanc propositionem ; *Virgo Maria fuit concepta in peccato originali*, doctissimus Cancellarius probabilem asserat, nec ab Episcopo aliquâ notâ suo tempore inuri posse propugnet ; sequitur propositionem contrariam, *Virgo Maria non fuit concepta in peccato originali*, Dogma fidei non esse, sed probabilium opinionum finibus circumscribi : In quas tamen Ecclesiæ pietas magis propendet, quæ Deiparæ Virgini verba illa Sponsi cœlestis accomodat Canticorum iv. 7. *Tota pulcra es amica mea, & macula non est in te.*

Dices. Ecclesia sententiam de Immaculata beatissimæ Virginis Conceptione ut dogma fidei propugnat, cui tamen Partum omnium consensus adversatur. Itaque Patrum consensus aliquid fide divina credendum esse non probat.

Probatur antecedens ex Concilio Basileensi Sessione 36. ubi decrevit hanc opinionem quæ asserit *Beatam Virginem Mariam nunquam actualiter subjacuisse originali peccato, & immunem semper fuisse ab originali & actuali culpa, tanquam piam & consonam cultui Ecclesiæ, Fidei Catholicæ, rectæ rationi, & sacræ Scripturæ, approbandam fore, tenendam, & amplectendam.*

Secundò id probat Festum Conceptionis Immaculatæ Beatæ Virginis, quod ab Ecclesia 8. Decembris sulenni ritu celebratur.

Tertiò idem probat Officium Immaculatæ Conceptionis editum à Leonardo Nogarello, à Sixto IV. approbatum, & insertum Romano Breviario, quod anno 1521. excusum est : Quod qui recitaverint, magnis Indulgentiis ab eodem Pontifice donati sunt.

Quartò id probat Religiosus Ordo in honorem Immaculatæ Conceptionis Deiparæ Virginis à Summis Pontificibus Julio II. & Leone X. confirmatus.

Quintò id probat Pontificium Diploma Pii V. datum anno 1567. quod Gregorius XIII. anno 1579. promulgavit 4. Calendas Februarii, proprio Diplomati insertum, quod incipit ; *Provisionis nostræ*, quô quidem LXXIX. propositiones *ut hæreticas, erroneas, scandalosas, & in pias aures offensionem immittentes, damnat, circumscribit, & abolet.* Quas inter propositiones LXXIII. conscribitur : *Nemo præter Christum est absque peccato originali : hinc Beata Virgo mortua propter peccatum ex Adam contractum ; omnesque ejus afflictiones in hac vita, sicut & aliorum justorum, fuerunt ultiones peccati actualis vel originalis.*

Sextò. Sacra Facultas Theologica Parisiensis in Statuto quod edidit anno 1497. quo alumnos suos ad propugnandum Concilii Basileensis de Immaculata Deiparæ Conceptione Decretum solenni adstrinxit sacramento, contrariam opinionem *falsam, impiam, & erroneam* declaravit. Itaque Ecclesia sententiam de immaculata Beatissimæ Virginis Conceptione ut dogma fidei propugnat, Patribus licet universis reclamantibus.

Respondeo, nego antecedens. Ad primam probationem respondeo, Concilium Basileense, cùm Decretum istud edidit, legitimum non fuisse, & Oecumenicum ; neque ab Ecclesia etiam Gallicana hoc nomine receptum. Nam Sessione 27. anno 1437. Eugenius IV. Concilium Oecumenicum Basileâ Ferrariam transtulit. Diploma irritum & inane declaravit Synodus Basileensis ; rationes translationis ab Eugenio prolatas confutavit ; eos qui Pontifici parerent, Ferrariamque proficiscerentur, confixit anathemate ; diem dixit Eugenio ut intra quatuor menses Basileæ adesset, sub pœnis suspensionis & depositionis. Ipsum suspendit Sessione 31. deposuit Sessione 34. quæ anno 1439. die 1. Junii celebrata est, jam congregato Ferrariæ Concilio, in quo Ecclesia Græca, & Latinæ potissima pars Eugenio ceu Capiti & Præsidi adhærebat. Eodem anno 21. Septembris, quatuor penè mensibus post Eugenii depositionem, Decretum de Immaculata Beatæ Virginis Conceptione editum est, cujus nullâ habitâ ratione, Sixtus IV. & Tridentini Patres opinionem illam non esse dogma fidei existimarunt.

Ad secundam probationem respondeo, Festum Conceptionis non probare immunitatem Beatæ Virginis à peccato originali in ipsius Conceptionis exordio. Nam & Festum Conceptionis Sancti Joannis Baptistæ veteribus Martyrologiis, Romano, Usuardi, & Adonis adscriptum est ; qui tamen absque peccati originalis labe non est conceptus : & Conceptio Beatæ Virginis celebratur, non propter propriam sanctitatem, sed propter sanctitatem & dignitatem personæ conceptæ, quæ prædestinata est ab æterno, & in tempore concepta

cepta, ut Dei Mater esset. Io qua dignitate omnia ejus privilegia fundantur, & ad quam omnes illius gratiæ ac prærogativæ ordinantur, eaque inprimis puritas, quâ major sub Deo intelligi non potest.

Ad tertiam probationem respondeo, Officium illud, quod non in argumentum fidei, sed in testimonium & professionem pietatis, à Sixto IV. approbatum est, indignum à Pio V. judicatum esse, quod in Ecclesia legeretur, utpotè quod ex confictis Patrum Authorumque Ecclesiasticorum testimoniis, & quæ nullibi in eorum Operibus reperiuntur, totum compactum esset; nec Ecclesiæ menti conveniret: quamobrem Sanctus ille Pontifex ipsum suppressit. Nunc vero in Romanæ Ecclesiæ Officio nec verbulum est quo Immaculata Beatæ Virginis Conceptio indicetur. Ecclesia tamen decernendo ut non ampliùs sub Sanctificationis, sed sub Conceptionis nomine illa Deiparæ Solemnitas celebraretur, & singulare quoddam Officium probando, quo Immaculata recolitur Conceptio, in eam se magis propendere partem ostendit, quæ immaculatam opinatur. Pietatis ergo sit Ecclesiæ sequi propensionem, & Deiparæ Virginis Conceptionem immaculatam prædicare, Virginem sine peccati originalis labe conceptam invocare, in qua Deus erat condens naturam & largiens gratiam, ut de Angelis ait Sanctus Augustinus; quam *adjuvit manè diluculo*, *fluminis* gratiarum *impetu* ac plenitudine *lætificans* electam illam *civitatem*, ut *in medio ejus Deus non commoveretur*. Pietatis fuerit hæc ipsi ex Ecclesiæ sensu adaptare; *Pulcra ut luna, electa ut sol*, in Conceptione etiam sua diabolo *terribilis ut castrorum acies ordinata*. *Hortus conclusus*, *fons signatus*, ad quem dæmoni & peccato aditus non patuit, Christo Salvatore probibente: sed officii est ultra non progredi, cùm Ecclesia Quæstionem illam nondum finierit, nec immaculatam Deiparæ Virginis Conceptionem ut dogma fidei credendam proponat.

Ecclesia in eam propendet sententiam, quæ Beatam Virginem sine peccato originali macula conceptam propugnat.

Ad quartam probationem respondeo, Pontifices Ordinem religiosum in honorem Conceptionis Immaculatæ instituisse, ut illorum pietati faverent, qui Beatam Virginem absque peccati originalis macula conceptam existimabant, ejusque propterea Conceptionem singulari devotionis affectu prosequebantur: non autem quod ad fidem spectare putarent, asserere Deiparam Virginem sine peccato originali conceptam. Idem de indulgentiis, miraculis, & revelationibus, piis quibusdam viris, aut mulieribus factis dicendum est, quæ pietatem promovent, aut confirmant; fidem verò divinam ejus rei ob quam dantur, aut fiunt, non supponunt semper, aut obsignant.

Ad quintam probationem respondeo, Pium V. & Gregorium XIII. singulas illas propositiones 79. non damnasse ut hæreticas, erroneas, scandalosas, & piarum aurium offensivas, sed *Respectivè*, (ut loquuntur) ita ut aliquæ maximâ, aliæ minori, aliæ minimâ harum censurarum configantur, aliæ his omnibus notis inurantur. Quædam rursus damnentur secundùm pravum sensum cui sunt obnoxiæ, non secundùm mentem Authorum, vel Assertorum; *Quia sustineri possent in rigore, & proprio verborum sensu ab Assertoribus intento*, ut laudati modò Pontifices loquuntur. Quæ autem ordine LXXIII. in Diplomate Pii V. propositio conscripta est, scandalum potest movere, si palam propugnetur, post Constitutionem Sixti IV. & Tridentinæ Synodi exceptionem: unde inter alias propositiones damnandas involvitur. Sed quod eam *In rigore, & proprio verborum sensu ab Assertoribus intento*, propugnari posse, adeóque propositionem oppositam non esse dogma fidei existimaverit Pius V. evidenter ostenditur ex ipsius Constitutione, quæ incipit, *Super speculam*, edita anno Christi 1570. pridie Calendas Decembris: qua Sixti IV. Constitutionem, & Tridentinæ Synodi Decretum innovat & confirmat, prohibetque disputationes de Conceptione Beatæ Virginis in alterutram partem in concionibus, & popularibus congressibus: & scribere vel dictare vetat hac de quæstione sermone vulgari, sub pœna suspensionis à divinis, & cujuscunque gradus &c. Cæterùm, permittit viris doctis, *Quamdiu per Apostolicam Sedem altera pars definita non fuerit, oppositaque sententia condemnata, in publicis Academiæ disputationibus, sive Generalium, aut Provincialium Capitulorum, vel ubi aliàs intersunt, qui rem capere possunt, nec scandali ulla subest occasio, de illa quæstione disserere, & argumentis utramlibet partem, vel asserere, vel impugnare, dum tamen neutra veluti erronea prædicetur*, &c. Et initio Diplomatis invehitur in eos, *Qui, cùm de gloriosa Virginis Mariæ Conceptione sermo inciderit, tam pertinaciter pro alterutra parte contendunt, ac si de illis dogmatibus esset, quæ corde credere ad justitiam, ore confiteri ad salutem necessarium est. Quibus illud Prophetæ convenire videtur: Dicunt, Ait Dominus, cùm ego non sim locutus; cùm sancta Romana Ecclesia omnium Ecclesiarum Magistra & doctrix Disciplinæ, de ea re hucusque non definierit, nemo absque temeritate præjudicare, vel alterius partis sententiam damnare potest.*

Sanctorum ... institutionibus hæc in controversia, religiosè pa... tendum est.

Ad sextam probationem, respondeo; Sacræ Facultatis Parisiensis Decretum ab ejus alumnis servandum, sed nolle Matrem nostram ut Pontificia Sixti IV. & Pii V. Pauli V. & Gregorii XV. Decreta, necnon sacri Concilii Tridentini judicium, ipsius Censuræ posthabeamus. Quamobrem sententiam de immaculata Deiparæ Virginis Conceptione, non solùm ut probabilem & piam, sed ut propriam Facultatis nostræ doctrinam propugnabimus, si de ea dicendi, scribendive detur occasio: at contrariam opinionem *falsam*, *impiam*, *& erroneam*, Ecclesia prohibente, & Sacra Facultate quæ suum Ecclesiæ judicium subjicit, & accommodat, probante, non dicemus.

Sententiam de immaculata Deiparæ Virginis Conceptione propugnat sacra Facultas Parisiensis.

## §. XXII.

### DALLÆI *respondetur argumentis, quibus constat ipsius Liber I.* DE VERO PATRUM USU.

Objicit Dallæus libro 1. de vero Usu Patrum: Cùm de superstruendis testimonio aut dictis Patrum quibusdam fidei capitibus agitur, necessarium est ut loci qui ex iis petuntur, certi sint & perspicui, id est, hujusmodi, ut nemo ambigere possit, vel de ipsorum Authore; an ejus verè sint, cujus esse feruntur; vel de eorum sensu, an is sit scilicet, qui esse dicitur. Nam cùm testimonium vel sententia nullam habeat vim aliam, nisi eam quam petit ab auctoritate testis vel Judicis, patet, quamdiu de ea non constat, ad fidem faciendam non esse ista idonea. Eadem ratione, si Scriptoris testimonium, aut Judicis sententia, obscura sunt, aut ambigua; quis non videt neque his posse controversiam dirimi? Cùm alia supersit antè explicanda quæstio, quis scilicet hujus vel illius sensus sit. Ar-

qui nec certi sunt nec perspicui Patrum loci, & vel de eorum Authore, vel de eorum sensu, plerumque ambigi meritò potest: ergo controversa religionis capita Patrum auctoritate decidi non possunt.

Minorem probare nititur Dallæus libro 1. *de vero Usu Patrum*, totis capitibus undecim. Cap. 1. statuit ægrè constare posse quid circa nostras de religione controversias senserint Patres, cùm pauca extent ab iis scripta, tribus præsertim antiquissimis sæculis, quorum potissima ratio esse debet. Longè enim probabilius est Religionem Christianam in suis primordiis puram & sinceram fuisse, quam iis temporibus quæ postea consecuta sunt: cùm utplurimùm res, prout à sua origine recedunt, sic etiam in pejus ruant, ut videre est in rebuspublicis, legibus, disciplinis, & linguis. Porro tribus primis Ecclesiæ sæculis pauci Doctores libris conscribendis operam dederunt. Sed neque ea ipsa, quæ tum ediderе Christiani, tametsi pauca, ad nos omnia pervenere. Pars major intercidit, vel temporis injuriâ, vel hominum in abolendis quæ ad palatum non sapiebant, audacium fraude, ut Papiæ Hierapolitani quinque libri, Quadrati Atheniensis, & Aristidis Apologiæ, Castoris Agrippæ Opus contra Basilidis hæretici libros 24. Hegesippi quinque libri: Melitonis, Dionysii Corinthii, Apollinaris Hierapolitani Opera, Pinyti Cretensis Epistola, Philippi, Musani, Modesti, Pantæni, Rodonis, Miltiadis, Apollonii, Serapionis, Bacchyli, Polycratis, Hippolyti, Julii Africani, Dionysii Alexandrini & aliorum monimenta, quorum nobis nuda nomina & tituli apud Eusebium & Hieronymum supersunt. Conjicit autem Dallæus, quædam ab eis abolita esse, qui extare nolebant suæ à primo Christianismo diversitatis argumenta. Ideòque Tertulliani, gravi ob Montanismum invidia laborantis Opera perennasse, Apollonii viri inter Catholicos laudatissimi nihil ad nos pervenisse, quia receptis postmodum apud Christianos jejuniorum legibus, quas Veteres in Montani partibus damnaverant, posteri Apollonium Veterum defensorem perire non inviti passi sunt, Tertullianum, ob ejus cum suis conformitatem, suum fuisse putantes, foverunt.

Cap. 2. Probat Dallæus, difficile esse certò scire, quæ fuerit veterum Patrum hodiernis de controversiis fides: quia quæ supersunt è tribus prioribus sæculis scripta, maximam partem agunt de rebus alienissimis ab iis quæ hodie circa religionem in controversiam vocantur. Hi enim pro suorum temporum ratione, vel Christianismum criminationibus, quibus per calumniam gravabatur, purgant; vel insulsa & impia Ethnicorum sacra exagitant; vel obduratam Judæorum pervicaciam coarguunt; vel portentosa Hæreticorum sui temporis deliria confutant, vel Fideles ad patientiam, & fidem Christi fortiter profitendam hortantur; vel quosdam denique Scripturæ locos interpretantur. Quæ omnia perparum ad controversias nostras faciunt, quas isti nunquam ferè, nisi casu atque obiter & aliud agentes attingunt; cùm nihil minùs quàm nos, nostraque in animo haberent. De Transsubstantiatione verò, de Confessione auriculari, de Purgatorio, de Cultu Imaginum, de Romani Pontificis Primatu, nulli occurrunt apud antiquos Tractatus.

Cap. 3. aliam, quæ majoris ipsi momenti videtur, rationem profert Dallæus, cur difficile sit veterum librorum Authores, vel sensum certò cognoscere, scilicet, quòd Patrum verè certóque non sint, quæcumque nunc eorum nomine circumferuntur; sed pleraque iis vel olim, vel his demum postremis sæculis affícta & supposita; partim Hæreticorum fraude, partim Librariorum audaciâ,
A partim ingeniorum stultè ambitiosorum malis artibus, qui cùm sensa sua in lucem edere gestirent, nec sibi satis doctrinæ esse aut gratiæ experirentur, ut per se populo placerent, Veterum nomina sunt ementiti, cùm mallent sibi sub alieno nomine plaudi, quam se sub vero & proprio exsibilari. Id multis exemplis probat Dallæus, additque ipsos etiam Patres, seu propriæ sententiæ studio tenerentur, seu affectibus nimis indulgerent suis, has artes interdum adhibuisse. Id probat ex contentione quæ Africanos Episcopos cum Romanis Pontificibus Zosimo & Bonifacio commisit, in negotio appellationum, quinto ineunte sæculo. Qua in controversia Romani Pontifices Canones quosdam A-
B fricanis obtruserunt, quasi Concilii Nicæni, quibus eas ad se pertinere confirmarent. Non absimilem postea fuisse ait Hadriani Primi versutiam, qui ut suam de Sabbati jejunio Traditionem Egilæ Episcopo, & cæteris Hispanis commendaret, non dubitavit Ambrosii auctoritate abuti. Jubet enim Egilam Beati Augustini Opuscula legere, *Ubi*, inquit, *egregium Prædicatorem atque Doctorem suum Sanctum Ambrosium, meminit pro jejunio Sabbati sanctam Catholicam, Apostolicam nostram Romanam nimis laudasse Ecclesiam.* Hoc verò longè falsissimum est. Extat enim Augustini ad Casulanum E-
C pistola, ad quam respicit hoc loco Hadrianus; unde discere licet Ambrosium, neque Romanam, quòd Sabbato jejunaret, neque suam Mediolanensem, quòd Sabbato non jejunaret, laudasse Ecclesiam, sed utrumque ritum nullo planè discrimine habuisse. Ut autem non iniquam esse ostendat Dallæus suam de superiorum sæculorum hominibus in fingendis, adulterandisque libris suspicionem, observat per septem illa sæcula, quæ ab anno 800. ad 1500. decurrerunt, rem literariam & sacram, & profanam, vix alios in Occidente tractasse, quàm Monachos & Clericos. Istius verò
D ordinis hominibus plerisque vulgò persuasum fuisse, si quid ad religionis commodum conferre videretur, id impunè fingere ac spargere licere. Id probari ait ex innumeris fabulis, quæ istis temporibus exortæ ac disseminatæ sunt, de Ecclesiarum originibus, de Sanctorum Miraculis, de Angelorum, vel mortuorum hominum visionibus, deque aliis id genus ad religionem utilibus rebus. Profert in exemplum fictitiam Eucherii Aurelianensium Episcopi visionem, qua Carolum Martellum Pippini Regis patrem, in inferis damnatum conspexisse
E memoratur, quam Provinciarum Remensis & Rotomagensis Episcopi, Carisiaci anno 858. congregati in Epistola ad Ludovicum Germaniæ Regem data, ceu verissimam historiam scribunt. Id verò Dallæo non videtur omittendum, Monachorum Benedictini instituti (qui diu in Occidentali Ecclesia viguerunt, ac penè regnarunt) jam pridem in hoc rerum genere sublestam esse fidem. Ex eorum quippe officina multa supposititia jam olim prodiisse, è quorum numero est Privilegium Sancti Medardi. Inter Benedictinos jam ante multa sæcula exarsisse de sui Auctoris corpore controver-
F siam, quæ quo ipsi sint ingenio, abundè patefacit. Benedicti enim corpus ex Casinensi Monasterio in Floriacense ad Ligerim translatum Galli contendunt, & ibidem quiescere. Itali contra pugnant illud in Casinensi Monasterio & fuisse semper, & etiamnum servari. Addit, Benedictinos confinxisse Codices MSS. quibus libellum insignem *de Imitatione Christi*, Thomæ à Kempis inscriptum, Joanni Gersen Vercellensi sui Ordinis Abbati asserrent: cujus sceleris à Gabriele Naudæo convicti sunt. Alia congerit in Patres Societatis. Denique Instrumenta quædam in reconciliatione Serenissimæ Reipublicæ Venetæ cum Paulo V. conficta à

Paulo

Paulo Catello Protonotario Apostolico; quorum in uno præter verum, & contra omnem hominum præsentium fidem, narrat Venetos à Cardinali Joiusa Pontificis Legato, à Censuris absolutos, addita lege, ut pœnitentiam pro Confessarii arbitrio imponendam lucrent; eamque Ducem, & Senatum humiliter accepisse. Atque ex his velut ex quodam specimine satis constare ait, Clericus & Monachos Latinos, ab octavo ad nos usque sæculo censisse, fas esse quædam confingere, mutare & interpolare, si quando id ad suæ religionis emolumentum conferre videretur.

Cap. 4. Difficillimum esse probat Dallæus certò assequi quæ vera & genuina fuerit Patrum sententia, quia prioribus, & posterioribus sæculis, tempore, imperitia, fraudibus, cùm piis, tum malignis, genuina Sanctorum Patrum Scripta variis in locis immutata & adulterata fuerunt. Romanos Conciliorum Generalium Editores conqueri notat in Præfatione, temporis injuria & Hæreticorum fraudibus factum esse, ne Conciliorum illorum Acta integra habeamus, neve quæ ex iis supersunt, pura atque sincera sint. Quod in Conciliis, id in aliis Veterum monumentis Hæreticos & Schismaticos ausos esse colligit. Id præterea probat Dallæus exemplo Ruffini, qui tanta licentia in Scriptis Origenis, Eusebii, & aliorum, quæ de Græcis Latina fecit, versatus est, ut nulla in ejus interpretationibus pagina occurat, in qua non aliquid interpolaverit. Addit Dallæus, Has depravationes in monumentis sacratissimis, & maximè publicis, cujusmodi fuere Ecclesiæ Liturgiæ, locum habuisse: idque ex verbis Andreæ Masii, Præfatione in Liturgiam Syriacam, probat. Profert deinde Canones, & testimonia Patrum, quæ à Gratiano fœdè interpolata esse ait. Idquoque probat ex facto Legatorum Sancti Leonis, qui jam anno 451. coram toto Concilio Calchedonensi, sextum Canonem Concilii Nicæni recitarunt cum hisce verbis, quæ in nullo Græcorum Codicum, Latinorumve inventa sunt, *Ecclesiam Romanam semper Primatum habuisse.* Ex quibus colligit Dallæus, in antiquitate nihil sani, nihil incorrupti superesse, præter ea quæ nullius fuere momenti, vel quæ sine infamia, & omnibus reclamantibus, alterari non potuerint, siquidem tam Sancti Pontificis Legati ejusmodi lacinia tam venerabilem Canonem fœdare non dubitarunt. Persequitur Dallæus alia interpolationum exempla, quarum nonnullas tribuit Dionysio Exiguo: Quòd nempe postremi Canonis Concilii Laodiceni partem suppresserit, quæ librorum Canonicorum Veteris & Novi Testamenti Catalogum continet; quòd Ephesinos Canones omiserit; necnon vigesimumoctavum Canonem Concilii Calchedonensis. In Synodo subinde Septima; multa interpolata fuisse ait Dallæus; & Hadriani Papæ imprimis Epistolas. Notat & alia, quæ ex caussæ Romanæ studio, Patribus, communionis nostræ Theologi affinxerunt & commodarunt, quæ nullibi in eorum Operibus reperiuntur. Sic illius Latinorum de Papæ Primatu dogmatis studium Sanctum Thomam Aquinatem subegisse ait, falsa quædam testimonia & Calchedonensibus Patribus & Cyrillo Alexandrino affingere. Nam in Opusculo contra Græcorum errores, hæc velut Calchedonensis Concilii Decreta affert; *Si quis Episcopus prædicatur infamis, liberam habeat sententiam appellandi ad beatissimum Episcopum antiquæ Romæ; quia habemus Petrum petram refugii; & ipsi soli libera potestate, loco Dei, sit jus discernendi, secundùm claves à Domino sibi datas. Item, omnia ab eo definita teneantur, tanquam à Vicario Apostolici Throni.* Denique, *Legitur*, inquit, *in Calchedonensi Concilio, quòd tota Synodus clamavit Leoni Papæ,* A *Leo sanctissimus Apostolicus & Icumenicos Patriarcha multos vivat annos.* Cyrillum verò idem Thomas hæc, quæ ipse refert, in Thesauro scripsisse ait; *Sicut Christus accepit à Patre super omnem Principatum & Potestatem, ut ei cuncta curventur, plenissimam potestatem; sic & Petro & ejus Successoribus plenissimè commisit.* Et, *Illi omnes jure divino caput inclinant, & Primates mundi tanquam Domino Jesu obediunt.* Denique, *Nos ut membra*, inquit, *manere debemus in capite nostro Pontifice Romano, & Apostolico Throno, à quo nostrum est quærere quid credere, & quid tenere debemus, quoniam solius est* B *Pontificis arguere, corrigere, increpare, ratum facere, disponere, solvere & ligare.* Hæc Thomas, (inquit Dallæus) quorum nihil in veris vel Calchedonensis Synodi Actis, vel Cyrilli Operibus hodie uspiam legitur, vel apud Græcos, vel etiam apud Latinos.

Oecumenicum dixit, vel dicere voluit S. Thomas.

Pergit Dallæus, & ne Breviaria quidem & Missalia ab ista Corruptorum audacia intacta fuisse probat. Laudat viros doctrina & probitate insignes, qui notarunt, in Collecta, quæ in festo Cathedræ Sancti Petri legitur, hæc antea fuisse verba: *Deus qui beato Petro Apostolo tuo, collatis clavibus* C *regni cælestis, animas ligandi atque solvendi Pontificium tradidisti.* Sed in posterioribus Breviariorum & Missalium editionibus deletam vocem, *animas*, ne Papæ potestas ad spiritualia tantùm, minimè verò ad temporalia pertinere censeretur. Constat ex Hincmaro, die Sancti Leonis dictam olim in Ecclesia Latina fuisse hanc Orationem: *Annue nobis, Domine, ut anima famuli tui Leonis hæc prosit oblatio, quam immolando, totius mundi tribuisti relaxare delicta.* Constat ex Innocentio III. eandem in antiquis Missalibus planè ita conceptam fuisse. (*Extra de celebratione Missarum.* Cap. *Cùm Mar-* D *tha*) pro quibus, in modernis Missalibus ista leguntur; *Annue nobis quæsumus Domine, ut intercessione Beati Leonis hæc nobis prosit oblatio.* Nempe deleta est ea orationis forma, quæ docebat, Veteres etiam pro Sanctis Deo fruentibus precari solitos; non adeò putasse, quod apud Latinos postremorum temporum obtinuit, pro iis dumtaxat animabus esse precandum, quæ Purgatorii ignis carcere cruciarentur. In Martyrologia quoque novitatem illam & audaciam grassatam esse multis probat Dallæus. Et inter alia notat Galesinii & Baronii hallucinationem; qui Synoridem Martyrem Antiochenam ad E diem 24. Januarii consignarunt; ex biga, seu pari Martyrum, Juventin scilicet & Maximo, quos ξυνωρίδα τῶν ἁγίων μαρτύρων nomine Sanctus Chrysostomus Oratione 46. significavit, Synoridem Virginem Antiochenam fingentes.

Non solùm depravata Veterum monumenta, sed in totos libros sævitum, ipsosque exterminatos & flammis traditos, si quid à Romanæ Ecclesiæ sententia alienum continerent, queritur Dallæus. Sic in VII. Synodo, quæcumque scripta fuerant adversùs imagines, exitio & ignibus devota fuere. Sic Joannis Scoti Erigenæ de Eucharistia librum flammis tradere coactus est Berengarius à Romano Pontifice Nicolao II. Invehitur subinde Dallæus in vigilantiam qua Romani Pontifices cavent; ne in libris qui publici juris fiunt, errores propugnentur; in Indices Expurgatorios declamat; in Censores librorum injurias evomit.

Denique hanc Romanæ communionis Theologorum fraudem non omittendam esse ait, qua quoties neque de Scriptore, quin pius & Catholicus fuerit, neque de libro, quin verum ejus Opus fuerit, dubitare licet, calumniantur objectas voces Operi ab Hæreticis assutas fuisse. Hoc Alanum Copum, & Bellarminum fecisse in Epiphanii ad Joannem Hierosolymitanum Epistola, qua sanctissimus

mus ille vir pronuntiat, hominis in Christi Ecclesia pendere imaginem nefas esse, idque si fiat, contra auctoritatem Scripturarum fieri. Parem fuisse Latini Latinii in plurima Chrysostomi contra Confessionem auricularem loca temeritatem & inverecundiam, qui in libello de Confessione, Opuscula in quibus ista leguntur, vel Chrysostomi esse præfractè negat, vel à Novatianis interpolata contendit. Sed nusquam frequentiùs desperatam hanc exceptionem nostris ab Authoribus adhiberi ait Dallæus, quàm cùm de Honorii Pontificis Monothelismo quæstio est. Nam & Acta VI. Synodi ab Hæreticis in Honorii nomine violata, & Leonis II. vel interpolatam, vel confictam Epistolam, Baronius, Bellarminus, & Binius confidenter asserunt. Ex quibus omnibus colligit Calvinista, ægerrimè fieri posse ut in adulteratis & confusis adeo venerandæ antiquitatis monumentis certò & perspicuè pernoscantur ea, in quibus obscurandis & æternis tenebris sepeliendis, tot & tam varii artifices incubuerunt.

Capite 5. probat Dallæus, Non facile esse Patrum Scripta intelligere, tum propter linguas & idiotismos quibus utuntur, tum propter rerum explicandarum variis Rhetoricæ & Dialecticæ artificiis obscuratam & impeditam rationem: tum quòd plerasque voces, alio, quàm qui nunc in usu est, sensu usurpent. Quoad primum, nonnulla Veterum Scriptorum loca adducit, in quibus vertendis graves in errores, partim studio in transversum acti, Interpretes impegerunt. Urget deinde Calvinista, locorum quæ in disputatione de controversis Fidei Capitibus afferri utrinque solent, obscuritatem. Si eadem, inquit, fuit Tertulliani, quæ est hodie Ecclesiæ Romanæ, de Eucharistia sententia, quicquamne fingi potest obscurius hoc loco è quarto libro contra Marcionem? Christus, *Acceptum panem, & distributum Discipulis corpus suum fecit, Hoc est corpus meum dicendo, id est, figura corporis mei.* Si Augustino credita transsubstantiatio, quid sibi volunt hæc ejus verba? *Non enim Dominus dubitavit dicere, Hoc est corpus meum, cum signum daret corporis sui?* Si loci isti, & alii penè innumerabiles id volunt quod contendit Cardinalis Perronius, fueruntne unquam obscuriora vel Sphingis Thebanæ ænigmata, vel Sybillæ oracula? Nec pauciora sunt, quæ Protestantium sensum nullo modo admittere posse videntur, qualia sunt quæ disertis verbis vel aiunt panis naturam immutari & per omnipotentiam Verbi Dei carnem fieri, vel negant Eucharistiam panem esse aut vinum. In singulis controversiis similes esse locos monet Dallæus, quorum alii Romanæ Ecclesiæ, alii Protestantium judicio inexplicabiles videntur. Quod genus, inquit, judicii est, quod longè fusiore elucidatione opus habet, quàm res ipsa? Quod lites, quas decidere debuit, serit? Quod utrique parti æqualiter favere videtur? De sensu horum Domini verborum contenditur: *Hoc est corpus meum.* Adducuntur Tertullianus & Augustinus qui ea exponant. Fidem tuam, Lector, nonne æquè, imò magis perspicua sunt hæc Scripturæ verba, quàm utriusque Scriptoris loca, qua quidem ratione explicantur?

Caussas verò hujus in locis Patrum obscuritatis exponit Dallæus; primamque hanc esse ait, quod nondum motis hisce de religione controversiis, scripserunt: Unde quod in aliis Ecclesiæ cum Ario, cum Macedonio, Pelagio, Nestorio, Eutychete, controversiis contigit, ut Patres hisce de rebus, antequam in quæstionem vocarentur, obscurissimè locuti sint, cùm nempe de iis certo consilio non agerent: idem iis de argumentis sentiendum est, quæ nunc inter Protestantes & Romanam Ecclesiam controvertuntur. Jam olim ista scripta sunt ab Hieronymo: *Antequam,* inquit, *in Alexandria quasi dæmonium meridianum Arius nasceretur, innocenter quædam, & minus cautè locuti sunt* (Patres) *& quæ non possunt perversorum hominum calumniam declinare.*

Secundam obscuritatis Patrum his in argumentis causam esse Dallæus notat, quòd mentem suam caligine quadam veluti involvere, & obscurè loqui affectarint, quoties Ethnicis, aut Catechumenis coram, de Mysteriis agebant: quod maximè in Homiliis ad populum observarunt. Tertiam obscuritatis causam esse ait metaphoras, & figuras, & alia Rhetorica ornamenta, omniaque liberalium disciplinarum artificia. Quis enim, inquit, Hieronymum non putet Marcionitarum & Encratitarum œstro percitum fuisse, dum in nuptias tam impotenter invehitur in libris contra Jovinianum, & alibi sæpe, usque adeo ut in hæc etiam verba proruperit? *Si corruptio ad omnem coitum pertinet, incorruptio autem propriè castitatis est, præmia pudicitiæ nuptiæ possidere non possunt.* Et infrà: *Existimo quod qui uxorem habet, quando revertitur ad idipsum, ne tentet eum satanas, in carne seminet, & non in spiritu. Qui autem in carne seminat, metit corruptionem.* Hæc verba, prout sonant, sumpta, nuptias, conjugiique omnem usum damnant: Quasi eo contaminarentur conjuges, spéque beatæ immortalitatis exciderent. Sed in Epistola ad Pammachium docet, locos istos, aliosque ejusdem generis comparatè, non absolutè accipiendos, seque hoc unum velle, Tantam esse Virginum fœlicitatem & puritatem, ut ad eos collati conjuges nullius esse loci ac dignitatis videantur. Eadem clavi usi sunt VII. Synodi Patres in solvendis quibusdam locis, quos Iconoclastæ objiciebant; hunc maximè ex Chrysostomo: *Per Scripturas fruimur præsentia Sanctorum, habentes imagines, non corporum ipsorum, sed animarum: quæ enim dixerunt, sunt eorum imagines animarum.* Hunc item ex Amphilochio: *Cura nobis non est coloribus depingere in tabulis facies carnales Sanctorum (nam istis non indigemus) sed per virtutem imitari eorum vivendi rationem.* Tertium denique ex Asterio: *Christum ne pingas in stragulis, potius suppedita pauperibus istorum sumptuum expensas. Sufficit enim ipsi quod semel se demisit, cùm carnem nostram assumpsit.* Quis ista audiens, inquit Dallæus, non sibi persuadet ex Iconomachorum genere fuisse tres istos Patres? Profectò vix videtur quidquam dici potuisse in hanc sententiam disertius. Volunt tamen Nicenæ Synodi Patres illos loqui tantùm comparatè, & hoc unum significatum velle, Imagines scilicet Jesu Christi & Sanctorum intueri, longè minoris esse ad pietatem usus, quàm, vel ea quæ scripserunt legere, vel vitam eorum imitari, vel beneficentiâ pauperes prosequi. Ex his colligit Dallæus, Veterum Scripta, longè aliter quàm sonant, nonnunquam accipi. Unde sequitur esse intellectu difficillima.

Quartam causam affert Dallæus, ex qua sexcentæ difficultates in monumentis Patrum oriuntur, quòd scilicet, dum totis viribus errorem quempiam oppugnant, in contrarium impingere videantur; ad Arium verbi gratia accedere, cùm Sabellium adoriuntur; favere Pelagianis cùm Manichæos oppugnant. *Vehemens cum adversariis contentio* (inquit Theodoretus Dialogo 3.) *fecit ut modum excederent, quod & iis qui arbores colunt, evenire solet, cùm enim incurvam plantam viderint, non solùm ad rectam normam exigunt, sed in alteram quoque partem ultra directum inflectunt, ut per nimiam in contrarium inflexionem ad rectum statum perducatur.*

Denique

Denique monet Dallæus, non parum conferre ad difficultates quas in legendis & intelligendis Patribus offendimus, confusionem à vocibus natam, quas, sed mutata significatione retinuimus. Papam (inquit) Patriarcham, Missam, peccata mortalia, Confessionem, Pœnitentiam, Indulgentiam; & sexcentas hujusmodi voces usurpamus, sed sensu ab eo, quem tum habebant, non minùs alieno, quàm illorum ætas differt à nostra.

Cap. 6. Novam rationem profert Dallæus cur Patrum mentem assequi sit longè difficillimum. Quòd scilicet vel aliorum expositiones & sententias referant potiùs quàm adstruant propriam, ut in Commentariis (quod Sanctus Hieronymus in Apologia adversùs Ruffinum, & alibi testatur) Vel ad Populi captum se accommodant, & allegoricas mysticasque expositiones lubentiùs sectantur quàm literalem: vel nihil non adhibent quod ad argumentum suum faciat, quamvis infirmum & à causa alienum, ut in libris polemicis, quando contra fidei hostes disputant. Quod Sanctus Hieronymus observat in Epistola ad Pammachium. *Diximus*, inquit, *plura esse genera dicendi, & inter cætera, aliud esse δογματικῶς scribere, aliud γυμναστικῶς. In priori vagam esse disputationem & adversario respondentem, nunc hæc, nunc illa proponere, argumentari ut libet, aliud loqui, aliud agere; panem, ut dicitur, ostendere, lapidem tenere. In sequenti autem aperta frons, & ut ita dicam, ingenuitas necessaria est. Aliud est quærere, aliud definire; in altero pugnandum, in altero docendum est... Origenes, Methodius, Eusebius, Apollinaris, multis versuum millibus scribunt adversùs Celsum, & Porphyrium. Considerate quibus argumentis, & quàm lubricis problematibus diaboli spiritu contexta subvertant; & quia interdum coguntur loqui, non quod sentiunt, sed quod necesse est, dicunt adversùs ea quæ dicunt Gentiles. Taceo de Latinis Scriptoribus, Tertulliano, Cypriano, Minutio, Victorino, Lactantio, Hilario, ne non tam me defendisse, quàm alios videar accusasse.*

Cap. 7. Aliam rursus difficultatis in assequenda Patrum mente rationem Dallæus affert, quòd nimirum Patres in iisdem fidei capitibus non semper perstiterint, sed è quibusdam suis sententiis nonnunquam discesserint, prout exercitatione, vel ætate eorum maturuerat judicium. Patres enimverò in veritatis cognitione cum ætate studiisque profecisse, luculento exemplo docuit Sanctus Augustinus, cùm quæcunque tota vita scripserat, in senectute excussit, & recensuit, in iisque ingenuè & bona fide notavit, quicquid animadversione dignum visum est in Retractationum libris.

Cap. 8. Dallæus ostendit, ut liquidò nobis constet quid super capitibus in religione controversis senserint Patres, necessarium esse ut cognoscamus an sententias suas ut necessarias, an ut probabiles tantùm, & quo in gradu necessitatis vel probabilitatis eas habuerint; quòd cùm sit longè difficillimum, ex auctoritate Patrum circa fidei capita hodie controversa nihil promovere possumus.

Cap. 9. statuit Dallæus, ut Patrum sententiæ nobis usui esse possint, non satis esse ut nobis constet eorum revera esse, eumque esse sensum qui dicitur, sed opus esse etiam ut certò sciamus, num cum sui temporis Ecclesia senserint. Privatam quippe eorum sententiam de fide non esse, sed ea tantùm dogmata, quæ ab Ecclesia ut necessaria ad salutem recepta sunt. Quemadmodum Senatoris unius sententia vim Senatusconsulti non habet, nisi eadem sit totius, vel certè maximæ partis Senatus sententia. Atque hinc (inquit Calvinista) in novas difficultates relabimur. Unde enim & qua ratione nobis constabit Ecclesiam quæ Justini, Hieronymi, vel Augustini temporibus in terris militabat, eadem in omnibus de religione sensisse cum unoquoque eorum?

Cap. 10. Statuit Dallæus, ut locorum qui ex Patribus proferuntur, usus aliquis apud nos esse possit, sciendum esse num eorum de hujus sæculi controversiis sententiæ ab Ecclesia universali, an ab ejus parte tantùm receptæ fuerint. Id verò levis non esse momenti, quia Ecclesiæ universalis de fide opiniones infallibiles & necessariò veræ habentur, cùm de Ecclesiis particularibus idem non sit judicium, obnoxiæ enim errori censentur. Varias fuisse Ecclesiarum particularium cùm opiniones, tum mores & instituta. Sic Ecclesias Minoris Asiæ ab aliis circa diem celebrandi Paschatis dissensisse; Cappadociæ, Ciliciæ, Galatiæ, & Africæ Ecclesias Hæreticos rebaptizasse; variam fuisse apud varias olim Ecclesias Jejunii Antepaschalis rationem; Occidentis & Orientis Ecclesiis de jejunio Sabbati litem movisse, illis fas esse, his verò nefas esse Sabbato jejunare contendentibus. (Qua de re consulendus est Trullanæ Synodi Canon 55.) Libros Sapientiæ, Ecclesiastici, Macchabæorum, Judith, & Tobiæ, quos in librorum Canonicorum Catalogo suppressit Laodicena Synodus, à Concilio Carthaginensi III. in Canonem fuisse relatos: Ecclesiæ Græcæ de libero arbitrio & prædestinatione sententias & voces plurimùm ab iis differre quæ universa Ecclesia de his capitibus, cùm vivente, tum etiam mortuo Augustino credidit, & docuit. Ex quibus constat, sententias & consuetudines à quibusdam Ecclesiis receptas, ab universali Ecclesia probatas semper non fuisse.

Cap. 11. probat Dallæus, Fieri non posse ut super ullo eorum capitum quæ sunt hodie in controversia, clarè liquidòque pernoscamus, quæ totius Ecclesiæ, sive universalis, sive particularis sententia fuerit: Vel enim Ecclesiæ nomine omnes in genere Fideles, vel Pastores & Clerum intelligi. Quocumque sensu sumatur, difficillimum esse scire quid senserit vetus Ecclesia, cùm singulorum sententias compertas habere penè sit impossibile. Addit Calvinista, Pro certo tenendum esse, non esse à Patribus prodita quæcumque de sui temporis sectis ac placitis cognita habebant, cùm eo consilio scripserint ut nos docerent, non tam quæ sui sæculi esset, quàm quæ omnium esse debeat fides. Addit secundò, Verisimile esse, dissimulasse eos vel ex charitate, vel ex prudentia sua, quæcumque, aliorum, sive Doctorum, sive etiam cœtuum dogmata ipsi velut falsa respuebant, fecisseque eos in dogmatibus, quod à se in ritibus factum testatur Augustinus Epistola 119. ad Januarium. *Quòd*, inquit, *instituitur præter consuetudinem, ut quasi observatio sacramenti sit, approbare non possum: etiamsi multa hujusmodi, propter nonnullarum vel sanctarum, vel turbulentarum personarum scandala, liberiùs improbare non audeo.* Hæc Dallæus lib. 1. de vero Patrum usu.

Respondeo ad argumenta Dallæi, nego minorem primi Syllogismi. Etsi enim aliqui sint Patrum loci, quorum vel de Auctore, vel de sensu ambigi potest, illi nimirum, qui vel ex dubiis, vel ex supposititiis Veterum monumentis proferuntur; vel qui sunt ita obscuri & intricati, ut vix ullus ex iis erui sensus possit: non tamen pleríque omnes sunt hujusmodi; & si qui sunt, à nobis non adhibentur, cùm disputamus de capitibus religionis controversis. Quod si ex libris quos Veterum esse negant Protestantes, Ecclesiæ doctrinam & Traditionem eruamus, verbi gratia ex septem Episto-

lis Martyris Ignatii, id non facimus, nisi certissimis demonstraverimus argumentis illa monumenta germana esse & legitima eorum Auctorum, quorum nominibus inscribuntur.

Ad primam Dallæi probationem Respondeo: Etsi trium priorum sæculorum Patres pauca scripserint, & si quæ scripserunt, ad nos non pervenerint universa, tamen ex iis quæ scripsere, & quæ supersunt vel Opera, vel Operum fragmenta, Catholicos Doctores insignia & invicta testimonia ad fidem Ecclesiæ contra Protestantium errores confirmandam proferre; quod & in nostris Dissertationibus fecimus, & Deo juvante faciemus, ubi dabitur occasio capita fidei controversa excutiendi. Quòd autem plurima Veterum scripta perierint, non aliis causis, quàm temporis injuriæ, negligentiæ hominum, & Hæreticorum maximè impietati tribuendum est, quorum proprium est in sacros & Ecclesiasticos libros grassari, illosque interpolare, truncare, supprimere. Enimverò Tertulliani Opera ideo perennasse, quia in iis multa sunt quæ Romanæ Ecclesiæ Fidei & Disciplinæ faveant: Appollonii verò lucubrationes fuisse tenebris & oblivione sepultas, quia Montanistarum jejunia & Xerophagias damnabant, non est verisimile. Cùm enim in Tertulliani Operibus multa sint contra Ecclesiæ fidem & doctrinam, ea resecuissent, vel suppressissent Catholici, si hæc eorum fuisset indoles qualem conjicit Dallæus. Nec verò trium dumtaxat antiquissimorum Christiani nominis sæculorum, sed sequentium etiam Doctores audiendi sunt & consulendi, ut quæ fuerit veteris Ecclesiæ mens & fides circa capita hodie Romanam Ecclesiam inter & Protestantes controversa compertum habeamus. Enimverò quæ quarto, quintove sæculo in Ecclesia legimus prædicata dogmata, propugnata à Patribus, à Christianis Catholicis credita, ea trium priorum sæculorum fidei & doctrinæ consona esse meritò colligimus. Imò quæ temporum progressu Ecclesia pertinere ad fidem judicavit, omnibusque alumnis suis credenda proposuit, ea priorum sæculorum Ecclesiam fide saltem implicita credidisse necesse est. Si enim quarti, sequentiumve sæculorum Patres aliquid contra fidem & Catholicam doctrinam quæ ipsis fuerat à Majoribus tradita, prædicassent, docuissent, vel scripsissent, plurimos experti fuissent novæ doctrinæ adversarios: cùm nec omnium Doctorum qui diversis locis & temporibus floruerunt, summa esse possit ad serendos eosdem errores, veteremque doctrinam & fidem immutandam ac invertendam conspiratio: nec subitò error possit omnium mentes invadere avita fide depulsa, & absque ullis dissidiis, tumultibus, oppositionibus, quæ novam in materia religionis doctrinam semper comitantur, pacificè in omni orbe Christiano regnare. Certè si tota commota Ecclesia est, ubi novum aliquod dogma cœpit ab Ario, Nestorio, Pelagio, Eutychete, Monothelitis prædicari & doceri; si tunc pientissimi doctissimique viri inventi sunt, qui Hæreticos impugnarent; si ab Episcopis anathemate confixi sunt, & Ecclesia pulsi Novatores, si à Conciliis damnati; impunè non tulissent illi quos Patres & Doctores Ecclesiæ vocamus, si priscam fidem & doctrinam illius convellere tentassent, repugnantemque non habuissent neminem. *Mos enim iste semper in Ecclesia viguit, ut quò quisque foret religiosior, eò promptiùs novellis adinventionibus contrairet* (inquit Vincentius Lirinensis in 1. Commonitorio cap. 9.)

Non priorum dumtaxat, sed sequentium sæculorũ Patres, in fidei controversiis consulendi, & audiendi.

Nec Religionem Christianam in suis primordiis puram sinceramque fuisse magis, quàm iis temporibus quæ postea consecuta sunt, Dallæo concedemus. Non est scilicet ea religionis, quæ rerum humanarum sors & conditio, ut rerumpublicarum legum, disciplinarum, ut quo magis à sua origine recedunt, eo etiam in dies pejus ruant. Non est obnoxia mutationi & corruptioni religio vera, ut nec Deus quem colit. Mutari licet & corrumpi disciplina possit, non fides tamen, non Sacramenta, non Traditio. Ecclesia quæ *columna est & Firmamentum veritatis*; cum qua *Christus manet omnibus diebus usque ad consummationem sæculi*, quàm *Spiritus Sanctus docet omnem veritatem*: *Adversùs quam inferi portæ non prævalebunt*: Eandem sæculis omnibus fidem tenet, eandem veritatem propugnat: *Cui nemo præscribere potest, non spatia locorum; non intervalla temporum, non patrocinia personarum.* Progressu quidem temporis fides explicatur, sed nusquam immutatur, ut rectè explicat Vincentius Lirinensis Commonitorii 1. cap. 28. & 29. *Crescat igitur oportet*, inquit, *& multùm vehementerque proficiat tam singulorum, quàm omnium, tam unius hominis, quàm totius Ecclesiæ, ætatum ac sæculorum gradibus, intelligentia, scientia, sapientia. Sed in suo dumtaxat genere, in eodem scilicet dogmate, eodem sensu, eademque sententia, imitetur animarum religio rationem corporum, quæ licet annorum processu numeros evolvant, & explicent, eadem tamen quæ erant permanent. Multùm interest inter pueritiæ florem & senectutis maturitatem, sed iidem ipsi fiunt senes, qui fuerant adolescentes: ut quamvis unius ejusdemque hominis status habitusque mutetur, una tamen eademque natura, una eademque persona sit. Parva lactentium membra, magna juvenum, eadem ipsa sunt. Tamen quot parvulorum artus, tot virorum: & si qua illa sunt, quæ ævi maturioris ætate pariuntur, jam in seminis ratione proserta sunt, ut nihil novum postea proferatur in senibus, quod non in pueris jam ante latitaverat. Quòd si humana species in aliquam deinceps non sui generis vertatur effigiem, aut certe addatur quidpiam membrorum numero, vel detrahatur, necesse est ut totum corpus vel intercidat, vel prodigiosum fiat, vel certè debilitetur. Ita etiam Christianæ Religionis dogma sequatur has decet profectuum leges, ut annis scilicet consolidetur, dilatetur tempore, sublimetur ætate, incorruptum tamen illibatumque permaneat. Et universis partium suarum mensuris, cunctisque quasi membris ac sensibus propriis plenum atque perfectum sit, quod nihil præterea permutationis admittat, nulla proprietatis dispendia, nullam definitionis sustineat varietatem .... Quodcumque igitur in hac Ecclesia, Dei agricultura, fide Patrum satum est, hoc idem filiorum industria decet excolatur & observetur; hoc idem floreat & maturescat; hoc idem proficiat, & perficiatur. Fas est etenim ut prisca illa cælestis Philosophiæ dogmata processu temporis excurentur, limentur, poliantur: sed nefas est ut commutentur, nefas ut detruncentur, ut mutilentur. Accipiant licet evidentiam, lucem, distinctionem: sed retineant necesse est plenitudinem, integritatem, proprietatem.*

Christiana Religio eadem, & posterioribus sæculis, atque sincera & incorrupta, ac primis.

Tertullianus.

Fides explicatur successione temporum, non mutatur.

Ad secundam rationem Dallæi respondeo, Non adeo aliena fuisse à controversiis hodie circa religionem capitibus argumenta de quibus scripserunt trium priorum sæculorum Patres, quin frequenter sese obtulerit ipsis occasio de iis loquendi, & quænam circa illa Ecclesiæ fides esset, exponendi; cùm scilicet Apologias pro Christiana Religione ediderunt, in quibus Christianas Synaxes, & quid in iis ageretur, descripsere; cùm de Pœnitentia libros & Epistolas scripserunt; cùm de Martyrio & Martyrum honoribus egere; cùm Scripturam sacram sunt interpretati, & ea loca attigerunt, in quibus controversiarum nostrarum cardo vertitur. Nec enim necesse est ut Patres integros composuerint de Eucharistia, de Confessione, de

Purgatorio,

Purgatorio, de Indulgentiis, & aliis hujusmodi capitibus, quæ in controversiam veniunt, Tractatus, ut mens eorum ac fides circa dogmata illa innotescat. Si enim ex Scriptura sacra, quæ unum quandoque aut alterum locum habet illas ad controversias pertinentem, eruere se putant Protestantes validissima contra Romanæ Ecclesiæ fidem argumenta; quidni sententiam & fidem Patrum ex ipsorum testimoniis eruemus, quamvis sint illis libris inspersa, in quibus capita illa nos inter & Hæreticos disceptata, ex instituto non excutiuntur?

Ad tertiam Dallæi rationem respondeo, Plura quidem olim Patribus afficta fuisse, & nunc sub B eorum venerandis prostare nominibus, quæ ipsorum non sunt; sed ea à Romanæ Communionis Theologis, qui sunt in Antiquitate Ecclesiastica & in Critica sacra minimè rudes, non proferri ut certa illorum Patrum Opera quibus supposita sunt; nec ex iis Ecclesiæ Traditionem erui, nisi quatenus constat illa Veterum esse & Catholicorum, vel cum Catholicis Patribus in ea dogmatis parte, qua de agitur, consentientium. Quamvis autem Patres ipsi in rebus Criticis (quod humanum est) quandoque decepti sint, & Veteribus tribuerint interdum Opera quæ ipsorum non erant, nego tamen C id ex industria & dolo malo ipsos fecisse. Quòd enim Zozimus & Bonifacius Romani Pontifices Nicænorum nomine Canonum Sardicenses in controversia de Appellationibus ad Romanam Sedem laudaverint, fraudis non fuit: secuti sunt quippe Ecclesiæ suæ morem, in qua solemne erat sic eos Canones laudare, sive quòd Sardicense Concilium ut appendix quædam Nicæni spectaretur; sive quòd in Codice Canonum Romanæ Ecclesiæ Canones Sardicenses consequenter ad Nicænos, sub eodem titulo descripti essent. Nec etiam fraudis accusari debet Hadrianus Pontifex Maximus, quòd scripserit Sanctum Ambrosium consuetudinem Sabbatici Jejunii in Ecclesia Romana laudasse. Qui enim morem illum probavit, illumque cùm Romæ esset, piè secutus est, ac religiosè observavit, illum certè laudasse dici potest. Quod spectat falsas visiones, fabulosas historias, conficta privilegia, commentitia & monstruosa miracula, extra rem omnino sunt quæ scribit Dallæus, Clericis & Monachis illiberaliter insultans, cùm ex hujusmodi visionibus, historiis, &c. (in quibus ut in rebus facti homines errare pronum est, cùm rudis est & simplex ætas) non pendeat, nec probetur Dogmatum Ecclesiasticorum veritas, nihilque faciat ad controversias nostras, sive falsæ sint, sive veræ historiæ, quæ nimis credulis auribus ab Antiquis quibusdam exceptæ sunt. Sufficere debuit Calvinistæ ab eruditis Romanæ Communionis hominibus illas explodi. Sic Pithœus & Sirmondus in Notis ad Capitularia Caroli Calvi, & Annalium Parens Baronius ad annum Domini 741. narrationem Episcoporum Remensis & Rotomagensis Provinciarum de Caroli Martelli damnatione fabulosam esse probant. Contentio Casinensium & Gallorum Benedictinorum de Sancti Benedicti corpore æquè extra rem est. Translatum in Floriacense Monasterium ad Ligerim, Paulus Diaconus, & Adrevaldus antiquissimi Monachi testantur, aliaque monumenta probant, Leone Hostiensi repugnante, qui Sancti Viri reliquias Casinensi vendicat Cœnobio. Sed esto, in re facti, quæ nullius ad religionem momenti est, & quam pugnantia hominum testimonia obscurant, vel Itali (quod verisimilius est) vel Galli decepti sint Benedictini; quid inde contra Patrum in decidendis fidei controversiis auctoritatem, quid contra robur Traditionis colligi potest? De Imitatione Christi gravem scimus Patres Benedictinos inter & Canonicos Re- A gulares motam esse litem. Codices MSS. ab illis suppositos esse nego, nec illis adhibeo fidem, qui studio partium abrepti putidas illas in virorum religiosissimorum famam calumnias in vulgus sparserunt. Certè qui hujus de Auctore libri postremus Dissertationem scripsit D. Delfavius, tum veterum MSS. probatissimorum fide, cùm momentis aliis gravissimis pium illud Opusculum Joanni Gersen, O. B. Abbati Vercellensi adeo disertè & luculenter vindicavit, ut causam vicerit, plurimorum Eruditorum judiciò. Sed quamvis vel Joanni Gersen, vel Thomæ à Kempis fuerit suppositus pius B iste de Imitatione Christi Libellus, inde non sequitur fuisse pariter afflictos antiquis Patribus libros, qui nominibus ipsorum inscribuntur, & ex quibus Ecclesiæ de Catholicis dogmatibus Traditionem discimus. Cùm enim & MSS. omnia, & ejusdem vel sequentium sæculorum Auctores Ecclesiastici, Opera illa tribuant Patribus quorum nomina præferunt, & nihil in ipsis occurrat quod illorum repugnet ætati, personis, vel doctrinæ, stultè in dubium revocatur an sint illorum Patrum legitimi fœtus. Denique non minùs extra rem est quod obtrudit Dallæus de Instrumentis in reconciliatio- C ne Venetorum à Notario Pauli V. fabricatis; quæ cùm nullibi inveniantur, nec illam narrationem aliunde referat Calvinista, quam ex hominis Veneti Commentario, de illa dubitare nos ne molestè ferat.

Ad quartam Dallæi rationem respondeo, Interpolata non fuisse Veterum omnium Opera, nec aliquorum omnia; nec depravata asseri citra temeritatem, cùm nulli depravationum hujusmodi testes, rationes nullæ proferuntur. Acta Conciliorum omnium integra non haberi, evidens est, interpolata esse in rebus momenti levioris aliqua, perspicuum; at in fidei rebus & definitionibus cor- D rupta, Calvinistæ Critici non probabunt: & si quæ sit in Veterum monumentis interpolatio gravior, sicut & in quibusdam Bibliorum Codicibus & Versionibus, ea Calvinianos & Lutheranos Auctores habet, non Romanæ Communionis Theologos. Ruffinum pessimæ fidei Interpretem scimus, quia & Sanctus Hieronymus ejus in interpolando Origene temeritatem reprehendit, & ipse multa se vel truncasse, vel addidisse in libris ipsius de Principiis testatur. Sed cùm ipsius & Sancti Hieronymi testimonio constet, Ruffini interpolationem omnem in eo fuisse positam ut quos contra Trinitatem errores ab Arianis in Origenis Opera intrusos exi- E stimabat, expungeret, illasque lacunas Catholicis sententiis expleret, inferri hinc non potest, nihil esse in Origenis monumentis sanum & integrum, & ad faciendam fidem in quæstionibus controversis Protestantes inter & Ecclesiam Catholicam idoneum. Veteribus Liturgiis temporum progressu novas preces, novasque ritus additos esse non inficior: addita esse aliqua priorum sæculorum fidei repugnantia pernego. Nec vult aliud Andreas Masius Præfatione in Liturgiam Syriacam. *Quippe is*, inquit, *fuit perpetuò hominum in religione sensus, ut intra præscriptas à Patribus cærimonias, quantum- F vis sanctissimas, sese continere pauci potuerint: unde pro temporis tractu ad illas pro vario Antistitum pietatis affectu alia atque alia addita: multa etiam mutata videre est.*

Legatos Sancti Leonis Canonem VI. Nicænum depravasse perperam contendit Dallæus. Hanc enim Epigraphen: *Ecclesia Romana semper habuit Primatum*, non legerunt ut verba Canonis, sed ut inscriptionem quæ Canoni præfixa erat in Codice Romanæ Ecclesiæ; aut verba illa nec à Sancti Leonis Legatis lecta sunt, cùm non sint inserta Canoni; neque ut pars, neque ut titulus, nec in Codici-bus

Quòd Patres ipsi monumenta quædam Veteribus ex industriâ & dolo malo supposuerint, Dallæi mendacium est.

Dallæus abmittitur à scopo.

Ex Auctorum, in quæstionibus facti dissidiis, contra robur Traditionis ineptè Dallæus argumentatur.

Dallæi in PP. Benedictinos calumniæ.

Unde veterum monumentorum interpolatio?

Refelluntur Dallæi calumniæ.

In Legatos S. Leonis.

bus Græcis, nec in Dionysii Exigui Codice: sed ad A marginem adnotata, inde in textum Canonis irrepserunt.

*In Dionysium Exiguum.*

Quod spectat Dionysium Exiguum, nego eum sacros Canones depravasse, quamvis nonnullos in sua Versione prætermiserit, quod tribus ex causis profectum est: vel quòd eos dumtaxat Canones Latinè reddere duxerit operæ pretium qui Disciplinam communem spectabant; non autem eos qui causas singulares; unde cùm Ephesini Canones causam spectent Nestorianorum & Pelagianorum, non autem generalem Ecclesiæ Disciplinam, eos Dionysius in sua Collectione consultò omisit. Vel id contigit, quòd in Codice Græco, quo Dionysius B Abbas usus est, mutilo quidem, Canones Ephesini deessent. Vel quòd noluerit eos Canones cum Latinis communicare, quorum non videretur cum Canonibus & doctrina Occidentalis Ecclesiæ summa consensio: vel qui disertè ab ipsa improbati essent. Quamobrem postremam Laodicæni Canonis ultimi partem suo Codici non adscripsit, quia librorum Canonicorum in Catalogo, Tobiam, Judith, Sapientiam, Ecclesiasticum, Machabæos prætermittit Canon laudatus, quos & Concilium Carthaginense III. & Innocentius I. in Veteris Testamenti Canonem retulerant, & quos Ecclesia uni- C versa Dionysii Exigui ætate ut sacros & Canonicos habebat ac venerabatur. Hanc etiam ob causam Canonem 28. Concilii Calchedonensis suppressit, quòd illud Romana Ecclesia disertè improbaret, illumque ut Concilii Oecumenici legitimum Decretum non agnovisset Sanctus Leo, quòd absentibus & reclamantibus ipsius Legatis fuisset editum.

*In S. Thomam.*

*S. Cyrilli testimonia Doctor Angelicus non supposuit.*

Sanctum Thomam immeritò calumniatur Dallæus, quòd sub Concilii Calchedonensis, & Sancti Cyrilli nomine testimonia quædam laudaverit pro Romani Pontificis Primatu; eaque supposuerit ut fucum imperitis faceret, cùm hucusque nec in Actis D illius Concilii, nec in libris Thesauri Sancti Cyrilli, vel in aliis ejus Operibus inventa sint. Falsum namque est, & ab Angelici Doctoris sanctitate alienum, ut loca illa Cyrillo ex industria affinxerit. Quamobrem verisimilius est ipsum in maxima librorum penuria, Cyrilli Opera non habuisse, neque Calchedonensis Acta Concilii, cùm hæc scripsit; sed ex codice aliquo qui ea sub istius Concilii & Sancti Cyrilli nomine referebat, simpliciter laudasse, cùm facultas non suppeteret inspiciendi fontem, id est, loca ipsa laudati Patris, ex quibus testimonia illa excerpta dicebantur, deficientibus E (ut dixi) libris. Addunt alii, Multos libros Thesauri Sancti Cyrilli periisse. In iis porro qui exciderunt, fuisse testimonia quæ in Opusculo contra Græcos profert Sanctus Thomas, quamvis in iis, qui supersunt, non legantur. Id confirmant Andreæ Colossensis Episcopi in Synodo Florentina testimonio, Sessione 7. asserentis, nullo è Græcis refragante, Romani Pontificis auctoritatem in libris Thesauri mirificè prædicari. Gennadium præterea Scholarium Authorem Græcum in libro de Primatu Romani Pontificis testem vocant, qui locum æquivalentem Sancti Cyrilli ex Thesauris lau- F dat. Addunt denique locos illos à Sancto Thoma laudatos continere Cyrilli doctrinam in aliis ejus Operibus assertam, quod multis ejusdem sanctissimi Patris testimoniis probant: adeoque non affinxisse Cyrillo Doctorem nostrum testimonia de quibus agimus, quamvis in locis, ex quibus deflorata sunt, indicandis, fallente Codice in quo illa descripta habebat, non fuerit omnino accuratus: nec Cyrilli verba, sed sensum retulerit.

*In Missalibus, & Breviariis, nihil immutatum, quod fidei summam spectaret.*

In Missalibus & Breviariis etsi quædam immutata sint, nihil tamen, quod summam fidei spectaret, immutatum est. Nam quod attinet Orationem in A festo Cathedræ Sancti Petri olim recitari solitam, vox, *animas*, non ea ratione sublata est, quam sibi finxit Dallæus, ut Sancti Petri & Successorum ejus potestas ad temporalia etiam extendi intelligeretur, sed quòd inutilis esset, satisque ex verbis ipsis esset perspicuum, ligandi atque solvendi Pontificium in animas dumtaxat exerceri: & quòd, illa voce expuncta, magis cum verbis Christi Ecclesiæ conveniret Oratio dicentis (Matth. 18.) *Quæcumque alligaveritis*, & *Quæcumque solveritis*, absque animarum mentione. Scio Gregorium VII. & alios his Christi verbis abusos esse ut Romano Pontifici potestatem in temporalia Regum vindi- B carent; sed non inde sequitur quòd immutata sit Ecclesiæ fides, aut violata Traditio. Similiter mutatio quæ facta est in Oratione pro festo Sancti Leonis, nullam fidei variationem indicat: siquidem non alius erat veteris Orationis, quàm ejus, quæ hodie legitur, sensus. Non sic enim orabat Ecclesia ut Animæ S. Leonis sacra prodesset Oblatio, sicut pro Fidelibus orat, quos beatitudine æterna jam frui ipsi nescit, sed ut ad gloriam quandam externam ipsi prodesset, ut nempe Christiani memoriam ipsius celebrantes, & ejus intercessionem experti, Deum in ipso ferventius laudarent. Unde gra- C tiarum actio pro Anima S. Leonis erat, non supplicatio, sicut quæ in Græcæ Ecclesiæ Liturgiis etiamnum funditur Oratio pro Sanctis Patriarchis, Prophetis, Apostolis, & Martyribus, ut explicat Nicolaus Cabasilas in Expositione Liturgiæ, cap. 33. Visum autem est Ecclesiarum Pastoribus Orationis illius formam immutare, ne simplicibus & imperitis errandi daretur occasio, & credendi orationes nostras prodesse Sanctis, sicut Fidelibus in gratia defunctis, sed nondum plenè purgatis prosunt: cùm in Sanctos injurius sit, qui sic pro ipsis orandum putat, secundùm illa Sancti Augustini D verba, quæ velut Scripturæ sacræ oraculum, ex memoriæ lapsu laudavit Innocentius III. *Injuria est orare pro Martyre, cujus nos debeamus orationibus commendare.* Hanc immutationis istius rationem affert laudatus Pontifex. Qui in Martyrologia, & Breviaria irrepserunt errores, historiæ lædunt, non fidei veritatem. De quibus eleganter & graviter pro more Melchior Cano lib. 11. de Locis Theologicis cap. 5. in Respons. ad 13. argumentum. Nec enim historias omnes tueri est animus, quæ passim in Ecclesia lectitantur. Video tantùm vulgi, non solùm in Laicis, sed in E Ecclesiasticis etiam esse, ut eas quoque fabulas oppidò quàm libenter accipiant, quas jamdiu Ecclesia explosit. In his certè Pontificum non diligentia modò, verùmetiam prudentia desideratur. . . . . Sed esto, quædam in publicis Ecclesiæ precibus habeantur ambigua, quædam etiam falsa: Num idcirco historiis Ecclesiæ omnibus fidem abrogare perges, quòd nonnullæ earum sint vulgò jactatæ & creditæ, in quibus, præsertim quoties de miraculis incidit sermo, ficta reperias fortasse plura, quæ jure ac meritò reprobantur? Mihi profectò illud Gelasii consi- F lium placet, ut cùm hujus generis historias Catholici legerint, Beati Pauli sententia præcedat, *Omnia probate: quod bonum est, tenete.* Atqui irridere Episcopos, de Theologis ludere, in Monachorum imperitiam insultare, quasi fabulas hujusmodi, ventris gratià rudi vulgo inferant & intrudant; hæc non puto equidem hominis ingenui esse, qui ad bonitatem fuerit à natura compositus, nedum ejus quem Christus simplicem sicut columbam ad legem Evangelii formaverit. Quod si ex quibusdam fictis falsisque narrationibus historias gentium æstimemus, nulla omnino erit quam non similiter illudamus.

» ludamus. Id si hominum imprudentium atque » adeo stultorum est, maneat, Divorum gesta, quæ » in Ecclesia legi solent, despici nullo modo opor» tere. Quamquam nonnulla ex his incerta sunt, » apocrypha, levia, falsa. Nam & pleraque cre» dibilia ac vera sunt, quædam etiam certa. Hæc » vir doctissimus.

Non minùs luculenta sunt quæ cap. 6. eo de argumento habet. Ubi primam veræ historiæ à falsa discernendæ legem ait ex hominum probitate inte» gritateve sumendam. Quæ omnino vel locum ha» bet, cùm quæ narrant Historici, ea vel ipsi se » vidisse testantur, vel ab his qui viderunt, ac» cepisse. Qualia sunt pleraque in Epistolis Cypria» ni, Ambrosii, Augustini, Hieronymi, in libris » quoque hujus de Civitate Dei, in Dialogis Gre» gorii, breviter in omnibus fere Doctorum Ec» clesiæ probatissimorum Scriptis: in quibus men» dacium suspicari, quod ad memoriam sempiter» nam transferre illi scribendo voluerint, piacu» lum est. Magnis quippe præclarisque virtutibus » viri sanctissimi atque optimi id consequi me» ruerunt, ut in rebus hujusmodi, quas vel spe» ctasse se, vel ab aliis fide dignis, qui spectarint, se audisse testati sunt, fides omnino illis » habeatur. Et infra: Dolenter hoc dico, inquit, » potiùs quàm contumeliosè, multò à Laërtio » severiùs Vitas Philosophorum scriptas, quàm » à Christianis Vitas Sanctorum: longéque in» corruptiùs & integriùs Suetonium res Cæsarum » exposuisse, quàm exposuerint Catholici, non » res dico Imperatorum, sed Martyrum, Vir» ginum, & Confessorum. Illi enim in probis, » aut Philosophis, aut Principibus, nec vitia, nec » suspiciones vitiorum tacent, in improbis verò » etiam colores virtutum produnt. Nostri autem » plerique vel affectibus serviunt, vel de industria » quoque ita multa confingunt, ut eorum me non » solùm pudeat, sed etiam tædeat. Et infra: Dum » quidam affectui suo nimiùm indulgent, & ea » scribunt, quæ animus scribentis dictat, non » veritas, tales Divos quandoque nobis exhi» bent, quales Divi ipsi, etsi possent, esse ta» men noluissent. Hæc Melchior Cano. Ex quibus constat falsas illas historias, fictitias visiones, suspecta miracula, nedum ab Ecclesia non probari, sed ne à viris eruditis tolerari quidem posse.

Quorumdam Authorum qui Vitas Sanctorum scribunt, incuria, & imperitia castigatur.

Ecclesiæ porro disciplinam Hæreticorum libros exitio flammisque devoventis immeritò carpit Dallæus, cùm ejus origo non à Septima Synodo (ut ipse quidem innuit) sed ab Apostolis ortum habeat. Legimus enim in Actis Apostolorum, quòd *Multi ex eis qui fuerant curiosa sectati, contulerunt libros, & combusserunt eos coram omnibus*. Certè si libri curiosi & superstitiosi ex Apostolorum præcepto comburebantur, multò magis libri hæretici flammis devoti fuissent. Hinc Arii libros Constantinus, Eutychetis Valentinianus & Marcianus flammis tradi, legibus latis sanxerunt. Hinc Sanctus Leo Epistola 93. ad Turribium data, cap. 15. libros à Priscillianistis conscriptos, suppositos, vel interpolatos, igne damnandos esse pronuntiat. *Curandum ergo est*, inquit, *& Sacerdotali diligentia maximè providendum, ut falsati codices, & à sincera veritate discordes, in nullo usu lectionis habeantur. Apochrypha autem Scriptura, quæ sub nomine Apostolorum multarum habent seminarium falsitatum, non solùm interdicenda, sed etiam penitus auferenda sunt, atque ignibus concremanda. Quamvis enim sint in iis quædam, quæ videntur speciem habere pietatis, numquam tamen vacua sunt venenis, & per fabularum illecebras hoc latenter operantur, ut mirabilium narratione seductos, laqueis cujuscumque erroris in-* A *volvant. Unde si quis Episcoporum, vel apocrypha haberi per domos non prohibuerit, vel sub Canonicorum nomine eos codices in Ecclesia permiserit legi, qui Priscilliani adulterina sunt emendatione vitiati, hæreticum se noverit judicandum: quoniam qui alios ab errore non revocat, seipsum errare demonstrat*. Ecclesia itaque libros Hæreticorum prohibens, exitioque devovens, tantùm abest ut traditionis depositum violet, quin potiùs ipsum diligenter & fideliter custodit.

Disciplinam Ecclesiæ, libros Hæreticorum flammis devoventis, perperam & impie carpe Dallæus.

Responsiones Bellarmini, Alani Copi, Latini Latinii, & similium, quæ loca Patrum difficilia B eludunt interdum potiùs quam solvant, ab Hæreticis supposita aut interpolata, ex divinatione dicendo, doctis hominibus non probantur ex Catholicorum Theologorum cœtu. Viri quidem sunt Eruditi, qui hæc effugia quæsierunt, sed in quibus quandoque diligentia major, & criterium paulò accuratius desideretur.

Ad quintam Dallæi rationem respondeo, Patrum libros quamvis Græcè, vel Latinè scripti sint, non ideo esse intellectu ita difficiles ut eorum sensum assequi non possint Eruditi, qui Ecclesiæ doctrinam & Apostolicæ Traditionis veritatem in iis C scrutantur, quam plebi Christianæ proponant, & quam velut arietem fortissimum ad prosternendas hæreses admoveant. Enimverò si linguæ & idiotismi non impediunt quin Scripturæ sacræ sensus cuilibet obvius esse possit, Calvinistarum judicio: non prohibebunt quin Patrum scripta intellectu assequi possimus. Fateor quosdam Interpretes Veterum hallucinatos interdum esse, sed ab aliis emendati sunt, & quotidie emendantur ipsorum errata; nec in quæstionibus controversis testimonia proferimus adversùs Hæreticos, nisi vel ex originario textu Authorum, vel certè ex versionibus integerD rimis. Loca quædam Patrum obscura esse fateor, & Protestantibus in speciem faventia, si per se & ut avulsa ab antecedentibus & consequentibus spectentur, qualia sunt illa quæ contra realem corporis Christi in Eucharistia præsentiam Dallæus profert: sed si cum antecedentibus & consequentibus comparentur, si Patrum illis in locis propositum attendatur & scopus, si modi loquendi Patribus illis familiares mente revolvantur, si dictorum intelligentia ex causis assumatur dicendi, si denique ex cæteris eorumdem Authorum locis in quibus E eo de argumento egerunt, feratur judicium, nec loci perspicui ex obscuris, sed obscuri ex perspicuis exponantur, eorum assequi sensum facillimum erit. Quod in controversia de Eucharistia, doctissimus Cardinalis Perronius indicata à Dallæo Tertulliani & Sancti Augustini testimonia discutiens fœlicissimè præstitit. Sequenda igitur est regula quam tradit Facundus Hermianensis lib. 9. c. 5. *Quemadmodum calumniantium Hæreticorum est ex dubiis & obscuris quæ certa & manifesta sunt malè interpretari: ita solitum est prudentiæ ac pietatis Catholicæ, ex indubitatis atque evidentibus & firmare ambigua, & latentia declarare.*

Regulæ ad Patrum doctrinam intelligendam.

Regulas quasdam admittimus, quæ clavis instar F sunt ad sensa Patrum reseranda, & eas ipsas probamus, quas cap. 5. non ex se ipso, sed ex Veteribus Dallæus profert. Sed non inde sequitur auctoritatem Patrum nullius usûs & potestatis ad fidem faciendam in quæstionibus controversis esse posse, nec ex eorum testimoniis illas posse dirimi. Alioqui rectè colligeretur fidei controversias ex Scriptura sacra dirimi atque judicari non posse, quia necessariæ sunt regulæ quædam ad Scripturæ divinæ intelligentiam. Unde & Tichonii regulas Sanctus Augustinus admittit, & exponit, & alias quasdam tradit in libris de Doctrina Christiana, ad Sacros Libros intelligendos perutiles. Cæterùm ad quævis

Patrum loca regulas illas referre extremæ fuerit dementiæ. Nec enim quia Hieronymi loca quædam in libris contra Jovinianum, in quibus præ virginitate nuptias deprimens, opus conjugale damnare videtur, comparatè intelligenda sunt, ideo quævis Hieronymi loca in quibus Romanæ doctrinam Ecclesiæ circa controversa modò fidei capita approbat, comparatè intelligenda sunt: verbi gratia, quæ de Sanctorum venerandis reliquiis contra Vigilantium in Protestantibus redivivum asserit. Nec sequitur figuratè loqui, quoties de fidei nostræ dogmatibus aliquid scribunt Veteres, quod hodiernorum Hæreticorum jugulum petat, quia variis Rhetoricæ figuris libros suos insperserunt. Alioqui nulla ex Scriptura sacra poterit peti in quæstionibus controversis certa probatio, quia & frequentes in ea figuræ sunt, quas Christianorum vulgus non animadvertit, sed Eruditi dumtaxat qui eas assiduâ lectione terunt.

Præterea, regulæ assignantur certissimæ, quibus Metaphorica locutio à simplici, nuda, & (ut ita dicam) naturali distinguatur. Sublatis namque hujusmodi regulis, nullus erit vel in Scriptura sacra; vel in Veterum monumentis locus, cui non sensus Metaphoricus affingi possit, sicque ad omnium fidem Mysteriorum evertendam patebit via. Cùm, verbi gratiâ, Christum esse Deum Scriptura & Patres disertè asserent, respondebunt Ariani & Sociniani, Deum esse metaphoricè; gratiâ non naturâ Deum esse. Cùm Christum natum ex Virgine asserent, respondebunt Valentiniani & Apollinaristæ, id metaphoricè intelligendum, quod è cœlis allatum corpus per Virginis uterum tanquam per canalem purissimum transmiserit. Cùm dicent passum esse & mortuum, ad sensum metaphoricum Manichæi & Mahometani confugient, & respondebunt passum dici & mortuum, quia specie tenus passus & mortuus est. Cùm dicent, Christum sanguine suo hominum genus redemisse, metaphoricas esse has locutiones obgannient Sociniani, nihilque aliud significare, quàm Christum mortuum esse ut doctrinæ sacræ veritatem morte sua confirmaret, ob eamque rationem liberationem hominum ac salutem ejus morti tribui, cùm ipsius doctrinam suscipiunt & legem adimplent: non quòd sanguinem suum ut pretium humanæ redemptionis Christus obtulerit.

Regulæ ad locutiones metaphoricas in Veterum scriptis dignoscendas.

Hæ autem ad dignoscendas in scriptis Veterum Metaphoras præcipuæ sunto regulæ, ac leges.

Prima. Cùm simplici, ac Metaphoricô sermone res eadem tam facilè exprimi potest, locutiones simplices frequentiùs, Metaphoricæ rariùs usurpantur. Quippe cùm ad ea quæ naturæ ac veritati magis accommodata sunt & consona ut plurimùm homines ferantur, Metaphoricas locutiones adeò frequenter non usurpant, quæ coactæ quodammodo sunt, & contrariæ veritati, si severè accipiantur. Sic Metaphoricam locutionem esse nemo facilè non intelliget, qua Sanctus ait Gaudentius, aquam Baptismi, quem conversis à se populis contulerunt Apostoli, in vinum esse conversam, quia sic de Baptismo nec ipse Gaudentius, nec alii Patres loqui solent. *Ergo*, inquit, *postquam beatissimi Apostoli Fidelium Ministrorum functi officio, repleverunt hydrias credentium populorum aquâ venerandi Baptismatis, & Dominus Jesus invisibili virtute hanc aquam convertit in vinum, ita ut baptizati ab illis confestim divinum Spiritus in se operantis saporem repentina linguarum gratia testarentur.* Conversionem aquæ in vinum in Baptismo ab Apostolis collato, Metaphoricè vocat Gaudentius impletionem mysterii, quod aquæ in vinum conversione in nuptiis Cananiticis fuerat præfiguratum. Cùm itaque Patres non rarò, sed frequenter, corpus Christi à Fidelibus in Eucharistia recipi & manducari, panem fieri corpus Christi; Confessionem quæ fit Sacerdotibus, expungere peccata, & Sacerdotes peccata confitentibus & exomologesim agentibus remittere: Ecclesiæ orationes prodesse defunctis in fide & gratia Christi, Sanctos licitè & piè coli & invocari, & alia hujusmodi asserant, ineptum est Metaphoras in eorum tam crebris remque perspicuis sermonibus comminisci.

Secunda lex. Prolixam orationem, quæ rem eamdem similibus locutionibus sæpius inculcat, Metaphoricam esse nemo jure dixerit. Cùm enim aliquo sensu falsa sit Metaphorica locutio, contra naturam est ut continua sit: aliàs ænigmatica, & ad fallendos auditores vel lectores composita esset oratio. Cùm itaque Patres diu in eis locutionibus perseverent, quibus Eucharistiam esse corpus Christi, vel orationes Ecclesiæ Fidelibus defunctis utiles esse ad levamen & solatium, vel dogma aliquod hujusmodi ex controversis inter Protestantes & Romanam Ecclesiam asserunt, & secundùm nos pronuntiant; cúmque eas locutiones urgeant & inculcent, illisque multas quandóque impleant paginas; absurdum est & insulsum respondere, ut Protestantes respondent; Patres illis in locis metaphoricè locutos. Certè si sumatur in manus Homilia 24. Sancti Joannis Chrysostomi in Epistolam 1. ad Corinthios, & absque partium studio legatur, evidens erit ipsum metaphoricè non loqui, cùm Eucharistiam corpus & sanguinem Christi totâ ferè Homiliâ vocat, eoque sensu de illa loquitur, non raptim & obiter; sed ex proposito; data opera, diu, prolixè, luculenter, ut Fideles ad Eucharistiam dignè suscipiendam adhortetur; Virum sanè suæ ætatis eloquentissimum tam prolixa & importuna Metaphora orationem suam consultò obscurasse, ut auditores lectoresque suos falleret potiùs quàm doceret, nemo sanæ mentis dixerit.

Tertia lex. In probandis locutionibus Metaphoricis Authores non laborant. Cùm enim propter seipsas in oratione non ponantur; sed simplicium vocum & locutionum loco & vice, proprio in sensu falsæ sunt, & in alio duntaxat sensu à propria significatione remoto sunt veræ: adeóque nemo probationem illarum affert secundùm sensum proprium, proximúmque, cujus nimis comperta falsitas est, quàm ut eum verum esse quis probare velit. Itaque si Patres assertiones de dogmatibus inter nos & Protestantes controversis suas probent, sicut, verbi gratia, mutationem panis & vini in corpus & sanguinem Christi, probant ex aliis miraculis, quæ Deus in Veteri Novoque Testamento operatus est, & præcipuè ex verbis Christi dicentis, *Hoc est Corpus meum: Hic est Sanguis meus qui pro vobis effunditur:* Argumento est illorum locutiones metaphoricas non esse.

Quarta lex. Metaphoræ dubitationis & admirationis ansam non præbent; quia metaphoricas locutiones ad literam non esse intelligendas exploratum est. Sic si dicatur, Benjamin est lupus rapax, Christus est Leo de Tribu Juda, Septem vaccæ erant septem anni, Sanguis victimarum erat Testamentum & fœdus; nemo dubitat, nemo miratur, quærit nemo qua ratione hæc fieri possint. Fidem hæ propositiones superare videntur nemini. Itaque si Patres dubitandi, & obstupescendi locum esse innuant, cùm aliquod controversorum inter nos & Protestantes dogmatum asserunt & docent ut illud credimus: verbi gratia, si asserendo panem esse corpus Christ, admirationi locum esse testentur, & quærant: *Quomodo, quod video, corpus Christi est?* Si Fideles contra hujusmodi dubia munire satagant, illisque persuadere ut verbo Dei (fi-

cus

cut par est) potiùs credant quàm sensibus; argumento est illos Metaphoricè his in locis locutos non esse.

Lex quinta. In omni orationis genere Metaphoræ non adhibentur. Sermo simplex, historicus, dogmaticus, & familiaris Metaphoras nescit. Igitur si Patres in expositione literali Scripturæ sacræ, in familiaribus Homiliis, in Catecheticis Orationibus, aliquod dogma eorum quæ hodie inter nos & Protestantes controvertuntur, asserant, sicut Sanctus Cyrillus Hierosolymitanus in Catechesibus, Sanctus Gregorius Nyssenus in Oratione Catechetica, Sanctus Augustinus in libro de Fide & Symbolo, in Sermonibus ad Competentes, & ad recèns baptizatos, Sanctus Ambrosius lib. de Initiandis & de Sacramentis; & generatim Patres omnes cùm Scripturæ sacræ loca, quibus hodiernæ controversiæ nituntur, simpliciter exponunt; constat eos Metaphoricè non loqui.

Sexta lex. Ineptum esset uti Metaphoris, dum sermo coram auditoribus habetur, à quibus intelligi illas non posse verisimile est; aut saltem iis in casibus exponendæ sunt. Nam lex societatis jubet verba nos adhibere, quibus mentem nostram aperiamus: lex charitatis imperat, ne quos docere volumus, eos verbis obscuris, & quorum sensum assequi non possint, ducamus in errorem. Quoties itaque Patres de Mysteriis religionis nostræ ad Ethnicos scribunt, vel Catechumenis aut Neophytis coram loquuntur, qui figuratas de rebus sacris locutiones intelligere non possint, utpote locutionibus adeo à communi usu remotis non assueti, certum est ea quæ de Christianæ Religionis dogmatibus, vel Sacramentis dicunt, non esse metaphoricè intelligenda. Verbi gratia, hæc Sancti Justini verba in Apologia ad Antoninum Imperatorem metaphorico sensu accipere summæ vecordiæ est: *Non enim ut communem panem, neque ut communem potum ista sumimus: sed quemadmodum per Verbum Dei caro factus Jesus Christus Salvator noster, & carnem & sanguinem salutis nostræ causâ habuit: ad eumdem modum etiam eam alimoniam, in qua per preces Verbi ejus ab ipso profecti gratiæ sunt actæ, unde sanguis & caro nostra per mutationem aluntur, Incarnati illius Jesu Carnem & Sanguinem esse edocti sumus.* Certè cùm ethnicis Imperatoribus exponere simpliciter vellet Sanctus Justinus quid esset Eucharistia, ineptum est fingere quòd metaphoricè locutus sit, & id unum significare in animo habuerit verbis laudatis, panem & vinum verbo Dei sanctificata signum esse merum Corporis & Sanguinis Christi, vel figuram virtute Corporis & Sanguinis Christi repletam & fœcundatam: Verba enim laudata tam insolentem sensum, tamque à nativa sua significatione alienum, Ethnicorum Principum mentibus non ingenerassent.

Ad id quod objicit Dallæus de confusione vocum, quas mutata significatione retinuimus, respondeo, Voces quibus Patres usi sunt; vel easdem fuisse, vel æquivalentes iis, quibus ad res sacras significandas utimur, proindeque nullam inde oriri Veterum in libris obscuritatem.

Ad sextam Dallæi rationem respondeo, Patres quibusvis in libris, & quolibet in genere dicendi, sive dogmatico, sive polemico, sive in Commentariis, sive in Homiliis, ea scripsisse quæ sentirent, nec Libros, Tractatus, aut Orationes edidisse ut animi sui sensa involverent perpetua caligine, utque Catholicis quos docebant, absconderent, aut dissimularent veritatem; adeoque ipsos propria ex sententia loqui, nisi aliorum opiniones referant, easque improbent. Hinc Sanctus Hieronymus cap. 3. lib. 3. Apologiæ adversùs Ruffinum, ait: *Nos in Commentariis nostram & aliorum sententiam explicavimus, apertè confitentes quæ sunt hæretica, quæ Catholica. Hic est enim Commentariorum mos, & explanationum regula, ut opiniones in expositione varias persequantur, & quid vel sibi, vel aliis videatur, edisserant.* Licet porro contra adversarios fidei disputantes Patres in Tractatibus Polemicis arte & figuris utantur, interdumque argumentis ad hominem ipsorum jugulum petant; ex quo quædam oritur in eorum sermone obscuritas; tamen hanc reliquæ orationis, & aliorum locorum luce dispellere facillimum est: nec ea prohibet quin plurimùm valeat ipsorum auctoritas ad controversias fidei dirimendas. Alioqui sequeretur plures Sancti Pauli Epistolas; quæ in genere Polemico sunt, & in quibus Apostolus non minùs arte quàm doctrina cum Judæis congreditur, ad controversias fidei judicandas nullius esse momenti. Certè quod de Patribus qui in hoc scribendi genere versati sunt, Sanctus Hieronymus ait, de Sancto Paulo pariter dicit. *Taceo*, inquit, *de Latinis Scriptoribus, Tertulliano, Cypriano, Minutio, Victorino, Lactantio, Hilario, ne non tam me defendisse; quàm alios videar accusasse. Paulum Apostolum proferam, quem quotiescunque lego, videor mihi non verba audire, sed tonitrua. Legite Epistolas ejus, & maxime ad Romanos, ad Galatas, ad Ephesios, in quibus totus in certamine positus est: & videbitis eum in testimoniis quæ sumit de Veteri Testamento, quàm artifex, quàm prudens, quàm dissimulator sit ejus quod agit. Videntur quidem verba simplicia, & quasi innocentis hominis ac rusticani, & qui nec facere, nec declinare noverit insidias; sed quocumque respexeris fulmina sunt. Hæret in causa; capit omne quod tetigerit, tergum vertit ut superet, fugam simulat ut occidat. Calumniemur ergo illum, atque dicamus ei: Testimonia quibus contra Judæos, vel cæteras hæreses usus es, aliter in suis locis, aliter in tuis Epistolis sonant. Videmus exempla captiva servire tibi ad victoriam, quæ in suis in voluminibus non dimicant. Nonne nobis loquitur cum Salvatore; Aliter foris, aliter domi loquimur: Turba parabolas, Discipuli audiunt veritatem? Proponit Pharisæis Dominus quæstiones & non edisserit. Aliud est docere Discipulum, aliud adversarium vincere. Mysterium*, inquit, *meum mihi, Mysterium meum mihi, & meis.*

Ad septimam Dallæi rationem respondeo, Adversariis probandum incumbere quòd Patres in eadem ad obitum usque sententia non persliterint, in iis quæ fidem spectabant. Enimvero licet à quibusdam suis sententiis nonnunquam discesserint, prout ætate, exercitatione & studio maturuerat illis judicium; licet quæ in juventute scripserunt, in senectute quandoque excusserint & emendarint, quod Sanctus Augustinus in Retractationibus præstitit: ex iis tamen quæ sic mutarunt, & castigarunt prioribus dictis suis, aliqua ad Ecclesiæ fidem & ad capita inter nos & Protestantes controversa pertinere nullus Dallæus ostendet. Persuasum enim habuerunt Patres, quod Vincentius Lirinensis Commonitor. 1. cap. 25. scribit: *Illum esse verum & germanum Catholicum, qui veritatem Dei, qui Ecclesiam, qui Christi Corpus diligit, qui divinæ religioni, qui Catholicæ fidei nihil præponit, non hominis cujuspiam auctoritatem, non amorem, non ingenium, non eloquentiam, non Philosophiam; sed hæc cuncta despiciens, & in fide fixus & stabilis permanens, quicquid universaliter antiquitus Ecclesiam Catholicam tenuisse cognoverit, id solum sibi tenendum credendumque decernit. Quicquid verò ab aliquo deinceps uno præter omnes, aut contra omnes Sanctos, novum & inauditum subinduci senserit, id non ad religionem, sed ad tentationem potiùs intelliget pertinere.* Persuasum planè habebant Patres, quod & Sanctus Ambrosius à Vincentio Lirinensi cap. 7. laudatus, scripsit

Vera Patrum sententia ex eorum etiam libris Polemicis cognoscitur.

Patres suam, in iis quæ fidem spectabant, sententiam nusquam retractarunt.

scripsit in 3. de Fide ad Gratianum Imperatorem libro: *Servemus igitur præcepta Majorum*, inquit, *nec hæreditaria signacula ausi rudi temeritate violemus. Librum signatum illum Propheticum, non Seniores, non Potestates, non Angeli, non Archangeli aperire ausi sunt, soli Christo explanandi ejus prærogativa servata est. Librum Sacerdotalem quis nostrum dissignare audeat, signatum à Confessoribus, & multorum jam martyrio consecratum? Quem qui dissignare coacti sunt, postea tamen damnata fraude signarunt; qui violare non ausi sunt, Confessores & Martyres extiterunt. Quomodo fidem eorum possumus denegare, quorum victoriam prædicamus?*

Regulæ ad dignoscendũ utrum Patres suam de dogmatibus hodie controversis sententiam, ut capita fidei proposuerint.

Ad octavam Dallæi rationem respondeo, Non deesse media quibus cognoscamus an Patres suam de dogmatibus hodie controversis sententiam ut necessariò credendam proposuerint. Primum est, si contrariam habuerint ut hæreticam. Ita Ecclesiæ dogmata de distinctione Episcopatûs à Presbyteratu, deque Episcoporum supra Presbyteros eminentia, necnon de precum Christianarum pro defunctis usu & utilitate, à Patribus propugnata esse, nedum ut probabilia, sed ut necessariò credenda & confitenda ad salutem scimus, quia Aërium illa negantem & impugnantem, Hæreticorum numero & loco habuerunt, ut constat ex Patribus qui adversùs hæreses scripsere, aut earum texuere Catalogum. Ita constat sententiam Patrum de honorandis Sanctorum Reliquiis fuisse ab eis propugnatam ut dogma Ecclesiasticum, & divina fide credendum, quia Vigilantium id negantem, velut hæreticum sunt insectati.

Altera nota quâ id dignoscere possumus, sunt verba fidei professionem exprimentia, quibus usi sunt cùm illis de dogmatibus agerent; *Credimus*, *confitemur*, *edocti sumus*, *Christus dixit*, vel *jussit*, *Apostoli tradiderunt*, *credit*, vel *tenet Ecclesia*, & similia.

His addendæ sunt formulæ, seu verba solemnia, quibus Christiani ad Mysteria accedentes, fidem de illis suam profitebantur. Ita constat sententiam Patrum de reali præsentia Corporis & Sanguinis Christi in Sacramento Eucharistiæ, non ut probabilem dumtaxat, sed ut necessariam, & ut dogma fidei, fuisse propositam, & propugnatam; quia cùm Fidelibus Eucharistiam sumentibus diceret Sacerdos, *Corpus Christi*, ipsi respondebant, *Amen*, id est, *Verum est*: quo verbo fidem suam profitebantur.

Tertia nota est, si in Catechesibus, & Sermonibus ad Catechumenos, vel ad Neophytos, hæc asseruerint Patres, hæcque illis inculcaverint ut credenda. Cùm enim probabiles opiniones ipsos edocere non satagerent, sed fidei dogmata, quibus informari Christianum, illáque credere, ad salutem æternam consequendam necessarium est; ab ipsis propugnata esse illa dogmata, quæ inter nos & Protestantes hodie controvertuntur, manifestum est, si ea Neophytis in Catechesibus inculcarint, & credenda proposuerint.

Quarta nota est, si ut primùm impugnata sunt illa dogmata, & in controversiam vocari cœpta, Episcopi & Concilia ut Hæreticos damnaverint, qui contrarium senserunt, docuerunt, & prædicarunt, si Ecclesiastici Scriptores contrariam sententiam ut ab Ecclesiæ Catholicæ fide alienam exagitarunt & confutarunt; argumento enim est, dogmata illa fuisse à Patribus proposita & propugnata ut capita Fidei. Sic invocationem Sanctorum, & honorariam imaginum venerationem quæ asserit sententia, à Patribus qui suis illam in scriptis expressêrunt, habitam esse ut dogma fidei contendimus, quia statim atque caput extulerunt Iconomachi, & illam palàm impugnare cœperunt, eos Ecclesia anathemate confixit, Catholici Doctores eos ut fidei hostes exagitarunt, Orientalis & Occidentalis Ecclesia in Septima Synodo ut Hæreticos proscripsit. Ita doctrinam de reali Corporis & Sanguinis Christi in Sacramento Eucharistiæ præsentia, à Patribus assertam & propugnatam ut dogma fidei contra Protestantes ostendimus, quia statim atque Sacramentariorum parens Berengarius eam impugnavit, postulatus est hæreseos, & in frequentibus Conciliis damnatus, ac tandem errorem ejurare & dogma de reali Corporis & Sanguinis Christi præsentia in Eucharistiæ Sacramento solenniter profiteri coactus est. Tandem qui contra ipsum adhuc spirantem scripserunt, Hugo Lingonensis Episcopus, Durandus Troarnensis Abbas, Lantfrancus Cantuariensis Archiepiscopus, & Guitmundus Aversanus, Berengarii doctrinam *contra Catholicam veritatem, & contra omnium Ecclesiarum opinionem*, sive contra id *quod Catholica per orbem universum prædicat Ecclesia*, pugnare testantur; Berengariumque & ejus Discipulos disertè Hæreticos vocant. Ex hâc postremâ notâ compertum est, doctrinam Veterum de omnibus universum capitibus inter Catholicos & Protestantes hodie controversis, quæ Romanæ Ecclesiæ fidei consona demonstratur, ab ipsis assertam fuisse ut dogma fidei, & ut necessariò credendam ad salutem. Siquidem statim atque contra eam Lutherus & Calvinus mussitare cœperunt, Pontifices, Episcopos, Theologos Catholicos, ac novissimè Synodum Oecumenicam Tridentinam, à qua sunt anathemate confixi, adversariam experti fuere. Cùm igitur Ecclesia in Conciliis congregata dogma aliquod ad fidem spectare pronuntiavit, certissimum est illud habitum fuisse à Patribus ut dogma fidei. Id Vincentii Lirinensis verbis Commonitorio 1. cap. 32. confirmemus, ubi de Ecclesia sic loquitur: *Denique quid unquam aliud Conciliorum Decretis enisa est, nisi ut quod antea simpliciter credebatur, hoc idem postea diligentiùs crederetur: quod antea lentiùs prædicabatur, hoc idem postea instantiùs prædicaretur: Quod antea securiùs colebatur, hoc idem postea sollicitiùs excoleretur? Neque quidquam præterea Hæreticorum novitatibus excitata, Conciliorum suorum Decretis Catholica perfecit Ecclesia, nisi ut quod priùs à Majoribus sola Traditione susceperat, hoc inde posteris etiam per Scripturæ Chirographum consignaret: Magnam rerum summam paucis literis comprehendendo, & plerumque propter intelligentiæ lucem, non novum fidei sensum, nova appellationis proprietate signando.*

Dices. Quæ Patres necessaria asseruerunt, Ecclesia tantum probabilia quandoque censet, imò & interdum falsa. Ergo non sequitur ad fidem pertinere, quæ Patres necessaria ad salutem censuerunt.

Probatur antecedens. S. Augustinus & Innocentius I. parvulorum baptizatorum Communionem planè necessariam existimarunt. Ait enim Augustinus libro 1. de Peccatorum Meritis & Remissione, cap. 24. *Ex antiqua & Apostolica Traditione Ecclesias Christi insitum tenere, præter Baptismum & participationem Dominicæ Mensæ, non solum ad regnum Dei, sed nec ad salutem & vitam æternam posse quemquam hominum pervenire.* Quod postquam ex Scriptura sacra confirmasset, subdit: *Si ergo, ut tot & tanta divina testimonia convincunt, nec salus, nec vita æterna sine Baptismo, & Corpore & Sanguine Domini cuiquam speranda est, frustra sine his promittitur parvulis.* Et tribus antè capitibus, de his apud Joannem Domini verbis agens: *Nisi manducaveritis carnem meam, & biberitis sanguinem meum, non habebitis vitam in vobis:* Fusè disputaverat ea non minùs ad parvulos, quàm ad adultos pertinere. *An*

*quisquam*

*quisquam etiam*, inquit, *hoc dicere audebit, quòd ad parvulos hæc sententia non pertineat possintque sine participatione Corporis & Sanguinis, in se habere vitam?* Et sic constanter octo aut decem Operum ejus locis, quos longum esset referre, scilicet Epistola 106. & 107. libro 1. contra duas Epistolas Pelagianorum cap. 22. & lib. 4. cap. 4. lib. 1. contra Julianum cap. 2. & lib. 3. cap. 1. & cap. 12. lib. de Prædestinatione Sanctorum cap. 13. Tract. 120. in Joannem & Serm. 3. de verbis Apostoli. Innocentius I. Papa ejus æqualis fuit in eadem sententia. Nam Baptismum parvulis esse necessarium, ut vitam æternam consequantur, ex eo adversùs Pelagianos probat, quòd absque Baptismo ad Eucharistiam, quam ad salutem necessariam docet, admitti non possent. Extat Innoceotii Epistola ad Milevitanam Synodum data, inter Augustinianas 95. ac ut deesset, non sinit nos Augustinus ea de re dubitare. *Innocentius*, inquit, *parvulos definivit, nisi manducaverint carnem Filii hominis, vitam prorsus habere non posse.* Et tamen Tridentina Synodus Sessione 24. cap. 4. *Nulla necessitate salutis, sed probabilem tantum ob causam*, Veteres parvulos usu rationis carentes ad Communionem suscepisse decernit.

Respondeo distinguo majorem: Quæ Patres aliqui necessaria existimarunt, ea quandoque Ecclesia necessaria non censet, concedo; quæ Patres universi, vel Patrum pars maxima, nego. Ad probationem respondeo, esto, Sanctus Augustinus & Innocentius I. Eucharistiam baptizatis parvulis ad salutem necessariam censuissent, non sequitur cæteros Patres in eadem sententia fuisse.

Quo sensu S. Augustinus & Innocentius I. Eucharistiam necessariam senserint infantibus?

Respondeo secundò, Sanctum Augustinum & Innocentium I. censuisse quidem rem & virtutem Eucharistiæ, quæ in conjunctione & incorporatione cum Christo posita est, & quam sine Baptismo habere infantes non possunt; sive jus ad Eucharistiam suscipiendam, quod in gratia Baptismatis fundatur, necessarium ipsis esse ad vitam æternam consequendam; non verò actualem Eucharistiæ perceptionem, seu Communionem. Eam esse Sancti Augustini mentem patet ex omnibus locis, quibus Baptismum parvulis ad salutem sufficere disertè asserit, tum maximè ex libro 3. de Peccatorum Meritis & Remissione cap. 4. *Si ambigui*, inquit, *aliquid habent verba Apostolica, Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes pertransiit, possuntque in aliam duci transferrique sententiam.... Numquid etiam & illud: Quia nisi manducaverint homines carnem ejus, hoc est, participes facti fuerint corporis ejus, non habebunt vitam? His atque hujusmodi aliis, quæ nunc prætereo, testimoniis divina luce clarissimis, divina auctoritate certissimis, nonne veritas sine ulla ambiguitate proclamat, non solùm in regnum Dei non baptizatos parvulos intrare non posse, sed nec vitam æternam posse habere præter Christi Corpus, cui ut incorporentur, Sacramento Baptismatis imbuuntur?* Et certè Ecclesia, cujus est de Patrum, ut & de Scripturæ sensu judicium ferre, sic Augustinum, Innocentium & alios intellexit, ut ex cap. 4. Sessionis 21. Concilii Tridentini colligere licet. *Denique eadem sancta Synodus docet, parvulos usu rationis carentes, nulla obligari necessitate ad Sacramentalem Eucharistiæ Communionem. Siquidem per Baptismi lavacrum regenerati & Christo incorporati, adeptam jam filiorum Dei gratiam in illa ætate amittere non possunt. Neque ideo tamen damnanda est antiquitas, si eum morem in quibusdam locis aliquando servavit. Ut enim sanctissimi illi Patres sui facti probabilem causam pro illius temporis ratione habuerunt, ita certè eos nulla salutis necessitate id fecisse, sine controversia credendum est.* Hinc Canone 4. ita decrevit eadem sancta Synodus: *Si quis dixerit parvulis, antequam ad annos discretionis pervenerint, necessariam esse Eucharistiæ Communionem, anathema sit.*

Unde cognosci posse an Patres cum sui temporis Ecclesia senserint?

Ad nonam Dallæi rationem, simul & ad decimam respondeo, Ex Patribus coævis & supparibus, qui in eadem Ecclesia floruerunt, vel in aliis Ecclesiis quæ cum ista fuerunt communione conjunctæ, cognosci certò posse num cum sui temporis Ecclesia senserint Patres. Cognosci autem posse evidentiùs an cum Ecclesia nedum particulari, sed universali senserint, si neminem nedum in Ecclesia sua, sed nec in toto orbe Christiano Catholicum doctrinæ suæ repugnantem ipsos habuisse probetur: Imò cæteri Patres & Scriptores Ecclesiastici eadem summo consensu docuerint vel eorum certè pars maxima, idque manifestè, frequenter, perseveranter. Hæc regula est Vincentii Lirinensis Commonitor. 1. cap. 39. *Sed eorum dumtaxat Patrum sententiæ conferendæ sunt, qui in fide & communione Catholica sanctè, sapienter, constanter viventes, docentes, & permanentes, vel mori in Christo fideliter, vel occidi pro Christo feliciter meruerunt, quibus tamen hac lege credendum est, ut quicquid vel omnes, vel plures, uno eodemque sensu, manifestè, frequenter, perseveranter, velut quodam consentiente sibi magistrorum concilio, accipiendo, tenendo, tradendo firmaverint, id pro indubitato, certo, ratòque habeatur: Quicquid verò quamvis ille Sanctus & doctus, quamvis Episcopus, quamvis Confessor & Martyr, præter omnes, aut etiam contra omnes senserit, id inter proprias & occultas & privatas opiniunculas, à communis, publicæ, & generalis sententiæ auctoritate secretum sit, ne cum summo æternæ salutis periculo, juxta sacrilegam Hæreticorum & Schismaticorum consuetudinem, universalis dogmatis antiqua veritate dimissa, unius hominis novitium sectemur errorem.*

Ad undecimum Dallæi argumentum respondeo, Necesse non esse ut singulorum sententiæ compertæ sint Christianorum, ut cognoscamus quæ fuerit veteris Ecclesiæ fides: Cùm ex monumentis SS. Patrum, ex Conciliis, & ex hodiernæ Ecclesiæ sensu, satis innotescat quæ fuerit omnium retrò Catholicorum sententia circa illa fidei capita, quæ explicitè ab omnibus credenda sunt: quæ verò Episcoporum & Doctorum circa illa quorum implicita fides vulgo Christianorum sufficit ad salutem. Cùm enim *Regula fidei sit invariabilis & irreformabilis*: nec errare possit Ecclesia; & Catholicum verè propriéque dicatur, quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est, sequitur eamdem fuisse Catholicorum omnium sæculis retrò lapsis fidem, quamvis temporis progressu magis explicata fuerit hæreseon emergentium occasione. Ineptum porro est fingere quòd Patres contrarias aliorum circa illa capita, quæ ad summam fidei pertinere existimabant, senteotias dissimulaverint, & patienter tolerarint, quemadmodum & disciplinæ rituumque varietatem prudenti charitate dissimularunt, & patienter tulerunt. Cùm enim Ecclesiam & Fidem Catholicam dilexerint, cùm veritatis divinæ acerrimi vindices extiterint, cùm depositum sanæ doctrinæ & Apostolicæ Traditionis, secundùm Apostoli consilium custodierint, & profanas vocum oderint novitates; cùm denique quoties aliqua hæresis erupit, ipsi adversùs eam insurrexerint, ejusque Auctorem vitaverint, damnarint, confutarint: incredibile est illos contrarias aliquorum circa fidem senteotias dissimulasse, nec saltem indicasse, ut à venenatis doctrinis Catholici caverent. Nemo certè eorum apud se non dixit, quod Cœlestinus I. à Vincentio Lirinensi in Commonitorio 2. laudatus, in Epistola ad Gallorum Episco-

Ineptè fingit Dallæus, Patres in causa fidei aliqua dissimulatione aut œconomia usos fuisse.

pôt scripsit: *Meritò causa nos respicit, si silentio fovamus errorem.*

§. XXIII.

DALLÆI *solvuntur argumenta, quibus constat ipsius Liber II.* DE VERO PATRUM USU.

Objicitur iterum ex Dallæo. Patrum sententia, (etiamsi certò de ea constaret) non est infallibilis, nec extra erroris aleam omnem constituta: ergo non tantam habet auctoritatem, ut in ea acquiescere possit animus, qui in iis quæ ad Religionem pertinent, nec potest, nec debet alia credere, quàm ea de quorum veritate sibi certò constat.

Antecedens probat Dallæus lib. 2. de Vero Usu Patrum, cap. 1. hac ratione. Duo sunt locorum, qui apud Patres occurrunt, genera. Nam vel ut testes narrant quæ in sui sæculi Ecclesia credebantur, aut gerebantur, vel ut Doctores quid ipsi sentiant exponunt: sed utrovis modo spectentur, falli potuerunt: ergo eorum auctoritas non est medium infallibile ad controversias fidei dirimendas.

Probatur minor. Dato quod Patres de jure, vel nunquam vel rarissimè errent, falli tamen & errare sæpius possunt, ubi de facto quæritur. Scire autem quæ singulis sæculis fuerit Ecclesiæ sententia, cognitio facti est, non juris; historia est, non fidei caput. Videntur ergo Patres falli potuisse, dum quæ hujusmodi sunt exponunt: unde sequitur eorum in hoc rerum genere testimonia nequaquam esse admittenda velut absolutè vera.

Id confirmat Dallæus exemplo Philastrii Brixiensis Episcopi, qui molta in hæreseon censum refert, quæ ab Ecclesia hæreseos damnata esse, ab omni veri specie abhorret. Nam (si ei credimus) hæretici fuerunt, qui Epistolam ad Hebræos, non Pauli, sed aut Barnabæ Apostoli, aut Clementis Romani esse dixerunt, (lib. de Hæresibus cap. 41.) Hæretici sunt, qui non putant omnes Psalmos ab uno Davide scriptos fuisse, (cap. 79.) Hæresis est, ut hic quidem censet cap. 82. stellas in Cœlum infixas putare; non de thesauris, locisque absconditis, atque à Deo dispositis, in vesperum jussu Divino repente procedere, statutisque horis suo lumine cursum, ministeriumque suum indictum agnoscere. *Quod*, inquit, *contrarium alienumque Fidei Catholicæ invenitur.* Quis Ecclesiam illius sæculi hæc inter hæreses deputasse credat?

Secundò id confirmat Dallæus exemplo Sancti Hieronymi, qui testatur, Christi Ecclesiam credidisse Animam humanam immediatè à Deo creari, cùm eam in corpus infundit (Epistola 61. de erroribus Joannis Hierosolymitani, & lib. 2. Apologiæ contra Ruffinum) atqui de eo ambigit Augustinus, quin & palam propendet in adversam sententiam, quæ statuit Animam cum corpore simul fieri, & de patre in filium transire. Hoc verò satis ostendit tum temporis Ecclesiam nihildum ea de re definivisse. Sed Hieronymus commotiore in Ruffinum animo, sententiam in qua plerosque esse videbat ejus temporis Doctores, à tota Ecclesia receptam facilè sibi persuaderi passus est.

Tertiò id confirmat Dallæus exemplo Joannis Thessalonicensis Actione 5. Synodi VII. dicentis, *Ecclesiam censere Angelos non omnino esse incorporeos & invisibiles, sed habere corpora minuta & tenuia, quasique ignea, & aerea.* Istius nimirum sententiæ amor hunc Authorem, ut eam Ecclesiæ tribueret, impulit.

Quartò id confirmat exemplo Sancti Augustini, qui non semel testatur hanc universæ Ecclesiæ ante Cypriani tempora fuisse consuetudinem, ut venientes ab Hæreticis, à quibus essent baptizati, in Ecclesia absque novo Baptismo reciperentur: Firmilianus verò in Epistola ad Sanctum Cyprianum, in Ciliciæ & Cappadociæ Ecclesiis alium ab omni memoria morem fuisse docet.

Idem Augustinus Hieronymianam Scripturarum interpretationem cum LXX. Versione comparans, lib. 18. de Civitate Dei, cap. 43. *Ecclesia Christi*, inquit, *tot hominum auctoritati ab Eleazaro tunc Pontifice ad hoc tantum opus electorum, neminem judicat præferendum.* Suum, inquit Dallæus, & sibi consentientium judicium pro Ecclesiarum illius temporis judicio obtrudit. Ecclesiæ enim ipse ubi, & quando sic judicarunt? Nullum Ecclesiarum istius sæculi fuisse hujus generis judicium, satis ostendit vel sequentium Ecclesiarum fides, quæ Hieronymi Versionem, LXX. abdicatis, tandem prætulit.

Quintò. Id confirmat Dallæus exemplo Sancti Fulgentii, qui suum & Sancti Augustini de puerorum sine Baptismo extinctorum æternis cruciatibus dogma velut certum fidei caput proponit (lib. de Fide ad Petrum Diaconum cap. 27.) *Firmissimè tene, & nullatenus dubites* &c. *etiam parvulos* &c. *Qui sine sacramento sancti Baptismatis de hoc sæculo transeunt, ignis æterni supplicio puniendos.* Ad id dogma neque ab antiqua Ecclesia unquam definitum fuisse, vel posteriorum sæculorum contraria doctrina satis docet.

Ultimò id confirmat Dallæus exemplo Venerabilis Bedæ, qui lib. de Temporum Ratione, cap. 45. ait, *Habere Ecclesiæ fidem Dominum in carne paulò plus quam XXXIII. annis usque ad sua tempora Passionis vixisse.* Et mox. *Sancta siquidem Romana & Apostolica Ecclesia hanc se fidem tenere, & ipsis testatur indiculis, quæ suis in cereis annuatim inscribere solet*, &c. Idem eodem loco docet, *Quòd Dominus xv. Luna, feria vj. crucem ascenderit*, &c. *Nulli licere dubitare Catholico.* Fusè docet Petavius in Notis ad Epiphanium pagg. 113. & 143. has duas sententias, quas tanquam de fide Ecclesiæ essent, tradit Beda, nihil minùs esse quàm quod ille dicit. Ex bis porro omnibus colligitur, admittenda non esse tanquam certò vera ea omnia testimonia, quæ Patres de Ecclesiæ sui temporis fide perhibent.

Probat verò alteram partem minoris Dallæus, scilicet Patres falli posse cùm sententias suas ut Doctores exponunt. Quamvis enim sancti & eruditi fuerint, homines tamen fuerunt, ac proinde errori obnoxii. Neque enim Spiritu Sancto semper fuere afflati ut librorum Canonicorum Scriptores.

Id confirmat Dallæus cap. 2. ex hoc quòd Patres ipsi negent nudis suis assertionibus absolutè standum esse in iis quæ de religione ipsi in medium afferunt. Testis est Sanctus Augustinus Epist. 19. ad Sanctum Hieronymum data: *Ego*, inquit, *fateor Charitati tuæ, solis Scripturarum libris, qui jam Canonici appellantur, didici hunc honorem timoremque deferre, ut nullum eorum Auctorum scribendo aliquid errasse firmissimè credam*, &c. *Nec te, mi Frater, sentire aliquid aliter existimo: Prorsus, inquam, non sic arbitror te legi libros tuos velle, tanquam Prophetarum, vel Apostolorum, de quorum scriptis, quòd omni errore careant, dubitare nefarium est.* Idem non minùs luculenter asserit lib. 11. contra Faustum, & c. 5. lib. 2. de Baptismo contra Donatistas, cap. 3. *Quis*, inquit, *nesciat sanctam Scripturam Canonicam tam Veteris quam Novi Testamenti certis suis terminis contineri, eamque omnibus posterioribus Episcoporum literis ita praponi, ut de illa omnino dubitari & disceptari non possit, utrùm verum,*

*vel*

*vel utrùm rectum sit, quicquid in eis scriptum esse constiterit? Episcoporum autem literas, quæ post confirmatum Canonem vel scripta sunt, vel scribuntur, & per sermonem fortè sapientiorem cujuslibet in ea re peritioris, & per aliorum Episcoporum graviorem auctoritatem doctioremque prudentiam, & per Concilia licere reprehendi, si quid in eis fortè à veritate deviatum est, & ipsa Concilia quæ per singulas regiones, vel provincias fiunt, plenariorum Conciliorum auctoritati, quæ fiunt ex universo orbe Christiano, sine ullis ambagibus cedere? Ipsáque plenaria sæpe priora à posterioribus emendari, cùm aliquo experimento rerum aperitur quod clausum erat, & cognoscitur quod latebat, sine ullo typho sacrilegæ superbiæ, sine ulla inflata cervice arrogantiæ, sine ulla contentione lividæ invidiæ, cum sancta humilitate, cum pace Catholica, cum Charitate Christiana.* Et Epistola 111. ad Fortunatianum: *Neque*, inquit, *quorumlibet disputationes, quamvis Catholicorum & laudatorum hominum, velut Scripturas Canonicas habere debemus, ut nobis non liceat; salvâ honorificentiâ quæ illis debetur hominibus, aliquid in eorum scriptis improbare atque respuere, si fortè invenerimus quod aliter senserint quàm veritas habet, divino adjutorio vel ab aliis intellecta, vel à nobis. Talis ego sum in Scriptis aliorum, tales volo esse intellectores meorum.* Constat igitur ex Sancto Augustino, Patrum in Scriptis suis assertiones, non ipsorum auctoritate, sed rationibus quas afferunt, niti; approbandas non esse nisi Scripturæ aut rationi consonent; & ex utraque esse examinandas, cùm hominum sint, qui falli potuerunt.

In eamdem cum Sancto Augustino sententiam conspirat Sanctus Hieronymus Epistola 62. ad Theophilum Alexandrinum data. *Scio*, inquit, *me aliter habere Apostolos, aliter reliquos Tractatores; illos semper vera dicere, istos in quibusdam ut homines errare.* Et Epistola ad Pammachium & Oceanum cùm de erroribus Origenis egisset: *Erraverunt*, inquit, *alii, tam Græci, quàm Latini, quorum non necesse est proferre nomina, ut videamur eum, non sui merito, sed aliorum errore defendere.* Et paulò post; *Sic eum legam ut cæteros; quia sic erravit ut cæteri.* Et lib. 2. Apologiæ contra Ruffinum, loquens de Patribus qui ante Arianæ hæreseos originem, duriùs de Filio Dei sunt locuti: *Fieri potest*, inquit, *ut vel simpliciter erraverint; vel alio sensu scripserint, vel à Librariis imperitis eorum paulatim scripta corrupta sint, vel certè antequam in Alexandria, quasi dæmonium meridianum Arius nasceretur, innocenter quædam & minùs cautè locuti sint, & quæ non possint perversorum hominum calumniam declinare.*

Et Epistola 152. post relatas variorum Authorum sententias super quæstione quadam de qua interrogatus fuerat, ut convenientissima eligatur; subdit: *Nec juxta Pythagoræ Discipulos præjudicata Doctoris opinio, sed doctrinæ ratio ponderanda est.* Tum hæc subjungit: *Meum propositum est Antiquos legere, probare singula, retinere quæ bona sunt, & à fide Ecclesiæ Catholicæ non recedere.* Hæc passim inculcat, magnâque libertate censoriam virgulam identidem stringit in superiorum sententias & expositiones, ingenuè exponens quid de singulis sentiat (Epistola 15. ad Paulinum) *Beatus Cyprianus*, inquit, *de Scripturis Divinis nequaquam disseruit. Inclytus Victorinus Martyrio coronatus, quod intelligit, eloqui non potest. Lactantius utinam tam nostra confirmare potuisset, quàm facilè aliena destruxit. Arnobius inæqualis & nimius est, & absque operis sui partitione confusus. Sanctus Hilarius Gallico cothurno attollitur & longis interdum periodis involvitur, & à lectione simpliciorum Fratrum procul est.*

Et Epistolâ 133. ad Marcellam, Rheticium Augustodunensem, Ecclesiasticum Scriptorem sic perstringit: *Innumerabilia sunt, quæ in illius mihi Commentariis sordere visa sunt.* Et paulò post: *Tam malè videtur existimasse de cæteris, ut nemo possit de erroribus ejus judicare.* Denique aliorum Patrum sententias, sive expositiones eadem libertate rejicit, & quidem interdum non sine dicteriorum aculeis.

Sanctus etiam Ambrosius falli se potuisse agnovit l. 7. Epistola 47. *Ego*, inquit, *beneficio annumero, si quis mea legens Scripta, dicat mihi quo videatur moveri. Primùm quia in iis quæ scio falli possum, multa autem prætereunt, multa quibusdam aliter sonant.*

Eò referendum est Veterum studium in monendis sui sæculi hominibus ne sine prævio examine dicta sua susciperent; unde Origenes Homilia 2. in Ezechielem: *Quæ audientes*, inquit, *diligenter attendant, & accipiant gratiam Spiritus; de qua dictum est, Discretio spirituum, ut probati Trapezitæ facti diligenter observent quando falsus sim Magister, quando verò prædicem quæ sunt pietatis ac veritatis.*

Cyrillus eodem prorsus modo Catechesi 4. *Ne mihi ista dicenti simpliciter credideris, in demonstrationem eorum quæ tibi annuntio accipias è divinis Scripturis.*

Idem confirmat Dallæus cap. 3. nimirum Patrum infallibile non esse in quæstionibus de religione controversis testimonium: quia ea ratione scripserunt, ut manifestum sit iis inter scribendum de Religione pronuntiare non fuisse propositum. Id ex eo probat quòd inter Patrum Opera non pauca occurrant raptim scripta; quædam etiam ex tempore effusa, adeóque ejusmodi ut probabile sit Authores ipsos multa in iis fuisse emendaturos, si recognoscere licuisset. Tum ex multis Patrum sive in Historia, sive in Grammatica, sive in Philosophia, sive in aliis Disciplinis, erroribus quos recenset, satis constare ait, quàm parùm temporis ac curæ in plerisque suis Operibus adhibuerint.

Idem confirmat Dallæus cap. 4. ex eo quòd Patres, sive seorsum singuli, sive conjunctim plures, in variis Religionis capitibus erraverint. Tum singulorum errores & nævos persequitur, præsertim Justini, Irenæi, Clementis Alexandrini, Tertulliani, Cypriani, Origenis, Lactantii, Basilii, Gregorii Nazianzeni & Nysseni, Hilarii, Epiphanii, Joannis Chrysostomi, Ambrosii, Hieronymi, Augustini, Gregorii Magni. Denique sic concludit Calvinista: Cùm hi ipsi Patrum facilè Principes, suoque merito jam inde ab antiquissimis temporibus totâ Ecclesiâ celeberrimi, tam multipliciter in rebus ad fidem pertinentibus hallucinati sint, quid est, quæso, à cæteris expectandum, quorum longè minor est vel sanctitas, vel fama? Tum si Sancti isti Viri in rebus tanti momenti hallucinati sunt, hic de natura Dei, ille de humanitate Christi, alter de animarum nostrarum natura, alii de earum conditione, vel de corporum resurrectione, cur in capitibus de quibus disceptamus, hodie falli eosdem potuisse negabimus?

Responsionem verò quæ à Catholicis Theologis afferri solet, Aliam esse complurium Patrum rationem, aliam singulorum; singulos quidem errare posse & satis sæpe reipsa errare, fieri verò non posse ut vera non sint quæ Patres vel omnes, vel certè complures, magno consensu docuerint: Hanc, inquam, responsionem occupat Dallæus. Ait idem esse ac si quis postquam concessit singulos Senatores posse ægrotare, negaret tamen Senatum universum communi & quasi epidemico morbo posse laborare. Urget, In quibusdam ex iis erroribus, quos memoravit,

memoravit, versatos fuisse, non unum, non duos vel tres tantùm Patres, sed multos, sed plerosque, imò nonnunquam ejusdem sæculi universos. Non solum Justinum, sed plerosque omnes illius sæculi Doctores in eadem fuisse Millenariorum sententia, ut ipse testatur in Dialogo contra Tryphonem p. 306. Irenæum qui eo sæculo vixit, & Tertullianum, qui proximè eum secutus est, in eadem sententia fuisse. Hanc à Lactantio, Severo, Victorino fuisse receptam. Sanctum Hieronymum eam penitus damnare ausum non esse; *Quia*, inquit, *multi Ecclesiasticorum virorum & Martyres ista dixerunt, & unusquisque in suo sensu abundet.* Unde patet, inquit Dallæus, sententiam de fide aliquam Patres non semper eodem quo nos gradu habuisse. Hieronymo siquidem tolerabilis error est, qui hodie ferendus non censeretur.

Urget rursus Dallæus, Veteres plerosque propugnasse animas Sanctorum statim à morte, & ante resurrectionem, Dei visione non frui. Præter Patres supra laudatos hanc sententiam secutos esse Joannem Chrysostomum, Ambrosium, Theodoretum, Hieronymum, Augustinum, Bernardum & Joannem XXII. Contrariæ tamen sententiæ veritatem ab Ecclesia in Florentina Synodo fuisse decretam. Plurium itaque Patrum consensum nullius esse ad fidem constituendam auctoritatis.

Urget tertiò: Tertullianum, Cyprianum, Firmilianum, Dionysium Alexandrinum cum Synodis Episcoporum Africæ, Cappadociæ, & Ciliciæ, Hæreticorum Baptismum rejecisse, ac pro nullo habuisse. Sanctum Basilium in eadem fuisse sententia in Epistola ad Amphilochium, & tamen tot Veterum in eamdem sententiam concursum non obstare quominus erronea sit. Plurimos Patres Angelos corporeos esse sensisse; quem tamen errorem, qui eorum nominibus confirmaret, Romanis ex æquo & Genevensibus Scholis ludibrium deberet.

Addit cap. 5. Patres interdum inter se dissentire, & quidem de rebus magni momenti. Dionysii Alexandrini, Gregorii Nazianzeni, Hieronymi, & aliorum, à vetustissimis Justino, Irenæo, Tertulliano, & cæteris quorum ingens numerus fuit, summum esse dissidium. Hos enim mille annorum delicias, & Jerusalem gemmeam, cum gloria, & ubertima rerum omnium in terris copia nobis seriò polliceri; illos verò has spes velut deliria explodere. Victorem Romanum Episcopum & ejus Ecclesiam ab Asiaticis de die Paschatis. Stephanum à Cypriano, Firmiliano & eorum Conciliis de Baptismo Hæreticorum dissensisse. Nonnullos Sabbato jejunandum sentire, nempe Romanæ Ecclesiæ Pontifices, & Occidentis plerosque Patres: alios eum qui Sabbato jejunet, Christi interfectorem dicere non vereri; scilicet Canonem Apostolicum 68. lib. 7. Constitutionum Apostolicarum Cap. 24. Ignatium Epistola ad Philippenses, & Patres Trullanæ Synodi. Ex quibus colligit Dallæus, diversas fuisse Patrum de religione sententias, proindeque non posse nos eorum judicio in controversiis nostris stare.

Denique Dallæus cap. 6. probat nostras de religione controversias ex Patrum scriptis decidi non posse, quia neutra pars eos pro Judicibus agnoscit, sed eos liberè & nulla religione interdum rejicit. Utrosque multa ponere quæ apud Patres nulla fuerunt, multaque vicissim repudiare quæ illi recipiebant. Protestantes quidem, cùm illi contra vel præter Scripturam docent: Romanos verò, cùm suis sive Pontificibus, sive Conciliis adversantur. Laudat in ejus rei probationem Dallæus 4. & 5 Articulum Confessionis Gallicanæ Protestantium. Ex partibus verò Catholicorum, Cardinalem Caietanum Præfatione in Pentatechum, Melchio-

A rem Cano libro 7. Locorum Theologicorum cap. 3. n. 4. 7. & 10. Ambrosium Catharinum lib. 4. Annotationum in Caietanum p. 283. Petavium in Epiphanium p. 205. 244. & alibi passim; Maldonatum passim in Commentariis in Evangelia, Salmeronem in cap. 5. Epistolæ ad Romanos Disput. 51. p. 468. Michaëlem Medinam, Baronium Cardinalem passim in Annalibus, Cornelium Mussum, Bitontinum in Italia Episcopum, & alios.

Respondeo ad primum argumentum; distinguo antecedens: Patrum sententia non est in-
B fallibilis, singulorum, vel plurium, in eo quæstionum genere quæ ad fidem minimè pertinent, vel in rebus etiam fidem spectantibus, cùm majoris partis sententia ab Ecclesia probatur ut doctrina Traditionis, concedo. Patrum omnium, vel maximæ partis sententia circa dogmata fidei non est infallibilis, nego. Ad probationem distinguo minorem; Falli potuerunt singuli, concedo; omnes nego.

Ad alteram probationem distinguo majorem de Patribus universis intellectam. Falli possunt ubi de facto quæritur, si sit merum & simplex factum,
C concedo: si sit factum conjunctum cum jure & ab ipso indivulsum, nego. Circa hoc enim errare non possunt Patres omnes quin erret Ecclesia, & quidem in quæstionibus juris, quæ cum facti quæstione tam arcto fœdere connexa est, ut qui in hac erraverit, in alia necessariò labatur. Ita quæstio facti est utrùm Libri Canonici quos Ecclesia legit, sint Scriptura sacra & Verbum Dei, sive an sint à Prophetis, Evangelistis, & Apostolis compositi. At non est mera quæstio facti, sed in hac involuta est & implicita quæstio juris, utrum scilicet Deus Scripturam sacram, sive Verbum suum à Prophetis, ab E-
D vangelistis & Apostolis, literis mandatum? Ecclesiæ suæ crediderit. Unde qui negaret hos, qui in Ecclesia leguntur, libros Hagiographis ab Authoribus scriptos esse, consequenter negaret Scripturam sacram in Ecclesia nullam extare.

Distinguo similiter minorem ejusdem Syllogismi. Scire quæ singulis sæculis fuerit Ecclesiæ sententia, cognitio facti est, cum jure conjuncti & ab ipso indivulsi, concedo: facti meri & simplicis, nego. Qui enim dogma aliquod ab Ecclesia ut hæreticum explodi asserit, quod hæreticum revera non est, vel aliquam sententiam ut verè Catholicam & ad fi-
E dem spectantem admitti, atque asseri, quę ad fidem non spectat, Ecclesiæ errorem non in facto tantùm, verùmetiam in jure, quamvis nesciens, affingit: & ignorando quæ sit Ecclesiæ fides, ignorat quæ sit vera fides; cùm fides vera sit illaquam Ecclesia profitetur. Quamobrem si Patres universi errassent cùm retulerunt ut testes de fide Ecclesiæ sui sæculi, sequeretur ipsos errasse cùm docuerunt quæ vera fides esset. Hinc autem error in ipsam redundaret Ecclesiam.

Ad primam confirmationem respondeo, Philastrium in his minùs accuratum fuisse, & errasse; ni-
F si quod de tanto viro sentire probabilius est, non hæreseon dumtaxat, sed errorum in quos nonnulli, salva fidei integritate impingerent, capita in Catalogum suum retulerit. Sed quamvis & Philastrius & alii nonnulli ex privata sententia sua, non ex Ecclesiæ sensu, opiniones aliquas velut hæreticas traduxerint, quæ hæreticæ revera non sunt, vel inter fidei dogmata connumerarint adiaphoras & probabiles opiniones; non sequitur Patres universos, aut maximam partem errasse, cùm de fide Ecclesiæ sui sæculi testati sunt.

Ad secundam confirmationem respondeo, Sanctum Hieronymum non asserere quod ipsi Dallæus affingit: Dogma fidei esse quòd anima humana immediatè

*Nec etiam in quæstionibus facti, quæ cum juris quæstione necessariò sunt connexæ.*

*Philastrius in judicio de hæreticibus ferendo minus accuratus.*

*S. Hieronymus suam & aliorum de immediata animarum creatione à Deo sententiam ut dogma fidei non defendit.*

mediatè à Deo creetur, cùm eam in corpus infundit, sed solùm quòd Ecclesiæ sententia sit animas ante corpora creatas non fuisse, & postmodum desiderio corporum ad terram delapsas, humanisque illigatas corporibus; sed quotidie eas à Deo fabricari. An autem immediatè à Deo creentur, an ministerio parentum cum corporibus propagentur, quæstionem esse non ait Sanctus Hieronymus quæ summam fidei spectet. Ibi namque tuetur dumtaxat Ecclesiæ fidem contra Origenistas, quorum partibus Joannes Hierosolymitanus & Ruffinus addicti erant. Quòd autem animæ fierent ex traduce, non erat Origenistarum error, qui eas multis ante corpora sæculis conditas, & ob peccata in ea velut in carceres detrusas effutiebant; sed Authorum Ecclesiasticorum privata opinio, minùs quidem probabilis (ut rectè Sancto Hieronymo visum est) non tamen ab Ecclesia damnata, ut ex Sancto Augustino Auctore coævo perspicuum est. Hanc esse mentem Sancti Hieronymi, locorum in objectione laudatorum series ostendit. Sic enim habet in Epistola ad Pammachium adversùs errores Joannis Hierosolymitani. *Hoc nunc interrogo: Anima ista, Dei conditio, liberi arbitrii, rationalis, neque de substantia Creatoris, quando facta sit: utrum eo tempore quo de limo factus est homo, & insufflatum est spiraculum vitæ in faciem ejus: an quæ prius fuerat, & inter rationabiles, & incorporeas, & invisibiles creaturas multo jam tempore versabatur, nihil horum loqueris: producis nobis Manichæum, & abscondis Origenem: & sicut parvulis cibum poscentibus ludicra quædam offerunt gerulæ ut avocent mentes eorum; sic tu nos rusticos avocas ad alia, ut dum alterius personæ novitate tenemur, quod volumus, non quæramus.... Cain & Abel primi ex primis hominibus, unde habuere animas? Omne deinceps humanum genus quibus animarum consistit exordiis? Utrum ex traduce, juxta bruta animalia: ut quomodo corpus ex corpore, sic anima generetur ex anima? An rationabilis creatura, desiderio corporum paulatim ad terram delapsa, novissimè etiam humanis illigata sint corporibus? An certè, quod Ecclesiasticum est, secundum eloquia Salvatoris, Pater usque modo operatur, & ego operor: Et illud Zachariæ: Qui format spiritum hominis in ipso: & in Psalmis, Qui fingit per singulos corda eorum; Deus quotidie fabricetur animas: cujus velle fecisse est, & conditor esse non cessat?* Sic intelligendus est & alius S. Hieronymi locus lib. 3. Apologiæ adversùs Ruffinum, ubi sic de illo scribit; *Animarum & corporum Conditorem fatetur Dominum, sive animæ ante corpora fuerint, sive cum corporum nascantur exordiis, sive jam formatis in utero figuratisque corporibus immittantur. In omnibus novimus Auctorem Dominum. Nec de hoc nunc quæstio est, utrum Deus, an alius eas fecerit: sed è tribus quas posuit, quæ sit illarum sententia vera, nescire se dicit. Vide ne statim tibi objiciatur, idcirco te trium ignorantiam confiteri, ne unum damnare cogaris: & Tertulliano & Lactantio ideo parcere, ne Origenem cum illis jugules.... Dominus in Evangelio: Pater,* inquit, *revelavi nomen tuum hominibus. Qui Patrem revelavit, de animarum statu tacuit? Et miraris si contra te fratrum scandala concitentur, cùm id nescire te jures quod Christi Ecclesia se nosse fateantur?*

*Joannes Thessalonicensis Angelos esse corporeos non asserit ceu dogma fidei.*

Ad tertiam confirmationem respondeo, Joannem Thessalonicensem disertè non affirmasse Angelos, secundùm Ecclesiæ fidem, esse corporeos; sed non esse Ecclesiæ fidem quòd incorporei sint, quia multi Sanctorum Patrum ipsis corpora subtiliora tribuerunt. *De Angelis*, inquit, *& Archangelis, & sanctis Virtutibus, quæ super istos sunt, addam autem etiam nostras hominum animas: intelligibiles quidem eos Catholica & Apostolica novit Ecclesia, non tamen incorporales omnino & invisibiles, sicut vos, Pagani, fatemini: subtiles autem corpore, & aereos, & igneos, secundùm id quod scriptum est: Qui facit Angelos spiritus, & Ministros ignem urentem. Et hoc multos Sanctorum Patrum nostrorum sensisse invenimus: quorum est Basilius ille Magnus, & Sanctus Athanasius, atque Methodius, & qui circa ipsos sunt.* Quod itaque ad fidem Catholicæ Ecclesiæ pertinere contestatus est Joannes Thessalonicensis, illud unum est, *Intelligibiles creaturas non omninò incorporales & invisibiles esse, ut divinitas; adeoque loco circumscriptas esse*, ac proinde illas rectè pingi & piè coli, *Non ut Deos*, (quemadmodum putabat Ethnicus contra quem disputat) *sed ut creaturas spirituales & ministros Dei.* Sed dato quòd existimasset Joannes Thessalonicensis Ecclesiam Catholicam sentire Angelos esse corporeos, privati Doctoris hic fuisset error, non omnium Patrum, eorum præsertim qui Synodo VII. adfuerunt. Hi quippe in Confessione Fidei quæ Actione IV. lecta est, professi sunt se salutare & honorare Venerabiles Iconas *Sanctorum etiam & incorporalium Angelorum; ut homines enim Justis apparuerunt.*

Ad quartam confirmationem respondeo, S. Augustinum verè asseruisse hanc fuisse consuetudinem Ecclesiæ universæ ante S. Cyprianum, ut venientes ab Hæreticis absque novo Baptismo reciperentur: qui enim in Ciliciæ & Cappadociæ Ecclesiis vigebat mos contrarius, vel non multò ante Cypriani ætatem invaluit; vel generalis non fuit illarum Ecclesiarum. Certè consuetudinem illam recentem fuisse (quicquid dixerit Firmilianus cujus est in hac quæstione sublesta fides) ex eo colligitur, quòd ante Firmiliani ætatem nusquam legatur hac de re mota illis in Ecclesiis controversia, & quòd Iconiensi & Synadensi Conciliis quæ hac tempestate celebrata sunt, nullum in hac causa possit antiquius proferri monumentum. Sed esto, multò ante S. Cyprianum recepta fuisset illis in regionibus sententia, quam Firmilianus cum ipso propugnavit: non minùs dicere potuit S. Augustinus, quòd orbis universus ante Agrippinum hac saluberrimâ consuetudine tenebatur, Hæreticos cum Baptismo, quem in hæresi susceperant, admittendi. Cappadociæ namque & Ciliciæ Ecclesiæ nimis exigua orbis Christiani portio erant, ut divisus in ea sententia, in eoque more censeretur ob contrariam illarum doctrinam & disciplinam, reliquis forsan Ecclesiis ignotam. Denique quamvis Sanctus Augustinus in hoc Historiæ capite deceptus esset, nihil contra nos sequeretur, qui Patres singulos in distinctarum locis & temporibus Ecclesiarum referendis moribus falli potuisse non diffitemur.

Ad aliud ex Sancto Augustino momentum, respondeo Ecclesiam nullum Interpretem Scripturæ LXX. Senioribus præferendum judicasse, non quòd lata lege in aliqua Synodo eorum Versionem cæteris anteponendam decreverit: nec verò id voluit Sanctus Augustinus, ut Dallæus ejus verba perperam detorquens sibi fingit: sed quòd eam Versionem Apostolorum usu consecratam ipsa quotidianos in usus adhiberet, & secundùm eam Scriptura sacra legeretur in sacris conventibus Christianorum & ab Authoribus Ecclesiasticis laudaretur. Quam porro verè id Sanctus Augustinus dixerit, constat ex Dissertatione quam eo de argumento superiùs dedimus.

*An S. Fulgentius ut dogma fidei proposuerit sententiam de parvulorum sine baptismo decedentium damnatione ad pœnam ignis?*

Ad quintam confirmationem respondeo, Licet S. Fulgentius suam & S. Augustini de parvulorum sine Baptismo decedentium ad pœnam ignis damnatione sententiam ut dogma Catholicæ fidei firmissimè credendum proposuerit, non sequitur omnes Patres, vel partem eorum maximam errare posse,

cùm de fide Ecclesiæ sui sæculi testimonium dicunt. Non privatus is fuit Sancti Fulgentii sensus: At Sanctus Augustinus illud dogma spectare ad fidem non asseruit: imò viri plerique eruditi, post Sanctum Thomam, existimant Augustinum fuisse erga parvulos illos humaniorem, quos in mitissima omnium damnatione futuros asseruit. Verùm respondeo 1. In assertione Sancti Fulgentii duplicem propositionem contineri, unam præcipuam, alteram incidentem. Præcipua ea est: *Parvuli sive in uteris matrum vivere incipiunt, & ibi moriuntur, sive cùm de matribus nati, sine sacramento sancti Baptismatis de hoc sæculo transeunt*, æterna pœna damnantur. Propositio incidens ea est: Damnatio parvulorum sine Baptismo decedentium ignis æterni sempiternum involvit supplicium. Primam propositionem ut dogma fidei Sanctus Fulgentius meritò proposuit, Pelagianorum errori oppositam, qui parvulos illos in loco distincto à regno Cœlorum, vitam beatam æternùm acturos effutiebant, quia nullum in iis agnoscebant originale peccatum. Unde hanc suæ assertionis rationem profert Sanctus Fulgentius: *Quia etsi propria actionis peccatum nullum habuerunt, originalis tamen peccati damnationem carnali conceptione & nativitate traxerunt.* Secundam propositionem ut fidei dogma non proposuit Sanctus Fulgentius, id est, eos ut Hæreticos non habuit, qui assererent quidem parvulos sine Baptismo decedentes æternam damnationem subire, negarent autem eos pœna ignis cruciari. Equidem Sanctus Fulgentius duas illas propositiones non distinxit, sed unam involvit in altera, & eam opinionem amplexus, quæ ignis æterni illos addicebat supplicio, ut ad convincendos Scripturæ sacræ testimoniis Pelagianos aptiorem, eam unica propositione duplici æquivalente expressit.

Ad sextam confirmationem respondeo, Venerabilem Bedam sententiam illam de Christi ætate ad annum dumtaxat XXXIII. producta perperam dogmatis Ecclesiastici & ad fidem spectantis loco habuisse: cùm ex aliis Patribus in varias opiniones circa hanc quæstionem abeuntibus constet, Ecclesiam de Christi ætate cùm passus est, nihil penitus decrevisse. Verùm hic Bedæ lapsus Dallæo non favet, quia singulos Patres cùm in quæstionibus de facto, tum de jure, ut homines interdum potuisse decipi, & nonnullos ex illis deceptos interdum fuisse, non negamus.

Ad probationem secundæ partis respondeo, Patres quidem singulos seorsim sumptos errare posse, idque solùm probare Sanctorum Augustini, Hieronymi, Ambrosii, Cyrilli, necnon Origenis testimonia; denique nihil aliud colligi ex nævis quos in ipsorum Operibus notat Dallæus: sed nego Patres universos errare posse in fidei dogmate, vel in expositione Sacrarum Literarum. Cùm enim quædam ad fidem pertineant, quæ plebs penitus ignorat: si Patres omnes in his fidei capitibus errassent, Ecclesia certè errasset.

Patres universos in fidei dogmatibus errasse, impossibile est.

Præterea (ut egregiè ratiocinatur Melchior Cano lib. 7. de Locis Theologicis, Conclusione quinta) » Ab omnibus Sanctis communi unaque mente idem sentientibus non potuit Verbum Dei recedere: ut videlicet omnes simul haberent aliquam Scripturam pro Canonica, quæ Canonica non esset, aut è diverso aliquam communi consensu exploderent, quæ Canonica esset. Ergo nec vera intelligentia Verbi Dei potuit simul ab illis recedere. Utrumque enim Ecclesiæ promissum est, & Spiritus, & Verbum: & si utrumlibet omnibus sanctis Doctoribus defuisset, Ecclesiæ pariter defuissent. Quod verò A & Verbum & Spiritus intelligentiæ in Ecclesia conjuncta sint, per Isaiam Dominus in hæc verba testatur, *Spiritus meus qui est in te, & verba mea quæ posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore seminis tui amodo usque in sempiternum.* Semen verò Christi, Fidelium Ecclesiam esse negabit nemo, qui vel parum fuerit in Sacris Literis exercitatus. Quis est igitur qui res à Christo in Ecclesia copulatas audeat divellere, & aut verbum, aut verbi sensum Sanctis omnibus ac proinde Ecclesiæ tollere? «

Id præclaro hoc ratiocinio confirmat eruditissimus B Cano. Ubicunque est Ecclesiæ corpus, ibi etiam est Spiritus veritatis, ut Christus docet Joann. 14. *Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis.* Spiritus autem in corpore non easdem omnibus corporis partibus tribuit functiones; quemadmodum Apostolus ad Romanos 12. & 1. Cor. 12. elegantissimè persequitur. *Alii datur per Spiritum sermo Sapientiæ, alii Prophetia, alii interpretatio sermonum*, &c. Certum est autem, quòd Sacrarum Literarum intelligentia Sanctis Doctoribus, si quibus, maximè per Spiritum data est. C Qui ergo Spiritum veritatis Sanctis omnibus in Scripturæ Sacræ interpretatione negat, hic sine dubio eundem Spiritum Ecclesiæ tollit. Quemadmodum qui ab oculis videndi munus aufert, hic reliquas etiam omnes corporis partes obscurat. *Nam si oculus non fuerit lucidus, totum corpus tenebrosum erit.*

Præterea, omnes Ecclesiæ Doctores in fidei dogmate errare non posse disertè asserit Sanctus Augustinus, cujus maximè auctoritate Dallæus abutitur. Is namque lib. 1. adversùs Julianum Pelagianum, cap. 3. cùm vellet Hæreticum illum Sanctorum testimoniis D in dogmate fidei, de quo erat controversia, revincere: *Non quidem omnium*, inquit, *de hac re sententias commemorabo, quod nimis longum est, & necesse esse non arbitror: sed ponam pauca paucorum, quibus tamen nostri contradictores cogantur erubescere & cedere, si ullus in eis vel Dei timor, vel hominum pudor tantum malum pervicacia superaverit.* Et cap. 6. respondens testimonio S. Joannis Chrysostomi, quo Pelagiani abutebantur: *Itane*, inquit, *ista verba S. Joannis Episcopi audes tanquam è contrario tot aliorum sententiis Collegarum ejus opponere; eùmque ab illorum concordissima societate* E *sejungere & eis adversarium constituere? Absit, absit hoc malum de tanto viro credere aut dicere. Absit, inquam, ut Constantinopolitanus Joannes de Baptismate parvulorum, eorùmque à paterni chirographi liberatione per Christum, tot ac tantis Coëpiscopis suis, maximèque Romano Innocentio, Carthaginensi Cypriano, Cappadoci Basilio, Gregorio Nazianzeno, Gallo Hilario, Mediolanensi resistat Ambrosio. Alia sunt in quibus inter se aliquando etiam doctissimi atque optimi Regulæ Catholicæ defensores, salva fidei compage, non consonant, & alius alio de una re melius aliquid dicit & verius. Hoc autem unde nunc agimus,* F *ad ipsa fidei pertinet fundamenta.* Censet igitur Sanctus Augustinus, Catholicos Doctores universos in fidei dogmatibus errare non posse; quamvis aliis in rebus frequenter dissentiant.

Et lib. 2. adversùs Julianum, cap. 9. de peccati originalis in omnes homines propagatione agens: *Hoc autem*, inquit, *probavimus Catholicorum auctoritate Sanctorum, qui & hoc asserunt, quod de originali peccato dicimus, & illa quinque esse vera omnia confitentur. Ac per hoc non est consequens ut hoc falsum sit, quia vera sunt illa. Tales quippe ac tanti viri, secundum Catholicam fidem, quæ antiquitus toto orbe diffunditur, & hoc & illa vera esse confirmant, ut vestra fragilis, & quasi argutula novitas sola auctoritate*

*ctoritate conteratur illorum, præterquam quòd ea dicunt, ut se per eos loqui veritas ipsa testetur. Sed nunc auctoritate primitus illorum vestra est contumacia comprimenda, ut à præsumptionis impetu repercussi, & quodammodo sauciati, dum tales homines Dei sic in Fide Catholica errare potuisse non creditis, ut aliquid dicerent, unde esset consequens Deum non esse hominum Creatorem, nuptias esse damnandas, in Baptismo non omnium remissionem fieri peccatorum, Deum esse injustum, nullam spem nobis remansisse virtutis perficiendæ, quæ omnia, vel aliquid eorum nefas est opinari: ausus præcipites refrænetis, & tanquam ex furore resipiscentes, incipiatis, in qua nutriti estis, revolvere, & advertere & resumere veritatem.*

Et infra: *Ego te ante istos Judices intus in tuo corde constituo, quos non amicos meos & inimicos tuos aliqua in meam partem gratiâ propendentes, aliquo abs te merito suæ offensionis aversos, & ob hoc tibi adversos, in hac nostra disceptatione constituo cognitores. Nec eos qui nunquam fuerunt, aut non sunt, aut quorum sententia, de hoc quod inter nos disputatur, incerta sunt, inani cogitatione confinxi; sed Sanctos & in sancta Ecclesia illustres Antistites Dei, non Platonicis & Aristotelicis & Zenonicis aliisque hujuscemodi, vel Græcis, vel Latinis (quanquam ex istis aliquot eorum) verùm omnes sacris Literis eruditos, nominatim sicut oportebat, expressi; eorumque sententias, quantum sufficere videbatur, sine ulla editas ambiguitate digessi, ut in eis timeas non ipsos; sed illum qui sibi eos utilia vasa formavit, & sancta Templa construxit, qui tunc de ista causa judicaverunt, quando eos nemo potest dicere perperam cuiquam vel adversari, vel favere potuisse. Nondum enim extiteratis, contra quos susciperemus de hac quæstione conflictum......Quod invenerunt in Ecclesia, tenuerunt: quod didicerunt, docuerunt: quod à Patribus acceperunt, hoc filiis tradiderunt......Tu ergo responde quid facias, dic quò confugias. Ego à Pelagianis ad istos, tu ab istis ad quos? ....Etiam istos cæcos dicere audebis? Et usque adeo permiscuit imis summa longus dies, usque adeo tenebra lux, & lux tenebra esse dicuntur, ut videant Pelagius, Celestius, Julianus; & cæci sint Hilarius, Gregorius, Ambrosius? Sed qualiscunque homo sis, tamen quia homo es, videre mihi videor verecundiam tuam, si tamen non in te spes est omnis emortua sanitatis; & quodammodo audio vocem tuam. Respondes, Absit ut audeam cæcos istos viros vel cogitare, vel dicere.*

Denique eos qui Patres universos rejiciunt & errasse contendunt, Ecclesiam rejicere testatur in fine libri. *His igitur eloquiis,* inquit, *& tanta auctoritate Sanctorum, profectò aut sanaberis Dei misericordia donante: aut si, quod abominor, in eadem, quæ tibi videtur sapientia (& est magna stultitia) perduraveris: non tu Judices quæsiturus es ubi causam tuam purges; sed ubi tot sanctos Doctores egregios atque memorabiles Catholicæ veritatis accusés, Irenæum, Cyprianum, Reticium, Olympium, Hilarium, Gregorium, Ambrosium, Basilium, Joannem, Innocentium, Hieronymum, cæterosque socios ac participes eorum, insuper & universam Christi Ecclesiam, cui divina familiæ dominicæ cibaria fideliter ministrantes, ingenti in Domino gloriâ claruerunt. Adversùs hanc autem miserabilem, quam Deus à te avertat insaniam, sic respondendum esse video libris tuis, ut fides quoque adversùs te defendatur istorum; sicut contra impios & Christi professos inimicos, etiam defenditur Evangelium.*

Fatemur itaque in singulis pene Patribus nævos reperiri, in plerisque etiam errores (quamvis nonnullos aliquibus perperam Dallæus, Rivetus, aliique Heterodoxi affingant,) neque id Catholicorum Theologorum ullus (ut puto) negavit, præter Glossatorem Decreti; si tamen is Theologi no-

A men promeretur, quem doctissimus Cano egregiè refellit ac luculenter libro 7. cap. 3. Quid enim, " inquit, an hoc agere Gelasius voluit, in Veterum " libris non esse quidquam erroris? Atqui laterem, ut " aiunt, laverit, quisquis istud conetur. Hanc siqui- " dem fœlicitatem Deus in solis Divinis Volumini- " bus inesse voluit, quemadmodum Augustinus gra- " vissimè ac verissimè tradidit. Cæteroqui nemo " quantumvis eruditus & sanctus non interdum " hallucinatur, non alicubi cæcutit, non quandoque " labitur. Sanctus verò is fuit, qui credidit ab hære- " ticis baptizatos esse rebaptizandos. Sanctus fuit, "
B qui in Christi corpore & sensum pœnæ & dolo- " rem fuisse negavit. Sanctus fuit, qui in Chiliasta- " rum dogma descendit. Sanctus fuit, qui viro " ob adulterii culpam uxorem repudianti alterum " matrimonium concessit. Sanctus fuit, qui animis " piorum usque ad judicii diem veram fœlicitatem " ademit. Sanctus fuit, qui animam hominis ex tra- " duce esse putavit. Sanctus fuit, qui animam Adæ " ante corpus editam opinatus est. Sancti fuere, qui " Angelos multis ante mundum corporeum æternitatibus creatos esse existimarunt. Atqui horum " Opuscula à Gelasio comprobata sunt......Legentur "
C itaque à nobis Patres veteres cum reverentia qui- " dem, sed ut homines cum delectu atque judicio. " Quod si quis aliter sapit, nec sanis consiliis ac- " quiescit, hic jam non Sanctorum religione, sed " sui ipsius amore capitur, & sub Veterum nomine " novas opiniones invehere conatur. Qua de re " Vincentius Lirinensis in Commonitorio cap. 11. *O rerum mira conversio!* inquit, *Auctores ejusdem opinionis Catholici, Consectatores vero hæretici judicantur. Absolvuntur Magistri, condemnantur Discipuli... Quod quidem mihi divinitus videtur promulgatum esse judicium, propter eorum maximè fraudulen-*
D *tiam, qui cùm sub alieno nomine hæresim concinnare machinentur, captant plerumque Veteris cujuspiam Viri scripta paulo involutiùs edita, quæ pro ipsa sui obscuritate dogmati suo quasi congruant, aut illud nescio quid quodcumque proferunt, neque primi, neque soli sentire videantur. Quorum ego nequitiam duplici odio dignam judico, vel eo quòd hæreseos venenum propinare aliis non extimescant: vel eo etiam quod Sancti cujusque Viri memoriam tanquam sopitos jam cineres profana manu ventilant, & quæ silentio sepeliri oportebat, redivivâ opinione diffamant: sequentes omnino vestigia auctoris sui Cham, qui nuditatem ve-*
E *nerandi Noë non modò operire neglexit, verùm quoque irridendam cæteris enuntiaverit.* Verùm quamumvis nævi sint non pauci, imo & errores singulorum in Scriptis Patrum, non sequitur errasse, aut errare potuisse in aliquo fidei dogmate universos. Nec idem est de Senatu qui morbo epidemico ægrotare potest, sicut quivis Senator privato morbo laborare. Nam Deus immunitatem à morbo hujusmodi Senatui non spopondit: at immunitatem ab errore & infallibilitatem concessit Ecclesiæ. Unde quia sequeretur Ecclesiam errare si Patres universi in dogmate fidei errarent, perperam colligitur Patres universos in fidei dogmatibus, vel in divinarum expo-
F sitione literarum errare potuisse, quia errare singuli potuerunt, & nonnulli reipsa erravere. Sic Dallæi soluta manet instantia.

Ad id verò quod objicit Dallæus, Plurimos Patres, imò quandoque ejusdem sæculi universos in eodem errore versatos fuisse, respondeo id esse falsissimum, nec id Dallæi instantiæ evincunt. Nam quod spectat fabulam Millenarii in terris Christi regni cum Sanctis post resurrectionem, testatur Sanctus ipse Justinus, cujus auctoritate abutitur, plusimos sua ætate contrariam propugnasse sententiam: & ex Historia Ecclesiastica constat Sanctum Dionysium Alexandrinum, qui haud integro post sæ-



AAaaij culo

culo floruit, Nepotem quemdam in Ægypto Episcopum, qui hanc de Millenario Christi regno fabulam docebat, velut Novatorem exagitasse: quod argumento est opinionem illam fuisse contrariam Ecclesiæ fidei, & doctrinæ à Majoribus acceptæ. Falsum est etiam quod subjungit Dallæus, omnes illos Patres, quos appellat, sensisse animas Justorum ante diem Judicii, visione beatifica non frui. Contraria enim in sententia fuisse Chrysostomum, Theodoretum, Hieronymum, Ambrosium, Augustinum, Bernardum, & consummatam dumtaxat beatitudinem quæ ab anima in corpus derivatur, ut totus homo beatus sit, ad tempus generalis resurrectionis distulisse, Theologi nostri Polemici luculenter ostendunt, idque loco opportuno, hujus in Operis progressu, demonstrabimus. Plerosque Veterum in illo fuisse errore non inficior, ut & in illo de Baptismo Hæreticorum; sed *nondum eliquata veritate, & ad examen Concilii generalis perductâ*. Non enim hujus erant generis illa dogmata, quæ semper aperta fuerint, & quæ absque dispendio salutis ignorare liceret nemini; sed quæ temporis progressu fuerunt explicata, & quæ post nonnullas controversias, Ecclesia ad fidem pertinere declaravit.

Leges in Veterum Patrum usu observandæ.

Ad quintum caput Dallæi respondeo, Dissensum illum Patrum in quibusdam gravioris momenti rebus, nihil eorum derogare auctoritati in controversiis de religione, quia leges habemus in Veterum Patrum usu observandas, & ab Ecclesia observatas, quas commendat Vincentius Lirinensis Commonitorio 1. cap. 4. *Quid*, inquit, *si in ipsa vetustate duorum aut trium hominum, vel certè civitatis unius, aut etiam Provinciæ alicujus error deprehendatur? Tunc omnino curabit, ut paucorum temeritati vel inscitiæ, si quæ sunt universaliter antiquitus universalis Concilii Decreta præponat. Quid si tale aliquid emergat ubi nihil ejusmodi reperiatur? Tunc operam dabit, ut collatas inter se Majorum consulat, interrogetque sententias, eorum dumtaxat, qui diversis licet temporibus & locis, in unius tamen Ecclesiæ Catholicæ Communione & fide permanentes, Magistri probabiles extiterunt, & quicquid non unus aut duo tantum, sed omnes pariter uno eodemque consensu, apertè, frequenter, perseveranter, tenuisse, scripsisse, docuisse cognoverit, id sibi quoque intelligat absque ulla dubitatione credendum.*

Et cap. 38. *Hoc scilicet facere magnopere curabunt, quod in principio Commonitorii istius Sanctos & doctos Viros tradidisse nobis scripsimus, ut Divinum Canonem secundum universalis Ecclesiæ Traditiones, & juxta Catholici dogmatis regulas interpretentur: in qua item Catholica, Apostolicaque Ecclesia sequantur necesse est universitatem, antiquitatem, consensionem. Et si quando pars contra vetustatem, unius vel paucorum errantium dissensio contra omnium, vel certè multo plurium Catholicorum consensionem rebellaverit, præferant portionis corruptioni, universitatis integritatem: inque eadem universitate, novitatis profanitati, antiquitatis religionem: itemque in ipsa vetustate, unius sive paucissimorum temeritati, primùm omnium generalia, si qua sunt universalis Concilii Decreta præponant: tunc deinde, si id minus est, sequantur quod proximum est, multorum atque magnorum consentientes sibi sententias Magistrorum, quibus, adjuvante Domino, fideliter, sobriè, solicitè observatis, non magna difficultate noxios quoque exurgentium Hæreticorum deprehendemus errores.*

Non est tamen prætermittendum, quædam inter Veteres ipsos controversa capita, vel Disciplinam dumtaxat spectasse, ut controversiam de Paschate, & de jejunio Sabbati; vel ab iis habita tanquam quæ ad Disciplinam tantùm non ad fidem pertinerent: unde contraria sentientes non damnabant, neque cum eis Communionem abrumpebant. Talis fuit quæstio de Baptismate Hæreticorum: Nam Sanctus Cyprianus & Firmilianus, & deinde Basilius, hanc spectarunt controversiam tanquam quæ de capite Disciplinæ, non de Fidei regula verteretur: & Communionem foverunt cum cæteris omnibus orbis Christiani Ecclesiis, quæ Baptismum ab Hæreticis collatum validum ac ratum esse tenebant. Fateor quosdam è Veteribus, Ecclesiæ suæ Disciplinam adstruendo, verbis interdum durioribus aliarum contrarios mores Ecclesiarum fuisse insectatos, quod Canonum & Constitutionum Apostolicarum Auctores, Pseudo Ignatius, & Orientis Episcopi in Trullana Synodo congregati fecere, cùm Jejunium Sabbaticum prohibuerunt: sed nusquam propter varios illos usus interrupta inter Ecclesias Communio abundè probat in sola Disciplina ipsas dissensisse.

Ad sextam & postremam Dallæi objectionem respondeo, Protestantes iniquè Patrum judicium in controversiis de religione declinare & repudiare, quod cum plerisque omnibus Hæreticis antiquis ipsis commune est. Falsum verò est quòd Romanæ Communionis Theologi Patres universos, vel partem maximam, in quæstionibus de Fide controversis non recipiant, vel in expositione Sacrarum Literarum sequendos non asserant ut Magistros. Ab hac methodo si qui aberrent, illi à cæteris Theologis, imò ab Ecclesia ipsa improbantur. Sic acutissimi Caietani licentiam Cano perstringit non leviter, lib. 7. cap. 3. Conclusione 3. ubi scribit, *Caietanum summis Ædificatoribus Ecclesiæ parem esse potuisse, nisi quibusdam erroribus doctrinam suam, quasi cujusdam lepræ admixtione fœdasset, & vel curiositatis libidine affectus, vel certè ingenii dexteritate confisus, Literas demum Sacras suo arbitratu exposuisset, felicissimè quidem fere, sed in paucis quibusdam locis acutiùs sanè multò quàm felicius. Nam & vetustæ Traditionis parum tenax, & in Sanctorum lectione parum quoque versatus, libri signati mysteria ab his noluit discere, qui non suo sensu illa, sed Majorum Traditione, vera scilicet Verbi Dei clave aperuerunt. Ita cùm plurima scripsisset egregie, vertit ad extremum omnia, & novis quibusdam Scripturæ expositionibus, aliorum, quæ vel gravissimè dixerat, aut elevavit, aut imminuit certè auctoritatem.*

Caietanus perstringitur.

Et infrà. *Te nunc Caietane Pater, (si filio Patrem appellare licet) appello te, Caietane*, inquam, *in Concilium voco te, non in Lyceum aut Academiam induco, sed in Sanctorum Patrum pacificum honorandumque Conventum. Pone tibi ob oculos, rogo te, tam numerosam seriem eruditissimorum virorum, quos in hunc usque diem tot sæculorum consensus approbavit: quos præter admirabilem Sacrarum Literarum peritiam, vita quoque pietas mira commendat. Aspice illos, obsecro te, quodammodo aspicientes te, & mansuetè ac leniter dicentes tibi: Ita-ne nos, fili Caietane, in sacrarum expositione Literarum simul omnes erravimus? Ita-ne nobis omnibus, quos Ecclesia Christus Præceptores dedit, Spiritus intelligentiæ defuit? Ita-ne tu unus adversum nos pugnare audes, & Ecclesiam credis unius sensum hominis secuturam, hujus verò gravissimi sanctissimique Senatus sententiam deserturam? Utrum plus tribuendum esse judicas tot eruditorum Sanctorum, Martyrumque præjudiciis, an tuo singulari privatóque judicio? Videre mihi videor, Caietane Pater! modestiam tuam ingeniique candorem, atque adeo in Sanctos religiosam reverentiam & pietatem, & quasi eorum esses, audio vocem tuam aures meas circumsonantem: Vicimus utrique, Uterque nostrûm palmam refert, tu mei, ego erroris. Sed nescio quo me impetus animi & nimius differen-*

i di

*di calor evexit. Nam & Caietanus eo jamdiu loco est, ubi omnes sine mea disputatione vicit errores; & ego eorum non consuevi insultare erroribus, quorum miror ingenia.* Hæc doctissimus Cano, quæ describere placuit, ut Dallæum qui Caietani, & quorumdam aliorum è Catholicis Theologis Patrum auctoritatem negligentiùs aut minùs reverenter habentium, testimoniis abutitur, confutarem. Quamquam eorum quos Dallæus laudat, nemo est, qui Patres universos in fidei dogmatibus errasse, aut errare potuisse asserat. Sed Dallæi Melchiorem Cano contra sanctorum Patrum in controversiis fidei decidendis auctoritatem appellantis quàm sublesta, imo quam mala fides! cùm toto lib. 7. illam vindicet eruditissimus Episcopus: & hanc statuat, validissimisque probet argumentis Conclusionem sextam: *Sancti simul omnes in fidei dogmate errare non possunt.* Et quintam illam: *In expositione Sacrarum Literarum communis omnium Sanctorum Veterum intelligentia certissimum argumentum Theologo præstat ad Theologicas assertiones corroborandas.* Nec majori fide Ambrosium Catharinum & Baronium Cardinalem testes advocat Dallæus; qui causam Protestantium non uno in loco jugulant.

## SCHOLION I.

Ad hujus Dissertationis Paragraphum duodecimum, quo Responsio ad Objectionem duodecimam continetur, sive ad pag. 912. primæ Editionis, Religiosi Censores hanc notam in Indiculo suo referunt: *Reprehendit Episcopos, qui non permittunt Mulieribus lectionem Scripturæ.*

R. Absit. Id mihi gratis & sine ullo prorsus fundamento affingitur. Præmiseram, *Scripturam sacram absque magna utilitate non legi, adeòque ejus lectioni esse assiduè vacandum. Hanc ob causam Sanctum Joannem Chrysostomum Christianam plebem ad lectionem sacrarum Scripturarum semper adhortari.* Cujus locis indicatis, subjunxi: *Non solùm ab Ecclesiæ Pastoribus non esse [illegible] licentiam legendi Scripturas Christianis, quos in Catholica Fide stabiles atque confirmatos noverint, etiam mulieribus, si eam ex pio affectu postulent; verùmetiam ad tam salutarem lectionem eos adhortari debere, quorum animum ita affectum senserint, ut iis sacrorum librorum Lectio prodesse possit, non obesse.* Quod ex multis Sancti Hieronymi locis confirmavi. Tantùm abest ut Episcopos reprehendam, qui non permittunt mulieribus lectionem sacræ Scripturæ, ut contra passim ipsis illam permitti non debere asseram, sed solum piis, & ex pio affectu hanc gratiam postulantibus; & in Catholica Fide stabilibus atque confirmatis, & quibus sacram illam lectionem prodesse posse, non obesse, judicaverint. Quibus conditionibus concurrentibus (de quibus judicium penes Episcopos esse velim) non est cur mulieribus magis quàm viris negetur, cùm *in Christo non sit masculus neque femina.* De hac denique lectione addidi: *Quam tamen passim nunc omnibus concedi non convenit, in lingua præsertim vulgari, ob Translationes seu Versiones ab hæreticis aut suspectis hominibus factas; sed iis solum qui pietate & ingenio pollent, quique in humilitate & simplicitate cordis quærunt voluntatem Dei in verbis Dei; qui denique prohibitis Versionibus non utuntur.* Sanè hunc in finem Scripturam sacram à Catholicis Auctoribus in linguam vulgarem versam esse, ut cùm eorum Versio ab Episcopis approbata esset, legi posset ab omnibus Christianis, certissimum est; solásque Versiones ab Ecclesia damnatas & prohibitas è Fidelium manibus avelli debere. Hoc de argumento legi potest liber Reverendissimi & Eruditi Præsulis Joannis Castoriensis Episcopi, & alius ejusdem tituli Tractatus Gallico idiomate à Viro Doctissimo Antonio Arnaldo editus contra D. Mallet Doctorem Sorbonicum.

## SCHOLION II.

Ad Dissertationis ejusdem Paragraphum decimum-septimum, & ad Objectionis XVIII. Responsionem, sive ad paginam 1017. primæ Editionis: hanc notam in Indiculo suo apposuerunt Religiosi Censores: *De Dispensationibus Pontificiis malè loquitur.*

R. Si malè locutus sum, testimonium perhibeant de malo, qui hunc locum legerunt sine præjudicatæ mentis affectu. Romanos Pontifices in tota quà latè patet Ecclesia Dispensationes de Canonum observantia concedere posse fateor: sed dispensare posse nego sine causa legitima. *Quod si,* inquiebam, *absque causâ legitimâ dispensent Pontifices & Episcopi, dispensationes hujusmodi irritæ sunt, & reos coram Deo constituunt concedentes.* Si malè loqui de Dispensationibus Pontificiis Religiosi Censores judicent, qui sic loquitur, reos agant ejusdem criminis *Sanctum Bernardum, Goffridum Vindocinensem* Abbatem, *Sanctum Thomam*, sacram Synodum Tridentinam, quibuscum loquor, & quorum testimonia exhibeo.

## SCHOLION III.

Ad ejusdem Dissertationis Paragraphum vigesimum, sive ad paginam 1046. Editionis primæ, hanc notam apposuit Censorum Religiosorum Indiculus: *De Conceptione Beatæ Virginis loquitur contra Pontificum Decreta.*

R. Objectio *Riveti* & aliorum Heterodoxorum contra Traditiones solvenda erat: solvi non poterat, nisi de Conceptione Deiparæ Virginis sermo fieret, si quidem ex variis Patrum & Auctorum Ecclesiasticorum circa illam sententiis petita est. At contra Summorum Pontificum Decreta ea in re non peccavi. Non prohibent enim Summi Pontifices, ne quis de Beatæ Virginis Conceptione loquatur. Vetant duntaxat ne, si quæ referantur argumenta contra Conceptionem Immaculatam Deiparæ, ea relinquantur insoluta. At quæ in Heterodoxorum objectione adversùs Traditiones illam obliquè impugnant, sine solutione non præterii. Prohibent Pontifices ne alterutri opinioni nota hæresis aut peccati mortalis inuratur: Nullam inussi. Cavent ne quis de ista Quæstione scribat sermone vulgari: Non scripsi. Neutram definitam esse, nec ex eorum dogmatum esse numero, declarant, quæ corde credere ad justitiam, ore confiteri ad salutem necesse est: Idem asserui. Constitutiones Sixti IV. Pii V. *Pauli V. Gregorii XV.* & Concilii Tridentini judicium ac Decretum laudavi, ipsísque religiosè parendum esse docui. *Alexander VII.* Pontifex Maximus Fidelium pietatem in Conceptionem Immaculatam Deiparæ Virginis commendat, celebrésque Academias, & omnes ferè Catholicos, piam illam opinionem amplecti ait; secundùm hujus Pontificis Constitutionem scripsi, *Probabilem, piam, & ecclesiasticam opinionem esse.* Et infrà: *Quamobrem sententiam de Immaculata Deipara Virginis Conceptione non solùm ut probabilem & piam, sed ut propriam Facultatis nostræ doctrinam propugnabimus, si de ea dicendi, scribendive detur occasio.* Ex his liquet, mihi absque fundamento exprobrari, quòd de Beatæ Virginis Conceptione contra Pontificum Decreta locutus sim.

## SCHOLION IV.

Ad Paragraphum XXI. sive ad paginam 1064. primæ Editionis, hanc Propositionem refert Censorum RR. Indiculus: *Quidam Pontifices immutant verba, ut Primatum probent.*

R. Falsum est quòd hic vel alibi scripserim, Summos Pontifices immutare verba Librorum Ecclesiasticorum, ut Primatum suum probent. Ne levis quidem umbra illius Propositionis hic aut in totius Operis serie apparet: Immo Ecclesiam & Romanos Pontifices à *Dallæi* Ministri Calviniani calumniis pro virili parte vindico.

## SCHOLION V.

Ad eumdem Paragraphum sive ad paginam 1067. Editionis primæ spectat illa Propositio quam Religiosi Censores notant: *In Breviariis desideratur Pontificum diligentia & prudentia.*

R. Non mea, sed *Melchioris Cano* viri doctissimi verba sunt, lib. XI. *De Locis Theologicis*, cap. V. in Responsione ad XII. Argumentum. Diligentiam sanè prudentiámque Pontificum necessariam esse ad Officiorum Ecclesiasticorum emendationem, ex eo constat, quòd sacra Rituum Congregatio hunc etiam in finem à Summis Pontificibus instituta sit: constat ex curis *Pii V. Clementis VIII. Pauli V. Urbani VIII.* in Breviarii & Missalis Romani correctionem collatis.

## SCHOLION VI.

Ad Paragraphum XXII. sive ad paginam 1110. primæ Editionis, Religiosi Censores hanc Propositionem notant: *In sanctis Patribus multi nævi & errores, sed non in omnibus.*

R. Vocem, *multi*, de suo addiderunt Indiculi Censorii Auctores. *Fatemur*, inquiebam, *in singulis Patribus nævos reperiri, in plerisque etiam errores (quamvis nonnullis aliquibus*

*quibus perperam Dallaus, Rivetus, aliique Heterodoxi affingant.*) &c. Quæ si censurâ dignâ sint, eâdem configant Religiosi Censores Romanam sub *Gelasio I.* Synodum Septuaginta Episcoporum, in qua ut *Apocrypha* notantur *Opuscula Tertulliani, Lactantii, Africani, Clementis, Alexandrini, Tatii, Cypriani, Arnobii, Cassiani, Victorini* : utique ob nonnullos errores. Censurâ suâ configant *Melchiorem Cano* doctissimum Theologum libro VII. cap. III. scribentem : *An hoc agere Gelasius voluit, in Veterum libris non esse quidquam erroris ? Atqui loterem, ut aiunt, laverit, quisquis istud conetur*, &c. Verùm inde perperam colligi à *Dallæo* ostendi, Patres universos in aliquo fidei dogmate errasse, aut errare potuisse.

## SCHOLION VII.

Ad Paragraphum rursus XXI. sive ad paginam 1058. Editionis primæ, Religiosi Censores hanc mihi Propositionem affingunt *Pontifices aliqui non Ecclesiæ Romanæ finxerunt falsa testimonia SS. Patrum & Conciliorum.*

R. Absint à me verba blasphemiæ in Sanctam Romanam Ecclesiam & Christi Vicarios Summos Pontifices. Hæc Propositio non est mea; nihil unquam tale scripsi vel cogitavi. Immò Romanam Ecclesiam & Summos Pontifices à calumnia *Dallæi* Hæretici id ipsis exprobrantis, pro virili parte vindicavi. En verba mea : *Quòd Zosimus & Bonifacius Romani Pontifices, Nicænorum nomine Canonum Sardicenses in controversia de Appellationibus ad Romanam Sedem laudaverint, fraudis non fuit; secuti sunt quippe Ecclesiæ suæ morem, in qua solemne erat sic eos Canones laudare, sive quòd Sardicense Concilium ut appendix quædam Nicæni spectaretur; sive quòd in Codice Canonum Romanæ Ecclesiæ Canones Sardicenses consequenter ad Nicænos sub eodem titulo adscripti essent.*

# DISSERTATIO XVII.

## Adversùs Tatianum, & Encratitas.

---

## ARTICULUS I.

### *Quo salus Adami defenditur.*

ADami salus æterna contra Tatiani hæresim probatur primò ex celebri illo loco Sapientiæ 9. & 10. *Per Sapientiam sanati sunt quicunque placuerunt tibi Domine à principio. Hæc illum, qui primus formatus est à Deo Pater orbis terrarum, cùm solus esset creatus, custodivit, & eduxit illum à delicto suo, & dedit illi virtutem continendi omnia.*

II. Auctoritate & rationibus Sancti Irenæi lib. 3. adversùs Hæreses, cap. 34. & sequentibus. Prima ratio est, quòd Deus vel infirmus, vel injustus videretur, si filios eripuisset è captivitate & servitute diaboli, & Protoparentem in ejus vinculis reliquisset : & antiquus ille hostis adversùs Christum gloriari posset, cum primis suis spoliis invictus remanens. *Cùm autem salvatur homo*, inquit, *oportet salvari eum qui prior formatus est homo. Quoniam nimis irrationabile est, illum quidem qui vehementer ab inimico læsus erat, & prior captivitatem passus est, dicere non eripi ab eo, qui vicerit inimicum, ereptos verò filios ejus, quos in eadem captivitate generavit : nec victus quidem adhuc parebit inimicus, ipsis veteribus spoliis manentibus apud eum. Quemadmodum si hostes expugnaverint quosdam, & victos duxerint captivos, & multo tempore in servitute possederint eos, ita ut generent apud eos, & aliquis dolens pro his qui servi facti sunt, eosdem hostes expugnet; non tamen justè faciat, si filios quidem eorum, qui captivi ducti sunt, liberet; ipsos verò qui captivitatem sustinuerunt, subjectos relinquat inimicis, propter quos & ultionem fecit consecutis libertatem filiis, ex causa paternæ vindicationis. Neque enim infirmus est Deus, neque injustus, qui opitulatus est homini, & in suam libertatem restauravit eum.*

Secunda ratio hæc est : Deus non maledixit Adamo, & Evæ, sed tantùm terræ, ac serpenti : ergo non est verisimile Adamum & Evam æternæ damnationi fuisse addictos. *Propter hoc* (inquit cap. 35.) *& in initio transgressionis Adæ, sicut enarrat Scriptura, non ipsum maledixit Adam, sed terram in operibus ejus, quemadmodum ex Veteribus quidam ait : Quoniam quidem transtulit Deus maledictum in terram, ut non perseveraret in homine. Condemnationem autem transgressionis accepit homo tædia, & terrenum laborem, & manducare panem in sudore vultus sui, & converti in terram, ex qua assumptus est. Similiter autem & mulier tædia, & labores, & gemitus, & tristitias partus, & servitium; id est, ut serviret viro suo, ut neque maledicti à Deo in totum perirent, neque sine increpatione perseverantes, Deum contemnerent. Omnis autem maledictio decurrit in serpentem qui seduxerat eos.*

Tertia ratio est hujusmodi. Christus plenam & absolutissimam de morte victoriam reportavit. Atqui non fuisset plena victoria, nisi liberatus fuisset ille, cui primùm mors dominata est. Ergo Adamum Christus liberavit. *Quapropter*, inquit Sanctus Irenæus, cap. 28. lib. 3. *liberato homine, fiet quod scriptum est, Absorpta est mors in victoria. Ubi est mors! victoria tua? Ubi est mors! aculeus tuus? Quod non poterat justè dici, si non ille liberatus fuit, cui primùm dominata est mors. Illius enim salus evacuatio est mortis. Domino igitur vivificante hominem, id est Adam, evacuata est mors.*

Quarta ratio. Decuit Christum Pastorem optimum, primam ovem suam aberrantem, & pereuntem quærere, & salvare. Quam si non invenit, nec reduxit, perditum adhuc est universum genus. *Mentiuntur ergo omnes qui contradicunt ejus saluti*, (inquit Sanctus Irenæus cap. 39. libri 3.) *semper seipsos excludentes à vita, in eo quòd non credant inventam ovem quæ perierat. Si autem illa non est inventa, adhuc possidetur in perditione omnis hominis generatio. Mendax ergo is qui prior hanc sententiam, imò hanc ignorantiam, & cæcitatem induxit Tatianus. Connexio quidem factus omnium Hæreticorum, quemadmodum ostendimus : hoc autem à semetipso adinvenit, uti novum aliquid præter reliquos inferens, vacuum loquens, vacuos à fide auditores sibi præparet : affectans Magister haberi, tentans & subinde uti hujusmodi à Paulo assiduè dictis : Quoniam in Adam omnes morimur; ignorans autem quoniam Ubi abundavit peccatum, superabundavit & gratia.* Ita denique concludit : *Hi qui contradicunt saluti Adæ, nihil proficiunt, nisi quòd semetipsos Hæreticos, & Apostatas faciunt veritatis, & advocatos se serpentis, & mortis ostendunt.*

III. Refellitur error Tatiani, auctoritate Tertulliani libro 2. contra Marcionem cap. 25. *Etsi Adam*, inquit, *propter statum legis deditus morti est, sed spes ei salva est, dicente Domino, Ecce Adam factus est tanquam unus ex nobis : de futura scilicet adlectione hominis in divinitatem. Dehinc quid sequitur? Et nunc nequando extendat manum, & sumat de ligno vitæ, & vivat in ævum. Interponens enim, & nunc, præsentis temporis verbum, temporalem & ad præsens dilationem vitæ fecisse se ostendit. Ideoque nec maledixit ipsum Adam, nec Evam, ut restitutionis candidatos, ut confessione relevatos.*

Et in fine libri de Pœnitentia : *Peccator omnium notarum cùm sim, nec ulli rei, nisi Pœnitentiæ natus, non facilè possum super illa tacere, quam ipse quoque & stirpis humanæ & offensæ in Dominum Princeps Adam, exomologesi restitutus in Paradisum suum, non tacet.*

IV.

IV. Refellitur ex Origene, Tractatu 35. in Matthæum. *Venit*, inquit, *ad me Traditio quadam talis, quòd corpus Adæ primi hominis ibi sepultum est, ubi crucifixus est Christus: ut sicut in Adam omnes moriuntur, sic in Christo omnes vivificentur: ut in loco illo, qui dicitur Calvariæ locus, id est locus capitis, Caput humani generis resurrectionem inveniat, cum populo universo, per resurrectionem Domini Salvatoris, qui ibi passus est, & resurrexit. Inconveniens enim erat, ut cùm multi ex eo nati remissionem acciperent peccatorum, & beneficium resurrectionis consequerentur, non magis ipse Pater omnium hominum hujusmodi gratiam consequeretur.*

V. Refellitur ex Sancto Epiphanio, Hæresi 46. ubi de hoc Tatiani dogmate loquens, ait: *Stulta quippe tota hæc est opinio. Nam si Adamus salutem minimè est adeptus, hoc est ipsa quodammodo generis massa: nec ulla massæ hujus particula servari poterit. Si enim qui primus omnium conditus est, & ex integra adhuc terra formatus, salutis minimè est particeps, quæ ab eodem orta sunt, quo tandem pacto salutem obtinebunt?* Et infrà: *Jam verò si Adamum Dominus ipse fabricavit, ac primum illud suum opus nihilominus exterminat, dum reliquos interim servat, quanta hæc, Tatiane, stultitia est? Imbecillitatem enim Domino, quantùm in te est, affingis; qui hominem, quem ante omnes effinxerat, ob unicum violati mandati crimen è Paradiso depulsum, nec mediocri animadversione castigatum, servare minimè potuerit, aut ut potuerit, misericordiam ei nullam adhibuerit.*

Denique Christum, in monte Calvariæ crucifixum, ubi Adamus sepultus quadam Traditione ferebatur, asserit: *Ut primi Parentis reliquias sanguine suo rigaret, ac tam ipsum, quàm nos ejus posteros, ad spem consequendæ salutis erigeret.* Eadem meditatur Sanctus Ambrosius, libro 5. Epistola 19 & lib. 10. in Lucam, cap. 23. eadem Sanctus Hieronymus Epistola 17. quam nomine Paulæ & Eustochii ad Marcellam scribit, ubi de Hierosolymis loquens, hæc habet: *In hac urbe, immo in hoc tunc loco, & habitasse dicitur, & mortuus esse Adam: unde & locus in quo crucifixus est Dominus noster, Calvaria appellatur, scilicet quod ibi sit Antiqui Hominis calvaria condita: ut secundi Adam, id est Christi Sanguis de cruce stillans, primi Adam, & jacentis Protoplasti peccata dilueret: & tunc sermo ille Apostoli compleretur: Excitare, qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus.*

His suffragatur Sanctus Augustinus seu potiùs alius Auctor Sermonis inter Augustinianos olim 71. de Tempore, nunc 6. in Appendice. *Etiam*, inquit, *hoc Antiquorum relatione refertur, quòd & Adam primus homo in ipso loco ubi crux fixa est, fuerit aliquando sepultus; & ideo Calvariæ locum dictum esse, quia Caput humani generis ibi dicitur esse sepultum. Et verè, fratres, non incongruè creditur quod ibi erectus sit Medicus, ubi jacebat ægrotus. Et dignum erat ut ubi occiderat humana superbia, ibi se inclinaret divina misericordia: Et sanguis ille pretiosus etiam corporaliter sanguinem Antiqui Peccatoris, dum dignatur stillando contingere, redemisse credatur.*

VI. Refellitur hic error singulari & insigni auctoritate Sancti Augustini, Epistola 99. quæ est ad Evodium, ubi de Christi ad inferos descensu, & de iis quos inde liberavit loquens, hæc habet: *Et de illo quidem primo homine Patre generis humani, quòd eum ibidem solverit, Ecclesia ferè tota consentit: quod eam non inaniter credidisse credendum est, undecunque hoc traditum sit; etiamsi Canonicarum Scripturarum hinc expressa non proferatur auctoritas. Quanquam illud quod in libro Sapientiæ scriptum est: Hæc illum qui primus factus est, Patrem orbis terrarum, cùm solus esset creatus, custodivit, & eduxit illum à delicto suo, & dedit ei virtutem continendi omnia: magis pro hac sententia, quàm pro ullo alio intellectu facere videatur.*

Objicitur testimonium Ruperti Abbatis, qui sententiam de Adami damnatione probabilem esse asserit, & à multis sua ætate propugnatam. *De quo*, inquit, *utrum aliquando per Christum misericordiam consecutus sit, per quem salvati, & liberati sumus, hodieque nonnulli disserant, pro eo videlicet quia nusquam Canonica Scriptura testatur, illum egisse pœnitentiam.* Et infrà: *Itaque quia de illo vetere Adam nihil usquam boni operis invenitur, & novus Adam illi est oppositus: ( Sicut enim in Adam omnes moriuntur, ita in Christo omnes vivificabuntur: ) Salvatio ejus & à multis liberè negatur, & à nullo satis firmiter defenditur.*

Respondeo, Majoris ponderis esse omnium Patrum, & Ecclesiæ auctoritatem, quam Ruperti: quem hac in re deceptum esse non mirum est, cùm Sapientiæ librum ex Canone Librorum Sacrorum expunxerit. *In eo duntaxat*, inquit, *qui inscribitur liber Sapientiæ, de illo sic scriptum est*: Hæc illum, qui *primus formatus est à Deo Pater orbis terrarum, cum solus esset creatus, custodivit, eduxit illum à delicto suo*, &c. *Verum hæc Scriptura neque de Canone est, neque de Canonica Scriptura sumpta est sententia hæc . . . , Quod ergo illi dictum est, Eduxit illum à delicto suo, & dedit illi virtutem continendi omnia, majore libertate parvipenditur, quàm suscipitur; quia quando, vel ubi peccatum suum agnoverit, aut Pœnitentiæ satisfactionem attulerit, non ostenditur.* Cæterùm Rupertus à temeritatis nota non absolvit eos, qui Adamum salvum non esse definirent, & Scholam agnoscit ubi primum hæc asserta est opinio, sectam scilicet Encratitarum. *Ne quis tamen temerè definiat*, inquit, *constat & hoc ( ut Ecclesiastica refert Historia ) ab Encratitis hæreticis inventum esse, quibus Tatianus auctor extitit.*

## ARTICULUS II.

### *Quo Encratitarum, & Hydroparastatarum error de aqua sola in Sacrificio Altaris offerenda, refellitur.*

HUnc errorem profligant primò Scripturæ sacræ verba Matthæi 26. imò ipsius Christi, qui in ultima Cœna *Accipiens calicem, gratias egit, & dedit Discipulis suis dicens: Bibite ex hoc omnes, Hic est enim sanguis meus Novi Testamenti*, &c. *Dico autem vobis: Non bibam amodo de hoc genimine vitis, usque in diem illum, cùm illud bibam vobiscum novum in regno Patris mei.*

II. Hunc errorem evertit auctoritas Sancti Justini, Apologia 2. *A precibus finitis*, inquit, *mutuis nos invicem osculis salutamus. Deinde ei qui fratribus præest, offertur panis, & poculum aquæ, & vini. Quibus ille acceptis, laudem & gloriam rerum universarum Patri, per nomen Filii, & Spiritus Sancti offert, & Eucharistiam, sive gratiarum actionem, pro eo quòd nos donis suis hisce dignatus sit, prolixè exequitur. Atque ubi ille preces, & gratiarum actionem absolvit, populus qui adest omnis, fausta approbatione acclamat, dicens, Amen. Præsidens verò postquam gratiarum actionem perfecit, & populus universus apprecatione læta eam comprobavit, qui apud nos vocantur Diaconi atque Ministri, distribuunt unicuique præsentium, ut participet eum in quo gratiæ actæ sunt, panem, vinum, & aquam, & ad absentes perferunt. Porro alimentum hoc apud nos appellatur Eucharistia: quod nulli alii participare licitum est, quàm veram esse doctrinam nostram credenti, & lavacro propter remissionem peccatorum abluto, & ita ut Christus tradit,*

*dit, viventi. Non enim ut communem panem, neque communem potum, ista sumimus; sed quemadmodum per Verbum Dei caro factus Jesus Christus Servator noster, & carnem, & sanguinem salutis nostræ causa habuit, ad eundem modum etiam eam, in qua per preces verbi ejus ab ipso profecti, gratiæ sunt actæ, alimoniam, unde sanguis & caro nostra per mutationem aluntur, incarnati illius Jesu carnem & sanguinem esse edocti sumus.*

III. Refellit hunc errorem, Sanctus Cyprianus Epistola 63. ad Cæcilium. *Admonitos autem nos scias*, inquit, *ut in Calice offerendo Dominica Traditio servetur, neque aliud fiat à nobis, quàm quod pro nobis Dominus prior fecerit; ut Calix qui in commemorationem ejus offertur, mixtus vino offeratur. Nam cùm dicat Christus, Ego sum vitis vera; Sanguis Christi non aqua est utique, sed vinum. Nec potest videri Sanguis ejus, quo redempti, & vivificati sumus, esse in Calice, quando vinum desit Calici, quo Christi Sanguis ostenditur, qui Scripturarum omnium sacramento, ac testimonio prædicetur.*

Id subinde probat multis figuris è Veteri Testamento depromptis, quæ incruentum Christi Sacrificium adumbrarunt. Subjungit postea verba Christi superiùs laudata ex cap. 26. S. Matthæi, ex quibus sic colligit: *Qua in parte invenimus Calicem mixtum fuisse, quem Dominus obtulit, & vinum fuisse, quod Sanguinem suum dixit. Unde apparet Sanguinem Christi non offerri, si desit vinum Calici; nec Sacrificium Dominicum legitima sanctificatione celebrari, nisi oblatio & Sacrificium nostrum responderit passioni. Quomodo autem de creatura vitis novum vinum cum Christo in regno Patris bibemus, si in Sacrificio Dei Patris, & Christi, vinum non offerimus, nec Calicem Domini Dominica traditione miscemus?*

Et post multa addit: *Nam quia nos omnes portabat Christus, qui & peccata nostra portabat, videmus in aqua populum intelligi, in vino verò ostendi sanguinem Christi. Quando autem in Calice vino aqua miscetur, Christo populus adunatur, & Credentium plebs ei in quem credidit, copulatur, & conjungitur. Quæ copulatio, & conjunctio aquæ & vini sic miscetur in Calice Domini, ut commixtio illa non possit ab invicem separari. Sic autem in sanctificando Calice Domini offerri aqua sola non potest; quomodo nec vinum solum potest: Nam si vinum tantùm quis offerat, Sanguis Christi incipit esse sine nobis: si vero aqua sit sola, plebs incipit esse sine Christo; quando autem utrumque miscetur, & adunatione confusa sibi invicem copulatur, tunc Sacramentum spiritale, & cœleste perficitur. Sic verò Calix Domini non est aqua sola, aut vinum solum, nisi utrumque sibi misceatur: quomodo nec Corpus Domini potest esse farina sola, aut aqua sola, nisi utrumque adunatum fuerit, & copulatum, & panis unius compage solidatum. Quo & ipso Sacramento populus noster ostenditur adunatus, ut quemadmodum grana multa in unum collecta, & commolita, & commixta, panem unum efficiunt: sic in Christo, qui est Panis Cælestis, unum sciamus esse corpus, cui conjunctus sit noster numerus, & adunatus.*

Qui Sancti Cypriani locus, ut probat luculenter vini necessitatem ad Sacrificium, ita aquam necessariam esse non evincit eodem genere necessitatis, ut quidam ex illis Sancti Cypriani verbis colligunt. Vult enim vinum esse necessarium ad perfectionem Sacramenti, aquam verò ad perfectionem duntaxat significationis; quæ non est ita expressa nisi aquâ vinum temperetur. Cùm verò traditionem Domini urget ut vinum aquâ mixtum offerendum probet, respectivè intelligenda sunt ejus verba, non absolutè, id est, traditionem esse Domini ut vinum offeratur: (id namque demonstrat ejus institutum, cùm agat contra Aquarios meram aquam consecrantes.) Non verò ad Dominicam traditionem, sed ad solam Ecclesiæ disciplinam, ex Apostolica traditione descendentem, aquæ mixtionem referendam esse voluit. Vel traditionis Dominicæ nomine, Christi exemplum intelligendum est, quantùm ad mixtionem aquæ; præceptum vero & exemplum, quantum ad oblationem vini. Quod discrimen Tridentina Synodus expressit Session. 22. cap. 7. dicens: *Monet sancta Synodus præceptum esse ab Ecclesia Sacerdotibus ut aquam vino in Calice offerendo miscerent: tum quòd Christum Dominum ita fecisse credatur, tum etiam quòd è latere ejus aqua simul cum sanguine exierit: quod Sacramentum hac mixtione recolitur. Et cùm aquæ, in Apocalypsi Beati Joannis Apostoli, populi dicantur, ipsius populi fidelis cum capite Christo unio repræsentatur.*

IV. Refellitur idem error ex Sancto Epiphanio, Hæresi 47. ubi contra Encratitas agens, sic habet: *Illorum mysteria, quæ aquâ solummodo constant, mysteria non sunt: sed ficta atque fallacia, verorum ad imaginem expressa. In quo planissima illos Salvatoris sententia redarguit: Non bibam de hoc genimine vitis, donec bibam illud novum in regno cælorum vobiscum.*

V. Concilii Carthaginensis III. quod anno 397. celebratum est, Canone 24. hic error evertitur: decernitur enim hoc Canone, *Ut in Sacramentis Corporis, & Sanguinis Domini nihil amplius offeratur, quàm ipse Dominus tradidit, hoc est panis, & vinum aqua mixtum.*

Quid Sanctos Basilium & Chrysostomum laudem, qui suis in Liturgiis Catholicæ adversùs Encratitas veritati suffragantur? Sed omittere nolim his omnibus antiquiorem Sanctum Irenæum & Tatiano supparem, qui libro 5. adversùs Hæreses cap. 2. istum errorem perimit his verbis: *Quando ergo & mixtus Calix, & fractus Panis percipit Verbum Dei, fit Eucharistia Sanguinis & Corporis Christi.* Lege Canonem 32. Synodi Trullanæ.

Objiciuntur primò verba Christi, Joannis 7. dicentis: *Si quis sitit, veniat ad me & bibat. Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ.* His porrò verbis Calix incruenti Sacrificii significatur: ergo solâ aquâ constat.

Respondeo, nego minorem. *Nam ut magis posset esse manifestum, quia non de Calice, sed de Baptismo illic loquitur Dominus, addidit Scriptura dicens: Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant, qui in eum credebant. Per Baptisma enim Spiritus Sanctus accipitur; & sic à baptizatis, & Spiritum Sanctum consecutis, ad bibendum Calicem Domini pervenitur.* (inquit Sanctus Cyprianus Epistola suprà laudata.)

Objicitur secundò. Quidam Episcopi ætate Sancti Cypriani solam aquam in Sacrificio Missæ offerebant, quos tamen ipse hæreseos notâ non inurit: ergo Encratitæ non sunt propterea Hæreticis accensendi, quòd aquam solam in Sacrificio altaris offerrent.

Respondeo, distinguo antecedens: Et illi Episcopi præ ignorantia, & simplicitate, à Traditione aberrabant, concedo: & Traditionem sequebantur, nego. Unde pariter nego consequentiam. Illi enim Episcopi, de quibus loquitur Sanctus Cyprianus, vel Presbyteri, solam aquam offerebant & sumebant, ignorantiæ potiùs, & ignaviæ, quàm pervicaciæ vitio: ne scilicet odore vini ex Sacrificio matutino superstite, Christianæ in suspicionem Religionis apud Ethnicos venirent, & ad mortem propterea quærerentur, quam ob ignaviam eos Sanctus Cyprianus perstringit his verbis: *Cæterùm omnis religionis, & veritatis Disciplina subvertitur, nisi id quod spiritaliter præcipitur, fideliter reservetur. Nisi si in Sacrificiis matutinis hoc quis veretur, ne*

per

*per saporem vini redoleat Sanguinem Christi. Sic ergo incipit & à passione Christi in persecutionibus fraternitas retardari, dum in Oblationibus discit de Sanguine ejus & cruore confundi .... Quomodo autem possumus propter Christum Sanguinem fundere, qui Sanguinem Christi erubescimus bibere?* Cæterùm ipsorum simplicitati & ignorantiæ hunc errorem condonandum ait Sanctus Cyprianus: Non autem iis qui à Traditione Dominica, sibi revelatâ, scientes volentes deflectunt: Multò minus iis qui Traditionem illam impugnant, quales fuerunt Encratitæ. *Si quis*, inquit, *de Antecessoribus nostris, vel ignoranter, vel simpliciter non hoc observavit & tenuit, quòd nos Dominus facere exemplo & magisterio suo docuit: potest simplicitati ejus de indulgentia Domini venia concedi: nobis verò non poterit ignosci, qui nunc à Domino admoniti, & instructi sumus, ut Calicem Dominicum vino mixtum, secundum quod Dominus obtulit, offeramus. Et de hoc quoque ad Collegas nostros literas dirigamus, ut ubique Lex Evangelica, & Traditio Dominica servetur, & ab eo quod Christus docuit, & fecit, non recedatur.*

Objectio tertia petitur ex Raphaëlis Volaterrani testimonio, libro 7. de Geographia, folio 71. verso, referentis, Norvegis ab Innocentio VIII. Pontifice Maximo concessum, ut sine Calice & vino sacrificarent, eo quòd vinum in illam regionem importatum statim acescat. Ergo vini oblatio non est sacrificio essentialis: adeoque non fuerunt Hæretici, qui loco vini aquam in Calice subrogarunt.

Respondeo, quòd etsi Volaterranus Scriptor eruditus & diligens à Possevino appelletur, suspecta est hæc ipsius narratio, cùm hujus dispensationis nullus alius testis proferatur. Nec verisimile est Norvegos, legatione missa ad Innocentium, postulasse ut potestas ipsis fieret Sacrificium offerendi sine Calice, ob vini penuriam, cùm omnium, qui hanc in regionem iter fecerunt, relatione constet, vina generosa illic conservari, non solùm quæ ad rem sacram, faciendam sufficiant; sed etiam ad opiparè bibendum propinentur. Sed dato quod istud concesserit Innocentius, respondeo non sequi quòd oblatio vini & consecratio non sit Sacrificio essentialis: sed quòd Pontifex opinatus sit in extrema necessitate satius esse ut imperfectum offerretur Sacrificium, quàm nullum, ne Fideles Communione Corporis Christi privarentur. Ex hac autem, si facta non est, concessione colligi non potest, licitum esse aquam offerre & consecrare loco vini: cùm ea assertio ex Scriptura sacra & Traditione, hæreseos convincatur



## DISSERTATIO XVIII.

### Adversùs Montanistas.

ERROREM palmarem Montanistarum de negatione veniæ graviorum criminum reis, quòd Ecclesia potestatem non acceperit delicta in Deum commissa condonandi, expugnabimus Sæculo tertio, cùm Novatianos, quibus communis fuit cum illis error, confutabimus. Nunc adversùs alia ipsorum hæreseos capita nobis est dimicandum.

### ARTICULUS PRIMUS.

*Quo secundæ Nuptiæ vindicantur.*

ALteras nuptias Apostolus ut legitimas probat, ad Romanos cap. 7. *Quæ sub viro est mulier,*



A inquit, *vivente viro alligata est legi: si autem mortuus fuerit vir ejus, liberata est à lege viri. Igitur vivente viro, vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro: si autem mortuus fuerit vir ejus, liberata est à lege viri: ut non sit adultera, si fuerit cum alio viro.*

Et 1. ad Corinthios 7. *Dico autem non nuptis, & viduis, Bonum est illis, si sic permaneant, sicut & ego. Quòd si non se continent, nubant.*

Et 1. ad Thimotheum 5. Juniores viduas hortatur ut potiùs nubant, quàm se in discrimen amittendæ castitatis conjiciant. *Volo ergo*, inquit; *Juniores nubere, filios procreare, matres familias esse, nullam*

B *occasionem dare adversario maledicti gratia.*

II. Montani errorem Tertullianus nondum professus Montanista confodit libro 2. ad Uxorem, cap. 1. ubi verba Apostoli viduas & innuptas à secundo conjugio deterrentis, consilium dumtaxat esse agnoscit, quod opponit præcepto de non ineundo matrimonio cum infidelibus. *Apostolus*, inquit, *de viduis quidem & innuptis ut ita permaneant suadet, cùm dicit: Cupio autem omnes meo exemplo perseverare: de nubendo verè in Domino, cùm dicit: Tantùm in Domino, jam non suadet, sed exertè jubet. Igitur in ista maximè specie, nisi obsequimur, pericli-*

C *tamur. Quia suasum impunè quis negligat, quàm jussum: quòd illud de consilio veniat, & voluntati proponatur, hoc autem de potestate descendat, & necessitati obligetur: illic libertas, hic contumacia delinquere videatur.* Cùm itaque illud malum non sit, quod vitandum necessariò non est, Tertullianus hoc in loco malas esse & illicitas secundas nuptias non existimavit.

III. Hunc errorem, quem etiam suscitarunt Novatiani, ferierunt quodammodo Nicæni Patres Canone 8. quo inter Ecclesiæ dogmata reposuerunt, *Bigamis communicare.* Idque ut scriptis profiteren-

D tur decreverunt, antequam susciperentur in Ecclesiam.

IV. Ex Sancto Joanne Chrysostomo idem error profligatur, Homilia 19. in Epistolam Sancti Pauli ad Ephesios. *Et secundum*, inquit, *concedit matrimonium*, Apostolus, *tantùm dicens, In Domino. Quid est autem, In Domino? Cum temperantia, cum honestate.* Et in fine Homiliæ: *Pacem sectamini, & sanctificationem, sine qua nemo videbit Deum. Ut ergo digni censeamur eum videre, sive sumus in virginitate, sive in primis, sive in secundis nuptiis, hanc*

E *sectemur.* Et Homilia 20. *Quid ad hæc*, inquit, *qui secundis copulamur nuptiis? Non id aio condemnans; absit: Quippe Apostolus permisit.*

V. Ex Sancto Epiphanio, Hæresi 48. *Quòd si quis*, inquit, *post uxoris obitum secundas nuptias pro sua imbecillitate desiderat, minimè id quidem veritatis regula prohibet, in eo dumtaxat qui Sacerdos non fuerit*, &c. Et Hæresi 59. quæ est Catharorum: *Illud quidem constat*, inquit, *nemini fraudi esse Pœnitentiam: neque quem peccatorum omnium pœnitet, rejici, aut excludi. Quantò ergo magis idem ei tribuendum est, qui cum altera uxore legitimis sese nuptiis illigarit? Nam ut prima uxor à Deo constituta est, ita*

F *imbecillitati hominum posterior indulta. Quòd si alteram præterea sibi copulet, hujus hac in parte toleratur infirmitas. Scriptum est enim: Mulier alligata est nuptiis, quanto tempore vivit vir ejus: sin autem mortuus fuerit vir, libera est, cui vult nubere. Quo quidem declarat, post viri obitum ab omni illam peccato liberam esse, adeo ut contradicere nemo possit. Quod hoc addito significavit, In Domino, quasi minimè à Domino sit aliena, quæ post viri obitum alteri se viro conjunxerit: ut nec illum vicissim, qui uxore mortua, sese ad secundam applicarit. Tantùm in Domino, ait Apostolus.*

VI. Ex Theodoreto libro 5. Hæreticarum Fabularum cap. 26. ubi expendens Apostoli verba 1.

Cor. 7. hæc habet : *Notandum est autem, quòd non beatam, sed beatiorem eam dicat, quæ se continet : ita docens, quod non omnino beatitudine sit destituta, quæ secundum etiam matrimonium amplectitur, si juxta positam hic legem jugum subeat.*

VIII. Ex Sancto Hieronymo Epistola 11. quæ est ad Ageruchiam, ubi cùm de secundis nuptiis paulò duriùs locutus fuisset, sua ipse verba hac explicatione emollit : *Quid igitur ! Damnamus secunda matrimonia? Minimè, sed prima laudamus. Abjicimus de Ecclesia digamos? Absit : sed monogamos ad continentiam provocamus?*

Et Epistola 50. quæ est Apologia ad Pammachium pro libris adversùs Jovinianum, hæc habet : *Aperiant quæso aures obtrectatores mei, & videant me secundas & tertias nuptias concessisse in Domino. Qui secundas & tertias nuptias non damnavi, primum potui damnare matrimonium?*

Et cap. 7. *Porro*, inquit, *ubi de digamis, & trigamis differentes diximus ; Melius est, licet alterum & tertium, unum virum nosse, quàm plurimos, id est, tolerabilius est uni homini prostitutam esse, quam multis: nonne statim, cur hoc dixerim, subjecimus? Siquidem & illa in Evangelio Samaritana sextum maritum habere se dicens, arguitur à Domino quòd non sit vir ejus. Ego etiamnunc libera voce proclamo : Non damnavi in Ecclesia digamiam, imò nec trigamiam : & ita licere quinto & sexto, & ultra, quomodo & secundo marito nubere. Sed quomodo non damnantur istæ nuptiæ, ita nec prædicantur. Solatia miseriæ sunt, non laudes continentiæ. Unde & in alio loco dixi : Ubi unus maritus exceditur, nihil refert, secundus, an tertius sit : quia desinit esse monogamus. Omnia licent, sed non omnia expediunt. Non damno digamos, imò nec trigamos, & si dici potest octogamos. Habeat cui libet, octavum maritum, & esse desinat prostituta.* Eadem fermè repetit in Præfatione libri primi Commentariorum in Isaïam.

VIII, Refellitur idem error ex Sancto Ambrosio libro de Viduis, post medium : *Non prohibemus*, inquit, *secundas nuptias : sed non probamus sæpe repetitas. Neque enim quicquid licet, & decet : Omnia mihi licent, dicit Apostolus, sed non omnia sunt utilia.*

Ultimò ex Sancto Augustino, libro de Bono Viduitatis, cap. 11. & 12. *Ne arbitreris*, inquit, *vel secundas nuptias crimen esse, vel quascumque nuptias, cùm sint nuptiæ, malum esse. Non itaque illas à te damnatas velim esse, sed spretas. Bonum ergo continentiæ vidualis luculentiùs decet, cum pro illo vovendo possunt contemnere fœminæ quod & libet, & licet. De tertiis & quartis, & pluribus nuptiis solent homines movere quæstionem : unde ut breviter respondeam : Nec ullas nuptias audeo damnare, nec iis verecundiam numerositatis auferre.*

Et libro 16. de Civitate Dei, cap. 34. explicans cur Abraham post mortem Saræ, plusquàm centenarius, aliam tamen acceperit uxorem, nempe Cethuram, ait : *Quid si hoc provisum est contra Hæreticos futuros secundarum adversarios nuptiarum, ut in ipso Patre multarum Gentium, post mortem conjugis, iterum conjugari demonstraretur non esse peccatum?*

Objectio prima in gratiam Montanistarum petitur ex Origene Homilia 17. in Lucam, dicente : *Nunc verò & secundæ, & tertiæ, & quartæ nuptiæ, ut de pluribus taceam, reperiuntur, & non ignoramus quòd tale conjugium ejiciet nos de regno Dei. Sicut enim ab Ecclesiasticis Dignitatibus non solum fornicatio, sed & nuptiæ repelluntur, neque enim Episcopus, nec Presbyter, nec Diaconus, nec Vidua, possunt esse digami : sic forsitan & de cœtu primitivorum, immaculatorumque Ecclesiæ, quæ non habet maculam neque rugam, ejicietur digamus, non quo in æternum mittatur incendium, sed quò partem non habeat in regno Dei.* Porro quod arcet à regno Dei, illicitum est: secundæ igitur nuptiæ sunt illicitæ.

Respondeo, distinguo minorem : Quod arcet à regno Dei illicitum est, si nomine regni Dei intelligatur æterna salus & beatitudo, quæ in visione ac fruitione Dei posita est, concedo : si intelligatur dumtaxat sublimior gradus gloriæ, nego. At Origenes nomine regni Dei & Ecclesiæ Primitivorum solùm intellexit eminentiorem beatitudinis gradum, qui servatur perfectis : à cujus consecutione digamos utpote imperfectiores, prohiberi censuit : non verò beatitudinem absolutè sumptam. Addit namque ibidem eos salvos fore, licèt in secundo tantùm gradu gloriæ collocandos. *Puto enim*, inquit, *monogamum, & virginem, & eum qui in castimonià perseverat, esse de Ecclesia Dei : eum vero qui sit digamus, licet bonam habeat conversationem, & cæteris virtutibus polleat, tamen non esse de Ecclesia, & de eo numero qui non habet rugam, aut maculam : sed esse de secundo gradu, & de his qui invocant nomen Domini, & qui salvantur quidem in nomine Jesu Christi, nequaquam tamen coronantur ab eo.*

Objectio secunda petitur ex Sancto Gregorio Nazianzeno, Oratione 37. in illud Evangelii, *Cum consummasset Jesus hos sermones* (Matth. 6.) ubi expendens hæc verba Apostoli ad Ephesios 5. *Sacramentum hoc magnum est : Ego autem dico in Christo & in Ecclesia* ; ita scribit : *Hac oratione secundas nuptias mihi deprecari videtur. Si enim duo Christi sunt, duo quoque viri sint, & duæ uxores : Si autem unus Christus, unum Ecclesiæ caput : una etiam caro sit, secunda autem respuatur. Quod si secundam prohibeat, de tertia quid dicendum est? Primum lex est ; secundum venia & indulgentia : tertium iniquitas : qui autem hunc numerum excedit, porcinus planè est, utpote ne multa quidem vitii exempla habens.*

Respondeo, Sanctum Gregorium Nazianzenum paulò quidem vehementiùs in secundas nuptias ibi declamasse, velut in conjunctionem multis imperfectionibus dehonestatam, & quæ mystici cum Ecclesia Christi connubii Sacramentum perfectè omnino non exprimat : ipsas denique vocasse iniquitatem, non ratione sui, quasi per se malæ sint : sed ratione causæ, quæ ad eas contrahendas ut plurimùm impellit, scilicet impotentis incontinentiæ, & libidinis. Cæterùm alteras nuptias velut legitimas probasse Sanctum Gregorium Nazianzenum, constat ex Oratione 39. quæ est in Sancta Lumina, ubi Novatianum perstringens, hæc habet : *An ne juvenibus quidem viduis, propter ætatis lubricum, ineundi matrimonii potestatem facis? At Paulus hoc facere minimè dubitavit, cujus te scilicet Magistrum profiteris, perinde atque ad quartum cœlum, aliumque Paradisum perveneris... At hæc minimè post Baptismum, (inquis) Quo argumento id confirmas? Aut rem ita se habere proba : aut si id nequis, ne condemnes. Quod si res dubia est, vincat humanitas, & facilitas.*

Objectio tertia petitur ex Sancto Joanne Chrysostomo, Homilia 32. Operis Imperfecti in Matthæum dicente : *Apostoli quidem præceperunt secundas adire nuptias, propter incontinentiam hominum. Nam secundam quidem accipere, secundùm præceptum Apostoli est. Secundùm veritatis autem rationem, verè fornicatio est. Sed dum permittente Deo publicè & licenter committitur, fit honesta fornicatio.* Ergo secundæ nuptiæ illicitæ sunt, & à fornicatione nequaquam differunt.

Respondeo, Authorem Operis Imperfecti in Matthæum, non esse Sanctum Joannem Chrysostomum, quod eruditorum neminem fugit, sed incertum

rium Auctorem, & ab Hæreticis depravatum (ut viri Criticæ sacræ periti Sixtus Senensis, Possevinus, & Bellarminus Cardinalis notarunt) vel Auctorem prorsus hæreticum, ut contendunt alii cum Baronio. Cæterùm verus Chrysostomus secundas nuptias licitas esse sensit, ut ex probationibus constat. Præterea hic Auctor benignè explicari potest de fornicatione sumpta in sua causa, scilicet in libidine; quæ ad secundas nuptias impellit, sicut ad fornicationem. Sic ipsum exponit Sanctus Thomas IV. Sentent. Dist. 41. Quæst. 3. Articlulo 1. Sed quod in se & absolutè sumptas non esse fornicationem existimaverit Auctor ille, constat ex eo quòd Apostolos præcepisse dicat secundum matrimonium. Non præcepisset autem, etiam in hypothesi incontinentiæ alia ratione non vitandæ Sanctus Paulus, quod secundùm se malum fuisset: siquidem *Non esse facienda mala, ut eveniant bona*, tam disertè contestatus est. Denique vera fornicatio cùm intrinsecè mala sit, nusquam honesta evadere potest. At secundas nuptias, permittente Deo, licitas esse, & honestas fieri asserit Auctor Operis Imperfecti in Matthæum: eas igitur secundùm se, & absolutè spectatas, fornicationem non esse existimavit.

Objectio quarta depromitur ex Sancto Hieronymo libro 1. contra Jovinianum, cap. 8. sic contra secundas nuptias declamante: *Quomodo Virginibus, ob fornicationis periculum concedit nuptias* (Apostolus) *Et excusabile facit, quod per se non appetitur: ita ob eandem fornicationem vitandam, concedit viduis secunda matrimonia. Melius est enim, licet alterum, & tertium, unum virum nosse, quàm plurimos: id est, tolerabilius est uni homini prostitutam esse, quàm multis: siquidem & illa in Evangelio Joannis Samaritana, sextum se maritum habere dicens, arguitur à Domino quòd non sit vir ejus. Ubi enim numerus maritorum est, ibi vir qui propriè unus est, esse desiit.* Et infrà: *Considera*, inquit, *quod quæ duos habuit viros, etiamsi anus est, & decrepita, & egens, Ecclesiæ stipes non meretur accipere. Si autem panis, illi tollitur eleemosyna, quantò magis ille Panis qui de cælo descendit, quem qui indignè comederit, reus erit violati Corporis & Sanguinis Christi?* Et infrà: *Primus Adam monogamus, secundus digamus. Qui digamiam probant, exhibeant tertium Adam digamum, quem sequantur.*

Et Epistola 11. quæ est ad Ageruchiam: *Non solùm*, inquit, *ab officio Sacerdotii digamus excluditur, sed & ab eleemosyna Ecclesiæ, dum indigna putatur stipe, quæ ad secunda conjugia devoluta est. Quamquam lege Sacerdotali teneatur & laicus, qui talem præbere se debet, ut possit eligi in Sacerdotium. Non autem eligitur, si digamus fuerit. Porro eliguntur ex laicis Sacerdotes: ergo & laicus tenetur mandato, per quod ad Sacerdotium pervenitur. Aliud est quod vult Apostolus, aliud quod cogitur velle. Ut concedat secunda matrimonia, mea est incontinentia, non illius voluntatis. Vult omnes esse sicut seipsum, & ea cogitare quæ Dei sunt, & solutos nequaquam ultra alligari. Sed si labentes per incontinentiam ad barathrum stupri viderit pervenire, digamiæ porrigit manum, ut cum una magis, quam cum pluribus volutentur.*

Hæc porro omnia secundas nuptias illicitas esse probant. Nam quod indignum reddit hominem Communione Corporis Christi, illicitum est. At, ex Sancto Hieronymo, secundæ nuptiæ indignum reddunt hominem Communione Corporis Christi; ergo sunt illicitæ.

Præterea eadem lex, ex Sancto Hieronymo, adstringit Laicos ad Monogamiam quæ Sacerdotes: sed Sacerdotes Monogamiæ lege tenentur, ita ut secundæ nuptiæ illis illicitæ sint, qui ad sacros Ordines promoveri volunt: Ergo eadem lege tenentur laici.

Respondeo, Hæc vehementiori stylo, & declamatorio à Sancto Hieronymo scripta, tum ad continentiæ commendationem, cùm ad condemnationem libidinis, quæ secundarum conciliatrix est nuptiarum, illas absolutè non improbare; sed deprimere duntaxat infra statum continentium. Id constat ex ipsomet Sancto Hieronymo, quo melior nemo esse potest ipsius sententiæ interpres, tum in Epistola prælaudata ad Ageruchiam, cùm in Epistola Apologetica ad Pammachium, pro suis contra Jovinianum libris.

Secundas autem nuptias digamos Communione Corporis Christi indignos efficere probat, ratione concupiscentiæ quæ illis dominari videtur, non ratione sui. Nec etiam eadem lege teneri laicos ad Monogamiam existimat, absolutè, sed ex quadam honestate, & decentia, quia aditum sibi ad Sacerdotium per secundas nuptias intercludere non debent. Cæterùm tantum abfuit Sanctus Hieronymus à secundarum nuptiarum damnatione, ut Montanistarum, & Tertulliani eum errorem fuisse notet, Epistola 45. quæ est ad Marcellam. Igitur S. Hieronymus in libris contra Jovinianum, & in Epistolis adhortatoriis ad virginitatem servandam, tantis laudibus continentiam extulit, ut secundas nuptias damnare videretur: quod & aliis plerumque Patribus contigisse notat Theodoretus, qui adversùs aliquos errores dum acriùs disputarent, in oppositos tantisper visi sunt inclinare, quamvis eos pariter execrarentur. *Vehemens cum adversariis contentio fecit ut modum excederent* (inquit Theodoretus, Dialogo 3. qui inscribitur IMPATIBILIS pag. 170.) *Hoc & iis qui arbores colunt evenire solet. Cùm enim incurvam plantam viderint, non solùm ad rectam normam erigunt, sed in alteram quoque partem ultra directum inflectunt, ut per nimiam in contrarium inclinationem ad rectum statum perducatur.*

Objicitur quintò. Concilia & Sancti Patres Pœnitentiam digamis imposuerunt. Cùm itaque Pœnitentia non imponatur nisi propter peccatum, existimaverunt secundas nuptias illicitas esse.

Probatur antecedens ex Concilio Neocæsariensi, Canone 3. *De his*, inquit, *qui in plurimas nuptias inciderunt, tempus quidem præfinitum manifestum est: sed conversatio eorum & fides tempus abbreviat.* Et Canone 7. *Presbyter in nuptiis ejus, qui digamus efficitur, ne convivetur. Cùm enim requirat pœnitentiam digamus, quis erit Presbyter, qui eo quòd sit convivio acceptus, nuptiis assentiatur?*

Idem constat ex Sancto Basilio Epistola 1. ad Amphilochium, Canone 4. *Trigamorum*, inquit, *& Polygamorum eumdem Canonem definimus, quem in digamis pro proportione. Annum enim in digamis: alii verò duos annos. Trigamos autem sæpe tribus & quatuor annis segregant. Id autem non ampliùs conjugium, sed Polygamiam appellant, vel potiùs castigatam fornicationem. Et ideo Dominus Samaritanæ, quæ quinque maritos jam habuerat: Quem nunc, inquit, habes, non est maritus: nempe quòd digni non sint qui à digamiæ mensura exciderunt, ut vel mariti, vel uxoris nomine appellentur. Consuetudine autem accepimus in trigamis quinquennii segregationem, non à Canone, sed ab eorum, qui præoccuparunt, consequentia. Oportet autem non eos arcere omnino ab Ecclesia, sed dignari auditione duobus, vel tribus annis: & postea permitti quidem consistere, à boni tamen Communione abstinere: & sic postquam pœnitentiæ fructum ostenderint, communionis loco restituere.*

Respondeo, distinguo antecedens: Concilia & Sancti

Sancti Patres Pœnitentiam digamis imposuerunt, propter incontinentiam quæ ad secundas nuptias impellebat, concedo: Propter nuptias ipsas repetitas, nego. Istud ex Synodo Laodicedina compertum est, quæ eodem Canone primo secundas nuptias legitimas esse pronuntiat, & eas nihilominus pœnitentiæ addicit. *De his*, inquit, *qui secundùm Ecclesiasticam Regulam, liberè ac legitimè secundis nuptiis juncti sunt, nec occulte nuptiarum copulam fecerunt, oportet ut parvo tempore transacto, vacent orationibus, & jejuniis, quibus etiam juxta indulgentiam, Communionem reddi decrevimus.* Nuptias autem ulteriores Sanctus Basilius castigatam fornicationem appellavit, sensu impropriò. Quomodo ardentior amator uxoris adulter vocatur: quia libido, quæ fornicationis causa est, ad eas impellit.

Non est porro par ratio de tertiis, & quartis nuptiis, ac de secundis: quia eas apertis verbis non permittit Apostolus, sicut secundas concedit. Unde Sanctus Basilius Epistola 2. ad Amphilochium Canone 50. ait: *Trigamia lex non est: Quare lege tertium matrimonium non approbatur. Verumtamen ea ut Ecclesiæ inquinamenta videmus: sed publicis condemnationibus non subjicimus, ut quæ soluta & profusa fornicatione sunt magis expetenda.* Ex quibus colligitur, tertias nuptias Sanctum Basilium & alios Patres non damnasse; alioqui sic conjunctos separasset, atque ab aditu Ecclesiæ prohibuisset. Vocat autem eas inquinamenta Ecclesiæ, quia impotentis libidinis argumenta sunt, & quamdam præ se ferunt inhonestatem. Quartæ verò nuptiæ, licet per se malæ non sint, nec damnari debeant ut secundùm se illicitæ, ut constat ex Innocentio IV. ad Tusculanum quemdam Episcopum, Sedis Apostolicæ in regno Cypri Legatum scribente, & ex Eugenio IV. in Bulla Unionis Jacobitarum, post Concilium Florentinum data: nihilominus in Ecclesia Orientali, Jure Canonico & Civili prohibitæ sunt. Unde cùm Leo Sapiens Græcorum Imperator quartam uxorem duxisset, ipsum Nicolaus Patriarcha Constantinopolitanus à communione segregavit; quam ob rem ingentes turbæ in Ecclesia illa excitatæ sunt, quas tandem indulta Imperatori dispensatione composuit Joannes X. Pontifex Maximus. Irritas autem quartas nuptias fore, primus decrevit Basilius Macedo Leonis Sapientis Pater, in Novella cujus titulus est, *Non licere ad quartas nuptias transire*, quæ extat lib. 2. Juris Orientalis. *Manifestum*, inquit, *omnibus esto, quod si quis ausus fuerit ad quartas nuptias, non nuptias, accedere, non solùm pro nullis habebuntur hæ nuptiæ, nec liberi ex iis procreati pro legitimis agnoscentur: verùm etiam ipse pœnis pollutorum scortationis sordibus subjicietur, ejusmodi videlicet personis à se invicem separatis.* An autem id jure fecerit Imperator, ad aliam quæstionem spectat de jure Principum circa matrimoniales contractus, an scilicet ipsis apponere impedimenta valeant. Quin Regum & Principum statutis inhabilitas ad contrahendum induci possit, servatis Ecclesiæ juribus, quam impedimenta dirimentia constituere posse de fide est, nòn ambigo. In omnes enim contractus qui ad bonum reipublicæ ordinantur, supremam potestatem Princeps habet, qua certas ipsis conditiones apponere potest, quarum defectu irriti sint. Unde cùm matrimoniales contractus maximè bonum publicum spectent, Rex lege lata inhabilitatem inducere potest ad matrimonia certas inter personas contrahenda. Hinc Sanctus Thomas IV. *Sentent. Dist.* 34. *Quæst.* 1. *Art.* 1. ad 4. ait: *Personæ illegitimæ ad matrimonium contrahendum dicuntur, ex eo quòd sunt contra legem, qua matrimonium constituitur. Matrimonium autem in quantum est in officium naturæ, statuitur lege naturæ: in quantum est Sacramentum, statuitur jure divino: in quantum est in officium communitatis, statuitur lege civili: & ideo ex qualibet dictarum legum potest aliqua persona effici ad matrimonium illegitima.* Sed de hac controversia uberiùs disserere non est præsentis instituti.

Objicitur sextò. Secundæ nuptiæ Sacerdotali benedictione non honorantur: ergo sunt malæ.

Respondeo, nego consequens. Nam benedictio illis propterea non negatur, quòd sint illicitæ, siquidem Ecclesia quæ illis benedictionem non tribuit, illas nihilominus probat, & conciliat: sed quòd primis nuptiis data benedictio ad fœcunditatem conjugibus adprecandam, repeti non debeat: vel quòd illæ nuptiæ à perfecta significatione conjunctionis Christi cum Ecclesia, unius cum una, degenerent, ac propterea benedictione indignæ existimentur.

## SCHOLION I.

Ad hunc Articulum pag. 1144. Editionis primæ, qua Responsio ad Objectionem quintam continetur Indiculus Censorius hanc mihi Propositionem affingit: *Non licent quartæ nuptiæ.*

R. Immò, Contrarium expressè asserui eo loci. En verba mea: *Quartæ verò nuptiæ, licet per se malæ non sint, nec damnari debeant ut secundùm se illicitæ... Nihil minus in Ecclesia Orientali Jure Canonico & Civili prohibitæ sunt.* Prima Propositio jus spectat, factum altera.

## SCHOLION II.

Ad eumdem penè locum, sive ad paginam 1145. Editionis primæ Religiosi Censores hanc Propositionem notant: *Princeps secularis potest apponere impedimenta Matrimonio.*

R. Principes impedimenta Matrimonio, quatenus Sacramentum est seu quatenus contractus ad Sacramenti dignitatem evectus ex institutione Christi apponere non posse censeo, sed apponere posse impedimenta Matrimonio, quatenus contractus civilis est, cum Sancto Thoma existimo. Mentem meam disertis verbis explicavi, sed Indiculi Censorii Auctores Propositionem meam truncarunt. *Quin Regum & Principum statutis* (inquiebam) *inhabilitas ad contrahendum induci possit*, SERVATIS ECCLESIÆ JURIBUS, *quam impedimenta dirimentia constituere posse de Fide est, non ambigo. In omnes enim contractus, qui ad bonum Reipublicæ ordinantur, supremam potestatem Princeps habet, quâ certas ipsis conditiones apponere potest, quarum defectu irriti sint. Unde cùm matrimoniales contractus maximè bonum publicum spectent, Rex lege lata inhabilitatem inducere potest ad matrimonia certas inter personas contrahenda.* Locutus sum cum Sancto Thoma cujus verba descripsi. Locutus sum cum *Dominico Soto*, Tridentini Concilii eximio Theologo, in IV. Sententiarum, Dist. XL Quæstione unica Art. V. cujus verba cum non retulerim, hic subjicio: *Respublica civilis, & Princeps qui ejus habet facultatem, lege potest de paciscendis stipulandisque Nuptiis condere, adeòque sic consanguineos & affines à Matrimoniis contrahendis arcere, ut si illa contra tentaverint, nulla sint.* Ea potestate usus *Theodosius* Imperator, patrueles fratres & consobrinos matrimonio conjungi prohibuit lege lata, quam laudat Sanctus Ambrosius: *Neque obstat cavillus quorumdam* (inquit Soto) *quòd cùm matrimonium sit Sacramentum, non potest Princeps materiam ejus & subjectum mutare, hoc est, prohibere ut si cognati contraherent matrimonium, non teneret. Non, inquam, hoc obstat, quoniam institutio Sacramenti non abstulit quò minùs matrimonium sit civilis contractus, & qua ratione contractus civilis est, à potestate civili non eximitur. Et sæpe matrimonia inter consanguineos in perniciem Reipublicæ vergerent... Nihilominus cùm Ecclesiæ incumbat de Sacramentis censere, & tabis quo pertinent ad Regnum cœlorum Respublica civilis spirituali subdita sit, nequit civilis in matrimonialibus causis, præsertim in constituendis personis legitimis vel illegitimis, ab Ecclesiæ sanctionibus & potestate deflectere: alioqui duo essent capita, quod utique monstrum tunicam Domini demoliretur.* Non aliam esse mentem meam ex verbis meis tam apertis Religiosi Censores intelligere potuissent, si illa consideratiùs expendissent.

ARTICULUS

## ARTICULUS II.

*Quo fuga in persecutione contra Montanistas vindicatur.*

FUgâ persecutionem declinari posse docuit exemplo suo Christus adhuc infans, cùm in Ægyptum fugit, Angelo Sanctum Josephum in somnis monente: *Surge, & accipe puerum, & matrem ejus, & fuge in Ægyptum.* Docuit & grandior factus (Joannis 8.) *Tulerunt ergo lapides, Judæi, ut jacerent in eum: Jesus autem abscondit se, & exivit de templo.*

Docuit & oraculo, Matth. 10. cap. *Cùm autem persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam.* Docuerunt & Apostoli, Christi doctrinam & exempla secuti. Unde mirum est Tertullianum in tanta Scripturarum sacrarum luce cæcutiisse.

II. Refellitur error Montanistarum fugam in persecutione damnantium, ex Tertulliano nondum Montanista, lib. de Patientia cap. 13. *Si fuga urgeat*, inquit, *adversùs incommoda fugæ caro militat.*

III. Hunc refellit errorem Sanctus Cyprianus, qui in persecutione ipse fugit, & plures in fuga illa scripsit Epistolas, & inter eas 56. in qua ad plebem Thibaritanam ita scribit: *Nec quisquam, fratres dilectissimi! cùm populum nostrum fugari conspexerit metu persecutionis, & spargi, conturbetur, quod collectam fraternitatem non videat, nec tractantes Episcopos audiat. Simul tunc omnes esse non possunt, quibus occidere non licet, sed occidi necesse est. Ubicumque in illis diebus unusquisque fratrum fuerit à grege interim, necessitate temporis, corpore, non spiritu separatus, non moveatur ad fugæ illius horrorem, nec recedens, & latens, deserti loci solitudine terreatur. Solus non est, cui Christus in fuga comes est. Solus non est, qui templum Dei servans, ubicumque fuerit, sine Deo non est, etsi fugientem in solitudine ac montibus latro oppresserit, fera invaserit, fames, aut sitis, aut frigus afflixerit, vel per maria præcipiti navigatione properantem tempestas ac procella submerserit. Spectat militem suum Christus ubicumque pugnantem, & persecutionis causâ pro nominis sui honore morienti præmium reddit, quod daturum se in persecutione promisit.* Et lib. de Lapsis: *Primus*, inquit, *victoriæ titulus, Gentilium manibus apprehensum, Dominum confiteri. Secundus ad gloriam gradus est, cauta secessione subtractum, Domino reservari. Illa publica, hæc privata confessio est. Ille judicem sæculi vincit: hic contentus Deo suo judice, conscientiam puram cordis integritate custodit. Illic fortitudo promptior, hic solicitudo securior. Ille, appropinquante hora sua, jam maturus inventus est: hic fortasse dilatus est, qui patrimonio derelicto, idcirco secessit, quia non erat negaturus, confiteretur utique si fuisset & ipse detentus.*

IV. Eumdem errorem profligant, quæ Pontius Diaconus in Vita Sancti Cypriani de fuga illius scripsit. *Bene*, inquit, *bene tunc, & verè spiritaliter contigit, quòd vir tam necessarius, tam multis, & tam bonis rebus à Martyrii consummatione dilatus est. Vultis scire secessum illum non fuisse formidinem? Ut nihil aliud excusem, ipse postmodum passus est: quam passionem utique ex more vitaret, si & antè vitasset. Fuit verò formido illa, sed justa, formido quæ Dominum timeret offendere, formido quæ præceptis Dei mallet obsequi, quàm sic coronari. Dicata enim in omnibus Deo mens, & fides divinis admonitionibus mancipata, credidit se, nisi Domino latebram tunc jubenti paruisset, etiam ipsa passione peccare.*

V. Hunc errorem Sanctus Athanasius refellit in Apologia pro fuga sua, ubi Arianis ignaviæ crimen ipsi objicientibus, quòd eorum persecutionem &

A insidias fugisset, Christi & Sanctorum exempla opponit. *Sancti*, inquit, *utpote à Domino eruditi, & prisci olim, & sequentibus temporibus, in certamine, quod illis erat cum persecutoribus, & fuga se instantibus eripiebant, & quærentibus sese, per latebras subducebant: quippè qui, ut homines, ignari erant temporis sibi à divina providentia constituti, ac proinde minimè sese insidiatoribus ingerebant, cùm non ignorarent id quod scriptum est, In manibus Dei esse sortes hominum, & Dominum occidere, & vivificare; atque ideo usque ad decursum sui temporis expectare maluerunt, oberrantes interim per solitudinem, de-*
B *fraudati, afflictique, & in speluncis, in foraminibusque terræ latitantes, donec aut mortis definitum tempus superveniret, aut quoadusque definitor temporis Deus, ipsis hoc ipsum indicaret, vel persecutores inhibens, vel persecutoribus eos tradens, prout illi opportunum videbatur.*

Et infrà: *Quapropter Sancti fugientes sese occultabant, & per dispensationem, ut Medici in usus indigentium reservabantur. Reliquis autem, & in universum omnibus ea lex proposita est, ut fugiant, dum in persecutionibus appetuntur, & occultent sese dum quæruntur: neque præcipites sint, temerariique in ten-*
C *tando Domino; sed expectent, donec definitum moriendi tempus advenerit, aut Judex ille, quod sibi rectum videatur, de iis constituerit: sed tamen nos semper paratos esse voluit, ut vel vocante tempore, vel apprehensi pro Ecclesia, usque ad mortem dimicemus. Hæc beati Martyres temporibus persecutionum observaverunt.... Quod si quidam ex iis se persecutoribus dedidere, non temeritate eò rapiebantur: sed passim apud omnes profitebantur, à Spiritu Sancto hanc promptitudinem, suique oblationem profectam esse.*

VI. Ante Sanctum Athanasium hunc errorem proscripserat Sanctus Petrus Alexandrinus Episcopus Canone 9. his verbis: *Ii quoque qui tamquam*
D *ex somno ad certamen, quod est consideratione parturiendum, & maturo consilio differendum, prosiliunt, pugnaque maritima, & multa fluxuum inundationis tentationem attrahunt, vel potius fratribus peccatorum carbones accendunt: Ipsis quoque communicandum est, ut qui in nomine Christi ad id veniant: Etsi verba ejus non animadvertebant, qui docet non esse ingrediendum in tentationem*, &c. Multis probat præclarus ille Canon fugam in persecutione esse licitam, & sæpe necessariam.

Eodem spectat Canon sexagesimus Concilii Illiberitani, qui vetat Martyrum loco & numero haberi eos, qui Idola frangentes occisi fuerunt: prop-
E ter temeritatem utique, qua se Martyrio obtulerunt, & majorem in Ecclesiam persecutionem concitarunt. *Si quis*, inquit, *Idola fregerit, & ibidem fuerit occisus: quatenus in Evangelio scriptum non est, neque invenitur sub Apostolis umquam factum, placuit in numero eum non recipi Martyrum.*

VII. Sanctus Augustinus Epistola 180. ad Honoratum data, disertè asserit dogma Montanistico errori contrarium: *Quicumque igitur*, inquit, *isto modo fugit, ut Ecclesiæ necessarium Ministerium in illo fugiente non desit, facit quod Dominus præcepit, sive*
F *permisit.* Lege eumdem Tract. 15. in Joannem.

VIII. Sanctus Petrus Chrysologus hunc errorem profligat Sermone 151. *Martyr comprehensus*, inquit, *debet tenere constantiam, non comprehensus debet fugere persequentem, ut & persecutori indulgeat resipiscendi tempus, & sibi tempus non auferat supplicandi. Persecutorem qui provocat, facit, corrigit qui declinat. Orandum est, fugiendum est, ut ille, qui per ignorantiam furit, sanetur: & ille qui patitur, de patientia palmam habeat, non subeat de temeritate discrimen. Fratres, si Saulum Martyres non fugissent, Paulum non fecissent.*

IX. Dogma Catholicum impugnatur rationibus

Montanistarum, quas urget Tertullianus libro de Fuga in Persecutione, Quod bonum est, & à Deo immissum, fugere non licet: sed persecutio bona est, & à Deo immissa; igitur piaculum est fugere persecutionem: bona, inquam, est persecutio; *Tunc enim & fides in expeditione solicitior & disciplinatior in jejuniis, & stationibus, & orationibus, & humilitate, in alterutra diligentia & dilectione, in sanctitate, & sobrietate. Non enim vacatur nisi timori, aut spei. Adeo & ex hoc ipso ostenditur nobis, non posse diabolo deputari eam quæ meliores efficit Dei servos* (inquit Tertullianus cap. 2.) Porro, *Si bonum persecutio, meritò definimus, quod bonum est vitari non oportere; quia delictum sit, quod bonum est recusare; eo ampliùs quod Deo visum est: Jam verò nec posse vitari, quia à Deo evenit, cujus voluntas non poterit evadi. Igitur qui putant fugiendum, aut malum exprobrant Deo, si persecutionem ut malum fugiant, bonum enim nemo devitat: aut fortiores se Deo existimant, qui putant se evadere posse, si Deus tale aliquod voluerit evenire* (inquit idem Tertullianus cap. 4.)

Respondeo, distinguo majorem: Si sit per se & absolutè bonum, esto; si per accidens dumtaxat, nego. Persecutio autem ut à tyrannis illata, per se & absolutè bona non est, sed solùm per accidens, quatenus nempe Deus per illam Fideles suos probat, exercet, coronat; illique divinâ gratiâ adjuti, persecutiones inconcussâ fide, & dilectione patiuntur. Quod autem hoc modo tantùm bonum est, fugere licet. Certè tentatio hac ratione bona est, sicut persecutio; nec nisi Deo volente, contingit, & permittente, nec tamen illicitum est fugere tentationem, & ipsam deprecari. Alioqui frustra nos ita orare docuit Christus: *Et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo.* Sed & pestilentia, & fames, hoc modo bonæ sunt, nec tamen eas fugere prohibemur. Imò temerarius erit qui hæc mala non fugiet, cùm poterit illa declinare, salvis Christianarum virtutum officiis.

Distinguo secundò eandem propositionem; Fugere non licet quod à Deo immissum est, nisi fugam ipse præceperit, concedo; si præceperit, nego. At Christus fugam in persecutione verbo docuit, & exemplo.

Contra. Qui invitant ad passionem, fugam non præcipiunt: sed Christus, & Apostoli Christianos ad passiones sustinendas adhortantur: Ergo fugam non præcipiunt. *Quanta inæqualitas sententiarum;* (inquit Tertullianus cap. 7.) *jubentis fugere, & invitantis ad passionem contrariam fugæ? Qui confessus fuerit in me, & ego confitebor in illo coram Patre meo. Quomodo confitebitur fugiens? Quomodo fugit confitens?*

Respondeo distinguo majorem. Fugam non præcipiunt, cùm tempus à Deo præstitutum adest ad subeundum Martyrium, concedo; cùm nondum adest, nego. *Nam cum corona de Dei dignatione descendat,* inquit Sanctus Cyprianus lib. de Lapsis, *nec possit accipi, nisi fuerit hora sumendi: quisquis in Christo manens interim cedit, non fidem denegat, sed tempus expectat. Qui autem, cum non secederet, cecidit, negaturus remansit.*

Contra. Sanctus Cyprianus Christianos in persecutione fugientes aliquando reprehendit, ut constat ex Epistola ipsius xv. Edit. Pamelii: *Nec extorribus,* inquit, *defuit objurgatio.*

Respondetur, Nomine extorrium à Sancto Cypriano non intelligi eos qui sponte fugiebant persecutionis tempore, sed qui publica Magistratuum auctoritate ac sententia in exilium mittebantur ob Christianæ Religionis professionem, & postea exilii tædio redibant in patriam non revocati: unde contingebat ut jam quasi nocentes, non quasi Christiani morte damnarentur. Id perspicuum est ex Epistola VII. ejusdem Sancti Cypriani: *Alius* inquit, *in eam patriam unde extorris factus est, regreditur, ut deprehensus non jam quasi Christianus, sed quasi nocens pereat.*

Joan. 10. Objicitur secundò. Præpositis saltem Ecclesiæ fugere in persecutione non licet: *Bonus enim Pastor animam suam dat pro ovibus suis. Mercenarius autem videt lupum venientem, & dimittit oves, & fugit.* Ergo nec reliquis Christianis fugere licet. Nam *si grex fugere deberet, non deberet Præpositus gregis stare, sine causa staturus ad tutelam gregis, quam grex non desideraret, ex licentia fugæ scilicet* (inquit Tertullianus cap. 11.)

Respondeo, distinguo antecedens. Præpositis Ecclesiæ fugere non licet, si in omnes æqualiter sæviat persecutio, & nullus remaneat qui necessarium Ecclesiæ ministerium obire possit, concedo: Si in aliquos dumtaxat persecutio moveatur, & alii remaneant, quotquot Ecclesiæ necessarii sunt, nego. Hæc distinctio est Sancti Augustini Epistola 180. quæ est ad Honoratum. *Quis autem credat,* inquit, *ita hoc Dominum fieri voluisse, ut necessario ministerio, sine quo vivere nequeunt, deserantur greges, quos suo sanguine comparavit? Numquid hoc fecit ipse, quando portantibus parentibus in Ægyptum parvulus fugit, qui nondum Ecclesias congregaverat, quas ab eo desertas fuisse dicamus? Numquid quando Apostolus Paulus, ne illum comprehenderet inimicus, per fenestram in sporta submissus est, & effugit manus ejus, deserta est quæ ibi erat Ecclesia, necessario ministerio, & non ab aliis fratribus ibidem constitutis, quod oportebat, impletum est? Eis quippe volentibus hoc Apostolus fecerat, ut seipsum servaret Ecclesiæ, quem proprie persecutor ille quærebat. Faciant ergo servi Christi, Ministri verbi & Sacramenti ejus, quod præcepit, sive permisit. Fugiant omnino de civitate in civitatem, quando eorum quisquam specialiter à persecutoribus quæritur, ut ab aliis, qui non ita requiruntur, non deseratur Ecclesia, sed præbeant cibaria conservis suis, quos aliter vivere non posse noverunt. Cùm autem omnium, id est, Episcoporum, & Clericorum est commune periculum, ii qui aliis indigent, non deserantur ab iis quibus indigent.*

Et infrà: *Cur sibi putant indifferenter obtemperandum esse præcepto, ubi legunt de civitate in civitatem esse fugiendum, & Mercenarium non exhorrent, qui vidit lupum venientem, & fugit, quoniam non est ei cura de ovibus? Cur non istas duas Dominicas, verasque sententias, unam scilicet ubi fuga sinitur, aut jubetur, alteram ubi arguitur, atque culpatur, sic intelligere student, ut inter se reperiantur non esse contrariæ, sicut non sunt? Et hoc quomodo reperitur, nisi attendatur, tunc de locis in quibus sumus, premente persecutione, fugiendum esse Christi Ministris, quando ibi aut plebs Christi non fuerit cui ministretur; aut etiam fuerit, & potest impleri per alios necessarium ministerium, quibus non est eadem causa fugiendi?* Id exemplis S. Pauli & S. Athanasii probat, & deinde subjungit: *Cùm autem plebs manet, & Ministri fugiunt, ministeriumque subtrahitur, quid erit nisi Mercenariorum illa fuga damnabilis, quibus non est cura de ovibus?*

Perperàm igitur colligebat Tertullianus plebem Christianam fugere non debere in persecutione, quia Episcopi & Sacerdotes fugere non debent; cùm manere tantùm illi debeant propter plebem, aliàs fugam licitè arrepturi, si plebs sedem mutaverit universa; vel eorum ministerium ipsi necessarium non sit, quia alii Ministri præsto sunt, & ipsi se in aliud tempus servant, Ecclesiæ æquè profuturi fugâ suâ, ac alii præsentiâ. Certè quàm necessaria sit opera Ministrorum Ecclesiæ, quàmque turpis & impia fuga, quando plebs Christiana persecutionem fugere non potest, eleganter exponit Sanctus

Augustinus

Augustinus ibidem. *An non cogitamus*, inquit, *cùm ad istorum periculorum pervenitur extrema, nec est potestas ulla fugiendi, quantus in Ecclesia fieri soleat ab utroque sexu, atque omni ætate concursus, aliis Baptismum flagitantibus, aliis reconciliationem, aliis etiam Pœnitentiæ ipsius actionem, omnibus consolationem, & Sacramentorum confectionem, & erogationem? Ubi si Ministri desint, quantum exitium sequitur eos, qui de isto sæculo vel non regenerati exeunt, vel ligati? Quantus est etiam luctus fidelium suorum, qui eos secum in vita æterna requie non habebunt? Quantus denique gemitus omnium, & quorumdam quanta blasphemia de absentia Ministeriorum, & Ministrorum?*

Et infrà, objectionem eorum occupans, qui dicebant Ministros Dei fugere debere in persecutionis discrimine, ut se pro utilitate Ecclesiæ, temporibus tranquillioribus servent, hæc habet: *Rectè hoc fit à quibusdam, quando non desunt alii per quos suppleatur Ecclesiasticum Ministerium, ne ab omnibus deseratur, quod fecisse Athanasium supra diximus. Nam quantùm necessarium fuerit Ecclesiæ, quantùmque profuerit, quòd vir ille mansit in carne, Catholica Fides novit, quæ adversùs Arianos Hæreticos ore illius & amore defensa est. Sed quando est commune periculum, magisque timendum est ne quisquam id facere credatur, non consulendi voluntate, sed timore moriendi, magisque fugiendi obsit exemplo, quàm vivendi prosit officio, nulla ratione faciendum est.*

# DISSERTATIO XIX.

## Adversùs Theodotum, & Melchisedechianos.

---

### ARTICULUS UNICUS.

*Quo probatur Melchisedechum verum hominem fuisse, non cælestem virtutem.*

REFELLITUR Melchisedechianorum error ex Apostolo Epistolæ ad Hebræos cap. 7. *Melchisedech*, inquit, *Rex Salem, Sacerdos Dei Summi, qui obviavit Abrahæ regresso à cæde Regum, & benedixit ei: cui & decimas omnium divisit Abraham...... Assimilatus autem Filio Dei, manet Sacerdos in perpetuum.* Qui autem Sacerdos fuit, homo etiam fuerit necesse est. Omnis namque Pontifex ex hominibus assumptus esse debet (inquit Sanctus Paulus ad Hebræos 5.)

Præterea, *Si Dei Filio Melchisedech assimilatur, æqualis eidem esse non potest* (inquit Sanctus Epiphanius Hæresi 55.)

Idem Hæresi 67. Hieracithatum errorem refellens asserentium Melchisedech esse Spiritum Sanctum, hæc habet: *De Melchisedecho quod asserit, Spiritum illum esse Sanctum: Id si verum est, venisse Spiritum, & carnem induisse; non solus utique secundùm carnem natus est Filius, sed cum eo quoque Spiritus. Quod si secundùm carnem natus est & Spiritus, dicat nobis Hierachas ubinam Gentium ea sit, quæ Spiritum pepererit?*

II. Prosternitur hic error auctoritate Sancti Hieronymi, Epistola 126. ad Evagrium data, Scripturæ verba Genesis 14. urgentis: *Egressus est autem Rex Sodomorum in occursum ei, haud dubium quin Abraham, postquam reversus est à cæde Chodlahomor, & Regum, qui cum eo erant in valle Save, quæ est vallis Regis. De qua statim sequitur: Et Melchisedech Rex Salem protulit panem, & vinum...... Si ergo hæc civitas Regis est, & vallis Regis, manifestum est hominem fuisse, qui in terrena valle, & urbe regnaverit.*

Idem probat auctoritate Patrum, qui ipsum antecesserunt. *Verti me*, inquit, *ad Hypolitum, Irenæum, Eusebium Cæsariensem, & Emissenum, Apollinarium quoque nostrum, & Eustathium, qui primus Antiochenæ Ecclesiæ Episcopus contra Arium clarissimâ tubâ bellicum cecinit; & deprehendi horum omnium opiniones diversis argumentationibus, ac diverticulis ad unum compitum pervenisse, ut dicerent, Melchisedech hominem fuisse Chananæum, Regem urbis Hierosolymæ, quæ primùm Salem, postea Jebus, ad extremum Hierusalem appellata sit: nec mirum esse si Sacerdos Dei Altissimi describatur, absque circumcisione, & legalibus cerimoniis, & genere Aaron: cùm Abel quoque, & Enoch, & Noë placuerint Deo, & victimas obtulerint: & in Job volumine legimus, quòd ipse & oblator munerum fuerit, & Sacerdos, & quotidie pro filiis suis hostias immolarit.*

Subinde Melchisedechum non fuisse Regem Hierosolymorum, sed Salem urbis Sichimorum, ostendit. *Salem autem*, inquit, *non ut Josephus & nostri omnes arbitrantur, esse Hierusalem, nomen ex Græco, Hebraicóque compositum: quod absurdum esse peregrina lingua mixtura demonstrat; sed oppidum juxta Scythopolim, quod usque hodie appellatur Salem, & ostenditur ibi Palatium Melchisedech, ex magnitudine ruinarum veteris operis ostendens magnificentiam, de quo in posteriori quoque parte Geneseos scriptum est* (c. 33.) *Venit Jacob in Socoth, id est, in tabernacula, & fecit sibi ibi domos, atque tentoria, & transivit in Salem civitatem regionis Sichem, quæ est in terra Chanaan. Considerandum quoque est, quòd Abrahæ à cæde hostium revertenti, quos persecutus est usque Dan, quæ hodie Paneas appellatur, non de via Hierusalem, sed de oppido Metropoleos Sichen, in itinere fuerit: de quo in Evangelio quoque legimus: Erat autem Joannes baptizans in Ennon, juxta Salim, quia aqua erant multa ibi. Nec refert utrum Salem, an Salim nominetur, cum vocalibus in medio literis perrarò utantur Hebræi, & pro voluntate lectorum, atque varietate regionum, eadem verba diversis sonis, atque accentibus proferantur. Hæc ab eruditissimis Gentis illius didicimus, qui in tantùm non recipiunt Spiritum Sanctum, vel Angelum fuisse Melchisedech, ut etiam certissimum hominis nomen adscribant.*

Id demum ostendit ex Traditione Hebræorum, qui Melchisedechum fuisse Sem primum filium Noë asserunt. Quamquam hujus opinionis falsitas multis momentis ostendatur: primò auctoritate Sancti Epiphanii, qui tamen lubrico admodum fundamento hanc sententiam refellit, ea nimirum ratione ductus, quòd Sem tunc vivere desiisset; quod quidem, secundùm Chronologiam 70. Interpretum verissimum est, at secundùm Hebraicam & Vulgatam falsum omnino. 2. Ex Apostola ad Hebræos 7. Melchisedech fuit *Sine patre, sine matre, sine genealogia, neque initium dierum, neque finem vitæ habens.* Quod de de Semo dici non potest; cujus genus, parentes, ætasque, explicatissimè traduntur in divina Scriptura.

Tertiò. Apostolus generationem Melchisedech Judæorum generi velut extraneam opponit. *Et quidem*, inquit, *de filiis Levi Sacerdotium accipientes, mandatum habent decimas sumere à populo secundùm Legem, id est, à fratribus suis: quamquam & ipsi exierint de lumbis Abrahæ. Cujus autem generatio non annumeratur in eis, decimas sumpsit ab Abraham, & hunc qui habebat repromissiones benedixit.* Atqui fratres etiam dici potuissent Melchisedech Judæi, si fuisset ille Semus filius Noë. Non fuit igitur Melchisedech Semus Noachi filius.

Denique Josephus libro 7. de Bello Judaico, cap.

28,

18. Melchisedech fuisse *Chananæorum Dynastam*, disertè scribit. Porro si existimasset illum fuisse Semum Noë filium, id literis ac memoriæ commendasset, quod in summum Gentis suæ decus cedere nescire non poterat. Sed licet Hebræi in eo decepti sint, quòd Melchisedech Noë primogenitum existimarunt, hominem tamen purum ipsum fuisse, ex Patrum suorum Traditione acceperunt, non verò cælestem virtutem, ut somniarunt Melchisedechiani, vel Spiritum Sanctum, ut Hieracithæ commenti sunt.

Objiciuntur in gratiam Melchisedechianorum auctoritas & rationes Sancti Augustini libro Quæstionum Veteris & Novi Testamenti, Quæst. 109. ubi probat Melchisedech esse Spiritum Sanctum. Prima ratio hæc est: Sanctus Paulus ait Melchisedechum fuisse *Sine patre, sine matre, sine genealogia*: Atqui hæc vero homini minimè conveniunt: Melchisedech igitur verus homo non fuit.

Secunda ratio. Christus dicitur Sacerdos secundùm ordinem Melchisedech: fuit igitur in Melchisedecho præcipua quædam & archetypa Sacerdotii dignitas. Ex quo sequitur non hominem ipsum fuisse, sed Deum.

Tertia ratio. Dicitur Melchisedech *Rex justitiæ & pacis*, quasi horum bonorum author. Atqui justitia & pax dona Dei sunt: Melchisedech igitur Deus est.

Quarta ratio. Melchisedech præstantior erat Abraham, siquidem Abraham ejus benedictionem accepit; nec major à minori benedicitur: atqui nullus mortalium ea ætate fuit præstantior Abrahamo justitiæ & sanctimoniæ meritis: Melchisedech ergo non erat de genere mortalium.

Quinta ratio. Melchisedech dicitur ab Apostolo, *Assimilatus Filio Dei*: Atqui id apprimè convenit Spiritui Sancto, quem Græci Patres Filii imaginem vocant: itaque Melchisedech est Spiritus Sanctus.

Ultima ratio. Si Melchisedech homo fuit, Abraham non est dicendus Pater credentium, sed potiùs Melchisedech. Cùm enim Rex fuerit & Sacerdos, populum fidelem sibi subditum habuit ante Abrahamum. Has rationes Author laudatus uberiori stylo exponit.

Respondeo primò, Authorem libri Quæstionum Veteris & Novi Testamenti, non esse Sanctum Augustinum; cùm nec ipse Augustinus in Retractationibus, nec Possidius in Indice ipsius Operum, illius meminerint, nec à Beda citetur. Multa in eo libro notarunt Theologi Lovanienses ab Augustini stylo, & doctrina aliena (ut constat ex Censura, quam ipsi præfixerunt, in Appendice Tomi 4.) Rationum, quibus ducti Opus illud Sancto Augustino abjudicant, una ad præsens maximè spectat institutum; quòd nempe verus Augustinus lib. de Hæresibus ad Quodvultdeum cap. 34. inter hæreses eam opinionem recenseat, quam illius libri Author propugnat de Melchisedecho. *Melchisedechiani*, inquit, *Melchisedech Sacerdotem Dei excelsi, non hominem fuisse, sed virtutem Dei esse arbitrantur.* Certè longè abfuit Sanctus Augustinus à coarguendis Ecclesiæ precibus, & Missæ præsertim Canone, cujus hæc verba sugillat: *Et sacrificium quod tibi obtulit summus Sacerdos tuus Melchisedech. NON est summus*, inquit ille Author, *ut in Oblatione præsumunt Antistites.*

Certè quod de Anonymo, qui volumen conscripserat ad probandum Melchisedech esse Spiritum Sanctum, quod Evagrius ad Sanctum Hieronymum misit, dicit ipse Hieronymus, de istius Authore libri possumus dicere, *Imperitum fuisse sermone & scientia.* Ne tamen ipsum hac in causa damnemus inauditum, ejus rationibus respondendum est.

Ad primam respondeo verbis Sancti Epiphanii, Hæresi 55. *Patris ac matris expers dicitur*, inquit, *non quod illis caruerit, sed quod nulla sit illorum in divinis Literis expressa mentio. Nonnulli utriusque parentum Melchisedecis nomina commemorarunt: sed ea nusquam expressis Scripturæ verbis in utroque Testamento declarantur. Sunt qui Hieraclam Patrem illius appellatum, Matrem Astaroth, sive Asteriam dicunt. Porro filius ille cujusdam ex indigenis fuit, qui tum in Saba planitie degebant.* Non igitur quia spuria & scorti filius, patris ejus ac matris omissa sunt in Scripturis nomina, ut Judæi, quos Sanctus Epiphanius Hæres. 55. refutat, fabulati sunt. Et Sanctus Hieronymus Epistola 126. ait, *Uno fatetur verbo explicari* Melchisedech ἀγενεαλόγητον, *non quod ubique patre & matre fuerit, cùm Christus quoque secundum utramque naturam, & patrem habuerit, & matrem; sed quod subito introducatur in Genesi occurrisse Abraham à cæde hostium revertenti, & nec ante, nec postea, ejus nomen feratur adscriptum. Affirmat autem Apostolus, quod Aaron Sacerdotium, id est, populi Judæorum, & principium habuerit, & finem: Melchisedech autem, id est, Christi & Ecclesiæ, & in præteritum, & in futurum, æternum sit, nullúmque habuerit authorem.* Certè cùm Apostolus (Hebr. 7.) ait genus Melchisedech non recenseri inter filios Levi, tacitè significat eum aliunde genus habere.

Ad secundum respondeo; Christum dici Sacerdotem secundùm ordinem Melchisedech, non participatione Sacerdotii, aut imitatione; quasi in Melchisedecho velut in exemplari aut fonte præextiterit tota Sacerdotii dignitas, & ab eo sit in Christum derivata; sed ritu, & similitudine, quanta inter figuram & veritatem, corpus & umbram intercedere potest. Sacrificium enimverò Melchisedech Christi Sacrificium Eucharisticum præfiguravit. Qua de re Sanctus Augustinus lib. 16. de Civitate Dei, cap. 22. præclarè scribit: *Ibi quippe primùm apparuit Sacrificium, quod nunc à Christianis offertur Deo toto orbe terrarum; impletúrque illud quod longè post hoc factum, per Prophetam dicitur ad Christum, qui fuerat adhuc venturus in carne: Tu es Sacerdos in æternum, secundùm ordinem Melchisedech: Non scilicet secundum ordinem Aaron: qui ordo fuerat auferendus illucescentibus rebus, quæ illis umbris prænotabantur.* Scopus itaque Apostoli fuit probare, Christum secundùm ordinem Melchisedech Sacerdotem, Leviticis Sacerdotibus superiorem esse. Quia tamen multifariàm major est dignitas Christi quàm Melchisedechi præ Levitis, ideo ejus præstantiam Apostolus v. 2. & sequentibus explicare voluit. Scilicet Levitæ per suum Sacerdotium non poterant consummatos reddere homines, id est, justos coram Deo: At Christus salvare potest accedentes per semetipsum ad Deum: illi fuerunt Sacerdotes Veteris Testamenti, hic Novi & melioris: Illi moriebantur, hic æternùm vivit. Illi temporarium habebant Sacerdotium, hic æternum. Illi peccatores, hic à peccatoribus segregatus. Illi priùs pro propriis, deinde pro populi peccatis: hic non pro suis, quæ nulla habuit, sed tantùm pro populi. Illi quotidie; hic semel. Illi hostias, irrationales nimirum, hic seipsum obtulit. Illi à Lege, hic post Legem. Illi sine jurejurando: hic cum jurejurando. Illi homines: hic vero Sacerdos est Filius Dei.

Ad tertium respondeo, Melchisedech non esse dictum Regem justitiæ, & pacis, quasi horum bonorum author esset, sed quia Rex erat justus & pacificus: phrasi nimirum apud Hebræos vulgata, & solenni, qui dicunt, *Filium dilectionis, Filium pacis, Filium perditionis, mortis*: Ubi nos dicimus Filium dilectum, pacificum, perditum, morte dignum. Deinde hæc objectio falsa nititur hypothesi, quòd scilicet Sedec & Salem appellativa tantùm, non propria sint nomina.

Ad

Ad quartam respondeo, Melchisedechum præstantiorem fuisse Abrahamo non sanctitate fortan, sed officio, dignitate, mysterio; quia publica Sacerdotii munia suam apud gentem exequebatur, eique regia moderabatur potestate; cùm Abrahamus vir privatus, & in Chananæa peregrinus esset, suæque duntaxat familiæ Sacerdos: ac tandem quia Melchisedech Christi Sacerdotium, & Eucharisticum Sacrificium præfigurabat *& assimilatus Filio Dei*, repræsentabat illum propter quem repromissiones Abrahamo factæ sunt.

Ad quintam respondeo, Melchisedech assimilatum esse Filio Dei ratione Sacerdotii, & Sacrificii; non ratione substantiæ, sicut Spiritus Sanctus; qui nunquam dicitur Sacerdos noster.

Ad sextam respondeo, Abrahamum singulari quadam & eximia ratione Patrem credentium prædicari, tum quia mortalium primus fuit, cui venturi Christi promissio facta est, per cujus fidem, & gratiam, omnes gentes erant benedicendæ; tum quia Hebræi populi fuit parens, apud quem unum publicus veri Dei cultus, ad Christi adventum usque, viguit, secundùm vaticinium Davidis: *Notus in*
Psal. 75. *Judæa Deus, in Israël magnum nomen ejus.* Lege Dissertationem Christophori Schlegelii, de persona Melchisedechi, ad calcem Tomi X. Criticorum Sacrorum. Confer etiam cum nostra Dissertatione iii. in Historiam Ecclesiasticam Veteris Testamenti, ad tertiam Mundi Ætatem.

## DISSERTATIO XX.

### Adversùs Hermogenem.

---

### ARTICULUS UNICUS.

*Quo Materia Deo coæterna exsufflatur.*

ERror Hermogenis de Materia Deo coæterna ipso Scripturæ sacræ silentio refellitur, quæ cùm à Deo creatum refert mundum, nec indicat ex quo factus sit, satis innuit ex nihilo conditum. Certè *Spiritus Sanctus hanc Scriptura sua rationem constituit, ut cùm quid ex aliquo fit, & quod fit, & unde fit, referat*: Genes. 1. *Germinet terra herbam virentem, & facientem semen, & lignum pomiferum faciens fructum juxta genus suum. Et factum est ita. Et protulit terra herbam virentem*, &c. *Dixit etiam Deus: Producant aquæ reptile animæ viventis, & volatile super terram, sub firmamento cæli. Creavitque Deus cete grandia, & omnem animam viventem, atque motabilem, quam produxerant aquæ in species suas*, &c. *Dixit quoque Deus: Producat terra animam viventem in genere suo*, &c. Porro (ut rectè ratiocinatur Tertullianus libro contra Hermogenem, cap. 22.) *Si tantam curam instructionis nostræ insumpsit Spiritus Sanctus, ut sciremus quid unde processerit, nonne nos & de cælo, & de terra, compotes reddidisset, significando unde ea esset operatus, de aliqua materia origo constaret illorum? Ut tantò magis ex nihilo ea videretur operatus, quantò nihil adhuc erat factum ex quo operatus videretur. Itaque sicut ea, quæ de aliquo prolata sunt, ostendit unde prolata sint; ita quæ non ostendit unde prolata sint, ex nihilo prolata confirmat.*

Secundò refellitur error Hermogenis verbis generosæ Matris septem Fratrum Macchabæorum: *Peto, nate, ut aspicias ad cælum, & terram, & intelligas quia ex nihilo fecit illa Deus.*

Profligatur idem error Tertulliani rationibus, libro contra Hermogenem. Prima ratio. Æternitas

A solius Dei propria est: ergo Materia non est Deo coæterna: alioquì Deo par esset. Unde non esset unus Deus, sed plures. *Quis*, inquit Tertullianus cap. 4. *alius Dei census, quam æternitas? Quis alius æternitatis status, quàm semper fuisse, & futurum esse, ex prærogativa nullius initii, & nullius finis? Hoc si Dei est proprium, solius Dei erit.*

Et infrà: *Aut erit unicum & singulare, nisi cui nihil adæquabitur? Quid principale, nisi quod super omnia, nisi quod ante omnia, & ex quo omnia? Hæc Deus solus habendo est, & solus habendo, unus est. Si & alius habuerit, tot jam erunt Dii, quot habue-*
B *rint quæ sunt. Ita Hermogenes duos Deos infert. Materiam parem Deo infert. Deum autem unum esse oportet: quia quod summum sit, Deus est: Summum autem non erit, nisi quod unicum fuerit: unicum autem esse non poterit, cui aliquid adæquabitur: adæquabitur autem Deo Materia, cùm æterna censetur.*

Confirmatur. Deus in Scriptura se primum passim nominat: *Ego primus.* At non esset primus, si Materia illi fuisset coæterna. *Quomodo primus*, inquit Tertullianus cap. 6. *cui Materia coætanea est? Inter coætaneos autem & contemporales ordo non est, aut & Materia prima est.*

C Respondebat Hermogenes, Non sequi Materiam esse Deum, licet Deo coæterna esset, quia semper Deo subjecta fuit, & Deo minor.

Contrà urget Tertullianus: Duorum quæ pariter essent infecta, pariter æterna, unum altero minus & alteri subjectum esse non posse, quia ideo Deus subjectionis, & diminutionis incapax est, quia infectus, & æternus est. *Igitur*, inquit, *& duobus æternis, ut innatis, ut infectis, Deo atque Materia, ob eandem rationem communis status ex æquo habentibus id quod neque diminui, nec subjici admittit, id est æternitatem; neutrum dicimus altero esse minorem, sive majorem; neutrum altero humiliorem, sive supe-*
D *riorem, sed stare ambo ex pari magna, ex pari sublimia, ex pari solida & perfecta fælicitatis, quæ censetur æternitas.* Hæc Tertullianus cap. 7.

Præterea ostendit Tertullianus, potiùs sequi ex hypothesi Hermogenis Deum subjectum fuisse Materiæ, quam Materiam fuisse Deo subjectam, quia Deum illâ indiguisse asserebat suorum ad operum molitionem. *Si enim ex illa usus est ad opera mundi* (inquit Tertullianus cap. 8.) *jam & Materia superior invenitur, quæ illi copiam operandi subministravit: & Deus subjectus Materiæ videtur, cujus substantia eguit. Nemo non eget eo de cujus utitur:*
E *nemo non subjicitur ei cujus eget, ut possit uti.*

Respondebat Hermogenes, Deum supremi dominii jure usum fuisse Materia in conditione mundi. Instat Tertullianus: ex hoc sequi Materiam non esse innatam, & Deo coæternam, aut si has dotes habeat, Deum non fuisse illius Dominum. *Dominus enim non potuit esse substantiæ coæqualis* (inquit ille cap. 9.) Deinde si Deus, jure dominii & potestatis, usus fuisset Materia, cùm ea, secundùm systema Hermogenis, mala sit, Deus *Ante eam in bonum convenisset ut Dominus & bonus, ut ita de bono, non de malo uteretur. Sed quia bonus quidem, Domi-*
F *nus autem non, ideò qualem habuit, tali usus, necessitatem suam ostendit cedentem conditioni Materiæ, quam, si Dominus fuisset, emendasset.* Hæc Tertullianus ibidem.

Secunda ratio. Systema Hermogenis pugnantia involvit: Quod enim æternum est, malum esse non potest. Aliàs quid vetaret quominus malum Deo tribueretur? Porro Materiam posuit malam Hermogenes: Perperam igitur asseruit illam Deo coæternam. *Cùm* (inquit Tertullianus cap. 11.) *summum bonum constet esse, quod sit æternum, ut Deus: quomodo Materia inerit malum, quam ut æternam summum bonum credi necesse est? Aut si quod æternum*



est,

*est, poterit & mali capax esse, poterit hoc & in Deum credi. & sine causa gestivit malum à Deo transferre, si competit & æterno, competendo Materiæ.*

Præterea, desiturum aliquando malum est, alioqui esset inseparabile; si igitur Materiam sit mala, & radix malorum, finem habitura est. Quod autem finem habet, habuit & initium. Igitur Materiam initium habuisse sequitur, & ita Deo non fuisse coæternam. *Jam verò*, (inquit ibidem Tertullianus) *si quod æternum est, malum potest credi, invincibile, & insuperabile erit malum, ut æternum: & ita nos frustra laboramus de auferendo malo ex nobis ipsis; tum & Deus hoc frustra mandat, & præcipit: imò & judicium frustra constituit Deus, injustitiâ utique puniturus.... Utique si finis malo competit, necesse est competierit initium, eritque Materia habens initium, habendo & finem mali: quæ enim malo deputantur, secundum mali statum computantur.*

Tertia ratio. Si Materia sit mala secundùm se, sequitur eam fuisse à Deo mutatam & bonam factam, ut ex ea bona opera moliretur. Atqui si demutata fuerit, non est æterna: suum igitur systema destruit Hermogenes ipse, cùm Materiam asserit esse malam, malorumque parentem, & Deo nihilominus coæternam.

Major probatur. *Unde enim in malâ, ac pessimâ, boni atque optimi semen? ...... Aut si dabimus illi aliquid etiam boni germinis, jam non erit uniformis natura, id est mala in totum: sed jam tum duplex, id est bona & mala natura.... Aut si potuit duplex natura fuisse Materia, amborum ferax fructuum, jam nec bona ipsa Deo deputabuntur, ut nec mala illi imputentur: sed utraque species de Materia proprietate sumpta, ad Materiam pertinebit* (inquit Tertullianus cap. 13.)

Minor verò probatur ex principiis ipsius Hermogenis, qui hanc rationem profertebat, cur Deus ex semetipso, sive ex sua substantia, facere aliquid non potuerit; *Quia non demutetur quod sit æternum.* Si Deus opera sua, quæ probavit & commendavit ut bona, ex Materia produxit, sequitur Materiam ab ipso factam esse bonam, ut bona parturiret. *Itaque demutationem admisit Materia; & si ita est, statum æternitatis amisit: mortua est denique sine sua forma. Sed æternitas amitti non potest: quia nisi amitti non possit: æternitas non est. Ergo nec demutationem potuit admisisse: quia si æternitas est, demutari nullo modo potest.* Hæc Tertullianus cap. 12.

Quarta ratio. Sequitur ex sententia Hermogenis Deum esse servum Materiæ: atqui hoc vel de Deo cogitare indignum est: Ergo & id unde tam absurdum consectarium colligitur.

Probatur major. Qui mala non suo arbitrio, sed ex necessitate condidit ex Materia mala, serviit Materiæ, *Aliud non habens facere quàm ex malo proferre: invitus utique quà bonus, ex necessitate ut invitus, & ex servitute ut ex necessitate* (inquit Tertullianus cap. 14.) Atqui Deus mala sic condidit ex Materia, secundùm hypothesim Hermogenis, igitur Materiæ serviisse dicendus est: quo quid absurdius? Certè magis decuit eum mala ex nihilo fecisse, quàm ex Materia. Nam *Dignius est Deum malorum Authorem liberum credere, quàm servum,* (inquit Tertullianus.)

Quinta ratio. Bonum ex nihilo produxit Deus: Ergo & malum. Non igitur illud produxit ex Materia sibi coæterna.

Probatur antecedens. Secundùm principia Hermogenis, quicquid fit, vel fit ex Deo, vel ex Materia, vel ex nihilo: Atqui nihil fieri potuit ex Deo, quia mutationem Deus subiisset. Bonum verò ex Materia non est factum, *Quia non erat in illa, ut in mala:* Consequens igitur est bonum ex nihilo factum esse. *Et si bonum ex nihilo, cur non & malum?*

A *Immo cur non omnia ex nihilo, si aliquid ex nihilo? nisi si insufficiens fuit divina virtus omnibus producendis, quæ aliquid protulerit ex nihilo* (inquit Tertullianus cap. 15.)

Sexta ratio. Ideo Hermogenes Materiam Deo coæternam asseruit, ut malum in Materiam refunderetur, non in Deum. At, in ejus hypothesi, Deus æquè mali Author esse probatur: ergo suis ipse implicatur laqueis Hermogenes.

Probatur minor. Qui non omnia bona, vel non bona tantùm ex Materia creavit, sed etiam mala, est Author malorum, quæ prohibere poterat, & B non prohibuit; aut infirmus est, si voluit efficere omnia bona & non fecit. *Cæterùm*, (inquit Tertullianus cap. 15.) *si ideo malum non ex nihilo, ne Dei fiat, de cujus arbitrio videbitur factum, sed ex Materia: & hic author mali habebitur Deus, qui cùm eadem virtute & voluntate debuisset omnia bona ex Materia protulisse, aut tantùm bona, protulisset etiam mala, utique aut volens esse mala, si poterat efficere ne essent: aut non valens efficere omnia bona, si voluit, & non fecit: dum nihil interfit per infirmitatem Dominus author mali extiterit, an per voluntatem.*

C Præterea, Vel Deo tribuendum est bonum & malum, quæ ex Materia fecit, aut utrumque utrique; aut alterum alteri. *Porro si Dei erit utrumque, videbitur Deus etiam mali author. Deus autem ut bonus, author mali non erit. Si Materia utrumque, videbitur Materia etiam boni matrix; mala autem in totum Materia, boni non erit matrix. Si utriusque erit utrumque*, id est, si bonum & malum Deo pariter & Materiæ adscribantur; *in hoc quoque comparabitur Deo Materia, & pares erunt ambo, ex æquo boni & mali affines. Æquari autem Deo Materia non debet, ne duos Deos efficiat. Si alterum* D *alterius, utique Dei bonum & Materia malum: neque malum Deo, neque Materia bonum ascribitur: bona autem, & mala Deus de Materia faciende, cum ea facit. Hæc si ita sint, nescio quà possit evadere sententia Hermogenis, qui Deum, quoquo modo de Materia malum condidit, sive voluntate, sive necessitate, sive ratione, non putet mali Authorem.* Sic ratiocinatur Tertullianus cap. 16.

Septima ratio Hermogeniani systematis absurda detegit. Materiam namque nec corpoream esse nec incorpoream, fingebat. Quod figmentum sic impugnat Tertullianus cap. 35. *Nisi fallor*, inquit, *omnis* E *res aut corporalis, aut incorporalis sit necesse est. Age nunc, sit & tertium, quod illa recta ratio Hermogeniana compererit: ubi est? Quale est? Quid vocatur? Quid describitur? Quid intelligitur?*

Mox sibi ipsi contradicens Hermogenes, asserebat materiam esse substantiam partim corpoream, partim incorpoream: corpoream, quatenus profundit corpora: incorpoream verò, quatenus inest ei motus. Sed hoc absurdum esse commentum ostendit Tertullianus, quia motus *substantiva res non est, sed accidens.* Pars igitur materiæ non est motus, *qui non ad substantiam pertinet, sed ad substantiæ habitum* (inquit Tertullianus cap. 36.)

F Tertiò, sibi ipsi non constabat Hermogenes. Nam modò Materiam dicebat naturâ malam: modò nec bonam, nec malam, quod ridet Tertullianus cap. 37.

Quartò, Materiam infinitam esse effutiebat, quam tamen constituebat in loco infra Deum. Hæc autem duo pugnare demonstrat Tertullianus cap. 38. Si enim in loco est Materia: *Ergo intra locum: si intra locum, ergo determinatur à loco intra quem est. Si determinatur, habet lineam extremam, quæ finis est omnis rei, cujus linea extrema est. Non ergo erit infinita Materia.*

Eumdem Hermogenis errorem Theodoretus etiam refellit

ref. llit libro 5. Hæreticarum Fabularum cap. 5. & multò ante ipsum Lactantius lib. 2. Divinarum Institutionum cap. 9. & Eusebius libro 7. de Præparatione Evangelica capp. 19. 20. 21. 22.

VIII. Eundem errorem profligat Methodii veteris Authoris luculenta ratio, apud Photium Cod. 236. qua probat Deum, ex nulla Materia priùs extante substantias omnes creasse, quia omnis Artifex de non extantibus extantia molitur opera, ut domum ex non domo. Sic & artem, qua opus efficit, ex non arte sibi ipse parat. Denique ex non qualitatibus qualitates producunt Artifices creati: licet substantias ex non substantiis nusquam proferant. *Quòd si*, inquit, *ita se res habet in hominibus; nonne magis convenit uti Deus non solum qualitates ex non extantibus efficere possit, sed etiam substantias? Eo enim ipso, quòd è non extantibus fieri posse quippiam apparet, id in substantiis locum habebere monstratur.*

IX. Sanctus Augustinus libro 1. de Genesi contra Manichæos cap. 5. ait primam à Deo factam fuisse Materiam, confusam, & informem, unde omnia fierent, quæ distincta, atque formata sunt; Unde sic colligit cap. 6. *Et ideo Deus rectissimè creditur omnia de nihilo fecisse, quia etiamsi omnia formata de ista Materia facta sunt, hæc ipsa Materia tamen de omnino nihilo facta est.*

X. Denique ad ejusdem erroris confutationem spectat quod Sanctus Petrus Chrysologus ait, Sermone 46. *Ubi sunt*, inquit, *qui Deum de Materia mundum figurasse confingunt? Deus noster in cælo, & in terra, non ut inventor, sed ut conditor Materiæ; ex nihilo cuncta perfecit.*

XI. Dogma Catholicum impugnatur rationibus Hermogenis: Deus mundum fecit vel ex seipso, vel ex nihilo, vel ex Materia. Atqui non fecit mundum ex seipso, quia indivisibilis est & immutabilis: neque ex nihilo, quia quod ex nihilo condidit, ex arbitrio & voluntate fecit. Sunt autem multa quæ sic à Deo facta dici non possunt, nempe mala. Non igitur illa fecit ex nihilo, sed ex Materia. Quod enim non arbitrio suo Deus fecit, intelligi oportet ex vitio alicujus rei factum, utique Materiæ.

Respondeo, nego minorem quoad secundam partem. Omnia enim Deus fecit ex nihilo, tam bona, quàm mala, si de malis naturæ & pœnæ sermo sit. Mala enim culpæ neutiquam in Deum refunduntur (ut probatum est in Dissertatione adversùs hæresim Marcionis) Vitare autem non potuit Hermogenes, quocumque se verteret, quin Deo malum adscriberetur, hoc ipso quòd tribueretur Materiæ. Aut enim Deus potuit impedire illam ex Materia malorum scaturiginem, sed noluit; aut voluit prohibere, sed non potuit. Si secundum dixeris, infirmus erit Deus. Si primum, Author mali; quia si noluisset illud esse, non esset. *Quod non faciendo, malum judicavit, id sustinendo, bonum pronuntiavit: malum pro bono sustinendo, & non potius eradicando, Assertor ejus inventus est: malè, si per voluntatem; turpiter, si per necessitatem. Aut famulus erit mali Deus, aut amicus, cum Materia malo conversatus, nedum etiam de malo ejus operatus* (inquit Tertullianus.)

Objicitur secundò. Deus fuit ab æterno Dominus: atqui Dominus non fuisset, si non fuisset semper aliquid, cujus Dominus haberetur: nec illud aliud fingi potest, quàm Materia. Igitur Materia Deo fuit coæterna.

Respondeo, nego majorem. Nam ut ait Tertullianus libro contra Hermogenem, cap. 3. *Dei nomen dicimus semper fuisse apud semetipsum, & in semetipso, Dominum verò non semper: diversa enim utriusque conditio. Deus substantiæ ipsius nomen, id*

A *est, divinitatis; Dominus verò, non substantiæ, sed potestatis: substantiam semper fuisse cum suo nomine quod est Deus, postea Dominus, accidentis scilicet rei mentio. Nam ex quo esse cœperunt, in quo potestas Domini ageret, ex illo per accessionem potestatis & factus & dictus est Dominus. Naviter Scriptura nobis patrocinatur, quæ utrumque nomen ei distinxit, & suo tempore ostendit. Nam Deus quidem, quod erat semper, statim nominat: In principio fecit Deus cælum & terram. Ac deinceps, quamdiu faciebat, quorum Dominus futurus erat, Deus solummodò ponit: Et dixit Deus, & fecit Deus, & vidit Deus, & nusquam adhuc*

B *Dominus. At ubi universa perfecit, ipsumque vel maximè hominem, qui propriè Dominum intellecturus erat, Dominus etiam cognominatur: Et accepit Deus Dominus, hominem, quem finxit: Et præcepit Dominus Deus. Ac exinde Dominus, qui retro Deus tantùm, ex quo habuit cujus esset. Nam Deus sibi erat, rebus tunc Deus, tum & Dominus.*

Nego etiam minorem. Nam non fuisset Dominus Materiæ, si ipsi coæterna fuisset, & innata (sicut finxit Hermogenes) *Quia libera fuerit necesse est, quæ originem non habendo, non habuit Auctorem, quod erat, nemini serviens* (inquit Tertullianus.)

C Objectio tertia petitur ex 1. cap. Genes. *In principio Deus creavit cælum & terram:* sed nomine principii intelligitur Materia: Ergo Deus ex Materia præjacente cælum & terram condidit.

Respondeo, nego minorem. Principium namque hîc non significat subjectum aliquod ex quo cælum & terra condita sint, sed ordinem temporis, id est, Ante omnia, vel cùm primùm ad exterorum productionem rerum se contulit Deus, cælum & terram creavit. Ut si de Architecto loquar, qui ædificium aliquod extruxit, & sic dicam: Initio, id est ante

D omnia, fundamenta posuit. Sic respondet Tertullianus, libro contra Hermogenem cap. 19. *Principium, sive initium, inceptionis esse verbum, non alicujus substantiæ nomen.* Namque *cùm utimur vocabulo principii, quasi originis, non quasi ordinis nomine, adjicimus & mentionem ipsius rei specialiter, quam volumus principium alterius rei. De cætero, si sic ponamus, verbi gratia: In principio fecit figulus pelvim, vel urnam: jam non materiam significabit principium: non enim argillam nominavi principium sed ordinem operis. Quia figulus ante cætera primùm pelvim & urnam fecit, exinde facturus & cætera; ad ordinationem operum principii vocabulum pertine-*

E *bit, non ad originem substantiarum.* Ita cùm dixit Moyses: *In principio creavit Deus cælum & terram*, idem est ac si dixisset, Ante cætera opera, cælum & terram molitus est.

2. Nomine principii, principatum & potestatem intelligere possumus, ut Tertullianus ibidem interpretatur, id enim Græca vox ἀρχὴ significat interdum. Igitur, *In principio*, id est, *In principatu & potestate, Deus fecit cælum & terram.*

3. *In principio*, idem est, ac *in Filio*, & in Sapientia æterna, quæ de seipsa ait Proverb. 8. *Dominus condidit me initium viarum suarum in opera*

F *sua. Si enim*, inquit Tertullianus cap. 24. libri contra Hermogenem, *per Sophiam Dei omnia facta sunt; & cælum ergo & terram Deus faciens in principio, id est, initio, in Sophia sua fecit.* Hanc etiam expositionem amplectuntur Sanctus Hieronymus initio Traditionum Hebraicarum in Genesim, & Sanctus Augustinus tum Sermone 14. de Diversis cap. 2. ubi respondet Manichæis calumniantibus, contrarium esse illud Evangelii, *Omnia per ipsum facta sunt*: his verbis Geneseos, *In principio creavit Deus cælum & terram.* Cùm lib. 11. Confessionum cap. 9. ubi ait: *In hoc principio, Deus! fecisti cælum & ter-*

*ram, in Verbo tuo, in Filio tuo, in virtute tua, in sapientia tua, in veritate tua, miro modo dicens, & miro modo faciens.*

Denique ut rectè notat Tertullianus Hermogenem confodit laudata Scripturæ sacræ auctoritas, quia *Deus qui fecit, & ea quæ fecit ostendens, unde fecerit non proinde testatur. Nam cum in omni operatione tria sint principalia, qui facit, & quod fit, & ex quo fit: Tria nomina sunt edenda in legitima operis enarratione; persona factoris, species facti, forma materiæ. Si materia non editur, ubi & opera, & operator, eduntur, apparet ex nihilo eum operatum. Proinde enim ederetur ex quo, si ex aliquo fuisset operatus. Denique Evangelium, ut supplementum Instrumenti Veteris adhibebo, in quo vel eò magis debuerat ostendi Deus ex aliqua materia universa fecisse, quòd illic etiam, per quem omnia fecerit, revelatur. In principio erat Sermo, in quo principio scilicet, Deus fecit cælum & terram. Et Sermo erat apud Deum, & Deus erat Sermo. Omnia per ipsum facta sunt, & sine illo factum est nihil. Cum igitur & hic manifestetur & factor, id est, Deus; & facta, id est, omnia; & per quem, id est, Sermo; nonne & unde omnia facta essent à Deo per Sermonem, exegisset ordo profiteri, & non profitendo, satis probavit non fuisse: quia profiteretur, si fuisset.* Hæc Tertullianus cap. 21. libri contra Hermogenem. Quibus verbis ostendit Scripturæ silentium eloquentius omnibus Philosophorum sermonibus, evidenter demonstrare, Deum ex nulla materia præjacente, cælum, terram, cæteraque opera sua condidisse, quia Scriptura sacra cum Veteris, tum Novi Instrumenti, nullam indicat omnino, quæ tam accuratè creaturas ipsas conditas, ipsarúmque principium describit.

Objectio quarta petitur ex illis verbis Genesis cap. 1. *Terra autem erat inanis, & vacua*; vel, ut habet Versio antiqua, quam sequitur Tertullianus, *Erat invisibilis & incomposita*. Sed nomine terræ significatur Materia, & hoc verbum, *erat*, illam semper fuisse, innatamque & infectam esse innuit: ergo Materia Deo coæterna est.

Respondeo, nego minorem. Terræ enim nomine Materiam designatam fuisse, merum figmentum est. Certè Materia Hermogeniana invisibilis esse non poterat: Nihil enim erat cujus respectu invisibilis esset. *Nondum quidquam erat præter ipsam, & Deum. Nuda Deo subjacebat, nullo scilicet elemento obstruente* (inquit Tertullianus cap. 28.) Præterea, *Si invisibilis esset, nullo modo cognosceretur qualitas ejus, unde ergo compertum est Hermogeni informem, & confusam, & inconditam illam fuisse, quæ ut invisibilis latebat: aut si hoc à Deo revelatum est, probare debet* (inquit Tertullianus ipsum refellens.) Cùm itaque terra ista quam Deus hominum generi incolendam dedit, invisibilis fuerit, in quantum erat aquis cooperta: verba laudata Geneseos non sunt intelligenda de Materia, sed de terra. Nec etiam Hermogeniana Materia rudis & incomposita fuisse dici potest. Illud enim dicitur rude, & imperfectum, quod factum quidem est, sed ultimam non est assecutum perfectionem. At Materia Hermogenis facta non est: igitur nec rudis & imperfecta aliquando fuit. *Certè*, inquit Tertullianus cap. 28. *rude illud est, quod imperfectum est. Certè imperfectum non potest esse, nisi quod factum est. Quod enim minus factum est, imperfectum est. Ergo Materia, quæ facta non erat in totum, imperfecta esse non potuit. Quæ imperfecta non fuit, etiam rudis non fuit. Initium non habens, quia facta non fuit, caruit & rudimento. Initii enim accidens & rudimentum. Terra vero, quæ facta est, meruit & rudis dici. Statim enim ut facta est, habuit imperfecta locum ante perfectionem.*

Denique, cùm dicitur *Terra erat incomposita, & vacua*, verbum illud, *erat*, Materiæ æternitatem non designat. De omni enim re dici potest, *Erat: etiam de ea quæ facta; quæ nata sit, quæ aliquando non fuerit, & quæ Materia non sit. Omne enim quod habet esse, unde habeat sive per initium, sive sine initio, hoc ipso quod est, etiam erat, dicetur. Cui competit prima verbi positio in definitionem, ejusdem etiam declinatio verbi decurret in relationem. Est, definitionis caput, Erat, relationi facit.* Ita respondet Tertullianus libro contra Hermogenem cap. 27. Pseudo-Philosophi inania difflans argumenta, & Dei omnipotentis in rerum omnium; adeóque in Materiæ ipsius creatione jura propugnans; cujus ad majorem gloriam quæcumque in Secundo isto mearum in Ecclesiasticam Historiam Dissertationum Tomo scripta sunt, referri velim universa.

FINIS SECUNDI SÆCULI.





# HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ TERTII SÆCULI SYNOPSIS.

## CAPUT PRIMUM.

*De Persecutionibus, quæ in Ecclesiam grassatæ sunt tertio nominis Christiani Sæculo.*



ECCLESIA, quæ prioribus Severi Imperatoris annis nonnullâ pace potita fuerat, anno ipsius Imperii decimo, gravi afflicta persecutione est. Tum ducentesimus quartus Christi annus, secundùm Annales Ecclesiasticos vertebatur. Quinta vocari solet hæc persecutio: Nos eam septimam numeramus. Per hanc Leonides Origenis Pater Alexandriæ Martyrii coronam assecutus fuit, teste Eusebio libro 6. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 1. Hac procella sæviente Origenes annum circiter decimum septimum agebat. Martyrii tanta sanctum adolescentem incendebat cupiditas, ut necesse fuerit piam ejus matrem vestes ejus abscondere, ne mortis pro Christo quæsiturus occasionem, clam se domo subduceret. Patrem, quem in Martyrio comitari non licuit, prohibente matre, literis ad patiendum pro nominis Christiani Confessione hortatus est, ita fere scribens: *Obfirma te Pater, Martyrium fortiter sustine, nec aliud quidquam nostrâ causâ molire.* (Ex Eusebio lib. 6. cap. 2.) Hac etiam persecutione Sanctus Irenæus Lugduni, maxima cum populi sui parte, sublatus est, anno Christi 205. Felicitas autem & Perpetua heroicæ fortitudinis in fragili sexu specimen ediderunt, Carthagine ad bestias damnatæ. Passionis illarum Acta sincera edita sunt ab *Holstenio*, *Valesio*, & novissimè à Dom. *Theodorico Ruinart* Monacho Benedictino, inter Acta selecta Martyrum. Tam acerba hæc persecutio fuit, ut Judas Scriptor Ecclesiasticus, qui tunc temporis Commentarios in septuaginta Danielis hebdomadas edidit, Antichristi adventum scripserit imminere, ut testatus Eusebius lib. 6. cap. 6. Hujus persecutionis, antequam Edicto decreta esset, quædam in Africa velitatio fuit, Saturnino primùm, deinde Scapula Provinciam illam administrante: cujus sævitiam ut mitigaret Tertullianus, luculentum planè librum ad ipsum scripsit. Hac persecutione consummati sunt Carthagine Sanctus Speratus, aliique Martyres Scyllitani.

II. Octava persecutio sævit sub Maximino Imperatore, statim atque ad Imperii fastigium ascendit, concitata anno Christi 237. secundùm Annales Ecclesiasticos. Hanc edixit ob gravem invidiam, quia flagrabat contra Alexandri Severi Imperatoris familiam, in qua multi Christiani versabantur. Soli Ecclesiarum Præsides morti addicti sunt. In ea Pontianus Romanus Pontifex Martyrium obiit. Lege Eusebium libro 6. cap. 21. & Paulum Orosium libro 7. cap. 12.

III. Nonam persecutionem in Christianos Decius excitavit, anno Imperii sui 1. Christi 252. Divinis visionibus prænuntiatam hancce tempestatem Sanctus Cyprianus testatur Epistola 8. qua Clerum, Plebemque Carthaginensem ad eam fortiter sustinendam adhortatur. Multorum Fidelium ea in persecutione lapsum luxit Ecclesia, ut constat ex eodem Patre variis in Epistolis, & libro de Lapsis. Hujus meminit Eusebius lib. 6. Historiæ cap. 32. Meminit & Sanctus Dionysius Alexandrinus in Epistola ad Germanum, apud Eusebium, cap. 33. libri citati, & in Epistola ad Fabium Antiochenum, apud eundem Historicum, cap. 34. ejusdem libri. Qua in Epistola Martyrum Alexandrinorum hac in persecutione triumphos celebrat. In ea persecutione passus est Sanctus Fabianus Romanus Pontifex. Passa est Sancta Agatha in Sicilia & Alexandriæ Sancta Apollonia. Flagravit pari ardore sub Gallo & Volusiano, qui Decio in Imperio successerunt: sub quibus Sanctus Cornelius Papa Romæ passus est. Verùm *Galli* & *Volusiani* persecutio localis fuit, ac Romæ tantùm excitata. Quamobrem nec *Sanctus Augustinus* libro XVIII. *De Civitate Dei*, cap. 52. nec *Sulpitius Severus* eam numerant, nec *Eusebius* in Chronico aut in Historia Martyres sub *Gallo* & *Volusiano* passos commemorat. Imò Orosius qui libro VII. decem persecutiones quibus afflicta est Ecclesia, cum decem Ægypti plagis confert, septimam plagam sub *Gallo* & *Volusiano* pestilentiam fuisse, non verò Fidelium supplicia, indicat.

IV. Decima persecutio mota est à Valeriano, & Gallieno Imperatoribus anno Imperii ipsorum 5. Christi 259. ut Annales Ecclesiastici tradunt. Rebus Christianorum primùm favebat Valerianus, sed à Principe quodam Magorum Ægypti depravatus, & ad Fidelium persecutionem incitatus est, teste Eusebio, libro 7. cap. 9. In hac Sanctus Dionysius Alexandrinus confessionis gloriam promeritus est. Quanta cum suis passus sit in exilio, testatur ipse apud Eusebium lib. 7. cap. 10. Per eandem persecutionem Sancti Stephanus & Sixtus, Romani Pontifices, Laurentius, & Hypolitus, Martyrii palmam retulerunt.

V. Undecimam persecutionem Ecclesiæ intulit Aurelianus, anno Christi 272. (ut Baronius notat) quæ in variis Romani Imperii Provinciis Martyres plurimos fecit. Quamquam Eusebius scribat illum divina ultione à consilio movendæ persecutionis revocatum fuisse, enervatis brachiorum commissuris, cùm Edictum contra Christianos scriberet, libro 7. cap. 24. Lege Orosium lib. 7. cap. 15.

VI. Duodecima persecutio auctores habuit Diocletianum, & Maximianum, anno ipso labente ipsorum Imperii 18. vel 19. Christi trecentesimo secundo, vel tertio, unde ad sequentis Sæculi exordium referri potest, ut ad istius finem, quo instructus est ejus apparatus. In hac persecutione, Ecclesiæ solo æquatæ, Scripturæ sacræ igne consumptæ: Christiani qui publicis honoribus aucti fuerant, exauctorati; cæteri libertate privati. Multos hæc persecutio Martyres cælo dedit. Nonnullorum certamina recenset Eusebius libro 8. Historiæ à cap. 3. ad 26. In Ecclesiasticis Tabulis Marci & Marcelliani; Cosmæ & Damiani; Vincentii, Agnetis, Luciæ, Mauritii, cum legione Thebæorum, illustria Martyria, hujus persecutionis tempore consignantur. De hac persecutione lege Lactantium libro *De Mortibus Persecutorum*, & Orosium libro 7. cap. 17.

---

## CAPUT II.

### *De Summis Pontificibus, qui Ecclesiæ præfuerunt tertio Sæculo.*

I. ANNO circiter nono Imperii Severi, Christi verò 203. *Zephirinus* Victori in Romanæ Ecclesiæ regimine successit. Ad ejus pedes Natalius Confessor, ab Asclepiodoto, & Theodoto hæreticis seductus & illorum sectæ Episcopus inauguratus, exomologesim solemnem fecit, teste Eusebio libro 5. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 27. Montanismum Zephirino affingunt Novatorum nonnulli: an jure, propria Dissertatione expendemus. Decem & octo annos Ecclesiam rexit Zephirinus. Huic *Callistus*, successit, anno Christi 221. Annis quinque cùm Ecclesiam gubernasset, Martyrio consummatus est. Huic successit *Urbanus* anno Christi 227. Annis ferme septem Ecclesiæ præfuit. Tiburtium & Valerianum, cum Sancta Cæcilia in fide Christiana ipsum instituisse, Annales Ecclesiastici tradunt, & Acta antiqua testantur.

Zephirinus.

Callistus.

Urbanus.

II. Sancto Urbano successit *Pontianus*. Per annos quinque, menses duos & septem dies Pontificatum gessit. Ipsius in locum subrogatus est *Anterus*. Mensem dumtaxat unum sessionis numeravit, teste Eusebio libro 6. cap. 22. unde erroris arguitur liber Pontificalis, in quo legitur ipsum sedisse annos 12. Ipsi suffectus est *Fabianus*, prodigio cælesti, scilicet columbæ in caput ejus advolantis, eique insidentis indicio, ad Pontificiam evectus dignitatem anno Christi 238. quod Eusebius ibidem testatur. Quatuordecim Urbis regiones inter septem Diaconos divisit, singulis binas assignans, ut pauperum in eis degentium curam gererent: Unde Diaconi Regionarii nominati sunt. Notariis qui Martyrum Acta colligebant, septem Subdiaconos præfecit, ex libro Pontificali. Fama est Philippum Christianorum Imperatorum primum, propter multa delicta, quæ ab eo ferebantur admissa, publicæ Pœnitentiæ ab ipso addictum fuisse; hunc verò exomologesi religiosè fuisse perfunctum. Quod quidam colligere sibi videntur ex Eusebio lib. 6. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 34. Valesianæ Versione; sed de Sancto Babila Episcopo Antiocheno, non de Fabiano, intelligendum esse Eusebium, Valesius in Notis confirmat auctoritate Chronici Alexandrini & Sancti Joannis Chrysostomi. Annis 14. rexit Ecclesiam. Quæ habentur in Editionibus Conciliorum ejus & præcedentium Pontificum Epistolæ, pseudepigraphæ sunt, omnium virorum doctorum judicio. Supposititia pariter quæcumque à Gratiano velut Fabiani Decreta laudantur.

Pontianus.

Anterus.

Fabianus.

III. Post gloriosum S. Fabiani in Deciana persecutione Martyrium, prohibente Tyranni immanitate ne Clerus ad Pontificis electionem conveniret, vacavit Pontificia Sedes biennii spatio: quo tempore Sanctus Cyprianus exulavit (ut constat ex ejus Epistola 40. ad Plebem Carthaginensem data.) Biennii tamen solidi non fuisse interregnum probat Annalium Parens. Vacantis tandiu Sedis tempore, tam periculosis Ecclesiæ temporibus, Clerus Romanus Christiani Gregis toto terrarum orbe diffusi curam suscepit ex officio, ut constat ex Epistola, quam ad Clerum Carthaginensem dedit de secessu Sancti Cypriani, quæ in Editione Pamelii & Rigaltii ordine secunda est: *Et cùm incumbat nobis*, inquit, *qui videmur esse Præpositi, & vice Pastoris custodire Gregem: Si negligentes inveniamur, dicetur nobis, Quoniam perditum non requisivimus, & errantem non correximus*, &c. Hac Epistola Clerus Romanus Lapsis Pœnitentiam agentibus non negandam esse Communionem decernit, si infirmitate apprehensi fuerint: suæque Epistolæ exemplum ad omnes Ecclesias, data occasione transmitti postulat. *Et alia*, inquit, *quæ incumbunt vobis, etiam ipsa subdidimus, ut si, qui in hanc tentationem inciderunt, cœperint apprehendi infirmitate, & agant pœnitentiam facti sui, & desiderent Communionem, utique subveniri eis debet.*

Interpontificium post Martyrium S. Fabiani.

Florentissimo Romanæ Ecclesiæ Clero Sanctus Cyprianus rationem reddidit eorum omnium quæ in secessu suo egerat, & Disciplinæ & diligentiæ. Istud argumentum est Epistolæ ipsius 14. *Nam sicut*, inquit, *Domini mandata instruunt, orto statim turbationis impetu, primò cùm me clamore violento frequenter populus flagitasset, non tam meam salutem, quàm quietem fratrum publicam cogitans, interim secessi, ne per inverecundam præsentiam nostram seditio, quæ cœperat, plus provocaretur. Absens tamen corpore, nec spiritu, nec actu, nec monitis defui, quominus secundum Domini Præcepta, Fratribus nostris, in quibus possem, mea mediocritate consulerem. Et quid egerim, loquuntur vobis Epistolæ pro temporibus emissæ, numero tredecim, quas ad vos transmisi. In quibus nec Clero consilium; nec Confessoribus exhortatio; nec extorribus, quando oportuit, objurgatio; nec universæ fraternitati ad deprecandam Dei misericordiam allocutio nostra defuit .... Posteaquàm verò & tormenta venerunt, sive jam tortis fratribus nostris, sive adhuc ut torquerentur inclusis, ad corroborandos, & confortandos eos noster sermo penetravit. Item cùm comperissem eos, qui sacrilegis contactibus manus suas, atque ora maculassent, vel nefandis libellis*

*bellis nihilominus conscientiam polluissent, exambire ad Martyres passim, Confessores quoque oportuna & gratiosa deprecatione corrumpere, ut sine ullo discrimine atque examine singulorum, darentur quotidie libellorum millia contra Evangelii legem; literas feci, quibus Martyres & Confessores consilio meo, quantùm possem, ad Dominica Præcepta revocarem. Item Presbyteris & Diaconibus non defuit Sacerdotii vigor, ut quidam minus Disciplinæ memores, & temeraria festinatione præcipites, qui cum Lapsis communicare jam cœperant, comprimerentur, intercedentibus nobis. Plebi quoque ipsi, quantùm potuimus, animum composuimus, & ut Ecclesiastica Disciplina servaretur, instruximus.*

Hac tempestate, Lapsorum plurimi, libellis Martyrum muniti in Ecclesiam irrumpebant, & Communionem extorquere nitebantur, nullâ licet pœnitentiâ functi, quam nisi obtinerent, despici Martyres, eisque injuriam fieri effutiebant. Hunc porro tumultum Sanctus Cyprianus, Clerusque Romanus fiduciario Decreto sedarunt, quo statutum ab ipsis est, ut ii qui libellos à Martyribus accepissent, Communione donarentur, in discrimine mortis constituti, modò Pœnitentiam professi essent: cæterorum verò causa in suspenso maneret, donec pace reddita Ecclesiæ, & Pontifice creato, singulorum causæ maturo examine librari possent. Ista constant ex Epistolis Sancti Cypriani 13. & 14. ad Clerum suum datis, ex 15. & 29. scriptis ad Clerum Romanum, & ex Epistolis duabus Romani Cleri ad Sanctum Cyprianum, quæ inter ejus Epistolas extant 30. & 31. Sed de statu controversiæ inter lapsos in persecutione Decii, & Clerum Romanum Sancto Cypriano ejusque Collegis consentientem, deque ejus progressu & exitu, singularem Dissertationem instituemus. Plura enim non patitur Synopsis ratio.

Cornelius. IV. Sedata nondum persecutione Decii, electus est Romanæ & universalis Ecclesiæ Pontifex in Fabiani locum *Cornelius* anno Christi, secundùm Annales Baronii, 254. secundùm alios 251. Tunc Novatiani Schisma primum in Sede Sancti Petri erexit Antipapam. De quo Schismate infra agemus. Anno Christi 254. aut 252. secundùm alios, Concilium Romanum à Sancto Cornelio celebratum est, in quo Decretorio judicio Lapsorum causa finita est, statutumque ut Lapsi ad Communionem non admitterentur, nisi peracta Pœnitentia diuturna & integra: ita tamen ut ipsis in supremo vitæ discrimine subveniretur, neque Absolutio, & Communio negaretur. Mitiùs cum Libellaticis actum est, quibus acta in antecessum Pœnitentia, persecutionis tempore, sufficere visa est, in Ecclesiam ut reciperentur. Ista patent ex Epistola 52. Sancti Cypriani ad Antonianum data. Triennium circiter Sedis Cornelio tribuit Eusebius libro 7. cap. 2. Ultra unum annum, 5. menses & dies 4. ejus Pontificatum non protogant Annales Ecclesiastici. Ejus cùm electionem, tum virtutes commendat Sanctus Cyprianus Epistola 52. ad Antonianum data, ubi cùm præmisit ipsum ad Sacerdotii sublime fastigium omnibus religionis gradibus ascendisse, nec optasse Episcopatum, sed vim passum esse ut Episcopus fieret, de illius electione hæc subdit: *Factus est autem Cornelius Episcopus de Dei, & Christi ejus judicio, de Clericorum pene omnium testimonio, de Plebis, quæ tunc adfuit, suffragio & de Sacerdotum antiquorum, & bonorum virorum collegio: cùm nemo ante se factus esset, cùm Fabiani locus, id est, cùm locus Petri, & gradus Cathedræ Sacerdotalis vacaret, quo occupato de Dei voluntate, atque omnium nostrûm consensione firmato: quisquis jam Episcopus fieri voluerit, foris fiat necesse est, nec habeat Ecclesiasticam Ordinationem, qui Ecclesiæ non tenet unitatem. Quisquis ille fuerit, multùm licet de se jactans, & sibi plurimùm vendicans, profanus est, alienus est, foris est. Et cùm post primum secundus esse non possit: quisquis post unum, qui solus esse debeat, factus est, non secundus ille, sed nullus est.*

Post hæc, ejus virtutes commendat, maximè invictum robur animi, & firmitatem fidei, cujus specimen dedit. *Sedens intrepidus Romæ in Sacerdotali Cathedra eo tempore, cùm Tyrannus infestus Sacerdotibus Dei, fanda atque infanda comminaretur: cùm multo patientiùs & tolerabiliùs audiret levari adversùs se æmulum Principem, quàm constitui Romæ æmulum Sacerdotem.* Addit denique Cornelium in persecutione Decii, *Quantùm ad ejus devotionem pertinet, & timorem, passum esse quicquid pati potuit, & Tyrannum armis & bello postmodum victum, priorem Sacerdotio suo vicisse.*

Lucius. V. Sancto Cornelio in Ecclesiæ Romanæ & universalis regimine successit *Lucius* anno Christi 255. vel 253. Ipsi de reditu ab exilio, in quod fuerat ob Christi confessionem relegatus, Sanctus Cyprianus gratulatus est Epistolâ 58. Vix octo continuis mensibus Ecclesiam rexit, secundùm Eusebium libro 7. cap. 2. ultra annum, secundùm Baronium; ultra tres annos, secundùm Authorem libri Pontificalis.

Stephanus. VI. Lucio successit *Stephanus* anno Christi 257. vel 255. cum quo celebris de Baptismate Hæreticorum controversia Sanctum Cyprianum & Africanos Episcopos, Firmilianum & plurimos Orientis Antistites commisit. Hujus controversiæ statum & progressum infra exponemus. Quæri solet utrùm Stephanus Sanctum Cyprianum, Firmilianum, & consentientes ipsis in errore de rebaptizandis Hæreticis Episcopos excommunicaverit. Negantem sententiam Dissertatione singulari stabiliemus. A nonnullis ex Heterodoxorum grege affingitur ipsi error circa formam Baptismi, quòd scilicet in solius Christi nomine validè ipsum conferri decreverit; quo ab errore ipsum propria etiam Dissertatione vindicabimus. Biennii spatio Pontificatus ministerium obiit Stephanus, secundùm Eusebium lib. 7. cap. 4. ultra tres annos, secundùm Baronium, ultra septem, ut placet Authori libri Pontificalis. Extant duæ Sancti Cypriani ad ipsum Epistolæ, 67. de Marciano Arelatensi Episcopo, qui ad Novatianum defecerat, abstinendo, & exauctorando, quam eruditi quidam viri Sancto Cypriano immeritò abjudicarunt; & 72. de baptizandis iis qui ab Hæreticis sunt baptizati.

Sixtus. VII. Stephano successit *Sixtus II.* hujus nominis Pontifex, anno Christi 257. vel 260. secundùm Annales Ecclesiasticos. Martyrium passus est sub Valeriani persecutione, teste Sancto Cypriano Epistola 82. Undecim annis ipsum rexisse Ecclesiam scribit Eusebius lib. 7. Historiæ cap. 22. Vix unum sessionis annum Baronius & Binius vendicant: annos pene duos antiquus Catalogus ab Henschenio editus in Propylæo ad Acta Sanctorum mensis Maii. Sub hujus Pontificatu emersit Sabellii hæresis.

Dionysius. VIII. Huic in Cathedra Sancti Petri suffectus est *Dionysius* anno 258. aut 261. Ex Monachorum instituto ad Pontificiam dignitatem assumptum tradunt Annales Ecclesiastici, post librum Pontificalem. Ipsum Curatos instituisse, ignari quidam aiunt, cùm Parochiis duntaxat, quæ grassante persecutione, Rectoribus suis viduatæ fuerant, Sacerdotes præfecerit; illarumque fines distinxerit, ut colligitur ex libro Pontificali, & ex Epistola 2. eidem Pontifici falsò adscripta. Cæterùm jure divino institutos esse secundi Ordinis Sacerdotes, qui ad nutum Episcoporum plebem regerent: Et hac ratione venerabilem Parochorum ordinem jure divino institutum

tutum

rutum esse certum est; idque ex Scriptura & Traditione facilè posset demonstrari, ut existimat sacra Facultas Parisiensis, quæ contrariam confixit opinionem. Quatovis juris non esse divini ut eis perpetua Parochiarum cura credatur, & ut amoveri ad nutum Episcoporum non possint; nec Apostolici instituti, sed Ecclesiasticæ dumtaxat disciplinæ, nemo eruditorum diffiteatur. Sub Dionysii Pontificatu, Pauli Samosateni hæresis in duobus Conciliis Antiochenis confossa est. Novem annos sedis ipsius Eusebius numerat, lib. 7. cap. 24. annos undecim & tres menses Baronius; liber Pontificalis sex annos, & duos menses. Sub hujus tempora floruit Sanctus Paulus Eremitarum signifer.

Felix. I. IX. Successorem in Romanæ Ecclesiæ administratione Dionysius habuit *Felicem Primum*, anno Christi 270. aut 272. Huic ritum celebrandi Missas suprà Memorias Martyrum refert acceptum liber Pontificalis. Quinquennium sedis ipsi assignat Eusebius lib. 7. Historiæ cap. 26. quinque menses supra biennium Baronius, tres supra quadriennium liber Pontificalis. Supposititiæ sunt, quæ sub ejus, & præcedentium Pontificum circumferuntur venerandis nominibus Epistolæ & Decreta.

Eutychianus X. Post Felicem, Romanus Pontifex creatus est *Eutychianus* anno Christi 275. Sub ejus Pontificatu exorta est Manichæorum hæresis. Huic acceptus refertur fruges & fructus benedicendi ritus. Vix decem mensibus ipsum sedisse, Eusebius auctor est lib. 7. Historiæ cap. 26. annos octo, & quinque menses ipsi assignant Annales Baronii; unum dumtaxat annum cum mense, liber Pontificalis. Ejus quoque Epistolæ & Decreta pseudepigrapha sunt.

Caius. XI. Eutychiano subrogatus est *Caius*, sive *Gaius*, Diocletiani Imperatoris ex fratre Maximino nepos, anno Christi 283. Quindecim annos sedis ejus numerat Eusebius lib. 7. cap. 26. duodecim tantùm & 4 menses Annales Baronii. Quæ legitur 1. Tomo Conciliorum ejus ad Felicem Episcopum Epistola, supposita est, ut cæteræ priorum, & sequentium Pontificum usque ad Siricium; iis exceptis, quas Sancti Patres, vel antiqui Historiæ Ecclesiasticæ Scriptores referunt. In hac nonnulla legere est ex Codice Theodosii, & Aniano, plurima ex Sancto Leone Epistola 97. quædam etiam ex Innocentio 1. Epistola 2. & ex Vigilio Epistola etiam 2.

Marcellinus. XII. Caio in Sede Pontificia successit *Marcellinus* anno Christi 296. Ipsum in persecutione Diocletiani minis mortis adactum thus adolevisse idolis, tradit Auctor libri Pontificalis actâque pœnitentiâ, post paucos dies Martyrio coronatum fuisse. In Concilio Sinuessano, cujus etiamnum habentur Acta, propria confessione, & ducentorum Episcoporum suffragio, ob nefandum sacrificium damnatus dicitur. De Marcellini porro thurificatione, & Sinuessana Synodo quæri solet, an veræ sint? Affirmantem sententiam non Magdeburgenses tantùm Centuriatores, aliique Hæretici, sed viri etiam eruditi inter Catholicos propugnant. Nos utramque ceu meram fabulam propria Dissertatione exsufflabimus. Sedit Marcellinus annos octo, menses tres, dies 25.

Sub Marcellini Pontificatu habita est Illiberritana Synodus, ante persecutionem Diocletiani & Maximiani. In hac 81. Canonibus Disciplina Ecclesiastica sancita, instaurata, communita est. Horum explicationem omnibus eruditionis quà Ecclesiasticæ, quà profanæ ornamentis instructam habemus in eximio Opere Clarissimi Doctissimique Viri Ferdinandi de Mendoza, *De confirmando Concilio Illiberritano ad Clementem VIII. Pontificem Maximum* in tres libros distributo, Tom. 1. Conciliorum Editionis P. Labbæi. Quod Opus nemo cum fastidio, nemo absque fructu usquam leget. Porro de Concilii Illiberritani tempore, & recta fide, singulari Dissertatione agemus.

## SCHOLION.

Ad hoc Caput, pag. 12 Edit primæ, hanc Propositionem in Indiculo suo notant Religiosi Censores: *Parochorum Ordo est de Jure divino.*

R. Sententia est Sacræ Facultatis Parisiensis, quæ contrariam Propositionem damnavit, ejusque propugnatores ad palinodiam compulit. *F. Joannes de Gorellio* anno millesimo quadringentesimo octavo hanc Propositionem defenderat: *Curati non sunt de institutione Christi & Ecclesia primavâ, sed per Dionysium Papam fuerunt ordinati*, &c. quam retractare compulsus est hunc in modum: *Dico nunc ex ordinatione ejusdem Facultatis matris meæ, & alterius voluntate, Veritates quæ sequuntur; Prima: Domini Curati sunt in Ecclesia Minores Prælati & Hierarchæ ex institutione Christi.*

*F. Joannes Sarrazin* hanc Propositionem propugnaverat: *Dicere, inferiorum Prælatorum potestatem jurisdictionis, sive sint Episcopi, sive Curati, esse immediatè à Deo, sicut potestatem Papæ, veritati quodammodo est agnas* Palinodiam cecinit ex Sacræ Facultatis Decreto hunc in modum:

*Dicere, Inferiorum Prælatorum potestatem Jurisdictionis, sive sint Episcopi, sive Curati, esse immediatè à Deo, Evangelica & Apostolica consonat Veritati.*

Curatos non esse immediatè institutos à Christo, larvatus quidam Auctor scripserat. Hanc ejus doctrinam sacra Facultas confixit diebus 24. & 26 Maii, anno millesimo sexcentesimo sexagesimo quarto, his verbis: *Hæ sex Propositiones; quatenus asserant vel inferant, Potestatem Jurisdictionis Curatorum non esse immediatè à Christo quoad eam ad institutionem primariam, falsæ sunt & Decretis sacræ ad Facultatis contrariæ: Salvâ semper immediatâ Episcoporum in Prælatos minores seu Curatos & plebem subditam auctoritate.*

Venerabilis *Gersonius*, libro *De Statibus Ecclesiasticis*, ubi de Curatorum Statu agit, Consideratione 1. *Status*, inquit, *Curatorum succedit statui* LXX. *Discipulorum Christi: ac proinde status Curatorum est de institutione Christi & Apostolorum à principio fundationis Ecclesiæ, quæ institutio per declarationes Summorum Pontificum & Synodorum, tam generalium quam specialium, magis ac magis innotuit.*

*Joannes Major* Dist. XXIV. Quæst. III. *Curati*, inquit, *sunt de Jure divino.*

---

## CAPUT III.

*De Erroribus, Hæresibus, Schismatibus, quæ Ecclesiam tertio Sæculo infestarunt.*

HÆRESEON auctores extiterunt tertio nominis Christiani sæculo, Berillus, Privatus, Arabes, Valens qui Valesiorum sectam instituit; Novatus & Novatianus, qui hæresim cum schismate conjunxerunt. In Ecclesia Africana paulò antè schisma fecit Felicissimus. Dehinc Rebaptizantium error negotium Ecclesiæ facessivit. Postea Angelici, Apostolici, Noëtiani, Sabelliani, Paulus Samosatenus & Paulianistæ, Manes & Manichæi, Hieracithæ, suarum hæreseon venena profuderunt. Ecclesiam etiam turbavere suis erroribus Nepos & Coracion. Ad hoc etiam sæculum revocamus Origenistarum hæresim, quòd illius Auctor Origenes ab anno Christi 204. ad annum 254. floruerit. De his omnibus ordine agendum est, & singularum origo & errores singulis Articulis exponendi.

### ARTICULUS I.

*De Berillo, & Privato.*

I. BErillus, Bostrorum in Arabia, Episcopus, ausus est asserere Filium Dei non ante fuisse, quàm in humanam carnem immigraret, neque

propriam

propriam habuisse ex se divinitatem, sed solam Patris in eo extitisse. Ab Origene confutatus est, & ad Fidem Catholicam revocatus. Id constat ex Eusebio libro 6. cap. 26. Ea de causa celebrata est Synodus in Bostra circa annum Christi 247. aut 249. Hujus meminit Eusebius, qui & illius Acta Synodi, & Origenis cum Berillo disputationes, & Berilli ipsius monumenta quædam ad suam usque conservata testatur ætatem. Hanc etiam Synodum refert Libelli Synodici Auctor.

II. Privatus, incertæ hæreseos Auctor, in Concilio Labesitano ab Africanis Patribus damnatus est, Præside Donato Carthaginensi Episcopo Sancti Cypriani decessore. Confirmata est Synodi sententia à Fabiano Pontifice Maximo. Habita est ea Synodus circa annum Christi 240. aut 242. Varias in Africa turbas excitavit. Schismatis adversùs Sanctum Cyprianum præcipuus fuit incentor. In Romanæ Ecclesiæ Communionem fraudulenter irrepere tentavit. Hæc constant tum ex Epistola Cleri Romani ad Sanctum Cyprianum, quæ in editione Pamelii & Rigaltii 30. est, tum ex Epistola ipsius Cypriani 55. ad Cornelium data: Sic enim Clerus Romanus ad Sanctum Cyprianum de Privato scribit: *Quod autem pertinet ad Privatum Labesitanum, pro tuo more fecisti, qui rem nobis sollicitam nunciare voluisti: Omnes enim nos decet pro corpore totius Ecclesiæ, cujus per varias quasque Provincias membra digesta sunt, excubare. sed nos etiam ante literas tuas fraus callidi hominis latere non potuit. Nam cum antehac quidam ex ipsius nequitia coborte venisset vexillarius Privati, & furto ac fraudulenter litteras à nobis elicere curaret, nec quis esset, latuit, nec literas, quas volebat accepit.*

Ad Cornelium verò sic de eodem scribit Sanctus Cyprianus: *Per Felicianum significavi tibi, Frater, venisse Carthaginem Privatum veterem Hæreticum, in Labesitana Colonia, ante multos fore annos, ob multa & gravia delicta, nonaginta Episcoporum sententià condemnatum; Antecessorum etiam nostrorum, quod & vestram conscientiam non latet, Fabiani, & Donati litteris severissimè notatum: qui cùm causam suam apud nos, in Concilio quod habuimus Idibus Maiis quæ proximè fuerunt, agere velle se diceret, nec admissus esset, Fortunatum istum sibi Pseudoepiscopum dignum Collegio suo fecit.*

## ARTICULUS II.

### *De Arabibus, & Valesiis.*

I. ARabes, quidam, animæ rationalis immortalitatem palam impugnarunt, Phillipi Imperatoris temporibus; eam unà cum corpore extingui, & cum eodem resurrecturam affirmantes. In Concilio Arabico multis ab Episcopis damnati sunt, & ab Origene ibidem præsente confutati, anno 247. aut 249. De his Eusebius libro 6. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 36. Sanctus Augustinus lib. de Hæresibus, cap. 38. & Libellus Synodicus dictam Synodum memorans, cui 14. Episcopos adfuisse testatur.

II. Eadem fermè tempestate Valesii eruperunt. Auctor sectæ Arabs quidam nomine Valens fuit: Horum non alius fertur error, quàm quòd se Eunuchos facerent, omnesque suæ sectæ ut aggregarent, quoscumque obvios mutilabant, si viribus ipsi prævalerent: salutem obtineri non posse asserentes, nisi membra quæ offensioni sunt, & in quibus regnat concupiscentia, abjicerentur. De his Sanctus Epiphanius Hæresi 58. & Sanctus Augustinus lib. de Hæresibus, Num. 37. Damnatos à Synodo Achaiæ scribit Auctor *Prædestinati* lib. 1. cap. xxxvii. *Jam trigesimam & septimam Hæresim*, inquit, *Valesii incurrunt. qui infeliciter & seipsos castrant & hospites suos. Hoc modo dicunt illud impleri: QUI se castraverunt propter Regnum cælorum. Alia quoque hæretica docere dicuntur & turpia: sed quæ illa sint, nec ipse Epiphanius commemorat, nec uspiam potui reperire. A Synodo damnati sunt Achaia.*

## ARTICULUS III.

### *De Schismate Felicissimi.*

FElicissimus, qui electioni Sancti Cypriani cum quinque aliis Presbyteris adversatus fuerat, conjurationis animum contra Sanctissimum Episcopum nusquam deposuit (ut constat ex Epistola 40. ipsius Sancti Cypriani.) Quorumdam Confessorum mentes, quos beatus Antistes fraternè corripuerat, ob nimiam eorum ergà Lapsos facilitatem, & Ecclesiasticæ Disciplinæ eversionem, ille corrupit, & Lapsos contra Cyprianum commovit, omnes absque satisfactione mox recipiendos contendens. Hujus Schismatis incentor fuit Novatus, qui Felicissimum inconsulto Sancto Cypriano, Diaconum constituit, quò majorem ad res novas moliendas in Clero auctoritatem haberet, ut testatur Cyprianus ipse Epistola 49. *Idem est Novatus*, inquit, *qui apud nos primum discordiæ & Schismatis incendium seminavit, qui quosdam isthic ex Fratribus ab Episcopo segregavit, qui in ipsa persecutione ad evertendas Fratrum mentes alia quædam persecutio nostris fuit. Ipse est qui Felicissimum Satellitem suum Diaconum, nec permittente me, nec sciente sua factione, & ambitione constituit.*

Porro cùm Felicissimus, quos à Sancto Cypriano abstraxerat, & abstrahebat in dies, colligeret in monte quodam, Ecclesiam Schismaticam & profanum altare ibi erigens, Sanctus Cyprianus vices suas Caldonio & Herculano Episcopis, necnon Rogatiano, & Numidico Presbyteris commisit, ut ipsum anathemate percuterent, necnòn Augendum, & alios qui se ipsius partibus adjunxerant. Id constat ex Epistola 38. Sancti Cypriani. Id perfecêre Antistites, & Presbyteri, ut ex ipsorum Epistola inter Cyprianicas 39. compertum est. Non modò Schismatis; verùmetiam adulterii reum fuisse Felicissimum, Sanctus Cyprianus testatur Epistola mox laudata. De ipso & adhærentibus ipsi quinque Presbyteris scripsit insuper ad Plebem Carthaginensem, ut ab eorum fraudibus, & errore caveret. Sic, inquam, scripsit Epistola 40. *Ac ne parum fuisset corrupisse quorumdam Confessorum mentes, & contra Sacerdotium Dei portionem rupta fraternitatis armare voluisse, nunc se ad Lapsorum perniciem venenata sua deceptione verterunt, ut ægros, & saucios, & ad capienda fortiora consilia per calamitatem ruinæ suæ minus idoneos, & minus solidos, à medela vulneris sui avocent, & intermissis precibus, & orationibus, quibus Dominus longa & continua satisfactione placandus est, ad exitiosam temeritatem mendacio captiosæ pacis invitent. Sed oro vos, Fratres, vigilate contra insidias diaboli, & pro vestra salute solliciti, contra mortiferam fallaciam diligentiùs excubate. Persecutio est hæc alia, & alia tentatio: & quinque isti Presbyteri nihil aliud sunt quàm quinque Primores illi qui edicto nuper Magistratibus fuerant copulati, ut fidem nostram subruerent, ut gracilia Fratrum corda ad letales laqueos prævaricatione veritatis averterent. Eadem nunc ratio, eadem rursus eversio per quinque Presbyteros Felicissimo copulatos ad ruinam salutis inducitur, ut non rogetur Deus, nec qui negavit Christum, eumdem Christum quem negaverat, deprecetur; post culpam criminis tollatur & Pœnitentia, nec per Episcopos & Sacerdotes Domino satisfiat,*

*sed relictis Domini Sacerdotibus, contra Evangelicam Disciplinam nova Traditio sacrilega institutionis exurgat: eùm quo semel placuerit tam nobis, quàm Confessoribus, & Clericis Urbicis, item universis Episcopis, vel in nostra Provincia, vel trans mare constitutis, ut nihil innovetur circa Lapsorum causam, nisi omnes in unum convenerimus, & collatis consiliis, cum Disciplina pariter & misericordia temperatam sententiam fixerimus: contra hoc consilium nostrum rebelletur, & omnis Sacerdotalis auctoritas & potestas factiosis conspirationibus destruatur.*

Schisma ut consummatum esset, Fortunatum è quinque Presbyteris perduellibus unum, Schismatici Episcopum constituerunt. Illos cum Felicissimo, & ipso Fortunato, damnaverunt Episcopi Africani in Concilio hanc ob causam congregato. Illi verò ut jus Communionis quò exciderant, in Ecclesia Romana suffurarentur, Romam navigarunt, & fucum facere Sancto Cornelio Pontifici Maximo sunt conati. Sed nihil obtinuerunt nisi suæ damnationis confirmationem. Hujus rei testis est Sanctus Cyprianus Epistola 55. sic ad Cornelium scribens: *Legi Literas tuas, quibus significasti Felicissimum hostem Christi, non novum, sed jampridem ob crimina sua plurima & gravissima abstentum, & non tantum meâ, sed plurimorum Coepiscoporum sententiâ condemnatum, rejectum à te illic esse: & cùm venisset stipatus caterva & factione desperatorum, vigore pleno, quo Episcopos agere oportet, pulsum de Ecclesia esse: de qua jampridem cum sui similibus, Dei Majestate, & Christi Domini & Judicis nostri severitate depulsus est: ne Schismatis & dissidii auctor, ne pecuniæ commissæ sibi fraudator, ne strupator Virginum, ne matrimoniorum multorum depopulator atque corruptor, ultra adhuc Sponsam Christi incorruptam, sanctam, pudicam, præsentia sua dedecore, & impudicâ, atque incesta contagione violaret.* Deinde contra Schismaticorum factionem Cornelii animum occupans Cyprianus, hæc de seipso subdit: *Cæterùm; dico enim provocatus, dico dolens, dico compulsus, quando Episcopus in locum defuncti substituitur, quando populi universi suffragio in pace deligitur, quando Dei auxilio in persecutione protegitur: Collegis omnibus fideliter junctus, Plebi sua in Episcopatu quadriennio jam probatus, in quiete serviens Disciplinæ, in tempestate proscriptus, applicito & adjuncto Episcopatus sui nomine toties ad leonem petitus, in circo, in amphiteatro, dominicæ dignationis testimonio honoratus; his ipsis etiam diebus, quibus has ad te literas feci, ob Sacrificia quæ Edicto proposito celebrare populus jubebatur, clamore popularium ad leonem denuo postulatus in Circo: cùm talis, Frater charissime, à quibusdam desperatis, & perditis, & extra Ecclesiam constitutis, impugnari videtur, apparet quis impugnet. Non scilicet Christus qui Sacerdotes aut constituit, aut protegit, sed ille qui Christi adversarius, & Ecclesiæ ejus inimicus, ad hoc Ecclesiæ Præpositum sua infestatione persequitur, ut gubernatore sublato, atrociùs atque violentiùs circa Ecclesiæ naufragia grassetur.*

Post hæc, rationem affert cur statim ad Cornelium de Schismaticorum factionibus non scripserit, quòd scilicet non metuenda videretur eorum conjuratio, & quòd aliunde Fortunatus & Felicissimus ipsi Cornelio ex scelerum suorum fama notiores essent, quàm ut ipsorum calumniis decipi posset. *Quòd autem*, inquit, *tibi de Fortunato isto Pseudoepiscopo à paucis & inveteratis Hæreticis constituto, non statim scripsi, non ea res erat, quæ in notitiam tuam deberet per nos festinatò statim quasi magna, aut metuenda perferri; maximè quando & Fortunati nomen jam satis nosses, qui est unus ex quinque Presbyteris jampridem de Ecclesia profugis, & sententia Coepiscoporum nostrorum, multorum & gravissimo* A *rum virorum nuper abstentis, qui super hac re, priore anno ad te literas fecerunt: item Felicissimum signiferum seditionis recognosceres, qui & ipse in iisdem Coepiscoporum nostrorum factis ad te pridem literis continetur: qui non tantùm ab iis istic abstentus, sed abs te illic nuper de Ecclesia pulsus est.*

De errore subinde Felicissimi & aliorum Schismaticorum, quo Lapsis, antequam ullâ Pœnitentiâ functi essent, aut aliqua ipsis satisfactionis lex imposita esset, communicabant, hæc subjungit: *Taceo de fraudibus Ecclesiæ factis. Conjurationes, & adulteria, & varia delictorum genera prætereo: unum* B *illud in quo non mea, nec hominum, sed Dei causa est, de eorum facinore non puto esse reticendum, quòd à primo statim persecutionis die, cùm recentia delinquentium facinora fervèrent, & Sacrificiis nefandis non tantùm diaboli altaria, sed adhuc manus ipsæ Lapsorum atque ora fumarent, communicare cum Lapsis, & Pœnitentia agenda intercedere non destiterunt.*

Et infra: *Nos in ipso persecutionis tempore, de hoc ipso literas misimus, nec auditi sumus. Concilio frequenter acto, non consensione tantùm nostra, sed & comminatione decrevimus, ut Pœnitentiam Fratres* C *agerent, ut Pœnitentiam non agentibus, nemo temerè pacem daret: & illi contra Deum sacrilegi, contra Sacerdotes Dei impio furore temerarii, de Ecclesia recedentes, & contra Ecclesiam parricidalia arma tollentes, elaborant ne vulneratos divina clementia in Ecclesia sua curet: miserorum Pœnitentiam mendaciorum suorum fraude corrumpunt, ne Deo indignanti satisfiat; ne Christum Dominum suum, qui Christianus esse vel erubuit ante, vel timuit, postmodum quæras, ne ad Ecclesiam, qui de Ecclesia recesserat, redeat. Datur opera ne satisfactionibus & lamentationibus justis delicta redimantur, ne vulnera lachrymis abluantur: pax vera falsæ pacis mendacio tollitur, sa-* D *lutaris sinus matris, noverca intercedente, præcluditur, ne de pectore, atque ore Lapsorum fletus & gemitus audiatur.*

Post hæc & alia multa de necessitate satisfactionis & Pœnitentiæ, quam Felicissimus & alii Schismatici è medio auferre conabantur, hæc rursus de ipsis subjungit Sanctus Cyprianus: *Sublatâ pœnitentiâ, nec ullâ exomologesi criminis factâ, despectis Episcopis, atque calcatis, pax à Presbyteris verbis fallacibus prædicatur; & ne Lapsi surgant, aut foris positi ad Ecclesiam redeant, communicatio non communicantibus offertur. Quibus etiam satis non fuit ab Evangelio recessisse, fraudibus involutos, vel* E *adulteriis commaculatos, vel Sacrificiorum funesta contagione pollutos, ne Deum rogarent, ne in Ecclesia exomologesim criminum facerent, ab omni & sensu, & fructu Pœnitentiæ removisse; nisi foris sibi extra Ecclesiam, & contra Ecclesiam constituissent conventiculum perditæ factionis, cùm male sibi consciorum, & Deum rogare ac satisfacere nolentium caterva confluerit. Post ista adhuc insuper, Pseudoepiscopo sibi ab Hæreticis constituto, navigare audent, & ad Petri Cathedram, atque ad Ecclesiam principalem, unde unitas Sacerdotalis exorta est, à* F *Schismaticis & profanis literas ferre, nec cogitare eos esse Romanos, quorum fides, Apostolo prædicante, laudata est, ad quos perfidia habere non possit accessum.*

Denique ostendit Cyprianus quàm iniquum sit ac præposterum judicium, quod in ipsum tulerunt Schismatici, ipsum Episcopatu abdicantes, & Fortunatum intrudentes. *An*, inquit, *ad hoc deponenda est Catholicæ Ecclesiæ dignitas, & plebis intus positæ fidelis atque incorrupta majestas, & sacerdotalis quoque auctoritas & potestas, ut judicare se velle dicant de Ecclesiæ Præposito extra Ecclesiam constituti, de Christiano Hæretici, de sano saucii, de*

integro

*integro vulnerati, de stante lapsi, de Judice rei, de Sacerdote sacrilegi? Quid superest, quàm ut Ecclesia Capitolio cedat, & recedentibus Sacerdotibus, ac Domini altare removentibus, in Cleri nostri sacrum venerandumque consessum simulachra atque idola cum aris suis transeant, & Novatiano declamandi adversùm nos atque increpandi largior & plenior materia præstetur, si ii qui sacrificaverunt, & Christum publicè negaverunt, non tantùm rogari, & sine acta pœnitentia admitti; sed adhuc insuper cœperint terroris sui potestate dominari.* Qui plura volet, integram legat Sancti Cypriani Epistolam.

## ARTICULUS IV.

### *De Schismate, & Hæresi Novatianorum.*

§. I.

### *De Novato.*

NOvatianorum hæresim Novatus & Novatianus condiderunt. Hos confundunt & in unum miscent Eusebius, Sanctus Epiphanius & Theodoretus; apertè distinguunt Sanctus Cornelius, Sanctus Cyprianus, & Sanctus Pacianus. Sed enim Novatus Presbyter Carthaginensis erat, gravissimorum criminum reus, ob quæ cùm se propediem ab Episcopis damnandum, excommunicandumque prævideret, Carthagine furtim discessit, & Romam profectus, Novatiano conflandi schismatis auctor fuit. Ipsius elogium scribit Sanctus Cyprianus Epistola 49. ad Cornelium data, his verbis: *De Novato nihil inde ad nos fuerat nuntiandum, cùm magis per nos vobis debeat Novatus ostendi, rerum novarum semper cupidus, avaritiæ inexplebili rapacitate furibundus, arrogantia & stupore superbi tumoris inflatus, semper isthic Episcopis malè cognitus, quasi hæreticus semper & perfidus omnium Sacerdotum voce damnatus; curiosus semper ut prodat, ad hoc adulator ut fallat, nunquam fidelis ut diligat, fax & ignis ad conflanda seditionis incendia, turbo & tempestas ad fidei facienda naufragia, hostis quietis, tranquillitatis adversarius, pacis inimicus. Denique Novato illinc à vobis recedente, id est procella & turbine recedente, ex parte illic quies facta est, & gloriosi ac boni Confessores, qui de Ecclesia illo incitante discesserant, posteaquam ab Urbe ille discessit, ad Ecclesiam reverterunt. . . . Planè quoniam pro magnitudine sua debeat Carthaginem Roma præcedere, illic majora & graviora commisit. Qui isthic adversùs Ecclesiam Diaconum fecerat, illic Episcopum fecit.... Spoliati ab illo pupilli, fraudatæ viduæ, pecuniæ quoque Ecclesiæ denegatæ, has de illo exigunt pœnas, quas in ejus furore conspicimus. Pater etiam ejus in vico fame mortuus, & ab eo in morte postmodum nec sepultus. Uterus uxoris calce percussus, & abortione properante in parricidium partus expressus. Et damnare nunc audet sacrificantium manus, cùm sit ille nocentior pedibus, quibus filius, qui nascebatur, occisus est. Hanc conscientiam criminum jampridem timebat, propter hoc se non de Presbyterio excuti tantùm, sed & communicatione prohiberi pro certo tenebat, & urgentibus Fratribus, imminebat cognitionis dies, quo apud nos causa ejus ageretur, nisi persecutio ante venisset. Quam iste voto quodam evadenda, & lacranda damnationis excipiens, hæc omnia commisit, & miscuit; ut qui ejici de Ecclesia, & excludi habebat, judicium voluntaria discessione præcederet.*

Euseb. l. 6. Histor. cap. 43. S. Epiphanius Hær. 59. S. Cornel. in Epist. ad Fab. Antioch. & in Epist. ad S. Cyprian. S. Cyprian. passim. S. Pacian. in Epist. ad Sympronianum.

Eadem Novati scelera ubi recensuit Sanctus Pacianus Epistola 3. ad Sympronianum Novatianum, hæc subjungit de ejus ad incendendum Schisma concursu: *Nec multò post Novatianum istum Episcopatu Cornelii anxium, cum aliquantis, ut in tali re solet, ex sua parte fautoribus, nutantem impellit, dubitantem fovet, ut magnum aliquid speret, hortatur: invenit aliquos ex eorum numero, qui tempestatem persecutionis illius evaserunt; apud quos hanc ipsam de Lapsis receptis Cornelio conflaret invidiam: dat eorum Epistolas ad Novatianum. Ille ex auctoritate Epistolarum, sedente jam Romæ Episcopo, adversùm fas Sacerdotii singularis, alterius Episcopi sibi nomen assumit: Cornelium Lapsis communicasse arguit, se vendicat innocentem*, &c.

§. II.

### *De Novatiano.*

NOvatianus quondam energumenus, in lecto baptizatus urgente morbo, ex quo cùm convaluisset, cærimonias Baptismatis in se suppleri nequaquam curavit, nec Sacramentum Confirmationis, quod ex Ecclesiæ disciplina statim post Baptisma conferebatur, suscepit. Id constat ex Sancto Cornelio in Epistola ad Fabium Antiochenum, cujus fragmenta refert Eusebius lib. 6. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 43. secundum Versionem Valesii: *Cui causam*, inquit, *atque initium credendi præbuit Satanas in ipsum ingressus, atque in ipso aliquandiu commoratus. Cùmque ab Exorcistis foveretur, in morbum gravissimum collapsus; dum jam jamque moriturus creditur, in ipso in quo jacebat lectulo perfusus Baptismum suscepit: si tamen hujuscemodi Baptismum suscepisse dicendus est. Sed neque postquam liberatus est morbo, reliqua percepit, quæ juxta Ecclesiasticam Regulam percipi debens; neque ab Episcopo consignatus est. Hoc autem signaculo minimè percepto, quo tandem modo Spiritum Sanctum potuit accipere?* Post Baptismum aliquanto tempore elapso, Presbyter factus est, Episcopo de Regulis Ecclesiasticis cum ipso dispensante, quæ prohibebant ad Clerum eos promoveri, qui in lecto baptizati essent: cui dispensationi Clerus universus, multique ex populo refragabantur: qui ægrè tandem ejus Ordinationi consenserunt. Quàm indignus esset tam eximio gradu, tempore persecutionis innotuit: Admonitus enim & rogatus à Diaconis, ut ex cubiculo, in quo seipsum incluserat, egressus, Fidelibus succurreret, tantùm abfuit, ut hortantibus Diaconis morem gereret: quin potiùs ira percitus discessit; Presbyterum se ampliùs esse nolle contestatus, sed alterius Philosophiæ desiderio teneri. Ista narrat Cornelius in laudata ad Fabium Epistola.

Quibus autem artibus Romanum Episcopatum invaserit, his verbis aperit ibidem: *Egregius ille, vir, qui tremendis quibusdam sacramentis affirmaverat se Episcopatum non concupiscere: repentè tanquam ex machina quadam in medium projectus, Episcopus apparuit. Et iis qui se Doctorem, & Ecclesiasticæ Disciplinæ propugnatorem ferebat, cùm Episcopatum sibi à Deo minimè concessum rapere ac vindicare conaretur, duos deploratæ salutis homines sibi socios adjunxit: ut eos in exiguam ac vilissimam Italiæ partem mitteret, atque illinc accitos tres Episcopos, homines planè rudes ac simplices, fraudulenta quadam molitione deciperet; constantissimè affirmans ipsos quamprimùm Romam proficisci oportere, ut omnis undecumque orta discordia, ipsorum unà cum aliis Episcopis interventu, atque arbitrio sedaretur. Qui cùm advenissent, eos ille à quibusdam sui simillimis, quos ad id comparaverat, inclusos hora decima, temulentos, & crapula oppressos, adumbrata quadam, & inani manuum impositione Episcopatum sibi tradere per vim cogit: eumque nullo sibi jure competentem, per fraudem atque insidias vindicat.* Eadem refert

fert Theodoretus lib. 3. Hæreticarum Fabularum A cap. 5.

Narrat denique Cornelius Novatiani in firmando Schismate, itaque factione fulcienda sacrilegium versutiam, & extortum à suis partiariis in ipsa Eucharistiæ participatione execrandum juramentum, de non revertendo usquam ad Cornelium. *Oblatione facta*, inquit, *portionem singulis dividens: dum eam tradit, miseros homines benedictionis loco jurare cogit, manus ejus qui portionem accepit, ambabus suis manibus comprehensas retinens, nec prius dimittens, quam jurati ista dixerint: ipsis enim utar illius verbis: Jura mihi per Corpus & Sanguinem Domini* B *nostri Jesu Christi, te nunquam meas partes deserturum, nec ad Cornelium esse rediturum. Ita miser ille non prius gustare sinitur, quàm sibi ipse malum imprecatus sit. Et cùm panem illum accipiens, dicere debuisset, Amen, ejus loco dicit; Non revertar deinceps ad Cornelium.*

Factus Antipapa Novatianus misit Legatos ad Sanctum Cyprianum Carthaginensem Episcopum, cum famosis contra Cornelium, Ordinationemque ejus libellis. At Cyprianus nec cum Schismaticis communicavit, nec Novatiani Ordinationem approbavit, nec confictis in Cornelium calumniis au- C res præbere voluit; ut constat ex Epistola ipsius 41. ad Cornelium data.

Miserat Sanctus Cyprianus Caldonium & Fortunatum Romam, ut literis ipsius, & præsentia sua, pacem Ecclesiæ procurare niterentur: Sed cùm irrito conatu id tentassent, augerique vidissent in dies Schismaticorum contumaciam, ad Sanctum Cyprianum reversi sunt, qui de Cornelii Ordinatione legitima certior factus literas ad ipsum dedit, quibus sibi probatam illius Ordinationem testatur. Didicerat autem rerum in electione, & post electionem Cornelii gestarum seriem à Pompeio & D Stephano Episcopis. Id constat ex Epistola 42. ipsius Sancti Cypriani ad Cornelium datâ.

Nec Carthagine solùm, sed per Africam universam, unitatem Ecclesiasticam stabilire conatus est ac tueri sanctus Cyprianus, datis ad singulos Coëpiscopos literis, quibus eos hortatus est *Ut Ecclesia Catholica radicem & matricem agnoscerent, ac tenerent*. & communione jungerentur Cornelio legitimo Pontifici. Ex quorum rescriptis, Ordinationis illius *Et origo necessaria, & ratio justa, & gloriosa quoque innocentia* comprobata est. Id constat ex Epistola 45. Sancti Cypriani ad eumdem Cornelium.

Cæterùm cùm Novatianus Confessores à Cornelio, & ab Ecclesia abstraxisset, Schismaticos ex Martyrii candidatis efficiens, eorum ut nominibus factioni suæ conciliaret auctoritatem, ad ipsos literas dedit Sanctus Cyprianus per Metium Subdiaconum priùs cum Cornelio communicandas, ut eos ad Ecclesiam Catholicam revocaret. Id constat ex Epistola 43 Sancti Cypriani ad Cornelium data, & ex Epistola 44. scripta ad Maximum, Nicostratum, & ceteros Confessores.

Suum retulere fructum Sancti Cypriani literæ: F siquidem Maximus, Urbanus, Sidonius, & Macarius Confessores, & plerique Catholici qui se eis adjunxerant, ad Ecclesiæ unitatem redierunt, se circumventos ac deceptos fuisse gementes, contestati se animo tenus semper in Ecclesia fuisse; nec ignorare unum Deum esse, unum Christum Dominum, quem confessi fuerant, unum Spiritum Sanctum, unum Episcopum in Catholica Ecclesia esse debere: ac supplicibus petiere votis ut priora abolerentur, & in oblivionem cederent. Annuit Sanctus Cornelius cum quinque Coëpiscopis, & Maximum Presbyterum in sui gradus honorem ac munia restituit; cæteros cum ingenti populi suffragio recepit; omnia remittens Dei judicio. Id constat ex Epistola Sancti Cornelii ad Sanctum Cyprianum, quæ inter Cypriani Epistolas 46. est.

His à Cornelio acceptis literis, suum eidem testatus est gaudium Sanctus Cyprianus, & communem Carthaginensis Ecclesiæ ob reditum Confessorum lætitiam, Epistola 47.

Incredibili porro lætitia perfundebatur Sanctus Cyprianus, non solùm ob studium Ecclesiasticæ pacis, & unitatis; sed quòd, aspirante Deo Confessores ad Ecclesiæ sinum revocasset, tum hortatoriis Epistolis, cum maximè egregio *de Unitate Ecclesiæ* libro, quem velut antidotum nefando schismati opposuit. Scriptum enim hunc esse librum antequam Confessores Schismati faventes ad Ecclesiam redirent, hæc verba prope finem posita innuunt: *Nec quisquam miretur, etiam de Confessoribus quosdam ad ista procedere, inde quoque aliquos tam nefanda, quàm gravia peccare. Neque enim Confessio immunem facit ab insidiis diaboli, aut contra tentationes & pericula, & incursus, atque impetus sæculares adhuc in sæculo positum perpetua securitate defendit... Nemo per Confessoris exemplum pereat; nemo perfidiam de Confessoris moribus discat... Cæterùm si culpabilis postmodum fuerit, si Confessionem suam mala conversatione prodegerit; si vitam suam turpi fœditate maculaverit; si Ecclesiam denique, ubi Confessor factus est, derelinquens, & unitatis concordiam scindens, fidem primam perfidia posteriore mutaverit, blandiri sibi per Confessionem non potest, quasi sit electus ad gloriæ præmium, quando ex hoc ipso magis creverint merita pœnarum... Stat Confessorum pars major & melior in fidei sua robore, & in legis ac Disciplinæ Dominicæ veritate: nec ab Ecclesiæ pace discedunt, qui se in Ecclesia gratiam consecutos de Dei dignatione meminerunt: atque hoc ipso ampliorem consequuntur fidei suæ laudem, quòd ab eorum perfidia segregati, qui juncti Confessionis consortio fuerunt, à contagio criminis recesserunt; nec vero illuminati Evangelii lumine, tam sunt in conservanda Christi pace laudabiles, quàm fuerunt in diaboli congressione victores.*

Confessores ad Ecclesiam reversi, de reditu suo, & pace cum Sancto Cornelio inita Sanctum Cyprianum certiorem fecerunt, datâ ad eum Epistolâ, quæ inter Cyprianicas quinquagesima est. Ipsis vicissim gratulatus est Cyprianus felicem ex Schis- E mate reditum, Epistola 51.

Miserat paulò antè Novatianus magnificam legationem in Africam, quam Novatus, Evaristus, Nicostratus, Primus, ac Dionysius Schismatici susceperant, de qua monitum voluit Cyprianum Cornelius Pontifex, ut sedulò ab illorum artibus & dolis caveret, ac concreditum sibi gregem ab eorum insidiis tueretur. Cornelii literas detulit Nicephorus Acolythus, qui Charthaginem pervenit postridie adventûs Novati & Schismaticorum exterorum. Ista constant ex Epistola 49. Sancti Cypriani ad Cornelium datâ.

Literas etiam dederat ad Ecclesiam Alexandrinam Novatianus, quibus callidè contestabatur se invitum electum fuisse, ut eo verborum fuco detestandum Schismatis facinus excusaret: ad quem rescripsit S. Dionysius Alexandrinus tunc Episcopus in hæc verba: *Si invitus, ut dicis, huc inductus es, illud planè ostendes, si sponte ab eo recedas. Oportuerat enim omnia incommoda potius subiisse, quàm Ecclesiæ Dei discidisse concordiam. Atque illud Martyrium quod quis perpetitur, ne dirimatur Ecclesiæ consensio, non minùs certè, sed multo plus habet commendationis, quàm illud quod suscipitur ne Idolis omnino immoletur. Nam in hoc pro una quisquis anima suffert Martyrium: in illo autem pro tota Ecclesia.* Integram

gram Epistolam refert Eusebius libro 6. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 37. secundùm Versionem Christophorsoni. Ejusdem Epistolæ meminit Sanctus Hieronymus in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum in Dionysio Alexandrino.

### §. III.

### *De Errore palmari Novatiani, & Novatianorum.*

QUòd Sanctus Basilius Epistola 1. Canonica ad Amphilochium, Canone 1. Schismaticos Hæreticis opponens, & Schisma definiens eorum, *Qui propter Ecclesiasticas causas, & medicabiles quæstiones ab Ecclesia dissident*, Novatianos in exemplum affert; non sic est intelligendum, quasi nullius hæresis author fuerit Novatianus, sed quòd ejus error Deum ipsum directè non attingat. Ita enim ibi sumit hæreseos nomen Basilius. Significat etiam Novatianorum sectam à schismate cœpisse, *Quoniam*, inquit, *separationis initium per Schisma.* Et propereà qui primi ex illis ab Ecclesia recesserunt, *Ordinationem à Patribus habebant, & per manuum impositionem habebant spiritualem gratiam.* Unde ipsam videri poterant cæteris per Baptismum, & Ordinationem tradidisse. Sed non negat Sanctus Basilius quin ad Schisma hæresim quoque adjunxerint.

In eo autem positus fuit palmaris Novatiani error, ut negaret Ecclesiam Lapsis in persecutione, id est Sacrificatis, & Libellaticis indulgere posse: Deinde cæteris etiam criminibus post Baptismum commissis nullam ab ea tribui posse veniam assereret. Primum constat ex Sancto Cypriano libro de Lapsis scribente: *Cogitanti mihi, & intolerabiliter animo æstuanti, quidnam agere deberem de miserandis fratribus, qui vulnerati non propria voluntate, sed diaboli sævientis irruptione, adhuc usque, hoc est per longam temporum seriem agentes, pœnas darent; ecce ex adverso obortus est alius hostis, & ipsius paternæ pietatis adversarius hæreticus Novatianus: qui non tantùm, ut in Evangelio significatum est, sicut Sacerdos vel Levites jacentem vulneratum præteriret, sed ingeniosa ac nova crudelitate, sauciatum potiùs occideret, adimendo spem salutis, denegando misericordiam Patris, respuendo pœnitentiam fratris.*

II. Idem constat ex Epistola 57. ejusdem Sancti Cypriani ad Cornelium data: *Quid ad hæc*, inquit, Novatianus ...... *in perniciem Fratrum lingua sua perstrepens, & facundia venenata jacula contorquens, magis durus sæcularis Philosophiæ pravitate, quàm Philosophiæ Dominicæ lenitate pacificus; desertor Ecclesiæ, misericordiæ hostis, interfector Pœnitentiæ, desertor charitatis?*

III. Idem constat ex Eusebio, libro 6. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 35. *Novatus*, inquit, *Romanæ Ecclesiæ Presbyter, arrogantia quadam & fastidio contra Lapsos elatus, asseruit, non ampliùs illis (quamvis omnia quæ viderentur ad veram Pœnitentiam, ad conversionem animarum, ad puram denique Confessionem spectare, omnino peragerent) spem ullam salutis omnino reliquam fieri. Unde propriæ cujusdam sectæ & erroris eorum, qui præ inflata quadam mentis insolentia seipsos* Καθαρὸς *esse, id est, puros asseverant, dux fuit.*

Substituendum est, Novatianus.

IV. Idem constat ex Socrate, libro 4. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 23. ubi de Novatiano ita scribit: *Deinde omnibus Ecclesiis ubique scripsit literas, ut eos qui simulachris immolassent, minimè ad Mysteria admitterent, sed hortarentur ad Pœnitentiam, remissionemque permitterent Deo, qui potest & habet authoritatem peccata remittendi. Quibus literis ad Provincias perlatis, singuli pro suo ingenio de rebus in illis significatis judicium fecerunt. Nam quia erat à Novato significatum, eos qui post Baptisma peccatum ad mortem commiserant, ad Mysteria non esse recipiendos: ejusmodi Canonis promulgatio quibusdam acerba & severa nimis visa est: à nonnullis probata, utpote æqua, & ad vitam rectè instituendam multum afferens adjumenti. Dum hæc inter eos agitatur controversia, literæ Cornelii Episcopi allatæ sunt, quæ significabant spem veniæ etiam illis esse reliquam, qui post Baptismum deliquissent.* Peccatum igitur ad mortem irremissibile esse ab Ecclesia asseruit Novatianus; & peccatum istud eorum esse censuit, qui post Baptismum idolis immolassent.

At Novatianum postea notionem peccati ad mortem ad quælibet gravia delicta extendisse, colligitur ex colloquio Attici Episcopi Constantinopolitani cum Asclepiade Novatiano Episcopo, quod scriptis prodidit idem Socrates libro 7. Historiæ Ecclesiasticæ c. 25. De Novatiano scilicet loquens Atticus ait: *Ego illum laudo, quòd cum illis qui Idolis sacrificassent, communicare recusavit. Nam istud ipse equidem fecissem. At Novatianos minimè probo quòd laicos qui leviter deliquerint, Communione excludant. Ad hæc respondet Asclepiades: Præter Idolis sacrificandi peccatum, sunt alia multa peccata ad mortem, uti ex Sacris Literis perspicuum est: ob quæ vos solùm Clericos, nos laicos etiam Communione excludimus, potestate soli Deo illis ignoscendi permissa.*

Imò quælibet generatim delicta post Baptismum commissa, Ecclesiæ auctoritate remitti posse negavit Novatianus. Id constat ex Sancto Epiphanio Hæresi 59. ita scribente: *Cathari exorti sunt à Novato, ut fama percrebuit. Novatus porrò Romæ persecutionis illius tempore fuit, quæ eam antecessit quam Maximinus excitavit, quæ Decii, ut opinor, aut Aureliani fuit. Quamobrem propter eos qui in illa persecutione lapsi fuerant, cùm arrogantia unà cum suis inflatus, eos in Communionem nollet admittere, qui post persecutionem Pœnitentiam susceperant, ad eam se convertit hæresim, nullam ut esse spem salutis assereret, atque unam duntaxat esse Pœnitentiam. Qui autem post Baptismum delinqueret, nullam erga eum misericordiam adhiberi posse.* Nullam porro spem salutis superesse Lapsis contendebat per Ecclesiæ claves obtinendæ. Nam illos salutem à Deo sperare posse & debere non negabat, & ideo illos ad Pœnitentiam adhortabatur, ut divinam clementiam lachrymis promererentur ac laboribus: sed hoc negabat unum, ad Ecclesiæ ac Fidelium Communionem eos recipi oportere: atque penes Ecclesiam ipsos reconciliandi jus ullum esse ac potestatem. Quippè unicam illum peccatorum indulgentiam in illius arbitrio versari, quæ per Baptismum obtinetur.

In multis tamen contra historiæ veritatem peccavit ista in narratione Sanctus Epiphanius; quod notare operæ pretium est, ne Lectori pariter errandi præbeat occasionem. Erravit primò, quòd Novatum confuderit cum Novatiano. 2. Quòd ante Maximini persecutionem Novatianæ hæresis ortum consignaverit, quæ aliquot post Maximini obitum annis emersit, anno scilicet primò Galli & Volusiani, ut Eusebius notat in Chronico. Præterea idem Author lib. 6. Historiæ cap. 35. ex Sancto Dionysio Alexandrino refert, Novatiani Schisma propter eos ortum esse, qui in persecutione Deciana lapsi, ad Pœnitentiam recepti fuerant. At post Maximinum imperavit Gordianus annis 6. Philippus annis 7. Decius uno alterove anno, tum Gallus & Volusianus. Non igitur ante Maximini persecutionem orta est Novatiana

hæresis. Tertiò lapsus est Sanctus Epiphanius, A cùm eam persecutionem Decii aut Aureliani fuisse scripsit, quæ Maximini persecutionem antecessit. Maximini enim persecutionem secuta est Deciana, ut mox notavimus; Aurelianus verò viginti circiter annis post Decii mortem cœpit imperare.

Sed ut ad nostrum institutum revertamur, omnia peccata post Baptismum commissa, indiscriminatim, irremissibilia per Ecclesiæ claves No- B varianum sensisse: & Novatianos, cùm discrimen graviorum & leviorum peccatorum fecerunt, priorum condonandorum auctoritatem Ecclesiæ negantes, non verò posteriorum, recessisse ab opinione Magistri sui Novatiani, ejusque severiorem errorem nonnihil temperasse, testis est locupletissimus Sanctus Ambrosius, lib. 1. de Pœnitentia, cap. 1., ubi Novatianos ita redarguit: *Quid durius, quàm ut indicant Pœnitentiam, quam non relaxent, cùm usque veniam negando, incentivum auferant Pœnitentiæ? Nemo enim potest bene agere Pœnitentiam, nisi qui speraverit indulgentiam.* Et paulò post addit, Novatianorum Doctores *Omnia peccata, Stoicorum quodam more, paribus* C *putasse æstimanda mensuris, & æquè illum qui gallum gallinaceum, atque illum qui patrem suffocaverit, in perpetuum cælestibus asseruisse abdicandum Mysteriis.* Hoc est, ut exponit cap. 2. nullo criminum habito delectu, veniam omnibus negasse: & ita sensisse Novatianum ait dicto cap. 2. *Sed aiunt*, inquit, *se exceptis gravioribus criminibus, relaxare veniam levioribus. Non hoc quidem Author vestri erroris Novatus, qui nemini Pœnitentiam dandam putavit: ea scilicet contemplatione, ut quod ipse non posset solvere, non ligaret, ne ligando, sperari à se faceret solutionem. In eo igitur Patrem vestrum propria damnatis sententiâ, qui* D *distinctionem peccatorum facitis, quæ solvenda à vobis putetis, & quæ sine remedio esse arbitremini. Sed Deus distinctionem non facit, qui misericordiam suam promisit omnibus, & relaxandi licentiam Sacerdotibus suis sine ulla exceptione commisit..... Ita nec Novatus probatus, qui veniam interclusit omnibus: nec vos Imitatores ejusdem, sed condemnatores, qui ibi minuitis studia Pœnitentiæ, ubi augeri oportet: quia graviora peccata majoribus sustentanda fulcris docuit Christi misericordia.*

Idem colligitur ex Sancto Paciano Barcinonensi Episcopo, Epistola 3. ad Sympronianum, scribente: *Tractatus omnis Novatianorum, quem ad* E *me confertis undique propositionibus destinasti, hoc continet: Quod post Baptismum pœnitere non liceat; quòd mortale peccatum Ecclesia donare non possit, imò quòd ipsa pereat recipiendo peccantes.* Denique id colligitur ex Sancto Augustino, libro de Agone Christiano, cap. 31. ubi Novatianos sic perstringit: *Nec eos audiamus, qui negant Ecclesiam Dei omnia peccata posse dimittere. Itaque miseri dum in Petro petram non intelligunt, & nolunt credere datas Ecclesiæ claves regni cælorum, ipsi eas de manibus amiserunt. Hi sunt qui viduas suas prohibent nubere, & supra Apostolos se prædicant mundiores.* F *Qui nomen suum si vellent agnoscere, mundanos se potiùs, quàm mundos vocarent.* Omnia igitur peccata quæ necessariò subjiciuntur Ecclesiæ clavibus, id est, gravia & mortalia, Ecclesiam dimittere posse Novatiani negarunt.

Adversùs ea quæ de Novatiani errore diximus, scrupulum movere potest Sancti Cypriani auctoritas Epistola 52. quæ est ad Antonianum, in qua Hæresiarcham illum mœchis & fraudatoribus communicasse asserit. His enim ipsum verbis perstringit: *Aut si se cordis & renis scrutatorem constituit, & judicem*, Novatianus, *per omnia* A *æqualiter judicet, & sciat scriptum esse: Ecce sanus factus es, jam noli peccare, ne quid tibi deterius fiat: fraudatores & mœchos à latere, atque à comitatu suo separet, quando multò & gravior, & pejor sit mœchi, quàm libellatici causa, cùm hic necessitate, ille voluntate peccaverit*, &c. Et infrà: *Nec sibi in hoc novi Hæretici blandiantur, quod se dicant Idololatris non communicare, quando sint apud illos & fraudatores, & adulteri, qui teneantur idololatriæ crimine, secundum Apostolum dicentem: Om-* B *nis fornicator, aut immundus, aut fraudator, quod est idololatria, non habet hereditatem in regno Christi & Dei.* Et infrà: *Ita fit ut si peccato alterius inquinari alterum dicunt, & idololatriam delinquentis ad non delinquentem transire sua asseveratione contendunt; excusari secundùm suam vocem non possunt ab idololatriæ crimine, cùm constet de Apostolica probatione, mœchos, & fraudatores, quibus illi communicant, idololatras esse.* Ex quibus colligi videtur, Novatianum pacem & veniam concessisse mœchis, & fraudatoribus; adeòque non existimasse omnia delicta post Baptismum commissa esse irremissibilia auctoritate Eccle- C siæ.

Verùm non difficili negotio scrupulus iste excuti potest, respondendo Sanctum Cyprianum non dixisse Novatianum, & ejus asseclas communicare mœchis & fraudatoribus, quasi istorum criminum reis indulgere posse Ecclesiam fateretur; sed quia Schismaticam factionem suam ex iis etiam collegerat, qui his sceleribus insignes erant; & alia irremissibilia esse prædicabat peccata, quæ suis facilè indulgeri sentiebat; quasi sui Schismatis Communione deleri possent; charitate Christi, & unitate deleri non possent. Eodem argumento ad hominem Novatianos premit D Sanctus Pacianus Epistola 3. ad Sympronianum. *Nos*, inquit, *in Ecclesiam lupos recipimus, qui Hæreticorum ora vitamus? An potius Novatiani, qui cùm ipsi sint rapaces lupi, paulò miseriores oviculas reformidant? Nos consentimus malis, nos picem tangimus, nos tenebris cohæremus, nos idolo & Belial jungimur? Aut illi qui Evaristum, qui Nicostratum receperunt, cæterosque ab Ecclesia recedentes, lingua, manu, moribus inquinatos? Nos cum adulteris & furibus convenimus? An illi qui Novatum vita sua, & capiti prætulerunt, post interceptam pecuniam pupillorum atque viduarum, miseri parentis, & partus uxoris par-* E *ricidam, non modò non pœnitentem, verùmetiam gloriantem?*

Dici etiam potest, Novatianum hæreseos suæ initio solis Idololatris negasse Communionem & pacem indulgeri ab Ecclesia posse; sed postea ut ratiocinaretur consequenter, feralem suam sententiam ad cæteros etiam peccatores extendisse. Cùm autem scriberet Sanctus Cyprianus ad Antonianum Episcopum in Novatiani partes aliquantulùm propendentem, suam nondum hæresim quoad omnia capita meditatus prædicaverat Novatianus. Quod Cyprianus ipse significat F his verbis in laudata Epistola: *Quod verò ad Novatiani personam pertinet, Frater charissime, de quo desiderasti tibi scribi quam hæresim introduxisset, scias nos primo in loco nec curiosos esse debere quid ille doceat, cùm foris doceat: Quisquis ille est, & qualiscumque est, Christianus non est, qui in Christi Ecclesia non est.*

§. IV.

## §. IV.

### *De cæteris Novatianorum erroribus.*

PRæter superiorem errorem, qui sectæ præcipuus erat, alios cùm in jure, tum in facto ipsis tribuunt Authores Ecclesiastici: nempe quòd rebaptizarent eos qui à Catholicis ad illorum sectam deficiebant. Id enim de ipsis refert Sanctus Cyprianus Epistola 73. ad Jubaianum data, & Sanctus Ambrosius libro 2. de Pœnitentia, cap. 6. quod etiam ex Sancto Dionysio Alexandrino in Epistola ad Dionysium Romanum colligitur, apud Eusebium lib. 7. cap. 7.

Præterea, secundas nuptias damnabant Novatiani, & bigamos à Communione sua arcebant in perpetuum, eadem lege omnes Fideles obstringentes, cui Episcopos & Sacerdotes, & Diaconos Apostolus subjicit. Id constat ex Sancto Epiphanio Hæresi 59. & ex Theodoreto, libro 3. Hæreticarum Fabularum cap. 5.

3. In administratione Baptismatis, chrismatis delibutionem non adhibebant, teste Theodoreto ibidem: *Et iis*, inquit, *quos baptizant, sanctissimum chrisma non prabent. Quapropter eos qui ex hac haresi corpori Ecclesia conjunguntur, laudatissimi Patres inungi praceperunt.* Idem colligitur ex Sancto Paciano, Epistola 3. ad Sympronianum dicente: *Vestra Plebi unde Spiritus; quam non consignat unctus Sacerdos?* Eam enim unctionem cujus prætermissio ac neglectus Novatianis vitio versus est, non fuisse Confirmatoriam chrismationem, sed Baptismalem, ex eo constare mihi videtur, quòd primævæ Ecclesiæ Disciplina Confirmationem Baptismo conjungeret semper, à quo more discessisse Novatianos veterum Patrum nemo scripsit. Imò S. Cyprianus Epistola 76. ad Magnum data, supponit Novatianos de quorum Baptismate fuerat ab eo interrogatus, Confirmationem contulisse; & hoc posito ad hominem arguit contra Stephani, & aliarum Ecclesiarum sententiam, Baptismum ab iis collatum irritum esse, quia Confirmatio ab illis data irrita est, per quam scilicet non datur Spiritus Sanctus. *Itaque*, inquit, *qui Hareticis, sive Schismaticis patrocinantur, respondeant nobis, habeantne Spiritum Sanctum, an non habeant. Si habent, cur illic baptizatis quando ad nos veniunt, manus imponitur ad accipiendum Spiritum Sanctum, cum jam utique illic acceptus sit, ubi si fuit, dari oportuit? Si autem foris cuncti Haretici & Schismatici non habent Spiritum Sanctum, & ideo apud nos manus imponitur, ut hic accipiatur, quod illic nec est, nec dari potest. manifestum est nec remissionem peccatorum dari per eos posse, quos constet Spiritum Sanctum non habere.*

Præterea, unctio qua Ecclesiæ reconciliabantur Novatiani, non ipsis tantùm, sed & aliis Hæreticis adhibita est ad Ecclesiæ sinum redeuntibus, ut constat ex Sancto Basilio Epistola 1. Canonica ad Amphilochium Canone 1. & ex Canone 7. Concilii 2. Oecumenici, & ex Sancto Gregorio Magno, qui eum ritum, ab Ecclesia Orientali in Arianorum reconciliatione usurpatum testatur. Cùm igitur de cæteris Hæreticis memoriæ proditum non sit quòd Sacramentum Confirmationis non haberent, imò quòd unctionem in collatione Baptismatis omitterent; non ideo præceperunt Patres Novatianos ad Ecclesiam redeuntes inungi, quòd Sacramentum Confirmationis in eorum secta non conferretur, aut quòd chrisma non præberent iis quos baptizabant. Quamobrem rationem hanc suo marte confinxisse videtur Theodoretus. Denique Novatianos Romana Ecclesia, & aliæ ejus Disciplinæ ac ritibus addictæ, per solam manus impositionem recipiebant, ut constat ex Siricio Pontifice Maximo in Epistola ad Himerium Tarraconensem Episcopum, & ex Innocentio I. Epistola 2., & ante hos ex Eusebio lib. 7. cap. 2. & ante hunc ex Stephani I. Decreto, cujus verba refert Sanctus Cyprianus Epistola 74. quæ est ad Pompeium. At si Confirmationis Sacramentum Novatiani non habuissent, illos confirmasset Romana Ecclesia, & sacro chrismate inunxisset.

IV. Novatiani celebrationem Paschatis Luna ipsâ 14. vel Dominica proximè sequente, velut rem indifferentem statuerunt in Concilio Angari celebrato anno Christi 391. (ex Socrate libro 5. Historiæ cap. 20.) Id autem fecere, ut suas Ecclesias reducere in concordiam possent. Nam aliqui Episcopi Novatiani è Phrygia, habito Concilio in Pazo vico, ubi fontes sunt Sangarii fluminis, Pascha eodem tempore cum Judæis celebrandum decreverant. (Ex eodem Socrate libro 4. cap. 23.) Nullam tamen immutationem in tempore & ritu celebrandi Paschatis Novatianus induxit, ut idem Author testatur ibidem.

V. Novatiani suæ sectæ Auctorem Novatianum Martyrio coronatum fuisse mentiebantur: quod mendacium Sanctus Pacianus Epistola 2. ad Sympronianum sic refellit: *Nam quòd ante passum Novatianum putas, & Cyprianum dixisse subjungis, Pracessit me adversarius meus; vide quam manifestè respondeam. Novatianus Martyrium numquam tulit, nec ex verbis Beatissimi Cypriani auditum istud, aut lectum est. Habes ejus Epistolas, quibus Cornelium Urbis Episcopum, cui tum Novatianus inviderat, inimicis Principibus resistentem, sape confessum, sape vexatum refert, plurimis Confessoribus, plurimis quoque Martyribus ducem factum, & cum plurimis gloriosissime coronatum, vivente tunc Novatiano, etiamque securo. Nam & ideo ab Ecclesia Christi recesserat, ne illum labor Confessionis urgeret. Qui primùm stimulatus invidia, Episcopatum Cornelii non ferebat: inde se Novato, paucorum Epistolis derisus addixerat. Hac te omnia de Novatiano Cypriani Litera perdocebunt. Porro etiamsi passus est aliquid Novatianus, non tamen coronatus, Quidni? Extra Ecclesia pacem, extra concordiam, extra eam matrem, cujus portio debet esse qui Martyr est: audi Apostolum: Et si tradidero corpus meum ad comburendum, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest.*

## §. V.

### *De Conciliis adversùs Novatianum, & ejus Hæresim, celebratis.*

ANno Christi 253. Romæ Concilium habitum est à Cornelio Pontifice Maximo, cui adfuerunt sexaginta Episcopi, & Presbyteri totidem, in quo Novatianus, ejusque sectatores anathemate damnati, & decretum est Lapsos pœnitentiæ medicamentis curandos esse, & ad sanitatem restituendos (teste Eusebio, lib. 6. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 35.)

Eodem circiter tempore, Concilium in Italia celebratum est, ut Eusebius ibidem testatur, in quo Novatiani error pariter proscriptus est.

Celebratum est & aliud in Africa frequentissimum, ad quod Episcopi 42. convenerunt: qui definivere, Lapsis dandam esse pacem, peracta pœnitentia plena & diuturna; nisi vel mortis periculum, vel persecutionis immineret. Id constat ex Sancto Cypriano Epistola 54. ad Cornelium data,

data, in qua hæc habet : *Statueramus quidem jampridem, participato invicem nobiscum consilio, ut qui in persecutionis infestatione supplantati ab adversario vel lapsi fuissent, ac sacrificiis se illicitis maculassent, agerent diu pœnitentiam plenam : & si periculum infirmitatis urgeret, pacem sub ictu mortis acciperent. Nec enim fas erat, aut permittebat paterna pietas, & divina clementia, Ecclesiam pulsantibus claudi, & dolentibus, & deprecantibus, spei salutaris subsidium denegari, ut de sæculo recedentes, sine communicatione & pace Domini dimitterentur ; quando permiserit ipse qui legem dedit, ut ligata in terris, etiam in cœlis ligata essent : solvi autem possent illic, quæ hic prius in Ecclesia solverentur. Sed enim cùm videamus diem rursus alterius infestationis appropinquare cœpisse, & crebris, atque assiduis ostensionibus admoneamur, ut ad certamen, quod nobis hostis indicit, armati & parati simus ; plebem etiam nobis de divina dignatione commissam exhortationibus nostris præparemus, & omnes omnino milites Christi, qui arma desiderant, & prælium flagitant, intra castra Domini colligamus : necessitate cogente censuimus, eis qui de Ecclesia Domini non recesserunt, sed pœnitentiam agere, & lamentari, ac Dominum deprecari à primo lapsus sui die non destiterunt, pacem dandam esse, & eos ad prælium (quod imminet) armari & instrui oportere.* Et infrà : *Ne igitur ore nostro, quo pacem negamus, quòd duritiam magis humanæ crudelitatis, quam divinæ & paternæ pietatis dulcedinem opponimus, oves nobis commissæ à Domino reposcantur ; placuit nobis Sancto Spiritu suggerente, & Domino per visiones multas & manifestas admonente, quia hostis nobis imminere prænuntiatur, & ostenditur, colligere intra castra Christi milites Christi, & examinatis singulorum causis, pacem Lapsis dare, imò pugnaturis arma suggerere : quod credimus vobis quoque, paternæ misericordiæ contemplatione placiturum.*

Habita est & alia Synodus à Demetrio Antiochiæ Episcopo contra Novatianum, cujus meminit Libellus Synodicus.

## ARTICULUS V.

### *De Rebaptizantium errore.*

### §. I.

#### *Quis primus illius Author.*

BAptismum ab Hæreticis collatum primus omnium in Ecclesia Africana abdicavit Agrippinus Sancti Cypriani Decessor, habito ea de re Concilio, quod ad annum Christi 215. refert Editio novissima Conciliorum. Hujus Synodi meminit Sanctus Cyprianus Epistola 71. ad Quintum data ; ubi cùm præmisisset, cum *Qui ab hæreticis venit, & baptizatus in Ecclesia prius non fuit, sed alienus in totum, & profanus venit baptizandum esse ut ovis fiat ; quia una est aqua in Ecclesia sancta, quæ oves faciat* : Post alia nonnulla subjungit : *Quod quidem & Agrippinus bonæ memoriæ vir cum cæteris Coëpiscopis suis, qui illo tempore in Provincia Africa, & Numidia Ecclesiam Domini gubernabant, statuit, & librato consilii communis examine firmavit. Quorum sententiam & religiosam, & legitimam, & salutarem, fidei & Ecclesiæ Catholicæ congruentem, nos etiam secuti sumus.*

Et Epistola 73. quæ est ad Jubaianum : *Apud nos autem*, inquit, *non nova, nec repentina res est, ut baptizandos censeamus eos, qui ab Hæreticis ad Ecclesiam veniunt ; quando multi jam anni sint, & longa ætas, ex quo sub Agrippino bonæ memoriæ viro convenientes in unum Episcopi plurimi hoc statuerint ; atque exinde in hodiernum tot millia Hæreticorum in Provinciis nostris ad Ecclesiam conversi, non aspernati sint, neque cunctati ; immò & rationabiliter & libenter amplexi sint, ut lavacri vitalis & salutaris Baptismi gratiam consequerentur.* Hæc autem verba Sancti Cypriani innuunt Agrippinum non fuisse immediatum illius Decessorem, siquidem longam ætatem inter Agrippini Synodum, & tempus quo hanc scribit Epistolam, interfluxisse significat.

Ad Agrippinum quoque istum errorem ut ad fontem revocat Sanctus Augustinus lib. 2. de Baptismo contra Donatistas, cap. 7. *Hanc ergo*, inquit, *saluberrimam consuetudinem* (de non rebaptizandis hæreticis) *per Agrippinum Prædecessorem suum dicit Sanctus Cyprianus quasi cœpisse corrigi : sed sicut diligentiùs inquisita veritas docuit, quæ post magnos dubitationis fluctus ad Plenarii Concilii confirmationem perducta est, veriùs creditur per Agrippinum corrumpi cœpisse, non corrigi. Irruente itaque tam magna quæstione, cùm de remissione peccatorum, & de spiritali hominis generatione, utrum posset apud Hæreticos, vel Schismaticos fieri, difficile ratio redderetur, & præcederet auctoritas Agrippini, & nonnullorum qui ei consenserant, hominum in hac quæstione deficientium, qui maluerunt aliquid novum moliri, quàm tenere consuetudinem cujus defensionem non intelligebant ; irruerunt in oculos animæ verisimiles rationes, & intercluserunt iter investigandæ veritatis.* Lege caput 8. ejusdem libri.

Idem constat ex Vincentio Lirinensi in Commonitorio primo, cap. 9. *Quondam*, inquit, *venerabilis memoriæ Agrippinus Carthaginensis Episcopus, primus omnium mortalium contra divinum Canonem, contra universalis Ecclesiæ regulam, contra sensum omnium Consacerdotum, contra morem atque instituta Majorum, rebaptizandum esse censebat. Quæ præsumptio tantùm mali invexit, ut non solum Hæreticis omnibus formam sacrilegii, sed etiam quibusdam Catholicis occasionem præbuerit erroris.*

### §. II.

#### *Error ille in Orientem pervasit, & Conciliis ibi firmatus est.*

ERror de rebaptizandis Hæreticis, cujus prima fundamenta in Africa jacta fuerant, in Orientem citò propagatus est, ibique magni nominis viros & sanctitate etiam insignes propugnatores habuit, Firmilianum præcipuè Cæsareæ in Cappadocia Episcopum, & Sanctum Dionysium Alexandrinum. Pluribus etiam in Conciliis stabilitus est, nempe in Iconiensi, & Synadensi, anno circiter 256. Prioris illius Synodi meminit Firmilianus in Epistola ad Sanctum Cyprianum, quæ inter Cypriani ipsius Epistolas extat ordine 75. ubi cùm de Cataphrygibus, quorum occasione convocatum illud Concilium fuerat, nonnulla præmisisset, hæc subjungit : *Sed & cæteri quique Hæretici, si se ab Ecclesia Dei sciderint, nihil habere potestatis aut gratiæ possunt ; quando omnis potestas & gratia in Ecclesia constituta sit, ubi præsident majores natu, qui & baptizandi, & manus imponendi possident potestatem. Hæretico enim sicut ordinare non licet, nec manum imponere ; ita nec baptizare, nec quidquam sanctè & spiritaliter gerere, quando alienus sit à spiritali & deifica sanctitate. Quod totum nos jampridem in Iconio, qui Phrygiæ locus est, collecti, in unum convenientibus ex Galatia,*

*tia, & Cilicia, & cæteris proximis regionibus, confirmavimus, tenendum contra Hæreticos firmiter & vindicandum, cùm à quibusdam de illa re dubitaretur.* Hujus pariter & alterius Synodi, quam Synadis in Asia congregatam esse diximus eadem tempestate, meminit Sanctus Dionysius Alexandrinus in 3. Epistola de Baptismate ad Philemonem Romanum Presbyterum data, cujus insignia fragmenta refert Eusebius lib. 7. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 6. *Hoc tamen didici*, inquit, *quòd non Episcopi in Africa solum istam consuetudinem de Hæreticis rebaptizandis jam invexerunt: verùm etiam longo tempore ante, Episcoporum memoriâ, qui antegressi sunt, in Ecclesiis maxima hominum frequentia celebratis, & Synodis Fratrum, tum Iconii, tam Synadis, tum aliis multis in locis convocatis, istud decretum fuit: quorum judicia & sententias condemnare, irritaque facere non audeo, sicque illos in odium, & invidiam conjicere. Terminos (ut est apud Salomonem) non commutabis, quos Patres tui præstituerunt.*

## §. III.

*Eidem errori magnas vires addidit S. Cyprianus, & tria sub ipso, Carthagine celebrata Concilia.*

AFricanorum Episcoporum primi Januarius, aliique Numidiæ Episcopi de iterando Hæreticorum Baptismate ad Sanctum Cyprianum aliósque Antistites Carthagine congregatos literas dederunt. Prima igitur Synodica hac de re consultatio habita est anno Christi 256. Decretum est baptizatos ab Hæreticis esse rebaptizandos, vel potiùs simpliciter baptizandos. Nam rebaptizationis nomen Patribus Africanis invisum semper fuit. *Nos enim*, inquit Sanctus Cyprianus Epistolâ 71. ad Quintum datâ, *dicimus eos, qui inde veniunt, non rebaptizari apud nos, sed baptizari. Neque enim accipiunt illic aliquid ubi nihil est: Sed veniunt ad nos ut hic accipiant, ubi & gratia, & veritas omnis est, quia & gratia, & veritas una est.*

Istius Concilii Decretum habetur in Epistola Synodica, quam Sanctus Cyprianus unà cum Episcopis sibi assidentibus scripsit ad Januarium, & cæteros Episcopos Numidas, quæ inter ejus Epistolas est 70. *Cùm simul*, inquit, *in Concilio essemus, Fratres charissimi! legimus literas vestras, quas ad nos fecistis de iis qui apud Hæreticos & Schismaticos baptizari videntur, an ad Ecclesiam Catholicam, quæ una est, venientes, baptizari debeant. De qua re, quamquam & ipsi illic veritatem & firmitatem Catholicæ regulæ teneatis; tamen quoniam consulendos nos pro communi dilectione existimastis, sententiam nostram non novam promimus sed jampridem ab Antecessoribus nostris statutam, & à nobis observatam, vobiscum pari consensione conjungimus, censentes scilicet & pro certo tenentes, neminem foris baptizari extra Ecclesiam posse, cùm sit Baptisma unum in sancta Ecclesia constitutum*, &c.

Alteram eodem anno Synodum Carthagine convocavit Sanctus Cyprianus, ad quam Episcopi 71. convenerunt, ut quæ in priore sancita erant de Baptismo Hæreticorum non recipiendo, pleniore sententia confirmarentur. Hujus meminit Sanctus Cyprianus Epistola 73. ad Jubaianum data. In ea insuper Synodo statutum est, ut qui in Ecclesia ordinati, ad Hæreticos defecerant, si reverterentur in Ecclesiam, nonnisi ad Communionem Laicam reciperentur. Ex hoc Concilio Sanctus Cyprianus unà cum cæteris Episcopis, Synodicam ad Stephanum Romanum Pontificem Epistolam direxit, quæ inter illius Epistolas 72. est, quâ ipsum de suæ Synodi Actis certiorem fecit, illísque ut præberet assensum, atque auctoritatis suæ pondus adjiceret, efficere conatus est. Sic autem habet ipsius Epistolæ Initio: *Ad quædam disponenda, & consilii communis examinatione limanda, necesse habuimus, frater charissime! convenientibus in unum pluribus Sacerdotibus, cogere & celebrare Concilium. In quo multa quidem probata, atque transacta sunt: sed de eo vel maximè tibi scribendum, & cum tua Gravitate ac Sapientia conferendum fuit, quod magis pertinet & ad Sacerdotalem auctoritatem, & ad Ecclesiæ Catholicæ unitatem pariter ac dignitatem de divinæ dispositionis ordinatione venientem: Eos qui sint foris extra Ecclesiam tincti, & apud Hæreticos Schismaticos profana aqua labe maculati, quando ad nos, atque ad Ecclesiam, quæ una est, venerint, baptizari oportere: eo quòd parum sit eis manum imponere ad accipiendum Spiritum Sanctum, nisi accipiant & Ecclesiæ Baptismum.* Et post multa: *Hæc ad conscientiam tuam, Frater charissime, & pro honore communi, & pro simplici dilectione pertulimus, credentes etiam tibi pro religionis tuæ & fidei veritate placere, quæ & religiosa pariter & vera sunt.* Hujus etiam Concilii, & Synodicæ Epistolæ meminit Sanctus Hieronymus in Dialogo adversùs Luciferianos. *Conatus est*, inquit, *& Sanctus Cyprianus contritos lacus fugere, nec bibere de aqua aliena; & idcirco Hæreticorum Baptisma reprobans, ad Stephanum tunc Romanæ urbis Episcopum super hac re Africanam Synodum direxit, sed conatus ejus frustra fuit.* Interim Sanctus Cyprianus ad Jubaianum, qui ipsum de hac quæstione consuluerat, Epistolam 73. dedit, in qua multis argumentis ipsi persuasit Baptisma Hæreticorum nullum & irritum esse.

Eodem anno 256. tertiam Synodum Carthagine celebravit Sanctus Cyprianus cæteris frequentiorem, in qua 87. Episcopi Africani sententiam de Hæreticorum iterando Baptismate dixerunt, verisimilibus eam rationibus confirmantes. His respondebimus in Panoplia nostra, cum Sancto Augustino, cujus exercuerunt ingenium, & qui in libris de Baptismo contra Donatistas illas egregiè diluit. Quàm autem verisimiles fuerint Africanorum Antistitum illa in Synodo rationes, his verbis significat Vincentius Lirinensis in Commonitorio I. cap. 10. *Sed fortè*, inquit, *novitiæ adinventioni patrocinia defuerunt? Immo vero tanta vis ingenii adfuit, tanta eloquentiæ flumina, tantus assertorum numerus, tanta verisimilitudo, tanta divinæ legis oracula, sed planè novo ac malo more intellecta, ut mihi omnis illa conspiratio nullo modo destrui potuisse videatur, nisi sola tanti moliminis causa, ipsa illa suscepta, ipsa defensa, ipsa laudata novitatis professio destituisset.*

## §. IV.

*Sanctus Stephanus Romanus Pontifex veritatem sedulò defendit invictissimo Traditionis clypeo.*

STephanum Romanum Pontificem vehementer improbasse Sancti Cypriani, & Africanorum Antistitum de Baptismo Hæreticorum, & Carthaginensis Concilii II. missa ad se Decreta, certum est: sed ejus Epistola ad nos usque non pervenit. Constat insuper ab eo duriùs exceptos fuisse Firmiliani, & aliorum Orientalium Legatos (ut testatur Firmilianus ipse in Epistola ad Sanctum Cyprianum) Dubium est an ipsos Orientales, nec non Sanctum Cyprianum cum Coëpiscopis excommunicaverit. Censet Annalium Ecclesiasticorum Parens Stephanum illos omnes anathemate percussisse; & ne fateri cogatur viros sanctissimos extra communionem

Inter Epistolas Sancti Cypriani 73.

communionem Romanæ Ecclesiæ esse defunctos, asserit eos errorem deposuisse, Dionysio Alexandrino vitam agente. Nos an ita se res habuerit, Dissertatione singulari expendemus. Satis erit impræsentiarum ostendere Stephanum Pontificem Maximum veritatem strenuè defendisse clypeo traditionis. Id constat ex Epistola 74. Sancti Cypriani ad Pompeium data, in qua stylo paulò acerbiore Stephani responsum perstringit. *Nam*, inquit, *inter cætera vel superba, vel ad rem non pertinentia, vel sibi ipsi contraria, quæ imperitè, atque improvidè scripsit, etiam illud adjunxit, ut diceret: Si quis ergo à quacumque hæresi venerit ad nos, nihil innovetur, nisi quod traditum est, ut manus illi imponatur in pœnitentiam.*

Hanc consuetudinem corruptelam esse respondebat Sanctus Cyprianus, eamque volebat cedere veritati. Hoc namque nomine suam adornabat opinionem. Illam verò ceu traditionem vindicat Sanctus Augustinus passim in libris de Baptismo contra Donatistas. Lib. 2. cap. 9. postquam retulit verba Sancti Cypriani commemorantis Decretum Agrippini, & Coëpiscoporum in communi Concilio, hæc subjungit: *Hac attestatione satis ostendit, multò magis se fuisse commemoraturum, si quod de hac re transmarinum, vel universale Concilium factum esset. Nondum autem factum erat, quia consuetudinis robore tenebatur orbis terrarum, & hæc sola opponebatur inducere volentibus novitatem, quia non poterant apprehendere veritatem ...... Hanc autem fuisse consuetudinem Ecclesiæ, quæ postea multis discussis ambagibus, perspecta veritate, Plenario Concilio firmata est, statim ostenditur ex ipsius Beati Cypriani verbis in eadem ad Jubaianum epistola, quæ in Concilio lecta commemoratur. Ait enim: Sed dicit aliquis: Quid ergo fiet de iis, qui in præteritum de hæresi ad Ecclesiam venientes, sine Baptismo admissi sunt? Ubi certè quid fieri soleret, etsi non fieri vellet, satis ostendit, & eo ipso quod Concilium Agrippini commemorat, apertè indicat fuisse aliam consuetudinem Ecclesiæ. Neque enim opus erat hoc Concilio velle statuere, si jam consuetudine tenebatur: & in ipso Concilio nonnulla sententiæ omninò declarant eos contra Ecclesiæ consuetudinem decrevisse, quod decernendum esse arbitrati sunt.*

Et lib. 3. cap. 2. *Quid ergo*, inquit, *ante Agrippinum à quo ista cœpit quasi nova ratio adversùs consuetudinem dimicare, nunquid non erat Ecclesia? Quid denique post Agrippinum, quando nisi ad pristinam consuetudinem reditum esset, alterum moliri Concilium non esset necesse Cypriano, nunquid non erat Ecclesia? Quia talis per omnia consuetudo tenebatur, ut Baptismus Christi, nonnisi Christi Baptismus haberetur, etiamsi apud Hæreticos, vel Schismaticos datus fuisse probaretur? Quòd si erat etiam tunc Ecclesia, & hæreditas Christi non interrupta perierat, sed per omnes gentes augmenta accipiens, permanebat: tutissima ratio est in eadem consuetudine permanere, quæ tunc bonos & malos in una complexione portabat.*

Et rursus lib. 2. cap. 7. sic Donatistas alloquitur: *Nolite ergo nobis auctoritatem objicere Cypriani ad Baptismi repetitionem, sed tenete nobiscum exemplum Cypriani ad unitatis conservationem. Nondum enim erat diligenter illa Baptismi quæstio pertractata, sed tamen saluberrimam consuetudinem tenebat Ecclesia, in ipsis quoque Schismaticis & Hæreticis corrigere quod pravum est, non iterare quod datum est; sanare quod vulneratum est, non curare quod sanum est. Quam consuetudinem credo ex Apostolica Traditione venientem (sicut multa quæ non inveniuntur in literis eorum, neque in Conciliis posteriorum, & tamen quia per universam custodiuntur Ecclesiam, nonnisi ab ipsis tradita, & commendata creduntur.)*

Et lib. 5. cap. 22. *Ideòque*, inquit, *etiam illa quæ ad Quintum scribit Cyprianus, & illa quæ cum Collegis suis Liberali, Caldonio, Junio, & cæteris, ad Saturninum & Maximum & alios, bene considerata, nullo modo præferenda sunt adversùs totius Ecclesiæ Catholicæ consensionem, cujus se illi membra esse gaudebant, & unde se neque ipsi præciderunt, neque diversa sentientes præcidi passi sunt: donec aliquando in Domini voluntate per Plenarium Concilium, licet post multos annos, quid esset rectius eluceret, non aliqua novitate instituta, sed antiquitate roborata.*

Denique Vincentius Lirinensis in Commonitorio, cap. 9. hac de re ita scribit: *Neque hoc sanè novum; siquidem mos iste semper in Ecclesia viguit, ut quò quisque foret religiosior, eò promptiùs novellis adinventionibus contrairet. Exemplis talibus plena sunt omnia. Sed ne longum fiat, unum aliquod, & hoc ab Apostolica potissimùm Sede sumemus, ut omnes luce clarius videant, Beatorum Apostolorum beata successio quanta vi semper, quanto studio, quanta contentione defenderit susceptam semel religionis integritatem.* Tum recensito Agrippini & Cypriani de rebaptizandis Hæreticis Decreto, subjungit: *Cùm ergo undique ad novitatem rei cuncti reclamarent, atque omnes quaquaversùm Sacerdotes pro suo quisque studio reniterentur, tunc beatæ memoriæ Papa Stephanus Apostolicæ Sedis Antistes, cum cæteris quidem Collegis suis, sed tamen præ cæteris restitit, dignum, ut opinor, existimans, si reliquos omnes tantùm fidei devotione vinceret, quantùm loci auctoritate superabat. Denique in Epistola, quæ tunc ad Africam missa est, his verbis sanxit: Nihil novandum, nisi quod traditum est. Intelligebat enim Vir Sanctus & prudens, nihil aliud rationem pietatis admittere, nisi ut omnia quæ fide à Patribus suscepta forent, eadem fide filiis consignarentur, nosque religionem, non quà vellemus, ducere, sed potiùs quà illa duceret, sequi oportere; idque esse proprium Christianæ modestiæ & gravitatis, non sua posteris tradere, sed à Majoribus accepta servare. Quis ergo tunc universi negotii exitus? Quis utique nisi usitatus & solitus? Retenta est scilicet antiquitas: explosa novitas.*

## §. V.

### *Quomodo S. Cyprianus Stephani Pontificis Romani Decretum exceperit?*

Acceptis Stephani Pontificis literis, & Decreto, Sanctus Cyprianus pristinam sententiam non deposuit; non cessit auctoritati, quam ratione censebat destitutam: Non denique indeficiens existimavit esse Romani Pontificis judicium; imò ipsum errare credidit, ac Hæreticorum causæ patrocinari. Qua de re scripsit ad Pompeium Epistolam paulò duriorem, quæ est inter ejus Epistolas 74. Ejus istud exordium, ac velut totum argumentum est. *Quamquam plenè ea quæ de Hæreticis baptizandis dicenda sunt, complexi sumus in Epistolis, quarum ad te exempla transmisimus: tamen quia desiderasti in notitiam tuam perferri quid mihi ad literas nostras Stephanus Frater noster rescripserit, misi tibi Rescripti ejus exemplum, quo lecto, magis ac magis ejus errorem denotabis, qui Hæreticorum causam contra Christianos, & contra Ecclesiam Dei asserere conatur.* Hujus Epistolæ meminit Sanctus Augustinus libro 5. de Baptismo contra Donatistas cap. 23. & deinceps ad singula ejus momenta respondet.

§. VI.

## §. VI.

### *Quæ momenta Sancti Cypriani errorem elevent.*

Sanctus Cyprianus graviter licèt erraverit, notam tamen hæreseos non incurrit, quia ita affectus erat ut consuetudini cederet, (secundùm quam eatus habebatur in Ecclesia Romana, aliisque Ecclesiis Hæreticorum Baptismus) si vel Plenarii Concilii auctoritate confirmata; vel graviori pondere rationum fuisset vindicata.

Istud probatur ex Sancto Augustino, libro 2. de Baptismo contra Donatistas, cap. 4. *Quapropter* (inquit) *Sanctus Cyprianus tanto excellentior, quantò humilior, qui documentum Petri sic amavit, ut diceret: DOCUMENTUM scilicet nobis & concordia, & patientia tribuent, ut non pertinaciter nostra amemus, sed qua aliquando à Fratribus nostris & Collegis utiliter & salubriter suggeruntur, si sint vera, & legitima, ipsa potiùs nostra ducamus: Satis ostendit facillime se correcturum sententiam suam, si quis ei demonstraret Baptismum Christi sic dari posse ab iis qui foras exierunt, quemadmodum amitti non potuit cùm foras exirent. Unde multa jam diximus, nec nos ipsi tale aliquid auderemus asserere, nisi universæ Ecclesia concordissima auctoritate firmati: cui & ipse sine dubio cederet, si jam illo tempore quæstionis hujus veritas eliquata & declarata per Plenarium Concilium solidaretur. Si enim Petrum laudat, & prædicat ab uno posteriore Collega patienter concorditerque correctum: quantò citiùs ipse cum Concilio Provinciæ sua, universi orbis auctoritati, patefacta veritate cessisset, quia profectò & uni verum dicenti & demonstranti posset facillimè consentire tam sancta anima, tam pacata: & fortasse factum est, sed nescimus: neque enim omnia, quæ illo tempore inter Episcopos gesta sunt, memoriæ, literisque mandari potuerunt, aut omnia quæ mandata sunt, novimus.*

Et capite 5. eamdem sanctissimi Doctoris & Martyris in veritatem suscipiendam & amplectendam, si ipsi demonstraretur, propensionem, & in servanda pace solicitudinem sic commendat: *Plerumque Doctoribus minus aliquid revelatur, ut eorum patiens & humilis charitas, in qua fructus major est, comprobetur: vel quomodo teneant unitatem, cùm in rebus obscurioribus diversa sentiunt: vel quomodo accipiant veritatem, cùm contrà id quod sentiebant, declaratum esse cognoscunt. Quorum duorum manifestatum tenemus unum in Beato Cypriano; id est, quomodo tenuerit unitatem cum eis à quibus diversum sentiebat. Ait enim: Neminem judicantes, aut à jure Communionis aliquem, si diversum senserit, amoventes. Alterum autem, id est, quomodo accipere potuerit veritatem, contra id quod sentiebat, inventam: & si literæ tacent, merita clamant: si epistola non invenitur, corona testatur: si Concilium non indicat Episcoporum, consortium indicat Angelorum. Non enim parvum documentum est pacatissimæ animæ, in ea unitate Martyrium meruisse, unde se diversum sentiens noluit separare. Homines enim sumus. Unde aliquid aliter sapere quàm se res habet, humana tentatio est. Nimis autem amando sententiam suam, vel invidendo melioribus usque ad præcidendæ Communionis & condendi schismatis, vel hæresis sacrilegium pervenire, diabolica præsumptio est. In nullo autem aliter sapere quàm res se habet, Angelica perfectio est.* Tandem subjungit, quòd Sanctus Cyprianus *Fuso sanguine, sed in unitate fusa: per Martyrii confessionem pervenit ad Angelicam lucem, ut si non antea, ibi certè revelatum agnosceret, quod cùm aliter saperet, sententiam diversæ opinionis, vinculo non præposuit unitatis.*

In exordio Concilii Carthaginensis.

Et cap. 8. *Nec arbitror*, inquit, *Beatum Cyprianum propter aliud contra consuetudinem, quid sentiret liberius exprompsisse, prioremque dixisse, nisi ut alium, si fortè existeret, cui esset melius revelatum, gratissimè acciperet, & ostenderet imitandam non solùm docendi diligentiam, sed etiam discendi modestiam. Si autem nullus existeret, qui tale aliquid afferret, unde illæ omnes verisimiles rationes, quibus movebatur, refellerentur, in eadem sententia permaneret, sibi bene conscius & non occultatæ, quæ putabatur, veritatis, & retentæ, quæ amabatur, unitatis. Nam & illud sic intellexit quod ait Apostolus: Prophetæ autem duo, vel tres loquantur, & cæteri examinent: si alii sedenti revelatum fuerit, ille prior taceat. Qua in parte*, inquit, *docuit & ostendit multa singulis in melius revelari, & debere unumquemque non pro eo quod semel imbiberat, & tenebat, pertinaciter congredi; sed, si quid melius & utilius extiterit, libenter amplecti. His atque verbis non solum eos admonuit sibi consentire, qui melius aliquid non videbant; sed etiam eos hortatus est, si qui possent, afferre aliquid quo prior consuetudo servanda potiùs firmaretur: ut si tale esset quod refelli non posset, etiam ipse ostenderet quàm veraciter dixerit, Debere unumquemque non pro eo quod semel imbiberat, & tenebat, pertinaciter congredi, sed si quid melius & utilius extiterit, libenter amplecti. Sed quia tunc non extiterant, nisi qui ei consuetudinem opponerent: defensiones autem ipsius consuetudinis non tales afferrent, quibus illa talis anima moveretur; noluit vir gravissimus rationes suas, etsi non veras (quod eum latebat) sed tamen non victas, veraci quidem, sed tamen nondum assertæ consuetudini cedere. Quam tamen consuetudinem nisi prior ante Agrippinus, & nonnulli per Africam Coepiscopi ejus, etiam per Concilii sententias deserere tentavissent, non auderet iste saltem ratiocinari adversus eam: sed in tam obscura quæstione turbatus, & ubique intuens universalem robustamque consuetudinem, coarctaret se potiùs & prece, & intentione mentis ad Deum, ut quod postea Plenario Concilio visum est, id verum esse perspiceret, & doceret.*

Secundum momentum quod ad Sancti Cypriani excusationem facit, est unitatis amor, & pacis Ecclesiasticæ & Christianæ conservatio: quòd scilicet absque dispendio pacis & Ecclesiasticæ unitatis, suam de rebaptizandis Hæreticis propugnaverit sententiam.

Id persæpe testatur Sanctus Augustinus in libris de Baptismo contra Donatistas. Libro 1. cap. ultimo, ubi de Sancti Cypriani errore ita scribit: *Illum nævum in candore sanctæ animæ, charitatis ubera contegebant.*

Et cap. 18. postquam Sancti Cypriani sententiam de baptizandis Hæreticis ad Ecclesiam redeuntibus, exposuit, si Baptismum in hæresi suscepissent, de illa hæc subjungit: *Quod non rectè fieri tanto viro propterea Dominus non aperuit, ut ejus pia & humilitas, & charitas in custodienda salubriter Ecclesiæ pace patesceret, & non solùm illius temporis Christianis, sed etiam posteris, ad medicinalem, ut ita dicam, notitiam signaretur. Cùm enim tanti meriti, tantæ Ecclesiæ, tanti pectoris, tanti oris, tantæ virtutis Episcopus, aliud de Baptismo arbitraretur, quàm erat inquisita diligentiùs veritas firmatura, multique ejus Collegæ, quamvis liquidò nondum manifestatum, id tamen tenerent, quod & præterita Ecclesiæ consuetu-*

*do, & postea totus Catholicus orbis amplexus est: non se ille tamen à cæteris diversa sentientibus separata communione disjunxit, & hoc etiam cæteris persuadere non destitit, ut sufferrent invicem in dilectione, studentes servare unitatem spiritus in vinculo pacis. Ita enim corporis manente compage, si quod in quibusdam membris infirmabatur, ex eorum sanitate convalesceret potiùs, quàm præcisione mortificatum diligentiam nullius curationis admitteret.* Et infrà: *Quod ergo ille Vir Sanctus de Baptismo aliter sentiens, quàm se res habebat, quæ postea pertractata, & diligentissima consideratione firmata est, in Catholica unitate permansit, & charitatis ubertate compensatum est, & passionis falce purgatum.*

Hinc etiam libro 2. cap. 2. Donatistas exemplo pacifici Doctoris & Martyris Sancti Cypriani sic urget: *Vos itaque Donatistæ, quid ad hæc dicetis? Si nostra sententia de Baptismo vera est, omnes qui aliter sapiebant Cypriani temporibus, non sunt ab Ecclesiæ unitate separati, donec illud quod aliter saperent, Deus illis revelaret. Vos ergo quare separatione sacrilega pacis vinculum disrupistis? Si autem vestra sententia de Baptismo vera est, Cyprianus & cæteri cum quibus tale Concilium celebrasse perhibetis, cum eis qui aliter sapiebant, in unitate permanserunt, quare vos pacis vinculum disrupistis? Quodlibet horum elegeritis, contra vestram præcisionem sententiam ferre cogimini. Respondete: Quare vos separastis?*

Denique libro 5. cap. 17. idem argumentum uberiùs tractat, illa pacifici Doctoris verba in Epistolâ ad Jubaianum, expendens: *Nos quantùm in nobis est, propter hæreticos, cum Collegis & Coepiscopis nostris non contendimus, cum quibus concordiam, & dominicam pacem tenemus. Servatur à nobis patienter & leniter charitas animi, honor Collegii, vinculum fidei, concordia Sacerdotii. In his verbis*, inquit Sanctus Augustinus, *multa consideranda sunt, quibus in hoc Viro qui dilexit decorem domus Domini, Christianæ charitatis fulgor elucet. Primò, quia id quod sensit, non tacuit: deinde quia tam mansuetè & pacificè protulit, quia cum his, qui aliud sentiebant, Ecclesiasticam pacem tenuit; quia in unitatis vinculo tantam salubritatem esse intellexit; quia eam tantum dilexit, & sobriè custodivit: quia vidit & sensit etiam diversa sentientes posse salva charitate sentire...... Postremò quia nemini præscribens, neque præjudicans, quominus unusquisque Episcoporum quod putat, faciat, etiam nobis qualiscumque locum dedit pacificè secum ista tractandi: Præsens est enim non solùm per literas suas, sed etiam per ipsam, quæ in illo maximè viguit, & mori nunquam potuit, charitatem. Huic ergo inhærere & conglutinari desiderans, si non impediar inconvenientiâ peccatorum meorum, orationibus ejus adjutus, discam si potero per Literas ejus quanta pace per eum Ecclesiam suam Dominus, & quanto solatio gubernaverit, & per ejus sermonis affectum visceribus humilitatis indutus, si quid verius sentio eum orbe terrarum, non ei præponam cor meum, nec in eo ipso quod aliter sentiens, non tamen diremptus est ab orbe terrarum. Majus quippe in eo robur virtutis eminuit, cùm ista quæstio nondum discussa nutaret, quòd aliter sentiens quàm multi Collegæ, tantam moderationem obtinuit, ut Ecclesiæ Dei sanctam societatem nulla Schismatis labe truncaret, quàm si omnia non solùm veraciter, sed etiam pariter sine ista virtute sentiret.*

## ARTICULUS VI.

### *De Angelicis, & Apostolicis.*

I. Medio circiter sæculo tertio emersit Angelicorum hæresis, Authore ignoto. Quinam fuerit illorum error palmaris, incertum est. Utrum isto nomine vocati sint, quòd mundum ab Angelis conditum assererent: an verò quòd in Angelicum sese ordinem insolenter efferrent; an denique à regione quadam ultra Mesopotamiam, quæ Angelica dicitur, appellationem sortiti fuerint, nescire se Sanctus Epiphanius, Hæresi 60. profitetur. Forsan sic dicti sunt, quòd in cultum Angelorum superstitiosiùs propensiores essent, ut cum Sancto Augustino conjicere licet lib. de Hæresibus cap. 39.

II. Apostolici, præter Encratitarum, & Novatianorum, à quibus erant propagati, venenata dogmata, proprium errorem propugnarunt, Non licere scilicet aliquid possidere. Unde rerum omnium inopiâ cumprimis gloriabantur; ideóque se etiam Apoctacticos, id est, renuntiatores vocabant. Sanctorum Andreæ & Thomæ Apocryphis Actis ad erroris sui confirmationem utebantur. (Ex Sancto Epiphanio, Hæresi 61. & ex Sancto Augustino lib. de Hæresibus cap. 40.) Præclara sunt quæ in istius hæreseos refutatione scripsit Sanctus Epiphanius de paupertate, & virginitate, aut continentia, quam multi sua ætate Christiani profitebantur: quibus nostrates Hæretici Vota Monastica damnantes confunduntur. *Habet*, inquit, *& continentiam Ecclesia, & quidem singularem eamque commendat, utpote quæ certamen quoddam suscipit, vitamque ipsam, quasi potentior despicit. Nec minus virginitatem habet, eamque magnopere prædicat...... Nec ei desunt certi homines, qui mundo renuntiarunt, nec adversus eos, qui adhuc in mundo versantur, arroganter insolescunt, sed iis ipsis delectantur. Quales olim Apostoli fuerunt, omnium scilicet rerum possessione vacui. Imò & Salvator ipse Dominus omnium, cùm in hac carne viveret, nihil ex hisce terrenis rebus possidere voluit.*

## SCHOLION.

Religiosi Censores ad hunc Articulum Propositionem istam notant: *Christus in hoc Mundo nihil possedit.*

R. Quæstionem de Christi paupertate, quæ certè summa fuit, hîc non attigi; sed insignem *Sancti Epiphanii* locum contra Apostolicos hæreticos retuli, cujus extremam sententiam mihi tribuere, ac veluti mea esset, notare placuit Religiosis Censoribus. Cæterùm si quando de Christi paupertate agam, Christum interdum nullarum rerum dominium etiam in communi habuisse asseram, secundùm illud Matthæi 8. *Filius hominis non habet ubi caput reclinet*; & illud Lucæ 8. *Sequebantur eum mulieres, quæ et ministrabant de facultatibus suis.* Quod tempus spectaus Sanctus Epiphanius, & Nicolaus III. cap. *Exiit*, quod refertur Tit. *De Verborum significationib.* in Sexto. Aliquandò verò habuisse rerum aliquarum dominium, in communi saltem, simul cum Apostolorum Collegio, ut constat ex Evangelio Joannis 4. 6. 12. 13. nec omittam illud Sancti Augustini Tractatu 62. in Joannem: *Loculos habebat Judas; habebat ergo & Dominus loculos, & à fidelibus oblata conservans, & suorum necessitatibus, & aliis indigentibus tribuebat. Tunc primùm Ecclesiasticæ pecuniæ forma est instituta.* Et Joannis XXII. Extravagantem, Quia quorumdam, ad hujus confirmationem veritatis non omittam. *Christum decuisse in hoc mundo pauperem vitam ducere*, quatuor præclaris rationibus probat Sanctus Thomas III. P. Q. XL. A. III. *Divitias non possedisse, paupertatem voluntariam elegisse.* Quid plura?

ARTICULUS

## ARTICULUS VII.

### *De Praxeanis, Noëtianis, & Sabellianis.*

IN eandem hæresim propugnandam, ac propagandam, tertio Sæculo conspirarunt Praxeas, Noëtus, & Sabellius, quæ tres Sanctissimæ Trinitatis personas in unam confunderet, ac Patrem esse passum consequenter assereret. Hujus primus Auctor fuit *Praxeas*, Montanista primùm, deinde Montani hostis infensissimus, quem ad Zephirinum Pontificem Romanum, ut nefarii architectum erroris detulit, fuitque in causa ut à Pontifice damnaretur. Hujus rei testis est Tertullianus libro contra Praxeam, cap. 1. ubi tam iniquè ob detectam Montani hæresim, quàm justè ob propriam sectam conditam ipsum lacessit his verbis: *Iste primus ex Asia hoc genus perversitatis intulit Romanæ humo, & aliàs inquietus: insuper de jactatione Martyrii inflatus ob solum & simplex & breve carceris tædium: quando etsi corpus suum tradidisset exurendum, nihil profecisset, dilectionem Dei non habens, cujus charismata quoque expugnavit. Nam idem tunc Episcopum Romanum agnoscentem jam Prophetias Montani, Priscæ & Maximillæ, & ex ea agnitione pacem Ecclesiis Asiæ, & Phrygiæ inferentem, falsa de ipsis Prophetis, & Ecclesiis eorum asseverando, & Præcessorum ejus auctoritates defendendo, coëgit & literas pacis revocare jam missas, & a proposito recipiendorum charismatum concessare. Ita duo negotia Diaboli Praxeas Romæ procuravit: Prophetiam expulit, & hæresim intulit: Paracletum fugavit, & Patrem crucifixit.* Praxeam damnatum recantasse palinodiam, occultasse hæresim, ac eam postea excussa fronte iterum disseminavisse, testatur ibidem Tertullianus his verbis: *Denique caverat pristinum Doctor de emendatione sua, & manet Chirographum apud Psychicos, apud quos tunc res gesta est: exinde silentium. Et nos quidem postea agnitio Paracleti, atque defensio disjunxit à Psychicis: Avena vero illa ubique tunc semen excusserant. Ita aliquandiu per hypocrisim subdola vivacitate latitavit, & nunc denuo erupit: sed denuo eradicabitur, si voluerit Dominus, in isto commeatu si quominus, die suo colligentur omnes adulteræ fruges, & cum cæteris scandalis igne inextinguibili cremabuntur.*

Noëtus. II. *Noetus* Ephesius, ut Sanctus Epiphanius tradit, vel Smyrnæus, ut Theodoreto placet, eamdem hæresim vehementiùs propugnavit, quàm antea Praxeas præformaverat. Unde non satis accuratus est Sanctus Epiphanius, cùm ante Noëtum neminem talem hæresim invexisse scribit, quem quidem ante 130. annos quàm ista lucubraret, extitisse memorat. Itaque sub annum Christi 245. Noëtus erupit. Ante hoc verò tempus jam illam hæresim Praxeas prædicaverat. Noëtus itaque etiam asseruit Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, non naturâ solùm, sed etiam personâ, unum & singularem esse Deum, iis Scripturæ fretus testimoniis, quæ plures Deos esse negant. Unde est consequens Patrem ipsum, ut & Spiritum Sanctum, carnem suscepisse, ac mortem subiisse. Quod & ille asseruit, referente Sancto Epiphanio. Se Moysen esse effutiebat, fratrem verò suum Aaronem, ut tradit idem Pater Hæresi 57. De Noëto etiam agit Theodoretus lib. 3. Hæreticarum Fabularum, cap. 3. ubi ab Epigono quodam primo hæresis Auctore, ac Discipulo ipsius Cleomene errorem illum accepisse prodit.

Sabellius. III. Hanc hæresim suo nomine ac patrocinio celebriorem fecit *Sabellius* circa annum Christi 257. De eo scripsit Sanctus Dionysius Alexandrinus ad Xistum Romanum Pontificem, Epistola 2. de Baptismate, quam refert Eusebius lib. 7. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 5. Edit. Christophorsoni. Ptolemaide in Libya natus hic Hæresiarcha, in iisdem partibus propagavit hæresim, quam sic explicat Sanctus Epiphanius Hæresi 62. *Horum* (Sabellianorum) *hæc opinio est, eumdem esse Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, ut ad eamdem hypostasim tres appellationes conveniant. Aut perinde atque in uno homine corpus, & anima, & spiritus inest: Ita & corporis instar sit Pater, anima Filius, Spiritus denique in ipsa Divinitate humani spiritus instar habeatur.* Suum etiam errorem explicabat solis similitudine, ut idem Pater prodit, in quo triplex est energia, nimirum illuminandi vis, calefaciendi, & rotunda figura, sive corpus ipsum solare, quod discum vocant. Ac vim quidem illam calefaciendi, hoc est calorem, atque æstum respondere Spiritui Sancto; illuminandi vim Filio; Patrem denique totius hypostasis velut quamdam esse formam. Filium proinde radii instar certo emissum tempore, peractis omnibus quæ ad Evangelii & humanæ salutis procurationem pertinerent, in cælum rediisse, sicut radius à Sole diffusus in eundem refunditur. Spiritum verò Sanctum identidem in Fidelium illabi pectora; ut ea suo fervore succendat, In iisque spiritalem vitam instauret. De hac hæresi Sanctus Basilius, Homilia 27. *Contra Sabellianos & Arium, & Anomæos*, scribens, illamque cum Ariana componens, ait: Arianam perfidiam Gentilem superstitionem; Sabellianam verò Judaismum inveaisse. *Illi namque cùm Unigenitum opus ac factum Dei esse dicunt, & illum nihilominus adorant, aperte Gentilismum, creaturæ servientes, & non Deo, introducunt. Isti verò Deum ex Deo negantes, & nomine quidem Filium confitentes, reipsa verò ac veritate substantiam illius reprobantes, Judaismum denuò renovant. Nam quando verbum illum esse confitentur, interno verbo comparant: & cùm Sapientiam illum esse dicunt, similem faciunt habitui, qui in anima eruditorum consistit. Quapropter & unam constituunt Patris & Filii personam, quòd & homo unus dicatur, non divisus, propter verbum quod in se habet, & sapientiam.* Lege Epistolam ejusdem Patris 64. datam ad Doctores Ecclesiæ Neocæsariensis. De Sabellii hæresi legendus est & Theodoretus libro 2. Hæreticarum Fabularum cap. 9. Sanctus Athanasius adversùs hanc hæresim disputavit in Oratione contra Gregales Sabellii.

Sanctus Epiphanius in Synopsi lib. 2. Tom. 1. adversùs, Hæreses. Num. 16. scripsit Sabellianos à Noëtianis in eo discrepasse, quòd Patrem passum esse negarent. Sed in eo assignando discrimine deceptum fuisse Sanctum Epiphanium constat ex S. Athanasio libro *de Synodis*, cujus hæc sunt verba: *Tales sunt qui apud Romanos quidem Patripassiani, apud nos Sabelliani nominantur.* Constat ex Sancto Augustino Tract. 36. in Joannem dicente: *Nam Sabelliani dicti sunt quidam Hæretici, qui vocantur Patripassiani: qui dicunt ipsum Patrem passum fuisse.* Et ex lib. de Hæresibus cap. 41. ubi & Sanctum Epiphanium notat contrarium asserentem. Constat denique ex Mario Mercatore, Auctore Sancti Augustini coævo, in Dissertatione de duodecimo Anathematismo Nestoriano. *Post hæc*, inquit, *Sabellius & Marcellus Monarchiam se in Divinitatis substantia retinere debere putantes, nefando errore decepti, ausi sunt Deum Patrem ipsum sibi Filium, ipsum sibi esse Patrem, ipsum sibi Spiritum Sanctum, ipsum incarnatum, passum, crucifixum, ipsum à Judæis omnia pertulisse, resurrexisse à mortuis, & omnia peregisse, quæ nos per Christum in persona propria ejus, pro humani generis salute, gesta esse credimus, & confitemur.*

Eumdem Sabellianis errorem tribuit Sanctus Fulgentius libro contra Sermonem Fastidiosi. Sanctus Dionysius Alexandrinus Sabellium damnavit in Synodo Alexandriæ celebrata, cujus meminit Libellus Synodicus. Ejusdem refutavit errorem pluribus Epistolis.

## SCHOLION.

Ad hunc & ad nonum Articulum, sive ad paginam 66. & 79 Editionis primæ, Religiosi Censores hanc notam in Indiculo suo appinxerunt: *De Sancto Epiphanio loquitur irreverenter.*

R. Salvâ in *Sanctum Epiphanium* reverentiâ, dixi & probavi, illum in certis Historiæ capitibus *minus accuratum* fuisse, & oscitanter scripsisse. Nemo Criticus est, qui non ita loquatur. Innumera hujusmodi occurrunt in doctissimi *Petavii* Animadversionibus In *Sanctum Epiphanium*. Pag. 78. *Non parva hic hallucinatio est*... Pag. 81. *Manifesta est hallucinatio, & quidem duplex.* Pag. 213. *Duo illa quæ sequuntur nota temporum, vel Librariorum vitio, vel Auctoris ipsius hallucinatione depravata sunt.* Pag. 217. *Quæ de Melchisedeci parentibus narrat Epiphanius, ridiculas Apocryphorum somnia, cujusmodi multa sunt in hoc Opere bona fide a Sanctissimo Patre descripta, quæ distutere non refellere, eorumque temerè fidem adhibere, parum prudentis fuerit.* Pag. 227. *Perperam Novatum pro Novatiano solet usurpare.* Pag. 263. *Nimis otiose illorum huic Psalmo XLVII. ad Dei Verbum revocandum, in quo nequaquam audiendus est.* Pag. 274. *Certissimum est à Meletiano aliquo Scriptore falsa Meletii Acta conscripta fuisse*... *In ea cùm imprudens incidisset Epiphanius, veram ac sinceram illam esse narrationem frustra credidit. Quod utinam ei in mentem non venisset!* Pag. 286. *Multùm in Historia Meletii lapsum esse supra vidimus. Largiùs in Arianæ hæresis descriptione peccavit.* Pag. 291. *Falsum est decrevisse aliquam Apostolos, ut Judæorum ritu Pascha celebraretur, aut cum iis etiam Christiani atque Episcopi, quo Judæi tot ac minimè legitimo tempore fungerentur. Quæ enim est ista ratio, aut quid in mentem Epiphanio venit, ut ab Apostolis constitutum istud assereret?*

## ARTICULUS VIII.

### *De Paulo Samosateno, & Paulianistis.*

### §. I.

### *De Persona, & Moribus Pauli Samosateni.*

PAulus Samosatenus Paulianistis Hæreticis nomen dedit. Anno Christi circiter 262. Valeriano & Galieno Impp. Antiochenum Episcopatum adeptus est. Ante Episcopatum pauper & mendicus, sceleribus, sacrilegiis, fratrum concussionibus, aliisque malis artibus immensas divitias sibi comparavit (ut testantur Secundæ Synodi Antiochenæ Patres in Epistola sua Synodica) Divitiis abusus est ad fastum, quo maximam Christianæ religioni conflavit Ethnicorum hominum invidiam, ut referunt iidem Patres. *Fastu*, inquiunt, *& arrogantia supra modum elatus, seculares geris dignitates, & Ducenarius vocari, quàm Episcopus, mavuls: per forum magnificè incedens; epistolas legens ac dictans inter ambulandum palam ac publicè: stipatusque maxima hominum multitudine partim præeuntium, partim subsequentium: adeo ut ex illius fastu & arrogantia incredibilis invidia odiumque multorum adversus fidem nostram conflatum sit.*

In Concionibus nihil quærebat aliud quàm plausum & gloriam. *Unde eos qui non laudarent, nec ut in theatris fieri solet, oraria concuterent, neque unà cùm fautoribus ipsius, viris ac mulierculis indecorè auscultantibus exclamarent atque exsilirent; sed cum gravitate & modestia, sicut in domo Dei decet, audirent, increpabat & contumeliis afficiebat.*

Antiquos Doctores contemnebat homo vanissimus; se Angelum è cœlo delapsum à suis assentatoribus prædicari patiebatur: Psalmosque ad sui laudem in Ecclesia cani (ut testantur iidem Patres) *Et alios quidem Legis nostræ Doctores jam vita functos petulanter in concione lacerabat: de se autem ipse magnificè loquebatur, ut non Episcopus, sed ut Sophista quidam & impostor. Qui etiam Psalmos in honorem Domini Jesu Christi cani solitos, quasi novellos, & à recentioribus hominibus compositos abolevit. Mulieres autem magno Paschæ die in media Ecclesia, Psalmos quosdam canere ad suiipsius laudem instituit.. At verò illi qui in ejus honorem Psalmos canunt, & coram populo eum deprædicant, ipsum quem impietatis Doctorem habuerunt, Angelum esse dicunt e cælo delapsum.*

Mulierum amator, duas eleganti forma habuit in comitatu; aliisque Clericis contubernium etiam fœminarum permisit, quas Sorores dicerent. Id testantur Patres Antiochenæ Synodi Secundæ: *Quid hic referre attinet*, loquuntur, *subintroductas, ut Antiocheni vocant, mulieres, tam ipsius, quàm Presbyterorum ejus ac Diaconorum? In quibus non hoc solum, sed etiam alia insanabilia crimina, quorum conscius est, & quorum ipsos reos esse convicit, nihilominus tegit ac dissimulat, ut illos sibi [illegible]noxios habeat; usque dum sibi metuunt, ipsum ob [illegible] impiè agit, ut loquitur, accusare non audeant.... Itaque etiamsi quis concesserit nihil ab eo turpe commissi, suspicionem tamen vitari oportebat; ne quemquam offenderet, neve aliquot ad imitationem sui provocaret. Qui enim modo increpabit alium & admonebit ut a frequentiore mulieris consuetudine abstineat, ne fortè corruat, sicut scriptum est, is qui unam quidem jam dimisit, duas vero ætate florentes & forma conspicuas secum habet, & quòcumque proficiscitur, circumducit; idque deliciis affluens, & epulis sese ingurgitans?*

Zenobiæ Reginæ Palmyrenorum patrocinio propagavit hæresim, quam co[illegible]iderat ut ipsam demereretur. Judæa enim erat, illique ut serviret Paulus, Judaicam impietatem in Ecclesiam invexit, divinarum personarum Trinitatem: Christique divinitatem abnegans.

### §. II.

### *De Erroribus Pauli Samosateni.*

PRimum caput erroris Pauli Samosateni fuit, quòd Christus semper non fuerit, nec ante Mariam Virginem: Verbum tamen & Sapientiam in eo inhabitare, sed quæ tunc primùm hypostasim habere cœperint ab æterno Patre distinctam, cùm in utero Virginis Christus formatus est. Hac enim temporali missione, & externa prolatione, Verbum evasisse Filium. Cæterùm licèt recens esset, novellusque Deus, prædestinatione æternum fuisse. Sic ferme errorem ipsius refert Sanctus Athanasius libro de salutari Adventu Filii Dei: *Paulus Samosatensis*, inquit, *Deum ex Virgine confitetur, Deum Nazarethi in lucem editum, & inde existendi primordium, regnique consecutum. Verbum tamen efficax è cælo & sapientiam in eodem agnoscit, ac prædestinatione quidem ante secula fuisse putat, sed Nazarethi primùm extare cœpisse: ut unus*, inquit, *supremus sit Deus Pater.* Eumdem exprimit errorem Sanctus Dionysius Alexandrinus in Epistola ad Paulum Samosatenum. *Si igitur*, inquit, *Christus non erat, quod absit, neque Verbum erat. Tu autem dicis quod ante Mariam non erat.*

Et Antiochenæ Synodi Secundæ Patres in Epistola sua Synodica: *Etenim*, inquiunt, *Filium Dei è cælo descendisse, nobiscum confiteri renuit... Neque id simplici assertione nostra, sed ex ipsis, quæ ad vos misimus gestis, non semel declaratur: maximè verò ubi dicit, Jesum Christum e terra ortum fuisse.*

Adducunt,

Addunt, ipsum *prodito, atque ejurato religionis nostra mysterio, ad execrandam transgressum hæresim Artemæ.* Artemas, sive Artemon, Christum nudum hominem fuisse effutiit, ut diximus in Synopsi Historiæ Ecclesiasticæ 2. Sæculi, Cap. 3. Art. decimo. De eodem scribit Eusebius lib. 7. Historiæ Ecclesiasticæ c. 22. *Abjectam & humilem nimis de Christo contra doctrinam Ecclesiasticam habebat opinionem, nempe quòd solùm communis naturæ erat cum homine præditus.* Idem constat ex Sancto Epiphanio Hæresi 65. ex Theodoreto lib. 2. Hæreticarum Fabularum cap. 8. & Sancto Augustino lib. de Hæresibus cap. 44.

Alterum caput erroris ex isto consequens fuit, duas esse in Christo personas, & duos Filios Dei; unum naturâ, alterum adoptione. Id constat ex Epistola Sancti Dionysii Alexandrini ad ipsum data: *Dicis*, inquit, *duas Hypostases esse, & duas personas unius & solius Christi, & duos Christos, ac duos Filios: unum naturâ Filium Dei, qui fuit ante sæcula, & unum καθ' ὁμωνυμίαν Christum, & Filium David, qui non fuit ante, & fuit in tempore, & secundum beneplacitum Dei accepit nomen Filii; (sicut civitas accipit nomen Domini, & domus nomen ejus qui eam ædificavit.)*

Ex pravo isto dogmate velut ex fonte derivantur & consequuntur cæteræ assertiones erroneæ, quas decem Quæstionibus Sancto Dionysio Alexandrino propositis, & ad eum transmissis, complexus est Paulus Samosatenus. Enimvero si duæ sunt in Christo Personæ: consequens est Christum non esse naturâ Deum Apostolorum, quod asserit *Quæstione* 1. Esse naturâ hominem sicut nos, *Quæstione* 2. Non esse unam Hypostasim Crucifixi, & Verbi seu Sapientiæ Patris. *Quæstione* 3. Sanguinem Christi non esse incorruptibilem propter personam Verbi vitæ fontis ipsi substantialiter unitam. *Quæstione* 4. Filium Mariæ non fuisse ante sæcula, & simul cum Patre ingenito, neque esse ipsi coæternum. *Quæstione* 5. Puerum cum matre fugientem in Ægyptum, nec ab æternitate existere, nec ubique loci. *Quæstione* 6. Verbum non assumpsisse formam servi sine Hypostasi. *Quæstione* 7. Christum non posse dici non factum & æternum, qui duodecimum annum agens puer à parentibus quæsitus, & inventus est. *Quæstione* 8. Non Deum magnum, & æternum, qui esuriit, laboravit, defatigatus est. *Quæstione* 9. Denique, non esse coæternum Patri, nec ullatenùs Deum, quem Apostolus Dominum & Christum à Deo factum esse professus est, & qui dixit, se nondùm ascendisse ad Patrem. *Quæstione* 10. Hæc, inquam, omnia consectaria erant pestilentis illius dogmatis, quo duas in Christo personas asserebat.

Tertium caput hæreseos Pauli Samosateni, errori Sabellii erat affine. Trinitatem namque divinarum personarum è medio tollebat, Verbum non personam esse à Patre distinctam, sed efficientiam solam asserens, Deo quidem coæternam, sed sine Hypostasi, quæ se in Jesum ut in hominem merum insinuasset. Hunc errorem sic explicat Sanctus Epiphanius Hæresi 65. *Est autem Pauli hæc opinio, Deum Patrem, & Filium, ac Spiritum Sanctum unum esse Deum. Verbum Dei, ejusque Spiritum inesse Deo perpetuò, sicut hominis in corde proprium verbum inesse cernimus. Filium Dei subsistentiam habere per sese nullam, sed in Deo subsistere. Ad hæc Dei Verbum in terras delapsum, in Jesu, qui homo merus esset, habitasse. Ita unus, inquit ille, Deus est: neque aut Pater est Pater, aut Filius Filius, aut Spiritus Sanctus Spiritus est Sanctus. Imo verò Deus unus est Pater, hujus in ipso Filius, ut est in homine sermo.* Idem constat ex Philastrio & ex Mario Mercatore in Dissertatione de xii. Anathematismo Ne-

A storii, dicente: *Paulus Samosatenus, qui fuit Antiochiæ Episcopus temporibus Aureliani Principis, verum est quidem, quod Christum, communiter, ut cæteri, natum hominem ex utroque parente definit; Verbum autem Dei Patris, non substantivum, sed prolativum, vel imperativum sensit, atque pronuntiavit, non ut Fides habet Catholica, Verbum in substantia, vel essentia consubstantivum, id est, ὁμοούσιον Filium Dei Patris.*

Paulò explicatiùs istud Paulianæ Hæreseos caput refert Leontius, libro de Sectis, Actione 3. ejusque discrimen ab hæresi Sabellii & Nestorii tradit.
B *Alia quoque Secta, inquit, Pauli Samosatensis, his temporibus extitit: qui & circa divinitatem, & incarnationem errabat. Circa divinitatem, quia Patrem solum fatebatur: circa Incarnationem, quia purum, solumque hominem esse Christum dicebat: in quo fuisse Dei sermonem non arbitrabatur; nec ea sententiâ quâ Nestorius. Quippe Nestorius, licet Christum diceret purum hominem esse: tamen subsistentem per se Dei Sermonem ac Filium, in homine illo fuisse fatebatur. Non enim circa Trinitatem aliquod Nestorii fuit erratum. Paulus autem Samosatenus subsistentem per se Dei Sermonem in Christo fuisse non dicebat;
C sed volebat sermonem esse jussum quoddam ac mandatum: hoc est, jussit Deus (ut ipse loquebatur) fieri per illum hominem quod volebat; idemque per illum condebat. Nec erat eadem Pauli de divinitate sententia, quæ Sabellii. Nam Sabellius eumdem dicebat esse Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, Deumque rem trini nominis appellabat, nullam prorsus esse Trinitatem statuens: Paulus verò non eumdem dicebat esse Patrem & Filium, & Spiritum Sanctum: sed Patrem aiebat illum esse Deum, qui omnia creasset, Filium, purum illum hominem; Spiritum, illam gratiam quæ super Apostolos venerit.*
D Cæterùm Verbum in Christo operatum dumtaxat esse dicebat Paulus Samosatenus, non autem passum. In quo adhuc à Sabellio dissentiebat.

Nec in Fidei dumtaxat Professionem, sed & in Baptismatis formulam, errorem de Trinitate suum invexerunt Paulianistæ: (An Paulo Samosateno auctore, incertum est) unde Nicæna Synodus Canone 19. decrevit ut Paulianistæ ad Ecclesiam redeuntes baptizarentur. De quibus Sanctus Augustinus lib. de Hæresibus ad Quodvultdeum, cap. 44. ita scribit: *Istos sanè Paulianos baptizandos esse in Ecclesia Catholica, Nicæno Concilio constitutum
E est. Unde credendum est eos regulam Baptismatis non tenere, quam secum multi Hæretici, cum de Catholica discederent, abstulerunt, eamque custodiunt.*

## §. III.

### *De Conciliis contra Paulum Samosatenum celebratis.*

DUo Concilia adversùs Paulum Samosatenum Antiochiæ celebrata sunt. Primum anno Christi 264. Dionysio Pontifice Maximo. Ad hoc
F plures undique Episcopi convenerunt: quos inter celebres erant Sanctus Gregorius Neocæsareensis, & Athenodorus ejus frater, Firmilianus Cæsareæ in Cappadocia Episcopus, Helenus Tarsensis, Niconas Iconii, Hymenæus Hierosolymorum, Theotecnus Cæsareæ in Palæstina, & Maximus Bostrorum. Sanctus Dionysius Alexandrinus valetudinem & senectutem excusavit ne Synodo adesset: Epistolam tamen dedit ad Patres, quâ suam de Paulo Samosateno & ejus errore sententiam aperiebat.

Accuratè & diligenter in Pauli fidem à Patribus inquisitum est: sed ipsis Catholicæ Fidei simulatione, & emendationis specie, vaferrimus Hæresiarcha

cha illusit. Ista constant ex Eusebio lib. 7. cap. 22. Editionis Christophorsoni, ex Theodoreto lib. 2. Hæreticarum Fabularum cap. 8. & ex Epistola Synodica 2. Synodi Antiochenæ. Extat Epistola ad Paulum Samosarenum scripta, Tom. 1. Concil. quæ Professionem Fidei continet contra ipsius hæresim. Scripta quidem ea est à sex Episcopis, quorum quatuor Primæ Synodo Antiochenæ contra ipsum habitæ interfuisse constat ex Eusebio, omnes verò Secundæ Synodo. Sed ex neutrâ scripta videtur. Sic enim ad ipsum scribunt Patres: *Scire volumus an eadem nobiscum sentias, & doceas: & nobis significes, an iis, quæ superiùs scripsimus, assentiaris, an non.* At in utraque Synodo præsens loqui poterat Paulus: Itaque hæc Epistola non est ad eum data nec ex priori, neque ex posteriori; sed inter utramque, ut colligitur ex Epistolæ exordio, quod jam convenisse Patres propter negotium fidei indicat: *Jam quidem, inquiunt, in congressum & colloquium inter nos venimus, ac fidem nostram ostendimus.*

Erumpente iterum Pauli Samosateni hæresi, quàm fucô Patribus fictô occultaverat solùm, non ejuraverat, altera Synodus Antiochiæ celebrata est anno Christi 270. Dionysio adhuc in Cathedra Sancti Petri Romæ sedente, ad quem, & ad Maximum Alexandrinum, cæterosque orbis Christiani Episcopos, extat Epistola Synodica à Patribus istius Concilii data, apud Eusebium lib. 7. Historiæ cap. 24. Quot Episcopi ad hanc Synodum convenerint, non est constans Veterum opinio: convenisse penè infinitos scribit Eusebius. Sanctus Athanasius in lib. de Synodis, septuaginta tantùm numerat. Libellus supplex Basilii Diaconi, & Monachorum ad Imperatores contra Nestorium, centum & octoginta recensuit. Patribus iterum illudere conatus versipellis Hæresiarcha, à Malchione Philosopho cumprimis erudito & subtili, Scholæ Antiochenæ Magistro, & Antiochenæ Ecclesiæ Presbytero, impietatis & hæresos convictus est; anathemate percussus, & Episcopatu abdicatus, suffectô ejus in locum Domno. Verùm cùm è domo Episcopali egredi nollet proscriptus Hæreticus, Aurelianus Imperator à Catholicis Episcopis interpellatus, Ethnicus licet, tam justam ea in causa sententiam dixit, quam proferre potuisset Christianus Imperator: Iis domum tradi jussit, quibus Itali Christianæ Religionis Antistites, & Episcopus Romanus scriberent concedendam. Ista constant ex Eusebio lib. 7. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 23. & 24. & ex Theodoreto, lib. 2. Hæreticarum Fabularum cap. 8.

## ARTICULUS IX.

### *De Manichæorum Hæresi.*

### §. I.

### *De ejus Auctoribus.*

HUjus Sectæ primus parens Scythianus quidam Saracenus genere, in Arabia nutritus, qui ingentibus ex mercatura partis divitiis, in Ægyptum se contulit, & Alexandriæ Græcas disciplinas, ac præsertim Philosophiam didicit, quâ abusus est pestilentissimi vir ingenii ad condendum dogma de duobus principiis, bono & malo. Idem apud Hypselen Thebaidis oppidum, meretricem eleganti forma præstantem, è lupanari abductam, matrimonio sibi junxit. Tum libros conscripsit quatuor, quibus hæresim stabiliret; unum Mysteriorum, alterum Capitulorum, tertium, quod Evangelium inscripsit; quartum Thesaurorum. Post hæc profectus in Judæam cum Terbintho discipulo, non sub Apostolorum tempora (ut Sanctus Epiphanius oscitans scripsit) sed post annum Christi ducentesimum: cùm fidem Christianam, quam argumentis evertere non poterat, à Presbyteris Ecclesiæ Hierosolymitanæ confutatus, præstigiis concutere conaretur, in eumque finem summum ædium tectum conscendisset; inde, ulciscente Deo, lapsus in præceps, miserrimè periit.

Terbinthus auri, librorum, & hæreseos ipsius factus hæres, cùm in Judæa, ubi jam ex perversitate nimiùm notus erat, securè manere non posset, in Persidem aufugit, ac mutato nomine, Buddam se nominavit. Verùm adversarios ibi expertus Mithræ Sacerdotes, multisque disputationibus ab ipsis lacessitus, apud anum quamdam viduam habitavit. Deinde Scythiani Magistri exemplo, in summum tectum ascendens, ac maleficiis operatus, ibidem correptus à dæmone, atque in terram deturbatus, infelicem animam efflavit.

Anus pecuniarum omnium, ac librorum compos facta, servum Persam emit Cubricum nomine, quem manumissum adoptavit, in Persarum erudiendum curavit disciplinis, ac librorum, atque pecuniarum conscripsit hæredem. Qui, ne servitutis nomen et probrosum esset, Manes appellari deinde voluit, quæ vox Persis ὁμιλίαν, id est, *allocutionem*, significat, ut ait Sanctus Cyrillus Hierosolymitanus. Verùm cùm apud Græcos malè sonaret hoc nomen, ac ab insania & furore videretur derivatum, *Manichæum*, quasi *Manna fundentem*, hunc nominavere postea Discipuli, Sancto Augustino teste, lib. de Hæresibus cap. 46. Interim multos discipulos in suum pertrahens errorem, viginti duos selegit nefariorum suorum dogmatum, impiarúmque fabularum prædicatores, in quibus tres præ cæteris insignes esse voluit, Thomam, Hermeam, & Addam. Interim cùm de Christiana Religione multa andivisset, comparatis pecuniâ sacræ Scripturæ libris, veritatem admiscuit mendacio, ut Sectam suam probabiliorem faceret. Cui ut majorem conciliaret auctoritatem, filium Regis Persarum, qui fortè tunc ægrotabat, magicis artibus ac præstigiis confisus, curandum suscepit. Sed cùm Medicorum auxilio destitutus, ac Maneti relictus Princeps mortuus esset, in carcerem Præstigiator conjectus est. Inde clam aufugit, corruptis pecuniâ custodibus, missisque varias in partes Discipulis, ut hæresim suam longè latéque spargerent, in Mesopotamiæ fines ipse contendit. Ibi Marcellum virum nobilitate & omnibus Christianæ religionis officiis celeberrimum, qui in oppido Caschara morabatur, seducere molitus est, datâ ad eum Epistolâ præcipuos errores suos continente; quam integram refert Sanctus Epiphanius Hæresi 66. In ea se *Apostolum Jesu Christi* vocabat Impostor. Nec mirum quòd istud sibi nomen arrogaret, qui & Spiritum Sanctum se dicere ausus est, quos ambitionis blasphemæ titulos insectatur Sanctus Augustinus libro contra aliam ejus Epistolam edito, quæ vocata est ab ejus Discipulis *Epistola Fundamenti*, cap. 5. 7. & 8. Marcellus ipsum accersivit, & in congressum venire cum Archelao Episcopo doctissimo curavit, à quo convictus & fugatus est. In Regis deinde Persarum venit potestatem; quo jubente, cutis illi vivo detracta est. Ob id Manichæi super arundines cubabant: quòd arundine pellis detracta esset Maneti. Hæc constant ex Sancto Cyrillo Hierosolymitano Catechesi 6. Illuminatorum; ex Sancto Epiphanio Hæresi 66. & Socrate lib. 1. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 17. qui & se ista excerpsisse ex Disputatione Archelai cum Manete testatur. Agit etiam de hoc Hæresiarcha Eusebius lib. 7. Historiæ Ecclesiasticæ sed minùs accuratè & nimis breviter, ut Socrates notavit. Eadem magna ex

parte

parte refert Theodoretus libro 1. Hæreticarum Fabularum cap. 26.

Orta est porro Manichæorum hæresis sub Imperio Probi. Quo præcisè Christi anno, inter Antiquos non convenit. Legendus hac de re vir non modò rerum Theologicarum, verùmetiam temporum peritissimus Petavius in suis Annotationibus ad Sanctum Epiphanium.

## §. II.

### *De Erroribus Manichæorum.*

Manichæi duo Principia suprema inter se adversa, & pariter æterna, quorum unum bonorum, alterum malorum numen esset: duasque naturas & substantias esse, boni scilicet ac mali propugnabant. Palmaris hic erat error Sectæ. (Ex Sancto Augustino libro de Hæresibus, cap. 46. ex Sancto Epiphanio Hæresi 66. & ex Theodoreto lib. 1. Hæreticarum Fabularum cap. 26.)

2. Carnem ex materia, & materiam à mali principio procreatam effutiebant. Ideo

Affirmabant tertiò Christum non fuisse in carne vera, sed simulatam speciem carnis ludificandis humanis sensibus præbuisse: ubi non solùm mortem, verùmetiam resurrectionem mentiretur. (Ex iisdem.)

3. Generationem execrabantur, & impediebant, nuptiasque damnabant consequenter, etsi mulieribus uterentur, quòd eâ viâ materiam augeri, & mali proinde principii causam agi existimarent: & quòd divinam substantiam in omnibus, ut somniabant, alimentis permixtam, & in eos cum ciborum substantia ingressam, vinculis carneis per generationem ligari in prole censerent. (Ex Sancto Augustino ibidem, & lib. 19. contra Faustum, cap. 29. sed maximè lib. 13. cap. 5. 6. & 7.)

4. Ob eandem rationem, quòd scilicet nullum adminiculum dandum esset materiæ, execrabantur eos qui pauperibus eleemosynam darent, quòd scilicet eo actu mali Principio gratificarentur. Unde Sanctus Athanasius in Epistola ad Solitarios ait: *Pro re hostili habetur apud Manichæos pauperum commiseratio.* Quamquam Sanctus Augustinus libro de Moribus Manichæorum, cap. 16. nummos pauperibus importunis ipsos erogasse dicat, panem, vel cibum quemvis nusquam, quòd nefas putarent ab aliis quàm à suis Electis divinam substantiam in alimentis detentam, & quasi inquinatam purgari & liberari. Sed de his sermo inferiùs recurret.

5. In odium carnis execrabantur Sanctorum reliquias, ut colligitur ex Sancto Augustino lib. 20. contra Faustum, cap. 21.

6. Consequenter ad idem principium, Christum non ad corpora liberanda, sed ad solas animas reparandas venisse dicebant; & animarum tantummodo resurrectionem per prædicationem veritatis nunc adimpleri; corporum autem resurrectionem nusquam futuram. (Ex Sancto Augustino libro de Hæresibus & libro 4. contra Faustum, cap. 5.)

7. Eòusque dementiæ productum est Manichæorum delirium, ut Christum serpentem fuisse dicerent, qui Adamo, atque Evæ per esum pomi scientiam boni & mali infudisset. (Ex Sancto Augustino libro de Hæresibus.)

8. Christum Solem esse hujus orbis, eos tradidisse, Theodoretus refert. Sed revera Christum in Sole potiùs, quàm esse ipsum commenti sunt; nec Deos esse Solem & Lunam sunt arbitrati, sed attributorum ejus magnifica quædam domicilia, sicut A & aërem Spiritus Sancti singulare Palatium esse fabulati sunt. Id constat ex Fausto Manichæo apud Sanctum Augustinum lib. 20. contra ipsum edito, cap. 2. *Igitur*, inquit, *nos Patris quidem Dei omnipotentis, & Christi Filii ejus, & Spiritus Sancti unum idemque sub triplici appellatione colimus Numen: sed Patrem quidem ipsum lucem incolere credimus summam ac principalem, quam Paulus aliàs inaccessibilem vocat: Filium verò in hac secunda ac visibili luce consistere, qui quoniam sit & ipse geminus, ut eum Apostolus novit, Christum dicens esse Dei virtutem, & Dei Sapientiam, virtutem quidem ejus in Sole habitare* B *credimus, sapientiam verò in Luna: necnon & Spiritus Sancti, qui est Majestas tertia, aëris hunc omnem ambitum sedem fatemur, ac diversorium.*

9. Jesum ex Spiritu Sancto & terra patibilem gigni, & in omnibus herbis & arboribus esse suspensum effutiebant, sive alium illum crederent ab eo quem, per Solem, Lunamque distentum comminiscebantur, & diversum etiam ab eo quem specie tenus sub Pontio Pilato crucifixum sentiebant, sive eumdem. Id constat ex Sancto Augustino lib. 20. contra Faustum, cap. 11. *Quid autem hinc dicam*, inquit, *quod ait ex viribus Sancti Spiritus, ac spiritali profusione terram quoque concipientem, gignere* C *patibilem Jesum, qui est vita ac salus hominum omni suspensus ex ligno? O demens, potestne terra de Spiritu Sancto concipere patibilem Jesum, & Maria Virgo non potuit? Compara, si audes, Virginalia viscera tanta castitate sanctificata cum omnibus terræ locis ubi arbores herbæque gignuntur. Itane in illa fœmina exhorrescis aut horrescere te fingis uterum pudicitia dedicatum: & in ortis omnibus circum quasque urbes ex cloacinis aquis Jesum gigni non exhorrescis?*

Et infrà: *Postremò dicite nobis quot Christos esse dicatis? Aliusne est quem de Spiritu Sancto concipiens terra patibilem gignit, omni non solùm suspensus ex ligno, sed etiam jacens in herba: & alius* D *ille quem Judæi crucifixerunt sub Pontio Pilato: & tertius ille per Solem Lunamque distentus? An unus atque idem ex quadam sui parte ligatus in arboribus, ex quadam verò liber, eidem ligatæ captæque subveniens?*

Et infrà respondens mendacio Fausti qui dixerat Catholicis parem circa Panem & Calicem cum Manichæis religionem esse, ait: *Noster autem Panis & Calix non quilibet (quasi propter Christum in spicis & in sarmentis ligatum, sicut illi desipiunt) sed certa consecratione Mysticus fit nobis Christi Corpus, non nascitur. Proinde quod non ita fit, quamvis sit panis & calix, alimentum est refectionis, non* E *Sacramentum religionis .... Vobis autem per fabulam vestram in escis omnibus Christus ligatus apponitur: ligandus adhuc vestris visceribus, solvendusque ructatibus. Nam & cùm manducatis, Dei vestri defectione vos reficitis, & cùm digeritis, illius refectione deficitis.*

10. Vetus Testamentum rejiciebant Manichæi; Deum qui per Moysem legem dedit, & in Prophetis locutus est, non esse verum Deum; sed unum ex tenebrarum Principibus, asserentes. Novi verò Testamenti Scripturas adulteratas esse contende- F bant; nec in totum admittebant ut veras. Id constat ex Sancto Augustino lib. de Hæresibus, & in libris contra Manichæos passim, & lib. 27. contra Faustum Manichæum, cap. 3. *Undique*, inquit, *tergiversatio vestra contunditur; apertè dicite non vos credere Christi Evangelio: nam qui in Evangelio quod vultis creditis, quod vultis non creditis, vobis potiùs quàm Evangelio creditis.*

11. De Adami & Evæ creatione sic fabulabantur. Illos ex parentibus Principibus fumi natos asserebant: cùm Pater eorum nomine Saclas omnium sociorum suorum fœtus devorasset, & quicquid inde

commixtum divinæ substantiæ ceperat, cum uxore commercium habens, in carne prolis tanquam tenacissimo vinculo colligasset. ( Ex Sancto Augustino lib. de Hæresibus ) Eam fabulam aliter refert Theodoretus lib. 1. Hæreticarum Fabularum cap. 26. Aliter refert & Sanctus Epiphanius Hæresi 66. eum scilicet qui dixit : *Venite faciamus hominem ad imaginem nostram & similitudinem*, Principem esse, secundùm Manichæos, qui reliquis Principibus dixerit : *Adeste, date mihi ex illa luce, quam accepimus, & faciamus hominem ad nostram effigiem, qualem aspeximus :* Atque ita hominem condidisse. Eadem ratione fabricatos Evam, eique de sua cupiditate ad decipiendum Adamum impertivisse.

12. Non unam cuilibet homini insitam animam asserebant, sed duas, quarum unam dicebant partem Dei esse, alteram de Gente tenebrarum quam non condiderat Deus, & quæ Deo esset coæterna: harum unam bonam esse, alteram malam. Istam propriam esse carnis : illam verò ex adventitia Dei parte, quæ cum tenebrarum Gente conflixerit, atque utramque miscuerit ; & omnia quidem bona hominis illi animæ bonæ : omnia verò mala illi malæ animæ tribuebant. ( Ex Sancto Augustino libro de duabus Animabus contra Manichæos, cap. 1. & sequentibus, & libro 1. Retractat. cap. 15. )

13. Carnalem concupiscentiam negabant esse infirmitatem ex primi hominis peccato in nobis superstitem, sed substantiam esse contrariam asserebant, nobis ita intimè adhærentem, ut separata & avulsa à nobis subsistat, quando liberamur, atque purgamur ; & in suâ naturâ etiam ipsa immortaliter vivat. Concupiscentiam igitur carnis adversùs spiritum, & spiritus adversus carnem, nihil aliud esse propugnabant, quam duarum animarum pugnam. Nec vitium illam esse dicebant in nobis aliquando sanandum in æterna fœlicitate : sed substantiam malam à nobis secludendam, & post conflagrationem mundi in globo quodam, velut in carcere victuram. ( Ex Sancto Augustino, libro de Hæresibus. )

14. In homine non esse liberum arbitrium ad peccandum ; alioquin peccatum in Deum refundendum esse. Quem errorem tribus libris de Libero Arbitrio Sanctus Augustinus expugnat.

15. Baptismum esse negabant ad salutem necessarium : & suorum baptizabant neminem, ex Sancto Augustino lib. de Hæresibus.

16. Fidei necessitatem & utilitatem impugnabant, irridentes in Catholicæ Fidei Disciplina, quòd homines credere juberentur imprimis, non autem ratione ducerentur ad veritatis notitiam. Id testatur Sanctus Augustinus in lib. *De utilitate credendi* ad Honoratum amicum suum à Manichæis deceptum, cap. 1. *Est igitur mihi propositum*, inquit, *ut probem tibi, si possum, quod Manichæi sacrilegè ac temerè invehantur in eos, qui Catholicæ Fidei auctoritatem sequentes, antequam illud verum quod pura mente conspicitur, intueri queant, credendo præmuniuntur, & illuminaturo præparantur Deo. Nosti enim, Honorate ! non aliam ob causam nos in tales homines incidisse, nisi quod se dicebant, terribili auctoritate separata, mera & simplici ratione, eos qui se audire vellent, introducturos ad Deum, & errore omni liberaturos. Quid enim me aliud cogebat annos ferè novem spreta religione, quæ mihi puerulo à parentibus insita erat, homines illos sequi ac diligenter audire, nisi quòd nos superstitione terreri, & fidem nobis ante rationem imperari dicerent : se autem nullum premere ad fidem, nisi prius discussa, & enodata veritate :*

17. Animarum transmigrationem admittebant. Animas quippe Auditorum suorum in Electos, id est, in Manichæos perfectiores revolvi arbitrabantur ; aut fœliciore compendio in escas Electorum suorum, ut sic purgatæ, nulla ampliùs in corpora reverterentur. ( Ex Sancto Augustino libro de Hæresibus. )

18. Plantas & arbores, non vegetante dumtaxat, sed sentiente vita præditas esse, & doloris esse capaces somniabant. Unde agriculturam ; tanquam plurium homicidiorum ream, accusabant homines dementissimi, ( Ex Sancto Augustino ibidem. )

19. Solem & Lunam quasdam naves esse effutiebant ex pura Dei substantia fabricatas, per quas lux, quæ secundùm ipsos erat Dei natura, regno Dei tanquam propriis sedibus redderetur. Addebant Solem esse triangulum, non rotundum. Sanctas denique Virtutes in his residere sideribus fingebant, quæ se in masculos transfigurarent, ut fœminas Gentis adversæ illicerent, & his illecebris commota eorum concupiscentia lumen ipsorum membris permixtum excuteret ; quod purgandum susciperetur ab Angelis lucis, purgatumque illis navibus imponeretur, ad regna propria transvehendum. Has fabulas refert Sanctus Augustinus libro de Hæresibus, & lib. 20. contra Faustum cap. 6. eas irridet, & refellit. *Unde vos*, inquit, *veriùs dixerim non Solem istum colere, ad cujus gyrum vestra oratio circumvolvitur. Nam & de ipso tam falsa, & tam detestanda jactatis, ut si suas vindicaret injurias, jam flammis ejus vivi arderetis. Nam primò eum navim quamdam esse dicitis : ita non tantùm, ut dicitur, toto cœlo erratis, sed & natatis. Deinde cùm omnium oculis rotundus effulgeat, eaque illi figura pro sui ordinis positione perfecta sit, vos eum triangulum perhibetis : id est, per quamdam triangulam cæli fenestram lucem istam mundo, terrisque radiare . . . Verùm hæc tolerabiliùs vel videntur, vel flentur in vobis : illud est intolerabiliter sceleratum, quod de ipsa navi puellas pulchras & pueros proponi dicitis, quorum formosissimis corporibus inardescant Principes tenebrarum, ad fœminas masculi, & ad masculos fœminæ: ut in ipsa flagranti libidine, & inhianti concupiscentia, de membris eorum, tanquam de terris, sordidisque compedibus, Dei vestri membra solvantur.*

20. Quinque elementa Genti tenebrarum propria propugnabant, fumum, tenebras, ignem, aquam, ventum ; ex fumo animalia bipedia, & homines originem ducere ; ex tenebris serpentia ; ex igne quadrupedia ; ex aquis natantia ; ex vento volatilia fingebant. His quinque elementis malis debellandis, alia quinque elementa de regno & substantia Dei missa esse, & in illa pugna fuisse permixta : luci aërem, tenebris lucem ; igni malo ignem bonum : aquæ malæ, aquam bonam ; vento malo, ventum bonum.

21. Bellum illicitum prorsus esse contendebant, ut constat ex Sancto Augustino lib. 22. contra Faustum cap. 74. 75. 76. & 77. quibus hunc errorem refellit.

22. Promissionem Christi de alio Paracleto mittendo, in Manete Sectæ suæ Auctore completam esse fabulabantur. ( Ex Sancto Augustino libro de Hæresibus. )

Damnati dicuntur Manetis errores in Synodo quadam Mesopotamiæ, à magno illo, cujus meminimus, Archelao, Carcharorum Episcopo, coacta ( ut testatur Auctor Libelli Synodici ) sed nemo Veterum Synodi hujusmodi meminit : quod argumento est confictam esse. Disputationis quidem contra Manetem ab Archelao initæ Sancti Cyrillus Hierosolymitanus & Epiphanius meminerunt ; Synodi nequaquam.

## §. III.

### *De Moribus Manichæorum.*

I. MAnichæorum Secta duobus ordinibus constabat, Electorum scilicet, & Auditorum. Auditores & carnibus vescebantur, & agros colebant, & uxores habebant, si vellent, quorum nihil faciebant Electi. Sed ante Electos genua figebant, ut eis supplicibus manus imponerentur, non à solis Episcopis, vel Presbyteris, aut Diaconis eorum, sed à quibuslibet Electis, ut testatur Sanctus Augustinus *Epistola* 74. quæ est *ad Deuterium Episcopum.* Porro inter Electos Manichæorum, duodecim erant præcipui, atque eximii, quos vocabant Magistros: quibus decimus-tertius velut Princeps præsidebat. Episcopos habebant 72. qui creabantur à Magistris; & Presbyteros, qui ab Episcopis ordinabantur, necnon etiam Diaconos. Hæc adulterina Manichæorum Hierarchia. ( Ex Sancto Augustino lib. de Hæresibus. )

2. Carnibus abstinebant Manichæorum Electi, earumque interdicebant esu; quia fugiente sensim, ut aiebant, in omnium motibus & alterationibus viventium quadam substantiæ divinæ particula, fæx quædam sordidissima remanebat, ex qua per concubitum caro formaretur. ( Ex Sancto Augustino, lib. de Moribus Manichæorum cap. 15. & lib. de Hæresibus. ) Ovis etiam, & lacte uti nefas existimabant. Vinum ut fel Principum tenebrarum aversabantur, quamvis uvas comederent. ( Ex Sancto Augustino ibidem ) unde etiam lib. 20. contra Faustum cap. 13. ipsum objicientem Catholicis parem esse religionem circa Panem & Calicem, sic refellit: *Cur autem arbitretur Faustus parem nobis esse religionem circa Panem & Calicem, nescio, cùm Manichæis vinum gustare, non religio, sed sacrilegium sit. In uva enim agnoscunt Deum suum, in cupa nolunt: quasi aliquid eos calcatus & inclusus offenderit.* Hinc sub unica specie Manichæi communicabant: quo indicio eos manifestos fore Sanctus Leo monet Sermone 44. de Quadragesima: *Quòd Sanguinem Redemptionis nostræ haurire omnino declinant.*

3. Agros colere, fruges metere, fructus ex arboribus decerpere, plantas & legumina quælibet evellere nefas ducebant Manichæorum Electi, ne totidem homicidiorum rei essent; quæ suis Auditoribus ignosci asserebant, à quibus hæc sibi ad esum parabantur. ( Ex Sancto Augustino, lib. de Hæresibus. )

4. Die Dominica jejunabant. ( Ex eodem, Epistola 64. )

5. Orabant ad Solem conversi, ipsumque, & Lunam adorabant. ( Ex eodem ibidem, & Epistola 74. )

6. Manichæorum Auditores uxoribus suis miscebantur solius libidinis explendæ gratiâ, & impediebant ne filios conciperent. ( Ex Sancto Augustino, lib. de Hæresibus, & passim in libris contra Faustum; ) sed præcipuè lib. 15. cap. 7. ubi ait: *Hinc etiam Præceptum, non Mœchaberis, ita violatis, ut hoc maximè in conjugio detestemini, quòd filii procreantur: at sic Auditores vestres, dum cavent ne fœmina, quibus miscentur concipiant, etiam uxorum adulteros faciatis. Ducunt enim eas, ex lege Matrimonii Tabulis proclamantibus, Liberorum procreandorum causâ, ex vestra lege metuentes ne particulam Dei sui sordibus carnis afficiant, ad explendam tantùm libidinem, fœminis impudica conjunctione miscentur. Filios autem juncti suscipiunt, propter quod solum conjugia copulanda sunt. Quomodo ergo non prohibes nubere, quod de te tantò antè prædixit Apostolus, quando id conaris auferre de nuptiis unde sunt nuptiæ? Quo ablato, mariti erunt turpiter amatores, meretrices uxores, thalami fornices, soceri lenones.* Idem constat ex eodem Sanctissimo Doctore, libro de Moribus Manichæorum cap. 18. ubi addit, Manichæorum Electos solitos esse monere suos Auditores, ut observarent, quantùm fieri posset, tempus, quo ad conceptum mulier, post genitalium viscerum purgationem apta esset, eoque tempore à concubitu temperarent, ne carni anima implicaretur.

7. Quod vel cogitatu horrendum, & execrandum est, velut Eucharistiam humano semine conspersam sumere Manichæorum Electi cogebantur, quod ex confessione cujusdam quasi Sanctimonialis, & alterius puellæ, propter hoc scelestum mysterium violatarum, coram sæculari Judice facta, Sanctus Augustinus probat lib. de Hæresibus & lib. de Moribus Manichæorum, cap. 19. & 20. testatur Manichæos in omnem intemperantiam, & libidinem effusos fuisse, quamvis de temperantia singulari, & eximia castitate gloriarentur: & refert gravissima ac planè detestanda ipsorum flagitia, publicis testimoniis & Actis comprobata; & quorum ipse magna ex parte testis fuit.

8. Tria signacula suis in moribus magnâ ostentatione jactabant; *oris, manuum, & sinus*: id est, se ore, manibus, & sinu prædicabant purissimos & sanctissimos. Ad oris signaculum pertinere dicebant, quòd ab omni se continerent blasphemia: cùm tamen nulli alii Hæretici majores in Deum blasphemias evomuerint. Oris signaculum sibi insuper arrogabant, quòd nec vinum biberent, nec carnibus vescerentur. De manuum signaculo ambitiosiùs gloriabantur, quòd ab animalium nece, & à stirpium laceratione temperarent. De signaculo denique sinus, quòd castitatem colerent, nec ducerent uxores Manichæorum Electi. Hęc constant ex Sancto Augustino, libro de Moribus Manichæorum, cap. 10. & sequentibus.

9. Quæ ipsis ad epulas ministrabantur, tota à suis consumenda esse sentiebant: nefasque putabant reliquias ciborum suorum, vel aliis dare, vel abjicere, ne cibis insita lux, & divinæ particula substantiæ, non purgata maneret. Unde non solùm ad satietatem, sed ad cruditatem & ructum usque frequentius comedebant. ( Ex Sancto Augustino libro de Moribus Manichæorum cap. 16. )

10. Quod ad hanc infamem Disciplinam consequens erat, panem, vel cibum cujuscumque generis pauperibus dare nefas arbitrabantur, ne ab illis pateretur divina substantia, secundùm illos, cibis commixta. Nummos tamen ipsis dari non prohibebant. Quod ita irridet Sanctus Augustinus libro de Moribus Manichæorum: *Quid hic priùs arguam*, inquit, *crudelitatem, an vecordiam? Quid enim si eo loco res agatur, ubi venalis cibus inveniri non potest? Homo egens ille fame moriturus est, dum tu vir sapiens & benignus magis cucumerem, quàm hominem miseraris. Hæc est perfectò falsa misericordia, & vera crudelitas. Nunc vecordiam videamus. Quid enim si nummis illis quos dederis, sibi panem emat? Nonne hoc in illo pars illa vestra divina, qui hanc sumit à venditore, passura est, quod passura erat, si te dante, sumpsisset? Involvit igitur sordibus peccator ille mendicus partem Dei revolare cupientem, tuis nummis ad tantum scelus adjutus.... Quid ad hanc insaniam addi potest? Ita enim fit ut aut homo moriatur, si venalem non invenerit cibum, aut cibus ipse si invenerit: quorum alterum est verum homicidium, alterum vestrum, vobis tamen ita tribuendum, tanquam utrumque sit verum.* Idem refert, & ridet, lib. 15. contra Faustum, cap. 7. & lib. 4. Confessionum cap. 10.

### §. IV.

### *De Manichæorum Debellatoribus.*

ADversùs Manichæorum Sectam scripserunt Titus Bostrorum Episcopus, Diodorus Tarsensis, Georgius Laodicenus homo Arianus, Eusebius Emissenus, quem Theodoretus Eusebium Phœnicem vocat; Eusebius Cæsareensis, Serapion Thmuensis, Sanctus Athanasius, Apollinaris Laodicenus, ut testantur Sanctus Epiphanius Hæresi 66. & Theodoretus lib. 1. Hæreticarum Fabularum cap. 26. Sanctus Epiphanius his addit Origenem, sed ratio temporis repugnat. Mortuus enim est Origenes annis ferè 20. antequam Manichæorum superstitio in lucem emergeret. Siquidem grassante Severi Imperatoris persecutione, anno ejus Imperii 10. ætatis annum 17. exegerat, ut Eusebius asserit lib. 6. cap. 3. Obiit verò anno ætatis 70. Imperante Gallo, ex eodem Auctore, lib. 7. cap. 1. diu antequam Manichæorum nomen auditum esset. Sed veriùs bis adjungentur Didymus, & Zacharias Mityleoensis Episcopus & Heraclianus Calchedonensis, de quo Photius in Bibliotheca cap. 85.

Sed nemo Patrum hanc hæresim luculentiùs impugnavit, nemo debellavit fœliciùs Sancto Augustino, qui Manichæa superstitione novem annis detentus est, & Auditor hac in Secta fuit. Elucubravit porro adversùs ipsos Opera sequentia.

1. Librum *de Moribus Ecclesiæ Catholicæ*, & alterum *de Moribus Manichæorum*, statim atque Romam Mediolano reversus post baptismum est, anno Christi circiter 388. Horum meminit lib. 1. Retractationum cap. 7. Deinde tres libros *de libero Arbitrio* edidit, quos peperit Disputatio habita cum amicis de origine mali. Primùm Romæ eodem anno quo prælaudatos, secundùm & tertium in Africa jam Presbyter Hipponensis Ecclesiæ ordinatus absolvit anno circiter 391. aut 392. In Africam autem rediit anno 389. (1. Retractationum cap. 9.)

3. Librum duplicem *de Genesi contra Manichæos* (lib. 1. Retractationum cap. 10.)

4. Librum *de vera Religione* adversùs eosdem elaboravit adhuc in Presbyterorum ordine positus. (1. Retractationum cap. 13.)

5. Librum *de Utilitate credendi, ad Honoratum* (1. Retractationum cap. 14.)

6. Librum *de duabus Animabus.* (1. Retractationum cap. 15.)

7. Librum *contra Fortunatum Manichæum*, duas Disputationes continentem, quæ cum à Notariis exceptæ essent, quando Sanctus Augustinus adhuc Presbyter cum illo Hæretico congressus est Hippone, in librum deinde ab eodem Sanctissimo Doctore collatæ sunt. (lib. Retractationum cap. 16.)

8. Librum *contra Adimantum Manichæi discipulum*, qui Disputationes quasdam conscripserat adversùs Legem & Prophetas, velut contraria eis Evangelica & Apostolica scripta demonstrare conatus. (lib. 1. Retractationum cap. 22.)

Hos autem omnes libros Sanctus Augustinus composuit, antequam ad Episcopatum provectus esset, ab anno scilicet 391. Christi, quo Presbyter à Valerio Hipponensi Episcopo ordinatus est, trigesimum septimum agens annum ætatis (Ex Possidio, in Vita Sancti Augustini) ad annum 395. quo creatus est Episcopus. In hunc enim annum incidit Olibrii & Probini Consulatus, sub quo Sancti Augustini consecrationem Episcopalem Prosper in Chronico notavit.

9. Librum *Contra Epistolam Manichæi, quàm vocant Fundamenti*, edidit jam Episcopus (lib. 2. Retractationum cap. 2.)

10. Libros *Triginta tres contra Faustum Manichæorum Episcopum*, blasphemantem in Legem & Prophetas, & eorum Deum, nec non Christi Incarnationem. In bis libris Sanctus Augustinus verba ipsa Fausti in volumine quod adversùs Catholicam Veritatem ediderat, refert, illisque responsionem suam subjungit. Constat ex illis hunc Hæreticum ingenii, & eloquentiæ laude inter suos fuisse conspicuum. Hunc olim Carthagine noverat Sanctus Augustinus, & cum eo familiaritatem inierat (ut ipse testatur lib. 5. Confessionum, cap. 3. & sequentibus) Hoc Opus elucubravit ante annum Christi 404.

11. Hoc ipso anno, in quem Honorii Augusti sextus incidit Consulatus, Sanctus Augustinus contra Felicem Manichæum Doctorem, in Ecclesia Hipponensi, præsente populo, biduo disputavit. Victrix evasit per Augustinum veritas, victus est Felix, & clade sua fœlicior factus est atque gloriosior: siquidem Manichæam hæresim solemniter ejuravit. Disputatio porrò Sancti Augustini in duos libros ab ipso redacta est, cùm à Notariis antea excepta esset. Inscribuntur, *De Actis cum Felice Manichæo.* Abjuratio autem Manichææ hæreseos à Felice facta, & ejus subscriptio inserta est libro 2. in fine. (lib. 2. Retractationum cap. 8.)

12. Scripsit librum *de Natura boni*, non longè post illam disputationem, & eodem forsan anno (2. Retractationum cap. 8.)

13. Librum *contrà Secundinum Manichæorum Auditorem*, qui ad ipsum honorificè scripserat velut ad amicum, urbanè ipsum objurgans, quòd hæresim illam oppugnaret. (2. Retractationum, cap. 8.)

14. Duos libros edidit Sanctus Augustinus *Contra Adversarium Legis & Prophetarum*, qui contra Manichæos æquè ac Marcionitas pugnant. Eos conscripsit ut libro cujusdam Anonymi responderet, quo asserebatur, Mundi conditorem, & auctorem legis Mosaïcæ, inspiratoremque Prophetarum, non esse verum Deum. Hoc autem elucubravit Opus anno circiter 420. (2. Retractationum cap. 58.)

Manichæos etiam insectatus est Sanctus Leo crebris Concionibus, Epistolis, Decretis, Edictis Principum: Agente enim Sanctissimo Pontifice, Valentinianus Constitutione ad Albinum Præfectum Prætorio directa, eos publico crimine teneri declaravit, militare prohibuit, testandi & captandæ pariter cujuscumque hæreditatis ademit potestatem, &c.

## ARTICULUS X.

### *De Hieracithis.*

HIeracithatum hæresis, Manichææ propago, ab Hierace, quem & Hieracham nonoulli dicunt, viro liberalium artium studiis, & linguarum peritiâ clarissimo, ortum in Ægypto habuit. Hæc autem invexit ille, atque propugnavit dogmata.

1. De Filii Dei generatione, & divinitate pessimè locutus est. Quamdam enimverò divinæ substantiæ divisionem excogitavit, similem ei quæ fit cùm lampas duobus oleum inter se communicantibus lychnis instructa, duplex lumen profundit. (Ex Sancto Hilario lib. 6. de Trinitate.) Filium tamen à Patre revera genitum ipsum sensisse, auctor est Sanctus Epiphanius.

2.

2. Spiritalem tantùm resurrectionem agnovit, animæ soli, carni neutiquam convenientem. (Ex Sancto Epiphanio Hæresi 67.)

3. Nuptias in veteri quidem Testamento licitas fuisse, sed post Christi adventum rejiciendas esse prædicabat: nec regnum Cœlorum consequi posse conjugatos, sed solos cœlibes. (Ex Sancto Epiphanio ibidem.)

4. Pueros ante rationis usum vitâ functos, negabat ad gloriam cœlestem pervenire, quòd nullum pro pietate certamen subiissent, nec sit coronandus, nisi qui legitimè certaverit. (Ex Sancto Epiphanio.)

5. Paradisum sensibilem, corporeumque fuisse locum inficiabatur. (ex eodem.)

6. Melchisedechum Spiritum Sanctum esse contendebat. (ex eodem.)

7. Ad severioris disciplinæ normam vitam suam exigebat, ab animatis & vino sibi temperans. Unde & ejus discipuli *Abstinentes* vocati sunt (Teste Philastrio, cap. 83.) neminem suum in cœtum admittebant, nisi Monachos, Virgines, Continentes, aut Viduas (ut Sanctus Epiphanius refert loco mox laudato.)

## ARTICULUS XI.

### *De Nepote.*

Nepos Ægyptiacus Episcopus, fabulam de millenario in terris Christi regno deliciis corporeis & voluptate fœlici, quod Sanctis post resurrectionem promissum esset, instauravit, circa annum Christi 264. quo de argumento librum edidit inscriptum Ἔλεγχον ἀλληγοριστῶν, id est, *Reprehensionem eorum qui allegorias componunt.* Hic error post mortem Nepotis in hæresim & schisma erumpere cœpit, cujus propagationem impedivit Sanctus Dionysius Alexandrinus, qui duos libros *De Promissis* ad eum refellendum conscripsit; & multis disputationibus propugnatores istius dogmatis confutavit, quorum Dux Coracion ejuravit errorem.

Cæterùm Nepos Schisma non fecit, nec fuit in errore pertinax, ut colligitur ex Sancto Dionysio Alexandrino, qui ipsum cùm ob multas alias dotes, tum etiam ob fidem commendat his verbis: *Quanquam non modo pro multis aliis rebus Nepotem amplector, & diligo, ut pro fide, pro studio in doctrina posito, pro assidua in Scripturis exercitatione, pro nonnullis quoque ac variis Psalmis, Hymnisque ab eo compositis: verùmetiam propterea quod ex hac vita migravit, hominem multò magis revereor: veritas tamen multo amicissima est, & omnibus rebus meritò anteponi debet.* Legatur Eusebius lib. 7. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 24. & Theodoretus lib. 3. Hæreticarum Fabularum cap. 6.

## ARTICULUS XII.

### *De Origene, & Origenistis.*

### §. I.

### *De Origenis persona, & fortuna.*

*Origenis parentes.* Origenistæ ab Origene Adamantio nomen sumpserunt. Is Patria Alexandrinus, Leonidis Martyris filius, sacras Literas unà cum humanioris literaturæ studiis combibit. Pater sententias aliquot Scripturæ sacræ, quas ei memoriter recitandas præscribebat, ab eo in dies singulos exigebat. Non satis videbatur admirabili à puero simplices & apertos sacrarum Literarum sensus eruere: sed reconditiores in ea etiam ætate, & magis abstrusos scrutabatur. Pueri dormientis pectus cùm reverentia sæpius exosculabatur pius parens, velut sacrum Spiritui Sancto templum. (ex Eusebio lib. 6. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 2.)

Post sanctissimi parentis Martyrium, completo anno 17. ætatis, unà cum matre, & sex fratribus minoribus natu, opibus paternis in fiscum relatis, in magna rerum egestate relictus est. Hunc mulier nobilitate conspicua, & opibus potens summa humanitate excepit, fovitque. Ejus in domo cùm Paulo cuidam homini hæretico convivere cogeretur, adduci nunquam potuit ut precibus unà cum illo interesset, ab ineunte ætate Canonum observantissimus, & infensissimus hostis erroris.

*Origenis functiones.* Annum ætatis 18. agens, Scholæ Christianæ institutioni Alexandriæ præfectus est. Ad eum multi ex Gentibus Dei verbum audituri commeabant, inter quos Plutarchus insignis Martyr, & Heraclas Germanus Plutarchi frater, post Demetrium Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopus.

Aquila Præfecturam Alexandriæ gerente, grassata est persecutio: in qua Martyribus præsto fuit Origenes, eosque multis Christianæ pietatis officiis promeritus fuit. Eam ob rem Ethnicorum insidiis appetitus est: adeòque contra eum persecutionis æstus efferbuit, ut tota civitas Alexandriæ non ampliùs illum tenere, tuerique potuerit; sed ubique vexatus, domicilium subinde mutare cogeretur.

Grammaticæ subinde professioni nuntium remisit, ut quæ Sacrarum Literarum tractationi esset inutilis: Veterúmque Oratorum libros divendidit, pacta conditione ut ab emptore quatuor obolos ad victum in dies singulos acciperet, ne externis indigeret subsidiis. Severa fuit inprimis Origenis adhuc adolescentis vita, omnium expugnatrix voluptatum, omnium laborum patientissima. Hæc omnia constant ex Eusebio lib. 6. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 3.

Multi ex Origenis Schola Doctores & Martyres prodierunt, de quibus Eusebius cap. 4. ejusdem libri.

*Origenis audax facinus.* Dum Alexandrinam Scholam regeret, & non solùm viri, sed & mulieres forma plerúmque elegantes, & juventute floridæ ad eum confluerent, sermones de rebus divinis audituræ, ille castitati suæ timens, seipsum eunuchum fecit. Hoc ipsius facinus admiratus primùm Demetrius Alexandrinus Episcopus, deinde improbavit, maximámque propterea apud totius orbis Episcopos ipsi conflavit invidiam: & Ordinationem ipsius atque promotionem ad Sacerdotium, factam à Theoctisto Cæsareæ Episcopo, & Alexandro Hierosolymorum, palàm impugnavit. *Origenis Ordinatio.* Quod an jure fecerit, an injuria, singulari Dissertatione expendemus. De hoc interim Origenis facto legatur Eusebius cap. 8. lib. 6. Historiæ Ecclesiasticæ.

Zephirino Pontifice Maximo adhuc superstite, Romam profectus est Origenes, Ecclesiæ antiquissimæ visendæ studio. Inde reversus Alexandriam, solitum docendi munus, hortante Demetrio, repetiit. Et cùm regendæ Scholæ solus non sufficeret, Heraclam discipulorum suorum primarium in partem laboris vocavit, commissa ei Catechumenorum, & recèns baptizatorum institutione. (ex Eusebio lib. 6. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 15.)

*Scripturæ sacræ Versiones ab Origene inventæ.* Sacrarum Literarum intelligendarum studium incredibile Origenem impulit ut linguam Hebraicam

 disceret;

disceret; utque præter Hebraicos Codices, & Versiones Vulgatas *Septuaginta Interpretum*, *Aquila*, *Symmachi*. *& Theodotionis*, alias maxima solicitudine quæreret. Favit ejus votis & propenso in Ecclesiæ obsequium ingenio Deus præpotens. Invenit namque tres antiquissimas Scripturæ sacræ interpretationes, unam Nicopoli ad Actium littus, aliam alibi æquè fausto eventu, tertiam in dolio repertam in urbe Hiericho temporibus Antonini Caracallæ, qui Severi filius fuit. Ex his Hexapla adornavit, cùm anteà Tetrapla conscripsisset. *Tetrapla* vocavit editionem Scripturæ sacræ, quatuor columnis per singulas paginas distinctam. Prima exhibebat Versionem LXX. Interpretum; altera translationem Aquilæ; tertia Symmachi; quarta Theodotionis. *Hexapla*, inscripsit editionem ejusdem Scripturæ sex columnis per singulas paginas distinctam, quarum quatuor exhibebant priores quatuor Versiones, & aliæ duæ posteriores, *Quintam & Sextam* Anonymi Interpretis, vel Anonymorum Interpretum. *Octapla*, octo columnas exhibebant, nimirum sex illas Versiones, & aliam præterea in dolio repertam, necnon Textum Hebraicum his omnibus præjacentem. Hæc colliguntur ex Eusebio lib. 6. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 16. ex Sancto Epiphanio libro de Mensuris & Ponderibus, & ex Sancto Hieronymo in caput tertium Epistolæ ad Titum.

Origenis Tetrapla & Hexapla.

Interim Philosophiæ animum adjunxit Origenes, Pythagoricæ præsertim, & Platonicæ, has disciplinas magno sibi ratus adjumento fore ad Hæreticorum confutationem, & ad Sacrarum Literarum interpretationem. Cùm Ammonio Christiano Philosopho, quem desertæ Christianæ religionis falsò Porphyrius accusavit, societatem iniit studiorum, cùm Alexandriæ dictus Ammonius Philosophiam profiteretur. (ex Eusebio lib. 6. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 19.) Tantam nominis celebritatem consecutus est Origenes, ut ab Episcopis rogatus, Scripturas sacras in solemni Ecclesiæ cœtu aliquando exponeret, nondum licet Sacerdos inauguratus. Quod Cæsareæ in Palæstina ipsum fecisse à Theoctisto rogatum, testatur Eusebius loco mox laudato.

Hæretici ab Origene impugnati.

Reportatas ab Origene de Hæreticis palmas testantur debellati Arabes, profligatus Berillus, Ambrosius vir nobilitate & opibus potens, ex Valentinianorum (ut Eusebius refert cap. 18. lib. 6.) vel ex Marcionitarum secta (ut Sancto Hieronymo placet in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum) ad fidem conversus. Hic Ambrosius Origenem impensè fovit, Mœcenatis in sacris studiis ac laboribus beneficentiam ipsi exhibens. Septem enim scribas qui ei dictanti præsto adessent, non pauciores librarios, & Virgines ad concinnè scribendum probè exercitatas ipsi addixit, quibus necessaria ubertim subministrabat. (Ex Eusebio libro 6. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 23.) Christianam Religionem egregiè ac luculenter defendit libris octo *contra Celsum*, Ambrosio nuncupatis. A Mamea matre Alexandri Imperatoris, religiosa femina, rogatus venit Antiochiam, & summo honore habitus est. Ad Philippum Imperatorem, qui primus è Regibus Romanis Christianus fuit, & ad Matrem ejus literas dedit, quarum meminit Sanctus Hieronymus.

In Deciana persecutione multa pro fide perpessus est Origenes, teste Eusebio libro sexto Historiæ Ecclesiasticæ cap. trigesimo-nono: ipsum confessionis gloriam maculasse thus idolis adolendo, atque ad hoc nefas adactum fuisse metu stupri ab Æthiope inferendi, quem persecutores ad violationem casti corporis conduxerant, auctor est Sanctus Epiphanius Hæresi LXIV. ubi tamen tempus distinctè, non notat quo lapsus ille Origenis contigerit. Hoc facinus ad tempora Decianæ persecutionis non esse referendum, sed ad Alexandri Severi tempestatem, Viri Eruditi asserunt, inter alios illustris Huëtius libro 1. Origenianorum, cap. 4. quòd tempore Decianæ Persecutionis Origenes Alexandriæ non versaretur. Porro an lapsus ille Origenis verus sit, an commentitius, propria Dissertatione expendam. Obiit anno Christi 256. Galli & Volusiani Imperatorum tertio, septuagesimo ætatis anno, ut testatur Eusebius libro VII. Historiæ cap. 1. Tyri mortuus, ac sepultus est.

## §. II.

### *De Origenis erroribus.*

ORigeni ab Antiquis bi tribuuntur errores. 1. Quòd Filium non esse natum, sed factum, esse Patre minorem, & inferiorem, comparatum Patri non esse veritatem: & Spiritum Sanctum esse tertium dignitate & honore post Patrem & Filium, Filioque inferiorem dixerit. Hunc ipsi errorem tribuunt Sanctus Hieronymus Epistola 59. quæ est ad Avitum, & Epistola 65. ad Pammachium, & Oceanum data, & libro 2. Apologiæ adversùs Ruffinum, Sanctus Epiphanius Hæresi 64. & Epistola ad Joannem Hierosolymitanum, Sanctus Augustinus libro de Hæresibus, Justinianus Imperator in Tractatu adversùs Origenis errores misso ad Mennam Patriarcham Constantinopolitanum qui à Quinta Synodo, necnon à Vigilio Pontifice Maximo postea probatus est. Hunc errorem proprium esse Origenis, ex variis ipsius Operum locis constat, quæ Sanctus Hieronymus, & Justinianus proferunt.

2. Sensit Origenes hominum animas ante corpora creatas fuisse, & cælestes fuisse virtutes, quæ ob peccatum, animæ evaserunt; & in corpora velut in carceres quosdam supplicii causâ immissas esse. Ad quem errorem probandum, hoc Regii Vatis loco abutebatur, Psalmo 118. *Priusquam humiliarer, ego deliqui*: verba illa animæ tribuens, quæ antea deliquisset, quàm corpori illigaretur. (Ex Sancto Epiphanio Hæresi 64. ex Sancto Hieronymo locis citatis, & ex Justiniano in Tractatu adversùs Origenis errores) Sanctus Hieronymus lib. 2. Apologiæ contra Ruffinum, postquàm varias circa animæ creationem sententias, & ipsius Ruffini dubiam nutantemque opinionem attulit, hæc habet: *O infelices animas; quæ tantis vitiorum lanceis vulnerantur! Non eas puto, juxta Origenis errorem, tantùm laborasse, cum de cælo in terras ruerent, & crassis corporibus vestirentur, ut nunc verbis & sententiis hinc inde collisas.*

3. Sensit animam Christi præextitisse Deo Verbo unitam ante Incarnationem, & generationem ex Virgine; ut testantur Sanctus Hieronymus lib. 2. Apologiæ adversùs Ruffinum, & Justinianus Imperator in Tractatu suprà laudato; & ex ipso Origene lib. 1. de Principiis, cap. 6. & libro 1. contra Celsum, & Tomo 1. in Joannem pag. 35. Huetianæ Editionis, & Tomo 20. pag. 307. constat.

4. Sensit Christi Passionem Dæmonibus ipsis profuturam: imò Christum in futuro sæculo pro Dæmonibus crucifigendum. (Ex Theophilo Alexandrino Epistola Paschali 2. ex Sancto Hieronymo libro 1. Apologiæ adversùs Ruffinum, & Epistola 59. ad Avitum data, ex Posthumiano, apud Sulpitium Severum Dialogi 1. cap. 3. & ex Justiniano in Tractatu ad Mennam adversùs Origenis errores.) Idem constat ex ipso Origene lib. 4. Periarchon.

5. Futuram aliquando diaboli salutem, & dæmonum

monum hominúmque impiorum suppliciis finem imponendum esse propugnavit. Id testantur Sanctus Epiphanins in Epistola ad Joannem Hierosolymitanum, Theophilus Epistola Paschali 2. Sanctus Hieronymus Epistola 59. ad Avitum, & Epistola 61. ad Pammachium, & Epistola 65. ad Pammachium & Oceanum: Sanctus Augustinus libro de Hæresibus, cap. 43. Justinianus loco suprà laudato, & in Epistola ad Quintam Synodum. Et constat ex ipso Origene libro 1. περὶ ἀρχῶν cap. 6. & libro 3. cap. item 6.

6. Non pœnarum dumtaxat, sed fœlicitatis etiam tempus certis circumscriptum terminis esse voluit, animásque ad perfectionis culmen evectas, ac peccati, corporeæque molis sordibus expurgatas, rursus à virtute in vitium deflectere posse, quod cùm fecerint, in crassioris corporis carcerem detrudendas. Hunc errorem adstruit Origenes passim, in libris περὶ ἀρχῶν, locis notatis à Sancto Hieronymo, Epistola 59. ad Avitum.

7. De resurrectione mortuorum pessimè sensit Origenes, ut constat ex Sancto Epiphanio Hæresi 64. ex Theophilo Alexandrino, Sancto Hieronymo, & Justiniano, locis prælaudatis, necnon ex S. Augustino libro de Hæresibus, qui ipsum criminantur quòd resurrectionem è medio sustulerit. Sed reverà voce tenus resurrectionem corporis adstruxit, carnis verò inficiatos resurrectionem est, ut constat ex Sancto Hieronymo in Epistola ad Pammachium, ex Pamphilo in Apologia, & Methodio in libro de Resurrectione, cujus extat Epitome apud Sanctum Epiphanium Hæresi 64. & apud Photium, Cod. 234. & ex ipso Origene libro 2. περὶ ἀρχῶν, cap. 3. & in Commentariis ad Psalmum 1. Addidit, illud qualecumque corpus, quod in mundi consummatione recepturæ erant animæ, orbiculatum fore, figuram omnium perfectissimam, & rerum cælestium propriam novo corpori congruam existimans. Id constat ex Justiniano in Tractatu ad Mennam.

8. Ignem inferni, allegoricè dumtaxat intellexit, nihilque aliud esse voluit quàm conscientiæ peccatricis stimulos. Id constat ex ipso Origene libro 2. de Principiis, cap. 2. & ex Orosio in Commonitorio ad Sanctum Augustinum; quo inter alia queritur Origenistas quosdam jactare solitos, *Ignem æternum quo peccatores puniantur, non esse ignem verum, dicentes dictum esse ignem propria conscientia punitionem; ac sic omnes peccatorum animas post purgationem conscientiæ in unitatem Corporis Christi esse redituras.* Quò spectant etiam illa verba Sancti Hieronymi libro 3. in Epistolam ad Ephesios; *Quia igitur sunt plerique, qui dicunt non futura pro peccatis esse supplicia, nec extrinsecùs adhibenda tormenta, sed ipsum peccatum, & conscientiam delicti esse pro pœna, dum vermis in corde non moritur, & in animo ignis accenditur, in similitudinem febris, qua non torquet extrinsecùs ægrotantem, sed corpora ipsa corripiens punit, sine cruciatuum extrinsecùs adhibitione*: &c.

9. Astra animata esse, Deum cognoscere, ac precari; peccare posse, judicatum iri ac salutem sperare & posse consequi, affirmavit Origenes, libro 1. de Principiis, cap. 7. & lib. 5. contra Celsum. Cujus erroris ipsum etiam insimulant Theophilus Alexandrinus Epistola 1. & 2. Paschali, & Sanctus Hieronymus Epistola 59. ad Avitum, & Epistola 61. ad Pammachium, Orosius in Commonitorio ad Sanctum Augustinum, & Augustinus ipse in libro contra Priscillianistas & Origenistas, & Justinianus in Tractatu ad Mennam.

10. Circumscriptam Dei potentiam sensit Origenes libro 2. de Principiis, cap. 1. quod ei crimen etiam objiciunt Theophilus Alexandrinus Epistola 1. Paschali, Justinianus loco laudato, & Rufinus in Libello de Fide, quem Sirmondus edidit.

11. Mundum hunc aspectabilem & corporeum ex occasione duntaxat, & secundaria velut inventione Dei creatum esse asseruit, ad puniendas, & quibusdam quasi ergastulis concludendas naturas rationis compotes, quæ ante orbis creationem deliquerant, lib. de Principiis, cap. 1. 8. & 9. & lib. 3. cap. 5. Idem constat ex Theophilo Alexandrino, Epistola Paschali 1. ex Sancto Hieronymo Epistola 59. ad Avitum, ex Sancto Augustino lib. 11. de Civitate Dei, cap. 23. & libro contra Priscillianistas & Origenistas, cap. 8.

12. Perpetuam mundorum propagationem, ac successionem admisit Origenes. Quod constat ex iisdem Authoribus, & ex Methodio apud Photium Codice 235.

13. Totam de Paradisi consitione Mosaicam narrationem ad allegoriam detorsit. Arbitratus enim est Paradisum terrestrem positum in cælo fuisse: arbores Angelicas esse fortitudines, scorteas tunicas quibus Adamum & Evam Deus induit, esse terrenum corpus & mortale animabus impositum. Hic error se prodit apud Origenem lib. 4. de Principiis, cap. 2. Homilia 1. in Genesim, & libro 4. contra Celsum: eumdem ipsi objiciunt Methodius apud Epiphanium Hæresi 64. & Epiphanius ipse in Epistola ad Joannem Hierosolymitanum.

14. De gratiæ divininæ auxiliis pessimè sensit Origenes, adeo ut Sanctus Hieronymus in Epistola ad Ctesiphontem, cap. 1. Pelagii doctrinam *Origenis ramusculum* esse non immeritò pronuntiaverit, & lib. 3. adversùs Pelagium, cap. ultimo, jure appellaverit Origenem *Pelagianorum Amasium*. Existimavit namque Origenes animas juxta mensuram meritorum, quæ comparaverant antequam corporibus illaberentur, variis gratiæ donis cumulari. Imò & meritis in hac vita partis divinæ gratiæ præsidia largiri Deum contendit, ita ut libero humanæ voluntatis arbitrio accepta referenda sint, per quod homines talibus donis digni effecti sunt. Hoc in errore fuisse Origenem, ac proinde Pelagianis ac Semipelagianis præfulsisse, demonstrarunt Jansenius Iprensis, lib. 6. de Hæresi Pelagiana cap. 15. & doctissimus Huetius lib. 2. Origenianorum, Quæst. 3. Sed de hoc & aliis Origenis erroribus Dissertatione propria uberiùs agemus, inquiremusque an ab iis absolvi possit. Alios Origenis errores recenset, & excutit idem Huetius eruditione incredibili, lib 2. Origenianorum. Sed vel benigna interpretatione molliri possunt loca quæ his infarta erroribus apud Origenem videntur: vel cum aliis Patribus ipsi communes sunt errores hujusmodi ac nævi, vel falsò ipsi affinguntur, ut quod Metempsichosim admiserit, quam tamen disertè impugnat lib. 4. & 8. contra Celsum, libro 5. in Epistolam ad Romanos, & aliis in locis diligenter notatis à doctissimo Huetio, lib. 2. Origenianorum, Quæst. 6. numero 19. Sic etiam falsò ipsi affingitur, quòd senserit ementitum corpus, & specie tenus apparens Christum gestasse, non verum & nostris corporibus simile. Sed enim hunc errorem sexcentis in locis impugnat, Homilia 14. & 17. in Lucam, Tractatu 35. in Matthæum, Homilia 1. in Ezechielem, libro 5. in Epistolam ad Romanos lib. 1. contra Celsum, lib. 2. de Principiis, cap. 6. & in Proœmio istorum librorum, ubi ait: *Incarnatus est, Filius Dei, cùm Deus esset, & homo mansit, quod Deus erat. Corpus assumpsit nostro corpori simile, eo solo differens, quòd natum ex Virgine, de Spiritu Sancto est. Et quoniam hic Jesus Christus natus & passus est in veritate, & non per imaginem, communi*

hac

*hac morte verè mortuus est : verè enim à mortuis resurrexit.* Falsum est quod ipsi tribuit Gennadius, lib. de Dogmatibus Ecclesiasticis, cap. 2. quòd nimirum asseruerit cum Marcione, Christum carnem è cœlo detulisse. In quo dupliciter peccavit Gennadius. Nec enim is fuit Marcionis error : nec Origenis, qui Homilia 14. in Lucam illum conceptis verbis expugnat. Fateor quidem frequentem formarum mutationem ipsum Corpori Christi assignasse, adeò ut sub qua vellet, sese singulis exhiberet conspicuum, sed ascititiam Corporis Christi substantiam nullatenùs existimavit. Neque verò fanaticum illud dogma ab Origene confictum est, & constanter asserium, sed ipsi traditum ab aliis, & ab eo propositum ut non omnino incredibile. Id patet ex ipsius verbis Tractatu 35. in Matthæum. *Venit ergo*, inquit, *Traditio talis ad nos de eo, quoniam non solùm duæ formæ in eo fuerunt ; una quidem secundùm quam omnes eum videbant : altera autem secundùm quam transfiguratus est coram Discipulis suis in monte, quando & resplenduit facies ejus tanquam Sol ; sed etiam unicuique apparebat, secundum quod fuerat dignus. Et cùm fuisset ipse, quasi non ipse omnibus videbatur.... Et non mihi videtur incredibilis esse Traditio hæc, sive corporaliter propter ipsum, Jesum, ut alio & alio modo videretur ab hominibus : sive propter ipsam Verbi naturam, quod non similiter cunctis apparet*, &c.

15. Origenistæ quidam, turpes dicti, nuptias repudiabant, Monasticam vitam specie tenùs profitebantur, & in omnem libidinem erant effusi. De his agit Sanctus Epiphanius Hæresi 63. An ab Origene Adamantio, an ab aliquo alio propagati sint, ignorare se profitetur. At duos Origenes Sanctus Athanasius, Sophronius Hierosolymorum Antistes in Epistola ad Sergium, Author Prædestinati à Patre Sirmondo editus, & Sanctus Joannes Damascenus lib. de Hæresibus, distinxerunt, Adamantium scilicet, & alium quemdam impurorum Origenistarum Principem.

## §. III.

### *De Origenis Sectatoribus, Defensoribus, & Impugnatoribus.*

ORigenem etiamnum viventem Demetrius Alexandrinus Episcopus damnavit anathemate, ut constar ex Sancto Hieronymo libro 2. Apologiæ adversùs Ruffinum capite 5. & ex Epistola ipsius Origenis ad Amicos, cujus ibidem meminit. Post obitum, ejus doctrinam primus impugnavit Methodius Tyri Episcopus, qui sub Diocletiani Imperio floruit. Inter ejus enim Opera libros de Resurrectione contra Origenem Sanctus Hieronymus recenset in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum, cujus Operis Fragmentum insigne Panario suo inseruit Sanctus Epiphanius Hæresi 64. cujus etiam Excerpta repræsentavit Photius Cod. 234. Hujus errores impugnavit & Sanctus Petrus Alexandrinus Methodio suppar, ut cònstat ex ipsius testimoniis quæ adversùs Origenem profert Justinianus in Tractatu ad Mennam.

Eusebius Origenis laudator.

Erumpente Ariana factione, Ariani perversam de Filio Dei Opinationem suam collectis ex Origenis Operibus testimoniis protegere conati sunt. Contra verò Orthodoxi ad ipsius auctoritatem elevandam, quâ tam impensè religionis hostes gloriabantur, animum appulerunt. Eusebius Cæsareensis, Arianæ factionis signifer obtrusam postea à Ruffino, Pamphili Presbyteri & Martyris nomine, Apologiam pro Origene, sex libris distinctam conscripsit. Erat quidem Pamphilus studiosissimus Origenis, ita ut omnes ejus libros undequaque conquisitos Cæsareensi Ecclesiæ dedicaret, ut testatur S. Hieronymus in Epistola ad Marcellam & maximam eorum partem manu propria descripsit, qui in Cæsareensi Bibliotheca S. Hieronymi ætate adhuc asservabantur, ut ipse testatur in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum cap. 86. Sed Apologiam non scripsit pro Origene. Licèt namque scripsisse asserat ibi Sanctus Hieronymus, nondum excusso Rufini fuco, neque compertis dolis : tamen libro 1. & 2. Apologiæ adversùs Rufinum, re diligentiùs expensâ, fatetur se deceptum fuisse & Apologiam Origenis, à Rufino Scriptore nequam, fuisse adornatam nomine Pamphili Martyris, quò majoris ponderis esset ; quamvis non Pamphili sit, sed Eusebii Cæsareensis. Atque hac in parte major adhibenda fides est Sancto Hieronymo, quàm Photio, qui ad illam Apologiam conscribendam, Eusebium, & Pamphilum conjunctas operas contulisse scribit, causamque istius scriptionis hanc fuisse narrat, ut ad Confessores ad metalla propter Christum damnatos solatii ergo mitteretur. (Cod. 118.)

Dum Origeni patrocinaretur Eusebius, Eustathius Antiochenus Episcopus, veritatis contra Arianos acerrimus defensor, Origenem ipsum adorsus est, & ejus sententiam de Engastrimytho lucubratione singulari refellendam suscepit, teste Sancto Hieronymo, in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum cap. 96.

Anno circiter 393. Sanctus Pacomius Tabennensis in Ægypto Abbas, morti proximus, Monachis suis lectione librorum Origenis interdixit. Maxima fuit Sanctorum Basilii & Gregorii Nazianzeni de Origene existimatio, cujus ex Operibus selectiora loca in unum volumen congesserunt, *Philocalia* titulo inscriptum.

Origenismus apud Nitriæ Monachos in Ægypto propagatus.

Propagatus est Origenismus apud Ægyptios Monachos qui Nitriam Montem incolebant Sancti Epiphanii temporibus, ut ipse testatur Hæresi 64. qua tempestate, Melania senior nobilis fœmina Hierosolymam pietatis causâ concedens, atque inter Nitriæ Monachos aliquandiu morata, cum Rufino Aquileiensi Presbytero itineris comite, Origenis erroribus à Didymo viro doctissimo, sed professo Origenista imbuta est. Hierosolymis ubi sedem fixit, opes in pauperum ac peregrinorum effundens subsidia, ibi excepit Evagrium Ponticum, qui Rufini ac postea Didymi consuetudine Origenista factus, inter Nitriæ Monachos nomen dedit, atque Origenis Dogmata libris editis tuitus est, ex Sancto Hieronymo, in Epistola ad Ctesiphontem adversùs Pelagium, cap. 2. Eòdem aliquot post annos pervenit Palladius Galata & triennio in Monasteriis transacto, cùm infirma esset valetudine, secessit in Palæstinam, ibique Origenis errores, quos in Ægypto hauserat, propagavit : Paulam Romanam nobilitate & sanctitate conspicuam fœminam his inficere frustra conatus, prohibente scilicet Sancto Hieronymo (ut ipse testatur Epistola 27. quæ complectitur Epitaphium Paulæ matris, cap. 11. & 12.)

Joannes Hierosolymitanus Origenismi fautor.

Eadem tempestate Joannes Hierosolymitanus Episcopus Origenismi fautor extitit : cum quo eam ob rem Sancti Epiphanius & Hieronymus pedem contulerunt. Legenda ea de re Epistola Sancti Epiphanii ad illum Præsulem, quæ inter Hieronymianas est sexagesima, & Epistola 61. Sancti Hieronymi ad Pammachium data. Ex ea constat, Archelaum Comitem virum disertissimum & Christianissimum, conciliare pacem voluisse inter Sanctum Epiphanium & Joannem Hierosolymitanum. Placuit ut quoniam violatæ fidei reus Joannes agebatur, fidei professione iniretur concordia. Condicto fœderis loco, quò se stata die venturum pollicitus erat Hierosolymitanus

tosolymitanus Antistes, adesse fugit, usus excusatione ridicula, quòd devotæ cujusdam muliercula ægritudine retardaretur. Interim Theophilus Alexandrinus Ecclesiasticæ pacis curam gerens, Isidorum Alexandrinum Presbyterum & Monachum ad Joannem, aliósque misit, ortas contentiones ut sedaret; sed cùm Isidorus ille propensum in Origenis doctrinam ingenium præ se ferret, faveretque nimiùm Hierosolymitano Antistiti, re infecta, discessit. Ex ea insuper Epistola constat, communionem inter Joannem Hierosolymitanum & Sanctos Epiphanium atque Hieronymum, ipsisque adhærentes in Palæstina Monachos, abruptam fuisse. Id enim significant ista Sancti Hieronymi verba: *Quæ est tanta arrogantia non respondere de fide interrogantibus? Tantam Fratrum multitudinem, & Monachorum Choros, qui tibi in Palæstina non communicant, quasi hostes publicos æstimare?*

Et infrà sic de seipso Hieronymus loquitur: *Ego misellus, dum in solitudine delitesco, à tanto Pontifice repente truncatus, Presbyteri nomen amisi.* Sic sugillat Joannem Hierosolymitanum, quem & his verbis infrà perstringit: *Nos-ne sumus qui Ecclesiam scindimus? An ille qui vivis habitaculum, mortuis sepulchrum negat, qui Fratrum exilia postulat? Quis potentissimam illam feram, totius orbis cervicibus imminentem, contra nostras cervices spiritualiter incitavit? Quis ossa Sanctorum, & innoxios cineres hucusque verberari ab imbribus sinit? His nos blandimentis bonus Pastor invitat ad pacem, & proprium arguis facere Principatum, qui omnibus rectam dumtaxat fidem tenentibus, & Communione, & charitate sociamur. An tu solus Ecclesia es; & qui te offenderit, à Christo excluditur?*

Rufinus Origenista.

Anno Christi 397. Romam reversus cum Melania Rufinus libros περὶ ἀρχῶν Origenis à se latinitate donatos, unà cum priore libro Apologiæ Eusebii pro ipso Origene, quem Pamphili Martyris nomine inscripsit, edidit in publicum; contestatus se reliquis dogmatibus intactis, adscriptos Origeni errores de Trinitate Sanctissima, utpote ab Hæreticis intrusos (ut pertendebat) expunxisse, vel emendasse.

Interim Sanctus Hieronymus librorum περὶ ἀρχῶν, interpretationem adornavit, qua lucubratione Rufinianæ interpretationis perspectam fecit perfidiam; & Rufini versionem coarguit, data ad Pammachium & Oceanum Epistola 65. Hieronymi criminationes Apologia duplici depellere conatus est Rufinus, cui duplicem quoque Apologiam Sanctus Hieronymus opposuit.

Anastasius Papa damnat Origenis errores.

Effervescente contentione, & Romanos, aliosque toto orbe Christianos diversa in studia distrahente, Anastasius Pontifex Maximus Origenis errores hæreseos nota inussit (ut testatur Theophilus Alexandrinus in Epistola ad quosdam Monachos, quam Justinianus profert in Tractatu ad Mennam, & S. Hieronymus lib. 2. Apologiæ, cap. 6.) Id factum est anno Christi 400. Rufinum prætereà Romam vocavit ad causam dicendam: qui frivolis excusationibus Pontificis citationem eludens, fidei professionem ad ipsum misit. Non prohibuit Apologia Rufini ad Anastasium scripta quin hæreseos ab ipso damnaretur, instante Marcella, cui tuendæ fidei, & profligandi Origenismi studium Deus afflavit, ut Melaniæ pro Origene & Origenistis, conatus elevaret. Hujus rei testis est Sanctus Hieronymus Epistola 16. ad Principiam data, quâ Marcellæ Epitaphium continetur. *Tunc*, inquit, *librorum περὶ ἀρχῶν infamis interpretatio.... Tunc nostrorum διδασκάλων contradictio, & Pharisæorum turbata est Schola. Tunc sancta Marcella, quæ diu se cohibuerat, ne per æmulationem quidpiam facere videretur, postquam sensit fidem Apostolico ore laudatam in plerisque violari, ita ut Sacerdotes*

Rufino diem dicit, illumque damnat.

Melania Origenistis favet, cui obviat Marcella.

*quoque, & nonnullos Monachorum, maximèque sæculi homines in assensum sui traheret, ac simplicitati illuderet Episcopi, qui de suo ingenio cæteros æstimabat,* (Siricii nimirum Papæ, qui Origenistas Catholici nominis larvam præferentes communicatoriis literis donavit) *publicè restitit, malens Deo placere, quàm hominibus.... Cernentes Hæretici de parva scintilla maxima incendia concitari,... & suppositam dudum flammam jam ad culmina pervenisse, nec posse latere quod multos deceperat, petunt & impetrant Ecclesiasticas Epistolas; ut communicantes Ecclesiæ discessisse viderentur. Non multum temporis in medio; succedit in Pontificatum vir insignis Anastasius, quem diu Roma habere non meruit, ne orbis caput sub tali Episcopo truncaretur: imò idcirco raptus atque translatus est, ne semel latam sententiam precibus suis flectere conaretur... Dicatis, quid hæc ad laudem Marcellæ? Damnationis Hæreticorum hæc fuit principium, dum adducit testes, qui prius ab eis eruditi, ab hæretico fuerant errore correpti, dum ostendit multitudinem deceptorum, dum impia περὶ ἀρχῶν ingerit Volumina, quæ emendata manu Scorpii monstrabantur; dum acciti frequentibus literis Hæretici, ut se defenderent, venire non sunt ausi, tantáque vis conscientiæ fuit, ut absentes damnari, quàm præsentes coargui maluerint. Hujus tam gloriosæ victoriæ origo Marcella est.*

Rufinum intelligit.

Et libro 3. Apologiæ contra Rufinum, cap. 6. sic ipsum alloquitur: *Vade potiùs Romam, & præsens apud eum* (Anastasium) *expostula cur tibi & absenti, & innocenti feceris contumeliam: primùm ut non reciperet expositionem fidei tuæ, quam omnis, ut scribis, Italia comprobavit, & baculo tuarum uti noluerit literarum contra canes tuos: deinde ut Epistolas contra te ad Orientem mitteret, & cauterium tibi hæreseos, dum nescis, inureret, diceretque libros Origenis περὶ ἀρχῶν à te esse translatos, & simplici Romanæ Ecclesiæ plebi traditos, ut fidei veritatem, quam ab Apostolo didicerant, per te perderent.*

Eadem Rufini damnatio constat ex Epistola Anastasii Papæ ad Joannem Hierosolymitanum, in qua inter alia hæc habet de Rufino: *Rufinum scito, quòd propria mente Origenis dicta in Latinum transtulit, ac probavit: nec dissimilis ab eo est, qui alienis vitiis præstat assensum. Illud tamen scire cupio, ita haberi à nostris partibus alienum, ut quid agat, ubi sit, nescire cupiamus. Ipse denique viderit ubi possit absolvi.*

Porro ex ea Epistola constat, Joannem Hierosolymitanum; qui primùm Origenistas fovetat, eorumque studuerat erroribus, Sancti Hieronymi Epistolis, ut verisimile est, ad Orthodoxam doctrinam revocatum, Origenismum ejurasse. Nam Origenistam tot laudibus non cumulasset Anastasius, Origenis, & Origenistarum damnator, quantis ipsum hac in Epistola exornat, neque cum eo communicasset. Sed nec S. Augustinus ipsum inter Episcopos, quibus Catholici Communione connectebantur, & à quibus sese Donatistæ diviserant, recensuisset, nisi ab Origenis erroribus fuisset tunc dierum alienissimus: *Cathedra tibi quid fecit Romanæ Ecclesiæ* (inquit Sanctus Augustinus lib. 2. contra Petilianum cap. 51.) *in qua Petrus sedit, & in qua hodie Anastasius sedet. vel Ecclesiæ Hierosolymitanæ, in qua Jacobus sedit, & in qua hodie Joannes sedet, quibus nos in Catholica unitate connectimur, & à quibus vos nefario furore separastis?*

In Hispanias circa eadem tempora penetravit Origenismus, ab Avito illuc illatus. Adversùs Origenis hæresim, & alias patriam suam infestantes, Paulus Orosius Sancti Augustini zelum, oblato ipsi Commonitorio, accendit. Scripsit statim ad Orosium Sanctus Augustinus librum adversùs Priscillianistas, & Origenistas, quo utramque hæresim impugnavit. Extat ille Tomo 6. Operum ipsius.

Theophilus Alexandrinus Origenismi impugnator acerrimus.

Iisdem fere temporibus Origenismum acerrimè impugnavit Theophilus Alexandrinus. Hujus initia belli refert Socrates lib. 6. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 7. & Sozomenus lib. 8. cap. 11. Ortâ in Ægypto Anthropomorphitarum hæresi, quam rudiorum greges Monachorum amplexi sunt, Theophilus hunc errorem Epistola quadam Paschali impugnavit, quæ ob id pessimè ab Ægyptiis Monachis excepta est. Horum plurimi Alexandriam manu facta ad Theophilum ex Ecclesia expellendum, imò & interficiendum advolarunt. Ille stolidorum hominum furorem horum æquivocatione verborum prudenter delinivit: *Vos cùm intueor, ipsius Dei vultum mihi videor intueri*. His verbis pacati, ab ipso postularunt ut Origenem damnaret, cujus in Operibus Deus corporis expers asserebatur. *Ego verò*, inquit ille, *Origenis odi libros, & illos gravi reprehensione dignos censeo*. Atque hîc substitisset forsan controversia de Origenis libris in Ecclesia Alexandrina, nisi nova occasione excitata fuisset (ut ait Socrates.)

Fratres Longi de Origenismo suspecti.

Scilicet Ægypti Monasteriis præerant viri quatuor pietate & doctrina conspicui, Dioscorus, Ammonius, Eusebius, & Euthymius, germani fratres, staturâ proceri, ideóque *Fratres Longi* cognominati. Hi primum in amicitiis fuerunt Theophilo, qui Dioscorum Hermopoleos constituit Episcopum, duos apud se detinuit ut Ecclesiæ inservirent. Ipsorum deinde ex amico hostis effectus est ob privatas injurias, quas recensent Socrates & Sozomenus: quæ quidem Theophilum uni avaritiæ, & vindictæ studuisse probarent, si vera essent, quæ illi Authores scribunt: sed veniunt ea in suspicionem falsitatis, quòd partim incertæ famæ, partim viri cujusdam testimonio, qui cum Monachis illis versatus fuerat, acceptam referat Sozomenus hanc historiam. Adduot mox laudati Scriptores, Theophilum invidiam Fratribus Longis conflasse apud Monachos Anthropomorphitas, quòd Deum corporis expertem esse assererent, atque Origenistæ essent. Juvit suspicionem Origenismi de ipsis conceptam Isidori Alexandrini Presbyteri Origenistæ, quem inter & Theophilum simultas recèns orta erat, confugium ad Asceras Nitrienses. Quos ob susceptum ipsius patrocinium, insectatus est vehementer, ac vexavit homo ferventioris indolis. Illata Fratribus Longis, aliisque Monachis mala refert in Vita Sancti Joannis Chrysostomi Palladius Helenopolitanus Episcopus. Sed cùm professus ille fuerit Origenista, nemo cordatus non judicabit ipsum in Theophilum iniquiorem fuisse, nec fidem ipsi temerè adhibendam in his quæ Origenismum spectant. Sanctorum potiùs Hieronymi, & Epiphanii judicio de Theophilo standum est, qui fidei zelum in eo, ob damnatos Origenistas, commendarunt. Eo nempe zelo accensus, congregavit Synodum Alexandriæ anno Christi 399. In qua Origenem, & Origenistas damnavit, Imperialibusque Edictis impetratis, Monachos Origenis seu sectatores, seu defensores, Nitriensibus Asceteriis expulit; Synodicam ad Anastasium, cæterosque orbis Catholici Episcopos, Epistolam direxit Theophilus, qua eos rei gestæ certiores faceret. Intercidit hæc Epistola.

Theophilus congregata Alexandriæ Synodo Origenem & Origenistas damnat.

Theophili zelus à SS. Epiphanio & Hieronymo laudatus.

Scripsit quoque ad Sanctum Epiphanium, quæ inter Hieronymianas 67. est, qua ipsum est adhortatus ut Synodum in Cypro Insula congregaret, ad damnandum pariter Origenem, & Encyclicas ea de re literas ad viciniores Provincias, & Constantinopolim mitteret. *Ecclesia Christi*, inquit, *quæ non habet maculam, neque rugam, egredientes de cavernis suis Origenis colubros Evangelico ense truncavit, & secundum Nitriæ Monachorum agmen, contagione pestifera liberavit. Pauca ergo ex iis quæ gesta sunt, in generali Epistola, quam ad omnes in commune direxi, prout patiebatur angustia temporis, comprehendi. Dignationis tuæ est, quæ in hujuscemodi certaminibus sæpe ante nos pugnavit, & positos in prælio consolari, & congregare totius Insulæ Episcopos, ac Synodicas literas tam ad nos, quàm ad Constantinopolitanæ urbis Episcopum, & si quos alios putaveris, mittere: ut consensu omnium, & ipse Origenes nominatim, & hæresis nefaria condemnetur. Didici enim quòd calumniatores veræ fidei, Ammonius, Eusebius, & Euthymius, novo pro hæresi furore bacchantes, Constantinopolim navigaverint; ut & novos, si quos voluerint, decipiant; & veteribus suæ impietatis sociis conjungantur. Cura igitur tua sit, ut cunctis Episcopis per Isauriam, atque Pamphiliam, & cæterarum Provinciarum, quæ in vicino sunt, rei ordinem pandas; & nostram, si dignum putas, Epistolam subjicias, ut omnes uno spiritu congregati, cum virtute Domini nostri Jesu Christi, tradamus eos satanæ in interitum impietatis, quæ possidet eos.*

De damnata Origenis hæresi, deque purgatis Nitriæ Monasteriis ab illorum Fratrum contagio, qui eam serere & effundere nitebantur, scripsit pariter ad Sanctum Hieronymum Theophilus. Extat brevis illius Epistola inter Hieronymianas 69. Theophilo de confixis Origenistis Sanctus Hieronymus gratulatus est, Epistolis 70. & 71. In priori hæc habet: *Breviter scribimus, quod totus mundus exultet, & in tuis victoriis glorietur; erectumque Alexandriæ vexillum crucis, & adversus hæresim trophea fulgentia: gaudens populorum turba prospectet. Macte virtute, macte Zelo fidei, ostendisti quod hucusque taciturnitas dispensatio fuit, non consensus. Liberè enim Reverentiæ tuæ loquor. Dolebamus te nimiùm esse patientem; & ignorantes Magistri gubernacula, gestiebamus in interitum perditorum. Sed, ut video, exaltasti manum diu, & suspendisti plagam, ut ferires fortiùs.* Quæ verba apertè refellunt Palladii, Socratis, & Sozomeni testimonia, scribentium, ea quæ à Theophilo in Origenistas gesta sunt & decreta, ex ferocia iræ impetu gesta esse; nam Sanctus Hieronymus nimiam fuisse Theophili erga ipsos lenitatem & patientiam ait, non solùm in Epistola mox laudata, sed etiam in 68. *Super nefaria hæresi*, inquit, *quòd multam patientiam geris, & putas Ecclesiæ visceribus incubantes tua posse corrigi lenitate, multis Sanctis displices: ne dum paucorum pœnitentiam præstolaris, nutrias audaciam perditorum, & factio robustior fiat.*

Palladius, Socrates, Sozomenus in Theophilum minus æqui.

Epistola verò 71. ita Theophilum alloquitur: *Vox Beatitudinis tuæ in toto orbe personuit; & cunctis Christi Ecclesiis lætantibus, diaboli venena siluere. Nequaquam ampliùs antiquus serpens sibilat; sed contortus, & evisceratus, in cavernarum tenebris delitescens, Solem clarum ferre non sustinet. Qui quidem super hac re & antequam scriberes, ad Occidentem Epistolas miseram, ex parte Hæreticorum strophas mea lingua hominibus indicans. Ex dispensatione Dei factum puto, ut eo tempore tu quoque ad Anastasium Papam scriberes, & nostram dum ignoras sententiam, roborares. Verùm à te nunc admoniti, magis studium accommodabimus, ut hic, & procul, simplices ab errore revocemus.*

Scripsit interim Sanctus Epiphanius ad Sanctum Hieronymum de hæreseos Origenianæ damnatione à Theophilo facta, exemplar mittens Epistolæ quam ab ipso ea de re acceperat, ejusque zelum mirum in modum extollens. *Scito*, inquit, *Fili charissime! Amalech usque ad stirpem esse deletum, & in monte Raphidim erectum trophæum crucis. Etenim quomodo porrectis in altum Moysi manibus, vincebat Israël: Sic Dominus confortavit famulum suum Theophilum, ut super altare Ecclesiæ Alexandrinæ contra Origenem vexillum poneret; & impleretur in eo quod dicitur: Scribe signum hoc, quia delebo funditus Origenis hæresim*

*resim à facie terræ cum ipso Amalech. Et ne videar eadem rursus iterare, & prolixiorem epistolam texere, ipsam ad vos scriptam direxi, ut scire possitis quæ nobis scripserit & quantum boni ultimæ ætati meæ concesserit Dominus; ut quod semper clamabam, tanti Pontificis testimonio probaretur.* Ex his constat quantus fuerit, & quàm laudandus Theophili in Origenis doctrinam, & in Origenistas zelus: nec audiendos esse Palladium, Socratem, Sozomenum, qui Theophilum iracundum, pecuniæ cupidum, promptum in vindictam, crudelem, privatis injuriis caussam Dei falsò obtendentem exhibent. Enimvero si res ita se habuissent, latere non potuissent Sanctos Epiphanium & Hieronymum in vicino positos, nec Monachos insontes & pios lacerassent; neque laudassent Theophili humanitatem; nec Anastasius Pontifex Maximus ejus Synodum probasset. Meritò itaque Theophilus illos Monachos, qui vel Origenis errores sectabantur, vel sectari præsumebantur ob pertinacem ipsius defensionem, & librorum ipsius lectionem, quam Episcopi prohibuerant, anathemate damnavit, & Monasteriis exegit, ne cæteros inficerent.

S. Joannes Chrysostomus à Fratribus Longis deceptus illis patrocinatur.

Dum hæc gererentur à Sanctis Epiphanio, & Hieronymo, & à Theophilo, classicum adversùs Origenistas canentibus, pervenerunt Constantinopolim Origenistæ Nitrienses, & inter eos celeberrimi Fratres Longi, & ad Sancti Joannis Chrysostomi Constantinopolitani Antistitis genua advoluti, ejus operam & auctoritatem implorarunt, ut eos cum Theophilo in concordiam & gratiam revocaret, & ipsis redeundi in sua Monasteria impetraret ab illo facultatem. Ipsos benignè excepit Chrysostomus, & communione dumtaxat precum, non verò Sacramentorum illis concessa, se apud Theophilum de ipsorum restitutione per litteras acturum spopondit. Deceptus est scilicet Chrysostomus externa pietatis specie, & Catholicæ Fidei professione, quam illi Monachi præferebant, errores Origenis ejurantes. Scripsit ad Theophilum in eorum gratiam, sed frustra. Nam Alexandrinus Antistes falsis rumoribus ad se perlatis exasperatus, quòd nimirum Chrysostomus ipsos ad sacrorum Mysteriorum Communionem contra Canones admisisset, ipsi succensere cœpit, & depositionem ipsius moliri, quam Eudoxiæ deinde Imperatricis potentiâ fretus, cujus iracundiam ferventior Joannis Concio concitaverat, facilè perfecit in Synodo ad Quercum, de qua suo loco agemus.

S. Epiphanius coacta Synodo in Cypro, Origenem & Origenistas damnat.

Origenistas enim tanta humanitate exciperet Sanctus Chrysostomus, Origenem, ejusque Sectatores Sanctus Epiphanius in Concilio Cypriorum Episcoporum damnavit, cunctis in Cypro Catholicis lectione librorum Origenis interdicens. Misit Constantinopolim Decreti Synodici exemplar, quod Chrysostomus neglexit. Ab ipso vero impenium Nitriensibus Monachis patrocinium magnam illi apud Sanctos Epiphanium & Hieronymum conflavit invidiam. Ipsum sub Barnabæ nomine obscurè perstrinxisse videtur Sanctus Hieronymus Epistola 16. ad Principiam: *Refrigerata*, inquit, *charitate multorum, pauci qui amabant fidei veritatem, nostro lateri jungebantur, quorum publicè petebatur caput; contra quos opes omnes parabantur; ita ut Barnabas quoque duceretur in illam simulationem, imò apertum parricidium, quod non viribus, sed voluntate commisit.*

Sanctus autem Epiphanius Constantinopolim ad Concilium invitatus à Theophilo, cùm eò appulit, nec communi Ecclesia, nec domo cum Sancto Joanne Chrysostomo uti voluit: licet advenientem Joannes cum totius Cleri comitatu obviam progressus honestasset, & honorificentissimè invitasset. Hæc & alia ad dissidium Theophili cum Sancto Joanne Chrysostomo spectantia, referunt Socrates lib. 6. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 11. & Sozomenus lib. 8. cap. 12. 13. & 14. Hæc anno Christi 403. contigerunt.

Sub Imperio Justiniani anno Christi 536. rursus è Palestinæ Monasteriis Origenismus emersit, Nonno, & Leontio Byzantio authoribus. Magni in Sabæ Laura tumultus hac de causa excitati, ad annum circiter 538. quo Justinianus Imperator suadente Pelagio S. R. E. Diacono, qui tum Constantinopoli Vigilii Apocrisiarium agebat, Epistolam seu Tractatum ad Mennam Constantinopolitanum Patriarcham nomine suo conscribi jussit, quo Origenis, & Origenianorum dogmatum damnatio continetur. Missus ille est ad Vigilium Pontificem Maximum & cæteros Patriarchas, qui cum suffragiis suis & subscriptionibus comprobaverunt (teste Liberato Carthaginensis Ecclesiæ Archidiacono, Breviarii cap. 23.)

Origenis errores in quinta Synodo Œcumenica damnati.

Denique coactâ Constantinopoli Quinta Synodo Œcumenica, anno 553. in ea non solùm de Trium Capitulorum, verùm etiam de Origenis damnatione actum est, proscriptique ejus errores ut hæreses putidæ, & anathemate confixum nomen (ut testantur Evagrius lib. 4. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 37. & Sophronius Hierosolymitanus Antistes in Epistola ad Sergium Constantinopolitanum, quæ relata est in 6. Synodo Actione II.) idem testatur 7. Synodus Actione 7. Plena tamen cognitio, quæ de Origene, & ejus sectantibus Dydimo & Evagrio, in 5. Synodo instituta est, in Actis Latinis illius Synodi non recensetur. Unde illa truncata esse asserit Annalium Ecclesiasticorum Parens.

---

## CAPUT IV.

### *De Authoribus Ecclesiasticis tertii Sæculi.*

TErtio Sæculo veritatem propugnaverunt lucubrationibus suis, & Scriptis illustrarunt Ecclesiam, Minutius Felix, Sanctus Hyppolitus Portûs Romani Episcopus, Caius, Origenes, Ammonius, Julius Africanus, Sanctus Cornelius, Sanctus Cyprianus, Dionysius Romanus, Pierius, Pontius Diaconus, & Novatianus, Sanctus Gregorius Neocæsariensis, Sanctus Dionysius Alexandrinus, quibus addunt aliqui Sanctum Sixtum Secundum Romanum Pontificem, & Sanctum Zenonem Veronensem. De ipsis, & eorum Operibus agemus in sequentibus Articulis.

### ARTICULUS I.

### *De Minutio Felice, S. Hippolito & Caio.*

I. MInutius Felix, celebris Romani Fori Causidicus, scripsit insignem pro Christiana religione Apologiam, sub forma Dialogi, in quo cum *Cæcilio* Ethnico homine disputat *Octavius* Christianus. Unde simpliciter inscribitur: *Minutii Felicis Octavius.* Hujus meminerunt Lactantius lib. 1. divinarum Institutionum cap. 11. & Sanctus Hieronymus in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum, cap. 69. & in Epistola ad Magnum Oratorem Romanum. Adjunctus erat in antiquis editionibus septem libris Arnobii adversùs Gentes, & ejus nomine inscriptus tamquam octavus illius Operis; sed Franciscus Balduinus Juris Civilis Consultissimus, & Christiana eruditione insignis, ipsum suo reddidit Authori in editione quam curavit Heidelbergæ anno 1560.

II. Sanctus Hyppolitus, gente Arabs, Episcopus, sub *Alexandro Severo* Imperatore floruit.

ruit. Cujus loci fuerit Episcopus, lis est inter Eruditos. Portûs Romani Episcopum fuisse, communis est opinio. Romanum Episcopum simpliciter vocant *Leontius* libro *De Sectis*, Actione VII. & *Germanus* Patriarcha Constantinop. in *Theoria*. Portus Romani Episcopum vocant *Sanctus Joannes Damascenus* in Eclogis, *Zonaras*, *Nicephorus*, & alii. Cujus urbis fuerit Episcopus, ignotum fuit *Sancto Hieronymo* in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum scribenti: *Hyppolitus cujusdam Ecclesiæ Episcopus (nomen quippe urbis scire non potui.)* Episcopum in Arabia fuisse ait *Gelasius* lib. *De duabus in Christo naturis*. Appellat quippe *Hyppolitum, Episcopum Metropolis Arabiæ in memoria hæresum*. Quod ex *Eusebio* lib. VI. *Historiæ Ecclesiasticæ* cap. XXII. confirmatur. *Beryllus*, inquit, *fuit Episcopus Bostrenorum in Arabia, similiter & Hyppolitus, alterius cujusdam Episcopus*. Vir quidam Eruditus conjicit, Episcopum fuisse Portûs Romani, non in Italia ad Ostia Tiberina, sed in Arabia. Nam revera in Arabia Portus erat nobilissimus, Romanis præcipuè notus, à quibus cùm frequentaretur, vocabatur Portus Romanus. De quo *Philostorgius* lib. III. cap. III. *Theophilus*, inquit, *ædificavit Ecclesiam, ubi Romanum erat Emporium, extrorsum ad Oceanum positum: vocant verò regionem Adanem, quò eos, quos ex Romanis venire contingit, appellere mos est*. Emporium istud Romanum à *Ptolomæo* libro VII. & libro VIII. vocatur Emporium Arabiæ, quia totius Arabiæ nobilissimum erat. *Sancti Hyppoliti* Opera recensent Eusebius libro 6. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 16. Sanctus Hieronymus in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum cap. 72. & Photius in Bibliotheca, Cod. 121. & 202. *Orationem de consummatione mundi, & Antichristo, ac secundo adventu Domini nostri Jesu Christi*, quæ Græcè & Latinè prodiit Parisiis anno 1557. Interprete Joanne Pico, Canonico majoris Ecclesiæ Parisiensis, & in Suprema ejusdem urbis Curia Senatore, abjudicant Hyppolito Casaubonus, Rivetus, Cocus, aliíque ex Heterodoxis Critici, rationibus quæ non cogunt. Prima est, quòd incipiat ab his verbis. ἐπειδὴ γὰρ *Quoniam enim*. Altera, quòd Antichristum non hominem fore, sed dæmonem humana forma indutum asserat. 3. Quòd Sanctum Joannem Evangelistam mortuum nondum esse, sed cum Elia & Enoch præcursurum secundum adventum Christi affirmet. 4. Quòd animas hominum à sæculis fuisse asserat. Verùm licet hæ rationes probent inelegantem esse librum, & nævis etiam nonnullis deformatum, non evincunt tamen Hyppoliti non esse genuinum Opus: maximè cùm Sanctus Hieronymus librum de Antichristo inter ejus Opera recenseat: & Photius Codice 202. suæ Bibliothecæ *Homiliam de Christo & Antichristo*, ipsi vendicet: Præterea *genus dicendi clarum & perspicuum*, in quo *sensuum simplicitas ac vetustas*, eluceant, quale in Operibus Sancti Hyppoliti notavit Photius, liber ille præsefert. Quòd autem in illo nævi nonnulli sint, non mirum. Nam & *in interpretatione Danielis*, quæ modò non extat, testatur Photius ipsum *pleraque veteri more, non ut postea fuère accuratiùs excussa, recensere, & adscribere Antichristi adventum, & mundi consummationem quingentesimo post Christum anno. Quasi à prima mundi constitutione sex millibus annorum tum decursis, ejus interitus instaret*. Quæ assertio, inquit Photius, *humanam ignorantiam potiùs, quam cœlestem inspirationem arguit*.

Oratio De Antichristo, S. Hyppolito vindicatur.

Quòd verò errorem de animarum humanarum à sæculis existentiâ scriptis consignaverit, nemo mirabitur, qui ipsum Origene familiarissimè usum, & Scriptorum ejus magnum admiratorem fuisse, à Photio didicerit Codice 121. Bibliothecæ. Quam quam fallitur Photius, cùm ait Hyppolitum suis sumptibus Origeni subministrasse septem Notarios, qui Commentarios in Scripturam sacram ab eo dictatos celeriter exciperent, & totidem Librarios, qui accuratè describerent. Id enim beneficii collatum Origeni ab Ambrosio, quem à Marcionitarum hæresi ad fidem ipse revocaverat, Eusebius, & Sanctus Hieronymus testantur. Nicephorus libro 4. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 31. Scripta Sancti Hyppoliti recensens ait: *Cùm in ejus Scriptis quædam reprehensione digna sint; absoluto pro Christi nomine Martyrio, ignorantiæ ejus maculam detersit*.

*Demonstratio adversùs Judæos* à Turriano Latinè reddita, & edita primùm à Possevino, in Apparatu sacro, incertum est an sit Hyppoliti genuinum Opus, cùm Sanctus Hieronymus illius non meminerit, nec alius è Veteribus qui ejus Opera laudarunt. Æquè dubia est *Homilia de trino & uno, & de Mysterio Incarnationis contra hæresim Noeti*: quam edidit Gerardus Vossius Præpositus Tungrensis.

Inter ejus lucubrationes celeberrimus est Canon sive Cyclus Paschalis XVI. annorum ab anno I. Alexandri Imp. incipientium. *Liber de Theologia & Incarnatione contra Beronem & Helicem Hæreticos*: cujus Excerpta quædam exhibuit Henricus Canisius Tom. I. Antiquæ Lectionis, & Margarinus Bignæus Tom. 4. Bibliothecæ Patrum, parte 2. non videtur esse Sancti Hyppoliti, cujus nomen præfert. Nec enim ejus meminêre Veteres: nec congruit temporibus Hyppoliti. Refellit enim errorem Apollinaris, & Eutychetis de mutatione divinitatis in carnem, vel carnis in Deum (ut constat ex illis verbis capitis 4.) *Quam essentiam*, inquit, *habebit eorum opinione factus homo mutata divinitate in carnem? Et quam habebit Deus mutata carne in Deum? Mutatio enim duarum Naturarum inter se, interitus est ambarum*.

Liber De Theologia & Incarnatione, non est S. Hyppoliti, [illegible] Opus.

Nec solùm post hæreses Apollinaris & Eutychetis jam ortas: verùmetiam post Monothelitarum hæresim effusam, conscriptus videtur iste Liber. Nam in eo maxima pars ejus versatur ut duas in Christo operationes probet; alioqui naturarum confusionem secuturam: sic nempe habet cap. 5. *Carnem à Verbo assumptam, unam & eamdem operationem habere, quam Divinitas, propter assumptionem; Divinitatem verò eamdem passionem, quam caro propter exinanitionem, sic mutationem simul & mixtionem, ac confusionem, & ambarum naturarum in seipsas conversionem tradunt. Si enim caro assumpta eamdem operationem habet, quam Divinitas, liquet factum esse naturâ Deum, haberique omnia cum quibus naturaliter intelligitur Deus: & si Divinitas exinanita eamdem passionem subit, quam caro, liquet factam esse natura carnem, habereque illa omnia cum quibus naturaliter nosci potest caro. Quæ enim inter se sunt ejusdem operationis, & efficientiæ, ac cognitionis, & omnino idem patiuntur, nullam naturæ differentiam recipiunt*.

Et cap. 6. *Qui eamdem operationem diversis naturis Christi tribuit, confusionem naturalem simul introducit, & divisionem personarum: cùm naturalis essentia naturarum, per mutationem proprietatum penitus sublata sit*.

Et cap. 7. *Creator omnium ex Sancta Virgine Maria, in conceptu puro, sine mutatione, animam intelligentem cum corpore sentiente sibi substantialiter uniens, factus est homo, naturâ à peccato alienus, Deus Verbum, idem Deus totus, idem item homo totus, Divinitate quidem divina operans per sanctam carnem, quæ naturâ non erant carnis; humanitate verò humana, quæ naturâ non erant Divinitatis, patiens sustentatione Divinitatis: Nihil divinum nudum corpore operans, nihilque humanum expers Divinitatis: servans*

sibi

*sibi novum modum, quo utraque, divina scilicet & humana operatus est, ut in neutra natura mutatio fieret.* Certè cum hæc Monothelitarum errorem, unicam in Christo voluntatem propugnantium, directè petant: verisimillimum est librum illum ante septimum Sæculum, quo exorti sunt Monothelitæ, elucubratum non fuisse.

Deinde si extitisset tempore Calchedonensis Concilii Theodoretus illa proculdubio testimonia adversùs Eutychianos protulisset in tribus Dialogis, quos contra ipsos composuit; maximè cùm alia ex Operibus Hyppoliti loca recenseat, nimirum *ex Oratione de distributione talentorum, ex Epistola ad quamdam Reginam, ex sermone in Helcanam & Annam*, quæ minùs splendida sunt & diserta, quàm ea quæ proximè adduximus. Non omisisset certè diligentissimus Scriptor testimonia deprompta ex libro de Theologia & Incarnatione, & in suum scopum tam directè collineantia, suo tam convenientia argumento, si in rerum natura liber hujusmodi extitisset.

Denique Beronis & Helices Hæreticorum, contra quos editus fertur, nulla est in tota retrò Antiquitate memoria.

Dices cum Canisio, & Possevino, errorem de mutatione Divinitatis in humanitatem, vel humanitatis in Divinitatem esse antiquiorem Eutychete, & Appollinari, cùm ejus meminerit Sanctus Justinus in Expositione Fidei: adeòque non esse abjudicandum Sancto Hyppolito librum de quo agimus, quòd eorum errorem refellat.

Respondeo, *Expositionem Fidei* non esse genuinum Sancti Justini Opus: adeòque responsionem Canisii & Possevini in auras evanescere.

Denique fertur sub nomine Sancti Hyppoliti Libellus seu Indiculus *de duodecim Apostolis, ubinam quisque eorum prædicaverit, ubique consummatus sit?* Esse Sancti Hyppoliti nihil probat præter Codicem Regium ex quo illum edidit Pater Combefisius Ordinis Prædicatorum, Tomo 2. Auctarii Bibliothecæ Patrum.

III. CAIUS Zephirini Pontificis temporibus floruit, & Disputationem insignem edidit adversùs Proculum Montani Sectatorem. Ejus meminerunt Eusebius lib. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 14. & Sanctus Hieronymus in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum cap. 70. *Caium* Romanæ Ecclesiæ Presbyterum fuisse, quin etiam Gentium Episcopum ordinatum absque certa ulla ac determinatâ Diœcesi, ut Evangelii Fidem gentibus infidelibus inferret, *Photius* Cod. XLVIII. testatur, & libellos duos *De Universi Natura*, quos alii Josepho, alii Sancto Justino, alii Sancto Irenæo adscripserunt edidisse; item, *Labyrinthum*, ab aliis Origeni attributum, & librum *Contra Artemonis Hæresim*, ab aliquibus Caio tribui.

## ARTICULUS II.

### *De Scriptis Origenis.*

DE ORIGENIS Scriptis prolixè, & eruditè omnino disseruit vir clarissimus Daniel Huetius, libro 3. Origenianorum. Non est nostri instituti singula recensere, & expendere: annotare satis erit impræsentiarum, quæ genuina, quæ spuria sint, ac supposititia Origenis Opera.

Homiliæ 28. in Numeros Origeni vindicantur. Item Homiliæ 9. in librum Judicum. Rivetus refellitur.

1. Ex Criticorum Heterodoxorum grege Rivetus falsò abjudicat Origeni Homilias 28. in Numeros, Rufino ipsarum Interprete intercedente ne alteri tribuantur. Ita namque Rufinus in Præfatione ad Ursacium, quam suæ interpretationi præfixit: *Quæcumque in Numerorum libro, sive homiliatico stylo, sive etiam ex his quæ excerpta appellantur, scripta reperimus, hæc perurgente te, Romanâ (ut potuimus) voce, ex diversis in unum ordinem collecta digessimus.*

Objicit Rivetus, Auctorem harum Homiliarum exponere differentiam inter *excludere* & *excidere*, quæ cautio in Græco Auctore, qualis est Origenes, locum non habet.

Respondeo, Observationem illam, quæ extat Homilia 18. Interpretis esse, non Auctoris; non Origenis, sed Rufini, qui Scholia & Observationes suas cum ipsius Adamantii textu permiscuit frequentiùs.

2. Homilias novem in libros Judicum, & Homiliam unicam in librum Regum, Origenis genuinas esse falsò inficiatur idem Rivetus, sicut & Homilias in Psalmos 36. 37. & 38. Id probat de prioribus & posterioribus Peroratio Rufini subjecta interpretationi Commentariorum Origenianorum in Epistolam ad Romanos. *Nam illa*, inquit, *quæ in Jesu Nave, & in Judicum Librum, & in trigesimum sextum, & in trigesimum septimum, & trigesimum octavum Psalmum scripsimus, simpliciter expressimus ut invenimus, & non multo labore transtulimus.* Homiliam verò unicam in Reges, simillimus stylus, ejusdem Auctoris esse, & eodem Interprete Latinè redditam, ostendit.

Objicit Rivetus, Homiliæ 6. in Librum Judicum Auctorem notare, quòd *Rex* dicitur *à regendo*. Quam etymologiam Græca vox non patitur.

Respondeo, Hanc rursus notam Rufini pessimi Interpretis munificentiæ acceptam referri, non Origeni.

Objicit idem Rivetus hæc verba ex Homilia in Reges, quæ ipsam Origeni suppositam probent: *Nolite ergo in nobis requirere quod in Papa Alexandro habetis. Fatemur enim quod omnes nos superat in gratia lenitatis.* Quis enim est ille Alexander Papa? (inquit Pseudo-Criticus.) Si primus Episcopus Romanus ejus nominis, multò antiquior est; sin verò Episcopus Alexandrinus, multò recentior; successit enim Achillæ anno Christi 313. cùm Origenes extremum diem obiisset circa annum 256.

Respondeo, Neque Alexandrum Primum Romanum Pontificem, neque Alexandrum Patriarcham Alexandrinum his Origenis verbis significari; sed Alexandrum Episcopum Hierosolymitanum, à quo fuerat ad Sacerdotium promotus.

Objicit idem Rivetus, Rufinum Homilias in Psalmos 36. 37. & 38. non indicato Auctoris ipsarum nomine, asserere se de Græco in Latinum transtulisse, & ad majus legentium commodum in novem Homilias dissecuisse.

Respondeo, Necesse non fuisse ut nomen Origenis Ruffinus exprimeret, cùm de interpretatione illarum Homiliarum à se adornata loquitur, qui de Origenis Operibus Latinè à se redditis agebat, & initio Perorationis nominaverat Origenem: & Origenis esse fœtus Homilias istas, satis illarum titulus clamabat.

Homiliæ 4. in Cantica Canticorum, Origeni asseruntur.

3. Homilias quatuor in Canticum Canticorum, ex Catalogo Operum Origenis perperam expunxit Rivetus, cum nonnullis Criticis, tum Heterodoxis, cum Catholicis: quos refellunt primò verba Sancti Hieronymi dicentis: *Origenes cùm in cæteris libris omnes vicerit, in Cantico Canticorum ipse se vicit.* 2. Origeniani styli promicantes hoc in Opere Caracteres. Tropologica ubique sectatur. Propria nomina Hebraica exponit, & ex eorum interpretationibus sensus Tropologicos eruit, ut in aliis Operibus. Sæpe precibus ad Deum se convertit, cùm ad mysticum sensum explicandum se applicat,

quod & in aliis Operibus illi solemne est. Sua Opera citat (quod & ipsi alibi frequens est) nempe Homilias suas in Exodum & Judices semel, in Numeros quater, Explicationes in Leviticum, & Commentarios in Novum Testamentum ter. Homiliæ duæ Origenis in Canticum Canticorum, sunt ab Sancto Hieronymo fideliter versæ, & Damaso Romano Pontifici nuncupatæ, atque à Rufino agnitæ. Earum porro sententiæ consimiles sunt & germanæ earum, quæ in hoc Opere continentur, ut plurium collatione locorum comprobat doctissimus Huetius, libro 3. Origenianorum, Sectione 3. numero 7. Denique Origenis Fragmentum *ex secundo Tomo Commentariorum in Canticum Canticorum*, decerptum extat etiamnum Græcè ad finem Philocaliæ. *Philocalia autem de obscuris sacræ Scripturæ locis* à Sanctis Patribus Basilio Magno, & Gregorio Nazianzeno ex variis Origenis Commentariis excerpta est.

His omnibus accedit testimonium Cassiodori locupletissimum, libro Divinarum Lectionum cap. 5. Asserit ille Rufinum interpretatum fuisse expositionem Origenis in Canticum Canticorum, usque ad illa verba: *Capite nobis vulpes parvulas, exterminantes vineas.* At ipsum Opus de quo agimus, in illa verba desinit: Origenis igitur genuinum est. En Cassiodori verba: *In Cantico Canticorum duabus Homiliis expositionem Origenis idem Sanctus Hieronymus Latina lingua multiplicator egregius, suâ nobis, ut consuevit, probabili translatione prospexit. Quas item Rufinus Interpres eloquentissimus, adjectis quibusdam locis, usque ad illud præceptum, quod ait: Capite nobis vulpes pusillas, exterminantes vineas, tribus libris latius explicavit.* Perperàm tamen illud Opus in Homilias distributum est à Rufino, cùm sit continens & perpetua explanatio, & pars Tomorum decem, quos in Cantica scripsisse Origenes memoratur.

Riveti Objecta inculis respondetur.

Objiciunt Rivetus & alii ex Heterodoxis Critici, post Erasmum, in Prologo istius Operis Græcos laudari velut alienos: *Cum apud Græcos*, inquit, *qui eruditi & sapientes videntur.* Colligi præterea aiunt ex interpretatione *amoris*, *charitatis*, *dilectionis*, *cupidinis*, Auctorem illarum Homiliarum esse Latinum, non Græcum Patrem, adeóque nec Origenem. 3. Idem concludunt ex illis verbis, quibus Philosophiæ divisionem exponit: *Generales Disciplinæ*, inquit, *quibus ad rerum scientiam pervenitur, tres sunt, quas Græci, Ethicam, Physicam, & Theoricen appellaverunt. Nos has dicere possumus, Moralem, Naturalem, & Inspectivam. Nonnulli sanè (apud Græcos) etiam Logicen (quam nos Rationalem possumus dicere) quarto in numero posuerunt.*

Respondeo ad primum, Græcos ab istarum Homiliarum Auctore laudari velut alienos à religione sua, non ut alienos à lingua, & à Gente. Hîc enim Græcos non opponi Latinis, sed Christianis, omnino certum est ex consequentibus: *Non ergo mirum esset*, inquit, *si & apud nos, ubi quanto plures simpliciores, tantò plures & imperitiores videntur.* Quæ verba non ad Latinos tantùm, sed ad Christianorum omnium cœtus pertinent. Certè Ethnicos omnes à Sancto Luca Græcos appellari evidens est, & à Sancto Paulo in suis Epistolis: unde Judæi Græcis, id est, Ethnicis, seu Gentilibus, ab ipso passim opponuntur.

Ad 2. respondeo, Interpretationem vocum illarum, *amoris*, *charitatis*, &c. Rufino Interpreti pessimo adscribendam esse, non Auctori illorum Commentariorum, seu Homiliarum.

Ad 3. respondeo, Ejusdem Rufini esse expositiones illas, & hæc verba (*Græci, & apud Græcos*) Enimverò cùm Græca Latinus quidem literis, verbis autem Græcis primò reddidisset Rufinus: eadem Latinè rursus interpretatus est, ne fortè a Latinis non intelligerentur. Ejusdem Rufini est, quod Robertus Cocus, Anglus, observat scripsisse Auctorem hujus Commentarii, *Verbum Dei apud Græcos masculino genere proferri, apud nos neutro genere.*

Homiliæ 39. in Lucam, asseruntur Origeni.

4. Homilias triginta novem in Lucam, Origeni perperàm abjudicant Dallæus, aliique ex Heterodoxis: Nam Sanctus Hieronymus in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum inter Opera à se edita, *Homilias triginta novem in Lucam* recenset. Homilias autem numquam scripsit ipse Hieronymus, Interpres igitur illarum tantùm fuerit necesse est. At in Prologo ad Paulam & Eustochium, se eas ex Origene transtulisse profitetur. *Quamobrem petistis*, inquit, *ut contemptis istiusmodi nugis, saltem triginta & novem Adamantii nostri in Lucam Homilias, sicut in Græco habentur, interpreter. Molestam rem, & tormento similem, alieno, ut ait Tullius, stomacho, & non suo scribere: quàm tamen idcirco nunc faciam, quia sublimiora non poscitis.* 2. Rufinus in Invectiva in Sanctum Hieronymum multa notat, quæ in his Homiliis ipsum infidè transtulisse contendit. 3. S. Hieronymum *ultra 70. libellos Origenis, quos Homiliticos appellavit, transtulisse*, refert Rufinus in Præfatione ad libros περὶ ἀρχῶν. Fatetur hoc Hieronymus ipse Apologia prima. Notat Rufinus Homilias in Lucam, in Isaiam, Jeremiam & Ezechielem. Hieronymus in Prologo in Ezechielem, testatur quatuordecim tantùm in Jeremiam, & totidem in Ezechielem se transtulisse. Homiliæ autem in Isaiam tantummodò novem sunt: quibus si addas duas in Cantica, adhuc extant tantùm triginta novem. Libellos igitur ultra septuaginta ab Hieronymo versos invenire numquam poteris, nisi illis triginta novem Homilias in Lucam à Rufino memoratas annumeres.

Dallæi Objectionibus respondetur.

Objiciunt primò Pseudocritici, Auctorem harum Homiliarum Latinum esse, adeóque Origeni falsò adscribi. Probant antecedens, primò quia observat, *Gratia plenam*, Græcè κεχαριτωμένην *dici* . . . . 2. quia Homilia 5. hæc habet: *Ego autem sum ἄλογος, quod licet Latinus aliter expresseris, tamen propriè transferri potest, absque sermone, vel ratione.* 3. Quia Homilia 16. notat, *Cadaver à casu nomen accepisse.* 4. Quia Homilia 35. ait, *Discrimen nominis vel cum articulo, vel absque articulo positi, apud Græcos magis intelligi.* 5. In eadem Homilia advertit, *Quadrantem, sive minutum, Græcè* [illegible] *dici posse.*

Respondeo, Nego antecedens. Ad primam probationem respondeo, Hanc observationem non esse Origenis, sed Latini Interpretis, nimirum Sancti Hieronymi, qui ad eam observationem inserendam coactus fuit. Cùm enim observasset Origenes, hanc vocem in salutatione prorsus inusitatam esse, eamque Hieronymus reddidisset, *Gratiâ plenam*, duobus scilicet vocabulis, quorum neutrum rarum est, necesse habuit addere (*quod Græcè dicitur* κεχαριτωμένη) Id quidem, ut & alias observationes à se ex necessitate interpretationis clarioris additas, probabile est Sanctum Hieronymum parenthesibus, aut clausulis quibusdam à textu reliquo distinxisse: sed Exscriptorum deinde & Librariorum incuriâ fuisse cum textu confusas.

Ad secundum respondeo, Hæc rursus verba esse Interpretis Sancti Hieronymi. Origenes multum probaverat populum Israëliticum, quòd Sermonem, id est, Christum rejecisset; idque pluribus Scripturæ locis exposuerat, qui Origeniani styli character est. Citaverat inter alia hæc verba Moysis,

Exodi

Exodi 5. versu 12. ἐγὼ δὲ ἄλογός εἰμι. Sanctus Hieronymus, cùm nihil hujusmodi in Latinis codicibus inveniret, sed fortè id quod nunc legimus, *Cùm incircuncisus labiis sim*, ut & Hebræa sonant, & Theodotionis Versio, vel *tardi sermonis* (ut antiquiùs legebatur.) Necesse putavit admonere, quòd licet Latinus aliter expresserit ἄλογος, tamen propriè transferri potest, *absque sermone, vel ratione*.

Ad tertium respondeo, Hæc verba esse merè Origeniana. Exponit quippe ibi Origenes versiculum 34. capitis 2. Evangelii secundùm Lucam, *Ecce hic positus est in ruinam*. Et huic applicat locum Sancti Matthæi: *Et de hac ruina dicitur*, inquit, *Ubicumque fuerit cadaver, ibi congregabuntur aquilæ*. Quæ applicatio ne coacta nimis videretur, addidit, πτῶμα γὰρ ἀπὸ πτώσεως λέγεται, id est, *Cadaver quippè à casu nomen accepit*.

Ad quartum respondeo, Hanc rursus observationem esse Sancti Hieronymi. Observaverat Origenes, ἐπ' ἀρχόντα. *Principem*, dici sine articulo; πρὸς τὸν κριτήν, *Judicem*, cum articulo, qui singularitatem significat. Inde collegerat *Principem* esse unum Angelorum, qui multi sunt: *Judicem* verò esse unicum illum Jesum Christum. Hoc porrò planè sapit stylum Origenis. Nemo enim toties vim articuli urget ac Adamantius. Hieronymus autem, cùm videret hominem Græcè nescientem id capere non posse, notavit *id apud Græcos magis intelligi*.

Ad quintum respondeo, Istam adhuc observationem esse Sancti Hieronymi. Cùm enim lusisset Origenes in voce λεπτὸν, & ostendisset peccatum esse vel pingue, & crassum, vel tenue, & subtile, Sanctus Hyeronymus videns hæc à Latinis intelligi non potuisse pee *quadrantem*, vel *minutum*, monuit id quod *minutum dicitur, tenue* dici posse secundùm vim Græci vocabuli. Eidem Sancto Hieronymo tribuenda sunt illa verba Homiliæ 22. *Græcus sermo, hoc quod est converti in lapides significantius sonat*.

Objiciunt secundò, In his Homiliis quædam esse ab Origenis genio, more & sensu aliena, ut quod Homilia 25. dicitur Spiritus Sanctus *tertia persona à Patre, & Filio*. Usus namque ita distinctus istius vocis, *Persona*, ab Origene alienus est.

Respondeo, Futilem esse illam objectionem, & falso fundamento nixam. Origenes enim Tomo 2. in Joannem, distinctè usurpat nomen personæ, cùm dicit τρεῖς ὑποστάσεις. Quem locum ita vertit Ferrarius, *Nos autem qui tres personas, Patrem, & Filium, atque Spiritum Sanctum esse credimus*.

Objiciunt tertiò, Secùm pugnare Origenem, si ipsius sint Homiliæ istæ. Cùm enim doceat solos libros Legis Saducæos admisisse, Homilia 39. loca quædam ex Isaia, & Psalmis citans, addit, *Quæ omnia corporaliter intelligentibus Saducæis: qui erant portio Judæorum, dicit Salvator, Nescitis Scripturas, neque virtutem Dei*.

Respondeo, Non asserere ibi Origenem, Saducæos in Canonem Scripturarum Prophetas recepisse. Ait dumtaxat, Saducæos malè intellexisse Prophetas. Potuerunt autem malè intelligere ea quæ in censum sacrarum Scripturarum non referebant.

5. Homiliæ quæ inscribuntur *In diversos*, non sunt Origenis. Latini Scriptoris esse pleræque, stylus arguit. Secunda *Manichæorum & Arianorum* meminit, qui post Origenis tempora eruperunt: & Filium Patri dicit esse ὁμοούσιον.

*Commentarii in Job, non sunt Origenis.* 6. Commentariorum in Job libri tres, qui duo priora Jobi capita cum tertii portione complectun-
A tur, sunt Origeni suppositi. Nam & stylus Origeniani planè dissimilis est, innumeris battologiis, & jejunis Rhetoricæ figuris redundans, contra Origenis consuetudinem. 2. Sententias continent ab Origene alienas: Libro namque secundo ait: Christum prædicasse tribus annis, & dimidio: Cùm Origenes lib. 4. Periarchon, cap. 1. & Homilia 32. in Lucam, unum dumtaxat annum Christi prædicationi assignet. 3. Luciani Martyris cum laude meminerunt, Origenis temporibus multò recentioris. 4. Post Arianæ hæreseos ortum, ab homine item Ariano scriptos esse, colligitur ex eo
B quòd sacra *Triadis*, & ὁμοούσιον, vocabula sugillet, & trium personarum in una essentia adoratores insectetur petulantiùs. *Tria cornua fecit diabolus*, inquit, *in typum atque figuram trionyma illius sectæ, triumque Deorum hæresis, quæ universum orbem terræ in modum tenebrarum replevit; quæ Patrem & Filium, & Spiritum Sanctum aliquando tamquam tres colit, nonnunquam unum adorat, quemadmodum Græcorum linguâ memoratur, Triada, vel Homousion. Istam ergo Trinitatis sectam & hæresim, atque infidelitatem jam olim designans versutissimus ille diabolus, tria cornua misit ad*
C *Job deprædandum. Sic namque etiam nunc memorata trionyma hæresis præsertim prædatur, atque expugnat Ecclesiam*.

7. Alter Commentarius in Job, qui totum Jobi Librum Paraphrasticè secundùm sensum historicum breviter edisserit, spurium etiam Origenis Opus est. Primò quia nusquam divertit in allegorias, præter Origenis morem. 2. Quia Manichæorum, & Luciani Martyris etiam meminit, qui Origene fuerunt recentiores. 3. Vocem ὁμοούσιον sugillat, & Catholicos homousiastarum nomine traducit. 4. Stellas animæ expertes esse asserit, cujus contra-
D rium Origenes est opinatus. 5. Mosem libri Job scriptorem esse affirmat in Prologo istius commentarii. At Origenes lib. 6. contra Celsum, librum Job Moyse antiquiorem esse tradit: & Philocaliæ cap. 5. libros dumtaxat quinque Mosem conscripsisse affirmat.

8. *Lamentum Origenis*, falsò præfert ipsius nomen: quamquam editio Merlini, & Codex MS. Bibliothecæ Regiæ hunc ipsi libellum tribuant, necnon Vincentius Bellovacensis, in Speculo Doctrinali, lib. 18. cap. 43. Ipsi Gelasius Pontifex Maximus in Concilio Romano hanc inurit no-
E tam; *Liber qui appellatur, de Pœnitentia Origenis, apochryphus*. *Lamentum Origenis, Apocryphum.*

9. *Dialogum de Orthodoxa fide*, qui & *contra Marcionitas* inscribi solet, non esse Origenis constat tum ex aliis momentis quæ in superioris Sæculi Dissertationibus attigimus: tum ex eo quòd in eo Dialogo Catholicam de tunicis pelliceis Adami, de Anima, & de resurrectione sententiam propugnet, cùm in contrarias opiniones Origenes abierit. Difficultatem facessit Sanctorum Basilii, & Gregorii Nazianzeni auctoritas, qui fragmentum è parte tertia istius Dialogi depromptum in Philocalia exscripserunt, quam ex sinceris Origenis Operibus
F contexuere. Sed verisimile est Sanctis illis Patribus fucum fecisse Dialogi titulum, qui nomen Adamantii præfert, quòd in eo primas partes tractet Origenes; non quòd ab ipso fuerit conscriptus: quemadmodum Lælii & Catonis nomina præferunt Dialogi de Amicitia & de Senectute apud Ciceronem, non quòd à Catone, vel Lælio editi sint, sed quòd primæ partes ipsis tribuantur. Præterea Eusebius Auctor antiquior, & in perscrutandis Origenis rebus diligentiâ nulli secundus, idem istud fragmentum, quod Philocaliæ insertum est, lib. 7. de Præparatione Evangelica refert, Maximoque tribuit, in lib. περὶ ὕλης, non Origeni. Denique *Dialogus contra Marcionitas, non est Origenis.*

que ad finem fragmenti hujus, quod Philocaliæ cap. 23. insertum est, Scholion istud reperitur in Codice Bibliothecæ Regiæ MS. ex quo hoc Opus edidit Joannes Tarinus, & Latinitate donavit: *Hæc è septimo libro Evangelicæ Præparationis Eusebii Pamphili deprompta sunt. Sunt autem Maximi, ut ait ipse Eusebius, non ignobilis inter Christianos Scriptoris. Totidem verò verbis scripta ea inveniuntur in Origenis adversùs Marcionistas, aliosque Hæreticos Dialogo, agente Eutropio, defendente Megethio.*

30. Maxima cautione legendus est Origenes, de quo dictum est: *Ubi bene, nemo meliùs; ubi male, nemo pejùs.* (ut Cassiodorus notat, lib. de Institutione Divinarum Scripturarum cap. 1.) Habendaque sunt ejus Scripta more anethi (ut ait idem auctor) Ejus succo condienda est sacræ Scripturæ lectio: decoctus ipse, exsuccusque projiciendus est.

Origenis elogium.

Verùm antequàm Origenis Scripta deseramus; elegantem ejus commendationem subjicere lubet ex Vincentio Lirinensi, in priore Commonitorio; cap. 23. *Sed ego ita arbitror*, inquit, *quod cùm multos in hoc tentandi genere proferre valeamus, nemo penè sit qui Origenis tentationi valeat comparari: in quo plura adeò præclara, adeò singularia, adeò mira extiterunt, ut inter initia habendam cunctis assertionibus ejus fidem, quivis facile judicaret. Nam si vita facit auctoritatem, magna illi industria, magna pudicitia, patientia, tolerantia. Si genus, vel eruditio, quid eo nobilius, qui primùm in eâ domo natus est, quæ est illustrata Martyrio? Deinde pro Christo, non solùm patre, sed omni facultate privatus, tantùm inter sancta paupertatis profecit angustias, ut pro nomine Dominicæ confessionis sæpius, ut ferunt, affligeretur. Neque verò hæc in eo sola erant, quæ cuncta postea tentationi forent; sed tanta etiam vis ingenii, tam profundi, tam acris, tam elegantis, ut omnes penè multùm longeque superaret: tanta doctrina, ac totius eruditionis magnificentia, ut pauca forent divinæ, fortasse nulla humanæ Philosophiæ, quæ non penitus assequeretur: cujus sententia cùm Græca non cederent, Hebræa quoque elaborata sint. Eloquentiam verò quid memorem? Cujus fuit tam amœna, tam lactea, tam dulcis oratio, ut mihi ex ore ipsius non tam verba, quàm mella quædam fluxisse videantur. Quæ non ille persuasu difficilia disputandi viribus elimpidavit? Quæ factu ardua, non ut facillima viderentur, effecit? Sed forsitan argumentorum tantummodo nexibus assertiones suas texuit? imò planè nemo unquam Magistrorum fuit, qui pluribus divinæ legis uteretur exemplis. Sed credo pauca conscripsit? Nemo mortalium plura, ut mihi sua omnia non solùm non perlegi, sed ne inveniri quidem posse videantur. Sed forsitan discipulis parum felix? Quis unquam felicior? Nempe innumeri ex sinu suo Doctores, innumeri Sacerdotes, Confessores, & Martyres extiterunt. Jam verò quanta apud omnes illius admiratio, quanta gloria, quanta gratia fuerit, quis exequi valeat? Quis non ad eum paulè religiosior ex ultimis mundi partibus advolavit? Quis Christianorum non penè ut Prophetam? Quis Philosophorum non ut Magistrum veneratus est? Quàm autem non solùm privatæ conditioni, sed ipsi quoque fuerit reverendus Imperio, declarant Historiæ, quæ eum à Matre Alexandri Imperatoris, accitum ferunt, cœlestis utique sapientiæ meritò, cujus & ille gratia, & illa amore flagrabat. Sed & ejusdem Epistolæ testimonium perhibent, quas ad Philippum Imperatorem, qui primus Romanorum Principum Christianus fuit, Christiani Magisterii auctoritate conscripsit: de cujus incredibili scientia si quis referentibus nobis, Christianum non accepit testimonium, saltem testificantibus Philosophis gentilem recipiat confessionem. Ait namque impius ille Porphyrius, excitum se fama ipsius, Alexandriam, puerum fere, perrexisse, ibique eum vidisse jam senem: sed planè talem, tantùmque qui arcem totius scientiæ condidisset.*

## ARTICULUS III.

### *De Ammonio; Julio Africano, & Sancto Cornelio.*

I. AMMONIUS Alexandrinus, Philosophus Christianus, Plotini, Longini, & Amelii Præceptor, in Fidei Christianæ professione ad obitum usque constantissimus, falsò accusatus est à Porphyrio, quòd ejurata Christiana religione, ad ritus Ethnicorum defecisset. A qua calumnia ipsum vindicant Eusebius lib. 6. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 13. & Sanctus Hieronymus in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum cap. 66. Inter præclara ingenii sui monumenta librum *De consonantiâ Moysi & Jesu edidit, & Evangelicos Canones.*

Harmonia 4. Evangelistarum, dicta olim *Diatessaron*, quæ in Bibliothecis Patrum sæpius excusa est, falsò præfert nomen Ammonii; est enim Tatiani Syri fœtus. Est verò Ammonii altera Harmonia adscripta Tatiano. Occasionem dedit errori Victor Capuanus Episcopus, qui huic Operi Præfationem adjunxit, & Tatiano incautè supposuit Harmoniam ab Ammonio conscriptam. Unde contigit ut quæ Tatiani erat, Ammonio deinde tribueretur. Hâc autem notâ dignosci utraque facilè potest, quòd Tatianus ex sua concordia expunxerit omnes Genealogias Christi, hæretica fraude: Ammonius verò illas Operi suo inseruit. Denique Zacharias Chrysopolitanus Episcopus qui florebat anno 1157. Harmoniam ex Evangeliorum verbis contextam, à Præfatione Sancti Lucæ exordium ducentem, & Genealogias continentem, vindicavit Ammonio, doctissimisque illustravit Commentariis. Floruit porro Ammonius circa annum Christi 222.

II. JULIUS AFRICANUS Chronologus insignis, sub Marco Aurelio Antonino Eliogabalo Imperatore legationem obiit pro instauratione urbis Emmaüs, quæ postea Nicopolis appellata est. Libros *Cestorum* composuit, ita inscriptos propter argumentorum varietatem, numero 24. secundùm Photium, & quinque Chronicorum libros ab exordio mundi ad Christi Adventum seriem temporum perducentes: & ab Adventu Christi usque ad Macrini Imperatoris tempora rerum gestarum summam repetentes.

Scripsit ad Origenem Epistolam *de Susannæ Historia*, quam Apocrypham esse contendebat, tum quòd in Hebraico Scripturæ textu non habeatur, tum quòd cum Hebraica etymologia non conveniant [illegible]. Istud fermè unum superest tanti viri monumentum, præter nonnulla fragmenta, quæ ex ejus Chronologia Eusebius, & Sanctus Hieronymus in suis lucubrationibus interdum protulerunt. Ejus tanti ponderis visa est S. Augustino auctoritas, ut ejus opinionem de duobus Patribus Joseph, altero naturali, scilicet Jacob, altero legali, scilicet Heli, sequi maluerit, quàm quod dixerat in libris contra Faustum, quos dum scriberet, Julii Africani Opus nondum legerat: Unius scilicet naturâ, alterius adoptione fuisse filium. Quam sententiam emendat lib. 2. Retractationum cap. 7.

Scripsit etiam Epistolam ad Aristidem, in qua repugnantiam quæ videtur esse in Genealogia Christi Salvatoris secundùm Matthæum & secundùm Lucam, exponebat, & solvebat. Hæc Epistola desideratur. Quæ de hoc Authore diximus, deprompta sunt

sunt ex Eusebio lib. 6. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 24. ex Sancto Hieronymo in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum cap. 74. ex Photio in Bibliotheca, Codice 34. Non audiendi porro, qui duos Africanos fingunt, Libyum unum, Gentilem, Cestorum Authorem, qui *Cestus* cognominatus sit; alterum Palæstinum, Christianum, Chronologiæ, aliorumque Operum, quæ mox recensuimus, Scriptorem. Uni enim eidemque Cestos, & alias lucubrationes, Eusebius, Sanctus Hieronymus, & Photius vindicant. Libya oriundus esse potuit, ut ait Suidas, nec reclamat Eusebius, qui ejus patriam silet: in Palæstinam postmodùm migrare, Emmaünte morari, & legationem obire; *Cestus* denique ob libros Cestorum appellari, quemadmodum Clemens Alexandrinus ob libros Stromatum, *Stromateus* interdum nuncopatus est.

III. SANCTUS CORNELIUS Romanus Pontifex, quatuor Epistolas dedit ad Fabium Antiochenæ Ecclesiæ Episcopum (Flavianum S. Hieronymus appellat) Posterioris quæ de Novatianæ hæreseos causis ac damnatione agebat, Fragmentum extat apud Eusebium, lib. 6. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 35. Extant duæ aliæ ad Sanctum Cyprianum datæ, quæ inter ejus Epistolas recensentur 46. & 48. Ipsi affictæ sunt ac suppositæ Epistolæ duæ, quæ Conciliorum editiones ex Isidori Mercatoris officina repræsentant. Prima inscribitur: *Charissimis, atque dilectissimis Fratribus, sanctæ Dei Ecclesiæ filiis, & omnibus Domino recta fide famulantibus*: Et corpora Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, rogante Lucina muliere nobili, de Catacumbis elata mentitur. Altera data fingitur ad Rufum, nescio quem, nec cujus loci, Episcopum. Hujus suppositionem probant sacræ Scripturæ secundùm Versionem Vulgatam citatio, & sententiæ ex Actis Concilii Constantinopolitani sub Flaviano, ex Concilio Carthaginensi 5, ex Epistola de vita Clericorum ad Oceanum sub nomine Sancti Hieronymi, ex Concilio 5. Romano sub Symmacho, ex Sancto Ambrosio Epistola 59. & aliunde corrogatæ. Ipsi quoque supposita est Epistola ad Lupicinum Viennensem Episcopum, cujus nullus Veterum meminit. Vivere desiit Sanctus Cornelius anno 253. De eo agit Sanctus Hieronymus in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum cap. 77.

## ARTICULUS IV.

### *De Sancti Cypriani, & Pontii Diaconi lucubrationibus.*

I. SANCTUS CYPRIANUS, Presbytero Cæcilio suadente à quo & Cæcilius cognominatus est, Christo nomen dedit, cùm antea Ethnicus esset. Carthaginensis Episcopus consecratus est anno Christi 248. Martyrium obiit sub Valeriano, ejusque filio Gallieno, Romanis Imperatoribus, anno Christi 258. Ejus Vitam Pontius ejus Diaconus, qui illius fuit in exilio, ad ejus usque Martyrii diem comes, conscripsit. Præfixa est ejus Operibus in Editione Pamelii. Ejusdem Martyris sanctissimi Laudes celebrarunt Sanctus Gregorius Nazianzenus, *Oratione* XVIII. Sanctus Hieronymus in Catalogo in Epistola ad Paulinum, & ad Magnum Oratorem Romanum, in Commentario ad cap. 52. Isaiæ, & in cap. IV. Jonæ; Sanctus Augustinus in Sermonibus habitis in Natali Sancti Cypriani, Sanctus Paulinus in Natali XI. Prudentius Hymno V. Vincentius Lirinensis Commonitorio I. cap. XI Sanctus Maximus Taurinensis, & Sanctus Petrus Chrysologus in Sermonibus. Ennodius Ticinensis in Hymnis. Sanctus Fulgentius in Sermonibus, Cassiodorus lib. Divinarum Lectionum cap. 19. & 28. Facundus lib. X. cap. 3. & alii.

II. Dubia Sancti Cypriani, ac supposititia Opera studiosis viris indicare operæ pretium est. Libros *de Spectaculis, de Disciplina & bono Pudicitiæ, de laude Martyrii ad Moysen & Maximum Confessores, & ad Novatianum*, Erasmus propter nonnullam styli dissimilitudinem Sancto Cypriano abjudicat. Refragantur Pamelius. Dubii certè sunt, quamvis Sancto Cypriano non prorsus indigni.

S. Cypriani Opera dubia.

III. Liber de Cardinalibus Operibus Christi ad Cornelium Papam XII. Sermones complexus, scilicet de Nativitate, De Circumcisione Christi, de Stella & de Magis, de Baptismo Christi, De ejus Jejunio & tentationibus, de Cœna Domini, de ablutione pedum, de Unctione Chrismatis, de Passione, de Resurrectione, de Ascensione Christi, & de Sancto Spiritu, non est Sancti Cypriani: Nec enim vetera MSS. Cyprianicorum Operum illum exhibent, nec stylus Cyprianum sapit: nec doctrina Cyprianicæ consonat. Convenitne enim, amabo te, cum Cypriani sententia de Baptismo Hæreticorum iterando, quod habetur in Sermone de Baptismo Christi? *Christum baptizatum à servo, ne conservi conservorum ministerium detrectarent, vel aliquis cuiquam in hoc opere præferretur, quoniam sive Judas, sive Paulus baptizet, Christus peccatum lavat, absolvit, & delet. Sic Rachel & Lia, Balam & Zelpham maritis accommodant, & liberos accipiunt ex uteris ancillarum.* Denique Codex MS. Oxoniensis Collegii omnium Animarum hunc librum repræsentat sub nomine Arnoldi Bonavillarensis Abbatis, ad Hadrianum Papam: unde hunc, Arnoldo Abbati Bonævallis in Diœcesi Carnotensi, qui tempore Hadriani IV. floruit, Eruditi consentiunt adscribendum.

Liber *De Cardinalibus Operibus Christi*, non est S. Cypriani, sed Arnoldi Abbatis Bonævallis qui anno Christi circiter 1160 vixit.

IV. Liber *de Aleatoribus*, nequaquam genuinus est Sancti Cypriani fœtus. Ejusque stylus non est ita facilis, nitidus & elegans, ac Cyprianicus. Auctor Novatianorum errori favet his verbis: *Nam qui delinquit in Deum, nulla sit excusatio, nec indulgentia ulla, & nemini venia datur.* Denique incredibile est quòd tempore Sancti Cypriani, quo fervebat persecutio, quo ad sacra ministeria viri inculpatæ, & probatissimæ vitæ assumebantur, tanta Clerum invasisset corruptela, ut Sacerdotes alea vulgò luderent; quod in iis vitium Auctor istius libri graviùs perstringit, ut in cæteris Christianis.

Liber *De Aleatoribus*, non est S. Cypriani.

V. Liber *de Montibus Sina & Sion, adversùs Judæos*, Sancto Cypriano perperàm inscribitur in Codicibus quibusdam MSS. quos Pamelius appellat. Nec enim Sancti Cypriani ingenium, eruditionem, & elegantiam refert hujus libri stylus: nec Hebraicorum nominum interpretationes Cyprianus afferre solet, quod præstat Auctor bujus libri: denique *Filium Dei Spiritum Sanctum* Cyprianus non dixisset, quod hujus Operis Parens scripsit: *Ita invenimus*, inquit, *ipsum Salvatorem per Salomonem speculum immaculatum Patris esse dictum, eò quòd Spiritus Sanctus Dei Filius geminatum se videat: Pater in illo, & Filius in Patre, utrique se in se vident, ideo speculum immaculatum.*

Liber *De Montibus Sina & Sion*, non est S. Cypriani.

VI. Carmen inscriptum, *Sodoma*: carmen aliud *Ad Senatorem Apostatam*, & Hymnus *de Pascha Domini*, falsò Sancto Cypriano adscribuntur. Hymnum illum quædam MSS. Victorino tribuunt.

Carmina S. Cypriano supposita.

VII. Orationes duæ, una *Pro Martyribus*, altera quam dixisse fertur Cyprianus *In die Passionis suæ*, dubiæ sunt Erasmo. Eas verò tum ex styli

convenientia, tum ex Codicum MSS. fide Sancto Cypriano vindicat Pamelius.

Liber De Singularitate Clericorum, S. Cypriano suppositus.

VIII. Liber *de singularitate Clericorum*, indignus est Sancto Cypriano propter vocum barbariem. Nusquam enim leges in germanis Cypriani Operibus duras illas & inputas voces, *inordinaliter*, *contubernaliter*, *conjugalitas*, *vulgaritas*, *absentare ancillare*, & alias hujusmodi. Hunc librum Origeni quidam ad scripserunt, sed falsò. Nam incredibile est Origenem, qui cum puellis assiduè versabatur, quique earum operâ suorum ad exscriptionem utebatur librorum, proprio Opere coarguisse contubernium Clericorum cum mulieribus. Perperàm etiam tribuitur Sancto Augustino tum in Codice Corbeiensi, tum à Philippo Abbate Bonæ Spei, in lib. de Continentia Clericorum cap 67.

Alia Opera S. Cypriano supposita.

IX. Expositio in Symbolum Apostolorum olim Sancto Cypriano adscripta, Ruffino Aquileiensi Presbytero, legitimo Auctori restituta est.

X. Liber ad Vigilinm, de Judaica incredulitate, est Celsi cujusdam in altercationem Jasonis, & Papisci Præfatio. Jaso Hebræus erat gente, religione Christianus; Papiscus verò Patria Alexandrinus, religione Judæus. Disputationem inter se habuerunt, quam se Græcè legisse Nicolaus Faber testatur. Hujus altercationis meminit Origenes libro 4. contra Celsum, dicens: *Quod si quis æquiore animo Jasonis & Papisci Scripta perlegerit, profectò comperiet non irridendum esse librum, in quo Christianus ex Judaicis Scriptionibus cum Judæo disputans describitur, & plane demonstrans, quæ de Christo extant vaticinia, Jesu ipsi congruere.* Hanc Disputationem Græco sermone exaratam Latinitate donavit quidam Celsus, & Versioni suæ hanc Præfationem adjunxit, & Vigilio Episcopo nuncupavit: quem Vigilium Tridentinom Episcopum fuisse verisimile est, Martyrio coronatum, ut illi prædixit hujusce Præfationis Auctor. Porro cùm Vigilius ille vixerit Sancti Ambrosii tempore, liber de Judaica incredulitate Cypriani esse non potest.

XI. Liber *Adversùs Judæos qui insecuti sunt Christum*, Cypriano abjudicatur omnium Eruditorum consensu; uti & Liber *de revelatione capitis Beati Joannis Baptistæ*; qui Auctoris longè recentioris est, cùm meminerit Pipini Regis Aquitaniorum. Librum *de duplici Martyrio*, Cypriani non esse in confesso est apud Eruditos, cum Diocletiani Imperatoris, & Belli Cæsarei contra Turcas in eo mentio fiat.

XII. Liber *de duodecim Abusionibus Seculi*, non est Sancti Cypriani. Id probat styli immensa diversitas, Scripturæ sacræ juxta Versionem Sancti Hieronymi citatio, censorium Trithemii, & omnium jam Eruditorum judicium. Fluxa igitur hæc in parte Jonæ Aurelianensis in lib. de Institutione Regia cap. 3. Gratiani, Ivonis Carnotensis, & MSS. Anglici, Dunensis, & Coloniensium Codicum fides, qui Opusculum istud Sancto Cypriano adscribunt: Sancto Augustino non verius adscriptum est ab aliis. Extat etiam in Appendice Tomi 9. ipsius Operum, & incerti Auctoris fœtus à Theologis Lovaniensibus pronnntiatur. Pamelius Ebradi cujusdam, aut Joannis Climaci esse suspicatur. Sed ariolari non placet.

XIII. Denique *Cœna*, Sancto Cypriano falsò adscripta est. Hujus Libelli Auctor gesta Historica utriusque Testamenti sub Schemate Cœnæ cujusdam in conpendium redigere tentavit, infœliciter prorsus ac ridiculè. Italum fuisse conjicit Pamelius, quòd vina Italica omnis generis ac saporis nota habuerit. *Passum*, inquit, *bibebat Jesus*, *Marsicum Jonas*, *Surrentinum Pharao*, *Pellinum Adam*, *Gaditanum Moyses*, *Creticum Isaac*, *Adrianum Aaron*, *Arbustinum Zachæus*, *Arsinum Thecla*; *Albense Joannes*, *Campanum Abel*, *Signinum Maria*, *Florentinum Rachel*. Libellus est nullius planè pretii: quem proinde MSS. Dunense, & Tornacense Sancti Nicolai, perperàm Sancto Cypriano adscribunt.

Epistolam 67. Sancti Cypriani ad Stephanum Pontificem Maximum datam, de Marciano Arelatensi Episcopo, Novatiano, immeritò quidam abjudicant Sancto Cypriano, ut ostendimus Tom. 1. in Dissertatione de Exordio Prædicationis Evangelicæ in Galliis.

Libri De Unitate Ecclesiæ integritas contra Heterodoxos Criticos vindicatur.

XIV. Liber *de Unitate Ecclesiæ* à quibusdam inscriptus, *de simplicitate Prælatorum*, ab omnibus quidem agnoscitur ut Sancti Cypriani genuinum Opus. Sed ejus auctoritatem elevare conantur Heterodoxi Critici, quòd eorum profliget errores contra sacram Ecclesiæ Monarchiam, & Sancti Petri Primatum. Hunc itaque librum interpolatum esse audacter asserit Rivetus, & insertis quibusdam adulterinis sententiis deformatum. Hæc assuta esse contendit. *Et illi pascendas mandavit oves suas.* Rursus, *Unam constituit cathedram.* Item, *Primatus Petro datur, ut una Christi Ecclesia monstretur.* Et, *Qui Cathedram Petri, super quam fundata est Ecclesia, deserit.* Quæ verba, inquit, in variis MSS. Exemplaribus non habentur. In causæ tam desperatæ patrocinium vocatur à Riveto Possevinus: qui in suo Apparatu Elenchum eorum, quæ in Opusculo Cypriani de unitate Ecclesiæ sunt vel addita, vel detracta, vel lapsu Typographi, vel alio prorsus modo supposita, diligenti quatuor MSS. Codicum, qui in antiquis Catholicorum Bibliothecis in Anglia extabant, collatione cum excusis, notavit.

Verùm licet varias lectiones plurimorum Codicum esse non negem, sententiis tamen diversas esse inficior. Sola & levis quidem verborum variatio est, casuum, modorum, particularum, cum qua stat integerrimus ubique sensus. Vel si quæ sententiæ à nonnullis MSS. absint, in aliis optimæ notæ leguntur. Certè licet hæc verba, *Et illi pascendas mandavit oves suas*, à MSS. omnibus abessent, idem esset Cyprianicæ sententiæ sensus, secundùm 4. MS. Anglicanum, & veteres excusos; siquidem ita habent: *Loquitur Dominus ad Petrum: Ego dico tibi*, inquit, *quia tu es Petrus, & super istam petram ædificabo Ecclesiam meam .... Et iterum eidem post resurrectionem suam dicit: Pasce oves meas. Super unum ædificavit Ecclesiam.* Hæc verò verba: *Unam Cathedram constituit*, repræsentat Cambronensis Codex MS ut & sequentia: *Primatus Petro datur*, &c. & Codices MSS. antiquissimi, quibus usus est Manutius, quorum unus 900. annorum erat, necnon Codex quo doctissimus Cardinalis Hosius usus est. Perperàm itaque Rivetus hæc assuta queritur, cùm potiùs mutilos esse Codices, quibus hæc desunt, perspicuum sit. Denique ultimum locum exhibet Codex Cambronensis, cujus lectionem confirmat Gratianus Distinct. 43. cap. *Qui Cathedram.* Cæterum quàm sint consona ista verba, quæ ascititia esse pugnat Rivetus, Cyprianicæ doctrinæ, constabit, si cùm aliis conferantur certissimè Cyprianicis, quæ ad probandum Sancti Petri Primatum, in Dissertatione singulari ea de re edita Tomo 4. protulimus. Observatione dignum est, *Pelagium* II. Epistola VI. quæ secunda est ad Episcopos Istriæ, hæc ipsa testimonia, quæ Heterodoxi Critici in *Sancti Cypriani* textum intrusa, vel interpolata asserunt, ut genuina illius verba proferre. *Sed & Beatus Cyprianus* (inquit) *egregius Martyr, in libro quem de Unitatis nomine titulavit*

*vit, inter alia sic dicit:* EXORDIUM *ab unitate proficiscitur, & Primatus Petro datur, ut una Christi Ecclesia & Cathedra monstretur: & Pastores sunt omnes, sed grex unus ostenditur, qui ab Apostolis unanimi consensione pascatur... Et post pauca:* HANC *Ecclesiæ unitatem qui non tenet, tenere se fidem credit? Qui Cathedram Petri, super quam Ecclesia fundata est, deserit, & resistit, in Ecclesia se esse confidit?*

XV. In Sancti Cypriani Operibus cavendus est error de rebaptizandis Hæreticis, propter quem unum Gelasius in Romana Synodo ea in Apocryphorum censum retulit. De quibus S. Augustinus libro 2. contra Cresconium, cap. 32. sic loquitur: *Ego hujus Epistolæ (ad Jubaianum) auctoritate non teneor, quia literas Cypriani non Canonicas habeo, sed eas ex Canonicis considero, & quod in eis divinarum Scripturarum auctoritati congruit, cum laude ejus accipio; quod autem non congruit, cum pace ejus respuo. Ac per hoc si ea quæ commemorasti ab illo ad Jubaianum scripta, de aliquo Apostolorum, vel Prophetarum Canonico recitares, quod omnino contradicerem, non haberem. Nunc verò quoniam Canonicum non est quod recitas, ea libertate ad quam nos vocavit Dominus, ejus viri cujus laudem consequi non valeo, cujus multis literis scripta mea non comparo, cujus ingenium diligo, cujus ore delector, cujus charitatem miror, cujus Martyrium veneror, hoc quod aliter sapuit, non accipio. Non accipio, inquam, quod de baptizandis Hæreticis, & Schismaticis Beatus Cyprianus sensit, quia hoc Ecclesia non accepit, pro qua Beatus Cyprianus sanguinem fudit.*

S. Cypriani stylus.

XVI. Cyprianici styli characteres præclarè describit Lactantius libro 5. Divinarum Institutionum cap. 1. ubi defensores Christianæ veritatis commendans, hæc habet: *Unus igitur præcipuus, & clarus extitit Cyprianus, qui magnam sibi gloriam ex artis Oratoriæ professione quæsierat, & admodum multa conscripsit in suo genere miranda. Erat enim ingenio facili, copioso, suavi: Et (quæ sermonis est maxima virtus) aperto, ut discernere nequeas, utrumne ornatior in loquendo, an facilior in explicando, an potentior in persuadendo quisquam fuerit. Hic tamen placere ultra verba, Sacramentum ignorantibus non potest, quoniam mystica sunt quæ locutus est, & ad id præparata ut solis Fidelibus audiantur. Denique à doctis hujus Sæculi, quibus fortè Scripta ejus innotuerunt, deridere solet. Audivi ego quemdam hominem, disertum sanè, qui eum immutata una litera Coprianum vocaret, quasi quod elegans ingenium, & melioribus rebus aptum, ad aniles fabulas contulisset. Quòd si accidit hoc ei cujus eloquentia non insuavis est, quid tandem putemus accidere illis, quorum sermo jejunus est, & ingratus, qui neque vim persuadendi, neque subtilitatem argumentandi, neque ullam prorsus acerbitatem ad revincendum habere potuerunt?*

## ARTICULUS V.

### *De Sancto Gregorio Neocæsareensi.*

SANCTUS GREGORIUS NEOCÆSAREÆ in Ponto Episcopus, ob innumeras miracula Thaumaturgi promeritus nomen est. Cum Athenodoro fratre Præceptorem audivit Origenem, cui & Panegyricum dixit in grati animi monumentum. Extat inter ipsius Opera. Anno 240. à Phædimo Amasensium Episcopo Neocæsareæ in Ponto Antistes creatus est, modo planè mirabili. Cùm enim Episcopos fugeret, ne ad Sacerdotii fastigium proveheretur, Sanctissimus Præsul ipsum tridui itinere absentem mente intuitus, erectis ad Deum oculis, divinaque gratia implorata, loco manuum impositionis illi sermonem adhibuit, ac dictæ Civitatis designavit Episcopum (ut testatur Sanctus Gregorius Nyssenus in ejus Vita.)

Ne tamen ipsum existimes absentem, & invitum fuisse consecratum Episcopum, addit Sanctus Gregorius Nyssenus, ipsum peractis circa se solemnibus, quæ ex more celebrari solent, id est sacris ritibus Episcopalis Ordinationis, commissi sibi Gregis curam suscepisse. XVII. dumtaxat Christiani Neocæsareæ erant, cùm Episcopus illius urbis consecratus est. XVII. supererant Ethnici, cùm migravit e vita: Tam fœliciter ea in Ecclesia laboravit. Interfuit primo Concilio Antiocheno adversùs Paulum Samosatenum. Obiit 17. Novembris, anno Christi 265. Lege ejus Vitam à Sancto Gregorio Nysseno conscriptam. Legendus & Eusebius libro 6. Historiæ cap. 23. Sanctus Basilius de Spiritu Sancto, cap. 29. Socrates libro 4. cap. 22. Sanctus Hieronymus in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum cap. 76.

Expositio Fidei, genuinum est S. Gregorii Neocæsariensis Opus.

II. Ejus genuinum est Opus brevis Expositio Fidei, quam per revelationem à Beata Virgine, & à Sancto Joanne Evangelista accepit, teste Sancto Gregorio Nysseno, qui eam integram refert in ejus Vita. Incipit his verbis: *Unus Deus, Pater Verbi viventis, Sapientiæ subsistentis, & potentiæ, ac caracteris sempiterni: Perfectus perfecti Genitor, Pater Filii unigeniti.* Eamdem refert Ruffinus libro 7. Historiæ Ecclesiasticæ Eusebii Latinitate à se donatæ, cap. 25. Germanus Patriarcha Constantinopolitanus, in libro de Synodis, & de ortu hæresum, ad Anthimum Diaconum, eamdem recenset. Ejus quoque verba laudarunt Apocrisiarii Gregorii Noni Pontificis Maximi ad recentiorem Germanum Patriarcham pariter Constantinopolitanum, aliosque Græcos. Refertur denique in Collectione MSS. Isidori Mercatoris, Henrici Justelli.

Expositio Fidei ad Ælianum, S. Gregorio Neocæsareensi supposita est.

III. Alterius Expositionis Fidei à S. Gregorio Thaumaturgo editæ meminit Sanctus Basilius Epistola 64. ad Neocæsareenses, cujus illi verba proferebant ad pestilentissimum Sabellii errorem adstruendum. Hanc esse Gregorii Basilius non negavit, sed ipsius verba commoda expositione emollire conatus est. Dixisse Gregorium jactabant: *Patrem & Filium juxta mentis quidem considerationem duos esse, hypostasi verò unum.* Respondet Sanctus Basilius: *Hoc non dogmaticè, sed contentiosè in disputatione adversus Ælianum dictum esse; in qua concertatione multi sunt eorum, quæ descripta sunt lapsus: quemadmodum, si Deus volet, ex ipsis verbis ostendemus. Deinde cùm Gentilem ad fidem adducere niteretur, non existimabat sibi circa verba exactius disceptandum esse: sed alicubi consuetudini ejus, quem ad fidem induceret, nonnihil condonandum: ne fortè principalibus ac necessariis reluctaretur. Quapropter & multas invenias illic voces, quæ jam Hæreticis plurimum addant roboris, utpote creatura, & factura, & si quid aliud ejusmodi est. Invenias etiam multa, quæ ad hominis conjunctionem pertinent: quæ ad Divinitatis rationem referunt, qui imperitè, quæ scripta sunt, audiunt: quale & hoc ipsum est, quod ab istis circumfertur.*

Inscribebatur Expositio illa Fidei, ad Ælianum hominem Ethnicum.

Verùm Expositio illa Fidei ad Ælianum, videtur sub nomine S. Gregorii à Neocæsareensibus Sabellianis conficta, qui cùm accepissent ex traditione Majorum, illum cum Æliano congressum fuisse, Expositionem Fidei à sanctissimo Antistite illi factam commenti sunt: vel exceptam fortè à Nota, is Gregorii cum Ethnico homine disputationem, interpolarunt, ac vulgaverunt ad sui patrocinium erroris. Quidni etiam hoc ausi, qui fidem subvertere, &

Sabellii suscitare hæresim sunt conati? qui Sancti Gregorii traditionem posthabuerunt Successorum ipsius suffragiis roboratam? qui calumniis illustrem Sancti Basilii immortalemque famam prosciderunt? Horum porro criminum reos esse Neocæsareenses ad quos scribit, Sanctus Basilius testatur: *Hoc studiose agitur apud nos*, inquit, *ut fides subvertatur, idque subversione Apostolicis, & Evangelicis doctrinis inimica: inimica quoque traditioni Magni revera Gregorii, & eorum qui illum ex ordine subsecuti sunt, ad beatum usque Musonium, cujus dogmatum recentem esse etiamnum apud nos memoriam, manifestum est. Sabellii namque pestem, olim quidem motam, traditione verò Magni Gregorii consopitam, renovare conantur: qui ne deprehendantur, & convincantur, ista contra nos somnia confinxerunt.*

Conjecturam nostram roborat Leontii Byzantini auctoritas, libro de Sectis, Actione 8. ubi de Eutychianis hæreticis hæc habet: *Proferunt nobis & aliam quamdam auctoritatem Sancti Gregorii, quem prodigiorum effectorem nominamus, ex illius Confessione Fidei seorsum exposita. Non duas personas*, inquit, *non duas naturas: quia non adoranda sunt quatuor, &c. Ad hoc quoque respondemus*, ait Leontius, *Primùm de hac iisdem dubitatum apud Antiquiores, an sit Gregorii. Deinde Gregorius Nyssenus Orationem de illo prodigiorum Effectore funebrem scribens, nullum ait Opus ipsius in manibus esse, præter solam Fidem, quam in visione conspexerit.*

Silet quidem de aliis Sancti Gregorii Neocæsareensis Operibus Sanctus Gregorius Nyssenus in ejus Vita; sed si inde colligat Leontius nullum aliud Opus ab ipso fuisse conscriptum, is certè longè à veritate aberraverit. Nam & Orationis Panegyricæ ac Eucharisticæ, quam Origeni dixit, & Metaphrasis in Ecclesiasten, & quarumdam Epistolarum ab ipso conscriptarum meminit Sanctus Hieronymus in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum. Sed alterius Expositionis Fidei ab illa, quam ex revelatione accepit, nec meminit Sanctus Gregorius Nyssenus, nec alii post ipsum meminere. Sanctus quidem Basilius ad Neocæsareenses scribens, illam memorat ad Ælianum; verùm tamen ex propria sententia hanc ipsi non adscribit, sed ex illorum fide qui ipsam ad stabiliendum Sabellianismum obtrudebant: quos imposturæ cùm non posset convincere, maluit benigna interpretatione mollire sententiam, quam nomine Sancti Gregorii proferebant, quàm negare Expositionem Fidei, ex qua decerpta ferebatur, esse genuinam admirabilis Antistitis.

Non est tamen certum, Expositionem Fidei, ex qua Hæsitantes Hæretici adversùs duarum in Christo naturarum fidem pugnabant, & de qua loquitur Leontius, eamdem esse cum illa de qua inter Sanctum Basilium & Neocæsareenses quæstio fuit. Illud unum certum est, illos Hæreticos Sanctorum Patrum Scripta temerè violasse, & multos Apollinarii libros Athanasio, Gregorio Thaumaturgo, & Julio, inscriptionibus mutatis, supposuisse, ut testatur Evagrius libro 3. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 31.

Sed etsi Expositio illa Fidei ad Ælianum, quam venditabant Neocæsareenses, fuisset Sancti Gregorii Thaumaturgi, non propterea Sabellianis favisse dici posset. Filium namque hypostasi unum cum Patre dicens, hypostasim pro essentia usurpasset, quæ erat apud Grammaticos omnes hujus vocis notio (Sancto Hieronymo teste (*Tota*, inquit, *sæcularium literarum schola nihil aliud hypostasim nisi οὐσίαν novit*: Patrem igitur unum dixit essentiâ cum Filio, non personâ, & sola animi cogitatione distingui essentiam divinam prout in Patre est, & prout communicata est Filio. At realem personarum distinctionem ipsum agnovisse constat ex Fidei Expositione, quam per revelationem accepit. Unde meritò Sanctus Basilius scripsit, Neocæsareenses Sabellianos Traditionem Magni Gregorii convellere.

IV. Alia Fidei Expositio quæ ἡ κατὰ μέρος πίστις dicta est, id est, Expositio fidei per partes, sive singularium quorumdam fidei dogmatum explanatio, quam sub Sancti Gregorii Thaumaturgi nomine Franciscus Turrianus Societatis Jesu primùm, deinde Gerardus Vossius ediderunt, supposititia est, & Sancto Gregorio Thaumaturgo longè recentior. Ariana hæresi posterior Author ejus est, siquidem se Communionem eorum execrari profitetur, *Qui rejiciunt ὁμοούσιον tanquam alienum à Scripturis, & qui dicunt aliquid ex Trinitate creatum esse, & ab una divinitate separant.* Imò post Concilium Constantinopolitanum, & damnatam Macedonii, Spiritus Sancti divinitatem impugnantis, hæresim, Expositio illa conscripta est, ut constat ex his verbis: *Eos vero qui vel Filium, vel Spiritum Sanctum, creaturam dicunt, anathematizamus.*

Alia Fidei Expositio patet supposita Gregorio Neocæsareensi.

Posteriorem esse Nestorii hæresi & Ephesina Synodo, evincunt hæc verba: *Et quia nonnulli turbas nobis excitarunt, nitentes evertere fidem nostram in Christum Dominum nostrum, non confitentes Deum esse incarnatum, sed hominem Deo copulatum: idcirco Confessionem edimus de fide, quam diximus, rejicientes contradicentium perfidiam. Deus enim humana carne incarnatus, puram habet propriam operationem, cùm sit mens passionibus animæ, & carnis invicta; & carnem ac carnis motus divinè ac sine peccato moderans. Qui non solùm à morte teneri non potuit, sed etiam mortem delevit: & est Deus verus, qui carnis expers in carne apparuit perfectus vera & divina perfectione. Non duæ personæ, neque duæ naturæ, nec enim quatuor adorari dicimus, Deum & Filium Dei, & hominem, & Spiritum Sanctum.*

Hæc ultima verba cùm objicerent Hæsitantes hæretici contra fidem duarum in Christo naturarum, conficta erat sub nomine Sancti Gregorii Neocæsareensis ista Fidei Expositio Leontii temporibus, id est Sæculo septimo ineunte, vel sexto cadente.

V. *Capita duodecim de fide*, subjecto singulis capitibus anathemate suo, & apposita uniuscujusque capitis interpretatione, non sunt Sancti Gregorii Neocæsareensis. Apollinarii namque, Nestorii, & Eutychetis errores cùm percellant, ac tanta perspicuitate fidem Incarnationis Dominicæ exponant, quanta exposuerunt Patres, qui post illarum originem, atque damnationem hæresum scripsere: longè post Sancti Gregorii Thaumaturgi ætatem edita esse necesse est. Nec contrarium probat antiqua Collectio auctoritatum de duabus in Christo naturis, quæ in veteribus Bibliothecis reperitur, in qua pleraque illorum capitum, & anathematismorum sub nomine Sancti Gregorii Taumaturgi laudantur. Hæc enim collectio probat quidem sanctissimo illi Patri jam ab antiquo suppositum fuisse istud Opusculum; sed genuinum illius fœtum esse non suadet.

Capita [illegible] de fide, sunt [illegible] tentata.

VI. Tres Homilias in Annuntiationem Sanctissimæ Dei Genitricis Mariæ, & alteram in Sancta Theophania, sive de Apparitione Dei, & Christi Baptismo, & Disputationem de Anima ad Tatianum, Veterum silentium suspectæ fidei reddit. Nullum tamen est argumentum quod probet istas Homilias S. Gregorio Taumaturgo esse abjudicandas.

Joculare

Joculare enim planè est, & insulsum, quod ex Perkinsio refert Rivetus, Vitas Sanctorum, Lectiones & Hymnos eorum Festis convenientes, primùm à Carolo Magno constitutos esse, circa annum Christi 807. Sed esto, ætate primùm Caroli Magni Hymni, & Lectiones editæ essent, atque in Ecclesia cantari cœpiæ: sequereturne Incarnationis Dominicæ, & Epiphaniæ ac Baptismi Christi Mysteria, singulari Solemnitate quotannis celebrata non fuisse, ad recolendam beneficiorum humano generi in iis Mysteriis collatorum memoriam? Quod si Festivitates illæ celebratæ sint: cur non & Synaxes, ac sacri Conventus habiti, in quibus Episcopi Sermones ad populum Christianum haberent, quibus de tantorum Mysteriorum dignitate edoceretur, & ad pietatem excitaretur?

Disputatio De Anima, non est S. Gregorii Neocæsariensis.

7. Verùm *Disputatio de Anima*, non solùm dubium Gregorii Taumaturgi, sed spurium planè censetur Opus. Quæstiones enim, & argumenta complectitur merè Philosophica, & Scholastica: nec iis concepta verbis est, quæ priorum Sæculorum scriptiones sapiant. Unde Scholasticorum ætate à Græco quodam otioso composita videtur, & Sancto Gregorio supposita, ut tanti nominis fama ipsi conciliaret auctoritatem. Alii Sancto Maximo Disputationem illam supposuerunt, eamque sub ejus nomine exhibent plures MSS. Codices: Verùm nec illius stylum etsi valde Scholasticum, redolere videtur.

Epistola Canonica S. Gregorio Neocæsariensi vindicatur.

8. *Epistola Canonica de iis qui in Barbarorum incursione Idolothyta comederant, & alia quædam peccata commiserant*, est genuina Sancti Gregorii Neocæsareensis, omnium Orthodoxorum, cùm Græcorum, tum Latinorum judicio. Hanc ipsi adscribit Balsamon Patriarcha Antiochenus, qui vixit sub finem Sæculi 12. cujus & in eam Scholia extant. Eamdem illi vindicat Trullana Synodus Canone 3. cùm Canones Sancti Gregorii Neocæsareæ Episcopi Taumaturgi suscipit, & observari cum aliis jubet. Congruit Sanctissimi illius Patris tempori, quò Gothi & Boradi inter alias Asiæ, & Græciæ Provincias, per Pontum quoque longè latéque sunt grassati, Gallieno Imperante, ut Trebellius Pollio testatur: quod etiam referunt inter Scriptores Ecclesiasticos Paulus Orosius libro 7. cap. 22. Sanctus Augustinus Epistola 80. ad Hesychium data & Sozomenus lib. 2. cap. 5. Itaque cùm hæc Barbarorum incursio multorum criminum occasio Christianis extitisset, Sanctus Gregorius Neocæsareensis de nonnullis consultus ab aliquo suorum Coëpiscoporum, eorum emendationi prospexit hacce Epistola, Canonesque edidit, quibus de singulis dixit sententiam, & pœnitentiam decrevit in eos qui gravioribus illis peccatis constricti essent.

* Hæc Gothorum in Asiam incursio contigit anno 9. [illegible] Ga[illegible], Christi 263.

Canonum illius Epistolæ Synopsis.

Constat undecim Canonibus hæc Epistola. Primus captivos, qui Idolothyta sibi à Barbaris, quorum in potestatem inciderant, apposita comederant, absolvit. Mulieres quarum castitati iidem illuserant, si castam, & ab omni suspicione alienam vitam antea duxissent, Pœnitentiæ legibus non esse subdendas decernit: si verò antea perditæ fuissent, & damnatæ vitæ, & fornicatione castitatem fœdavissent suam, vult eas ab Orationum communione excludi.

Canon secundus perstringit immanem avaritiam eorum, qui ex aliorum calamitate lucri captarunt occasionem, & proximorum à Barbaris interfectorum, vel in captivitatem abductorum bona invaserunt. Et ait: Si qui propter effrænem avaritiam, pacis tempore, gravissimas pœnas subeunt; multò magis divinam ultionem provocare, qui tempore barbaricæ incursionis fortunas suas augent ex sanguine & pernicie eversorum hominum, captivorum, interfectorum.

Canon tertius istius sceleris gravitatem ostendit exemplo Achan, cujus furtum iram Dei in universum populum Israeliticum concitavit, quia rem Deo dicatam furatus est. Ait, Deo dicatum esse quicquid non nostrum, sed alienum est, & magis reos esse qui bona fratrum prædantur, quam Achan qui bona hostium prædatus est.

Canon quartus occurrit excusationi eorum qui dicebant se bona proximorum deserta invenisse, non ea vi aut dolo invasisse: & ostendit ex Scripturæ sacræ verbis, Deuteronomii 22. & Exodi 23. eos restitutionis lege teneri. Porro *Si ab eo qui in pace, & in otio delicatè vitam transigit, vel etiam ab inimico, non licet lucrari, quantò magis ab eo, qui rebus adversis premitur, & fugit, & necessitate coactus, propria relinquit?* (ait Sanctus Gregorius.)

Canon quintus percellit eos, qui pro bonorum in communi clade amissorum resarcienda jactura, se aliena, quæ invenerant, jure posse retinere arbitrabantur. In eos vult inquiri, & Communione precum abdicari.

Canon sextus eorum immanitatem damnat, qui captivos, postquam è Barbarorum manibus evasissent, vi retinebant, & altera quasi captivitate premebant.

Septimus eos qui cum Barbaris societatem inierunt, & inter eos nomen dedere, & in Christianos fratres suos sævierunt, aut Barbaris vias, vel domos Fidelium indicârunt, etiam ab Auditione arceri jubet, donec congregatis Episcopis aliquid de iis communi judicio fuerit statutum.

Octavus alienarum domorum invasores tempore Barbaricæ incursionis, si accusati convictique fuerint, nec in Audientium ordinem admittendos esse decernit ab Ecclesia. Si verò sponte confessi fuerint, & restituerint res alienas, in gradu substrationis collocandos.

Nonus eos qui res à Barbaris in campo, aut in ædibus relictas invenerunt ac retinuerunt, convictos, vult inter Pœnitentes substerni: Confessos verò in gradum Consistentiæ recipi; & precum donari Communione, modò restitutionis officium impleverint.

Decimus nullum pretium exigere debere indicationis, inventionis, vel custodiæ, statuit eos, qui res alienas amissas invenerunt, legitimisque dominis indicarunt, aut servaverunt; quia mandata Dei absque omni turpi lucro sunt servanda.

Undecimus & postremus varias Pœnitentium Classes, seu varios Pœnitentiæ publicæ gradus distinguit. Hunc Canonem viri quidam eruditi additium esse contendunt, & nusquam à Sancto Gregorio Taumaturgo conscriptum, quòd illius temporibus, inquiunt, nondum illæ Pœnitentium stationes distinctæ essent. An ita res se habeat, propria Dissertatione expendemus.

## ARTICULUS VI.

### *De duobus Dionysiis, Romano, & Alexandrino.*

I. SANCTI DIONYSII Romani Pontificis Epistolæ duæ, una ad Urbanum Præfectum, altera ad Severum Episcopum, Pseudepigraphæ sunt. Idem est prioris Epistolæ textus cum secunda Felicis Quarti similiter supposita. Secundæ produnt suppositionem, Concilii primi Arelatensis, S. Gregorii Magni, Aniani Codicis Theodosiani Interpretis verba in eam illata; & Cordubensis in Hispania Provinciæ mentio, cùm tamen Corduba Provincia non fuerit, imò nec Metropolis, sed Bæticæ Provinciæ, cujus Metropolis erat Hispalis, Civitas.

Unde post Bœticam occupatam, & regni sedem A Cordubæ à Saracenis fixam, hujus Epistolæ architectum vixisse palam est, ut notat Blondellus. Contra Sabellianos scripsit Epistolam Dionysius Papa, cujus nihil superest præter insigne fragmentum, apud Sanctum Athanasium, libro de Synodi Nicenæ Decretis.

II. S. DIONYSIUS ALEXANDRINUS ab anno 248. ad finem anni 265. illius urbis Episcoparum gessit. Sub Heracla Decessore suo Catechetecon Scholam ea in Ecclesia rexerat. De eo legendus est Eusebius, lib. 6. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 33. 34. 36. 37. & 38. quo variæ ejus Epistolæ, aliæ- B que lucubrationes recensentur. Legendus & Sanctus Hieronymus in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum cap. 80. Extat insignis ejus Epistola adversùs Paulum Samosatenum, cui ad ejus decem Quæstiones adnexæ sunt Responsiones eruditæ Tomo 1. Concil. Edit. Patris Labbe. Extat ibidem ejus Epistola Canonica ad Basilidem.

Epistola Canonica Dionysii Alexandrini.

Primus Canon respondet Quæstioni propositæ de tempore quo Jejunium Antepaschale solvendum est, & Christus resurrexit.

Secundus Canon mulieres, cùm suo sexui consueta patiuntur, à Communione Corporis Christi C avocat. *Ad Sancta enim Sanctorum, qui non anima & corpore purus est, accedere prohibebitur.* Hic tamen Canon cum quarto non ita convenit, quo propriam conscientiam sequi jubentur, qui noctu humani aliquid nolentes passi sunt, & se ipsos pro sua religione à sacra Mensa subtrahere, vel ad eam accedere. Porro quamvis Ecclesia Græca hanc Sancti Dionysii Alexandrini Epistolam, suos inter Canones receperit; non eo tamen animo illam conscripsit Sanctissimus Antistes, ut leges Ecclesiis daret, ut constat ex ipsius verbis, ad finem illius Epistolæ. *Ego autem*, inquit, *non ut Doctor, sed ut cum omni simplicitate convenit nos invicem differere, meam sententiam in commune edidi: quam cùm tu examinaveris, Fili mi sapientissime! quod tibi justum, meliùsque apparuerit, vel an sic etiam de his habere existimas, rescribes.* D

Constituit Sanctus Dionysius Alexandrinus hanc erga Pœnitentes observandam sua in Ecclesia Disciplinam, ut nemini in extremis Communio Sanctorum Mysteriorum negaretur, dummodò peteret, maximè si supplex hanc gratiam petivisset ab Ecclesia, cum optima valetudine frueretur. Id constat ex ipsius Epistola ad Fabium relata ab Eusebio lib. 6. E Historiæ, cap. 36. in qua & Serapionis senis ipsi narrat historiam, qui cùm in persecutione lapsus esset, & Pœnitentiam agens, lethalem incidisset in morbum, puerum misit ad Sacerdotem, rogans ad eum ut veniret. Verùm cùm Sacerdos ægritudine detineretur, Eucharistiæ particulam puero dedit, præcipiens ut madefactam in os senis infunderet. Quod ille præstitit ut habebat in mandatis.

Sancti Cypriani, Africanorumque Antistitum, necnon Firmiliani, aliorumque Orientalium sententiæ de rebaptizandis Hæreticis Dionysius Alexandrinus adhæsit, eoque de argumento ad Xistum Episcopum Romanum, & ad alios Epistolas dedit, F teste Eusebio lib. 7. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 8. & Sancto Hieronymo in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum cap. 80.

Cùm in Sabellium adhuc spirantem scripsisset Sanctus Dionysius, & ejus hæresim impugnans, in extremum errorem inflecti visus esset, personarumque non tantùm distinctionem, sed etiam divisionem asserere, & essentiæ unitatem inficiari, à Pentapolitanis, tanquam violatæ fidei reus, ad Dionysium Romanum Pontificem delatus est, teste Sancto Athanasio in Epistola *De sententia Sancti Dionysii Alexandrini*, adversus Arianos. An porro jure, vel injuriâ fuerit istius erroris accusatus, & Arianam hæresim præformaverit, necne, singulari Dissertatione expendemus.

ARTICULUS VII.

*De Novatiano, & Pierio.*

I. NOVATIANUM, Romanum Presbyterum primum Antipapam; nefarii Schismatis & hæreteos Authorem, plures edidisse libros testis est Sanctus Hieronymus in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum cap. 81. Ipsi vindicavimus librum de Trinitate, Tertulliano, vel Sancto Cypriano quondam à nonnullis adscriptum, in examine Operum Tertulliani, superiori Sæculo.

II. PIERIUS Alexandrinæ Ecclesiæ Presbyter, sub Caro & Diocletiano Principibus Alexandrinam Scholam rexit, eaque in Ecclesia docuit, quo tempore illi præerat Theonas Episcopus. Propter summam eruditionem, & sermonum elegantiam, Origenes junior vocabatur. In Oseæ Prophetiam Tractatum prolixum habuit. Librorum præterea duodecim scripsit Volumen. Pamphili Martyris Præceptor fuit, Isidori Martyris frater, & ipsum Martyrii certamen subiisse testatur Photius: Sed Confessorem dumtaxat fuisse constat ex Sancto Hieronymo, qui ipsum, post persecutionem, omne vitæ suæ tempus Romæ transegisse asserit (in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum cap. 87.)

De ejus doctrina sic Photius censet: *De Patre*, inquit, *& Filio piè credit, nisi quod substantias duas, totidemque naturas esse dicit: substantia & natura nomine (quantum ex iis, quæ hunc locum antecedunt, & consequuntur, colligitur) pro hypostasi usus: non ita verò ut qui Ario adhærent. Verumtamen de Spiritu Sancto periculosè nimis, atque parum piè docet: dum hunc inferioris esse gloria, quam sit Pater, & Filius, affirmat.* Hæc Photius in Bibliotheca, Cod. 119.

ARTICULUS VIII.

*De Sixto Secundo, & S. Zenone Veronensi.*

I. SIXTI II. Romani Pontificis nomine Sententias Latinitate donavit Ruffinus, quæ extant in Bibliothecis Veterum Patrum, & seorsum editæ cum Præfatione ejusdem Ruffini ad Apronianum. Sunt Xisti Pythagorici Philosophi, Ethnici que hominis Opus, non Sixti Pontificis, ut Sanctus Hieronymus testatur in Epistola ad Ctesiphontem adversùs Pelagium, ubi Ruffinum his verbis perstringit: *Illam autem temeritatem, immo insaniam ejus, quis digno possit explicare sermone, quod librum Xisti Pythagorei, hominis absque Christo, atque Ethnici, immutato nomine, Sixti Martyris, & Romanæ Ecclesiæ Episcopi prænotavit? In quo, juxta dogma Pythagoricorum, qui hominem exæquant Deo, & de ejus dicunt esse substantia, multa de perfectione dicuntur: ut qui volumen Philosophi nesciunt, sub Martyris nomine bibant de aureo calice Babylonis. Denique in ipso volumine nulla Prophetarum, nulla Patriarcharum, nulla Apostolorum, nulla Christi fit mentio: ut Episcopum & Martyrem sine Christi Fide fuisse contendas. Unde & vos, ô Pelagiani! plurima contra Ecclesiam usurpatis testimonia.*

Sancto Hieronymo suffragatur Sanctus Augustinus libro 2. Retractationum cap. 42. ubi suum *de Natura & Gratia* librum recognoscens, hæc habet: * Cap 64.
*In quo * verba quædam, quæ velut Sixti Romani Episcopi & Martyris Pelagius posuit, ita defendi: tamquam revera ejusdem Sixti essent: id enim putavi am-*

*verum) sed postea legi Xisti Philosophi esse, non Xisti Christiani.*

Hinc Gelasius Pontifex Maximus in Synodo Romana, ita de hoc libro censuit : *Liber Proverbiorum, qui ab Hæreticis conscriptus, & Sancti Xisti nomine prænotatus est, apocryphus.*

II. S. Zeno Veronensis Episcopus, non sub Galieno Imperatore Martyr, sed sub Constantio, vel Juliano Apostata, Confessor fuit, Syagrii, ad quem Sanctus Ambrosius Epistolam 64. dedit, in Episcopatu Decessor, ( ut ex ista Epistola constat.) Ipsi suppositi sunt *Sermones de plurimis sacræ Scripturæ locis, & rerum divinarum argumentis*, qui primùm editi sunt Venetiis anno 1508. cura Guarini Veronensis Oratoris : & postea Bibliothecæ Patrum sunt inserti. Suppositos esse probat omnium Scriptorum Ecclesiasticorum, ad illud usque tempus, de Sancti Zenonis Scriptis silentium. Prætérea, constat hos Sermones collectos esse ex diversis Authoribus. Nam septem Sermones in Psalmos, descripti sunt ex Commentariis Hilarii, ne verbo quidem immutato. Sermo in illud, *Attende tibi*, unà cum alio *de Livore & invidia*, est Sancti Basilii. Cæteri verò Sermones, seu potiùs fragmenta Sermonum, ob styli diversitatem, varios Authores arguunt. Ita censet Sixtus Senensis, lib. 4. Bibliothecæ Sanctæ.

## CAPUT ULTIMUM.

*De Imperatoribus, qui rerum summâ potiti sunt tertio nominis Christiani Sæculo.*

Severus. I. ANno Christi ducentesimo, Severus annum Imperii sui sextum agebat. In Britannias abiit anno Imperii sui 15. cum duobus filiis, Bassiano, quem Antoninum cognominaverat, & anno circiter Imperii 7. Augustum creaverat ; ac Geta Cæsare. Ibi re prosperè gesta, muróque per transversam Insulam ducto, utrinque finem Oceani communivit : unde etiam Britannici nomine insignitus est ( teste Spartiano. ) Ibi à filio majori quæsitus ad necem, cum sola objurgatione castigavit (ut testantur Dio in Severo, & Herodianus lib. 3.) Initio Imperii sui erga Christianos bene affectus erat Severus, quibus postmodùm infensissimus fuit. Benevolentiæ illius in religionis nostræ viros caussam refert Tertullianus libr. ad Scapulam, cap. 4. quòd scilicet à Proculo Christiano, Procuratore Evodi educatoris Antonini filii sui, sanitatem miraculo recepisset. *Ipse etiam Severus*, inquit, *Pater Antonini, Christianorum memor fuit : nam & Proculum Christianum, qui Toparcion cognominabatur, Evodi * Procuratorem, qui eum per oleum aliquando curaverat, requisivit, & in Palatio suo habuit usque ad mortem ejus, quem Antoninus optimè noverat, lacte Christiano educatus : sed & clarissimas fœminas, & clarissimos viros Severus sciens hujus secta esse, non modo non læsit, verùm & testimonio exornavit, & populo furenti in os palàm restitit.*

* ue testimen dum esse in ... tulliani ... Evode, viri eruditi ... (margin note)

Civium illustriores, quod * Albino res novas molienti favissent, occidi jussit. Adulabantur viri Principes Imperatori, ipsumque è Galliis comite victoria reducem, & ovantem, honorificentissimo, lætissimoque apparatu excipiebant, *in aliena solemnitate exemplum atque imaginem spei suæ inaugurantes & nomen Principis in corde mutantes*, ( inquit Tertullianus Apologetici cap. 35. ) quia nempe necem Imperatoris, & novi Cæsaris regimen exoptabant.

* Albinus Britanniæ præfectus, in Galliis ad Lugdunum cæsus est, quòd de Imperio cum Severo contenderet.

Leges sanctissimas tulit Severus contra mœchos, quorum tria millia morte affecit, ut Dio testatur in Severo : Legem Juliam de adulterio, non modò nuptas, sed & sponsas adstringere declaravit : & in maritum, qui crimen non ulcisceretur, animadverti decrevit, ut refert Ulpianus, l. 2. §. *Si publico* & l. 13. §. *Divus Severus.* Legem etiam Papiam, quæ à publicis honoribus arcebat, & colligendæ propinquorum hæreditatis, aut bonorum quibuscunque testamentis legatorum, jure privabat eos qui 25. annos nati matrimonia non iniissent, & ultra biennium prorogassent sponsalia, penitus antiquavit ( ut testatur etiam Tertullianus Apologetici cap. 4. )

Plautiano quasi Imperii Administro usus est Severus : cujus tanta fuit apud Imperatorem gratia, tanta apud Milites, & populum auctoritas, ut Plautillam filiam suam cum Antonino Severi filio matrimonio junxerit, eique tantùm numeraverit dotis, quantùm Reginis quinquaginta satis fuisset : ut etiam de illo populus in Circo aliquando diceret : *Quid tremis ? Quid palles ? Tu certè plus quàm tres isti possides :* Id est, potentior tribus Cæsaribus, Severo nimirum & duobus filiis unus Plautianus. Nec tamen constantem expertus ille fortunam est. Nam paulò post ab Antonino genero accusatus quòd contra Imperatorem conspirasset, ejus jussu interfectus est. Hæc constant ex Dione, & Xiphilino. Obiit Eboraci Severus, anno Christi 211. vel 213. secundùm Annales Ecclesiasticos, cùm annos fermè 18. imperasset.

Cùm aliquando pedibus æger bellum moraretur, impatienterque id ferens exercitus Bassianum ejus filium Augustum proclamasset, Tribunos, & Centuriones, ipsumque filium, ad suum Tribunal vocavit ; atque in hujus tumultus authores animadverti jussit, omnesque prostratos & supplices videns, capite manu contacto, ait : *Tandem sentitis caput imperare, non pedes.* ( Ex Ælio Spartiano, in Severo ) Tantæ fuit in rebus gerendis industriæ, ut dixerit moriens : *Agedum si quid nos oportet facere ;* & hoc signum Tribuno dari jusserit : *Laboremus.*

II. Antoninus Caracalla, & Geta, duo Severi filii, pari jure post Patrem imperarunt, anno Christi, secundùm Annales Ecclesiasticos 213. secundùm alios, 211. Caracalla dictus est Antoninus à vestimento, quod populo dederat, demisso usque ad talos. Moribus tam truculentus fuit, quàm frater miti & civili ingenio. Hunc 2. Imperii anno in matris ipsius gremio interfecit : Occidit & uxorem Plautillam, & viginti hominum mulierumque millia, qui Getæ studuerant, occidi jussit, & inter eos Papinianum Jurisconsultum celeberrimum, tunc Præfectum Prætorio, quòd ejus parricidium excusare legibus nollet. Parricidio junxit incestum. Juliam enim Novercam uxorem duxit. Hæc cùm esset elegantissima specie, maxima corporis parte per negligentiam nudata, amorem Antonini illexit. Infamem cupiditatem testatus est his verbis : *Vellem, si liceret.* Respondit mulier impudentissima : *Si libet, licet. An nescis te Imperatorem esse, & leges dare ; non accipere ?* Quo audito, nefarias nuptias celebravit. Omnes ipsi defuere virtutes ; vitium penè nullum. Alexandri Magni ad insaniam usque amans fuit, & æmulator. Germanis, & Parthis bellum intulit : postremorumque Regem Artabanum fraude potiùs, quàm fortitudine superavit. In milites & assentatores dumtaxat liberalis fuit ac beneficus. Cùm ipsum Julia mater exhausti nimiis largitionibus ærarii argueret, gladium ostentans respondit : *Bono animo es, mater ! Nam nobis, quamdiu hunc habebimus, pecunia non deerit.* Alexandriæ ingentem civium stragem edidit, quòd ipsum ob cædem fratris vituperassent illius urbis cives. A Macrino Præfecto Prætorio, per Martialem Centurionem interfectus est, inter Edessam, & Carras, dum ad Dei Luni * sacra pergeret, 6. annis Imperii à Patris obitu ; &

Antoninus Caracalla & Geta.

* Ita Lunam appellabant Carreni, apud quos lege cautum erat, ut qui Lunam fœmineo nomine, & sexu nuncupasset, is addictus mulieribus semper inserviret. qui verò marem Deum esse crederet, is dominaretur uxori, neque muliebres pateretur insidias. ( ex Ælio Spartiano. )

& duobus insuper mensibus exactis, ætatis suæ anno 29. Ista constant ex Dione, Xiphilino, & Ælio Spartiano, in Severo.

Macrinus & Diadumenus.

III. Occiso Antonino Caracalla, Macrinus Imperium invasit, cujus consortem fecit filium Diadomenum. Humili genere natus erat. Bellum Parthicum aggressus est, in quo profligatus, pacem impetravit. Multa de ejus sævitia refert Julius Capitolinus. Occisus est cum Diadumeno filio, post annum, mensesque duos, quàm Imperium assumpserat.

Heliogabalus.

IV. Aurelius Antoninus Heliogabalus, seu Elagabalus Varius, Solis in Phœnicia Sacerdos, matris Semiamiræ arte muliebri Antonini Caracallæ filius creditus est, inducto in errorem exercitu, qui jam à Macrino alienus erat, ejusque Imperii pertæsus. Unde Imperator à ducibus, militibusque acclamatus est. Scriptis deinde ad Senatum literis, appellatus est Antoninus Princeps, volentibus cunctis & studiosè credentibus (inquit Ælius Lampridius) *Ut sese habent vota hominum ad credulitatem festinantium, cùm quod optant, verum esse desiderant.* Omnium Deorum cultum Romæ extinguere conatus est, & eorum Sacra in templum Heliogabali, cujus fuerat Sacerdos, transferre. Judæorum etiam, & Samaritanorum religiones, & Christianam devotionem illuc transferre decrevit: *Ut omnium culturarum secretum Heliogabali sacerdotium teneret* (inquit Lampridius.)

Omnium fœdissimus fuit mortalium Heliogabalus, adeo ut sese in fœminam deformaret, & quamvis libidinem corpore suo nedum exerceret, sed & pateretur. Mores ejus turpissimos, non absque execratione describunt Dio, Xiphilinus, Lampridius, & Herodianus. Matrem Semiamiram in Senatum rogari jussit, quod nulli usquam mulieri concessum erat. Quod ne postea contingeret, post mortem infamis illius Principis cautum est, *Ne unquam Mulier Senatum ingrederetur, utque inferis ejus caput devoveretur, per quem id esset factum* (inquit Lampridius.)

Aurigis, Histrionibus, Servis, libidinum suarum administris, maxima Imperii munia demandavit. Nihil boni fecit in Imperio, nisi quòd Alexandrum Mammeæ filium, consobrinum suum, optimum Principem, adoptavit, Cæsaremque creavit. Cujus adoptionis ipsum pœnituit subinde, propensos in eum Senatus, militum, populique animos animadvertentem, à se verò jam alienos vitiorum horrore. Occisus est postquam annos ferme 4. imperasset, ab anno scilicet Christi 220. ad annum 224. secundùm Annales Ecclesiasticos vel ab anno 219. ad 222. secundùm alios, anno ætatis suæ 18. Ejus cadaver à militibus primò in cloacam immissum, quæ cùm illud non caperet, per vias publicas raptatum, in Tiberimque projectum est. Cæsa etiam cum eo est Mater Semiamira mulier insolentissima. Dictus est *Sardanapalus, Tractitius, Tiberinus, Impurus*, abrogatumque ipsi est post mortem, *Antonini & Imperatoris* nomen. Dixisse cum aliquando refert Lampridius: *Filios se nolle, ne quis ei frugi contingeret.* *

* Heliogabali occasione ait Lampridius de Imperatoribus *hos sepulchra nec tinuunt, qui in motorum fran..me, Populi, ac Militum non merentur.*

Alexander Mammeæ filius.

V. M. Aurelius Severus Alexander Imperium suscepit anno Christi 224. secundùm Baronium; 222. secundùm alios. Princeps fuit omnium virtutum civilium, & bellicarum apparatu ornatissimus. Mammeæ matris præstantissimæ, sapientissimæque fœminæ consilio, clarissimos, jurisque peritissimos viros, Ulpianum, Pomponium, Celsum, Modestinum, Paulum, Proculum, Venuleium ad judicia reddenda delegit: è quibus Ulpianum ad Præfecturam Prætorii provexit. Summa ejus fuit in creandis Senatoribus, cæterisque Magistratibus diligentia. Senatorem nunquam fecit sine omnium, qui aderant, Senatorum consilio. Aliquando Præfectum Prætorio constituit, qui fugerat ne ea dignitate ornaretur. Tunc fertur ab Alexandro scitè dictum; *Invitos, non ambientes, in Rempublicam collocandos.* Cùm rectores Provinciis dare, vel Præpositos facere, vel Rationales, seu Procuratores constituere vellet, nomina eorum palam proponebat, quos istis præficere decreverat Muneribus, populumque hortabatur, *Ut si quis quid haberet criminis, probaret manifestis rebus: Si non probasset, subiret pœnam capitis: dicebatque, Grave esse, cum id Christiani, & Judæi facerent in prædicandis Sacerdotibus qui ordinandi sunt, non fieri in Provinciarum Rectoribus, quibus & fortunæ hominum committerentur, & capita.* Venales etiam Magistratus esse prohibuit; dicens: *Necesse est ut qui emit, vendat. Non patiar mercatores Potestatum: quos si patiar, damnare non possim. Erubesco enim punire illum hominem qui emit, & vendit.* Rationales citò mutabat, ita ut nemo nisi annum compleret; eosque etsi boni essent, oderat, *Malum necessarium* vocans.

In Christianorum religionem fuit propensissimus Alexander. Christum in Larario coluit, ipsique templum ceu Numini voluit erigere. Quod & Hadrianus cogitasse fertur (ut notat Lampridius) qui templa in omnibus civitatibus sine simulachris jusserat fieri, quæ ad Christi cultum paraverat; sed prohibitus est ab iis, qui consulentes sacra, repererant omnes Christianos futuros, si id optatò venisset, & templa reliqua deserenda.

Non solùm pacis artibus, sed & bellica laude floruit Alexander. Regem Persarum, ducto contra eum exercitu, profligavit, triumphumque egit splendidissimum, manibus hominum sublatus 4. horarum spatio; conclamantibusque universis: *Salva Roma, quia salvus est Alexander.* Novam postea contra Germanos Galliis imminentes expeditionem duxit, in qua paucorum conspiratione militum occisus est cum matre, cujus ex consilio omnia egerat, anno ætatis suæ 30. inchoato, postquam annis tredecim imperasset. De ejus gestis legendus est Lampridius.

VI. Maximinus humili genere, Gotho Patre, Alana Matre genitus, ex ordine militari ad Imperium provectus est, nequaquam probante Senatu, anno Christi 237. secundùm Annales Ecclesiasticos, vel 235. secundùm Petavium, aliosque Scriptores. Crudelitatis monstrum fuit. Non mirum quòd persecutionem moverit adversùs Christianos, qui tam immaniter sæviit in cives, sine judicio, sine accusatione, sine debitore, sine defensione omnes interemit, omnium bona sustulit, & plus quatuor millibus hominum occisis, satiari non potuit (inquit Julius Capitolinus.) — Maximinus.

VII. Tyrannicæ dominationis pertæsus Senatus, à Maximino defecit, & Gordianum, utrumque, Patrem & filium, Augustos appellavit. Ubique duces, militesque Maximini interfecti sunt, paucæ civitates fidem hosti publico servaverunt. — Gordiani, pater & filius.

VIII. Gordiani, post annum in Africa cæsi sunt à Capeliano Maximini Duce. His interfectis, Senatus Maximum, ex Præfecto Urbis, & Clodium Balbinum, Imperatores creavit: quibus à populo Augustis appellatis, per milites & eumdem populum, etiam parvulus nepos Gordiani Cæsar proclamatus est. Interim Maximinus, dum Aquileiam obsideret, à militibus interfectus est cum filio adhuc puero, cùm annos tres imperasset. Trucidati sunt deinde Balbinus, & Maximus Pupienus à militibus, cùm Gordianum de medio auferre decrevissent. Solus deinceps Gordianus imperavit, adhuc puer, Misitheo doctissimo, ac disertissimo viro, cujus filiam duxerat, ejus Imperium moderante, ac defendente. Celeberrimam de Persis victoriam reportavit. Philippi Arabis insidiis sublatus est Misitheus, — Maximus & Clodius Balbinus. — Gordiani Nepos.

ac

ac non multò post Gordianus, cùm annos sex imperasset. Hæc ex Julio Capitolino constant.

IX. Tam immani scelere viam sibi ad Imperium stravit Philippus, decepto Senatu, à quo Augustus appellatus est, postquam Patribus per literas persuasisset, Gordianum morbo periisse, seque militum suffragio ad Imperium assumptum, ut testatur Julius Capitolinus. *Ita*, inquit, *Philippus impiè, non jure obtinuit Imperium*, anno Christi 246. ut vult Baronius, anno 244. ut aliis placet.

Philippus Christianus fuit.

X. Philippum Christianorum Imperatorum primum fuisse, testatur Eusebius lib. 6. Historiæ cap. 27. Verisimile est autem id cognovisse Eusebium ex Epistolis Origenis ad istum Principem, & ad Severam Augustam ejus uxorem datis, quas se legisse testatur, cap. 29. Idem testantur Vincentius Lirinensis in Commonitorio 1. adversùs Hæreses, cap. 23. Orosius libro 7. cap. 13. Martyrologia Romanum, Usuardi, & Adonis, ad diem 14. Maii S. Pontii Martyris Cimellensis memoriam celebrantia, cujus prædicatione & industria duos Philippos Cæsares, patrem & filium, ad fidem Christi conversos memorant. Denique ejusdem rei fidem faciunt Acta vetustissima Sancti Pontii, à Valerio socio scripta, & ex antiquis ac probatæ fidei MSS. edita à Bollandi Continuatoribus ad diem 14. Maii, & Paulus Diaconus libro 10. Historiæ.

Tot testium locupletissimorum solicitare fidem iniquam fortassis in mentem veniat, ac de Philippi Christianam in Religionem cooptatione dubitare, ob eam rationem quòd profanorum Scriptorum nemo religionis in ipso mutationem criminetur, quòd Templa diruisse, Ecclesias erexisse, leges sanctissimas tulisse non legatur, quemadmodum fecit postea Constantinus; quòd denique inter Divos post mortem cum filio relatus sit, ut Eutropius testatur. Verùm hæc non probant quòd Christum non coluerit Philippus, sed quòd occultè dumtaxat, non palam Christianam Religionem professus sit. Noverant Christiani ipsum Christianum esse, præsumebant Ethnici ipsum Deorum esse Cultorem, quòd eorum sacra, ritusque pateretur. Non sinebat autem rerum, temporumque conditio, ut palam Christianus innotesceret, utque Templa Gentilium dirueret; quia non satis firmum erat ejus Imperium, & Senatus populique Romani, atque exercitus inconstantia, & levitas in Principibus mutandis, quæ in ejus Decessorum cædibus se prodiderat, ratio erat occultandæ Ethnicis suæ religionis, ut vitæ suæ, atque Imperio consuleret. Sic enim Ecclesiæ rebus tutior erat, quam si hocce rerum statu palam se Christianum professus esset. Cæterùm profanorum Authorum silentium probat illum Ethnicæ superstitioni nuncium remisisse. Cùm enim annum conditæ Urbis millesimum solemnibus Ludis ab eo celebratum referunt, non memorant Sacrificia ab ipso falsis Numinibus oblata, nec aditum ex veteri more Capitolium. Id animadvertit Paulus Orosius libro 7. cap. 13. *Ita ludis magnificis*, inquit, *augustissimus omnium præteritorum hic Natalis annus à Christiano Imperatore celebratus est. Nec dubium est quin Philippus hujus tanta devotionis gratiam, & honorem ad Christum, & ad Ecclesiam reportaris: quoniam, vel ascensum fuisse ab eo Capitolium, immolatasque ex more hostias, nullus Author ostendit.*

Quod spectat leges à Philippo latas, Principis certè Christiani spirant illæ pietatem. Nam Exoletos, turpissimum & flagitiosissimum hominum genus, sustulit (ut testatur Lampridius in Alexandro Severo) & Poëtas juvenum animas arte sua corrumpentes antiquis privavit Privilegiis, ut constat ex L. *Poeta*, C. *de Professoribus*, libro 10. *Poeta, nulla immunitatis prærogativa juvantor.* Quòd denique post mortem inter Divos fuerit relatus, probat quidem ipsum nihil negotii facessivisse Ethnicis, & de Senatu ac populo fuisse optimè meritum, palam denique & sub oculis Senatus populique Romani Christianam Religionem professum non fuisse: sed non evincit illa inter Divos adscriptio illum à Christiana Religione fuisse alienum. Certè Paulus Diaconus qui ipsum fuisse Christianum & Pœnitentiam egisse ad pedes Episcopi testatur libro 10. Historiæ Miscellæ, inter Divos relatum esse cum filio ibidem asserit. Imperantibus Philippis, Jotapianus & Marinus qui tyrannidem arripuerant, citò deturbati sunt. Occisi sunt à Militibus ambo Philippi, anno Christi secundùm Baronium 253. secundùm Petavium, & alios; 249. pater Veronæ, filius Romæ.

Decius.

XI. Illis adhuc viventibus, Decius ex inferiore ortus Pannonia, excellenti vir animi, virtute, ac bellandi usu præditus; cæterùm Christianis infensissimus, Imperator acclamatus fuerat. Imperium suscepit anno Christi 253. Contra Barbaros pugnans, paludis gurgite absorptus est, anno Christi 254. secundùm Annales Ecclesiasticos.

Gallus & Volusianus.

XII. Decio successit Gallus cum Volosiano filio: sub horum Imperio pestilens morbus totum penè vastavit orbem. Hujus occasione Sanctus Cyprianus librum de Mortalitate edidit. Post biennium Imperii, vel certè post quadriennium, isti Principes à Militibus trucidati sunt apud Interamnam, dum adversùs Æmilianum res novas in Mœsia molitum pergerent. (Ex Paulo Orosio; lib. 7. cap. 14.) Tunc Æmilianus Imperator acclamatus est. Hujus brevissimum fuit Imperium. Post tres namque menses sublatus est.

Æmilianus.

Valerianus & Galienus.

XIII. Post Æmilianum, Valerianus cum Galieno filio Imperium suscepit, anno Christi 254. vel 255. septem annis simul imperarunt. Sub horum Imperio variis Barbarorum incursionibus Imperium lacessitum est. Triginta Tyranni, quos recenset Trebellius Pollio, variis in locis grassati. Cùm adversùs Scythas Valerianus profectus fuisset, indéque contra Saporem Persarum Regem, ab eo captus est, & vilis more mancipii habitus, ut quoties equum conscenderet, incurvato eo, cervicem ejus calcaret, eóque velut suppedaneo subsellio uteretur; ut referunt Aurelius Victor, & Eutropius. Tandem illi cutem detrahi, & corpus ejus saliri jussit, ut testatur Constantinus in Oratione ad Sanctorum Cœtum, cap. 24. apud Eusebium. Exinde solus imperavit Galienus, qui promulgatis ubique edictis, persecutionem remisit in Christianos antea concitatam, ipsisque loca sacra restitui jussit, ut religionis suæ ritus absque molestia exercerent. Extat ejus ea de re Edictum apud Eusebium lib. 7. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 13. quam ob rationem ejus pietatem etiam commendat Sanctus Dionysius Alexandrinus, apud eumdem Eusebium, cap. 18. ejusdem libri. Sub eo Imperium Orientis obtinuit Odenatus Rex Palmyrenorum. Galienus Marciani & Cecropii Ducis exercitus conspiratione, ad Mediolanum, cum fratre Valeriano occisus est, anno Imperii sui 15. Christi 269.

Claudius.

XIV. Rerum summa post Galienum potitus est Claudius laudatissimus Princeps: reportata de Gotthis victoria celebris; quorum trecenta viginti millia ab ejus exercitu cæsa sunt: Navium duo millia depressa. Breve illi in Imperio fuit tempus; biennio siquidem dumtaxat imperavit: *Sed breve fuisset, etiamsi quantum hominum vita suppetit, tantùm vir talis imperare potuisset* (inquit Trebellius Pollio, qui res ipsius gestas persequitur.) Anno

Christi 221. peste tactus occubuit. Post ipsius obitum frater ejus Quintillus usurpato Imperio, post dies 17. ob nimiam severitatem à militibus obtruncatus est.

Aurelianus. XV. Tum Aurelianus Imperium iniit, Princeps bellica laude insignis. Profligavit nempe Alemannos, & Marcomanos: de Zenobia Orientis Imperatrice triumphavit, necnon de Tetrico Tyranno. In Disciplina Militari sancienda severissimus fuit. Anno Imperii sui 7. secundùm Baronium, Christi 278. occisus est dolo Mnesthei Secretariorum Notarii. De ejus gestis legendus est Flavius Vopiscus in Aureliano. Ait ille multos Aurelianum neque inter bonos, neque inter malos Principes posuisse, *Quòd ei clementia, Imperatorum dos prima, defuerit.*

Tacitus. Post Aureliani mortem, & sex mensium interregnum, Tacitus vir Consularis ex Senatusconsulto Imperator creatus est, qui à Tacito Historico genus ducebat. Sex dumtaxat mensibus imperavit.

Florianus. Post ejus mortem, Florianus illius frater arripuit Imperium: quod postquam duobus mensibus tenuisset, Tarsi à militibus occisus est (ut testatur Flavius Vopiscus.)

M. Aurelius Probus. XVI. Tacito & Floriano fratribus in Imperio successit M. Aurelius Probus, anno Christi 279. secundùm Baronium; 276. secundùm alios. Hic in Gallias profectus, sexaginta nobilissimas Civitates de Barbaris recuperavit, & eorum ferme septingenta millia occidit Pacatis Gallus, recepit Illyricum, Getas subegit, Persis bellum indixit. Per Illyricum in Italiam rediens, à militibus, quos ob nimiam severitatem infensos habebat, occisus est, anno Imperii sui 5. ut tradit Flavius Vopiscus, vel 6. vertente, ut testatur Eusebius libro 7. Historiæ Ecclesiasticæ cap 24.

XVII. Anno Christi 283. M. Aurelius Carus ad Imperium evectus est: qui statim Carinum & Numerianum filios Cæsares creavit, & Carino ad tuendas Gallias misso, cum Numeriano expeditionem bellicam contra Persas duxit. Subacta Mesopotamia, ad Ctesiphontem usque progressus, ictu fulminis interemptus; vel, ut alii volunt, morbo sublatus, anno Imperii 1. Christi 283. Numerianus dolore propter patris mortem oppressus, nimio fletu, ocularem in morbum incidit, & dum lectica veheretur, Arrii Apri soceri sui factione interfectus est, anno Christi 284. M. Aurelius Carus, Carinus, & Numerianus.

Carinus Princeps omnium contaminatissimus, omnibus ob flagitia invisus, ab exercitu Diocletiani altero jam anno imperantis, apud Margum Mœsiæ oppidum profligatus, & trucidatus est, anno Christi 285.

XVIII. Diocletianus, in Dalmatia obscuro genere natus, sed bellica laude clarus, Imperator à militibus acclamatus est, anno Christi 284. Anno 286. Maximianum in consortium Imperii vocavit. Anno 292. ut labanti per variorum Tyrannorum grassationem, incursionesque Barbarorum Reipublicæ succurreretur, duo Cæsares à Diocletiano creati sunt, Constantius Chlorus, & Galerius Maximianus, qui Armentarius cognominatus est, quòd armentorum Pastor fuisset. Anno Christi 304. persecutionis in Christianos motæ secundò, cùm triumphum de Persis egissent Diocletianus & Maximianus Herculius, ambo se Imperio abdicarunt. De his legatur Eusebius libro 8. cap. 26. & 29. Lactantius lib. *De Mortibus Persecutorum*, & Paulus Orosius libro 7. cap. 16. Diocletianus & Maximianus Herculius.





# IN HISTORIAM ECCLESIASTICAM TERTII SÆCULI DISSERTATIONES SELECTÆ.

## DISSERTATIO I.

De Fide Zephirini Romani Pontificis.

### ARTICULUS UNICUS.

*Utrum Zephirinus Pontifex Maximus Montani Hæresim propugnaverit, aut ipsi faverit?*

### PROPOSITIO.

*Zephirinus Romanus Pontifex nec Montani propugnavit errorem, nec ipsi ullatenus favit.*



ROBATUR primò. Qui Decretum edidit adversùs Montani hæresim, quo Mœchos ad Pœnitentiam invitabat, eisque spondebat indulgentiam, non propugnavit errorem Montani, nec ipsi ullatenus favit: sed Zephirinus edidit hujusmodi Decretum. Igitur nec Montani propugnavit errorem, nec ipsi favit.

Probatur minor verbis Tertulliani, libro de Pudicitia, cap. 1. *Pontifex scilicet Maximus, quod est Episcopus Episcoporum, edicit: Ego & Mœchia & fornicationis delicta Pœnitentia functis dimitto.* At his verbis Zephirinum à Tertulliano sugillari, vulgaris opinio est. Certè sententiam Montani fuisse à Catholicis explosam, quos per contumeliam Psychicos appellat, téstatur Tertullianus toto libro de Pudicitia: & sententiam contrariam, quæ peccatores pœnitentiam professos complectebatur, fuisse in Ecclesia propugnatam. *Illic*, inquit, *ejusmodi pœnitentia promulganda est, ubi delinquentia ipsa versabitur. Illic legenda est venia, quo cum spe ejus intrabitur. Sed hoc in Ecclesia legitur, & in Ecclesia pronuntiatur, & virgo est.*

Et cap. 10. *Sed cederem tibi, si Scriptura Pastoris, quæ sola mœchos amat, divino Instrumento meruisset incidi, si non ab omni Concilio Ecclesiarum, etiam vestrarum, inter apocrypha, & falsa judicaretur, adultera & ipsa, & inde patrona sociorum: à qua & aliàs initiaris; cui ille si fortè patrocinabitur Pastor, quem in Calice depingis, prostitutorem & ipsum Christiani Sacramenti, meritò & ebrietatis Idolum, & mœchiæ asylum post calicem subsecutura, de quo nihil lubentiùs bibas, quam ovem pœnitentiæ secundæ.* Porro vel in Ecclesia Carthaginensi propugnabatur secunda illa pœnitentia, vel in Romana. Si in Romana, Zephirinus qui illi præerat Ecclesiæ, omnino alienus erat ab errore Montanistarum. Si in Carthaginensi dumtaxat, proculdubio opposuisset illi Tertullianus Ecclesiæ Romanæ & Summi Pontificis doctrinam & fidem, cùm hanc ipse statuerit regulam lib. de Præscriptionibus, cap. 36. Hæreticos testimonio & auctoritate Ecclesiarum Apostolicarum, præsertim Romanæ, cujus cum Africana semper fuerat summa consensio, esse conterendos. *Age jam qui voles*, inquit, *curiositatem melius exercere in negotio salutis tuæ, percurre Ecclesias Apostolicas, apud quas ipsæ adhuc cathedræ Apostolorum suis locis præsident, apud quas ipsæ authenticæ literæ eorum recitantur, sonantes vocem, & repræsentantes faciem uniuscujusque..... Si Italiæ adjaces, habes Romam, unde nobis quoque auctoritas præsto est. Ista quam fœlix Ecclesia, cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt... Videamus quid didicerit, cùm Africanis quoque Ecclesiis contesserarit.*

Probatur secundò. Zephirino Ecclesiam regente, Caius Author Ecclesiasticus publicam Disputationem habuit contra Proclum erroris Cataphrygum, seu Montanistarum acerrimum defensorem (ut testantur Eusebius, lib. 6. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 14. & Sanctus Hieronymus in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum cap. 70.) Atqui Disputationem istam quâ profligati sunt Montanistæ,

Montanistæ, non permisisset Zephirinus, si favisset ipsorum erroribus. Itaque Zephirinus Montanistarum erroribus non favit.

Probatur tertiò. Qui Natalium Confessorem, in Theodoti Coriarii hæresim lapsum, & pœnitentiam postea suæ defectionis agentem, in Ecclesiam recepit: non adhæsit errori Montanistarum, qui peccatorum lethalium reis Ecclesiæ fores occludebant. Atqui Zephirinus Natalium in hæresim lapsum, actâ exomologesi, in Ecclesiam recepit: non adhæsit igitur errori Montanistarum, negantium veniam ab Ecclesia Lapsis post Baptismum indulgeri posse.

Probatur minor ex Eusebio, libro 5. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 27. historiam illam referente ex antiquo Authore, & coætaneo Zephirini. *Erat quidam Natalius Confessor*, inquit, *non jampridem, sed nostris jam penè temporibus. Iste ab Asclepiodoto, & altero Theodoto Trapezita (hi quidem ambo Theodoti Coriarii discipuli erant) fraude ac dolo deceptus fuit; & ab illis duobus, quos supra posui, salario quodam & mercede persuasus ut illius erroris Episcopus crearetur: ea lege nimirum, ut centum quinquaginta denarios menstruos ei persolverent. Qui quidem cùm se in illorum societatem dedisset, per visiones quasdam à Domino ad se demissas sæpe numerò admonitus fuit. Deus enim misericors, & Dominus noster Jesus Christus, Martyrem & testem suarum afflictionum extra Ecclesiam miserè disperire noluit. Cæterùm quoniam erat prima apud illos Sedis Episcopalis appetitione, tanquam hamo inescatus, & sarpi quæstu irretitus, & propterea tardiùs Dei visionibus animum attendit: Tandem per integram noctem à sanctis Angelis flagris & verberibus adeo acerbè & graviter cæsus fuit, ut cùm primo manè surgeret, cilicio & sacco indutus, cineribus aspersus, cum magno mœrore & lachrymis ad pedes Zephirini Pontificis se supplicem abjiceret: & non modo ad Cleri, sed ad Laicorum etiam genua advolveretur: ita ut Christi misericordis Ecclesia illum magnopere commiserata, lamentis unà se dederet. Attamen ille, licet multis precibus usus fuisset, & plagarum vibices, quas pertulerat ostendisset, vix tandem in Communionem Ecclesiæ receptus fuit.*

Natalius Cōfessor ab Angelis flagris graviter cæsus.

Publicam Pœnitentiam agit.

Probatur quartò ex Optato Milevitano, libro 1 contra Parmenianum, asserente Marcionem, Praxeam, Sabellium, Valentinum, & alios qui Zephirini temporibus Ecclesiam infestabant, Hæreticos, ab illo Pontifice superatos fuisse. *Marcion*, inquit, *Praxeas, Sabellius, Valentinus, & cæteri temporibus suis, à Victore & Zephirino Urbico, & Tertulliano Carthaginensi, usque ad Cataphrygas, & à cæteris assertoribus Catholicæ Ecclesiæ superati sunt.*

Objectionem subministrat Tertullianus in libro adversùs Praxeam, cap. 1. ubi testatur Episcopum Romanum, qui tunc Zephirinus erat, approbasse Prophetias Montani, Priscæ & Maximillæ, & Ecclesiæ pacem Montanistis restituisse; licet statim literas pacis, agente Praxea, revocaverit. *Nam idem tunc*, Praxeas, *Episcopum Romanum, agnoscentem jam Prophetias Montani, Priscæ, Maximillæ, & ex ea agnitione pacem Ecclesiis Asiæ & Phrygiæ inferentem, falsa de ipsis Prophetis, & Ecclesiis eorum asseverando, & Præcessorum ejus auctoritates defendendo, coegit & literas pacis revocare jam emissas, & à proposito recipiendorum charismatum concessare.*

Respondeo primò, Tertulliano, in iis quæ res Montani spectant, fidem adhibendam non esse, cùm professus fuerit Montanista. Nam solemne fuit Hæreticis errores suos Pontificibus affingere, ut eorum nomine & auctoritate se tuerentur, & Fidelibus fucum facerent. Sic Artemonis discipuli Victori Pontifici Romano impium præceptoris sui errorem tribuerunt, teste Eusebio, libro 5. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 27. Ita & Montanistæ suis à partibus stare Zephirinum temerè asseruerunt.

Respondeo secundò, Zephirinum forsan agnovisse Prophetias Montani, & ad literas pacis Montanistis concedendas paratum fuisse, errore facti, non errore juris. Scilicet cùm se Catholicos mentirentur, & sanctioris insuper vitæ speciem præseferrent, decipere potuerunt Zephirinum, non quidem ita ut in approbationem suorum errorum illum adducerent, sed ut existimaret ipsos, cùm virus suæ hæreseos absconderent, & pietatis larvâ obtegerent, maximè Catholicos esse, & Ecclesiastica communione dignos. Quo etiam pacto Pelagius, & Cælestius Zosimum aliquando deluserunt, adeo ut illorum fidei professionem, quæ verbis tenùs Catholica erat, probaret, & eorum accusatoribus irasceretur, miraretur que vehementer, quòd ab Africanis Synodis damnati essent ut hæretici, eòsque *Viros absolutæ fidei, & numquam à Catholica veritate, aut ab Ecclesiæ corpore divulsos* vocaret (ut constat ex illius Epistola ad Aurelium, & alios Antistites Africanos.) Verùm ut ipse errore tantùm facti favit Pelagio & Cælestio, non errore juris: & eorum detecta vafritie, de eorumque erroribus, & dolis in occultanda hæresi qua medullitùs infecti erant, ab Africanis Episcopis certior factus, Pelagianam hæresim solemni decreto damnavit, Pelagiumque & Cælestium anathemate confixit: ita Zephirinus errore tantum facti favit Montano, & ejus Prophetissis, (si tamen favit umquam) quia Catholici nominis, pietatisque larvam circumferebant, & Symbolum Apostolicum professi, errores sectæ suæ proprios dissimulabant. At statim atque à Praxea adhuc in Ecclesiæ castris pugnante Montani hæresis & Pseudoprophetia detecta est, Zephirinus illam damnavit, ejusque authores anathemate contrivit, & ab Ecclesia expulit.

## SCHOLION.

Quod in Responsione ad Objectionem dixi, *Zephirinum, & Zosimum* in facto errasse, Religiosi Censores sive Censorii Indiculi Auctores sic interpolarunt, &, notarunt: *Pons fices multi erraverunt errore facti.*

R. Id certissimum, quod ipsis impossibile videtur. Non mihi, sed *Sancto Thomæ*, & Cardinali *De Turrecremata* credant, in Summa *De Ecclesia*, lib. 11. cap. cxii. scribenti: *In illis quæ sunt facti, Ecclesia errare potest, ut dicit Sanctus Thomas tam in Quodlibeto viij. quàm in iv. Sententiarum Dist. xlj. ubi ait, Quòd quamvis Ecclesia dono & auctoritate divina fulciatur, tamen in quantum est hominum congregatio, aliquid ex defectu humano in actibus suis provenit, quod non est divinum.*

## DISSERTATIO II.

*De statu Controversiæ inter Lapsos in Persecutione Decii, & Clerum Romanum Sancto Cypriano, ejusque Collegis consentientem: Deque ejus progressu & exitu.*

IS erat Controversiæ status: An eum Lapsis nullâ præviâ Pœnitentiâ purgatis esset communicandum. Id pertinaciter Lapsi complures in persecutione Decii contendebant, & multitudine, importunitateque sua impetrare nitebantur. Quinque Presbyteri, qui & ipsi lapsi erant, sese velut signiferos illius seditionis præstiterunt. Alii è Sacerdotibus quadam simplicitate ducti, illos, nullâ pœnitentiâ actâ, suis restituerunt Ecclesiis. Lapsi tamen illi adeo impudentes non erant universi, ut reconciliationem

tionem nulla acta pœnitentia simpliciter flagitarent: sed libellis Martyrum freti, illam velut debitam postulabant, quam nisi ab Episcopis statim obtinerent, non se, sed Martyres despectos conquerebantur. Quid verò Sanctus Cyprianus, & Clerus Romanus? (vacabat enim obitu Fabiani Sedes Apostolica.) Jusserunt eos expectare, donec sedata persecutione, celebrari posset Concilium, in quo discussis eorum caussis, cuique pro criminis gravitate pœnitentia imponeretur. Nihil interim innovari voluere; hoc est, legitimam & consuetam eos subire pœnitentiam jusserunt, qua peracta, reconciliationem per impositionem manuum Episcopi, & Cleri obtinerent. B Lapsis porrò conditionem illam recusantibus, ad propellendum schismatis periculum, provisorio Decreto sancitum est, illis qui Martyrum libellos haberent, in mortis discrimine pacem seu absolutionem esse concedendam. Confessores interim redarguerunt Romanus Clerus, & S. Cyprianus, quòd in concedendis libellis adeo faciles se præberent, & Lapsis pacem passim, & sine examine adprecarentur: qua facilitate, Evangelii & Ecclesiasticæ Disciplinæ vigor & censura solvebantur, ac pessum ibant.

Decio tandem Imperatore occiso, pax reddita est Ecclesiis. C Carthaginem è secessu suo rediit S. Cyprianus. Romæ Cornelius creatus est Pontifex. Hic, & illic Concilia pro Lapsorum caussa discutienda convocata sunt. In illis summo consensu decretum est, *Sacrificatos*, id est, eos, qui thus idolis adolevissent, pœnitentiam plenam agere debere, qua peractâ, reconciliarentur. Quòd si in ipso pœnitentiæ decursu mortis periculum immineret, reconciliationis donarentur beneficio, nondum licèt completâ pœnitentiâ. *De Libellaticis* verò statutum est, ut nulla alia pœnitentiâ peractâ, D præter eam, quam fervente adhuc persecutione, sponte subierant, statim ad Ecclesiæ pacem admitterentur.

Hæc, quæ compendio perstrinximus, ut probata exhibeamus, sequentes stabiliemus Propositiones.

## PROPOSITIO I.

*Fervente Decii persecutione, Lapsi libellos Martyrum seditiosè prætexebant, veniam ut obtinerent ab Ecclesia, nulla licèt Pœnitentia functi: hisque muniti libellis Communionem invadere volebant.*

E Probatur ex Sancto Cypriano, Epistola 15. ad Clerum Romanum data, in qua ita scribit: *Item cum comperissem eos, qui sacrilegis contactibus manus suas, atque ora maculassent, vel nefandis libellis nihilominus conscientiam polluissent, exambire ad Martyres passim, Confessores quoque importuna & gratiosa deprecatione corrumpere, ut sine ullo discrimine, atque examine singulorum, darentur quotidie libellorum millia contra Evangelii legem, literas feci, quibus Martyres & Confessores consilio meo, quantùm possem, ad Dominica præcepta revocarem.*

Probatur secundò ex ejus Epistola 23. ad Clerum pariter Romanum data, in qua hæc habet: F *Quæ res majorem nobis conflat invidiam, ut nos cùm singulorum caussas audire, & excutere cœperimus, videamur multis negare; quod se nunc omnes jactant à Martyribus, & Confessoribus accepisse. Denique hujus seditionis origo jam cœpit. Nam in Provincia nostra per aliquot civitates in Præpositos impetus multitudinum factus est, & pacem, quam semel cunctis à Martyribus & Confessoribus datam clamitabant, confestim sibi repræsentari coëgerunt; territis & subactis Præpositis suis, qui ad resistendum minùs virtute animi, & robore fidei prævalebant. Apud nos etiam quidam turbulenti, qui vix à nobis in præteritum re-* A *gebantur, & in nostram præsentiam differebantur, per hanc Epistolam, velut quibusdam facibus accensi, plus exardescere, & pacem sibi datam extorquere cœperunt.*

Et Epistola 29. ad eumdem Clerum. *Posteaquam,* inquit, *ad vos literas feci de quorumdam prospecta temeritate, qui pœnitentiam agere, & Deo satisfacere detrectant, literas ad me fecerunt, pacem non dandam sibi postulantes, sed quasi jam datam sibi vindicantes, quod dicant Paulum* (Martyrem) *omnibus pacem dedisse.*

Probatur tertiò ex Epistola ejusdem Sancti Cypriani 55. ad Cornelium data, in qua refert, quinque B Presbyteros, scilicet Felicem, Jovinum, Maximum, Repostum, & Fortunatum, cùm ipsi persecutionis initio cecidissent, pœnitentiæ, quæ lapsis erat imponenda, restitisse, ipsosque ut absolutionem, nulla acta pœnitentia, ab Episcopis extorquerent, concitasse. *Taceo itaque,* inquit, *de fraudibus Ecclesiæ factis: conjurationes & adulteria, & varia delictorum genera prætereo: unum illud, in quo non mea, nec hominum, sed Dei causa est, de eorum facinore non puto esse reticendum: quod à primo statim persecutionis die, cùm recentia delinquentium facinora fervèrent, & sacrificiis nefandis non tantum diaboli altaria, sed adhuc manus ipsæ* C *Lapsorum, atque ora fumarent, communicare cum Lapsis, & Pœnitentiam agendam intercedere non destiterunt.*

## PROPOSITIO II.

*Temeraria erat Lapsorum postulatio: cùm absque Satisfactione venia obtineri à Deo non possit, nec eam indulgere possit Ecclesia, nisi iis qui pro peccato satisfecerint, aut satisfacere voluerint.*

D Probatur primò. Temeraria erat illorum postulatio, qui absque Pœnitentia Communionem Ecclesiæ, & absolutionem extorquere volebant: Sed Lapsi absque Pœnitentia Communionem & absolutionem Ecclesiæ extorquere volebant: temeraria igitur erat ipsorum petitio.

Probatur minor. Qui absolutionem vult extorquere absque satisfactione, vult eam extorquere absque Pœnitentia: sed Lapsi absolutionem extorquere volebant absque satisfactione: ergo absque pœnitentia.

Probatur major ex Traditione, in qua nusquam occurrit Pœnitentia absque satisfactione, velut E proprio caractere. Sic eam repræsentat Tertullianus lib. de Pœnitentia, cap. 9. *Hujus igitur Pœnitentiæ secundæ, & unius, quanto in arcto negotium est, tantò operosior probatio est; ut non sola conscientia præferatur, sed aliquo etiam actu administretur. Is actus exomologesis est, qua delictum Domino nostrum confitemur, non quidem ut ignaro, sed quatenus satisfactio Confessione disponitur, Confessione Pœnitentia nascitur, Pœnitentia Deus mitigatur. Itaque exomologesis prosternendi, & humilificandi hominis Disciplina est, conversationem injungens misericordiæ illicem: de ipso quoque habitu atque victu mandat,* F *sacco & cineri incubare, corpus sordibus obscurare, animum mœroribus dejicere, illa quæ peccavit tristi tractatione mutare, cæterùm pastum & potum pura nosse, non ventris scilicet, sed animæ causa: plerumque verò jejuniis preces alere, ingemiscere, lacrymari, mugire dies noctesque ad Dominum Deum suum, Presbyteris advolvi, & caris Dei adgeniculari, omnibus fratribus legationes suæ deprecationis injungere. Hæc omnia exomologesis, ut pœnitentiam commendet, ut de periculi timore Dominum honoret, ut in peccatorem ipsa pronuntians, pro Dei indignatione fungatur, & temporali afflictione æterna supplicia, non dicam frustretur, sed expungat. Cum igitur provolvit hominem,*

Sinceræ Pœnitentiæ actus & fructus.

*nem, magis relevat; cùm squalidum facit, magis mundatum reddit; cùm accusat, excusat; cùm condemnat, absolvit. In quantùm non peperceris tibi, in tantùm tibi Deus, crede, parcet.*

*Quid non tolerandum & faciendum in periculo æternitatis?*

Et cap. 11. *Deliqui, dicito, in Deum, & periclitor in æternum perire: itaque nunc pendeo, & maceror, & excrucior, ut Deum reconciliem mihi, quem delinquendo læsi. Sed enim illos, qui ambitus obeunt capessendi Magistratus, neque pudet, neque piget incommodis animæ & corporis, nec incommodis tantùm, verùm & contumeliis omnibus eniti in causa votorum suorum. Quas non ignobilitates vestium affectant? Quæ non atria nocturnus, & crudis salutationibus occupant? Ad omnem occursum majoris cujusque personæ decrescentes, nullis conviviis celebres, nullis comessationibus congreges, sed exules à libertatis, & lætitiæ fœlicitate: idque totum propter unius anni volaticum gaudium: nos quod securium virgarumve petitio sustinet, in periculo æternitatis tolerare dubitamus? & castigationem victus, atque cultus offenso Domino præstare cessabimus, quæ Gentiles nemine omnino læso sibi irrogant?*

Iisdem coloribus pœnitentiam adumbrat Sanctus Cyprianus libro de Lapsis: *Confiteantur*, inquit, *singuli delictum suum, dum adhuc qui deliquit in sæculo est, dum admitti Confessio ejus potest, dum satisfactio & remissio facta per Sacerdotes apud Dominum grata est. Convertamur ad Dominum mente tota, & pœnitentiam criminis veris doloribus exprimentes, Dei misericordiam deprecemur. Illi se anima prosternat, illi mæstitia satisfaciat, illi spes omnis incumbat. Rogare qualiter debeamus, dicit ipse: Revertimini*, inquit, *ad me ex toto corde vestro, simulque & jejunio, & fletu, & planctu, & scindite corda vestra, & non vestimenta vestra. Ad Dominum toto corde redeamus. Iram & offensam ejus, jejuniis, fletibus, planctibus, sicut admonet ipse, placemus. Lamentari eum putamus ex toto corde, jejuniis, fletibus, planctibus Dominum deprecari, qui ex primo criminis die lavacra quotidie celebrat, qui epulis affluentibus pastus & sagina largiore distentus, cruditates suas postridie ructat, nec cibos & potus suos cum pauperum necessitate communicat? Qui hilaris ac lætus incedit, quomodo mortem suam deflet?... Si quem de caris tuis mortalitatis exitu perdidisses, ingemisceres dolenter & fleres; facie inculta, veste mutata, neglecto capillo, vultu nubilo, ore dejecto, indicia mœroris ostenderes. Animam tuam misera perdidisti, spiritaliter mortua, supervivere hic tibi, & ipsa ambulans funus tuum portare cœpisti; & non acriter plangis, non jugiter ingemiscis? Non te vel pudore criminis, vel continuatione lamentationis abscondis?*

*Vera Conversio, Contritio, Confessio, Satisfactio.*

*Pœnitentia crimine minor non sit.*

Et infrà: *Quàm magna deliquimus, tam granditer defleamus. Alto vulneri diligens & longa medicina non desit; Pœnitentia crimine minor non sit. Putasne tu Dominum citò posse placari, quem verbis perfidis abnuisti, cui patrimonium præponere maluisti, cujus templum sacrilega contagione violasti? Putas facilè eum misereri tui, quem tuum non esse dixisti? Orare oportet impensius & rogare, diem luctu transigere; vigiliis noctes ac fletibus ducere; tempus omne lacrymosis lamentationibus occupare, stratos solo, adhærere cineri; in cilicio & sordibus volutari; post indumentum Christi perditum, nullum hic jam velle vestitum; post diaboli cibum, malle jejunium; justis operibus incumbere, quibus peccata purgantur, eleemosynis frequenter insistere, quibus animæ à morte liberentur.*

Sanctus Pacianus Barcinonensis Episcopus, in Parænesi ad Pœnitentiam, verbis non minùs luculentis necessitatem satisfactionis adstruit, cùm Pœnitentibus hæc verba suggerit, quibus iis respondeant à quibus ad voluptates alliciuntur: *Si quis in balneum vocet, recusare delicias; si quis ad convivium roget, dicere: Ista fœlicibus, ego deliqui in Dominum, & periclitor in æternum perire. Quò mihi epulas, qui Dominum læsi? Tenere præterea pauperum manus, viduas obsecrare, Presbyteris advolvi, exoratricem Ecclesiam deprecari, omnia priùs tentare ne pereas.*

*Deliciæ & oblectationes sæculares non convenium Pœnitentibus.*

Et in fine Epistolæ 1. ad Sympronianum: *Scio, Frater! hanc ipsam pœnitentiæ veniam non passim omnibus dari, nec antequam aut interpretatio divinæ voluntatis, aut forsitan visitatio fuerit, relaxari magno pondere, magnoque libramine, post multos gemitus, effusionemque lacrymarum, post totius Ecclesiæ preces, ita veniam veræ pœnitentiæ non negari, ut judicaturæ Christo nemo præjudicet.*

Sanctus Ambrosius in libris de Pœnitentia, satisfactionis necessitatem persuadet, & severitatem describit verbis sanè magnificis, sed præsertim libro 2. cap. 10. *Faciliùs*, inquit, *inveni qui innocentiam servaverint, quàm qui congruè egerint pœnitentiam. An quisquam illam pœnitentiam putat, ubi acquirendæ ambitio dignitatis, ubi vini effusio, ubi ipsius copulæ conjugalis usus? Renuntiandum sæculo est, somno ipsi minus indulgendum quàm natura postulat, interpellandus est gemitibus, interrumpendus est suspiriis, sequestrandus orationibus, vivendum ita ut vitali huic moriamur usui, seipsum homo abneget, & totus immutetur: sicut quemdam adolescentem fabulæ ferunt propter amores meretricis peregrè profectum, & abolito amore, regressum, postea veteri occurrisse dilectæ, quæ ubi non interpellata, mirata, putaverit non recognitam, rursus occurrens dixerit: Ego sum: Responderit ille: Sed ego non sum. Unde bene ait Dominus: Qui vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Etenim qui mortui & sepulti Christo sunt, non debent iterum velut viventes de hoc mundo decernere.*

*Vera Pœnitentia rara.*

Et in Psalmum 118. exponens illum versum, *Miserere mei secundùm verbum tuum*, hæc habet: *In ipsa Ecclesia, ubi maximè misereri decet, teneri quàm maximè debet forma justitiæ, ne quis à Communionis consortio abstentus, brevi lacrymula, atque ad tempus parata, vel etiam uberioribus fletibus, Communionem, quam plurimis debet postulare temporibus, facilitate Sacerdotis extorqueat. Nonne, cùm uni indulget indigno, plurimos facit ad prolapsionis contagium provocari? Facilitas enim veniæ incentivum tribuit delinquendi.*

*Facilitas veniæ, incentivum est delinquendi.*

Sanctus Augustinus innumeris in locis eamdem satisfactionis severissimæ necessitatem urget, sed præsertim libro quinquaginta Homiliarum, Homilia 50. ubi de pœnitentia quæ pro peccatis mortalibus fieri debet, sic loquitur: *In hac ergo pœnitentia, majorem quisque in se severitatem debet exercere: ut à seipso judicatus, non judicetur à Domino, sicut idem Apostolus ait: Si enim nos judicaremus, à Domino non judicaremur. Ascendat itaque homo adversùm se tribunal mentis suæ... Atque ita constituto in corde judicio, adsit accusatrix cogitatio, testis conscientia, carnifex timor. Indè quidam sanguis animi confitentis per lacrymas profluat, postremò ab ipsa mente talis sententia proferatur, ut se indignum homo judicet participatione Corporis & Sanguinis Domini: ut qui separari à regno cælorum timet per ultimam sententiam Summi Judicis, per Ecclesiasticam Disciplinam à Sacramento cælestis Panis interim separetur.*

*Satisfactionis necessitas & severitas.*

Et infrà: *Non enim sufficit mores in melius commutare, & à factis malis recedere, nisi etiam de his quæ facta sunt, satisfiat Deo per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis sacrificium, cooperantibus eleemosynis.*

Sanctus Cæsarius Arelatensis passim in suis Homiliis

Magni super extinctam animam dandi planctus.

miliis Ecclesiæ fidem circa necessitatem satisfactionia, eleganti, & nervosa oratione explicat, præsertim Homilia 1. ubi de peccatis mortalibus ita loquitur: *Hæc itaque principalia mala, ingenti rugitu, & gemitu & fonte indigent lachrymarum: atque per lachrymas clamandum est cum Propheta, Rugiebam à gemitu cordis mei*, &c. *Oportet itaque sicut super mortuum conclamatum, ita magnos super extinctam animam dare planctus, & quomodo solet mater orbata super amissione unici filii sui fracto pectore lamentari: ita convenit super unicam suam, sed cum spe reparationis affligi. De qua unica Sermo Propheticus dicit: Erue à framea animam meam, & de manu canis unicam meam. Quare unicam dixit? Sive quia tamquam unica diligenda est: sive quia ipsa sola ante tribunal cæleste, rationem, remotis omnibus solatiis, redditura est. Ita*, inquam, *necesse super hanc unicam criminum mucrone confossam, totum pondus doloris effundi: Si fortè possit lachrymarum vivificata fontibus, calore fidei suscitari. Accendenda est compunctio, corroboranda sunt preces futuri recordatione judicii, atque misericordiarum operibus adjuvanda.*

Quæ Satisfactio pro mortalibus, quæ pro venialibus peccatis Deo exhibenda?

Et Homilia octava, ubi peccatorum venialium, & mortalium discrimen exposuit, explicat, quæ satisfactio pro venialibus, quæ pro lethalibus, Deo sit exhibenda, his verbis: *Quoties infirmos visitamus, in carcere positos requirimus, discordes ad concordiam revocamus, indicto in Ecclesia jejunio jejunamus, hospitibus pedes abluimus, ad vigilias frequentiùs convenimus, eleemosynam ante ostium prætereuntibus pauperibus damus, inimicis nostris, quoties petierint, indulgemus: istis operibus, & his similibus minuta peccata quotidie redimuntur. Pro capitalibus verò criminibus non hoc solùm sufficit, sed addendæ sunt lacrymæ, & rugitus, & gemitus, continuata & longo tempore procrastinata jejunia, largiores eleemosynæ, etiam plusquam nos ipsi valere possumus, erogandæ; ultro nos ipsos à Communione Ecclesiæ removentes, in luctu & tristitia multo tempore permanentes, & pœnitentiam etiam publicè agentes.*

Denique congeri huc possent Conciliorum sacra Decreta, & veterum Pœnitentialium regulæ, ex quibus constat Ecclesiam sæculis omnibus agnovisse, Satisfactionem gravitati peccatorum proportionatam, jure divino ad obtinendam veniam peccatorum necessariam esse. Cùm itaque Lapsi absque satisfactione Communionem invaderent, & Absolutionem sibi tribui vellent, ob libellos Martyrum, quamvis nullâ omnino functi essent Pœnitentiâ, temeraria prorsus erat ipsorum postulatio.

Probatur secundò Propositio ex Epistolis Cleri Romani ad Sanctum Cyprianum, quibus Lapsorum insolentiam & temeritatem vehementer coarguit. In prima, quæ inter Cyprianicas trigesima est, ita scribit: *Quos quidem satis mirati sumus ad hoc usque prosilire voluisse, ut tam urgenter, & tam immaturo, atque acerbo tempore, in tam ingenti & immenso crimine atque delicto, pacem sibi non tam peterent, quàm vindicarent, immo jam & in cælis habere se dicerent.*

Respondet subinde rationibus Lapsorum, qui Martyrum libellos obtrudebant, dicens hujusmodi libellos à Martyribus directos esse ad Antistites, supplicationum instar, quorum proinde examini obnoxii sint, & sine quorum concessione pacem non possint consequi. Unde expectandum à Lapsis esse judicium Episcoporum concludit hac in caussa. *Qui si habent*, pacem, *quid*, inquit, *petunt, quòd tenent? Si autem non habere illos probatur, hoc ipso quòd petunt, cur non judicium eorum sustinent, à quibus petendam pacem, quam utique non habent, putaverunt?*

Pacem sit communionē Lapsis absque debita satisfactione præstare, Evangelio repugnat.

A Addit, Pacem quam se habere, vel quam sibi debitam esse, Lapsi adeo temerè jactabant, Evangelicæ legi repugnare. *Cæterùm*, inquit, *quo pacto Evangelicam poteris præstare communicationem, quod contra Evangelicam decretum videtur Veritatem? Nam cùm omnis prærogativa ita demum ad indulgentia privilegium spectet, si ab eo cui sociari quærit, non discrepet; qui à Deo, cui sociari quærit, discrepat, necesse est indulgentiam, & privilegium societatis amittat. Videant igitur quid in hoc negotio agere conentur. Nam si aliud quidem Evangelium, aliud autem Martyres dicunt posuisse decretum; collidentes* B *contra Evangelium Martyres utrobique periclitabuntur. Nam & Evangelii fracta jam & jacens videbitur Majestas, si potuit alterius decreti novitate superari, & de Martyrum capite gloriosæ confessionis corona detracta; si non illam de Evangelii conservatione invenientur consecuti, unde Martyres fiunt; ut meritò nulli magis sit competens nihil contra Evangelium decernere, quam qui Martyris nomen ex Evangelio laborat accipere.*

Urget ampliùs, & ostendit non intendisse Martyres, ut pax Lapsis absque ulla satisfactione prævia tribueretur. *Quo pacto*, inquit, *salutem, quam,* C *si sacrificassent, se non habituros putaverunt, illis existimant donandam qui sacrificasse dicantur? Cùm legem hanc debeant in aliis tenere, quàm ipsi videbantur sibi ante posuisse.* Instat vehementiùs: *Si dandam illis pacem Martyres putaverunt, cur ipsi non dederunt? Cur illos ad Episcopum remittendos censuerunt? Is enim qui jubet fieri, potest utique facere, quod fieri jubet.* Ait ergo: *Martyres adhibendum putasse temperamentum & pudoris, & veritatis. Nam & quia à multis urgebantur, dum ad Episcopum illos remittunt, verecundia propria, ne ulteriùs inquietarentur, consulendum putaverunt: &* D *dum illis non ipsi communicant, Evangelicæ Legis illibatam sinceritatem custodiendam judicarunt.*

Exitiosa properatæ communicationis venena.

Denique Sanctum Cyprianum monet florentissimus Ecclesiæ Romanæ Clerus, qua ratione gerere se debeat erga Lapsos. *Tu tamen Frater*, inquit, *numquam pro tua charitate desistas Lapsorum animos temperare & errantibus veritatis præstare Medicinam; licet animus ægrorum, medentium respuere soleat industriam. Recens est Lapsorum nuper hoc vulnus, & adhuc in tumorem plaga consurgens: & idcirco certi sumus, quòd spatio productioris temporis impetu isto consenescente, amabunt hoc ipsum, ad fi-* E *delem se dilatos esse medicinam: si tamen desint, qui illos arment ad periculum proprium, & in perversum instruentes, pro salutaribus dilationum remediis, exitiosa deposcant illis properata communicationis venena.*

Ecclesiasticæ Disciplinæ vigor.

Idem argumentum persequitur nobilissimus primæ Ecclesiæ Clerus Epistola 2. ad eumdem Sanctum Cyprianum data, quæ inter illius Epistolas extat ordine 31. in qua primò ostendit, quanti intersit Disciplinam Ecclesiasticam in suo semper vigore tueri; nec Lapsos absque prævia satisfactione ad Communionem recipere. *Quid enim*, inquit, F *aut in pace tam aptum, aut in bellis persecutionis tam necessarium, quàm debitam severitatem divini vigoris tenere? Quam qui remiserit, instabili rerum cursu erret semper necesse est, & huc atque illuc variis & incertis negotiorum tempestatibus dissipetur, & quasi extorto de manibus consiliorum gubernaculo, navim Ecclesiasticæ salutis illidat in scopulos; ut appareat, non aliter saluti Ecclesiasticæ consuli posse, nisi si qui & contra ipsam faciunt, quasi quidam adversi fluctus repellantur, & disciplinæ ipsius semper custodita ratio, quasi salutare aliquod gubernaculum in tempestate salvetur.*

Profana facilitas.

Et infrà: *Absit enim ab Ecclesia Romana vigorem suum tam profana facilitate dimittere, & nervos severitatis,*

*veritatis, eversa fidei majestate dissolvere. ut cùm adhuc non tantùm jaceant, sed & cadant eversorum fratrum ruina, properata nimis remedia communicationum, utique non profutura praestentur, & nova per misericordiam falsam vulnera veteribus transgressionis vulneribus imprimantur, ut miseris ad eversionem majorem eripiatur & Poenitentia. Ubi enim poterit indulgentia medicina procedere, si etiam ipse Medicus, interceptâ poenitentiâ, indulget periculis? Si tantummodo operit vulnus, nec sinit necessaria temporis remedia obducere cicatricem? Hoc non est curare; sed si dicere verum volumus, occidere.*

Non momentaneam, neque praeproperam Lapsi desiderare debent medicinam.

B Et post multa: *Oremus ut, qui cecidisse referuntur, delicti sui magnitudinem agnoscentes, intelligant non momentaneam, neque praeproperam desiderare medicinam: oremus ut effectus indulgentiae Lapsorum subsequatur & Poenitentiam, ut intellecto suo crimine, velint nobis interim praestare patientiam, nec adhuc fluctuantem turbent Ecclesiae statum; ne inseriorem nobis persecutionem incendisse videantur, & accedat ad cumulum criminum, quod etiam inquieti fuerunt. Maximè enim illis congruit verecundia, quorum in delictis damnatur mens inverecunda. Pulsent sane fores, sed non utique confringant. Adeant ad limen Ecclesiae, sed non utique transiliant. Castrorum caelestium excubent portis, sed armati modestia, qua intelligant se desertores fuisse. Resumant precum suarum tubam, sed qua non bellicum clangant... Multùm illis proficiet petitio modesta, postulatio verecunda, humilitas necessaria, patientia non otiosa. Mittant legatos pro suis doloribus lachrymas; advocatione fungantur ex intimo pectore prolati gemitus, dolorem probantes commissi criminis, & pudorem.* Ex quibus omnibus colligitur, temerariam fuisse Lapsorum petitionem, qui nulla peracta Poenitentia, nulla praestita satisfactione, Communionem invadere nitebantur.

Probatur tertiò Propositio ex singulari & eximio loco Sancti Cypriani, Epistola nimirum decima, quâ graviter conqueritur apud Clerum suum de quibusdam Presbyteris, qui temerè pacem Lapsis dederant, necdum sedata persecutione, & contra Episcoporum conscientiam. In eorum audacia duo potissimùm reprehendit: primum, quòd cum contumelia & contemptu Episcopi totum sibi vendicent. Secundò, quòd gravissimorum criminum reos, nulla functos Poenitentia, pace donaverint. Quoad primum, haec habet: *Quod enim non periculum metuere debemus de offensa Domini; quando aliqui de Presbyteris, nec Evangelii, nec loci sui memores, sed neque futurum Domini judicium, neque nunc sibi praepositum Episcopum cogitantes, quod numquam omninò sub Antecessoribus factum est, cum contumelia & contemptu Praepositi totum sibi vindicent? Atque utinam non prostrata fratrum nostrorum salute sibi omnia vindicarent! Contumelias Episcopatus nostri dissimulare, & ferre possem, sicut dissimulavi semper, & pertuli: sed dissimulandi nunc locus non est, quando decipiatur Fraternitas nostra à quibusdam vestrûm, qui dum sine ratione restituendae salutis plausibiles esse cupiunt, magis Lapsis obsunt.*

Presbyteri, qui gravium peccatorum reos nulla functos Poenitentiâ statim ad Communionem admittunt, miseros decipiunt.

Secundùm caput sic urget: *Hac qui subtrahit fratribus nostris, decipit miseros; ut qui possint agentes poenitentiam veram, Deo Patri misericordi precibus & operibus suis satisfacere, seducantur ut magis pereant; & qui erigere se possent, plus cadant. Nam cùm in minoribus peccatis agant peccatores poenitentiam justo tempore, & secundùm disciplinae ordinem ad Exomologesim veniant, & per manus impositionem Episcopi & Cleri jus communicationis accipiant; nunc crudo tempore, persecutione adhuc perseverante, nondum restituta Ecclesiae ipsius pace, ad communicationem admittuntur, & offertur nomen eorum, &* A *nondum Poenitentiâ actâ, nondum Exomologesi factâ, nondum manu eis ab Episcopo & Clero impositâ, Eucharistia illis datur.*

Denique illos Presbyteros ob aliam rationem increpuit, quòd nimirum pacem Lapsis dando, Martyres cum Episcopo commiserint. *Exponunt deinde invidia beatos Martyres*, inquit, *& gloriosos servos Dei cum Dei Sacerdote committunt (cùm illis memores loci nostri ad me literas direxerint, & petierint nunc desideria sua examinari, & pacem dari, quando ipsa ante mater nostra Ecclesia pacem de Domini misericordia prior sumpserit, & nos divina protectio reduces ad Ecclesiam suam fecerit.) Hi sublato honore; quem nobis beati Martyres cum Confessoribus servant, contempta Domini lege, & observatione, quam iidem Martyres & Confessores tenendam mandant, ante extinctum persecutionis metum, ante reditum nostrum, ante ipsum penè Martyrum excessum, communicent cum Lapsis, & offerant, & Eucharistiam tradant: quando etiamsi Martyres per calorem gloriae Scripturam minus contemplantes, contra legem Domini plus aliquid cuperent, à Presbyteris & Diaconis suggerentibus admoneri deberent, sicut semper in praeteritum factum est.*

C Quamobrem Presbyteris illis temerariis, & ignavis, suspensionem à sacris Ministeriis, aliasque poenas minatur; si in posterum Lapsos Communione donaverint ante peractam Poenitentiam, & se inconsulto. *Interim*, inquit, *temerarii & incauti, & tumidi quidam inter vos, qui hominem non cogitent, vel Deum timeant; scientes quoniam si ultra in iisdem perseveraverint, utar ea admonitione, qua me uti Dominus jubet; ut interim prohibeantur offerre, acturi & apud nos, & apud Confessores ipsos, & apud plebem universam caussam suam; cùm Domino permittente, in sinum matris Ecclesiae recolligi coeperimus.*

D Probatur quartò locupletissimo testimonio ejusdem Sancti Cypriani in libro de Lapsis, ubi primùm piam quamdam à Sacerdotibus severitatem erga Lapsos exercendam esse ostendit. *Qui peccantem blandimentis adulantibus palpat, peccandi fomitem subministrat; nec comprimit delicta ille, sed nutrit. At qui consiliis fortioribus redarguit simul atque instruit fratrem, promovet ad salutem. Quos diligo, inquit Dominus, redarguo, & castigo. Sic oportet & Dei Sacerdotem non obsequiis decipientibus fallere, sed remediis salutaribus providere. Imperitus est Medicus, qui tumentes vulnerum sinus manu parcente contrectat, & in altis recessibus viscerum virus inclusum dum servat, exaggerat. Aperiendum vulnus est, & secandum, & putraminibus amputatis, medela fortiore curandum. Vociferetur, & clamet licèt, & conqueratur aeger impatiens per dolorem, gratias aget postmodum, cùm senserit sanitatem.* Ne severitas in Lapsos.

Deindè contra legem divinam concessam esse absolutionem probat, quae Lapsis nulla Poenitentiâ functis, nulla satisfactione criminibus proportionata purgatis concessa est, eamque irritam esse, & inanem ostendit, atque cùm in Sacerdotum illam F dantium, tum in peccatorum ipsam recipientium, perniciem cedere. *Emersit enim*, inquit, *novum genus cladis; & quasi parum persecutionis procella saevierit, accessit ad cumulum sub misericordia titulo malum fallens, & blanda pernicies. Contra Evangelii vigorem, contra Domini ac Dei legem, temeritate quorumdam, laxatur incautis communicatio: irrita & falsa pax, periculosa dantibus, & nihil accipientibus profutura. Non quaerunt sanitatis patientiam, nec veram de satisfactione medicinam. Poenitentia de pectoribus excussa est; gravissimi extremique delicti memoria sublata est. Operiuntur morientium vulnera & plaga lethalis altis & profundis vulneribus* Irrita & falsa pax.

*moribus infixa, dissimulato dolore contegitur. A diaboli aris revertentes, ad Sanctum Domini sordidis & infectis nidore manibus accedunt. Mortiferos idolorum cibos adhuc penè ructantes, exhalantibus etiam nunc scelus suum faucibus, & contagia funesta redolentibus, Domini Corpus invadunt..... Vis infertur corpori ejus & sanguini: & plus modo in Dominum manibus atque ore delinquunt, quàm cum Dominum negaverunt. Ante expiata delicta, ante Exomologesim factam criminis, ante purgatam conscientiam Sacrificio & manu Sacerdotis, ante offensam placatam indignantis Domini & minantis, pacem putant esse, quam quidam verbis fallacibus venditant. Non est pax illa, sed bellum, nec Ecclesia jungitur, qui ab Evangelio separatur.*

Vis illata corpori & sanguini Domini.

Exponit deinde luculentiùs perniciem, quam Lapsorum animabus infert præcipitata hujusmodi absolutio, & quæ nullos satisfactionis fructus supponit: Nec eam ab ignavis Sacerdotibus velari meritò posse nomine pietatis demonstrat. *Quid injuriam*, inquit, *beneficium vocant? Quid impietatem vocabulo pietatis appellant? Quid eis, qui flere jugiter & rogare Dominum suum debent, intercepta pœnitentia lamentatione communicare se simulant? Hoc sunt ejusmodi Lapsis, quod grando frugibus; quod turbidum sidus arboribus; quod armentis pestilens vastitas; quod navigiis sæva tempestas. Solatium æternæ spei adimunt, arborem à radice subvertunt; sermone morbido ad lethale contagium serpunt; navem scopulis, ne in portum perveniat, illidunt. Non concedit pacem facilitas ista, sed tollit: nec communicationem tribuit, sed impedit ad salutem. Persecutio est hæc alia, & alia tentatio, per quam subtilis inimicus impugnandis adhuc Lapsis occulta populatione grassatur; ut lamentatio conquiescat, ut dolor sileat, ut delicti memoria evanescat, ut comprimatur pectorum gemitus, statuatur fletus oculorum; nec Dominum graviter offensum longa & plena Pœnitentia deprecetur; cùm scriptum sit, Memento unde cecideris, & age Pœnitentiam.*

Præcipitata Absolutio, antequam dignos Pœnitentiæ fructus lapsi fecerint, illorum animabus impedimentum est ad salutem.

Objiciet quispiam. Qui consecutus est indulgentiam, non est temerarius si postulet Communionem Ecclesiæ, & Sacramentorum, absque satisfactione. Siquidem ea vis est indulgentiarum ut pœnam omnem relaxent debitam peccatis, cùm plenariæ sunt. Sed Lapsi, qui libellos à Martyribus obtinuerant, velut plenariam erant consecuti indulgentiam. Ab hujusmodi namque libellis indulgentiarum antiquitas in Ecclesia repeti solet. Non erat itaque temeraria Lapsorum postulatio, qui Martyrum Libellis muniti, Communionem postulabant, & duros pœnitentiæ labores subire renuebant; Martyrum enimverò sanguis & merita satisfactionis loco censebantur.

Respondeo nego majorem: Cujus probationem distinguo. Ea vis est indulgentiarum ut pœnam omnem relaxent, &c. Cùm peccator verè pœnitens est, concedo; cùm non est verè pœnitens, nego. Vera autem Pœnitentia non est, nisi facere Deo satis peccator velit, & totis viribus contendat. Nec indulgentiæ quantumcumque plenariæ supponantur, illis prosunt qui satisfactionem proportionatam peccatis subire, & implere nolunt. Illis itaque dumtaxat suffragantur, qui satisfacere cùm non possint, vel ex toto, vel ex parte, ante peractam pœnitentiam plenam rapiuntur: vel illis, qui Deo quidem & Ecclesiæ satisfaciunt, sed ob humanam fragilitatem satisfactionem non exhibent numeris omnibus absolutam, & tanto charitatis animatam fervore, quantus ad placandam Majestatem divinam par esset. Tunc itaque Christi satisfactio, Sanctorumque suffragia ab Ecclesia per indulgentias pœnitentibus applicata, supplent quod ipsorum satisfactionibus deest. At peccatoribus, qui indulgentiarum prætextu, severas pro gravibus peccatis subire pœnas recusant, absolutio danda non est, & Communio: nec ipsi illam nisi temerè, & contra jus divinum postulare possunt. Hæc doctrina est Sancti Cypriani, libro de Lapsis. *Si precem*, inquit, *toto corde quis faciat, si veris Pœnitentia lamentationibus & lachrymis ingemiscat, si ad veniam delicti sui Dominum justis, & continuis operibus instiget; misereri talium potest, qui & misericordiam suam protulit dicens, Cùm conversus ingemueris, tunc salvaberis, & scies ubi fueris... Potest ille indulgentiam dare, sententiam suam potest ille deflectere. Pœnitenti, operanti, roganti, potest clementer ignoscere, potest in acceptum referre quicquid pro talibus & petierint Martyres, & fecerint Sacerdotes.*

Indulgentiæ prosunt pœnitenti, operanti, roganti.

Quòd verò intercessiones & merita Martyrum non prosint illis qui satisfacere cùm possint Deo & Ecclesiæ, renuunt, nec ad pœnas peccatorum illis relaxandas in indulgentiis suffragentur: sed solùm illis, qui ad plenè satisfaciendum fiunt impotentes, quia eorum Pœnitentia morte intercipitur, ibidem testatur S. Cyprianus his verbis: *Credimus quidem posse apud Judicem plurimùm Martyrum merita, & opera Justorum: sed cum judicii dies venerit, cùm post occasum sæculi hujus, & mundi, ante tribunal Christi populus ejus adstiterit. Cæterùm si quis præproperâ festinatione temerarius remissionem peccatorum dare se cunctis putat posse, aut audet Domini præcepta rescindere; non tantùm nihil prodest, sed & obest Lapsis. Provocasse est iram, non servasse sententiam.*

Respondeo secundò, nego minorem. Libelli enim Martyrum non habebant rationem & vim indulgentiæ, sed precum, & commendationum, quas ad Episcopos dirigebant, ut illarum habita ratione, insuper & dispositionis Lapsorum, atque Pœnitentiæ ab illis jam inceptæ, severitatem Ecclesiasticæ Disciplinæ erga illos temperarent, & satisfactionis tempus contraherent, prout ipsis congruum videretur. Unde cùm incongruum esset & contra jus divinum, ut pace & Communione Ecclesiæ donarentur, qui necdum ulla satisfactione scelus eluere cœperant, neque id postulasse Martyres censebantur, neque se id posse præstare existimabant Episcopi. Quapropter temerariam fuisse Lapsorum petitionem exploratum est. Id rursus constat ex S. Cypriano in libro de Lapsis. *Mandant aliquid Martyres fieri?* inquit, *Si justa, si licita, si non contra ipsum Dominum, à Dei Sacerdote facienda sunt. Obtemperantis facilis & prona consensio, si petentis fuerit religiosa moderatio. Mandant aliquid Martyres fieri? sed si scripta non sint in lege Domini, quæ mandant; antè est ut sciamus illos de Deo impetrasse quod postulant, tunc facere quod mandant. Neque enim statim videri potest de divina Majestate concessum, quod fuerit humana pollicitatione promissum.* Id ubi probavit exemplis Moysis, Noë, Job, & Danielis, quorum preces pro populo Israelitico vel exauditas non fuisse, vel aliquando exaudiendas non fore Scriptura testatur, sic concludit: *Adeo non omne quod petitur in præjudicio petentis, sed in dantis arbitrio est. Nec quidquam sibi usurpat, & vindicat humana sententia, nisi annuat & censura divina.* Et infrà: *Ita Martyres aut nihil possunt, si Evangelium solvi potest: aut si Evangelium non potest solvi, contra Evangelium facere non possunt, qui de Evangelio Martyres fiunt. Nemo infamet Martyrum dignitatem, nemo eorum glorias destruat, & coronas. Manet incorrupta fidei robur incolume; nec dicere aliquid aut facere contra Christum potest, cujus & spes, & fides, & virtus, & gloria omnis in Christo est. Ut ab Episcopis contra mandatum Dei fiat, authores esse non possunt, qui ipsi Dei mandata fecerunt.*

## PROPOSITIO III.

*Romana Ecclesia unà cum Sancto Cypriano Lapsorum tumultus fiduciario primùm Decreto compescuit; tum sedata persecutione, peremptorio Judicio statuit recipiendos ad Communionem Libellaticos, plenam verò Sacrificatis agendam esse pœnitentiam: ita tamen ut ipsis in exitu concederetur absolutio.*

Probatur prima pars, quæ fiduciarium Decretum spectat, ex Sancto Cypriano Epistola 15. ad Clerum Romanum data. *Postmodum verò*, inquit, *cum quidam de Lapsis, sive sua sponte, sive aliquo incitatore, audaci flagitatione prorucrent, ut pacem sibi à Martyribus & Confessoribus promissam extorquere violento impetu niterentur, de hoc etiam bis ad Clerum literas feci, & legi ei mandavi, ut ad illorum violentiam interim quoquo genere mitigandam, si qui libello à Martyribus accepto de sæculo excederent, exomologesi facta, & manu eis in pœnitentiam imposita, cum pace sibi à Martyribus promissa ad Dominum remitterentur.*

Cur porro ita se gesserit, rationem profert ibidem. *Nec in hoc*, inquit, *legem dedi, aut me Auctorem temerè constitui, sed cum videretur & honor Martyribus habendus, & eorum, qui omnia turbare cupiebant, impetus comprimendus: & præterea vestra Scripta legissem, quæ de hoc ad Clerum nostrum per Clementium Hypodiaconum nuper feceratis; ut iis, qui post lapsum infirmitate apprehensi essent, & Pœnitentes communicationem desiderarent, subveniretur; standum putavi & cum vestra sententia, ne actus noster qui adunatus esse, & consentire circa omnia debet, in aliquo discreparet.*

Fiduciarium itaque illud Decretum statuebat, ut qui Libellos à Martyribus acceperant, in periculo positi, Ecclesiasticâ pace & Absolutione donarentur. Cæteri expectarent Ecclesiæ pacem, ut tranquillis ipsius rebus, examinarentur ab Episcopis singulorum causæ, & de ipsorum Pœnitentia, vel reconciliatione, communi consilio tractaretur, ac decerneretur. Id rursus constat ex Sancto Cypriano Epistola 14. ad Clerum suum data. *Quoniam*, inquit, *significastis quosdam immoderatos esse, & communicationem accipiendam festinanter urgere; & desiderastis in hac re formam à me vobis dari: satis plenè scripsisse me ad hanc rem proximis literis ad vos factis credo, ut qui libellum à Martyribus acceperunt, & auxilio eorum adjuvari apud Dominum in delictis suis possunt, si premi infirmitate aliqua & periculo cœperint, exomologesi facta, & manu eis à vobis in pœnitentiam imposita, cum pace à Martyribus sibi promissa ad Dominum remittantur. Cæteri verò, qui nullo libello à Martyribus accepto invidiam faciunt; quoniam non paucorum, nec Ecclesiæ unius Provinciæ, sed totius orbis hæc caussa est, expectent antè de Domini protectione Ecclesiæ ipsius publicam pacem. Hoc enim & verecundia, & Disciplina, & vita ipsa omnium nostrûm convenit; ut Episcopi plures in unum convenientes, præsente & stante plebe, quibus & ipsis pro fide & timore suo honor habendus est, disponere omnia consilii communis religione possimus.*

De provisorio ejusmodi Decreto ita scribit ad Antonianum Sanctus Cyprianus, Epistola 52. *De eo tamen*, inquit, *quod statuendum esset circa caussam Lapsorum distuli; ut cùm quies & tranquillitas data esset, & Episcopis in unum convenire indulgentia divina permitteret, tunc communicato, & librato de omnium collatione consilio, statueremus quid fieri oporteret; si quis verò ante consilium nostrum, & ante sententiam de omnium consilio statutam, Lapsis temerè communicare voluisset; ipse à communicatione abstineretur. Quod etiam Romam ad Clerum tunc adhuc sine Episcopo agentem, & ad Confessores Maximum Presbyterum, & cæteros in custodia constitutos, nunc in Ecclesia cum Cornelio junctos plenissimè scripsi. Quod me scripsisse, de eorum Rescriptis poteris noscere. Nam in Epistola sua ita posuerunt: Quamquam nobis in eam ingenti negotio placeat, quod & tu ipse tractasti, priùs esse Ecclesiæ pacem sustinendam; deinde sic collatione consiliorum cum Episcopis, Presbyteris, Diaconibus, Confessoribus pariter ac stantibus Laicis facta, Lapsorum tractare rationem. Additum est etiam Novatiano tunc scribente, & quod scripserat, sua voce recitante, & Presbytero Moyse tunc adhuc Confessore, nunc jam Martyre, subscribente, ut Lapsis infirmis, & in exitu constitutis pax daretur. Quæ literæ per totum mundum missæ sunt, & in notitiam Ecclesiis omnibus, & universis fratribus perlatæ sunt.*

Probatur secunda pars Propositionis, quæ spectat peremptorium Decretum, ex eodem Sancto Cypriano in Epistola mox laudata. *Secundum quod tamen ante fuerat destinatum*, inquit, *persecutione sopita, cùm data esset facultas in unum conveniendi, copiosus Episcoporum numerus, quos integros & incolumes fides sua, & Domini tutela protexit, in unum convenimus, & Scripturis diu ex utraque parte prolatis, temperamentum salubri moderatione libravimus, ut nec in totum spes communicationis & Pacis Lapsis denegaretur, ne plus desperatione deficerent, & eo quod sibi Ecclesia clauderetur, secuti sæculum, gentiliter viverent, nec tamen rursus censura Evangelica solveretur, ut ad communicationem temerè prosilirent; sed traheretur diu Pœnitentia, & rogaretur dolenter paterna clementia, & examinarentur caussæ & voluntates, & necessitates singulorum.*

Idem in Concilio Romano à Sancto Cornelio Pontifice Maximo convocato, statutum esse testatur ibidem Sanctus Cyprianus his verbis: *Ac si minùs sufficiens Episcoporum in Africa numerus videbatur, etiam Romam super hac re scripsimus ad Cornelium Collegam nostrum, qui & ipse cum plurimis Coepiscopis habito consilio, in eamdem nobiscum sententiam pari gravitate, & salubri moderatione consensit.*

De eodem peremptorio Decreto scribit ad Cornelium Sanctus Cyprianus Epistola 55. his verbis: *Concilio frequenter acto, non consensione tantùm nostra, sed & comminatione decrevimus, ut Pœnitentiam Fratres agerent, ut Pœnitentiam non agentibus nemo temerè pacem daret.*

Verùm istud Decretum plenam Sacrificatis dumtaxat Pœnitentiam indixisse, non verò Libellaticis, erga quos humaniùs agendum Romana & Carthaginensis Ecclesia censuerunt, constat ex eodem Sancto Cypriano, qui Libellaticis nullam aliam satisfactionem impositam fuisse ait ab Ecclesia, præter eam, quam fervente persecutione, ex Christiano more subierant, & visum esse Episcopis, restituta Ecclesiæ pace, ut statim in Communionem reciperentur. *Et ideo placuit, Frater charissime!* (inquit Sanctus Cyprianus ad Antonianum scribens.) *examinatis caussis singulorum, Libellaticos interim suscipi, Sacrificatis in exitu subveniri, quia exomologesis apud inferos non est.*

Rationem hujus discriminis quod inter Sacrificatos, & Libellaticos, ab Ecclesia constitutum est, exponit ibidem Sanctus Cyprianus: *Nec tu existimes*, inquit, *sicut quibusdam videtur, Libellaticos cum Sacrificatis æquari oportere; quando inter ipsos etiam qui sacrificaverint, & conditio frequenter, & caussa diversa sit. Neque enim æquandi sunt, ille qui ad sacrificium nefandum statim voluntate prosilivit; &*

qui

*qui reluctatus & congressus diu, ad hoc funestum opus necessitate pervenit: ille qui & se, & omnes suos prodidit, & qui ipse pro cunctis ad discrimen accedens, uxorem & liberos, & domum totam periculi sui perfunctione protexit: ille qui inquilinos, vel amicos suos ad facinus compulit, & qui inquilinis, & colonis pepercit, fratres etiam plurimos, qui extorres & profugi recedebant, in sua tecta & hospitia recepit, ostendens & offerens Domino multas viventes & incolumes animas, quæ pro una saucia deprecentur. Cùm ergo inter ipsos qui sacrificarint, multa sit diversitas, quæ inclementia est, & quàm acerba duritia, Libellaticos, cum iis qui sacrificaverint, jungere?*

Postrema denique pars illius Decreti spectabat Sacrificatos, quibus ex morbo periculum imminebat: illisque reconciliationis beneficium in exitu indulgebat. Quod si ex supremo illo discrimine evaderent, illos reliquæ Pœnitentiæ onere liberabat. Id rursus constat ex Sancto Cypriano in Epistola ad Antonianum: *Si qui enim*, inquit, *infirmitatibus occupantur, illis, sicut placuit, in periculo subvenitur: postea quàm tamen subventum est, & periclitantibus pax data est, suffocari à nobis non possunt, aut opprimi, aut vi & manu nostra in exitum mortis urgeri: ut quoniam morientibus pax datur, necesse sit mori eos qui acceperint pacem: cùm magis in hoc judicium divinæ pietatis & paternæ lenitatis appareat, quòd qui pignus vitæ in data pace percipiunt, hic quoque ad vitam percepta pace teneantur. Et idcirco si accepta pace commeatus à Deo datur, nemo hoc debet in Sacerdotibus criminari, cùm semel placuerit fratribus in periculo subveniri.*

Objicies, Inhumanum fuisse Romanæ & Africanæ Ecclesiæ provisorium erga Lapsos Decretum, quo iis qui libellos à Martyribus acceperant, concedebatur absolutio in exitu, cæteris verò negabatur.

Respondeo, Nihil in sanctissima illa Disciplina inhumani fuisse: quia cùm quotidie frequentes Martyrii occasiones præsto essent, suæ charitatis fervore consequi poterant Lapsi, quod illis Ecclesia per absolutionem præstitisset. Illam porro severitatem adhibere judicarunt æquum Episcopi, ut Lapsi, qui nullum sibi in Ecclesia conferendum remedium ante sedatam persecutionem noverant, unamque eluendi sceleris viam esse charitatem, & confessionem nominis Christi solemnem, illam eligerent, & pristinam ignaviam instaurato agone expungerent. Hanc rationem affert istius Disciplinæ Sanctus Cyprianus Epistola 14. in qua ad Clerum Carthaginensem de Lapsis ita scribit: *Qui si nimiùm properant, habent in sua potestate quod postulant, tempore ipso, sibi plusquam postulant, largiente. Acies adhuc geritur, & Agon quotidie celebratur: si commissi verè & firmiter pœnitet, & fidei calor prævalet: qui differri non potest, potest coronari.*

## SCHOLION I.

Ad Propositionem secundam hujus Dissertationis, pag. 197. & seq. Editionis primæ, Religiosi Censores hanc Propositionem notant in Indiculo suo: *Quòd de jure divino non sit danda Absolutio, nec Communio sine congrua Pœnitentia. Ex qua doctrina* (inquiunt) *damnatur facilitas Indulgentiarum, & Absolutionis Sacramentalis cum levi, imò cum levissima satisfactione.*

R. Propositionem secundam postquàm ex Traditione probavi, hunc in modum concludo: *Denique congeri huc possent Conciliorum sacra Decreta, & veterum Pœnitentialium Regula, ex quibus constat, Ecclesiam sæculis omnibus agnovisse, Satisfactionem gravitati peccatorum proportionatam, jure divino ad obtinendam veniam peccatorum necessariam esse.* Mirum quòd Religiosi Censores Dogma tam Catholicum improbent ac notent. Quod autem ex hoc doctrina sequi censent incommodum contra nimiam Indulgentiarum concedendarum facilitatem, nullum revera incommodum est. Hæc enim est Ecclesiæ doctrina & sanctissima disciplina in Concilio Tridentino Sessione xxv. Decreto *De Indulgentiis*, confirmata: *In his tamen concedendis moderationem, juxta veterem & probatam in Ecclesia consuetudinem, Sacrosancta Synodus adhiberi cupit, ne nimiâ facilitate Ecclesiastica Disciplina enervetur.* Incommodum alterum, quod ex mea sententia, immò ex Catholico Dogmate, Religiosi Censores sequi notant, illud est, quòd Absolutio Sacramentalis cum levi, immò cum levissima Pœnitentiâ dari non possit. Quibus non aliis quàm sacræ Synodi Tridentinæ verbis respondetur, Sessione xiv. Cap. viii. *Debent ergo Sacerdotes Domini, quantum Spiritus & prudentia suggesserit, pro qualitate criminum & Pœnitentium facultate, salutares & convenientes satisfactiones injungere: Ne, si fortè peccatis conniveant, & indulgentiùs cum Pœnitentibus agant, levissima quædam opera pro gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur.*

## SCHOLION II.

In Responsione ad Objectionem contra Propositionem secundam, ad paginam 213. Editionis primæ, Religiosi Censores hanc Propositionem notant: *Indulgentia plenaria non suffragatur nisi ei qui non potest facere Pœnitentiam.*

R. Hæc Propositio & doctrina mea non est. Propositionem meam truncarunt Auctores Indiculi Censorii: disjunctivam in exclusivam mutarunt. Dixi, *illis duntaxat Indulgentias suffragari, qui satisfacere cùm non possint, vel ex toto, vel ex parte, ante peractam Pœnitentiam plenam rapiuntur: vel illis, qui Deo quidem & Ecclesiæ satisfaciunt; sed ob humanam fragilitatem satisfactionem non exhibent numeris omnibus absolutam . . . Tunc itaque Christi satisfactio, Sanctorúmque suffragia, ab Ecclesia Pœnitentibus per Indulgentias applicata, supplent quod ipsorum satisfactionibus deest.* Indiculi Censorii Auctores hanc mihi Propositionem affingunt: *Indulgentia Plenaria non suffragatur nisi ei qui non potest facere Pœnitentiam.* In alienum sensum dicta mea detorquent. Indulgentias prodesse fateor illis, qui satisfacere possunt, & volunt, & conantur, & impositam sibi ab Ecclesia satisfactionem implent: illis prodesse jure merito nego, qui satisfacere cùm possint Deo & Ecclesiæ, renuunt vel negligunt. Id *Sancti Cypriani* testimonio confirmo, in Tractatu *De Lapsis*. Sentio cum Cardinali *Cajetano*, Indulgentiarum contra *Lutherum* egregio vindice, Tractatu x. *De Indulgentiis*, Quæst. 1. *Non sufficit*, inquit, *sola gratia ex parte suscipientis ad veraciter consequendam Indulgentiam coram Deo. Sunt siquidem confessi in gratia duplicis ordinis: Quidam solliciti ad satisfaciendum per se ipsos pro peccatis suis, quidam negligentes satisfacere per se ipsos. Primi condignas Pœnitentias vel petunt à Confessoribus sibi imponi, paratis eas implere; vel sponte illas assumunt, dum continuò student per sua sancta opera satisfacere, jejunando, orando, eleemosynas dando, &c. Secundi verò parvissimam Pœnitentiam aut rogant, aut latè suscipiunt, & cùm illam impleverint (quam sciunt esse minimam) non curant ampliùs de satisfaciendo, reputantes sibi sufficere quod non eunt ad infernum. Et his sunt quibus Indulgentia non prosunt.*

# DISSERTATIO III.

## *De Libellis Indulgentiæ, quos Martyres Lapsis concedebant.*

*Quis eorum modus? Quæ vis esset?*

TANTUS honor olim designatis Martyribus ab Episcopis deferebatur, ut ad eorum preces quibusdam Lapsis satisfactionis & pœnitentiæ partem aliquam relaxarent. Morem illum antiquissimum fuisse, constat nedum ex Sancto Cypriano Epistolis 13. 14. 15. 18. 19. 20. 23. 29. & alibi passim: verùmetiam ex Tertulliano in libro ad Martyres, ubi illos affatur: *Pax vestra bellum est illi. Quam pacem quidam in Ecclesia non habentes, à Martyribus in carcere exorare consueverunt. Et ideo eam etiam propterea in vobis habere, & fovere & custodire debetis, ut si fortè & aliis præstare possitis.*

Quem Ecclesiæ morem libro de Pudicitia, cap. 22,

xx. ex Montani ingenio & hæresi sugillat. Ut porrò explicetur accuratè quisnam esset libellorum hujusmodi à Confessoribus Martyrii jam candidatis concessorum modus, quæve illorum vis in Ecclesia, sequentes Propositiones subjicio.

## PROPOSITIO I.

*Antiquus mos fuit, ut Diaconi carceres lustrarent, & Martyrum desideria suis gubernarent consiliis; ne videlicet nimia Lapsorum importunitate aut decepti, aut compulsi, pro omnibus, vel pro his apud Episcopos intercederent, quibus ob criminis gravitatem Pœnitentiam augeri magis, quàm relaxari deceret. Solebant etiam Episcopi verbo, vel literis Confessores monere, ne in dandis literis pacis, nimis Lapsorum petitionibus indulgerent.*

Probatur ex Sancto Cypriano, Epistola undecima ad Martyres & Confessores qui Lapsis pacem petierant dari: *Solicitudo loci nostri*, inquit, *& timor Domini compellit, fortissimi ac beatissimi Martyres! admonere vos literis nostris, ut à quibus tam devotè & fortiter fides servatur Domino, ab iisdem lex quoque & Disciplina Domini reservetur; nam cùm omnes milites Christi custodire oporteat præcepta Imperatoris sui, tum vos magis præceptis ejus obtemperare plus convenit; qui exemplum cæteris facti estis & virtutis & timoris Dei. Et credideram quidem Presbyteros & Diaconos, qui illic præsentes sunt, monere vos & instruere plenissimè circa Evangelii legem, sicut in præteritum semper sub Antecessoribus nostris factum est, ut Diaconi ad carcerem commeantes, Martyrum desideria consiliis suis, & Scripturarum præceptis gubernarent: sed nunc cum maximo animi dolore cognosco, non tantùm illic vobis non suggeri divina præcepta, sed adhuc potiùs impediri, ut ea quæ à vobis ipsis & circa Deum cautè, & circa Sacerdotem Dei honorificè fiunt, à quibusdam Presbyteris resolvantur, qui nec timorem Dei, nec Episcopi honorem cogitantes, cùm vos ad me litteras direxeritis, quibus examinari desideria vestra, & quibusdam Lapsis pacem dari postulastis, cùm persecutione finita convenire in unum cum Clero & recolligi cœperimus; illi contra Evangelii legem, contra vestram quoque honorificam petitionem, ante actam Pœnitentiam, ante exomologesim gravissimi atque extremi delicti factam, ante manum ab Episcopo & Clero in pœnitentiam impositam, offerre Lapsis pacem, & Eucharistiam dare, id est, Sanctum Domini Corpus profanare audeant.*

Ibidem Martyres obtestantur, ut Lapsorum personas, & criminum qualitates expendant, antequam Indulgentiæ libellos concedant. *Ore vos quibus possum precibus*, inquit, *ut Evangelii memores, & considerantes quæ & qualia in præteritum Antecessores vestri Martyres concesserint; quàm soliciti in omnibus fuerint, vos quoque solicitè & cautè petentium desideria ponderetis, utpotè amici Domini, & cum illo judicaturi, inspiciatis & actum, & opera, & merita singulorum: ipsorum quoque delictorum genera & qualitates cogitetis, ne si quid abruptè & indignè vel à vobis promissum, vel à nobis factum fuerit, apud Gentiles quoque ipsos Ecclesia nostra erubescere incipiat.*

Denique monet Ma[rtyr]es, ne se in concedendis literis pacis, faciles pr[æb]eant, & ne annuant iis qui literas hujusmodi ab ipsis extorquent, vel ut amicis gratificentur, vel ut ex eis pecunias captent. Tunc enim quidam, Confessorum simplicitate abusi, libellos ab ipsis impetrabant, pro iis à quibus expectabant munera: & sic impia & sacrilega nundinatio exercebatur. Sed eam Ecclesia execrata est, sicut & turpes quæstus, qui sequentibus Sæculis in Indulgentiarum promulgatione obrepserunt. *Hoc autem totum potest fieri*, inquit Sanctus Cyprianus, *si ea quæ à vobis petuntur, ne facilè tribuantur, religiosâ contemplatione moderemini, intelligentes & comprimentes eos, qui personas accipientes, in beneficiis vestris, aut gratificantur, aut illicitæ negotiationis nundinas aucupantur.*

## PROPOSITIO II.

*Martyres pacem Lapsis non concedebant, quamquam pacis libellos eis tribuerent, sed Episcopis duntaxat pro ipsis supplicabant. Porro Martyrum desideria & preces ab Antistitibus discutiebantur; qui in honorem & reverentiam Martyrum, aliquid de severitate Ecclesiastica Disciplinæ erga ipsos remittebant, & ad Communionem illos admittebant, antequam plenè Pœnitentiâ functi fuissent.*

Probatur ex Sancto Cypriano Epistola tr. io qua sic Martyres designatos alloquitur: *Vel ex vobis itaque discant* (imperiti & temerarii Sacerdotes) *quod docere debuerant. Petitiones & desideria vestra Episcopo servent; & ad pacem vobis petentibus dandam maturum & pacatum tempus expectent. Ante à Domino pacem Mater prior sumat, tunc secundum vestra desideria, de filiorum pace tractetur.*

Hinc idem Sanctus Cyprianus Lucianum Confessorem reprehendit, quòd in nomine Pauli Martyris pacem Lapsis dedisset, cùm illius concedendæ potestas penes solos esset Episcopos. Sic porro ea de re scribit Epistola 23. ad Presbyteros & Diaconos Romæ consistentes. *Frater noster Lucianus & ipse unus de Confessoribus, fide quidem calidus, & virtute robustus, minùs dominica lectione fundatus, quædam conatus est, imperiti jampridem se vulgi Authorem constituens, ut manu ejus scripti libelli gregatim multis nomine Pauli darentur, cùm Mappalicus Martyr cautus & verecundus, Legis ac Disciplinæ memor, null[as] contra Evangelium literas fecerit: sed tantùm domestica pietate commotus, matri suæ, & sorori, quæ lapsæ fuerant, mandaverit pacem dari.... Lucianus verò non tantùm Paulo adhuc in carcere posito, nomine illius libellos manu sua scriptos passim dedit, sed & post ejus excessum, eadem facere sub ejus nomine perseveravit, dicens hoc sibi ab illo mandatum, nesciens Domino magis quàm conservo obtemperandum. Aurelii quoque adolescentis tormenta perpessi nomine, libelli multi dati sunt, ejusdem Luciani manu scripti, quòd literas ille non nosset.... Postquàm verò ad eos litteras misi, ut quasi moderatius aliquid & temperantius fieret, universorum Confessorum nomine idem Lucianus epistolam scripsit, quâ penè omne vinculum fidei, & timor Dei, & mandatum Domini, & Evangelii sanctitas, & firmitas solveretur. Scripsit enim omnium nomine, Universis eos pacem dedisse, & hanc formam per me aliis Episcopis innotescere velle.*

Et infrà: *Cùm Dominus dixerit, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti gentes tingui, & in Baptismo præterita peccata dimitti; hic præcepti & legis ignarus, mandat pacem dari, & peccata dimitti in Pauli nomine: & hoc sibi dicit ab illo esse mandatum, sicut in literis ejusdem Luciani ad Celerinum factis animadvertetis. Quibus minimè consideravit, quòd non Martyres Evangelium faciant, sed per Evangelium Martyres fiant.*

Hujus autem imperitorum Confessorum erroris, quem severissimis verbis in Luciano S. Cyprianus reprehendit, specimen extat in ipsius Luciani Epistola ad Celerinum, quæ inter Cypria[ni]s

vigesima

vig. sima secunda numeratur. Agens enim de Paulo Martyre libellos pacis dante, ait : *Cùm benedictus Martyr Paulus adhuc in corpore esset, vocavit me, & dixit mihi, Luciane! coram Christo tibi dico, ut si quis post accersitionem meam, abs te pacem petierit, des in nomine meo.*

Hanc ob caussam Illiberitani Patres edito Canone sanxerunt, ut Lapsis, qui literas Confessorum Episcopis obtulissent, darentur ab iisdem Episcopis literæ communicatoriæ, quibus constaret Fidelibus; eos ad Communionem Ecclesiæ esse admittendos. Cùm enim Lapsi, solis Confessorum literis muniti, Communione donabantur ab Episcopis, concutiebantur & decipiebantur hoc more simplices, & existimabant Indulgentiam illam, & pacem à Martyribus dari, non ab Episcopis : nec posse Antistites Communionem illis recusare, qui pacificos Martyrum libellos porrexissent, ut quæ esset ipsis jure debita, & in antecessum à sanctissimis Christi Athletis concessa. En verba Concilii Illiberitani, Canone 25. *Omnis qui attulerit Literas Confessorias, sublato nomine Confessoris, eo quòd sub hac nominis gloria passim concutiant simplices, communicatoria danda sunt ei literæ.*

Idem est Concilii Arelatensis primi Canone 9. sensus, ita statuentis : *De his qui Confessorum literas afferunt, placuit, ut sublatis eis literis, alias accipiant communicatorias.*

Objicies. Celerinus Confessor, cujus prudentiam Sanctus Cyprianus commendat, ad Lucianum scribens, rogat ipsum ut à cæteris Martyrii candidatis nomine ipsius petat, ut qui prior coronatus fuerit, sororibus suis Lapsis, Numeriæ & Candidæ, peccatum remittat.* *Rogo itaque Domine, & peto, inquit, ut cæteris Collegis tuis, Fratribus tuis, meis Dominis referas, & ab eis petas, ut quicumque prior vestrûm coronatus fuerit, istis sororibus nostris Numeria & Candida tale peccatum remittant.* Itaque Confessores pacem Lapsis concedebant. Idem constat ex Epistola universorum Confessorum ad Sanctum Cyprianum, quæ est inter ejus Epistolas 17. cujus hic tenor est : *Scias nos universis, de quibus apud te ratio constiterit, quid post commissum egerint, dedisse pacem : & hanc formam per te & aliis Episcopis innotescere voluimus.*

* Inter Epist. S. Cypriani 21.

Respondeo, Celerinum postulasse ut Martyres sororibus suis peccatum remitterent, intercedendo pro ipsis apud Episcopos, non eas absolvendo. Sed enim libelli Martyrum ad Episcopos dirigebantur, qui pacem ante non concedebant iis quos commendaverant, quàm & libellos ipsos, & Lapsorum dispositionem, & sceleris ab ipsis admissi gravitatem examinassent accuratiùs. Unde Celerinus de Sororibus suis ita scribit : *Quare jam causâ auditâ, præceperunt eas Præpositi tantisper sic esse, donec Episcopus constituatur. Sed quatenus per vestras sanctas orationes & petitiones, in quas nos fidimus, quoniam estis amici, sed & testes Christi, quòd omnia indulgeatis.* Lucianus verò etsi circa intelligentiam Dominicæ Lectionis minùs peritus, caussas Lapsorum, & concessionem pacis ad Episcopum remisit, ad eumque pertinere professus est his verbis, quæ extant in Epistola nomine omnium Confessorum ab ipso conscripta ad Sanctum Cyprianum : *Scias nos universis de quibus apud te ratio constiterit, quid post commissum egerint, dedisse pacem.* Quæ verba Sanctus Cyprianus expendens Epistola 23. ait : *Quæ res majorem nobis conflat invidiam, ut nos cum singulorum caussas audire, & excutere cœperimus, videamur multis negare, quod se nunc omnes jactant à Martyribus, & Confessoribus accepisse.*

## PROPOSITIO III.

*In Libellis pacificis Martyrum nominatim designandi erant Lapsi, quibus pacem indulgeri postulabant : iisque duntaxat hujusmodi Libellos concedere poterant, quos verè nossent, & quorum Pœnitentiam satisfactioni proximam conspicerent.*

Probatur ex Sancto Cypriano, Epistola 11. ad Martyres & Confessores data : *Sed & illud*, inquit, *ad diligentiam vestram redigere, & emendare debetis, ut nominatim designetis eos, quibus pacem dari desideratis. Audio enim quibusdam sic libellos fieri, ut dicatur :* Communicet ille cum suis : *(quod numquam omnino à Martyribus factum est) ut incerta & cæca petitio invidiam nobis postmodum cumulet : latè enim patet, quando dicitur : Ille cum suis ; & possunt nobis viceni, & triceni, & amplius offerri, qui propinqui, & affines, & liberti, ac domestici esse asseverentur ejus, qui accipit libellum. Et ideo peto, ut eos, quos ipsi videtis, quos nostis, quorum pœnitentiam satisfactioni proximam conspicitis, designetis nominatim libello, & sic ad nos Fidei ac Disciplinæ congruentes literas dirigatis.*

## PROPOSITIO IV.

*Libelli Mar·yrum ·im tantùm habebant ab eorum obitu, & post sedatam persecutionem.*

Probatur ex Sancto Cypriano Epistola 10. in qua crimen quorumdam Presbyterorum exaggerat, qui Lapsis libellos Martyrum consecutis Comunionem intempestivè concesserant : quod *Contempta Domini lege & observatione, quam Martyres & Confessores tenendam mandant, ante extinctum persecutionis metum, ante reditum nostrum, ante ipsum penè Martyrum excessum, communicent cum Lapsis, & offerant, & Eucharistiam tradant.*

## PROPOSITIO ULTIMA.

*Qui Libellis Martyrum muniti, vel ante sedatam persecutionem, vel ante peractam pœnitentiam, in mortis discrimen veniebant, Libellorum effectu fruebantur, & pacem atque Communionem accipiebant.*

Probatur ex Sancto Cypriano, Epistola 14. ad Clerum suum, qua se decrevisse significat : *Ut qui libellum à Martyribus acceperunt, & auxilio eorum adjuvari apud Dominum delictis suis possunt, si premi infirmitate aliqua, & periculo cœperint, exomologesi facta, & manu eis à vobis in Pœnitentiam imposita, cum pace à Martyribus sibi promissa, ad Dominum remittantur.*

Idem repetit Epistola 15. ad Clerum Romanum data. Et Epistola 13. ad Clerum suum, permittit Lapsis qui libellos à Martyribus acceperunt, ut in mortis discrimine constituti, per manus impositionem Presbyteri, si Episcopus fuerit absens, vel Diaconi, si non occurrerit Presbyter, Ecclesiæ reconcilientur, & pacem accipiant.

Pars secunda Propositionis impugnatur ex Tertulliano, libro de Pudicitia, cap. 22. ubi testatur Martyres usurpasse potestatem condonandi delicta, hancque ipsis fuisse ab Ecclesia delatam : quod vehementer impugnat toto illo capite. *At tu*, inquit, *jam & in Martyres tuos effundis hanc potestatem. .. Sufficiat Martyri propria delicta purgasse. Ingrati, vel superbi est, in alios quoque spargere, quod pro magno fuerit consecutus. Quis alienam mortem suâ solvit,*

*vit, nisi solus Dei Filius? . . Proinde qui illam amu-* A *laris donando delicta, si nihil ipse deliquisti, planè patere pro me. . . Si propterea Christus in Martyre est, at mœchos & fornicatores Martyr absolvat, occulta cordis edicat, ut ita delicta concedat, & Christus est.* Igitur Martyres designati pacem Lapsis ipsi concedebant.

Respondeo, Non esse Tertulliano hac in caussa credendum, qui ut Ecclesiæ sanctissimam Disciplinam sugillaret, atque in invidiam vocaret, fingit Martyres auctoritate propria Lapsis peccata dimisisse illosque absolvisse *αμέσως*: quamvis precibus tantùm sgerent apud Episcopos, ut pace donaren- B tur: ut constat ex Sancto Cypriano æquiore Tertulliano judice, non in locis tantùm laudatis, sed luculentiùs Epistola 12. ad plebem Carthaginensis Ecclesiæ data. *Fecerunt*, inquit, *ad nos de quibusdam beati Martyres literas, petentes examinari desideria sua, cùm pace nobis omnibus priùs datâ à Domino, ad Ecclesiam regredi cœperimus, tunc examinabuntur singula, præsentibus, & judicantibus vobis. Audio tamen quosdam de Presbyteris, nec Evangelii memores, nec quid ad nos Martyres scripserint, cogitantes, nec Episcopo honorem Sacerdotii sui, & cathedra reservantes, jam cum Lapsis communicare* C *cœpisse, & offerre pro illis, & Eucharistiam dare, quando oporteat ad hæc per ordinem pervenire. Nam cùm in minoribus delictis, quæ non in Dominum committuntur, pœnitentia agatur justo tempore, & exomologesis fiat, inspectâ vitâ ejus qui agit pœnitentiam, nec ad communicationem venire quis possit, nisi priùs illi ab Episcopo & Clero manus fuerit imposita; quantò magis in his gravissimis & extremis delictis, cautè omnia & moderatè secundùm Disciplinam Domini observari oportet?* Porro Sanctus Cyprianus Presbyteros non increpuisset adeo severè, qui Lapsos Martyrum libellis munitos ad Commu- D nionem receperant, si penes Martyres fuisset potestas concedendæ pacis, & condonandi sceleris: illique Lapsos absolvissent. Subjungit Sanctus Cyprianus: *Audiant*, quæso, *patienter consilium nostrum, expectent regressionem nostram, ut cùm ad vos per Dei misericordiam venerimus, convocati Coëpiscopi plures, secundùm Domini Disciplinam, & Confessorum præsentiam, beatorum Martyrum literas, & desideria examinare possimus.* Ad Episcopum igitur pertinere censebat Ecclesia concessionem Communionis & pacis, quamvis Martyribus hic deferretur E honos, ut precum & commendationis ipsorum, in suscipiendis Lapsis, & in contrahendo Pœnitentiæ illorum tempore, satisfactionisque severitate minuenda, summa ratio haberetur.

Tertullianus itaque, sicut errore juris negavit Ecclesiæ potestatem remittendi delicta; ita errore facti, quo vel deceptus ipse est, vel decipere alios voluit, scripsit Martyres Lapsos absolvere, & delicta ipsis concedere. Sed nusquam ita res se habuit. Imò nec Martyrum satisfactiones sacrum Ecclesiæ thesaurum componere censent plures eruditi, cordatique Theologi, per modum solutionis, sed per modum suffragii dumtaxat & impetrationis. Qua in assertio- F ne concinunt Sancto Leoni Epistola 83. scribenti: *Quamvis multorum Sanctorum in conspectu Domini pretiosa mors fuerit, nullius tamen insontis occisio propitiatio fuit mundi: acceperunt Justi, non dederunt coronas; & de fortitudine Fidelium, exempla nata sunt patientiæ, non dona justitiæ: singulares quippe in singulis mortes fuere; neque alterius quisquam debitum suo fine persolvit.*

## SCHOLION.

Ad finem istius Dissertationis sive ad paginam 552. Editionis primæ, hanc Propositionem notant Religiosi Censores: *Martyrum satisfactiones Ecclesiæ Thesaurum non componunt per modum solutionis, sed per modum suffragii.*

R. Non sic affirmatè scripsi, ut mihi Censori Indiculi Auctores imponunt, sed in modum narrationis: *Immo*, inquiebam, *nec Martyrum satisfactiones sacrum Ecclesiæ Thesaurum componere censent plures eruditi cordatique Theologi, per modum solutionis, sed per modum suffragii dumtaxat & impetrationis.* Hæc revera opinio est *Maldonati* Doctissimi è Societate Jesu Theologi in Tractatu de Indulgentiis, & plurimorum in sacra Facultate Parisiensi Magistrorum. Duo tantùm de Indulgentiis dogmata fide credenda tradidit Sancta Synodus Tridentina; Primum: *In Ecclesia potestatem esse concedendi Indulgentias*. Alterum, *Indulgentiarum usum Christiano populo maximè salutarem esse, & in Ecclesia retinendum.* Ad sacri istius Thesauri cumulum *Beatæ Dei Genitricis, & omnium Electorum, à primo justo usque ad ultimum, merita adminiculum præstare*, Ecclesiæ doctrina est. Sic loquitur *Clemens VI.* in Extravaganti *Unigenitus*, Tit. *De Pœnitentiis & Remissionibus*. Sed quo modo adminiculum præstent, an per modum solutionis, an per modum suffragii & impetrationis, non est ab Ecclesia definitum. Variæ sunt ea de re Theologorum Sententiæ. Ad C Indulgentiarum defensionem contra Hæreticos opportunior videtur illa quam commemoravi.

## DISSERTATIO IV.

### De potestate Diaconorum, qui in carceres mittebantur, ut Martyrum desideria exciperent, & consiliis suis dirigerent.

### QUÆSTIO UNICA.

D *Utrum Diaconi Lapsos, absentibus Episcopis & Presbyteris, Sacramentaliter absolverent.*

### PROPOSITIO.

*Diaconis Absolutionis Sacramentalis Lapsis impertiendæ nusquam concessa est facultas, nec concessam esse ex Sancto Cypriano colligi potest.*

PROBATUR. Quod solis Sacerdotibus jure divino concessum est, Ecclesia nusquam Dia- E conis detulit: Sed Absolutio Sacramentalis Lapsorum, jure divino solis Sacerdotibus concessa est: Hanc itaque nusquam Diaconis detulit Ecclesia.

Probatur Minor. Iis solis concessa est Absolutio Sacramentalis Pœnitentium, quibus concessum est jus ligandi atque solvendi: porro jus ligandi atque solvendi solis Sacerdotibus Ordinatione divina concessum est. Siquidem soli Petro Ecclesiæ personam gerenti, & omnium Principi Sacerdotum à Christo dictum est: *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis, & quodcumque sol-* Matth. 16. 19. F *veris super terram, erit solutum & in cælis.* Quam potestatem ad solos Sacerdotes transmissam, Sancti Hieronymus, & Hilarius docent, in illum Matthæi locum, Sanctus Ambrosius in libris de Pœnitentia, aliique Patres passim.

Probatur secundò, ex eo quòd reconciliandorum Pœnitentium munus Episcopo reservatum esset, ex veteri disciplina. Unde consequens est, ipsorum absolutionem Diaconis delatam non fuisse.

Probatur antecedens, tum ex Sancto Cypriano, qui absolutionem Lapsis datam à Presbyteris vocat *Contumeliam Episcopatus sui*, tum ex Concilio Carthaginensi Secundo, Canone 3. in quo hæc habentur:

habentur : *Ab universis Episcopis dictum est : Chrismatis confectio, & puellarum consecratio, à Presbyteris non fiant, vel reconciliare quemquam in publicâ Missâ Presbyteris non licere ; hoc omnibus placet.* A Et Canone 4. Ne quidem in extremo periculo licere decernit Presbyteris, absolvere Pœnitentes, Episcopo inconsulto. *Aurelius Episcopus dixit : Si quisquam in periculo fuerit constitutus, & se reconciliari divinis altaribus petierit, si Episcopus absens fuerit, debet utique Presbyter consulere Episcopum : & sic periclitantem ejus præcepto reconciliare ; quam rem debemus salubri Concilio corroborare. Ab universis Episcopis dictum est ; Placet, quod Sanctitas vestra* B *necessariò nos instruere dignata est.* Pœnitentium igitur Absolutio, & quidem Sacramentalis, ex veteris Ecclesiæ more Episcopis reservata erat : proindeque Diaconis non deferebatur.

Verùm ne quis reconciliationis nomine absolutionem dumtaxat ab excommunicatione minori * cui subjacebant Pœnitentes, & à pœnis Canonicis intelligendam, perperàm contendat ; observandum est in veterum Synodorum, & Africanarum præsertim Canonibus, reconciliationis nomine Sacramentalem Absolutionem significatam fuisse (ut constat ex Concilio Carthaginensi 4. Canone 76.) C *Is*, ait, *qui pœnitentiam in infirmitate petit, si casu dum ad eum Sacerdos invitatus venit, oppressus infirmitate obmutuerit, vel in phrenesim versus fuerit ; dent testimonium, qui eum audierunt, & accipiat pœnitentiam, & si continuò creditur moriturus, reconcilietur per manus impositionem ; & infundatur ori ejus Eucharistia.*

* Minorem Excommunicationem vocant, more posteriorum Sæculorum.

Probatur tertiò. Clavium ministerium ad solos Episcopos & Sacerdotes spectare, veritas fidei est. Quis igitur asserat, delatum esse aliquando ab Ecclesia Diaconis, nisi qui Ecclesiam in fide errasse effutire ausus fuerit ?

Probatur antecedens, tum ex Concilio Lateranensi 4. Canone 1. tum ex Concilio Tridentino, D Sessione 14. cap. 6. in quo hæc habentur : *Circa Ministrum hujus Sacramenti, declarat sancta Synodus, falsas esse, & à veritate Evangelii alienas doctrinas omnes, quæ ad alios quosdam homines, præter Episcopos, & Sacerdotes, clavium ministerium perniciosè extendunt, putantes verba illa Domini : Quæcumque alligaveritis super terram, &c. Et quorum remiseritis peccata, &c. ad omnes Christi Fideles indifferenter & promiscuè, contra institutionem hujus Sacramenti, ita fuisse dicta, ut quivis habeat potestatem remittendi peccata.*

Objectio prima petitur ex Sancto Cypriano, E Epistola 13. ad Presbyteros & Diaconos Carthaginensis Ecclesiæ, de Lapsis ita scribente : *Quoniam tamen video facultatem veniendi ad vos nondum esse : & jam æstatem cœpisse, quod tempus infirmitatibus assiduis & gravibus infestat, occurrendum puto Fratribus nostris, ut qui libellos à Martyribus acceperunt, & prærogativa eorum apud Deum adjuvari possunt ; si incommodo aliquo, & infirmitatis periculo occupati fuerint, non expectata præsentiâ nostrâ, apud Presbyterum quemcumque præsentem, vel si Presbyter repertus non fuerit, & urgere exitus cœperit,* F *apud Diaconum quoque exomologesim facere delicti sui possint : ut manu eis in Pœnitentiam impositâ, veniant ad Dominum cum pace, quam dari Martyres literis ad nos factis desideraverunt.* Atqui exomologesim facere, est confiteri sacramentaliter apud eum qui possit absolvere à peccatis: igitur Diaconis committebatur olim potestas absolvendi Lapsos à peccatis, in absentia Episcoporum, & Presbyterorum.

Respondeo, nego Minorem. Exomologesim enim apud Diaconum facere, nihil aliud est, quàm aliquem ab excommunicatione, aut à pœnis satisfactoriis liberari à Diacono, sive à publicæ Pœnitentiæ legibus ; quæ Absolutio, Sacramentalis non est, aut fori interioris judicium, sed exterioris dumtaxat, ideóque non mirum quòd Diaconis aliquando permissa sit. Licet enim quæ Ordinis sunt, inferioribus aliis committere non possint primi vel secundi Ordinis Sacerdotes, ut Sacrificium peragere, sacramentaliter absolvere, sacras Ordinariones celebrare : posse tamen eos inferioribus demandare quæ jurisdictionis sunt, nemo negat. Porro Pœnitentium reconciliatio ad hanc speciem spectabat, ideóque Diaconis olim permittebatur, si Episcopus, & Presbyteri abessent. Enimverò sicut excommunicare Diaconis licet ex Episcoporum mandato, sic & excommunicatos solvere, vel reconciliare. Publicè autem Pœnitentes excommunicatos fuisse, id est, privatos communione Sacramentorum, & precum quæ solemni ritu in Ecclesia fiebant, nemo nescit. Igitur Diaconi Lapsos, qui Martyrum Libellis muniti erant, in periculo constitutos, ex quo probabiliter non essent evasuri, communioni orationum, & Sacramentorum restituebant, potestate ab Episcopis sibi concessa : sed Sacramentalis non erat illa, quam tribuebant, Absolutio.

Exomologesis igitur nomine, quam Lapsi illa in hypothesi apud Diaconum facere poterant, non designatur Sacramentalis Confessio, sed ultimus solemnis Pœnitentiæ ritus, quo Lapsi coram Presbyteris, Diaconis, Viduis, & populo sistebantur, humi procumbebant, crimina detestabantur sua, omnium se precibus commendantes, nec usquam idem scelus sese perpetraturos sanctissimè dejerantes. Eo sensu Exomologesis nomen Tertullianus usurpat, cùm ait lib. de Pœnitentia : *Exomologesis prosternendi, & humilificandi hominis disciplina est, conversationem injungens misericordiæ illicem...., Cùm igitur provolvit hominem, magis relevat ;* D *cum squallidum facit, magis mundat ; cùm accusat, excusat.* Hoc sensu iterum accipit nomen Exomologesis, libro de Oratione, cùm ait : *Exomologesis est petitio veniæ.* Item, *Exomologesis debitorum in deprecatione.*

Non alio sensu hanc vocem usurpat Sanctus Cyprianus Epistola 62. *Æstimatò justò tempore*, inquit, *postea Exomologesi factâ, ad Ecclesiam redeat.* Et Epistola 11. *Ante actam Pœnitentiam, ante Exomologesim gravissimi atque extremi delicti factam, ante manum ab Episcopo & Clero in Pœnitentiam impositam.* Et Epistola 12. *Cùm in minoribus delictis Pœnitentia agatur justo tempore, & exomologesis fiat,* E *inspecta vita ejus qui agit pœnitentiam, nec ad communicationem venire quis possit, nisi prius illi ab Episcopo & Clero manus fuerit imposita.* Et Epistolâ 10. *Secundùm disciplinæ ordinem ad Exomologesim veniant, & per manus impositionem Episcopi & Cleri, jus communicationis accipiant.* Ex quibus locis colligitur, Exomologesim Sancto Cypriano, aliisque antiquis Patribus, non esse semper Sacramentalem Confessionem (siquidem illa fiebat antequam imponeretur Pœnitentia) Sed actum aliquem externum, & ritum, qui totius Pœnitentiæ clausula F esset, nempe detestationem publicam peccatorum, cum fletibus, & lachrymis. Quem actum Diaconi, ex commissione Episcoporum, suscipere poterant, & de eo testari, si Pœnitens infirmitate lethali laboraret, absentesque essent Episcopus & Presbyteri. Et hic Sancti Cypriani sensus est, loco supra laudato in objectione scribentis : *Apud Diaconum quoque Exomologesim facere delicti sui possint.* Sed esto, Exomologesis Confessionem significet, non tamen evinces illam Sacramentalem fuisse. Constat enim ex Antiquitatis Ecclesiasticæ monumentis, Pœnitentes & excommunicatos, cùm solemni ritu reconciliabantur, solitos fuisse crimen, propter

quod

quod à communione repulsi fuerant, coram Episcopo reconciliante, & omni plebe, publicè palamque confiteri, illiusque veniam supplices postulare. Id, inquam, constat ex veteri Ecclesiæ Decreto, quod Burchardus, & Gratianus, Can. *Cum aliquis*, 11. Quæst. 3. Arausicano Concilio tribuunt, quod in sua Collectione integrum repræsentavit Franciscus Jovetius. Sic autem habet: *Cùm aliquis excommunicatus, vel anathematizatus, pœnitentiâ ductus, veniam postulat, & emendationem promittit: Episcopus qui eum excommunicavit, ante januam Ecclesiæ venire debet, & duodecim Presbyteri cum eo, qui eum hinc & inde circumstare debent, ubi etiam esse debent illi, quibus injuria vel damnum commissum debet emendari, aut si jam emendatum est, eorum testimonio comprobari. Deinde interroget Episcopus, si Pœnitentiam juxta quod Canones præcipiunt, pro perpetratis sceleribus suscipere velit: & si ille terrâ prostratus veniam postulat: culpam confitetur, pœnitentiam implorat, & de futuris cautelam spondet, tunc Episcopus apprehensâ manu ejus dexterâ in Ecclesiam illum introducat, & ei communionem & societatem Christianam reddat*, &c. Sicut igitur illa Confessio non erat Sacramentalis: ita nec illa, quâ Lapsi antiquitus peccatum suum palàm exposuisse coram Diacono, & illud deflevisse supponuntur.

Joannes Morinus.

Contra istas responsiones Instat hoc modo Vir Eruditus. Verba, phrasis, modusque loquendi Sancti Cypriani, idem videntur Diaconis concedere in absentia Episcopi, & Presbyterorum, quod Episcopo & Presbytero, cùm præsentes sunt. Jubet enim Sanctus Cyprianus ut Lapsorum morientium Exomologesim suscipiant Presbyteri, absente Episcopo, manúmque illis in Pœnitentiam imponant, ut moriantur cum pace: quod si Presbyter non adsit, id Diaconus præstet. Cùm igitur exomologesis illa, & Pœnitentiæ impositio, pacisque donatio, perfectam reconciliationem, de Episcopis & Presbyteris intellecta, significent: idem significabunt attributa Diaconis; cum idem planè Diaconis in absentia Presbyterorum tribuatur, quod Presbyteris in absentia Episcopi.

Secundò; hypothesis datæ necessitas idem exoptare videtur. Agitur enim de Pœnitente moribundo, cui succurrendum est, non absolutione tantùm ab excommunicatione, verùmetiam à peccatis. Cùm igitur sint apud Sanctum Cyprianum eadem verba, idem loquendi modus, eadem salutis necessitas ubi loquitur de Exomologesi facta apud Episcopum, vel Presbyterum, & apud Diaconum, cur apud illos factam interpretabimur absolutionem à peccatis; apud illum verò à sola excommunicatione?

Respondeo, Sanctum Cyprianum, licet iisdem verbis designaverit Ministerium Diaconi & Presbyteri in data hypothesi, intelligendum esse accommodatè ad potestatem utriusque; ut scilicet Diaconus id præstet Pœnitentibus, absente Presbytero, quod ex vi sui Ordinis potest, nec non ex vi jurisdictionis sibi ab Episcopis ea in specie concreditæ. Constat porro Diaconos à peccatis absolvere peccatorem non posse. Sicut enim in veteri lege solis Sacerdotibus concessum erat ut lepram à lepra discernerent; & leprosum à se sanatum Christus Dominus non ad Levitas, sed ad solos Sacerdotes misit: *Vade*, inquit, *ostende te Sacerdotibus*: Ita suscipiendæ Sacramentalis Confessionis, & absolutionis, quæ animæ lepram abstergit, concedendæ, non Diaconis, sed solis Sacerdotibus competit potestas. Quod cùm exploratum semper cunctis fuerit in Ecclesia, inutilem operam ponere noluit Sanctus Cyprianus in explicando enucleatiùs Diaconorum ministerio in reconciliatione Lapsorum.

Instat adhuc Vir Eruditus. Sancti Cypriani verba totiusque Epistolæ contextus de solutione excommunicationis maximæ intelligi non possunt: quia Lapsi jam erant excommunicatione illa soluti, atque in Ecclesiam ut Pœnitentes recepti. Quæstio tantùm erat inter Lapsorum plurimos, & Episcopos, de Pœnitentiæ diuturnitate. Contendebant enim ad Eucharistiam statim se esse admittendos, neque seriùs differendos, eò quòd libellos pacis à Martyribus obtinuissent. Tota igitur quæstio apud eos erat, non de Anathematis solutione, sed de absolutione à peccatis, & Communione Corporis Christi. Non igitur Diaconi à majori tantùm excommunicatione Lapsos solvebant, quæ nulla erat. Certum namque est Lapsos illos nunquam excommunicatos fuisse, hoc est aliqua Episcoporum sententia ab Ecclesia pulsos, quod nusquam nisi in pertinaces factum est: Cùm illi tormentorum sævitia, aut horrore cecidissent; statimque facti Pœnitentes, ad Ecclesiæ misericordiam, & Martyrum preces confugissent.

Secundò, verba ipsa quibus res concessa exprimitur, intentio quoque Sancti Cypriani, Martyrum, & Lapsorum idem postulant. *Ut manu*, inquit, *eis in Pœnitentiam impositâ veniant ad Dominum cum pace quam dari Martyres literis ad nos factis desideraverunt*. Pacem dare, apud Sanctum Cyprianum, in causa Pœnitentiæ, semper significat non modò absolutionem à peccatis, sed ipsam Eucharistiæ donationem: Quod maximè patet ex ejus Epistola 54. ad Cornelium Papam, in qua contendit, propter imminentem persecutionem reconciliandos Lapsos, & Corpore Christi cibandos, nec diutiùs differendos. Hoc autem in eadem Epistola sæpius pacis nomine significat. Scribit, se statuisse in Concilio, ut Lapsi *Agerent diu Pœnitentiam plenam, & si periculum infirmitatis urgeret, pacem sub ictu mortis acciperent*. Et paulò post, *Fas non esse ut de sæculo recedentes, sine communicatione & pace ad Dominum dimitterentur*. Scribit denique se cum Concilio iterum statuisse, *Eis qui de Ecclesia Domini non recesserunt, sed Pœnitentiam agere, & lamentari, ac Dominum deprecari à primo lapsûs sui die non destiterunt, pacem dandam esse*. Nomine autem pacis intelligi Communionem Eucharistiæ, constat ex his verbis: *At verò nunc non infirmis, sed fortibus pax necessaria est.... Ut quos excitamus & hortamur ad prælium, non inermes & nudos relinquamus, sed protectione Corporis & Sanguinis Christi muniamus*. Itaque Diaconi pacem dantes Lapsis moribundis, Eucharistiam illis tribuebant, adeoque & absolutionem à peccatis, quæ necessaria prorsus est ad Communionem Corporis Christi, peccatoribus dispositio.

Tandem illud dabant Diaconi in absentia Sacerdotum, quod dari Lapsis Martyres libellis suis postulaverant: sed absolutionem, & reconciliationem perfectam dari Lapsis Martyres desideraverant, & rogaverant: Igitur Diaconi tribuebant Lapsis reconciliationem plenam & perfectam, quæ absolutionem à peccatis, & Eucharistiæ Communionem complectabatur.

Responden ad primum: Sancti quidem Cypriani verba non intelligi posse de absolutione ab excommunicatione maxima, à qua jam soluti supponebantur Pœnitentes, cùm Pœnitentiam primò professi fuerant (ut egregiè probat Vir Eruditus) sed contendo intelligenda esse de absolutione ab excommunicatione quasi minori, quia impediebantur ne ad sacra Mysteria accedere possent, & Communionem Eucharisticam percipere. Hujusmodi namque excommunicatio gravioribus quibusque delictis annexa erat, ut colligitur ex his

* Non tamen antiquitus nota erat illa minoris excommunicationis appellatio, sed secundùm juniorum receptionem eam loqui placet.

his Sancti Cypriani verbis in libro de Oratione Dominica: *Hunc autem panem dari nobis quotidie postulamus, ne qui in Christo sumus, & Eucharistiam quotidie ad cibum salutis accipimus, intercedente aliquo graviore delicto, dum abstenti & non communicantes à cælesti Pane prohibemur, à Christi Corpore separemur.* Porro ista excommunicatiō non tollebatur nisi Absolutione Sacramentali, vel Indulgentiâ Ecclesiæ ad Martyrum preces concessâ; cujus applicandæ potestas Diaconis collata erat, si Lapsorum exitus urgeret, ac absentes interim Episcopi, Presbyterique essent. Illius autem Indulgentiæ beneficio restituebatur Lapsis jus ad Communionem Eucharisticam, quæ pacis nomine à Sancto Cypriano designatur. Unde falsum est quod innuit Vir Eruditus, jus illud dari non potuisse nisi virtute Sacramentalis Absolutionis.

In extremo itaque periculo, in quo aliàs non erat copia Sacerdotis, Contritio, quam Pœnitentes lacbrymis, precibus, humiliationibusque suis testabantur, sufficiebat ut ipsis pax, id est, Communio Corporis Christi dari posset: quam cæremoniali manuum impositione reconciliati à Diacono (dicta in hypothesi) percipere poterant. Imò etiamsi ritus ille defuisset, Eucharistiæ Viaticum his in angustiis ipsis porrigi potuisset. Nam & vulgata est Theologorum opinio, Sacerdotem lethalis peccati sibi conscium Sacrum facere posse, cùm extrema necessitas urget, Confessariique copia deest, modò Contritionis actum eliciat, prout potest. Quantò magis poterat illis Pœnitentibus Eucharistia dari (non præmissâ absolutione à peccatis, quia ne præmitterentur prohibebat absentia Sacerdotis) *Qui actâ Pœnitentiâ, & professâ frequenter suorum detestatione factorum, lachrymis, gemitibus, fletibus, dolentis ac verè pœnitentis animi signa prodebant, cùm spes vivendi, secundùm hominem nulla substaret?* (Ut loquitur Clerus Romanus ad Sanctum Cyprianum, inter Epistolas Sancti Cypriani 31.)

Id autem fuisse in usu primævæ Ecclesiæ, constat ex historia Serapionis, qui & ipse Lapsus, atque in Pœnitentiæ laboribus occumbens, Eucharistica donatus est Communione, quamvis Absolutione Sacramentali reconciliatus non fuisset. Rem ita refert Sanctus Dionysius Alexandrinus in Epistola ad Fabium, apud Eusebium lib. 6. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 36. *Hic sæpenumerò in Ecclesia denuo recipi supplex postulabat: sed nemo, quia Idolis sacrificasset, ejus postulationi aliquando auscultavit. Quin in gravem morbum delapsus, triduo deinceps mutus, & absque sensu vixit. Quarto autem die paululum relevatus, nepotem ad se accersit, sicque alloquitur: Quousque, filii, me detinetis? Properate, obsecro, & me ociùs dimittite. Quæ cùm dixisset, iterum fuit mutus. Percurrit ad Presbyterum: nox jam erat. Ille fortè morbo vexatus, accedere ad eum non poterat... Puero exiguam quamdam Eucharistiæ partem dedit, præcipiens ut eam madefactam in os senis infunderet. Quam puer secum afferens, rediit. Cui jam appropinquanti, Serapion denuo recuperatâ voce, dixit: Venisti fili? Tametsi Presbyter non potest venire; tu tamen præsta quod tibi in mandatis dedit, & dimitte me abire. Particulam igitur puer, quam attulerat, madefactam in os senis infudit: atque ille, simul-atque pedetentim eam per fauces demiserat, illico extremum spiritum edidit.* Ex quibus colligitur, probatam viguisse in veteri Ecclesia consuetudinem, ut Pœnitentibus daretur pax, & Eucharistica Communio, etiam si Sacramentali prius Absolutione donati non fuissent, quando in extremis erant positi, & deerat Sacerdos, & internum de peccatis dolorem Pœnitentiæ lamentis prodebant. Tunc, inquam, Diaconus sacram Communionem ipsis porrigere poterat, postquam ipsis reconciliatione solemni, pro potestate sibi ab Episcopo concessa, jus ad Sacramentorum perceptionem restituisset.

Ex his solutum manet secundum caput objectionis.

Ad tertium, respondeo, distinguo majorem: Illud dabant Diaconi in absentia Sacerdotum, quod dari Lapsis Martyres postulaverant: & quod ipsi Diaconi dare poterant, concedo. Et quod Diaconorum potestatem superabat, nego. Fateor igitur Martyres postulasse ut Lapsis daretur absolutio à à peccatis, & divina Eucharistia. Sed cùm absentes essent Episcopi & Presbyteri, & Lapsorum urgeret exitus, pia Ecclesiæ providentia decrevit ut Diaconi illis concederent, quod poterant ex ipsorum mandato; ut nimirùm eos à publicæ Pœnitentiæ legibus absolverent, & Eucharistiæ participes facerent. Cæterùm potestatem absolvendi Lapsos à peccatis, solis Sacerdotibus concessam ex Sancto etiam Cypriano certum est, in libro de Lapsis: *Pœnitenti*, inquit, *operanti, roganti, potest clementer ignoscere*, (Deus) *potest in acceptum referre, quicquid pro talibus & petierint Martyres, & fecerint Sacerdotes.*

Objicit Vir Eruditus, Diaconos potestatem habuisse absolvendi à peccatis, urgente necessitate, in multis Hispaniæ Ecclesiis, laudatque Canonem 32. Concilii Illiberritani, quo ita statuitur: *Apud Presbyterum, si quis gravi lapsu in ruinam mortis inciderit, placuit agere Pœnitentiam non debere, sed potiùs apud Episcopum. Cogente tamen infirmitate, necesse est Presbyterum Communionem præstare debere, & Diaconum, si ei jusserit Sacerdos.*

Respondeo, Illiberritanos Patres Communionis nomine Absolutionem intellexisse Canonicam, non Sacramentalem. Agitur enim de Reconciliatione solemni, quâ Pœnitentes Communioni Ecclesiæ reddebantur: quæ reconciliatio ita Episcopis erat propria, ut Chorepiscopis etiam prohibita esset. Quam tamen ex Episcopi nutu & concessione, non modò Chorepiscopi, sed & Presbyteri quilibet ac Diaconi, urgente periculo, perficere poterant.

Objicitur tertiò Concilii Toletani Primi Canon secundus, cujus hæc sunt verba: *Si qui autem ordinati sunt Diacones* (supple de Pœnitentibus) *inter Subdiaconos habeantur; ita ut manum non imponant, nec sacra contingant.* Manum imponere, inquit Morinus, aliud significare non potest, quàm absolutionem à peccatis. Tripliciter enim absolutè dictum sumi potest, & usurpatum fuit apud Antiquos: pro Confirmatione, pro Ordinatione, pro Absolutione. Atqui certum est Confirmationem Diaconis nunquam fuisse permissam, multo minùs Ordinationem. Cùm igitur Diaconis, qui ex Pœnitentibus ordinati sunt, prohibetur ne manus imponant, idem est ac si illis prohiberetur ne Pœnitentes à peccatis absolvant, neve hujusmodi Diaconis in posterum hoc munus demandetur. Non obscurè igitur hoc ex Canone colligi potest, Diaconis potestatem remittendi peccata in Hispaniis committi solitam, cùm iis tantùm sit hoc munere interdictum, qui è Pœnitentium numero contra Canones ordinati sunt.

Respondeo, Manûs impositionem Diaconis, qui ex Pœnitentibus ordinati erant, illo Canone prohibitam, non esse absolutionem, sed impositionem manuum cæremonialem in Pœnitentia solemni, de qua Sanctus Cyprianus loquitur, cùm ait: *Pœnitentes per manus impositionem Episcopi & Cleri jus Fraternitatis accepisse.* Constat enim quòd manuum illa impositio neque Confirmatio erat, neque Ordinatio; quia neutra Clericis quibuscumque committi potest. Nec etiam erat Absolutio Sacramentalis, quia illa ab uno confertur, non à pluri-

bus impenditur. Erat itaque ritus merus Pœnitentiæ solemnis. Unde sicut Presbyteri non ordinant alios Sacerdotes, quamvis manus imponant in sacris Ordinationibus, sed ritum dumtaxat exhibent ad Sacerdotum inaugurationem præparatorium: ita Diaconi Sacramentalem Absolutionem in Hispaniarum Ecclesiis non conferebant, licet manuum impositionem velut ritum quemdam ad plenam Pœnitentium reconciliationem prævium præmitterent.

Objicitur quartò Flacci Alcuini auctoritas, libro de divinis Officiis, in Capite Jejunii, scribentis: *Non enim omnes Clerici, aut ullus Laicus, hanc Scripturam usurpare, aut legere debent; nisi soli illi quibus necesse est: hoc sunt Episcopi, vel Presbyteri, quibus claves Regni cælestis traditæ sunt: sic nec judicia ista alius usurpare debet. Si autem necessitas evenerit, & Presbyter non fuerit præsens, Diaconus suscipiat Pœnitentem, ac det Sanctam Communionem.* Eadem propè verba habentur in antiquo Ecberti Archiepiscopi Cantuariensis Pœnitentiali M. S. eadem in antiquo Ordine Romano.

Respondeo, Susceptionem Pœnitentium, spectare jurisdictionem exterioris fori, & Absolutionem Canonicam: cujus impendendæ provincia Diaconis, immò & Clericis inferioribus demandari potest. Eucharistiæ autem Administratio munus est Diaconorum, ubi præsertim urget necessitas. Nec mirum; cùm antiquitùs Fideles, etiam Laïci, suas in ædes Eucharistiam deferrent, eamque imminente periculo sumerent. Quòd verò Sacramentalis Absolutio conferri non possit à Diacono, quacumque necessitate urgente, ex ipsis Alcuini, Ordinisque Romani verbis colligitur, dicentium à *Claves Regni cælestis solis Episcopis, vel Presbyteris traditas esse.*

Objiciuntur quintò verba Hadriani Primi Pontificis Maximi, in Synopsi Canonum, sic enuntiantis Canonem secundum Concilii Ancyrani; *Idem de Diaconibus fiat, si similiter peccaverint; sic ut dignè Pœnitentibus parcere possint.*

Respondeo primò, Illa verba passivè accipienda esse respectu Diaconorum, non activè: nempè decernitur, ut si Diaconi peccaverint, Pœnitentiæ legibus æquè ut alii subjaceant; sic tamen ut Episcopi ipsis parcere possint, si Pœnitentiâ sibi impositâ dignè defungantur.

Respondeo secundò, Etiamsi verba illa ministerium Diaconorum circa Pœnitentes designent, illa non significare condonationem peccatorum in foro interiori vi Sacramentalis Absolutionis concessam; sed remissionem eorumdem in foro exteriori, & quoad pœnas Canonicas, quas relaxare Diaconi, ex mandato Episcoporum, poterant. Eodem sensu intelligendus est Stephanus Æduensis, Cap. 8. ubi de Ordinatione Diaconorum agens, ait: *In quibusdam habent vicem Sacerdotis, ut in ministerio baptizandi, communicandi, delicta Pœnitentium misericorditer suscipiendi.*

Objicitur sextò Concilium Eboracense anno 1194. celebratum, quod ita decernit: *Decrevimus etiam, ut nonnisi summa & gravi urgente necessitate, Diaconus baptizet, vel Corpus Christi cuiquam eroget, vel Pœnitentiam confitenti imponat: ut juxta paternorum tenorem Canonum huic Ordini Sacerdotali propriè convenire decrevit antiquitas.*

Accedit Londoniensis Concilii Statutum, anno 1200. his verbis conceptum: *Non liceat Diaconibus baptizare, vel Pœnitentias dare, nisi duplici necessitate, verbi gratiâ, quia Sacerdos non potest, vel absens, vel stultè non vult, & mors imminet puero, vel ægro.*

Addi potest demùm Odonis de Soliaco, *Parisiensis Episcopi Decretum in Statutis Synodalibus,

* Migravit ad Dominum Odo de Soliaco, anno 1208.


Statuto 56. *Item prohibetur*, inquit, *districtè ne Diaconi ullo modo audiant Confessiones, nisi in arctissima necessitate: Claves enim non habent, nec possunt absolvere.*

Respondeo, Concessum quidem esse Diaconis, in extrema necessitate, ut Confessiones excipiant, & Pœnitentias imponant: non verò ut Absolutionem Sacramentalem conferant. Preces fundere possunt super Pœnitentes, quibus divinam misericordiam, & peccatorum remissionem ipsis adprecentur, non verò illos sacramentaliter absolvere, quia Claves non habent. Itaque Anglicanæ Synodi, & Odo Parisiensis, non permiserunt Diaconis administrationem Sacramenti Pœnitentiæ, sed cæremoniæ cujusdam ex earum rerum numero, quas Theologi vocant *Sacramentalia*, exhibitionem, quâ in absentia veri Sacramenti, & illius consequendi impotentiâ, moribundi contritio excitaretur, & charitas ferveret: atque Deus interiori ejus dispositione, & precibus Ecclesiæ motus, ipsi effectum Sacramenti tribueret. Porrò quod Confessiones in arctissima necessitate audire possit Diaconus, non mirum: siquidem id & Laicus potest. Qua de re Sanctus Thomas Quæst. 8. Supplementi Articulo secundo, hæc habet: *Sicut Baptismus est Sacramentum necessitatis, ita & Pœnitentia. Baptismus autem, quia est Sacramentum necessitatis, duplicem habet Ministrum: unum cui ex officio baptizare incumbit, scilicet Sacerdotem: alium cui ratione necessitatis dispensatio Baptismi committitur. Et ita etiam Minister Pœnitentiæ, cui ex officio Confessio est facienda, est Sacerdos: sed in necessitate, etiam Laicus vicem Sacerdotis supplet, ut ei Confessio fieri possit.* Et in responsione ad primum: *In Sacramento Pœnitentiæ*, inquit, *non solum est aliquid ex parte Ministri, scilicet Absolutio, & satisfactionis injunctio: sed etiam aliquid ex parte ipsius qui suscipit Sacramentum, quod est etiam de essentia Sacramenti, sicut Contritio, & Confessio. Satisfactio autem jam incipit esse à Ministro, in quantum eam injungit, & à Pœnitente, in quantum eam implet: & ad plenitudinem Sacramenti utrumque debet concurrere, quando possibile est. Sed quando necessitas imminet, debet facere Pœnitens quod ex parte sua est, scilicet conteri, & confiteri cui potest: cui quamvis Sacramentum perficere non possit, ut faciat id quod ex parte Sacerdotis est, Absolutionem scilicet: defectum tamen Sacerdotis Summus Sacerdos supplet. Nihilominus Confessio ex defectu Sacerdotis Laico facta, Sacramentalis est quodammodo: quamvis non sit Sacramentum perfectum, quia deest id quod est ex parte Sacerdotis.*

Objicitur ultimò caput *Fures. de furtis*, 5. Decretal. Tit. 18. *Fures*, inquit, *& latrones, si in furando, & deprædando occiduntur, visum est pro eis non esse orandum. Sed si comprehensi, aut vulnerati, Presbytero, vel Diacono confessi fuerint, Communionem eis non negamus.*

Respondeo, Mendum esse in textu, & legendum esse loco istarum vocum, *Presbytero, vel Diacono*, *Presbytero, & Deo*, prout habetur in Canone 31. Concilii Triburiensis; ex quo istud caput, *Fures*, desumptum notatur. Sic enim habetur in Concilio Triburiensi: *Si autem ille fur, vel latro vulneratus elabitur, & expectatione mortis desperatus putatur, atque reconciliari se Mysteriis Sacro-sanctis, habitu corporis, & voluntate pia mentis deprecatur, Deoque, & Sacerdoti, comite vita, emendatione morum & actuum confitetur, Communionis gratiam non negamus tribuendam.*

Deinde, etiamsi legatur, *vel Diacono*, nihil contra nos conficit istud Caput, quia Confessio illa non erit Sacramentalis. Unde Glossa in hoc Caput, ait; *In necessitate etiam Laico.*



## DISSERTATIO V.

### De Libellaticorum facinore, & variis eorum generibus.

### ARTICULUS UNICUS.

*Utrum omnes Libellatici fidem abnegarent.*

LIBELLATICI dicti sunt, qui ne Idolis sacrificare cogerentur, munus dabant, numerabantque pecuniam Ethnicis Magistratibus, eo pretio cùm vitæ, tùm Idololatriæ exterioris periculum, & infamiam redimentes, & nominis Christiani professionem confusione quodammodo abnegantes. Pro munere autem, Libellos pro se, suisque, à Magistratibus obtinebant, ut his velut securitatis præsidio muniti, sese à Satellitum audacia & furore tuerentur. Hujus criminis gravitatem Sanctorum Patrum verbis exponemus: deinde expendemus utrum omnes Libellatici fidem negaverint.

### PROPOSITIO I.

*Gravissimum erat Libellaticorum crimen, & proximè ad Idololatriam accedens.*

Probatur primò ex Tertulliano, libro de Fuga in Persecutione, cap. 12. & 13. ubi eleganti planè stylo hoc facinus describit, & insectatur. *Ut autem*, inquit, *redimas hominem tuum nummis, quem Sanguine suo redemit Christus, quàm indignum Deo & dispositione ejus, qui Filio suo non pepercit pro te: ut fieret maledictum pro nobis; quia maledictus qui pependerit in ligno.. Totum hoc ut nos à peccatis lucraretur. Sol cessit diem emptionis nostræ. Apud inferos emancipatio nostra est, & stipulatio nostra in cælis: sublevatæ sunt portæ sempiternæ ut introiret Rex gloriæ, Dominus virtutum, hominem de terris, imo ab inferis mercatus in cælos. Quis est nunc qui adversùs illum reluctatur? Imò depretiat, & mercedem ejus tam magno comparatam, pretiosissimo scilicet Sanguine, commaculat? Jam ergo melius fugere, quàm fieri viliorem; si non tanto sibi constabit homo, quanti constitit Domino. Et Dominus quidem illum redemit ab Angelis mundi tenentibus potestatibus, à spiritalibus nequitiæ, à tenebris hujus ævi, à judicio æterno, à morte perpetua. Tu autem pro eo pacisceris cum delatore, vel milite, vel furunculo aliquo Præside, sub tunica & sinu, quod aiunt, ut furtivo, quem coram toto mundo Christus emit, immò & manumisit. Hunc ergo liberum pretio æstimabis & pretio possidebis, nisi eodem; quanto, ut diximus, Domino constitit, Sanguine suo scilicet?*

Et post pauca: *Quis tamen abnegatorem spernat, Quid enim dicit ille concussor? Da mihi pecuniam, certè ne eum tradas: siquidem non aliud venditat, quàm quod præstaturus est præmio tuo. Cùm das, utique, ne tradaris voluisti. Non traditus autem, traduci habebas? Ergo dum nolendo tradi, non vis traduci, nolendo negasti quod te esse, traduci noluisti.* Immo, inquis, *dum nolo traduci quod sum, confessus id esse, quod nolo traduci; id est, Christianum... Apud unum si fortè confessus es, ergo & apud plures nolendo confiteri, negasti. Ipsa salus judicabit hominem excidisse, dum evadit. Excidit ergo qui maluit evasisse. Negatio est etiam, Martyrii recusatio. Christianus pecuniâ salvus est: & in hos nummos habet ne patiatur, dum adversus Deum erit dives.*

Et infrà: *Postremò, quò exemplô uteris in redemptionem traditionis? Apostoli tractantes, persecutionibus agitati, quando se pecunia liberaverunt? Quæ illis utique non deerat ex prædiorum pretiis ad pedes eorum depositis, certè multis locupletibus credentibus viris, ac fœminis, qui his etiam refrigeria subministrabant. Quando Onesiphorus, aut Stephanus hoc modo eis in persecutione succurrerunt? Paulus quidem, cùm Felix Præses pecunias accepturum se pro eo à Discipulis sperasset, de quo & ipse in secreto tractavit cum ipso: neque ipse pro se, neque Discipuli cum eo numeraverunt. Illi utique Discipuli, qui flentes quòd Hierosolymam tendere perseveraret, & persecutiones prædicatas illic non præcaveret, postremò inquiunt, Fiat voluntas Dei. Quæ ista voluntas? Utique ut pateretur pro nomine Domini, non ut redimeretur.*

Adversari denique dispositioni Dei, ejusque præcepto Libellaticos, sic ostendit. *Ab apice Regnorum, & Imperiorum, utique à Deo, disposito statu, in cujus manu cor Regis, tanta quotidie ærario augendo prospiciuntur remedia censuum, vectigalium, collationum, stipendiorum, nec unquam usque adhuc ex Christianis tale aliquid prospectum est, sub aliquam redemptionem capitis & sectæ redigendis, cùm tanta multitudinis nemini ignota fructus ingens meti posset. Sanguine empti, sanguine numerati: nullum numerum pro capite debemus: quia Caput nostrum Christus est. Non decet Christum pecuniâ constare. Quomodo & Martyria fieri possent in gloriam Domini, si tributo licentiam sectæ compensaremus? Itaque qui eam præmio paciscitur, dispositioni divinæ adversatur. Cùm igitur nihil nobis Cæsar indixerit in hunc modum stipendiaria secta, sed nec indici unquam tale quid possit. Antichristo jam instante, & in sanguinem, non in pecunias hiante Christianorum; quomodo mihi proponere potest Scripturam esse, Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari? Miles me, vel delator, vel inimicus concutit, nihil Cæsari exigens, contra faciens, cùm Christianum legibus humanis reum mercede dimittit. Alius est denarius quem Cæsari debeo, qui ad eum pertinet, tributarius, à tributariis scilicet, non à liberis debitus: aut quomodo reddam, quæ sunt Dei, Deo? Utique proinde imaginem & monetam ipsius inscriptam nomine ejus, id est, hominem Christianum, Quid autem Deo debeo, sicut denarium Cæsari, nisi sanguinem, quem pro me Filius fudit ipsius? Quod si Deo quidem hominem & sanguinem meum debeo, nunc verò in eo sum tempore, ut quod Deo debeo, expostuler: utique fraudem Deo facio, id agens, ne quod debeo solvam.*

Probatur secundò hujus gravitas sceleris ex Sancto Cypriano, qui secundum ipsi ab idololatria locum semper tribuit, ejusque reos gravissimæ addicit Pœnitentiæ, non secus ac idololatras. De his ita scribit Epistola 15. ad Presbyteros & Diaconos Romæ consistentes. *Item cùm comperissem eos qui sacrilegis contactibus manus suas atque ora maculassent, vel nefandis libellis conscientiam nihilominus polluissent, exambire ad Martyres passim, Confessores quoque importuna & gratiosa deprecatione corrumpere, ut sine ullo discrimine, atque examine singulorum, darentur quotidie libellorum millia contra Evangelii legem; literas feci, quibus Martyres & Confessores consiliô meô, quantum possem, ad Dominica præcepta revocarem.* Pœnitentiæ itaque publicæ addicebantur Libellatici, non secus ac Sacrificati, id est, qui idolis sacrificaverant; siquidem & ipsi literas à Confessoribus exposcebant, ut eorum intercessione Episcopi eos à pœnis severioris atque diuturnioris Pœnitentiæ absolverent.

Et libro de Lapsis: *Denique*, inquit, *quantò & fide majores, & timore meliores sunt, qui quamvis nullo sacrificii, aut libelli facinore constricti, quoniam*

*tamen de hoc vel cogitaverunt, hoc ipsum apud Sacerdotes Dei dolenter & simpliciter confitentes. Exomologesim conscientia faciunt, animi sui pondus exponunt, salutarem medelam, parvis licet & modicis vulneribus, exquirunt; scientes scriptum esse: Deus non deridetur... Plus immo delinquis, qui secundum hominem, Deum cogitans, evadere se pœnam criminis credis, si nonpalam crimen admisit. Christus in præceptis suis dicit; Qui confusus me fuerit, confundetur eum Filius hominis. Christianum se putat, qui Christianus esse confunditur, aut veretur? Quomodo potest esse cum Christo, qui ad Christum pertinere aut erubescit, aut metuit?*

Probatur tertiò ex Concilio Illiberritano, Canone 3. Communionem in fine vitæ dumtaxat Libellaticis indulgente. *Flamines, ait, qui non immolaverint, sed munus tantùm dederint, eo quòd se à funestis abstinuerint sacrificiis, placuit in fine præstari eis Communionem: facta tamen legitima Pœnitentia.*

## PROPOSITIO II.

*Libellaticos omnes fidem abnegasse non existimo, quamvis nonnulli revera negaverint.*

Probatur prima pars contra Cardinalem Baronium, auctoritate Sancti Cypriani, Epistola 52. ad Antonianum data, ubi quosdam Libellaticos notat, qui cùm pecuniâ judicis animum tentari atque commoveri posse sentiebant, Christianos se esse fatebantur, sed oblatâ pecuniâ libellum securitatis obtinebant, ne ad immolandum idolis, vel ad fidem palam profitendam cogerentur. *Cum ergo*, inquit Sanctus Cyprianus, *inter ipsos qui sacrificarint, multa sit diversitas; quæ inclementia est, quàm acerba duritia, Libellaticos cum iis qui sacrificaverint jungere? Quando is, cui libellus acceptus est, dicat, Ego priùs legeram, & Episcopo tractante cognoveram, non sacrificandum idolis, nec simulachra servum Dei adorare debere, & idcirco ne hoc facerem, quod non licebat, cùm occasio libelli fuisset oblata, ad Magistratum vel veni, vel alio eunte mandavi, Christianum me esse, sacrificare mihi non licere, ad aras diaboli me venire non posse, dare me ob hoc præmium, ne quod non licet, faciam. Nunc tamen etiam iste qui libello maculatus est, posteaquam nobis admonentibus didicit, nec hoc se facere debuisse, & si manus ejus pura sit, & os ejus feralis cibi contagia nulla polluerint, conscientiam tamen ejus esse pollutam; flet, auditis nobis, & lamentatur, & quòd deliquerit nunc admonetur, & non tam crimine, quàm errore deceptus, quòd jam de cætero instructus, & paratus sit, contestatur.* An quæso, ita loqueretur Sanctus Cyprianus de his qui fidem ejurassent, & Christum negavissent?

Præterea, in eadem Epistola ait: *Multò & graviorem, & pejorem esse mœchi, quam Libellatici causam; cùm hic necessitate, ille voluntate peccaverit: hic existimans sibi satis esse quòd non sacrificaverit, errore deceptus sit: ille matrimonii expugnator alieni, vel lupanar ingressus, ad cloacam & cœnosam voraginem vulgi, sanctificatum corpus, & Dei templum detestabili colluvione violaverit.* Porro si Libellatici quilibet Christum abnegassent, pejor non esset mœchi causa, quàm Libellatici: neque dumtaxat errore decepti, sed sacrilegio maculati dicerentur. Probabilius igitur est Libellaticos omnes Christum non abnegasse.

Probatur secunda pars Propositionis, quòd scilicet nonnulli è Libellaticis fidem negaverint, ex Sancto Cypriano alterum Libellaticorum genus designante, qui se Christianos non esse coram Judicibus contestabantur, & dato munere, libellos ab ipsis obtinebant, quibus significaretur, ipsos ulteriùs inquirendos non esse propter Christiani professionem nominis, utpote qui Principum Edictis de Numinum cultu paruissent. Id constat ex Epistola 68. Sancti Cypriani, ad Clerum & plebes in Hispania consistentes data, in qua postquam præmisit, *Basilidem & Martialem libellis idololatriæ commaculates, & nefandorum facinorum conscientiâ vinctos, Episcopatum gerere, Sacerdotium Dei administrare non oportere;* Hæc de Martiali subjungit: *Actis etiam publicè habitis, apud Procuratorem Ducenarium obtemperasse se idololatriæ, & Christum negasse contestatus est.*

Idem constat ex libro de Lapsis, ubi de istius generis Libellaticis ait: *Nec sibi, quominus agant Pœnitentiam, blandiantur, qui etsi nefandis sacrificiis manus non contaminaverunt, libellis tamen conscientiam polluerunt. Et illa professio denegantis, contestatio est Christiani, quod fuerat, abnegantis: fecisse se dixit, quicquid alius faciendo commisit. Cùmque scriptum sit, Non potestis duobus Dominis servire, servivit sæculari Domino, obtemperavit ejus edicto, magis obaudivit humano imperio, quàm Deo. Viderit an timore, vel dedecore, vel crimine apud homines publicaverit, quod admisit: Deum tamen judicem subterfugere, & vitare non poterit.*

Probatur secundò, testimonio Cleri Romani ad Sanctum Cyprianum scribentis in hæc verba: * *Minus est, sine prædicatione virtutum ignobilem sine laude jacuisse, quam exhæredem fidei factum, laudes proprias perdidisse.... Hoc nos non falsò dicere, superiores literæ nostræ probaverunt, in quibus vobis sententiam nostram dilucida expositione protulimus adversùs eos, qui seipsos infideles illicita nefariorum libellorum professione prodiderant, quasi evasuri irretientes illos diaboli laqueos viderentur, quominus quàm si ad nefarias aras accessissent, hoc ipso quod ipsam contestati fuerant, tenerentur: Sed etiam adversùs illos qui Acta fecissent, licet præsentes, cùm fierent, non adfuissent, cùm præsentiam suam utique ut sic scriberentur, mandando fecissent. Non est enim immunis à scelere, qui, ut fieret, imperavit, nec est alienus à crimine, cujus consensu, licet non à se admissum crimen, tamen publicè legitur; & cùm totum fidei Sacramentum in confessione Christi nominis intelligatur esse digestum; qui fallaces in excusatione præstigias quærit, negavit, & qui vult videri propositis adversùs Evangelium, vel Edictis, vel Legibus satisfecisse, hoc ipso jam paruit, quod videri paruisse se voluit.* Ex his constat, quosdam Libellaticos Christi nomen coram Judicibus abnegasse.

* Extat inter Epist. S. Cypriani 31.

Objicies contra primam partem Propositionis. Libellatici capitali crimine tenebantur: atqui nullum erat crimen offerre pecuniam Tyrannis, ne ad sacrificandum cogerent. Istud enim erat vexationem redimere. Libellatici igitur non modò pecuniam hoc pacto offerebant, sed fidem revera abnegabant.

Probatur minor auctoritate Sancti Petri Alexandrini, Canone 12. ita decernentis: *Iis enim qui pecuniam dederunt, ut ab omnis improbitatis molestia omni ex parte remoti essent, crimen intendi non potest. Damnum enim & jacturam pecuniarum sustinuerunt, ne ipsi animæ detrimento afficerentur vel ipsam etiam perderent: quod alii propter turpe lucrum non fecerunt; quamvis Dominus dicat: Quid enim prodest homini, si universum mundum lucrabitur, animæ verò detrimentum patiatur? Et rursum: Non potestis Deo servire, & Mammonæ. In illis enim apparuerunt, qui Deo servirent, exosis, conculcatis, contemptisque pecuniis, & in eo compleverunt quod scriptum est: Pretium redemptionis animæ, divitiæ propriæ. Nam in Actibus Apostolorum legimus, eos qui pro Paulo & Sila Thessalonicæ ad Magistratus trahebantur, cum multis pecuniis fuisse dimissos. Postquam enim ipsos propter nomen*

*men multùm oneraffent, & multitudinem, Magistratusque perturbaffent; Ab Jasone*, inquit, *& reliquis, satisfactione acceptâ, eos dimiserunt.*

Respondeo, Nullum quidem crimen illis intendi potuisse, qui fidem Christi palam confessi, pecunias dabant, ne ad aras traherentur; & de his loquitur Sanctus Petrus Alexandrinus. At gravissimi tenebantur criminis rei, qui fidem Christi palam profiteri erubescentes, nondum sæviente in caput suum persecutione, pecunias offerebant, vel dabant, ne ad fidem publicè profitendam cogerentur: Quamvis Christum non negarent, immo se esse Christianos dicerent, illicitaque sibi esse profana sacrificia. Denique illa vitæ redemptio, dato munere Judicibus Ethnicis, licita erat, cum aberat periculum fidei, Religionis, Ecclesiæ, vel fratrum offendiculum; cùm uberior ex hac redemptione fructus spiritualis in eos qui munus dabant, vel in Ecclesiam, redundaturus sperabatur. Quæ Sancti Petri Alexandrini hypothesis est. Aliàs illicita erat.

# DISSERTATIO VI.

*De peccatis publicæ Pœnitentiæ legibus tertio Sæculo, & deinceps obnoxiis.*

DUPLEX ea de re moveri potest Quæstio. Primò enim quæri potest utrùm omnia, peccata mortalia publicæ Pœnitentiæ olim subjicerentur? Secundò, an solùm publica plecterentur pœnis canonicis, an etiam occulta?

## QUÆSTIO PRIMA.

### De peccatis mortalibus in ordine ad Pœnitentiam publicam.

### ARTICULUS PRIMUS.

*Utrum omnia peccata mortalia publicæ Pœnitentiæ olim Ecclesia subjecerit?*

### PROPOSITIO.

*Cujusvis peccati mortalis reos Ecclesia nusquam publica Pœnitentia addixit.*

PRobatur. Quæ criminum dumtaxat canonicorum reos, id est idololatriæ, homicidii, mœchiæ, vel aliorum gravium scelerum, puta, quæ sæculi leges sanguine vindicabant, Pœnitentiæ publicæ addixit, eâ Pœnitentia non castigavit cujusvis peccati mortalis reos; sed Ecclesia trium dumtaxat capitalium criminum reos, id est, idololatriæ, homicidii, mœchiæ; vel aliorum gravium scelerum, puta, quæ seculi leges nece plectebant, publicæ Pœnitentiæ addixit. Non subjecit itaque Pœnitentiæ publicæ omnium peccatorum mortalium reos.

Tria crimina capitalia publicæ olim Pœnitentiæ obnoxia, ex Tertulliano.

Probatur Minor, primò ex Tertulliano, qui in libro de Pudicitia trium dumtaxat capitalium criminum meminit, quæ Ecclesia Catholica Pœnitentiæ publicæ addicebat: Montanistæ verò irremissibilia esse contendebant: scilicet idololatriæ, homicidii, & mœchiæ. *Cùm primùm*, inquit Cap. 12. *innotuit Evangelium, & vetera concussis, primam hanc regulam de auctoritate Spiritus Sancti Apostoli emittunt ad eos qui jam ex nationibus adlegi cœperant: Visum est, inquiunt Spiritui Sancto, & nobis, nullum amplius vobis adjicere pondus, quàm eorum à quibus necesse est abstineri, à sacrificiis, & à fornicationibus, & sanguine. Sufficit & hîc servatum esse mœchiæ & fornicationi locum honoris sui, inter idololatriam & homicidium. Interdictum enim sanguinis, multò magis humani intelligemus. Porrò qualia videri volunt Apostoli crimina, quæ sola in observatione de lege pristina excerpunt? Quæ sola necessariò abstinenda præscribunt? Non quod alia permittant, sed quòd hæc sola proponant, utique non remissibilia.*

Et Cap. 5. *Adsistit idololatres, adsistit homicida, in medio eorum adsistit & mœchus, pariter de Pœnitentiæ officio sedent in sacco, & cinere inhorrescunt, eodem fletu gemiscunt, eisdem precibus ambiunt, eisdem genibus exorant, eamdem invocant matrem. Quid agit, mollissima & humanissima disciplina? Aut omnibus eis hoc esse debebis, aut si non omnibus, nostra esse. Idololatram quidem & homicidam semel damnas, mœchum verò de medio excipis, Idololatræ successorem, homicidæ antecessorem, utriusque collegam? Persona acceptatio est: miserabiliores Pœnitentias reliquisti.* Itaque Tertulliani ævo tribus tantùm istis criminibus Pœnitentia publica imponebatur, scilicet idololatriæ, homicidio, & mœchiæ.

II. Eadem minor propositio probatur testimonio Sancti Cypriani, qui quoties de Pœnitentia publica agit, Idololatras, Libellaticos, aut Mœchos ejus legibus subjectos fuisse significat: homicidas proculdubio additurus, si, quod tractabat argumentum, id postulasset.

Concilium Illiberritanũ tria tantum crimina publicæ Pœnitentiæ addixit.

III. Idem constat ex Concilio Illiberritano, cujus in Canonibus severissimam sancientibus Disciplinam, publicæ Pœnitentiæ addictum neminem leges, nisi qui alicujus ex istis tribus criminibus reus esset. De Idololatris statuit Canon primus his verbis: *Placuit inter eos, ut qui post fidem Baptismi salutaris, adulta ætate, ad templum Idoli idololatraturus accesserit, & fecerit, quod est crimen principale, nec in fine Communionem suscipere.*

De tribus memoratis criminibus simul decernit Canon secundus his verbis: *Flamines, qui post fidem lavacri & regenerationis, sacrificaverint, vel geminaverint scelera, accedente homicidio, vel triplicaverint facinus, cohærente mœchia, placuit eos nec in fine accipere Communionem.*

Canon tertius & septimus Mœchos percellunt, illisque qui post Pœnitentiam rursus mœchati fuerint, nec in fine dandam statuunt Communionem. Cæteri Canones, qui Pœnitentiam publicam imponunt, reos istorum, vel his affinium criminum spectant.

Nec obstat, quòd Canonibus 73. 74. & 75. Pœnitentia publica delatoribus, & falsis testibus imperetur. Illa namque crimina revocantur ad homicidium, ut quæ accusatis mortem inferant. Id patet ex contextu illorum Canonum. Ita enim habet 73. *Delator si quis extiterit Fidelis, & per delationem ejus aliquis fuerit proscriptus, vel interfectus, placuit, eum nec in fine accipere Communionem*, 74. ita statuit: *Falsus testis, prout crimen est, abstinebitur. Si tamen non fuerit mortis quod objecit, & probaverit, quod diu tacuerit, biennii tempore abstinebitur.*

Dices, Eos qui Sacerdotes, vel Ministros sacros accusant, perpetuæ Pœnitentiæ addici, Canone 75. cùm tamen ex eorum accusatione mors non inferatur.

Respondeo, Ex eorum accusatione inferri mortem canonicam, nimirum depositionem, quam Patres quoddam mortis genus esse senserunt. Unde Optatus Milevitanus libro 2. contra Parmenianum, Donatistas, qui Sacerdotes ad suam Sectam

ab Ecclesia deficientes deponebant, & Pœnitentiæ subjiciebant, sic alloquitur: *Vos vivum facitis homicidium. Quid prodest quia vivunt homines, & occisi sunt honores in vobis?*

Dices, Delatores in levioribus caussis, Pœnitentiâ quinquennii castigantur ab Illiberitanis Patribus, Canone 73. & falsos testes, etiamsi non fuerit capitale crimen quod objecerunt, solido quinquennio abstineri decernunt ac pœnitere, Canone 74. Itaque alia crimina à tribus memoratis, publicæ Pœnitentiæ subjecere.

Respondeo, Delatorum, & falsorum testium peccata, etiam in levioribus caussis, ad homicidium reduci, quatenus ex fratrum odio proficiscuntur, & *Omnis qui odit, Fratrem, homicida est.* (1. Joannis 3.)

IV. Memorata dumtaxat crimina, publicæ Pœnitentiæ, quatuor primis Sæculis, obnoxia fuisse, constat ex Concilio Ancyrano, cujus novem priores Canones Pœnitentiæ tempus statuunt his, qui Idololatriâ polluti sunt, sive sacrificando, sive comedendo Idolothytha. 17. Nefarii criminis reos viginti annorum Pœnitentiæ addicit, si ante vigesimum ætatis suæ annum tale crimen admiserint: qui verò exactâ viginti annorum ætate, Pœnitentiæ triginta annorum subjicit: qui denique post quinquagesimum annum perpetraverint hoc scelus, ad exitum usque vitæ publicè pœnitere decernit.

Canon vigesimus, Adulteris septem annorum præscribit Pœnitentiam: *Si quis*, inquit, *adulterium commiserit, septem annis in Pœnitentia completis, perfectioni reddatur, secundùm pristinos gradus.*

Vigesimus primus, mulierum fornicantium, & suos fœtus excutientium Pœnitentiam, quæ ad finem usque vitæ antea prorogabatur, ad decennium contrahit. *De mulieribus*, inquit, *quæ fornicantur, & partus suos necant, sed & de his quæ agunt secum, ut utero conceptos excutiant, antiqua quidem Definitio est, usque ad exitum vitæ eas ab Ecclesia removeri. Humanius autem nunc definimus, ut eis decem annorum tempus Pœnitentiæ tribuatur.*

Canon vigesimus secundùs, Homicidium voluntarium continua, usque ad exitum vitæ, Pœnitentia castigat.

Vigesimus tertius, homicidium involuntarium quinquennii Pœnitentia statuit mulctandum.

Vigesimus quartus, Incestûs conscios decennii Pœnitentiæ addicit.

Præter hæc crimina, nulla alia Canones Ancyrani Pœnitentiæ publicæ animadversione vindicant. Igitur tria dumtaxat crimina canonica, scilicet Idololatriam, Mœchiam, & Homicidium, Pœnitentiæ publicæ subjecerunt Ancyrani Patres.

Nec obstat quòd Canon 23. eos qui divinationes expetunt, & Ariolos introducunt in domos suas ad exquirendum aliquid, quinquennii Pœnitentiam subire jubeat. Nam divinationes ejusmodi cum Idololatria conjunctas, vel ipsi affines, Patres existimarunt. Tertullianus libro de Idololatria, Cap. 9. Magiam & Astrologiam recenset inter *Professiones obnoxias Idololatriæ.* Illiberritana Synodus Canone 6. ait. *Maleficium sine Idololatria perfici non posse.* Et Canon ipse Ancyranus, Gentilium ritus divinationibus admixtos agnoscit, ac supponit. En ejus verba, secundùm Versionem Dionysii, Exigui: *Qui divinationes expetunt, & morem Gentilium subsequuntur, aut in domos suas hujuscemodi homines introducunt, exquirendi aliquid arte malefica, aut expiandi causâ, sub regula quinquennii jaceant, secundùm gradus Pœnitentiæ definitos.*

V. Memorata tantùm crimina Primitivam Ecclesiam Pœnitentiâ publicâ castigasse, probatur ex Concilio Neocæsareensi, cujus Canones Pœnitentiam tantùm imponunt fornicatoribus, adulteris, incestuosis, polygamis. Quòd verò universa peccata mortalia non subjicerent Pœnitentiæ publicæ illo ævo, evincitur ex Canone quarto ita decernente: *Si quis mulierem concupiscens, proposuerit cum ea concumbere, & cogitatio ejus non perveniat ad effectum, apparet quod gratiâ Dei liberatus est.* Nemo certè dubitaverit, propositum fornicationis lethale esse peccatum. Hujus tamen reum proposito, liberum esse à Publicæ Pœnitentiæ legibus jubent Patres Neocæsareenses. Itaque omnia peccata mortalia publicæ Pœnitentiæ non addixerunt.

VI. Idem probatur ex Sancto Paciano Barcinonensi Episcopo, qui sub medium quarti Sæculi floruit, in Parænesi ad Pœnitentiam; ubi præmittit primò omnia peccata Pœnitentiæ non subjici, utique publicæ, de quâ hîc agit potissimùm. *Primùm igitur*, inquit, *de modo peccantium retractemus, sedulo requirentes quæ sint peccata, quæ crimina: ne quis existimet, propter innumera delicta, quorum fraudibus nullus immunis est, me omne hominum genus indiscretâ pœnitendi lege constringere.* Deinde collato novæ legis statu cum statu veteris legis, quæ longè pluribus præceptis Judæos gravabat, crimina recenset quæ publicæ Pœnitentiæ remediis curanda sunt, illaque repetit ex Epistola Apostolorum in Concilio Hierosolymitano data ad Christianos ex Gentibus conversos, Antiochiæ, Syriæ, & Ciliciæ degentes, Actor. 15. in qua hæc habentur, *Necesse est ut abstineatis vos ab idolothytis, & sanguine, & fornicatione.* Quæ verba expendens Sanctus Pacianus, ait: *Hæc est Novi Testamenti tota conclusio. Despectus in multis Spiritus Sanctus hæc nobis, capitalis periculi conditione, legavit. Reliqua peccata meliorum operum compensatione curantur: hæc verò tria crimina, ut basilisci alicujus afflatus, ut veneni calix, ut lethalis arundo metuenda sunt: non enim vitiare animam, sed intercipere noverunt. Quare tenacitas humanitate redimetur; convitium satisfactione pensabitur; tristitia jucunditate, asperitas lenitate, gravitate levitas, honestate perversitas; & quæcumque contrariis emendata proficiunt. Quid verò faciet contemptor Dei? Quid aget sanguinarius? Quod remedium capiet fornicator? Numquid aut placare Dominum desertor ipsius poterit? Aut conservare sanguinem suum, qui fudit alienum? Aut redintegrare Dei Templum, qui illud fornicando violavit? Ista sunt capitalia, Fratres! ista mortalia.*

Tria tantùm peccata Canonicæ publicæ Pœnitentiæ subdita ætate Sancti Paciani.

Denique horum scelerum reos ad Pœnitentiam hortatur, utique publicam: Nam & alia crimina Pœnitentiâ eluenda esse nemo nescit: *Ergo*, inquiet *aliquis, perituri sumus? Et ubi misericors Deus, qui mortem non invenit, nec lætatur in perditione vivorum? Moriemurne in peccatis nostris? Et quid facies tu Sacerdos? Quibus emolumentis tot Ecclesiæ detrimenta pensabis? Accipite remedium, si desperare cœpistis; si miseros vos agnoscitis, si timetis, Vos ergo primùm appello, Fratres! qui criminibus admissis pœnitentiam recusatis*, &c.

Deinde loquitur de illa Pœnitentia, qua peccatores à reliquorum Fidelium cœtu segregantur, ne eos communicatione sua inficiant. Hanc autem publicam esse, nemo negaverit. *Quòd si vestra*, inquit, *vobis vilis est anima, parcite populo, parcite Sacerdotibus. Clamat Apostolus: Exiguum fermentum totam massam fermentat. Quid facies tu, propter quem omnis massa corrumpitur? Propter quem laboratura est tota Fraternitas? Vives tot animarum reus?*

*Excusaberis*,

*Excusaberis, cùm tibi Communionem suam imputaverint innocentes; cùm te Ecclesia dixerit suæ cladis Auctorem? Ecce iterum Apostolus ad Sacerdotem: Manus citò nulli imponas, nec communices peccatis alienis. Quid facies tu, qui decipis Sacerdotem? Qui aut ignorantem fallis, aut non ad plenum scientem, probandi difficultate confundis?* Constat itaque ætate Sancti Paciani, tria tantùm peccata canonica, scilicet, Idololatriam, Homicidium & Mœchiam, publicæ Pœnitentiæ Legibus obnoxia fuisse.

Omnia peccata mortalia publicæ Pœnitentiæ subdita non fuisse, probat Epistola Canonica S. Gregorii Nysseni.

VII. Idem probatur ex Sancto Gregorio Nysseno, in Epistola Canonica ad Letoium Mitylenes Episcopum, in qua numerum peccatorum, quibus imponebatur Pœnitentia publica, repetit ex tribus præcipuis animæ facultatibus, *ratione, concupiscentia, & ira*: quibus subtiliter & eruditè expositis, peccata primis ordinis esse ait, Idololatriam, Judaïsmum, Manichæismum, quæ Pœnitentia publicâ vindicantur. *Quæcumque peccata*, inquit, *ratione præditam animæ partem attingunt, graviora judicata sunt à Patribus, & majori, ac diuturniori, & laboriosiori conversione digna. Quemadmodum si quis fidem in Christum negavit, vel ad Judaismum, vel Idolorum cultum, vel Manichaismum, vel aliquod aliud impietatis genus descivisse visus sit; qui voluntariè quidem ad id malum se contulit, deinde seipsum condemnavit: præscriptum Pœnitentiæ tempus vitam omnem habet. Numquam enim dum Mystica peragetur Oratio, Deum unà cum populo adorare sinetur, sed seorsum precabitur: à Sacramentorum autem Communione omnino erit alienus: in hora autem sui è vita excessus, Sacramenti Communionis erit particeps.* Eidem pœnæ vult addici eos *Qui ad præstigiatores, vel divinos abierunt, vel eos qui per dæmones se purgationes quasdam & expiationes operaturos pollicentur*: quia supponit eos fidem abnegasse, & cum dæmonibus iniisse societatem.

De criminibus secundi ordinis, quæ scilicet concupiscentem animæ partem afficiunt, ita decernit: *Est ergo Canon hujusmodi, ut qui fornicatione polluti sunt, in tribus annis ab Oratione omnino expellantur; in tribus sint solius auditionis participes; in tribus autem aliis, cum iis qui in conversione substernuntur, precentur; & tunc sint Sacramentorum participes. Quæ autem in adulterio, & in reliquis immunditiæ generibus fit iniquitas, omnino eodem judicio punietur, quo fornicationis scelus: sed tempore duplicabitur.*

Ex peccatis quæ ad irascentem animæ partem spectant, solùm homicidium Pœnitentiâ publicâ mulctatum à Patribus testatur. Statutam porro in homicidas Pœnitentiam sic exponit: *In his ergo, cædes quidem in triplicatum tempus extenditur iis, qui per conversionem voluntario facinori remedium afferunt. Ter novem enim sunt anni, novenario annorum numero in unoquoque gradu præfinito: adeo ut in perfecta quidem segregatione novem annorum tempore versetur ab Ecclesia prohibitus: alios autem tot annos in auditione permaneat... In tertio autem novenario, cum substratione oret: sicque perveniat ad Communionem Sacramenti.*

Homicidii judicio subdi jubet furtum violentum, quia prædo videtur ad cædes comparatus. *Nam prædo*, inquit, *etiam homicidii opem adhibet ad propositum obtinendum, ad hoc ipsum se comparans, & armis, & numerosa manu, & opportunitate locorum, adeo ut is homicidarum judicio subjiciatur, si per Pœnitentiam ad Dei Ecclesiam revertatur.*

Sepulchrorum violatio Pœnitentiæ publicæ pariter subdita est, quatenus piaculum fornicationi quodammodo simile videbatur, propter violata defunctorum corpora. Quo de crimine Sanctus Gregorius Nyssenus, ait: *Sed carnis in terram redactæ pulverem perscrutari, & ossa loco movere, spe lucri faciendi ornamenti alicujus, ex iis quæ cum corpore, in eodem judicio condemnatum est, quo simplex fornicatio.*

Denique sacrilegium breviori Pœnitentia plecti dicit, quàm adulterium: atque se nescire quomodo Ecclesia eò lenitatis descenderit: cùm in antiquâ Scripturâ ne cædis quidem condemnatione sacrilegium tolerabilius videretur. Itaque ævo Sancti Gregorii Nysseni sola idololatria, & aliæ infidelitatis species, homicidium, mœchia, & furtum violentum, sepulchrorum violatio, atque sacrilegium, Pœnitentiæ publicæ legibus subjacebant. Non igitur omnibus peccatis mortalibus Pœnitentia publica imponebatur.

Confirmatur ex eodem Patre. Avaritia, usura, furtum occultum, proculdubio mortalia peccata sunt. Nec tamen antiquis Canonibus in istorum criminum reos est animadversum, aut publica ipsis inflicta Pœnitentia est, teste Sancto Gregorio Nysseno, ibidem. *Altera autem Idololatriæ species*, inquit, *sic enim divinus Apostolus avaritiam appellat, nescio quomodo absque ullâ pœna medela à Patribus prætermissa est.* Et infrà: *Quò fit ut hic morbus valde in Ecclesia redundet, & nemo de iis qui ad Clerum adducuntur, inquirat, num qui eo idololatriæ genere polluti sint: sed de iis, quoniam id à Patribus prætermissum est, sufficere existimamus, publicâ doctrinæ ratione, ea, quomodo fieri potest, curare; avaritiæ affectiones, veluti quosdam morbos ex repletione ortos, oratione purgando: solum autem furtum, & sepulchrorum effossionem, & sacrilegium, vitia censemus: quod ex Patrum successione hæc nobis traditio de iis relicta sit: Atqui, apud divinam Scripturam, & redundantia & usura sunt prohibita: & per potentiam ad suam possessionem aliena traducere, etiamsi sub prætextu negotiationis hoc fortasse factum sit.* De furto occulto postea hæc subjungit: *Qui autem occultâ subtractione sibi alienum usurpat, ac deinde per Confessionem peccatum suum Sacerdoti aperit, studio quod circa contrarium illius vitii adhibebit, morbum curabit; res, inquam, suas largiendo pauperibus, ut dum quæ habet profundit, se ab avaritiæ morbo liberum apertè ostendat. Sin autem nihil aliud nisi corpus habeat, jubet Apostolus per corporalem laborem ei morbo fieri medicinam.* Ejus autem hæc verba sunt: *Qui furabatur, jam non furetur: magis autem laboret, operando manibus suis quod bonum est, ut habeat unde tribuat necessitatem patienti.* Cùm itaque avaritia, usura, & furtum occultum, publicæ Pœnitentiæ non essent olim subdita legibus, consequens est Pœnitentiam publicam omnibus peccatis mortalibus impositam non fuisse.

Ephes. 4. 28.

Quæ peccata Pœnitentiæ publicæ obnoxia in Ecclesiis Cappadociæ ætate S. Basilii.

VIII. Probatur Propositio ex Sancto Basilio in tribus Epistolis Canonicis ad Amphilochium, Pœnitentiam publicam Idololatris dumtaxat, homicidis, mœchis, perjuris, sepulchrorum effossoribus furibus convictis, & vatibus, seu divinatoribus, necnon iis qui ipsos consulunt, præscribente: quòd verò cætera peccata mortalia Pœnitentiæ publicæ legibus non subjicerentur olim, constat ex Canone 14. quo usurarios absque Pœnitentiæ publicæ onere absolvit, si pecuniam ex usuris collectam in pauperes erogent; immò & ad Sacerdotium promoveri posse decernit. *Qui usuras accepit, si injustum lucrum in pauperes consumere voluerit, & ab avaritiæ morbo deinceps liberari, ad Sacerdotium admitti potest.*

In quibusdam tamen Ecclesiis usurarii pœnitentiæ publicæ subjacebant, si in eo scelere multùm diuque perseverarent, ut constat ex Canone 20. Concilii Illiberitani.

Confirmatur. Raptus mortale peccatum est, nullo reclamante; sed ante Sanctum Basilium, raptus Pœnitentiâ publicâ non castigabatur: itaque omnia peccata mortalia non subjiciebantur Pœnitentiæ publicæ.

Probatur minor ex illius Canone trigesimo. *De his*

*hic qui rapiunt*, inquit, *Canonem quidem antiquum non habemus, sed propriam sententiam proferimus: ut ipsi, & qui cum eis rapiunt, tribus annis sint extra Orationes.* Denique raptus qui violenter non fit, nihilominus peccatum mortale est, & publicis etiam Legibus vindicatum. Nec tamen publicâ Pœnitentiâ mulctabatur tempore Sancti Basilii (ut constat ex eodem Canone.) *Quod autem violenter non fit*, inquit, *nulli est pœna obnoxium, quando nec stuprum, nec furtum rem præcesserit.* Omnia igitur peccata mortalia publicæ Pœnitentiæ legibus, ex veteris Ecclesiæ Disciplina, non subjiciebantur.

IX Probatur Propositio auctoritate Sancti Augustini Epistola 64. ad Aurelium Episcopum data, in qua testatur, comessationes & ebrietates, etiam quæ fiebant in Templis, in honorem Martyrum, publicâ Pœnitentiâ non castigari; sed tamen comessationes illæ & ebrietates nedum peccata mortalia erant, verùm etiam sacrilegia: itaque omnia peccata mortalia non subjiciebantur publicæ Pœnitentiæ ætate Sancti Augustini.

Omnia peccata mortalia Pœnitentiæ publicæ obnoxia non erant in Ecclesia Africana S. Augustini ætate.

Probatur major Sancti Augustini verbis. *Scias*, inquit, *non desperare nos, immo sperare vehementer quod Dominus & Deus noster per auctoritatem personæ quam geris, multas carnales fœditates, & ægritudines, quas Africana Ecclesia in multis patitur, in paucis gemit, consiliorum gravitate, & tuâ, possit sanare. Cùm enim Apostolus tria breviter genera vitiorum detestanda & vitanda uno in loco posuerit, de quibus innumerabilium vitiorum exurgit seges, unum horum, quod secundo loco posuit, acerrimè in Ecclesia vindicatur, duo autem reliqua, id est primum & ultimum, tolerabilia videntur hominibus, atque ita paulatim fieri potest, ut nec vitia jam putentur. Ait enim Vas Electionis: Non in comessationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitiis, non in contentione & dolo: sed induite vos Dominum Jesum Christum.* (Rom. 13.) *Horum ergo trium, cubilia & impudicitia, tam magnum crimen putantur, ut nemo dignus non modo Ecclesiastico Ministerio, sed ipsa etiam Sacramentorum Communione videatur, qui se isto peccato maculavit. Et rectè omnino. Sed quare solum? Comessationes enim & ebrietates ita concessa & licita putantur, ut in honorem etiam beatissimorum Martyrum, non solum per dies solemnes, quod ipsum quis non lugendum videat, qui hæc non carnis oculis inspicit? sed etiam quotidie celebrentur. Quæ fœditas, si tantùm flagitiosa, & non etiam sacrilega esset, quibuscumque tolerantiæ viribus sustentandam putaremus. Quamquam ubi est illud, quod cùm multa vitia enumerasset idem Apostolus, inter quæ posuit ebriosos, ita conclusit, ut diceret, cum talibus nec panem edere. Sed feramus hæc in luxu, & labe domestica, & eorum conviviorum, quæ privatis parietibus continentur, accipiamusque cum eis Corpus Christi, cum quibus panem edere prohibemur; saltem de sanctorum corporum Sepulchris, saltem de locis Sacramentorum, de domibus Orationum, tantum dedecus arceatur: quis enim audet vetare privatim, quod cùm frequentatur in sanctis locis honor Martyrum nominatur?*

Addit deinde: *Tantam esse pestilentiam hujus mali, ut sanari prorsus nisi Concilii auctoritate non possit*, modúmque præscribit, quo interim coërceatur, qui longè abest à pœnitentia publica. *Non ergo asperè*, inquit, *non duriter, non modo imperioso ista tolluntur; magis docendo, quàm jubendo; magis monendo, quàm minando. Sic enim agendum est cum multitudine; severitas autem exercenda est in peccata paucorum. Etsi quod minamur, cum dolore fiat, de Scripturis comminando vindictam futuram, ne nos ipsi in nostra potestate, sed Deus in nostro sermone timeatur. Ita prius movebuntur spiritales, vel spiritalibus proximi, quorum auctoritate, & lenissimis quidem, sed instantissimis admonitionibus, cætera multitudo frangatur.*

X. Probatur auctoritate ejusdem Sancti Augustini in Enchiridio, cap. octogesimo, ubi testatur, gravia quædam peccata suis temporibus ita vulgaria fuisse, ut nec Laicos illorum reos anathemate plectere, nec Clericos exauctorare Episcopi auderent: illosque cogi ut tolerent crimina, quæ Regnum Dei illa perpetrantibus claudunt. Sed peccata quæ Regnum Dei claudunt, sunt procuidubio mortalia: igitur omnia peccata mortalia Sancti Augustini ætate non subjiciebantur anathemati in Laicis, aut degradatione puniebantur in Clericis. Non erant itaque obnoxia Pœnitentiæ publicæ. Infligebatur enim excommunicatio peccatis, propter quæ Pœnitentia publica agebatur, siquidem Pœnitentes arcebantur à Communione Sacramentorum, & precum. Præterea, quæ peccata castigabantur degradatione in Clericis, Pœnitentiâ publicâ plectebantur in Laicis. Cùm igitur Sanctus Augustinus testetur Clericos, propter illa, de quibus loquitur, peccata, exauctoratos non fuisse; consequens est ut nec propter illa publicæ Pœnitentiæ Laici addicti sint.

Probatur major ipsis Sancti Augustini verbis. *Peccata*, inquit, *quamvis magna & horrenda, cùm in consuetudinem venerint, aut parva, aut nulla esse creduntur: usque adeo ut non solùm non occultanda, verùm etiam jam prædicanda ac diffamanda videantur: quando, sicut scriptum est: Laudatur peccator in desideriis animæ suæ, & iniquus benedicitur. Talis in divinis libris iniquitas clamor vocatur ... Unde est illud in Genesi: Clamor Sodomorum, & Gomorræorum multiplicatus est. Quia non solùm jam apud eos non puniebantur illa flagitia, verùm etiam publicè velut lege frequentabantur. Sic nostris temporibus ita multa mala, etsi non talia, in apertam consuetudinem jam venerunt, ut pro his non solùm excommunicare aliquem Laicum non audeamus, sed nec Clericum degradare. Unde cùm exponerem ante aliquot annos Epistolam ad Galatas, in eo ipso loco ubi ait Apostolus: Timeo vos ne fortè sine causa laboraverim in vobis: exclamare compulsus sum: Væ peccatis hominum, quæ sola inusitata exhorrescimus: usitata verò pro quibus abluendis Filii Dei Sanguis effusus est, quamvis tam magna sint, ut omnino claudi contra sese faciant Regnum Dei, sæpe videndo omnia tolerare, sæpe tolerando nonnulla etiam facere cogimur. Atque utinam, ô Domine! non omnia, quæ non potuerimus prohibere, faciamus.*

XI. Idem evincitur testimonio ejusdem Sanctissimi Doctoris, libro Octoginta trium Quæstionum, Quæstione 26. ubi reos quorumdam peccatorum, quæ ex malitia fiunt, non esse cogendos ad Pœnitentiam luctuosam & lamentabilem, id est, ad Pœnitentiam publicam testatur. Loqui autem ipsum de peccatis mortalibus evidens est, quia peccata illa malitiæ, contraria divinæ bonitati, opponit venialibus, quæ virtuti, aut sapientiæ dumtaxat adversantur, quia infirmitatis tantùm, vel imperitiæ peccata sunt. Omnia igitur peccata mortalia publicæ Pœnitentiæ obnoxia non fuisse, constat ex Sancto Augustino. En ipsius verba: *Alia sunt peccata infirmitatis, alia imperitiæ, alia malitiæ. Infirmitas contraria est virtuti; imperitia sapientiæ; malitia contraria est bonitati. Quisquis igitur novit quid sit virtus & sapientia Dei, potest existimare quæ sint peccata venialia. Et quisquis novit quid sit bonitas Dei, potest existimare quibus peccatis certa pœna debeatur, & hic, & in futuro sæculo. Quibus bene tractatis, probabiliter judicari potest, qui non sint cogendi ad Pœnitentiam luctuosam & lamentabilem, quamvis peccata fateantur: & quibus nulla omnino speranda sit salus, nisi sacrificium obtulerint Deo spiritum contribulatum per Pœnitentiam.*

XII. Probatur ex alio Sancti Augustini loco, ex

libro

libro onoirum de Fide & Operibus, cap. 16. ubi peccata distinguit in ea quæ escuinmunicatione plectenda sunt; in ea quæ Pœnitent à publicâ non sanantur, sed quibusdam correptionum medicamentis, Sacerdote scalicet pœnitentem peccatorem, & secretò coosessum arguente, & pœnitentiam privatim agendam imponente: in ea tandem sine quibus hæc vita non agitur, & quibus quotidianum in Oratione Dominica paratum remedium est. Porro ultimum istud peccatorum genus omnia venialia complectitur. Priora igitur duo genera solis mortalibus constant. Inter mortalia itaque sunt quædam, teste Sancto Augustino, quæ Pœnitentiæ publicæ non subjacent. En integrum Sanctissimi Doctoris testimonium. *Nisi essent quædam ita gravia, ut etiam excommunicatione plectenda sint, non diceret Apostolus: Congregatis vobis, & meo spiritu* (judicavi) *tradere ejusmodi hominem Satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini Jesu. Unde etiam dicit: Ne lugeam multos ex iis qui ante peccaverunt, & non egerunt pœnitentiam super immunditiam & fornicationem quam gesserunt. Item nisi essem quædam non ea humilitate Pœnitentiæ sananda, qualis in Ecclesia datur eis qui propriè Pœnitentes vocantur, sed quibusdam correptionum medicamentis, non diceret ipse Dominus: Corripe eum inter te, & ipsum solum, & si te audierit, lucratus es fratrem tuum. Postremo nisi essent quædam sine quibus hæc vita non agitur, non quotidianam medelam poneret in Oratione quam docuit, ut dicamus: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.*

Denique tempore Sancti Augustini, multi Ecclesiarum Præsules tria tantùm peccata publicæ Pœnitentiæ addicebant, scilicet idololatriam, adulterium, homicidium; pro cæteris verò Deo satisfactum iri eleemosynis asserebant; quorum sententiam Sanctissimus Doctor non approbat quidem sed nec disertè improbat. Id constat ex cap. 19. libri ejusdem de Fide & Operibus: *Qui autem*, inquit, *opinantur & cætera eleemosynis facilè compensari, tria tamen mortifera esse non dubitant excommunicatione punienda, donec Pœnitentiâ humiliore sanentur: impudicitiam, idololatriam, homicidium: neque nunc opus est quærere qualis sit istorum sententia, & utrum corrigenda, an approbanda, ne opus susceptum mittamus in longum, propter eam quæstionem, quæ huic absolvendæ minimè necessaria est.* Non dubito tamen quin Sanctus Augustinus illam opinionem improbaturus esset, cùm ejus ætate multa alia peccata publicâ Pœnitentia plecterentur.

Hæretici olim absque publica Pœnitentia in Ecclesiam recepti.

XIII. Probatur Propositio. Hæresis est peccatum mortale, & quidem gravissimum: atqui Hæretici * olim absque Pœnitentia publica in Ecclesiam recipiebantur, & ejuratis hæresibus statim admittebantur ad communionem. Omnia igitur peccata mortalia non subjiciebantur antiquitùs Pœnitentiæ publicæ.

* De iis Hæreticis loquor, qui in hæresi fuerant instituti, & educati, non de iis qui ab Ecclesia Catholica ad Hæresim defecerant, quos non nescio publicæ Pœnitentiæ fuisse addictos quamvis quandoque Oeconomiâ gratiâ cum illis dispensatum sit de severiore illa disciplina.

Probatur minor ex Concilio Laodiceno, Canone 7. cujus hæc sunt verba: *De his qui ab hæreticis convertuntur, id est, Novatianis, aut Photinianis, aut Thessaradecatitis, sive baptizati sint illi, sive Catechumeni, non ante suscipiantur, quàm omnes hæreses anathematizent, & præcipuè illam quâ detinebantur. Et tunc demum hi, qui apud eos dicebantur fideles, nostra doceantur fidei Symbolum; & uncti sacro Chrismate, sic Mysteriis communicent Sacrosanctis.*

Idem constat ex Sancto Athanasio in Epistola ad Rufinianum, quæ refertur Actione 1. Concilii septimi Oecumenici. *Non modo*, inquit, *Comministris, qui per Græciam passim habitant; verùm etiam in Galliis & Hispania, communi Decreto placuit, ut & hic, & ubique gentium, quicumque lapsi fuissent proprio arbitrio, & antesignani fuissent impietatis, si resipiscerent, ignoscendum quidem illis: verùm non restituendos in Cleri numerum. Qui verò non auctores, sed necessitate, & violentia compulsi fuissent, visum est, illis quidem ignoscendum, & in Cleri locum restituendos.*

Idem constat ex œconomia, qua Ecclesia usa est erga Donatistas ad Ecclesiam redeuntes, quos non solùm ad Communionem absque Poenitentiæ publicæ onere recepit: verùm etiam in Sacerdotii & Episcopatus gradu & honore manere concessit (ut passim testatur Sanctus Augustinus.) Hujus Ecclesiæ consuetudinis testis est & Sanctus Joannes Climacus, Gradu Scalæ suæ 15. *Vir quidam scientissimus*, inquit, *problema terribile quæsivit ex nobis: Quod*, *inquiens*, *peccatum omnibus gravius est, homicidio, Christique abnegatione exceptis? Cùmque illi respondissem, In hæresim labi: Et quonam*, inquit, *modo Catholica Ecclesia Hæreticos quidem, cùm hæresim priorem toto animo repudiaverint, atque anathematizarint suscipit ad Sanctorum Mysteriorum Communionem, & ut idoneos admittit; eum verò qui in fornicationem lapsus fuerit, confitentem, atque peccatum ipsum omnino deferentem, introrsus suscipiens, per annos aliquos eum à venerandis immaculatisque Mysteriis, ex traditione Apostolica, separare permittit?* Ex quibus verbis manifestum est, statim post fidei professionem, nullâ pœnâ impositâ, admissos fuisse ad Communionem hæreticos.

Hujus disciplinæ rationem affert Joannes Abbas Raythu, Sancti Joannis Climaci discipulus, his verbis: *Hæresis quidem malum in anima consistit: fornicatio verò ex electione arbitrii anima malo consentiens, in corpore corruptionis peccatum complevit. Quoniam verò nihil est naturale, quod impugnet eum qui ab errore convertitur, totaliter ex conversione mundatur: qui verò ex fornicatione, tempore indiget, labore, & lachrymis, ut qualificatam & infusam delectationem & plagam concupiscentiæ avertat.*

XIV. Probatur ultimò. Idolothytis vesci, mortale peccatum est, saltem ubi periculum est scandali: sed olim Poenitentiæ publicæ non sunt addicti, qui idolothyta comederant, tempore scilicet Sancti Leonis; ejus igitur ætate omnia peccata mortalia Poenitentiæ publicæ non subjiciebantur.

Probatur minor ipsis Sancti Leonis verbis, Epistola 92. ad Rusticum Narbonensem Episcopum data, cap. ultimo: *Qui convivio solo Gentilium*, inquit, *& escis immolatitiis usi sunt, possunt jejuniis, & manûs impositione purgari: ut deinceps ab idolothytis abstinentes, Sacramentorum Christi possint esse participes. Si autem aut idola adoraverint, aut homicidiis, vel fornicationibus contaminati sunt: ad communionem eos, nisi per Pœnitentiam publicam, non oportet admitti.*

Objectiones ex Tertulliano & S. Cypriano petitæ diluuntur.

Objectio prima nititur auctoritate Tertulliani, lib. de Poenitentia, cap. 4. dicente: *Omnibus ergo delictis, seu carne, seu spiritu, seu facto, seu voluntate commissis, qui pœnam per judicium destinavit, idem & veniam per Pœnitentiam spopondit.* Ex quibus sic colligo. Nullum est peccatum mortale, quod carne, aut spiritu, facto, aut voluntate non committatur: atqui omnia peccata his modis commissa subjiciuntur Poenitentiæ publicæ (teste Tertulliano) Subjiciuntur enim illi Poenitentiæ de qua agit toto illo libro: Hæc autem publica est; *Quæ de ipso quoque habitu atque victu mandat, sacco & cineri incubare, jejuniis preces alere, Presbyteris advolvi, omnibus fratribus legationes deprecationis suæ injungere: quam plerique ut publicationem sui suffugiunt*, quam vocat *Pœnitentiam secundam & unam*, quia semel tantùm



 conceditur

conceditur ( ut constat ex capitibus 8. 9. & 10. ) ergo Tertulliani ætate, omnia peccata mortalia publicæ Pœnitentiæ, in Ecclesia Africana, subjiciebantur.

Confirmatur ex Sancto Cypriano, Epistola 10. dicente: *Nam cùm in minoribus peccatis agant peccatores pœnitentiam justo tempore, & secundum disciplinæ ordinem ad exomologesim veniant, & per manus impositionem Episcopi & Cleri jus communicationis accipiant, &c.* Porro nomine minorum peccatorum, omnia mortalia videtur intellexisse Sanctus Cyprianus. Neque enim venialia his verbis significavit. Omnia igitur peccata mortalia indiscriminatim, in Ecclesia Africana, publicæ pœnitentiæ legibus subjacebant.

Respondeo ad primum: Tertullianum eo loci de Pœnitentia in genere disserere, prout virtus est, omnibus delictis, sive quæ opere perficiuntur, sive quæ sola voluntate committuntur, necessaria: Non verò de Pœnitentia publica: namque agit de Pœnitentia quam Deus præcepit. Porro Deus non præcepit Pœnitentiam publicam vel privatam; sed Pœnitentiam secundùm se & absolutè; quam Ecclesia pro quibusdam peccatis, nimirum pro gravioribus, constituit publicè agendam, pro cæteris verò privatim subeundam sanxit. Id perspicuum est ex iis quæ Tertullianus subjungit eodem in capite, post verba in argumento laudata. *Ergo*, inquit, *Pœnitentia vita est cùm præponitur morti. Eam tu peccator mei similis, immo me minor ( ego enim præstantiam in delictis meam agnosco ) ita invade, ita amplexare, ut naufragus alicujus tabulæ fidem. Hæc te peccatorum fluctibus mersum prolevabit: & in portum divinæ clementiæ protelabit. Rape occasionem inopinatæ fœlicitatis ... Pœniteat errorum, reperta veritate: pœniteat amasse quæ Deus non amat; quando ne nos quidem ipsi, servulis nostris, ea quibus offendimur, non odisse permittimus... De bono pœnitentiæ enumerando diffusa, & per hoc magno eloquio committenda materia est. Nos vero pro nostris angustiis unum inculcamus, bonum atque optimum esse quod Deus præcipit. Audaciam existimo, de bono divini præcepti disputare. Neque enim quia bonum est, idcirco auscultare debemus, sed quia Deus præcepit. Ad exhibitionem obsequii, prior est majestas divinæ potestatis. Prior est auctoritas imperantis, quàm utilitas servientis. Bonum est pœnitere, an non? Quid revolvis? Deus præcipit. At enim ille non præcipit tantùm, sed etiam hortatur. Invitat præmio, salute; jurans etiam: Vivo, dicens, cupit credi sibi. O beatos nos, quorum caussa Deus jurat! O miserrimos, si nec juranti Domino credimus!* Tandem licet à cap. 7. agat potissimùm Tertullianus de Pœnitentia luctuosa & publica, quæ imponebatur semel illis qui post Baptismum in graviora crimina lapsi erant: tamen ab initio libri ad caput 7. loquitur tantùm vel de Pœnitentia generatim sumpta ( ut diximus ) vel de Pœnitentia ante Baptismum, qua scilicet Catechumeni omnia peccata vitæ prioris, sive carnalia, sive spiritualia, sive facto, sive sola voluntate commissa, detestari se palam significabant, & ad eorum per Baptismum abstersionem piis se disponebant operibus. Id constat ex cap. 6. in quo hæc habet: *Quicquid ergo Mediocritas nostra ad Pœnitentiam semel capessendam, & perpetuò continendam suggerere conata est, omnes quidem deditos Domino spectat, ut omnis salutis in promerendo Deo petitores; sed præcipuè Novitiolis istis imminet: qui cùm maximè incipiunt divinis sermonibus aures rigare, quique catuli infantia adhuc recentis, nec perfectis luminibus incerta repant: & dicunt quidem pristinis renuntiare, & Pœnitentiam assumunt, sed includere eam negligunt. Interpellat enim illos ad desiderandum ex pristinis aliquid, finis ipse desiderandi ... Omne præterea cunctationis, & tergiversationis erga Pœnitentiam vitium, præsumptio intinctionis importat. Certi enim indubitatæ veniæ delictorum, medium tempus interim furantur, & commeatum sibi faciunt delinquendi, quàm eruditionem non delinquendi.*

Et infra: *Neque ego renuo, divinum beneficium, id est abolitionem delictorum, inituris aquam omni modo salvum esse; sed ut eò pervenire contingat, elaborandum est. Quis enim tibi tam infidæ Pœnitentiæ viro asperginem unam cujuslibet aquæ commodabit? Furto quidem aggredi, & Præpositum hujus rei asseverationibus tuis circumduci facile est: sed Deus thesauro suo providet, nec sinit obrepere indignos.*

Caput verò septimum sic incipit: *Hucusque, Christe Domine, de pœnitentiæ disciplina servis tuis discere, vel audire contingat, quousque etiam delinquere non oportet audientibus: vel nihil jam de Pœnitentia noverint, nihil ejus requirant. Piget secundæ, immo jam ultimæ spei subtexere mentionem: ne tractantes de residuo auxilio pœnitendi, spatium adhuc delinquendi demonstrare videamur.* Itaque, ad eum usque locum, Tertullianus non egerat de Pœnitentia peccatorum post Baptismum commissorum, sed tantùm de Pœnitentia ante Baptismum, vel de Pœnitentia generatim sumpta, ut virtus est: verba igitur quæ ex cap. quarto objecta sunt, non probant Pœnitentiam publicam universis & singulis peccatis mortalibus impositam fuisse, in Ecclesia Africana, tempore Tertulliani.

Ad confirmationem, respondeo Sanctum Cyprianum, nomine minorum peccatorum, non intellexisse omnia mortalia, sed minora è canonicis, quæ scilicet divinam immediatè non oppugnant majestatem, qualia sunt homicidium, & adulterium. Quorum criminum rei, cùm Pœnitentiam publicam agerent justo tempore, multò magis idololatriæ, quæ omnium peccatorum maximum est, reos, publicam, diuturnam, severamque agere debere Pœnitentiam Sanctus Cyprianus meritò colligit.

XVI. Objicitur secundò. Pœnitentia luctuosa & humillima, qua funguntur, qui propriè vocantur in Ecclesia Pœnitentes, est Pœnitentia publica: sed huic Pœnitentiæ subjiciebantur olim omnia peccata mortalia, saltem in Ecclesiis Africanis, teste Sancto Augustino: itaque omnia peccata mortalia antiquitùs addicebantur Pœnitentiæ publicæ.

Respondetur Objectioni gravissimæ ex Sancto Augustino petitæ.

Probatur minor. Quæcumque peccata Sanctus Augustinus non remitti ait nisi in humilitate majoris Pœnitentiæ, publicæ Pœnitentiæ subjiciebantur: sed peccata quævis mortalia post Baptismum commissa, Sanctus Augustinus non remitti ait nisi in humilitate majoris Pœnitentiæ: igitur, teste Sancto Augustino, quævis peccata mortalia post Baptismum commissa subjiciebantur olim Pœnitentiæ publicæ.

Probatur minor. Quicumque tribus tantùm modis in Ecclesia dimitti peccata asserit, primò Baptismate, secundò Oratione, tertiò humilitate majoris Pœnitentiæ, censet peccata quæ duobus prioribus remediis non curantur, tertio tantùm modo sanari posse, nimirum Pœnitentiæ majoris & publicæ humilitate: sed Sanctus Augustinus tribus modis dimitti peccata in Ecclesia asserit, primò Baptismate, secundò Oratione, tertiò humilitate majoris Pœnitentiæ: censet igitur ea peccata, quæ duobus prioribus modis non sanantur, dimitti dumtaxat tertio remedio. Porro nulla peccata mortalia post Baptismum commissa dimittuntur Baptismate, vel Oratione; quia Baptisma non iteratur, & Oratio sola peccata venialia & quotidiana expungit: igitur omnia peccata mortalia post

post Baptismum commissa, teste Sancto Augustino, Pœnitentiæ publicæ legibus subdebantur.

Tota hæc objectio nititur auctoritate Sancti Augustini tribus in locis, qui certè difficultatem pariunt gravissimam, cujus pondere oppressi viri eruditissimi, sententiam nostræ contrariam propugnant. Quibus assensi fumus, dum stadium Theologicum decurreremus: sed re postea diligentiùs expensa, habita etiam ea de re cum viris eruditis collatione, hanc, quam impræsentiarum tuemur, opinionem probabiliorem amplexi sumus.

Primus autem, quem adversarii proferunt, Sancti Augustini locus petitur ex libro de Symbolo ad Catechumenos, cap. 7. & 8. *Propter omnia peccata*, inquit, *Baptismus inventus est: Propter levia, sine quibus esse non possumus, Oratio inventa. Quid habet Oratio? Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Semel abluimur Baptismate, quotidie abluimur Oratione. Sed nolite illa committere, pro quibus necesse est ut à Christi Corpore separemini; quod absit à vobis. Illi enim quos videtis agere pœnitentiam, scelera commiserunt, aut adulteria, aut aliqua facta immania: inde agunt Pœnitentiam. Nam si levia peccata ipsorum essent, ad hæc quotidiana Oratio delenda sufficeret. Ergo tribus modis dimittuntur peccata in Ecclesia, in Baptismate, in Oratione, in humilitate majoris pœnitentiæ.*

Triplex Pœnitentia.

Secundus Sancti Augustini locus desumptus est ex libro L. Homiliarum, Homilia 27. in qua triplicem rursus distinguit Pœnitentiam: primam competentium, id est ad Baptismum venire sitientium: alteram quotidianam, cujus fundamentum deducit ex illis Orationis Dominicæ verbis: *Dimitte nobis debita nostra*, &c. Tertiam, graviorem & luctuosiorem, seu publicam. Cùm itaque nec D Pœnitentia competentium, nec Pœnitentia quotidiana, quæ in Orationis Dominicæ recitatione posita est, expungant peccata mortalia post Baptismum commissa: sequitur illa Pœnitentiâ tantùm graviore, & luctuosiore, id est publicâ, expiata fuisse, tempore Sancti Augustini, cujus tibi locum & verba repræsento. *Itaque*, ait, *admonemur jam de altera loqui Pœnitentia. Triplicem quippe ejus considerationem in sancta Scriptura esse propositi. Illa prima, Competentium est & ad Baptisma venire sitientium. Hanc de Scripturis sanctis ostendi. Est alia quippe quotidiana. Et ubi illam ostendimus Pœnitentiam quotidianam? Non habeo ubi meliùs ostendam, quam in Oratione quotidiana, ubi dominus orare nos docuit, & quid ad Patrem dicamus, ostendit, & in his verbis posuit: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris... Restat Pœnitentia tertium genus. Est Pœnitentia gravior, atque luctuosior. in qua propriè vocantur in Ecclesia Pœnitentes, etiam remoti à Sacramento Altaris participandi, ne accipiendo indignè judicium sibi manducent, & bibant. Illa verò Pœnitentia luctuosa est, grave vulnus est. adulterium fortè commissum est, fortè homicidium: fortè aliquod sacrilegium. Gravis res, grave vulnus, lethale, mortiferum; sed omnipotens Medicus.*

Tertius locus depromptus est ex eodem libro, Homilia quinquagesima, ubi eodem modo Pœnitentiam dividit, & tertiam Pœnitentiæ actionem, quæ publica est, ait esse illius Pœnitentiæ, quæ pro illis peccatis subeunda est, quæ Legis Decalogus continet, & de quibus Apostolus ait; *Quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt*. Sed omnia peccata mortalia Legis Decalogo prohibentur, & de omnibus dictum est; *Qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt*. Ergo actioni Pœnitentiæ publicæ omnia peccata mortalia, tempore Sancti Augustini, subdebantur. En Sancti Augustini verba, cap 2. 3. & 4. illius Homiliæ. *Tres sunt*, inquit, *actiones Pœnitentiæ, quas mecum vestra eruditio recognoscit. Sunt enim usitatæ in Ecclesia Dei, & diligenter attendentibus notæ. Una est, quæ novum hominem parturit, donec per Baptismum salutare omnium præteritorum fiat ablutio peccatorum..... Altera verò Pœnitentia est, cujus actio per totam istam vitam, qua in carne mortali degimus, perpetua supplicationis humilitate subeunda est... Tertia actio est Pœnitentiæ, quæ pro illis peccatis subeunda est, quæ Legis Decalogus continet, & de quibus Apostolus ait: Quoniam qui talia agunt, Regnum Dei non possidebunt.*

Respondeo, nego minorem primi & secundi Syllogismi; tertii verò majorem distinguo; Quicumque tribus tantùm modis dimitti peccata asserit, censet ea quæ duobus prioribus remediis non curantur, tertio tantùm sanari posse: Si revera alium modum non admittat quo peccata curari ac deleri possint, concedo: si aliud remedium ad remissionem peccatorum in Ecclesia agnoscat, nego. Porro Sanctus Augustinus, cùm peccata tribus modis in Ecclesia dimitti scribit, in Baptismate scilicet, in Oratione, in humilitate majoris Pœnitentiæ; alium modum, seu aliud remedium non excludit, nec adhibet ibi particulam exclusivam, tantùm, aut æquivalentem. Quod si quæras quisnam sit alius ille modus? Respondeo illum erui ex aliis Sancti Augustini locis, quæ huic ex libro de Symbolo ad Catechumenos lucem afferunt, præsertim vero ex libro de Fide & Operibus cap. 26. ubi ait, quædam esse peccata *ita gravia, ut excommunicatione plectenda sint*. Et hæc sunt peccata canonica, quæ publicæ Pœnitentiæ addicebantur. Quædam non *ea humilitate Pœnitentiæ sananda, qualis in Ecclesia datur eis qui propriè Pœnitentes vocantur, sed quibusdam correptionum medicamentis*; & hæc sunt peccata mortalia quidem, sed non ita gravia, quæ privatâ Pœnitentiâ curantur, Sacerdote secretò corripiente Peccatorem, qui apud ipsum peccata deponit, ac postea ipsum absolvente. Nam Sanctum Augustinum per correptionum medicamenta intellexisse Pœnitentiam Clavium, & de illa intellexisse hæc verba Christi, *Corripe eum inter te & ipsum solum*, constat ex illius loci serie. Addit enim tertium genus peccatorum, *sine quibus hæc vita non agitur*, *& quorum quotidianam medelam posuit Christus in Oratione quam docuit*. Hæc autem sunt venialia peccata, quibus remmittendis necessariæ non sunt Ecclesiæ Claves. Priora itaque sunt mortalia, quamvis non ita gravia ut excommunicatione feriantur. Porro illa correptionum medicamenta, quibus dicta peccata curari scribit Sanctus Augustinus, non sunt sola verba correctionis fraternæ, à quocumque illa correctio adhibeatur. Omnibus enim incumbit officium corripiendi fratrem, id est, Christianum peccantem; nec tamen omnibus data potestas est remittendi peccata. Igitur illa medicamenta correptionum intellexit Sanctus Augustinus de correptione Peccatoris facta à Sacerdote Sacramentum Pœnitentiæ administrante; illaque verba, *Corripe illum inter te & ipsum solum*, retulit ibi ad Pœnitentiam Clavium, propter verba Christi huic Præcepto immediatè adjuncta Matth. 18. *Amen dico vobis, Quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cœlo: & quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cœlo.*

Pœnitentia clavium.

Quòd autem non omnia peccata mortalia, sed graviora dumtaxat in ordine mortalium publicæ Pœnitentiæ subjecta fuerint Sancti Augustini tempore, constat ex illis verbis: *Illi enim, quos videtis agere Pœnitentiam, scelera commiserunt, aut adulteria, aut aliqua facta immania: inde agunt Pœnitentiam.*

Cur verò Pœnitentiam publicam ibi in exemplum adduxerit Sanctus Augustinus, potiùs quàm privatam, ratio in promptu est. Cùm enim ad Catechumenos sermonem haberet, proferendi erant in exemplum remissionis peccatorum Ecclesiæ concreditæ, modi quibus dimittuntur in Ecclesia peccata, Catechumenis notiores. Hi autem erant Baptismus quem mox erant suscepturi, & de cujus virtute ad omnia peccata abstergenda erudiebantur; Oratio Dominica, quam edocebantur, & cujus recitationi assuescebant; & Pœnitentia publica, cujus lugubris apparatus quotidie versabatur ipsis ob oculos: siquidem Pœnitentes cum ipsis audiebant Verbum Dei, & cum illis ex Ecclesia dimittebantur, ne Sacrificio interessent. Privatam autem Poenitentiam non ita noverant. Unde Sanctus Augustinus illius non meminit eo loci.

Ad secundum Sancti Augustini locum respondeo, illum in Homilia 27. laudata significare tertiam speciem Poenitentiæ, quam graviorem & luctuosiorem vocat, impositam non fuisse quibusvis peccatis mortalibus, sed gravioribus tantùm in mortalium ordine, puta idololatriæ, homicidio, adulterio, sacrilegio, aut aliis hujusmodi. Perspicua sunt ejus verba, nec alium sensum præ se ferunt. *Illa vero Pœnitentia luctuosa est*, inquit, *grave vulnus est: adulterium fortè commissum est, fortè homicidium, fortè aliquod sacrilegium. Gravis res, grave vulnus, lethale, mortiferum, sed omnipotens Medicus.* Quin etiam ibidem significat hujusmodi Pœnitentiam imponi tantùm gravioribus illis peccatis postquam fuerint opere consummata, non autem cùm interna tantùm delectatione & consensione commissa fuerint, nec eruperint exteriùs, aut executioni fuerint mandata. Statim enim post verba laudata subjungit: *Jam post suggestionem facti, & delectationem, consensionem, & perpetrationem, quasi quatriduanus mortuus putet: sed nec ipsum Dominus deseruit, sed clamavit: Lazare, prodi foras. Cessit voci misericordia moles sepultura: cessit mors vita, cessit infernus superno. Elevatus est Lazarus, processit de tumulo: & ligatus erat, sicut sunt homines in confessione peccati agentes Pœnitentiam. Jam processerunt à morte, nam non confiterentur nisi procederent. Ipsum confiteri, ab occulto & à tenebroso procedere est. Sed quid Dominus Ecclesiæ suæ? Quæ solveritis*, inquit, *in terra, soluta erunt & in cœlo. Proinde Lazaro procedente, quia implevit Dominus misericordia sua bonum, perducere ad Confessionem mortuum latentem, patentem, jam cætera implet Ecclesia mysteria: Solvite illum & sinite abire.* Denique his verbis privatam etiam Poenitentiam innuit, in qua peccatores procedunt à morte, confitendo peccata; & vitam gratiæ recipiunt.

Ad tertium locum Sancti Augustini, respondeo, hæc ipsius verba, *Tertia est actio Pœnitentiæ, quæ pro illis peccatis subeunda est, quæ Legis Decalogus continet*, &c. non significare Poenitentiam publicam, sed Poenitentiam Clavium, quæ privata vel publica est. Agit namque contra quosdam, qui Poenitentiam detrectabant, & propter solam Christi fidem se salvos fore confidebant, absque clavibus Ecclesiæ, licet mortaliter peccassent. Hos ad amplectendam Poenitentiam Sanctus Augustinus adhortatur, quia peccatorum mortalium rei Regnum Dei non consequentur. Porrò significat Sanctus Augustinus, Sacramentorum Præpositos, in satisfactione imponenda, gravitatis criminum rationem habuisse, & quosdam peccatores addixisse publicæ Poenitentiæ, quorum nempe crimina in grave aliorum scandalum vergebant; & quando publicam hujusmodi Poenitentiam utilitati Ecclesiæ conducere, & in exemplum Fidelium cedere judicabant Antistites.

A Sequitur ergo quòd si hæ rationes abessent, peccata quævis mortalia Poenitentiâ publicâ non castigabantur. Et certè si lege lata, vel consuetudine Ecclesiastica, universa peccata mortalia publicæ Poenitentiæ subdita fuissent, ex Antistitum nutu, arbitrio, prudentia, non pependisset quædam luctuosæ illi Poenitentiæ subjicere, cætera sine illa per Ecclesiæ Claves remittere. Sed audire præstat Sancti Augustini verba. *Implicatus ergo quis*, inquit, *tam mortiferis vinculis peccatorum, detrectat, aut differt, aut dubitat confugere ad ipsas Claves Ecclesiæ, quibus solvatur in terra, ut sit solutus in cœlo: & audet sibi post*
B *hanc vitam, quia tantùm Christianus dicitur, salutem aliquam polliceri, nec veridicum illud Dominicæ vocis tonitruum contremiscit: Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum; sed qui facit voluntatem Patris mei qui in cælis est, ipse intrabit in regnum cælorum. Quid ad Galatas dicit Apostolus? Nonne talia enumerans, eodem fine concludit? Manifesta sunt*, inquit, *opera carnis, quæ sunt fornicationes, immunditiæ, luxuria, idolorum servitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, animositates, dissensiones, hæreses, invidiæ, ebrietates, comessationes, & his similia, quæ prædico vobis, sicut*
C *prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt. Judicet ergo seipsum homo in istis voluntate, dum potest, & mores convertat in melius; ne cùm jam non poterit, etiam præter voluntatem à Domino judicetur. Et cùm ipse in se protulerit severissimæ medicinæ, sed tamen medicinæ sententiam, veniat ad Antistites, per quos illi in Ecclesia Claves ministrantur, & tanquam bonus jam incipiens esse filius, maternorum membrorum ordine custodito, à Præpositis Sacramentorum accipiat satisfactionis suæ modum; ut in offerendo sacrificio cordis contribulati devotus & supplex, id tamen agat, quod non solùm illi prosit ad re-*
D *cipiendam salutem, sed etiam cæteris ad exemplum. Ut si peccatum ejus non solùm in gravi ejus malo, sed etiam in tanto scandalo est aliorum: atque expedire utilitati Ecclesiæ videtur Antistiti, in notitia multorum, vel etiam totius plebis, agere pœnitentiam non recuset, non resistat, non lethali & mortiferæ plagæ, per pudorem, addat tumorem.*

Ex his Sancti Augustini verbis, *In notitia multorum, vel etiam totius plebis*, colligitur duplex fuisse in Ecclesia Africana publicæ Poenitentiæ genus. Alteram partim privatam, partim publicam, alteram omnino publicam. Prima in conspectu selecto-
E rum hominum agebatur, qui illius testes erant, & de ea referebant ad Antistites: secunda in conspectu totius Ecclesiæ. In prima non erant tot gradus percurrendi, nec tanta solemnitas: in secunda percurrebantur statuti gradus, & ritu solemni agebatur. Primam qui egerant, privatim reconciliabantur ab Episcopo, vel à Sacerdote, de mandato Episcopi; vel certè in conspectu illorum qui Poenitentiæ testes fuerant: secundâ qui fuerant functi, publicè reconciliabantur in Ecclesia ante absidem, illisque, toto Fidelium spectante cœtu, manus ritu solemni imponebantur. Prior Poenitentia gravioribus peccatis è numero mortalium infligebatur,
F quamvis occulta essent. Secunda publicis tantùm, & quæ universa Ecclesia noverat. Eam Disciplinam in Ecclesia Africana viguisse, non solùm prolata Sancti Augustini verba insinuant, sed etiam Concilium Carthaginense Tertium, anno Christi 397. celebratum, cui Sanctus Augustinus aderat, Canone 32. quo statutum est, *Ut Presbyter, inconsulto Episcopo, non reconciliet Pœnitentem, nisi absente Episcopo, & necessitate cogente. Cujuscumque autem Pœnitentis, publicum, & vulgatissimum crimen est, quod universa Ecclesia noverit, ante absidem ei manus imponatur.*

Denique S. Augustinum de Poenitentia Clavium loqui,

loqui, cùm ait illam agendam esse pro illis peccatis quæ Legis Decalogus continet, & quorum rei Dei regnum non possidebunt, non verò de Pœnitentia publica tantùm, constat rursus ex fine Homiliæ, in qua hæc habet: *Sed sac incertum esse, utrum ignoscat Deus. Quid perdit, cùm supplicat Deo, qui salutem perdere non dubitavit, cùm offenderet Deum? Quis enim certus est, quòd etiam Imperator ignoscat? Et tamen pecunia funditur, maria transmeantur, procellarum incerta subeuntur; & penè ut mors evitetur, mors ipsa suscipitur. Supplicatur deinde per homines homini, sine dubitatione finus ista, cùm sit dubium quo fine proveniant: & tamen certiores sunt Ecclesiæ Claves, quàm corda Regum; quibus Clavibus quodcumque in terra solvitur, etiam in cœlo solutum promittitur. Et multò est honestior humilitas, quâ se quisque humiliat Ecclesiæ Dei; & labor minor imponitur; & nullo temporalis mortis periculo mors æterna vitatur.*

XVII. Contra. Sanctus Augustinus omnia peccata quæ Legis Decalogus continet, & de quibus ab Apostolo dictum est, *Qui talia agunt, Regnum Dei non possidebunt*; illi Pœnitentiæ subjecit, in qua homo per Ecclesiasticam Disciplinam ab Eucharistia separabatur: *Per Ecclesiasticam Disciplinam*, inquit, *à Sacramento cœlestis panis interim separetur.* Sed Pœnitentia in qua homo ab Eucharistia separabatur, erat publica: omnia igitur peccata quæ Legis Decalogus continet, quorumque rei Dei Regnum non possidebunt, subjiciebantur Pœnitentiæ publicæ.

Respondeo, distinguo minorem: Pœnitentia in qua homo separabatur ab Eucharistia, secundùm præscripta Canonum, & per Antistitum sententiam, concedo: in qua separabatur ab Eucharistia sponte, & humiliter parendo præcepto, vel consilio Sacerdotis, apud quem peccata deposuerat, nego. Namque hæc viguit, & viget etiamnum in Ecclesia Disciplina, cujus periti probique Confessarii observantissimi sunt, ut qui peccatis mortalibus inquinati sunt & in ea frequentiùs relabuntur, à Communione Dominici Corporis aliquantisper arceantur, donec dignos Pœnitentiæ fructus ostenderint, & salubri satisfactione fuerint purgati. Nec tamen illis imponitur Pœnitentia publica. Hunc esse Sancti Augustini sensum constabit locum integrum legentibus, & expendentibus. *In hac ergo Pœnitentia*, inquit, *majorem quisque in se severitatem debet exercere, ut à seipso, judicatus, non judicetur à Domino.... Ascendat itaque homo adversum se tribunal mentis suæ...... Atque ita constituto in corde judicio, adsit accusatrix cogitatio, testis conscientia, carnifex timor. Inde quidam sanguis animi confitentis per lachrymas profluat. Postremò ab ipsa mente talis sententia proferatur, ut se indignum homo judicet participatione Corporis & Sanguinis Domini: ut qui separari à regno cælorum timet per ultimam sententiam Summi Judicis, per Ecclesiasticam Disciplinam à Sacramento cælestis Panis interim separetur. Versetur ante oculos imago futuri judicii; ut cùm alii accedunt ad Altare Dei, quò ipse non accedit, cogitet quàm sit contremiscenda illa pœna quâ percipientibus aliis vitam æternam, alii in mortem præcipitantur æternam.*

XVIII. Contra. Omne peccatum excommunicatione dignum, Pœnitentiæ publicæ olim subjiciebatur: sed omne peccatum mortale à Sanctis Patribus judicatum est excommunicatione dignum: Omne igitur peccatum mortale publicæ Pœnitentiæ subjiciebatur antiquitus.

Probatur minor ex Sancto Augustino Epistola 108. ad Seleucianam data, ubi triplicem distinguit Pœnitentiam: prima est *quam agunt homines ante Baptismum de suis prioribus peccatis.* Secunda,

A quæ agitur de peccatis post Baptismum commissis. Tertia Justorum, de qua scribit: *Est etiam Pœnitentia bonorum & humilium Fidelium penè quotidiana, in qua pectora tundimus, dicentes: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Neque enim ea nobis dimitti volumus, quæ dimissa non dubitamus in Baptismo: sed illa utique, quæ humanæ fragilitati, quamvis parva, tamen crebra subrepunt.* De secunda verò sic loquitur: *Agunt etiam homines Pœnitentiam, si post Baptismum ita peccaverint, ut excommunicari, & postea reconciliari mereantur: Sicut agunt in omnibus Ecclesiis illi,*
B *qui propriè Pœnitentes appellantur.* Ergo quicumque post Baptismum mortaliter peccaverant, excommunicatione plectebantur, & addicebantur Pœnitentiæ publicæ.

Respondeo nego minorem. Ad auctoritatem verò Sancti Augustini respondeo, Ipsum eo loci unam tantùm speciem Pœnitentiæ, quæ post Baptismum agitur, recensere, scilicet Pœnitentiam publicam, cui adjuncta erat excommunicatio: aliam verò, scilicet privatam, quam agunt illi qui tam horrenda peccata non commiserunt, ut excommunicatione plectantur, premere silentio. Quod illa
C in Epistola consultò fecit, quia contra Novatianum hominem agebat, de quo ad ipsum scripserat Seleuciana, qui negabat post Baptismum dari Pœnitentiæ locum, & Apostolos dedisse Pœnitentiam pro Baptismo asserebat, ita ut ante Baptismum eam dederint, atque ii quibus data sit, postea non fuerint baptizati, quia eis illa pro Baptismo fuit. Illius hominis errorem ubi retulit Sanctus Augustinus, ait dubitare se utrum Novatianus sit, an ex aliqua alia secta: quia nescit utrum Novatiani eum errorem propugnaverint, & id nusquam de illis
D audivit. Addit deinde, Illam assertionem, *Cujuscumque sit, à regula Fidei Catholicæ, & à doctrina Christi, & Apostolorum prorsus alienam esse*: quia non solùm ante Baptismum, verùmetiam post Baptismum, agitur Pœnitentia in Ecclesia, prout eam agendam Apostoli prædicarunt & constituerunt. Pœnitentiam quæ agitur ante Baptismum, nec tamen illius necessitatem impedit, aut vim & efficaciam supplet, colligit ex Concione Sancti Petri ad Judæos Actuum 2. dicentis; *Agite Pœnitentiam, & baptizetur unusquisque vestrûm in nomine Domini Jesu Christi, & dimittentur vobis peccata vestra.* Pœnitentiam quæ agitur de peccatis commissis
E post Baptismum, probat ex omnium Ecclesiarum disciplina, in quibus graviorum peccatorum rei Pœnitentiam publicè agebant: & solum publicæ Pœnitentiæ exemplum profert, quæ & notior erat hæreticis, & ejus exemplum ad frangendam Novatiani hominis pervicaciam accommodatius. Novatiani enim omnium quidem peccatorum mortalium, sed maximè graviorum veniam ab Ecclesia concedi non posse contendebant, & irremissibilia esse crimina post Baptismum commissa. Retundebatur autem ille error argumentum petito ex disciplina in Ecclesiis omnibus observata, in qui-
F bus, qui post Baptismum tam graviter peccaverant ut excommunicari mererentur, subjiciebantur Pœnitentiæ publicæ, & eâ perfuncti, Deo & Ecclesiæ reconciliabantur ab Antistitibus.

Cæterùm quædam peccata mortalia Sanctum Augustinum agnovisse, quibus non infligeretur ab Ecclesia excommunicatio, constat ex libro de Fide & Operibus, capite penultimo, ubi ait: *Nisi essent quædam ita gravia, ut excommunicatione plectenda sint, non diceret Apostolus: Congregatis vobis, &c. Item nisi essent quædam non ea humilitate Pœnitentiæ sananda, qualis in Ecclesia datur eis qui propriè Pœnitentes vocantur, sed quibusdam correptionum medicamentis, non diceret ipse*

 Dominus:

*Dominus : Corripe eum inter te*, &c. Ex quibus verbis constat, esse quædam peccata mortalia non ita gravia, ut excommunicatione plectenda sint.

Idem constat ex Enchiridii cap. 65. ubi hæc habet : *Sed neque de ipsis criminibus quamlibet magnis remittendis in sancta Dei Ecclesia, Dei desperanda est misericordia agentibus Pœnitentiam secundum modum sui cujusque peccati. In actione autem Pœnitentiæ, ubi tale crimen commissum est, ut is qui commisit, à Christi etiam Corpore separetur, non tam consideranda est mensura temporis, quàm doloris. Cor enim contritum & humiliatum Deus non spernit. Verum quia plerúmque dolor alterius cordis occultus est alteri, neque in aliorum notitiam per verba, vel quacumque alia signa procedit, cùm sit coram illo cui dicitur : Gemitus meus à te non est absconditus : rectè constituuntur ab iis, qui Ecclesiæ præsunt, tempora Pœnitentiæ, ut fiat etiam satis Ecclesiæ, in qua remittuntur ipsa peccata.* Ex quibus verbis colligitur, esse aliqua peccata mortalia, quæ nomine criminum significantur, propter quæ à Christi Corpore non separantur Fideles, alia propter quæ separantur : quia peccatoribus imponitur Pœnitentia secundùm modum sui cujusque peccati, aliis publica, aliis verò privata.

XIX. Contra. Pro quolibet crimine imponebatur antiquitùs Pœnitentia publica ( ut colligitur ex Sancto Eligio Homilia 5. & ex Sancto Cæsario Arelatensi, Homilia 8. ) Atqui omne peccatum mortale, crimen est : omni igitur peccato mortali imponebatur olim publica Pœnitentia.

Probatur minor ex Sancto Augustino, in Enchiridio, Cap. 64. dicente : *Neque enim quia peccatum est omne crimen, ideo crimen est etiam omne peccatum. Itaque sanctorum hominum vitam, quamdiu in hac morte vivitur, inveniri posse dicimus sine crimine : Peccatum autem si dixerimus quoniam non habemus, nosmetipsos seducimus, & veritas in nobis non est.*

Respondeo distinguo majorem. Pro quolibet crimine gravissimo, & canonico, concedo ; pro quolibet crimine absolutè, nego. Distinguo etiam minorem. Omne peccatum mortale crimen est, si cum veniali peccato conferatur, concedo ; si comparetur cum gravioribus peccatis, quæ infamiam pariunt peccanti, scandalum Ecclesiæ, detrimentum proximo, quorum rei à sacris Ordinibus arcentur, propter quæ coram Ecclesiæ Tribunali accusari peccator potest, nego. Illa enim dumtaxat peccata, quibus hi caracteres conveniunt absolutè crimina à Patribus appellantur. Sic à Sancto Augustino Tractatu 41. in Joannem, crimen definitur, *Peccatum grave, accusatione & damnatione dignissimum.* Hinc advertit ibidem, Apostolum Paulum, *Quando elegit ordinandos, vel Presbyteros, vel Diaconos, & quicumque ordinandus ad Præposituram Ecclesiæ, non dixisse, Si quis sine peccato est : hoc enim si diceret, omnis homo reprobaretur, nullus ordinaretur :* Sed dixisse ; *Si quis sine crimine est, sicut est homicidium, adulterium, aliqua immunditia fornicationis, furtum, fraus, sacrilegium & cætera hujusmodi.*

Sic Paulus Orosius in Apologia, manifestè distinguit inter peccatum & crimen, & ait, *Peccatum cogitatione concipi ; crimen nonnisi actu ostendi.* At certum est multa peccata cogitationis esse mortalia, quamvis actu numquam ostendantur. Itaque omne peccatum mortale, secundùm Orosium, non est crimen.

Denique Sanctus Thomas ea notione criminis nomen à Sancto Paulo usurpatum testatur in Epistola ad Titum Cap. 1. cùm Presbyterorum dotes describens, ait : *Si quis sine crimine est. Dicendum est* ( inquit Angelicus Doctor Lectione 2. Commentarii in illam Epistolam ) *Quod aliud est crimen, & aliud est peccatum. Peccatum dicitur quodcumque, sive magnum, sive parvum, sive occultum. Crimen autem, magnum & infame. Psal. 14. Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo ? &c. Et postea subdit : Qui ingreditur sine macula, &c. Non quòd qui mortaliter peccat post Baptismum non possit eligi : sed quòd eligendus non sit infamis.* Et Lectione 1. in Cap. 3. Epistolæ 1. ad Timotheum, explicans illa verba, *Oportet Episcopum irreprehensibilem esse : Nec est dicendum*, inquit, *sicut aliqui dixerunt, quòd, quicumque peccavit mortaliter post Baptismum, non est idoneus : quia pauci essent tales : sed irreprehensibilis, id est, non subjectus alicui peccato, unde ab aliis reprehendi possit : quia indecens est, si reprehensibilis sit reprehensor.*

XX. Objectio tertia nititur auctoritate S. Eligii Noviomensis Episcopi, Homilia 8. ubi distinguit peccata in duas tantùm classes : in prima collocat venialia, quæ *Minuta* appellat ; In altera mortalia, quæ *Capitalia* nuncupat *crimina*. Docet autem hæc Pœnitentiæ publicæ obnoxia fuisse. Et Homilia 13. alloquens Pœnitentes, duplex tantùm genus peccatorum recenset : altera appellat, *Graviora facinora*, propter quæ Pœnitentiæ publicæ addicti sunt. Altera nuncupat, *Quotidiana minorum peccatorum vulnera* : Quæ eleemosynarum, & orationum remediis curantur. Atqui capitalium criminum, & graviorum facinorum nomine omnia mortalia complexus est Sanctus Eligius, cùm illa venialibus opposuerit : omnia igitur peccata mortalia Pœnitentiæ publicæ subjiciebantur.

Respondeo, nego Minorem. Nam Sanctus Eligius horrenda quædam, & fœtida crimina his nominibus designavit, cùm de publicis Pœnitentibus ageret : nec venialium peccatorum meminit, quasi venialia essent quæcumque publicâ non castigabantur Pœnitentiâ ; sed ut ostenderet Pœnitentes semel reconciliatos solis minorum peccatorum vulneribus obnoxios esse debere, nec in mortale usquam labi peccatum ; quod nemo Christianus vitare non tenetur. *Videte ergo*, inquit, *ut gravia facinora, quæ fallente Diabolo commisistis, eam gemitibus & suspiriis, quamdiu vixeritis, lugeatis : & quomodo non deerunt vobis quotidiana peccatorum minorum vulnera ; sic nunquam desint eleemosynarum, & orationum remedia. Diem mortis semper præ oculis habete : & qui usque hodie in publica Pœnitentia cilicio induti fuistis, induite deinceps sobrietatem, abstinentiam, temperantiam.*

S. Eligius omnia peccata mortalia publicæ Pœnitentiæ subdita fuisse non probat, sed graviora quædam crimina.

Cæterùm Sanctum Eligium agnovisse Pœnitentiam privatam pro peccatis mortalibus, quæ ita gravia & horrenda non essent, constat ex Homilia 13. ubi postquam publicos Pœnitentes allocutus est, ad cæterorum Fidelium cœtum orationem ita convertit : *Vos etiam, fratres, post exhortationem quam habuimus ad Pœnitentes, mecum admoneo, ut unusquisque nostrùm recurrat ad conscientia sua secreta, & interroget semetipsum qualiter per totum annum, maximè his sacris diebus conversatus est. Et si invenerit in corde suo spinas & tribulos delictorum, studeat auxiliante Deo, quantocyus evellere, & evellendo eradicare ; hisque eradicatis, fodiat vomere salutari, ac stercora, id est, bona opera immittat, ut possit facere fructum : &, si vel hodie puriter confessus, ac devote conversus fuerit, ut valeat dignus interesse Solemnitati præsentis diei, quæ quia Dominus in ea cum Apostolis suis cœnavit, Cœna vocatur. Videat summopere ut Sacramenta Corporis & Sanguinis Domini dignè recipere queat, quatenus potius salutem, quàm damnationem*

*tionem sibi acquirat. Lavet priùs lacrymis pedes cordis, & postea pedes pauperis, quia peccatorum vita jam indigua esse non potest, quæ fletibus lavatur.*

Et Homilia 8. postquam præmisit, *Aliud esse mutare vitam, aliud tolerare vitam*, quòd *mutare vitam, est à capitalibus criminibus abstinere: tolerare, est, minuta peccata, sine quibus esse non possumus, eleemosynâ quotidianâ redimere*: sic Fideles omnes alloquitur: *Mundemus nos ab omni inquinamento carnis ac spiritus, ne ab æterno, (quod absit) nec ab illo igne transitorio exuramur; de quo igne judicii Dei Apostolus ait: Uniuscujusque opus quale sit, ignis probabit.... Illum ergo diem* (extremi judicii) *totâ intentione cogitemus, vitam corrigamus; mores mutemus; mala tentantia resistendo vincamus; perpetrata autem fletibus puniamus, &c.* Supponit itaque Sanctus Eligius inter Fideles quosdam fuisse carne & spiritu inquinatos & capitalia etiam crimina perpetrasse, propter quæ non transitorio dumtaxat igne Purgatorii, sed æterno inferni exuri mererentur, qui tamen ad Pœnitentiam publicam detrusi non erant, sed fletibus, & mutatione vitæ, & bonis operibus illa peccata poterant expiare, pœnitentiam privatim agentes, & peccata illa Confessione Sacramentali eluentes (ut ipse uberiùs exponit Homilia 11.)

Post hæc, ad publicè Pœnitentes orationem convertit suam Sanctus Eligius, eosque his verbis alloquitur. *Nunc ad vos sermo noster dirigitur, quos Mater Ecclesia, quasi non suos recognoscens, ob fœditatem scelerum vestrorum dudum à se repulit, &c.* Quibus verbis non omnia peccata mortalia, sed fœtida quædam scelera, seu graviora dumtaxat in ordine mortalium, publicæ Pœnitentiæ addicta fuisse, evidenter innuit.

S. Cæsarii Arelatensis sententia & illustratur Disciplina Pœnitentialis expositur.

XXI. Objectio quarta nititur auctoritate Sancti Cæsarii Arelatensis Homilia 1. ubi omnia peccata mortalia post Baptismum commissa, publicæ Pœnitentiæ addicta fuisse disertè testatur. *Si levia sunt fortasse delicta*, inquit, *verbi gratia, si homo vel in sermone, vel in aliqua reprehensibili voluntate, si oculo peccavit, aut corde, verborum, & cogitationum macula quotidiana oratione curanda, & privata compunctione terenda sunt. Si verò quisque conscientiam suam interrogans, facinus aliquod capitale commisit; aut si fidem suam falso testimonio expugnavit ac prodidit, aut sacrum veritatis nomen perjurii temeritate violavit; si veram Baptismi tunicam, & speciosam virginitatis holosericam cœno commaculati pudoris infecit; si in semetipso novum hominem nece hominis occidit; si per augures, & divinos, atque incantatores, captivum se diabolo tradidit: hæc & ejusmodi commissa expiari penitus communi & mediocri, licet secreta satisfactione non possunt.*

Et Homilia octava, quæ Sancto etiam Augustino inscribitur, & extat inter Sermones ejus de Sanctis 41. postquam distinxit peccata in capitalia, & minuta, id est, in venialia & mortalia, recensuitque varias amborum species, ac denique proposuit opera quibus peccata venialia expiantur, & redimuntur, de mortalium expiatione hæc subjungit: *Pro capitalibus verò criminibus non hoc solum sufficit, sed addenda sunt lacrymæ, & rugitus & gemitus, continuata & longo tempore procrastinata jejunia, largiores eleemosynæ, etiam plusquam nos ipsi valere possumus, eroganda, ultrò nos ipsos à communione Ecclesiæ removentes, in luctu & tristitia multo tempore permanentes, & Pœnitentiam etiam publicè agentes.* Pœnitentia igitur publica pro quibusvis peccatis mortalibus infligebatur tempore Sancti Cæsarii Arelatensis, id est, quinto Sæculo cadente, & sexto ineunte.

Respondeo, Sanctum Cæsarium Arelatensem in priori loco, nomine levium delictorum non intelligere sola venialia, adeóque nec facinorum capitalium nomine designare omnia mortalia peccata. Nam in exemplum levium delictorum affert omnia peccata quæ, *Sermone, aut aliqua reprehensibili voluntate, quæ oculo, aut corde* committuntur. Constat autem plurima ex illis esse mortalia. Unde non dicuntur *levia delicta*, nisi quatenus cum iis, quæ in ordine mortalium graviora sunt, ac ideo *Capitalia* dicuntur *facinora*, conferuntur, qualia sunt homicidium, mœchia, perjurium, falsum testimonium, &c. Cùm igitur verborum, & cogitationum maculæ quotidiana oratione terantur, si veniales sint; & privata insuper compunctione, id est, pœnitentiâ privatim actâ, per Ecclesiæ claves dimittantur, si sint lethales; sequitur omnia peccata mortalia, ejus ætate, non fuisse obnoxia Pœnitentiæ publicæ, sed ab ejus legibus excepta saltem fuisse peccata quæ sola cogitatione, voluntate, aspectu, vel sermone committerentur; si sermone tamen illo non læderetur immediatè divinus honos, vel grave detrimentum proximo inferretur, ut in blasphemia, perjurio, & falso testimonio.

Præterea; illa solùm peccata subdita fuisse Pœnitentiæ publicæ, quæ publicam in lucem facilè erumpere, & gravem offensionem Fidelibus creare poterant, cujusmodi solùm erant peccata externa, & quorum infamia comes est, constat ex his Sancti Cæsarii verbis eodem in loco: *Hæc & ejusmodi commissa, expiari penitus communi & mediocri, licet secretâ satisfactione non possunt: sed graves caussæ graviores & acriores publicas caussas requirunt: ut qui cum plurimorum afflictione se perdidit, simili modo cum plurimorum ædificatione se redimat.*

Ad secundum locum respondeo. Sanctum Cæsarium vel loqui de Pœnitentia publica sponte suscepta, ad quam agendam omnes peccati mortalis reos, esto, adhortetur: Non verò de Pœnitentia publica ea Ecclesiæ lege, & disciplina imposita, ut innuere verba illa videntur: *Ultro nos ipsos à communione Ecclesiæ removentes.* Vel, Pœnitentiam publicam subeundam velle Sanctum Cæsarium pro peccatis in genere mortalium gravioribus, prout mox explicuimus. Quod patet ex ratione qua Pœnitentiam pro illis criminibus publicè agendam persuadet: *Et Pœnitentiam*, inquit, *etiam publicè agentes: quia justum est, ut qui cum multorum destructione se perdidit, cum multorum ædificatione se redimat.*

XXII. Contra. Sanctus Cæsarius Arelatensis Homilia 8. Capitalia peccata enumerans, quæ subinde Pœnitentiâ publicâ expianda esse censet, inter illa collocat *superbiam, invidiam, avaritiam, iracundiam, si longo tempore teneatur; ebrietatem, si assidua sit, & detractionem.* Non igitur sola graviora, sed mortalia quælibet subjiciebantur Pœnitentiæ publicæ tempore Sancti Cæsarii.

Respondeo, distinguo antecedens: Illa enumerat inter peccata capitalia, ut ostendat illa igne Purgatorio expiari non posse, sed æterna flamma in inferno puniri, concedo; ut ostendat illa Pœnitentiæ publicæ subjici, nego. Itaque Sanctus Cæsarius ibi contra quosdam agit, qui falsò sibi persuadebant crimina mortalia igne Purgatorio purgari posse, & ostendit erroneam esse illorum opinionem, & lethalium criminum reos igne illo transitorio purgandos non fore, nisi diuturnâ pœnitentiâ crimina expiaverint. Sed ne leviter quidem publicam ibi Pœnitentiam innuit. En ejus verba. *Multi sunt qui lectionem istam* (Apostoli nimirum 1. Cor. 3. dicentis) *Si quis superædificat super fundamentum hoc aurum, argentum, lapides pretiosos, &c. malè intelligentes, falsa securitate decipiuntur, dum credunt quod cùm supra fundamentum Christi crimina capitalia ædificant, peccata ipsa per ignem transitorium*

*sitorium possunt purgari & ipsi postea ad vitam perpetuam pervenire. Intellectus iste, Fratres charissimi! corrigendus est, quia ipsi se seducunt, qui sibi blandiuntur. Illo enim transitorio igne, de quo dixit Apostolus: Ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem, non capitalia, sed minuta peccata purgantur..... Et quamvis Apostolus capitalia plurâ commemoraverit, nos tamen ne desperationem facere videamur, breviter dicemus quæ illa sint: sacrilegium, homicidium, adulterium, falsum testimonium, furtum, rapina, superbia, invidia, avaritia, & si longo tempore teneatur, iracundia; ebrietas, si assidua sit, & detractio, in eorum numero computantur. Quicumque enim aliqua de illis peccatis in se dominari cognoverit, nisi dignè (si habuerit spatium) longo tempore Pœnitentiam egerit, & largas eleemosynas erogaverit, & à peccatis ipsis abstinuerit, illo transitorio igne, de quo dixit Apostolus, purgari non poterit, sed æternâ illâ flammâ sine ullo remedio cruciabitur.*

Præterea, dato quòd omnia illa peccata publicæ Pœnitentiæ subjecisset Sanctus Cæsarius, non sequeretur quòd omnia mortalia illi Pœnitentiæ addixisset. Nam ebrietas, quamvis assidua non sit, mortale peccatum est; quæ tamen à Pœnitentiæ publicæ legibus immunis erat (teste Cæsario.)

XXIII. Objectio quinta nititur auctoritate Sancti Fulberti Carnotensis Episcopi Sermone 2. ad populum, dicente: *Cecidimus per nostram culpam, non solum in peccata, sed etiam in crimina, propter quæ peccatores ab Ecclesia separantur, qualia sunt homicidia, adulteria, fornicationes, sacrilegia, rapina, falsa testimonia, superbia, invidia, avaritia, diutina iracundia, ebrietas assidua.* Sed crimina propter quæ peccatores ab Ecclesia separantur, Pœnitentiæ publicæ obnoxia sunt: ergo tempore Sancti Fulberti, etiam peccata interiora, scilicet superbia, & invidia, Pœnitentiæ publicæ addicebantur.

Respondeo, Sanctum Fulbertum his verbis non innuere; quòd propter omnia illa, quæ recenset peccata, segregarentur ab Ecclesia peccatores; sed quòd Christiani ad quos loquebatur, in varia peccata incidissent, quorum quædam ita gravia erant, ut propter illa peccatores ab Ecclesia separarentur, ut homicidia, adulteria, fornicationes, sacrilegia, rapinæ, falsa testimonia.

Respondeo secundò; Omnia peccata enumerata à Fulberto Carnotensi & quævis alia crimina mortalia, homines ab Ecclesia separare internâ separatione, sed non externâ. In Ecclesia namque Christi spiritu non sunt, quotquot Christo capiti Ecclesiæ per charitatem non conjunguntur: *Nec ita sunt in domo Dei, ut etiam sint ipsi eadem domus Dei; sed ita sunt in domo, ut non pertineant ad compagem domûs, nec ad societatem fructiferæ, pacificæque justitiæ.* Uno verbo mali intra Ecclesiam *carnaliter & animaliter vivunt; sed spiritaliter separati sunt,* (ut ait Sanctus Augustinus libro 4. de Baptismo contra Donatistas Cap. 41.) Sic itaque Fulbertus propter omnia illa peccata separati ab Ecclesia peccatores dixit. Unde non est consequens, ut illa publicæ Pœnitentiæ censuerit addicenda. Quin immo ex eodem loco colligitur plurima ex illis privatâ Pœnitentiâ dumtaxat expiari solita fuisse tunc temporis: quæ ut peccatoribus pro modo criminum imponatur, ipsos remittit ad Sacerdotes. *Quapropter*, inquit, *necessarium est inprimis crimini finem dare; deinde verò commissa delere per Pœnitentiam, per eleemosynam, per orationem. Modum Pœnitentiæ vobis constituent Sacerdotes*, &c.

Denique Fulbertus Carnotensis in Breviculo duplici Pœnitentiarum, (quod post illius Epistolas & Sermones extat Tomo 3. Bibliothecæ Patrum Editionis Margatini B gnæi) non imponit publicam Pœnitentiam nisi homicidio & mutilationi membrorum, variis mœchiæ speciebus, divinorum consultationi, sacrilegio, perjurio, & juramento contra pacem. Adversùs odii pertinacis reus excommunicationem quidem decernit, sed publicam non infligit illis Pœnitentiam. Mulieres verò ob hæc præterea crimina mulctari statuit Pœnitentiâ publica, scilicet ob initum cum duobus fratribus matrimonium; ob interemptum, vel excussum fœtum, ob filios inter dormiendum oppressos; vel casu ex matris negligentia mortuos, vel si, per ejus incuriam, sine Baptismo decesserint. Nullum certè in his Breviculis de superbia, invidia, avaritia, iracundia, ebrietate, publica Pœnitentia castigandis, aut puniendis anathemate, vestigium.

Adde quòd tempore Sancti Fulberti mos Pœnitentiæ publicæ pro criminibus occultis imponendæ jam exoleverat. Immò ab anno septingentesimo, jam antiquari Disciplina illa cœpta est, ut sequenti Dissertatione ostendemus. Obiit autem Sanctus Fulbertus anno MXXVIII.

XXIV. Objectio sexta petitur ex Gennadio libro de Ecclesiasticis Dogmatibus, Cap. 53. ubi peccata quævis mortalia post Baptismum commissa, publicâ Pœoitentiâ eluenda esse scribit. *Quamvis quis peccato mordeatur*, inquit, *peccandi n·u habeat de cætero voluntatem, & communicaturus satisfaciat lachrymis & orationibus, & confidens de Domini miseratione, qui peccata piæ Confessioni donare consuevit, accedat ad Eucharistiam intrepidus & securus. Sed hoc de illo dico, quem capitalia & mortalia peccata non gravant. Nam quem mortalia crimina post Baptismum commissa premunt, hortor priùs publica Pœnitentia satisfacere, & ita Sacerdotis judicio reconciliatum, Communioni sociari: si vult non ad judicium & condemnationem sui Eucharistiam percipere.*

Respondeo, Gennadium consulere Poenitentiam publicam pro mortalibus peccatis, ut quid conveniens; non imponere ut quid necessarium: *Hortor priùs*, inquit, *publica Pœnitentia satisfacere.* Sed non negat quin secreta etiam satisfactione, & privata Poenitentia expiari possint, & suo tempore frequentiùs fuerint expiata. *Sed & secreta*, inquit, *satisfactione solvi mortalia crimina non negamus, sed mutato priùs sæculari habitu, & confesso religionis studio per vitæ correctionem, & jugi, imo perpetuo luctu miserante Deo, ita dumtaxat ut contraria pro iis quæ pœnitet, agat, & Eucharistiam omnibus Dominicis diebus supplex submissus, ad mortem usque, percipiat.*

## SCHOLION.

Ex ista Dissertatione Num. 12. seu pag. 277. primæ Editionis, Religiosi Censores hanc Propositionem in Indiculo suo notant: *Cum multitudine non est severitas exercenda.*

R. De comessationibus & ebrietatibus per Africam in Cœmeteriis & Memoriis Martyrum specie Religionis frequentari solitis, & de prava illa consuetudine abolenda scribebat *Sanctus Augustinus* ad *Aurelium* Carthaginensem Episcopum: *Non asperè, non duriter, non modo imperioso ista tolluntur, magis docendo, quàm jubendo, magis jubendo quàm minando. Sic enim agendum est cum multitudine: Severitas autem exercenda est in peccata paucorum.* Hunc Sancti Augustini locum tantùm retuli, de meo nihil addidi. An Regula Disciplinæ à Sancto Augustino tradita Religiosis Censoribus damnatione digna videtur?

QUÆSTIO

## QUÆSTIO II.

### De Peccatis occultis, in ordine ad Pœnitentiam publicam.

### ARTICULUS I.

*Utrum primis Ecclesiæ Sæculis peccata occulta, si graviora essent, subjicerentur Pœnitentiæ publicæ?*

### PROPOSITIO I.

*Sex prioribus Ecclesiæ Sæculis, peccatis etiam occultis Pœnitentia publica infligebatur.*

PRobatur primò argumento generali. Veteres Canones Pœnitentiam publicam imponunt graviorum criminum reis, nec distingunt uspiam inter crimina publica, & occulta: atqui inter utraque distinxissent, si occulta subdita non fuissent publicæ Pœnitentiæ legibus: occulta itaque publicæ Pœnitentiæ etiam subjiciebantur. Major constat ex Veterum Canonum, & Conciliorum lectione.

Probatur secundò ex Sancto Basilio in Epistola Canonica ad Amphilochium Canone 34. cujus hæc sunt verba; *Adulterio pollutas mulieres, & confitentes ob pietatem, vel quomodocumque convictas, publicare quidem Patres nostri prohibuerunt, ne convictis mortis caussam præbeamus. Eas autem stare sine Communione jusserunt, donec impleretur tempus Pœnitentiæ.*

Ibi agi de crimine occulto perspicuum est, ipsique publicam infligi Pœnitentiam, leviorem tamen quàm gravitas criminis postularet, ne ingenuæ mulieres in adulterii suspicionem venirent, si gradus omnes humillioris Pœnitentiæ percurrere cogerentur.

Probatur tertiò ex Sancto Ambrosio libro 1. de Pœnitentia, cap. 16. dicente: *Si quis igitur occulta crimina habens, propter Christum tamen studiosè Pœnitentiam egerit: quomodo isthic recipit, si ei Communio non refunditur? Volo veniam reus speret, petat cum lacrymis, petat cum populi totius fletibus, ut ignoscatur obsecret: & cum secundò & tertiò dilata fuerit ejus Communio, credat remissiùs se supplicasse.* Hîc certè agitur de criminibus occultis & peccatoribus qui ipsa perpetrarint, differtur nihilominus Communio, & publica injungitur Pœnitentia.

Probatur quartò ex Innocentio primo Pontifice Maximo, Epistola 2. ad Victricium Rothomagensem Episcopum data, capite 12. ita decernente: *Item quæ Christo spiritaliter nupserunt, & velari à Sacerdote meruerunt, si postea vel publicè nupserint, vel se clanculò corruperint, non eas admittendas esse ad agendam pœnitentiam* (supple decernimus) *nisi is cui se junxerant, de sæculo recesserit. Si enim de omnibus hæc ratio custoditur, ut quæcumque vivente viro alteri nupserit, habeatur adultera, nec ei agendæ Pœnitentiæ licentia concedatur, nisi unus ex eis fuerit defunctus; quantò & illa magis tenenda est quæ ante immortali se Sponso conjunxerat, & postea ad humanas nuptias transmigravit?* Ex his constat, Victricium quæstionem proposuisse Innocentio Summo Pontifici de modo Pœnitentiæ imponendæ Monialibus quæ occultè corruptæ fuerant, an scilicet mors furtivi corruptoris expectanda esset ut Pœnitentiæ subjicerentur, sicut expectabatur in ea conjunctione quæ nuptiarum publicâ figurâ cohonestata fuerat. Non dubitabat itaque Victricius, quin publica Pœnitentia mulctandæ etiam essent, quorum stuprum occultum erat. Quid vero Innocentius? Respondet non esse admittendas ad agendam Pœnitentiam nisi post mortem corruptoris, sive crimen publicum sit, sive occultum. *Si postea vel publicè nupserint, vel se clanculò corruperint.* Quod argumento est occulta etiam crimina Pœnitentiæ publicæ tunc temporis obnoxia fuisse. Ibi namque agi de Poenitentia publica certum est: cùm eodem modo, iisdemque verbis imponendam Poenitentiam decernat Monialibus palam nubentibus, & clam corruptis. Nemo autem dixerit privatam dumtaxat Poenitentiam publico incestui impositam fuisse.

Probatur quintò ex Sancto Augustino, libro 50. Homiliarum, Homilia quinquagesima, ubi de Pœnitentia publica agens, hæc habet: *Nemo arbitretur, Fratres, propterea se consilium salutiferum hujus debere Pœnitentiæ contemnere, quia multos fortè advertit & novit ad sacra Altaris accedere, quorum talia crimina non ignorat. Multi enim corriguntur, ut Petrus; multi tolerantur, ut Judas; multi nesciuntur, donec veniat Dominus, qui illuminet abscondita tenebrarum & manifestet consilia cordium. Nam plerique propterea nolunt alios accusare, dum se per illos cupiunt excusare. Plerique autem boni Christiani propterea tacent, & sufferunt aliorum peccata, quæ noverunt, quia documentis sæpe deseruntur; & ea quæ ipsi sciunt, Judicibus Ecclesiasticis probare non possunt. Quamvis enim vera sint quædam, non tamen Judici facilè credenda sunt, nisi certis indiciis demonstrentur.* Ex quibus colligitur, peccatorum etiam occultorum reos publicæ addictos fuisse Pœnitentiæ, cùm vel à complicibus, vel ab aliis, ad Episcopos deferebantur, & eorum crimina probabantur. Addit Sanctus Augustinus: *Nos vero à Communione prohibere quemquam non possumus, quamvis hæc prohibitio nondum sit mortalis, sed medicinalis: nisi aut sponte confessum: aut in aliquo sive sæculari, sive Ecclesiastico judicio, nominatum, atque convictum. Quis enim utrumque sibi audeat assumere, ut cuiquam ipse sit & accusator & Judex?* Ex quibus sic colligo: Prohibere à Communione, secundùm phrasim Sancti Augustini, est Pœnitentiam publicam injungere: atqui non solùm prohibebantur à Communione, publicorum peccatorum, verùm etiam occultorum rei: cur enim opus fuisset ut reus illa sponte confiteretur? Itaque non publica solùm, verùm etiam occulta peccata, publicæ Pœnitentiæ obnoxia erant, primis Ecclesiæ Sæculis.

Probatur sextò ex Sancto Leone, Epistola 92. ad Rusticum Narbonensem data, cap. ultimo. Ubi ita decernit: Si qui *Idola adoraverunt, aut homicidiis, aut fornicationibus contaminati sunt, ad Communionem eos, nisi per Pœnitentiam publicam non oportet admitti.* Certè si homicidia illa, de quibus loquitur Sanctus Leo, publica fuissent, capitali supplicio, secundùm sæculi leges fuissent vindicata; proinde Pœnitentiæ publicæ non obnoxia. De homicidiis igitur occultis loquitur Sanctissimus Pontifex, quæ non poterant ad forum civile deduci.

Confirmatur ex Epistola ejusdem Sancti Pontificis 80. ad Episcopos Campaniæ data, quâ publicam quidem occultorum peccatorum Confessionem, ad quam Pœnitentes illa in Provincia adstringebantur, improbat, abrogatque, ut *præsumptionem contra Regulam Apostolicam:* At verò publicam eorumdem Pœnitentiam intactam relinquit. *Removeatur*, inquit, *tam improbabilis consuetudo, ne multi à Pœnitentiæ remediis arceantur, dum aut erubescunt, aut metuunt inimicis suis sua facta reserare, quibus possunt Legum Constitutione percelli. Sufficit enim illa Confessio, quæ primùm Deo offertur, tum etiam Sacerdoti, qui pro delictis Pœniten-*

*tium precator accedit. Tunc enim demum plures ad Pœnitentiam poterunt provocari, si populi auribus non publicetur conscientia confitentis.* Sanctum Leonem de peccatis occultis, & de Pœnitentia publica agere perspicuum est. Cur enim illi, quorum consuetudinem improbat, publicam occultorum criminum Confessionem præcepissent, si privatâ dumtaxat Pœnitentiâ castigassent illos, qui crimina ejusmodi perpetraverant? Certè Confessio publica Pœnitentiæ publicæ necessitatem infert. Crimina enim palam prolata, ex occultis publica evadunt; ideóque sunt publicè corripienda, & vindicanda. Cùm itaque Sanctus Leo nihil in praxi Episcoporum Campaniæ reprehendat præter Confessionis publicæ morem; Pœnitentiam verò, quam illi capitalibus criminibus clam commissis, sed palam confessis imponebant, sartam tectam relinquat: hinc evidenter colligitur, solemnem fuisse in Ecclesia morem, ut pro peccatis occultis Pœnitentia publica ageretur.

Probatur ultimò. Pro quibus peccatis Clerici majores deponebantur, aut in Monasteria detrudebantur, vel recludebantur in aliis locis ad agendam Pœnitentiam; pro iisdem, Laicis imponebatur publica Pœnitentia: sed Clerici majores propter peccata etiam occulta deponebantur, si illa confessi essent, vel de iis per accusatores, sive delatores convicti; & recludebantur in Monasteriis, vel in locis privatis ad agendam Pœnitentiam: igitur, propter occulta etiam peccata, laici addicebantur Pœnitentiæ publicæ.

Probatur minor duobus exemplis celeberrimis. Primum est Potamii Bracarensis Episcopi, qui cùm datâ Epistolâ ad Patres in Concilio Toletano X. congregatos, anno Christi 656. se occultissimæ fornicationis reum confessus esset; propter quam jam novem mensium spatio à muniis Episcopalibus abstinuerat, & Pœnitentiæ causâ in quodam se recluserat ergastulo; Episcopatu abdicatus est à Patribus, servato illi solo nomine honoris, & perpetuæ Pœnitentiæ officiis, ærumnisque addictus. In ejus verò Sedem suffectus est, in ipso Concilio, Fructuosus Dumiensis Ecclesiæ Episcopus. Ista constant ex Decreto Concilii Toletani X. pro Potamio Episcopo.

Alterum exemplum est Genebaldi Laudunensis Episcopi, quod 30. circiter annis ante istud Concilium Toletanum contigit. Refert illud Hincmarus Remensis Archiepiscopus in Vita Sancti Remigii Remensis etiam Archiepiscopi. Res ita se habet. Genebaldus vir nobilis, pius & eruditus, Sancti Remigii neptem in matrimonium duxerat: postea, relicta conjuge, Vitam Monasticam professus est: inde Laudunensium Episcopus à Sancto Remigio creatus. Antistitem uxor frequentiùs invisere cœpit. Suscitati sunt ex mutuo colloquio & cohabitatione pristini amores. Gravida mulier filium suscepit. Id cùm denuntiari Genebaldo curasset, confusus & dolens nuntio dixit: *Quia latrocinio, ut lateret homines, quod Deum latere non potuit, in cubiculi absconso generatus est, rectè vocabitur Latro, sic ei nomen imponat.* Addit Hincmarus: *Et quia culpa hominibus non innotuit, ne suspicio inde procederet, si se à solita visitatione fœmina illa subtraheret, cœpit ut antea domum frequentare Episcopi. Unde factum est ut iterum laberentur, & ex eorum commixtione filia nasceretur, cui Vulpecula nomen inditum.* Tandem Genebaldus seriò ad Deum conversus, advocato Sancto Remigio, stolam de collo suo tollere, & ad pedes ejus procidere volens, nisi Sanctissimus Antistes prohibuisset; maximis cum fletibus peccatum confessus, Pœnitentiam ab illo suscepit penè publicam. Nam, ut refert Hincmarus, *Facta mansiuncula, cum lecto, in modum sepulchri, & parvissimis fenestellis, ac Oratorio, Genebaldum in ea*

A *reclusit.* Curam interim gerebat Laudunensis Ecclesiæ Sanctus Remigius, non secus ac Remensis, & toto septennio unam Dominicam Remis, alteram Lauduni celebrabat, in illisque Ecclesiis Episcopalia munia alternis obibat. Septimo tandem anno, in vigilia Cœnæ Domini, Genebaldo in Oratione pernoctanti Angelus apparuit, eique dixit: *Suscepit Dominus Pœnitentiam tuam, & dimissum est peccatum tuum: surge, & hinc egredere, facque Ministerii Episcopalis officium, & reconcilia Domino Pœnitentes.* Ipse autem Angelo respondit, se egredi non posse, quia domunculæ clavim Sanctus Remigius abstulerat, ostiumque sigillo suo

B signaverat. Cui reposuit Angelus: *Ut non dubites me à Domino missum: sicut patet tibi cœlum, sic & ostium istud patebit.* Et statim, sigillo & cera salvis, ostium reseratum est. Ex his duobus exemplis colligitur, Majores Clericos propter peccata etiam occulta deponi solitos, vel in ergastulis quibusdam, Pœnitentiæ causâ recludi: adeóque laicos, propter peccata etiam occulta, publicæ Pœnitentiæ addictos fuisse.

Objicitur primò, Sanctus Augustinus Homilia 50. non damnat ad Pœnitentiam publicam, nisi

C eum *Cujus peccatum non solùm in gravi ejus malo, sed etiam in scandalo est aliorum.* Et Sanctus Cæsarius Arelatensis Homilia 1. & Homilia 8. Pœnitentiæ publicæ non addicit nisi illum, *Qui cum plurimorum afflictione, vel cum multorum destructione se perdidit.* Sola itaque peccata publica Sanctorum Augustini, & Cæsarii ætate, Pœnitentiæ publicæ subjiciebantur.

Respondeo, nego consequens. Potest enim aliquod peccatum esse in scandalum aliorum, & in afflictionem, aut destructionem multorum vergere, etiamsi non sit publicum: imò fere nulla sunt peccata mortalia, quæ non sint in scandalum aliorum, verbi gratiâ complicis, servorum, amicorum, fa-

D miliæ, vicinorum. Nam ut peccatum sit publicum non sufficit ut aliquibus notum sit: sed requiritur præterea ut legitimè convinci possit reus in judicio sæculari, vel Ecclesiastico, ut disertè tradit Sanctus Augustinus.

Objectio secunda petitur ex Concilio Carthaginensi 3. Canone 32. decernente, ut *Cujuscumque Pœnitentis publicum & vulgatissimum crimen est, quod universa Ecclesia noverit, ante Absidem ei manus imponatur.* Sed quibus tam solemni ritu manus imponebatur, illi publicam Pœnitentiam

E agebant: propter sola igitur peccata publica, & vulgatissima crimina, publica Pœnitentia imponebatur.

Respondeo, distinguo minorem: Illi Pœnitentiam agebant solemniorem concedo; illi soli agebant Pœnitentiam publicam, nego. Lucem huic distinctioni afferunt verba antecedentia: *Presbyter inconsulto Episcopo non reconciliet Pœnitentem, nisi absente Episcopo, & necessitate cogente.* Post quæ verba immediatè sequitur altera pars Canonis, concepta verbis in objectione laudatis: *Cujuscumque autem Pœnitentis publicum & vulgatissimum crimen est,*

F &c. Unde ex totius Canonis serie constat, duo peccatorum genera Pœnitentiæ publicæ subdita fuisse, occulta scilicet, ac publica: porro publicorum dumtaxat proprium fuisse, ut illorum reis ante Absidem, id est, in patenti singulis Fidelibus loco, manus imponeretur.

Objicitur tertio. Si Pœnitentia publica reis occultorum criminum imposita fuisset, Confessionis sigillum fuisset reseratum. Notum enim erat quibus peccatis tot annorum Pœnitentia infligeretur, aut saltem nonnisi illam non imponi, nisi pro gravioribus. Neminem verò latet, violari Confessionis sigillum, si à Sacerdote Pœnitentia

Pœnitens graviorum criminum reus verbis vel factis insinuatur. Cùm itaque summa semper fuerit in Ecclesia sigilli illius religio, consequens est occultorum criminum reis impositam non fuisse Pœnitentiam.

Respondeo; nego majorem. Ratiò est, quia multi graviorum licet criminum puri, Pœnitentiam publicam pietatis causâ amplectebantur, & sedulò obibant; ut constat ex facto Wambæ Gothorum Hispanorum Regis, sanctitate insignis, qui Pœnitentiam publicam sibi imponi æger postulavit, eaque, cùm ex morbo convaluisset, perfunctus est, regno ad Ervigium Principem translato, ut refert Concilium Toletanum Duodecimum, Canone 1. utque narrat etiam Lucas Tudensis. Eadem Ecclesiæ consuetudo probatur ex Concilio Toletano XIII. Canone 1. quo Gaudentii Valeriensis Episcopi Consultationi respondent Patres. Hic pœnitentiam æger susceperat, illâque perfunctus, cùm in pristinam sanitatem restitutus esset, dubitabat utrum Sacerdotii & Episcopatus sui munia sibi liceret obire. Ea de re consuluit Episcopos Toleti congregatos. Illis visum est, *Ut reconciliatione præmissa, soliti Ordinis retineret officia.* Rationem sui responsi reddunt Patres his verbis: *Si enim regula præcedentium Patrum eos qui pœnitentiam in discrimine mortis accipiunt, & nulla de se manifesta scelera confitentur (si adsit tamen in his & talibus probitas morum) ad Ecclesiasticos Gradus pervenire permittunt, quantò magis at hi qui in ipso Sacerdotio constituti Pœnitentiam accipiunt, à sui Ordinis officio non retrahantur? Tantùm si se ipsi mortalium criminum professione propria non notarunt.* Ex quibus colligitur, nullam ex publica Pœnitentia pro criminibus occultis, creatam fuisse peccatoribus infamiam, nec potuisse certò colligi quòd graviorum facinorum rei essent, quia luctuosam illam Pœnitentiam subibant; quia nesciebatur an forsan pietatis causâ illam suscepissent. Deinde, sententiâ latâ non addicebantur Pœnitentiæ publicæ occultorum criminum rei, sed Sacerdotum, apud quos peccata deponebant, privato mandato, cui cùm sese subjicerent, ipsorum peccata non revelabantur, ipsis invitis: revelabantur autem in genere, non in specie.

## PROPOSITIO II.

*Mos ille imponendi Pœnitentiam publicam pro peccatis occultis, septimo Sæculo exolevit.*

Probatur primò ex Venerabili Beda, qui Sæculo 7. ineunte florebat. Is enim in libello de Remediis peccatorum, cap. 7. non obscurè distinguit inter crimina Clericorum publica & occulta, & utrisque convenientem assignat Pœnitentiam. *Si Presbyter*, inquit, *vel Diaconus, vel Monachus, uxorem duxerit in conscientia populi, deponatur. Si adulterium perpetraverit cum ea, & in conscientiam populi devenerit, projiciatur extra Ecclesiam, & inter laicos pœniteat, quamdiu vixerit.* Evidens est, in conscientiam populi venire, idem esse ac notum effici populo, qui publici caracter criminis est.

Confirmatur ex capite primo ejusdem libri, ubi Confessarios monens ne eidem vitio eamdem semper Pœnitentiam imponant, hæc habet: *Non omnibus in una eademque libra pensandum est, licet in uno constringantur vitio, sed discretio sit in unoquoque eorum, hoc est, inter divitem & pauperem, sed liberum, servum, infantem, &c. Voluntate, vel in casu; in publico, vel in abscondito, &c.* Eadem habet Ecbertus Eboracensis Archiepiscopus creatus anno Christi 731. in Pœnitentiali suo.

Probatur secundò ex libro 5. Capitularium, cap. 52. in quo hæc habentur: *Si occultè & sponte confessus fuerit, occultè fiat; & si publicè ac manifestè convictus, aut confessus fuerit, publicè ac manifestè fiat, & publicè coram Ecclesia juxta Canonicos pœniteat gradus.* Ita etiam statutum est in Concilio Liptinensi, anno 743.

Probatur tertiò ex Isaaco Lingonensi Episcopo, qui Collectionem se adornasse testatur eorum Canonum, quos Galliarum Episcopi cum Sancto Bonifacio Moguntino Archiepiscopo condiderunt sub annum 742. quosque Zacharias Pontifex Maximus Apostolica Auctoritate confirmavit. Ex iis hunc Canonem refert Collectionis suæ Titulo 3. cap. 9. *Mulier habens virum, si adulterium perpetraverit, & occultè ad Confessionem venerit, septem annis pœniteat ..... Si cujus uxor adulterium perpetraverit, & hoc à viro deprehensum fuerit, & publicatum, dimittat uxorem, si voluerit, propter fornicationem: illa vero, secundùm quòd superius insertam est, publicè agat Pœnitentiam.* Et Titulo 6. cap. 2. adversùs raptores bonorum proximi hanc Pœnitentiæ legem latam describit: *Si publicè actam fuerit, publicam inde agat Pœnitentiam, juxta sanctorum Canonum sanctionem. Si verò occultè, Sacerdotum consilio ex hoc agat Pœnitentiam.*

Probatur quartò ex Concilio Arelatensi 6. quod anno 813. celebratum est, & ex Concilio Remensi, quòd eodem anno celebratum fuit. Primùm quidem Canone 26. hæc habet: *Qui publico crimine convicti sunt, rei publicè judicentur, & Pœnitentiam agant, secundùm Canones.* Alterum verò Canone 31. decernit, *Ut discretio servanda sit inter Pœnitentes qui publicè, & qui absconsè pœnitere debent.*

Probatur quintò ex Concilio Cabilonensi, anno 813. Canone 25. quo statuitur, auxilium postulandum ab Imperatore, ut publici Peccatores Pœnitentiam publicam obire cogantur. En verba Canonis: *Pœnitentiam agere, juxta antiquam Canonum Constitutionem, in plerisque locis ab usu recessit, & neque excommunicandi, neque reconciliandi, antiqui moris ordo servatur; ut à Domino Imperatore impetretur adjutorium, qualiter si quis publicè peccat, publicâ mulctetur Pœnitentia, & secundùm ordinem Canonum pro merito suo excommunicetur, & reconcilietur.* Hoc ipso quòd de publica Pœnitentia pro peccatis dumtaxat publicis decernunt Lugdunensis Provinciæ Episcopi, innuunt privatam solùm Pœnitentiam impositam fuisse pro occultis.

Probatur sextò ex Concilio Moguntino, quod sub Rabano celebratum est, anno 847. Canone 31. *Discretio*, inquit, *servanda est inter Pœnitentes, qui publicè, & qui absconsè pœnitere debent. Nam qui publicè peccat, oportet ut publica mulctetur Pœnitentia.*

Probatur septimò ex Burchardo Wormatiensi Episcopo, qui libro 19. Collectionis suæ, cap. 36. ex antiquo Authore, quem nomine Sancti Augustini refert, hæc habet: *Si quis incestum occultè commiserit, & Sacerdoti occultè Confessionem egerit, indicetur ei remedium canonicum, quod subire debuisset, si ejus facinus publicatum fuisset. Verum, quia latet commissum, detur ei à Sacerdote consilium, ut saluti animæ suæ pro occulta sua Pœnitentia proficiat.*

Probatur octavò ex antiquis Sacramentariis, & Pœnitentialibus, in quibus inter crimina publica & occulta, quoad modum & ritum agendæ Pœnitentiæ, manifestum discrimen videre est, ut in antiquissimo Sacramentario Romano, quod non diu ante annum septingentesimum scriptum est. In Capite enim Quadragesimæ, & in Cœna Domini, extat in

eo, *Ordo agentibus Pœnitentiam publicam.* Ut quid porro sic inscriberetur, nisi alius esset erga privatam Pœnitentiam agentes observandus?

Probatur ultimò ex Pœnitentiali * Theodori Cantuariensis Archiepiscopi, ante annum 690. exarato; in quo Græcæ Ecclesiæ morem, qui diu ante ejus ætatem invaluerat, secutus, publicam publicis criminibus Pœnitentiam; occultis verò privatam imponit. Ex illo itaque Pœnitentiali, mos Græcorum in imponenda Pœnitentia publicâ pro publicis peccatis, privatâ verò pro occultis in Anglicanam Ecclesiam traductus est.

* Theodorus Monachus Græcus, Tharsi Ciliciæ natus, Episcopus à Vitaliano Pontif. Max. ordinatus est, missusque in Britanniam. Cantuariensem Ecclesiam rexit annis 21. & 4. insuper mensibus. obiit anno 690. De eo legatur Venerabilis Beda libro 4. Hist. Anglor. cap. 1. & 2.

Respondetur objectionibus Jacobi Parv.

Postquam hæc scripsi, legi Dissertationem eruditi amicique juvenis Jacobi Parvi, qua Theodori Cantuariensis doctrinam ab omni novitatis suspicione sibi sumpsit vindicandam. Id ut præstet, tria probare nititur. Primò quòd Patres negent morem fuisse Ecclesiæ Decreto sancitum de peccatis occultis publicè pœnitendi. 2. quòd Patres affirment pro peccatis occultis Pœnitentiam secretò factam sufficere, atque de illis morem Ecclesiæ fuisse secretò pœnitendi. Tertiò, quòd Patres testentur Pœnitentiam publicam publicis tantùm criminibus ab Ecclesia canonicè fuisse statutam. Primum probat iis omnibus Patrum locis in quibus fraternæ correctionis ordinem à Christo in Evangelio constitutum exponunt, aiuntque fratrem, quem peccantem viderimus, seorsim esse corripiendum, non verò proclamanda passim ac divulganda aliena peccata; quod esset utique non corrigentis, sed infamantis. Quod si crimen non emendaverit, post unam vel alteram correptionem, esse ad Ecclesiam deferendum. Ita Origenes Homilia 3. in Leviticum & in Commentario Matth. Editionis Huetianæ Tom. 1. p. 335. Vetus Author Constitutionum Apostolicarum, libro 2. cap. 37. Sanctus Hilarius Pictaviensis in Commentario Matth. Cap. 18. Joannes Chrysostomus Homilia 61. in Matth. Sanctus Hieronymus in ea verba Evangelii: *Si peccaverit in te frater tuus*, &c. Bacchiarius in Epistola ad Januarium *de recipiendis Lapsis.* Sanctus Augustinus Serm. 16. de Verbis Domini. Ex his colligit eruditus Juveois, oegasse Patres morem fuisse Ecclesiæ Decreto sancitum, publicè pro peccatis occultis pœnitendi. Sed ex vero principio falsam conclusionem colligit: Non enim fraternæ correctionis ordo invertebatur, cùm addicebantur publicæ Poenitentiæ criminum occultorum rei. Siquidem eorum peccata non vulgabantur à Sacerdotibus, sed peccatorum duntaxat emendatio & poena ad notitiam perducebatur: quo facto nulla ipsis irrogabatur infamia, imò potiùs accedebat honos. Deo enim palam satisfacere, & Poenitentiæ laboribus Fideles ædificare, quis infame ac turpe dixerit? Innotescebat quidem Ecclesiæ Poenitentes illos crimen aliquod gravissimum, quamvis occultum perpetrasse, sed ipsis consentientibus ac volentibus, id notum fiebat. Cùm enim ipsis imposita erat à Sacerdote Poenitentia publicè agenda, ipsam quidem subire, & omnibus ejus laboribus perfungi tenebantur; sed cogi ad id minimè poterant, nec à Communione arceri, quamdiu occultum crimen erat: sicut etiam nunc Sacerdos peccatori occulto, cui Sacramentalem Absolutionem justis de causis denegavit, Eucharistiam petenti denegare non potest. Cùm igitur peccatores ob occulta crimina Poenitentiam agebant, tam liberè illam subibant, quàm liberè privatam modò subimus. Ideóque seipsos potiùs profitebantur peccatores exomologesi sua, quàm proclamarentur. Et sicut in Religiosa Societate peccatum Fratris, prætermissa monitione & correptione privata, defertur ad Præpositum inviolato fraternæ correptionis ordine, ut sentit Ecclesia quæ illius Societatis Regulam probavit, & Pium declaravit *Institutum* in Concilio Tridentino: quia ita secum agi consentiunt, qui illi Societati dant nomen: ita fraternæ correptionis præceptum inviolatum fuisse contendo, cùm occultorum criminum rei publicæ addicti sunt Poenitentiæ: quia ipsi post privatam Sacerdotis correptionem, ejus se mandato de Poenitentia publica subeunda liberè subjecerunt, ut publico illo pudore peccata eluerent, ac Deo satisfacerent.

Objicit eruditus Juvenis testimooium Sancti Joannis Chrysostomi Homilia 29. cap. 13. in Epistolam ad Corinthios ad illa verba: *Ecce tertiò hoc venio ad vos: In ore duorum ac trium stabit omne verbum.* Quæ verba sic exponit: *Cum aliunde etiam multis ex rebus, tum vel hinc maximè Pauli sapientiam, paternumque affectum perspicere licet: nimirum quàm in denuntiandis quidem suppliciis multus ac vehemens, in inferendis autem segnis ac tardus sit. Neque enim de iis qui peccabant, pœnas statim sumpsit: sed semel atque iterum admonuit. Ac ne sic quidem in contumaces animadvertit: sed rursus admonet ac denuntiat dicens: Tertiò hoc venio ad vos: ac priusquam adsim, rursus scribo. Postea ne cunctatio segnitiem illis pariat, vide quo pacto hic quoque eos corrigat, assiduè nempe interminans, ac plagas intentans, atque hisce verbis utens: Si venero iterum, non parcam. Et, Ne cum venero, lugeam multos. Hac porro idcirco facit ac loquitur, ut hac quoque parte omnium Dominum imitetur. Nam & assiduè quidem comminatur, ac sæpe pœnas denuntiat: sed non sæpe punit & cruciatum infert. Hoc itaque ipse quoque facit. Ob idque etiam antè dicebat: Parcens vobis, non ultra veni Corinthum: quid est, Parcens vobis? hoc est, ne vos sceleribus devinctos inveniens, ac sine ulla emendatione in iis perstantes, pœna & cruciatu vos afficiam*, &c. Ex quibus sic colligit eruditus Juvenis: Cùm D. Paulus Dominum imitatus, poenas non statim sumpserit de immunditia & fornicatione, & impudicitia quam multi gesserant, sed semel atque iterum eos admonuerit; cùmque tot minas intenderit, ut vitia sua corrigerent, atque ipsorum contumaciâ non cogeretur illos ab Ecclesia expellere, neque supplicio afficere; nonne omnibus Ecclesiæ Prælatis egregium patientiæ præbuit exemplum? Quod à Joanne Chrysostomo adeò luculenter expositum, satis declarat, morem non fuisse Ecclesiæ Decreto sancitum, de criminibus occultis, & iis quæ peccantium contumacia non reddit publica, publicè poenitendi.

At hic Sancti Joannis Chrysostomi locus nequaquam id probat, quod pertendit Author Eruditus. Esto enim, Apostolica Sancti Pauli patientia evincat, Apostolorum temporibus, quibus nondum erat omni ex parte constituta Disciplina Poenitentialis, morem Ecclesiæ non fuisse de criminibus occultis publicè poenitendi: sequitur-ne quòd secutis temporibus ista non fuerit sancita Disciplina, neque mos ille invaluerit? Certè si alicujus ponderis est hæc objectio, probabit, nec morem Ecclesiæ fuisse pro peccatis publicis publicè poenitendi: siquidem fornicationes, immunditiæ, seditiones, ob quas se non parciturum Corinthiis scribit Sanctus Paulus, si ad illos tertiò venerit, occultæ non erant, sed publicæ: quod illa verba ostendunt evidenter: *Ecce tertiò hoc venio ad vos: In ore duorum, vel trium stabit omne verbum.*

Objicit eruditus Juvenis Juliani Pomerii testimonium libro 1. de Vita Contemplativa, cap. 5. dicentis: *Cæterùm si Ecclesiæ Communione priventur infirmi, qui curari adhibita increpatione non possunt, aut intolerabilis mole tristitiæ supra modum gravati succumbunt, & Sanctorum omnium vultus, per quos pos-* sent

*sent restitui Deo, refugiunt: aut certè ad omnem peccandi impudentiam, si fuerint exacerbati, prosiliunt: & quicquid mali occultè faciebant, publicè perpetrabunt .... Propter hoc ergo blanda pietate portandi sunt, qui increpari pro sua infirmitate non possunt*, &c. Quo ex testimonio ita colligit eruditus Juvenis: Julianus Pomerius ostendit primò quàm perniciosa sit infirmis increpatio publica. Deinde declarat, quàm utilis sit ac prorsus necessaria Pœnitentia secreta pro peccatis occultis. Ergo planè negat cum cæteris Patribus, morem fuisse Ecclesiæ Decreto sancitum, publicè de peccatis occultis pœnitendi.

At quomodo id neget Julianus Pomerius, omnino me fugit; hancque ex illius testimonio extundi posse conclusionem absque vi manifesta, non video. Loquitur ille de infirmis, quos durior increpatio exacerbaret, & quos obrueret tristitiæ moles. Ait erga ipsos à severiori Disciplina temperandum esse, nec esse à Communione removendos, ne durities illa ipsorum saluti noceat, in quibus omnis peccandi licentia piâ compassione reprimeretur. Porro de criminum dumtaxat occultorum reis ibi non agit, sed de reis publicorum peccatorum. Siquidem de illis loquitur, qui excommunicatione plecti poterant. Hac autem pœna solùm castigabantur publici peccatores, quorum nempe crimen vel propria Confessione coram Antistitibus & Clero, vel plurium testimoniis in aliquo judicio, sive ecclesiastico, sive sæculari, publicum evaserat, secundùm illud S. Augustini: *Neminem à Communione removere possumus, nisi vel sponte confessum, vel in aliquo judicio, sive sæculari, sive ecclesiastico convictum.* Deinde loquitur generatim de infirmis, quorum saluti consulendum est mitiori Disciplina; quia eos publica increpatio pertinaces & impudentes faceret in peccatis. At non solùm inter occultos, verùmetiam inter publicos peccatores, inveniuntur homines sic affecti; id est, ita infirmi, ut excommunicatione in præceps desperationis agerentur; atque ita non medicinalis, qualis esse debet pœna ecclesiastica, sed eorum saluti exitiosa foret. Non ergo loquitur Julianus Pomerius de criminum prorsus occultorum reis, sed de publicis peccatoribus, qui tamen crimina sua furtivè, quantùm in ipsis erat, committebant, nec ad illum pervenerant improbitatis cumulum, ut admonitiones omnes & pia consilia spernerent, atque de peccato gloriarentur. Hos autem, si ejus fuerint indolis ut publicam increpationem ferre non possint, humaniùs tractandos ait Julianus Pomerius, ne Disciplinæ durioris pondere fatiscant. Denique morem fuisse Ecclesiæ Decreto sancitum, ut de peccatis illis publicè Pœnitentiam agerent peccatores, de quibus loquitur, satis indicat Julianus Pomerius: siquidem severitatem Disciplinæ erga omnes hoc modo temperandam esse non docet, sed solùm erga infirmos, qui curari adhibita increpatione non possunt.

Secundam propositionem suam, scilicet quòd Patres affirment, pro peccatis occultis Pœnitentiam secretò factam sufficere, atque de illis morem fuisse Ecclesiæ secretò pœnitendi, probat eruditus Juvenis iis momentis, quæ præcedentibus robustiora mihi non videntur. Primum petit ex testimonio Origenis Homilia 2. in Psal. 38. dicentis: *Si autem ipse sui accusator fiat, dum accusat semetipsum & confitetur, simul evomit & delictum; atque omnem morbi digerit causam. Tantummodo circumspice diligentiùs, cui debeas confiteri peccatum tuum. Proba priùs Medicum, cui debeas causam languoris exponere, qui sciat infirmari cum infirmante, flere cum flente, ut ita demum si quid ille dixerit, qui se priùs & eruditum Medicum ostenderit & misericordem, si quid consilii dederit, facias & sequaris: si intellexerit, & præviderit talem esse languorem tuum, qui in conventu totius Ecclesiæ exponi debeat, & curari, ex quo fortassis & cæteri ædificari poterunt, & tu ipse facilè sanari, multa hoc deliberatione, & satis perito illius Medici consilio procurandum est.*

Fateor ex hoc Origenis testimonio colligi, morem fuisse Ecclesiæ secretò pœnitendi pro peccatis occultis plurimis. Omnia namque peccata mortalia publicæ Pœnitentiæ addicta non fuisse, superiori quæstione probavi: sed nego ex eo colligi, morem fuisse Ecclesiæ secretò dumtaxat poenitendi pro criminibus occultis, qualiacumque essent. Canonica enim peccata, scilicet idololatriam, homicidium, fornicationem, etiamsi occulta essent, publicæ Poenitentiæ laboribus expiata fuisse, Propositione superiori ostendi. Et locus ipse Origenis quem Juvenis eruditus objicit, id manifestè probat. *Si intellexerit*, inquit, *& præviderit talem esse languorem tuum, qui in conventu totius Ecclesiæ exponi debeat & curari, &c.* Ex quibus constat, Sacerdotem, apud quem peccata sua deponebant Poenitentes, quædam ex illis, quamvis occulta, subjecisse Poenitentiæ publicæ.

At, inquit eruditus Juvenis, iste Medicus probatus dat consilium publicè poenitendi, & non præceptum: Ergo nondum Ecclesiæ Decreto sancita erat pro criminibus occultis publica Poenitentia; sed potiùs mos erat secretò poenitendi: quia, ut ait Sanctus Hieronymus libro 1. adversùs Jovinianum: *Ubi consilium datur, offerentis arbitrium est: ubi præceptum, necessitas est servientis.*

Verùm in consilii nomine cur tantam vim faciat, ratio nulla subest. Quamvis enim Ecclesiæ decreto indicta fuerit pro peccatis etiam occultis, si graviora & canonica essent, Poenitentia publica; consilium nihilominus vocari poterat impositio illius Poenitentiæ à Sacerdote: quia cogere non poterat peccatorem ad illam Poenitentiam subeundam, nec illum à communione removere, si illam amplecti nollet; quamvis absolutionem ipsi denegare posset.

Alia testimonia Patrum, quæ profert eruditus Juvenis, non probant id quod magno conatu probare nititur; sed id evincunt unum, Confessionem publicam occultorum criminum præceptam non fuisse, aut ex Ecclesiæ disciplina statutam. Sic Sancti Hilarii locus intelligendus est in Psalmi 51. Enarratione, ubi hæc Psalmistæ verba exponens: *Confitebor tibi in sæculum, quia fecisti*, notat Psalmistam docere, *Nulli alii esse confitendum, quàm qui fecit olivam fructiferam spei misericordiâ in sæculum sæculi.* Sic Sanctus Basilius in Psalmum 37. ubi illa verba Davidis, *Rugiebam à gemitu cordis mei*, ita explicat: *Non multis manifestus fiam, ore fatear, sed corde ipso, clausis oculis, tibi soli respicienti arcana, mecum ipse rugiens, ostendo meos gemitus.* Quamquam hæc Psalmistæ verba paraphrasticè à Patribus illis explicata, Poenitentialem Ecclesiæ Disciplinam nullatenus spectant.

Nihil etiam adversùs nos probant illa Sancti Basilii verba in Regulis Brevioribus, ad Interrogat. 229. *Iis tantummodo peccatorum confessio fieri debet, qui ea possint curare.* Solùm enim affirmat eo loci Basilius, Confessionem publicam esse non debere, nec temerè quibusvis hominibus faciendam, sicut vitia corporis nequaquam quibusvis hominibus, sed solis Medicis aperiuntur. Loquitur autem generatim de peccatis Basilius, nec inter occulta & publica distinguit. Unde eadem ratione ex hoc loco colligere potuisset eruditus Juvenis,

morem non fuisse Ecclesiæ de peccatis publicis publicè pœnitendi. Sed veriùs dixerim, neutrum ex hoc testimonio rectè colligi, nec omnino esse ad propositum.

Sancti Gregorii Nysseni auctoritas in Epistola Canonica ad Letoium, qua testatur publica Pœnitentia illum non plecti, *Qui lateati ablatione alienam sibi usurpat*, non probat morem Ecclesiæ non fuisse pro quibusdam peccatis occultis publicè pœnitendi, scilicet pro idololatria, homicidio, & adulterio; sed solùm hac disciplina omnia peccata occulta castigata non fuisse, nec furtum ipsum, si occultum esset.

Sancti Ambrosii verba Enarratione in Psalmum 37. dicentis: *Et tu ergo qui proposuisti satisfacere pro delictis Domino Deo tuo, illi soli interiore corde te purga*: Et ejusdem exemplum in administratione Sacramenti Pœnitentiæ, probant pariter morem secretò pœnitendi pro maxima peccatorum occultorum parte, non pro omnibus. *Causas autem criminum quas illi confitebantur* (inquit *Paulinus) *nulli nisi Domino soli, apud quem intercedebat, loquebatur: bonum relinquens exemplum posteris Sacerdotibus, ut intercessores apud Deum fiant, magis quàm accusatores apud homines.* Loquitur Paulinus in Vita Sancti Ambrosii de peccatis omnibus, quæ Sancto Ambrosio, ad percipiendam Pœnitentiam, peccatores confitebantur. Hæc non erant semper occulta, sed quandoque publica, & quidem canonica. Propter illa postrema Pœnitentiam publicam ex Ecclesiæ disciplina imponebat Ambrosius. Causas tamen criminum, quas illi confitebantur, nulli nisi Domino soli indicabat. Ergo hic locus non probat, morem Ecclesiæ decreto sancitum fuisse, pro omnibus peccatis occultis, etiamsi gravissima essent, ut idololatria, homicidium, adulterium, secretò pœnitendi.

Objicit eruditus Juvenis testimonium Sancti Joannis Chrysostomi Homilia 20. in cap. 5. Genesis, dicentis: *Scortator enim, vel adulter, vel qui aliud tale quiddam admisit, etiamsi omnes latere queas, numquam tamen sic in tranquillitate vivis, &c. Attamen qui hæc fecit, si voluerit, ut decet, uti conscientiæ adjumento, & ad confessionem facinorum festinare, & Medico ostendere ulcus, qui curet, & non exprobret, atque ab illo remedia accipere, & soli ei loqui, nullo alio conscio, & omnia dicere cum diligentia, facilè peccata sua emendabit. Confessio enim peccatorum, abolitio etiam est delictorum.* Quid his verbis clarius, inquit amicissimus Juvenis, quibus Sanctus Joannes Chrysostomus affirmat, pœnitentiâ secretò factâ, quælibet crimina, ut scortationes, adulteria, & alia ejusdem generis, quæ alios latent, aboleri?

Nihil revera clarius esset, si id affirmaret Chrysostomus, quod ipsi Parvus noster affingit. Sed istud non asserit. Secreta quidem Confessione scortationes & adulteria occulta curari ait, non secretâ dumtaxat Pœnitentiâ. Medico, id est, Sacerdoti ulcus ostendit, crimen detegit scortator vel adulter occultus. Curat ille, non exprobrat. Nec enim publicè etiam Pœnitentibus peccata exprobrabant, vel ipsis insultabant Sacerdotes, sed condolebant, & compatiebantur. Soli Medico, sive Sacerdoti, peccator loquebatur, nullo alio conscio, ipsi peccata exponebat, & ab ipso accipiebat remedia, id est, Pœnitentiæ labores: an publicè, an secretò perferendos, non dicit Chrysostomus.

Non alius est cæterorum testimoniorum sensus, quæ ex eodem Chrysostomo laudat eruditus Juvenis, ut istius ex Homilia 21. ad Populum Antiochenum: *Nec hoc tantum est admirabile, quod nobis peccata dimittit Deus; verùm & quod ipsa non revelat, nec manifesta facit, nec accedentes cogit in me-* A *dio patrata edicere, sed soli sibi rationem reddere jubet, & sibi confiteri.* Et illius ex Homilia 8. de Pœnitentia: *Non revelavit ulcus, non in commune theatrum accusationem produxit. Non delictorum testes statuit: intus in conscientia, adstante nemine, præter eum, qui cuncta videt, Deum.* Eodem modo intelligendum est illud ex Homilia 10. de Pœnitentia. *Quamvis in extrema canitie peccaveris, ingredere, Pœnitentiam age: Medicina locus est hic, non judicii; non pœnas exigens, sed peccatorum remissionem tribuens: Deo solum dic peccatum tuum: Tibi soli peccavi, & malum coram te feci, & dimit-* B *titur peccatum tuum.* Item illud in Sermone de Pharisæo & Publicano: *Itaque admoneo ut confitearis peccata tua. Neque enim duco te ad theatrum conservorum tuorum: nec te cogo ea hominibus enuntiare: conscientiam tuam Deo expone: ei ostende facta & vulnera, & ab eo medicinam pete: ostende te non exprobranti, sed curanti.* Probant hæc omnia publicam peccatorum occultorum, quantumvis gravia essent, Confessionem, Ecclesiæ decreto, aut moribus statutam non fuisse: At publicam pro peccatis occultis Pœnitentiam in usu non fuisse, ex Ecclesiæ disciplina, non probant, si peccata illa C canonica essent, ut idololatria, homicidium, & fornicatio.

Objicit eruditus Juvenis testimonium Innocentii I. in Epistola ad Exuperium Episcopum Tolosanum cap. 4. quærentis cur mulieribus adulteris non autem viris adulteris denegetur communio: & respondentis, Christianam Religionem adulterium in utroque sexu pari ratione condemnare: sed id inde contingere, quòd viros suos mulieres non facilè de adulterio accusant, *Et non habent latentia peccata vindictam.* Viri autem liberiùs uxores adulteras apud Sacerdotes deferre consueverunt. *Et* D *ideo mulieribus, prodito earum crimine, Communio denegatur: Virorum autem latente commisso, non facilè quisquam ex suspicionibus abstinetur. Qui utique submovebitur, si ejus flagitium detegatur.* Ex hoc testimonio colligit, morem fuisse Ecclesiæ, pro adulteriis occultis, Pœnitentiam secretò agendam imponendi. Sed minùs rectè colligit. Etsi enim viros adulteros, qui nec sponte confitebantur peccatum, nec illius in judicio convincebantur, Ecclesia non addiceret publicæ Pœnitentiæ, nec à communione removeret; *Quia non habent latentia* E *peccata vindictam*: Illos tamen, si se apud Sacerdotes accusarent, publicâ Pœnitentiâ castigabat & à communione submovebat, non quidem latâ palam sententiâ, sed secretis in foro interiori mandatis. Tunc enim satis detectum erat eorum flagitium, satis eorum confessione probatum, ut hoc modo publicæ Pœnitentiæ addicerentur, & à communione removerentur: quamvis exteriùs cogi non possent ad hujusmodi pœnitentiam subeundam, nec denegari illis posset Eucharistia, si ad Sacram Mensam inter communicantes se sisterent.

Objicit eruditus Juvenis, *Bacchiarium in Epistola ad Januarium, dicentem: *Sed prætermissis his,* F *plangatur defunctus, sepeliatur mortuus: id est, partim nostro labore, partim verecundiæ suæ confusione peccatum ejus celetur, & auferatur è medio: nos autem consolationis linteamina, & cælestis spei pigmenta tribuamus. Ipse autem intra sepulchrum secreti sui confusus peccati pudore, contineat se: ibi conscientiæ suæ verme laceretur, qui totas in eo putredines obligat peccatorum.* Colligit Parvus noster, illam esse Pœnitentiam secretò factam, quam tamen pro adulterio nefando sufficere existimat Bacchiarius. At ne quidem id Bacchiarius innuit. Conceptum de secreto peccato pudorem & dolorem, quo laceratur conscientia, Sacerdotum adhortationibus adjunctum, expungere

expungere peccata, & eorum putredines obligare asserit: Sed sufficere non asserit. Alioqui concedat eruditus Juvenis, pudorem, dolorem, conscientiæ vermem, cum verbis consolatoriis Sacerdotis sufficere, & ne privatam quidem satisfactionem requiri; quia de illa diserte nnn loquitur hoc in loco Bacchiarius.

Objicit idem Auctor Sancti Augustini testimonium Sermone 44. in Evangelium Joannis, dicentis: *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est in corde suo. Nondum accessit corpore, consensit in corde, mortuum intus habet, nondum extulit. Et fit, ut novimus, ut quotidiè homines se experiuntur, aliquando audito verbo Dei, tamquam Domino dicente, Surge, condemnatur consensus ad iniquitatem, respiratur in salutem & justitiam. Surgit mortuus in domo, reviviscit in cogitationis secreto, facta est ista resurrectio animæ mortuæ intus; intra latebras conscientiæ, tanquam intra domesticos parietes.* Quomodo, inquit, eruditus Juvenis, fit ista Resurrectio animæ mortuæ intus; in cogitationis secreto, nisi Poenitentiâ secretò factâ? Et cur non adhibetur publica? Quia, inquit Augustinus, mortuum intus habet, & nondum extulit, id est, crimen nnndum est publicum.

Perperam S. Augustinum interpretatur Parvus. Qui enim mortuum intus habet, & nondum extulit, non est cujuslibet criminis occulti reus, sed sola cogitatione, seu consensu peccavit. *Sunt ergo intus*, inquit, *qui peccatum in corde habent, in facto nondum habent.* Illi, fateor, in cogitationis secreto ita reviviscunt, ut illis secreta Poenitentia sufficiat. Sed si mortuus jam elatus sit, id est, in factum processerit peccator; vel si sepultus fuerit, id est, mala consuetudine implicitus (ut ibidem Augustinus exponit) non ita facilè reviviscit. Denique jam publicum est quodammodo peccatum, cùm opere perpetratum est. *Post consensum, eunt in factum, ut quod latebat in secreto, appareat in publico.* Etsi non ita publicum evadat, ut in plurium notitiam perferatur: unde jam Ecclesiæ publica supplicatio, tanquam piæ matris fletus, in Poenitentiæ publicæ actione adhiberi congruè potest, ut mortuus suscitetur; præsertim si peccatum gravissimum fuerit, & canonicum.

Objicit eruditus Juvenis illud Sancti Augustini Sermone XVI. De Verbis Domini: *Sunt homines adulteri in domibus suis, in secreto peccant, aliquando nobis produntur ab uxoribus suis, plerumque zelantibus, aliquando maritorum salutem quærentibus. Nos non prodimus palam, sed in secreto arguimus. Ubi contigit malum, ibi moriatur malum.* Itaque, inquit, Sanctus Augustinus frequenter docet morem Ecclesiæ fuisse, de criminibus occultis secretò poenitendi.

Imò verò nullibi id docet Sanctus Augustinus, si de omnibus criminibus occultis, etiam gravissimis, etiam canonicis quæstio sit. Aliud est non prodere palam, non arguere publicè, sed in secreto, aliud non imponere publicam Poenitentiam. Homicida enim, vel adulter occultus, qui post sui criminis Confessionem privatim factam Sacerdoti, ab eo Poenitentiæ publicè agendæ, vel saltem coram selectis testibus (secundùm Ecclesiæ Africanæ morem) secretò accipiebant mandatum in foro interno, palam non prodebantur, nec adulterii, aut homicidii arguebantur coram omnibus, ne ab inimicis inscriberentur, & ad Judices deferrentur, ut Sanctus Augustinus ait; sed secretò correpti, cùm Sacerdotem Poenitentiæ causâ adierant, ejus labores non renuebant subire palam: quia inde probari non poterat ipsos hujus vel illius criminis, sed in genere dumtaxat gravioris alicujus peccati reos esse.

Testimonium Sancti Leonis, Epistolâ ad universos Episcopos per Campaniam, Samnium, & Picænum constitutos, Confessionem publicam occultorum criminum vetat; & secretam, quæ primùm Deo offertur, tum etiam Sacerdoti, sufficere ait: sed secretam esse debere pro peccatis quibuslibet occultis Pœnitentiam non affirmat. Imò publicè pro illis pœnitendi morem, qui illis in Ecclesiis vigebat, sartum tectum relinquit, improbato dumtaxat & sublato Confessionis publicæ more.

Laurentii Novariensis Episcopi testimonium in Homilia de Pœnitentia, dicentis: *Ex illa die, illaque hora qua egressus de lavacro; ipse tibi es fons jugis, & diuturna remissio. Non opus habes Doctore, nec dextra Sacerdotis... Et quia non poteras, manens in membris, corporisque compage, liber existere à peccato, immunisque esse à noxa: post Baptismum remedium tuum in te ipso statuit, remissionem in arbitrio tuo posuit, ut non quæras Sacerdotem, cùm necessitas efflagitaverit. Sed ipse jam ac si scitus perspicuusque magister, errorem tuum intra te emendes, & peccatum tuum pœnitudine abluas.* Istud, inquam, testimonium Parvo non favet, quod nec inter occulta & publica peccata distinguit, nec ministerium desiderare videtur Sacerdotis. Quòd longè ampliùs pmbaret, quàm pertendat Parvus, nisi benigna interpretatione molliretur.

Nihil adversùs nos probat Gregorii Magni locus III. Parte Curæ Pastoralis, Admonitione 8. ubi aliter monendos esse impudentes, aliter verecundos docet, *Ut & illorum culpas increpatio dura detegeret, & horum negligentiam mollior sermo velaret.* Publica igitur Pœnitentia impudentibus necessaria est, inquit Jacobus Parvus, quorum crimina increpatione dura deteguntur: occulta verò Pœnitentia sufficit verecundis, quorum peccata molliori sermone velantur. Homicidarum, incestuosorum, adulterorum occultorum crimina Sanctum Gregorium Magnum negligentiæ nomine excusasse, & molliori sermone velanda & curanda dixisse, sibi persuadeat quisquis voluerit cum optimo & docto Juvene: id mihi persuadere non possum. Duriùs objurgatos tantorum criminum reos existimare æquius est; non ea quidem increpatione, quæ ipsorum peccata detegeret, sed quæ imponendo severiorem & publicam Pœnitentiam, castigaret. Putidis enim vulneribus, quamvis occultis, non fomenta molliora dumtaxat, sed ferrum & ignis à Medico perito adhibenda sunt, ut curentur. Præterea, impudentes esse possunt detractores, ebriosi, perjuri, aliorumque rei peccatorum, quæ publicæ Pœnitentiæ, ex publica Ecclesiæ lege & Disciplina, obnoxia non fuerunt, etiamsi publica essent, ut Quæstione 1. hujus Dissertationis probavimus. Illorum ergo culpas increpatio dura detegere debebat, secundùm Gregorii Magni regulam. Itaque increpatio dura, non est idem quòd Pœnitentia publica. 2. Verecundi sunt, qui adulterium occultè committunt, quod non committerent, si flagitium illud suum scirent detegendum; & qui ita sunt affecti, ut illos pudor ab externo actu peccati, quod consensu suo jam admiserunt, revocaret. Dum tamen occultant crimen, quantùm possunt, pellex aut servi ipsos produnt; notum fit ipsorum scelus in Ecclesiæ scandalum. Putatne Parvus noster ipsis verecundiam suffragari, ut à Pœnitentiæ publicæ laboribus eximantur, & eorum scelus molliori sermone veletur? Fateatur itaque se perperam accepisse hunc Gregorii locum. Nihilo feliciùs niger ejusdem Sancti Pontificis verba in Admonitione xxx. quæ solùm probant, peccata cogitationis, publicæ Pœnitentiæ addicta nnn fuisse, quòd lubenter fateor, & superiùs ostendi.

ostendi. *Sæpe*, inquit, *misericors Deus eò citius peccata cordis abluit, quò hæc exire ad opera non permittit: & cogitata nequitia quantò citiùs solvitur, quia effectu operis districtiùs non ligatur.* Eam ob rem Psalmistam rectè dixisse notat: *Dixi: Pronuntiabo adversùm me injustitias meas Domino, & tu remisisti impietatem cordis mei: quatenus quia usque ad opus non venerat culpa, usque ad cruciatum non perveniret Pœnitentia, sed cogitata afflictio mentem tergeret, quam nimirum tantummodo cogitata iniquitas inquinasset.*

Sanctus Eligius Noviomensis Episcopus, cujus testimonia duo urget eruditus Juvenis, unum ex Homilia de Filio prodigo; alterum ex Homilia 15. de utriusque Agni Paschalis esu, in quibus, antequam sermonem ad publicos Pœnitentes convertat, Peccatores occultos alloquitur, & eos quidem quos notat pejora forsan commisisse, quàm publicè Pœnitentes, & fornicationis fortè, vel incestûs reos esse; & affirmat nihilominus eos, *si puriter confessi, ac devotè conversi fuerint*, ipso die Cœnæ Domini, dignos fieri posse ut Solemnitati intersint; & per divinæ salutis medicamentum se purificare posse: ut reliquiæ cogitationum eorum diem festum agant Domino. Sanctus (inquam) Eligius apertè his in locis indicat, pro peccatis gravissimis, qualia sunt fornicatio & incestus, Pœnitentiam secretam factam fuisse in Ecclesia Gallicana: Sed inde colligi non potest morem antiquum Ecclesiæ, ante Eligii tempora, non fuisse imponendi Pœnitentiam publicam pro peccatis occultis, si gravissima essent, & canonica. Tempore namque Sancti Eligii, qui floruit ab anno 646. ad annum 665. eadem quâ Theodorus Cantuariensis ætate, prisca Disciplina de Pœnitentia pro peccatis occultis publicè agenda, sensim in dissuetudinem abibat.

Tertiam propositionem suam, scilicet Pœnitentiam publicam pro publicis tantùm criminibus ab Ecclesia canonicè fuisse statutam, probare nititur eruditus Juvenis, vel testimoniis Patrum, quibus supra respondimus, ut Sancti Augustini, Homilia ultima ex L. & Sermone XLI. de Sanctis, & Cæsarii Arelatensis Homilia 1. vel probantibus duntaxat occultos Peccatores excommunicari nominatim non posse; qualia sunt loca Origenis Homilia 21. in Josue. Homilia 11. in cap. 11. Judicum, & Tractatu 35. in Matthæum. Concilii Neocæsareensis Canon 1x. locus Sancti Basilii Epistola 246. Sancti Augustini libro 3. contra Epistolam Parmeniani, cap. 11. Juliani Pomerii libro 11. de Vita Contemplativa cap. 16. Vel denique probant illa testimonia, Pœnitentiam publicam pro publicis peccatis actam fuisse; sed non negant quin acta sit etiam pro quibusdam criminibus occultis, ut testimonia Sancti Joannis Chrysostomi Homilia 82. in Matthæum & Sancti Augustini in Enchiridio ad Laurentium, cap. 65. Unde perperàm ubique colligit eruditus Juvenis, Patres testari, pro publicis tantùm criminibus, publicam Pœnitentiam ab Ecclesia fuisse statutam.

### SCHOLION I.

Ad hujus Articuli Propositionem secundam ad pag. 317. Editionis primæ, hanc Propositionem notant Religiosi Censores: *Pœnitentes non poterant ad Pœnitentiam publicam à Confessario obligari.*

R. Hæc Propositio mihi perperam affingitur: id non scripsi: immo asserui ad subeundam Pœnitentiam publicam obligatos fuisse, quibus à Confessario imposita erat; sed tamen ad eam in foro externo cogi non potuisse, quandiu crimen erat occultum.

### SCHOLION II.

Ibidem hanc Propositionem notant Religiosi Censores: *Jesuitæ cedunt juri correctionis fraternæ.*

R. Falsò diceretur, Patres Societatis Jesu cedere juri correctionis fraternæ. Id non scripsi; perperam mihi tribuitur Propositio tam absurda. Qui renuntiaret juri fraternæ correctionis, renuntiaret Evangelio & legi caritatis. Sed Patres Societatis Jesu *Peccatum fratris, prætermissâ quandoque monitione & correptione privatâ, deferunt ad Præpositum, inviolato fraternæ correptionis ordine, ut sentit Ecclesia, quæ illius Societatis Regulam probavit, & pium declaravit Institutum in Concilio Tridentino: quia ita secum agi consentiunt, qui illi Societati dant nomen.* Hæc verba mea. Idem ante me docuit *Dominicus Bannes* in Secundam Secundæ Sancti Thomæ, ad Quæst. xxxiii. Art. viii. Dubio ii. in Responsione ad septimam Objectionem. *Jam aliud*, inquit, *quod in eadem confirmatione objicitur, quòd in aliqua Religione Professores illius renuntiant juri suo, ut cum illis servetur prædictus ordo correctionis fraternæ, respondetur, quòd ego non video quare non possint suo juri renuntiare. Nam cùm unusquisque sit Dominus suæ famæ, licitum est illi pro suo bono spirituali illam amittere apud quem voluerit, secluso scandalo. Hoc enim non est dispensare in Præcepto Evangelico aut potiùs naturali servando illum ordinem, sed est mutare materiam præcepti. Nam tota ratio illius ordinis est, ne fiat injuria fratri corripiendo, infamando ipsum plus quàm oportet, ut corrigatur & emendetur. At verò scienti & volenti non fit injuria, quoniam ipse dominus est propriæ famæ.* Idem docet *Silvius* in Secundam Secundæ, Quæst. xxxiii. Art. vii. Conclusione iii. in Responsione ad primum.

## DISSERTATIO VII.

### De Absolutionis denegatione, in supremo vitæ discrimine, quorumdam criminum reis.

### ARTICULUS UNICUS.

*Utrum primis Ecclesiæ Sæculis, & tertio præsertim, negata sit Absolutio Sacramentalis quibusdam criminibus?*

CENSENT viri quidam eruditi, idololatriæ, homicidii, & mœchiæ reis, Pacem, Communionem, seu Absolutionem Sacramentalem à florentissimis Ecclesiis, Romana scilicet, Carthaginensi, & Hispaniensi esse negatam, in supremo etiam vitæ discrimine: eamque sententiam validissimis argumentis sibi probare videntur. Nos quid ea de re sentiamus, quanta fieri poterit perspicuitate, sequentibus Propositionibus exponemus.

### PROPOSITIO I.

*Canonicorum criminum reis, in supremo vitæ discrimine, Absolutio Sacramentalis negata est, si in infirmitate duntaxat Pœnitentiam postulassent.*

Probatur primò ex Sancto Cypriano, Epistola 52. ad Antonianum: *Idcirco*, inquit, *Frater charissime, pœnitentiam non agentes, nec dolorem delictorum suorum toto corde, & manifesta lamentationis suæ professione testantes, prohibendos omnino censuimus à spe communicationis & pacis, si in infirmitate, atque in periculo cœperint deprecari; quia rogare illos non delicti pœnitentia, sed mortis urgentis admonitio compellit; nec dignus est in morte accipere solatium, qui se non cogitavit esse moriturum.* Porro nomine communicationis & pacis, non Communionem tantùm Eucharisticam, sed Absolutionem à

peccatis

peccatis intelligi manifestum est, quia peccatores illi, non delicti Poenitentia duci, sed mortis metu ad eam postulandam compelli supponebantur. Iis autem, quibus nullus supponebatur inesse veræ Poenitentiæ sensus, Absolutionem fuisse denegatam, existimare par est.

Probatur secundò ex Concilio Arelatensi Primo, quod anno Christi 314. celebratum est, cuique ducenti Episcopi interfuerunt, Canone ultimo, quo sic decernitur: *De his qui apostatant, & numquam se ad Ecclesiam repræsentant, ne quidem Pœnitentiam agere quærunt, & postea infirmitate correpti, petunt Communionem, placuit eis non dandam Communionem, nisi revaluerint, & egerint dignos fructus pœnitentiæ.* Certè Absolutio Sacramentalis non conceditur nisi iis qui dignos Poenitentiæ fructus egerint: ut enim ait Sanctus Gregorius seu potiùs alius Auctor Commentarii in librum Regum sub ejus nomine editi, libro 6. in cap. 15. primi Regum: *In fructu, non in foliis, aut ramis, Pœnitentia cognoscenda est. Quasi arbor quippe bona voluntas est. Confessionis ergo verba, quid sunt aliud nisi folia? Non ergo nobis folia propter seipsa, sed propter fructum expetenda sunt; quia idcirco omnis Confessio peccatorum recipitur, ut fructus pœnitentiæ subsequatur. Unde & Dominus arborem foliis decoram, fructu sterilem maledixit, quia Confessionis ornatum non recipit sine fructu afflictionis.* Cùm igitur Concilium Arelatense Apostatis, qui infirmitate correpti, Communionem petunt, eam propterea neget, quòd fructus dignos Poenitentiæ non egerint; non de Communione tantùm Eucharistica, sed etiam de Absolutione à peccatis, intelligendum est.

Probatur tertiò ex Innocentio Primo Pontifice Max. Epistola 3. ad Exuperium Tolosanum Episcopum data, cap. 2. Hanc Summo Pontifici proposuerat quæstionem Exuperius: *Quid de his observari oporteat, qui post Baptismum, omni tempore, incontinentiæ & voluptatibus dediti, in extremo fine vitæ suæ pœnitentiam simul, & reconciliationem Communionis exposcunt.* Dupliciter illam quæstionem solvit Innocentius, & secundùm antiquum Ecclesiæ morem, veteremque Disciplinam; & secundùm recentiorem. Secundùm antiquum morem, his verbis: *De his observatio prior durior; posterior, interveniente misericordia, inclinatior est. Nam consuetudo prior tenuit, ut concederetur eis pœnitentia, sed Communio negaretur.* Durioris istius Disciplinæ subjungit rationem: *Nam cùm illis temporibus crebræ persecutiones essent, ne Communionis concessa facilitas homines de reconciliatione securos non revocaret à lapsu, negata meritò Communio est, concessa Pœnitentia, ne totum penitus negaretur: & duriorem remissionem fecit temporis ratio.*

Posteriorem, & inclinatiorem observationem sic describit Innocentius: *Sed postquam Dominus noster pacem Ecclesiis suis reddidit, jam depulso terrore, Communionem dari obeuntibus placuit, & propter Domini misericordiam quasi Viaticum profecturis, & ne Novatiani hæretici negantis veniam, asperitatem & duritiem subsequi videamur.* Tandem quæstioni ab Exuperio propositæ hæc Innocentius applicat: *Tribuetur ergo cum Poenitentia extrema Communio, ut homines hujusmodi vel in supremis suis pœnitentes, miserante Salvatore nostro, à perpetuo exitio vindicentur.*

Sanè Innocentium per Communionem & Viaticum intelligere Absolutionem à peccatis, evidentissimum est. Eam enim tandem concessam esse dicit iis, qui Poenitentiam in extremis tantùm postulaverant, ne duritiem Novatiani sequi videretur Ecclesia. At controversia Novatianos inter & A Catholicos intercedebat, non de negatione Communionis Eucharisticæ tantùm, sed de negatione Absolutionis Sacramentalis, & veniæ.

2. Illa Communio à perpetuo exitio vindicabat, (inquit Innocentius) erat igitur Absolutio à peccatis.

3. Sancti Cypriani ætate, quam spectavisse videtur Innocentius, Absolutio ab Eucharistica Communione nullo sejungebatur intervallo: igitur si Eucharistia denegata est iis, qui Poenitentiam in extremis flagitabant, negata etiam illis est Absolutio. Antecedens constat ex Sancto Cypriano, apud B quem pacem dare, & Eucharistiam porrigere, prorsus idem significant. *Censuimus*, (inquit Epistola 54.) *eis qui de Ecclesia Domini non recesserunt, sed poenitentiam agere, & lamentari, ac Dominum deprecari à primo lapsus sui die non destiterunt, pacem dandam esse, & eos ad prælium quod imminet, armari, & instrui oportere: at verò nunc non infirmis, sed fortibus pax necessaria est, nec morientibus, sed viventibus, communicatio à nobis danda est: ut quos excitamus, & hortamur ad prælium, non inermes & nudos relinquamus: sed protectione Corporis & Sanguinis Christi muniamus. Et cùm ad hoc fiat Eucha-* C *ristia, ut accipientibus possit esse tutela; quos tutos esse contra adversariam volumus, munimento Dominicæ saturitatis armemus. Nam quomodo docemus, aut provocamus eos in Confessione nominis Sanguinem suum fundere, si eis militaturis Christi Sanguinem denegamus?*

4. Frustra dixisset Innocentius, priorem observationem duriorem, posteriorem verò inclinatiorem, nisi prior Disciplina denegasset Absolutionem à peccatis, iis qui in mortis periculo constituti Poenitentiam primùm postulabant: quia ut Absolutio à peccatis sine Communione tribueretur, non so- D lùm Innocentii ævo, sed multis post Sæculis, sæpius observatum est; & etiamnum in Galliis erga criminum capitalium reos ad mortem damnatos observatur.

Denique prior illa observatio vigebat; inquit Innocentius, *Ne Communionis concessa facilitas homines de reconciliatione securos non revocaret à lapsu.* Secundùm priorem itaque Disciplinam non reconciliabantur, nec absolvebantur à peccatis. Ex his collige, frustra viros quosdam eruditos contendere Absolutionem Sacramentalem nullo in casu negatam fuisse ab Ecclesia. Sed collige rursus eos E abuti auctoritate Innocentii, qui ex ea probare nituntur Ecclesiam Romanam idololatris, homicidis, & mœchis, Absolutionem à peccatis in supremo vitæ discrimine negasse; cùm aliam omnino hypothesim spectet laudatus Pontifex, & de iis tantùm loquatur *Qui post Baptismum omni tempore incontinentiæ & voluptatibus dediti, in extremo vitæ suæ, Poenitentiam simul, & reconciliationem Communionis exposcunt.*

Objiciet quispiam: Non est existimandum veterem Ecclesiam in eo errore fuisse, quem in Novatiano damnavit: atqui si denegasset Absolutionem moribundis, in eo errore fuisset, quem in Novatiano F damnavit. Nusquam itaque Absolutio à peccatis denegata est Lapsis ab Ecclesia, sed Eucharistica tantùm Communio.

Respondeo distinguo minorem. Si denegasset Absolutionem moribundis Poenitentia functis, concedo; moribundis Poenitentiam in extremis dumtaxat postulantibus, nego. Itaque istud erat discrimen inter duriorem illam veteris Ecclesiæ Disciplinam, & errorem Novatianorum: quòd illi Hæretici Lapsis quocumque in casu Absolutionem ab Ecclesia posse concedi inficiarentur, etiamsi plenam Poenitentiam egissent: quia capitalia delicta, idololatriam

triam scilicet, homicidium, mœchiam, & quæcumque mortalia post Baptismum commissa, pertinaciter contendebant irremissibilia esse, nec ad illorum remissionem extendere se Ecclesiæ Claves. At Vetus Ecclesia Lapsis Pœnitentia legitima functis, vel eam dum sani essent, postulantibus, & agere fervenier incipientibus, non negabat Absolutionem; sed iis solùm qui in supremo vitæ discrimine ad Sacerdotes confugiebant, & Pœnitentiam ac reconciliationem simul flagitabant. Nec absque ratione illam erga Peccatores, Pœnitentiam ad exitum usque suum differentes, severitatem exercebat Ecclesia: Supponebat enim vix conversionem sic dilatam, veram, sinceram & legitimam esse, quia mortis metu frequentiùs, quàm odio peccati, & Dei super omnia amore compellebantur ad Pœnitentiam in his angustiis flagitandam, ut ex Sancto Cypriano constat: *Rogare illos*, inquit, *non delicti pœnitentia, sed mortis urgentis admonitio compellit.*

Dubiam eorum conversionem ac Pœnitentiam semper habuit Ecclesia, qui ad horam mortis illam distulerant.

Hinc Ecclesia, etiam postquam priorem illam severitatem mitiori Disciplina emollivit, & concessit Absolutionem etiam illis qui imminente mortis periculo illam rogaverant, & conversionem ad illas usque distulerant angustias, significavit se vehementer dubitare de hujusce conversionis & poenitentiæ sinceritate, necnon de Absolutionis efficacia, propter probabilem indispositionem Poenitentis. Unde sic Poenitentes, & absolutos in extremis, imò & Eucharistia donatos, iterum Poenitentiæ publicæ, si convaluissent, subjecit. Id constat primò ex Sancto Gregorio Nysseno in Epistola Canonica ad Letoium, Canone 1. quo ubi Apostatæ à fide, Poenitentiæ tempus vitam omnem præscripsit, hæc subjungit: *In hora autem sui è vita excessus, Sacramenti Communionis erit particeps. Sin autem contigerit ut is præter spem vivat, in eodem rursus vivet judicio, mysticorum Sacramentorum ad vitæ exitum usque expers.*

Sic pœnitentes & absolutos in extremis, imo & Eucharistia donatos, si convaluissent, publicæ Pœnitentiæ iterum subjiciebat.

Secundò idem constat ex Concilio Carthaginensi Quarto, Canone 76. quo decernit, ut is qui Poenitentiam in infirmitate petit, si casu, dum ad eum Sacerdos invitatus venit, oppressus infirmitate fuerit, vel in phrenesim versus, damibus testimonium, qui eum audierunt, accipiat Poenitentiam: *Et si continuò creditur moriturus, reconcilietur per manus impositionem, & infundatur ori ejus Eucharistia.* Et mox addit: *Si supervixerit, admoneatur à supradictis testibus, petitioni suæ satisfactum, & subdatur statutis Pœnitentiæ legibus, quamdiu Sacerdos, qui Pœnitentiam dedit, probaverit.* Et postquam Canone 77. decrevit, ut *Pœnitentes qui in infirmitate sunt, Viaticum accipiant!* Hæc addit Canone 78. *Pœnitentes, qui in infirmitate Viaticum Eucharistiæ acceperint, non se credant absolutos, sine manus impositione, si supervixerint.*

Tertiò idem constat ex Concilio Arausicano Primo, Canone 3. ita decernente: *Qui recedunt de corpore, Pœnitentiâ acceptâ, placuit sine reconciliatoria manus impositione eis communicari. Quod morientis sufficit consolationi, secundum definitiones Patrum, qui hujusmodi Communionem congruenter Viaticum nominarunt. Quod si supervixerint, stent in ordine Pœnitentium, & ostensis necessariis Pœnitentiæ fructibus, legitimam Communionem cum reconciliatoria manus impositione percipiant.* Vocant illam Communionem legitimam Patres: quasi legitimam non esse suspicarentur, quæ infirmis Pœnitentiam imminente obitu, aut vi morbi premente, flagitantibus data erat.

Quartò idem constat ex Concilio Epaonensi, Canone 36. cujus hæc sunt verba: *Ne ullus sine remedio; aut spe veniæ ab Ecclesia repellatur, ne-ve ulli, si aut pœnituerit, aut se correxerit, ad veniam re-* A *denudi aditus obstruatur. Sed si cui forsitan discrimen mortis immineat, damnationis constituta tempora relaxentur. Quòd si ægrotum accepto Viatico revalescere fortasse contingit, statuti temporis spatia observare convenit.*

Verùm Pœnitentiæ in extremis actæ, & concessæ absolutionis incertum effectum, habita ratione indispositionis quæ frequentiùs inest Pœnitentis animo ad has angustias redacti, luculenter exponit Sanctus Augustinus, seu alius Auctor Sermonis inter Augustinianos olim 57. de Tempore, cujus stylus à Sancti Cæsarii Arelatensis stylo parum distare B mihi videtur. *Parum est*, inquit, *peccatorem pœnitere, nisi pœnitentiam peregerit. Ad emendanda enim crimina vox pœnitentis sola non sufficit: Nam in satisfactione ingentium peccatorum, non verba tantum, sed opera quæruntur. Datur quidem etiam in extremis pœnitentia, quia non potest denegari: sed auctores tamen esse non possumus, quòd qui sic petierit, mereatur absolvi. Quomodo enim agit pœnitentiam lapsus? Quomodo agit poenitentiam in extremis vitæ finibus constitutus? Quomodo poenitentiam agere possit, qui nulla jam pro se opera satisfactionis operari potest? Et ideo poenitentia, quæ ab infirmo petitur,* C *infirma est. Poenitentia, quæ a moriente tantum petitur, timeo ne ipsa moriatur.* Et libro 50. Homiliarum, Homilia 41. *Qui egerit veraciter poenitentiam*, inquit, *& solutus fuerit à ligamento quò erat obstrictus, & à Christi Corpore separatus, & bene post pœnitentiam vixerit, sicut ante Pœnitentiam vivere debuit, post reconciliationem quandocumque defunctus fuerit; ad Deum vadit, ad requiem vadit, regno Dei non privabitur, à populo diaboli separabitur. Si quis autem positus in ultima necessitate ægritudinis suæ, voluerit accipere pœnitentiam, & accipit, & mox reconciliatur, & hinc vadit: fateor vobis, non illi ne-* D *gamus quod petit; sed non præsumimus quia benè hinc exit. Non præsumo, non vos fallo, non præsumo. Fidelis bene vivens, securus hinc exit. Baptizatus ad horam, securus hinc exit. Agens pœnitentiam, & reconciliatus, cùm sanus est, & postea benè vivens, securus hinc exit. Agens pœnitentiam ad ultimum, & reconciliatus, si securus hinc exit, ego non sum securus. Unde securus sum, & securus sum, & do securitatem: Unde non sum securus, pœnitentiam dare possum, securitatem dare non possum.*

Cùm itaque Ecclesia semper dubitaverit de valore Pœnitentiæ in extremis actæ, & de absolutionis tunc concessæ efficacia, habita ratione status ad E quem redactus est his in angustiis peccator, quia potiùs dimitti videtur à peccato, quam dimittat ipse peccata, illisque renuntiet, ut ait ibidem Sanctus Augustinus: *Si autem tunc vis agere pœnitentiam ipsam, quando jam peccare non potes, peccata te dimiserunt, non tu illa:* Mirum memini esse debet quòd vetus Ecclesia præsumens conversionem illorum, qui in extremis dumtaxat positi, seu gravi infirmitate correpti, Pœnitentiam postulabant, veram ac sinceram fortè non esse, illis Absolutionem Sacramentalem negaverit.

F

## PROPOSITIO II.

*Quidam Episcopi Africani ante Sanctum Cyprianum, mœchis, etiam in exitu, Absolutionem Sacramentalem negaverunt: quam idololatris, & homicidis negasse consequenter videntur.*

Probatur prima pars ex Sancto Cypriano, Epistola 52. ad Antonianum data, in qua hæc habet: *Et quidem apud Antecessores nostros quidam de Episcopis istic in provincia nostra, dandam pacem mœchis non putaverunt, & in totum pœnitentiæ locum contra adulteria clauserunt; non tamen à Coepiscoporum suorum*

*ctum collegio recesserunt, aut Catholicæ Ecclesiæ unitatem, vel duritia, vel censura sua obstinatione ruperunt; ut quia apud alios adulteris pax dabatur, qui non dabat, de Ecclesia separaretur. Manente concordiæ vinculo, & perseverante Catholicæ Ecclesiæ individuo sacramento, actum suum disponit & dirigit unusquisque Episcopus, rationem propositi sui Domino redditurus.*

Probatur secunda pars. Non est verisimile quòd minoris delicti reis Absolutionem Sacramentalem in exitu negaverint illi Antistites, & eam concesserint illis qui in majora crimina lapsi erant: Atqui idololatria & homicidium graviora semper crimina habita sunt fornicatione & adulterio. Nam idololatriam Tertullianus vocat, *Principale crimen generis humani, summum sæculi reatum, totam judicii causam. Summum delictum*, sæpe vocat Sanctus Cyprianus: Aliquando *gravissimum & extremum: ingens & immensum*, Presbyteri & Diaconi Romani ad Sanctum Cyprianum scribentes. Cùm itaque Episcopi Africani pacem, seu Absolutionem Sacramentalem mœchis, etiam in supremo vitæ discrimine negaverint, videntur consequenter eam negasse idololatris & homicidis.

Lib. de Idololat.

S. Cyprian. Epist. 10 & 11 & 12. & lib. de Lapsis.

Ne tamen existimes Episcopos illos in eodem luto cum Novatianis hæsisse. Nam absolutionem mœchis, homicidis, & idololatris non negarunt, *Desperatione indulgentiæ, sed rigore disciplinæ.* (ut Sanctus Augustinus in simili causa loquitur, Epistola 50.) Sicut ergo Ecclesiæ Gallicanæ disciplinam, qua criminum capitalium reis ad mortem damnatis absolutionem denegabat ad annum usque 1396. quô hanc consuetudinem Carolus Sextus Rex Christianissimus, Cleri, Procerumque precibus annuens, abrogavit Edicto dato Parisiis 4. Nonas Februarii, nemo Novatianismi jure insimulaverit: ita nec Africanorum Antistitum severitatem. Illi enim Ecclesiam potestatem habere peccata remittendi mœchis, homicidis & idololatris credebant; sed nolebant ea uti, ut istius disciplinæ rigore homines à tam gravibus peccatis deterrerent.

Hoc edictum Caroli Sexti integrum refert Fontano, tom. 1. Edictorum & Constitutionum Regum Franciæ, Tit. 61. num. 1.

## PROPOSITIO III.

*Nulla Orientis Ecclesia, nec celeberrima Occidentis, ut Romana, Carthaginensis, Hispaniensis & cæt. Pacem, sive Absolutionem Sacramentalem Lapsis Pœnitentia functis umquam denegarunt.*

Probatur prima pars exemplo Sancti Joannis, qui omnes Asiæ fundavit, rexitque Ecclesias; illisque & fidei, & disciplinæ regulas tradidit. Illius celebre factum ex Clemente Alexandrino refert Eusebius libro 3. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 17. Res ita se habuit. S. Joannes ex Insula Pathmo reversus, cùm Asiæ lustraret Ecclesias, Adolescentem ingenuum & venustum intuitus, eum urbis Episcopo commendavit. Mandato Apostolico morem gerens Antistes, illum piè instituit, ac Baptismo initiavit; sed cùm erga illum de pristinis curis nonnihil remisisset, à pietate Juvenis defecit, atque à ganeonibus depravatus, dux prædonum evasit, & in omne flagitiorum genus præceps ruit. Illam fortè civitatem lustrans Sanctus Joannes, charissimum ab Episcopo repetiit depositum: à quo miserrimi adolescentis lapsum cùm didicisset, equum ascendit, & itineris duce assumpto, confestim perrexit ad locum quem prædo cum nefaria sui similium turba insederat. Illum ut conspexit perditissimus Juvenis, fugam arripuit. Ipsum verò pro viribus insecutus Apostolus, his verbis revocavit ad Pœnitentiam. *Quid fili! me tuum ipsine Patrem, inermem, & ætate confectum fugis? Miserere laboris mei, ne formides; adhuc tibi salutis spes reliqua est: Ego Christo pro te reddam rationem: &, si sit opus, pro te lubens mortem oppetam, sicut Dominus pro omnibus nobis: pro sua anima meam dabo. Consiste, crede; Christus me misit ad te.* Hæc audiens dux ille prædonum, *Oculis primum humi defixis constitit, deinde arma abjecit: tum horrore perfusus, graviter & acerbè lamentatus est. Senem ad se adventantem complexus, fletu & mœrore, quoad poterat, pro culpa satisfecit: & dextrâ solâ occultatâ, lachrymarum undâ secundò baptizatur. Apostolus rata & constanti asseveratione, ei se à Servatore veniam precibus suis impetraturum pollicetur: atque ad genua accedens, ipsam manum dexteram, tamquam aquâ pœnitentiæ ablutam, purgatamque osculatus, illum ad Ecclesiam reducit. Crebris item precibus Deum pro illo invocat, continuis jejuniis una cum eo se macerat, variis divinæ sapientiæ sententiis ejus animum quasi quibusdam lenociniis mitigat, tranquillatque: neque prius, ut fertur, inde decessit, quam illum Ecclesiæ restituisset.* Ex cujus historiæ serie colligitur, Sanctum Joannem Evangelistam non tradidisse Orientalibus Ecclesiis morem, ac disciplinam absolutionis denegandæ idololatriæ, homicidii, & mœchiæ: siquidem illum prædonum ducem multis homicidiis inquinatum, aliisque nefariis facinoribus pollutum, post brevem pœnitentiam Communioni restituit. Verùm nec alii Apostoli tam duram Ecclesiis disciplinam tradiderunt, ut constat exemplo incestuosi Corinthii, quem Sanctus Paulus post annuam Pœnitentiam absolvit. (2. Cor. 2. cap.)

Probatur secundò ex libro 2. Pastoris, Mandato 4. ubi Pœnitentia, & post Pœnitentiam venia; ex Angeli mandato quibuslibet peccatis, & mœchiæ sigillatim conceditur. Ejus verba refert Clemens Alexandrinus libro 2. Stromatum. Cùm ergo liber ille maximo in pretio esset apud Ecclesias primis Sæculis, non videtur probabile quòd Lapsis absolutionem in exitu negaverint.

Probatur tertiò testimonio Sancti Irenæi lib. 1. adversùs Hæreses, cap. 9. ubi refert mulieres quasdam à Marco hæresiarcha constupratas, exomologesi facta, in Ecclesiam receptas fuisse.

Probatur quartò ex Sancto Dionysio Alexandrino, in Epistola ad Fabium, cujus fragmentum refert Eusebius libro 6. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 36. in qua Serapionis historiam narrans, & de Sacerdote loquens ad quem ille in extremis constitutus puerum miserat, hæc habet: *Quoniam à me mandatum dabatur, ut qui jam essent vitâ emigraturi, Sanctorum Mysteriorum (dummodo peterent, & vel maximè si antea, dum integra valetudine erant, supplices petivissent) participes fierent: sicque cum pace dimissi, & bona spe confirmati, ex hac luce decederent: puero exiguam quamdam Eucharistiæ partem dedit, præcipiens ut eam madefactam in os Senis infunderet.* Serapion porro idolis immolaverat, & publicam propterea peragebat Pœnitentiam. Idololatris igitur, aliorumque canonicorum criminum reis, in Ecclesia Alexandrina, absolutio concedebatur & venia, si Pœnitentiâ functi essent.

Probatur quintò ex Canonibus, qui dicuntur vulgò Apostolici, quorum quinquagesimus primus hæc habet: *Si quis Episcopus, aut Presbyter à peccato revertentem non recipit, sed rejicit, deponatur: quoniam Christum molestiâ afficit, qui dixit: Gaudium est in cælo propter unum peccatorem pœnitentiam agentem.*

Et Canone sexagesimo ita decernitur: *Si adversùs Fidelem aliqua accusatio intendatur: vel fornicationis, vel adulterii, vel alicujus aliùs prohibitæ actionis, & convictus fuerit, ad Clerum ne prove-*

*batur*. Certè si mœchi in perpetuum à Communione pulsi fuissent, non fuisset timendum, nec singulari Canone cavendum, ne ad Clerum promoverentur.

Et Canone 62. statuitur ut *Si quis Clericus propter metum humanum, vel Judæi, vel Græci, vel Hæretici negaverit; siquidem nomen Christi, ejiciatur: si autem nomen Clerici, deponatur. Pœnitentiam autem agens, ut Laicus recipiatur.* Igitur qui gravissimum crimen commiserat negationis Christi, absolutione donabatur, & Communione Laica: multo magis illi qui minùs gravia crimina perpetraverant, ut homicidium, vel fornicationem.

Probatur sextò ex Concilio Nicæno, Canone 13. ita sanciente: *De his qui ad exitum veniunt, etiam nunc lex antiqua regularisque servabitur, ita ut si quis egreditur è corpore, ultimo & maximè necessario Viatico minimè privetur.* Ante Concilium itaque Nicænum, jam ab antiquo, lege lata ab Ecclesia statutum erat, observatumque, ut nullus in exitu privaretur ultimo & maximè necessario Viatico. Atqui Viaticum maximè necessarium est absolutio à peccatis, non autem Eucharistia; de qua postmodum Patres eodem Canone ita decernunt: *Generaliter autem omni cuilibet in exitu posito, & poscenti sibi Communionis gratiam tribui, Episcopus probabiliter ex oblatione dare debebit.* Tribus igitur primis Ecclesiæ sæculis, absolutio non denegabatur Lapsis quibuscumque Pœnitentia functis, in Ecclesia præsertim Orientali.

Porro quod Viatici nomine absolutionem intellexerint Nicæni Patres, constat ex Arausicano Concilio Primo, Canone 3. ita decernente: *Qui recedunt de corpore, pœnitentiâ acceptâ, placuit sine reconciliatoria manus impositione eis communicari, secundùm definitiones Patrum, qui hujusmodi Communionem congruenter Viaticum nominarunt.*

Dices: Communio quæ sine reconciliatoria manus impositione tribuebatur, non erat absolutio à peccatis: igitur tum Nicæni, tum Arausicani Patres absolutionem Lapsis moribundis denegandam sanxerunt: & ante ista Concilia disciplina illa in Ecclesia observabatur.

Respondeo, Reconciliationem duplicem esse distinguendam, juxta Canones, primam & minimam, ultimam & maximam. Prima jus Communionis simplicis restituebat, id est, Pœnitentes corpori Ecclesiæ redintegrabat, solvebat peccatorum vinculis, & omnium rerum, Eucharistiæ dumtaxat & Oblationum usu exceptò, concedebat societatem. Altera jus percipiendæ Eucharistiæ, & communicandi Altari tribuebat, quæ vocabatur, *Legitima Communio*. Ex Canone igitur Arausicano perspicuum est, Pœnitentem imminente obitu, primâ & minimâ reconciliatione donari potuisse, seu juri simplicis Communionis restitui, quæ, sine solenni manuum impositione, ad salutem sufficeret, seu absque ultima illa, & maxima reconciliatione. Enimverò major illa reconciliatio eo tantùm nomine dabatur, ut Pœnitenti jus redderetur ad Eucharistiam: ideoque cùm Pœnitenti, qui extremum spiritum mox efflaturus erat, negata Eucharistia est, eidem quoque ultima & maxima negata est reconciliatio. Unde postquam Synodus Arausicana sanxit, sine manûs impositione reconciliatoria dari posse Communionem, quæ morientium sufficiat consolationi, sive quæ sit ad eorum salutem sufficiens, addidit: *Quod si supervixerint, stent in ordine Pœnitentium, ut ostensis necessariis Pœnitentiæ fructibus, legitimam Communionem*, id est, Eucharistiam, *cum reconciliatoria manûs impositione percipiant.*

Probatur secunda pars Propositionis, de Ecclesia scilicet Romana, ex Epistolis Cleri Romani ad Sanctum Cyprianum; præsertim ex Epistola a.

A qua Lapsorum caussas in suspenso manere decernit ad novi usque Pontificis electionem, iisque interim pacem dari prohibet, exceptis tamen illis qui in supremo vitæ discrimine constituti fuerint, quibus Absolutionem dari jubet actâ Pœnitentiâ, id est, si Pœnitentiam antea agere cœpissent, & in ejus curriculo, morbo lethali corriperentur. *Cujus*, inquit, *temperamenti moderamen nos hic tenere quærentes, diu & quidem multi & quidem cum quibusdam Episcopis vicinis nobis & appropinquantibus, & quos ex aliis Provinciis longè positis persecutionis istius ardor ejecerat, ante constitutionem Epis-* B *copi nihil innovandum putavimus, sed Lapsorum curam mediocriter temperandam esse credimus; ut interim dum Episcopus dari à Deo nobis sustinetur, in suspenso eorum, qui moras possunt dilationis sustinere, caussa teneatur: eorum autem, quorum vita suæ finem urgens exitus dilationem non potest ferre, actâ Pœnitentiâ & professâ frequenter suorum detestatione factorum; si lachrymis, si gemitibus, si fletibus dolentis ac verè pœnitentis animi signa prodiderint, cùm spes vivendi secundum hominem nulla substiterit, ita demum cautè & sollicitè subveniri. Deo ipso sciente quid de talibus faciat, & qualiter* C *judicii sui examinet pondera; nobis tamen anxiè curantibus, ut nec pronam nostram improbi homines laudent facilitatem; nec verè Pœnitentes accusent nostram quasi duram crudelitatem.* Cùm itaque florentissimus Clerus Absolutionem Lapsis moribundis tribui jubens, non innuat se novi aliquid decernere, aut antiquam se emollire Disciplinam, argumento est nusquam antea Romanam Ecclesiam Lapsis, qui Pœnitentiam sani inchoaverant, aut postulaverant, Absolutionem in exitu denegasse.

[*] Inter Epistolas S. Cypriani, 31.

D Probatur tertia pars de Ecclesia Carthaginensi, ex Sancto Cypriano Epistola 52. ad Antonianum data, in qua contra Novatianum ad hominem disputans, qui cum mœchis in Schismatica sua Factione, Communione junctus erat, ostendit mœchis Communionem dari, secundùm Apostoli præceptum, si Pœnitentiam egerint: indeque concludit contra Novatianos, pacem Idololatris etiam esse concedendam, si Pœnitentiâ functi fuerint: & in eos, qui Lapsis Communionem in perpetuum negabant, toto eloquentiæ impetu E debacchatur. At quis existimet ita væcordem fuisse Sanctum Cyprianum, ut eum morem tam acri censura damnet, verbisque tam vehementibus insectetur, qui antea fuisset ab universa Ecclesia Africana receptus, & Carthagine celebris? En Sancti Cypriani verba. *Miror autem quosdam sic obstinatos esse ut dandam non putent Lapsis Pœnitentiam, aut Pœnitentibus existiment veniam denegandam, cùm scriptum sit: Memento unde cecideris, & age Pœnitentiam.* Et infra: *Aut si se cordis, & renis scrutatorem constituit & judicem* (Novatianus) *per omnia æqualiter judicet, & cùm sciat scriptum esse: Ecce sanus factus es, jam noli peccare, ne quid tibi deterius fiat, frau-* F *datores & mœchos à latere atque à comitatu suo separet: quando multò & gravior & pejor sit mœchi, quàm Libellatici caussa..... Quibus tamen & ipsis*, (scilicet mœchis) *Pœnitentia conceditur, & lamentandi ac satisfaciendi spes relinquitur, secundùm ipsum Apostolum dicentem: Timeo ne fortè veniens ad vos, lugeam multos ex iis qui antè peccaverunt, & non egerunt Pœnitentiam de immunditiis quas fecerunt, & fornicationibus, & libidinibus.*

Et infra, Catholicæ Ecclesiæ Fidem & Disciplinam circa Pœnitentium Lapsorum reconciliationem, & Novatianorum hæreticorum in Absolutionis denegatione crudelitatem sic exponit. *Neminem putamus*

*putamus à fructu satisfactionis, & spe pacis arcendum: cùm sciamus juxta Scripturarum divinarum fidem, authore & hortatore ipso Deo, & ad agendum pœnitentiam peccatores redigi, & veniam atque indulgentiam Pœnitentibus non denegari.* Deinde his verbis Novatianorum inhumanitatem execratur: *Atque ò frustranda Fraternitatis irrisio! ò miserorum lamentantium caduca deceptio! ò hæretica institutionis inefficax & vana traditio! hortari ad satisfactionis pœnitentiam, & subtrahere de satisfactione medicinam: dicere fratribus nostris: Plange & lachrymas funde, & diebus ac noctibus ingemisce, & pro abluendo & purgando delicto tuo largiter & frequenter operare; sed extra Ecclesiam post omnia ista morieris: quæcumque ad pacem pertinent, facies; sed nullam pacem, quam quæris, accipies. Quis non statim pereat? Quis non ipsa desperatione deficiat? Quis non animum suum à proposito lamentationis avertat? Operari tu putas rusticum posse, si dixeris: Agrum peritiâ omni rusticitatis exerce; culturis diligenter insiste; sed nullam messem metes, nullam vindemiam premes, nullos oliveti tui fructus capies, nulla de arboribus poma decerpes? Vel si ei, cui dominium est, usum navium suadeas, dicas: Materiam de excellentibus sylvis mercare, frater; carinam prævalidis & electis roboribus intexe, clavo, funibus, velis, ut fabricetur atque armetur navis, operare: sed cùm hæc feceris, fructum de actibus ejus & cursibus non videbis? Præcludere est atque abscindere iter doloris, ac pœnitendi viam, ut cùm in Scripturis Dominus Deus revertentibus ad se, & Pœnitentibus blandiatur; nostrâ duritiâ & crudelitate, dum fructus pœnitentiæ intercipitur, Poenitentia ipsa tollatur. Quòd si invenimus à Pœnitentia agenda neminem debere prohiberi, & deprecantibus atque exorantibus Domini misericordiam, secundùm quod ille misericors & pius est, per Sacerdotes ejus pacem posse concedi; admittendus est plangentium gemitus, & Poenitentiæ fructus dolentibus non negandus. Et quia apud inferos Confessio non est, nec exomologesis illic fieri potest: qui ex toto corde poenituerint, & rogaverint, in Ecclesiam debent interim suscipi, & in ipsa Domino reservari, qui ad Ecclesiam suam venturus, de illis utique, quos in ea intus invenerit judicabit.* Cùm itaque illæ Sancti Cypriani rationes adversùs Novatianorum duritiam, æquè efficaces fuissent adversùs Disciplinam Ecclesiæ Africanæ, si tam dura extitisset, ut denegasset Absolutionem Lapsis Pœnitentiâ functis; verisimile non est quòd Africana Ecclesia Lapsis Pœnitentiam agentibus pacem & Absolutionem in exitu usquam denegaverit.

Probatur ultima pars de Ecclesia Hispaniensi. Si ex aliquo Antiquitatis Ecclesiasticæ monumento probari posset Lapsis Pœnitentibus Absolutionem Sacramentalem fuisse denegatam in exitu, maximè ex Concilio Illiberritano, cujus Canones in criminum graviorum reos hanc frequenter pœnam decernunt, *Nec in fine accipiant Communionem*, vel, *Placuit nec in fine eos ad Communionem suscipere* (ut constat ex Canonibus 1. 2. 3. & aliis:) atqui nomine Communionis non intellexerunt Illiberritani Patres Asolutionem Sacramentalem, sed Eucharistiam. Nemo igitur hujus auctoritate Synodi evincet, Lapsis Pœnitentiâ functis negatam fuisse ab Ecclesia Hispaniensi Absolutionem Sacramentalem.

Probatur minor. Communio Dominica, & Communio pacis, de qua Fideles edunt, Eucharistia est, non Absolutio à peccatis. Licet enim Absolutionem Communionis nomine Patres & Concilia sæpius significaverint, quoties tamen hoc epithetum, *Dominica*, addiderunt, Eucharistiam designavere: quod fecerunt etiam quoties Communionis nomini vocem aliquam adjunxerunt, quæ manducationem significat, vel ad eam ordinem dicit. Sed Illiberritani Patres eam Communionem dumtaxat Lapsis negant in exitu, quam vocant postea Communionem Dominicam, & Communionem pacis, de qua edunt Fideles: de Communione igitur sive susceptione Eucharistiæ, non verò de Absolutione à peccatis intelligendi sunt, cùm nec in fine dandam Communionem decernunt.

Probatur minor ex Canone 3. qui de Flaminibus, post peractam pœnitentiam, Communione in exitu refectis constituit, ut si mœchiæ sordibus, restituta valetudine, sese iterum inquinaverint, à Communione postea perpetuò repellantur, ne videantur lusisse de Communione Dominica. En verba Canonis: *Item, si post Pœnitentiam fuerint moechati, placuit ulterius eis non esse dandam Communionem, ne lusisse de Dominica Communione videantur.*

Idem colligitur ex Canone 47. ita decernente adversùs conjugatum, qui sæpius mœchatur: *Si quis Fidelis habens uxorem, non semel, sed sæpe fuerit moechatus, in fine mortis est conveniendus; quòd si se promiserit cessaturum, detur ei Communio; si resuscitatus, rursus fuerit moechatus, placuit ulteriùs non edere eum de Communione pacis*; vel, ut habent alii Codices, *non ludere de Communione pacis*. In Codicibus aliis legitur, *de Communione panis*. Sed quocumque modo legatur, perspicuum est hæc verba ad Communionem Eucharistiæ esse referenda.

Idem constat ex Canone 54. quo decernitur ut parentes, qui sponsaliorum fidem à filiis datam fregerint, *triennii tempore abstineant se à Communione*. Certè nomine Communionis hîc intelligi Eucharistiæ perceptionem, evidens est; nam abstinere se à remissione peccatorum, vel Absolutione, dicitur nemo, secundùm modum loquendi à Patribus & Authoribus Ecclesiasticis usurpatum: rectè autem dicitur abstinere se ab Eucharistia.

Secundò probatur ex Canone 46. quo Idololatris exceptis, indulgetur Apostatis Communio post decennium Pœnitentiæ: non est igitur verisimile, quòd fornicatoribus & adulteris, quorum minus erat quàm Apostatarum crimen, Communionis absolutè sumptæ, seu Absolutionis à peccatis perpetuò beneficium Patres negaverint. En Canonis verba: *Si quis fidelis Apostata, per infinita tempora ad Ecclesiam non accesserit: si tamen aliquando fuerit reversus, nec fuerit Idololatra, post decem annos placuit eum Communionem accipere.* Idem sancitum est de Catholicis ad hæresim deficientibus, Canone 22. *Si quis de Catholica Ecclesia ad hæresim transitum fecerit, rursusque ad Ecclesiam recurrerit, placuit, huic poenitentiam non esse denegandam: eo quòd cognoverit peccatum suum: qui etiam decem annis agat poenitentiam, cui post decem annos præstari Communio debet.*

Tertiò. Pontifices, & Concilia, quæ Communionis perpetuam privationem in certorum criminum reos decernunt, ipsis Illiberritanæ Synodi verbis, ejusque etiam laudatis Canonibus, non intellexerunt nomine Communionis Absolutionem Sacramentalem. Cùm enim longè post Nicæni Concilii tempora scriberent, quod Absolutionem in exitu Lapsis dari constituit, & iis Sæculis, quibus jam remitti cœperat Pœnitentialis Disciplinæ severitas, incredibile est quòd secuti fuerint Disciplinæ illius duritiem, quæ Lapsis Poenitentiâ functis Absolutionem denegasset. Itaque nec Illiberritani Patres, quorumdam reos criminum perpetuò privantes Communione, Absolutionem Sacramentalem,

mentalem, Communionis nomine intellexerunt, sed Eucharistiam.

Antecedens constat ex Adriano I. qui in ea Canonum Collectione, quam fecit ad causse suæ tuitionem, septuagesimum quintum hujus Concilii Canonem eisdem verbis retulit: *Si quis Episcopum, aut Presbyterum, aut Diaconum, falsis criminibus appetierit, & probare non potuerit, nec in fine dandam ei esse Communionem.* Idem constat ex Concilio Coloniensi sub Carolo Crasso Imperatore, Canone sexto, in quo decimus tertius Illibetritani Concilii Canon refertur totidem verbis, & probatur: *De Virginibus, si moechata fuerint, statuimus, sicut in Concilio Illiberritano, Canone 13. scriptum est: Virgines quæ se Deo dedicaverunt, si pactum perdiderint virginitatis, atque eidem libidini servierint, non intelligentes quid amiserint, placuit nec in fine dandam eis esse Communionem.* Eadem habet Concilium Moguntinum Tertium tempore Arnulfi Regis, Canone 26. Idem colligitur ex Concilio apud Sanctum Medardum in Suburbio Suessionensi, tempore Caroli Regis, in quo ad finem Canonis ultimi hæc habentur: *Unde & iidem Fratres, qui felle amaritudinis majores natu criminati sunt, quorumque vox muta fore est judicata, juxta canonicam auctoritatem, secundum Concilium Illiberritanum, cap. 75. Si quis, inquiens, Episcopum, vel Presbyterum, vel Diaconum, falsis criminibus appetierit, & probare non potuerit, nec in fine dandam ei esse Communionem.*

Obiectio. Impugnatur secunda pars propositionis auctoritate Tertulliani, qui disertis verbis testatur, suo primùm tempore pacem mœchia in Ecclesia Romana & Africana indultam fuisse, Zephirino priscam severitatem erga ipsos remittente; Idololatria verò & homicidia fuisse in utraque Ecclesia negatam. Unde in Catholicos hoc argumento utitur in libro de Pudicitia: Idololatris & homicidis pacem negatis: debetis igitur & mœchis eam denegare. Porro non ita sensu destitutus erat Tertullianus, ut sic ratiocinari potuisset, nisi res fuisset omnibus explorata, Pacem, sive Absolutionem Sacramentalem homicidis, & idololatris, Romæ, & in Africa, denegari. En Tertulliani verba, libro de Pudicitia, cap. 5. *Pompam quamdam atque suggestum aspicio moechiæ, hinc ducatum idololatriæ antecedentis, hinc comitatum homicidii insequentis. Inter duos apices facinorum eminentissimos sine dubio digna consedit, & per medium eorum quasi vacantem locum pari criminis auctoritate complevit. Quis eam talibus lateribus inclusam, talibus costis circumfultam à cohærentium corpore divellet? De vicinorum criminum nexu, de propinquorum scelerum complexu, ut solam eam secernat ad poenitentiæ fructum?* Et infra: *Quid agis mollissima & humanissima disciplina? Aut omnibus eis hoc esse debebis: Beati enim pacifici; aut si non omnibus, nostra esse. Idololatram quidem & homicidam semel damnas, moechum verò de medio excipis: idololatræ successorem, homicidæ antecessorem, utriusque collegam.*

Et cap. 9. *Cæterùm si in hoc gestit diversa pars, ovem, & drachmam, & filii luxuriam Christiano peccatori configurare, ut moechiam & fornicationem Poenitentia donet, aut & cætera delicta pariter capitalia concedi oportebit, aut paria quoque eorum moechiam, & fornicationem, inconcessibilia servari.*

Et cap. 12. *Novissimi Testamenti semper indemutabilis status est, & utique recitatio decreti, consiliumque illud cum sæculo desinet. Satis denegavit veniam eorum, quorum custodiam elegit; vindicavit, quæ non proinde concessit. Hinc est quòd nec sanguini pax ab Ecclesiis redditur.*

Capite denique ultimo sic colligit: *Quæcumque auctoritas, quæcumque ratio moecho & fornicatori pacem ecclesiasticam reddit, eadem debebit & homicidæ, & idololatræ poenitentibus.*

Responsio. Respondeo, Tertullianum inhumanam illam erga homicidas & idololatras disciplinam, Ecclesiæ falsò affingere. Licet enim Zephirinus pristinam severitatem erga mœchos nonnihil temperaverit, non tamen ipsis tunc primùm communionem & veniam sanxit esse concedendam. Nec etiam homicidis & idololatris pax ab ipso, aut ab aliis Romanæ Ecclesiæ Pontificibus denegata est. Tertullianus itaque Montanista, in libro de Pudicitia, quem adversus Ecclesiam conscripsit, pro Hæreticorum more & ingenio imponit Catholicis, falsóque asserit ipsos homicidis & idololatris pacem negavisse. Hæc autem Tertulliani in Ecclesiam calumnia ex ipsius Scriptis meridiana luce clariùs demonstratur: & rem aliter se habuisse quàm referat, his evincitur momentis:

Primò, quia initio libri de Pudicitia, testatus se mutasse sententiam, quam in libro de Pœnitentia propugnavit, quæ Catholicæ Ecclesiæ sententia erat, atque fides. *Erit igitur*, inquit, *& hic adversùs Psychicos titulus; adversùs mea quoque sententia retrò penes illos societatem, quò magis hoc mihi in notam levitatis objectent.* Cùm itaque in toto libro de Pudicitia illum unum præstituerit sibi scopum, ut ostenderet peccata graviora esse irremissibilia, præsertim idololatriam, homicidium, & mœchiam: rectè colligitur ipsum aliter sensisse, cùm scripsit librum de Pœnitentia. Cúmque idololatriæ, & homicidio pacem, idest, absolutionem, denegari ab Ecclesia asserat, consequens est illum sensisse, cùm adhuc in Ecclesiæ castris militaret, nullum peccatum esse irremissibile, & graviora etiam crimina, ut idololatriam, homicidium, & mœchiam, remitti Pœnitentibus per Ecclesiæ Claves.

Secundò, in libro de Pœnitentia, cap. 8. idololatras & mœchos ad pœnitentiam invitat, spe reconciliationis & veniæ ab Ecclesiæ obtinendæ. *Offendisti*, inquit, *sed reconciliari adhuc potes. Habes cui satisfacias, & quidem volentem. Id si dubitas, evolve quæ Spiritus Ecclesiis dicat: Desertam dilectionem Ephesiis imputat: stuprum, & idolothytorum esum Thyatirenis exprobrat: Sardos non plenorum operum incusat: Pergamenos docentes diversa reprehendit: Laodicenos fidentes divitiis objurgat. Et tamen omnes ad poenitentiam commonet, sub comminationibus quidem. Non comminaretur autem non poenitenti, si non ignosceret poenitenti.* Falsum igitur est quod Tertullianus in libro de Pudicitia asserit, idololatris & homicidis veniam fuisse ab Ecclesia denegatam.

Tertiò id probatur ex ipso libro de Pudicitia, cap. 3. ubi Catholicorum adversùs Montanistas luculentissimam ratiocinationem refert, tribus propositionibus innixam, quarum prima hæc est: *Omnis criminis agenda est poenitentia.* Secunda: *Omni Poenitenti danda est venia; alioqui Poenitentia inutilis foret.* Tertia: *Veniæ illius concedendæ potestas est penes Ecclesiam.* Ecclesiæ itaque doctrina & disciplina illis temporibus, quorumlibet criminum reis Pœnitentiam, & ubi Pœnitentiâ functi essent, absolutionem & veniam concedebat. En rationem Catholicorum, Tertulliani verbis expressam. *Sed priùs decidam intercedentem ex diverso responsionem ad eam poenitentiæ speciem, quam cùm maximè definimus veniâ carere. Si enim, inquiunt, aliqua Poenitentia caret veniâ, jam nec in totum agenda tibi est. Nihil enim agendum est frustra. Porro frustra agetur poenitentia, si caret veniâ. Omnis autem Poenitentia agenda est. Ergo om-*

nis

*his veniam consequatur, ne frustra agatur; quia non erit agenda, si frustra agatur. Porro frustra agitur, si venia carebit. Merito itaque ita opponunt, quoniam hujus quoque Pœnitentiæ fructum, id est, veniam, in sua potestate usurpaverunt. Quantum enim ad illos, à quibus pacem humanam consequitur: quantùm autem ad nos, qui solum Dominum meminimus delicta concedere, & utique mortalia, non frustra agetur.* Ex his evidentissimum est, Ecclesiam Tertulliani tempore, concessisse veniam & absolutionem, non solùm mœchia, sed etiam idololatris, & homicidis. Nam contra denegationem veniæ trium istorum criminum, aliorumque omnium reis, æquè pugnat Catholicorum ratio; Pœnitentiam scilicet inutilem fore, si veniâ & absolutione ab Ecclesia concessâ non compensetur.

Quartò, Scripturæ Sacræ testimonia, quibus adversùs Tertullianum & Montanistas pugnabant Catholici, non mœchis dumtaxat, verùm etiam idololatris, & homicidis, & quorumlibet criminum reis, modò pœnitentiam agerent, veniam esse concedendam demonstrabant. Utebantur enim (ut constat ex Tertulliano in lib. de Pudicitia) Parabolis ovis & drachmæ perditæ, & filii prodigi in gratiam recepti à patre. Proferebant etiam hæc testimonia ex Epistola Sancti Joannis: *Sanguis Filii enim ejus emundat nos ab omni delicto.* &, *Si confitemur delicta nostra, fidelis & justus est, ut dimittat ea nobis, & emundet nos ab omni injustitia.*

Ultimò. Catholici Montanistis objiciebant auctoritatem libri Pastoris (ut constat ex Tertulliano, cap. 10. ejusdem libri) *Sed cederem tibi,* inquit, *si scriptura Pastoris, qua sola mœchos amat, divino instrumento meruisset incidi, si non ab omni Concilio Ecclesiarum etiam vestrarum, inter apocrypha & falsa judicaretur adultera & ipsa, & inde patrona sociorum.* At liber Pastoris non tantùm adulteris & fornicatoribus, sed omnium omnino criminum reis veniam concedendam esse asserit, ut libro 2. Mandato 4. videre est; quem locum Catholicos Montanistis opposuisse est verisimillimum. Igitur Catholici non mœchiam tantùm, sed omnia prorsus crimina, homicidium, & idololatriam, Pœnitentiâ functis ab Ecclesia dimitti posse, & meritò dimitti asserebant.

Contra. Nisi Tertulliano fides adhibeatur Disciplinam Ecclesiasticam sui temporis referenti, nusquàm testis advocari poterit traditionis, aut observantiarum Ecclesiasticarum. Unde frustra Catholicorum dogmatum vindices ejus testimonia proferent ex libro de Jejuniis, ad Jejunii Ecclesiastici certis temporibus, & diebus, præcipuè ante Pascha, demonstrandam observantiam, jam primis sæculis celebrem. Itaque Tertulliano fides derogari non debet, asserenti pacem idololatris & homicidis fuisse suis temporibus denegatam, & mœchis tunc primùm concessam.

Respondeo, nego antecedens. Poterit enim testis proferri traditionis, & observantiarum Ecclesiasticarum, cùm de Montani erroribus, aut aliis ipsi propriis, quæstio non est, cùm secum ipse non pugnat, & cum aliis Patribus consentit. At in eo, quod tractamus, argumento, agitur de Montani errore, in quo hæsisse Tertullianum certum est, secum ipse pugnat Tertullianus, siquidem aliud asserit in libro de Pudicitia, quem Hæreticus scripsit contra Ecclesiam, aliud in libro de Poenitentia, quem Catholicus edidit. Ipsi porro Catholico potiùs, quàm Hæretico credendum est. Non consentit etiam cum aliis Patribus, & Authoribus Ecclesiasticis, maximè cum Sancto Cypriano suppare Scriptore, & majori longè fide digno. Ejus igitur hac in quæstione explodendum est testimonium; velut impostoris, & Ecclesiæ hostis.

Quidni verò imposuisse credatur Ecclesiæ Tertullianus, cùm idololatris & homicidis veniam suo tempore ab Ecclesia fuisse negatam, & mœchis pacem tum primùm concessam asserit; cujus alteram calumniam in postremo capite libri de pudicitia legimus? Martyrum namque consuetudinem enarrans, qui libellos lapsis concedebant, sic de more illo loquitur; quasi Martyres absolutam remittendorum peccatorum potestatem sibi vindicarent, hancque ipsis tribueret Ecclesia. *At tu jam & in Martyres tuos effundis hanc potestatem,* inquit, ...... *Sufficiat Martyri propria delicta purgasse. Ingrati, vel superbi est, in alios quoque spargere, quod pro magno fuerit consecutus. Quis alienam mortem sua solvit, nisi Dei Filius?*

Objectio secunda.

Objicitur secundò. Clerus Romanus, & Sanctus Cyprianus fiduciario primum Decretò statuerunt, ut Lapsis in exitu pax concederetur, illis maximè qui libellos à Martyribus accepissent: peremptorio deinde Judicio decreverunt, persecutione sedatâ, ut interim admitterentur Libellatici, Sacrificatis verò in exitu subveniretur. Atqui id frustra sancitum fuisset, nisi antea in Ecclesia Romana & Carthaginensi pax Lapsis negata fuisset: itaque Lapsis, etiam in exitu constitutis, pax sive Absolutio Sacramentalia aliquando à celeberrimis illis Ecclesiis negata est.

Probatur major ex Epistola a. Cleri Romani ad Sanctum Cyprianum, * cujus hæc sunt verba: *Ante constitutionem Episcopi, nihil innovandum putavimus, sed Lapsorum curam mediocriter temperandam esse credimus, ut interim dum Episcopus dari à Deo nobis sustinetur, in suspenso eorum, qui moras possunt dilationis sustinere, caussa teneatur. Eorum autem quorum vita sua finem urgens exitus dilationem non poterit ferre, actâ Poenitentia .... cùm spes vivendi secundum hominem nulla substiterit, ita demum cautè & sollicitè subveniri.*

* Extat inter Epist. S. Cypr. 31.

Sanctus verò Cyprianus Epistola 13. decernit; *Ut qui libellum à Martyribus acceperunt, & auxilio eorum adjuvari apud Dominum in delictis suis possunt, si premi infirmitate aliqua, & periculo cœperint, exomologesi factâ, & manu eis in poenitentiam impositâ, cum pace à Martyribus sibi promissa, ad Dominum remittantur.* Denique idem Sanctus Cyprianus Epistola 52. peremptorii Judicii tenorem his verbis refert: *Placuit, examinatis causis singulorum, Libellaticos interim admitti, Sacrificatis in exitu subveniri.*

Responsio.

Respondeo distinguo minorem. Nisi pax Lapsis negata fuisset, qui nullam Poenitentiam egerant, nec eam sani postulaverant, etiamsi libellos Martyrum præ manibus haberent, concedo. Nisi pax Lapsis negata fuisset, qui Poenitentiam egerant, vel inchoaverant, vel saltem postulaverant sani, & interim lethali morbo corripiebantur, nego. Itaque ex Decreto Romani Cleri, & Sancti Cypriani, cùm fiduciario, tum peremptorio, colligitur, Lapsis qui nullam Poenitentiam egerant, nec eam postulaverant dum plena sanitate fruerentur, negatam fuisse pacem & Absolutionem Sacramentalem in exitu. Quam tamen severitatem celeberrimæ Ecclesiæ temperarunt erga Lapsos, qui libellos pacis à Martyribus acceperant. Illis enim in honorem Martyrum pacem tribui sanxerunt, etiamsi premente infirmitate, imminentéque obitu, eam postulare cœpissent.

pistent. Hoc est quod in Ecclesiæ disciplina tunc fuit innovatum. Sed quoad pacem concedendam illis qui pœnitentiam fuerant auspicati, eamque agentes secundùm ordinarias Ecclesiæ leges lethali ægritudine intercipiebantur, veterem Disciplinam, & morem Ecclesiasticum Sanctus Cyprianus unà cum Romano Clero confirmavit, decernens illis in exitu pacem concedendam.

Contra. Ecclesia Romana, & Africana, Decreto peremptorio temperamentum constituerunt medium inter duo extrema, scilicet inter Novatianorum crudelitatem, qui Lapsis omnibus pacem negabant, & quorumdam Presbyterorum temeritatem, qui Lapsis omnibus pacem concedebant: atqui temperamentum inter illa duo extrema medium, est pacem Lapsis omnibus non concedere, nec rursum denegare omnibus: igitur Ecclesia Romana & Africana statuerunt, Lapsis omnibus non esse denegandam pacem, nec omnibus concedendam. Cùm igitur nihil innovasse supponamur circa Ecclesiæ Disciplinam, quantùm ad concessionem vel denegationem pacis, argumento est eam in utraque Ecclesia quibusdam Lapsis antea denegatam fuisse.

*Temperamentum ab Ecclesia Romana & Africana in Disciplina Pœnitentiali constitutum.*

Respondeo distinguendo minorem: Est pacem Lapsis omnibus non concedere, absque Pœnitentia, nec rursum denegare omnibus, quantumvis Pœnitentiam peregissent, aut agere cœpissent, concedo. Est pacem Lapsis omnibus Pœnitentiâ functis non concedere, nec rursùm omnibus absolutè denegare, nego. Itaque Novatiani, omnibus Lapsis, quantamcumque Pœnitentiam egissent, vel agerent, pacem negabant, ejusque tribuendæ potestatem adimebant Ecclesiæ. En primum extremum, planè hæreticum. Presbyteri verò incauti, ignari, & temerarii, Lapsis pacem concedebant, priusquam pœnitentiam ullam peregissent, & absque ulla satisfactione recipiendos ad Communionem esse contendebant, propter libellos Martyrum. En aliud extremum, planè contra Evangelicam censuram. Romana verò Ecclesia & Africana, sedatâ persecutione, & Cornelio Summo Pontifice electo, Cypriano verò Carthaginem reduce, peremptorio Decreto contra primum extremum, scilicet contra Novatianorum hæresim & sævitiam statuerunt, pacem Lapsis non esse perpetuò denegandam, ne in desperationem conjicerentur: contra secundum verò extremum, scilicet contra Presbyterorum temerariam insolentiam, vel incautam facilitatem, qui Lapsis pacem dabant nullâ Pœnitentiâ functis, decreverunt diuturnam & plenam Pœnitentiam ipsis antè agendam esse, quam Communione donarentur. En temperamentum ab Ecclesia Romana & Africana inter illa extrema constitutum. Ista responsio colligitur evidenter ex Epistola 52. Sancti Cypriani ad Antonianum data. *Secundum quòd ante fuerat destinatum*, inquit, *persecutione sopita, cùm data esset facultas in unum conveniendi, copiosus Episcoporum numerus, quos integros & incolumes fides sua, & Domini tutela protexit, & in unum convenimus, & Scripturis diu ex utraque parte prolatis, temperamentum salubri moderatione libravimus, ut nec in totum spes communicationis & pacis Lapsis denegaretur: ne plus desperatione deficerent, & eo quod sibi Ecclesia clauderetur, secuti Sæculum gentiliter viverent: nec tamen rursus censura Evangelica solveretur, ut ad communicationem temerè prosilirent; sed traheretur diu Pœnitentia; & rogaretur dolenter paterna clementia, & examinarentur caussa, & voluntates, & necessitates singulorum ... At si minùs sufficiens Episcoporum in Africa numerus videbatur, etiam Romam super hac re scripsimus ad Cornelium Collegam nostrum, qui & ipse cum plurimis Coepiscopis habitò consiliò, in eamdem nobiscum sententiam, pari gravitate, & salubri moderatione consensit.*

Hujus solutionis veritas etiam probatur ex iis quæ idem Sanctus Cyprianus ad Cornelium scribit, Epistola 55. contra Presbyteros Schismaticos. *Concilio*, inquit, *frequenter actò, non consensione tantùm nostrâ, sed & comminatione decrevimus, ut poenitentiam fratres agerent, ut poenitentiam non agentibus nemo temerè pacem daret: & illi contra Deum sacrilegi, contra Sacerdotes Deì impio furore temerarii, de Ecclesia recedentes, & contra Ecclesiam parricidalia arma tollentes, elaborant ne vulneratos divina clementia in Ecclesia sua curet, miserorum Poenitentiam mendaciorum suorum fraude corrumpunt, ne Deo indignanti satisfiat; ne Christum Dominum suum, qui Christianus esse vel erubuit ante, vel timuit, postmodùm quærat; ne ad Ecclesiam, qui de Ecclesia recesserat, redeat. Datur opera ne satisfactionibus & lamentationibus justis delicta redimantur, ne vulnera lachrymis abluantur. Pax vera falsa pacis mendacio tollitur, salutaris sinus matris noverca intercedente præcluditur, ne de pectore atque ore Lapsorum fletus & gemitus audiatur.*

Denique idem constat ex Epistola 54. quam Sanctus Cyprianus cum Africana Synodo ad eumdem Cornelium scripsit, in qua de peremtorio Decreto in caussa Lapsorum edito sic loquitur: *Statueramus quidem jampridem, Frater charissime! participatò invicem nobiscum consiliò, ut qui in persecutionis infestatione supplantati ab adversario, & lapsi fuissent, & sacrificiis se illicitis maculassent, agerent diu poenitentiam plenam; & si periculum infirmitatis urgeret, pacem sub ictu mortis acciperent. Nec enim fas erat, aut permittebat paterna pietas, & divina clementia, Ecclesiam pulsantibus claudi, & dolentibus, ac deprecantibus spei salutaris subsidium denegari, ut de sæculo recedentes, sine communicatione & pace ad Dominum dimitterentur: quando permiserit ipse qui legem dedit, ut ligata in terris, etiam in cælis ligata essent: solvi autem possent illic, quæ hic priùs in Ecclesia solverentur.* Itaque temperamentum ab Ecclesia Romana & Africana inter duo extrema superiùs notata constitutum in eo versabatur, ut Lapsis non denegaretur pax in exitu, si Pœnitentiam egissent, aut inchoassent, postulassentque sani: Nec tamen sanis concederetur Absolutio, nisi diu egissent Pœnitentiam plenam. Colligi ergo non potest ex Decretis Romanæ, & Africanæ Ecclesiæ, pacem antea Lapsis moribundis, & Pœnitentiâ functis, vel eam actu agentibus fuisse negatam. Imò contrarium colligitur ex Sancto Cypriano, tum locis supra citatis in probationibus, tum etiam loco mox laudato, Epistola 54. Ait enim nefas esse, nec permittere divinam clementiam, ut Ecclesia pulsantibus claudatur, & de sæculo recedentes, sine communicatione & pace dimittantur, idque ex Evangelica Lege, & Christi institutione probat. Porro quod agere nefas est, quod divina clementia non permittit, quod Christi legi adversatur, nusquam factum est ab Ecclesia. Constat igitur ex Sancto Cypriano, & Africanis Patribus, pacem Lapsis Pœnitentiâ functis, aut eam agentibus, nusquam denegatam in exitu fuisse ab Ecclesia Romana, vel Africana.

SCHOLION

## SCHOLION I.

Ad pag. 349. Editionis primæ, Religiosi Censores hanc Propositionem notant: *Damnatis ad mortem in Galliis datur Absolutio, sed non Communio.*

R. Facti Quæstio est, cujus testes oculati sumus. Ecclesiæ Gallicanæ Disciplina est, quam Sedes Apostolica numquam improbavit, quamvis alii sint mores Italiæ. Galliæ usus antiquæ Disciplinæ Romanæ Ecclesiæ consentaneus est, ut colligitur ex Epistola III. *Innocentii I.* ad *Exuperium* Tolosanum Episcopum. *Solum Pœnitentiæ Sacramentum ultimo deputandis supplicio negari, si petant,* prohibet Clemens V. in Clementina *De Pœnitentiis & Remissionibus*, cap. 1. *Robertus* S. R. E. Cardinalis *Pullus* libro VI. Sententiarum, cap. 53. Damnatis ad mortem Eucharistiam negandam docet, aut pœnam capitis remittendam. *Si Christus* (inquit) *à pœnitente & confesso suscipitur, quo ausu transitum à Christianis Templum Dei probro cruciatuum violatur? Aut si Presbyter Sacrarium Christi ab injuria se defendere non posse novit, quare in dedecus inhabitantis habitaculum consecravit? Reus si ad saxis constructum Templum confugerit, liber est; si verò ipse Pœnitentia & Confessione construatur, perceptione Eucharistiæ in vivum & verum templum dedicatur, liber non est. Judices ergo aut Sacerdotes arceant; aut reos & convictos, quoniam patronum suscepere Jesum, absolvant.* Hæc Robertus Pullus. In Italia, in Hispania, & Germania, viget contraria disciplina, Alexandri IV. Decretali cap. *Super eo. De Hæreticis*, in Sexto, & Pii V. Brevi Apostolico, necnon Concilii Augustani Decreto, & Caroli V. Edicto firmata. Suas habet utraque Disciplina rationes. Neutram improbamus.

## SCHOLION II.

Ad hanc Dissertationem, & ad pag. 360. Editionis primæ Religiosi Censores hanc Propositionem notant: *Duplex Reconciliatio & manûs impositio.*

R. Duplicem illam Reconciliationem & manûs impositionem, primam quâ juri simplicis Communionis restituebantur Pœnitentes, & peccatorum vinculis solvebantur, omniumque rerum ac bonorum spiritualium, Eucharistiâ dumtaxat & oblationum usu exceptis, fiebant participes: Alteram, quæ jus ad Eucharistiam tribuebat, & maxima seu *Legitima communio* vocabatur, nec primus, nec absque fundamento distinxi. Videatur *Albaspinæus* Aurelianensis Episcopus, lib. 1. *Observationum*, Observatione I. VI. XI. & lib. II. Observatione XXI. & *Morinus* libro VI. *De Administratione Sacramenti Pœnitentiæ*, cap. XXI. §. VI. Ea distinctio nititur Canone LXXVI. Concilii Carthaginensis IV. & Canone III. Concilii Arausicani I. laudati *Albaspinæi*, & *Sirmondi* virorum eruditorum Notis illustrato; quibus illa Observatio mea concordat. *Felices artes, si de illis soli artifices judicarent!*

# DISSERTATIO VIII.

## *De variis Pœnitentiæ publicæ Gradibus.*

QUATUOR fuerunt olim in Ecclesia Pœnitentiæ publicæ gradus, scilicet, *Fletus*, *Auditio*, *Substratio*, & *Consistentia*. Primus illorum sigillatim & distinctè meminit Sanctus Gregorius Thaumaturgus Canone ultimo Epistolæ suæ Canonicæ. Eosdem recensent Joannes Abbas Raithu in Scholiis ad Scalam Sancti Joannis Climaci, Harmenopulus in Epitome Canonum, Sectione 5. Titulo 3. Matthæus Blastares in Nomocanone, Aristænus in vigesimum primum Ancyranæ Synodi Canonem, & Gabriel Philadelphiæ Metropolita cap. 10. libelli quem de Pœnitentia scripsit. Ad eas stationes alludit Sanctus Ambrosius libro 2. de Pœnitentia. cap. 7. *Movebitur*, inquit, *misericordiâ* (Christus) *cùm viderit in tuo obitu lachrymas plurimorum, & dicet; Ubi posuistis eum? Hoc est, in quo reorum statu est: in quo Pœnitentium ordine?* Gradus illos, & quid in iis agerent Pœnitentes, vel quam erga ipsos Disciplinam in singulis stationibus Ecclesia observaret, sequentibus Articulis exponemus.



## ARTICULUS I.

### *De prima Pœnitentiæ publicæ statione, scilicet de Fletu.*

FLentium statio collocata erat in area, seu domuncula quadam Ecclesiæ adjacente, seu in porticu, aut vestibulo, quo ad Synaxes erat iter. Id colligitur ex Sancto Basilio in Epistola ad Amphilochium Canone 56. ubi de Pœnitentia homicidæ voluntarii decernens: *Debet*, inquit, *quatuor annis deflere, stans extra fores Oratorii, & Fideles ingredientes orans ut pro eo precentur, suam iniquitatem pronuntians.*

Eamdem stationem innuit Sanctus Chrysostomus Homilia 17. in Matthæum, ubi quosdam è plebe sibi subdita contumaces sic terret: *Cæterùm prohibebo vobis, ne sacra hæc vestibula conscendatis, & immortalibus Mysteriis participetis, ut fornicatoribus, adulteris, & homicidiorum reis.*

Fornicatoribus & adulteris eumdem locum Tertullianus assignat, libro de Pudicitia cap. 4. ultra quem graviorum obscœnitatum reos amandari testatur. *Reliquas autem*, inquit, *libidinum furias impias & in corpora, & in sexus, ultra jura naturæ, non modo limine, verùm omni Ecclesiæ tecto submovemus: quia non sunt delicta, sed monstra.*

*Inter Hyemantes orare.* Quid sit?

Stationem fletûs innuisse non videntur Ancyranæ Synodi Patres Canone 17. quo ita decernitur, secundùm Versionem Gentiani Herveti: *Eos qui rationis experia animantia inierunt, & qui leprosi sunt, vel fuerunt, jussit sancta Synodus inter hyemantes orare.* Hyemantium enim nomine (ut vox ipsa præ se fert) debent intelligi qui extra tectum, & sub dio orare tenebantur, aëris tempestatibus expositi. Flentes autem arcebantur quidem aditu Ecclesiæ, sed omni tectô non submovebantur: nam sub tectulo quodam præ templi foribus Pœnitentiam agebant.

Dionysius Exiguus Hyemantium nomine energumenos intelligit, & lepram spiritalem interpretatur; ut sit ille Canonis sensus: Ii qui detestandi vitii contagio, seu lepra alios infecerint, non Pœnitentes inter, sed cum energumenis orent, locô à Pœnitentibus & Catechumenis sejunctô. Unde sic vertit illum Canonem: *Eos qui irrationabiliter vixerint, & leprâ injusti criminis alios polluerint, præcepit sancta Synodus inter eos orare, qui Spiritu periclitantur immundo.* Huic interpretationi consona est alia versio antiqua, quam exhibet Collectio Isidori Mercatoris: *Hos eosdem sanè*, inquit, *non solum leprosos crimine hujusmodi factos, sed & alios isto suo morbo replentes, placuit inter eos orare, qui tempestate jactantur, qui à nobis energumeni appellantur.* Martinus etiam Braccarensis, Canone 81. Breviculum Canonum Hadriani Papæ, & Ferrandi Breviarium Tit. 27. inter Hyemantes orare; interpretantur, inter Dæmoniacos orare. Verùm planior est Canonis sensus, & Græco textui convenientior, si nomine Hyemantium intelligantur illi, qui extra omne tectum Ecclesiæ pulsi, Pœnitentiam agere sub dio cogebantur; & si Leprosi nomen ibi sumatur in propria significatione, ut sit sensus: illi qui rationis expertia animantia inierint, vel alia quavis irrationabili copula fuerint fœdati; si Leprosi sint, vel fuerint, & suspicio sit eos nondum esse plenè sanatos, non conveniant in eumdem cum aliis Pœnitentibus locum, ne ipsos inficiant. Cùm enim hujusmodi criminum reos Ancyrani Patres ad substrationem damnassent, Canone 16. quæ statio erat sub Ecclesiæ tecto, non est verisimile quòd eos

ſub dio Pœnitentiam voluerint agere, niſi cauſſa A nova emergeret, quæ lepra erat, non ſpiritualis, ſed corporea.

Quid in illa ſtatione Pœnitentes agerent, vel quid pro iis ageretur? rogabis. Reſpondeo, Nulla ipſis pietatis officia impendi ſolita fuiſſe, nullas frequentari manuum impoſitiones, nullas orationes ſuper ipſis ſpecialiter fundi. Privatim plebero fidelem pro illis Deum exoraſſe ut veram illis Pœnitentiam concederet: Eccleſiam verò in publicis precibus eorum tantùm generaliter meminiſſe, quatenus Pœnitentium nomine comprehendebantur.

Qui hoc in gradu agebant Pœnitentiam, ſe reos palam profitebantur, crimen deflebant: Fidelibus ad Synaxes convenientibus ſupplicabant, ad eorum pedes advoluti, ut apud Deum, Epiſcopum, Clerum, univerſamque Eccleſiam, pro ipſis intercederent. Hanc Diſciplinam ſpectat Sanctus Ambroſius, libro 2. de Pœnitentia cap 10. *Ut teſtes*, inquit, *precationis, & conſcios refugis; cùm ſi homini ſatisfaciendum ſit, multos neceſſe eſt, ambias, obſecres ut dignentur intervenire, ad genua te ipſe proſternas, oſculeris veſtigia, filios offeras culpa adhuc ignaros paterna, etiam veniæ precatores? Hoc ergo in Eccleſia facere faſtidis ut Deo ſupplices, ut patrocinium tibi, ad Deum obſecrandum, ſancta plebis requiras, ubi nihil eſt quod pudori eſſe debeat, niſi non fateri; cùm omnes ſimus peccatores; ubi ille laudabilior qui humilior; ille juſtior, qui ſibi abjectior? Fleat pro te mater Eccleſia, & culpam tuam lachrymis lavet. Videat te Chriſtus mœrentem, ut dicat: Beati triſtes, quia gaudebitis. Amat ut pro uno multi rogent. Denique in Evangelio motus Viduæ lachrymis, quia plurimi pro ea flebant, filium ejus reſuſcitavit.*

Illam ſtationem ut primùm ingrediebantur Pœnitentes, veſtem lugubrem induebant, cineréque & cilicio ſordidati, neglectô capillitio, toto corporis habitu ad movendam miſericordiam compoſiti, in Eccleſia ſe ſiſtebant. Lugubris hujuſce ſtationis apparatum Sanctus Hieronymus egregiè deſcribit, Epiſtola xxx. ad Oceanum, ubi Fabiolæ Romanas inter Matronas nobiliſſimæ publicam Pœnitentiam commendat. Hanc illa ſubiit, quia maritum adulterum cùm dimiſiſſet, eo vivente, alteri nupſerat, Imperatorum Legibus id permiſſum ſciens, & divina Lege prohibitum ignorans. De ea ſic loquitur Sanctus Hieronymus: *Quis hoc crederet, ut poſt mortem ſecundi viri in ſemetipſam reverſa, quo tempore ſolent viduæ negligentes, jugo ſervitutis excuſſô, agere ſe liberiùs, adire balnea, volitare per plateas, vultus circumferre meretricis, ſaccum indueret ut errorem publicè fateretur; & tota Urbe ſpectante Romana, ante diem Paſchæ, in Baſilica quondam Laterani, qui Cæſariano truncatus eſt gladio, ſtaret in ordine Pœnitentium, Epiſcopo, Presbyteris, & omni populo collachrymantibus, ſparſum crinem, ora lurida, ſqualidas manus, ſordida colla ſubmitteret? Quæ peccata fletus iſte non purget? .... Non eſt confuſa Dominum in terris, & ille eam non confundet in cælo. Aperuit cunctis vulnus ſuum, & decolorem in corpore cicatricem flens Roma conſpexit. Diſſuta habuit latera, nudum caput, clauſum os. Non eſt ingreſſa Eccleſiam Domini, ſed extra caſtra cum Maria ſorore Moyſi ſeparata conſedit; ut quam Sacerdos ejecerat, ipſe revocaret.. Faciem per quam ſecundo viro placuerat, verberabat, oderat gemmas, linteamina videre non poterat, ornamenta fugiebat, ſic dolebat, quaſi adulterium commiſiſſet, & multis impendiis medicaminum vulnus unum ſanare cupiebat.*

## ARTICULUS II.

### *De ſecunda Pœnitentiæ publicæ ſtatione, ſcilicet de Auditione.*

AUditionis, quatenus laborioſæ pœnitentiæ gradus erat, meminit Sanctus Baſilius Canone 22. quo in mulierum raptores ita decernit: *Oportet eos anno primo à precibus expelli, & ipſos deflere ad fores Eccleſiæ, ſecundo autem ad Auditionem admitti.* Ejuſdem meminit Sanctus Gregorius Thaumaturgus Canone ultimo Epiſtolæ Canonicæ.
B Nicænum Concilium Canone 11. decernit, ut qui ſub Licinii tyrannide lapſi ſunt, *Tribus annis inter Audientes habeantur.* Eamdem ſtationem memorat Sanctus Gregorius Nyſſenus in Epiſtola Canonica ad Epiſcopum Melitinenſem, ubi de homicidii voluntarii reo, poſt novem annos in fletu exactos, ita ſtatuit: *Tot annos in Auditione permaneat, ſola Doctorum, & Scripturarum Auditione dignus habitus.*

Auditionis locus erat in portis Eccleſiæ, ſeu in Porticu magnis Templi portis connexa, id eſt,
C in ædificiolo quodam inter exteriores januas & interiores Baſilicarum intermedio, quod veſtibulum meritò dici poteſt. Locus ille à Græcis νάρθηξ dictus eſt, id eſt ferula, propter figuram, quæ longitudine multis partibus latitudinem excedebat.

Sex hominum generibus communis erat locus ille, Ethnicis, Judæis, Hæreticis, Schiſmaticis, Catechumenis primi Ordinis, & Pœnitentibus Audientibus: his enim omnibus, cùm ad Eccleſiam ſeſe conferebant, permittebatur eo in loco Pſalmorum cantum, ſacræ Scripturæ lectionem, & Sermones Epiſcoporum audire. Quorum ab auditione arceri
D debere neminem, conſtat ex antiquis Conciliis. Primò ex Carthaginenſi 4. Canone 84. quo ſancitum eſt, *Ut Epiſcopus nullum prohibeat ingredi Eccleſiam, & audire verbum Dei, ſive Gentilem, ſive Hæreticum, ſive Judæum, uſque ad Miſſam Catechumenorum.*

Idem conſtat ex Concilio Ilerdenſi, Canone 4. ita decernente: *De his qui ſe inceſtûs pollutione commaculant, placuit ut quouſque in deteſtando & illicito carnis contubernio perſeverant, uſque ad Miſſam tantùm Catechumenorum in Eccleſia admittantur: cum quibus etiam nec cibum ſumere ullum Chriſtianorum, ſicut Apoſtolus juſſit, oportet.* Ex quibus
E verbis colligitur, ipſos excommunicatos ad auditionem verbi divini admiſſos fuiſſe.

Denique idem conſtat ex Concilio Valentino in Hiſpania, Canone 1. quo ita ſtatuit: *Antiquos Canones relegentes; inter cætera hoc cenſuimus obſervandum, ut ſacro-ſancta Evangelia ante munerum illationem, vel Miſſam Catechumenorum, in ordine Lectionum poſt Apoſtolum legantur: quatenus ſalutaria Præcepta Domini noſtri Jeſu Chriſti, vel Sermonem Sacerdotis, non ſolum Fideles, ſed etiam Catechumeni, ac Pœnitentes, & omnes qui ex diverſo ſunt, audire licitum habeant. Sic enim, Pontificum prædi-*
F *catione audita, nonnullos ad fidem attractos evidenter ſcimus.* In loco igitur Audientium ſtabant & ipſi Catechumeni, qui primo & ſecundo Sæculo ſæpiſſimè à ſanctis Patribus Audientium nomine deſignantur, licet ſolis Pœnitentibus Auditio fuerit pœnæ inſtar impoſita ab Eccleſia.

Dixi, Catechumenos primi Ordinis in loco Audientium poſitos fuiſſe; quia tres erant Catechumenorum Ordines. Primus, eorum qui volebant eſſe Chriſtiani, nondum tamen dederant nomen. Secundus, eorum qui nomen dederant, quique genua flectebant, ut ſuper eos Orationes funderentur.

funderentur. Tertius eorum qui ad suscipiendum Baptismum idonei, dignique judicati fuerant, qui dicebantur Competentes, sive Electi. Soli autem primi Ordinis Catechumeni stabant cum infidelibus, & Pœnitentibus in gradu Audientium constitutis; & cum illis expellebantur; ipsisque dimissis, aliorum Ordinum Catechumeni expiatoriis Orationibus ad Baptismum præparabantur. Preces illæ super Catechumenos fusæ, dictæ sunt more loquendi Ecclesiastico, *Missa Catechumenorum*: quia illis completis dimittebantur ab Ecclesia ante Oblationem.

Cum Pœnitentibus Audientibus eodem modo agebatur, atque cum ignaris Mysteriorum Fidei: quasi Ecclesia judicaret eos, qui sese flagitiis mortiferis obstrinxissent, divinorum præceptorum atque Mysteriorum cognitione satis imbutos non fuisse; opusque esse ut Christianæ Religionis rudimenta, & Evangelii Præcepta iterùm docerentur, quandoquidem illorum memoria tam citò ex illorum animis effluxisset. Quamobrem diutiùs in hoc gradu detinebantur, quam Catechumeni, tanquam magis ignari in Fidei, Moralisque Evangelicæ rebus. Hinc frequens est phrasis apud Veteres, ad secundum istum gradum significandum: *Stent inter Catechumenos*.

In ista statione manus non imponebantur Pœnitentibus; quia ritus iste Orationi conjunctus erat, qua adhuc indigni censebantur, quamdiu Audientium in Classe degebant. Neque etiam ulla opera laboriosa ipsis adhuc injungebantur: quæ verò faciebant, non jussi, sed sponte, & ad libitum faciebant.

## SCHOLION.

Ad hunc Articulum, sive ad pag. 587. Editionis Primæ, Religiosi Censores hanc Propositionem notant: *Tres Catechumenorum Ordines*.

R. Catechumenos alios fuisse, qui ab infidelitate ad fidem converti desiderantes, audiebant in Ecclesia verbum Dei, sed nondum petebant Baptismum: Alios qui procumbebant in genua, & orationibus Ecclesiæ ab Baptismum præparabantur: Alios qui in Fide rectè instituti, baptismum petebant: nemo eruditus ignorat. Primi *Audientes*, secundi *Substrati*, tertii *Competentes* vocabantur. Primam & secundam classem quidam non distinguunt; & hos simpliciter *Catechumenos* appellant. Classem alteram statuunt *Competentium*; qui dederant nomen, & simul baptismum petebant. Tertiam assignant *Electorum*, qui ex Competentibus in albo baptizandorum descripti erant. Sed cùm Sancti Patres Electos à Competentibus ut plurimùm non distinguant, ut patet ex Sermone *Sancti Augustini* ccxvi. aliàs *De Diversis* cxii. ex Sancto Isidoro Hispalensi libro *De Officiis Ecclesiasticis*, & ex Rabano lib. 1. *De Institutione Clericorum*, cap. xxvi. cui Amalarius & Walafridus Strabo consentiunt, illos etiam non distinxi. Legatur Cardinalis *Bona* libro 1. *Rerum Liturgicarum*, cap. xvi. §. iv.

## ARTICULUS III.

### *De tertia Pœnitentiæ publicæ statione, scilicet de Substratione.*

SUbstrationis meminit Canon 16. Ancyranæ Synodi, quo de gravissimi peccati reis decernitur, secundùm Gentiani Herveti Versionem: ut *Postquàm quindecim annis substrati ac supplices fuerint, Communionem ad preces assequantur. Deinde & cùm in Communione quinque annis perseveraverint, Oblationem attingant. Examinetur autem & eorum in substratione vita, & ita humanitatem consequantur.* Illius meminerunt & Sanctus Gregorius Taumaturgus in Epistola Canonica, Concilium Nicænum Canone 11. Sanctus Basilius Epistola 3. Canonica ad Amphilochium, Felix Tertius Pontifex Maximus, Epistola 7. Joannes Abbas Raithu, & alii.

Locus istius stationis erat inter Audientes & Fideles positus; & ad Ambonem usque in Ecclesia protensus, id est, ad locum illum, ex quo Epistola & Evangelium legebantur, Dyptica recitabantur, Hymni, Psalmique canebantur, & Conciones ad populum habebantur. Erat autem Ambo excelsius quoddam in Templis ædificiolum, orbicularis ut plurimùm figuræ: ad quod aliquibus gradibus ascendebatur.

Toto substrationis tempore, quod plurium semper erat annorum, in singulis ferè Synaxibus manus Pœnitentibus genuflexis imponebantur, ut colligitur ex Concilio Carthaginensi 4. Canone 80. decernente, ut *Omni tempore jejunii manus Pœnitentibus à Sacerdotibus imponatur*, & ex Concilio Toletano 3. Canone 11. cujus hæc sunt verba: *Jubemus ut secundùm formam antiquorum Canonum detur Pœnitentia, hoc est, ut priùs eum quem sui pœnitet facti, à Communione suspensum, faciat inter alios Pœnitentes ad manùs impositionem crebrò recurrere.* Et ex Felice Tertio Pontifice Maximo Epistola 7. hanc pœnam Laicis, qui se rebaptizari passi fuerant, imponente: *Tribus annis inter Audientes sint: septem autem annis subjaceant inter Pœnitentes manibus Sacerdotum.* Et infra: *Quibus ignorantia suffragatur ætatis, aliquamdiu sub manùs impositione detentis, reddenda Communio est.*

Manuum impositioni super Pœnitentes conjuncta semper erat Oratio, ut colligitur ex Sancto Augustino, libro 3. de Baptismo contra Donatistas cap. 16. dicente: *Quid est aliud impositio manuum, quàm Oratio super hominem?* Celebrabatur autem uterque iste ritus post Missam Catechumenorum, & ante oblationem incruenti Sacrificii, ut colligitur ex Concilio Laodiceno, Canone 19. cujus hæc sunt verba, secundùm Versionem Dionysii Exigui: *Quòd oporteat primùm super Catechumenos, post allocutiones Episcoporum, Orationes celebrari: & postquàm Catechumeni egressi fuerint, super eos qui sunt in Pœnitentia, precem fieri. His etiam accedentibus ad manum Sacerdotis, & discedentibus, tres Orationes consummari Fidelium: ita ut prima quidem sub silentio, secunda verò & tertia per exclamationes solitas expleantur: & ita demum pacem sibi invicem dabunt. Et posteaquam dederit Episcopus Presbyteris osculum pacis, tunc Laici sibi tribuent. & ita Sancta celebrabitur Oblatio.*

Expulsionis autem Pœnitentium ante Sacrificii oblationem, cujus meminit iste Canon, meminerunt etiam Agathense Concilium Canone 60. & Epaonense, Canone 29. Sozomenus libro 7. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 16. & Sanctus Chrysostomus Homilia 3. in Epistolam ad Ephesios, ubi invehitur in Fideles, qui cùm adessent Mysteriis, eis participare nolebant, dicitque à Pœnitentibus, & Catechumenis, qui Diaconi voce à Sacrificio abigebantur, non differre. *Non es dignus*, inquit, *Sacrificio, neque participatione: Ergo nec prece. Audis Præconem stantem, & dicentem: Quicumque estis in Pœnitentia, abite. Omnes qui non participant, sunt in Pœnitentia. Si es ex iis qui sunt in pœnitentia, non debes participare. Cur ergo dicit, Abite qui non potestis precari; tu autem stas impudenter? At non es ex his, sed ex iis qui possunt participare, & nihil curas!*

Pœnitentibus in Substratione positis variæ pœnæ, atque opera laboriosa imperabantur, & diligenter an imperata exequerentur, Patres attendebant, ut constat ex omnibus ferè Antiquitatis Ecclesiasticæ monumentis, quæ de publicè Pœnitentibus loquuntur.

## ARTICULUS IV.

### *De quarta Pœnitentiæ publicæ statione, scilicet de Consistentia.*

QUarta Pœnitentium statio Consistentia dicta est, ut constat ex Sancto Gregorio Thaumaturgo, in Epistola Canonica, Canone ultimo, & ex Sancto Basilio in Epistolis Canonicis ad Amphilochium. Inde autem fluxit istud nomen, & huic stationi adscriptum est, quòd qui in ea erant, simul cum Fidelibus in Ecclesia consisterent, neque cum Catechumenis expellerentur.

Istam stationem Patres his periphrasibus expressere: *Precum esse participem*; vel, *Orationibus communicare*. Sic Concilium Ancyranum Canone 4. *Placuit eos inter Audientes uno anno consistere, succumbere verò tribus annis, in oratione autem communicare biennio, & tunc ad Perfectionis gratiam pervenire*. Sic Nicænum Concilium, Canone 12. *Hi definitum tempus Auditionis implentes, tum demum Fidelibus in orationi communicent.*

Qui in ista statione expiabantur, licet publicis precibus, & Sacrificio interessent cum Fidelibus, jus tamen Oblationis non habebant, id est, ipsorum munera ad altare non offerebantur. Unde consequens erat eos & Corpori Christi, non communicare. Quapropter ista sunt æquipollentia in Canonibus, *Communicare precibus sine oblatione*, & *non communicare Corpori Christi*. Hoc sensu Concilium Ancyranum, Canone 5. *Cum duobus annis supplices, substratique fuerint, tertio anno communicent sine oblatione, ut id quod Perfectum est, triennio accipiant.* Sic Nicænum Concilium, Canone 11. *Duobus annis*, inquit, *sine oblatione populo in oratione communicent*. Sic Felix Tertius Pontifex Maximus Epistola 7. *Duobus annis*, inquit, *oblationes modis omnibus non sinantur offerre, sed tantummodò sæcularibus in oratione socientur.*

Locus hujus stationis erat ab Ambone versùs Sanctuarium. Quatuor hominum genera complectebatur. Primum genus erat eorum, qui vel leviùs peccaverant, vel qui grave quidem crimen perpetraverant, sed sese sponte detulerant ad Episcopum, contritionem maximam demonstrantes. Hi posteriores nonnumquam ad Consistentiam rectà mittebantur, condonatâ aliarum stationum severitate. Id constat ex Sancto Gregorio Thaumaturgo, Canone 9. ubi de prædonibus sic decernit: *Si accusati convicti fuerint, sint similiter in iis qui substernuntur: Sin autem seipsos enuntiaverint, & restituerint, etiam precibus digni habeantur.* Idem constat ex Sancto Basilio Canone 61. *Qui furatus est* (inquit) *si sponte pœnitentiâ motus seipsum accusaverit, per annum à sola Sacramentorum Communione arcebitur: sin autem convictus fuerit, per annos duos. Dividetur autem illi hoc tempus in Substrationem, & Consistentiam; & tunc Communione dignus habeatur.*

Quòd verò leviorum peccatorum rei, ad hanc stationem aliquamdiu purgandi remitterentur, constat ex Concilio Illiberitano, Canone 21. ita decernente: *Si quis in civitate positus, tres Dominicas ad Ecclesiam non accesserit, pauco tempore abstineat, ut correptus esse videatur.* Et Canone 79. in eadem statione expiari jubentur, qui aleâ luserint. Idipsum multis aliis Canonibus probari posset, quos brevitati consulens, omitto.

Secundum hominum genus, qui ad hanc stationem attinebant, eorum erat, qui inferiores Pœnitentiæ stationes decurrerant. Propter illos instituta fuit hæc statio, ut experirentur Patres an luctuosæ Pœnitentiæ laboribus liberati vitam ducerent Christiano dignam, atque ita illos tutò admittere possent ad participationem Corporis & Sanguinis Christi.

Tertium hominum genus in hac Pœnitentiæ classe per accidens tantùm collocabatur. Mulieres enim nuptæ, quæ adulterio pollutæ erant, ad hanc stationem mittebantur, ne si ad Substrationem fuissent detrusæ, mariti aliquid criminis perpetrati suspicati fuissent, necemque, zelotypiâ abrepti, uxoribus intentassent. Id constat ex S. Basilio, Canone 34. *Adulterio*, inquit, *pollutas mulieres, & confitentes ob pietatem, vel quomodocumque convictas, publicare quidem Patres nostri prohibuerunt, ne convictis mortis causam præbeamus: eas autem stare sine Communione jusserunt, donec impleretur tempus Pœnitentiæ.*

Quartum denique genus, eorum erat, qui post actam publicè Pœnitentiam in nova peccata prolapsi erant, ob quæ Pœnitentiam iterum agere publicè debuissent. Hi ex Decreto Siricii Pontificis Maximi Epistola 1. ad Himerium Tarraconensem Episcopum data, cap. 4. ad Consistentiam reliquo vitæ suæ tempore amandabantur. Quod tamen de iis non est intelligendum, qui graviora crimina canonica perpetraverant: Nam iis secunda Pœnitentia, etiam privatim agenda non concedebatur: sed de iis qui in Constitutiones Ecclesiasticas publicè Pœnitentibus præscriptas, scilicet de cingulo militiæ non resumendo, de matrimonio non contrahendo, de conjugii non degustanda voluptate, peccaverant. De his ita respondet Siricius Himerio consulenti: *De his verò non incongruè Dilectio tua Apostolicam Sedem credidit consulendam, qui actâ Pœnitentiâ, tamquam canes ac sues ad vomitus pristinos, & ad volutabra redeuntes, & militiæ cingulum, & ludicras voluptates, & nova conjugia, & inhibitos denuo appetivere concubitus. Quorum professam incontinentiam generati post absolutionem filii prodiderunt. De quibus, quia jam suffugium non habent pœnitendi, id duximus decernendum, ut sola intra Ecclesiam Fidelibus Oratione jungantur, sacra Mysteriorum celebritati, quamvis non mereantur, intersint: à Dominica Mensa convivio segregentur, ut hac saltem districtione correpti, & ipsi in se sua errata castigent, & aliis exemplum tribuant, quatenus ab obscœnis cupiditatibus retrahantur.*

## ARTICULUS V.

### *Utrum Pœnitentes ad superiorem stationem ab inferiori quandoque ascenderent, mediâ prætermissa?*

## PROPOSITIO.

*Pœnitentes ab inferiori Pœnitentiæ gradu interdum ad superiorem, impertransitò mediò, ascendebant, Episcopis Canonum severitatem, ob contritionem illorum, & fervorem in agenda Pœnitentia, temperantibus*

PRobatur primò ex Concilio Ancyrano, Canone 6. secundùm versionem Dionysii Exigui, ita decernente: *De his, qui festis diebus Gentilium in remotis eorum locis convivia celebrarunt, cibosque proprios deferentes, ibidem comederunt, placuit post Pœnitentiam biennii eos suscipi: utrum verò cum oblatione, singuli Episcoporum probantes vitam eorum, & singulos actus examinent.* Itaque Episcoporum arbitrio permisit Ancyrana Synodus eos, qui ad Substrationem dejecti fuerant, post biennium recipere, vel sine oblatione, hoc est ad Consistentiam; vel cum oblatione, id est, ad Corporis Christi Communionem.

Probatur

Probatur secundò ex Concilio Nicæno, Canone 12. cujus hæc sunt verba: *Quotquot enim metu, & lachrymis, atque patientiâ, vel bonis operibus, rebus ipsis conversionem suam, non simulatione demonstrant; hi definitum tempus Audisionis implentes, tum demum Fidelibus in Oratione communicent: postmodum verò licebit Episcopo de his aliquid humanius cogitare.* Igitur poterat Episcopus transferre Pœnitentem ab Auditione ad Consistentiam, Substratione prætermissa, modò ingentem animi contritionem lachrymis & bonis operibus exhiberet. Imò & aliquid ampliùs remittere poterat Episcopus quàm totam substrationis stationem.

Probatur tertiò ex Sancto Basilio Epistola 1. Canonica ad Amphilochium Canone 7. quo trigamos ab Auditione ad Consistentiam, condonata Substratione, evehit. *Oportet autem*, inquit, *non eos omninò arcere ab Ecclesia, sed dignari Auditione, duobus, vel tribus annis: & postea permitti quidem consistere; à boni tamen Communione abstinere: & sic, postquàm pœnitentiæ fructum aliquem ostenderint, Communionis loco restituere.*

Probatur quartò ex Sancto Gregorio Nysseno in Epistola Canonica ad Letoium Melitinensem Episcopum, Canone 3. ubi & præclaram istius disciplinæ rationem reddit: *In iis autem*, ait, *qui diligentiori conversione usi fuerint, & vitâ ipsâ ostenderint, se ad bonum regressos esse, licet ei qui dispensat, pro Ecclesiastica Oeconomia utilitate tempus Audisionis contrahere, & celeriùs ad conversionem deducere; & rursus hoc quoque tempus contrahere: & celeriùs reddere Communionem: ut sua probatione, ejus, cui medela adhibetur, constitutionem dijudicet. Quemadmodum enim porcis margaritas projicere est vetitum, ita & pretiosâ margaritâ privare eum, qui jam per alienationem à vitio & purgationem, homo est factus, absurdum est.*

---

## DISSERTATIO IX.

### De tempore quo Sacramentalis Absolutio primis Ecclesiæ Sæculis concedebatur.

### PROPOSITIO I.

*Graviorum peccatorum reis Absolutio Sacramentalis, post peractam duntaxat Pœnitentiam, & impletam satisfactionem, primis Ecclesiæ Sæculis, ordinaria lege concedebatur.*

PROBATUR primò ex Sancto Cypriano Epistola 52. ad Antonianum data, in qua satisfactionem Pœnitentiæ fructum esse disertè asserit: *Neminem putamus*, inquit, *à fructu satisfactionis, & spe pacis arcendum ... O frustrandæ Fraternitatis irrisio! O miserorum lamentantium caduca deceptio! hortari ad satisfactionis Poenitentiam, & subtrahere de satisfactione medicinam: dicere Fratribus nostris, Plange, & lachrymas funde, & pro abluendo & purgando delicto tuo largiter & frequenter operare, sed extra Ecclesiam post ista omnia morieris: quæcumque ad pacem pertinent, facies; sed nullam pacem, quam quæris accipies.*

Idem constat ex controversia Episcoporum cum Lapsis ad Ecclesiam redeuntibus tempore Sancti Cypriani. Hi petebant reconciliationem, atque pacem, statim atque redirent: illi differendam esse judicabant, quousque satisfecissent. Hujus rei testis est Sanctus Cyprianus Epistola 10. *Cum in minoribus peccatis*, inquit, *agant Peccatores Pœnitentiam justo tempore, & secundum Disciplinæ ordinem ad exomologesim veniant, & per manus impositionem Episcopi & Cleri, jus communicationis accipiant: nunc crudo tempore ad communicationem admittuntur, & offertur nomen eorum, & nondum Pœnitentiâ actâ, nondum exomologesi factâ, nondum manu eis ab Episcopo & Clero impositâ, Eucharistia illis datur.*

Idem constat ex facto Therapii Episcopi, qui Victori cuidam Presbytero, *Antequam Pœnitentiam plenam egisset, & Domino Deo in quem deliquerat, satisfecisset, temerè, immaturo tempore, & præpropera festinatione pacem dederat.* Qua de re cùm Fidus querimonias detulisset ad Sanctum Cyprianum & 66. Episcopos Carthagine in Concilio congregatos, illi Therapii factum vehementer improbarunt, ut constat ex Epistola 59. Sancti Cypriani, quam suo & Concilii nomine scripsit ad Fidum. *Quà re*, inquit, *nos satis motos, recessum esse à Decreti nostri auctoritate, ut ante legitimum & plenum tempus satisfactionis, & sine petitu & conscientia plebis, nulla infirmitate urgente, ac necessitate cogente, pax ei concederetur: sed librato apud nos diu consilio, satis fuit objurgare Therapium Collegam nostrum, quod temerè hoc fecerit, & instruxisse ne quid tale de cætero faciat. Pacem tamen quomodocumque à Sacerdote Dei semel datam, non putavimus auferendam, ac per hoc Victori Communicationem sibi concessam usurpare permisimus.*

Denique id luculenter probatur ex Tractatu ejusdem Sancti Cypriani de Lapsis. *Temeritate quorumdam*, inquit, *laxatur incautis communicatio: irrita & falsa pax, periculosa dantibus, & nihil accipientibus profutura. Non quærunt sanitatis patientiam, nec veram de satisfactione medicinam... Operiuntur morientium vulnera, & plaga lethalis altis & profundis visceribus infixa dissimulato dolore contegitur. A diaboli aris revertentes, ad Sanctum Domini sordidis & infectis nidore manibus accedunt. Mortiferos Idolorum cibos adhuc penè ructantes, exhalantibus etiam nunc scelus suum faucibus, & contagia funesta redolentibus, Domini Corpus invadunt. Ante expiata delicta, ante exomologesim factam criminis, ante purgatam conscientiam sacrificio & manu Sacerdotis, ante offensam placatam indignantis Domini & minantis, pacem putant esse, quam quidam verbis fallacibus venditant. Non est pax illa, sed bellum. Quid eis qui flere jugiter, & rogare Dominum suum debent, intercepta pœnitentiæ lamentatione, communicare se simulant? Hoc sunt ejusmodi Lapsis, quod grando frugibus, quod turbidum sidus arboribus, quod armentis pestilens vastitas, quod navigiis sæva tempestas.*

Probatur secundò ex Sancto Paciano Barcinonensi Episcopo, Epistola prima ad Sympronianum Novatianum. *Scio Frater*, inquit, *hanc ipsam pœnitentiæ veniam non passim omnibus dari, nec antequàm aut interrogatio divinæ voluntatis, aut forsitan visitatio fuerit, relaxari, magno pondere, magnoque libramine, post multos gemitus, effusionemque lachrymarum, post totius Ecclesiæ preces, ita veniam veræ Poenitentiæ non negari, ut judicaturo Christo nemo præjudicet.*

Probatur tertiò ex Sancto Ambrosio, libro 2. de Pœnitentia cap. 9. *Nonnulli*, inquit, *ideo poscunt Poenitentiam, ut statim sibi reddi Communionem velint. Hi non tam se solvere cupiunt, quàm Sacerdotem ligare. Suam enim conscientiam non exuunt, Sacerdotis induunt.*

Probatur quartò auctoritate Innocentii Primi Pontificis Maximi, Epistola 1. ad Decentium Episcopum Eugubinum data, cap. 7. *De Poenitentibus verò, qui sive ex gravioribus commissis, sive ex levioribus poenitentiam gerunt, si nulla interveniat ægritudo, Quinta feria ante Pascha eis remittendum*

*dum Romana Ecclesiæ consuetudo demonstrat. Cæterùm de pondere æstimando delictorum, Sacerdotis est judicare, ut attendat ad Confessionem Pœnitentis, & ad fletus, atque lachrymas corrigentis, ac tunc jubere dimitti, cum viderit congruam satisfactionem.*

Probatur quintò ex Sancto Leone, Epistola 91. ad Theodorum Forojuliensem Episcopum data. *Mediator Dei & hominum Jesus-Christus, hanc Præpositis Ecclesiæ tradidit potestatem, ut & confitentibus actionem pœnitentiæ darent, & eosdem salubri satisfactione purgatos, ad Communionem Sacramentorum per januam reconciliationis admitterent.*

Probatur sextò ex Concilio Toletano Tertio, cap. 11. *Quoniam comperimus*, inquit, *per quasdam Hispaniarum Ecclesias, non secundum Canonem, sed fœdissimè pro suis peccatis agere homines pœnitentiam, ut quoties peccare libuerit, toties à Presbyteris se reconciliari expostulent. Et ideo pro coercenda tam execrabili præsumptione, id à sancto Concilio jubetur, ut secundum formam Canonum antiquorum detur Pœnitentia, hoc est, ut priùs eum, quem sui pœnitet facti, à Communione suspensum, faciat inter reliquos Pœnitentes ad manus impositionem crebrò recurrere. Expletò autem satisfactionis tempore, sicut Sacerdotalis contemplatio probaverit, eum Communioni restituat.*

Ex quibus omnibus colligitur, Absolutionem à peccatis, ante impletam satisfactionem, ordinaria lege, primis Ecclesiæ Sæculis concessam non fuisse; & contrariam praxim fuisse improbatam ut violationem Disciplinæ Ecclesiasticæ, & prævaricationem Canonum.

Probatur ultimò ex Epistolis Canonicis Sanctorum Petri Alexandrini, Gregorii Thaumaturgi, Gregorii Nysseni, Basilii, & priorum Conciliorum Canonibus, quibus constat, pluribus annis Peccatores in Fletu, Auditione, & Substratione permansisse; cùm nequidem liceret eis cum Fidelibus in Ecclesia consistere. Porro non est verisimile, hominis per Absolutionem Sacramentalem justificati conditionem tam duram futuram, ut Christo adhærens per charitatem, nequidem Communione precum Fidelibus jungeretur.

## PROPOSITIO II.

*Cùm urgebat mortis periculum, aut in discrimine versabatur Pœnitentis salus, veluti cùm periculum erat ne capitalium criminum rei ad Hæreticos, aut Gentiles transfugerent, Absolutio ante impletam omnino Satisfactionem concedebatur.*

Probatur prima pars iis omnibus momentis, quibus supra demonstravimus Absolutionem Sacramentalem numquam fuisse Pœnitentibus in exitu denegatam, modò Pœnitentiam sani postulassent.

His adde auctoritatem Innocentii Primi Epistola 1. capite 7. jam laudato: *Sanè*, inquit, *si quis in ægritudinem inciderit, atque usque ad desperationem devenerit, ei est ante tempus Paschæ relaxandum, ne de Sæculo absque Communione discedat.*

Et auctoritatem Sancti Leonis Epistola 91. ad Theodorum data, ita decernentis: *His autem qui in tempore necessitatis, & in periculi urgentis instantia, præsidium pœnitentiæ, & mox reconciliationis implorant, nec satisfactio interdicenda est, nec reconciliatio deneganda: quia misericordiæ Dei nec mensuras possumus ponere, nec tempora definire, apud quem nullas patitur veniæ moras vera conversio .... In dispensandis itaque Dei donis non debemus esse difficiles, nec accusantium se lachrymas, gemitusque negligere, cùm ipsam pœnitentiam ex Dei credamus inspiratione conceptam.* Igitur mortis urgente periculo, Absolutio ante impletam omnino satisfactionem concedebatur.

Probatur secunda pars ex Sancto Cypriano Epistola 52. ad Antonianum data, in qua de Libellaticis Pœnitentibus ita scribit: *Quorum si Pœnitentiam respuamus, habentium aliquam fiduciam tolerabilis conscientiæ, statim cum uxore, cum liberis quos incolumes reservaverant, in Hæresim vel Schisma diabolo invitante rapiuntur: & adscribetur nobis in die judicii, nec ovem sauciam curasse, & propter unam sauciam multas integras perdidisse.... Opem nostram, medelam nostram vulneratis exhibere debemus. Nec putemus mortuos esse, sed magis semianimes jacere eos, quos persecutione funesta sauciatos videmus: qui si in totum mortui essent, nunquam de eisdem postmodùm & Confessores, & Martyres fierent. Sed quoniam est in illis quod pœnitentia sequente revalescat, ad fidem, & ad virtutem de pœnitentia robur armatur, quod armari non poterit, si quis desperatione deficiat, durè & crudeliter segregatus, ad Gentiles se vias, & sæcularia opera convertat, vel ad Hæreticos, & Schismaticos rejectus ab Ecclesia transeat.* Igitur cùm in discrimine versabatur Pœnitentium salus, si diutius illis differretur Absolutio, concedebatur illis ante impletam satisfactionem, modò sinceræ conversionis, & veræ contritionis signa proderent.

## PROPOSITIO III.

*Imminente persecutione, Lapsis concedebatur Absolutio ante satisfactionem impletam, ut subeundo Martyrio idonei redderentur.*

Probatur ex Sancto Cypriano Epistola 54. ad Cornelium data. *Meritò*, inquit, *trahebatur dolentium pœnitentia tempore longiore, ut infirmis in exitu subveniretur, quamdiu quies & tranquillitas aderat, quæ differre diu plangentium lachrymas, & subvenire serò morientibus in infirmitate pateretur. At verò nunc non infirmis, sed fortibus pax necessaria est, nec morientibus, sed viventibus communicatio à nobis danda est, ut quos excitamus & hortamur ad prælium, non inermes, & nudos relinquamus, sed protectione Corporis & Sanguinis Christi muniamus.* Et mox: *Hoc in tempore pacem nos non dormientibus, sed vigilantibus damus: Pacem non deliciis, sed armis damus. Pacem non ad quietem, sed ad aciem damus. Si secundùm quòd eos audimus, & optamus, & credimus, fortiter steterint, & adversarium nobiscum in congressione prostraverint, non pœnitet pacem concessisse tam fortibus: immo Episcopatus nostri honor grandis, & gloria est, pacem dedisse Martyribus, ut Sacerdotes qui Sacrificia Dei quotidie celebramus, hostias Deo & victimas præparemus.*

Christiani ad Martyrium protectione Corporis & Sanguinis Christi roborati.

Et infrà, quibusdam dicentibus non esse maturandam Lapsorum Absolutionem ob imminens fortè Martyrium, quia Martyres sanguine suo baptizantur, sic respondet: *Primò idoneus esse non potest ad Martyrium, qui ab Ecclesia non armatur ad prælium: & mens deficit, quam non recepta Eucharistia erigit, & accendit. Dominus enim in Evangelio suo dicit: Cum autem vos tradiderint, nolite cogitare quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis. Quando autem dicat in traditis, atque in Confessione nominis constitutis Spiritum Patris loqui; quomodo potest ad Confessionem paratus aut idoneus inveniri, qui non priùs pace accepta receperit Spiritum*

*risum Patris, qui corroborans servos suos, ipse loquitur & confitetur in nobis? Tum deinde, si relictis omnibus rebus suis fugerit, & in latebris, atque in solitudine constitutus, in latrones fortè incurrerit, aut in febribus & in languore decesserit, nonne nobis imputabitur quod tam bonus miles, qui sua omnia dereliquit, & contempta domo, & parentibus, ac liberis, sequi Dominum suum maluit, sine pace, & sine communicatione decedit? Nonne nobis, vel negligentia segnis, vel duritia crudelis adscribetur in die Judicii, quòd Pastores creditas & commissas nobis oves nec curare in pace, nec in acie voluerimus armare?*

Denique sic concludit: *No Igitur ore nostro, quo pacem negamus, quo duritiam magis humana crudelitatis, quàm divina & paterna pietatis opponimus, oves nobis commissa à Domino reposcantur: placuit nobis, Sancto Spiritu suggerente, & Domino per visiones multas & manifestas admonente, quia hostis nobis imminere prænuntiatur, & ostenditur, colligere intra castra milites Christi, & examinatis singulorum caussis, pacem Lapsis dare, immo pugnaturis arma suggerere: quod credimus vobis quoque paterna misericordia contemplatione placiturum.* Ex quibus perspicuum est, Lapsis concessam fuisse Absolutionem, nondum impleta satisfactione, dum persecutio immineret.

## PROPOSITIO IV.

*Lapsis, qui Martyrum libellis commendati fuerant, concedebatur interdum Absolutio, nullis Pænitentiæ toleratis laboribus.*

Istius Disciplinæ evidentissima sunt apud Sanctum Cyprianum argumenta, quoties meminit libellorum, quibus Martyres Lapsos donabant. Quibus libellis inspectis, quandoque pax ipsis tribuebatur, nulla in antecessum impleta satisfactione.

## PROPOSITIO V.

*Lapsis, qui post scelus commissum, arduum aliquid & eximium edebant, aut patiebantur pro Christi gloria, concedebatur Absolutio priusquam satisfactionem implevissent.*

Probatur ex Epistola Caldonii Africani Episcopi ad Sanctum Cyprianum, & ex responso Sancti Cypriani ad ejus consultationem, Epistola 20. Quæstio erat de Lapsis nonnullis, qui post lapsum, urgente persecutione, iteratò tentati, Christum confessi fuerant, & extorres facti fuerant pro Christo. Ita quæstionem Sancto Cypriano proponit Caldonius & suam de ea sententiam aperit. *Sed oportebat vobis scribere, quoniam ii qui posteaquàm sacrificaverunt, iterato tentati, extorres sunt facti. Videntur ergo mihi abluiße prius delictum, dum possessiones & domos dimittunt, & pœnitentiam agentes, Christum sequuntur.* Et infrà: *Cùm ergo universi pacem peterent, dicentes: Recuperavimus fidem, quam amiseramus, pœnitentiam agentes, & Christum publicè sumus confessi, quamvis mihi videantur debere pacem accipere, tamen ad consultum vestrum eos dimisi, ne videar aliquid temerè præsumere.*

Extat Epistola Caldonii inter S. Cypriani Epistolas 19.

Quid verò ad ista Sanctus Cyprianus? *Rectè, sensisti*, inquit, *circa impertiendam Fratribus nostris pacem, quam sibi ipsi verâ pœnitentiâ, & Dominicæ Confessionis gloriâ reddiderunt, sermonibus suis justificati, quibus se antè damnaverant. Cùm ergo abluerint omne delictum, & maculam primam, assistente sibi Domino, posteriore virtute deleverint, jacere ultra sub diabolo quasi prostrati non debent, qui extorres facti, & bonis suis omnibus spoliati, erexerunt se, & cum Christo stare cœperunt.* Ex quibus colligitur, Lapsis, qui post scelus commissum, arduum aliquid & eximium ediderant, passive fuerant pro Christo, Absolutionem antè fuisse concessam, quàm satisfactionem implevissent.

## PROPOSITIO VI.

*Cùm absque periculo Schismatis differri diu non poterat Absolutio, tunc Lapsis concedebatur ante impletam satisfactionem, & Pænitentialis Disciplina severitas erga ipsos relaxabatur.*

Probatur ex regula, quam Sanctus Augustinus tradit, libro 3. contra Epistolam Parmeniani, cap. 2. quam priscæ Disciplinæ, & primis Ecclesiæ moribus, ante Sanctum Augustinum, consonam esse quis dubitet? *In hac velut angustia quæstionis*, inquit, *non aliquid novum, aut insolitum dicam, sed quod sanitas observat Ecclesia, ut cùm quisque Fratrum, id est, Christianorum intus in Ecclesia societate constitutorum, in aliquo tali peccato fuerit deprehensus, ut anathemate dignus habeatur, fiat hoc ubi periculum Schismatis nullum est, atque id cum ea dilectione, de qua ipse alibi præcepit dicens: Ut inimicum non eum existimetis, sed corripite ut fratrem. Non enim estis ad eradicandum, sed ad corrigendum .... Nam & ipse Dominus, cùm servis volentibus zizania colligere, dixit: Sinite utraque crescere usque ad messem: præmisit caussam, dicens: Ne fortè cum vultis colligere zizania, eradicetis simul & triticum. Ubi satis ostendit, cùm metus iste non subest, sed omnino de frumentorum certa stabilitate certa securitas manet: id est; quando ita cujusque crimen notum est omnibus, & omnibus execrabile apparet, ut vel nullos prorsus, vel non tales habeat defensores, per quos possit Schisma contingere; non dormiat severitas Disciplinæ, in qua tantò est efficacior emendatio pravitatis, quantò diligentior confirmatio charitatis. Tunc autem hoc sine labe pacis, & unitatis, & sine læsione frumentorum fieri potest, cùm Congregationis Ecclesiæ multitudo ab eo crimine, quod anathematizatur, aliena est. Tunc enim adjuvat Præpositum potius corripientem, quàm criminosum resistentem.* Et post multa sic concludit: *Hoc qui diligenter cogitat, nec in conservatione unitatis negligit Disciplinæ severitatem, nec immoderatione coërcitionis, dirumpit vinculum societatis.* Igitur antiqui Patres molliebant Ecclesiasticæ Disciplinæ severitatem cùm Schismatis aut alicujus tumultus in Ecclesia periculum immineret: adeoque Lapsis Absolutionem tunc concedebant, non impletâ satisfactione, imò & de satisfactionis rigore plurimùm relaxabant.

## PROPOSITIO VII.

*Cùm ex reditu Lapsorum ingens aliquod bonum in Ecclesiam redundabat, ut Schismatis extinctio, vel imminutio, aut multorum ad Ecclesiam reductio, tunc Absolutio statim ipsis tribuebatur, & Pænitentiæ luctuosæ labores condonabantur.*

Probatur primò ex modo quo se gessit Sanctus Cornelius Pontifex Maximus erga Confessores à Schismate Novatiani ad Ecclesiæ unitatem redeuntes. Confessi sunt illi se commisisse schismatica, & hæresis Auctores fuisse; seque Novatiani dolis circumventos fuisse, ut paterentur ei manus quasi in Episcopum imponi. Hæc ut abolerentur & de memoria tollerentur, deprecati sunt. Convocavit

vocavit Presbyterium Cornelius, ut cum Episcopis quinque tunc Romæ præsentibus communi consilio statueretur quid facto opus esset. Supplices venerant in sacrum cœtum Maximus, Urbanus, Sidonius, & Macarius, & plerique fratres qui se eis adjunxerunt, summis precibus desiderantes, ut ea quæ ante fuerant gesta, in oblivionem cederent, nullaque eorum mentio haberetur: perinde atque si nihil esset commissum, vel dictum, invicem omnibus remissis, cor mundum & purum jam Deo exhiberent. Ut primùm hæc in populi notitiam perlata sunt, magnus Fraternitatis concursus factus est. Una vox erat omnium gratias Deo agentium, gaudium pectoris lachrymis exprimentium, complectentium eos, quasi hodie pœnâ carceris fuissent liberati: hæc penè iisdem verbis refert Sanctus Cornelius in Epistola ad Sanctum Cyprianum data, quæ inter ejus Epistolas ordine 46. legitur. Quis verò hujus negotii exitus? Maximus Presbyter nedum statim absolutus est, sed & in gradum, honoremque pristinum receptus. Cæteris pariter omnia statim condonata sunt, nullis Pœnitentiæ laboribus impositis. *Quapropter*, inquit Cornelius, *Maximum Presbyterum locum suum agnoscere jussimus: cæteros cum ingenti populi suffragio recepimus. Omnia autem remisimus Deo omnipotenti, in cujus potestate sunt omnia reservata.* Eccur, amabo, erga Confessores Schismaticos tanta lenitate se gessit Cornelius, nisi propter unitatis Ecclesiasticæ bonum, quod illorum conversione sarciebatur? Maximam enim illi dederant auctoritatem, maximumque robur Schismati Novatiani: unde spes affulgebat dicti Schismatis brevi extinguendi post Confessorum reditum, quorum illustri exemplo multi ut ad Ecclesiæ unitatem redirent, movebantur.

Probatur secundò ex modo quo se gessit erga Trophimum, qui ab Ecclesia defecerat, multosque ab ea abstraxerat, Cornelius. Rediit ille ad Ecclesiam, errorem pristinum confessus est, reduxit quos perverterat: eam ob rem Cornelius Trophimum in Ecclesiam statim suscepit, absolvitque, nulla alia ipsi satisfactione imposita, Sacerdotii duntaxat gradu & honore ipsum dejiciens, solamque ipsi permittens laicam Communionem, id est, perceptionem Eucharistiæ extra cancellos altaris cum Laicis, non intra Sanctuarium cum Clericis. Ideo autem Sanctissimus Pontifex Ecclesiasticæ Disciplinæ severitatem erga Trophimum remisit, quia multorum ad Ecclesiam revocatione Lapsorum compensabatur, quod ipsius Pœnitentiæ de plenitudine satisfactionis deerat. Ea de re ita scribit ad Antonianum Sanctus Cyprianus Epistola 52. *Sicut Antecessores nostri sæpe fecerunt, colligendis fratribus nostris charissimus Frater noster Cornelius necessitati succubuit: & quoniam cum Trophimo pars maxima plebis abscesserat, redeunte nunc ad Ecclesiam Throphimo, & satisfaciente, & Pœnitentia deprecationis errorem pristinum confitente, & fraternitatem, quàm nuper abstraxerat, cum plena humilitate, & satisfactione revocante, audita sunt ejus preces, & in Ecclesiam Domini non tam Trophimus, quàm maximus fratrum numerus, qui cum Trophimo fuerat, admissus est; qui omnes ad Ecclesiam regressuri non essent, nisi cum Trophimo comitante venissent. Tractatu ergo illic cum Collegis plurimis habito susceptus est Trophimus, pro quo satisfaciebat fratrum reditus, & restituta multorum salus.*

Objicitur in primam Propositionem: Remissio peccatorum statim & sine mora conceditur Pœnitentibus, ut summo consensu testantur Sancti Patres: atqui non est verisimile dilatam fuisse Absolutionem illis, quibus remissio Peccatorum con- A cessa erat: Pœnitentium igitur Absolutio non differebatur post impletam illorum satisfactionem.

Probatur major, primò ex Sancto Paciano in fine Parænesis ad Pœnitentiam: *Polliceor*, inquit, *si ad Patrem vestrum, vera satisfactione redeatis nihil ulteriùs errando, nihil pristinis adjiciendo peccatis, dicendo etiam humile aliquid & flexibile; Peccavimus in conspectu tuo Pater, jam non sumus digni nomine filiorum: continuò de vobis & pecus illud recedet immundum, & siliquarum esca deformis. Continuò revertentes, & stola vestiet, & annulus honorabit, & paternus iterum complexus accipiet.*

B Secundò, ex Sancto Ambrosio in 2. Epistolam ad Corinthios cap. 2. *Pœnitentia*, inquit, *si de vero animo est, hoc est, si correptus statim in animo doleat, protinus habet fructum. Denique in Regnorum libro habetur, quia Achab, cùm arguisset eum Propheta, statim meruit veniam: & David in caussa Uriæ correptus, quia cognovit se peccasse, delictum ejus deletum est.*

Tertiò, ex Sancto Joanne Chrysostomo, in Homilia de Sancto Philogono ad populum habita diebus quinque ante Christi Nativitatem, vel Epiphaniam. *Neque mihi quisquam dixerit*, inquit, C *Vereor, habeo conscientiam peccatis oppletam, sarcinam circumfero gravissimam. Sufficit enim horum quinque dierum tempus, si sobrius fueris, si attentus, si vigilaveris, ut multitudinem peccatorum reddas contractiorem. Nec illud perpende, quod breve est tempus, sed illud considera, quod benignus est Dominus: quandoquidem & Ninivitæ tridui spatio tantam iram Dei à se depulerunt. Nec obstitit illis temporis angustia, sed animi promptitudo amplectens Domini benignitatem totum peragere valuit. Et meretrix illa brevi temporis momento, cùm ad Christum accessisset, omnia probra diluit.* Remissio D igitur peccatorum sine mora conceditur veris Pœnitentibus.

Quartò idem constat ex Sancto Augustino, Sermone 58. de Tempore: *Si semel*, inquit, *aliquis, vel secundò peccaverit, & sine aliqua dissimulatione ad Pœnitentiæ medicamenta confugerit, pristinam incolumitatem sine aliqua mora, & forsitan sine aliqua fœditate recipiet.*

Respondeo, distinguo majorem: Remissio peccatorum statim & sine mora conceditur Pœnitentibus; à Deo, concedo: (Si tamen contritionem perfectam de peccatis habuerint.) Ab Ecclesia, E nego. Fateor quidem, tantam esse interim Pœnitentis contritionem, ut à Deo non tantùm culpæ, sed etiam pœnæ remissionem statim obtineat. Unde Cœlestinus Primus Pontifex Maximus in Epistola 2. ad Episcopos Galliæ, ait: *Desperat de clementia Dei, qui eam ad subveniendum morienti sufficere posse, vel in momento, non credit.* Et quòd *vera ad Deum conversio in extremis positorum, mente potiùs est existimanda, quàm tempore.* Verùm quia vis illa vehementissimæ contritionis, & perfectæ conversionis sinceritas, uni Deo nota est, Ecclesiæ verò ignota; subjiciuntur æquè Pœnitentes illi severis Ecclesiæ legibus, ac cæteri. Innotescit F namque ardor ille conversionis per signa externa, quæ ut plurimùm æquivoca sunt, & ab hypocritis quandoque simulantur. Ideo graviorum criminum reos omnes promiscuè Ecclesia longâ Pœnitentiâ probabat olim, & probare etiamnum jubet, ut experiantur Pastores & Sacerdotes, an sincera sit eorum conversio. Itaque sæpe contigit, contingeréque etiamnum potest, ut nonnulli, qui jam peccatorum veniam à Deo impetrarunt, adhuc Pœnitentiæ laboribus probentur; illisque differatur adhuc Sacramentalis Absolutio, quia nondum Ecclesia de sinceritate & ardore conversionis illorum judicium tulit.

Laudata igitur in objectione Sanctorum Patrum testimonia docent tantùm, perfectam conversionem, & Absolutionis divinæ dignam beneficio, sine mora obtineri posse, si Deum præ omnibus diligamus, si peccatis æternum vale dicamus; si orationibus, jejuniis & operibus misericordiæ incumbamus: quod concedimus perlubenter. Sed ne leviter quidem innuunt, Ecclesiam eos statim, & ante omnem satisfactionem reconciliasse, qui verbis, aut etiam signis externis, lachrymis, & gemitibus, animi compunctionem testarentur. Sed prolata sigillatim discutere testimonia, operæ pretium est.

Ad primum itaque respondeo, Sanctum Pacianum veniam continuò polliceri Pœnitentibus, post veram satisfactionem; non verò ante omnem satisfactionem, & exantlatos Pœnitentiæ labores: *Si ad Patrem vestrum*, inquit, *verâ satisfactione redeatis.* Unde etiam paolò ante verba in objectione laudata, ait: *Ne pudeat in hoc opere, ne pigeat opportuna quamprimùm remedia salutis invadere, dejicere mœroribus animum, sacco corpus involvere, macerari jejuniis. In quantum pœna vestra non peperceritis, in tantum vobis Deus parcet. Ecce promitto, polliceor, si ad Patrem vestrum vera satisfactione redeatis*, &c.

Ad secundum respondeo, citata sub nomine Sancti Ambrosii verba nihil aliud probare, quàm peccatores vehementem adeò suis de peccatis dolorem interdum concipere, ut statim eis Deus ignoscat. Nec aliud exempla ab ipso prolata evincunt.

Respondeo secundò, Commentarios in Paulinas Epistolas non esse Sancti Ambrosii.

Respondeo tertiò, Ambrosiastro nos verum opponere Ambrosium, qui non solum assertionem propugnat nostram, sed rationes veteris illius Disciplinæ disertè exponit, in hunc versum Psalmi 118. *Miserere mei secundum verbum tuum: IN ipsa*, inquit, *Ecclesia, ubi maximè misereri decet, teneri quam maxime debet forma justitia, ne quis à Communionis consortio abstentus, brevi lachrymula, & ad tempus parata, vel etiam uberioribus fletibus, Communionem, quam plurimis debet postulare temporibus, facilitate Sacerdotis extorqueat. Nonne, cùm uni indulget indigno, plurimos facit ad prolapsionis contagium provocari? Facilitas enim veniæ, incentivum tribuit delinquendi . . . Medicus ipse, si serpentis interiùs vulneris inveniat cicatricem, cùm debeat resecari ulceris vitium, ne latiùs serpat, tamen à secandi urendique proposito, lachrymis inflexus ægroti, medicamentis tegat, quod ferro aperiendum fuit; nonne ista inutilis misericordia est, si propter brevem incisionis, vel exustionis dolorem corpus omne tabescat, vita usus intereat? Rectè ergo & Sacerdos vulnus, ne latiùs serpat, à toto corpore Ecclesiæ, quasi bonus medicus debet abscindere, & prodere virus criminis, quod latet, non fovere; ne dum unum excludendum non putas, plures faciat dignos quos excludat ab Ecclesia.*

*Nimia quorumdam Sacerdotum facilitas, & inutilis atque noxia peccatoribus misericordia.*

Et in hæc verba: *De lege tua miserere mei*: hæc habet: *Meritò quia vulnus grande ac vetus est, ac diu serpens, perfectioris medicinæ remedia deposcit, obsecrans ut Domini legitima miseratione curetur. Citò enim refricatur vulnus, quod sanatum medicinæ lege non fuerit; imò etiam seriorem curatio sentit profectum . . . . Lege ergo miseretur, qui cum justitia sapientiáque miseretur; ut ea dimittat, quæ scit jure posse dimitti: ne cùm alterius miseretur, seipsum legi faciat obnoxium.* Sanctus igitur Ambrosius Absolutionem statim tribui non vult iis, qui graviora crimina perpetrarunt, sed diu differri, donec severioris Pœnitentiæ laboribus expiati fuerint. Quòd si statim Absolutionem ipsis tribuat Sacerdos, censet eam inutilem esse misericordiam, non miserationem legitimam, non esse cum justitia, sapientiaque concessam, non demùm secundùm Dei Legem.

*Animorum vulnera divinæ medicinæ lege curanda.*

Ad tertium respondeo, Sanctum Chrysostomum ibi non agere de Pœnitentibus propriè dictis, de quibus sermonem instituimus, sed de Fidelibus, quibus Communione Corporis Christi non est interdictum, ut legentibus integrum contextum compertum esse potest. Ante verba quippe in argumento laudata, ita scripserat: *Hæc ideo nunc loquor, quod sciam certò futurum, quòd in illa die complures accedant, irruantque ad victimam hanc spiritalem. Igitur ne faciamus ad detrimentum, & condemnationem animæ nostræ, sed ad salutem; jam nunc obtestor obsecroque, ut omnibus modis repurgatis animis vestris, ita demum sacra adeatis Mysteria.* Quæ verba de Pœnitentibus publicis intelligi commodè non possunt, sed de iis quorum peccata non erant ita gravia. Ejusmodi enim peccatoribus, ex veteris Ecclesiæ disciplina, Absolutio non retardabatur. Id solùm ipsis præcipiebatur, ut conscientiâ vera contritione, Confessione Sacramentali, & bonis operibus, quantùm erat necesse, mundatâ, spiritalem ad victimam, scilicet ad Eucharistiam accederent.

Ad quartum respondeo, verba Sancti Augustini in objectione laudata, (seu potiùs Sancti Cæsarii Arelatensis cujus nomine in MSS. Codicibus hic Sermo prænotatur, & inter ejus Homilias editus est in Bibliotheca Patrum) non spectare Absolutionem à peccatis, sed restitutionem animæ in pristinam sanitatem, spiritalisque vitæ, & roboris recuperationem, quam peccator criminibus non assuetus, facilè consequitur Pœnitentiæ beneficio. Toto namque illo Sermone, auditores suos ad Pœnitentiam statim agendam adhortatur, dilatæ incommoda refert gravissima, funestam peccandi necessitatem induci ait multiplicatione peccatorum, & eadem in crimina relapsu, cujus vinculis solvi difficilè admodum possimus & ad pristinam sanitatem animæque decorem revocari: cùm è contra facile sit pristinæ sanitati decorique restitui per Pœnitentiam, cùm nondum infausta illa necessitas contracta est. *Si fortè aliquis ex vobis*, inquit, *capitalibus criminibus involutus, secundùm quod Apostolus ait, Templum Dei in se violando destruxerit, de Dei misericordia non desperet: Sed citò de malo iniquitatis suæ consurgat, ne consuetudine peccandi in ipsis scrutinus suis sepeliat. Non enim qui peccaverit, sed qui in peccatis perseveraverit, odibilis & abominabilis Deo erit. Nam ut de indulgentia divina nemo diffidat, Dominus per Prophetam velut Pater piissimus consolatur dicens: Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur, & vivat . . . Sed ista tam magna misericordia nobis prodest, si non tardamus converti ad Dominum, nec crimina criminibus superaddimus.* Id illustrat similitudine membrorum, cùm sæpius fracta sunt. *Denique*, inquit, *etiam ipsis vulneribus, vel fracturis corporum, infirmitates cognoscere possumus animarum. Si enim alicui pes frangatur, aut manus, cum labore solet ad pristinum officium revocari. Si verè secundò, & tertiò, & adhuc frequentiùs in eodem loco membra ipsa franguntur, potest intelligere Charitas vestra cum quantis doloribus vulnera ipsa curanda sunt: & tamen post longas & multas tribulationes vix erit antequam ad pristinum statum membra ipsa valeant revocari. Similis ratio in animarum fracturis seu vulneribus esse credenda est. Si semel aliquis, vel secundò peccaverit, & sine aliqua dissimulatione ad Pœnitentiæ medicamenta confugerit, pristinam incolumitatem sine aliqua mora, & forsitan sine aliqua fœditate recipiet: Si verò peccatis pec-*

*cata cœperint addi, & animarum vulnera magis tegendo, vel defendendo putrescere, quam confitendo, & pœnitendo curari: timendum est ne in illo impleatur illud, quod Apostolus dixit: An ignoras quia benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Tu autem secundùm duritiam cordis tui, & cor impœnitens, thesaurizas tibi iram in die iræ, & revelationis justi Judicii Dei.* Hæc autem verba, satisfactionis, ad remissionem consequendam peccatorum, necessitatem confirmant potiùs, quàm evertunt; maximè si cum iis comparentur quæ Sermone præcedente dixerat idem (ut videtur) Auctor: *Si quis,* inquit, *ex vobis conscius criminum suorum, indignum se Communione Ecclesiastica putat, dignum se esse faciat. Dicitis, Quomodo aliquis dignum se facere possit? Quomodo nisi ut errores pristinos relinquat, & Pœnitentiam petat, ut qui criminum suorum sorde pollutus est, exomologesis satisfactione mundetur? nec illud servet, ut in extremo vitæ suæ tempore, tunc Pœnitentiam petat, quando jam agere non possit. Inutilis est enim, dilectissimi, ista persuasio. Parum est peccatorem pœnitere, nisi pœnitentiam peregerit. Ad emendanda enim crimina vox Pœnitentis sola non sufficit: nam in satisfactione ingentium peccatorum, non verba tantum, sed opera quæruntur.*

*Ad emendanda crimina, vox pœnitentis sola non sufficit.*

Objicitur secundò. Absolutio data post satisfactionem impletam, primis Ecclesiæ sæculis, non erat Sacramentalis: igitur Sacramentalis Absolutio concedebatur Pœnitentibus statim post Confessionem, & antequam satisfactionem implevissent.

Probatur antecedens. Absolutio quæ supponit peccatorem justificatum, non est Sacramentalis: hæc enim peccatorum justificat: sed Absolutio publicis Pœnitentibus data post satisfactionem impletam, peccatorem justificatum supponit, ut constat ex his Sancti Leonis verbis: *Et eosdem salubri satisfactione purgatos ad Communionem Sacramentorum per januam reconciliationis admitterent.* Igitur Absolutio data post satisfactionem impletam, non erat Sacramentalis.

Respondeo, nego antecedens. Ad ejus probationem distinguo majorem: Si peccatorem justificatum supponat absque ordine ad ipsam, & semper, concedo: si per ordinem ad ipsam, & in virtute illius, & quandoque, nego.

Distinguo etiam minorem eodem modo. Absolutio post impletam satisfactionem data, peccatorem justificatum supponit, quandoque, & tunc justificatus est virtute Absolutionis, sive per ordinem ad ipsam, concedo: semper, & justificatus est absque ordine ad illam Absolutionem, nego. Itaque Absolutio Sacramentalis quandoque peccatorem justificat, prout actu ipsi conceditur, cùm scilicet imperfectâ dumtaxat contritione, quæ attritio vocatur, movetur in odium & detestationem peccati. Quandoque verò justificat peccatorem antequam actu illi tribuatur à Sacerdote, quando scilicet Pœnitens perfectè contritus est, sed tunc justificat Absolutio ut habita in voto; quia contritio charitate perfecta non delet peccatum, nisi in ordine ad Claves Ecclesiæ.

Ad Sanctum Leonem respondeo, Purgatos esse debere Pœnitentes salubri satisfactione, antequam ad januam Sacramentorum, per reconciliationem, admittantur, purgatione inchoatâ, dispositivâ, & præparatoriâ; non purgatione formali, ut Scholastici loquuntur, & perfecta.

Objicitur tertiò. Sancti Patres agnoscunt duplicem Absolutionem, seu reconciliationem; unam quæ præcedit, alteram quæ sequitur satisfactionem. Posteriorem significatam fuisse aiunt, cùm Lazarus à fasciis per Discipulos solutus est, qui jam antea vitæ restitutus erat. Id cùm ex Sancto Eligio Homilia 4. tùm ex aliis colligitur. Sed Absolutio, quæ præcedit satisfactionem, videtur esse Sacramentalis; quæ sequitur, Canonica: igitur Absolutio Sacramentalis olim conferebatur, nondum impleta satisfactione.

Respondeo, nego minorem; sed una dispositio est ad Sacramentalem Absolutionem: altera Sacramentalis ipsa Absolutio est. Isque inter illas est ordo, ut nisi una præcesserit, altera sit irrita, quamvis peccator ministerio Sacerdotis, Ecclesiæ, Deoque reconciliatus videatur; Prima posita est in conversione cordis ad Deum per veram contritionem, quæ multiplici pœnitentiæ fructu innotescit. Quam conversionem Deus spectans, invisibiliter absolvit ante peccatorem, quàm à Sacerdote visibiliter absolvatur. Deinde Ecclesia conversionem ejus ex Pœnitentiæ fructibus agnoscens, ipsum potestate Clavium à Christo sibi tradita absolvit. Ista constant ex Sancto Eligio Homilia 4. mox laudata: *Quia vices Christi agimus,* inquit, *quos ille invisibiliter absolvendo, dignos suâ reconciliatione judicat; nos visibiliter reconciliando, per officium nostri ministerii absolvimus: eos vero, qui funibus peccatorum suorum ante Dei conspectum adhuc tenentur adstricti, nos quomodo absolvere possumus?* Deinde Pœnitentiæ fructus exponit Sanctus Eligius, seu dispositiones quibus ad Absolutionem Sacramentalem, & ad veniam à Deo obtinendam Peccator præparatur. *Denique,* inquit, *multiplex misericordia ejus ad expiationem criminum multiplices fructus nobis Pœnitentiæ contulit: non enim tantum simplici illo Pœnitentiæ nomine salus æterna repromittitur, de quo Apostolus Petrus; Pœnitemini igitur, & convertimini, ut deleantur peccata vestra... Sed etiam fit Absolutio peccatorum per charitatis affectum, per eleemosynarum fructum, per profusionem lachrymarum, per confessionem criminum, per cordis & corporis afflictionem. præcipuèque per morum emendationem... Quibus omnibus modis aboleri posse peccata, divina testis est Scriptura... Oportet igitur, dum tempus est, nos per hæc, & his similia, ad Pœnitentiam accedere cum omni fiducia, & ex fide credere indubitanter, Poenitentiâ, istisque modis, relaxari posse peccata, quia Deus non vult mortem peccatoris, sed ut convertatur, & vivat... Si enim ille, qui est Scrutator cordium, & renum, prospexerit nostrum spiritum contribulatum: gratum sibi acceptabit Sacrificium, quia non spernit cor contritum & humiliatum: Ipse enim, ut doceret, his modis à morte ad vitam nobis fore redeundum; ante suam Passionem Lazarum suscitaturus quatriduanum, flevit mortuum, infremuit spiritu & volens turbavit seipsum; ut nobis significaret, quomodo flere, fremere, & turbari debeamus, cùm peccatis mortui, eorum nimia mole premimur, si reviviscere desideramus.*

*Dispositiones quibus ad Absolutionem Sacramentalem & veniâ à Deo obtinendam peccator præparatur.*

Ad exemplum Lazari frequenter à Patribus usurpatum, respondeo, In hoc figuram versari, quòd aliquid vitæ præcedere debeat per contritionem ex Dei amore profectam, sine qua à peccati macula peccator emundari non potest. Quam in rem apposité Sanctus Gregorius Magnus Homilia 26. in Evangelia: *Causæ ergo pensandæ sunt,* inquit, *& tunc ligandi, atque solvendi potestas exercenda. Videndum est quæ culpa, & quæ sit poenitentia secuta post culpam: ut quos omnipotens Deus per compunctionis gratiam visitat, illos Pastoris sententia absolvat: tunc enim vera est Absolutio Præsidentis, quando æterni arbitrium sequitur Judicis. Quod bene quatriduani mortui resuscitatio significat, quæ videlicet demonstrat, quia Dominus prius mortuum vocavit, & vivificavit, dicens: Lazare! veni foras, & postmodùm is qui vivens egressus fuerat, à Discipulis est solutus,*

*Absolutio quibus tribuenda.*

*solutus. Ecce illum Discipuli jam viventem solvunt, quem Magister resuscitaverat mortuum. Si enim Discipuli Lazarum mortuum solverent, ejus fœtorem, magis quàm suam virtutem ostenderent. Ex qua consideratione intuendum est, quòd illos nos debemus per Pastoralem auctoritatem solvere, quos Auctorem nostrum cognoscimus per suscitantem gratiam vivificare.* Quæ verba Sancti Gregorii Concilium Aquisgranense, anno 816. celebratum cap. 37. transcribit tanquam absolvendi regulam. Eadem citant Paschasius Ratbertus, libro 8. in Matthæum explicans illa verba, *Quodcumque ligaveris*, &c. Hugo à Sancto Victore, libro 1. de Sacramentis, cap. 26. & Richardus à S. Victore libro de Potestate ligandi cap. 17. Eadem Sancti Gregorii verba mutuatus est Sanctus Eligius Homilia 11. ubi & Absolutionem illam dispositivam, quæ in gratia compunctionis sita est, disertè necessariam asserit, ut peccator per manuum Sacerdotalium impositionem absolvatur. *Ante omnia*, inquit, *vobis scire necesse est, quia licet impositionem manuum nostrarum accipere cupiatis, tamen Absolutionem peccatorum vestrorum consequi non potestis, antequam per compunctionis gratiam divina pietas vos absolvere dignabitur: Tunc enim (ut beatus dicit Gregorius) vera est Absolutio Præsidentis, cum æterni arbitrium sequitur Judicis*, &c. Ecclesia igitur satisfactionem desiderabat, ut dispositionem ad reconciliationem & Absolutionem Sacramentalem obtinendam: ut videlicet per opera Pœnitentiæ, conversionis probaretur sinceritas, nec mortui solverentur peccatores, sed quoddam saltem vitæ initium per contritionem consecuti.

Hanc doctrinam egregiè explicat Sanctus Augustinus Enchiridii capite 65. *In actione Pœnitentiæ*, inquit, *ubi tale crimen commissum est, ut is qui commisit, à Christi etiam Corpore separetur, non tam consideranda est mensura temporis, quàm doloris. Cor enim contritum, & humiliatum Deus non despiciet. Verùm quia plerumque dolor alterius cordis occultus est alteri, neque in aliorum notitiam per verba vel quæcumque alia signa procedit, cùm sit coram illo cui dicitur; Gemitus meus à te non est absconditus, rectè constituuntur ab iis, qui Ecclesiæ præsunt, tempora Pœnitentiæ, ut fiat etiam satis Ecclesiæ, in qua remittuntur peccata.*

Eamdem Patrum & Ecclesiæ doctrinam eleganter & nitidè exponit Ivo Carnotensis Episcopus Epistola 228. ad Gonherium Presbyterum data. Quæsierat ille ab Ivone, Quomodo inter se conveniant Prophetica sententia, quæ dicit: *In quacumque hora ingemueris peccator, salvus eris*; & Synodalis, quæ crimina sua confitentes aliquamdiu à Corporis & Sanguinis Christi Communione suspendit. Repugnare enim inter se illi videbantur sententiæ capitis & corporis, ut quos caput, id est, Christus, celeriter à peccato liberat, eos Corpus Christi, id est, Ecclesia, sub pœna peccati diu ligatos retineat. Cui quæstioni eruditus Antistes sic respondet: *Cùm criminalis culpa delinquentem separet à Capite, & à Corpore, rationis ordo hoc exigit, ut internus Judex tantò remittat celeriùs, quantò solus magis videt interiùs: Judex verò qui tantùm videt in facie, usque adeò delinquentes sub peccati pœna detineat, donec per manifestum Pœnitentiæ fructum, qui sit Pœnitentis affectus intelligat. Per internum enim gemitum satisfit interno Judici: & idcirco indilata datur ab eo peccati remissio, cui manifesta est interna conversio. Ecclesia verò, quia occulta cordis ignorat, non solvit ligatum, licet suscitatum, nisi de monumento elatum, id est, publicâ satisfactione purgatum. Hinc est quòd Ecclesia sua crimina confitentes à Sacramentorum Communione suspendit, & in cinere & cilicio positos ab introitu Ecclesiarum statuto tempore excludit, ut per hoc experiatur si jam sunt intus vivificati, cùm fuerint longâ Pœnitentiæ maceratione probati. Si hæc attendat Fraternitas tua, videbit non dissentire Propheticam & Synodalem sententiam, cùm illa deferat quod suum est Capiti, & ista concedat quod suum est Corpori.*

Objicitur quartò. Absolutio quæ supponebat perceptionem Eucharistiæ, non erat Sacramentalis; sed Absolutio dilata post satisfactionem adimpletam supponebat perceptionem Eucharistiæ, primis Ecclesiæ temporibus: non erat igitur Sacramentalis, sed Canonica dumtaxat. Sacramentalis itaque Absolutio ante concedebatur olim, quàm satisfactio impleta fuisset.

Probatur minor, primò ex Canone 76. Concilii 4. Carthaginensis: *Si continuò*, inquit, *creditur moriturus, reconcilietur per manus impositionem, & infundatur ori ejus Eucharistia. Si supervixerit ... subdatur statutis Poenitentiæ legibus, quamdiu Sacerdos, qui Poenitentiam dedit, probaverit.* Et Canone 78. *Poenitentes qui in infirmitate Viaticum Eucharistiæ acceperint, non se credant absolutos sine manus impositione, si supervixerint.*

Secundò, ex Concilio Arausicano 1. Canone 3. *Qui recedunt*, inquit, *de corpore Poenitentiâ acceptâ, placuit sine reconciliatoria manus impositione eis communicari. Quod morientis sufficit consolationi, secundum definitiones Patrum, qui hujusmodi Communionem congruenter Viaticum nominarunt. Quòd si supervixerint, stent in ordine Poenitentium, ut ostensis necessariis Poenitentiæ fructibus, legitimam Communionem cum reconciliatoria manus impositione percipiant.*

Tertiò ex Concilio Arelatensi Secundo, Canone 28. cujus verba eadem sunt quæ Canonis Arausicani. In istis porro Canonibus duplex disertè distinguitur Absolutio; una quæ Eucharistiæ Communioni præmittebatur, altera quæ post impletam satisfactionem differebatur. Prior erat Sacramentalis, posterior Canonica.

Respondeo, distinguo minorem. Absolutio dilata post satisfactionem adimpletam, supponebat perceptionem Eucharistiæ; aliquando, concedo; semper, nego. Distinguo similiter consequentiam. Non erat igitur Sacramentalis, in certo casu, concedo: nusquam erat Sacramentalis; nego. Itaque Absolutio post satisfactionem dilata, Sacramentalis erat ordinariâ Ecclesiæ lege, ut evincunt omnia momenta quibus prima Propositio probata est: sed quandoque Canonica erat dumtaxat, quando nimirum Pœnitenti, ob imminens probabiliter mortis periculum Absolutio Sacramentalis concessa fuerat, nec non & Eucharistia. Tunc enim, si convaluisset præter spem, remittebatur nihilominus ad eam Pœnitentiæ stationem, in qua morbo correptus fuerat, & reliquum percurrebat Pœnitentiæ stadium, juxta prudentiam, & arbitrium Episcopi: quod cùm fuisset emensus, Absolutione Canonica & ceremoniali reconciliabatur, & Pœnitentialium onere laborum solutus declarabatur. Ad quam hypothesim pertinent laudati in objectione Canones.

## SCHOLION I.

Ad hujus Dissertationis Propositionem primam, sive ad pag. 400. Editionis primæ, Religiosi Censores hanc Propositionem notant: *Absolutio nequit esse facilis, nec dari ante Pœnitentiam.*

R. Mea non est hæc Propositio: non dixi, Absolutionem dari non debere ante Pœnitentiam peractam. Ita quidem facilis in Absolutione danda Sacerdos esse non debet, ut iis qui dispositi non sunt, aut contra Dei Legem & Ecclesiæ Regulas concedatur; nec dari debet nisi

verè pœnitentibus, seu pœnitentiam professis sub... sincero detestatione & confessione peccatorum, & satisfacere divinæ justitiæ volentibus secundùm præscriptum Sacerdotis. Unde reus non essem, etiamsi hanc Propositionem asseruissem, quàm Religiosi Censores notant. Sed legentibus patet, notatam in Indiculo Censorio Propositionem meam non esse. En verba mea: *Ex quibus omnibus colligitur, Absolutionem à peccatis, ante impletam satisfactionem, ordinaria lege, primis Ecclesiæ Sæculis concessam non fuisse; & contrariam praxim fuisse improbatam ut violationem Disciplinæ Ecclesiasticæ, & prævaricationem Canonum.* Refero quid olim factum sit, non trado quid fieri debeat. Mutatam in Administratione Sacramenti Pœnitentiæ Ecclesiæ Disciplinam esse novi, ut in plurimis aliis capitibus: & illud *Hugonis à Sancto Victore*, lib. II. *De Sacramentis Fidei*, p. 11. cap. XIII. usurpo: *Salubre esse credimus, quidquid Spiritu Dei dictante ab illo fuerit institutum, & dignum reverentiâ judicatum. Et etiamsi aliis temporibus aliquando non ita fuisse, & nunc aliter esse quàm fuit, demonstretur: Non tamen cogitare debemus, quasi levitate aliqua factum sit, ut nunc aliter teneatur, & aliter institutum sit quàm fuit: Sed quod tunc oportebat, & illis salubre fuit, ut sic teneretur, & sic juberetur. Nunc autem alia esse tempora, & aliud esse congruum sive necessarium saluti humanæ.* Differri tamen Absolutionem interdum oportet vel expedit, donec satisfactoriis etiam operibus conversionis suæ sinceritatem Pœnitentes probaverint, & inveteratam consuetudinem peccandi, pravósque habitus, laboriosæ Pœnitentiæ falce excindere cœperint. Ut plurimùm (inquam) necesse est & expedit ut pravarum consuetudinum & libidinum mancipiis Absolutio eousque differatur, donec illorum dolor per ea opera, quæ simul sunt & medela peccati, & satisfactio pro peccatis, ad Absolutionem fructuosè percipiendam adolescat, maturescat, & Confessario probetur. Et quamvis totam impleri satisfactionem minimè necesse sit antequam Absolutio concedatur, inchoari tamen & eousque procedere sæpe necesse est vel expedit, donec prudenter sperari possit eos peccatoria esse conversum, & sufficienter præparatum ad Absolutionis gratiam obtinendam. In Orationibus certè, Jejuniis, & eleemosynis magnam vim esse ad obtinenda Divinæ gratiæ auxilia, ad eradicandas libidines, & ad nutriendum augendumque ob peccata dolorem, nemo Catholicus diffitetur. Hac ratione satisfactoria illa opera Absolutioni præmitti sæpe oportet, & expedit, secundùm pii, docti, prudentisque Confessarii judicium ac præscriptum.

## SCHOLION II.

In Responsione ad secundam objectionem, sive ad pag. 420. & sequentes Editionis primæ, hanc notam appingunt Religiosi Censores. *Absolutio sacramentalis quomodo danda; & expectanda priùs Absolutio Dei.*

R. Id non dixi, quod mihi affingunt Censorii Indiculi Auctores. Id unum verbis meis enunciavi: *Aliquid vitæ præcedere debere in Pœnitente per contritionem ex Dei amore profectam, sine qua à peccati macula emundari non potest, ut Absolutionem obtineat.* Contritionis nomine imperfectam vel perfectam intelligo. Id probo luculentis *SS. Gregorii M. & Eligii* testimoniis; sicque demum colligo: *Ecclesia igitur satisfactionem desiderabat, ut dispositionem ad Reconciliationem & Absolutionem sacramentalem obtinendam: Ut videlicet per opera Pœnitentiæ conversionis probaretur sinceritas, nec mortui jam vererentur peccatores, sed quoddam saltem vitæ initium per contritionem consecuti.* Quam notant Propositionem cuderunt ex hac *Sancti Gregorii* Sententia: *Illos nos debemus per pastoralem auctoritatem solvere, quos Auctorem nostrum cognoscimus per suscitantem gratiam vivificare.* Hæccine Censoriâ animadversione digna?

## SCHOLION. III.

In Responsione ad tertiam Objectionem, sive ad pag. 422. Editionis primæ, Censorius Indiculus hæc habet: *Cur Ecclesia differat Absolutionem post satisfactionem.*

R. Id non dixi. Scribere debuerant Auctores Indiculi: *Cur Ecclesia differret*: De veteri namque, non de præsenti Disciplina hic ago. Rationem autem hujus dilationis ac moræ, non meis reddo, sed *Ivonis* Carnotensis Episcopi verbis, in quibus quid reprehensione dignum?

---

# DISSERTATIO X.

## De Unitate Pœnitentiæ.

---

## QUÆSTIO UNICA.

*Utrum iis, qui actâ publicè Pœnitentiâ, nova crimina perpetrabant, omnis aditus Pœnitentiæ ab Ecclesia præcluderetur.*

DUPLEX istius Quæstionis sensus esse potest. Primus, utrum post Pœnitentiam publicè peractam, nullum jus ad Pœnitentiam publicam & solemni ritu secundò agendam superesset. Secundus, utrum privatæ etiam pœnitentiæ aditus præcluderetur iis, qui nova in crimina erant relapsi, postquàm publicam Pœnitentiam egissent.

## PROPOSITIO I.

*Iis qui actâ publicè Pœnitentiâ, in eadem, vel nova crimina relabebantur, ob quæ agenda publicè Pœnitentia esset, secundùm Ecclesiæ leges, nedum publicæ, verùmetiam privatæ Pœnitentiæ præcludebatur aditus.*

Probatur primò ex Tertulliano, libro de Pœnitentia, cap. 7. ubi de Pœnitentia criminum post Baptismum commissorum agere incipiens, illam semel concedi asserit verbis tam claris, quàm elegantibus. *Piget*, inquit, *secunda, immò jam ultimæ spei subtexere mentionem: ne retractantes de residuo auxilio pœnitendi, spatium adhuc delinquendi demonstrare videamur. Absit ut aliquis ita interpretetur, quasi eo sibi etiam nunc pateat ad delinquendum, quia patet ad pœnitendum: & redundantia clementiæ cœlestis, libidinem faciat humanæ temeritatis. Nemo idcirco deterior sit, quia Deus melior est, toties delinquendo, quoties ignoscitur.* Mox ubi de tentationibus diaboli, quibus hominem à vitæ prioris sceleribus Baptismo expiatum obsidet, & oppugnat, ut eum dejiciat è fœlici baptismalis innocentiæ statu, præclarè dixit; hæc subjungit de unica post Baptismum Pœnitentia. *Hæc igitur venena ejus prævidens Deus, clausâ licet ignoscentiæ januâ, & intinctionis serâ obstructâ, aliquid adhuc permisit patere. Collocavit in vestibulo Pœnitentiam secundam, quæ pulsantibus patefaciat; sed jam semel, quia jam secundò, sed ampliùs nunquam, quia proximè frustra. Non enim & hoc semel satis est?*

Et cap. 9. *Hujus igitur Pœnitentiæ secundæ & unius, quantò in arcto negotium est, tantò operosior probatio est, ut non solâ conscientiâ præferatur, sed aliquo etiam actu administretur.*

Hujus autem severitatis, quam erga Peccatores, post actam semel Pœnitentiam, in graviora crimina relapsos exercuit Ecclesia, præclaras affert rationes Tertullianus: prima est, quia non jam ipsis suffragatur ignorantia ad excusationem peccati, cùm ex Pœnitentiæ gravitate & diuturnitate facilè cognoverint quanta sit criminis gravitas. *Hoc enim dico*, inquit, *Pœnitentiam, quæ per Dei gratiam ostensa & indicta nobis, in gratiam nos Domino revocat, semel cognitam atque susceptam, nunquam posthac iteratione delicti resignari oportere. Jam quidem nullum ignorantiæ prætextum tibi patrocinatur; quòd Domino agnito, præceptisque ejus admissis, denique pœnitentiâ delictorum functus, rursus te in delicta*

Rationes severitatis quâ erga peccatores relapsos exercuit Ecclesia.

Lib. de Pœnitent. cap. 5.

Graviora Relapsorum peccata.

*licta restituit : Ita in quantum ignorantiâ segregaris, in tantum contumacia agglutinaris.*

Secunda ratio, est divini timoris in peccatore præsumpta extinctio. Pœnitentiam enim egerat Dei timore concussus : cùm igitur in eadem, vel similia crimina præceps ruit, divinum timorem excussisse penitus videtur. *Si idcirco te deliquisse pœnituerat*, inquit, *quia Dominum cœperas timere, cur quod metus gratiâ gessisti, rescindere maluisti, nisi quia metuere desiisti? Neque enim timorem alia res quàm contumacia subvertit.*

Tertia ratio, est divinæ Majestatis contemptus, & ingrati in Deum animi vitium, cujus reus est, qui relabitur in eadem vel æquè gravia crimina, postquam ea, divina gratia adjuvante, Pœnitentiâ eluit. Quantam autem pœnam ille Dei contemptus mereatur, patet ex eo quòd severè etiam puniantur, qui Dei ignorantiâ peccaverunt. Majus autem scelus est Deum despicere, quàm ignorare. *Cùm etiam*, inquit Tertullianus, *ignorantes Dominum nulla exceptio tueatur à pœna ( quia Deum in aperto constitutum, & vel ex ipsis cælestibus bonis comprehensibilem ignorari non licet ) quantò cognitum despici periculosum est? Despicit porro qui bonorum ac malorum intellectum ab illo consecutus, quod intelligit fugiendum, quodque jam fugit, resumens, intellectui suo, id est, Dei dono contumeliam facit; respuit datorem, cum datum deserit; negat beneficum, cum beneficium non honorat. Quemadmodum ei potest placere, cujus munus sibi displicet? Ita in Dominum non modo contumax, sed etiam ingratus apparet.*

Quarta ratio, est judicium à Peccatore, qui relabitur in pristina, vel in alia crimina post Pœnitentiam, prolatum in gratiam diaboli contra Deum Optimum Maximum, inimicique erectio adversùs Creatorem & Servatorem. *Cæterùm*, inquit Tertullianus, *non leviter in Dominum peccat, qui cùm æmulo ejus diabolo pœnitentiâ renuntiasset, & hoc nomine illum Domino subjecisset, rursus eumdem regressu suo erigit, & exultationem ejus seipsum facit; ut denuo malus, recuperatâ prædâ suâ adversus Dominum, gaudeat. Nonne, quod dicere quoque periculosum est, sed ad ædificationem proferendum est, diabolum Domino præponit? Comparationem enim videtur egisse, qui utrumque cognoverit, & judicato pronuntiasse eum meliorem, cujus se rursus esse maluerit. Ita qui per delictorum pœnitentiam instituerat Domino satisfacere, diabolo per aliam pœnitentiam satisfaciet; eritque tantò magis perosus Deo, quantò æmulo ejus acceptus.* Ob has rationes, Ecclesia præcludebat, cùm publicæ, tum privatæ Pœnitentiæ aditum iis, qui acta publicè Pœnitentia, in ea rursus crimina labebantur, ob quæ publica Pœnitentia subeunda fuisset.

Probatur secundò Propositio ex Clemente Alexandrino, libro 2. Stromatum, pag. 282. ubi divinam benignitatem commendans, ait ipsam providisse homini post Baptismum peccanti secundæ Pœnitentiæ remedium, sed illam pœnitentiam unam esse, & semel dumtaxat ab Ecclesia concedi significat, quia veram sinceramque eorum non existimat conversionem, qui post Pœnitentiam, eadem, vel æquè gravia in peccata relapsi, rursus veniam ab ea postulant. *Dedit ergo*, inquit, *cùm sit multa misericordia, iis etiam qui fide in aliquod peccatum incidunt, secundam Pœnitentiam, quam, si quis tentatus fuerit, post vocationem, coactus & callidè circumventus, unam adhuc non pœnitendam acceperit Pœnitentiam. Voluntariè enim peccantibus nobis, non amplius relinquitur pro peccatis hostia; terribilis autem quædam expectatio judicii, & zelus ignis qui est devoraturus adversarios. Continuè autem & se vicissim excipientes propter peccata Pœnitentiæ, nihil differunt ab iis qui omnino non crediderunt, præterquàm in eo solo quod se peccare senserunt : neque scio utrum sit deterius prudentem ac scientem peccare, an, cum pro iis, quæ peccavit, Pœnitentiâ ductus fuerit, rursus peccare... Est enim rursus meditatio peccatorum, sæpe pœnitere, & ad facilem mutationem aptitudo ex defectu exercitationis. Apparet ergo, sed non est Pœnitentia, sæpè petere veniam de iis quæ sæpe peccamus.*

Probatur tertiò ex S. Ambrosio libro de Pœnitentia cap. 10. *Meritò*, inquit, *reprehenduntur, qui sæpius agendam pœnitentiam putant, quia luxuriantur in Christo. Nam si verè agerent pœnitentiam, iterandam postea non putarent : quia sicut unum Baptisma, ita una Pœnitentia, quæ tamen publicè agitur. Nam quotidiani nos debet pœnitere peccati; sed hæc delictorum leviorum est, illa graviorum.* Ex quibus constat, Sanctum Ambrosium eamdem negare Pœnitentiam gravioribus peccatis, quam levioribus assignat. Porro Pœnitentia leviorum peccatorum, privata est : igitur Pœnitentia etiam privata negabatur iis, qui publicâ Pœnitentiâ semel functi, in eadem, vel æquè gravia crimina relabebantur.

Id confirmant ejusdem S. Ambrosii verba, cap. ultimo ejusdem libri, dicentis, satius esse homini differre Pœnitentiam, cùm exercere quis opera pœnitentiæ non potest : *Ne*, inquit, *in ipsa Pœnitentia fiat, quod postea indigeat Pœnitentia : quæ si semel fuerit usurpata, nec jure celebrata, nec prioris fructum obtinet, & aufert usum posterioris.* Certè id falsò dictum esset à S. Ambrosio, si privatâ pœnitentiâ eumdem fructum obtinuissent, qui post publicam pœnitentiam in graviora crimina relapsi erant. Ineptæ fuissent quas secundò peccantibus intentabat, minæ, si ad publicæ tantùm Pœnitentiæ denegationem eas retulisset, iisque concedi supposuisset privatam. Immo fœliciores fuissent, & humaniùs excepti, qui Pœnitentia publicè peracta, secundò aut sæpius peccaverant, quàm semel dumtaxat peccantes : siquidem istis sine publica Pœnitentia reditus in Ecclesiam non patuit; illis verò privata Pœnitentia Communionis januam aperuisset : Atqui nemo tam vecors erit, qui humaniùs cum illis actum ab Ecclesia putet, qui in eadem sæpius incidissent, & quidem horrenda flagitia, quàm cum iis qui semel ea commisissent : igitur ne privatæ quidem ipsis patebat aditus Pœnitentiæ.

Probatur quartò ex S. Augustino, Epistola 54. ad Macedonium. Scripserat ille ad S. Augustinum, se dubitare utrum ex religione orta esset Episcoporum consuetudo, qui pro capitalium criminum reis apud Judices intercedebant, ne morti addicerentur. Adversùs morem illum Ecclesiasticum objecerat Ecclesiæ Disciplinam, quæ unam dumtaxat Lapsis post Baptismum Pœnitentiam concedebat. Ex ea colligebat, Episcopos rogare pro iis non debere, qui secundò, vel sæpius capitalia in crimina lapsi essent. Sic statum quæstionis se habuisse constat tum ex Epistola Macedonii, cùm ex responso S. Augustini. *Quæris à me*, inquit Augustinus, *cur officii Sacerdotii nostri esse dicamus intervenire pro reis, & nisi obtineamus, offendi, quasi quod erat officii nostri, minimè reportemus. Ubi vehementer te dicis ambigere utrum istud ex Religione descendat. Deinde adjungis, quâ ratione ita movearis. Nam si à Domino peccata*, inquis, *adeo prohibentur, ut nec pœnitendi quidem copia post primam Pœnitentiam tribuatur, quemadmodum nos possumus ex Religione contendere, ut nobis qualecumque illud crimen fuerit, dimittatur.* Certè si consuetudo fuisset in Ecclesia Romana, & Africana, post Pœnitentiam publicam semel peractam, alterâ Pœnitentiâ, etiam privatâ, scelus iteratum, aut aliud canonicum crimen expiare, & iterum absolvere Peccatorem, nullus fingi potuisset huic objectioni

locus : nulla fuisset illius verisimilis ratio. Porro incredibile est Macedonium virum prudentissimum id Sancto Augustino absque ullo fundamento, ullâve rationis specie objecisse.

Præterea, si pœnitentiæ privatæ reseratus ab Ecclesia fuisset aditus iis, qui eadem, vel æquè gravia peccata, post publicam Pœnitentiam perpetraverant, præsentissima Sancto Augustino fuisset occasio colligendi ex Ecclesiæ more, Episcopos pro reis apud Magistratus meritò intercedere, quamvis secundò, aut sæpius eadem facinora, vel etiam graviora perpetrassent. Respondisset Macedonio eruditissimus Patrum, decere Antistites, Deum, Ecclesiamque imitari, à quibus secunda & tertia pœnitentia concedebatur graviorum criminum reis, cum hoc tantùm discrimine, quòd primò peccantes publicam : secundò, tertiò, & sæpius, in eadem, vel graviora flagitia relapsi, privatam dumtaxat pœnitentiam agerent. Verùm nihil hujusmodi respondet Macedonio Sanctus Augustinus. Immo ostendit Pœnitentiam alteram jure negari ab Ecclesia : non ideo tamen Deo exprobrandum esse quòd parcat secundò, iterumque peccantibus, cùm quotidie Solem suum super peccatores oriri faciat, malisque vitam proroget, ut ad ipsum tandem aliquando convertantur. Sed præstat audire ipsius Sancti Augustini verba. *Quod si iniquis*, inquit, *& scelestis ille parcendo, eisque vitam, salutémque largiendo, etiam plerisque eorum, quos novit non ctu ros Poenitentiam, tamen exhibet patientiam : quantò magis nos in eos qui correctionem promittunt, & utrùm faciant quod promittunt, incerti sumus, misericordes esse debemus, ut rigorem vestrum pro eis intercedendo flectamus, pro quibus & Dominum, quem nihil de moribus eorum etiam futuris latet, non tamen impudenter, quia hoc ipse præcepit, oramus? In tantum autem hominum aliquando iniquitas progreditur, ut etiam post actam Pœnitentiam, post Altaris reconciliationem vel similia, vel graviora committans : & tamen Deus facit etiam super tales oriri Solem suum ; nec minùs tribuit, quàm ante tribuebat, largissima munera vitæ ac salutis. Et quamvis eis in Ecclesia locus humillimæ pœnitentiæ non concedatur, Deus tamen super eos sua patientiæ non obliviscitur. Ex quorum numero si quis nobis dicat : Aut date mihi eumdem iterum pœnitendi locum, aut desperatum me permittite, ut faciam quicquid libuerit, quantùm meis opibus adjuvor, & humanis legibus non prohibeor, in scortis, omnique luxuria damnabili quidem apud Dominum, sed apud homines plerosque etiam laudabili : aut si me ab hac nequitia avocatis, dicite utrùm mihi aliquid prosit ad vitam futuram, si in ista vita illecebrosissimæ voluptatis blandimenta contempsero, si libidinum incitamenta frænavero, si ad castigandum corpus meum multa mihi etiam licita & concessa subtraxero, si me pœnitendo vehementiùs quàm priùs excruciavero, si miserabiliùs ingemuero, si flevero uberiùs ; si vixero meliùs, si pauperes sustentavero largiùs ; si charitate, quæ operit multitudinem peccatorum, flagravero ardentiùs : quis nostrùm ita desipit, ut huic homini dicat, Nihil tibi ista proderunt in posterum, vade, saltem vitæ hujus suavitate perfruere ? Avertat Deus tam immanem, sacrilegamque dementiam.* Certè frustrà & ineptè induxisset Sanctus Augustinus hominem iterati criminis, post publicam Pœnitentiam, reum, postulantem ut sibi idem Pœnitentiæ locus concederetur, aut sibi desperare liceret de salute, si privatæ pœnitentiæ illi patuisset janua. Frustra item quæsivisset ille peccator, an sibi profutura essent ad vitam futuram bona opera, jejunia, aliæque macerationes corporis, quæ in privata Pœnitentia impositæ fuissent, & ad consequendum ejus fructum indictæ.

Addit Sanctus Augustinus : *Quamvis ergo cautè, salubriterque provisum sit, ut locus illius humillimæ pœnitentiæ semel in Ecclesia concedatur, ne medicina vilis minùs utilis esset ægrotis, quæ tantò magis salubris est, quantò minùs contemptibilis fuerit ; quis tamen audeat dicere Deo : Quare huic homini, qui post primam pœnitentiam rursus se laqueis iniquitatis obstringit, adhuc iterum parcis ? Quis audeat dicere erga istos non agi, quod Apostolus ait : Ignoras quia patientia Dei ad pœnitentiam te adducit ?* Vide ut hujusmodi peccatores uni Dei misericordiæ ac patientiæ committit Sanctus Augustinus ; pœnitentiæ verò privatæ paratum ipsis subsidium altissimo premit silentio, id nequaquam facturus, si post publicam Pœnitentiam, eadem, vel æquè gravia in crimina relapsi, privatæ Pœnitentiæ remedium ab Ecclesia consecuti fuissent.

## PROPOSITIO II.

*Peccatoribus, qui peractâ publicè Pœnitentiâ, eadem, vel æquè gravia crimina perpetraverant, privata Pœnitentia, & Absolutio, in morte non denegabatur.*

Probatur ex Siricio Pontifice Maximo Epistola 1. ad Himerium Tarraconensem Episcopum, cap. 5. Consuluerat ipsum Himerius, quomodo gerere se deberet erga eos, *Qui acta Pœnitentia, tamquam canes, ac sues ad vomitus pristinos, & ad volutabra redeuntes, & militia cingulum, & ludicras voluptates, & nova conjugia, & inhibitos denuo appetiverant concubitus. Quorum professam incontinentiam, generati post Absolutionem filii prodiderant.* Sic autem respondet illi quæstioni Siricius : *De quibus, quia jam suffigium non habent pœnitendi, id duximus decernendum, ut solâ intra Ecclesiam Fidelibus Oratione jungantur, sacra Mysteriorum celebritati, quamvis non mereantur, intersint ; à Dominica autem Mensa convivio segregentur, ut hac saltem districtione correpti, & ipsi in se sua errata castigent, & aliis exemplum tribuant, quatenus ab obscœnis cupiditatibus retrahantur. Quibus tamen (quoniam carnali fragilitate ceciderunt) Viatico munere, cum ad Dominum cœperint proficisci, per Communionis gratiam volumus subveniri. Quam formam & circa mulieres, quæ se post pœnitentiam talibus pollutionibus devinxerunt, servandam esse censemus.* Peccatoribus igitur, qui peracta publicè pœnitentia relapsi fuerant, seque volutaverant in eodem criminum luto, privatæ Pœnitentiæ subsidium, Absolutionisque beneficium, imminente morte, non denegabatur antiquitus.

Propositio prima impugnatur ex Origene Homilia 15. in cap. 25. Levitici, dicente : *In gravioribus criminibus semel tantùm vel rarò, pœnitentiæ conceditur locus. Ista verò communia, quæ frequenter incurrimus, semper pœnitentiam recipiunt, & sine intermissione redimuntur.* Objectionum solutio.

Respondeo primò, Morem illum unius pœnitentiæ pro gravioribus criminibus agendæ obsolescere forsan cœpisse in Oriente Origenis temporibus, qui diu postea in Ecclesia Occidentali viguit. Unde non mirum quòd antiquæ illius disciplinæ severitatem verbis mollioribus expresserit Origenes, dicens : *Semel tantùm, vel rarò pœnitentiæ conceditur locus.*

Respondeo secundò, interpolatum non immeritò me suspicari Origenem : siquidem Sententiarum Magister hunc locum laudans, libro 4. Distinct.

14.

14. hæc verba præterit *vel rarò*, quæ Doctissimus A Pater Nicolai per parenthesim addidit, ut ea apud Origenem quidem legi, sed à primitivo Magistri textu abesse significaret. Ego verò disjunctivam illam, *vel rarò*, intrusam existimo in textum Origenis ab aliquo sciolo, qui prioris ævi disciplinam ex sui temporis praxi metiri volens, persuadere sibi non potuit privatam Pœnitentiam iis, qui peractâ publicâ iterum in eadem, vel æquè gravia flagitia ceciderant, fuisse aliquando ab Ecclesia denegatam. Quamobrem dixisse voluit Origenem, *semel, vel rarò*, quia nisi ita scripsisset, falsa fuisset Scholasticorum opinio, quorum plurimi Pœnitentiam B dumtaxat solemnem iteratam non fuisse, pertinacissimè contendunt. Sic porro habet Origenes explicans illud Levitici 25. *Qui vendiderit domum intra urbis muros, habebit ergo licentiam redimendi,* &c. Sic (inquam) habet: *Istas domos, si fortè alicui (ut supra exposuimus) lapsus acciderit, semper est recuperandi facultas, ut verbi gratia dicamus: si nos aliqua culpa mortalis invenerit, qua non in crimine mortali, non in blasphemia fidei, quæ muro Ecclesiastici, & Apostolici dogmatis cincta est, sed vel in sermonibus, vel in morum vitio consistat; hoc est vendidisse domum, quæ in agro est, vel in vico cui murus non est. Hac ergo venditio, hujusmodi culpa* C *semper potest reparari, nec aliquando tibi interdicitur de commissis hujusmodi pœnitudinem gerere. In gravioribus enim criminibus, semel tantùm pœnitentiæ conceditur locus. Ista verò communia, quæ frequenter incurrimus, semper Pœnitentiam recipiunt, & sine intermissione redimuntur.* Porro si sic legatur Origenis textus absque clausula illa addititia, *vel rarò*, accuratior erit ac locupletior ejus allegoria, magisque conveniet Sanctæ Scripturæ textui. Assignat enimvero Sacer Textus discrimen redemptionis domorum quæ in pagis, & quæ in urbibus extructæ sunt, quòd priores, Jubilæo redeunte, re- D dimi semper possent à primis dominis: posteriores verò redimi quidem possent intra venditionis annum; eo verò elapso, numquam. Origenes domos quæ sunt in pagis leviora peccata allegoricè interpretatur: quæ verò sunt in urbibus, graviora scelera: redemptionem verò domorum, exponit de pœnitentia peccatorum. Ut igitur accuratam institueret allegoriam, dicere debuit, leviora peccata sæpius redimi, sicut ædes rusticæ sæpius redimebantur; id est, toties ab his absolvi peccatorem à Sacerdotibus, quoties pœnitentiam ageret: graviora verò, & canonica crimina semel tan- E tùm redimi, id est, Pœnitentiâ unicâ expiari, quæ publica erat; postmodum verò nullâ alia pœnitentia, nequidem privatâ redimi, secundùm Ecclesiæ disciplinam, sicut domus in urbibus sitæ semel tantùm redimi poterant. Unde patet, verba illa, *vel rarò*, intrusa fuisse in Origenis textum.

Objectio secunda petitur ex Sancto Joanne Chrysostomo, quem citat Magister Sententiarum in fine Distinctionis 14. lib. 4. ex Homilia 20. in Epistolam ad Hebræos, ad hæc verba capitis F decimi, *Voluntariè peccantibus nobis non relinquitur pro peccatis hostia,* &c. *Sciendum,* inquit, *quòd hic quidam exurgunt, horum verborum occasione Pœnitentiam auferentes, quasi per Pœnitentiam non valeat peccator post lapsum resurgere secundò, & tertiò, & deinceps. Verùm etiam in hoc Pœnitentiam non excludit, nec propitiationem quæ sæpe fit per Pœnitentiam, sed secundum Baptismum & hostiam.* Igitur Sancti Joannis Chrysostomi tempore, secunda Pœnitentia concedebatur iis, qui post publicam Pœnitentiam, in eadem, vel æquè gravia crimina prolabebantur.

A Respondeo primò, Severiorem illam disciplinam in Oriente citiùs, quàm in Occidente fuisse remissam, illamque concidisse penitus post Nectarii celebre factum, quo Pœnitentiarium, qui publicæ Pœnitentiæ præerat Constantinopoli, sustulit. Unde cùm Nectario proximè successerit Sanctus Chrysostomus, nullum est adversùs nostram assertionem testimonii citati robur.

Respondeo secundò, Verba illa, quæ à Magistro Sententiarum laudantur, non haberi apud Sanctum Chrysostomum, neque in textu Græco, neque in Versione Latina. Sic enim scribit Chrysostomus: *Hic rursus nos adoriuntur, qui tollunt* B *Poenitentiam, & quicumque cunctantur venire ad Baptisma, siquidem non est secunda remissio. Illi verò dicunt non esse tutum eos qui peccarunt, impertiri Mysteriis; siquidem non est secunda remissio. Quid ergo dicemus utrisque? Quod hic non tollit Poenitentiam, nec eam, quæ per poenitentiam fit, placationem: neque expellit, & dejicit per desperationem eum qui est lapsus (non enim est adeò inimicus nostræ salutis) sed secundum lavacrum tantùm aufert. Non enim dixit: Non est ampliùs poenitentia, neque est ampliùs remissio: sed, Non est ampliùs hostia: hoc est, non est ampliùs crux secunda: hoc enim vocat* C *hostiam.*

Respondeo tertiò, Quòd si hoc dixisset Sanctus Joannes Chrysostomus, deflexisse tantisper à veteris Disciplinæ severitate videretur: hucque referri posset accusationis illius Articulus sextus, prout illum ex Photio refert Eminentissimus Annalium Parens. Adversùs ipsum enim objiciebant hostes ejus infensissimi, quòd aditum aperiret peccatoribus dicens: *Si iterum pecces, iterum Pœnitentiam facito; & quoties peccaveris, accede ad me, & ego te curabo.* Crimini certè hujusmodi adhortatio, promissioque verti non potuisset, maximè D apud Episcopos, nisi Disciplinæ & consuetudini Ecclesiasticæ contraria fuisset secundæ Pœnitentiæ concessio.

Baronius ad ad annum Christi 403.

Objicitur tertio. Prisca illa severitas Ecclesiam crudelem adumbrat ac penè Novatianam. Est igitur incredibile Ecclesiam interclusisse secundæ Pœnitentiæ, etiam privatæ aditum, iis, qui post publicam Pœnitentiam, in eadem, vel nova crimina relapsi fuerant.

Respondeo, Nec crudelem ob hoc censeri debuisse Ecclesiam, sicut nec crudelis est medicus, qui urit & secat, ne ulcus interiùs serpat: nec E debere videri Novatianis faventem. Illi enim nec unam post Baptismum Poenitentiam admittebant, & crimina post lavacrum perpetrata ne semel quidem per Ecclesiæ Claves dimitti posse contendebant. At quòd unica graviorum criminum reis post Baptismum concessa sit primis sæculis Pœnitentia, *Non desperatione indulgentiæ, sed rigore factum est Disciplinæ. Alioquin contra claves Ecclesiæ datas disputabitur, de quibus dictum est: Quæ solveritis in terra, soluta erunt in cælo* (inquit Sanctus Augustinus alia in specie, sed planè simili, Epistola 50.)

F Objicitur quartò. Sanctus Thomas III. Parte Quæstione 84. Articulo 10. propugnat Pœnitentiam posse iterari, eosque, qui secundam post Baptismum Pœnitentiam inutilem esse dixerunt, Hæreticis accenset. Ergo Ecclesia Pœnitentiæ aditum interclusisse non videtur iis, qui post publicam Pœnitentiam, vel iisdem, vel gravioribus peccatis se obstringebant.

Respondeo, Sanctum Thomam spectasse Disciplinam in Ecclesia suo Sæculo vigentem, locutumque fuisse de Pœnitentia absolutè sumpta, quæ sanè iterari potest, quamvis Ecclesia statue-

re

re possit ut non iteretur, ne medicina sæpius repetita vilis fiat ægrotis. Meritò etiam illos Hæreticis accenset Sanctus Thomas, qui secundam Pœnitentiam inutilem esse dixissent; quia utilissima est cùm ab Ecclesia conceditur ut Sacramentum; sive etiam cùm à Pœnitente exercetur ut virtus. *In quacunque enim hora ingemuerit Peccator, omnium iniquitatum ejus Deus non recordabitur.*

Eodem modo exponendum est quod habet in librum 4. Sententiarum Distinctione 14. Quæst. 1. Artic. 5. Quæstiunc. 2. *Solemnis*, inquit, *Poenitentia iterari non debet propter tria: Primò, ne ex iteratione vilescat: secundò, propter significationem; quia est figura expulsionis hominis de Paradiso, qua est semel tantùm facta: tertiò, quia solemnizatio est quasi quadam professio perpetuò poenitentiam conservandi: & ideò iteratio solemnitati resistit: si tamen postmodùm peccaverit, non clauditur ei locus poenitentiæ; sed poenitentia solemnis iterum ei injungenda non est.* In bis enim, ut in plerisque aliis, Disciplinam suo tempore in Ecclesia vigentem spectavit Sanctus Thomas.

## SCHOLION I.

Ad hanc Dissertationem, sive ad pag. 429. Editionis primæ, Religiosi Censores hanc Propositionem notant: *Sicut unus Baptismus, ita una Pœnitentia.*

R. Non mea, sed *Sancti Ambrosii* Propositio est, cujus verba ibi protuli: *Quia sicut unum Baptisma, ita una Poenitentia, quæ tamen publicè agitur*, &c. Hæc postrema verba, *Quæ tamen publicè agitur*, à me descripta, ut apud *Sanctum Ambrosium* leguntur, Auctores Indiculi Censorii detruncarunt.

## SCHOLION II.

Ad ejusdem Dissertationis Propositionem primam, Religiosi Censores hanc notam appingunt: *Privata etiam Poenitentia Relapsis negata.* TOTA, inquiunt, *Conclusio cum suis probationibus expungatur.*

R. *Iis qui actâ publicè Poenitentiâ, in eadem vel nova crimina relapsi erant, ob quæ agenda publicè Poenitentia fuerat, secundùm Ecclesiæ leges, nedum publica, verùm etiam privata Poenitentia præclusum olim aditum*, probavi disertis Patrum testimoniis. Nova hæc sententia non est, quam ante me propugnaverunt *Albaspinæus* Aurelianensis Episcopus libro II. Observatione V. *Joannes Morinus* libro V. *De Administratione Sacramenti Poenitentiæ*, cap. XXVII. *Dionysius Petavius*, in Animadversionibus *In Sanctum Epiphanium*, ad Hæresim LIX. quæ est Novatianorum, pag. 236 & seq. aliique Viri Eruditi. Attendant, quæso, Religiosi Censores ad præclaram illam doctissimi Cardinalis *Bona* animadversionem, libro I. *Rerum Liturgicarum*, cap. XVIII. *De sacris*, inquit, *Ecclesiæ Ritibus, eorumque veneranda antiquitate illi procul dubio malè merentur, qui priscos Mores præsentis temporis consuetudine metientes, omnem veterem Disciplinam ad hujus ævi praxim expendunt, ea persuasione decepti, quòd nihil unquam ab iis usibus diversum fuerit, quos à parentibus & præceptoribus didicerunt, & quibus ab infantia assueverunt. Quòd si aliquando Priscorum Patrum Monumenta evolvunt, quæ in illis obscura sunt, obscuriora reddunt, veterem Ecclesiam cum præsenti comparantes: & si fortè in aliquid incidunt quod ab hodiernis Ritibus discrepet, subsistunt & hærent, vel inconsultò respuentes, vel falsa interpretatione in alienum sensum detorquentes quicquid à suis præjudicatis opinionibus abhorret. Ex quo fit ut in maximos errores, inque Rituum Ecclesiasticorum confusissimam perturbationem labantur; quia nimirum illorum causas & fundamenta ac ipsasmet definitiones ignorant, quas benè percipere nemo potest, nisi ideam & imaginem antiquæ Disciplinæ in mente habeat.*

---

## DISSERTATIO XI.

### De Pœnitentia Clericorum.

---

## QUÆSTIO UNICA.

*Utrum Clerici primis Ecclesiæ Sæculis Pœnitentiæ publicæ addicerentur.*

DISTINGUENDUM est inter majores Clericos, ac minores, ac de utrisque expendendum, an Pœnitentiæ publicæ obnoxii aliquando fuerint.

## PROPOSITIO I.

*Clerici minores, non secus ac Laici, publica olim Pœnitentia addicebantur.*

Probatur auctoritate & testimonio Felicis Tertii Pontificis Maximi Epistola 7. in qua ubi in Episcopos, Presbyteros & Diaconos, qui ab Hæreticis se passi sunt rebaptizari, sententiam tulit; sic decernit de minoribus Clericis, Monachis, & Monialibus, ejusdem criminis reis. *De Clericis autem, & Monachis, aut puellis Dei, aut sæcularibus, servari præcipimus hunc tenorem, quem Nicæna Synodus circa eos qui lapsi sunt, vel fuerint servandum esse constituit, ut scilicet, qui nulla necessitate, nullius rei timore, aut periculo, se ut rebaptizentur, Hæreticis impiè dediderunt, si tamen eos ex corde poeniteat, tribus annis inter Audientes sint: septem autem annis subjaceant inter Poenitentes manibus Sacerdotum: duobus autem annis oblationes modis omnibus non sinantur offerre, sed tantummodo sæcularibus in oratione socientur.*

Probatur secundò ex Sancto Isidoro Hispalensi, libro 2. de Ecclesiasticis Officiis, cap. 16. ubi cùm dixisset, post unum Baptismum substituisse Deum Pœnitentiæ remedium, addit, *Honorum duntaxat dignitate servata, ita ut à Sacerdotibus & Levitis, Deo tantùm teste, fiat; à cæteris verò, adstante coram Deo solemniter Sacerdote.* Igitur soli Sacerdotes & Diaconi publicæ Pœnitentiæ legibus exempti erant Sancti Isidori ætate in Ecclesia Hispaniensi.

Impugnatur Propositio ex Siricio Pontifice Maximo, Epistola 1. ad Himerium Taraconensem Episcopum data, cap. 14. ita decernente: *Illud quoque nos par fuit providere, ut sicut poenitentiam agere cuiquam non conceditur Clericorum, ita & post poenitudinem, ac reconciliationem, nulli unquam Laico liceat honorem Clericatus adipisci.* Omnes igitur Clerici, etiam inferioris gradus, à publicæ Pœnitentiæ legibus immunes fuerunt. *Objectio soluta.*

Respondeo, nego consequens. Evidens enim est ex verbis sequentibus, Siricium de majoribus dumtaxat Clericis intelligendum esse, qui Sacramenta conficiunt, vel proximè assistunt ac ministrant conficientibus. *Quia*, inquit, *quamvis sint omnium peccatorum contagione mundati nulla tamen debent gerendorum Sacramentorum instrumenta suscipere, qui dudum fuerint vasa vitiorum.*

PROPOSITIO

## PROPOSITIO II.

*Majoribus Clericis, post tertium Seculum, Pœnitentia publica, ex Ecclesiæ disciplina non imponebatur.*

Majorum Clericorum nomine Episcopos, Presbyteros, & Diaconos intelligimus.

Probatur primò ex Sancto Hieronymo, Epistola 48. ad Sabinianum Diaconum data, qui plures Virgines corruperat, & alteri stuprum condixerat. *Hortatus sum*, inquit, *ut ageres Pœnitentiam, & in cilicio & cinere volutareris, ut solitudinem peteres, ut viveres in Monasterio, ut Dei misericordiam jugibus lachrymis implorares.* Majoribus igitur Clericis Pœnitentia publicè agenda non imponebatur, sed secreto in loco, atque à Fidelium conspectu remoto, ex Episcopi jussu, pœnas sibi impositas subibant.

Probatur secundò ex Sancto Augustino, libro 1. de Baptismo contra Donatistas, cap. 1. *Sicut redeuntes*, inquit, *qui priusquam recederent, baptizati sunt, non rebaptizantur: ita redeuntes, qui priusquam recederent, ordinati sunt, non utique rursus ordinantur, sed aut administrant quod administrabant, si hoc Ecclesiæ utilitas postulat, aut si non administrant, Sacramentum Ordinationis suæ tamen gerunt; & ideo eis manus inter laicos non imponitur.* Certè si Clericis propter Sacramentum Ordinationis, sive propter caracteris venerationem, manus inter Laicos non imponebatur, non addicebantur illi Pœnitentiæ publicæ, more laicorum.

Probatur tertiò, ex Concilio Carthaginensi Quinto, quod anno Christi 398. celebratum est, Canone 2. ita decernente: *Si quando Presbyteri vel Diaconi, in aliqua graviore culpa convicti fuerint, qua eos à ministerio necesse fuerit removeri, non eis manus tanquam Pœnitentibus, vel tanquam Fidelibus laicis imponatur.*

Probatur quartò ex Sancto Leone Magno Epistola 92. ad Rusticum Narbonensem Episcopum data, cap. 2. *Alienum est*, inquit, *à consuetudine Ecclesiastica, ut qui in Presbyterali honore, aut in Diaconi gradu fuerint consecrati, ii pro crimine aliquo suo, per manus impositionem, remedium accipiant pœnitendi: quod sine dubio ex Apostolica Traditione descendit, secundum quod scriptum est: Sacerdos si peccaverit, quis orabit pro eo? Unde hujusmodi lapsis, ad promerendam misericordiam Dei, privata est expetenda secessio, ubi illis satisfactio, si fuerit digna, sit etiam fructuosa.* Tempore igitur Sancti Leonis, Sacerdotes & Diaconi in Monasteriis, aut in aliis locis hominum à conspectu remotis, Pœnitentiam agere cogebantur, cùm in grave crimen lapsi erant: sed publica illis Pœnitentia, cum laicis agenda, non imponebatur.

Probatur quintò ex Concilio Toletano 4. quod anno Christi 673. celebratum est, Canone 29. quo majores Clerici, ad Pœnitentiam secretò agendam, in Monasteria detruduntur. *Si Episcopus*, inquit, *aut Presbyter, sive Diaconus, aut quilibet ex ordine Clericorum, magos, aut aruspices, aut ariolos, aut certè augures, vel sortilegos, vel eos qui profitentur artem magicam, consulere fuerit deprehensus, ab honore dignitatis suæ depositus, Monasterii pœnam excipiat, ibique perpetuæ pœnitentiæ deditus, scelus admissum sacrilegii luat.* Majoribus igitur Clericis, post tertium Sæculum, Pœnitentia publica, ex Ecclesiæ disciplina, non imponebatur.

Objicitur. Felix Tertius Pontifex Maximus, Epistola 7. Episcopos & Presbyteros qui in rebaptizationem consenserant, nequidem Communione Laica donari decernit, nisi in supremo vitæ discrimine, illosque in Pœnitentia jacere jubet. Igitur majores Clericos, etiam post Sæculum tertium, Pœnitentiæ publicæ addixit Ecclesia.

Respondeo distinguo antecedens. Et jubet eos Pœnitentiam agere privatim, concedo: Publicè, nego. Nam Felix Tertius magnum discrimen inter Clericos majores ex una parte, & Clericos minores, atque Laicos ex altera constituit. Siquidem istos jubet omnes Pœnitentiæ gradus percurrere, in quibus Poenitentes frequentibus manuum impositionibus & exorcismis expiabantur: alios verò distincto Poenitentiæ genere damnat, quam in Monasteriis agerent. Enimverò si mos Ecclesiæ fuisset ut Clerici majores singulos Poenitentiæ luctuosæ gradus percurrerent, & more Laicorum impositionibus manuum substernerentur, Felix Episcoporum & Presbyterorum Poenitentium classem à classe Poenitentium Laicorum non distinxisset. Distinxit autem, ut constat ex ipsius Decreti tenore. *Ut ergo*, inquit, *ab Ecclesiæ Summatibus inchoemus, eos, quos Episcopos, Presbyteros, vel Diaconos fuisse constiterit, & seu optantes forsitan, seu coactos, lavacri illius unici, salutarisque claruerit fecisse jacturam, & Christum quem non solùm dono regenerationis, verùmetiam gratia percepti honoris induerant, exuisse: cùm constet neminem ad secundam tinctionem venire potuisse, nisi se palam Christianum negaverit, & professus fuerit se esse Paganum. Quod cùm generaliter sit in omnibus execrandum, multò magis in Episcopis, Presbyteris, Diaconibus, auditu saltem dictuque probatur horrendum. Sed quia idem Dominus atque Salvator clementissimus est, & neminem vult perire, usque ad exitus sui diem in Pœnitentia (si resipiscunt) jacere conveniet; nec orationi, non modò Fidelium, sed ne Catechumenorum, modis omnibus interesse, quibus communio laica tantùm in morte reddenda est. Quam rem diligentiùs explorare, vel facere, probatissimi Sacerdotis cura debebit.* Vide ut Poenitentiam quidem indicit majoribus Clericis, sed sub oculis probatissimi Sacerdotis, non verò in conspectu totius Ecclesiæ peragendam. Longè aliter decernit de Clericis minoribus, de Monachis, & Monialibus, quos ad eumdem Poenitentium ordinem cum Laicis amandat, publicéque Poenitentiam agere constituit (ut constat ex ipsius verbis inter prioris Propositionis Probationes relatis.) Felix Tertius annis 22. post S. Leonem sedit in Cathedra Romana. Cùm igitur S. Leonis tempore jam disciplina illa vigeret ut majores Clerici Poenitentiam in Monasteriis, vel aliis ab hominum conspectu remotis locis agerent, nec addicerentur Poenitentiæ publicæ; verisimile non est quòd Felix Tertius disciplinam illam immutaverit, atque everterit.

## PROPOSITIO III.

*Tribus prioribus Ecclesiæ sæculis Clerici Majores publicæ Pœnitentiæ legibus, ex Ecclesiæ Disciplina subditi fuerunt.*

Probatur primò ex Concilio Illibertitano, cujus Canones Poenitentiam publicam imponunt canonicorum criminum reis, nec majores Clericos ab ea lege excipiunt; aut aliud ipsis imponunt genus Poenitentiæ, si in eadem crimina fuerint prolapsi. Sed ne in argumento negativo parum esse roboris videatur, probationem positivam istius disciplinæ colligimus ex Canone 76. ejusdem Concilii: quo Diaconi in crimine capitali detecti, etiam ante Ordinationem perpetrato, depositione, & publica Poenitentia mulctantur. En verba Canonis: *Si quis Diaconum se permiserit ordinari, & postea fuerit in crimine detectus mortis, quod aliquando commiserit; si sponte fuerit confessus, placuit eum, actâ legitima pœnitentia, post triennium accipere Communionem: quòd si alius eum detexerit, post quinquennium, actâ*

*Pœnitsutiâ, accipere Communionem laicam debere.* Certè nisi de Poenitentia publica hic Canon intelligatur, oullum Concilii Illiberitani Canonem de illa iotelligere poterimus, cùm eâdem fere loquendi formula utantur universi.

Probatur secundò ex Concilio Neocæsariensi, Caoone 1. in Presbyteros fornicationis reos, vel adulterii, ita decernente: *Presbyter, si uxorem duxerit, ordine suo moveatur. Si autem fornicatus fuerit, vel adulterium commiserit, penitus extradatur, & ad pœnitentiam deducatur.* Poenitentia porro in qua extra Ecclesiam peccator pellebatur, erat Poenitentia publica. Tribus igitur primis Ecclesiæ sæculis, & quarti initio, Clerici majores Poenitentiæ publicæ legibus, ex Ecclesiæ disciplina subjacebant.

Probatur tertiò, ex bistoria Natalis Confessoris, & primarii postea Hæreticorum Episcopi, quæ refertur ab Eusebio, libro 5. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 28. qui nempe *Cilicio & sacco indutus, cineribus aspersus, cum magno mœrore & lachrymis ad pedes Zephirini Pontificis se supplicem abjecit; & non modò ad Cleri, sed ad Laicorum etiam genua advolutus est: ita ut Christi misericordis Ecclesia illum magnopere commiserata, lamentis unà se dederet.* Si tunc Majores Clerici Poenitentiæ publicæ legibus exempti fuissent, Natalis Zephirioum Pontificem privatim adiisset, vel saltem, præsente dumtaxat Clero, non verò coram plebe fecisset exomologesim, nec lugubri publicorum Poeniteotium habitu indutus, prostratus fuisset ad pedes etiam Laicorum. Dicere enim quòd sponte ad Poenitentiam publicam se demiserit, ariòlari est.

Probatur quartò ex S. Cypriano multis in locis, primò Epistola 59. ad Fidum scripta, qua Victorem quemdam Presbyterum à Therapio Episcopo temerè pace donatum scribit, antequam plenam Poenitentiam egisset, propterea que Therapium objurgandum esse censet, quòd ab Africani Concilii Decreto recesserit, Disciplinamque Ecclesiasticam violaverit. Porro Decretum illud peremptorium, cujus meminit Sanctus Cyprianus Epistola 52. & 54. omnes omnino Lapsos, nulla inter Clericum, & Laicum facta distinctione, complectitur. Cùm itaque de Poenitentia publica illud loqui nemo cordatus negare possit, certum est Clericos etiam majores publicæ Poenitentiæ fuisse addictos. Præterea loquitur S. Cyprianus de Poenitentia, cujus in decursu pax interdum concedebatur Poenitentibus, Christiaoa plebe rogante, quæ satisfactionis testis erat; vel urgente infirmitate, ac necessitate cogente; illique Poenitentiæ subjacuisse significat Victorem Presbyterum: atqui hujusmodi Poenitentia erat publica; igitur majores Clerici Poeniteotiæ publicæ, ex Ecclesiæ disciplina, subjacebant. En S. Cypriani verba. *Significasti de Victore quodam Presbytero, quòd ei, antequam Pœnitentiam plenam egisset, & Domino Deo, in quem deliquerat, satisfecisset, temerè Therapius collega noster, immaturo tempore, & prapropera festinatione, pacem dederit. Quæ res nos satis movit recessum esse à Decreti nostri auctoritate, ut ante legitimum & plenum tempus satisfactionis & sine petitu, & conscientia plebis, nullà infirmitate urgente, ac necessitate cogente, pax ei concederetur.*

Idem probatur ex ipsius Epistola 52. in qua Trophimi reditum ad Ecclesiam, & Pœoitentiam narrat. Commotus erat adversùs Cornelium Romanum Episcopum Antonianus, quòd accepisset ipsum cum Sacrificatis communicare, & Disciplinæ Ecclesiasticæ nervos ita exscindere, ut Trophimum redeuntem ad Ecclesiam, Communioni, imò & honori Sacerdotii restituisset, nullâ ab ipso Pœnitentiâ peractâ. Ad Antonianum rescribit S. Cyprianus, falsos esse rumores contra Cornelium ad ipsum perlatos, Trophimum ad Communionem dumtaxat

A Laicam admissum fuisse, non verò in locum & honorem Sacerdotii restitutum: Cæterùm ex necessitate quadam, & ob Ecclesiæ bonum, hâc œconomiâ usum esse Pontificem, ut Pœnitentiæ labores condonaret Trophimo satisfacienti, & pœnitentiâ deprecationis errorem pristinum, crimenque confitenti: quia maximam plebis multitudinem, quam ab Ecclesia abstraxerat, ad ejusdem sinum revocabat. Porro si Ecclesiastica Disciplina, mosque Ecclesiæ, majores Clericos à Pœnitentiæ publicæ jugo fecisset immunes, offcosus non fuisset Antonianus ex nimiâ (ut putabat) Cornelii erga Trophimum le-
B nitate. En S. Cypriani verba: *Quoniam cum Trophimo pars maxima plebis abscesserat, redeunte nunc ad Ecclesiam Trophimo & satisfaciente, & pœnitentiâ deprecationis errorem pristinum confitente, & Fraternitatem, quam nuper abstraxerat, cum plena humilitate, & satisfactione revocante, audita sunt ejus preces... Tractatu ergo illic cum Collegis plurimis habito, susceptus est Trophimus; pro quo satisfaciebat fratrum reditus, & restituta multorum salus. Sic tamen admissus est Trophimus, ut Laicus communicet; non, secundum quod ad te malignorum litera pertulerunt, quasi locum Sacerdotis usurpet.*

C Tertiò. Idem colligitur ex Epistola 68. ejusdem Sancti Cypriani ad Clerum & plebes in Hispania consistentes data, in qua scribit Basilidem Episcopum nefando idololatriæ libello contaminatum, & blasphemia insuper, cùm in infirmitate decumberet, pollutum, *Episcopatum pro conscientia sua vulnere sponte deposuisse, ad agendam Pœnitentiam esse conversum, Deum deprecatum, & satis gratulatum fuisse, si sibi vel Laico communicare contingeret.* At sibi noo fuisset ita ex ea spe gratulatus, si majores Clerici Pœnitentiæ publicæ obnoxii non fuissent. Nam soli Pœnitentes è Fidelium numero, à Com-
D munione etiam Laica arcebantur.

Id planè confirmant sequentia paulò post Sancti Cypriani verba: *Cúmque alia multa sint,* inquit, *& gravia delicta, quibus Basilides, & Martialis implicati tenentur; frustra tales Episcopatum sibi usurpare conantur, cùm manifestum sit ejusmodi homines nec Ecclesia Christi posse præesse, nec Deo sacrificia offerre debere. Maxime cùm jampridem nobiscum, & cum omnibus omnino Episcopis in toto mundo constitutis, etiam Cornelius Collega noster, Sacerdos pacificus, & justus, & Martyrio quoque dignatione Domini honoratus, decreverit ejusmodi homines ad Pœnitentiam*
E *quidem agendam posse admitti, ab Ordinatione autem Cleri, atque Sacerdotali honore prohiberi.* Cùm igitur illo in Decreto Pœnitentiæ nomine non alia intelligatur quàm publica, illudque Lapsos omnes complectatur, tam Clericos majores, & minores, quàm Laicos: evidens est illos omnes Pœnitentiæ publicæ addictos æquè fuisse Sancti Cypriani Sæculo, ex Ecclesiæ Romanæ, & Africanæ Disciplina. Denique idem constat ex Epistola Sancti Cornelii ad Fabium Antiochenum, * in qua restatur unum ex Episcopis, qui crapulâ oppressi Novatianum Episcopum ordinaverant, Poenitentis habitu palam in Ecclesia crimen suum confessum esse, ac deflevis-
F se, ac tandem intercedente populo, ad Communionem laicam fuisse susceptum. *Nec multo post,* inquit, *unus ex illis Episcopis ad Ecclesiam rediit, delictum suum cum lamentis ac fletibus confitens. Quem nos cùm universus populus pro illo intercessisset, ad Communionem laicam suscepimus.*

* Apud Eusebium libro 6. cap. 43. secundum Versionem Valesianam.

Objicitur primò vulgata illa sententia Origenis: *Si Pœnitentia Episcopis imponeretur, non esset Pœnitentia, sed injuria.* Ergo secundo Sæculo Episcopi non erant obnoxii publicæ poenitentiæ.

Respondeo, Sententiam illam nullibi in Origenis Operibus extare, nec ab ullo Scriptorum Ecclesiasticorum ut Origenis laudatam fuisse, præterquam

quam ab illustrissimo Aurelianensium Episcopo Albaspinæo Observatione 6. in Optatum Milevitanum. Sed viro alioqui erudito aliquis fucum fecit; aut eum fefellit memoria.

Objectio secunda eruitur ex Optato Milevitano, libro 2. ubi Donatistis exprobrat, quòd Episcopos, Presbyteros, & Diaconos publicæ Poenitentiæ addixissent. Id autem Donatistis non exprobrasset, si majores Clericos publicæ Poenitentiæ subjecisset Ecclesia. En verba Optati: *Ergo linguas vestras acuistis in gladios, quas movistis in mortes, non corporum, sed honorum. Jugulastis non membra, sed nomina. Quid prodest quia vivunt homines; & occisi sunt honores à vobis? Valent quidem membris, sed erepta portant funera dignitatis. Extendistis enim manum, & super omne caput mortifera velamina prætendistis: ut cùm sint quatuor genera capitum in Ecclesia, Episcoporum, Presbyterorum, Diaconorum, & Fidelium, nec uni parcere voluistis. Evertistis animas hominum. Hos actus vestros doles Deus in Ezechiele Propheta, cùm dicit: Væ facientibus velamen, hoc est, imponentibus manum super omnem ætatem ad evertendas animas. Invenistis pueros; de Pœnitentia sauciastis, ne aliqui ordinari potuissent. Agnoscite vos animas evertisse... Invenistis Diaconos, Presbyteros, Episcopos, fecistis Laicos. Agnoscite vos animas evertisse,* Et paulò antè: *Vestris consiliis sagittati sunt innocentes, exarmati Fideles, honore nominis sui spoliati sunt Sacerdotes. O impietas inaudita, quem jugulaveris, inter Pœnitentiam & tormenta servare!* Igitur primis tribus Ecclesiæ Sæculis majores Clerici obnoxii non erant Poenitentiæ publicæ.

Respondeo primò, distinguo majorem: Donatistis id exprobrat Optatus, ut contrarium Disciplinæ sui Sæculi, esto; ut contrarium Disciplinæ trium priorum Sæculorum; nego. Post Imperium enim Constantii id Donatistæ ausi sunt, propter quod eos reprehendit Optatus. Scilicet Constantius Macarium in Africam miserat, ut Donatistas ad Ecclesiam Catholicam redire compelleret. Multi, metu pœnarum, Ecclesiæ Catholicæ ad unitatem sunt reversi. Verùm postea sub Juliani Imperio impietati suæ, & insaniæ permissi, non Laicos dumtaxat, verùm etiam Diaconos, Presbyteros, & Episcopos, qui Catholicam amplexi fuerant unitatem, Poenitentiæ publicæ submiserunt. Unde ex testimonio Optati colligi non potest, quòd tribus prioribus Ecclesiæ Sæculis majores Clerici publicæ Poenitentiæ obnoxii non essent; sed solùm quòd circa medium quarti Sæculi ab ejus legibus essent immunes.

Respondeo secundò, distinguo minorem: Id Donatistis non exprobrasset, si Clericos majores Poenitentiæ publicæ subjecisset Ecclesia, quantumvis criminis puros & insontes, concedo: In grave aliquod crimen prolapsos, nego. Donatistis igitur non exprobrat Optatus, quòd Episcopos, Presbyteros, & Diaconos publicæ Poenitentiæ addixissent, simpliciter & absolutè; sed quòd addixissent absque caussa, & absque crimine; immo propter bonum opus, quia nimirum fuerant Catholicam ad unitatem reversi. Eum esse Optati sensum, patet primò, quia tam exprobrat Donatistis degradationem majorum Clericorum, quàm vim ipsis illatam ad agendam publicè Poenitentiam. At nemo dixerit illum Donatistas increpuisse absolutè, quòd Sacerdotes exauctorassent, quasi rem in Ecclesia Catholica insolitam fuerint aggressi, sed solùm ipsos objurgasse cordatus quisque fatebitur, quòd immeritos, & insontes deposuerint. Itaque ad eamdem speciem restringenda sunt Optati verba, ut Donatistas coarguisse intelligatur, propterea quòd Poenitentiæ publicæ subjecissent insontes Clericos. En ejus verba id apertè demonstrantia, ad finem libri secundi. *Deuterium, Partenium, Donatum, & Getulicum Dei Episcopos, linguæ gladio jugulastis, fundentes sanguinem, non corporis, sed honoris. Vixerunt postea homines, sed à vobis occisi sunt in honoribus Dei Sacerdotes..... Scriptum est: Ne tetigeritis unctos meos; neque in Prophetas meos manum miseritis. Oleum suum defendit Deus; quia si peccatum est hominis, unctio est tamen divinitatis. Ne tetigeritis,* inquit, *unctos meos. Ideo, ne dum peccatum hominis percutitur, & oleum quod Dei est, feriatur. Judicio suo Deus servavit rem suam, & tamen vos passim irruistis in alienam, corrumpentes omnium felicitatem. Nam quæ major infœlicitas, quàm Dei Sacerdotes vivere, nec esse quod fuerant?*

Secundò, hunc esse Optati sensum, colligitur ex verbis sequentibus, quibus æquè Donatistas coarguit, quòd Matronas, Virgines, pueros, omnemque plebem Christianam ad Poenitentiam detrusissent: at nemo inde colliget Matronas, Virgines, Christianam plebem fuisse à publicæ Poenitentiæ jugo, secundùm Ecclesiæ leges, liberas: nec igitur colligi potest ex Optati verbis, majores Clericos Poenitentiæ publicæ obnoxios non fuisse. *Matronæ,* inquit, *pueri simul, & Virgines, à vobis coactæ, nullo interveniente peccato, salva innocentiâ & pudicitiâ, vobis docentibus, Pœnitentiam gerere didicerunt. Numquid minor est infœlicitas? Contritas sexus vexastis ætates...... Indixistis Pœnitentiam plebibus. Nec enim acta est ab aliquo, sed à vobis exacta; nec æqualibus spatiis temporum, sed egistis omnia pro personis: alter anno toto, alter mense, alter vix tota die, imperantibus vobis Pœnitentiam gessit. Si unitati consentire, ut vultis, peccatum est; si est similis culpa, quare non est æqualis pro eodem reatu Pœnitentia? Dubium non est, esse vocatum populum credentium, Israël, id est, qui mente Deum videat; & tamen has plebes coegistis flectere & inclinare cervices, & serie capitum juncta, massam Pœnitentium facere. Has plebes dolet Deus per Ezechielem dicens: Væ filiabus Israel, quæ sarciunt cervicalia, id est, membra cervicis, ut supponant sub cubito & sub manu. Utique sub cubito & sub manibus vestris, cùm super earum capita velamina Pœnitentiæ tenditis.*

Tertiò. Colligitur ex Optato Clericos majores fuisse obnoxios publicæ Poenitentiæ. Refert enim ille libro 1. quod cùm initio Schismatis Donatistarum, Cæciliani Carthaginensis Archidiaconi, ac deinde Episcopi hostes, illius Ordinationem irritam esse dicerent, quòd à Traditore sacrorum Codicum ordinatus esset, Cæcilianus hostium suorum tentaturus audaciam ac temeritatem, palàm dixerit, ut si Felix Aptungitanus, sicut illi arbitrabantur, nihil Ordinatione sua contulisset, illi tamquam Diaconum ipsum adhuc ordinarent: tunc Purpurium solita malitia fretum exclamasse: *Exeat huc quasi imponatur illi manus in Episcopatu, & quassetur illi caput de Poenitentia.* Quibus verbis manifestè alludebat ad Ecclesiæ consuetudinem, quæ majoribus etiam Clericis Pœnitentiam publicam eo tempore imponebat.

Quartò. Donatistæ in Fide & sacris Ritibus, si errorem circa Baptismum, & Ecclesiam, Baptismique sacrilegam iterationem excipias, cum Catholicis conveniebant. Cùm igitur majores Clericos subjiciebant Poenitentiæ publicæ, id faciebant, quod in Ecclesia Catholica viderant frequentari. Unde licet in caussa impositionis Poenitentiæ graviter errarent, non tamen in Poenitentiæ impositione absolutè sumpta ab Ecclesia dissidebant.

Respondeo tertiò, Optatum præcipuè reprehendere Donatistas, quòd alieno ab Ecclesiæ moribus ritu, & sacræ Sacerdotum unctioni contumelioso, Poenitentiam ipsis imposuissent; radendo scilicet capita Sacerdotum, ut sacram, si fas esset, abolerent

unctionem, & Exorcismos super ipsos proferendo, quibus injuriam Spiritui Sancto inferebant. *Quid iniquius* (inquit Optatus, libro 2.) *quàm exorcizare Spiritum Sanctum? .... Docete ubi vobis mandatum est radere capita Sacerdotum? cùm è contrario sint tot exempla proposita, fieri non debere.* Probat subinde unctionem Sacerdotum venerationi esse debere, etiamsi peccatores sint, exemplo Davidis, qui à Saülis cæde abstinuit, imò quem poenituit abscissi ejus pallii, propter olei, quo fuerat Rex inauguratus, unctionem. *Repressit cum gladio manum*, inquit, *& dum timuit oleum, servavit inimicum: Vos nec Deum timetis, nec fratres agnoscitis: in corde livoris acuistis novaculas linguæ, & divina Præcepta calcantes, miserorum properastis in capita, ut in captivitatem cæcos & imperitos populos, jugulatis Ducibus, traheretis.*

Objectio tercia nititur Auctoritate Sancti Leonis, Epistola 92. dicentis: *Alienum est à consuetudine Ecclesiastica, ut qui in Presbyterali honore, aut in Diaconii gradu fuerint consecrati, ii pro crimine aliquo suo, per manus impositionem, remedium accipiant pœnitendi; quod sine dubio ex Apostolica Traditione descendit, secundùm quod scriptum est: Sacerdos si peccaverit, quis orabit pro eo?* Atqui nusquam Ecclesia aliquid egit contra Apostolicam Traditionem: ergo nusquam addixit majores Clericos Pœnitentiæ publicæ.

Respondeo, Duo distinguenda esse in verbis Sancti Leonis, nimirum impositionem Pœnitentiæ publicæ, & impositionem manuum, Pœnitentium vulgo fieri solitam. Ait autem, ex Apostolica Traditione descendere, ut Sacerdotibus & Diaconis in aliquod crimen prolapsis manus non imponantur, sicut cæteris, qui publicam Poenitentiam publicè non agant.

Respondeo secundò, Sanctum Leonem usum esse Traditionis Apostolicæ nomine, ut consuetudinem à centum annis Romana in Ecclesia vigentem significaret. Quo sensu Sanctus Hieronymus Epistola 28. ad Licinium data scripserat: *Unaquæque Provincia abundet in sensu suo, & Præcepta majorum Leges Apostolicas arbitretur.*

Respondeo tertiò, Videri Sanctum Leonem nimis probare, si Sacerdotes non subjici Poenitentiæ publicæ, demonstrare velit ex Traditione Apostolica esse profectum, quia scriptum est 1. Regum 2.* *Si in Dominum peccaverit, quis orabit pro eo?* Nam si id probaret iste locus, non solùm ex Apostolica Traditione, verùm ex jure divino descenderet immunitas Sacerdotum à publicæ Pœnitentiæ legibus. Siquidem illud jure divino institutum est, quod ex Scriptura Sacra demonstratur.

* S. Leo hunc Sanctæ Scripturæ textum iisdem omnino verbis non laudat, sed sic: *Sacerdos si peccaverit, quis orabit pro eo?* Peccata Sacerdotis ut Sacerdos est, non in virum, sed in Dominum commissa supponens.

## PROPOSITIO IV.

*Nusquam ritus impositionis manuum frequentari solitus, ac celebrari super publicos Pœnitentes, in gradu Substrationis, usurpatus est erga Majores Clericos publicam Pœnitentiam agentes.*

Id probat suprà laudata Sancti Leonis auctoritas, Epistola 92. Id probatur etiam ex Optato Milevitano, lib. 1. referente Melchiadis Pontificis Maximi & octodecim Episcoporum Sententiam, qua Donatus sui Schismatis initio proscriptus est, *Quòd confessus sit se rebaptizasse, & Episcopis lapsis manum imposuisse, quod ab Ecclesia alienum est.* Nec audiendi sunt viri quidam aliàs eruditi, qui manuum impositionem de qua locutus est Melchiades in sententia adversùs Donatum lata, fuisse Ordinationem dicunt, non verò publicæ Pœnitentiæ ritum: Donatistas namque, transfugas ab Ecclesiæ castris ad eorum Schismaticam Societatem Episcopos reordinasse contendunt, sicut Laicos rebaptizabant. Non, inquam, audiendi sunt illi: quia Optatus de eadem manus impositione ibi loqui videtur, de qua initio libri scripserat: *Nec malè imponendo omnibus capitibus manum, eversionis velamenta obtenderent, nec maledicerent Deo, nec rebaptizarent Fideles; nec nos eversas, aut occisas innocentium animas doleremus.* At manus impositio omnibus capitibus temerè facta, non est reordinatio, sed publicæ Pœnitentiæ ritus. Item manus impositio non evertit, imò potiùs promovet, erigitque Ordinatos. Denique vix potest intelligi quomodo maledixissent Deo in reordinatione. At impositioni manuum fieri solitæ publicis Pœnitentibus rectè intelligitur adjuncta fuisse maledictio, cùm eam super Sacerdotes usurpant Donatistæ: Nam Exorcismi, & expiatoriæ preces, Spiritui Sancto in Sacerdotibus residenti inferebant injuriam.

Probatur secundò ex eodem Optato ad finem libri secundi ita scribente: *Multis notum est & probatum, persecutionis tempore Episcopos aliquos, inertia à Confessione Dei delapsos thurificasse, & tamen nullus eorum qui evaserunt, aut manum Lapsis imposuit, aut ut genua figerent, imperavit. Et facitis vos hodie post unitatem, quod à nullo factum est post thurificationem.* Atqui perperam assereret Optatus id à nullo esse factum post thurificationem, si ritus impositionis manuum erga Pœnitentes substratos frequentari solitus, aliquando usurpatus fuisset erga Episcopos lapsos: Argumento igitur est, frequentes illas manuum impositiones usurpatas non fuisse erga majores Clericos publicam agentes Pœnitentiam.

## PROPOSITIO ULTIMA.

*Clericis Majoribus, post tertium Seculum, Pœnitentia publica imponebatur, si eam pietatis & humilitatis animo postularent.*

Probatur primò ex Concilio Arausicano I. quod anno Christi 441. celebratum est, Canone 4. decernente, *Pœnitentiam desiderantibus Clericis non negandam.* Quod Decretum iisdem verbis repetit, ac suum facit Concilium Arelatense secundum anno Christi 457. celebratum.

Idem probatur secundò ex Concilio Aurelianensi Primo, convocato anno Christi 511. Canone 12. *Si Diaconus*, inquit, *aut Presbyter, pro reatu suo se ab altaris Communione sub Pœnitentis professione submoverit, sic quoque, si alii defuerint, & caussa certa necessitatis exoritur, poscentem Baptismum liceat baptizare.*

Id denique probatur ex XIII. Concilio Toletano, Canone decimo, cujus condendi occasionem præbuit Gaudentius Valeriensis Episcopus. Significavit ille Patribus per Legatum, quòd ægritudine oppressus, pœnitentiam publicam suscepisset: quæsivitque ab ipsis num liceret sibi sacra munia nihilominus obire. Quæstione in deliberationem vocata, responderunt, *Ut reconciliatione præmissa, soliti Ordinis retineret officia.* Cujus definitionis rationem his verbis reddiderunt: *Si enim regula præcedentium Patrum, eos qui Pœnitentiam in discrimine mortis accipiunt, & nulla de se manifesta scelera confitentur (si adsit tamen in his & talibus probitas morum) ad Ecclesiasticos Gradus pervenire permittunt: quantò magis ut hi qui in ipso Sacerdotio constituti Pœnitentiam accipiunt, à sui Ordinis Officio non retrahantur? Tantùm si seipsi mortalium criminum professione propriâ non notarunt.*

# DISSERTATIO XII.

De progressu Controversiæ, quæ Sanctum Cyprianum & Africanos Episcopos, Firmilianumque & Orientales, cum Stephano Romano Pontifice commisit.

---

## ARTICULUS I.

*Utrum Stephanus Cyprianum & Firmilianum cum Coëpiscopis, ob errorem de rebaptizandis Hæreticis, excommunicaverit?*

### PROPOSITIO I.

*Sanctus Cyprianus, Firmilianusque, cum Coëpiscopis, non fuerunt reipsa excommunicati à Stephano Romano Pontifice.*

PROBATUR primò auctoritate Sancti Augustini libro 5. de Baptismo contra Donatistas, capite 25. *Stephanus*, inquit, *abstinendos putaverat, qui de suscipiendis Hæreticis priscam consuetudinem convellere niterentur. Iste autem quæstionis ipsius difficultate permotus, & sanctis charitatis visceribus largissime præditus, in unitate cum eis manendum, qui diversa sentirent. Ita quamvis commotius, fraternè tamen indignarentur, vicit tamen pax Christi in cordibus eorum, ut nullum inter eos Schismatis malum oriretur.* Atqui pax inter Stephanum & Cyprianum abrupta fuisset, si Cyprianum, ipsique adhærentes Episcopos anathemate confixisset Stephanus. Probabilius igitur est Sanctum Cyprianum & ejus Coëpiscopos non fuisse excommunicatos à Sancto Stephano. Ex quo nec Firmilianum cum Orientalibus suis reipsa fuisse à Communione abstentum probatur. Nam S. Cyprianus cum Firmiliano semper communicavit, ad ipsum dedit Epistolas, ad illum sua transmisit Concilia. Porrò cum illo non communicasset, si revera fuisset ab Ecclesiastica unitate præcisus: id enim quid fuisset aliud quàm à Communione Apostolicæ Sedis & Stephani discedere, quàm pacem cum eo rumpere, quàm dividere unitatem? Nec dici potest, S. Cyprianum quidem excommunicatum non fuisse, sed Firmilianum fuisse à Communione revera præcisum. Nam una erat caussa Firmiliani & Cypriani: uterque rebaptizandos censebat Hæreticos, pari uterque ardore, pari animi contentione, pari pertinacia, pari in Stephanum commotione sententiam suam propugnabat: non est igitur verisimile, quòd Firmilianum Communione privaverit Stephanus cum Orientalibus suis, & Cyprianum cum Africanis pace & Communione frui permiserit.

Confirmatur. Sanctus Augustinus, qui sæpe tradit Orientales Episcopos Cypriano in caussa iterandi Baptismi consensisse, nusquam vel leviter innuit ipsos ab Ecclesia fuisse præcisos: quod tamen contra Donatistas splendidum ac robustum fuisset argumentum.

Probatur secundò ex ipsis Sancti Cypriani verbis scribentis ad Jubaianum: *Nos*, inquit, *quantum in nobis est, propter Hæreticos, cum Collegis, & Coëpiscopis nostris non contendimus, cum quibus concordiam & Dominicam pacem tenemus. Servatur à nobis patienter & leniter charitas animi, honor Collegii, vinculum fidei, concordia Sacerdotii.* Atqui non servasset Cyprianus concordiam Sacerdotii & honorem Collegii, nec tenuisset Dominicam pacem, si communicatione Stephani insuperhabita & contempta, sui Ordinis ac Dignitatis munia obiisset. Non ignorabat enim penes Episcopum Romanum esse potestatem alios Episcopos Communione privandi, siquidem ad ipsum scripserat ut Marcianum Arelatensem Episcopum, qui ad Novatianos defecerat, abstineret, id est excommunicaret, aliumque in ejus Sedem substitui juberet Episcopum. Non est igitur verisimile Sanctum Cyprianum excommunicatum fuisse à Stephano Romano Pontifice.

Probatur tertiò. Sanctus Dionysius Alexandrinus, qui apprimè noverat quid in illa controversia Stephanum inter & Firmilianum gestum esset, in sententiam Firmiliani de rebaptizandis Hæreticis concessit, imò & ea de re scripsit ad Xistum Stephani Successorem, teste Eusebio, libro 7. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 5. nec ad Xistum dumtaxat, sed ad diversos plurimas epistolas scripsit de rebaptizandis Hæreticis, quæ tempore Sancti Hieronymi adhuc extabant, ut ipse testatur in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum capite 80. At incredibile videtur quòd Dionysius Alexandrinus, quem inter & Stephanum, aliosque Romanæ Sedis Pontifices, mutua semper intercessit Communio, sententiam amplexus esset, ob cujus defensionem Firmilianum, ac Cyprianum novisset excommunicatos.

Confirmatur. Dionysius ad Xistum scribens, testatur se datis ad Stephanum ejus in Romana Cathedra Decessorem literis illum pro Firmiliano & Coëpiscopis fuisse deprecatum: Porro si Stephanus Orientales Communione privasset, quâ fronte Dionysius Alexandrinus, qui in eadem caussa erat, Stephanum pro illis deprecari ausus fuisset? Sed cur (inquies) Dionysius rogavit Stephanum pro Orientalibus, nisi ut eos anathemate solveret? Respondeo, rogasse, ne excommunicationem quam fuerat minitatus, reipsa vibraret, utque toleraret opinionem Firmiliani, & aliorum, imò, & suam, quæ maximum in Scripturis Sacris habere fundamentum illis videbatur.

Apud Eusebium libro 7. cap. 5.

Probatur quartò: Firmilianus adfuit celebri Concilio contra Paulum Samosatenum Antiochiæ convocato, anno 264. aut 266. teste Eusebio, lib. 7. Historiæ Ecclesiasticæ capite 27. quo in Concilio celeberrimi, & Sanctissimi totius Orientis Episcopi sederunt, ac suffragati sunt: qui cùm Sedi Apostolicæ Communione juncti essent, non fuissent passi suo in cœtu Episcopum ejus Communione privatum.

Præterea, Secundi Concilii Antiocheni Patres, anno Christi 270. aut 272. in sua Epistola Synodica ad Dionysium Romanum Pontificem, Maximum Alexandrinum, omnesque orbis Catholici Episcopos data, vocant Firmilianum æquè ac Dionysium Alexandrinum: *Beatæ recordationis virum: NAM*, inquiunt, *& ad Dionysium Alexandrinum, & ad Firmilianum Cappadociæ Antistitem, beatæ recordationis viros, literas dedimus.* Mirum certè esset, quòd Antistitem excommunicatum, & in excommunicatione defunctum, Episcopi ad Pontificem Primæ Sedis scribentes, extra cujus communionem vixisset, *Beatæ recordationis virum* nuncupassent.

Denique Menologio Græcorum inter Sanctos adscriptus est Firmilianus, ejusque Natalis dies anniversariâ memoriâ celebratur 28. Octobris. Dicas, quæso, an Ecclesia hominem ab Apostolica Sede excommunicatum sacris Fastis inseruisset, eumque ut Sanctum coluisset? Idem de Sancto Cypriano dicendum, cui nec Martyrium in statu excommunicationis profuisset.

Respondebunt aliqui, Excommunicationem fan-

ctitati non obesse, si eam viri pii patienter ferant, nec se propterea ab Ecclesiæ unitate separent. Id fateor de excommunicatione injusta. Mihi quippe nota est aurea illa Sancti Augustini sententia libro 1. de Baptismo contra Donatistas, capite 17. *Spiritales autem, sive ad hoc ipsum pio studio proficientes, non eunt foras: quia & cum aliqua vel perversitate, vel necessitate hominum videntur expelli, ibi magis probantur, quàm si intus permaneant, cùm adversus Ecclesiam nullatenus eriguntur, sed in solida unitatis petra fortissimo charitatis robore radicantur. Ad hoc enim pertinet, quod in illo Abrahæ sacrificio dicitur: Aves autem non divisit.* Sed excommunicationem justam non obesse sanctitati, quis Catholicorum asserat, nedum Theologorum? At justissima fuisset excommunicatio à Stephano lata in Firmilianum, Cyprianum, ipsisque consentientes in dogmate de rebaptizandis Hæreticis Episcopos. Quis enim justè excommunicari neget eos, qui errorem tuentur ab Apostolica Sede & aliis Ecclesiis damnatum, nec ab eo vel adhortationibus, vel minis revocari possunt, sed in eo manent pertinaces? Cùm itaque hic esset Cypriani, Firmilianique status, non fuisset injustè in eos lata excommunicatio à Stephano. Unde tam justo anathemate percussos, in eoque defunctos, Ecclesia sacris honoribus ut Sanctos prosecuta non fuisset.

Respondet Baronius, Firmilianum, & alios Orientales ad meliorem frugem redisse, ejurasse errorem, & Catholicæ demum Communioni fuisse restitutos; sed in eo deceptum fuisse illustrissimum Annalium Ecclesiasticorum Parentem, Articulo sequenti ostendemus.

Probatur ultimò ex Eusebii silentio, qui cùm in Historia sua Ecclesiastica libro 7. capite 3. meminerit controversiæ, quæ Sanctum Cyprianum cum Stephano Pontifice commisit, commotum quidem vehementer Stephanum scribit adversùs Cyprianum, sed ne leviter quidem innuit excommunicationem ab eo fuisse contra ipsum, Firmilianumque latam. En Eusebii verba: *Cyprianus Carthaginensis Ecclesiæ Pastor, non aliter quàm per lavacrum Baptismatis Hæreticos, erroris maculis antè ablutos, in Ecclesiam admittendos existimavit. Verùm Stephanus nihil novi, aut alienis à traditione ex Apostolorum temporibus derivata moliendum arbitratus, hac de re animo vehementer commotus fuit.*

## PROPOSITIO II.

*Stephanus Pontifex Romanus Cyprianum, Firmilianum, eisque consentientes in dogmate de rebaptizandis Hæreticis Episcopos, abstinendos censuit, eisque excommunicationem minatus est.*

Probatur primò ex Sancto Cypriano, Epistola 74. ad Pompeium data, ubi sic Stephanum perstringit: *Dat honorem Deo, qui Marcionis Baptismo communicat? Dat honorem Deo, qui apud eos qui in Deum blasphemant, remissionem peccatorum dari judicat? Dat honorem Deo, qui forit de adultera & fornicaria nasci Deo filios asseverat? Dat honorem Deo, qui unitatem & veritatem de divina lege venientem non tenens, hæreses contra Ecclesiam vindicat? Dat honorem Deo, qui Hæreticorum amicus, & inimicus Christianorum, Sacerdotes Dei, veritatem Christi, & Ecclesiæ unitatem tuentes abstinendos putat? Si sic honor Deo datur, si sic à cultoribus & Sacerdotibus ejus timor Dei, & disciplina servatur, abjiciamus arma, manus demus in captivitatem, tradamus diabolo ordinationem Evangelii, dispositionem Christi, majestatem Dei*, &c.

Probatur secundò ex Sancto Dionysio Alexandrino teste locupletissimo, in Epistola ad Xistum, relata ab Eusebio libro 7. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 5. in qua sic loquitur: *Stephanus antea scripserat Epistolam de Heleno, de Firmiliano, de omnibus Episcopis qui erant ex Cilicia, Cappadocia, & Galatia, & ex omnibus gentibus, quæ erant finitimæ, quòd neque cum illis quidem ob eam caussam omnino communicare vellet. Nam illi, inquit, Hæreticos rebaptizant.*

Probatur tertiò ex Sancto Augustino, libro de unico Baptismo contra Petilianum, cap. 14. *Cùm ergo*, inquit, *Stephanus non solùm non rebaptizaret Hæreticos, verùmetiam hoc facientes, vel ut fieret decernentes, excommunicandos esse censeret, sicut aliorum Episcoporum, & ipsius Cypriani Literæ ostendunt, tamen cum eo Cyprianus in unitatis pace permansit.* Stephanus igitur Pontifex minatus est excommunicationem Cypriano, Firmiliano, eorumque Coëpiscopis.

Objicitur in primam Propositionem. Firmilianus in Epistola ad Sanctum Cyprianum data, testatur se cum Coëpiscopis plurimis, Cyprianumque cum Africanis Antistitibus, excommunicatos fuisse à Stephano. Sic quippe in Stephanum invehitur: *Imperitos etiam animosos atque iracundos esse manifestum est, dum per inopiam consilii & sermonis ad iracundiam facilè vertuntur, ut de nullo alio magis quàm de te dicat Scriptura divina: Homo animosus parit lites, & vir iracundus exaggerat peccata. Lites enim & dissensiones quantas parasti per Ecclesias totius mundi? Peccatum verò quàm magnum tibi exaggerasti, quando te à tot gregibus scidisti? Excidisti enim te ipsum, noli te fallere. Siquidem ille est verè schismaticus, qui se à communione Ecclesiasticæ Unitatis Apostatam fecerit. Dum enim putas omnes à te abstinere posse, solum te ab omnibus abstinuisti.*

Et postquam retulit verba Apostoli ad Ephesios 4. adhortantis Fideles ut servent *Unitatem Spiritus in vinculo pacis*, mox subjungit: *Hæc Apostoli mandata & monita salutaria, quàm diligenter Stephanus implevit, humilitatem sensus, & lenitatem primo in loco servans? Quid enim humilius aut lenius, quàm cum tot Episcopis per totum mundum dissensisse, pacem cum singulis vario discordiæ genere rumpentem: modò cum Orientalibus, quod nec vos latere confidimus, modò vobiscum qui in meridie estis? A quibus legatos Episcopos patienter satis & leniter suscepit, ut eos nec ad sermonem saltem colloquii communis admitteret: adhuc insuper dilectionis & charitatis memor, præciperet fraternitati universæ, ne quis eos in domum suam reciperet; ut venientibus non solùm pax & communio, sed & tectum, & hospitium negaretur. Hoc est servasse unitatem spiritus in conjunctione pacis, abscindere se à charitatis unitate, & alienum se per omnia Fratribus facere, & contra Sacramentum & Fidem, contumacis furore discordiæ rebellare. Apud talem potest esse unum corpus, & unus spiritus; apud quem fortasse una anima non est, sic lubrica, mobilis, & incerta?* Sed illi quorum Legatis non solùm pax & Communio, sed etiam tectum & hospitium negata sunt, reipsa fuerunt excommunicati: Stephanus igitur Pontifex Romanus, Firmilianum, Cyprianum, eisque consentientes in dogmate de rebaptizandis Hæreticis Episcopos reipsa excommunicavit.

Respondeo, Firmilianum severitate Stephani commotum & exacerbatum, quòd Legatos ab Iconiensi Synodo Romam destinatos duriùs excepisset, quodque increpatorias ac minaces tum ad eum cùm ad Cyprianum dedisset Epistolas, Pontificis minas exaggerasse, atque comminatoriam excommunicationem iisdem caracteribus descripsisse, ac si revera

lata

lata fuisset. Ea enim est iratorum hominum indoles, A ut illatas sibi injurias, veras, aut præsumptas, loquendo, sive scribendo augeant, ac majores prædicent quam reipsa sint, ut æmulis suis odium conflent, & accersant invidiam. Unde Tragicus in Thyeste cecinit:

*Iratus nihil nisi monstra loquitur.*

Firmiliano igitur, neque in hoc, neque in aliis, quæ styli tota in Epistola adversùs Stephanum debacchantis impetu temerè effudit, credendum est. Quis enim credat Stephanum fuisse Schismaticum, quia id effutiit Firmilianus? Quis Stephanum cum Juda proditore meritò fuisse comparandum existi- B met, quia Firmilianus illum cum Juda contulit? *Gratiam*, inquit, *referre Stephano in isto possumus: quòd per illius inhumanitatem nunc effectum sit, ut fidei & sapientia vestra experimentum caperemus. Sed non si nos propter Stephanum hanc beneficii gratiam cepimus, statim Stephanus beneficio & gratià digna commisit. Neque enim & Judas perfidia sua & proditione, qua scelerate circa Salvatorem operatus est, dignus videri potest quasi caussam bonorum tantorum præstiterit, ut per illum mundus & gentium populus liberaretur.* Quis audaciæ, insolentiæ, & improbitatis Sanctissimum Pontificem cum Firmilia- C no insimulet? *Sed hac interim, qua à Stephano gesta sunt, prætereantur*, inquit, *ne dum audacia, & insolentia ejus meminimus, de rebus ab eo improbè gestis longiorem mœstitiam nobis inferamus.* Quis fidem adhibeat Firmiliano asserenti, *Eos, qui Roma sunt non ea in omnibus observare, qua sunt ab origine tradita, & frustra Apostolorum auctoritatem prætendere?* Et etiam *Circa celebrandos dies Pascha, & circa multa alia divina rei Sacramenta esse apud illos aliquas diversitates?* Quis Stephanum sapientissimum Pontificem stultitiæ manifestæ à Firmiliano justè argui contendat? *Atque ego*, inquit, *hac in* D *parte justè indignor ad hanc tam apertam, & manifestam Stephani stultitiam, quòd qui sic de Episcopatus sui loco gloriatur, & se successionem Petri tenere contendit, super quem fundamenta Ecclesia collocata sunt, multas alias petras inducat, & Ecclesiarum multarum nova ædificia constituat, dum esse illic Baptisma sua auctoritate defendit.* Quis denique æquus rerum æstimator credat Stephanum vocasse Cyprianum *Pseudochristum & Pseudoapostolum, & dolosum operarium*, quod ipsi Firmilianus affingit: & Stephanum ipsum ira fuisse jure nuncupandum? Cùm itaque in his omnibus tam à E veritate, ab æquitate, à Christiana charitate, & moderatione alienis, fides derogetur Firmiliano: confici ejus testimonio non potest Stephanum excommunicationis sententiam, tum in ipsum, cùm in Cyprianum, ipsisque consentientes Episcopos tulisse. Nec Firmiliani sanctitas majorem ipsi fidem his in rebus conciliat, quia in his Sanctus non fuit, sed iracundiæ & impatientiæ suæ motibus abreptus, plura effutiit valde humana. Quamquam (ut credere par est) nævos illos Pœnitentiâ expunxerit, ut suos Cyprianus Martyrio.

Sed etsi Firmiliani Legatis pacem & Commu- F nionem, tectum & hospitium Stephanus denegasse supponatur (ut scribit Firmilianus) non inde certò colligi potest illos fuisse excommunicatos latâ in eos, atque Firmilianum sententiâ. Id enim œconomiæ tantùm gratiâ factum fuit à Stephano, ut Orientales ab errore nascente revocaret: ne scilicet Legatos benigniùs excipiens, errori favere videretur; néve ipsi Romæ commorati, hospites suos, ac maximam fraternitatis partem speciosa, licet falsa, doctrina imbuerent. Qua in re prudentiæ & vigilantiæ Pontificiæ singulare specimen Stephanus dedit. Sed severitas illa in excipiendis Legatis longè differt ab excommunicatione. Sicut ergo nemo hucusque somniavit Sanctum Epiphanium Salaminæ Cypri Episcopum excommunicasse Sanctum Joannem Chrysostomum Constantinopolitanum Antistitem, licet Constantinopolim veniens nec in Ecclesia cum ipso orare, nec in ejus ædibus commorari, etsi humanissimè invitatus voluerit; sed Epiphanii cautioni id tribuunt omnes, in errore tamen facti fundatæ, qua se ab ejus consortio sejunxit quem Origenistam existimabat: ne Origenismo tunc temporis grassanti favere videretur, & ut ab Origenistarum patrocinio Joannem Chrysostomum revocaret: ita B licet jusserit Stephanus ut alloquium, tectum, & hospitium Firmiliani Legatis Romæ negaretur, colligi inde non potest quòd eos excommunicaverit.

## SCHOLION.

In Responsione ad Objectionem, sive ad paginam 469. Editionis primæ, Religiosi Censores hanc in Indiculo suo notam appingunt: *Firmilianum (quem alias Sanctum esse concedit) iracundum appellat.*

R. *Firmilianum* Sanctorum cultu celebrat Ecclesia Græca, ut constat ex Menologio ad diem XXVII. Octobris. C Eum verò *iracundum* non appellavi, sed *commotum & iratum*, in *Sanctum Stephanum* I. Romanum Pontificem ea temerè scripsisse dixi, quæ in Epistola ad *Sanctum Cyprianum* adversùs ipsum leguntur. Hominem qui semel irâ commovetur, non ex naio, sed ex zelo, quamvis non secundùm scientiam, non ideo *iracundum* dicimus (quæ vox pravum iræ habitum, seu propensionem ad iram significat, quavis occasione data in actum erumpentem & æstuantem) sed iratum. Ab hujusmodi verò commotione & ira in *Stephanum* purgare non possumus *Firmilianum*, cùm illius verbis & stylo prodatur ille exacerbati & subirati animi motus. Hæc vitæ alioqui sanctissimæ macula fuit, quam Pœnitentia expunxit.

D

## ARTICULUS II.

### *Utrum Firmilianus, aliique Orientales, errorem de iterando Hæreticorum Baptismate deposuerint?*

ILlustrissimus Cardinalis Baronius contendit illos Romanæ Ecclesiæ, cæterarumque sententiam Dionysii Alexandrini temporibus amplexos fuisse: quam Auctoris Eminentissimi assertionem sequenti Propositione refellemus.

E

## PROPOSITIO.

### *Firmilianus, aliique Orientales, errorem de Baptismate Hæreticorum non deposuerunt Dionysii Alexandrini tempore.*

Probatur primò. Sanctus Dionysius Alexandrinus ad Xistum Stephani successorem scribens, iis qui collatum ab Hæreticis Baptisma irritum censebant, apertè suffragatur: illam itaque sententiam non deposuerant Orientales. Quomodo enim isti opinioni propter auctoritatem *Maximorum* (ut ait) F *Conciliorum* assensus fuisset, id est, Conciliorum Iconii, & Synadis, si illi ipsi Antistites, qui his Conciliis adfuerant, Decreta sua de rebaptizandis Hæreticis jam tum rescidissent? Sed nec ullum in tota Antiquitate Ecclesiastica vestigium est, quò ipsos errorem postea revocasse appareat. Gratis igitur asserit Baronius ipsos errorem deposuisse.

Apud Euseb. lib. 7. cap. 5.

Probatur secundò ex Sancto Basilio qui in Epistola I. Canonica ad Amphilochium testatur, Firmilianum in ea fuisse sententia, ut Catharos, Encratitas, Hydroparastatas, & Apotactitas rebaptizandos censeret. *Antiquis visum est* (inquit Canone I.) *Cypriano dico, & nostro Firmiliano, eos omnes*

uni

*uni calculo subjicere : quoniam separationis quidem principium per schisma ; qui autem se ab Ecclesia abjunxerunt, non habent amplius in se gratiam Spiritus.* Et Epistola 2. Canone 47. de iisdem Hæreticis ait: *Nos una ratione eos rebaptizamus.* Vigebat igitur Basilii Magni tempore in Cappadocia, finitimisque regionibus mos rebaptizandi plures Hæreticos, etiamsi in forma Ecclesiæ baptizati essent (ne quis cavilletur.) At si Firmilianus illum olim errorem ejurasset, Ecclesiasticæ ut restitueretur unitati (quemadmodum fingit Baronius) quomodo id Basilius non agnovisset, qui & ipse Cappadox erat, & Cæsareæ in Cappadocia Episcopus ? Quomodo ex Ecclesiæ illius monumentis adeo solemniter recantatam palinodiam compertam non habuisset ? Quomodo mori jam antiquitus abrogato fuisset obsecutus ?

Objectio prima pro sententia Baronii petitur ex Sancto Dionysio Alexandrino, apud Eusebium lib. 7. cap. 5. scribente ad Stephanum Romanum Pontificem, omnes Orientales Ecclesias antea dissentientes, ad concordiam esse reductas. *Jam scito, Frater*, inquit, *omnes Orientales Ecclesias, quæ antea fuerunt, propter errorum perversitatem, nonnulla dissensione distracta, ad concordiam denuo esse reductas, omnes etiam Ecclesiarum Præsides, qui ubique locorum sunt summo animorum consensu conspirare : & ob pacem hanc præter omnium expectationem constitutam, incredibili lætitia affici.* Et inter eos Episcopos, & Ecclesias, quæ mutuam inierant concordiam, Firmilianum, & totam Cappadociam recenset. Hæc autem scribere non potuit Dionysius de pace ex schismate Novatiani. Nam esto, inquit Baronius, illud schisma fœliciter extinctum fuerit : attamen suborta mox de rebaptizatione sub Stephano controversiâ, & scisso in diversas sententias Oriente ; nihil est quod ea de mutua omnium concordia & pace Ecclesiæ ad Stephanum scripsisset Dionysius, nisi pax in omnibus inter Episcopos fuisset stabilita. At sanciri pax in omnibus non potuit, nisi errorem de Baptismate Hæreticorum tantâ pertinaciâ à se antea propugnatum deponerent. Colligitur itaque ex Sancto Dionysio Alexandrino, Firmilianum, & ejus Coëpiscopos, errorem deposuisse.

Respondeo, De Novatiani schismate locutum esse dumtaxat Dionysium: ejus enim error in Orientem permeaverat ; quem demum abjecere Orientales, pristino rebaptizandi more retento. Qui igitur antea inter se dissidebant Episcopi, dum alii Novatianis partibus, errorique faverent, alii Novatianos execrarentur, in mutuam rediere concordiam tempore Stephani. Ita intelligendum esse Sanctum Dionysium Alexandrinum, ex Eusebio constat, qui libro 7. Historiæ, cap. 5. ita scribit : *Dionysius igitur, ubi longum sermonem cum Stephano per literas de hac controversia contulit, tandem declarat, quo pacto, persecutionis fluctibus sedatis, omnes ubique Ecclesiæ, novâ ac perversâ Novati hæresis pravitate repudiatâ, pacem inter se conciliassent.* Idem probant ipsius Dionysii verba scribentis : *Orientales Ecclesias, quæ propter errorum pravitatem antea nonnullâ dissensione distractæ fuerunt, ad concordiam denuo esse reductas.* An quæso, sententiam de iterando Hæreticorum Baptismate, cui ipse suffragabatur, *erroris pravitatem* appellasset?

Nec obstat quod ait Baronius, gratulari non potuisse Dionysium Stephano de pace Orientalibus Ecclesiis restitutâ, si in diversas adhuc sententias ob excitatam de Baptismate Hæreticorum controversiam scinderentur. Illa enim dissensio non officiebat paci Ecclesiasticæ : sed tum Episcopi, qui Hæreticorum Baptisma recipiebant, tum illi qui repudiabant, servabant unitatem spiritus in vinculo pacis. Unde S. Augustinus lib. 2. de Baptismo contra Donatistas ait : *Omnes qui aliter sentiebant Cypriani temporibus, non sunt ab Ecclesia unitate separati, donec illud, quod aliter saperent, Deus illis revelaret.* Atqui Firmilianus, & alii Episcopi Orientales, aliter sentiebant Cypriani temporibus, id est, rebaptizandos esse Hæreticos : Non fuerunt igitur ab Ecclesiæ unitate separati. Nec dubium est quin Orientales idem observaverint, quod Sanctus ipse Cyprianus, cui in omnibus assentiebantur (ut ex Firmiliani Epistola constat.) Quid porro Cyprianus ? *Neminem condemnantes*, inquit, *aut à jure communionis aliquem, si diversum senserit, amoventes.* Plures ergo Episcopi in Oriente Hæreticos rebaptizabant ; nonnulli œconomiæ gratiâ Hæreticorum Baptisma recipiebant (quemadmodum de suo ævo loquitur Basilius Magnus ( non tamen ideo mutuam communicationem, & Ecclesiasticam pacem abrumpebant. Unde restitutâ pace ex schismate Novatiani, gratulari meritò potuit Dionysius Alexandrinus Pontifici Romano : quia licet in controversia de rebaptizandis Hæreticis adhuc dissiderent Orientales, nihilominus dissensio illa erat opinionum, potiùs quàm animorum.

Objectio secunda petitur ex Epistola S. Dionysii Alexandrini ad Xistum Romanum Pontificem Stephani successorem, ex qua Baronius evincere sibi videtur Orientales omnes in Stephani sententiam concessisse. Nam occurrente casu de homine ab hæreticis baptizato non secundùm Catholicæ Ecclesiæ ritum, licet eum baptizare potuisset ; tamen (inquit Baronius) ne videretur vel levi aliqua suspicione perstare in sententia de rebaptizandis Hæreticis, quam damnaverat, valde trepidans, non est ausus hominem id enixiùs poscentem baptizare : sed de re, quam putavit ambiguam, consuluit, Xistum Pontificem quod certè minimè fecisset, nisi priùs in sententiam Stephani descendisset.

Respondeo, Baronium omnia miscere, & Dionysii factum in contrarium planè sensum torquere. Fingit enim Sanctissimum Episcopum ausum non fuisse rebaptizare hominem, qui ab Hæreticis baptizatus fuerat ; nec alias meminit hujus facti circumstantias, quæ probant evidenter Dionysium illius hominis Baptisma non iterasse quibusdam œconomiæ & prudentiæ legibus ductum, non fluctuantis animi suspensione nutantem, ac Stephani jam antea sententiam amplexi. En totam rei gestæ seriem, prout eam refert Dionysius in laudata ad Xistum Epistola.* *Frater quidam ex nostro Conventu Communioneque fidelis judicatus, ætate admodum provectus, & priusquam ego eram creatus Episcopus, & (ut arbitror) antequam beatus Heraclas in Episcopatus gradu collocatus fuerat, Conventus, Communionisque particeps factus ; cum fortè Baptismo eorum, qui nuper apud nos baptizarentur, adesset, & rogata, responsaque audiret, venit ad me lugens, & graviter suam vicem deplorans, se ad pedes meos abjicit, ex animo confitetur, & sanctè dejerat, baptisma, quo erat apud Hæreticos tinctus, non hujus generis esse : illud namque plenum esse impietatis, plenumque blasphemiæ, neque ullam omnino cum isto nostro habere similitudinem : affirmatque animum suum, propterea acerbis dolorum stimulis compunctum : & quoniam nefario ac profano cum verborum, tum factorum scelere pollutus erat, nec liberè suos oculos ad Deum posset elevare. Et propterea obtestatus est ut hac purissima lavacri purgatione, vera susceptione in Ecclesiam, & divina in eo Sacramento oblata gratia potiretur : quod planè ego non audebam præstare.*

En hominem de quo agebatur. Scrupulosus erat, & forsan delirus senex, ab Hæreticis quidem baptizatus (ut asserebat) sed ad Communionem receptus

* Apud Eusebium libro 7. cap. 9.

receptus, etiam ante Beatum Heraclam, cui in Sede Alexandrina proximè successerat Dionysius. Is cùm Episcopum suum vidisset Baptisma conferentem, conscientiæ stimulum passus est, quòd se non eo ritu, imò nec ea forma, id est, Evangelicis verbis tinctum meminisset. Antistitem precatus enixè est, ut sibi vellet legitimum Baptisma conferre. Non ausus est id præstare Dionysius: sed Xistum Romanum Pontificem ea de re consuluit. An ex hoc sequitur quòd antea in Stephani sententiam descendisset? Minimè Gentium. Neque enim in eo versabatur controversia inter Orientales & Africanos ex una parte, & Stephanum Pontificem Maximum ex altera, utrum rebaptizandi essent, quibus collatum fuisset Baptisma verbis impietate & blasphemia plenis: nec adeo erat nescius Canonum Dionysius, quem Basilius Magnus antonomasticè, *Canonicum* vocat, ut iterandum hujusmodi Baptisma ignoraret. Cur ergo id non audebat præstare? Primò, quia ipsi non constabat an ille senex ita fuisset baptizatus. Secundò quia receptus fuerat à Decessoribus suis ad Conventum, & ad Communionem: nolebat autem Sanctus Dionysius in Acta Decessorum suorum inquirere, & quæ ab ipsis gesta essent, rescindere; cùm sciret unumquemque Episcopum rationem sui actus Domino redditurum, ab altero judicari non debere, ut loquitur Sanctus Cyprianus. Tertiò, quia cùm sibi satis non constaret an verbis Evangelicis usi essent qui eum baptizaverant, Hæretici; & aliunde non iteraretur Baptismus eorum qui semel ab aliquo Catholicorum Antistitum fuissent in Ecclesiam suscepti; existimavit Dionysius, ut ipse scribit, *Diuturnam illam Communionem, quâ fuerat cum Fidelibus sociatus* ille Senex, *satis habere virium ad ejus animum purgandum.* Quid porrò indicat ille loquendi modus, nisi Baptismo ab Hæreticis collato maculatum fuisse & pollutum, qui purgatione indigebat? Pergit Dionysius: *Nam qui gratiarum actiones audivisset, qui Amen unà pronuntiasset, qui adstitisset Mensæ, qui manus ad sanctum illud alimentum capessendum porrexisset, qui illud recepisset, qui tam longo tempore fuisset Corporis & Sanguinis Domini nostri Jesu Christi particeps, ejus Baptisma non audebam de integro renovare.* Quæ postrema verba maximè notanda sunt. Si enim persuasum habuisset Sanctus Dionysius Baptisma collatum ab Hæreticis renovandum non esse, jamque in Stephani sententiam descendisset, dixisset potiùs: *Ejus Baptisma non poteram renovare, non debebam renovare*, quàm dixerit: *Non audebam.*

Id est, Canonum peritissimum & observantissimum.

Certè nec Sanctus Cyprianus iterari volebat eorum Baptisma, qui ab Hæreticis baptizati, jam in Ecclesiam recepti essent: *Sed cùm arbitraretur eos, qui extra Ecclesiæ Communionem baptizarentur, baptismum non habere, credidit eos tamen in Ecclesiam simpliciter admissos, propter ipsius unitatis vinculum, posse ad veniam pervenire*, inquit Sanctus Augustinus, lib. 2. de Baptismo contra Donatistas, cap. 13. ubi id probat ex ipsis Sancti Cypriani verbis ad Jubaianum ita scribentis: *Sed dicet aliquis, Quid ergo fiet de his qui in præteritum de hæresi ad Ecclesiam venientes, sine Baptismo admissi sunt? Potens est Dominus misericordiâ suâ indulgentiam dare, & eos qui in Ecclesiam simpliciter admissi in Ecclesia dormierunt, ab Ecclesia sua muneribus non separare.* Cùm igitur ex facto & verbis Sancti Dionysii Alexandrini nihil amplius colligi possit, futile est argumentum Baronii, concludentis ipsum deposuisse Sancti Cypriani de rebaptizandis Hæreticis sententiam, quia hominem ab Hæreticis baptizatum, sed à suis Decessoribus admissum rebaptizare non audebat.

Objicitur tertiò. Orientales judicium suum de rebaptizandis Hæreticis resciderunt, ut testatur Sanctus Augustinus, utque ipsi Donatistæ fatebantur: Firmilianus igitur & ejus Collegæ errorem tandem illum deposuerunt.

Probatur antecedens ipsis Sancti Augustini verbis libro 3. contra Cresconium Grammaticum cap. 2. *Majores autem vestri*, inquit, *quibus tale testimonium perhibuisti, quòd ab Orientalium propterea Communione discreti sunt, quia illi judicium suum resciderunt, quo eis placuerat de ista Baptismi quæstione Cypriano, atque illi Africano Concilio consentire oportere, contra Cyprianum fecerunt.*

Et cap. 3. *Proinde si jam omnino credendum sit, quinquaginta Episcopis Orientalium id esse visum, quod septuaginta Afris, vel aliquantò etiam pluribus, contra tot millia Episcoporum, quibus hic error in toto orbe displicuit; cur non potius etiam ipsos paucos Orientales suum judicium correxisse dicamus, non (ut tu loqueris) rescidisse? Sicut enim laudabile est à vera sententia non amoveri; ita culpabile persistere in falsa: quam numquam tenere prima laus est; secunda, mutare.*

Respondeo, Orientales suum rescidisse judicium, sed non eos ipsos qui illud tulerant, id est, Firmilianum & ejus Coëpiscopos: neque illam palinodiam ad ipsa Dionysii Alexandrini, & Stephani, vel Xisti Romanorum Pontificum tempora referendam. Immo contrarium ex Sancto Augustino colligitur: Siquidem ait, Donatistarum, quos impugnat, majores propterea se ab Orientalium Communione disjunxisse, quòd de hac re diversa senserint, & judicium suum correxerint. Illius ergo rescissio judicii occasio fuit primis Donatistis communionis cum Orientalibus abrumpendæ. Itaque facta dumtaxat videtur tempore primorum Donatistarum; non Dionysii, & Stephani, vel Xisti.

## SCHOLION.

Ad hunc Articulum Religiosi Censores hanc notam apponunt. *Baronium impugnat, quòd dicat Firmilianum resipuisse.*

R. In verba Eminentissimi *Baronii* non juravi: ab ipso dissentire in Quæstione Historica, illumque impugnare, non grande crimen: cæterum non dixi Firmilianum non resipuisse, sed non deposuisse errorem Dionysii Alexandrini tempore.

## ARTICULUS III.

*Utrùm S. Cyprianus errorem deposuerit?*

## PROPOSITIO.

*An errorem de rebaptizandis Hæreticis deposuerit Sanctus Cyprianus, incertum est.*

PRobatur primò. Illum deposuisse errorem incertum est, quem nec propria Scripta, nec alia monumenta Antiquitatis, testantur deposuisse errorem, vel in eo ad mortem usque permansisse: sed nec ex Sancti Cypriani Scriptis, nec ex aliis Antiquitatis Ecclesiasticæ monumentis colligi potest illum deposuisse errorem; vel ejus fuisse ad mortem usque retinentissimum: igitur incertum est an deposuerit.

Probatur secundò auctoritate Sancti Augustini, libro 2. de Baptismo contra Donatistas, cap. 4. ubi de Sancto Cypriano sic loquitur: *Si enim Petrum laudat, & prædicat ab uno posteriore Collega patienter concorditerque correctum, quantò citiùs ipse cum Concilio Provinciæ suæ, universi orbis auctoritati patefacta veritate cessisset, quia profectò & uni*

*verum dicenti & demonstranti posses facillimè consentire tam sancta anima, tam pacata: & fortasse factum est, sed nescimus. Neque enim omnia, quæ illo tempore inter Episcopos gesta sunt, memoriæ literisque mandari potuerunt, aut omnia quæ mandata sunt, novimus.*

Et Epistola 48. ad Vincentium Donatistam, de eodem Sancto Cypriano ita scribit: *Correxisse istam sententiam non invenitur: non incongruenter tamen de tali viro existimandum est quod correxerit, & fortasse suppressum sit ab eis, qui hoc errore nimium delectati sunt, & tanto velut patrocinio carere noluerunt.*

Sanctus quidem *Hieronymus*, in Dialogo *Contra Luciferianos*, asserit Africanos Episcopos errorem deposuisse: *Conatus est*, inquit, *& Sanctus Cyprianus contritos lacus fugere, nec bibere de aqua aliena; & idcirco Hæreticorum baptisma reprobans, ad Stephanum tunc Romanæ Urbis Episcopum, qui à Beato Petro vigesimus-sextus fuit, super hac re Africanam Synodum direxit: sed conatus ejus frustra fuit. Denique illi ipsi Episcopi, qui rebaptizandos Hæreticos cum eo statuerant, ad antiquam consuetudinem revoluti, novum emisere Decretum.*

Verùm huic *Sancti Hieronymi* opinioni multa repugnare videntur. Primùm enim constat ex Concilio Arelatensi, diu post *Sanctum Cyprianum* viguisse rebaptizandi morem apud Afros. Secundò idem probatur ex Concilio Carthagine celebrato sub *Grato* Episcopo, quod licet conflatum fuerit ex Episcopis à rebaptizatione abhorrentibus, evincit tamen errorem de non recipiendo hæreticorum baptismo in Africa nondum penitus abolitum & extinctum fuisse. Tertiò, Concilium *Sancti Cypriani* novo Decreto ab Episcopis Africanis rescissum non fuisse, probat Donatistarum gloriatio, qui illius auctoritate Concilii rebaptizare se jactitabant, ut testantur Gesta Collationis Carthaginensis, *Sanctus Augustinus* variis in locis, & *Vincentius Lirinensis* in Commonitorio. Denique nullum novi istius Decreti testimonium alibi extat in tota retro Antiquitate: Quod tamen si fuisset ab ipso *Sancto Cypriano* & ejus Collegis editum, eo frequenter usi essent Donatistarum Impugnatores. Sed è contrario *Sanctus Augustinus* locis mox laudatis observat, non inveniri *Sanctum Cyprianum* suam de rebaptizandis hæreticis correxisse sententiam. Quod etiam colligitur ex libro II. *Contra Gaudentium*, Cap. VIII. Verisimile igitur est *Sanctum Hieronymum*, cùm videret Rebaptizationem sua ætate à Catholicis Afris rejici, sive baptismum hæreticorum ab illis admitti & approbari, odio adversùs Donatistas in eam inductum fuisse opinionem, quòd Afri ad antiquam consuetudinem rediissent statim post Concilium *Sancti Cypriani*: Quemadmodum *Sanctus Augustinus* libro III. *De Baptismo*, Cap. II. ait illos ad pristinam consuetudinem post *Agrippini* tempora rediisse.

## ARTICULUS IV.

*Utrùm Sanctus Cyprianus, & Africani Episcopi existimaverint dogma de rebaptizandis Hæreticis, quod propugnabant, ad fidem spectare?*

## PROPOSITIO.

*Sanctus Cyprianus, & Africani Episcopi non existimaverunt dogma de rebaptizandis Hæreticis, quod tuebantur, ad fidem pertinere.*

PRobatur primò ex Epistola Sancti Cypriani & Synodi Africanæ ad Stephanum Pontificem Maximum, in qua hæc habet: *Cæterùm scimus, quosdam, quod semel imbiberint, nolle deponere, nec propositum suum facilè mutare, sed salvo inter Collegas pacis & concordiæ vinculo, quædam propria, quæ apud se semel sint usurpata, retinere. Qua in re nec nos vim cuiquam facimus, aut legem damus; cùm habeat in Ecclesiæ administratione voluntatis suæ arbitrium liberum unusquisque Præpositus, rationem actus sui Domino redditurus.* Porro in his, quæ ad Fidem Catholicam spectant, liberum non est cuique Episcopo vel sentire, vel servare quod velit: igitur Sanctus Cyprianus & ejus Collegæ non censuerunt controversiam illam de Baptismate Hæreticorum ad fidem spectare.

Probatur secundò ex Synodo Carthaginensi 87. Episcoporum, in qua sic præfatus est Sanctus Cyprianus: *Ut de hac ipsa re quid singuli sentiamus, proferamus, neminem judicantes, aut à jure Communionis aliquem si diversum senserit, amoventes. Neque enim quisquam nostrûm Episcopum se esse Episcoporum constituit, aut tyrannico terrore ad obsequendi necessitatem Collegas suos adigit, quando habeat omnis Episcopus pro licentia libertatis & potestatis suæ arbitrium proprium, tamque judicari ab alio non possit, quàm nec ipse potest alterum judicare: sed expectemus universi judicium Domini nostri Jesu Christi, qui unus & solus habet potestatem & præponendi nos in Ecclesiæ suæ gubernatione, & de actu nostro judicandi.* Atqui in iis quæ sunt contra fidem, Episcopus à Coepiscopis judicari potest: non existimavit igitur Sanctus Cyprianus hanc esse controversiam Fidei.

Probatur tertiò ex Sancto Hieronymo in Dialogo adversùs Luciferianos, cap. 9. *Verùm*, inquit, *si noluerint ii qui ab Hilario instituti sunt, & oves sine Pastore esse cœperunt, de Scripturis ea proferre, quæ Beatus Cyprianus ob Hæreticos rebaptizandos in suis Epistolis reliquit: sciant illum hæc non cum anathemate eorum, qui se sequi noluerunt, edidisse: siquidem in Communione eorum permansit, qui sententiæ suæ contrairerant: sed hortatum potiùs fuisse propter Novatum, & alias tunc hæreses multas enascentes, ne quisquam ab eo sine damnatione erroris sui reciperetur. Sermonem denique suum, quem super hac re ad Stephanum Romanum Pontificem habuit, tali fine complevit: HÆC ad conscientiam tuam (Frater charissime) & pro honore communi, & pro simplici dilectione protulimus, credentes etiam tibi, pro religionis tuæ & fidei veritate placere, quæ & religiosa pariter & vera sunt.* At si rebaptizationem Hæreticorum, fidei rem esse existimasset Sanctus Cyprianus, anathema dixisset eis qui contrariam sententiam tuebantur, neque cum eis communicasset: nefas enim censebat Communione jungi cum Hæreticis. Quæstionem igitur illam ad fidem pertinere non existimavit, sed ad œconomiam duntaxat & Disciplinam Ecclesiasticam.

Objicitur. Sanctus Cyprianus Stephani sententiam decernentis esse suscipiendos cum sola manuum impositione Hæreticos. *Errorem* vocat, *& Hæreticorum caussam contra Christianos, & contra Ecclesiam Dei* asserere ait, Epistola 74. ad Pompeium data. Item divinæ dispositioni anteponere Stephanum humanam Traditionem asserit. *Si Baptisma*, inquit, *nonnisi unum est, quod apud nos est, & intus est, & soli Ecclesiæ de divina dignatione concessum est: quæ ista obstinatio est, quæve præsumptio, humanam Traditionem divinæ dispositioni anteponere?* Denique in Epistola ad Jubaianum, innuit dogma de rebaptizandis Hæreticis esse à Spiritu Sancto revelatum. *Proinde*, inquit, *frustra quidam qui ratione vincuntur, consuetudinem nobis opponunt: quasi consuetudo major sit veritate, aut non id sit in spiritalibus sequendum, quod in melius fuerit*

*fuerit à Spiritu Sancto revelatum. Ignosci enim potest simpliciter erranti ..... Post inspirationem verò & revelationem factam, qui in eo quod erraverat, perseverat prudens & sciens, sine venia ignorantiæ peccat: Præsumptione enim atque obstinatione quadam nititur, cùm ratione superetur.* Sed quod divina dispositione institutum est, & à Spiritu Sancto revelatum, & cujus contrarium est error contra Ecclesiam Dei, illud spectat ad fidem. Sanctus igitur Cyprianus existimavit dogma de rebaptizandis Hæreticis, quod propugnabat, ad fidem pertinere.

Respondeo, Sanctum Cyprianum erroris quidem arguisse Stepbani sententiam, sed non erroris contra fidem. Non enim quoties aliquid verum censetur, contrarium ejus existimatur hæreticum. Divinæ autem dispositioni contrariam Traditionem, qua pugnabat Stephanus, asserit, non formaliter (ut more Scholæ loquamur) sed illativè, id est, non contendit sententiam, quæ rejicit Hæreticorum Baptisma, esse in Sacra Scriptura disertis nitidisque verbis traditam & expressam; sed esse illi magis congruentem, & ex divinis oraculis colligi per ratiocinationem. Unde in Epistola mox laudata ad Jubaianum, innuit opinionem illam esse rationibus, quàm autoritate firmiorem. Sic enim Stephanum obliquè carpit: *Proinde frustra quidam qui ratione vincuntur, consuetudinem nobis opponunt: quasi consuetudo major sit veritate.* Denique revelationem fusiori significatu accepit Sanctus Cyprianus, prout omnis veritas, cujuscumque sit ordinis, à Deo manifestatur, qui prima veritas est; & prout omne donum desursum est, descendens à Patre luminum; prout inquam, omne quod vel ad Fidem, vel ad Ecclesiæ Disciplinam, & regimen spectat, revelat Spiritus Sanctus.

Nec verò Sanctus Cyprianus dumtaxat cum Africanis Episcopis, & Firmilianus cum Orientalibus, existimarunt hanc quæstionem esse meræ Disciplinæ, non verò Fidei; verùmetiam Nicæni Patres, qui Baptisma Paulianistarum jubentes iterari, Canone 19. anathemate non percusserunt eos, qui aliorum Hæreticorum Baptisma non reciperent, quod sanè fecissent, si quæstionem istam ad fidem existimassent pertinere. His adde Sanctum Basilium in Epistolis ad Amphilochium, ubi cùm asserat Hæreticorum Baptisma non esse recipiendum, prout Firmiliano & Sancto Cypriano visum est, & nihilominus propter quamdam œconomiam suscipi posse, ostendit evidenter sibi videri eam quæstionem Disciplinæ meræ, non Fidei. Denique si res fidei visa esset, non fuisset necessarium universæ Ecclesiæ Concilium, ut inexcusabiles essent Africani & Orientales, qui Hæreticos rebaptizabant. Siquidem non excusantur, qui errorem contra fidem, à Sede Apostolica damnatum, pertinaciter propugnant, etiam ante Concilii Oecumenici celebrationem; ut in caussa Pelagianorum videre est, quibus spem Concilii Generalis adimit Sanctus Augustinus. At Sanctum Cyprianum excusat, quòd morem Africanum rebaptizandi Hæreticos, etiam post Decretum Stephani tueretur, quia nondum celebratum fuerat Plenarium totius Ecclesiæ Concilium. Censet ergo quæstionem illam meræ fuisse Disciplinæ.

# DISSERTATIO XIII.

## De Stephani Pontificis Maximi Decreto circa Baptismi collationem in nomine Christi.

## QUÆSTIO UNICA.

*Utrum Stephanus Primus Romanus Pontifex decreverit Baptisma in nomine Christi collatum, validum ac legitimum esse?*

### PROPOSITIO I.

*Stephanus Primus Baptismum in Christi solius nomine collatum, validum ac legitimum esse nec decrevit, nec decernere potuit.*

PROBATUR prima pars. Incredibile est quòd Ecclesia ferme universa in errorem lapsa sit: atqui si Stephanus Baptismum in Christi solius nomine collatum validum esse ac legitimum decrevisset, tota fermè Ecclesia quæ ejus Decreta amplexa est, in errorem lapsa esset. Error quippe est asserere Baptismum hujusmodi validum esse: non est igitur verisimile Stephanum Pontificem Maximum decrevisse, Baptismum in Christi nomine collatum validum ac legitimum esse.

Probatur secundò auctoritate Scriptoris Anonymi, Sancto Cypriano supparis, qui controversiam de Baptismate Hæreticorum contra Cyprianum ipsum, & secundùm Stephani Decretum judicat. Apud eum enim Auctorem, baptizari in nomine Christi, idem est ac baptizari in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti; sicque conferendum esse Baptismum & in Ecclesia conferri solitum, asserit. Non igitur aliud intellexit, aut decrevit Stephanus cujus sententiam vindicat. Titulus istius Tractatus his verbis conceptus est: *Non debere denuò baptizari, qui semel in nomine Domini nostri Jesu Christi sint tincti.* In corpore autem Tractatus, postquam multa de Baptismo in nomine Christi præmisit, hæc habet: *Nec æstimes huic Tractatui contrarium esse quod dixit Dominus: Ite, docete Gentes, tingite eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti: Quia cùm hoc verum, & rectum, & omnibus modis in Ecclesia observandum sit, & observari quoque solitum sit, tamen considerare oportet quòd invocatio nominis Jesu non debet a nobis futilis videri propter venerationem & virtutem ipsius nominis, in quo nomine virtutes omnes solent fieri, & nonnumquam aliquæ etiam ab hominibus extraneis.* Extat ille Anonymi Tractatus in Exemplari vetustissimo Sancti Remigii Remensis, post Epistolam Sancti Cypriani ad Pompeium: quem primùm inter Cypriani Opera edidit Rigaltius. Illum autem Tractatum Ursino Monacho Afro tribuit MS. Codex Vaticanæ Bibliothecæ, cujus Ursini meminit Gennadius capite 27. libri de Scriptoribus Ecclesiasticis.

Probatur tertiò ex Firmiliano in Epistola ad S. Cyprianum, in qua Stephani Pontificis sententiam ac Decretum sic refellit: *Sed in multum*, inquit, *proficit nomen Christi ad fidem, & Baptismi sanctificationem, ut quicumque, & ubicumque in nomine Christi baptizatus fuerit, consequatur statim gratiam Christi, quando huic loco breviter occurri possit, & dici, Quoniam si in nomine Christi valuit foris Baptisma*

*ma ad hominem purgandum, in ejusdem Christi nomine valere illic potuit & manus impositio ad accipiendum Spiritum Sanctum.* At quòd per nomen Christi Stephanus intellexerit invocationem trium Personarum Sanctissimæ Trinitatis, constat ex eodem Firmiliano hac ipsa in Epistola sic Stephani sententiam perstringente: *Illud quoque absurdum, quòd non putant quærendum esse quis sit ille qui baptizaverit, eo quòd qui baptizatus sit, gratiam consequi potuerit invocatâ Trinitate nominum, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Non decrevit igitur Stephanus Baptisma collatum in solius Christi nomine validum ac legitimum esse.

Probatur secunda pars. Non potuit Stephanus decernere aliquid contra Scripturam & Traditionem: sed si decrevisset Baptismum in nomine Christi collatum validum ac legitimum esse, adversatus fuisset Scripturæ & Traditioni: id igitur decernere non potuit.

Probatur minor. Baptisma enim nullum esse quod verbis Evangelicis, id est, explicita trium personarum divinarum invocatione non conferatur, demonstrant, tum verba Christi Matthæi ultimo, *Euntes ergo, docete omnes Gentes: baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*: tum Patrum omnium qui Stephanum antecesserunt, vel secuti sunt, verbis comprobata Traditio. Sic Justinus Martyr in Apologia pro Christianis, de baptizandis loquitur: *Deinde ducuntur à nobis ubi est aqua, eo quòd regenerationis, renovationisque genere, quo etiam nos ipsi renovati sumus, renascuntur: Patris enim omnium, Dominique Dei & Conservatoris nostri Jesu Christi, ac Spiritus Sancti nomine, aquâ abluuntur, & expiantur.* Sic Tertullianus, libro contra Praxeam, cap. 26. *Novissimè mandans,* (Christus) *ut tingerent in Patrem, & Filium & Spiritum Sanctum, non in unum, nam nec semel, sed ter ad singula nomina, in singulas personas tingimur.*

Ejusdem Traditionis testis est Sanctus Cyprianus, Epistola 73. ad Jubaianum data, ubi refereos quod Actuum 2. dixit Sanctus Petrus: *Baptizetur unusquisque vestrûm in nomine Domini nostri Jesu Christi*, sic illud explicat: *Jesu Christi mentionem facit Petrus, non quasi Pater omitteretur, sed ut Patri quoque Filius adjungeretur. Denique ubi post resurrectionem à Domino Apostoli ad Gentes mittuntur, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti baptizare Gentiles jubentur. Quomodo ergo quidam dicunt foris extra Ecclesiam, immo & contra Ecclesiam, modo in nomine Jesu Christi, ubicumque, & quomodocumque Gentilem baptizatum, remissionem peccatorum consequi posse; quando ipse Christus Gentes baptizari jubeat in plena & adunata Trinitate?*

Eidem traditioni attestatur Sanctus Basilius libro de Spiritu Sancto, cap. 12. *Neminem verò*, inquit, *in fraudem inducat illud Apostoli, quod nomen Patris, & Spiritus Sancti mentionem in Baptismatis commemoratione frequenter omittit: neque ideo putet harum vocum usum esse indifferentem. Quicumque, inquit, in Christum baptizati estis, Christum induistis. Quicumque in Christo baptizati estis, in mortem illius baptizati estis. Siquidem Christi appellatio, totius deitatis est professio, quippe quæ simul declarat & Deum qui unxit, & Filium qui unctus est, & Spiritum Sanctum qui est unctio, quemadmodum à Petro in Actis didicimus: Jesum Nazarenum, quem unxit Deus in Spiritu Sancto. Videtur attamen interdum & Spiritus tantùm in Baptismate mentionem fecisse Apostolus: Omnes enim, inquit, in uno corpore, & in uno Spiritu baptizati sumus. His & illud consonat: Vos autem baptizabimini in Spiritu Sancto. At non ideo quis dixerit, perfectum esse Baptisma, in quo solum Spiritus nomen invocatum est. Oportet enim inviolabilem manere traditionem. . . . . Proinde si in Baptismo separare Spiritum à Patre & Filio, ut periculosum est baptizanti, ita Baptismum accipienti inutile; quomodo nobis tutum fuerit à Patre & Filio distrahere Spiritum Sanctum? Fides ac Baptisma, duo sunt modi parandæ salutis inter sese cognati & inseparabiles. Nam fides perficitur per Baptismum, Baptismus verò fundamento Fidei nititur, & utraque res per has voces impletur: Sicut enim credimus in Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, sic & baptizamur in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.*

Idem constat ex Sancto Fulgentio, libro de Incarnatione & Gratia Christi, cap. 11. ubi de Christo loquens, hæc habet: *Ut unum eumdemque se Deum & hominem credendum, prædicandumque monstraret, simul in se divinam humanamque naturam unius Filii nomine nuncupavit, dicens Apostolis: Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Doctor igitur & largitor æternæ salutis hanc ideo formam Baptismatis dedit, ne quis in eodem Dei Filio naturas dividens, mortifero illaquearetur errore: si aut humanam Filii Dei naturam ab opere redemptionis alienam in Sacramento Baptismatis crederet; aut duas in Christo confitenda personas, non jam verax esset Trinitatis cultor, sed nefarius esset quaternitatis assertor, ac per hoc cum Patre & Spiritu Sancto, non Filium, sed Filios coleret . . . . Propterea omnis qui in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti Sacramento sancto regenerationis abluitur, nonnisi in Christi morte ac nomine baptizatur, ut evidenter appareat illi nos consepultos esse per Baptismum in morte, in cujus uno cum Patris & Spiritus Sancti nomine constat baptizatos. Quod duorum magnorum luminarium, Petri scilicet, Pauli que verbis, tamquam splendentibus radiis illustrata, Romana, quæ mundi cacumen est, tenet & docet Ecclesia, totusque cum ea Christianus orbis, & ad justitiam nihil hæsitans credit, & ad salutem non dubitat confiteri.*

Idem constat ex Facundo Hermianensi lib. 1. pag. 22. *Quod autem*, inquit, *in nomine Domini Jesu hi quos memoravimus, baptizati narrantur, non ex eo credendum arbitror, quia non in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti baptizati sunt, ut etiam in ipsis servaretur verbis à Domino constituta forma Baptismi. Sed quia hoc erat insinuandum quòd Baptismo novo fuerint baptizati, sufficere judicatum est ad discretionem ipsius novi Baptismi solum nomen Domini Jesu memorare, quod neque in Baptismo Joannis, neque in aliis Baptismis Judaici ritus interferebatur. Cæterùm illis sacratis verbis, id est, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, baptizati mihi videntur.*

Idem constat ex Decreto Pelagii Pontificis Maximi nomine laudato apud Gratianum Distinct. 4. de Consecratione, cap. *Si revera.* Ubi sic ad Gaudentium Episcopum scripsisse refertur: *Multi sunt qui in nomine solum Christi, una etiam mersione, se asserunt baptizatas: Evangelicum verò præceptum, ipso Deo, & Salvatore nostro Jesu Christo tradente, nos admonet, in nomine Trinitatis, trina etiam mersione, sanctum Baptisma unicuique tribuere, dicente Domino: Ite, docete omnes gentes, baptizantes in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.*

Denique idem constat ex Epistola 11. Zachariæ Pontificis Maximi ad Bonifacium Episcopum; in qua ait, dictum Antistitem rectè in Synodo cum Coëpiscopis constituisse, *Ut qui vel unam de Trinitate personam in Baptismo non nominaret, illud Baptisma verum esse non posset. Quod*, inquit, *pro certo verum est; quia qui unam ex Sancta Trinitate confessus non fuerit, perfectus Christianus esse*

non

*non potest.* Et infra : *Scripsit reverenda Fraternitas tua ; reperisse quemdam Presbyterum, affirmantem sine mystica invocatione, aut lavacro regenerationis, posse fieri Catholicum Christianum per Episcopalis manus impositionem. Hic autem qui dicit hoc, vacuus est Spiritu Sancto, & alienus à gratia Christi, atque à consortio Sacerdotali abjiciendus. Quis enim, nisi baptizetur juxta preceptum Domini, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, & sic per manus impositionem consecretur, potest esse Catholicus?* Ex quibus omnibus colligitur, Traditionem docere nullum esse Baptisma quod explicitâ & distinctâ trium Sanctissimæ Trinitatis personarum invocatione non conferatur : proindéque Stephanum Primum decernere non potuisse, Baptisma in solius Christi collatum nomine validum ac legitimum esse.

Objicitur in primam partem Propositionis. Illud Stephanus definivit, quod ipsum definivisse scribit Sanctus Cyprianus, quodque legit in illius Epistola à Jubaiano ad se transmissa : Atqui Sanctus Cyprianus Epistola 73. scribit Stephanum definivisse, Baptisma in nomine solius Christi collatum legitimum esse, idque legerat in Epistola Stephani, quam refellit his verbis : *Quomodo ergo quidam dicunt foris extra Ecclesiam, immo & contra Ecclesiam, modò in nomine Jesu Christi, ubicumque, & quomodocumque, Gentilem baptizatum, remissionem peccatorum consequi posse : quando ipse Christus Gentes baptizari jubeat in plena & adunata Trinitate?* Stephanus igitur decrevit, Baptisma in nomine Christi collatum validum esse ac legitimum: Non enim imposuisse Romano Pontifici existimandus est Cyprianus vir sanctissimus : vel ipsius Epistolæ sensum non percepisse, Doctor perspicacissimus.

Confirmatur. Stephanus probavit Marcionis Baptisma ( ut constat ex ejus Epistola, quàm à Jubaiano ad se transmissam laudat Sanctus Cyprianus ad eumdem Jubaianum scribens ) *Planè*, inquit, *quoniam inveni in Epistola, cujus exemplum ad me transmisisti, scriptum esse, quòd quærendum non sit quis baptizaverit, quando is qui baptizatus sit, accipere remissam peccatorum potuerit, secundùm quod credidit ; prætereundum hunc locum non putavi ; maximè cùm in eadem Epistola animadverterim etiam Marcionis fieri mentionem ; ut nec ab ipso venientes dicat baptizari oportere, quòd jam in nomine Jesu Christi baptizati esse videantur.* Atqui Marcionitæ non baptizabant in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti : siquidem non credebant in Deum Patrem omnium Creatorem, sicut Ecclesia ; sed baptizabant in solius Christi nomine : Stephanus igitur Marcionitarum Baptisma ratum habens, definivit Baptismum in Christi solius nomine collatum, validum ac legitimum esse.

Respondeo, distinguo Majorem : Si Stephani mentem assecutus sit Sanctus Cyprianus, & in genuina ejus Epistola legerit opinionem, quam citat ac refellit, concedo : si non fuerit assecutus Sancti Pontificis mentem, & in genuina ejus Epistola hæc non legerit, nego. Eadem distinctio minori accommodanda est. Itaque Sanctus Cyprianus non fuit assecutus mentem Stephani, cùm putavit ipsum probare Baptismum in solius Christi nomine collatum. Non enim ita se res habebat. Nam Stephanus Baptismum in nomine Christi intellexit Baptismum à Christo institutum, & virtute Christi peccata expungentem, sed qui revera trium Personarum divinarum explicita invocatione conferretur : ( ut constat tum ex Tractatu Anonymi Scriptoris Sancto Cypriano coævi aut supparis, cujus verba in probationibus laudata sunt, tum ex Epistola Firmiliani. )

Adde quòd Epistola illa quam citat Sanctus Cyprianus, non erat genuina Stephani. Scripsisset enim Stephanus ad Cyprianum Carthaginem, non ad Jubaianum in remotioribus Africæ partibus Episcopum. Et revera Decretum Stephani contra Cypriani sententiam, ad Cyprianum ipsum missum est ( ut constat ex ipsius Epistola 74. ad Pompeium data ) Epistola verò quæ baptismum in nomine Christi collatum probabat, non immediatè missa est ad Cyprianum, sed in Jubaiani manus cùm incidisset, illius exemplar ad Sanctissimum Doctorem & Antistitem transmisit : nec Cyprianus tribuit ipsam Stephano, sed Authoris tacito nomine illam refellit.

Ad confirmationem, respondeo incertam esse majorem, quòd scilicet Stephanus Marcionis Baptisma probaverit ; nec ex Epistola, quam ad Sanctum Cyprianum misit Jubaianus, id certò posse probari, utpotè quæ Stephani Pontificis genuina non videatur. Itaque æstu contentionis abreptus Cyprianus, intulit ex verbis Stephani, decernentis, A quacumque hæresi venientem non esse baptizandum : intulit, inquam, ex his verbis, Stephanum admittere Baptisma eorum etiam Hæreticorum, qui ritu Evangelico & Christi verbis non baptizabant, adeòque & ipsius Marcionis : sed non est assecutus ipsius mentem : Negabat enim dumtaxat laudatus Pontifex, baptizandos esse à quacumque hæresi venientes, si Baptismum in sua Secta verbis Evangelicis consecratum suscepissent.

Objicitur in partem alteram Propositionis. Illud decernere potuit Stephanus ratum esse ac validum Baptisma, quod eâ formulâ verborum administraretur, quâ ab Apostolis collatum est : atqui ab Apostolis collatum est Baptisma in nomine solius Christi : Igitur Stephanus I. Pontifex Maximus decernere potuit baptisma in Christi solius nomine collatum, ratum ac legitimum esse.

Probatur Minor ex Actibus Apostolorum cap. 2. ubi Sanctus Petrus ad Judæos ait : *Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrûm in nomine Jesu Christi.* Et cap. 8. ubi dicitur de Samaritanis, quòd nondum in quemquam illorum Spiritus Sanctus venerat ; *Sed baptizati tantùm erant in nomine Domini Jesu.* Et cap. 10. ubi Sanctus Petrus refertur dixisse de Gentilibus, in quos, ipso concionante, Spiritus Sanctus descenderat : *Numquid aquam quis prohibere potest, ut non baptizentur hi qui Spiritum Sanctum acceperunt, sicut & nos? Et jussit eos baptizari in nomine Domini Jesu Christi.* Et cap. 19. dicitur de quibusdam Discipulis, quos invenit Ephesi Sanctus Paulus : *Baptizati sunt in nomine Domini Jesu.*

Respondeo primò distinguo majorem : Ea formula verborum, quâ ab Apostolis collatum est ex Evangelica lege, concedo : quâ ab iis collatum est ex dispensatione, nego. Atqui ab Apostolis collatum est Baptisma in nomine solius Christi ; ex dispensatione, esto ; ex præscripto legis Evangelicæ, nego. Hinc Sanctus Thomas III. Parte Quæst. 66. Art. sexto ad primum, ait : *Ex speciali Christi revelatione, Apostoli in primitiva Ecclesia, in nomine Christi baptizabant ; ut nomen Christi, quod erat odiosum Judæis & Gentilibus, honorabile videretur per hoc quòd ad ejus invocationem Spiritus Sanctus dabatur in Baptismo.* Cæterùm hæc dispensatio ad Apostolica solùm tempora pertinebat : unde Stephanus Pontifex tertio Sæculo decernere non potuit Baptisma in Christi nomine collatum, ratum ac validum esse, quamvis Apostolorum temporibus validum fuisset. *Nam*

( ut præclarè differit Sanctus Thomas Articulo mox laudato ) *Sacramenta habent efficaciam ab institutione Christi. Et ideo, si prætermittatur aliquid eorum, quæ Christus instituit circa aliquod Sacramentum, efficacia caret, nisi ex speciali dispensatione ejus qui virtutem suam Sacramentis non alligavit. Christus autem instituit Sacramentum Baptismi dari cum invocatione Trinitatis. Et ideo quicquid deest ad plenam invocationem Trinitatis, tollit integritatem Baptismi. Nec obstat quòd in nomine unius personæ intelligitur alia, aut quòd ille qui nominat unam solam personam, potest habere rectam fidem de tribus: quia sicut ad Sacramentum requiritur materia sensibilis, ita & forma sensibilis. Unde non sufficit intellectus, vel fides Trinitatis ad perfectionem Sacramenti, nisi sensibilibus verbis Trinitas exprimatur. Unde & in Baptismo Christi, ubi fuit origo sanctificationis nostri Baptismi, adfuit Trinitas in sensibilibus signis scilicet Pater in voce, Filius in humana natura, Spiritus Sanctus in columba.*

Respondeo secundò, nego minorem absolutè: Nam Sanctus Thomas hypotheticam dumtaxat responsionem affert, nec ad dispensationem confugit, nisi ex hypothesi quòd Apostoli in solius Christi nomine baptizarint, cujus facti noluit expendere veritatem, Scholasticæ duntaxat methodo intentus: sicut in nonnullis aliis factis, quæ sibi objicit, respondese solet hypotheticè; quia ejus instituti non erat facti expendere, quorum examen Theticæ Theologiæ proprium est, & prolixiorem tractationem postulat.

Ad probationem respondeo, Apostolicis in Actis dici baptizatos Gentiles vel Judæos, *In nomine Jesu Christi*, non quòd solum Christi nomen in forma Baptismi ab Apostolis proferretur, sed quòd Christi auctoritate, & virtute baptizarent, seu Baptismo instituto à Christo. Id enim significat plerumque in Actis hæc loquendi formula ( *in nomine* ) ut capite 3. ubi Petrus claudum sanans, ait, *In nomine Christi Nazareni surge & ambula*, & capite 4. ubi Sacerdotes & Scribæ Petrum & Joannem sic interrogasse referuntur: *In qua virtute, aut in quo nomine fecistis hoc vos?* Denique Actuum 19. in nomine Christi dicuntur baptizati Discipuli Ephesi commorantes, prout Christi Baptismus opponitur Baptismo Joannis, quo tantùm tincti erant, non prout solius Christi nominis prolatione aut invocatione constare fingitur. Id ex contextu illius loci perspicuum est, ubi S. Paulus sic eos interrogasse narratur: *Si Spiritum Sanctum accepistis credentes? At illi dixerunt ad eum: Sed neque si Spiritus Sanctus est, audivimus. Ille verò ait: In quo ergo baptizati estis? Qui dixerunt: In Joannis baptismate. Dixit autem Paulus: Joannes baptizavit baptismo Pænitentiæ populum, dicens: In eum qui venturus esset post ipsum, ut crederent, hoc est in Jesum. His auditis, baptizati sunt in nomine Domini Jesu.* Adde quòd Discipulos respondentes se nescire Spiritum Sanctum, frustra hac interrogatione urgeret Apostolus, *In quo ergo baptizati estis?* Nisi in Spiritus Sancti, æquè ac in Christi nomine baptizare Apostoli soliti essent.

Ita prolata Scripturæ sacræ testimonia Sancti Patres intellexerunt. *Jesu Christi mentionem facit Petrus* ( inquit Sanctus Cyprianus in Epistola ad Jubaianum ) *non quasi Pater omitteretur, sed ut Patri quoque Filius adjungeretur.*

Et Sanctus Augustinus lib. 3. contra Maximinum Arianum, cap. 17. *Qui Patre*, inquit, *& Spiritu Sancto non nominatis, jussi sunt baptizari; intelliguntur non baptizati nisi in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Lege Facundum Hermianensem lib. 1. pag. 22.

Probabilius igitur est Apostolos nusquam in solius Christi nomine Baptismum contulisse, etiam ex dispensatione, quia dispensationis illius nullum est in Apostolica Historia, aut in Traditione vestigium. Secundò, quia dispensationis illius caussa necessaria, aut conveniens non videtur, nempe ut nomen Christi honorabile redderetur. Neque enim Christi nomen, sed nomen Jesu, odiosum Judæis erat, quia Jesum non credebant esse Christum, id est, Messiam in Lege & Prophetis promissum. Tertiò, quia summum nomini Jesu conciliabant honorem miracula per ejus invocationem facta: sed & ejus augeri poterat veneratio & religio per formam Baptismi, si sic in illa exprimeretur: *In nomine Patris, & Filii ejus Jesu Christi, & Spiritus Sancti*: quod forsan Apostolicis temporibus factum est, & legitur apud Pseudo-Abdiam Babylonium.

Objicies contra hanc responsionem auctoritatem Sancti Hilarii libro de Synodis, ita scribentis: *Ne postremò Apostoli reperiantur in crimine, qui baptizare in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti jussi, tantum in Jesu nomine baptizaverunt.*

Respondeo, Sanctum Hilarium adducere textus Evangeliorum & Actorum in speciem pugnantes, ut ostendat ea quæ sibi repugnare videntur in Scripturis, non ideo expungenda esse, aut prætermittenda, quia apparens illa contradictio pravis opinionibus ansam dare potest. Quo ex principio colligit, non minùs etiam usurpandam illam esse vocem, *ὁμοούσιος*, à Nicæna Synodo consecratam, etsi nonnulli eam pravos in sensus detorserint, & ea adhuc abutantur. En locum integrum Sancti Hilarii, qui huic responsioni lucem affert. *Pereant quoque*, inquit, *si videtur, ( quod non ego dixerim, sed responsionis necessitas ) omnia divina illa & sancta Evangelia salutis humanæ: ne se contrariâ doctorum opinione compugnent; ne missurus Dominus Spiritum Sanctum, ipse de Spiritu Sancto natus intelligatur: ne mortem & gladium denuntians usuris, cui gladium passurus indicat: ne ad inferos descensurus, in Paradiso sit cum Latrone: ne postremò Apostoli reperiantur in crimine, qui baptizare in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti jussi, tantum in Jesu nomine baptizaverunt.* Vult itaque solùm Sanctus Hilarius, Actuum loca, in quibus Apostoli dicuntur baptizasse, *in nomine Domini Jesu*, non esse contraria Evangelio, in quo dixit Christus Apostolis; *Euntes, docete omnes Gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*: Sed non contendit Apostolos in nomine solius Christi revera baptizasse: alioqui contradicerent Acta Evangelio, & Apostoli Christi mandatum violassent, quod Sanctus Hilarius meritò negat.

Objicitur secundò. Sanctus Ambrosius libro primo de Spiritu Sancto, cap. 3. Baptismum in solius Christi nomine collatum legitimum esse censet, quia in Christi nomine cæteræ Sanctissimæ Trinitatis Personæ intelliguntur: itaque Stephanus Primus decernere etiam potuit Baptismum in Christi nomine collatum validum ac legitimum esse.

Probatur antecedens ipsis Sancti Ambrosii verbis: *Quemadmodum*, inquit, *si unum in sermone comprehendas, aut Patrem, aut Filium, aut Spiritum Sanctum; fide autem nec Patrem, nec Filium, nec Spiritum Sanctum abneges, plenum est fidei Sacramentum: ita etiam quamvis & Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum dicas, & aut Patris, aut Filii, aut Spiritus Sancti minuas potestatem, vacuum est omne mysterium.* Et rursus: *Si Christum dicas, & Patrem à quo unctus est, & ipsum qui unctus*

*unctus est Filius, & Spiritum Sanctum, quo unctus est, designasti.* Et infra: *Nunc consideremus, utrum quemadmodum in Christi nomine plenum esse legimus Baptismatis Sacramentum: ita etiam Sancto tantùm Spiritu nuncupato, nihil desit ad mysterium.* Censet itaque Sanctus Ambrosius legitimum esse validumque Baptismum in solius Christi nomine collatum.

Respondeo primò, Sancti Ambrosii mentem non esse, ut in solius Christi nomine conferri possit Baptisma, aut collatum sit aliquando; alioqui cùm de Spiritu Sancto idem asserat, Baptismum quoque in solius Spiritus Sancti nomine datum approbaret, quod nemo unquam ausus est asserere: sed mens ejus est, quòd in ipsa Textus Sacri narratione, cùm exprimitur nomen Christi, vel nomen Jesu, non negetur quin Baptismus in aliarum quoque personarum nomine sit collatus. Isque sensus omnino congruit Sancti Ambrosii instituto. Eo enim in capite probare intendit unam esse Spiritus Sancti cum Patre & Filio majestatem, quia una operatio est: ex quo colligit, cùm uni personæ aliquid tribuitur in Scripturis externam operationem spectans, id referendum esse pariter ad alias, etiamsi de illis sileatur. En ejus verba initio capitis: *Sed fortasse aliquis dicat: Qua ratione cùm dixeris hic ex Patre omnia, & per Filium omnia, de Spiritu Sancto tacueris, & hinc cupiat præjudicium comparare? Quod si pergit malitiose interpretari, quàm multis invenis locis prædicatam Spiritus Sancti potestatem, in quibus vel de Patre, vel de Filio nihil Scriptura expresserit, sed intelligendum reliquerit. Nunquid ergo cùm gratia Spiritus prædicatur, Dei Patris, aut unigeniti Filii denegatur? Non ita: quia sicut Pater in Filio, & Filius in Patre; ita etiam diffusa est charitas Dei in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis. Et sicut qui benedicitur in Christo benedicitur in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, quia unum nomen, potestas una: ita etiam ubi operatio aliqua divina aut Patris, aut Filii, aut Spiritus designatur, non solum ad Sanctum Spiritum, sed etiam ad Patrem refertur & Filium; nec solùm ad Patrem, sed etiam ad Filium refertur & Spiritum* Ex quibus sic colligo: Sanctus Ambrosius statuit hanc regulam, ut quoties in Scriptura sacra aliqua operatio uni divinarum tribuitur personarum, ad alias referri pari jure intelligatur, & in exemplum affert Baptisma collatum ab Apostolis in nomine Christi: igitur sicut operatio non tribuitur alicui personæ cum exclusione aliarum; ita nec Baptismus dicitur in Actibus Apostolorum collatus in nomine Domini nostri Jesu Christi, suppresso nomine Patris & Spiritus Sancti, quamvis ibi Sacer Textus illorum non meminerit.

Præterea, Sanctus Ambrosius, qui Sancti Basilii sensa in libro de Spiritu Sancto expressit in libris de eodem argumento à se conscriptis, ab ejus mente recessisse non videtur in locis Actorum exponendis, & in assignanda Baptismi forma legitima. Porro Sanctus Basilius Baptisma in Christi solius nomine invalidum esse contendit, nec ab Apostolis sic putat collatum (ut superiùs ostendimus.) Eadem igitur mens fuisse videtur Sancti Ambrosii.

Respondeo secundò, Ita intelligi posse Sanctum Ambrosium ut velit ex parte baptizati solam nominis Christi fidem, vel professionem sufficere, quia fidem & professionem aliarum personarum, omniumque Mysteriorum implicitè continet: ut sicut ad singulas immersiones interrogatus, respondebat ad primam, *Credis in Patrem? Credo*, & ad secundam, *Credis in Filium? Credo*; & ad tertiam, *Credis in Spiritum Sanctum? Credo*: (ut refert Sanctus ipse Ambrosius lib. 2. de Sacramentis, cap. 7.) Sic satis esse videatur ad Fidem suam exprimendam; si solùm interrogatus, *Credis in Christum?* Respondeat etiam, *Credo*. Sed necessariam esse ex parte baptizantis distinctam & explicitam invocationem trium Personarum in administratione Baptismi, ex Christi institutione, disertè asserit idem Sanctus Doctor cap. 5. ejusdem libri 2. de Sacramentis: *Venit Sacerdos*, (inquit) *precem dicit ad Fontem, invocat Patris nomen, præsentiam Filii, & Spiritus Sancti. Utitur verbis cœlestibus. Cœlestia verba quæ sunt? Quod baptizemus in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Et cap. 7. jam laudato: *In uno autem nomine baptizari nos jussit: hoc est, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Noli mirari quia dixi unum nomen, ubi est una substantia, una divinitas, una majestas. Hoc est nomen de quo dictum est: In quo oportet omnes salvos fieri.*

Objicitur tertiò. Id potuit decernere Stephanus Primus, quod decrevit postea Nicolaus Primus; Atqui Nicolaus Primus decrevit Baptisma in solius Christi nomine collatum, validum ac legitimum esse: id igitur Stephanus decernere potuit.

Probatur minor ex illius Pontificis verbis, in Responsione ad Consulta Bulgarorum, cap. 104. *A quodam Judæo*, inquit, *nescitis utrum Christiano, an Pagano, multos in patria vestra baptizatos asseritis, & quid de his sit agendum consulitis. Hi profectò, si in nomine sanctæ Trinitatis, vel tantùm in nomine Christi, sicut in Actibus Apostolorum legimus, baptizati sunt: constat eos non esse denuò baptizandos.*

Respondeo, Nicolaum Primum, id quod respondit de nomine Christi, cursim, & obiter, ex opinione sua singulari dixisse, non ut Pontificem & Christianorum omnium Doctorem. Non enim ipsum consuluerant Bulgari de Baptismo in nomine Christi collato, sed de Baptismo collato à quodam, de quo nesciebant an Paganus esset, vel Judæus. Validum esse ac ratum respondit Pontifex, si in nomine Trinitatis collatus esset. En Sedis Apostolicæ oraculum totius Ecclesiæ veneratione exceptum. Sed addidit huic definitioni disjunctivam illam, *vel tantùm in nomine Christi*. En singularem Nicolai ut privati Doctoris opinationem, quam non probat Ecclesia, quia neque ad suorum Decessorum decreta, neque ad Traditionem Patrum testimoniis roboratam, in hac responsionis suæ appendice satis attendit; sed Sancti Ambrosii verbis accuratè non expensis, & alium in sensum detortis deceptus est, ut constat ex his verbis quæ per parenthesim interserit (*ut Beatus Ambrosius dicit*) Deceptum autem fuisse hac in re Nicolaum Primum ex eo perspicuum est, quòd suis adhuc temporibus Baptismum in Christi nomine collatum ratum esse censet, quem Apostolorum dumtaxat ætate validum fuisse ex dispensatione singulari, propugnant Scholastici quidam, quibus favet in speciem Sanctus Thomas.

## SCHOLION I.

Ad hunc Articulum, & ad pag. 499 Editionis primæ, Religiosi Censores hanc in Indiculo suo notam rescriunt: *Apostoli numquam baptizarunt in nomine Christi.*


R. Vocem, *Solus*, suppressere. Sic enim aio: *Probabilius est Apostolos nusquam in solius Christi nomine Baptismum contulisse.* Quod ante me primi subsellii Auctores, & nunc Viri plerique omnes Eruditi propugnant; ut mirum sit id à Religiosis Censoribus reprehendi, quod Scripturæ sacræ, Patrumque firmissimis testimoniis comprobatur.

SCHOLION

## SCHOLION II.

Ad eamdem Articulum, & ad pag. 504. Editionis primæ, Religiosi Censores hanc Propositionem notant: *Nicolaus I. ut persona privata erravit, dicendo Baptismum in nomine Christi tantum collatum esse validum.*

R. Id rectè scripsi post *Melchiorem Canum*, *Estium* in IV. *Sententiarum*, Dist. III. § V. & *Sylvium* in III. p. Quæst. LXVI. Art. VI. cujus hæc sunt verba: *Ad Nicolai Decretum Responsio verisimilior est Melchioris Cani libro vj. De Locis, cap. 8. ad 7. Pontificem ut privatum Doctorem falsæ opinioni adhæsisse, nihil tamen ea de re definivisse. Neque enim illud omne definiunt Pontifices, quod in aliqua ad Quæstionem sibi propositam Responsione inferunt. Nicolaus consulebatur an baptizatus à Judæo verè esset baptizatus: ad quod definitivè respondet, quòd sic. Quod autem respondendo addit de Baptismo in nomine Christi tantùm; non ut definitivè dicit: sed juxta privatam suam opinionem erroneam. Esto enim quòd Apostoli sic baptizassent, non propterea nunc idem vel liceret, vel validum esset.* Idem respondet *Bellarminus* lib. IV. *De Romano Pontifice*, cap. XII.



## DISSERTATIO XIV.

### De Fide Stephani Romani Pontificis circa Baptismum Hæreticorum.

---

### ARTICULUS UNICUS.

*Utrum Stephanus Pontifex in errorem oppositum Sancti Cypriani errori lapsus fuerit, omnium Hæreticorum Baptismate ratihabito?*

### PROPOSITIO.

*Quod Hæretici quidam*, imò & viri inter Catholicos Theologos eruditi, asserunt Stephanum Pontificem Maximum, damnando morem Sancti Cypriani & Africanorum Antistitum, necnon Firmiliani & Orientalium de rebaptizandis Hæreticis, in extremum errorem lapsum esse, & decrevisse baptisma quorumcumque Hæreticorum, etiamsi consueta & solemni Ecclesiæ forma & ritu collatum non esset, ratum esse ac legitimum, proindéque non iterandum, prorsus improbabile est.*

* Blondellus.

PROBATUR primò ex Epistola Firmiliani ad Sanctum Cyprianum, ex qua perspicuum est, Stephanum supposuisse semper Baptismum verbis Evangelicis conferri debere, ut ratum esset. *Illud quoque absurdum*, inquit Firmilianus, *quòd non putant quærendum esse quis sit ille qui baptizaverit, eo quòd, qui baptizatus sit, gratiam consequi potuerit invocata Trinitate nominum, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.*

Probatur secundò ex Sancto Cypriano in Epistola ad Pompeium, in qua testatur Stephanum Baptismum Hæreticorum ratum habuisse ob vim & efficaciam verborum Evangelicorum, quibus confertur. *Aut si effectum Baptismi, majestati nominis tribuunt*, inquit, *ut qui in nomine Christi ubicumque & quomodocumque baptizantur, innovati & sanctificati judicentur*, &c.

Probatur tertiò. Stephanus antiquam propugnando consuetudinem, procul dubio non erravit. Quis enim dixerit ab antiquo istum in Ecclesia Romana invaluisse errorem, ut eorum Hæreticorum ratus haberetur Baptismus, qui formam Ecclesiæ non servarent? Porro Eusebius testatur Stephanum antiquam consuetudinem vindicasse. Ita enim habet lib. 7. cap. 3. *Erat id temporis non exigua quæstio & controversia concitata, utrum oporteret eos qui se à quocumque hæresis genere revocassent, lavacro Baptismatis repurgare: cum ex consuetudine ab antiquis ducta temporibus, in hujusmodi hominibus in Ecclesiam recipiendis sola preces cum manuum impositione adhiberi solerent.* Non est igitur probabile Stephanum lapsum esse in errorem oppositum errori Sancti Cypriani.

Probatur quartò ex Concilio Arelatensi, quod cùm Afros, rebaptizantes Hæreticos, singulari Canone percellat, Romanis minimè pepercisset, si in contrario errore versati fuissent.

V. Probatur ex Sancto Augustino, qui Stephani Decreto vindicatam consuetudinem ac Traditionem passim commendat in libris de Baptismo contra Donatistas: quamvis Decretum ipsum non referat.

Probatur sextò ex Vincentio Lirinensi in Commonitorio, ubi de errore quem invexerat Agrippinus, loquens, hæc habet: *Cùm ergo undique ad novitatem rei cuncti reclamarent, tunc beatæ memoriæ Stephanus, cum cæteris Collegis suis, sed tamen præ cæteris, restitit. Quis ergo tunc universi negotii exitus, nisi usitatus & solitus? Retenta est scilicet antiquitas, explosa novitas.* Sed qui retinet antiquitatem, & novitatem explodit, non errat: nequaquam igitur Stephanus lapsus in errorem est.

Probatur septimò ex Facundo Hermianensi, libro contra Mocianum. *Beatus Stephanus*, inquit, *Præsul Apostolicæ Sedis, cùm Sanctum Cyprianum atque alios Afros Episcopos, de baptizandis omnibus hæreticis decrevisse cognosceret, continuò ei denuntiavit, quòd si qui hoc auderent, ab Ecclesia pellerentur. Et Stephani potiùs quàm Cypriani sententiam tenet Ecclesia, non solum de non rebaptizandis Hæreticis, verùmetiam de rebaptizantibus non ferendis.* Ex quibus sic colligo: Stephani sententiam tenet Ecclesia, ex Facundo: atqui Ecclesia non recipit Baptisma Hæreticorum qui verbis Evangelicis non baptizant. Igitur Stephanus non sensit illorum Baptisma recipiendum esse.

Probatur ultimò. Si lapsus in errorem fuisset Stephanus, quem ipsi Blondellus, & alii adscribunt, universa Ecclesia his temporibus versata fuisset in errore: siquidem omnes Episcopi, vel Cypriani & Firmiliani, vel Stephani sententiam propugnabant: & utraque, secundùm hujus Hæretici hypothesim, erronea erat: atqui impossibile est Ecclesiam errare universam, quæ *columna & firmamentum est veritatis*: Stephanus igitur in eum non est lapsus errorem, quem ipsi Blondellus, & alii affingunt.

Objectio prima petitur ex Decreto Stephani, cujus verba refert Sanctus Cyprianus Epistola 74. ad Pompeium data: *Si quis ergo*, inquit, *à quacumque hæresi venerit ad nos, nihil innovetur, nisi quod traditum est, ut manus illi imponatur in pœnitentiam; cùm ipsi Hæretici propriè alterutrum ad se venientes non baptizent, sed communicent tantùm.* Ergo omnium Hæreticorum Baptisma probavit, nullosque decrevit rebaptizandos, etiamsi baptisma verbis Evangelicis non conferrent.

Respondeo, nego consequens. His enim verbis, *A quacumque hæresi*, solas illas hæreses Stephanus intellexit; quæ Baptismi formam integram servaverant. Eumdem fermè loquendi modum Sanctus Hieronymus usurpat in fine Dialogi adversùs Luciferianos, ubi Baptisma Hæreticorum receptum semper fuisse in Ecclesia Romana asserit,

serit, nec illos excipit qui Baptismi formam violabant: nec tamen illorum Baptisma Sancti Hieronymi temporibus ab Ecclesia fuisse susceptum quis sapientum asserit. Cur igitur Stephano is affingitur error, qui alio modo non est locutus, quàm Sanctus Hieronymus locutus fuerit quarto Sæculo cadente? *Si Hæretici Baptisma non habent*, inquit laudatus Pater, *& ideo rebaptizandi ab Ecclesia sunt, quia in Ecclesia non fuerunt; ipse quoque Hilarius non est Christianus: in ea quippe Ecclesia baptizatus est, quæ semper ab Hæreticis Baptismum recepit.* Et infra: *Quod si negandum quispiam putaverit, Hæreticos à Majoribus nostris semper fuisse susceptos, legat beati Cypriani Epistolas, in quibus Stephanum Romanæ Urbis Episcopum, & inveteratæ consuetudinis lacerat errorem. Legat & ipsius Hilarii libellos, quos adversùs nos de Hæreticis rebaptizandis edidit: & ibi reperiet ipsum Hilarium confiteri à Julio, Marco, Silvestro, & cæteris veteribus Episcopis, similiter in Pœnitentiam omnes Hæreticos susceptos.* Denique laudat Nicænum Concilium, *quod omnes Hæreticos susceperit, exceptis Pauli Samosateni Discipulis*: id est, omnium Hæreticorum, præterquàm Paulianistarum, Baptisma ratum habuit.

Argumentis Launoii contra S. Stephanum I. respondetur.

Objicies cum Joanne Launoio in Epistola ad Jacobum Bevilaquam Sorbonicum Doctorem, Cyprianum pluris quàm Stephanum semper in Ecclesia habitum fuisse: quod ostendit ex laudibus quibus Sancti Patres penè universi prosecuti sunt Cyprianum, non Stephanum: ex Canone Missæ in quo adscriptum habetur nomen Cypriani, non Stephani: ex veteribus Litaniis, in quibus Cyprianus invocatur, non Stephanus, quas Litanias ex Romano Ordine & xix. Ritualibus Ecclesiarum Galliæ laudat. Quòd in Sancti Gregorii Sacramentario, & in antiquis Missalibus, habeatur Præfatio in festo Sanctorum Cornelii & Cypriani, non in festo Sancti Stephani. Quòd festum Sancti Cypriani ritu solemniori celebretur. Quòd in Kalendario veteri, quod sub Romani nomine Joannes Fronto Canonicus Regularis Sanctæ Genovefæ publici juris fecit, post Natale Apostolorum Petri & Pauli ponatur: *Hebdomada* 1. 2. 3. 4. 5. *& 6. post Natale Apostolorum.* Et similiter post Natale Sanctorum Cornelii & Cypriani 14. Septembris continuò subjungitur: *Hebdomada* 1. 2. 3. 4. 5. *& 6. post Natale Sancti Cypriani*: sed non ponatur quid simile post festum Stephani Papæ. Quòd Anastasius Bibliothecarius in Vita Stephani, aliarum ejus Constitutionum meminerit; non illius quæ ad Baptismum Hæreticorum pertinet; quasi qui Romæ scriberent, illud eloqui non auderent, vel etiam erubescerent. Quòd in Romano Breviario, Clementis Octavi & Urbani Octavi auctoritate recognito, Decretum de non rebaptizandis Hæreticis referatur aliter quàm à Stephano editum est; sic autem refertur Lect. 2. *Baptizatos ab Hæreticis iterum baptizari vetuit, rescribens Sancto Cypriano verbis illis: Nihil innovetur nisi quod traditum est.* Ex quibus colligit Launoius, ipsa Ecclesia Judice, videri Stephanum, damnando errorem Cypriani, in contrarium errorem abreptum.

Respondeo, nego consequens. Hæc enim solùm probant majorem Ecclesiæ de Sancto Cypriano existimationem, venerationemque propensiorem, tum ob sanctitatem, dum vixit, illustriorem; cùm ob Christianæ Disciplinæ studium, & animi fortitudinem in ea propugnanda sæviente persecutionum tempestate, eximiam; cùm ob amorem Ecclesiæ universæ & Catholicæ unitatis; cùm ob doctrinæ præstantiam ac famam, quæ ipsi inter Ecclesiæ Patres nobilem locum obtinuit; quæ doctrina, si errorem de Hæreticorum Baptismo exceperis, Fidei propugnaculum, Traditionum promptuarium, Disciplinæ palladium, Moralis Evangelicæ firmamentum est; tum denique ob Martyrii claritatem celebritatemque majorem. At quantumvis Stephani paulò obscurior sit in Ecclesia, quàm Cypriani memoria, inferri inde non potest, Stephani Decretum ab ea non probari. Nec me movet, vel Anastasii Bibliothecarii silentium de hujusmodi Decreto, vel Romani Breviarii illud paulò aliter referentis auctoritas; quibus prævalet veterum monumentorum fides.

Objicies testimonium Benedicti XII. in Responsione ad Fraticellorum Objectiones contra Joannis XXII. Constitutiones, quam suo Inquisitorum Directorio, parte 2. Quæst. 17. Eymericus inseruit. Cùm enim Fraticelli dicerent, quòd in his, quæ pertinent ad fidem & mores, determinatum semel per Summum Pontificem non potest per alium revocari; (talem autem esse Nicolai IV. Bullam de Christi & Apostolorum paupertate pugnabant) Respondet Benedictus, *Falsum est. Nam Petrum, qui non ambulabat rectè ad veritatem Evangelii, reprehendit & correxit Paulus, ut patet ad Galatas 2. & tamen non erat illi par, sed inferior. Item Stephanus Papa determinavit, quòd nullus baptizatus per quoscumque Hæreticos, veniens ad Ecclesiam Catholicam, rebaptizaretur: Sanctus autem Cyprianus cum multis Episcopis in Africa celebrans Concilium, determinavit oppositum, videlicet quòd baptizati à quibuscumque Hæreticis, si ad Ecclesiam Catholicam veniant, sunt baptizandi: reprobans in hoc Stephanum Papam, ut patet in Cypriani Epistolis ad Jubaianum, ad Stephanum, & Pompeium. Concilium autem Nicænum utramque opinionem Sancti Cypriani, & Stephani Papæ correxit, determinando, quòd baptizati ab Hæreticis non servantibus formam Ecclesiæ, venientes ad Ecclesiam baptizentur: ab aliis verò Hæreticis baptizati, non rebaptizentur; ut non sit contra Articulum fidei: Et unum Baptisma.*

Respondeo. Benedictum hæc scripsisse adhuc Cardinalem; cujus proinde non tanta est auctoritas. Singularis illius opinio fuit, vel potiùs error, quòd Sanctus Stephanus Pontifex, & Sanctus Cyprianus, in oppositos errores lapsi essent; & quòd utriusque lapsum Nicæna Synodus correxisset. Ipsum itaque deserimus, convicti momentis, quibus nostra superiùs probata est Assertio.

## SCHOLION I.

Ad hanc Dissertationem, ad probationem quartam Propositionis, sive ad pag. 507. Editionis primæ, Religiosi Censores id reprehenderunt: *Concilium Arelatense Romanis minimè pepercisset, dum Rebaptizantes damnavit, si in contrario errore versati fuissent.*

R. Concilium Arelatense 1. Afros rebaptizatores Canone viii. perstringit. *De Afris*, inquit, *quòd propria lege sua utuntur ut rebaptizent, placuit ut si ad Ecclesiam aliquis de Hæresi venerit, interrogent eum Symbolum; & si perviderint eum in Patre & Filio & Spiritu Sancto esse baptizatum, manus ei tantùm imponantur ut accipiat Spiritum Sanctum. Quòd si interrogatus non responderit hanc Trinitatem, baptizetur.* Ex hoc Canone conjecturam duxi, quòd Concilium illud Romanis minimè pepercisset, id est, ipsos pariter perstrinxisset, si in contrario errore versati fuissent. Verisimile igitur non esse, quòd *Sanctus Stephanus* Romanus Pontifex in errorem oppositum *Sancti Cypriani* errori lapsus fuerit; omnium hæreticorum Baptismate ratihabito, etiamsi consuetâ & solemni Ecclesiæ formâ collatum non fuisset: Gratum fore sperabam Religiosis Censoribus, quòd *Stephanum I.* Pontificem Sanctissimum, Romanamque Ecclesiam vindicassem ab errore, & *Blondellum* ac *Launoium* contra sentientes confutassem; nec reprehensuros probabilem conjecturam ad id unum probandum adhibitam,

aliisque fulfultam firmioribus argumentis. Non credidissem Religiosos Viros ex hujusmodi à me factâ conjecturâ rem planè ridiculam, & quæ mihi nunquam venit in mentem, illaturos. *Hinc sequitur* ( inquiunt ) *Concilium Provinciale potuisse damnare Romanum Pontificem.* Absona illatio ( pace illorum dixerim ) quam non admitto, nec admittam unquam. Afros perstrinxit Arelatense Concilium, nec tamen Africanam Ecclesiam damnare potuit, & Episcopos Afros judicare, si Provinciale tantùm fuit ( ut volunt Religiosi Censores ) immò etsi Nationale : Multò minùs ergo sequitur quòd Romanum Pontificem, universalis Ecclesiæ jure divino Rectorem & Caput, damnare potuisset, quamvis perstrinxisset Canone suo errorem Romanorum, si in eo versati fuissent qui *Stephano I* perperam affingitur, quemadmodum perstrinxit errorem Afrorum.

## SCHOLION II.

In Responsione ad secundam Objectionem, sive ad pag. 511. Editionis primæ hanc in Indiculo suo Propositionem notant Religiosi Censores · *Breviarii Romani auctoritati prævalet veterum Monumentorum fides.*

R. Prævalet certè, siquidem Pontifices, aut Viri Eruditi, quibus Breviarii correctio ab ipsis interdum demandatur, illud ex veteribus & probatæ fidei monumentis, ex Actis sinceris Sanctorum, ex genuinis Operibus Sanctorum Patrum, ex antiquis Ecclesiasticæ Historiæ Scriptoribus emendant : & sacra Rituum Congregatio narrationes apocryphas & incertas historias ex Officiorum Ecclesiasticorum Libris jubet expungi, quoties nova Breviarii fit Editio. An veritatis inconcussæ esse volunt Religiosi Censores facta omnia, quæ in Breviario leguntur ?

## DISSERTATIO XV.

### De Moribus Origenis.

---

## QUÆSTIO PRIMA.

### De Origenis Ordinatione.

## ARTICULUS UNICUS.

*Utrum eviratio Origenis fuerit canonicum illius Ordinationis impedimentum ?*

ORIGENEM seipsum evirasse, ob idque exagitatum fuisse à Demetrio Alexandrino Episcopo, diximus in Synopsi ; nunc quærimus, utrum jure an injuria id fecerit Demetrius. Quod ut constet, sciendum est, an revera Origenis Ordinatio fuerit contra Canones.

## PROPOSITIO.

*Eviratio Origenis non erat canonicum illius Ordinationis Impedimentum, unde ipsum ob istud facinus perperam Demetrius insectatus est.*

Probatur primò auctoritate Eusebii, libro 6. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 8. ubi testatur Demetrium, à seipso mutatum, æmulationis ardore Origenis Ordinationem improbasse ob illud facinus, quod antea commendaverat. Cæterùm Theoctistum Cæsareæ Episcopum, & Alexandrum Hierosolymorum Sanctissimos Antistites, ipsum Sacerdotio dignum existimasse, illique manus imposuisse. En Eusebii verba, postquam spontaneam Origenis abscissionem retulit : *Demetrius qui ibidem rexit Ecclesiam, de eo pòst certior factus, tametsi hoc audax ejus facinus vehementer admiratus est ; tamen incredibilem animi propensionem, & ingenuitatem Fidei amplexatus, eum illicò confidere, ac bono animo esse jubet : & majore cura ac studio in munus Catecheseos incumbere hortatur. At tum quidem Demetrius eo animo fuit, & sententia. Verùm non longo temporis spatio post, idem cum Origenem prosperè ac feliciter rem gerentem, & magno splendore, famaque celebritate apud omnes prædicatum animadverteret, ardore quodam æmulationis ( ut est hominum captus ) incensus, apud Episcopos totius orbis, eum tamquam absurdissimi facinoris reum per literas notare tentabat. Et quoniam Theoctistus Cæsareæ Episcopus, & Alexander Hierosolymorum, spectati imprimis, & præstantes præ cæteris Palæstinæ Episcopis, amplissima dignitate & summo honoris gradu Origenem dignum arbitrati manus illi ut Presbyterio fungeretur, imposuerant : idcirco Demetrius, simul atque Origenes ad tam magnam gloriæ claritatem processerat ; atque adeo apud omnes homines ubique Gentium non obscurum virtutis, & sapientiæ nomen, decusque obtinuerat ; cùm nulla alia criminatio contra Origenem ipsi suppeteret, facti illius, quod ineunte ætate conscivisset, calumniam, tamquam gravem ignominiæ notam ei objectavit : eosque simul, qui illum Presbyterum creavissent, criminibus involvere conatus est.*

Probatur secundò auctoritate Sancti Hieronymi in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum cap. 65. ubi de Origenis Ordinatione ita scribit : *Cum jam mediæ esset ætatis, & propter Ecclesias Achaiæ, quæ pluribus hæresibus vexabantur, sub testimonio Ecclesiasticæ Epistolæ Athenas per Palæstinam pergeret, à Theoctisto, & Alexandro, Cæsareæ, & Hierosolymorum Episcopis, Presbyter ordinatus, Demetrii offendit animum, qui tanta in eum debacchatus est insania, ut per totum mundum super nomine ejus scriberet.*

Et cap. 73. agens de Alexandro Hierosolymorum Episcopo, testatur ipsum scripsisse *Ad Origenem, & pro Origene contra Demetrium, eo quod juxta testimonium Demetrii, eum Presbyterum constituerit.* Fuit autem Alexander ille vir sanctissimus, divina revelatione inauguratus Episcopus Hierosolymorum, & in Decii persecutione Martyrio coronatus. Unde maximi ponderis est ejus testimonium. Ex quo, & aliis, compertum est, evirationem Origenis non fuisse canonicum Ordinationis illius impedimentum : & Demetrium iniquè litem movisse Origeni, ejusque Ordinationem solo invidiæ motu impugnasse, cui testimonialibus literis fuerat antea suffragatus.

Objicit Annalium Ecclesiasticorum Parens contra Origenem, & in gratiam Demetrii, exemplum Leontii Ariani Episcopi, qui Sacerdotio privatus est, eo quòd semetipsum evirasset. De quo Sanctus Athanasius in Epistola ad Soliuaeios, ait : *Inter eos Leontius ille castratus, quem nec sub Laici quidem specie ad Communionem admitti oportuit, eo quod seipsum abscidit.* Ergo Origenis Ordinatio, cùm Eunuchus esset, facta est contra Canones.

Objicit secundò, tunc viguisse Ecclesiasticas regulas hunc in modum scriptas Canone Apostolorum 22. *Si quis abscidit semetipsum, id est, si quis amputavit sibi virilia, non fiat Clericus, quia suus homicida est, & Dei conditionis inimicus.* Ergo eviratio Origenis canonicum erat illius Ordinationis impedimentum : adeoque illam jure improbavit Demetrius.

Respondeo ad primum, Longè dissimilem esse speciem in Leontio, & in Origene. Leontius enim non ideò tantùm e gradu dejectus est, quia seipsum exciderat ; sed quia id egerat ut absque pudoris periculo mala familiaritate uteretur, & mulierculæ, quam in deliciis habebat, citra turpem suspicionem & absque famæ suæ discrimine, frueretur amplexibus. Unde post verba suprà laudata, subjungit S. Athanasius, id à Leontio factum, *Ut liberè cum Eustolio dormiret, revera muliere, quam ille Virginem*

*ginem prædicaret*. Idem asserit Theodoretus, lib. 2. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 24. At Origenes longè alio animo seipsum eviravit, scilicet ut castitatem illibatam inter quotidiana pericula tueretur. Unde Eusebius ait, loco suprà laudato, quod *licet facinus ex animo rudi & juvenili videretur esse profectum, fides tamen, & castimonia specimen maximum dabat.* Secunda ratio discriminta inter Origenis, & Leontii facinus est, quòd Leontius ordinatus fuerat post Concilium Nicænum, cujus Canonibus Eunuchi à Sacerdotio arcebantur. *Si quis seipsum sanus abscidit*, inquit Canon primus Nicænæ Synodi, *hunc & in Clero constitutum abstinere convenit, & deinceps nullum talium promoveri.* At Origenes ordinatus est antequam Eunuchis ulli Canones Sacerdotio interdicerent.

Præterea violabat alterum Magnæ Synodi Canonem, tertium scilicet, Leontius, quo subintroductarum mulierum contubernium prohibitum Clericis fuerat. Pellicem enim habebat Eustolium. At Origenes castitatis studio seipsum abscidit. Unde etsi improbata meritò fuerit Ordinatio Leontii, non sequitur improbandam fuisse Ordinationem Origenis.

Ad secundum respondeo; Canones Apostolicos Origenis ævo nondum in Oriente notos fuisse & postea fuisse sub Apostolorum nomine compositos (ut singulari Dissertatione probavimus, Tomo 1.) Falsò itaque asserit Cardinalis Baronius jam tunc Ecclesiasticas illas Regulas viguisse. Sanè Canones illos non semper fuisse observatos ex eo constat, quòd Reginæ Candacis Eunuchum ab Apostolis Episcopum consecratum fuisse tradant Veteres: & Melitonem Sardensem Episcopum laudet Polycrates Ephesiorum Episcopus, ceu *Eunuchum Spiritu Sancto afflatum*. Et Sanctus Hieronymus ipsum vocet *Eunuchum in Spiritu Sancto*. Apud Euseb. lib. 5. cap. 24.

Secundò, Canonem illum non viguisse ante Nicæni Concilii tempora, colligitur ex Canone primo illius Concilii, quo cavetur ne deinceps ad Clerum promoveantur Eunuchi. Antea igitur promovebantur.

Tertiò, de his solùm intelligitur Canon, *Qui hanc rem affectant*, ut loquuntur Nicæni Patres; id est, qui istud directè intendunt, & violentas sibi manus inferunt: non autem de iis qui indirectè solùm id efficiunt, puta si curandæ infirmitatis gratiâ pharmacum adhibeant, ex quo sequatur eviratio. Porro Origenes rem hanc non affectavit, ut Nicæni Canonis verbis utar; id est, non intendit evirationem, sed istud unum ejus consilium fuit, stimulos ad libidinem protitantes retundere, & rebellem carnem exsiccare, ne in spiritum insurgeret. Quod præstitit adhibito pharmaco, ex quo fortè eviratio præter ipsius consilium secuta est. Id ab ipsius Patronis assertum refert Sanctus Epiphanius Hæresi 64. licet quomodo id factum sit ab Origene incertum esse dicat.

Objicies tertio. Lege Moysis cautum erat ne intraret Eunuchus in Ecclesiam Dei (Deuteronomii 23.) neque id Origeni, aut ejus Ordinatoribus ignotum erat. Ergo eviratio Origenis impedimentum erat ipsius Ordinationis. Proindè temerè ordinatus est à Theoctisto.

Respondeo, nego consequentiam. Istud enim præceptum fuit Legis Veteris, non Morale, sed Ceremoniale, novâ conditâ promulgatâque lege abrogatum. Certè lege Moysis cautum etiam erat ut cæci, claudi, mutili, ab ingressu templi arcerentur: quod tamen non observavit Ecclesia. Undè cùm Ammonius Parota sibi auriculam amputasset, ne fieret Episcopus, & diceret Episcopis, qui eum inaugurare volebant; *Me deinceps, ne volentem quidem, Lex Sacerdotem creari permittit: Nam neminem, qui non sit integris membris Sacerdotem debere institui Canones sanxerunt.* Cùm inquam, hæc dixisset, Antistites responderunt; *Hæc esse Judæis solùm observanda. Ecclesia autem Christi membra corporis minimè curæ esse, sed ut Sacerdos dumtaxat sit integris moribus.* Et ipsum licet unâ auriculâ minutum, ordinassent, nisi juramento se obstrinxisset, ad linguam quoque, si vim ei inferre conarentur, sibi excindendam. (Ex Sozomeno, libro 6. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 30.) Idem dicere potuerunt Sanctissimi Origenis Ordinatores.

Objicies quartò testimonium Photii in Bibliotheca, Codice 118. scribentis. *Theothecnum* Cæsareæ Palestinæ tum Archiepiscopum, Origenem secus quàm oporteret, Presbyterum ordinasse, non improbante factum hoc Alexandro Hierosolymorum Episcopo. Hinc Demetrio amor in odium vertit, laudesque mox cum vituperatione commutata*, &c. Ergo Demetrius Origenis Ordinationem jure improbavit.

* Theoctistum dicere voluit.

Respondeo, Sancti Hieronymi, Eusebii, necnon Sancti Alexandri Hierosolymitani Episcopi auctoritatem, Photii testimonio esse anteponendam, qui multis Sæculis posterior est; maximè cùm asserat Photius, Origenem, *absque bona Episcopi sui venia* Athenas fuisse profectum, quod Sanctus Hieronymus inficiatur.

## SCHOLION.

Ad hanc Dissertationem Religiosi Censores hanc notam apponunt: *Eviratio Origenis non erat canonicum illius Ordinationis impedimentum.... Plura*, inquiunt, *ibidem inhonestè de Baronio. Tota Dissertatio expungatur.*

R. Eunuchos Ecclesiastico dumtaxat, non Divino Jure à Sacris Ordinibus arceri certum est. Quo tempore defectus iste inter canonica Sacrarum Ordinationum impedimenta constitutus fuerit, Quæstio est historica & quæ tota in facto versatur. Non viguisse morem illum ac disciplinam Eunuchos ab Altaris ministerio arcendi temporibus *Origenis*, contra *Baronium* probavi, & Eminentissimi Scriptoris argumentis respondi. Falsum est quòd *plura de Baronio inhonestè* scripserim (ut loquuntur Censorii Indiculi Auctores) nisi inurbanum ac pene inhumanum videatur, quod legitur in ista Dissertatione: *Objicit Annalium Ecclesiasticorum Parens*: &, *Falsò itaque asserit Cardinalis Baronius.* Hæc enim tantùm ibi de *Baronio*, cujus dignitatem revereor, quem ob eximiam eruditionem ac virtutem plurimi facio.

---

## QUÆSTIO II.

### De Negatione, & Thurificatione Origenis.

### ARTICULUS UNICUS.

*Utrum Origenes in persecutione Decii lapsus fuerit, & Idolis thus adoleverit?*

ORigenem ingravescente Decii persecutione, multa passum pro Christianæ Fidei Confessione, testes sunt Eusebius libro 6. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 39. & Sanctus Epiphanius Hæresi 64. sed an thus idolis adoleverit aliquando, quæstio est inter viros eruditos controversa. Baronius ad annum Christi 253. id negat: Veriùs alii affirmant: quorum in sententiam descendimus.

## PROPOSITIO.

*Origenis in persecutione lapsus non est commentitius.*

Probatur primò auctoritate Sancti Epiphanii, Hæresi 64. ubi postquam de Origenis fide & fortitudine multa paucis complexus est, hæc subjungit de ejus lapsu: *Sed in ejusmodi præmii possessione perpetuò non permansit. Etenim ob eximiam sanctitatem, & eruditionem summam in invidium est adductus: eaque res Magistratus ac Præfectos majorem in modum acuit. Tum illud verò diaboli calliditate improbitatis artifices commenti sunt, ut ad turpitudinis necessitatem hominem adigerent, atque ejusmodi pœnam statuerent, ut ad illius corpori stuprum inferendum, Æthiopem compararent. Ad hæc Origenes fraudulentum illud diaboli consilium non sustinens, vocem illam edidit, qua duobus illis propositis, sacrificare maluit. Quamquam non omnino sponte illud sua præstitisse vulgò dicitur, sed ubi semel hoc se esse facturum assensus, thus in manum illius impositum, in subjectum aræ focum excussisse Gentiles asserunt. Hoc modo & à Martyrii gloria Confessorum, Martyrumque qui illis temporibus erant, judicio excidit, & ab Ecclesia dejectus est. Accidit hoc Alexandriæ, ubi cùm exprobrantium ludibria ferre non posset: illinc abiit, & in Palæstina, sive Judæa domicilium constituit. Fortè contigit ut Hierosolymam profectus ad verba in Ecclesia facienda sollicitaretur. Cùmque ab iis, qui tunc Sacerdotalem in Ecclesia Dignitatem obtinebant, vi propemodum ad id agendum impelleretur, ille in pedes consurgens, reliquis versibus prætermissis; postquam hunc unum è Psalmo 49. locum attulisset: Peccatori autem dixit Deus, Quare tu enarras justitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? Complicatum librum reddidit, flensque & lachrymans resedit, flentibus cum eo, qui aderant, universis.*

Respondet Annalium Parens, Hæc ab aliquo Origeniani nominis hoste in Sancti Epiphanii textum intrusa esse. Verum ariolatur Vir Doctissimus, & levioribus nititur argumentis, quàm ut propter ea derogetur Sancto Epiphanio fides, ut inferiùs constabit.

Probatur secundò, ex Tractatu Justiniani Imperatoris adversùs Origenis errores, qui à Synodo Quinta probatus est. *In Fidei ergo Petra*, inquit, *nullo modo stabilitus, sed hujusmodi, atque his multò atrociores blasphemias, impius Origenes cùm edidisset, nihil mirum est eum in ipso Martyrii articulo Christum abnegasse, cultamque à Paganis Deorum multitudinem, quam ipse inducit, adorasse. Atque id Dei providentia factum est, ne in Ecclesia pro Martyre acciperetur, atque inde gregi Christi inferretur aliquid detrimenti. Nam si etiam nunc sunt, qui de ejus quidem ruina confiteantur, doctrinam verò afferant: an non eam tamquam Martyris, ac Patris erant defensuri, si contigisset eum, nulla Idolis exhibita adoratione consummari? Nemo enim veritatis retinens excidit à Deo, ab eoque deseritur, juxta quod dicit divina Scriptura: Respicite filii nationes hominum, & scietis quia nullus speravit in Domino, & confusus est.*

Probatur tertiò ex Leontio, libro de Sectis, Actione 10. ubi de Origene hæc habet: *Ejus Pater Martyr factus est, ipsemet quoque deductus ut Martyrium obiret. Verùm sacrificare coactus ex hujusmodi caussa fuit. Dum Martyrium obiret, quemdam ad eum producebant Æthiopem; ac vel cum Æthiope fœda committeret, vel Diis sacrificaret, urgebant. Origenes Diis sacrificare maluit, acceptumque thus abjecit in Sacrificium. Sed ejus tum facti magnopere postea pœnituit, idque commissum deploravit.*

Probatur quartò ex Nemesio Philosopho Christiano & Episcopo, ut quidam volunt, Emisseno, lib. de Natura hominis, cap. 30. *Oportet tamen ut plurimùm*, inquit, *præ turpibus expetere, quæ molesta sunt, ut Susanna & Joseph fecerunt, etsi non semper: Nam Origenes, qui ne dedecus & ignominiam susciperet, quam Æthiopes ostentabant, Diis sacra fecit, totâ caussâ cecidit.*

Denique hanc de lapsu Origenis historiam calculis suis probant Nicetas, libro 4. Thesauri Orthodoxæ Fidei, Hæresi 31. Anastasius Bibliothecarius in Historia, ad annum Christi 244. Nicephorus lib. 5. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 32. Zonaras libro 2. Histor. Glycas Annalium Parte 3.

*Cardinalis Baronii objectiones.*

Objicit primò Annalium Ecclesiasticorum Parens, Sanctum Epiphanium libro de Mensuris, & Ponderibus, ea de Origene scribere, quæ lapsum illius meram fabulam esse non obscurè evincant. *Floruit Origenes*, inquit, *à temporibus Decii usque ad Gallum, & Volusianum.* Floruisset-ne porro temporibus Decii, si tum lapsus esset? Pergit Epiphanius: *Cæterùm in persecutione à Decio facta & ipse Origenes multa passus, martyrii exitum minimè est adeptus, qui Cæsaream Stratonis primùm, inde Hierosolymam sese conferens, paululum isthic moratus, Tyrum postea concessit. Ubi annorum octo & viginti spatio degens, cùm severissimam, uti ferunt, vitæ Disciplinam instituit, tum ad Scripturarum enarrationem animum adjecit.* Præmiserat ibidem Sanctus Epiphanius: *Decii tempore illustris habitus est Origenes.* Næ virum illustrem! exclamat Baronius, si gloriam suam fœda negatione maculasset. Eccur Epiphanius, qui Origenis gesta, & peregrinationes ad illud usque tempus, quo Hexapla conscripsit, tam accuratè perstringit, illius non meminit facinoris, quod Alexandriæ, sub totius orbis oculis perpetratum est, & quod peregrinationum ipsius in Palæstinam occasio supponitur?

Objicit secundò, Sanctum Augustinum Origenianos hæreticos in duas classes aut sectas dividentem, eorumque impia recensentem dogmata, innuere se ea omnia à Sancto Epiphanio mutuatum. Cùm itaque nihil prorsus scripserit de lapsu Origenis Sanctus Augustinus; argumento est illum hujusmodi historiam apud Epiphanium non legisse, quia nec apud Epiphanium extabat: alioqui ipsam obiter attigisset.

Objicit tertiò, Antiquiores illos rerum Ecclesiasticarum Tractatores, qui Origenis errores oppugnarunt, ut Hieronymum & Theophilum Alexandrinum, tam nefandi lapsus non meminisse, qui ad sugillanda Origenis dogmata opportunus satis extitisset. Deinde, qui pro Origene Apologias scripserunt, Eusebius nimirum, atque Ruffinus, nusquam ipsum de negationis crimine excusarunt; quod si vel levissimâ conjecturâ adversarii ejus objicere potuissent, haud sanè prætermisissent silentio; sed objecissent isti, diluissent illi.

Objicit quartò silentium Patrum, qui Justiniano agente Origenis errores in Quinta Synodo proscripserunt.

Objicit denique silentium Porphyrii, Christianorum hostis infensissimi, qui cùm celeberrimum illum Ammonium Christianum Philosophum, à fide Christi ad Ethnicos descivisse mendacissimè prodiderit (ut refert Eusebius lib. 6. cap. 19.) quid non de Origene dixisset, si ea de Christo ab eo negato vulgata fuissent?

*Baronii objectionibus respondetur.*

Respondeo, leves esse illas Eminentissimi Authoris conjecturas, & nihil planè efficere adversùs historiam

historiam à Sancto Epiphanio, aliisque Authoribus asseriam. Esto enim floruerit, & illustris fuerit sub Decio : non sequitur lapsum non esse sub Alexandri Imperio, cùm Alexandriæ esset, Provinciæ Præfecto in Christianos sæviente. Quis enim nescit, *τὸ florere*, apud Authores nihil aliud esse, quàm commendari vulgò, & io aliqua propter eruditionem aut virtutem, nominis claritate versari? At maximam Origeni peperit celebritatem nominis pristina virtus & eximia doctrina, quam lapsus illa coactus magis quàm voluntarius, non eripuit omninò, maximè cùm non Pœnitentiâ solùm exemplari, sed & generosa nominis Christi confessione, & diris tormentis in ipsa Decii persecutione pro Christo constantissimè toleratis priùs illud crimen expiasset.

Porro quòd Sanctus Augustinus de turpissimo illo lapsu verbum nullum habeat, quamvis omnia sit ex Epiphanio mutuatus, mirum esse non debet. Siquidem Sanctus Augustinus, cùm suum de Hæresibus ad Quodvultdeum, librum conscripsit, Sancti Epiphanii Panarium, Opusque adversùs Hæreses integrum non viderat: nam Opus illud perbreve esse asserit, & tam mediocri mole futurum, si in unum libellum redigatur, ut quibusdam suis libris non sit amplitudine comparandus. Atqui enim in illo Opere Epiphanium adversùs hæreses non disputare. At amplissimum est S. Epiphanii adversùs hæreses Panarium, & io eo adversùs singulas accuratè disputat. Verisimile igitur est S. Augustinum illud Opus non legisse, sed ejusdem Anacephalæosim dumtaxat, sive Breviarium ex singulorum tomorum & hæreseon argumentis & capitibus collectum. Unde cùm in Anacephalæosi nihil habeat de Origenis lapsu, non mirum quòd illius non meminerit S. Augustinus, quamvis omnia se ab Epiphanio profiteatur mutuatum. Hæc solutio nititur verbis S. Augustini in Præfatione libri ad Quodvultdeum, ubi ita scribit: *Noster verò Epiphanius Cyprius Episcopus, ab hinc non longè humanis rebus exemptus, de octoginta hæresibus loquens, sex libros etiam conscripsit, historica narratione commemorans omnia, nulla disputatione adversùs falsitatem pro veritate decertans. Breves sanè sunt hi libelli: & si in unum libellum redigantur, nec ipse erit noster, vel alterum quibusdam libris, longitudine comparandus. Hujus brevitatem si fuero in commemorandis hæresibus imitatus, quod à me brevius postulare, vel expectare debeas, non habebis.*

Nec etiam hujus narrationis fidem evertit Theophili Alexandrini & S. Hieronymi silentium: Illiberale enim, & iniquum fuisset illud ipsi crimen objicere, quod cum pœnitentia & gloriosa confessione tormentisque pro Christo toleratis diluisse scirent. Præterea de ejus dogmatibus inter ipsos, & Origenis defensores quæstio erat, nulla planè de ejus moribus altercatio.

Sed & falsum est, in Quinta Synodo nullam de illo Origenis lapsu mentionem injectam esse. Siquidem in Tractatu Justiniani adversùs Origenis errores, qui ad illam Synodum missus, ab eaque probatus est, ad elevandam ipsius auctoritatem memoratur, ut ex secunda nostræ Propositionis probatione constat.

Denique Porphirii silentium nihil probat. Namque cùm thurificatio ab Origene vi prope extorta esset, ac statim pœnitentiam egisset tam nefandi facinoris; & Christum in persecutione Decii confessus esset, & carcerem corporisque cruciatus pro Christi fide passus esset, ut refert Eusebius lib. 6. Historiæ, cap. 39. nullum inde ad Gentilitiæ superstitionis confirmationem, aut ad Christianæ oppugnationem Religionis, trahere Porphyrius poterat argumentum. Neque necesse est, ut qui ad cultum Idolorum descivisse mentitus est Ammonium, scribere debuerit Origenem thus Diis adolevisse: cùm id ejus caussæ nullatenus faveret.

## SCHOLION.

Hanc Propositionem notant Religiosi Censores: *Baronius erras, dicendo, Origenem non thurificasse. . Tota Dissertatio,* inquiunt, *expungatur.*

R. Verba ista, *Baronius erras*, mea non sunt. *Virum doctissimum aciolari dixi, & levioribus niti argumentis, quàm ut propterea derogetur Sancto Epiphanio fides.* Testimoniis S. Epiphanii, Quintæ Synodi Generalis, Leontii, Nemesii, Nicetæ, Anastasii Bibliothecarii, *Baronii* sententiam in hac facti Quæstione refello. Sed & Doctissimus *Petavius* in Animadversionibus in *Sanctum Epiphanium*, ad Hæresim LXIV pag. 217 Parisiensis Editionis N. 11. *Baronium* in hoc Historiæ capite hallucinationis arguere non est veritus. *Hanc*, inquit, *Origenis historiam, ac lapsum revocans in dubium Annales Ecclesiastici, anno ejusd. Num. CCX. & deinceps: imò quod amplius est, locum ipsum, quo narratio illa continetur, suspectum reddunt, quasi ab aliquo perperam sit insertus. Quorum hoc posterius perspicuè falsum, alterum non satis probatum, utrumque levioribus conjecturis innixum est, quàm ut vetustissimo sanctissimòque Patri fides hac in parte derogetur.* Cum *Petavio* sentit Illustrissimus & Doctissimus Præsul *Daniel Huëtius* libro 1. *Origenianorum*, cap. IV. In eamdem sententiam descendit Pater *Pagi* ad annum CCLI. Num. XIX. qui & ea in re, & in plurimis aliis *Baronium* refellit emendat, Criticámque in Annales Ecclesiasticos Eminentissimi Cardinalis edere ausus est.

## DISSERTATIO XVI.

### De Fide Origenis.

### ARTICULUS PRIMUS.

*Utrum ab omni prorsus errore possit Origenes vindicari?*

MUlti tum veterum, tum recentiorum, vindicias pro Origene conscripserunt. E veteribus, Eusebius Cæsareensis, unà cum Pamphilo Martyre, ut quibusdam placet, Rufinus Aquileiensis Presbyter, Author Anonymus apud Photium, in Bibliotheca, Codice 117. E recentioribus verò Joannes Picus Mirandulanus Comes, Jacobus Merlinus Theologus & Pœnitentiarius Parisiensis, in ea quam curavit Origenianorum Operum editione; Genebrardus Theologus Parisiensis, & deinde Aquarum Sextiarum Episcopus, & Stephanus Binetus, & Petrus Halloixius Societatis Jesu Professores, quorum posterior quatuor libris Origenianas vindicias complexus est, quibus ferè suffragatur vir clarissimus & eruditissimus Daniel Huetius libro secundo Origenianorum, in Adamantium propensior. Horum in sententiam concederem, si res ex animo meo & affectu, potiùs quàm è veritate penderet. Verùm vis ejus est apud me tanta, ut ingenuè fatear ioanem supervacaneumque laborem fore, qui in Origenis doctrina ab omni labe purganda consumatur. Hîc tamen Origenis libros omnibus erroribus scatere non contendam, qui ipsi ab Antiquis tribuuntur. Neque enim vacat in singulos inquirere, ne solæ de Origenis rebus, & fide Dissertationes Tomum unum impleant. Generatim inquiram in omnes, & id expendam unum, an Origenes ab omni errore purgari, & absolvi possit.

## PROPOSITIO.

*Doctrinam Origenis omnis erroris immunem asserere, vetant Patrum de ipso, & Ecclesiæ judicia : prohibent & ipsius libri, qui gravissimos errores, quorum est insimulatus, repræsentant.*

### §. I.

*Extrinsecis testimoniis probatur Propositio.*

Quamquam in meri facti controversiis Patrum auctoritas non omnino cogat : maxima tamen ipsorum habenda est ratio, cùm in idem de Auctore aliquo, & ejus doctrina judicium conspirant: maximè si nullus par sanctitate & eruditione præstantior hunc Auctorem ab errore absolverit. Atqui Patres Origenem multiplicis damnarunt erroris, votis fermè consentientibus; & nullus par sanctitate, aut eruditione præstantior ipsum ab errore absolvit : ergo doctrinam Origenis omnis erroris immunem asserere, vetant Patrum de ipso judicia.

Probatur minor. Damnant enimverò Origenem, & ejus doctrinam, Demetrius Alexandrinus Episcopus; Theophilus Antiochenus, Sancti Epiphanius, Hieronymus, Cyrillus Alexandrinus, Augustinus, Vincentius Lirinensis, & ante illos Sanctus Petrus Alexandrinus Episcopus, & Methodius. Ipsum verò vindicant ab errore Eusebius, Rufinus, Anonymus apud Photium, quorum prior Arianus fuit, alter ob Origenis procacem defensionem & errores ab Anastasio Pontifice Maximo damnatus; tertius obscurus Auctor, nec tantùm Origenis, sed errorum ipsi adscriptorum vindex. Nullus eorum Sanctis Petro Alexandrino, Epiphanio, Hieronymo, Cyrillo, Augustino, sanctitate par fuit : nullus eruditione posterioribus tribus superior. Itaque in judicio ferendo de doctrina Origenis, Theologi prudentis est, & Sanctorum Patrum studiosi, ad illos potiùs quàm ad istos accedere : maximè cum illorum judicia Ecclesia probaverit, ut postea ostendemus.

I. Probatur antecedens. Demetrius namque cum plurimis Episcopis sibi consentientibus, Origenem ab Ecclesia ob errores segregavit, ut constat ex Sancto Hieronymo, lib. 2. Apologiæ adversùs Rufinum, cap. 5. & ex ipsius Origenis Epistola ad amicos Alexandrinos, qua *In epistola tota Demetrium Alexandrinæ urbis Pontificem lacerabat, & in totius orbis Episcopos & Clericos invehebatur, & frustra ab Ecclesiis excommunicatum esse se dicebat.*

II. Sanctus Petrus Episcopus Alexandrinus, & Martyr in Mystagogia quam fecit ad Ecclesiam, cùm Martyrii coronam suscepturus esset ; *Propterea, obsecro*, inquit, *Vigilate. Afflictionem enim rursum adituri estis. Scitis quot subierit pericula qui me enutrivit Pater meus, & Episcopus Theonas, ab iis qui in Idola insanirent : in cujus ego sedem successi, usinam etiam in mores! Scitis ut magnus se gesserit Dionysius, qui se è locis in loca abdebat, cùm insuper Sabellius affligeret. Quid porro dicam Heraclam, & Demetrium beatos Episcopos : quales tentationes sustinuerunt ab insano Origene, cùm ipse dissidia in Ecclesia sereret, quæ ad hanc usque diem turbas excitant?* Hoc Sancti Petri Alexandrini in Origenem testimonium refert Justinianus Imperator in Tractatu adversùs errores Origenis ad Mennam : ex quo sic colligit : *An potest aliquis bene sentientium iis adversari, quæ in Origenem dicta sunt à sancto Martyre & Episcopo Alexandriæ Petro? Qui egregium pro Christo certamen suscipiens, non solum Origenem, sceleratamque ejus doctrinam abdicavit, sed etiam testificatur Sanctos, qui ante ipsum fuerant, Patres, multas sustinuisse tentationes ab illius dementia.*

III. Theophilus Alexandrinus in frequenti Synodo Origenem, & ejus doctrinam, atque Sectatores damnavit, ut constat ex illius Epistola ad Sanctum Epiphanium, quæ inter Hieronymianas est 67. *Dominus*, inquit, *qui locutus est ad Prophetam : Ecce constitui te hodie super Gentes & regna eradicare, & suffodere, & disperdere, & rursum ædificare, ac plantare, singulis temporibus eamdem Ecclesiæ suæ largitur gratiam : ut integrum corpus conservetur, & in nullo hæreticorum dogmatum venena prævaleant. Quod quidem nunc videmus expletum. Nam Ecclesia Christi, quæ non habet maculam, neque rugam, egredientes de cavernis suis Origenis colubres Evangelico ense truncavit.* Et infrà : *Dignationis tuæ est, quæ in hujusmodi certaminibus sæpe ante nos pugnavit, positos in prælio consolari, & congregare totius Insulæ Episcopos, ac Synodicas literas tam ad nos, quàm ad Constantinopolitanæ urbis Episcopum, & si quos alios putaveris, mittere : ut consensu omnium, & ipse Origenes nominatim, & hæresis nefaria condemnetur.*

Theophilum Sanctus Hieronymus, lib. 2. Apolog. adversus Rufinum, vocat Virum Apostolicæ sapientiæ.

Et in Epistola ad Sanctum Hieronymum, quæ inter ipsius Hieronymi Epistolas 69. est, ita scribit: *Non ambigo quin studium nostrum probes, & in Ecclesiæ victoria glorieris. Namque Origenis hæresim in Monasteriis Nitriæ quidam nequam & furiosi homines serere & fundere cupientes, Prophetica falce succisi sunt.*

Et in Sermone ad quosdam Monachos qui Origeni assentiebantur, quem laudat Justinianus in Tractatu ad Mennam; hæc habet : *Quare anathematizantes Origenem, cæterosque hæreticos exemplo nostro, & Anastasii Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Episcopi, qui ex veteribus certaminibus clarus nobilissimi populi Dux creatus est : quem & universa beatorum Occidentis Episcoporum sequitur Synodus, quæ accepit ac probavit Alexandrinorum Ecclesiæ sententiam in impium latam.*

Et in Epistola ad Sanctos qui in Sceti erant, seu in Monasteriis Nitriæ : *Dicere*, inquit, *nonnulli ausi sunt, Origenem Ecclesiæ esse Doctorem. An hi, obsecro, ferendi sunt? Si Ecclesiæ Doctor est Origenes, magnos sibi spiritus sumunt Ariani, & Eunomiani, & Pagani : illi in Filium, ac Spiritum blasphemantes; hi similiter, atque illi impii, necnon resurrectionem mortuorum deridentes.*

IV. Sanctus Methodius Tyriorum Episcopus Theophilo antiquior, quippe qui Diocletiani temporibus floruit, Origenem de resurrectione mortuorum pessimè sensisse testatur *in Oratione de Resurrectione*, quam adversùs ejus errores conscripsit, cujus fragmentum insigne Panario suo intexuit Sanctus Epiphanius Hæresi 64. cujus etiam Excerpta repræsentat Photius in Bibliotheca, Cod. 234. *Origenes*, inquit, Methodius, *vult non eamdem carnem cum anima conjunctum iri, sed qualem nunc singulorum formam secundùm speciem corpus carnis imprimit, talem, sed in alio corpore spirituali impressam, resurrecturam, ut unusquisque rursum idem videatur secundùm formam; & hanc esse promissam nobis resurrectionem*; quem Origenis errorem validè Methodius refellit.

V. Sanctus Cyrillus Alexandrinus doctrinam Origenis ob errores ipsius proprios execratus est. Id constat ex illius Epistola ad Monachos qui erant in Phua, in qua eos perstringens qui corporum resurrectionem inficiabantur, hæc habet : *Aiunt igitur esse apud vos qui negent humanorum corporum resurrectionem; quæ pars Confessionis nostræ est, quam fecimus salutare adeuntes baptisma. Fidem enim profitentes, adjungimus credere nos & carnis resurrectionem*

*rectionem. Si hoc tollimus, nec credimus Christum resurrexisse à mortuis, ut nos sibi conresuscitaret, claudicantem habemus fidem, ac à via regia deflectentes, pravum iter sequimur. Hujusmodi autem improba opinio ab Origenis dementia est: quem & Patres nostri ut veri depravatorem abdicaverunt & anathematizaverunt. Non enim sensit ut Christianus, sed Paganorum secutus ineptias & nugas, in errorem incidit. Hinc autem ei contigit morbi principium. Asseverat animas ante corpora esse, & à sanctimonia abductas fuisse in cupiditates ac nequitiam, descivisseque à Deo, à quo hanc ob causam damnata sunt, & corpori obstricta, suntque in carne tamquam in carcere.*

VI. Sanctus Epiphanius in Epistola ad Joannem Hierosolymitanum, quæ inter Hieronymianas est sexagesima, Origenis errores execratur, refellit, & notâ hæreseos inurit: postquàm enim ejus errores circa Sanctissimæ Trinitatis adorandas personas perstrinxit, de quibus inferiùs agam, hæc de aliis subjungit: *Quis Origenem dicentem patiatur, quòd animæ Angeli fuerint in cælis: & postquàm peccaverint in supernis, dejectas esse in istum mundum: & quasi in tumulos & sepulchra, sic in corpora ista relegatas, pœnas antiquorum luere peccatorum? Et corpora credentium non templa Christi esse, sed carceres damnatorum?* Et infrà: *Illud quoque quod asserere nititur, doleamne, an rideam nescio. Doctor egregius Origenes audet docere, Diabolum id rursum futurum esse, quod fuerat; & ad eamdem rediturum dignitatem, & conscensurum regna cælorum.* Et infrà: *Quis autem patienter ferat Origenem lubricis argumentationibus resurrectionem carnis hujus negantem. Sicut declarat manifestissimè in volumine Explanationum primi Psalmi, & in multis aliis locis.* Et aliis Origenis erroribus recensitis, addit: *Inimica & odio digna Origenis verba sunt, & Deo repugnantia, & Sanctis ejus: & non ista sola quæ dixi, sed & alia innumerabilia. Neque enim nunc mihi propositum est adversus omnia Origenis dogmata disputare. Nihil mihi surripuit Origenes, nec in mea generatione fuit; nec propter aliquas res mundi, & hæreditatem, odium adversùm illum, pugnasque suscepi: sed ut simpliciter fatear, doleo, & valde doleo, videns plurimos fratrum, & eorum præcipue qui professionem habent non minimam, & in gradum quoque Sacerdotii maximum pervenerunt, ejus persuasionibus deceptos, & perversissimâ doctrinâ cibos factos esse diaboli.* Et infra sic Joannem Hierosolymitanum speciatim hortatur ut doctrinam Origenis tamquam manifestam hæresim devitet. *Te autem Frater*, inquit, *liberet Deus, & sanctum populum Christi qui tibi creditus est, & omnes fratres, qui tecum sunt, & maxime Rufinum Presbyterum, ab hæresi Origenis, & ab aliis hæresibus & perditione earum. Si enim propter unum verbum, aut duo, quæ contraria fidei sunt, multæ hæreses abjectæ ob Ecclesia: quantò magis hic inter hæreticos habebitur, qui tantas perversitates, & tam mala dogmata contra fidem adinvenit, Deique, & Ecclesiæ hostis extitit?* Denique Epistolam hac admonitione concludit: *Palladium verò Galatam, qui quondam nobis carus fuit, & nunc misericordiâ Dei indiget, cave, quia Origenis hæresim prædicat, & docet: Ne fortè aliquos de populo tibi credito ad perversitatem sui inducat erroris.* Legenda est ejusdem Epistola ad Sanctum Hieronymum, quæ extat 73. inter ipsius Hieronymi Epistolas.

Præterea, in Panario, Hæresi 64. Origenis capitalia dogmata, erroresque recenset, ac refellit, ac de eo hoc scribit Elogium: *Qui cum adversùs superiores omnes hæreses disputasse, ac singulas evertisse visus sit, postea tamen suam & ipse hæresim, & quidem haud vulgarem, in orbem terrarum evomuit.*

VII. Sanctus Hieronymus Epistola 65. ad Pammachium & Oceanum data, Origenistis ipsi exprobrantibus opinionum affectuúmque inconstantiam, quòd olim Origenem summis laudibus extulisset, nunc illum convitiis proscinderet; Respondet se illius errores numquam probasse, quamvis ingenium laudaverit, & impia ejus dogmata compendio recenset. *Et hodie laudarem*, inquit, *nisi vos ejus laudaretis errores: Non mihi displiceret ingenium, nisi quibusdam ejus placeret impietas ... Confitemini & vos in quibusdam errare Origenem, & nu ultrà non faciam. Dicite eum malè sensisse de Filio, pejus de Spiritu Sancto: Animarum de cælo ruinas impiè protulisse; Resurrectionem carnis verbo tantum confiteri, cæterùm assertione destruere: & post multa sæcula, atque unam omnium restitutionem, idipsum fore Gabrielem, quod Diabolum: Paulum, quod Caipham: Virgines, quod prostibulas. Cum hæc rejeceritis, & quasi censoriâ virgulâ separaveritis à fide Ecclesiæ, tuto legam cætera: nec venena jam timebo, cùm antidotum perbibero.*

Et libro primo Apologiæ adversùs Rufinum, cap. 1. sic de procaci illo defensore Origenis loquitur: *Fidem suam quam vocat? Eamne quâ Romana pollet Ecclesia? An illam quæ in Origenis voluminibus continetur? Si Romanam responderit: ergo Catholici sumus, qui nihil de Origenis errore transtulimus. Sin autem Origenis blasphemia fides illius est: dum mihi inconstantiæ crimen impingit, se hæreticum probat.* Et cap. 2. *Libros* περὶ ἀρχῶν *Origenis noxios, & Ecclesiasticæ fidei repugnantes* vocat.

Et libro 2. Apologiæ adversùs Rufinum, cap. 3. sic ipsum alloquitur: *Dic ergo quare Origenis mala in Latinum verteris: ut Auctorem mali proderes, an ut laudares? Si prodis, in Præfatione cur laudas? Si laudas, hæreticus approbaris .... Probo ergo inter multa Origenis mala hæc maximè hæretica, Dei Filium creaturam: Spiritum Sanctum, ministrum: mundos innumerabiles, æternis sibi sæculis succedentes; Angelos versos in animas hominum. Animam Salvatoris fuisse antequam nasceretur ex Maria; & hanc esse, quæ cùm in forma Dei esset, non est rapinam arbitrata æqualem se esse Deo; sed se exinanivit, formam servi accipiens: Resurrectionem nostrorum corporum sic futuram, ut eadem membra non habeant; quia cessantibus membrorum officiis, superflua membra reddantur: ipsaque corpora tenuia & specialiter paulatim evanescere, & in auram tenuem, atque in nihilum dissipari: In restitutione omnium, quando indulgentia principalis venerit, Cherubim, & Seraphim, Thronos, Principatus, Dominationes, Potestates, Virtutes, Archangelos, Angelos, diabolum, dæmones, animas omnium hominum tam Christianorum, quàm Judæorum, & Gentilium, unius conditionis, & mensuræ fore: cùmque ad formam & libram æquitatis pervenerint, & rationabiles creaturas, omni corporum fæce deposita, novus de mundi exilio populi revertentis monstraverit exercitus; tunc rursus ex alio principio fieri mundum alium, & alia corpora, quibus labentes de cælo animæ vestiantur; ut verendum nobis sit, ne, qui nunc viri sumus, postea nascamur in fœminas; & quæ hodie virgo, tunc prostibulum sit. Hæc in Origenis libris ego hæretica doceo: Tu ostende in quo ejus Opere his contraria legeris.* Legenda est ejusdem Sancti Hieronymi Epistola 78. ad Pammachium, & Marcellam data, & Epistola 59. ad Avitum.

VIII. Sanctus Augustinus libro de Hæresibus, cap. 43. ubi Origenianorum errores ex S. Epiphanio retulit, hæc addit: *Sunt & alia hujus Origenis dogmata, quæ Catholica Ecclesia omnino non recepit: in quibus nec ipsum falsò arguit, nec potest ab ejus defensoribus excusari, maximè de purgatione & liberatione; ac rursus post longum tempus ad eadem mala*

*revolutione*

*revolutione rationalis universa creatura. Quis enim Catholicus Christianus, vel doctus, vel indoctus, non vehementer exhorreat eam quam dicit purgationem malorum; id est, etiam eos qui hanc vitam in flagitiis, & facinoribus, & sacrilegiis atque impietatibus quamlibet maximis finierunt; ipsum etiam postremò Diabolum, atque Angelos ejus, quamvis post longissima tempora purgatos, atque liberatos, regno Dei, lucique restitui: & rursus post longissima tempora, omnes qui liberati sunt, ad hæc mala denuo relabi, & reverti: & has vices alternantes beatitudinum & miseriarum rationalis creatura semper fuisse, semper fore? De qua vanissima impietate adversus Philosophos, à quibus didicit Origenes, in libris de Civitate Dei diligentissimè disputavi.*

IX. Vincentius Litinensis io Commonitorio primo adversùs Hæreses, cap. 23. cùm plurima in Origenis laudem, ex genere, ex eruditione, ex Discipulis, ex omnium admiratione præmisisset, hæc de ipsius erroribus subjungit: *Quamobrem hic idem Origenes tantus ac talis, dum gratia Dei insolentius abutitur, dum ingenio suo nimium indulget, sibique satis credit, cùm parvipendit antiquam Christianæ Religionis simplicitatem, dum se plus cunctis sapere præsumit, dum Ecclesiasticas Traditiones, & veterum Magisteria contemnit, quadam Scripturarum capitula novo more interpretatur, meruit ut de se quoque Ecclesia diceretur: Si surrexeris in medio tui Propheta. Et paulo post: Non audies verba Prophetæ illius*, &c.

X. Sanctus Isidorus Hispalensis, libro 7. Originum, capite 5. & Sanctus Joannes Damascenus libro de Hæresibus, Origenianæ etiam doctrinæ damnationi suffragantur, cùm Origenistas, eorum quos recensent errorum Patronos, ab Origene Adamantio ortos esse affirmant.

Deoique Sanctus Bernardus in Sermone de verbis quibusdam Origenis, ubi illum, forsan hyperbolicè locutum esse dixit, hæc habet: *Quamvis evidentissimè illum contra fidem nonnulla scripsisse Sanctorum Patrum tradat auctoritas: atque ideo magna cum circumspectione monet esse legendum.*

Ex his omnibus colligitur Sanctos Patres conspirantibus sententiis Origenianam Doctrinam damnasse, nec ea, qua Theologos decet, erga ipsos affici veneratione, qui ipsum ab omni prorsus errore absolvi posse contendunt. Quasi verò sint illi tot tantisque viris magis oculati, magisque eruditi.

Verùm quamvis apud cordatos Theologos maximi debeant esse momenti Sanctorum Patrum de Origene judicia; majus tamen ipsis pondus accedit ex Ecclesiæ auctoritate, cujus sententiâ comprobata sunt, ut mox ostensuri sumus.

§. II.

*Origenis Doctrinam errores puram asserere vetat Ecclesiæ Judicium.*

QUamquam non nesciam in meri facti controversiis Ecclesiæ auctoritatem non cogere, nec Hæreseos dicam scribere velim eruditis viris qui explosis erroribus quorum labe vulgò aspergitur Origenes, ipsum ab his immunem demonstrare conati sunt: cùm apud me plurimùm valeat illud Angelici Doctoris effatum Articulo ultimo Quodlibeti noni: *In his quæ ad particularia facta pertinent, Ecclesiæ judicium errare potest:* omnino tamen temerarium esse contendo, Auctores universæ Ecclesiæ judicio proscriptos ab errore absolvere. Quis enim ferret nunc Arium, Nestorium, Eutychetem, Calvinum ab iis purgati erroribus quorum damnati sunt ab Ecclesia, quamtumvis illorum errores execraretur infaustus ipsorum defensor? Certè irreligiosissimum esse, & coram Ecclesia Deoque præpotente reum, qui post judicium Ecclesiæ universæ contra personas aliquas aut earum doctrinam latum, ipsas ab errore vindicare præsumit, testis est Sanctus Gregorius Magnus in Epistola ad Joannem Episcopum Constantinopolitanum, quæ est 24. libri primi, in qua postquam se quatuor priora Concilia Oecumenica non secus ac quatuor Evangelii libros venerari professus est, & Quintum quoque Concilium se pariter venerari subjunxit, hæc addit: *Cunctas verò quas præfata veneranda Concilia personas respuunt, respuo: quas venerantur amplector: quia dum universali sunt consensu constituta, se & non illa destruit, quisquis præsumit aut solvere quos ligant, aut religare quos solvunt. Quisquis ergo aliud sapit, anathema sit.* Quo ex principio sequitur, non posse citra temeritatis notam, Origenem ab omni prorsus errore immunem pronuntiari, qui ab Ecclesia uoiversa damnatus est. Porro ut singula Ecclesiæ judicia in Origenem expooamus,

I. Primò damnatum esse animadvertimus in Synodo Alexandrina, à Theophilo, ex totius Ægypti, Lybiæ, & Pentapoleos Provinciis congregata: deinde à Sancto Epiphanio, in Synodo Cypri, ut constat ex utriusque Epistolis supra laudatis. Tertiò ab Anastasio Romano Pontifice: quorum judicia de doctrina Origenis, totius Ecclesiæ consensu rata habita sunt: quæ Principum etiam præsidium ad frangendam Origenistarum protervam imploravit. De his ita scribit Sanctus Hieronymus, libro 1. Apologiæ adversùs Rufinum, cap. 2. *Non valet*, inquit, *apud eos super Origenis damnatione Episcoporum auctoritas, quem putant à Martyre prædicatum. Quid facient Epistolæ Theophili Episcopi? Quid Papæ Anastasii in toto orbe hæreticum persequentes? Cum liber tuus sub nomine Pamphili editus, pugnet contra Epistolas eorum, & Episcopali nomini testimonium Martyris opponatur.* Et infra sic Rufinum alloquitur: *Si quicquid contra Origenem & Sectatores ejus dicitur, in te dictum putas: ergo & Epistolæ Papæ Theophili, & Epiphanii, & aliorum Episcoporum, quas nuper ipsis jubentibus transtuli, te petunt, te lacerant. Imperatorum quoque scripta, quæ de Alexandria, & Ægypto Origenistas pelli jubent, me suggerente dictata sunt. Ut Romanæ urbis Pontifex miro eos odio insectetur, meum consilium fuit: Ut totus orbis post translationem tuam in Origenis odio exarserit, meus operatus est stylus. Si tantum possum, miror cur me non metuas.*

*Id est, à Pamphilo.*

Synodicæ Epistolæ Episcoporum Ægypti, & totius Alexandrini Patriarchatûs adversùs Origenis doctrinam, insigne fragmentum exhibet Tractatus Justiniani Imperatoris ad Mennam directus, cujus hæc sunt verba: *Hic ergo, de quo agitur, Origenes veluti abominationis desolatio in medio veræ Ecclesiæ extitit: ac Presbyter ordinatus à canonica, ab una, à vera manu, dignitatem Presbyteri nudam & solam habuit, quemadmodum & Apostolatus honorem habuit fur ac proditor Judas. Is enim cùm cœpisset blasphemas Homilias habere, Heraclas beatæ memoriæ tum Episcopus, ut studiosus veritatis arator ac vinitor Ecclesiastici agri, eum è medio pulchræ ac lætæ segetis evulsit, quod revera è malo zizaniæ esset.* Et paulò post: *Quare hic è cælo in terram decidens tamquam fulgur, sicut & ejus pater diabolus, multa, atrocisque iracundia contra veritatem spirans, in Palæstinam regionem navigavit; moratusque in Cæsareensium Metropoli, cùm personam, quam sibi induerat, deposuisset, seque aperuisset, veluti piscis qui sepia apud quosdam appellatur, significans quod*

*quod sibi voluptati erat, ac tenebricosum atque atrum vita venenum evomens, illis scriptis expressit, & sicuti caupo Judaicus, boni specie ac simulatione, dulci amarum miscuit. Quid enim iste pravè maliens, atque insaniens dicit? Erat*, inquit, *anima ante corpus, & praexistebat in cœlis, eamque, cùm ibi peccasset, in custodiam immersit Deus, id est, in corpus demisit: ad purgationem*, inquit, *in castigationem admissorum in cœlis criminum. Hinc primùm impiissimus protinus fabulatur, veritatemque oppugnare studet.*

Anastasius verò Romanus Pontifex, in Epistola ad Joannem Hierosolymitanum, de translatione librorum περὶ ἀρχῶν Origenis à Rufino adornata, deque ipso Rufino loquens, hæc habet. *Hac igitur mente concepi, quòd qui Urbis nostra populis de translata Origenis lectione patefacit, quamdam puris mentibus velut nebulam excitans injectam, fidem Apostolorum, majorum Traditione firmatam, velut de viis anfractibus illum voluisse dissolvere. Discere hoc loca libet: quid agat in Romanam linguam ista translatio. Approbo, si accusat Auctorem, & execrandum factum populis prodit, ut justis tandem odiis teneatur, quem jamdudum fama constrinxerat. Si verò Interpres tantorum malorum erroribus consensum præstat, & legenda impia dogmata prodit in populos; nihil aliud sui operâ laboris extruxit, nisi ut propria velut mentis arbitrio, hanc quæ sola, & quæ prima apud Catholicos Christianos vera fides jam ab Apostolis exinde usque ad tempus præsens tenetur, inopinata titulo assertionis everteret. Absit hæc ab Ecclesia Romana nequaquam Catholica Disciplina. Nunquam profectò eveniet ut aliqua hoc admittamus ratione, quod jure meritòque damnamus. Quapropter in toto orbe Christi Dei nostri diffusa providentia probare dignabitur, accipere nos omninò non posse, quæ Ecclesiam maculent, probatos mores evertant, aures circumstantium vulnerent, jurgia, iras, dissensionesque disponant. Quare nosce qualem Epistolam ad Fratrem & Coëpiscopum nostrum Venerium diligentiori cura perscriptam parvitas nostra transmiserit, sibique hanc conscientiam fecerim, quòd non superflua laborem formidine, neque vano timore sollicitor: mihi certè cura non deerit Evangelii fidem circa meos custodire populos, partesque populi mei per quæque spatia diversa terrarum diffusas, quantùm possim literis convenire: ne qua profana interpretationis origo subrepat, quæ devotas mentes immissa sibi caligine labefactare conetur. Illud quoque quod evenisse gaudeo, tacere non potui, beatissimorum* Honorii & Arcadii. *Principum manasse responsa, quibus unusquisque Deo serviens, ab Origenis lectione revocetur: damnandumque sententiâ Principum, quem lectio rerum profana prodiderit.*

II. Justinianus in Epistola, seu Tractatu ad Mennam, misso adversus Origenis errores ante Quintam Synodum, quæ Epistola pro Ecclesiæ judicio habenda est, quia Pelagio Romanæ Ecclesiæ Diacono, & Apocrisario instante dictata fuit, & postmodùm à Vigilio Pontifice approbata, novem anathemata in Origenis doctrinam habet; ac tandem impingit *Anathema Origeni, qui & Adamantius, qui hæc exposuit, unà cum nefaria, atque execrabili, scelestaque ejus doctrina, & cuivis qui ea sentiat, aut defendat, aut ullomodo prorsus quocumque tempore tueri præsumat.* Nec solus Pontifex Romanus, sed & cæteri Patriarchæ, Justiniani Edictum comprobando, ipsique sobscribendo, suum fecerunt. Rem gestam sic narrat Liberatus Archidiaconus Carthaginensis in Breviario, cap. 23. *Sed redeunte Pelagio Constantinopolim, Monachi quidam ab Hierosolymis, per quos Pelagius in Gazam transitum habuit, venerunt ad eum in comitatu, portantes Capitula de libris Origenis excerpta, volentes agere apud Imperatorem ut Origenes damnaretur, ipsaque Capitula talia docentia. Annuit Imperator facillimè, gaudens se de talibus causis judicium ferre. Jubente eo dictata est in Origenem & illa Capitula anathematis damnatio; quam subscribentes una cum Menna Archiepiscopo apud Constantinopolim reperti, deinde directa est Vigilio Romano Episcopo, Zoilo Alexandrino, Euphemio, Antiocheno, & Petro Hierosolymitano. Quibus eam accipientibus, Origenes damnatus est mortuus, qui vivens olim fuerat ante damnatus.*

Non solus verò Liberatus Vigilii auctoritatem in damnando tunc Origene intercessisse probat, sed etiam Cassiodorus, Divinarum Institutionum libro 1. cap. 1. *Hunc*, inquit, nimirum Origenem, *licèt tot Patrum impugnet auctoritas, præsenti tamen tempore & à Vigilio beatissimo Papa denuo constat esse damnatum.*

III. Quinta Synodus Oecumenica anno 553. congregata, Vigilio Pontifice Maximo, acceptis Justiniani Imperatoris literis, quibus Origenis damnationem urgebat; quibus adjunctum erat ejusdem Imperatoris Edictum mox laudatum, quod olim ad Vigilium miserat, cuique subscriptum erat anathema Origeni impactum ab ipso Vigilio, Origenis doctrinam, ejusque Sectatores causâ cognitâ anathemate confixit. Testis est hujus rei Evagrius, lib. 4. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 37. ita scribens rerum in Quinta Synodo gestarum ordinem, damnatione trium Capitulorum peracta: *Postquam autem libelli ab Eulogio, Conone, Cyriaco, & Pancratio Monachis contra dogmata Origenis Adamantii, & eos qui ejus impietatem, & errorem sequebantur, oblati essent, percuntatur Justinianus à Concilio congregato, quid de his statueret? Adjungit etiam libelli unius exemplar, quin etiam literas Vigilii de eisdem rebus perscriptas. Ex quibus animadverti patest, quemadmodum elaboratum fuerit ab Origene, ut simplicem Apostolicorum dogmatum doctrinam Gentilium & Manichaeorum zizaniis infarciret. Itaque ubi contra Origenem, & eos qui in eodem cum illo errore versati sunt, clamores editi fuere, relatio missa est ad Justinianum, cujus pars aliqua his verbis continebatur... Qui animum nobilitatis antiquæ participem tenes, Imperator Christianissime.* Et paulò infrà: *Fugimus igitur, fugimus istam doctrinam. Nam voces eorum qui sunt ab Ecclesia alieni, non agnoscimus: imò verò, si quis talis, sit, eum ut furem, & latronem vinculis anathematis firmè constrictum, extra Ecclesiæ mœnia ejicimus. Ac post adjungunt ista: Actorum nostrorum vim ex eorum lectione facilè intelliges. His adjunxere capita quæ Patroni dogmatum Origenis didicerant: quæ non eorum solùm consensum, verùmetiam dissensionem, atque adeò multiplicem errorem perspicuè declararunt. Quorum quintum caput fuit blasphemiarum, quæ ex persona nonnullorum Monachorum novum Monasterium incolentium proferebantur, quod ita se habet: Theodorus qui Alcidas dicitur, Episcopus Cæsareæ dixit: Si jam Apostoli & Martyres, qui miracula edunt, in tanto honore sint, quæ tandem erit illis restitutio in ultima carnis restitutione, nisi pares, & æquales Christo efficiantur? Recensebantur porrò ab illis qui has res studiosè admodum collegerunt, complures Dydimi, Evagrii, Theodori, alia blasphemia.*

Præterea damnatum esse Origenem in Quinta Synodo testantur Auctor Chronici Alexandrini, Georgius Syncellus, Thophanes, Photius in libello de Synodis, Nilus Rhodius, & Anonymi duo qui de Synodis etiam scripserunt: quoque in Canonici Juris antiqui Bibliothecam contulit Henricus Justellus, Zonaras, Glycas, Cedrenus, qui & Justiniani Epistolam ad Synodum repræsentat,

in qua flagitat à Patribus ut Origenem, Origenisque Gregales damnent; Nicephorus, qui & Anathematismos in Origenem à Synodo vibratos recenset lib. 17. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 28. Cyrillus Monachus Justiniano coævus, in Vita Euthymii, cap. 105. & in Vita Sabæ, cap. ultimo.

Idem testatur Septima Synodus Actione 1. *Sancta*, inquit, *venerabilis Quinta Synodi, quæ Constantinopolim congregata est, communi & universali submissi sunt anathemati Origenes, & Theodorus Mopsuestia, & ea quæ ab Evagrio, & Dydimo dicta sunt, de eo videlicet quod ante substantiam fuisse perbibebant, & quod de restitutione in statum pristinum fatebantur, consentientibus, & præsentibus quatuor Patriarchis.* Idem testatur Actione 3. & Actiona 7. In Professione Fidei, anathemate confossis aliis Hæreticis, hæc addit: *Cum quibus & Origenis & Evagrii, & Dydimi fabulas anathematizamus; sicuti & Constantinopoli congregatum Quintum Concilium egisse dignoscitur.*

Idem constat ex Sophronio Patriarcha Hierosolymitano, qui annis octoginta post Quintam Synodum, in Epistola Synodica ad Sergium Patriarcham Constantinopolitanum, relata in Sexta Synodo, Act. 11. profitebatur se amplecti cum cæteris quatuor Synodis Quintam Synodum Oecumenicam, *Quæ confirmat Synodum Calchedonensem, tollit verò & funditus abolet principaliter quidem infanum Origenem, & ejus deliramenta, & unà cum eo Dydimi, & Evagrii impia dogmata.*

IV. Sexta Synodus Actione 18. profitetur se in omnibus consonare sanctæ Quintæ Synodo, *Quæ congregata est adversus Theodorum Mopsuestenum, Origenem, Dydimum & Evagrium.*

V. Leo Secundus Pontifex Maximus in Epistola ad Constantinum Pogonatum Imperatorem data, quæ Synodi Sextæ appendix quædam est, Origenem cum aliis hæreticis anathemate percutit, quod anathema in ejus cadit doctrinam: *Anathematizamus præterea*, inquit, *atque execramur omnes hæreses, omnesque earum Auctores, atque Fautores qui adversus Apostolicam, & Orthodoxam fidem diabolicis decepti fallaciis, falsitatis errores in Ecclesiam conati sunt introducere; id est, Arium, Sabellium, Macedonium, Appollinarem, Eunomium, Nestorium, Eutychem, Dioscorum, Timotheum, Severum, Themistium, Origenem, qui & Adamantius, Didymum, & Evagrium... Quæ sancta Catholica & Apostolica Ecclesia de Catalogo fidelium Patrum, utpote Zizania de area Dominica Ecclesiæ, gehenna supplicio abdicanda, per ventilabrum divinæ discretionis abjecit.*

Negat Halloxius Origenis acertimus vindex, in libro cui titulus est, *Origenes defensus*, de ejus damnatione actum in Quinta Synodo, sed non video qui id ab homine erudito negari possit, reclamantibus tot locupletissimis testibus.

Opponit ille nullam in Actis Quintæ Synodi extate Origenis damnationem, & Victorem Tunonensem, Facundumque Hermianensem coævos Scriptores illius non meminisse. Sed futilis est ista objectio. Nam Victoris & Facundi silentium positivis testimoniis mox adductis prævalere non debet: & suppressa in Actis Quintæ Synodi Origenis damnatio, illa truncata fuisse, & mutilata evidenter arguit: sive id Origenistarum fraude factum sit, nempe Theodoti Cæsareensis, qui ad ulciscendam Origenis famam Auctor fuerat Justiniano ut tria Capitula damnaret: sive nimia festinatione eorum qui Latinam interpretationem Actorum ad usum Vigilii, & Occidentalium, curarunt. Cùm enim illi totam inter Orientales Occidentalesque controversiam in trium Capitulorum negotio versari animadverterent, non verò in Origenis damnatione, quæ jam ab utraque Ecclesia conspirantibus decretis, facta fuerat, Synodi Acta exscribere festinatione maxima voluerunt, quoad ea quæ trium Capitulorum spectabant damnationem, ut ea ad Vigilium citò transmitterentur, qui de hac controversia apud se consuleret.

Sanè Concilii Quinti Acta vitiata fuisse asserit Sexta Synodus Actione 14. & 19. Mutila fuisse jam ab antiquo Latina illorum exemplaria in Occidentem delata, nec aliud continuisse quàm trium Capitulorum damnationem, colligitur ex Epistolis Pelagii Primi & Secundi, & Sancti Gregorii Magni Romanorum Pontificum, qui hujus tantùm damnationis meminerunt, ubi referunt Decreta Quintæ Synodi. Si enim in Actis illis contentæ fuissent tunc temporis literæ Justiniani ad Synodum cum adjuncto libello Monachorum, & ejusdem Principis Edicto ad Vigilium pro damnando Origene, ejusque Sectariis; necnon disceptatio Synodi ea de re habita, & relatio missa ad Principem, laudati Pontifices de anathemate in Origenem ejusque Sectatores vibrato minimè tacuissent, cùm id ad Quintæ Synodi, quæ à Schismaticis pertinaciter explodebatur, commendationem plurimùm conduceret.

Quamquam verò non recenseatur in Actis Quintæ Synodi plena de Origene habita cognitio, vestigia tamen illius supersunt illustria Collatione quinta, ubi hæc verba leguntur: *Et multos quidem etiam alios invenimus post mortem anathematizatos: necnon etiam Origenem; & si ad tempora Theophili sanctæ memoriæ, vel superiùs aliquis recurrerit, post mortem inveniet anathematizatum. Quod etiam nunc in ipso fecit & vestra Sanctitas, & Vigilius Religiosissimus Papa antiquioris Romæ.*

Et Collatione 8. in Anathematismo undecimo: *Si quis non anathematizat Arium, Eunomium, Macedonium, Apollinarium, Nestorium, Eutychem, Origenem, cum impiis eorum conscriptis .... Talis anathema sit.* Ex his omnibus colligitur, Ecclesiæ de Origene, ejusque doctrina judicia prohibere no ab omni protsus errore immunis asseratur. Horum autem judiciorum æquitas constat ex Origenianorum librorum lectione, & examine, qui hæretica dogmata continent.

## §. III.

### *Ex Scriptis Origenis probatur ipsius doctrinam nullatenus erroris puram & immunem asseri posse.*

I. NAturas rationales, quæ à Deo primùm procreatæ sunt, priusquam boni aliquid, vel mali in se concepissent, mentes fuisse, & deinde scelere admisso animas evasisse, tradit libro 2. περὶ ἀρχῶν cap. 8. *Ex quibus omnibus*, inquit, *illud videtur ostendi, quòd mens de statu suo, ac dignitate declinans, effecta vel nuncupata est Anima: quæ si reparata fuerit, & correcta, in hoc redit ut sit mens. Quod si ita est, decessus ipse mentis ac devolutio videtur mihi quod non æqualis omnium sentiendus sit, sed vel plus, vel minùs in animam verti; & aliquas quidem mentes servare aliquid etiam prioris vigoris; aliquas vero aut nihil, aut exiguum aliquid: unde inveniuntur quidam statim ab ineunte ætate ardentioris acuminis, alii vero tardioris, nonnulli autem obtusissimi, & penitus indociles nasci.*

Et libro 3. cap. 1. Postquam unumquemque dixit, prout sese gessit, à Deo vas effici vel ad honorem, vel ad contumeliam, statim addit: *Quod si justa hæc videtur assertio, sicut est certè justa, & cum omni pietate concordans, uti ex præcedentibus causis unumquodque*

*quodque vas ad honorem à Deo, vel ad contumeliam præparetur: non videtur absurdum eodem ordine, atque eadem consequentia discutientes nos antiquiores caussas, eadem etiam de animarum satione sentire, & hoc esse in causa quòd Jacob dilectus est, etiam dum adhuc in ventre matris haberetur.* Et sic concludit: *Ex quo opinamur quoniam quidem (sicut frequenter diximus) immortalis est anima, & æterna, quòd in multis, & sine fine spatiis per immensa & diversa sæcula possibile est ut à summo bono ad infima mala descendat, & ab ultimis ad summa bona reparetur.*

Et libro 2. περὶ ἀρχῶν notato ad finem Epistolæ Justiniani ad Mennam: *Ex eo quod decidit, & refrixit spiritali vita, facta est quæ nunc anima, quæ reditum quoque in id quod ab initio fuit, admittit; Quod à Propheta significari arbitror, dum ait: Revertere anima mea in requiem tuam, ut totum hoc sit mens. Mens igitur facta est anima: anima verò rectis factis integrata fit mens.*

II. Diaboli voluntatem à Deo aversam, aliquando fore ad Deum convertendam; adeoque salutis æternæ expertem illum non fore, Origenes asserit, libro 3. περὶ ἀρχῶν cap. 6. *Propterea, etiam*, inquit, *novissimus inimicus, id est, diabolus, qui mors appellatur, destrui dicitur, ut neque ultra triste sit aliquid, ubi mors non est, neque adversum sit, ubi non est inimicus. Destrui sanè novissimus inimicus ita intelligendus est, non ut substantia ejus, quæ à Deo facta est, pereat, sed ut propositum, & voluntas inimica, quæ non à Deo, sed ab ipso processit, intereat.* Et ibidem: *Jam verò si aliqui ex his ordinibus qui sub principatu diaboli agunt, ac malitiæ ejus obtemperant, poterunt aliquando in futuris sæculis converti ad bonitatem, pro eo quod est in ipsis liberi facultas arbitrii. An verò permanens & inveterata malitia velut in naturam quamdam ex consuetudine convertitur, etiam tu qui legis, probato, si omnimodè neque in his quæ videntur temporalibus sæculis, neque in his quæ non videntur & æterna sunt, penitus pars ista ab illa etiam finali unitate, atque convenientia discrepabit.*

Alternas præterea in altera vita beatitudinis & miseriæ vices in animabus, in Angelis, in dæmonibus agnovisse Origenem, probant loca à Sancto Hieronymo recensita, in Epistola 59. ad Avitum cap. 1. ista namque refert ex lib. 1. περὶ ἀρχῶν: *In fine, atque consummatione mundi.... Cùm omnes animæ liberum habeant arbitrium; & sponte sua vel virtutes possint capere, vel vitia, illa multo pejori in conditione erunt, quàm nunc sunt; hæ ad meliorem statum pervenient: quia diversi motus, & variæ voluntates in utramque partem accipient statum. id est, ut Angeli, homines vel dæmones, & rursum ex his homines, vel Angeli fiant.*

Et libro 3. περὶ ἀρχῶν, cap. 5. Damnatos omnes in fine mundi à Christo reparandos, & Patri subjiciendos asserit: atque hunc in sensum trahit Scripturam Sacram dicentem, Christum fore subditum Patri, cùm sibi subjecerit omnia. *Si ergo*, inquit, *bona & salutaris accipitur ista subjectio, quâ subjectus esse dicitur Filius Patri, valde consequens, & cohærens est, ut inimicorum quæ dicitur Filio Dei esse subjectio, salutaris quædam intelligatur & utilis: ut sicut cùm dicitur Filius Patri subjectus, perfecta universæ creaturæ restitutio declaratur; ita cum Filio Dei inimici dicuntur esse subjecti, subjectorum salus in eo intelligatur, & reparatio perditorum.*

III. Homines absque carne, sed cum materia duntaxat puriore & subtiliore resurrecturos Origenes asserit, lib. 2. περὶ ἀρχῶν, cap. 3. *Mira ergo ratione*, inquit, *Sanctus Apostolus ad generalem primam caussam respiciens materiæ corporalis, cujus materiæ animæ usum semper habent in qualibet qualitate posita, nunc quidem carnali, postmodum verò subtiliori & puriori, quæ spiritalis appellatur; Necesse est, ait, corruptibile hoc induere incorruptionem, &c.*

Præterea Sanctus Hieronymus Epistola ad Avitum ex Origene testimonia profert, eum errorem repræsentantia. Ex libro scilicet 2. περὶ ἀρχῶν hunc locum adducit: *Cumque in tantum profecerimus, ut nequaquam carnes, & corpora, forsitan ne animæ quidem fuerimus, sed mens & sensus ad perfectum veniens, nulloque perturbationum nubilo caligans, intuebitur rationabiles, intelligibilesque substantias facie ad faciem*, &c.

Ex his constat, gravissimis erroribus doctrinam Origenis scatere. In cæteros non inquirimus. Hæc enim satis probant Origenem ab omni errore absolvi non posse, obesseque ipsius libros, ne omnis erroris purus asseratur.

§. IV.

*Diluuntur argumenta in gratiam Origenis ab ipsius Defensoribus adducta.*

I. Origenis vindices his momentis ipsius caussam tuentur. Primò nefas esse aiunt illi notam erroris inurere, quem Patres immensis laudibus extulerunt: atqui Patres immensis laudibus extulerunt Origenem: igitur non debet damnari erroris.

Probatur minor. Sanctus Gregorius Neocæsareensis, dictus Taumaturgus, ipsi Panegyricum dixit. Sanctus Athanasius eum *Fidei suæ testem locupletissimum* appellavit. Sanctus Hieronymus frequenter ejus sententiam secutus est in Sacrarum explanatione Scripturarum: frequenter ejus ingenium, & doctrinam prædicavit. Ut enim alia sileam loca, Præfatione in Quæstiones Hebraicas hæc habet: *De Adamantio autem sileo, cujus nomen, si parva licet componere magnis, meo nomine invidiosius est.* Et inferiùs: *Vellem cum invidia nominis ejus, habere etiam scientiam Scripturarum.* Et Epistola 65. *Origenes cùm in cæteris libris omnes vicerit, in Cantico Canticorum ipse se vicit.* Porro quâ ratione cæteros Scriptores sacros vicisse dici potest, si tot errores propugnaverit, tamque nefarios? Didymus præterea eum vocat *Secundum, post Apostolos, Ecclesiarum Magistrum.*

II. Secundò. Facilè potest ab errore excusari Origenes, ut fœliciter ipsum purgarunt Pamphilus Martyr, & Eusebius: ille in quinque libris Apologeticis pro Origene, ejusque doctrina conscriptis; hic in sexto quem lucubrationi Martyris adjunxit. Alii quoque magni nominis viri complures Eusebii temporibus Apologias pro Origene scripserunt, ut testatur Photius Cod. 118. Anonymi præterea celeberrimam pro Origene Apologiam se legisse idem refert Cod. 117. Methodius etiam Tyriorum Episcopus, cùm Origenis dogmata acerbiùs castigasset libris adversùs ea conscriptis, palinodiam cecinit, & se Origenis admiratorem professus est in Dialogo quem Xenonem inscripsit, ut Auctor est Socrates, libro 6. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 12.

Denique Sancti Gregorius Nazianzenus, & Basilius Magnus in Philocaliam multa contulerunt etiam ab Origenis criminatoribus reprehensa: quæ suo proinde suffragio & approbatione munivisse videntur. De his namque Sanctus Basilius ad Theodorum Tyaneum Episcopum ita scribit: *Electorum Origenis libellum ad te misimus, quia studiosis videntur utilia, ea recipere ne graveris.*

III. Tertiò, Verisimillimum est corrupta fuisse

ab Hæreticis Origenis opera, & errores, qui ipsi adscribuntur, fuisse ejus libris insertos; maximè cùm ipse adhuc vivens de Operum suorum interpolatione conqueratur, & de vi Scriptis suis illata, deque calumniis in doctrinam suam sparsis (ut constat ex Epistola ipsius ad Amicos Alexandrinos, quam descripsit, vertitque Rufinus.) In ea Epistola hæc scribit: *Ergo cùm propter Dei timorem caveamus in quempiam maledicta conferre, recordantes illius dicti: Non fuit ausus judicium inferre blasphemiæ, quod dicitur de Michaele contra diabolum.... Quidam eorum qui libenter contentiones reperiunt, adscribunt nobis & nostræ doctrinæ blasphemiam; super qua ipsi viderint quomodo illud audiant: Neque ebriosi, neque maledici, regnum Dei possidebunt: licet patrem malitiæ & perditionis eorum, qui de regno Dei ejicientur, dicant posse salvari: quod ne mente quidem quis captus dicere potest.*

Certè errorem de futura diaboli salute perperam esse Origeni affictum; constat ex illius Dialogo cum Candido Valentinianæ hæreseos defensore, de quo Sanctus Hieronymus hæc habet libro 2. Apologiæ adversus Ruffinum cap. 5. *Asseris Candidus diabolum pessimæ esse naturæ, & quæ salvari nunquam possit. Contra hoc rectè Origenes respondit, Non eum perituræ esse substantiæ, sed voluntate propria corruisse, & posse salvari. Hoc Candidus vertit in calumniam, quasi Origenes dixerit, Diaboli naturam esse salvandam: quod ille falsò objecerat, hic refutat.*

Non minùs falsò ipsi affictus est error de resurrectione hominum in ejusdem substantia carnis negata, siquidem, lib. 3. περὶ ἀρχῶν cap. 6. contrarium disertè asserit: *Denique*, inquit, *caro nostra ab imperitis, & infidelibus ita post mortem deperire existimatur, ut nihil prorsus reliquum substantiæ suæ habere credatur. Nos verò qui resurrectionem ejus credimus, immutationem ejus tantummodò post mortem factam intelligimus: substantiam verò ejus certum est permanere & voluntate Creatoris sui, certoque tempore rursus reparari ad vitam, atque iterum permutationem ejus fieri, ut quæ primò fuit caro ex terra terrena, tum deinde dissoluta post mortem, & iterum facta cinis, ac terra: Quoniam terra es*, inquit, *& in terram ibis, rursum resuscitetur è terra: & post hoc jam velut meritum inhabitantis animæ poposcerit, in gloriam corporis proficiet spiritalis.* Non minùs perspicua sunt, quæ ex illius Commentario in Psalmum 15. profert Pamphilus in Apologia. Sunt autem hujusmodi: *Offendatur qui vult ex nostro sermone: Ego autem cum omni fiducia assevero, quia sicut primogenitus ex mortuis est Christus, ita primus carnem evexit ad cælum.* Et paulò post: *Hac propter illud quod dictum est: Quoniam caro mea requiescet in spe. In qua spe? Non solum quia ex mortuis resurgit; parum enim hoc est: sed in spe requiescit, quòd assumpta est in cælum.* Hoccine est carnis resurrectionem negare, quod ipsi affigunt ejus impugnatores? Est itaque verisimillimum ea loca quibus videtur negare carnis resurrectionem, fuisse in ejus Opera intrusa ab Hæreticis. Favet huic sententiæ Vincentius Lirinensis in Commonitorio 1. adversùs Hæreses, cap. 23. ita scribens: *Sed dicet aliquis corruptos esse Origenis libros: non resisto, quin potiùs & malo: nam id à quibusdam & traditum, & scriptum est, non Catholicis tantùm, verùm etiam Hæreticis.*

IV. Ecclesia librorum Origenis lectionem probat: & ex ejus Operibus lectiones nonnullas Romano Breviario Pontifices inseruêrunt. Quod argumento est doctrinam Origenis Ecclesiæ suffragio probari. Certè inauditum est ut ex libris hæretici hominis & damnati Ecclesia lectiones mutuetur.

A Respondeo ad primum: Distinguo majorem: Nefas est illi notam erroris inurere, quem Patres laudibus extulerunt; si in omnibus ipsum laudaverint, concedo; si in aliquibus dumtaxat, nego. Non licet igitur damnare Origenem ac proscindere conviciis in iis quæ ingenium, quæ eruditionem, quæ scientiam Scripturarum, quæ vitæ ad omnium virtutum normam compositæ integritatem spectant; quia his de rebus à Patribus laudatus est: sed licet, imò necesse est illum erroris multiplicis damnare, quia Patrum suffragio, Ecclesiæ judicio damnatus est.

B Ad probationem respondeo, S. Gregorium Neocæsareensem in sui erga Origenem Præceptorem suum amoris, venerationis, & grati animi monumentum, Panegyricum ipsi adhuc viventi dixisse, sed ejus errores nusquam probasse; nec ab errorum suspicione ipsum purgasse. Quidni enim laudasset Origenem, qui tot Doctores, tot Martyres instituerat? Qui tot hæreticos debellabat? Qui tot lucubrationibus & Commentariis in Scripturam luculentissimis Ecclesiam promerebatur, cujus libri περὶ ἀρχῶν vel nondum vulgati erant, vel nondum expensi & discussi?

C Ad auctoritatem Sancti Athanasii respondeo: Esto ex ea colligi possit Origenem de Filii Divinitate rectè sensisse; quod an ita sit, Articulo sequenti inquiremus: non inde sequitur nullibi errasse Origenem: maximè cùm ejus Adoratores Dydimus, Eusebius, & Rufinus, errores plerosque ob quos illum criminati sunt Sancti Patres, non negaverint Origenianos esse; sed illum præcipuè ab errore circa Mysterium Sanctissimæ Trinitatis absolvere sint conati.

Respondeo ad Sancti Hieronymi laudes in Origenem profusas, ipsum laudasse ingenium, eruditionem, scientiam Scripturarum Origenis, non errores, quos fuit semper execratus. Id profitetur Sanctus ipse Hieronymus libro 3. Apologiæ adversùs Rufinum, quem ita alloquitur capite septimo. *Audi ergo, vir sapientissime, & Romanæ Dialecticæ caput, non esse vitii hominem unum laudare in aliis, & in aliis accusare, sed eamdem rem & probare, & improbare. Ponam exemplum, ut quod non intelligis, prudens mecum Lector intelligat. In Tertulliano laudamus ingenium, sed damnamus hæresim. In Origene miramur scientiam Scripturarum, & tamen dogmatum non recipimus falsitatem. In Didymo verò memoriam prædicamus, & super Trinitate Fidei puritatem: sed in cæteris quæ Origeni malè credidit, nos ab eo retrahimus. Magistrorum enim non vitia imitanda sunt, sed virtutes. Grammaticum quidam Afrum habuit Roma virum eruditissimum: & in eo se æmulum Præceptoris putavit, si stridorem linguæ ejus, & vitia tantùm oris exprimeret.*

Et Epistola 65. ad Pammachium, & Oceanum data. *Objiciunt mihi*, inquit, *quare Origenem aliquando laudaverim. Ni fallor, duo loca sunt, in quibus eum laudavi, Præfatiuncula ad Damasum in Homilias Cantici Canticorum, & Prologus in librum Hebraicorum nominum. Quid ibi de dogmatibus Ecclesiæ dicitur? Quid de Patre, & Filio, & Spiritu Sancto? Quid de carnis resurrectione? Quid de animæ statu atque substantia? Simplex interpretatio atque doctrina simplici voce laudata est. Nihil ibi de fide, nihil de dogmatibus comprehensum est. Moralis tantùm tractatur locus, & allegoria nubilum serena expositione discutitur. Laudavi Interpretem, non Dogmatisten; ingenium, non fidem. Philosophum, non Apostolum. Quòd si volunt super Origene meum scire judicium: legant in Ecclesiasten Commentarios: replicent in Epistolam ad Ephesios tria volumina: & intelligent me semper ejus dogmatibus contraisse.*

Et infra: *Vult aliquis laudare Origenem? Laudet*

*det ac laudo. Magnus vir ab infantia, & verè Martyris filius: Alexandriæ Ecclesiasticam Scholam tenuit, succedens eruditissimo viro Clementi Presbytero: Voluptates in tantum fugit, ut zelo Dei, sed tamen non secundum scientiam, ferro truncaret genitalia. Calcavit avaritiam. Scripturas memoriter tenuit: & in studio explanationis earum diebus desudavit, & noctibus. Mille & eo amplius Tractatus in Ecclesia locutus est: edidit innumerabiles præterea Commentarios, quos ipse appellat τόμους & quos nunc prætereo, ne videar Operum ejus indicem texere. Quis nostrûm potest tanta legere, quanta ille conscripsit? Quis ardentem in Scripturis animum non miretur? Quod si quis Judas Zelotes opposuerit nobis errores ejus, audiat liberè: Interdum magnus dormitat Homerus; Verùm operi longo fas est obrepere somnum. Non imitemur ejus vitia, cujus virtutes non possumus sequi. Erraverunt in fide alii tam Græci, quam Latini: quorum non necesse est proferre nomina, ne videamur eum non sui merito, sed aliorum errore defendere. Hoc non est,* inquies, *excusare Origenem, sed accusare cæteros. Pulchrè, si eum errasse non dicerem: si in fidei pravitate saltem Apostolum Paulum, vel Angelum de cœlo audiendum crederem. Nunc verò cùm simpliciter errorem ejus fatear, sic legam ut cæteros, quia sic erravit ut cæteri.* .. Denique Didymo nulla adhibenda est fides, utpote qui Sectator Origenis fuerit & cum eo ab Ecclesia damnatus.

Pamphilus Martyr Apologiam pro Origene non scripsit.

Respondeo ad secundum, nego antecedens. Ad ejus probationem, nego quòd Pamphilus Martyr Apologiam pro Origene ediderit. Licet enim Photius in Bibliotheca, Cod. 118. asserat Pamphilum Martyrem, cùm detineretur in carcere, quinque libros Apologeticos, præsente Eusebio, elaborasse, sextum autem post ejus Martyrium fuisse absolutum ab Eusebio: reclamat tamen Sanctus Hieronymus temporibus Origenianis vicinior, & retractat quod in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum dixerat de Pamphilo: *Scripsit, antequam Eusebius scriberet, Apologeticum pro Origene.* Denique sex libros Apologeticos, de quibus agimus, abjudicat Pamphilo, vindicat Eusebio, & Pamphilo Martyri fuisse suppositos asserit Rufini fraude. Idque confirmat locupletissimo testimonio Eusebii, affirmantis Pamphilum nullum Opus proprium edidisse, præter breves Epistolas ad Amicos: & ex Inscriptione librorum, quos in Bibliotheca Cæsareensi legerat Eusebii nomen præferentes. En verba Sancti Hieronymi, libro 2. Apologiæ adversùs Rufinum, cap. 6. sic eum compellantis: *Nunc tantùm tuis assertionibus obviasse sufficiat, & hoc breviter prudentem instruxisse Lectorem, me istum librum, qui sub nomine Pamphili ferebatur, vidisse primum scriptum in codice tuo; & quia non erat mihi cura quid pro hæretico diceretur, sic semper habuisse, quasi diversum esset Opus Pamphili & Eusebii. postea vero, quæstione mota, scriptis eorum respondere voluisse, & ob hanc causam legisse quid pro Origene unusquisque sentiret; perspicuéque deprehendisse; quòd primus Liber sex Voluminum Eusebii ipse esset, qui unus sub nomine Pamphili à te editus est, tam Græcè quàm Latinè, immutatis dumtaxat sensibus de Filio, & Spiritu Sancto, qui apertam blasphemiam præferebant. Unde etiam ante annos fermè decem, cùm Dexter amicus meus, qui Præfecturam administravit Prætorii, me rogasset ut Authorum nostræ Religionis ei indicem texerem; inter cæteros Tractatores posui & hunc librum à Pamphilo editum, ita putans esse, ut à te, & à tuis Discipulis fuerat divulgatam. Sed cùm ipse dicat Eusebius, Pamphilum nihil scripsisse, exceptis brevibus Epistolis ad Amicos; & primus Liber sex Voluminum illius eadem, & iisdem verbis contineat, quæ sub nomine Pamphili à te ficta sunt: perspicuum est, te idcirco librum hunc disseminare voluisse, ut sub persona Martyris hæresim introduceres. Cumque de ipso libro, quem Pamphili simulas, multa perverteris: & aliter in Græco, aliter in Latino sit: fraudem tuam errori meo imputare non debes: Credidi enim esse librum, quem titulus præferebat.*

Et lib. 3. cap. 4. *De tuo Codice,* inquit, *quasi Pamphili exemplar accepimus. Credidi Christiano, credidi Monacho: non putavi tantum sceleris à te posse confingi. Postea vero per interpretationem tuam quæstione contra Origenem toto orbe commota, in quærendis exemplaribus diligentior fui: & in Cæsareensi Bibliotheca, Eusebii sex Volumina reperi ἀπολογίας ὑπὲρ Ὠριγένους. Quæ cùm legissem, primum eum librum deprehendi, quem tu solus sub nomine Martyris edidisti, de Filio, & de Spiritu Sancto, in bonam partem plerisque blasphemiis commutatis; & hoc vel Didymum, vel te, vel alium fecisse nescio quem, quod ea apertissimè in libris περὶ ἀρχῶν fecisse convinceris: maximè cùm idem Eusebius, ut jam duobus libris docui, scribat Pamphilum nihil proprii Operis edidisse.* Et infra: *Ergo Frater, sive à te falsatus est liber, ut multi putant, sive ab altero, ut forsitan tu persuadere conaberis, & temerè credidisti hæretici hominis syntagma, esse Martyris; muta titulum, & Romanam simplicitatem tanto periculo libera. Non tibi expedit ut per te clarissimus Martyr hæreticus judicetur: ut qui effudit pro Christo sanguinem, contrarius fidei Christi approbetur. Dic potiùs; Inveni librum, putavi illum Martyris: Ne timeas pœnitentiam. Jam te non urgebo, non quæram à quo acceperis: vel mortuorum aliquem nominato: vel in platea ab ignoto homine te emisse dicito. Non enim damnationem tuam quærimus, sed conversionem. Melius est enim ut tu erraveris, quàm ut Martyr hæreticus fuerit.*

Respondet secundò Sanctus Hieronymus, Verisimilius esse priores Apologiæ pro Origene libros, nec ipsius esse Pamphili, sed alicujus ex Origenis Sectatoribus. Id ut suspicetur, hâc movetur conjecturâ: Summa fuit Pamphilum inter & Eusebium animorum consensio: igitur in Origenis defensione varias in partes non abiissent. At Eusebius in toto Opere suo Origenem probat Ariani dogmatis Propugnatorem extitisse: Pamphilus verò Nicænæ Fidei Defensorem. Itaque putatitius, non verus Pamphilus hanc Apologiam edidit. *Date,* inquit, *quodlibet aliud Opus Pamphili, nusquam reperietis. Hoc unum est. Unde igitur sciam quod Pamphili sit? Videlicet stylus, & saliva docere me poterit. Nusquam credam quod doctus vir primos ingenii sui fœtus quæstionibus & infamia dedicaret: & ipsum nomen Apologetici ostendit accusationem: non enim defenditur nisi quod in crimine est. Unum nunc proferam, cui contradicere vel stulti sit, vel impudentis. Sexti libri Eusebii super Origenis defensione principium, usque ad millia fermè versus, liber iste qui dicitur Pamphili, continet: Et in reliquis Scriptor ejusdem Operis profert testimonia, quibus nititur approbare Origenem fuisse Catholicum. Eusebius & Pamphilus tantam inter se habuere concordiam, ut unius animæ homines putes, & ab uno alter nomen acceperis.* * *Quomodo igitur inter se dissentire potuerunt; ut Eusebius in toto Opere suo Origenem Ariani probet dogmatis, & Pamphilus Nicænæ Synodi, quæ postea fuit, Defensorem? Ex quo ostenditur, vel Didymi, vel cujuslibet alterius esse Opusculum, qui sexti libri capite detruncato, cætera membra sociarit.*

* Eusebius enim Pamphili dictus est.

Respondet tertiò Sanctus Hieronymus, Dato quòd Apologia illa Pamphili esset, nondum tamen Martyris esse, adeóque non sequi absolvendum ab errore esse Origenem: quia erravit Pamphilus, si

ipsum scripto Apologemate, ab omni prorsus errore putaverit absolvendum. Unde in hoc sequendus non est. Ut enim imitari non debemus peccata quæ Martyres nonnulli ante Martyrium admiserunt: ita nec errores amplecti. *Sed concedamus*, inquit, *ex superfluo, ut Pamphili sit, sed necdum Martyris: Ante enim scripserat, quàm Martyrium pateretur. Et quomodo, inquies, Martyrio dignus fuit? Scilicet, ut Martyrio deleret errorem, ut unam culpam sanguinis sui effusione purgaret. Quanti in toto orbe Martyres, antequam caderentur, variis subjacuere peccatis? Defendamus ergo peccata: quia qui postea Martyres, priùs peccatores fuerunt.*

Ad Eusebii auctoritatem respondeo, Ejus Apologiam pro Origene ab Ecclesia non recipi, nec ejus testimonium pondus aliquod Origenianæ causæ addere. Enimverò propter nimias Origenis laudes & excusationem, eum criminatur Gelasius Pontifex Maximus in Concilio Romano, & ejus Historiam inter Apocrypha ablegat.

Et Pelagius II. in Epistola ad Episcopos Istriæ, quamvis damnandum non esse Eusebium asserat propter Origenis commendationem, non debere tamen absolvi Origenem affirmat ob Eusebii testimonium; quia mihi à bonis sæpissimè laudantur, nec eorum tamen suffragiis absolvuntur. *An non & malos à bonis aliquando laudatos novimus, nec tamen eisdem laudibus defensos? Quid namque in Hæresiarchis Origene deterius, & quid in Historiographis inveniri Eusebio honorabilius potest? Et quis nostrûm nesciat in libris suis quantis Origenem Eusebius preconiis attollat? Sed quia Sancta Ecclesia suorum Fidelium corda benigniùs, quàm verba districtiùs pensat; & plus in Hæreticis sensum proprium; nec Origenem testatio Eusebii absolvere potuit: nec rursum Eusebium laudati Origenis culpa damnavit. Annon & Gregorius Nyssæ urbis Episcopus, cùm Canticum Canticorum exponit, magnis Origenem laudibus præfert? Annon & Hieronymus nostræ Ecclesiæ Presbyter, & singularis Hebræi sermonis Interpres, tanto erga Origenem favore intenditur, ut penè Discipulus ejus esse videatur? Sed quia plus causa quàm verba pensanda sunt, nec istis sua benignitas nocuit, nec illum à reatu proprio favor alienæ attestationis excusavit.*

Ad Anonymi Apologiam respondeo, Illum nullam mereri fidem, cùm Origenianis ipse teneretur erroribus, ut Photius testatur. *Cæterùm*, inquit, *hæc Apologia non solutio est ut plurimùm eorum quæ Origeni objiciuntur, sed accusationis potiùs adstipulatio. Adeò hic à blasphemis illius opinionibus liber omninò non est. Itaque & animas ante corpora extitisse fatetur. Sacra etiam Scriptura, & Sanctorum Patrum testimoniis ad hunc errorem stabiliendum, ut putat, adhibitis: & corporum quoque aliam fingit resumptionem.*

Ad Methodium respondeo, Falsò asserere Socratem, quòd eum prioris de Origene judicii pœnituerit, ipsumque antea damnatum deinde laudaverit. Imò ita ipsum pœnituit laudum Origenis, ut eum primò laudatum, postea fuerit Scriptis suis insectatus, ut Eusebius tradit apud Sanctum Hieronymum, lib. 1. Apolog. adversùs Rufinum, cap. 2. Præterea ex Methodii Martyris contra Origenem lucubrationibus plurima Sanctus Epiphanius deprompsit, & Panario suo inseruit, quod facere erubuisset, si novisset Methodium priorem contra Origenem sententiam revocasse. Denique Eusebius, & Rufinus, Methodii palinodiam in suis pro Origene Apologiis non memorarunt, quàm certè silentio non oppressissent, nisi supposititia esset.

Ad Sanctos Gregorium Nazianzenum, & Basilium respondeo, Illos nequaquam gravissimos Origenis errores in Philocaliam suam contulisse; vel si aliquos contulerint, ipsos non approbavisse. Compendium quidem est Origenis Philocalia selectorum ex ipsius Operibus locorum, quæ Sancti illi Patres ad studiosorum commodum deflotaverunt, & collegerunt: sed quæcumque à viris eruditis ex aliorum Operibus colliguntur, eorumne suffragio probata dici possunt?

Respondeo ad tertium, Nego antecedens. Neque enim Eusebius, neque Didymus corrupta fuisse Origenis Scripta caussati sunt, quod fecissent, si quod fuisset isti in defensione robur. Sed nonnulla quæ adversùs Origenem objiciuntur, benigna interpretatione molliverunt, alia perperam propugnaverunt. Præterea si facilè concedatur violatos fuisse Origenis libros in omnibus locis qui errores continent, non jam Origeni tribuendi erunt libri, qui toti fermè erronei sunt, sed incertis Interpolatoribus: & hac exceptione ad omnium vindicias Hæreticorum via patebitur. Dicent enim Marcionis, Manichæi, Arii, Nestorii, Pelagii, Calvini, Lutheri subdoli defensores, non fuisse ab illis Hæresiarchis hæc asserta quæ ab Ecclesia erroris damnata sunt; sed ab ipsorum hostibus in eorum libros injecta. Querimonia porro Origenis in Epistola ad Amicos Alexandrinos, spectat unius tantùm Codicis depravationem, scilicet Dialogi cum Candido Valentiniano Hæretico sui; quem corruptum fuisse fateor ab illo Hæretico: sed indè perperam colligitur cæteros Origenis libros fuisse adulteratos. Ita respondet Sanctus Hieronymus, libro 2. Apologiæ adversùs Rufinum, cap. 4. & 5. *Vir doctissimus Eusebius*, inquit, *per sex Volumina nihil aliud agit, nisi ut Origenem suæ ostendat fidei, id est Arianæ perfidiæ; & multa ponit exempla, & hoc constanter probat. Tibi ergo in quo somnio Alexandrini carceris revelatum est, ut quæ ille vera profitetur, falsata confingas? Sed forsitan hic, ut Arianus, ab Hæreticis addita in occasionem sui traxit erroris, ne solùm malè sensisse contra Ecclesiam putaretur. Quid respondebis pro Didymo, qui certè in Trinitate Catholicus est?... Certè hic in iis quæ ab Hæreticis in Origenis Operibus addita sunt, consentire non potuit: & in ipsis* περὶ ἀρχῶν *quos tu interpretatus es, libris, breves scripsit Commentariolos, quibus non negaret ab Origene scripta, quæ scripta sunt: sed nos simplices homines non posse intelligere quæ dicuntur: & quo sensu in bonam partem accipi debeant, persuadere conatur. Hoc dumtaxat de Filio, & Spiritu Sancto. Cæterùm in aliis dogmatibus apertissimè in Origenis scita concedunt: & quod omnes Ecclesiæ reprobant, Catholicè & piè dictum esse defendunt.* Et infra: *Si conceditur ut quicquid in libris omnium reperitur, ab aliis corruptum sit: nihil eorum erit, quorum fertur nominibus: sed iis deputabitur à quibus dicitur esse vitiatum. Quamquam & illorum non erit, quorum incerta sunt nomina: atque ita fiet, ut dum omnium omnia sunt, nihil alicujus sit. Hac defensionis perturbatione nec Marcion, nec Manichæus, nec Arius, nec Eunomius accusari poterunt: quia quicquid nos ab his impiè dictum objecerimus, Discipuli respondebunt, Non à Magistris suis ita editum, sed ab inimicis esse violatum.*

Et cap. 5. Expostulationem Origenis adversùs suorum Scriptorum adulteratores, referri tantùm ait ad ipsius Dialogum cum Candido Valentiniano Hæretico, non ad alias lucubrationes. *Et intelligimus*, inquit, *in hoc tantùm Dialogo ab Origene argui hæreticam falsitatem, & non in cæteris libris, de quibus numquam quæstio fuit. Alioqui si omnia quæ hæretica sunt, non erunt Origenis, sed hæretico-*

rum;

*rum: omnes autem propemodum illius Tomi his erroribus pleni sunt: nihil Origenis eris, sed eorum quorum ignoramus vocabula.*

Porro licèt in sua ad Amicos Alexandrinos Epistola negaverit Origenes diabolum posse salvari, graviterque sit conquestus, quòd error tam absurdus sibi affingeretur, in eum nihilominus lapsus postea est. Adeò sua inconstans in doctrina fuit. Et certè ex ipsius principiis hoc erroris monstrum sequebatur. Opinatus enim est ille mentes rationis compotes, pro meritorum suorum mensura ac modo variis illigari corporibus; subtilioribus, si in sæculis retroactis probè vixerint; gravibus & crassis, si malè se gesserint, easdemque, quovis in statu, libero ad benè vel malè agendum arbitrio frui; ac proinde perpetuos à supernis ad inferiora lapsus esse, & reditus. Hinc sequitur continuos vel in fœlicitate, vel in pœnis futuros progressus aut regressus, prout in vitio, vel in virtute rationales mentes, & animæ profecerint; alternasque fore beatitatis & miseriæ vices: adeóque damnatorum, & dæmonum supplicia nequaquam fore sempiterna.

Quod verò nonnulla sint vel in libris περὶ ἀρχῶν vel in aliis Origenis Operibus, quæ ejusdem carnis substantiam resurrecturam evidenter probare videantur, non sequitur eam fuisse Origenis sententiam perpetuam & constantem, cùm alia ejus loca probent ipsum in errorem huic veritati contrarium abiisse.

Præterea. Hæc quæ Catholicam doctrinam præ se ferunt, non Origenis esse, sed Rufini verisimillimum est. Scilicet pessimæ fidei Interpres Rufinus, ex libris περὶ ἀρχῶν quos transtulit, multa detraxit, addidit alia, turbavit omnia. Unde Sanctus Hieronymus coactus est aliam horum librorum adornare Versionem, ut pura puta Origenis doctrina omnibus innotesceret.

Rufini porro perfidiam testatur Ipsius Prologus, in quo hæc habet: *Sicubi ergo nos in libris ejus aliquid circa id invenimus, quod ab ipso in cæteris locis piè fuerat de Trinitate definitum, velut adulteratum hoc & alienum, aut prætermisimus, aut secundum eam regulam pretulimus, quam ab ipso frequenter invenimus affirmatam. Si qua sanè velut peritis jam & scientibus loquens, dum breviter transire vult, obscuriùs protulit; nos ut manifestior fieret locus, ea quæ de ipsa re in aliis ejus locis legeramus, adjecimus explanationi studentes: nihil tamen nostrum diximus, sed licet in aliis locis dicta, tamen sua sibi reddidimus.* Et post hæc quis non Rufini fraudes in iis locis subodoretur, quæ Catholicam Doctrinam exprimunt iis oppositam erroribus, quos ipsi Origeni Sanctus Hieronymus tribuit, & quos alia Operum ejus loca repræsentant?

Easdem Rufini fraudes Sanctus Hieronymus perstringit libro 2. Apologiæ contra ipsum conscriptæ, cap. 3. ubi his ipsum verbis alloquitur: *Rogatus eras, ut quomodo habebatur in Græco, in Latinum verteres. Utinam fecisses, quod rogatum te esse simulas! Nulli nunc invidiæ subjaceret. Si tu translationis servasses fidem: mihi necessitas non fuisset interpretationem falsam vera interpretatione subvertere. Novit conscientia tua quæ addideris, quæ subtraxeris, quæ in utramque partem, ut tibi visum fuerit, immutaris: & post hæc audes dicere, quòd & bona, & mala, non tibi, sed Authori debeant imputari.*

Ad Vincentium Lirinensem respondeo, Ipsum figura concessionis uti contra eos qui Origenem defendere possent; & ostendere ejus Opera magnam esse in Ecclesia tentationem, quamvis ea ab hæreticis vitiata esse concederet.

Respondeo ad quartum, distinguo antecedens, Ecclesia probat lectionem librorum Origenis, modò summa cautione legantur, concedo; indiscriminatim, & quasi nulli sint cavendi errores, nego. Hinc Gelasius Pontifex Maximus in Concilio Romano de Origenianis lucubrationibus ita decrevit: *Origenis nonnulla Opuscula, quæ vir Beatus Hieronymus non repudiat, legenda suscipimus: reliqua autem omnia cum Authore suo dicimus esse renuenda.* Hinc Theophilus Alexandrinus in Origenis, quem damnaverat, lectione aliquando deprehensus, præclarè dixit: *Libri Origenis similes sunt prato omni florum genere consito. Si quid in iis ergo bonum invenio, id decerpo: quòd si quid spinosum videtur, id tamquam aculeum transilio.* Hinc Sanctus Hieronymus Epistola 76. ad Tranquillinum data: *Ego,* inquit, *Origenem, propter eruditionem, sic interdum legendum arbitror, quomodo Tertullianum, Novatum, Arnobium, Apollinarium, & nonnullos Ecclesiasticos Scriptores Græcos pariter & Latinos, ut bona eorum eligamus, vitemusque contraria, juxtà Apostolum dicentem: Omnia probate, quod bonum est, tenete. Cæterùm qui vel in amorem ejus nimium, vel in odium, stomachi sui pravitate ducuntur, videntur mihi illi maledicto Prophetico subjacere: Væ his qui dicunt malum bonum, & bonum malum; qui faciunt amarum dulce, & dulce amarum. Nec enim propter doctrinam ejus prava suscipienda sunt dogmata: nec propter dogmatum pravitatem, si quos Commentarios in Scripturas Sanctas utiles edidit, penitus respuendi sunt.*

Ad id verò quod objicitur, Ecclesiam non depromere lectiones ex Operibus hominis hæretici; respondeo Origenem, etsi in multis erraverit, non fuisse tamen hæreticum. Neque enim errores pertinaciter defendit, nec à Catholicorum Episcoporum Communione recessit; sed in Ecclesiæ pace defunctus est. Ipsum certè fidei professionem ad Sanctum Fabianum Romanum Pontificem, & ad alios Ecclesiarum Præsides dedisse, Author est Eusebius, lib. 6. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 36. Unde Sanctus Epiphanius singularis prudentiæ, & æquitatis specimen dedit, cùm Constantinopolim profectus, & adversùs Origenem agens, non ejus proscriptionem, sed librorum dumtaxat ipsius damnationem postulavit, ut testatur Gregorius Alexandrinus Episcopus in Vita Sancti Chrysostomi, cap. 43. dicens de Sancto Epiphanio: *Non ipsum Origenem extra Communionem esse decrevit, sed libros solum criminatus est.*

Origenes hæreticus non fuit.

Nec obstat quòd hæretici nomen Origeni Patres, & Concilia tribuant. Nam doctrinæ, non personæ infamiam illam irrogarunt: & hæretici nomen latiori quadam significatione usurparunt. Bifariam namque sumi potest hæretici appellatio, vel ad eum significandum qui hæresim condiderit, aut secutus sit, eam licet ejurare paratus, si ab Ecclesia hæreseos nomine damnata esset: vel ad designandum eum, qui non hæreseos dumtaxat Author, vel Sectator, sed perpetuus etiam Propugnator & pertinax adversùs Ecclesiæ auctoritatem Assertor fuerit. Priori modo hæreticus fuit Origenes, non secundo.

Denique ad id quod de ejus æterna damnatione dicitur; respondeo Deum, cujus inscrutabilia sunt judicia, voluisse ut nos lateat Origenis status: quare non est temerè definiendum salvus-ne sit, vel damnatus Origenes. Sanctæ Mechtildi cœlitus revelatum ferunt, Deum consultò homines celasse Samsonis, Salomonis, & Origenis statum, ut hujus ignoratione perterriti doctissimi, prudentissimi, & fortissimi quique, nihil penitus de se, omnia de Deo sperarent.

Origenis æterna sors incerta.

Nec refert quòd in Prato Spirituali Joannis Moschi

Moschi (qui liber à Septima Synodo laudatus est, cap. 26.) visio quædam refertur, qua Origenes in pœnis inferni unà cum cæteris visus est hæreticis. Nam visio illa explodenda est, cùm Theophanis Nestoriani Monachi propria fuerit, antequam converteretur ab hæresi. Nec verò probata sunt à Septima Synodo quæcumque in Prato Spirituali referuntur, sed ea dumtaxat, quæ sacrarum Imaginum cultum spectabant.

## SCHOLION I.

Ad hunc Articulum, & ad pag. 540. Editionis primæ, Religiosi Censores hanc Propositionem notant: *In meri factis controversiis Ecclesiæ auctoritas non cogit.*

R. Tam verè id à me scriptum, quàm à *Sancto Thoma* Articulo ultimo Quodlibeti IX. scriptum est: *In his quæ ad particularia facta pertinent, Ecclesiæ judicium errare potest.*

## SCHOLION II.

Ad eumdem Articulum, & ad pag. 550. Editionis primæ, Religiosi Censores hanc Propositionem notant: *Mortui possunt excommunicari.*

R. Hæc Propositio non est mea, mihi gratis affingitur. Hæc verba Quintæ Synodi Generalis refero. Collatione v. *Et multos quidem etiam alios invenimus post mortem anathematizatos: necnon etiam Origenem.* Aliud est, mortuis anathema dici in execrationem errorum, vel eorum libros damnari; aliud mortuos excommunicari.

## SCHOLION III.

Ad eumdem Articulum, & ad pag. 572. Editionis primæ, Religiosi Censores hanc Propositionem in Indiculo suo notant: *Origenes non est hæreticus, neque certum est an sit damnatus.*

R. Pleraque doctrinæ Origenis capita hæretica esse probavi: sed *Origenem* propterea hæreticum fuisse nego, quia errores pertinaciter non defendit, nec à Catholicorum Episcoporum communione recessit, sed in Ecclesiæ pace defunctus est: *Sed & ad Fabianum Romanæ Urbis Episcopum, & ad complures alios Ecclesiarum Antistites de recta Fidei suæ ratione Epistolas scripsit*, teste *Eusebio* lib. VI. Historiæ Ecclesiasticæ cap. XXXVI. *Origenem* piè defunctum constanter asserunt *Theotimus* Episcopus Scythiæ, vir ob pietatem vitæque sanctimoniam celeberrimus, ut refert *Socrates* libro VI. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. XII. Quod salutem *Origenis* spectat, dubia certè res est. *Grandis labyrinthus* (inquit Wernerus Westphalus) *à diversis texitur de Samsone, Salomone, Origene, an videlicet salvati sint, an non; quæ quia sine periculo nesciuntur, nec Ecclesia certificata est de his, Domino totaliter committenda sunt.*

## ARTICULUS II.

### *Utrum Origenes de Filio Dei rectè senserit?*

## PROPOSITIO.

*Origenes de Filii Dei Majestate, ac Divinitate pessimè sensit.*

PRobatur primò. Qui Patrem & Filium duos esse dixit substantiâ, unum consensu & concordia, de Filii Divinitate pessimè sensit; sed Origenes scripsit, Patrem & Filium duos esse substantiâ; unum verò consensu & concordia; pessimè igiturr sensit de Filio Dei.

Probatur minor ipsiusmet Origenis verbis, lib. 8. contra Celsum: *Itaque*, inquit, *religiosè colimus Patrem veritatis, & veritatem Filium, duos quidem substantiâ, unum vero concordiâ, consensu, voluntatisque identitate.* Non me fugit Hoeschelium, non ita vertere, sed sic: *Patrem & Filium duos subsistentia, unum verò concordiâ.* Sed ὑπόστασιν pro οὐσίᾳ fuisse ab Origene acceptam certum est, tum quia S. Hieronymus, qui libros Origenis assidua lectione contriverat, de hujus notione vocis ait Epistola 57. ad Damasum: *Tota sæcularium literarum Schola nihil aliud ὑπόστασιν nisi οὐσίαν novit:* tum quia unitatem concordiæ memoravit dumtaxat inter Patrem & Filium. At post assertam distinctionem Patris & Filii quoad subsistentiam, memoranda fuisset eorum unitas quoad essentiam, nisi ὑπόστασιν pro essentia usurpasset.

Et rursus eodem libro, pag. 387. *Esto autem* (inquit Origenes) *non deesse quosdam ut in tam numerosa credentium multitudine, qui discrepantes ab aliis temere affirment, quòd Servator sit ille universorum Deus: hoc certè nos non facimus, qui credimus ipsi dicenti, PATER qui misit me, major est.* Affirmabant Christum esse universorum Deum, idque verè & orthodoxè. Pertinet illud sanè ad divinam Christi naturam, non ad humanam. Negat è contrario *Origenes* Servatorem nostrum esse universorum Deum; quod inde probat, quia Patre minor sit, qui est universorum Deus. Divinæ ergo Christi naturæ detrahit supremam illam Divinitatem rerum universarum dominatricem, & Patri uni addicit; proindéque Filium inferiorem Patre statuit, non tantùm ut hominem Deo, sed ut Deum Deo.

Et libro v. *contra Celsum*, pag. 238. Bonitatem illam supremam, quæ Deo Patri convenit, Christo detrahit, non tantùm quatenus homo est, sed etiam quatenus imago est bonitatis Dei, hoc est, quatenus Deus. *Servator noster & Dominus*, inquit, *appellatus aliquando Præceptor bonus, ad Patrem suum remittens eum qui se sic appellaverat*, inquit, *QUID me dicis bonum? Nemo bonus nisi unus, nempe Deus Pater. Quòd si id meritò ut imago Bonitatis Dei dixit dilectus Patris Filius, an non justiùs sol diceret suis Adoratoribus, Quid me adoras? Dominum Deum tuum adorabis.*

Probatur secundò. Qui Sapientiam æternam creatam esse ait, solúmque Patrem verum Deum esse; & ita comparari Filium ad Patrem in communione Divinitatis, sicut rationales creaturæ ad Filium ipsum, qui primigenia & subsistens ratio est, in communione & similitudine rationis; ille pessimè sensit de Filio Dei: atqui hæc dixit Origenes: ergo Filii Dei perversis opinationibus suis læsit Majestatem.

Probatur minor ipsis Origenis verbis, Tomo 1. in Joannem: *Dicendumque est*, inquit, *Deum cùm animatam sapientiam creasset, illius curæ permisisse, ut ex figuris & speciebus, quas ipsa habebat, subsistentiam, & plasmationem, & formas praberet entibus, & materiæ.*

Et Tomo 2. in Joannem, notat, quando in sacris Libris ὁ θεὸς, cum Articulo ponitur, Patrem intelligi, qui verus Deus est: cùm autem sine Articulo θεὸς legitur, Dei Filium, ac cæteros significari, qui Dei participatione quadam nominantur. *Sed quoniam*, inquit, *verisimile est futurum ut multi offendantur, quia dixerimus unum esse verum Deum, nempe Patrem, & præter Deum verum multos factos Deos participatione Dei, verentes gloriam ejus, quæ omnem creaturam præcellit, æquari reliquis obtinentibus appellationem Dei sine articulo: præter datam differentiam, per quam Deum λόγος diximus, reliquis omnibus Diis Ministrum esse Deitatis, etiam hæc differentia est apponenda. Ea enim ratio, quæ in singulis rationis capacibus inest, eumdem comparationem habet ad illam rationem, quæ in principio apud Deum est, & Deus est ὁ λόγος, quam habet Deus λόγος, id est, ratio sine articulo, ad Deum cum articulo. Ut enim Pater αὐτόθεος (hoc est per se Deus, & verus Deus) se habet ad imaginem, & ad imagines imaginis; sic hunc in mundum se habet ipse λόγος, hoc est, ipsa ratio, ad eam quæ in singulis est rationem.*

Sicut

[illegible] Filius Dei, qui est ratio ipsa primogenita & [illegible], superior est creaturis rationis compotibus, nec eamdem cum ipso dignitatem, & excellentiam habent illæ: ita nec Filium ejusdem [illegible] existimavit cum Patre dignitatis atque Divinitatis.

Probatur tertiò, qui Christi Filii Dei Cultores medium tenere locum [illegible] inter [illegible] qui Deum universorum adorant, & eos qui Solem, Lunam, & reliqua sydera velut numina quædam venerantur, ille opinatus est De[i] Filium inferioris esse gradus ac dignitatis à Patre: atqui id scripsit Origenes: ergo, Filium Dei opinatus est inferiorem esse Patre in gradu Divinitatis.

Probatur minor Origenis verbis, Tomo 2. in Joannem: *Deum igitur*, inquit, *alii quidem Deum universorum habent: qui verò hos proximè sequuntur, in Christum Dei ipsius Filium defixi sunt. Tertii verò sunt, qui Solem, Lunam, omneque cœli ornamentum habentes, à Deo aberrant, verumtamen errore longè præcellenti, præstantioréque, quàm eorum qui vocant Deos opera manuum hominum, aurum & argentum, artis excogitationes.*

Probatur quartò. Qui omnia à Patre, qui Verbo superior est, facta esse contendit, non à Verbo ipso, quamvis per Verbum condita fateatur, non sentit ut par est de Filii Dei Majestate; sed Origenes contendit omnia facta esse à Patre, qui Verbo superior est; non ab ipso Verbo: ergo non sensit ut par erat de Filii Dei Majestate.

Probatur minor ipsis Origenis Verbis Tomo 2. in Joannem: *Si omnia*, inquit, *per Sermonem facta fuerunt, non à Sermone facta fuerunt, sed ab eo qui ipso Sermone major est: quem quis alium dixerit, quam Patrem ipsum?* Impingit subinde in alium errorem contra Divinitatem Spiritus Sancti, quem recentiorem ait esse Verbo, & ab ipso factum. *Verum cùm sit*, inquit, *omnia per Sermonem facta fuisse; si quis dicat factum esse Spiritum Sanctum, & admittat omnia per Sermonem facta fuisse: is etiam fateatur necesse est Spiritum ipsum à Sermone factum, nimirum Sermone ipso antiquiore existente Spiritu.*

Probatur quintò. Qui Bonitatem supremam, quæ Patris æterni propria est, Christo detrahit, non solùm ut homo est, sed ut est imago bonitatis Patris, malè sentit de Filio Dei: sed Origenes Bonitatem supremam, quæ Patris æterni propria est, Christo detrahit, non solùm quà homo est, sed quà est imago bonitatis Patris: pessimè igitur sentit de Filio Dei.

Probatur minor verbis Origenis Tomo 15. in Matthæum, ad illa verba: *Magister bone*, &c. *Est Servator quidem*, inquit, *quemadmodum est imago Dei invisibilis, ita & imago bonitatis illius est: alia est autem vocis hujus, Bonum, significatio, cùm inferiori cuivis applicatur: si modo respectu Patris imago est bonitatis ipsius, & eam habet erga reliqua omnia rationem, quam bonitas Patris erga ipsum: vel etiam proportionem quamdam affinem magis & propinquam inter bonitatem Dei respectu Filii, qui bonitatis ipsius imago est, observare licet, quam Servatoris respectu hominis boni, vel boni operis, vel arboris bonæ: plus etenim inferioribus bonis Servator præstat, quatenus imago est bonitatis Dei ipsius, quàm Deus, qui bonus est, Servatori qui dixit: Pater qui misit me, major me est, qui & aliorum ratione est bonitatis Dei imago.*

Probatur sextò auctoritate Sancti Hieronymi, in Epistola ad Avitum, ubi Origenem læsæ Filii Dei Majestatis reum peragit, prolatis ejus blasphemiis ex libris περὶ ἀρχῶν, quorum translationem ad ipsum mittit rogatus. *Accipe igitur*, inquit, *quod petisti: sed ita ut scias detestanda tibi in eis esse quamplurima: & juxta sermonem Domini inter scorpiones & colubros incedendum: ut est illud statim in primo* [illegible] *Christum* [illegible] *Dei* [illegible] *natum esse,* [illegible]*: Deum Patrem* [illegible] *à Filio non videri. Filium* [illegible] *Patris, comparatum Patri non esse* [illegible] *autem, qui Dei omnipotentis non* [illegible] *veritatem, imaginariam veritatem videri: ut majestas ac magnitudo majoris quodammodo circumscripta sentiatur in Filio: Patrem esse lumen incomprehensibile; Christum collatione Patris splendorem esse perparvum, qui apud nos pro imbecillitate nostra magnus esse videatur: duarum statuarum, majoris, & parvulæ, unius quæ mundum impleat, & magnitudine sua quodammodo invisibilis sit; & alterius, quæ sub oculos cadat, ponit exemplum: priori Patrem, posteriori Filium comparans. Deum Patrem omnipotentem appellat bonum, & perfectæ bonitatis: Filium non esse bonum, sed auram quamdam, & imaginem bonitatis, ut non dicatur absolutè bonus, sed cum additamento, Pastor bonus, &c. Tertium dignitate & honore post Patrem, & Filium, asserit Spiritum Sanctum. De quo, cùm ignorare se dicat, utrum factus sit, an infectus, in posterioribus quid de eo sentiret expressit, nihil absque solo Deo Patre infectum esse confirmans. Filium quoque minorem Patre, eo quod secundus ab illo sit.*

Hæc quidem in libris περὶ ἀρχῶν hodie non extant, quia solam habemus Rufini translationem, qui illa expunxit, & detraxit, addiditque alia non pauca illis libris, ut ipsemet in Prologo suæ interpretationis fatetur. Excidit autem non sine magna Ecclesiæ, & reipublicæ literariæ jactura versio eorumdem librorum à Sancto Hieronymo adornata, quæ ipsas Origenis sententias & decreta sincerè & integrè repræsentabat.

Probatur septimò, auctoritate Sancti Epiphanii, Hæresi 64. *Eò*, inquit, *temeritatis progressus est, ut asserat Unigenitum Filium Patrem videre non posse, neque Spiritum Filium, neque Angelos Spiritum, neque homines Angelos. Atque hic primus illius lapsus fuit. Itane enim ex Patris substantia Filium esse censes, ut nihilominus creatus fuerit. Quem quidem solà id gratià consecutum existimas, ut Filius diceretur.*

Et in Epistola ad Joannem Hierosolymitanum: vocat *Origenem Arii Patrem, & aliarum hæresum radicem, & parentem*. Et postea subdit: *Quis Catholicorum possit æquo animo sustinere ut audiant Origenis doctrinam, atque consilium, & credant præclaræ illius prædicationi: Non potest Filius videre Patrem, neque Spiritus Sanctus videre Filium? Hæc in libris* περὶ ἀρχῶν*, scribuntur, hæc verba legimus, & ita locutus est Origenes: Sicut enim incongruum est dicere quòd possit Filius videre Patrem: sic inconsequens est opinari quòd Spiritus Sanctus possit videre Filium.*

Probatur octavò ex Sancto Augustino, libro de Hæresibus, cap. 43. ubi cùm ex Sancto Epiphanio in Anacephalæosi retulisset, Origenianos Christum & Spiritum Sanctum in ordinem creaturarum redigere, statim subjungit: *Hæc quidem de Origene Epiphanius refert: sed Defensores ejus dicunt, Origenem Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum unius ejusdemque substantiæ docuisse: neque resurrectionem repulisse mortuorum: sed qui ejus plura legerunt, contradicunt. Dicit præterea ipse Origenes, quòd Filius Dei sanctis hominibus comparatus, veritas sit: Patri collatus, mendacium: & quantùm distant Apostoli Christo, tantùm Filius Patri. Unde nec orandus est Filius cum Patre, quia non est Author indulgendarum petitionum, sed supplicator.*

Probatur nonò ex Justiniano Imperatore, in Epistola ad Mennam, ubi de Origene hæc habet: *Qui ante omnia in ipsam sanctam & consubstantialem Trinitatem blasphemias ausus est dicere: Patrem*

*majorem esse Filio, Filium Sancto Spiritu, Spiritum Sanctum aliis spiritibus. Porrò hoc ad impietatem suam addidit, ut diceret, nec posse Filium Patrem videre, nec Spiritum Sanctum Filium: ipsum Filium & Spiritum Sanctum creaturas esse, quodque nos sumus ad Filium, Filium esse ad Patrem.* Et infra: *In Sancta Trinitate gradus excogitans, inde vel multitudinem Deorum inducere.* Et ad finem Epistolæ multa profert loca ex libris περὶ ἀρχῶν, quæ horum dogmatum impietatem Origenianam prorsùs esse demonstrant. Constat itaque Origenem pessimè de Filio Dei sensisse. His adde Leontii testimonium, lib. de Sectis Act. 10. *Quamvis inferiorem Filio gradum tradit, tamen eam purgare nituntur. At verò manifestè hanc opinionem fovet, & excusationem nullam habet.*

Probatur ultimò ex Sancto Thôma I. Parte Quæst. 34. Artic. 1. ad 1. ubi vocat Origenem, *Fontem Arianorum.*

Objiciunt Origenis hac in parte defensores: Qui dixit Filium Dei non esse ex non extantibus, non esse factum, non esse diversæ naturæ, vel substantiæ à Patre, & in utroque esse plenitudinem Divinitatis, Catholicè sensit de Filio Dei: sed Origenes hæc dixit: Ergo Catholicè sensit de Filii Dei Majestate.

Probatur minor ex verbis Origenis, variis in locis. Primò ex lib. 6. contra Celsum: *Non enim*, inquit, *eum qui factus non est, & natura omnis facta primogenitum pro dignitate scire quis potest, sicut ille qui ipsum genuit Pater.*

Et rursus dicenti *Celso*, Deum neque ratione esse comprehensibilem, sic respondet: *Distinguo significatum, & dico, si intelligatur de ratione qua vel insita est nobis, vel è nobis se exserit, hâc non esse Deum comprehensibilem. Sin de illa qua erat à principio, & qua erat apud Deum, & ipsa erat Deus, aimus hâc Deum esse comprehensibilem.*

Et libro v. rationem reddens cur Christiani Filium Dei, non solem, lunam, stellásque adoratione prosequantur, ita disserit: *Itaque non decebat eos qui didicerant generosè creaturam transcendere, contendebantque studiis ferventibus ad immarcessibilem illam Sapientiam, aut jam perceperant eum, eam (inquam) qua æterna lucis splendor est, obstupescere ad solis, lunæ, stellarumque lumen sensibile, in tantum ut propterea se inferiores existimarent; cùm ipsi habeant tantam lucem intelligibilem, lucem veram, lucem mundi, lucem hominum, eamque adorarent.* Hîc apertè dicit *Origenes*, Sapientiam sive Filium Dei esse lucem illam veram, lucem Mundi, æternæ lucis splendorem, quem Christiani neglectis sole, luna, cæterisque cæli luminibus ideo colant quòd edocti sint in cultu suo omnem creaturam generosè transcendere.

Et libro quarto. *Quòd si Verbum Deus immortalis, quia corpus mortale animámque assumserit, Celso idcirco immutari videatur: discat Verbum manere Verbum suâ substantiâ, nec pati eorum quicquam quæ corpus aut anima patitur: condescendere tamen interdum non valentibus ejus claritatem ac splendorem Divinitatis intueri, ac veluti carnem factum, loqui corporaliter.* Hîc clarè docet *Origenes* Verbum esse Deum immortalem, substantiâ suâ immutabilem, & quatenus in forma Dei subsistit, pariter cum Patre naturæ omnino incorruptibilis, simplicis, & incompositæ.

Et libro III. *Celso* Christianis objicienti quòd Jesum mortali corpore constantem credant esse Deum, ita respondet: *Sciant isti criminatores, hunc Jesum, quem ab initio Deum, Deique Filium esse credimus, ipsum esse Verbum, ipsam sapientiam. cæterùm mortale illius corpus & humanam in eo animam illius Verbi non solùm communicatione, sed etiam unione & permixtione, maxima quæ dicimus accepisse, & Divinitatem ejus participantia in Deum evasisse.*

Et Homilia 12. in Numeros: *Est ergo*, inquit, *hæc trium distinctio Personarum, in Patre, & Filio, & Spiritu Sancto, quæ ad pluralem puteorum numerum revocatur. Sed horum puteorum unus est fons: una enim substantia est, & natura Trinitatis.*

Et lib. 4. in Epistolam ad Romanos: *Fidere autem dicimus in Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, qui integram substantiam plenam, perfectam, qui nihil diversum, nihil discrepans, aut extraneum in Trinitate profitetur.*

Et lib. 5. de Christo sic loquitur: *Non rapinam ducit esse se æqualem Deo: hoc est, non sibi magnum aliquid deputat, quòd ipse quidem æqualis Deo, & unum cum Patre est.*

Et lib. 8. *Sunt enim nonnulli qui annuntiant quidem de Patre, & Filio, & Spiritu Sancto non sincerè, non integrè, at sunt omnes Hæretici, qui Patrem quidem, & Filium, & Spiritum Sanctum annuntiant, sed non benè, non fideliter annuntiant. Aut enim malè separant Filium à Patre, ut alterius natura Patrem, alterius Filium dicant; aut malè confundunt, ut ex tribus compositum Deum, vel trinæ tantummodò appellationis in eo esse vocabulum putent. Qui autem benè annuntiat bona, proprietates quidem Patri, & Filio, & Spiritui Sancto suas cuique dabit; nihil autem diversitatis esse confitebitur in natura vel substantia.*

Et libro 1. περὶ ἀρχῶν, cap. 2. *Secunda verò comparationi*, inquit, *imago Filii Dei, de qua nunc sermo est, comparari potest, & secundùm hoc quòd invisibilis Dei imago invisibilis est, sicut secundùm historiam dicimus similitudinem Adæ filium Seth: ita enim scriptum est; Et genuit Adam Seth secundùm imaginem suam, & secundùm speciem suam. Quæ imago etiam naturæ ac substantiæ Patris & Filii continet unitatem.*

Et libro 4. in Anacephalæosi: *Veritas, Vita, Sapientia. idem sunt ac Christus: Christus idem ac Pater. Quæ quamvis intellectu multa dicantur; re tamen & substantia unum sunt, in quibus plenitudo est Divinitatis.*

Confirmatur ex Sancto Athanasio, qui Origenis auctoritate Arianos impugnat, & Nicænam Fidem confirmat; quod nequaquam præstitisset, si malè de Filii Dei Majestate sensisse Origenem fuisset arbitratus, & Patrem Arianorum existimasset, sicut eum posteriores Athanasio Doctores appellarunt. Et certè nihil est cum Fide Nicæna convenientius Origenianis testimoniis quæ à Sancto Athanasio proferuntur. Sic autem habet in libro de Decretis Synodi Nicænæ contra Hæresim Arianam pag. 423. *Verbum porrò æternaliter esse cum Patre, neque alterius essentiæ, aut substantiæ, Patrisque sui proprium Filium, ut sancitum est ab illis qui Synodo interfuerunt, licebit denuò ex laborioso illo Origene audire. Quæ enim disputandi, certandique gratiâ scripsit, ea non quasi ipsius sint verba, aut quasi ipse ita sentiat, sed eorum qui cum eo contentiosius disputarunt, accipienda sunt. Hæc igitur laboriosi illius Origenis sententia est. Post illa ergo, quæ certandi gratiâ, quasi in palæstra adversùs hæreticos adduxerat, statim ista, quæ propria ipsius sunt, subintulit. SI EST*, inquit, *illa imago invisibilis Dei, ipsa quoque imago invisibilis fuerit: imò hoc quoque ausim addere, cùm sit ille similitudo Patris, fieri non posse, ut fuerit quando non fuerit. Quando enim Deus, qui secundùm Joannem Evangelistam lux dicitur, splendore caruit suæ Majestatis? Ut quis audeat Filio principium adscribere, quasi antea non existenti? Quando autem non erat ineffabilis illa innominabilis, inenarrabilisque Patris substantiæ imago, forma, ratio, quæ Patrem cognoscit? Cogitet secum quicumque audebit dicere:*

*Erat*

*Erat quando non erat Filius ; se hoc ipsum dicere : Erat quando sapientia non erat, quando ratio non erat, quando vita non erat.*

Profert ibidem Sanctus Athanasius aliud æquè luculentum Origenis testimonium : *Idem Origenes*, inquit, *alibi dicit : SED fas non est, neque periculo vacuum est, ob infirmitatem nostram, quantum in nobis est, spoliare Patrem unigenito suo semper secum existente Verbo ; spoliare etiam eum suâ sapientiâ, in qua latabatur : inde enim colligeretur eum non semper latatum fuisse.*

Respondeo ad argumentum : Nego minorem, quòd scilicet hæc omnia dixerit Origenes. Enimverò quæ prolata sunt loca, exceptis illis ex libris contra Celsum ; ex iis Operibus deprompta sunt, quæ Rufinum Interpretem ; aut, ut veriùs dicam, Interpolatorem habuerunt. Hic porro ut Origenianos errores celaret, omnia fermè loca expunxit quæ Trinitatis fidem violabant, & Filii Divinitatem oppugnabant : addidit autem alia quæ fabricatus ipse est, cujusmodi videntur esse ea quæ in objectione laudata sunt, & alia quæ possunt proferri.

Ad locum ex libro 6. contrà Celsum, respondeo negasse ibi Origenem Filium esse factum, sed non negasse alterius numero essentiæ à Patre esse, & Divinitatis uno gradu inferioris. Id constat ex loco in probationibus allato ex libro 8. contra Celsum, & aliis.

Ad alia testimonia ex libris *contra Celsum* deprompta, Respondeo *Origenem* ab ea quidem impietate erroris longè abfuisse, quæ *Arii* propria fuit, nec Verbum Dei creaturam asseruisse, sive ex non extantibus conditum, sed Dei Filium propriè, Deum immortalem, lucem mundi, ipsam Veritatem, ipsam Sapientiam : sed tamen de Filio Dei non rectè in omnibus sensisse, quem Patre inferiorem sensit ea etiam ratione qua Deus est ; ita ut non sit ille summus universorum Deus sicut Pater, nec sicut ille summè bonus.

Ad confirmationem, respondeo Sanctum Athanasium adduxisse contra Arianos illa Origenis testimonia, quia capitalem Arii blasphemiam evertebant, *Fuit quando non erat Dei Filius ; Filius Dei est ex non extantibus.* Hoc autem satis erat ad institutum Sancti Athanasii. Sed non evincunt Origenem Catholicam in omnibus de Filio Dei tenuisse sententiam & ejus dignitatem nullatenus imminuisse. Sed enim coæternum Patri censere potuit Dei Filium, & ex Patris prodeuntem substantia : Sicut radius Solis coæternus esset Soli, si Sol conditus esset ab æterno, & ex Solis substantia manasset. Sicut tamen solaris radius, quamvis ejusdem substantiæ cum Sole, est Sole inferior, nec una & eadem numero est Solis radiique natura : ita Origenes Filium existimavit, asseruitque coæternum Patri, & ex Patris ortum substantia, quam tamen non eamdem numero, nec pari perfectionis gradu sibi vindicaret.

Respondeo denique, Origenem vi traditionis victum & abreptum, pias quandoque voces de Filio Dei effudisse, & pravis suis dogmatibus vel invitum contradixisse. Quidni enim de ipso hic dicamus, quod præclarè Sanctus Basilius dixit libro de Spiritu Sancto, cap. 29. ubi non negat Origenem malè de Spiritus Sancti Majestate sensisse, licèt interdum de eo videatur Catholico sensu locutus ? *Jam verè*, inquit, *& Origenem multis in locis Expositionum, quas in Psalmos edidit, deprehendimus cum Sancto Spiritu gloriam deferentem Deo, virum qui non omninò sanas habet de Spiritu* (dicam ego, de Filio) *opiniones, nihilominus & hic reveritus consuetudinis robur, pias voces emisit de Spiritu.* (Dicamus nos, de Filio.) *Ad hunc modum opinor traditionis vis sæpe compulit homines suis ipsorum dogmatibus contradicere.*

### ARTICULUS III.

### *Utrum Origenes Pelagiani, & Semipelagiani erroris fundamenta jecerit ?*

### PROPOSITIO.

*Pelagianorum, & Semipelagianorum errorem præformavit Origenes.*

PRobatur primò. Qui gratiam refudit in merita, quæ vel in superiori quadam vita ab animabus nondum corpori illigatis parta essent, vel in hac mortali vita liberum arbitrium protulisset, Pelagianorum errorem præformavit : atqui Origenes gratiam in merita præcedentia hoc pacto refudit : Pelagianorum igitur præformavit errorem.

Probatur minor ipsis Origenis verbis libro 1. περὶ ἀρχῶν cap. 3. ubi aliam gratiam præter naturam rationalem, quam hoc etiam nomine insignit, exponens, ait : *Est & alia quoque etiam Spiritus Sancti gratia, qua dignis præstatur, ministrata quidem per Christum, impetrata autem à Patre secundum meritum eorum qui capaces efficiuntur.*

Et cap. 7. Jeremiæ ipsius sanctificationem præcedentibus meritis collatam decernit, hancque suæ assertionis rationem profert : *Ne fortè non judicio, nec pro meritis replere aliquem Deus videatur Spiritu Sancto, & sanctificare merito.* Alioqui fore Deum personarum acceptorem comminiscitur : *Et quomodo*, inquit, *effugiemus illam vocem, qua ait : Numquid injustitia est apud Deum? Absit.* Hinc parvulos ipsos vasa in honorem, vel in contumeliam effici ait propter merita præcedentia : *Itaque*, inquit, *concludent quia priùs gestorum uniuscujusque causa præcedit, & pro meritis suis unusquisque à Deo vel honoris vas efficitur, vel contumelia. Unumquodque igitur vas, ut vel ad honorem à Creatore formetur, vel ad contumeliam, ex seipso causas & occasiones præstitit Conditori.*

Et lib. 3. περὶ ἀρχῶν cap. 1. *Quòd si justa hæc videtur assertio*, inquit, *sicut est certè justa, & cum omni pietate concordans, uti ex præcedentibus causis unumquodque vas vel ad honorem à Deo ; vel ad contumeliam præparetur : non videtur absurdum eodem ordine, atque eadem consequentia discutientes nos antiquiores causas, eadem etiam de animarum ratione sentire ; & hoc esse in causa quòd Jacob dilectus est, etiam dum adhuc in ventre matris haberetur.*

Probatur secundò, Qui initium fidei in nobis asseruit esse ex nobis, perfectionem verò ejus, & augmentum à Deo, Semipelagianorum errori prolusit : atqui Origenes id asseruit : ergo prolusit Semipelagianorum errori.

Probatur minor ipsius verbis, lib. 9. in Epistolam ad Romanos, ad illa verba Apostoli, *Habentes donationes, unusquisque secundùm mensuram fidei* : quæ sic exponit : *Quod autem dixit, secundùm rationem, vel mensuram fidei, puto jam plenè in superioribus expositum, quæ sit fides quæ à nobis requiritur, & quæ sit quæ à Deo per gratiam datur, secundùm hoc quod idem Apostolus dicit : Alii fides in eodem Spiritu : & item ubi ad Dominum dicunt : Auge nobis fidem. Quòd fides quidem qua speret, & credat, & absque ulla dubitatione confidat, in nobis est, ratio vero fidei ipsius & scientia, & perfectus eorum intellectus quæ credimus, donatur à Deo... Ut ergo in nobis tanta fides inveniatur, quantam possit sublimior gratia promereri, nostri operis videtur, & studii.*

Probatur tertiò. Qui solam possibilitatis gratiam à Pelagio assertam, à Sancto Augustino reprobatam prædicavit, Pelagianorum præformavit errorem; sed Origenes solam possibilitatis gratiam prædicavit: Pelagianorum itaque præformavit errores.

Probatur minor ipsius verbis, lib. 3. περὶ ἀρχῶν cap. 2. *A Deo datur*, inqoit, *non ut sustineamus, alioquin nullum jam videretur esse certamen, sed ut sustinere possimus. Ea autem virtute, quæ nobis data est ut vincere possimus, secundùm liberi arbitrii facultatem, aut industriè utimur, & vincimus; aut segniter, & superamur. Si enim totum nobis hoc detur ut omni genere superemus, & nullò modò vincamur, quæ jam superest caussa certandi ei qui vinci non potest? Aut quod palmæ meritum, ubi repugnandi adimitur, vincendique facultas? Si verò æquè quidem omnibus nobis vincendi possibilitas præbeatur, in nostra autem positum sit potestate, quomodò hac possibilitate uti debeamus, id est, vel industriè, vel segniter, justa erit vel victi culpa, vel palma victoris.*

Probatur quartò. Qui vocationem secundùm propositum Dei non agnovit, sed secundùm propositum hominis; vel secundùm propositum Dei religiosam mentem, & salutis desiderium in hominibus prævidentis, ille meritò fons Pelagiani erroris asseritur: atqui Origenes ita sensit de vocatione: fons igitur Pelagiani erroris meritò asseritur.

Probatur minor ipsius verbis, libro 7. Commentarii in Epistolam ad Romanos: *Videtur mihi*; inquit, *esse quædam vocationis differentia; quia omnes quidem vocati sunt, non tamen omnes secundum propositum bonum & bonam voluntatem, quam circa Dei cultum gerunt, vocantur. Ipsi sunt qui secundùm propositum vocati dicuntur, & isti sunt qui vocati, justificati sunt. Bono enim eorum proposito deerat sola vocatio.... Quos ergo vocavit, id est, quos secundùm propositum vocavit boni, illos & justificavit.. Quòd si secundùm propositum, ad Deum refratur, hoc est, ut secundùm Dei propositum, qui sciens in eis religiosam mentem, & salutis inesse desiderium, vocati dicantur, non videtur his quæ exposuimus, etiam hoc esse contrarium.*

Objicies. Origenes gratiæ necessitatem ad implenda Christianæ pietatis opera magnificè commendavit, naturæ semper prædicavit impotentiam: Ergo immeritò dicitur Pelagianorum errorem delineasse.

Probatur antecedens ipsius verbis Homilia 4. in Psalmum 36. *Vides ergo*, inquit, *quia Domini semper auxilio indigemus, primò ne cadamus, tùm deinde, etiamsi ceciderimus, ut resurgamus.*

Et in Psalmum 126. exponens illa verba: *Nisi Dominus ædificaverit domum, frustra laborant qui ædificant eam*: & *Nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat qui custodit eam*; hæc habet: *Ædificat demum quicumque proficit, custodit civitatem quicumque perfectus: vanum autem opus ædificantis, & vana custodia servantis, nisi Dominus ædificaverit, & Dominus custodierit. Extra liberam voluntatem nostram fuerit bonum, virtus Domini, quæ ædificantis ædificationem adjuvat, & ei opitulatur, unàque cum eo ædificat, qui ædificationem per se consummare non potest.*

Et infra: *Non solum igitur ad id ut honestus & bonus fiat aliquis, opus est voluntate nostra, & divina ope conspirante, quæ quantum ad nos arbitraria non est; sed ad id etiam, ut qui honestus & bonus evasit, in virtute perseveret: quòd nimirum in ruinam delapsurus sit, etiam perfectus, si in honestate fuerit elatus, & sibi hujus causam arroget: nec debitam gloriam referat ei, qui multo plus ad acquirendam & retinendam contulit.* Quibus certè ad gratiæ necessitatem commendandam luculentius, magnificentiúsque nihil dici potest.

Et Tractatu 35. in Matthæum, ubi de lapsu S. Petri locutus est, hæc habet: *Per hoc instruimur, ut numquam sine consideratione aliquid promittamus, super habitudinem nostram humanam: quasi qui valeamus Christi implere confessionem ex nobis, aut aliquod præceptorum Dei.*

Respondeo, distinguo antecedens. Origenes gratiæ necessitatem, & naturæ impotentiam ad pietatis opera perficienda prædicavit, esto: ad eadem inchoanda, nego. Nec aliud probant mox laudata testimonia, si ad veritatis trutinam expendantur, & conferantur cum aliis quæ in probationibus protuli.

Distinguo secundò antecedens. Gratiæ generalis, seu generalis auxilii, quod impropriè gratia dicitur, necessitatem commendavit, concedo; gratiæ Christi, seu peculiaris auxilii voluntatem intus moventis, & convertentis, nego. Itaque Origenes eatenus dixit nos aliquod præceptorum Dei implere non posse ex nobis, & ædificationem spiritalem per se consummare posse neminem, & Dei semper auxilio nos indigere, quatenus generale auxilium necessarium existimavit ad pietatis opera; quia scilicet actus singulos voluntatis à Deo habemus, qui volendi facultatem tribuit perenni ad singulas volitiones concursu. Ita exponit illud Sancti Pauli ad Philippenses 2. *Deus est enim qui operatur in vobis velle, & perficere, pro bona voluntate.* Cùm enim ex hoc loco concluderent nonnulli libero nos arbitrio carere, siquidem velle & agere à Deo est, sic respondet Origenes: *Non dicit Apostolus, velle mala aut velle bona ex Deo esse, neque item meliora vel pejora facere; sed & universè velle, & universè currere. Ut enim à Deo habemus ut animalia simus, & homines, ita & universè velle, & universè (ut ita dicam) moveri. Quemadmodum igitur, etsi habeamus à Deo ut animalia simus, & moveamur, ut hac vel illa membra, manus, aut pedes moveamus, non tamen jure dixerimus, speciem hanc motus, ut moveamur ad cadendum, aut interficiendum, aut aliena rapienda, ex Deo habere: sed motum in universum à Deo accepimus; sed motu ad meliora, vel ad deteriora utimur: ita & vim agendi, quâ animalia sumus, & velle, ab Opifice accepimus: Nos autem quà homines, voluntate ad honesta, vel ad contraria, quemadmodum & agendi virtute utimur.*

Sic Origenis mentem exponit Sanctus Thomas III. contra Gentes, cap. 89. Meritò igitur Sanctus Hieronymus in Epistola ad Ctesiphontem, vocat Pelagianam Hæresim, *Ramusculum Origenis.*

Qui plura volet, legat Episcopum Iprensem Jansenium lib. 6. de Hæresi Pelagiana, cap. 13. & sequentibus usque ad decimum octavum, & eruditissimum Huetium, lib. 2. Origenianorum, cap. 2. Quæst. 7. ubi & Jansenium in multis meritò reprehendit, sed in eo sapientissimè ac doctissimè, quòd indifferentiam, exclusionemque necessitatis ad utrumlibet, essentialem esse humani arbitrii libertati, Pelagii capitalem errorem esse dixerit: huncque Origenem præformasse. Enimverò hanc libertatis notionem Concilia, & Sancti Patres tradiderunt, quam Origenes protulit: & eam Sanctus Augustinus amplexus est; qui nusquam à Pelagianis de liberi arbitrii natura dissentire se leviter innuit; vel ipsorum verba, quibus in utriuslibet eligendi potestate illud positum esse contendebant, ob quam hanc ob causam reprehendit. Cùm ergo Jansenius Origeni adscribit errorem fictitium, ipse meditatur ac molitur errorem verum, & damnatæ propositionis fundamenta jacit: *Ad merendum, vel demerendum in statu naturæ lapsæ, non requiritur libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione*

ARTICULUS

## ARTICULUS IV.

### *Utrum Origenes de Eucharistiæ Sacramento rectè senserit?*

MUlta ex Origene testimonia proferunt Heterodoxi contra realem Corporis Christi in Eucharistia præsentiam, & contra fidem Transsubstantiationis. Primum & celeberrimum occurrit Tomo 11. in Matthæum pag. 253. Huetianæ Editionis; ubi quemdam sibi objicit dicentem: *Quemadmodum non quod intrat in os coinquinat hominem, etiamsi existimetur à Judæis impurum, ita quod ingreditur in os non sanctificat hominem, etiamsi à simplicioribus existimetur sanctificare, id quod Domini Panis appellatur.* Respondet Origenes: *Quemadmodum non cibus, sed conscientia ejus qui cum dubitatione comedit, comedentem inquinat; & quemadmodum inquinato & incredulo nihil purum est, non quidem per se, sed propter illius contaminationem & incredulitatem; ita id quod sanctificatum est per Verbum Dei & orationem, non ex se utentem sanctificat; nam si id ita esset, sanctificaret & illum qui indignè Domino comedit .... Ac proinde in Pane Domini utilitas est ei qui utitur, cùm intemerata mente & pura conscientia Panis fit particeps. Sic autem neque bono aliquo privamur, ex eo quòd non comedamus de Pane per Verbum Dei & orationem consecrato, nempe propter ipsam ab eo abstinentiam: neque ex eo quòd comedamus, bono aliquo abundamus. Nam causa privationis malitia est & peccata; & abundantiæ causa justitia est & rectè facta: ut tale sit id quod à Paulo dicitur his verbis: Neque enim si manducaverimus, abundabimus; neque si non manducaverimus, deficiemus. Quòd si verò id omne quod intrat in os, in ventrem vadit, & in secessum emittitur; & cibus ipse per Verbum Dei, & orationem consecratus, secundum illud quidem ipsum quod materiâ constat, in ventrem abit, & in secessum ejicitur; secundum orationem autem quæ illi accessit juxta propositionem fidei, utilis fit, efficitque ut perspicax fiat animus, spectans ad id quod prodest; nec Panis materia, sed super eum prolata oratio, ea est quæ illum juvat qui non indignè Deo hunc comedit. Et hæc quidem de typico & symbolico corpore.*

Tres propositiones præcipuas loco isto contineri dicunt Heterodoxi, quæ realis præsentiæ Corporis Christi in Eucharistia & Transsubstantiationis fidem vehementer pulsant. 1. Quòd neque abstinendo ab hoc pane, aliquo bono fraudamur, nec eumdem comedendo aliquo bono augemur. 2. Quòd Panis consecratus, secundùm quòd materiâ constat, in ventrem vadit, & in secessum emittitur, vulgarium instar ciborum. 3. Quòd Panis ille typicum & symbolicum Christi Corpus est.

Verùm hic locus causam Sacramentariorum nequaquam juvat. Primæ enim propositionis sensus est, Corpus Christi non ex se solùm & simpliciter edenti sanctitatem conferre, sed si à suscipiente certa fides & purus animus adhibeantur. Qui enim criminibus pollutus ad sacram Mensam accedit, judicium sibi manducat & bibit. Similiter homo hoc abstinens Sacramento, quia sibi nondum satis probatus, vel alicujus noxæ lethalis sibi conscius est, bono aliquo non privatur, imò magnum in se arcesseret malum, si eo in statu positus sumeret Corpus Christi, quia mortem animæ suæ consciscerer.

Secundæ propositionis sensus est, accidentia quæ ex materia Panis supersunt, & ipsius sunt propria, corrupta à stomacho, in secessum abire; orationem, verò super Panem prolatam, id est, mystica verba quibus Panis consecratur, illum comedentibus utilem efficere, transmutando utique illud in Corpus Christi.

Tertiæ Propositionis sensus est, Corpus Christi in Eucharistia, typo & specie Panis esse involutum, non verò nudum, & propterea typicum & symbolicum ab Origene appellatur, quod sub specie & symbolo Panis delitescat. Vel, Eucharisticum Panem vocat Corpus typicum & symbolicum, non quòd Corporis absentis sit typus & symbolum, ut Heterodoxi contendunt: sed quia, cùm reipsa sit Corpus Christi, aliarum rerum typus & symbolum est, puta suiipsius extra Sacramentum, ut fuit olim in Cruce, & ut nunc est in cælo: Vel resurrectionis nostræ; vel mystici Corporis, scilicet Ecclesiæ. Hanc expositionem similibus locutionibus Origenis illustrat & confirmat Vir clarissimus & doctissimus Daniel Huetius, libro 2. Origenianorum Quæst. 14. Sæpe enim res quasdam symbolicas appellat Origenes, vel symbolicè tales; non quòd revera ipsis non conveniant quæ de ipsis dicuntur, sed quia rerum insuper aliarum symbola sunt. Exempli gratiâ Tomo 32. in Joannem pag. 405. ait Joannem symbolicè recubuisse in sinu Christi: non quòd revera in sinu Christi non recubuerit; sed quòd recubitus ille propensissimi amoris, quo in Christum affectus erat Joannes, symbolum esset. Ibidem pag. 411. ait symbolicè noctem fuisse, cùm Judas è Cœna exiit Christum proditurus; non quòd reverâ nox non esset; sed quòd nox illa symbolum esset noctis alterius, quæ Judæ animo incubabat. Tom. 14. in Matthæum ait Sanctum Paulum jussisse ut Episcopus, Presbyter & Diaconus symbolicè monogami essent; non quòd reverâ monogamos non esse velit; sed quòd monogamia illa symbolum sit munditiei animæ, quam servare debent, qui sacris Ministeriis sunt præpositi. Denique Tomo 16. in Matthæum, Summum Judæorum Sacerdotem, symbolicum appellat, non quòd Sacerdos revera non esset, sed quod symbolum esset veri Sacerdotis, Christi: & Sacrificia Legis Mosaicæ symbolica appellat; non quòd revera Sacrificia non essent; sed quòd symbola essent Sacrificii Christi. Pari modo igitur, cùm Corpus Christi appellat symbolicum, non negat esse reipsa præsens in Eucharistia; sed quatenus ibi præsens est, typum & symbolum esse vult aliarum rerum, puta suiipsius extra Sacramentum. Id quod satis indicat Origenes, cùm proximè subjungit: *Multa autem de ipso Verbo dici possint; quod Caro factum est verusque cibus*, &c. ubi loquitur de Corpore Christi extra Sacramenmm.

Secundus locus est ex Tractatu 35. in Matthæum. *Panis iste*, inquit, *quem Deus Verbum Corpus suum esse fatetur, Verbum est nutritorium animarum, Verbum de Deo Verbo procedens, & Panis de Pane cælesti.* Sed neque hic locus, qui totus in allegoria positus est, favet Calvinistis. Nam si juxta literam id intelligendum est, quomodo Panis ille, secundùm id quod ex materia concretum habet, in ventrem abit, & in secessum ejicitur, ut ex Origene objiciunt? Id certè non convenit pani, qui Verbum tantùm est nutritorium animarum. Nec movere nos debet, quòd Corpus Christi panem vocet Origenes. Ideò enim sic illud appellat, quia panis fuit, & nunc quoque cùm Christi Corpus est panis speciem gerit.

Tertius locus est ex Homilia 7. in Leviticum. *Est*, inquit, *& in Novo Testamento litera, quæ occidit eum, qui non spiritaliter quæ dicuntur, adverterit. Si enim secundùm literam sequaris hoc ipsum quod dictum est: Nisi manducaveritis Carnem meam, & biberitis Sanguinem meum, occidit hæc litera.* Secundùm literam comedere, est realiter comedere: cùm itaque neget Origenes Corpus Christi

comedi secundùm literam, illud re ipsa comedi negat.

Sed hunc locum in alienum planè sensum torquent Heterodoxi. Corpus Christi secundùm literam comedere, est illud comedere ut vulgares cibos, terendo & comminuendo dentibus, in ventriculo concoquendo, & in corporis alimentum distribuendo. Proinde meritò negat Origenes hæc verba, *Nisi manducaveritis Carnem meam*, secundùm literam esse intelligenda: quia Sacramentaliter Carnem suam manducari jussit Christus: non materiali illo & carnali modo quo Capharnaitæ intelligebant.

Quartus locus est ex Homilia 9. in Leviticum. *Ritus quidem*, inquit, *apud Veteres propitiationis pro hominibus qui fiebat ad Deum, qualiter celebraretur edocuit: sed tu qui ad Christum venisti Pontificem verum, qui Sanguine suo Deum tibi propitium fecit, & reconciliavit te Patri, non hæreas in Sanguine carnis, sed disce potiùs Sanguinem Verbi, & audi ipsum tibi dicentem: Quia hic Sanguis meus est, qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorum.* Si non est hærendum in Sanguine carnis, non est existimandum Sanguinem Christi in Eucharistia esse præsentem.

Nebulas offundunt clarissimo loco Novatores. Planissimus est verborum sensus. Agitur ibi de Sacrificiis Mosaicis, quæ figura erant mortis Christi: ideo non hærendum esse ait Origenes in Sanguine carnis, id est, in Sacrificiis Veteris Testamenti, sed mentem ad Sanguinem Christi, & Sacrificium novæ Legis erigendam.

Quintus locus est ex Homilia 7. in Leviticum. Ibi exponit Origenes præceptum Aaroni & Sacerdotibus traditum, ne ad Altare accessuri, vinum biberent. Christum per hunc Pontificem, Apostolos per Sacerdotes ait adumbrari; & Christum quidem cùm ad Altare, scilicet ad Crucem esset accessurus, vinum non bibisse, Apostolos verò bibisse vinum, quia nondum ad Altare Crucis erant accessuri. *Venerat*, inquit, *in hunc mundum Salvator, ut pro peccatis nostris Carnem suam offerret hostiam Deo. Hanc priusquam offerret, inter dispensationum moras vinum bibebat: denique dicebatur homo vorax & vini potator, amicus publicanorum & peccatorum: ubi vero tempus advenit Crucis suæ; Accipiens*, inquit, *Calicem benedixit & dedit Discipulis suis, dicens: Accipite & bibite ex hoc. Vos*, inquit, *bibite, quia non accessuri estis ad Altare. Ipse autem tamquam accessurus ad Altare, dicit de se: Amen dico vobis, quia non bibam de generatione vitis hujus, usquequo bibam illud vobiscum novum in regno Patris mei.* Ex hoc loco Heterodoxi colligunt, Apostolos merum vinum in ultima Cœna bibisse, quemadmodum Aaron & Sacerdotes ad Altare non accessuri merum vinum bibebant.

At ex totius loci serie & scopo Origenis patet, ipsum non asserere similitudinem omnimodam inter vinum Aaronis & Sacerdotum, & vinum Christi ac Discipulorum; sed in hoc dumtaxat, quòd sicut Pontifici & Sacerdotibus ad Altare accessuris vino interdicebatur, secundùm vetus illud Levitici præceptum: ita Christus ad Altare Crucis accessurus vino abstinuit, ut ille quidem putat; Apostoli verò qui nondum ad Altare accessuri erant, id est, nondum passuri Martyrium, vinum biberunt.

Sextus locus depromptus est ex Homilia 16. in Numeros, *Bibere dicimus Sanguinem Christi*, inquit, *non solùm Sacramentorum ritu, sed & cum sermones ejus recipimus, in quibus vita consistit, sicut & ipse dicit: Verba quæ locutus sum, spiritus & vita est.* At Catholicæ causæ favet potiùs quàm noceat iste locus. Distinguit enim Origenes sacramentalem Sanguinis Christi in Eucharistia potationem, ab alia quâ spiritaliter bibitur, cùm sermones ejus recipiuntur.

Septimus locus habetur Tom. 32. in Joannem pag. 411. Editionis Huetianæ, ubi de offula Judæ à Christo porrecta disserens, vim quamdam ei à Servatore inditam fuisse ait, ex qua Judas adjumentum perciperet, nisi anticipasset Satanas offulæ usum. Id gemino illustrat exemplo Origenes: primo Corporis & Sanguinis Christi, quæ in iis qui dignè sumunt, bonum; in iis qui indignè, condemnationem operantur: altero panis illius communis quo alimur, quique pro comedentis habitu, vel sanitatem confert ac vigorem, si valenti corpore, vel morbum, si febriculoso ac infirmo sumatur. *Sic*, inquit Origenes, *offulam Judæ à Jesu datam ejusdem generis fuisse cum ea quam dedit cæteris Apostolis, dum diceret: Accipite & comedite, sed illis quidem ad salutem; Judæ verò ad condemnationem, ita ut post offulam ingrederetur in illum Satanas.* Ex quibus sic colligunt Heterodoxi: Offula Judæ porrecta, ejusdem erat generis ac Eucharisticus Panis, ex Origene: atqui offula illa merus fuit panis: Ergo & Eucharistia merus Panis est.

Utrum offula Judæ à Christo porrecta esset Eucharistia.

Ad id respondeo primò, Existimasse videri Origenem, quòd Offula illa Judæ à Christo porrecta, fuerit Panis ipse Eucharisticus: quam sententiam & Sanctus Cyrillus Alexandrinus in 6. Joannis, & Anastasius Sinaita Oratione de Synaxi amplexi sunt. Quod si ita sit, nego offulam illam in sententia Origenis fuisse merum Panem.

Respondeo secundò, in alia hypothesi, qua offula Judæ porrecta distincta fuisse supponitur à Pane Eucharistico, comparationem ab Origene inter utrumque non institui quoad naturam Panis, sed quoad efficientiam, ac vim juvandi vel nocendi, pro sumentis habitu. Hanc responsionem apposito exemplo illustrat doctissimus Huetius. Fimbria vestis Christi, quæ Hemorrhoissam sanavit, ex contactu sacri Corporis Christi virtutem contraxerat, sicut offula à Jesu Judæ porrecta. Fimbriæ contactus, pro tangentis pietate vel nequitia utilis esse poterat, vel noxius. Pari ergo jure fimbriæ contactum cum Panis Eucharistici esu comparare potuit Origenes. Utraque enim in eo conveniebant, quòd pro tangentis & edentis habitu salubria vel damnosa esse poterant; in aliis discrepabant. Id si fecisset, utraque dicere potuisset similia; non quidem quoad naturam, sed quoad vim illam & efficientiam. Idem de offula Pani Eucharistico assimilata dicendum est. Alioqui si quoad omnia convenientia illa ac similitudo intelligenda esset, sequeretur eadem virtute pollere panem nostrum quo quotidie vescimur, ac offulam illam, cui vim singularem contactu suo Christus indidit: quia offulam Judæ porrectam pani illi quo vitam sustinemus, dixit esse similem. At id absurdissimum est. In eo namque posita est dumtaxat Origenis comparatio, quòd sicut panis noster corpori, pro comedentis habitu, robur conciliare potest, vel morbum; ita offula Judæ porrecta, ipsi pro varia dispositione animi poterat esse salubris, vel noxia.

Octavus locus petitur ex Prologo in Cantica. *Est*, inquit, *materialis hujus hominis, qui & exterior appellatur, cibus, potusque natura sua cognatus, corporeus iste scilicet & terrenus. Similiter autem & spiritalis hominis ipsius, qui & interior dicitur, est proprius cibus, ut Panis ille vivus qui de cælo descendit. Sed & potus ille est ex illa aqua quam promittit Jesus dicens: Quicumque biberit ex hac aqua, quam ego do, non sitiet in æternum. Sic ergo per omnia similitudo quidem vocabulorum secundùm utrumque hominem ponitur; rerum verò proprietas unicuique discreta,*

*&*

*& corruptibili corruptibilia prabentur : incorruptibili verò incorruptibilia proponuntur. Unde accidit, ut simpliciores quidam nescientes distinguere ac secernere qua sint, qua in Scripturis divinis interiori homini, qua verè exteriori deputanda sint, vocabulorum similitudinibus falsi, ad ineptas quasdam fabulas & figmenta inania se contulerint, ut etiam post resurrectionem cibis corporalibus utendum crederent, potùmque sumendum, non solùm ex illa vite vera & vivente in sacula, verùm & ex his vitibus ligni.* Cibus hominis interioris, ex Origene, spiritalis & incorporeus est : non ergo sumitur & manducatur ore corporis : sed fide tantùm apprehenditur.

Respondeo, Origenem eò loci non loqui de quocumque cibo interioris hominis, sed de aliquo tantùm. Duplex enim cibus, duplex esus interioris hominis potest intelligi : unus Sacramentalis, cùm Christi Corpus ore recipimus ; alter, cùm Verbum carnem factum fide apprehendimus & comedimus. Uterque 6. Joannis capite exponitur. Posterior à versu 31. ad hæc verba versus 52. *Et Panis quem ego dabo ;* Prior verò ab his ad versum 59. Si esus ille spiritalis hominis, quo de loquitur Origenes, intelligatur ille quo Verbum carnem factum fide comedimus, nihil inde lucrantur heterodoxi. Quis enim neget Verbum carnem factum, quatenus fide apprehenditur, cibum esse animæ proprium, non corporis ? Et hic quidem esse videtur istius loci sensus. Si verò esus sacramentalis Panis illius vivi qui de cœlo descendit, significetur, suo gladio confodiuntur Hæretici, qui hunc Origenis locum nobis objectant. Illum namque cibum vocabulo tantùm cum cibis reliquis convenire ait Origenes, suam verò unumquemque proprietatem servare : illos corrumpi, hunc integrum manere : sic nos Panem Eucharisticum cum aliis panibus vocabulo convenire dicimus, reipsa discrepare ; hos corrumpi, Corpus verò Christi corruptis accidentibus, incorruptum manere. Illos in corporum nostrorum substantiam mutari ; illum animæ, interiori scilicet homini ac spiritali alimoniam subministrare. Quæ exponendi ratio, verbis Origenis mirè concinit. At Heterodoxorum dogma planè & à verbis & à sensu Origenis alienum est. Ille enim Panem Eucharisticum solo nomine cum panibus reliquis convenire asserit, illi reipsa convenire dicunt : hunc animæ cibum esse docet Origenes ; illos corporis tantùm esse pabulum fatentur Heterodoxi : hos corporeos & terrenos Origenes vocat, ut ab illo distinguat, qui spiritalis est & Sacramentalis ; Heterodoxi verò & hunc & illos pariter corporeos esse & terrenos contendunt.

Ultimus locus sumptus est ex libro 8. contra Celsum. *Nos*, inquit, *qui rerum omnium Conditori placere studemus, cum precibus & gratiarum pro beneficiis acceptis actione oblatos panes edimus, Corpus jam per precationem factos sanctum quoddam, & sanctificans utentes eo cum sano proposito.* At hic locus jugulum petit Heterodoxorum. Quid est enim Panes oblatos per precationem fieri sanctum quoddam Corpus, & Sanctos faciens, qui cum sano proposito eo utuntur, nisi eos per mystica verba & consecratoria effici Corpus Christi ?

Cæterùm Origenem de Sacramento Eucharistiæ idem sensisse quod Catholica, Apostolica & Romana nunc docet Ecclesia, duobus ejus testimoniis evidentissimè ostenditur. Primus petitur ex Homilia 13. in Exodum, ubi Auditores ad retinendum corde verbum Dei adhortatur. *Volo*, inquit, *vos admonere religionis vestra exemplis. Nostis, qui divinis Mysteriis interesse consuevistis, quomodo cum suscipitis Corpus Domini, cum omni cautela & veneratione servatis, ne ex eo parum quid decidat, ne consecrati muneris aliquid dilabatur : reos enim vos creditis, & rectè creditis, si quid inde per negligentiam decidat. Quòd si circa Corpus ejus conservandum tanta utimini cautela, & merito utimini : quomodo putatis minoris esse piaculi verbum Dei neglexisse, quàm Corpus ejus ?* Panem Eucharisticum ter Corpus Domini in hoc brevissimo loco vocat Origenes. An ita vocarent Calviniani Ministri, cùm in suis Templis concionantur ? Panis ille munus erat in sacris Mysteriis consecratum. Idne convenit Pani quem in sua Cœna distribuunt ? Summa religione cavebant Fideles ne aliquid Eucharistici Panis in terram decideret, ac se reos existimabant si id sua contingeret negligentia. Nullo verò ejusmodi scrupulo Calvinistæ laborant. Credebant scilicet veteres illi Christiani Eucharistiam esse verum Corpus Domini ; Calvinistæ meram figuram ipsius hanc esse arbitrantur.

Alter locus depromptus est ex Homilia 7. in Numeros : ubi in veteri Lege figuras tantùm & ænigmata præcessisse ait earum rerum, quarum specie & veritate in Lege nova fruimur. *Nunc*, inquit, *in specie petra Christus est. Nunc enim os ad os loquitur per Legem Deus. Antea in ænigmate fuit Baptismus in nube & in mari ; nunc autem in specie regeneratio est in aqua & Spiritu Sancto. Tunc in ænigmate erat manna cibus : nunc autem in specie Caro Verbi Dei est verus cibus, sicut & ipse dicit : Caro mea verè est cibus, & Sanguis meus verè est potus.* Ineptum planè sensum involverent hæc verba, si secundùm Calvinianos intelligenda essent. Sensus enim illorum esset : In veteri Lege manna cibus erat in ænigmate, quatenus scilicet Carnem Christi significabat : in nova autem Lege Panis est figura Carnis Christi. At, secundùm Catholicam sententiam, præclara est Origenis antithesis. Manna enim ait figuram fuisse : nunc autem Carnem Christi verum esse cibum per manna adumbratum, & veterem illam Legis Mosaicæ figuram adimplentem.

Laudat & alium locum Bellarminus ex Homilia 5. in diversos. Sed cùm eam, aliasque, Origenis non esse viri eruditi fateantur, causæ Catholicæ præsidium ex illa mutuari nolim.

## SCHOLION.

Ad hunc Articulum, & ad pag. 598. Editionis primæ, Religiosi Censores hanc Propositionem notant : *Panis Juda à Christo porrectus, non fuit Eucharisticus.*

R. Non ita scripsi. *De offula Juda à Christo porrecta* loquor, de qua variæ cùm fuerint Patrum sententiæ, quibusdam asserentibus offulam illam panem ipsum Eucharisticum fuisse, scilicet Origene, Sancto Cyrillo Alexandrino & Anastasio Sinaita ; aliis affirmantibus fuisse ab Eucharistia distinctam : Secundùm utramque sententiam dilui Objectionem Hæreticorum contra realem Corporis Christi præsentiam in Eucharistia, petitam ex *Origenis* testimonio Tomo XXXII. in Joannem, & *Origenem*, quoad hoc fidei caput, ab errore vindicavi. Quæstionem autem illam non expendi (quia ut expenderem necesse non erat) Utrum offula seu buccella Judæ à Christo porrecta, de qua *Joannis* XIII. fuerit Panis Eucharisticus. Id nec asserui, nec negavi. Verumtamen longè probabilior est illa sententia quam mihi tribuunt Reverendi Censores, & quam ipsis notare placuit ; *Offulam scilicet Juda à Christo porrectam Panem Eucharisticum non fuisse.* Jam enim Cœna facta fuerat, jam Apostolis suis simul & ipsi Judæ Corpus & Sanguinem suum Jesus porrexerat, cùm intinctum Panem Judæ seorsum dedit, ut illum proditorem esse Joanni supra pectus suum recumbenti indicaret, ut habetur Joannis XIII. *Respondit Jesus : Ille est cui ego intinctum Panem porrexero. Et cùm intinxisset panem, dedit Juda Simonis Iscariota. Et post buccellam introivit in eum satanas . . . Cùm ergo accepisset ille buccellam, exivit continuò.* Buccella intincta in paropside, unique Judæ seorsim porrecta, Eucharistia certè non fuit. Id *Sanctus Augustinus* confirmat Tractatu LXII. in Joannem : *Non autem*, inquit, *ut putant quidam negligenter legentes,*

tunc

*tunc Judas Christi Corpus accepit. Intelligendum est enim quòd jam omnibus eis distribuerat Dominus Sacramentum Corporis & Sanguinis sui, ubi & ipse Judas erat, sicut Sanctus Lucas evidentissimè narrat. Ac deinde ad hoc ventum est, ubi secundum narrationem Joannis apertissimè Dominus per buccellam tinctam atque porrectam suum exprimit Traditorem, fortassis per panis tinctionem illius significans fictionem.* Idem confirmat Sanctus Thomas in cap. XIII. Sancti Joannis, Lectione 4 hæc verba *Et cùm intinxisset panem, dedit Judæ*, explicans. *Aliqui dicunt*, inquit, *panem fuisse Corpus Christi consecratum. Sed hoc secundum Augustinum non est verum. Nam sicut ex aliis Evangelistis habetur, Dominus cùm cœnaret, Discipulis Corpus suum dedit; & ideo patet quòd Judas cum aliis Discipulis simul Corpus Christi accepit in Cœna. Christus autem postquam aliquantulum in Cœna processerat, surrexit à Cœna, & lavit pedes Discipulorum, quibus lotis resedit, & postmodum panem tinctum Judæ tradidit. Unde patet quòd non erat Corpus Christi.*

Luca cap. 22. & 21.

# DISSERTATIO XVII.

## De Origenis Defensoribus.

### ARTICULUS UNICUS.

*Utrum omnes Origenis Defensores de suspicione hæreseos fuerint periclitati?*

PRÆNOTANDUM est tribus modis errorum Auctores defendi posse. Primò, cùm non Auctoris dumtaxat, sed etiam erroris suscipitur patrocinium. Secundò, cùm error damnatur, & ab eo vindicatur Auctor. Tertiò cùm damnare quis recusat Auctorem, & verbis ita æquivocis, & obscuris suam de errore sententiam exponit, illum D ut propugnare præsumatur. His tribus modis suscepta est à pluribus Origenis defensio. Patrocinatus est Origeni, & ejus circa Sacro-sanctam Trinitatem erroribus, Eusebius Cæsareensis. Ejusdem errores & auctoritatem sectatus est, quod alia capita ab Ecclesia damnata, Dydimus. Eumdem vindicavit ab erroribus circa Trinitatem perspicacissimus ille Cæcus, erroresque ipsi adscriptos execratus est. Denique Rufinus non Origenem tantùm, sed & ejus errores palam & disertè damnare recusavit, verbis ita æquivocis & involutis suam exprimens E sententiam; in iis controversiis quæ Origenis errores spectabant, ut eos tueri meritò præsumeretur.

### PROPOSITIO I.

*Damnati sunt ut Hæretici ab Ecclesia, qui ita defenderunt Origenem, ut ejus errores sectarentur.*

Probatur primò, ex Epistola Theophili Alexandrini ad Sanctum Hieronymum data in qua hæc habet: *Non ambigo quin nostrum studium probes,* F *& in Ecclesiæ victoria glorieris. Namque Origenis hæresim in Monasteriis Nitriæ quidam nequam & furiosi homines ferre & fundere cupientes, Prophetica falce succisi sunt.*

Probatur secundò, ex Sancto Epiphanio in Epistola ad Joannem Hierosolymitanum, in qua hæc scribit: *Nihil mihi surripuit Origenes; nec in mea generatione fuit, nec propter aliquas res mundi, & hæreditatem, odium adversus illum, pugnasque suscepi; sed ut simpliciter fatear, doleo, & valde doleo, videns plurimos Fratrum, & eorum præcipuè qui professionem habent non minimam, & in gradum quoque Sacerdotii maximum pervenerunt, ejus*

Extat inter Sancti Hieronymi Epistolas 69.

A *persuasionibus deceptos, & perversissimâ doctrinâ cibos factos esse diaboli.*

Probatur tertio, ex Sancto Hieronymo in Apologiis contra Rufinum, Epistola 61. adversùs errores Joannis Hierosolymitani, & Epistola 65. ad Pammachium & Oceanum, quo posteriori loco ita scribit: *Cæterorum vitia de libris suis ad hoc tantùm excerpitis* (ô Origenistæ) *ut hujus defendatis errorem. Origenem sic fertis in cœlum, ut nihil eum errasse dicatis. Quisquis es assertor novorum dogmatum, quæso te ut parcas Romanis auribus, parcas fidei, quæ Apostoli voce laudata est. Cur post quadrin-* B *gentos annos docere nos niteris, quod ante nescivimus? cur profers in medium quod Petrus & Paulus edere noluerunt? Usque ad hunc diem sine ista doctrina mundus Christianus fuit. Illam senex tenebo fidem, in qua puer natus sum.*

Contra omnes hæreticos militat illa S. Hieronymi sententia.

Et in Epistola ad Joannem Hierosolymitanum, hunc Antistitem de hæresi suspectum fuisse refert, quòd octo Capita Origenianæ doctrinæ, seu octo errores propugnare videretur: & ob id multos tum ex Clero, tum ex Monasteriis Palæstinæ, sese ab ejus Communione subtraxisse. Conquerebatur quidem Joannes Hierosolymitanus totam illam con- C tra se tempestatem ab Epiphanio Salaminæ Cypri Episcopo, ab Hieronymo, & à Monachis Palæstinæ excitatam, quòd ipse Pauliniani Ordinationem Epiphanio factam improbasset, eique sacris Ministeriis interdixisset. Sed illi propter sola Origenis dogmata se ab eo dissidere contestabantur, quæ si ejuraret, & ab octo capitalium errorum se purgaret suspicione; cum eo se communionem lubenter inituros spondebant. *Quæ hæc est tanta arrogantia*, inquit Sanctus Hieronymus, *non respondere de fide interrogantibus? Tantam Fratrum multitudinem, & Monachorum turbas, qui tibi in Palæsti-* D *na non communicant, quasi hostes publicos æstimare? Dei Filius propter unam morbidam ovem, nonaginta novem in montibus derelictis, alapas, crucem, flagella sustinuit, & suis humeris portavit ad cœlos, bajulans & patiens delicatam peccatricem. Tu beatissimus Papa, & fastidiosus Antistes, solus dives, solus sapiens, solus nobilis ac disertus, Conservos suos, & redemptos Sanguine Domini sui, rugata fronte, & obliquis oculis despicis? Hoc est illud quod Apostolo præcipiente didicisti: Parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea quæ in vobis est spe? Finge nos occasionem quærere, & sub prætextu fidei* E *lites serere, schisma conficere, jurgia concitare. Tolle occasionem volentibus, ut postquam de fide satisfeceris, & omnes nodos, qui contra te nectuntur, absolveris: tunc liquidò omnibus probes, non dogmatum, sed Ordinationis esse certamen....* Et infrà: *Octo tibi ut statim probabo, de spe fidei Christianæ quæstionum capita objecta sunt. Tria tantum tangis, & præteris: in cæteris grande silentium est.*

Probatur quartò, ex Anastasio Pontifice Maximo, qui Rufinum damnavit, non ob susceptas Origenis vindicias, sed ob datum ejus erroribus assensum. Ita porro scribit ea de re ad Joannem F Hierosolymitanum Anastasius: *Rufinum scito, quòd propria mente Origenis dicta in Latinum transtulit, ac probavit: nec dissimilis ab eo est, qui alienis vitiis præstat assensum.*

Probatur quintò. Eusebius Cæsareensis Origenem defendens ab errore circa Mysterium Sanctissimæ Trinitatis, hæreticus audiit, quia prava Origenis dogmata tuebatur, & hæretica esse nihilominus negabat. Et Dydimus Alexandrinus pariter hæreticus habitus est, quòd Origenis vindicias ita susciperet, ut ejus errores sectaretur, non quidem circa Trinitatem, sed circa alia Fidei Christianæ capita: ergo damnati sunt ut hæretici, qui ita defenderunt Origenem, ut ejus errores sectarentur.

Probatur

Probatur antecedens ex Sancto Hieronymo, libro primo Apologiæ adversùs Rufinum, cap. 2. *Sex libros*, inquit, *Eusebius Cæsareensis Episcopus, Arianæ quondam signifer factionis, pro Origene scripsit, latissimum, & elaboratum opus, & multis testimoniis approbavit Origenem juxta se Catholicum, id est, juxta nos Arianum esse.*

Et libro 2. Apologiæ cap. 4. *Vir*, inquit, *doctissimus Eusebius (doctissimum dixi, non Catholicum) per sex Volumina nihil aliud agit, nisi ut Origenem ostendat suæ fidei, id est, Arianæ perfidiæ: & multa ponit exempla, & hoc constanter probat. Tibi ergo in quo somnio Alexandrini carceris revelatum est, ut quæ ille vera profitetur, falsata confingas?*

Et infra: *Hoc dumtaxat de Filio, & de Spiritu Sancto. Cæterum in aliis dogmatibus, & Eusebius, & Dydimus, apertissimè in Origenis scita concedunt: & quod omnes Ecclesiæ reprobant, Catholicè & piè dictum esse defendunt.*

Probatur sextò ex Edicto Justiniani Imperatoris contra Origenem, quod à Quinta Synodo susceptum & probatum est, in quo damnantur quicumque Origenis defendunt dogmata, novem damnata Anathematismis ibidem insertis: *Anathema*, inquit, *& Origeni, qui & Adamantius, qui hæc exposuit, unà cum nefaria, atque execrabili, scelestaque ejus doctrina, & cuivis qui ea sentiat, aut defendat, aut ullomodo prorsus quocumque tempore tueri præsumat.*

## PROPOSITIO II.

*Non sunt damnati hæreseos, qui Origenem ita ab errore vindicarunt, ut ipsius errores non propugnarent: sed illos ipsi perperam affictos contenderent, aut ab Hæreticis intrusos.*

Probatur primò. Didymus Origenis doctrinam de Trinitate omnis puram erroris contendebat: atqui nemo hæreseos damnavit Didymum circa Trinitatem: ergo non sunt damnati hæreseos, qui Origenem ita vindicarunt ab errore, ut ipsius errores non propugnarent.

Major & minor probantur testimonio Sancti Hieronymi libro 2. Apologiæ adversùs Rufinum, cap. 4. ubi refellens eorum sententiam, qui libros Origenis in dogmatibus Trinitatis spectantibus Mysterium interpolatos asserebant; ostendit Eusebium hæc ipsa dogmata planè hæretica in iis legisse. Tum occupat eorum responsionem, qui dicerent, Eusebium Arianum hominem in suæ hæreseos patrocinium illa traxisse, quæ Origenis libris ab hæreticis addita fuerant: quod refellit his verbis: *Sed forsitan hic ut Arianus ab hæreticis addita in occasionem sui traxit erroris, ne solus malè sensisse contra Ecclesiam putaretur. Quid respondebis pro Didymo, qui certè in Trinitate Catholicus est? Cujus etiam nos de Spiritu Sancto librum in Latinam Linguam vertimus. Certè hic in iis quæ ab hæreticis in Origenis Operibus addita sunt, consentire non potuit. Et in ipsis τοὶ ἀρχῶν, quos interpretatus es, libris, breves dictavit Commentariolos, quibus non negaret ab Origene scripta, quæ scripta sunt: sed nos simplices homines non posse intelligere quæ dicuntur: & quo sensu in bonam partem accipi debeant, persuadere conatur.* Constat itaque ex Sancto Hieronymo, Didymum Catholicum fuisse circa Trinitatem, quamvis doctrinam Origenis, quâ parte hoc Mysterium tractat, erroris penitùs expertem contenderet.

Probatur secundò. Sanctus Hieronymus Origenismo, & Origenistis infensissimus, Joannem Hierosolymitanum à suspicione erroris absolvit, modò neget Origenem propugnasse errores qui ipsi adscribuntur; aut anathemate feriat eorum manifestum Auctorem. *Quid mihi*, inquit, *longo sermone, & laciniosis periodis Arianum te non esse demonstras? Aut nega hoc dixisse eum qui arguitur: aut si locutus est talia; damna eum, quia dixerit.* Ergo qui Origenem ita defenderunt ut ipsius errores non propugnarent, non sunt hæreseos insimulati.

Probatur tertiò ex judicio Ecclesiæ, quæ posterioribus sæculis, nobiles, pios, & eruditos Origenis Defensores nullâ erroris notâ inussit, quia explorarum erat illos personæ dumtaxat, non errorum suscipere vindicias.

## PROPOSITIO III.

*Qui Origenem ita vindicarunt ab errore; ut verbis apertis prava ejus dogmata non damnarent, nec formulæ Fidei ab Ecclesia contra Origenem editæ subscriberent, sed verbis æquivocis & obscuris suam circa Fidei capita, quæ violavit Origenes, Fidem exponebant, habiti sunt ut Hæretici.*

Probatur primò ex Sancto Hieronymo Epistola 61. adversùs errores Joannis Hierosolymitani, ubi ipsum disertè hæreseos accusat, atque hæreticum esse probat, quòd verbis obscuris & involutis Fidem exponat suam, & quæ in Origenis patrocinium, non minùs quam in ejus damnationem trahi possint: *Oramus*, inquit, *petimus, obsecramus, ut aut simpliciter nostra fateatur, aut apertè defendat aliena. Nolo verborum ambiguitates: nolo mihi dici, quòd & aliter possit intelligi. Revelata facie gloriam Domini contemplemur. Claudicabat quondam & Israeliticus populus in utroque pede: sed Elias, qui interpretatur fortis Domini, Usquequò, ais, claudicatis in utroque vestigio? Si Dominus est Deus, ambulate post eum: si autem Baal, sequimini eum... Certè si hæreseos nulla suspicio est, ut cupio, & credo: cur non verbis meis meum sensum loquitur? Quam ille simplicitatem vocat, ego malitiam interpretor. Persuadere mihi vult quod purè credat. Purè ergo & loquatur. Et siquidem unum verbum, vel unus sensus esset ambiguus, si duo, si tres: ignorantiæ veniam tribuerem, nec ea quæ aut obscura, vel dubia sunt, de certis & perspicuis existimarem: nunc verò quæ ista simplicitas est, quasi super ova & aristas inter theatrales præstigias pendenti gradu incedere ubique dubium, ubique suspectum? Putes eum non expositionem Fidei, sed figuratam controversiam scribere.*

Et infra: *Nolo in suspicione hæreseos quemquam esse patientem: ne apud eos, qui ignorant innocentiam ejus, dissimulatio conscientiæ judicetur: licet superfluum sit ejus præsentiam quærere, & extorquere silentium, cujus apud te literas teneat... Do consilium ut apertè aut Fidem Ecclesiæ prædices: aut loquaris ut credis. Dispensatio etenim ac libratio ista prudens verborum, indoctos decipere potest: cautus Auditor & Lector citò deprehendet insidias, & cuniculos quibus veritas subvertitur, apertè in luce demonstrabit. Et Ariani, quos optimè nosti, multo tempore, propter scandalum nominis, ὁμοούσιος se damnare simulabant, venenaque erroris circumliniebant melle verborum. Sed tandem Coluber se tortuosus aperuit, & noxium caput, & quod spiris totius corporis tegebatur, spiritali mucrone confossum est... Eadem nunc in veteri, & in nova hæresi consuetudo servatur, ut aliud populi audiant, aliud prædicent Sacerdotes.*

Et infra: *Sed dicis: Epistolam meam probavit Alexandrinus Episcopus. Quid probavit? Contra Arium, contra Photinum, contra Manichæum bene locutum. Quis enim te hoc tempore arguit Arianum? Quis tibi nunc Photini, Manichæique crimen impingit?*

*gis? Olim ista emendata sunt, atque concussa. Non eras tam stultus, ut apertè defenderes hæresim, quam sciebas Ecclesiæ displicere. Noveras te, si hoc fecisses, statim loco movendum, & solii tui delicias suspirabas: sic sententiam temperasti, ut nec simplicibus displiceres, nec tuos offenderes. Bene scripsisti, sed nihil ad caussam pertinens.*

Et rursus. *Objicitur tibi quod Magister tuus* (Origenes) *quem Catholicum vocas, quem defendis obnixè, dixerit, Filius non videt Patrem, & Filium non videt Spiritus Sanctus: & tu mihi dicis: Invisibilis Pater, invisibilis Filius, invisibilis Spiritus Sanctus: quasi non Angeli, & Cherubim & Seraphim, secundum naturam suam oculis nostris invisibiles sint..... In laudes cæteras evagaris: peroras in his quæ nullus inquirit. Auditorem aliorsum trahis, ut quod quærimus, non loquaris.*

Præterea, ejusdem Joannis Hierosolymitani, & aliorum Origenistarum strophas circa secundum errorum, qui ipsis objiciebantur, caput detegit. *Hoc nunc rogo*, inquit, *qui tanta loqueris, ut respondeas sciscitantibus brevem absolutamque sententiam. Quando plasmavit Deus hominem ex limo, & per gratiam propriæ insufflationis ei animam tribuit: utrum illa anima fuerit ante, & substiterit, & ubi versata sit, quæ Dei postea insufflatione donata est? An sexto die, quando corpus ex limo formatum est, & esse, & vivere, Dei potestate susceperit? De hoc taces: & quid quæratur, scire dissimulans, in superfluis quæstionibus occuparis. Origenem relinquis intactum, & contra Marcionem, Apollinarem, Eunomium, Arium, Manichæum, cæterorumque Hæreticorum ineptias debaccharis. Manum peteris, & pedem porrigis; & tamen dogma quod retines latenter insinuas; sic nos rusticos placas, ut tuis penitus non displiceas. Dicis ex Angelis dæmones potiùs quàm animas fieri: quasi non & ipsi dæmones, juxta Origenem, animæ sint aërei corporis: & ex dæmonibus postea, si resipuerint, humanæ animæ sint futuri. Angelos scribis esse mutabiles, & sub eo quod pium est, illud quod impium est, introducis, ut multis periodis animæ fiant, non ex Angelis, sed ex iis vocabulis, in quæ sunt priùs Angeli mutati.*

Et infra: *Non pudet Christianos, & Sacerdotes Dei, quasi de rebus ludicris agatur, verbis dubiis hærere, & ambiguas librare sententias, quibus loquens magis, quàm audiens decipitur. Unus ex Choro vestro, cùm à me teneretur, ut diceret quid sentiret de anima, fuisset-ne ante carnem, an non fuisset; Fuisse respondit simul & corpus & animam. Sciebam hominem hæreticum laqueos in sermone quærere; tandem reperi eum, ex quo corpus animasset, ex tunc eam dicere animam nuncupatam, quæ priùs vel dæmon, vel Angelus Satanæ, vel spiritus fornicationis, aut in parte contrariâ, Dominatio, Potestas, Administrator spiritus, aut Nuncius, appellata sit.*

Denique Joannis Hierosolymitani, & Symmistarum circa fidem resurrectionis ludificationes aperit cap. 7. dum observat ipsum novies usum esse nomine corporis, exponendo suam de hominum resurrectione sententiam, ne semel quidem nomine carnis; ut nos quidem in eodem corpore, sed non eadem in carne resurrecturos innueret. *Patet*, inquit, *quare corporis, & non carnis resurrectionem dixeris: scilicet ut nos rudes carnem te dicere putaremus in corpore: & hi, qui perfecti sunt, intelligerent carnem in corpore denegari.... In Symbolo Fidei, & Spei nostræ, quod ab Apostolis traditum, non scribitur in charta & atramento, sed in tabulis cordis carnalibus, post confessionem Trinitatis, & unitatem Ecclesiæ, omne Christiani dogmatis Sacramentum, carnis resurrectione concluditur. Et tu in tantùm in corporis, & iterum corporis, & tertiò corporis, & usque novies corporis, vel sermone, vel numero immoraris: nec semel nominas carnem: quod illi semper nominant carnem, corpus verò tacent.*

Constat igitur Joannem Hierosolymitanum hæreseos suspicione maculatum fuisse, quòd verbis ambiguis suam circa Origeniana dogmata sententiam ac fidem exponeret, nec apertè damnaret ejus errores. Quamobrem Sanctus Hieronymus ab ipso postulat ut clarè & absque mora, percellat anathemate illorum octo capitum, quisquis sit, Auctorem: *Tu mihi*, inquit, *ut crimen extenues, & dissimulato nomine criminosi, quasi secura sint omnia, & nullus in blasphemiis arguatur, crosam fidem artificii sermone contexis. Dic statim, & Epistola tua hoc habeat exordium: Anathema ei qui talia ausus est scribere. Fides pura moram non patitur: ut apparuerit Scorpius, illicò conterendus est.*

Probatur secundò Propositio auctoritate Sancti Hieronymi Epistola 65. ad Pammachium, & Oceanum, ubi de Origenistis ita scribit: *Hoc enim vel maximè cavent, ne quando contra Auctorem suum eorum scripta teneantur. Facilè dicunt cum juramento, quod postea alio solvant perjurio. At subscriptionem tergiversantur, quæruntque suffugia. Alius: Non possum*, inquit, *damnare quod nemo damnavit. Alius: Nihil super hoc à Patribus statutum est: ut dum totius orbis provocatur auctoritas, subscribendi necessitas differatur. Quidam constantiùs: Quomodo*, inquit, *damnabimus, quos Synodus Nicæna non tetigit? Quæ enim damnavit Arium, damnasset utique & Origenem, si illius dogmata reprobasset... Quòd si quando urgeri cœperint; & aut subscribendum eis fuerit, aut exeundum de Ecclesia: miras strophas videas. Sic verba temperant, sic ordinem vertunt, & ambigua quæque concinnant, ut aliter Hæreticus, aliter Catholicus audiat.... Exempli caussâ pauca subjiciam. Credimus*, inquiunt, *resurrectionem futuram corporum. Hoc si bene dicatur, pura Confessio est. Sed quia corpora sunt cælestia & terrestria, & aer iste, & aura tenuis, juxta naturam suam corpora nominantur; corpus ponunt, non carnem, ut Orthodoxus corpus audiens, carnem putet, Hæreticus spiritum recognoscat. Hæc est eorum prima decipula: quæ si deprehensa fuerit; instruunt alios dolos, & innocentiam simulant, & malitiosos nos vocant, & quasi simpliciter credentes, aiunt: Credimus resurrectionem carnis. Hoc verò cùm dixerint, vulgus indoctum putat sibi sufficere, maximè quia idipsum & in Symbolo creditur .... Singula membra negant: & corpus quod constat ex membris, dicunt non resurgere.*

Ex quibus colligitur, eos hæreseos nota inustos fuisse, qui ita patrocinati sunt Origeni, ut prava ejus dogmata disertis verbis non damnarent: nec subscriberent Formulæ Fidei contra ejus errores ab Ecclesia editæ, sed verbis æquivocis, & obscuris, sententiam suam involuerent, ac Fidelibus ludificarentur.

Objicitur in secundam Propositionem. Rufinus errores Origenis damnavit; contenditque solùm ab Hæreticis violatos ejus libros. Ideòque aliqua expunxit, alia addidit in illorum interpretatione, ut ipse in Præfatione librorum περὶ ἀρχῶν. testatur: & si qui sint errores, eos negat sibi adscribendos, qui meri Interpretis functus sit officio. *Si aliquod est*, inquiebat, *quod displiceat in Auctore, quare ad Interpretem detorquetur?* Sed nihilominus Rufinus ab Anastasio Pontifice Maximo damnatus est ut hæreticus, eumque isto nomine Sanctus Hieronymus insectatus est: ergo quicumque Origenem ab errore vindicarunt, etiamsi ab ejus erroribus essent alieni, damnati sunt ab Ecclesia.

Respondeo nego majorem, & distinguo minorem: Et damnatus est Rufinus, quòd Origenis errores probare ac propugnare præsumeret, concedo: & damnatus est, quòd errores illos falsò Origeni

ni adſcriptos contenderet, nego. Itaque Anaſtaſius Pontifex Maximus non damnavit Rufinum quòd Origenem ab errore vindicaret; ſed quòd libros, περὶ ἀρχῶν latinitate donans, ex iis errores dumtaxat contra Trinitatem expunxiſſet, quaſi ab Hæreticis inſertos; & alia prava dogmata intacta reliquiſſet, quæ non inficiabitur Origeniana eſſe: & quæ in Præfatione ſua ſe probare teſtatus eſt: ſiquidem ea ſolùm à ſe reſecata ſcripſit, quæ erronea erant, & ſpongiâ digna. Id teſtatur Anaſtaſius ipſe in Epiſtola ad Joannem Hieroſolymitanum. *Rufinum ſcito*, inquit, *quòd propria mente Origenis dicta in Latinum tranſtulit, ac probavit: nec diſſimilis ab eo eſt, qui alienis vitiis præſtat aſſenſum.*

Id etiam teſtatur Sanctus Hieronymus, libro 2. Apologiæ adverſùs Rufinum: *Præfatio tua*, inquit, *quam nominas, & in qua me miris ornas laudibus, te reum peſſimæ tranſlationis facit: dicis enim quòd de Græco multa decideris; licet taceas, quòd addideris. Quæ decidiſti, mala erant, an bona? Utique mala. Quæ reſervaſti, bona an mala? Utique bona: neque enim mala transferre poteras. Ergo mala amputaſti, & reliquiſti bona? Nulli dubium eſt. Probantur autem, quæ tranſlata ſunt, penè omnia mala: quicquid igitur in tranſlatione monſtravero, tibi imputabitur, qui illud pro bono tranſtuliſti. Aliud eſt, ſi iniquus Cenſor, ejuſdem criminis reus, alios de Senatu pellit, alios in Curia retinet. Sed dicis, Omnia mutare non poteram, ſed ea tantùm quæ addita ab hæreticis arbitrabar, mihi amputanda credidi. Pulchrè. Si amputaſti, quæ addita ab hæreticis exiſtimabas: ergo quæ reliquiſti, ejus ſunt, quem interpretabaris. Si ejus ſunt quem interpretatus es; reſponde utrum bona, an mala ſint? Mala transferre non poteras. Semel enim, quæ ab hæreticis addita fuerant, amputaſti. Niſi fortè hæreticorum mala amputare debueris, & Origenis errores in Latinum integros vertere. Dic ergo quare Origenis mala in Latinum verteris: ut auctorem mali proderes, an ut laudares? Si prodis, in Præfatione cur laudas? Si laudas, hæreticus approbaris. Reſtat, ut quaſi bona protuleris. Si hæc omnia probantur mala: igitur unius, & Auctor, & Interpres, rei criminis erunt: & implebitur illa ſententia: Videbas furem & currebas cum eo; & cum adulteris portionem tuam ponebas.*

Denique Rufinus ideo hæreticus habitus eſt, quòd verbis ambiguis, & obſcuris errorem tegeret, nec Or genis dogmata, etiam ejus tacito nomine, damnare palam & claris, abſolutiſque verbis vellet. Unde Sanctus Hieronymus ipſum urgens ut ſuam de tempore quo anima Chriſti creata eſt, ſententiam aperiat, hæc babet, Apologiæ adversùs Rufinum lib. 2. *Anima iſta quam ſuſcepit Jeſus, tratne antequàm naſceretur ex Maria? An in origine virginali, quâ de Spiritu Sancto naſcebatur, cum corpore ſimul creata eſt; vel jam in utero corpore figurato, ſtatim facta, & miſſa eſt de cœlo? E tribus unum quid ſentias, ſcire deſidero . . . Fatere ſimpliciter, & nos ſcrupulo libera, Nihil horum loqueris; ſed occupatus in aliis, ſimplicitate noſtra abuteris, & præſtigiis pompaque verborum, hærere nos non ſinis quæſtioni.*

Et lib. 3. Apologiæ cap. 9. eumdem Rufinum carpit, quòd ad quæſtionem de Animarum præexiſtentia nihil reſponderet, ſed ſuo ſilentio, & ad alia argumenta diverſione, palam ſignificaret ſe nolle damnare pravum Origenis dogma. *Et iterum clamitas*, inquit, *& Aquileia, atque Alexandria, te didiciſſe jactas, quòd ſit Deus & animarum, & corporum Creator. De hoc ſcilicet quæſtio ventilatur, utrùm Deus, an Diabolus animas fecerit: & non, utrum animæ ante corpora fuerint, quod vult Origenes; & egerint aliquid propter quod ſint craſſis corporibus alligatæ: an in morem glirium torpentes, conſopitæque dormierint? Hæc taces, quæ omnes flagitant: & ad illa reſpondes, quæ nullus inquirit.*

Cæterùm ſtat Rufini ſacramento Sanctus Hieronymus, ſi Origeniſmi ſuſpicionem hac via diluere velit. *Et tu*, inquit, *ſi non es Origeniſtes, vel non fuiſti, credo juranti: ſi fuiſti, ſuſcipis Pœnitentem*, (libro 1. Apologiæ cap. 2.)

Objicitur ſecundò. Monachi Nitriæ damnati ſunt ut Hæretici: ſed illi non propugnabant errores Origenis, unique ejus perſonæ favebant, ut teſtatur Poſthumianus in primo Dialogo Severi Sulpitii: ergo damnati ſunt hæreſeos, qui patrocinati ſunt Origeni, quamvis errores ipſi ad adſcriptos damnarent.

Minor etiam conſtat ex facto Sancti Joannis Chryſoſtomi, qui Fratres Longos à Theophilo damnatos ob Origenis defenſionem, Communione donavit, nuſquam id facturus, ſi Origenis errores ſectati fuiſſent.

Reſpondeo primò: diſtinguo majorem. Damnati ſunt ut hæretici, judicio Eccleſiæ Alexandrinæ, concedo: Judicio omnium Eccleſiarum, nego. Illos enim Sanctus Chryſoſtomus hæreticos non judicavit, ſiquidem ipſos admiſit ad Communionem precum, etſi noluerit eos admittere ad Communionem Sacramentorum, propter reverentiam Theophili, & ne contra Canones peccaret. Certè ſi univerſa Eccleſia Græca illos hæreticos exiſtimaſſet, aliquos ex illis inter Sanctos ſuo non inſcripſiſſet Menologio.

Diſtinguo etiam Minorem. Non propugnabant errores Origenis; ſed tamen ita ſe gerebant, eos ut tueri meritò præſumerentur, eſto: nec eos propugnabant reverà, nec meritò præſumebantur defendere, nego. Nam eorum in Origenis libros obſtinatum ſtudium, in iiſque retinendis, ac legendis, inſuper habitâ Epiſcoporum prohibitione, pertinacia, de Origenianorum errorum patrocinio meritò efficiebat ſuſpectos. Id conſtat ex Poſthumiani laudati narratione. *Properòque curſu*, inquit, *ſeptimo die Alexandriam pervenimus, ubi fœda inter Epiſcopos atque Monachos certamina gerebantur ex ea occaſione, quia congregati ſæpius in unum Sacerdotes frequentibus decreviſſe Synodis videbantur, ne quis Origenis libros legeret, aut haberet, qui Tractator Sacrarum Scripturarum peritiſſimus habebatur. Sed Epiſcopi quædam in libris ipſius inſaniùs ſcripta memorabant, quæ aſſertores ejus defendere non auſi, ab Hæreticis potius fraudulenter inſerta dicebant: & ideo non propter illa, quæ in reprehenſionem meritò vocarentur, etiam reliqua eſſe damnanda; cùm legentium fides facile poſſet habere diſcrimen, ne falſata ſequeretur, & tamen Catholicè diſputata teneret . . . Adverſum hæc Epiſcopi obſtinatiùs renitentes, pro poteſtate cogebant recta etiam univerſa cum pravis, & cum ipſo Auctore damnare*, (id eſt, omnium lectione interdicebant) *quia ſatis ſuperque ſufficerent libri, quos Eccleſia recepiſſet: reſpuendam eſſe penitus lectionem, quæ plus eſſet nocitura inſipientibus, quàm ſapientibus profutura. Mihi autem ex illius libris quædam curioſiùs indaganti, admodum multa placuerunt: ſed nonnulla deprehendi, in quibus illum prava ſenſiſſe non dubium eſt, quæ defenſores ejus falſata contendunt. Ego miror unum eundemque hominem tam diverſum à ſe eſſe potuiſſe, ut in ea parte qua probatur, neminem poſt Apoſtolos habeat æqualem: in ea verò, quâ jure reprehenditur, nemo deformiùs doceatur erraſſe. Nam cùm ab Epiſcopis excerpta in libris illius multa legerentur, quæ contra Catholicam Fidem ſcripta conſtaret, locus ille vel maximam parabat invidiam, in quo editum legebatur: Quia Dominus Jeſus, ſicut pro redemptione hominis in carne veniſſet, & crucem pro hominis ſalute perpeſſus, mortem pro hominis æternitate guſtaſſet: ita eſſet eodem ordine Paſſionis etiam diabolos redempturus. Cùm hæc,*

*atque alia ejusmodi ab Episcopis proderentur, ex studiis partium orta est seditio. Quæ cum reprimi Sacerdotum auctoritate non posset, sævo exemplo ad regendam Ecclesiæ Disciplinam Præfectus assumitur: cujus terrore dispersi Fratres, ac per diversas oras Monachi sunt fugati; ita ut propositis Edictis, in nulla consistere sede sinerentur. Illud me admodum permovebat, quòd Hieronymus vir maximè Catholicus, & sacræ Legis peritissimus, Origenem secutus primo tempore putabatur, quem nunc idem præcipuè, vel omnia illius scripta damnaret. Nec vero ausus sum de quoquam temerè judicare: præstantissimi tamen viri, & doctissimi ferebantur in hoc certamine dissidere.* B *Sed tamen, sive illud error est, ut sentio: sive hæresis, ut putatur; non solùm reprimi non potuit multis animadversionibus Sacerdotum; sed nequaquam tam latè se potuisset effundere, nisi contentione crevisset. Istiusmodi ergo turbatione, cùm veni Alexandriam, fluctuabat. Me quidem Episcopus illius Civitatis benignè admodùm excepit, & secum tenere tentavit. Sed non fuit animus ibi consistere, ubi recens fraterna cladis fervebat invidia. Nam etsi fortasse videatur Episcopis parere debuisse, non ob hanc tamen caussam multitudinem tantam sub Christi confessione viventem, præsertim ab Episcopis, oportuisset affligi.*

Præterea Sanctus Hieronymus Epistola 78. testatur C Nitriæ Mooachos palam quidem professos fuisse Ecclesiæ fidem, sed simulatè & fraudulenter, ita ut sibi non constarent, & aliud literis, aliud voce proferrent. Secundò, ipsos Pontificibus obtrectasse, & adversùs eos calumnias evomuisse, Tandem eò se recepisse, ut Origenis dogmata non defenderent, sed ab hæreticis contenderent omnes, qui ipsi tribuebantur, errores, fuisse in illius Opera intrusos. Primum constat ex illis verbis: *Utinam Serpentina generatio, aut simpliciter nostra fateatur, aut constanter defendat sua, ut scire valeamus, qui nobis amandi sint, qui cavendi. Nunc autem, novum Pœnitentiæ genus! oderunt nos quasi hostes:* D *quorum fidem publicè negare non audent .... Soli sunt hujus hæreseos Sectatores, qui cum Ecclesiasticis non valent fœderari: quia quod sermone coguntur dicere, mente condemnant. Et si quando aperta blasphemia publicis auribus fuerit revelata, & viderint contra se audientium turbam circumfremere: tunc simulatâ simplicitate dicunt audisse se primùm, quæ Magistrum dicere ante nescierint. Cùmque eorum scripta teneantur, voce negant, quod literis confitentur.*

Secundum constat ex illis verbis: *Quid necesse est obsidere Propontidem, mutare loca, diversas lustrare* E *regiones, & clarissimum Pontificem Christi, ejusque Discipulos, rabido ore discerpere? si vera loquimini, pristinum erroris ardorem ardore fidei commutate. Quid maledictorum pannos hinc inde consuitis, & eorum carpitis vitam, quorum fidei resistere non valetis? Num idcirco non estis vos hæretici, si nos quidam assertione vestra crediderint peccatores?*

Tertium denique constat ex istis verbis: *En Papa Theophilus tota Origenem arguit libertate hæreticum esse: nec illi dicta defendunt, sed fingunt ab Hæreticis immutata: multorumque dicunt libros similiter depravatos; ut illum non sua fide, sed aliorum tueantur erroribus.* Cùm itaque tot strophæ, tanta pervicacia, F tantaque & tam impudens maledicentia in Episcopos, hæretici caracteres sint animi, Monachi Nitriæ meritò præsumebantur hæretici, & Origenis non tantùm defensores, verùmetiam Sectatores Origenianorum dogmatum.

A

# DISSERTATIO XVIII.

## De Canone undecimo Epistolæ Canonicæ Sancti Gregorii Neocæsareensis.

---

### ARTICULUS UNICUS.

B *Utrum undecimus ille Canon subdititius sit?*

CANON ille undecimus his verbis conceptus est: *Fletus seu luctus, est extra portam Oratorii: ubi Peccatorem stantem oportet Fideles ingredientes orare, ut pro se precentur. Auditio est intra portam, in Portico, ubi oportet eum, qui peccavit, stare, usque ad Catechumenos, & illinc egredi. Audiens enim, inquit, Scripturas, & doctrinam, ejiciatur, & precatione indignus censeatur. Subjectio autem, seu substratio est, ut intra Templi portam stans cum Cathecumenis egrediatur. Congregatio, seu Consistentia est, ut cum Fidelibus consistat, & cum* C *Cathecumenis non egrediatur. Postremo, est participatio Sacramentorum.*

Hunc Canonem additisium esse contendit vir eruditus Joannes Morinus, libro 6. de Administratione Sacramenti Pœnitentiæ, cap. 1. quem alii viri docti sequuntur. Contra quos sit

### PROPOSITIO.

*Canon ultimus Epistolæ Canonicæ Sancti Gregorii Neocæsareensis, non est additisius.*

D Probatur primò, ex fide antiquissimorum MSS. quæ penes se habuit Balsamon Patriarcha Antiochenus, qui hanc Epistolam Commentariis suis illustravit. Hæc enimverò ultimum illum Canonem etiam repræsentabant. Unde & illum exposuit ceu Sancti Gregorii genuinum ille Patriarcha in re Canonica peritissimus. Nec ullus ante Morinum ejus fidem sollicitavit.

Probatur secundò: Si postremus ille Canon esset supposititius, tota Epistola Sancto Gregorio Neocæsareensi supposita esset. Id porro nemo dixerit E eruditus: ergo nec postremus ille Canoo additiius est.

Probatur major. Alii namque Canones eosdem Pœnitentiæ gradus enumerant. Canon nonus Substrationis meminit & Consistentiæ. *Eos*, inquit, *qui in campo aliquid invenerunt, vel in suis ædibus a Barbaris relictum, si accusati quidem convicti fuerint, sint similiter in iis qui substernuntur. Sin autem seipsos enuntiaverint, & reddiderint, etiam precibus digni habeantur.* Canon octavus Auditionis meminit, & Fletum insinuat. Substrationem etiam recenset. *Eos*, inquit, *qui alienas domos invadere ausi fuerint, si accusati quidem convicti fuerint, nec au-* F *ditione dignos existimare. Sin autem seipsos enuntiarint, & reddiderint, in eorum qui convertuntur, ordinem substerni.*

Denique Canon septimus decernit eos qui inter Barbaros nomen dederunt, & vias vel domos Christianorum ipsis ostenderunt, *Etiam ab Auditione arcere oportere, donec de iis, congregatis Sanctis aliquid communiter visum fuerit, & ante eos Sancto Spiritui.* Cùm itaque hos Canones nemo suppositionis arguat, immeritò Canon postremus, qui gradus illos paulò clariùs explicat, a nonnullis additius censetur.

Probatur

Probatur secundò, ex Concilio Ancyrano, quod annis circiter 40. aut 50. post illius conscriptionem Epistolæ celebratum est, in quo illi Pœnitentiæ gradus ut jam ab antiquo statuti recensentur, & variorum criminum reis assignantur. Cùm itaque istius Synodi Canones nemo supposititios esse somniaverit, non est cur ultimus Canon Epistolæ Canonicæ Sancti Gregorii Neocæsareensis addititius censeatur.

Probatur antecedens ex Canone 4. illius Concilii, qui sic habet; *De his qui sacrificare coacti sunt, insuper & cœnaverunt in Idolio, quicumque eorum, cum ducerentur, latiore habitu fuerunt, & vestimentis pretiosioribus usi sunt, & præparata cœna indifferenter participes extiterunt: placuit, eos inter audientes uno anno consistere, succumbere verò tribus annis, in oratione autem communicare biennio: tunc ad Perfectionis gratiam pervenire.* Eorumdem graduum distinctè meminit Canon quintus. Canon vero octavus sic decernit: *Quotquot autem non solum ipsi deviarunt, sed etiam insurrexerunt, & compulerunt Fratres, & caussas præbuerunt ut cogerentur: hi per triennium quidem, locum inter audientes accipiant, per aliud vero sexennium, Pœnitentiæ subjiciantur acriori, & alio anno Communionem sine oblatione percipiant, ut Perfectionem expleto decennio, consequantur.*

Tertiò. Concilium Nicænum Canone 11. & 12. gradus etiam Auditionis, Substrationis & Consistentiæ, velut rem antiquam memorat. Canone enim 11. de Laicis, qui persecutionis tempore fidem negaverunt, ita decernit: *Quicumque ergo veraciter pœnitudinem gerunt, tribus annis Fideles inter audientes habeantur, & sex annis omni se contritione dejiciant, duobus autem annis, sine oblatione, populo in oratione communicent.*

Canon verò duodecimus decernit, ut qui deposito militiæ cingulo, militiam postmodùm repetiverunt, *Decem annis, post triennii tempus, quo inter audientes erunt, in afflictione permaneant. Sed in his omnibus propositum, & speciem Pœnitentiæ convenit explorare. Quotquot enim metu & lachrymis, atque patientia, vel bonis operibus, rebus ipsis conversionem suam, non simulatione demonstrant: hi definitum tempus auditionis implentes, tum demum Fidelibus in oratione communicent.*

Quarto Sanctus Basilius in Epistola 3 Canonica ad Amphilochium, Canone 58. disertè meminit quatuor illorum Pœnitentiæ graduum. *Qui adulteravit*, inquit, *quindecim annis Sacramentis non communicabit. Hi autem anni quindecim sic dispensabuntur: quatuor annis erit deflens, quinque audiens, quatuor substratus, in duobus consistens sine Communione.*

Et Canone 59. *Fornicator, septem annis Sanctis non communicabit: duobus deflens, & duobus audiens, & duobus substratus, uno solo consistens, octavo autem ad Communionem admittetur.*

Quintò, Sanctus Gregorius Nyssenus in Epistola ad Letoium Episcopum, Canone tertio, eosdem Pœnitentiæ gradus præscribit fornicatoribus decurrendos: *Qui fornicatione polluti sunt*, inquit, *in tribus annis ab oratione omnino expellantur: in tribus sint solius auditionis participes, in tribus aliis, cum iis qui in conversione substernuntur, precentur, & tunc sint Sacramentorum participes.* Ex quibus omnibus colligitur, gradus illos Pœnitentiæ, post Sancti Gregorii Neocæsareensis tempora institutos non fuisse, adeóque illos incœpisse ante ejus ætatem, & de illis velut de re jam in Ecclesia recepta, & diuturno usu firmata, fuisse locutum. Unde immeritò, propter illorum enumerationem, & expositionem graduum, ipsi ab eruditis quibusdam viris abjudicatur postremus Epistolæ illius Canon.

Objicitur primò. Hunc Canonem addititium esse constat ex verborum tenore. Manifestum est enim ex sermonis contextu, non esse Canonem, sed Commentarium, verba quibus Sanctus Gregorius Neocæsareensis usus erat, explicantem. Is enim Canonibus, & eorum nominibus usus erat, ut vulgatis, & ab omnibus cognitis, ut & Sanctus Basilius, & Concilium Ancyranum, &c. nec in ipsorum mentem venit, utpote rem omnibus cognitam, eas interpretari. Ergo postremus ille Canon addititius est.

Respondeo, Sanctum Gregorium Neocæsareensem operæ pretium duxisse illam Pœnitentialis Disciplinæ partem clariùs & accuratiùs explicare, tum quia nondum forte in illa Ecclesia, cujus ad Episcopum scribebat, canonico ordine percurrebantur illi gradus; vel certè incursionibus Barbarorum pessumdata, & obsoleta erat Disciplina: tùm quia posteritatis ad memoriam illorum graduum expositionem transmittere ipsi necessarium visum est: ne in eorum intelligentia frustra posteri sudarent. Sanè multa Patres scripserunt; quæ ipsis explicare placuit. Quæ tamen ipsis supposita temerè dicerentur: & Christus ipse suas exposuit quandoque parabolas; nec ideò tamen illam expositionem verbis Christi addititiam suspicimur.

Contra. Hæc verba *Audiens enim*, *inquit*, *Scripturas, & doctrinam, ejiciatur, & precatione indignus censeatur*: ad alium aliquem referuntur ab Authore istius Epistolæ, vel Canonis; puta ad Sanctum Basilium, cujus ad Canonem 58. hæc interpretatio spectare videtur. Hic itaque postremus Canon addititius est Epistolæ Sancti Gregorii Neocæsareensis.

Respondeo, Hanc vocem, *inquit*, quæ sensum perturbat, videri irreptitiam, adeóque expungendam. Vel fortè verbum, φησι, Typographorum oscitantia substitutum esse pro, γοῦν, ut sit sensus: *Dico enim Audiens Scripturas & doctrinam, ejiciatur*, &c. vel τὸ *inquit*, refertur ad Ecclesiæ Decretum, quod tunc vigebat.

Objicitur secundò. Narthecis vocabulum antiquis Authoribus incognitum est, qui Ecclesias in duas tantùm partes distinxerunt, in Aulam scilicet, sive Atrium Laicorum, & Sanctuarium, in quo consistere Episcopis, Presbyteris & Diaconis tantùm licebat. Usurpari cœpit νάρθηξ in Euchologiis post annos à Christo octo quingentos. Tunc enim Orientales Monachi cœperunt Ecclesias in tres partes dividere, ἱερατεῖον, ναὸν, καὶ νάρθηκα. ἱερατεῖον sive Sanctuarium pertinebat ad Episcopos, Presbyteros, & Diaconos: ibi erat Altare, ibi Liturgia celebrabatur; ναὸς sive Templum, ad cæteros Clericos, & Monachos. Ibi sedebant, & cantabant Monachi, & præcipua Officia celebrabant; nonnulla enim peragebant in Narthece. Narthex autem reliquam Ecclesiæ partem, ad portas usque exteriores complectebatur. Cùm itaque auditionem definiat ille Canon, ἐν τῷ νάρθηκι, quod Interpres vertit, in Porticu, non videtur ad tempora Sancti Gregorii Neocæsareensis pertinere.

Respondeo, Vocabulum Narthecis non fuisse excogitatum, aut usurpari cœptum quinto Sæculo, sed tam antiquum esse, quàm sint antiquæ in Ecclesia Porticus. Satis ejus vetustatem probat Sanctus Gregorius Thaumaturgus, quem illud usurpasse contendimus. Integro & ampliùs sæculo recentius doctissimus Morinus dicit, sed non probat.

Objicitur tertiò. Antiquissima Græcorum Canonum Collectio à Gregorio Patriarcha Constantinopolitano ante octingentos annos elaborata, quam in Bibliotheca illustrissimi Franciæ Cancel-

larii Petri Seguerii se legisse testatur Morinus, cæteros Sancti Gregorii Neocæsareensis Canones, præter undecimum, complectebatur. Itaque Canon ille ipsius Epistolæ assutus est.

Respondeo, unius exemplaris fidem omnibus MSS. Orientalis Ecclesiæ, quorum plura Balsamoni videre, & expendere licuit, non esse anteponendam. Videtur itaque mutilus fuisse illustrissimi Seguerii Codex.

Objicitur quartò. Ante Novatiani hæresim, imo sub illius tempora, nulla quatuor Pœnitentiæ graduum apud Authores Ecclesiasticos memoria occurrit; quamvis de Pœnitentia prolixè egerint, omnemque illius descripserint Disciplinam. Non illorum meminit Tertullianus in libro de Pœnitentia. Non S. Cyprianus in libro de Lapsis, aut illis in Epistolis, quibus agendæ pœnitentiæ rationem, modumque præscribit. Concilium etiam Illiberitanum, licet severissimas Pœnitentiæ leges tulerit, illas quatuor stationes altissimo premit silentio. Ergo Sanctus Gregorius Neocæsareensis non videtur quatuor laudatos Pœnitentiæ gradus enumerasse, & exposuisse: adeòque videtur addititius Epistolæ illius Canonicæ postremus Canon.

Respondeo, Graduum illorum, & stationum Pœnitentialium distinctam enumerationem, etiam post Novatianam hæresim, non occurrere in Paræneticis Patrum Operibus, sed solùm in Epistolis Canonicis, vel in sanctionibus Conciliorum. Namque nec apud Sanctum Pacianum, nec apud Sanctum Ambrosium, nec apud Sanctum Augustinum, nec apud Sanctos Chrysostomum & Hieronymum, qui luculentos & elegantes de Pœnitentia libros, vel Homilias scripserunt, ullam invenies illorum graduum, seu stationum disertam mentionem. Nec tamen inficiaberis illorum Patrum ætate gradus illos institutos fuisse. Quamvis igitur illorum disertè non meminerint prisci Patres, qui ante Novatianæ hæreseos ortum scripsere, non sequitur quòd tunc instituti non fuerint.

Certè Substrationis Tertullianus meminit libro de Pœnitentia, cap. 9. *Hujus Pœnitentiæ*, inquit, *secundæ, & unius, quantò in arcto negotium est, tantò operosior probatio est, ut non solâ conscientiâ præferatur, sed aliquo etiam actu administretur. Is actus, qui magis Græco vocabulo exprimitur, & frequentatur, exomologesis est... Exomologesis prosternendi, & humilificandi hominis Disciplina est, conversationem injungens misericordiæ illicem. De ipso quoque habitu, atque victu mandat, sacco, & cineri incubare, animum mœroribus dejicere, jejuniis preces alere, ingemiscere, lacrymari, mugire dies, noctesque ad Dominum Deum suum, Presbyteris advolvi, & charis Dei adgeniculari.*

Et cap. 39. Apologetici, exponit quod tribus primis Pœnitentiæ gradibus commune est, scilicet expulsionem ab Ecclesia; & relegationem à Communione orationum. *Summum*, inquit, *futuri judicii præjudicium est, si quis ita deliquerit, ut à communicatione Orationis, & Conventus, & omnis Sancti Commercii relegetur.*

Sanctus Cyprianus diligentem, laboriosam, diuturnam Pœnitentiam describit, ac præcipit; in qua prostrati Pœnitentes, cineri adhæreant, in cilicio & sordibus volutentur, in luctu dies, noctesque transigant. Præscribit pœnitentiam, quæ justo tempore agatur, & secundùm Disciplinæ ordinem, & quâ peractâ jus Communionis per manus impositionem Episcopi & Cleri, Pœnitentes accipiant. Nonne verò hæc verba significant generatim Pœnitentiæ publicæ gradus, & stationes, quæ ritu solemni à peccatoribus decurrebantur? Quamvis fatear in illas nondum lato Canone distributam fuisse Pœnitentiæ actionem, sed in arbitrio Episcoporum to-

**A** tam illam versatam fuisse Disciplinam. En porrò verba Sancti Cypriani Epistola 10. *Nam cùm in minoribus peccatis agant peccatores Pœnitentiam justo tempore, & secundum Disciplinæ ordinem ad Exomologesim veniant: & per manus impositionem Episcopi & Cleri jus communicationis accipiant: nunc crudo tempore... nondum Pœnitentiâ actâ, nondum Exomologesi factâ, nondum manu eis ab Episcopo & Clero impositâ, Eucharistia illis datur.* Porrò manus ab Episcopo & Clero Pœnitentibus in gradu Substrationis imponebantur: quem solùm disertè S. Cyprianus commemorat, quia in eo dumtaxat laboriosis Pœ- **B** nitentiæ operibus castigabantur peccatores.

Et libro de Lapsis: *Quàm magna deliquimus*, inquit, *tam granditer defleamus: Alto vulneri diligens & longa medicina non desit, pœnitentia crimine minor non sit... Orare oportet impensius & rogare, diem luctu transigere, vigiliis noctes ac fletibus ducere, tempus omne lachrymosis lamentationibus occupare, stratos solo, adhærere cineri, in cilicio & sordibus volutari.* Certè his verbis, & fletus, & substratio disertè significantur.

Concilium Illiberitanum Canone 3. Flaminibus qui munus dedissent pro Sacrificiis Idolorum, vel **C** qui dato munere, funestam Idolis immolandi necessitatem redemissent, decernit in fine dari Communionem, *Actâ tamen legitimâ pœnitentiâ.*

Et Canone 31. Dominæ, quæ ancillam suam flagris verberando occiderit, *Si voluntate, post septem annos; si casu, post quinquennii tempora, actâ legitimâ pœnitentiâ*, tribui decernit Communionem. Eorum qui ad hæresim defecerint, pœnitentia decem annorum spatio definitur Canone 22. Porrò legitima Pœnitentia ea erat, quæ fiebat juxta Ecclesiæ leges, & Ecclesiasticæ Disciplinæ severitatem, & in qua percurrebantur gradus omnes, qui cùm noti essent, **D** singuli propriis vocabulis non exprimuntur in antiquis Canonibus; quamvis & temporis prolixitas, & legitimæ Pœnitentiæ nomen satis illos indicent.

Denique peccatorum quorumdam reos illa Synodus sola Communionis Eucharisticæ privatione mulctat, ut Canone 21. *Si quis in Civitate positus, tres Dominicas ad Ecclesiam non accesserit, pauco tempore abstineat, ut correptus esse videatur.*

Et Canone 79. *Si quis Fidelis alea luserit, placuit eum abstineri. Et si emendatus cessaverit, post annum poterit reconciliari Communioni.* Sanè illa Commu- **E** nionis privatio cum laboriosis Pœnitentiæ operibus conjuncta non erat, imò disertè illam distinguunt à Pœnitentia Illiberitani Patres (ut constat ex specie Canonis decimi quarti) *Virgines*, inquit, *quæ virginitatem suam non custodierint, si eosdem, qui eas violaverint, duxerint, & tenuerint maritos, post annum sine pœnitentia reconciliari debebunt.* Illa itaque privatio Communionis, erat Consistentiæ gradus, cujus Illiberitanum Concilium meminit, quamvis non sub ipso Consistentiæ vocabulo.

Ex his colligitur, quatuor Pœnitentiæ gradus seu stationes, ante Novatianam hæresim institutas fuisse & usurpatas. Unde Joannes Abbas Raithu, in **F** Scholiis ad Scalam Sancti Joannis Climaci, varios illos Pœnitentium ordines & gradus Apostolicam Traditionem vocat. *Et Apostolica Traditio*, inquit, *de divisione, & ordinatione Pœnitentium, purgandorum, & Catechumenorum. Sunt verò Pœnitentium quinque loci. Locus Plorantium, cùm Pœnitens stat extra ambitum Ecclesiæ, & procidens cum fletu ab ingredientibus postulat orationem, ante ipsorum pedes prostratus. Locus qui dicitur Audientium, ante portas quæ Basilicæ dicuntur, ad audiendum Officium, ubi Pœnitentes divinum Officium audiunt. Substratio, quæ est statio Ecclesiæ, intra ambitum Ecclesiæ, in posteriori parte Ambonis. Unde & qui ibi est, in exclamatione, quæ fit ad egressuros,*

*egressuros, & ipso cum eis egreditur. Consistorium illis statuitur, qui usque ad complementum Sacri Mysterii perseverant. Statio vero cum Fidelibus, sic participatio vivifici Panis, & communicatio & libatio Calicis Domini.*

Respondeo secundò : Dato quòd ante Novatiani hæresim celebres illæ Pœnitentium stationes institutæ nondum essent in Ecclesia, consequens non esse ut commemorari non potuerint à S. Gregorio Neocæsareensi, qui Canonicam Epistolam suam decem & amplius annis post Novatiani Schisma conscripsit. Factus namque est Antipapa Novatianus anno Christi 251. aut 254. Scripsit verò Epistolam suam Canonicam Sanctus Gregorius post annum Christi 263. quo Gothi & Boradi per Pontum, & alias Græciæ Provincias grassati sunt.

## DISSERTATIO XIX.

### De Sententia Sancti Dionysii Alexandrini circa Mysterium Trinitatis.

---

### ARTICULUS UNICUS.

*Utrum S. Dionysius Alexandrinus Arianis faverit, eorumque hæresim præformaverit ?*

SANCTUM Dionysium Alexandrinum contra Sabellii adhuc spirantis hæresim dimicasse, in Synopsi diximus : sed cùm in illam vehementiùs obniteretur, & personas accuratiùs distinguere curaret adorandæ Trinitatis, coortariam in partem inflecti visum esse, quasi divinas Personas ab invicem non tantùm distingueret, verumetiam divideret. Hinc Pentapolitani eum tamquam violatæ fidei reum ad Dionysii Romani Pontificis Tribunal detulerunt : qui Concilium ea de caussa Romæ coegit. Ex eo Concilio Romanus Pontifex, aliíque Episcopi, Alexandrinum Antistitem monuerunt, ut de fide sua accuratam redderet rationem.

Hujus rei testis locupletissimus est Sanctus Athanasius in Epistola de sententia Dionysii Alexandrini contra Arianos, ubi sic historiam ab origine repetit. *In Pentapoli*, inquit, *Libyæ superioris, quidam Episcoporum sententias Sabellii amplectebantur, tantumque eorum commenta invaluerant, ut ulteriùs Filius Dei vix in Ecclesiis prædicaretur. Re cognita, Dionysius ad cujus curam ea Ecclesia pertinebant, Legatos misit, qui Auctores harum rerum ab illis pravis opinionibus retraherent. Illis autem de stultitia sua non remittentibus, impudentiúsque in impietate pergentibus, coactus est ad illorum improbitatem retundendam, istiusmodi Epistolam scribere* (ad Euphranorem & Ammonium) *& humanitatem Christi ex Evangeliis commonstrare, ut illis audaciùs Filium Dei abnegantibus, & humana ejus Patri imputantibus, commonstrata rei veritate, non Patrem, sed Filium pro nobis hominem esse genitum, rudibus illis & inscitis hominibus Patrem non esse Filium persuaderet, & paulatim ad veram Filii deitatem credendam, & Patris cognitionem evehere posset.*

Quòd verò S. Dionysius Alexandrinus in suspicionem Arianæ impietatis, id est ejus erroris, quem Arius postea propugnavit, adductus sit coram Dionysio Romano Pontifice, idem Sanctus Athanasius testatur in libro de Synodis. *Caterùm*, inquit, *affirmans Episcopos, qui Samosatensem condemnarunt, dixisse Filium non esse Patri consubstantialem, ac jam deinde ipsos ob reverentiam, honoremque eorum, qui ita locuti sunt, ab hac voce abhorrere, rectum fuerit reverenter cum iis de ea re disceptationes facere. Nam arietare cum illis prorsus indecorum est, eò quòd omnes Patres sint. Rursus dijudicare istos bene, illos malè dixisse, nequaquam sanctum est. Quapropter neque contentiosius agendum est, neque numerus eorum, qui congregati fuere, in comparationem mittendus, ne videantur trecenti illi Nicaenses, eos qui pauciores sunt, perstringere : neque tempora metienda sunt, ne videantur priores posteriores exauctorare. Omnes enim isti, (quemadmodum dixi) Patres sunt. Sed tamen neque isti, quasi novum aliquid sapientes, id in scripta retulerunt ; neque sui fiducia voces in Scriptura non solemnes defendant, sed à Patribus incitati, eorum vocabulis uti voluerunt. Duo enim Dionysii diu ante eos septuaginta fuere, qui Samosatensem sustulerunt, quorum alter Romæ, alter Alexandriæ Præsul erat. Ibi cum quidam Alexandrinum Episcopum apud Romanum accusarent, quasi qui Filium opus, & non consubstantialem Patri diceret, & Synodus Romæ coacta indignè tulit, & Romanus ad cognominem sibi Episcopum omnium sententiam perscripsit, ac jam inde ille se ad defensionem parant, libello suo titulum Refutationis, & Apologiæ indidit, & hæc verba ad Romanum scripsit, &c.* His prænotatis, sit

### PROPOSITIO.

*Sanctus Dionysius Alexandrinus neutiquam Arianis favit, aut Arii præformavit errorem.*

Probatur primò ex Apologia quam edidit ut illius erroris suspicionem à se penitùs amoliretur. Qui enim se ab aliqua opinione purgat velut à flagitio, is certè ipsa sui excusatione ostendit ab illa se esse alienum. Atqui Sanctus Dionysius Alexandrinus, cùm accusaretur à Pentapolitanis quibusdam, quòd plures deitate dispares, & essentia distinctas in Deo personas admitteret, ab ea se opinione, edita Apologia purgavit, quam ad Romanum transmisit Pontificem. Fuit igitur omnino ab eo errore alienus.

Hoc argumento vindicat Dionysium Alexandrinum ab errore Sanctus Athanasius, in Epistola de ejus sententia contra Arianos. *Cum igitur*, inquit, *Dionysius Episcopus Alexandrinus certior factus de Pentapolitanis, zelo religionis hanc Epistolam contra hæresim Sabellii ad Ammonium, & Euphranorem scripsisset : quidam ex Ecclesia, rectè quidem sentientes, sed tamen ignari ejus caussa cur ita ab eo scriptum esset, Romam ascenderunt, ibique cum apud Dionysium ejusdem nominis Romanum Præsulem accusarunt. Re compertà, Alexandrinus simul & contra Sabellii Sectatores, & Arii dogmata, volumen composuit : ubi æquales, sed tamen contrarias hæreses esse docet in Sabellii dogmatibus, & blasphemiis eorum, qui dicunt, Dei Verbum opus, vel creaturam esse ; postulavitque à Romano Præsule : ut objecta sibi indicaret. Quibus acceptis, Opus edidit sub nomine Elenchi & Apologiæ, ubi sceleratam officinam Christi rebellium redarguit, & quo pacto hanc infamiam contra ipsum excitarint, demonstrat.*

Et paulò post subjungit : *Quod autem ad Præsulem Alexandrinum attinet ; ex Apologia ejus satis apparet, cum non illius esse sententia, cujus isti dicunt fuisse, aut quidquam pravarum opinionum Arii accepisse. Immo potius Scripta illius efficaciter demonstrant, calumnias esse, quibus vulgò impetitus sit. Non enim rixandi animo, sed sui purgandi, Apologiam scripsit. Certè qui suam innocentiam purgat, quid aliud facit, quàm quod crimen diluit, & Arianos sycophantas ostendit ? Caterùm ut eâ ipsâ innocentissimi viri Apologiâ graviùs confundantur, appareatque ipsos malitiosos ; Dionysium verò ab eorum erroribus liberum : dabo operam ut ipsius verba in medium proponantur*, &c.

Probatur

Probatur secundò ex Epistola ipsius Sancti Dionysii Alexandrini ad Dionysium Romanum Pontificem data, quam refert Sanctus Athanasius in libro de Synodis, in qua ita scribit : *Ego*, inquit, *& in alia Epistola scripsi, ubi ostendo crimen, quod deferunt contra me, falsum esse, quasi qui decerem, Christum non consubstantialem esse Deo. Nam tametsi dico, me id nomen non reperisse, nec legisse alicubi in sacris literis, rationes tamen nostra, quas reticuerunt, non abludunt ab hac sententia. Nam & humanum partum pro exemplo adduxi, haud dubiè congenerem: idque in verbis meis addens, omnino parentes eò solùm alios esse à liberis, quod illi ipsi liberi sui non sint; alioqui necessarium fore, ut nec parentes, nec liberi sint. Et Epistolam, ut dixi, ob casus temporum proferre non possum. Si autem tibi verba mitto, multò libentiùs totum exemplar misissem : quod ubi nactus fuero, non omittam. Scio, & memor sum, me plurimas congenerum similitudines adhibuisse. Nam & plantam dixi è semine, aut radice pullulantem, aliud esse ab eo unde progerminatur ; & tamen cum eo prorsus esse ejusdem natura : & fluvium è fonte promanantem, aliam formam, nomenque accipere : neque enim fontem fluvium, neque fluvium fontem appellari, & tamen ambos existere : & fontem instar Patris esse, fluviumque quasi filium esse, qui ex fonte gignatur.* Quibus ex verbis constat Sanctum Dionysium Alexandrinum ab eo errore penitus alienum fuisse, quem Arius, & Ariani propugnarunt, & secundùm Catholicam Fidem de Filio Dei sensisse.

Probatur tertiò ex verbis aliis ejusdem Sancti Dionysii in Apologetica sua Epistola scribentis : *Existente igitur æterno Patre, existit & æternus Filius, lumen de lumine. Nam si Pater est, necessariò & Filius est...... Si Deum lucem voces, Filium splendorem esse dices : si Spiritum, Filium vaporem appellabis: Est enim vapor potentia Dei.... Solus Filius cum Patre semper coexistit, plenusque existentis est, & ipse ex Patre existit.* Quæ verba expendens Sanctus Athanasius, libro de sententia Dionysii Alexandrini contra Arianos, ait : *Hæc si ambiguè dicta fuissent, haberem interpretatione opus. Nunc quia evidenter dicta sunt, & subinde ab eo repetita, est cur Arius dentibus strideat, cum suam hæresim à Dionysio subrui videat, eúmque sibi, quod minimè cupit, inclamantem audiat: Semper Deus Pater erat : & Filius non aliquo levi modo æternus censendus est : sed eo modo quo Pater æternus est, & ipse quoque æternus est, & pariter cum eo coëxistit, ut splendor cum lumine. Illi verò solâ suspicione ducti, quòd putarent Dionysium Arianicè sentire, hanc famosam calumniam de eo sparserunt. Sed quid communionis inter se habent utriusque sententia? Cùm Arius dicat: Erat, quando non erat Filius, Dionysius contra, Deum æternam lucem, nunquam inchoatam, & nunquam desinentem : ac proinde eum æternaliter cum Deo esse, ejusque indissociabilem splendorem, sine principio semper genitum, & è Patre promicantem referat.*

Probatur quartò ex aliis ejusdem Sancti Dionysii verbis, Epistola tertia, ut ait Sanctus Athanasius. *Vita ex vita genita est*, inquit, *& ut flumen à fonte defluxit, & à luce inextinguibili splendida lux accensa est.* Quibus verbis sic Arianos urget Sanctus Athanasius loco supra laudato : *Quis igitur hæc audiens, eos suspicatores Dionysium Arianicæ sententiæ esse, non bono jure furoris insimulaverit? Ecce per hæc propalam omnem eorum hæresim rationibus veritatis conculcat. Nam illud : Non erat priusquam gigneretur : Et erat, quando non erat ; tollitur ab ipso per splendoris comparationem, cùm dicit, Patrem nullo unquam tempore fuisse orbum. Porro illud quod aiunt, Filium ex non entibus extitisse, subruitur ab eo per hanc comparationem, qua dicit Verbum, quasi fluvium ex fonte & germen ex radice, & sobolem ex parente, & lumen de lumine, & vitam ex vita esse. Divisionem quoque Arianicam, qua Verbum à Deo sejungunt, istiusmodi sermone reprehendit, indivisibilem, & indiminutam Trinitatem in unitatem consummari. Porro quod dicunt, alienum Filium esse à Patris substantia, prorsus supplodit, cum dicit, consubstantialem Patri esse Filium.*

Probatur quintò ex ipsius Sancti Dionysii verbis in Epistola ad Paulum Samosatenum, ubi de Filio Dei magnificè loquitur : *Dei virtus & sapientia*, inquit, *Verbum sempiternum; qui cum æternus esset, factus est puer, natus nobis Filius.*

Probatur sextò auctoritate Sancti Athanasii, qui Epistolam seu veriùs librum edidit de sententia Dionysii Alexandrini contra Arianos, in qua totus est ut ejus auctoritatem Arianis eripiat, eumque ab ipsorum errore vindicet. Ubi præter ea, quæ jam à nobis laudata sunt, hæc habet : *Meritò igitur Hæreticorum improbitatem stupeas, quòd Dionysium dicentem Filium esse Patri consubstantialem, secum affirment ejusdem esse sententia, & in orbem bombis circumstrepentes, veluti culices mussitant, non rectè à Synodo consubstantialitatem inductam esse. Si enim illis Dionysius est amicus, ne negent sententiam sui gregalis: & si rectè esse dictum putant, cur se de Dionysio eamdem vocem usurpante, quasi de suffragatore suæ sententia venditant? Cùm ille ista non obiter tractet, sed Scriptis in id jam antea Epistolis, tum eos qui eum notaverant, quasi Patri Filium consubstantialem esse negasset, mendacii coarguit; tum eos qui illum suspicati fuerant, quasi Verbum esse conditum dixisset, à se excutit, & profligat, docens se nequaquàm, ita ut illi arbitrantur, sensisse, sed voces eas in illum usum adhibuisse, ut ostenderet non Patrem esse, sed Filium, qui creatum, conditum, & factum corpus induerit.*

Probatur ultimò. Ille omninò alienus fuit ab erroribus Arii, qui nusquam impietatis convictus est à Patribus, & cujus memoria semper celebris fuit in Ecclesia. Si enim Patres omnes, ut primùm orta est Ariana hæresis, adversùs eam, ejusque Authorem insurrexerunt, & ipsum Sacerdotio abdicarunt, & ab Ecclesia expulerunt; eodem modo erga Dionysium Alexandrinum se gessissent, si eumdem errorem propugnasset. Porro Sanctus Dionysius Alexandrinus nusquam impietatis convictus est à Patribus, imò purus erroris denuntiatus est à Romana Synodo, cui Dionysius Pontifex Maximus præerat : Immeritò itaque insimularetur erroris.

Probatur minor ex Sancto Athanasio, loco citato, dicente : *Magni certè argumenti est nihil eos veri dicere, & calumniis virum premere, quòd ille nunquàm ab aliis Episcopis de impietate convictus est, neque hæresim propugnando ab Ecclesia secessit, sed in ea cum pietate obdormivit; quódque ejus memoria hactenus cum Patribus celebrata est, & in Catalogum relata : qui si cum istis ejusdem opinionis fuisset, aut si Scriptorum rationem non reddidisset, minimè dubium quin eadem, quæ illi, passurus fuisset.*

Objicitur primò. Sanctus Dionysius Alexandrinus in Epistola ad Euphranorem & Ammonium scripsit, *Dei Filium esse opus quoddam, & factitium: Neque naturâ proprium, sed peregrinum, secundum à Patre*, & Patrem ad ipsum comparari, *Quemadmodum Agricola comparatur ad vitem, & navis fabricator ad navem. Si quidem tamquam qui opus est, non erat antequam fieret.* Hæc porrò putum putumque Arianum virus continent. Igitur Sanctus Dionysius Alexandrinus Arianorum errorem præformavit.

Respondeo primò, S. Dionysii Alexandrini sententiam non ex ista tantùm Epistola, in qua duriùs loqui visus est, sed ex aliis ejus Epistolis & scriptis, quibus suam ea in Epistola mentem exposuit, esse explorandam. Unde cùm in aliis Epistolis, aut libris

Catholicè

Catholicè exposuerit, quæ in Epistola ad Euphranorem & Ammonium scripserat, in iisque Filium consubstantialem esse Patri discretè sit professus, potiùs asserendum est illum Arianam hæresim in antecessum damnavisse, quàm eamdem præformasse. Ita respondet Sanctus Athanasius in Epistola de sententia Dionysii Alexandrini contra Arianos. *Scripsisse Dionysium istius generis Epistolam agnoscimus* (inquit) *Verum non hanc solam, sed plurimas ab eo postmodum scriptas esse dicimus, quas ab istis quoque legi oportuit, ut ex omnibus simul judicium de ejus Fide constitui posset. Non enim fabri peritia, solertiaque, qui multas triremes ædificavit, ex unica nave, sed ex omnibus simul dijudicari debet. Si igitur simpliciter tanquam qui fidem suam ederet, hanc Epistolam scripsit; esto, accusent eum ut velint: Non enim crimine caruerit istiusmodi sententia. Quòd si temporis, & personæ ratio eum ad talia scribenda traxit, aliasque postmodum Epistolas subdidit, quibus se de suspicione purgat; non oportuit omissis caussis cur ita scribendum fuerat, homini temere odium conciliare, ne alioqui videantur nihil nisi dictiuncula aucupari, & veritatem, & fidem rerum, quæ ex aliis Epistolis elucet, prætermittere.*

Respondeo secundò, Sanctum Dionysium hæc scripsisse quadam œconomiâ & accommodatione, ut Sabellii dogma perversum elideret, qui personæ sicut & naturæ unitatem asserebat. Quamobrem personam Filii à persona Patris reipsa distinctam probare studens, ea selegit de Scripturis testimonia, quæ ad assumptæ carnis imbecillitatem referuntur, & quæ sine controversia Filio conveniunt. Ita respondet Sanctus Athanasius, loco supra laudato: *Agricola*, inquit, *qui alias atque alias arbores pro subjecti soli ratione curat, minime culpari debet, quòd hanc amputet, illam inserat, istam plantet, aliam rursus evellat; sed potius ob multiplicem solertiam, in admiratione esse. Quapropter, si non obiter & perfunctoriè ejus viri Scripta legerint, indicent mihi quale argumentum, scopumque Epistola secutus sit. Si id fecerint, calumniam suam, animique pravitatem in lucem proferent.*

Et infra: *Rursus si idem se de Epistola sua ad Ammonium, unde suspicio nata est, adhibito remedio, excusarit, neque post excusationem de sententia orthodoxa decessit; certum est eum, ea quæ suspecta fuere, ex usu rerum, pro negotii conditione conscripsisse: neque istiusmodi Scripta, quæ negotiis attemperata sunt, oportuit malignè, odioséque interpretari, aut ad cujuslibet libidinem, studiumque torqueri.*

Id illustrat variis exemplis Sanctus Athanasius. Primò exemplo Medici, qui remedia morbis curandis congrua adhibet, quæ tamen contraria videntur artis ignaris. Secundò, exemplo optimi præceptoris, qui præcepta sua ingenio & moribus discipulorum accommodat. Ita Sabellianam hæresim refellens Dionysius Alexandrinus, ea scripsit, quæ ad personarum divinarum persuadendam distinctionem apta erant, licet contra essentiæ unitatem pugnare in speciem viderentur.

Tertiò, Beatum Dionysium Alexandrinum defendit Sanctus Athanasius Apostolorum exemplo, quos nullus Ariani erroris fundamenta jecisse dixerit, quia Christum hominem è Nazareth oriundum, & patibilem esse prædicarunt. *An quia ita isti calumniantur, suspicandum est Apostolos his verbis utentes Christum tantummodo hominem esse existimavisse, neque quidquam sublimius de eo cogitasse? Absit ut hoc cuiquam in mentem veniat. Illi ut architectones periti, & dispensatores mysteriorum Dei, non sine justa ratione rem ita temperarunt. Judæi enim ejus temporis, partim ipsi errantes, partim Ethnicos in errorem abducentes, Jesum nudum & merum duntaxat hominem ex semine Davidis prodiisse credebant. Hac de caussa*

A *beati Apostoli prudenter admodum hu[illegible] Salvatoris primùm Judæis attulere, ut eos [illegible] venisse, signis, miraculisque persua[illegible] ad credendam ejus divinitatem perduc[illegible] monstrantes certissimis rationibus, istiusmodi opera, non hominis; sed Dei esse. Certe Petrus, cum diceret hominem patibilem Christum, statim adjunxit: Hic auctor vitæ est. Idemque & in Evangelio fatetur, dum inquit: Tu es Christus Filius Dei vivi. Et in Epistola, eum Episcopum animarum, & Dominum suum, & Angelorum, & Potestatum pronuntiat. Ita quoque & Paulus, qui dicit Christum virum ex semine David oriundum esse*, B *in Epistola ad Hebræos vocat eum Splendorem gloriæ, & figuram substantiæ ejus... Idem igitur Dionysius ab Apostolis edoctus fecit, coactus ob Sabellii hæresim, quæ jam irrepserat, illiusmodi Epistolam scribere: verbaque quæ humaniùs, & serviliter de Servatore sonant, objicere, ut rebus humanitatis ejus intersepirentur, quominus Filium Patrem esse dicerent, faciliorem illis viam ad credendam divinitatem Filii strueret in illis Epistolis, ubi ex Sacris Scripturis Verbum eum esse, sapientiam, virtutem, vaporem, splendoremque Patris esse demonstrat. Certè in scriptis sua Apologia propalam & ingenue piam Fi-*C*dem in Christum profitetur. Ut igitur Apostoli culpandi non sunt, sed potiùs, ob doctrinam pro tempore dispensatam, admirationi esse debent: ita Dionysius quoque, ob Epistolam Euphranori & Ammonio contra Sabellium scriptam, culpandus non est. Quòd enim verbis humilibus, & exemplis usus est, id Evangelio, unde illa accepta sunt, debet; simulque ejus rei caussam præbuit Salvatoris in carnem adventus.*

Respondeo tertiò, Sanctum Dionysium Alexandrinum verba in argumento laudata scribentem, spectasse Filium Dei ratione humanitatis assumptæ, non ratione divinitatis, aut divinæ Hypostaseos. D *Agricola* namque, inquit Sanctus Athanasius ibidem, *quantùm ad substantiam vitis attinet, naturâ ab ea externus, & alienus censeri debet: palmites contra congeneres cum vite, indivisimque cohærentes, & ipsi interim eamdem naturam, & parem cum vite possident. Si igitur Filium ejusdem nobiscum substantiæ esse velitis, eamdemque naturam possidere, sit igitur secundum hoc alienus à substantia Patris, eo modo quo vitis ab Agricola. Sin autem Filius aliud est, & diversum à nobis, nimirum Verbum, ratioque Patris, nos contra nil nisi terrigenæ, & posteri Adæ: certum est illud dictum de vite & Agricola non referri ad dei-*E*tatem Verbi, sed ad ejus humanitatem; cùm ad istum modum Dominus sua verba temperarit: Ego sum vitis, & vos palmites: Pater vero meus Agricola est. Nos enim respectu corporis nostri, Domini cognati sumus, ac proinde ab illo dictum est: Annuntiabo nomen tuum fratribus meis. Et ut palmites ex vite sunt, eique consubstantiales habentur, ita & nos cognata cum Domino corpora sortiti, incrementum ex ejus plenitudine accepimus, ejusque radice ad resurrectionem, & salutem nitimur. Pater verò Agricola nomen meretur, eò quòd ipse, per Verbum, vitem, quæ est humanitas Salvatoris condiderit, atque ideo nemo* F *ad Dominum venire potest, nisi Pater eo illum traxerit. Cùm igitur iste sit hujus sententiæ intellectus, opportunissimè ea de hac vite scribuntur: Fidelem enim fuisse illi, qui ipsum fecerat, & tanto præstantiorem Angelis factum: necnon & illud, Dominus creavit me. Quo enim tempore illud acceperat quod pro nobis oblaturus erat, corpus scilicet suum sacrosanctum ex Maria Virgine natum, eo nimirum tempore de illo scriptum oportuit, ipsum conditum & creatum fuisse, siquidem hujusmodi dicta hominibus congruunt: & attemperata sunt, neque post corpus assumptum Angelis præstantior factus est, ut antea minor illis, aut par fuisse videatur.*

Certè hanc vitis & agricolæ comparationem,

& appellationem operis, & creaturæ, non esse relatas à Sancto Dionysio ad Personam Filii secundùm se, sed tantùm ratione humanitatis assumptæ, constat ex illius verbis quæ refert Sanctus Athanasius. *Tametsi meum dictum sit, quod non invenerim hanc vocem consubstantialitatis in Literis sacris, rem tamen ipsam mihi deprehendi, cognovique Filium, qui Verbum est, non alienum à Patris substantia esse.*

Addit inferiùs: Quia malignè objectum erat Sancto Dionysio, quòd *Deum* dixisset *factorem Christi, multiplici ratione ad se defendendum usus est. Dicit, ne ita quidem suum sermonem reprehendi debere: respectu enim carnis creatitia, quam Verbum assumpsit, Deum Christi factorem appellasse. Quòd si de Verbo quispiam hoc dictum esse suspicetur, modò benignè audiat, intelliget me nequaquam sentire Verbum creaturam esse, cùm Deum ejus, non conditorem, sed Patrem appellem. Nam tametsi obiter à me Deus Filii sui creator nominetur, tamen vel ita quoque ret non caruerit suâ defensione. Nam Græci sapientes sese suorum verborum, quorum parentes, genitoresque sunt, factores nuncupant. Quin etiam Sacra Scriptura motuum nostrorum ex nostro corde prodeuntium factores nos appellat; factoresque item legis, judicii, & justitiæ; adeo ut undecumque appareat, magnum illum Filium nec creaturam, nec opus esse; ac proinde se alienum esse ab Arianica pravitate.*

Objicitur secundò Auctoritas Sancti Basilii, qui à Maximo Philosopho rogatus quid de Dionysio Alexandrino sentiret, asserit ipsum, dum vehementiùs obluctari Sabellio cuperet, in contrarium errorem inflexum esse. Ita enim habet Epistola 41. *Quæ de rebus Dionysii sciscitaris, venerunt quidem ad nos admodum illius multa. Libri vero nondum adsunt: atque adeo nihil dum misimus. Est autem hæc nostra de illo sententia. Non omnia viri hujus laudamus: sunt quæ prorsus etiam damnamus. Ipse propemodum, quantùm nobis liquet, primus hominibus impietatis istius Anomœana, quæ jam passim obstrepit, seminaria præbuit. Caussam verò hujus non puto animi malitiam esse, sed quòd vehementer cupit obluctari Sabellio. Soleo itaque illum similem æstimare plantatori cuipiam, qui recentis plantæ correcturus aversionem, ita immoderatè illam retorquet, ut à medio abhorreat & ad contrarium latus ramulum adducat. Tale quid & ab hoc viro factum deprehendimus. Hic nempe dum impietati Afri illius se opponit acriore impetu, minùs prudenter sibi prospiciens, in malum huic oppositum præceps abiit, & quidem nimio contendendi studio. Satis enim huic fuit, si argumentis doceret, Patrem, & Filium non idem esse subjecto personali, ac palmarium hoc præsumpta victoria ex hoste blasphemo nimirum Sabellio reportaret. Atqui ut Dionysius, quod unum expetebat, perspicuè admodum obtinuit, sed ex superfluo. Nam non solum diversitatem τῶν ὑποστάσεων, sed & τῆς οὐσίας differentiam constituit, potentiam Filii imminuit, & ipsius gloriam immutat, ac majestatem. Hinc adeo contigit ut malum permutaret malo, atque aberravit à scopo rectissimæ & sincerioris doctrinæ, quò factum est, ut varius sit deprehensus, & inconstans in conscriptionibus suis: & quidem tollit nunc τὸ ὁμοούσιον per ea quibus in recta hypostasum constitutione minus rectè usus est: nunc contra admittit, dum respondet sibi Cognomini. Nec his contentus, & de Spiritu Sancto voces edidit, quæ nulla prorsus sui parte competunt Sancto Spiritui, divinam illi atque aderandam adimens majestatem, & eumdem ad hæc inferiora devexum, creata adnumerat, ac servili natura.* Hanc Sancti Basilii de Dionysio Alexandrino sententiam refert Photius inter Gobari Excerpta, Bibliothecæ Codice 232. Constat itaque ex Sancto Basilio, Dionysium Alexandrinum eum in errorem incautè abreptum esse, qui Arianorum postea palmaris fuit.

Respondeo primò, Sanctum Dionysium Alexandrinum meliorem sui esse interpretem, quàm sit S. Basilius; & rursus Sanctum Athanasium Alexandrinum etiam Episcopum, res & sensa Dionysii meliùs nosse. Cùm itaque Sanctus Dionysius mentem suam aperuerit & fidem exposuerit editis Apologiis, quæque à se paulò duriùs dicta videbantur, Catholico sensu à se conscripta demonstraverit: cùm insuper Sanctus Athanasius Alexandrinus Antistes ipsum vindicaverit ab errore, singulari edito libro, maxima cum veneratione hac in caussa defendendus est Sanctus Basilius.

Respondeo secundò, Sanctum Basilium, cùm hæc de Sancto Dionysio Alexandrino scripsit, quatuor Apologeticos libros ab illo ad Dionysium Romanum Pontificem pro sui purgatione conscriptos, minimè compertos habuisse, quod & ipse innuere videtur cùm ait, *Venerunt quidem ad nos admodùm multa, libri vero nondùm adsunt.* Librorum autem nomine intelligi debere Commentarios ad Dionysium Romanum Pontificem datos, satis apertè declarat Eusebius libro 7. cap. 21. *Quatuor item libros,* inquit, *de eodem argumento, nempe contra Sabelii hæresim, composuit, quos gentili suo Dionysio, qui Romanus erat Episcopus, dedicavit.* Cùm igitur constet, nec S. Basilium omnia ab eo scripta hoc de argumento comperta tunc habuisse, nec insuper Apologeticum librum pro eodem à S. Athanasio editum ei tunc innotuisse, non mirum si paulò severius de ipso Dionysio Alexandrino tulerit judicium. Sed his omnibus demum inspectis, & expensis, tantùm abest ut eum violatæ Spiritus Sancti majestatis ampliùs accusaverit: quin potiùs, quæ ab illo scripta essent eo argumento, in sui defensionem adduxerit. Sic enim habet in libro de Spiritu Sancto ad Amphilochium cap. 29. *Cæterùm cùm apud me repute si quis veterum ac beatorum virorum his, quibus nunc reclamatur, vocibus usus sit, multos reperio, quibus antiquitas fidem conciliat, qui juxta exactam eruditionem, non juxta horum temporum homines, quorum alii præpositione, alii conjunctione, in Glorificatione sermonem copulant, statuerunt nihil referre, sanè quod ad rectam attinet pietatis intelligentiam. Irenæus ille, & Clemens Romanus, & Alexandrinus Dionysius, id quod etiam auditu mirum est, in secunda ad sibi Cognominem Epistola de accusatione, ac defensione, hunc in modum finit sermonem. Transcribam autem vobis ipsa hominis verba: His, inquit, congruenter & nos etiam, formâ, regulâque à Senioribus, qui ante nos vixerunt, acceptâ, concordibus vocibus cum illis gratias agere, ac nunc etiam vobis scribere desinemus. Deo autem Patri, & Filio Domino nostro Jesu Christo, cum Sancto Spiritu, gloria & imperium, in sæcula sæculorum. Amen.* Porrò cùm Sanctus Basilius impugnaretur ab æmulis quasi violatæ majestatis Spiritus Sancti reus; non laudasset Dionysium Alexandrinum ut suæ testem locupletissimum fidei, si in ejusdem criminis suspicionem adduci meritò eum posse existimasset.

Objicitur tertiò, ex Gennadio, libro de Dogmatibus Ecclesiasticis, scribente: *Nihil creatum, aut serviens in Trinitate credamus, ut vult Dionysius fons Arii.*

Respondeo, Hæc à Gennadio inconsultò scripta esse: quem verisimile est omnes S. Dionysii Alexandrini lucubrationes, & Sancti Athanasii pro eo Apologiam non legisse, cùm hæc scripsit.

Ex his constat deceptum fuisse Ruffinum, cùm errores in Dionysii Scriptis esse effutiit; quanquam ab Arianis intrusos caussaretur. Namque nihil hujusmodi à Sancto Athanasio scriptum est: quinimo ejus Opera integra & illibata servata fuisse innuit, quibus ejus Orthodoxia innotesceret, Arianaque hæresis debellaretur.

DISSERTATIO

## DISSERTATIO XX.

### De Lapsu Marcellini Romani Pontificis, & de Sinuessana Synodo.

---

### ARTICULUS UNICUS.

*Utrum Marcellinus thus Idolis adoleverit, ob idque in Sinuessana Synodo fuerit damnatus?*

### PROPOSITIO I.

*Marcellini lapsus commentitius est.*

PROBATUR primò ex silentio veterum Historiæ Ecclesiasticæ Scriptorum, qui lapsum & thurificationem Marcellini nullatenus noverunt. Eusebius libro 7. cap. 32. Pontificatus ejus meminit, non thurificationis, & Theodoretus libro 1. cap. 3. vocat Marcellinum, *Virum persecutionis temporibus magna gloria nobilitatum.* Lapsûs ejus ne per umbram quidem meminit.

Probatur secundò ex S. Augustino, libro de unico Baptismo contra Petilianum, cap. 16. ubi Donatistam illum refellens, qui plures Ecclesiæ Romanæ Episcopos Traditionis sacrorum Codicum, & thurificationis arguebat, hæc habet: *Quid ergo jam opus est ut Episcoporum Romanæ Ecclesiæ, quos incredibilibus calumniis insectatus est, objecta ab eo crimina diluamus? Marcellinus & Presbyteri ejus Melchiades, Marcellus & Sylvester, Traditionis Codicum divinorum, & thurificationis ab eo crimine arguuntur: sed numquid ideo etiam convincuntur, aut convicti aliqua documentorum firmitate monstrantur? Ipse sceleratos & sacrilegos fuisse dicit: Ego innocentes fuisse respondeo. Quid laborem probare defensionem meam, cùm ille nec tenuiter probare conatus sit accusationem suam?* Porro qua ratione quod in medio Urbis, in Idolorum templo, coram Imperatore, à tali præsertim tantoque viro supponitur admissum facinus, unum præteriisset Augustinum, qui etiam Romæ tamdiu versatus est, quique hoc factum, importunis Donatistarum objectionibus coactus, accuratè discussit? Quod si id soli scivérint Donatistæ, cur tanti rem momenti absque aliqua testificatione prodiderunt? Cùm præsertim thurificationis atque damnationis Marcellini Acta illa Sinuessanæ Synodi, ut fingitur, suppeterent.

Tandem cur Donatistæ, qui omnem verterunt lapidem in tot Conciliis & Collationibus, ut unum Cæcilianum traditionis arguerent, Marcellini Romani Pontificis lapsum ac thurificationem sæpius non prodiderunt, ac probaverunt? Certè in celeberrima illa, mandato Imperatoris facta Collatione Carthagine inter Catholicos & Donatistas Episcopos, cùm sese paratos jactitarent Hæretici ad convincendum traditionis Melchiadem Romanum Pontificem, & prolixa admodum Acta legi petivissent, nihil in iis, quo reus probaretur, penitus inventum est, ut refert Sanctus Augustinus in Breviculo Collationis diei tertiæ, cap. 18. & libro post Collationem edito, cap. 12. & 13. At si verè lapsus esset Marcellinus, ibi lapsum ejus objicere non omisissent ad facessendum negotium Melchiadi, qui ejus Presbyter fuerat: sicut ex persona Felicis Aptungitani Cæciliano moverunt quæstionem, quòd ab eo, qui fuerat sacrorum librorum traditor, ipse fuisset ordinatus.



### PROPOSITIO II.

*Concilium Sinuessanum suppositicium est, ac planè fictitium.*

Probatur primò. Incredibile est quòd sæviente persecutione Diocletiani, omnium scilicet crudelissima, trecentorum Episcoporum cogi potuerit Conventus, eo scilicet paulò minor, qui in maxima Ecclesiæ pace, totis viribus adnitente Constantino Imperatore, Nicææ in Bythinia fuit postea congregatus: ergo fictitia est Sinuessana Synodus trecentorum Episcoporum, quæ anno Christi 303. fuerit congregata ad Marcellinum Pontificem condemnandum.

Probatur secundò. Nulla apud quosvis Scriptores, sive profanos, sive Ecclesiasticos, Sinuessanæ Civitatis, & Cleopatrensis Cryptæ, in qua celebratum fingitur illud Concilium, occurrit vel levis memoria. Ficta igitur Civitas est, ficta Crypta, adeoque & commentitia Synodus. Asserere enim cum Baronio & Binio, quod situm, ac nomen loca illa mutarint, divinare est.

Probatur tertiò. In Actis istius Concilii Marcellinus dicitur introductus à Diocletiano in Templum Vestæ & Isidis, sacrificasse Herculi, Jovi, & Saturno. Istud porro verisimile non est, cùm cuique Numini proprio in Templo nuncupata fuisse vota, & oblata Sacrificia, omnia Antiquitatis monimenta testentur.

Probatur quartò. Ferunt istiusmodi Acta Marcellini condemnationem ad Diocletianum esse perlatam, cùm esset in bello Persarum: quod apertæ convincitur falsitatis: cùm eo ipso anno, Imperii nempe sui vigesimo, sese Imperio abdicaverit Diocletianus, & ante biennium de Persis profligatis cum Maximiano Collega suo Romæ triumphum egerit. Illius igitur Synodi Acta, ut & Synodus ipsa, exsufflanda sunt. Respondent Baronius & Binius, verba illa esse appendicem Actorum, non partem; sed divinantibus quis facilè credat?

Probatur quintò. In Actis illis habetur, multitudinem Christianorum ad Templum Idolorum perrexisse, ut de rumore qui sparsus erat contra Marcellinum certiores fierent, & testimonium contra ipsum ferre possent, si eum viderent Idolis sacrificantem. Ipsos verò vidisse eum thus falsis Numinibus adolentem. At in ista narratione multa sunt, quæ veri speciem nullam habent. Primò, quòd tempore persecutionis, quo Fidei Christianæ professores delitescebant, tot Christiani catervatim prodierint in publicum. Secundò, quòd ad Templum Idolorum accesserint, Sacrificii, aut Thurificationis sacrilegæ futuri testes, quibus impia Sacrificia, & quosvis Gentilitiæ superstitionis ritus spectare nullatenus licebat, ut constat ex Tertulliano passim in libro de Spectaculis, sed maximè cap. 13. ubi postquam præmisit Christianos ab Idolothytis abstinere ex horrore Idololatriæ, hæc addit: *Si ergò gulam & ventrem ab inquinamentis liberamus, quanto magis augustiora nostra, oculos & aures ab Idolothytis voluptatibus abstinemus, quæ non intestinis transiguntur, sed in ipso spiritu & anima digeruntur: quorum munditia magis ad Deum pertinet, quàm intestinorum?* Et certè si spectacula adire Christianis licitum non erat, quia ex Idololatria constabat universa spectaculorum paratura, ut ait Tertullianus, quantò magis ipsis erat illicitum Sacrificia ipsa falsis exhibita Numinibus spectare?

Probatur sextò. Acta illa referunt 72. testes adductos fuisse mediam in Synodum, qui Marcellinum

sacrilegæ Thurificationis convincerent, & nihilominus dixisse ipsi universam Synodum: *Tu eris Judex: ex te enim damnaberis, & ex te justificaberis, tamen in nostra præsentia.* Et post depositionem, dicitur *Ore suo condemnatus. Nemo enim*, inquit, aliquis ex fictitiis illis Patribus, *unquam judicavit Pontificem, nec Præsul Sacerdotem suum, quoniam Prima Sedes non judicabitur à quoquam.* Quæ si vera essent, quam ob caussam tot prolata essent adversùs Marcellinum testimonia? Quorsum necessarii testes ad convictionem rei, qui judicari à nemine mortalium potest; & cujus standum est judicio in propria caussa? Acta igitur illa inepta sunt, & secum pugnantia: quæ maxima est nota suppositionis.

Septimò. Ad quid mysticus ille septuaginta duorum testium numerus? Numquid *In ore duorum vel trium*, non *stat omne verbum?*

Octavò. Quàm bella libræ occiduæ 72. solidis constantis ad numerum 72. testium allusio, quàm nitida elocutio; *Quoniam in septuaginta duorum libra occidua in reparationem resurgit annus*! Ænigma certè quod nullus Oedipus solveret.

Nonò. Quàm congruum primævæ Ecclesiæ moribus, ut ad testimonium ferendum contra Pontificem admitteretur publicus adulter! Quod tamen factum fuisse in Actis illis legitur.

Decimò. Verisimile non est quòd Marcellinus, qui palam in Templo, tanta spectante multitudine, thus adolevisse fingitur Herculi, Jovi & Saturno, à se admissum in totius Romanæ Civitatis luce facinus inficiari ausus esset. Quod tamen Acta illa testantur.

Undecimò. Pontificem Romanum illo ævo purpura fuisse indutum, nemo sibi facilè persuadebit, quò nullus adhuc irrepserat in Ecclesiam fastus, & Apostolica simplicitas in Episcopis fulgebat. Porro id supponunt Acta Sinuessana, in quibus unus testium quærenti Marcellino, quo die ipsum thurificantem vidisset, respondisse fertur: *Quo die exuisti purpuram, & induisti coccum, & gaudebat super te Diocletianus, & quos paulò antè negabas, & ante ejus tribunal eis thurificabas.*

Duodecimò. Ab Ecclesiæ sensu aliena semper fuit ista propositio: *Prima Sedes non judicabitur à quoquam*: in ea specie cui applicatur in Actis Sinuessanis. Nam hæreticum Pontificem judicari posse censuit ac damnari, ut revera damnavit Honorium Sexta Synodus Oecumenica. Idem constat ex Canone *Si Papa*, Distinct. 40. qui ex Sancti Bonifacii Moguntini Archiepiscopi & Martyris verbis contextus est, in quo dicitur Papam à nemine esse judicandum, *Nisi fuerit à fide devius.* Quòd si Pontificem Romanum in hæresim lapsum judicari posse à Concilio semper existimavit Ecclesia, multò magis lapsum in Idololatriam.

Ultimò. Quotquot nominantur illis in Actis Episcopi, incogniti sunt, nec cujus loci Episcopi fuerint, indicatur; quod à perpetuo Synodorum more, & Synodalium Actorum stylo penitùs alienum est. Argumento est itaque fictitios esse Episcopos, & Acta fictitia.

Objicitur auctoritas Nicolai Primi in Epistola ad Michaelem Græcorum Imperatorem, in qua ut probet non posse quemquam ab his, qui inferioris dignitatis sunt, judicari, istam de lapsu & damnatione Marcellini refert historiam, his verbis: *Tempore Diocletiani & Maximiani Augustorum, Marcellinus Episcopus Urbis Romæ, qui postea insignis Martyr effectus est, adeo compulsus est à Paganis, ut in Templum eorum ingressus, grana thuris super prunas poneret. Cujus rei gratia collecto numerosorum Concilio Episcoporum, & inquisitione facta, hoc se idem Pontifex egisse confessus est. Nullus tamen eorum proferre in eum sententiam ausus est, cùm ei sæpissimè omnes perhiberent, Tuo ore judica caussam tuam, non nostro judicio. Et iterum: Noli, aiunt, audiri in nostro judicio, sed collige in sinu tuo caussam tuam: & iterum dicunt: Prima Sedes non judicabitur à quoquam.* Ergo verè lapsus est Marcellinus in Idololatriam; & in Sinuessana Synodo damnatus.

Confirmatur. Romanum Breviarium thurificationis Marcellini meminit: Romana igitur Ecclesia illius lapsûs historiam probat.

Respondeo, Nicolaum Primum falsis Concilii Sinuessani Actis deceptum esse, atque illam retulisse de lapsu Marcellini historiam, prout vulgò ferebatur apud illos, qui commentum emunctiore nari subodorati non essent. Neque enim certam historiam facit Romani Pontificis auctoritas, cui in hujusmodi factis major non debetur fides, quàm aliis quibuslibet Auctoribus. Sicut ergo eruditorum nemo crediderit priscorum Pontificum Epistolas genuinas esse, quia ita sensit Nicolaus: cùm argumentis meridiana luce clarioribus compertum sit suppositas esse ab impostore Isidoro: ita nemo doctus colliget Marcellinum thus Idolis adolevisse, & in Concilio Sinuessano fuisse damnatum, quia Nicolaus Primus id refert. Cùm enim vellet supremam demonstrare Sedis Romanæ dignitatem Imperatori Michaeli, undequaque arripuit & congessit, quæ caussam suam juvare possent, singulorum factorum accuratiori neglecto examine. Nec succensere quis debet, quòd Summum Pontificem deceptum in rei gestæ narratione propugnemus, cùm minor sit injuria S. Sedis Apostolicæ, oscitantia illa & hallucinatio Nicolai, quàm thurificatio Marcellini.

Ad confirmationem respondeo, Romani Breviarii auctoritatem efficere non posse ut fabulæ in historias evadant: nec censeri debere exploratæ & inconcussæ veritatis, quæcumque Breviario sunt inserta, quod multis exemplis probare facile esset.

## SCHOLION I.

Ad hanc Dissertationem Religiosi Censores hanc notam in Indiculo suo apposuerunt, p. 654. *Baronius errat circa lapsum Marcellini, & Acta Sinuessana Synodi. Tota*, inquiunt, *Dissertatio expungatur.*

R. Quamvis errasse in his, aliisque plurimis Historiæ Capitibus Cardinalem *Baronium* nemo doctus diffiteatur; hæc tamen verba, *Baronius errat*, mea non sunt. *Marcellini lapsum commentitium*, Acta Sinuessanæ Synodi supposita, invictis rationibus probo; Sanctum Pontificem ab idololatria vindico. Sententiam meam secutus est vir eruditus *Daniel Papebrochius*, in Propylæo ad Acta Sanctorum mensis Maii, Dissertatione viii. me etiam appellato, & Acta Sinuessana his verbis sugillat: *Hæc autem narrantur cum circumstantiis & formulis tam peregrinis, ne dicam fatuis, ut nequeam animo comprehendere, qua ratione potuerint ista Acta in compilationibus Conciliorum absque debita censurâ tolerari.* Eamdem sententiam propugnat *P. Antonius Pagi* in Critica Annalium *Baronii*, ad annum cccii. Num. xvi. meas etiam rationes usurpans.

## SCHOLION II.

Ad eamdem Dissertationem, & ad pag. 657. Editionis primæ, Religiosi Censores in Indiculo suo hanc Propositionem notant: *Ab Ecclesiæ sensu alienum, quòd PRIMA SEDES A NEMINE JUDICATUR.*

R. Hanc Propositionem ab Ecclesiæ sensu absolutè & simpliciter alienam non dixi, sed *alienam in ea specie cui applicatur in Actis Sinuessanis.* Ecclesia enim (inquiebam) *Hæreticum Pontificem judicari posse censet ac damnari, ut re vera damnavit Honorium Sexta Synodus Oecumenica. Idem constat ex Canone, SI PAPA.* Distinct. 40. *in quo dicitur, Papam à nemine esse judicandum*, NISI FUERIT A FIDE DEVIUS. *Quòd si Pontificem Romanum in hæresim lapsum judicari posse à Concilio semper existimavit Ecclesia, multò magis lapsum in idololatriam.* Eamdem rationem usurpat eruditus *Papebrochius*, loco suprà laudato, Num. 8. *Ego*, inquit, *Romana*

*manæ Ecclesiæ prærogativis additum potius aliquid, si possit, quàm detractum velim; illa tamen quâ his prætenditur,* PRIMA SEDES NON JUDICARI A QUOQUAM, *in accepta sensu, quasi persona Pontificis, quâ homo singularis est, nullius judicio subjaceret, non modò falsum est, sed ab ipsamet Ecclesia positivè rejecta in Canone,* SI PAPA, *Dist. XL. sumto ex verbis Sancti Bonifacii Moguntiae Archiepiscopi & Martyris, ubi statuitur ut* PAPA judicetur à nemine, nisi fuerit à fide devius: *Quis autem magis ab ea devius quàm idololatra, qualem nobis faciunt Marcellinum, qui lapsum ejus tuentur?*

## SCHOLION III.

Ex fine Dissertationis ejusdem, pag. 659. Editionis primæ, Religiosi Censores hæc in Indiculo suo notant: *Non quæcumque dicuntur à Pontifice sunt infallibilis auctoritatis.... Nicolaus volens supremam Cathedræ auctoritatem ostendere, undequaque arripuit quæ causam ejus juvare poterant... Auctoritas Breviarii Romani non potest efficere ut fabula in historiam evadant, nec sunt infallibilis auctoritatis quæcumque Breviario sunt inserta.*

R. Quamvis aliis verbis sensum meum, imò communem omnium eruditorum hominum exprimant Censorii Indiculi Auctores, hæc tamen omnino vera sunt. Rectè scripsi, *Nicolaum* I. falsis Concilii Sinuessani Actis deceptum, illam retulisse de lapsu *Marcellini* historiam, *prout vulgò ferebatur. Neque enim certam historiam facit Romani Pontificis auctoritas, cui in hujusmodi factis major non debetur fides, quàm aliis quibuslibet Auctoribus.* Eadem propemodum *Papebrochius* habet, me laudato. *Et de Breviario quidem respondet* (Alexander) *Non censeri debere explorata & inconcussa auctoritatis quæcumque ei sunt inserta: quod illius tot jam antehac factæ correctiones sic probant, ut spem faciant non displicituram Sacræ Rituum Congregationis Præsidibus, quisquis bona ductus ratione alia subinde suggesserit. Ad Nicolaum quod attinet, eum bona fide allegantem quæ suo tempore referebantur ut certò vera, nunc tamen repudiantur ab Eruditis ut certò falsa, non putat commisisse aliquid quod Pontificiæ Dignitatis probro verti magnopere possit. Alioquin enim tantò justiùs eidem objiceretur Marcellini thurificatio, quantò gravius foret Pontificem aliquem thus obtulisse cum idololatris, quàm in alicujus rei narratione erravisse cum vulgo historicorum cæterorum, etiam optimorum. Quid autem cunctabimur fateri, in recipiendis Sinuessani Concilii supposititiis Actis errare potuisse Nicolaum? Cum in eadem Epistola ad Michaëlem, paulò ante, inveniamus allegata Acta cujusdam Pseudoconcilii sub Sixto III. in causa Polychronii Hierosolymitani Episcopi, quem nullum unquam in rerum natura fuisse, ad annum 433. agnoscit demonstratque Baronius.* Hæc iisdem verbis Criticæ suæ in Annales *Baronii* inseruit *P. Antonius Pagi*, ad annum 302. N. XVIII. Quæstionem de Pontificia infallibilitate non attigi; sed Summos Pontifices, ut privatæ personæ sunt, infallibiles esse nemo eruditorum Theologorum dixit.

## DISSERTATIO XXI.

### De Concilio Illiberritano.

---

### ARTICULUS PRIMUS.

*De Concilii Illiberritani Epocha.*

a ILLIBERIS duplex, una in Gallia Narbonensi, teste Ptolomæo, non procul à Ruscinone, seu Perpiniano, in ora Illiberis fluvii, à quo forsan urbi nomen inditum, quod & indicat Strabo libro 3. de situ orbis; de qua b Plinius ait: *Oppida Illiberis, magnæ quondam urbis tenue vestigium.* Alteram Ptolomæus, & idem Plinius sitam esse scribunt in Turdulis, non procul ab Acci Bastitanorum, juxta Bætim fluvium. Antiquæ hujus urbis situm retinet c Granata Civitas, regni Granatensis caput, & juridico totius d Bæticæ, Conventu celeberrima. Ab hac Illiberim veterem septimo lapide distare, probant rudera dirutæ Civitatis & Ecclesiæ, quæ visuntur etiamnum in colle, qui vulgò Mons Elbiræ appellatur. Hinc & porta Civitatis per quam ad istum collem fit iter, nuncupatur porta de Elbira. Quod etiam probant vetustissimorum inscriptiones monumentorum, quæ Augustorum temporibus posita, hoc sæculo inventa sunt Granatæ. In hac Illiberi Concilium Illiberritanum celebratum est, non verò in Illiberi Galliæ Narbonensis, seu Ruscinonensis Comitatus, quæ hodie Caucoliberis, vulgò *Colioure* appellatur. Nam ea Civitas longè ante Constantini ætatem diruta erat, ut Pomponius Mela & Plinius testantur. In desertam porro eversamque Civitatem Episcopos Toletanæ, Bæticæ, & Lusitaniæ Provinciæ convenisse, haud verisimile est. 2. In Illiberi Galliæ Narbonensis, seu Caucoliberi nusquam legimus Episcopalem Cathedram constitutam, ut constat ex tribus vetustissimis Episcopatuum Hispaniæ, & Galliæ Narbonensis Notitiis, quarum prima Constantino Imperatori; altera Theodemiro Regi Suevorum; tertia Wambæ Regi Gothorum accepta refertur: quod etiam probat altissimum Alfonsi Decimi Hispaniæ Regis, & Roderici Toletani Archiepiscopi silentium, in rerum Hispanicarum, quam scripserunt Historia. At Illiberis Bætica Sedes Episcopalis erat, cujus Antistes Flavius Illiberritanæ subscripsit Synodo.

Huic Concilio adfuerunt undeviginti Episcopi, quos inter celeberrimi fuere Valerius Cæsaraugustanus Episcopus, cujus Diaconus fuit Sanctus Vincentius Martyr, & Osius Cordubensis, qui Alexandrino, deinde Nicæno, & Sardicensi, Conciliis præfuit. Interfuerunt etiam Illiberritanæ Synodo triginta sex Presbyteri. Quatuordecim dumtaxat subscriptiones extant in veteri Codice MS. Ecclesiæ Urgellensis: in cæteris desiderantur. Adfuerunt etiam Diaconi, Antistitum, & Presbyterorum comites ac ministri. In Ecclesia Illiberritana sacer iste Conventus celebratus est, & omni plebe Christiana ibidem præsente promulgatus. Hic enim sensus est istorum verborum; *Adstantibus Diaconibus, & omni plebe*: non quòd plebs interfuerit Concilio, & in eo suffragium dixerit.

His prænotatis, in hujus Synodi epocham accuratiùs inquirendum est. Magdeburgenses Centuriatores, teste Arnaldo Pontaco Vasatensi Episcopo, in Chronographia ad annum Christi 794. hujus Concilii tempus ad annum septingentesimum, tanta impudentia, quanta inscitia referunt. Angli, ut testatur Alanus Coppus & ipse Anglus, a quadringentis abhinc annis vita functos Illiberritanos Patres effutire non erubuerunt. Inter Catholicos Scriptores magna est de illius Concilii tempore dissensio. Ambrosius Morales lib. 10. Historiæ Hispaniæ cap. 31. anno Domini 324. coactum asserit, fretus auctoritate duorum exemplarium Toletanorum MSS. Antonius Augustinus in Epistola ad Hieronymum Blancam rerum Aragoniæ Scriptorem, Illiberritanæ Synodi epocham figit anno Christi 325. Cardinalis Baronius b Constantio & Galerio imperantibus celebratam contendit. Joannes Morinus c ante Novatiani hæresim, & persecutionem Decii coactam propugnat, id est, ante annum 250. Ferdinandus de Mendoza, libro 1. de confirmando Concilio Illiberritano, ad Clementem Octavum Pontificem Maximum, habitum illud censet ante persecutionem Diocletiani & Maximiani, anno Christi 300. vel 301.

### PROPOSITIO I.

*Illiberritana Synodus celebrata non fuit anno Christi 324. aut 325. neque post Nicæni Concilii tempora.*

Probatur prima pars. Osius interfuit, subscripsitque Illiberritano Concilio, idemque Nicæno præfuit: sed non potuit adesse Illiberritano Concilio

ZZzz iij anno

Left column margin notes: a L'Elvire. b Plinius lib. 3. cap. 1. c Grenade. d L'Andalousie.

Right column margin notes: a Alanus Coppus Dialog. 4. b Baronius Tom. 2. Annal. Eccles. c Morinus libro 15. de Administrat. Sacramenti Pœnitent. cap. 19.

anno Christi 324. aut 325. anno scilicet uno vel duobus ante Nicænum : hoc itaque tempore celebrata non fuit Illiberritana Synodus.

Probatur minor. Ante Nicænam Synodum, & ante Arianæ ortum hæreseos, Osius Cordubensis erat in comitatu Constantini Magni (ut testatur Socrates *a* lib. 5. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 4.) Ergo ante illud tempus Osius aberat ab Hispania, proindeque Concilium Illiberritanum, cui ipsum adfuisse certum est, celebratum non fuit anno Christi 324. aut 325.

*a* Socrat. lib. 5. cap. 4. Sozomen. libro 1. cap. 13.

Præterea. Anno Domini 317. missus est Osius Alexandriam à Constantino, tum ad sedandam contentionem, quæ inter Arium & Alexandrum de æqualitate Filii cum Patre nuper excitata fuerat, tum ad finiendam controversiam, quæ inter Orientales orta fuerat de celebratione Paschatis, ut Socrates & Sozomenus testantur. Ante annum igitur 317. Osius secesserat ab Hispaniis, nec ante Nicænum Concilium illuc reversum esse, ulla vel levissima conjectura probat : cùm igitur Illiberritano Concilio adfuerit, consequens est illius epocham figi non posse anno Domini 324. aut 325.

Tertiò. Cùm Donatus à Casis Nigris, schismatis & hæreseos Auctor, caussam Cæciliani, post Arelatensis Concilii judicium, ad Constantinum detulit, jam Constantino Magno à comitatu & consiliis erat Osius. Conquestus est namque Parmenianus ab eo præceptum esse, quòd *victi apud Ecclesiasticos Judices, nec apud ipsum, quæ dicebant, probare potuissent, ad campum, hoc est ad supplicium ducerentur : hoc enim eum tamquam immaniter jussisse, Hispano Osio suggerente, criminabatur* (inquit Sanctus Augustinus lib. 1. contra Parmenianum cap. 8.) Qui & addit, ab eodem Osio persuasum Imperatorem, leniorem in Donatistas, quàm mererentur, dixisse sententiam. *Quasi verò*, inquit, *non humanius ac probabilius alius crediderit, Osio tamquam Episcopo suggerente, potiùs factum ut in leniorem coercitionem, quamvis immanissimi sceleris, id est sacrilegi schismatis, sententiam flecteret Imperator.* Hæc autem Constantini sententia lata est 4. Idus Novemb. Sabino & Rufino Coss. (ut Sanctus Augustinus testatur in lib. ad Donatistas post Collationem, cap. 33.) Horum autem Consulatus incidit in annum 316. teste Onufrio : ante hunc igitur annum Osius ex Hispaniis recesserat. Concilium itaque Illiberritanum ante hoc tempus fuerat celebratum.

Denique, antequam Donatus caussam Cæciliani Carthaginensis Episcopi ad Constantinum primùm deferret, Osius erat in Imperatoris comitatu, ut constat ex illius Constitutione ad Cæcilianum data, qua curam illi commisit distribuendi munera certis quibusdam Catholicæ Religionis Ministris per Provincias omnes Africæ, Numidiæ, & Mauritaniæ; quam Constitutionem refert Nicephorus lib. 7. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 42. Porro Cæciliani caussam à Donato primùm delatam ad Imperatorem, anno Christi 313. colligitur ex Optatu Milevitano, lib. 1. contra Parmenianum : ante annum igitur 313. Osius Hispanos deseruerat ; celebrataque jam tum fuerat Illiberritana Synodus. Falsò itaque scripsit Onufrius in Fastis Pontificum & Imperatorum, anno 313. eòdem anno hanc Synodum habitam fuisse.

Probatur secunda pars. Concilium Illiberritanum celebratum est nondum reddita Ecclesiæ pace, nondum sedata persecutione, ut ipsius Canones probant, in quibus de flaminibus Ethnicorum, de coronis Sacerdotum, de literis Martyrum & Confessorum, quibus lapsos in Communionem recipi rogabatur, de domesticis Laribus, & de his qui confringentes Idola Gentium occiderentur, speciatim decernitur: igitur ante Constantini & Constantii ætatem, & multò ante Nicænum Concilium habitum est.

Præterea. In hoc Concilio nihil de Ariana hæresi, aliisque hæresibus jam enatis decretum est : nihil de Nicænæ Synodi memoria dictum vel insinuatum : argumento est itaque ante Nicænam Synodum celebratum fuisse.

Tertiò. Osius post Concilium Nicænum profectus est in Paphlagoniam, ut adesset Concilio Gangrensi (ut constat ex Epistola Synodica illius Concilii ad Episcopos Armeniæ) nec in Hispaniam reversus est ante Constantini obitum, ut colligitur ex Sancto Athanasio in Epistola ad Solitariam Vitam agentes : Concilium igitur Illiberritanum celebratum non fuit post Nicænum, imperante Constantino : sed nec post Constantini tempora illud habitum fuisse aliquis somniavit, præter Magdeburgenses, & Anglos Novatores, de quibus diximus.

## PROPOSITIO II.

*Celebrata non fuit Illiberritana Synodus ante Novatianam Hæresim, & persecutionem Decii.*

Probatur. Osius Cordubensis, & Valerius Cæsaraugustanus, Illiberritano Concilio interfuerunt, & subscripserunt. At Osius qui Concilio Nicæno præfuit, & Sirmiensis Concilii tempore adhuc erat superstes, id est anno Christi 357. Episcopus esse non potuit ante annum Christi 252. quo Deciana cœpit grassari persecutio. Ponamus enim quod anno ætatis trigesimo factus esset Episcopus, quod illis temporibus vix crediderim contigisse, (cum nec Presbyterum ante annos triginta ordinari, etiamsi eximia ipsi merita suffragentur, decernant vetera Concilia, Neocæsareense Canone 11. Agathense Canone 17. Arelatense 3. Canone 1. & alia.) Ponamus, inquam, quòd Osius anno ætatis suæ trigesimo Episcopales infulas adeptus sit; Sequeretur ipsum egisse annum 137. ætatis tempore Sirmiensis Concilii, & tam gravi ætate fuisse in Hispanias postea reversum : quod sanè incredibile est. Illiberritana igitur Synodus, cui Osius interfuit, non est habita ante annum Christi 252. & ante Decii persecutionem, hæresimque Novatianam. Nec enim alium Osium his temporibus florentem vel levis suggerit conjectura, cùm Hispaniensis Ecclesiæ monumenta alium ejusdem nominis Cordubensem Episcopum nusquam meminerint. De Valerio Cæsaraugustano Episcopo idem dicendum est, qui cùm vexillum confessionis erexerit sæviente in Christianos Daciano Hispaniarum Præside, à quo illius Diaconus Vincentius immani Martyrio affectus est, Imperatoribus Diocletiano & Maximiano, anno Christi 303. ante Novatiani hæresim & persecutionem Decii Episcopus fuisse non videtur. Nec alter Valerius obtrudendus est : Nam etsi alter fuerit Valerius Cæsaraugustanus Episcopus, non tamen his temporibus vixit, sed tempore Concilii Cæsaraugustani Primi, cui subscripsisse legitur, id est, anno Christi 381. Nec sanctitate celebris fuisse proditur, sicut hic noster Valerius.

Respondet Morinus, Infirmum esse quod à subscriptionibus petitur, argumentum. Q[illegible] verum esse concesserim, si ex opposito mihi ni argumenta invictissima, quæ cum subsc[illegible]ptionibu[illegible] [illegible]ciliari non possint. At nulla hujusmodi prof[illegible] vit eruditus.

At, inquit ille, Osii præsentia Illiberritano Concilio repugnat : Canone enim 13. Concilii Nicæni, cui præfuit, statuitur, vel potiùs confirmatur eos qui

qui dicitur antiquus, *Ut si quis egreditur è corpore, ultimo & necessario Viatico minime privetur.* Quod Decretum è diametro pugnat cum Concilii Illiberritani Canonibus, quibus Communio etiam in fine vitæ denegatur certorum criminum reis. An probabile est Osium, Concilii Nicæni Præsidem, hunc Canonem ita absolutè pronuntiasse, nulla exceptione aut interpretatione addita, si tot Canonibus contrarius condendis, cum aliis Hispaniæ Episcopis, adfuisset?

Verùm contraria non sunt Nicenæ Synodi & Illiberritanæ Decreta, ut Morinus contendit. Nicæni enim Patres de Absolutione Sacramentali sunt intelligendi, quam Viatici necessarii nomine significarunt: Illiberritani verò de Eucharistia, quam certorum criminum reis, nec in vitæ exitu, concedendam sanxerunt. Nec mirum tamen esse deberet quòd contraria in utroque Concilio Decreta Osius cum aliis Episcopis edidisset. Nam mutato Ecclesiæ statu, nonnihil mutanda erat Disciplina, & depulso metu persecutionis, inclinatior esse debebat erga lapsos, quam temporis ratio fecerat anteà duriorem (ut scribit Innocentius Primus ad Exuperium Tolosanum Episcopum.) Etenim Ecclesiæ Disciplina temporum habet rationem, in eoque distinguitur à fide, quæ immutabilis est, nec temporum est, sed Evangeliorum.

## PROPOSITIO III.

*Illiberritana Synodus, imminente Diocletiani & Maximiani persecutione, celebrata est.*

Probatur. Ante celebrata est illa Synodus, quàm Osius ob confessionem Fidei stigmatibus inureretur, & quàm Valerius Cæsaraugustanus Episcopus amandaretur in exilium ob Christi confessionem: & tamen habita est cùm alterius persecutionis metus subesset, ut Canones ostendunt: atqui Osius & Sanctus Valerius in persecutione Diocletiani Confessorum nomen & gloriam consecuti sunt, Daciano in Hispaniis sæviente; tunc Sanctus Vincentius Valerii Diaconus illustri martyrio Fidem confirmavit. Igitur paulò ante Diocletiani persecutionem Illiberritana Synodus celebrata est.

Minor evidens est de Sancto Valerio, cujus exilio cum dura illa & insolens conditio etiam adjecta sit, [a] ut in oppidis plusquam viginti domos habentibus nec morari posset, nec illa ingredi, sequitur ipsum postea nec Cæsaraugustam, nec Illiberim ingredi potuisse; adeoque nec Illiberritanam Synodum, cui interfuit, postea fuisse celebratam. Osii verò confessionem ad ejusdem persecutionis referendam tempora, probat ejus Epistola ad Constantium Imperatorem, quam refert Sanctus Athanasius in sua ad Solitariam Vitam agentes, in qua sic Arianum Principem alloquitur: *Ego confessionis munus explevi, primùm cùm persecutio moveretur ab avo tuo Maximiano: quòd si tu quoque persecutionem moves, etiam nunc ad quidvis potius sustinendum paratus sum*.... Certè magnum illum Osium sexagesimum circiter annum à confessione sua egisse tempore Sirmiensis Concilii, ex eodem Sancto Athanasio constat, ibidem dicente: *Tantis ac talibus sceleribus factis nihil omnino se adhuc fecisse arbitrabantur* (Ariani) *quandiu Magnus ille Osius eorum malitiam expertus non esset, nam in eum talem tantùmque virum suam rabiem protendere studuerunt; neque quòd Pater esset Episcoporum reveriti sunt, neque quòd Confessor erat, pudore moti sunt; neque quòd sexagesimum annum, & eò amplius, à confessione agebat, respexerunt.* At secundùm illam temporum rationem, necesse est ut Osii confessio in Diocletiani persecutionem inciderit. Illius itaque confessionis Epocha tempore istius persecutionis figenda est. Cùm igitur non multò post secesserit ex Hispaniis, sequitur Illiberritanam Synodum ante illam persecutionem habitam fuisse.

[a] Vide Antonium Beuter. Hist. Hispan. part. 1. cap. 15.

Propositionem secundam his argumentis impugnat Morinus. Illiberritani Patres homicidis & idololatris Communionem negant: præcesserunt igitur Novatianam hæresim, & Decii persecutionem. Quis enim credat tam Sanctos Patres hæresim notoriam, à Sede Apostolica, à tot Conciliis, ab universo orbe damnatam, amplecti voluisse.

Præterea. Celebrata est Illiberritana Synodus ante persecutionem, quæ in Hispanias grassata sit: atqui Diocletiani persecutio non pervenit in Hispaniam, ut nec in Galliam, & Angliam. Igitur illa Synodus non fuit celebrata sub tempus persecutionis Diocletiani, sed ante persecutionem Decii.

Probatur minor. Tunc enim illæ Provinciæ à Constantio Imperatore, Constantini Magni patre regebantur, qui Christianis favebat. De quo testatur Eusebius lib. 1. de Vita Constantini, cap. 11. cùm Imperatores Diocletianus & Maximianus cruentum antea in Christianos tulissent edictum, Constantium Aulicis suis proposuisse, ut vel idolis sacrificarent, quo facto dignitate sua & officio fruerentur, aut id si renuerent, ipsis interdiceretur Aula: eos verò, qui Christum ejerassent, à regali suo domicilio amandavit: alios autem suos Stipatores, & Imperii Custodes constituit. Cujus hoc tunc temporis præclarè dictum memoriæ proditum est: *Quomodo fidem erga Imperatorem servare poterunt inviolatam, qui adversus Deum Optimum Maximum perfidi esse manifestè convincuntur?* Idem testantur Donatistæ, apud Optatum Milevitanum, lib. 1. ubi sic alloquuntur Constantinum Imperatorem: *Rogamus te, ô Constantine Imperator! quoniam de genere justo es, cujus Pater inter cæteros Imperatores persecutionem non exercuit*, &c. Cùm itaque Diocletiano imperante, & persecutionem adversùs Christianos movente, Constantius Hispanias moderaretur, Diocletiani persecutio illuc non permeavit.

Respondeo ad primum, ex falsa hypothesi procedere Morini argumentum. Supponit scilicet, quòd absolutionem ac veniam certorum criminum reis Illiberritani Patres in perpetuum negaverint, sed istud falsum esse, Dissertatione 7. probavimus; solàmque Eucharistiam illos subtraxisse Lapsis in scelera graviora. Sed esto, absolutionem capitalium criminum reis omnino negassent, non sequeretur eos Novatianam in hæresim impegisse, quia id non præstitissent *desperatione Indulgentiæ, sed rigore Disciplinæ.* Et Novatiani potestatem in Ecclesia non agnoscebant remittendi peccata mortalia post Baptismum commissa, disputabantque contra claves illi à Christo datas: at Illiberritani Patres eam agnoscebant, exercebantque erga mortalium criminum reos potestatem: quamvis ex severitate Disciplinæ eâ utendum non esse decernerent erga quorumdam criminum reos, ut viri quidam eruditi contendunt, quibus hac in re non assentior.

Respondeo ad secundum, nego minorem. Nonne enimverò de mandato Diocletiani & Maximiani persecutionem movebat in Hispania Dacianus Præses, cùm Sanctus Vincentius Diaconus celebre Martyrium subiit, cùm Sanctus Valerius ejus Episcopus confessione conspicuus fuit, cùm Osius Cordubensis vexillum pariter confessionis erexit? Nonne S. Ruffina Martyr Hispalensis in eadem persecutione passa est; cujus corpus Daciani jussu tunc in amphitheatro combustum, à Sabino ejusdem Civitatis Episcopo, qui Synodo Illiberritanæ subscripsit,

in

in cœmeterio suburbii Hispalensis sepultum memorat Breviarium Eborense? Nonne S. Leocadia eadem persecutione passa est Toleti? Melanthio Episcopo, qui & unus ex Illiberritanis Patribus fuit, Ecclesiam Toletanam gubernante? Hallucinatus est igitur Morinus, cùm nullam in Hispanias grassatam persecutionem imperante Diocletiano affirmavit, quia tunc regebat Occidentem Constantius Constantini Magni pater. Nam Diocletianus regendi onus Imperii in Constantium non transtulit, nisi anno 2. persecutionis in Christianos motæ, Imperii sui 20. ut testitur Eusebius in Chronico, & lib. 8. Historiæ cap. 29. unde solido fermè biennio persecutio Diocletiani & Maximiani in Hispaniis desævit.

Libro 5. de Communion. de Concilio Illiberitano.

Propositio tertia impugnatur ex Sancto Isidoro Hispalensi, libro 6. Etymolog. cap. 15. ita scribente: *Canones Conciliorum à temporibus Constantini Imperatoris cœperunt: nam in procedentibus annis, persecutione fervente, docendarum plebium minimè dabatur facultas.* Ante Nicænum igitur Concilium nulla Synodus celebrata est, adeòque nec Illiberritana.

Respondeo, distinguo Propositionem. Canones Conciliorum Generalium à temporibus Constantini cœperunt, concedo: Canones Conciliorum Provincialium, vel Nationalium, nego. De generalibus autem Conciliis intelligendum esse Sanctum Isidorum constat, tum ex MSS. exemplaribus, in quibus sic habetur, *Canones generalium Conciliorum*, &c. ut notat vir clarissimus & doctissimus Ferdinandus Mendoza: tum ex subsequentibus ejusdem Isidori verbis: *Sub hoc enim*, Constantino scilicet, *sancti Patres in Concilio Nicæno de omni orbe terrarum convenientes, juxta fidem Evangelicam, & Apostolicam, secundum post Apostolos Symbolum tradiderunt. Inter cætera autem Concilia, quatuor sunt venerabiles Synodi, quæ totam principaliter fidem complectuntur, quasi quatuor Evangelia, vel totidem Paradisi flumina: harum prior Synodus Nicæna 318. Episcoporum Constantino Augusto imperante peracta.* Nec ibi alias memorat Synodos, quàm priores quatuor Oecumenicas. Cùm igitur Canones Conciliorum à temporibus Constantini cœpisse scripsit, generalium Conciliorum Canones intellexit. Dionysius Exiguus in Præfatione Collectionis suæ ad Stephanum Salonitanum Episcopum, aliqua Concilia ante Nicænum celebrata agnoscit, quorum Canones se de Græco transtulisse ait. *Deinde*, inquit, *Regulas Nicænæ Synodi & deinceps omnium Conciliorum, sive quæ antea, seu quæ postmodùm facta sunt, usque ad Synodum centum quinquaginta Pontificum, qui apud Constantinopolim convenerunt, sub ordine numerorum, id est, à primo Capitulo usque ad centesimum sexagesimum quintum, sicut habentur in Græca auctoritate, digessimus.*

Eadem Propositio impugnatur ex Codicibus MSS. S. Laurentii, & aliis duobus Toletanæ Ecclesiæ, in quibus Illiberritana Synodus dicitur habita eodem tempore quo Nicæna, Era 362. Igitur Constantino dumtaxat imperante celebrata est.

Respondeo, iis Codicibus, quoad temporis notam, fidem adhibendam non esse, quia non ex rerum gestarum veteri memoria exarata est, sed Gothorum, seu Longobardorum exscriptorum arbitratu addita, quorum characteribus ea exemplaria transcripta sunt, ut probat vir eruditus Ferdinandus de Mendoza, qui hos Codices legit & expendit. Enimverò eam temporis notam ab ipsis Illiberritani Concilii Notariis appositam non fuisse, ex eo constat, quòd illa ætate, & multò pòst, in Provinciis quæ Romano parebant Imperio, anni à Consulibus, non ab Imperatoribus numerati solebant. Unde Nicæni ipsius Concilii Epocha Paulini & Juliani Consulatu designata est, & in aliis Conciliis Oecumenicis, aut Nationalibus, vel Provincialibus Orientis, necnon in Carthaginensibus, Milevitano, & reliquis Africanis, Consulum nomina præfixa sunt, non Imperatorum. Igitur si Patribus Illiberritanis visum esset, tempus quo illa Synodus habita est, in Actis notare, Consulum nomina expressissent, vel certè annos Constantini Imperatoris distinctè indicassent, ut ratio temporum posteris comperta esset: non autem scribi jussissent indefinitè, celebratam fuisse eodem tempore quo Nicæna Synodus. Adde quòd Toletana MSS. illud Concilium habitum dicunt post Nicænum, Era 362. at Nicænum anno sequenti, Era scilicet 363. quæ cum anno Christi 324. & Paulini ac Juliani Consulatu concurrit, celebratum in omnibus Codicibus legitur. Era itaque temporis nota ab exscriptoribus insertè adjecta est, & supposita; quod etiam Osii eo tempore ab Hispaniis absentia, & Sancti Valerii exilium, & obitus demonstrant. Denique verisimile non est, Illiberritanos Patres Nicæni Concilii nomen suæ Synodo præfixisse, & Concilii Nicæni Symbolum, Decretaque universa, altissimo obtruisse silentio.

## ARTICULUS II.

### *De Concilii Illiberritani Canonibus, & auctoritate.*

Illiberritani Concilii auctoritatem elevant, errorésque plurimos ipsi affingunt Bartholomæus Caranza, Melchior Cano libro 5. de Locis Theologicis cap. 4. in sexta Conclusione, Baronius Tom. 1. Annal. Ecclesiasticor. ad annum Christi 57. & Bellarminus Tom. 1. Controvers. 7. libro 2. capite 9. contra quos sit

## PROPOSITIO.

*Veneranda est Illiberritana Synodi auctoritas, in cujus fide nihil non integrum; in cujus Disciplina nihil non sanctum.*

Probatur prima pars, ex antiquitate, cui veneratio debetur maxima juxta illud Tertulliani, Apologetici cap. 19. *Primam instrumentis auctoritatem summa antiquitas vindicat.* Cùm igitur Illiberritana Synodus antiquissima sit, veneranda est ejus auctoritas. Illiberritanæ Synodi auctoritas veneranda.

2. Probatur ex præsentia virorum sanctissimorum, qui eidem Synodo interfuerunt, Osii nimirum & Valerii; illius, inquam, Osii, de quo Sanctus Athanasius in Apologia de fuga sua, ait: *De maximo autem, & gravissimæ ætatis viro, eodemque Confessore Osio, qui vere Osius est, id est Sanctus, supervacaneum arbitror mentionem facere.* Illius Valerii, qui in Christi Confessione exul occubuit, cujus sub Disciplina Martyr Vincentius institutus est. Præter alios Antistites, quorum sanctitatem, & pro servanda Ecclesiæ Disciplina studium Canones ipsi Illiberritani testantur.

3. Idem probatur ex Conciliorum sequentium Decretis, in quibus Illiberritanæ Synodi honorifica mentio. Sardicensis namque Concilio plurimùm valere visa est Sacrosancta illius auctoritas; siquidem Osius, Concilii Præses, cùm de residentia Episcoporum ageretur, Canone 14. hæc summo omnium Patrum excepta consensu adjecit: *Memini autem superiore Concilio Fratres nostros constituisse, ut si quis Laicus, in ea, in qua commoratur Civitate, tres Dominicas dies, id est, per tres septimanas non celebrasset Conventum, Communione privaretur: si ergo hæc circa Laicos constituta sunt, multò magis Episcopo*

*Episcopo nec licet, nec decet.* Superius autem Concilium, in quo Fratres suos, id est Hispanos Antistites id decrevisse ait, Illiberritanum esse, demonstrant ex illius Canone 21. quo ita statutum est: *Si quis in Civitate positus, tres Dominicas ad Ecclesiam non accesserit, tantò tempore abstineat, ut correptus esse videatur.*

Hujus etiam Concilii Canones laudarunt Moguntina Synodus sub Rabano Archiepiscopo, Canone 21. & altera Moguntina sub Arnulfo, Canone 26. & Concilium Coloniense sub Carolo Crasso Canone 6. & Concilium Suessionense apud Sanctum Medardum, Actione sextâ. Quanti fecerint Illiberritanam Synodum Martinus Bracarensis, Buchardus Wormatiensis, Ivo Carnutensis & Anselmus Lucensis Episcopi, & quanto in pretio eorum temporibus apud omnes Ecclesias esset, ex eorum Collectionibus constat, quibus plurima illius Decreta inseruerunt.

Illiberritanæ Synodi fides integra.

Probatur secunda pars. Fides ab Apostolis, & Viris Apostolicis accepta, non potest integerrima non censeri: atqui fides Illiberritanorum Patrum ab Apostolis & Apostolicis Viris accepta erat, & in Ecclesiis Apostolicis ut sacerrimum depositum servata. Accepta, inquam, erat à Sancto Paulo, quem in Hispaniis Evangelium prædicavisse, Tomo 1. probavimus; à Torquato Sancti Petri Discipulo, qui Accitanam fundavit Ecclesiam, quam regebat Felix, qui huic Synodo subscripsit; ab Eugenio Martyre Sancti Petri Discipulo, qui Toletanam Ecclesiam instituit, cujus Successor Melanthius huic etiam interfuit, subscripsitque Concilio; à Sancto Mantio Christi Discipulo, qui primus Evangelii lumen Eborensibus intulit, Eborensemque erexit Ecclesiam, cujus Episcopus Quintianus traditionem ab illo per Majores acceptam Illiberritano Concilio repræsentavit: accepta denique erat à Sancto Cæcilio, Discipulo Sancti Petri, cui suam debebat originem Illiberritana Ecclesia, cui hujus Concilii tempore præerat Flavius. Fides itaque Illiberritani Concilii integerrima censeri debet. Sed enim legitimum ad veram fidem dignoscendam criterium, est antiquissimarum Ecclesiarum consensus, traditionis testis, quam ab Apostolis, vel Apostolicis Viris acceperunt, à quibus sunt institutæ. Unde Sanctus Irenæus libro 3. adversùs Hæreses, cap. 3. ait: *Quid enim, etsi quibus de aliqua modica quæstione disceptatio esset, nonne oporteret in antiquissimas recurrere Ecclesias, in quibus Apostoli conversati sunt, & ab eis de præsenti quæstione sumere quod certum & liquidum est? Quid autem si neque Apostoli quidem Scripturas reliquissent nobis, nonne oportebat ordinem sequi traditionis, quam tradiderunt his quibus committebant Ecclesias?* Hinc & Tertullianus libro de Præscriptionibus Hæreticorum, cap. 31. & 32. ait: *Ita ex ipso ordine manifestatur id esse Dominicum & verum, quod sit priùs traditum: id extraneum & falsum, quod sit posteriùs immissum. Ea sententia manebit adversus posteriores quasque hæreses, quibus nulla constantia de conscientia competit ad defendendam sibi veritatem. Cæterùm si quæ audent interserere se ætati Apostolicæ, ut ideo videantur ab Apostolis tradita, quia sub Apostolis fuerunt: possumus dicere: Edant ergo origines Ecclesiarum suarum, evolvant ordinem Episcoporum suorum, ita per successiones ab initio decurrentem, ut primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis, vel Apostolicis Viris, qui cum Apostolis perseveraverint, habuerit Auctorem & Antecessorem. Hoc enim modo Ecclesiæ Apostolicæ census suos deferunt: sicut Smyrnæorum Ecclesia habens Polycarpum à Joanne collocatum refert; sicut Romanorum Clementem à Petro ordinatum edit: proinde utique & cæteræ exhibent, quos ab Apostolis in Episcopatum constitutos Apostolici seminis traduces habeant. Confingant tale aliquid Hæretici.* Cùm igitur Episcopi mox nominati testes essent traditionis ab Apostolis & Apostolicis Viris acceptæ, & in suis Ecclesiis ad tempora sua fidelissimè conservatæ: fidem Illiberritanæ Synodi, cui interfuerunt, integerrimam esse concludendum est.

Præterea, nullus error huic Synodo rationabiliter objici potest, ut constabit ex responsionibus ad argumenta: nihil igitur est in ejus Decretis quod fidem integerrimam non sapiat.

Probatur tertia pars, recensendo præcipua Canonum Illiberritanorum argumenta: hæc enim Disciplinæ ea in Synodo sancitæ sanctitatem demonstrabunt. Octoginta sunt illius Concilii genuini Canones, in quibus quid non religiosum? Quid non sanctum? Quid non ad eradicanda vitia, fovendasque virtutes accommodatum? Christianis in Idololatriam, homicidium & mœchiam lapsis, Communionem in fine denegari decernunt Canon 1. & 2. Libellaticis, actâ legitimâ pœnitentiâ, communionem in extremis dari Canon 5. indulget, quàm iis penitus negat qui post pœnitentiam fuerint mœchati, *Ne lusisse de Dominica Communione videantur.* Idem statuit Canon 7. Puellarum Christianarum virginitati providet Canon 14. illis quæ stupro consenserint, communione interdicens, anno solido, modò corruptoribus suis nupserint. Si verò aliorum consortio virorum fuissent fœdatæ, quinquennii pœnitentiæ addixit. Parentes lenocinium in filiis exercentes, & quosvis alios corrumpendi pudoris turpissimo commercio maculatos, communione privat in perpetuum Canon 12. Virginum voto sacratarum, si pactum perdiderint virginitatis, & hæserint in impudicitiæ cœno, crimen eadem pœnâ vindicat Canon 13. Eisdem, si lapsæ ex infirmitate fuerint, & scelus perenni continentia & pœnitentia eluerint, communionem in exitu concedens. Majorum Clericorum incontinentiam eadem pœnâ coercet Canon 18. Eos qui post Baptismum fuerint mœchati, vel ad Subdiaconatûs Ordinem promoveri vetat, Ordinatosque dejicit Canon 30. Episcopis, Presbyteris, Diaconis, & Subdiaconis, qui sacram Cœlibatus legem non servarint, depositionis pœnam Canon 35. infligit. Mulierum extranearum contubernium universo Clericorum Ordini prohibet Canon 27. sororibus verò, aut filiabus Deo dicatis cohabitare permittit: tunc enim sacræ Virgines in parentum domibus commorabantur, cùm ob persecutionum sævitiam Parthenones extrui non possent. Apostatis à fide & ad hæreticos deficientibus, decennii pœnitentiam Canones 22. & 46. indicunt. Canon 63. & 64. in mulieres adulteras animadverterunt, quarum si continuum fuerit cum alienis viris consortium, perpetuam fore decernunt à communione exclusionem; si verò ab eorum consortio discesserint, earum libidinem decennii pœnitentia castigant: nisi fœtus interempti crimen addiderint adulterio; hoc enim in casu, à communione perpetuò arceri jubent. Si verò semel tantùm conjugalem castitatem fidemque violaverint, sive viri, sive mulieres, quinquennii pœnitentiæ subjiciuntur Canone 69. Maritis uxorum lenonibus, sive qui ipsis ad alienum thorum accedendi tribuerint licentiam, communionem in perpetuum negat Canon 70. quibus, si reliquerint adulteras, post decennii pœnitentiam communio conceditur. Clericos, qui adulteras uxores statim è thoro, domoque non abjecerint, communionis perpetua privatione mulctat Canon 65. *Ne ab his qui exemplum bonæ conversationis esse debent, videantur magisteria scelerum procedere.* Quia scilicet uxoris turpitudinem approbare præsumpserunt eum, qui illam retineret, Illiberritani Patres. In viduarum incontinentiam animadvertit Canon 72. quinquennii pœ-

Disciplinæ ab Illiberritana Synodo constitutæ sanctitas. 3

nitentiam viduis mœchis imperans, modò connubium cum suo contraxerint corruptore (quæ exceptio secundas nuptias ab Illiberritana Synodo probatas ex Apostoli doctrina, & Ecclesiæ Traditione, evidenter ostendit) quòd si alteri nupserint, nec in fine dandam eis esse communionem decernit. Supri nefandi reis hanc pariter gratiam in exitu denegat Canon 71. Eamdem pœnam irrogant delatoribus, & falsis testibus, qui exilium aut mortem aliis procurabant, Canones 73. & 74. Falsos majorum Clericorum accusatores eadem censura Canon 74. coercet. Diaconos ea morum integritate & innocentia vult esse præditos Canon 76. ut qui capitale crimen etiam ante Ordinationem commiserint, sponte confessi, pœnitentiam agant solido triennio: detecti verò, post quinquennii pœnitentiam, ad communionem laicam detruduntur. Ab hæresi conversos, ad Clerum promoveri probibet, ordinatos dejicit Canon 51. Quid his Decretis ad coërcenda crimina luculentius?

*Cleri disciplina.*

Verùm quia satis non erat ad Cleri sanctitatem, si à vitiis quæ aliquam infamiam inurunt, immunes essent Viri Ecclesiastici, sed ab avaritia insuper, & turpi lucro alienos esse debere judicabant Illiberritani Patres, quæstuosas nundinas Clericis prohibuerunt, Canone 19. Usuras Canone vigesimo, idque sub pœna degradationis, & anathematis, quo Laicos etiam decreverunt feriendos; si ob illarum exactionem correpti, meliorem ad frugem non redierint. Ne verò in Clerum irreperent indigni, statuerunt Canone 24. ut qui peregrè fuissent baptizati, aliena in Provinciis ad Clerum minimè promoverentur, quòd de eorum vitæ integritate, & Catholicæ Religionis professione, certa & constans non haberetur opinio. Canone octogesimo sanxerunt, Libertos, quorum Patroni superstites essent, ad Clerum non esse promovendos: cujus Decreti condendi multiplex fuit ratio; prima, quòd Libertos ingratos ad servitutem revocare Patroni possent: secunda, quòd operas Patronis præstare Liberti tenerentur: tertia, quòd Patronum inopem alere, secundùm Severi, & Antonini Imperatorum leges deberent: & Liberto, qui plusquam centum aureos haberet in facultatibus Patronus succederet, ex Ulpiano Leg. *Si Libertus*, de Jure Patronat. & Justiniano in titul. Institut. *De successione Libertorum.*

*Disciplina circa Sacramentorum administrationem.*

Sed quid his sapientius Decretis, quæ administrandorum Disciplinam Sacramentorum sanxerunt? In necessitate quemlibet Fidelem conferre posse Baptismum, Canone 38. statutum est, sed baptizatos ducendos ad Episcopum esse, qui eos per manus impositionem, id est, per Sacramentum Confirmationis perficiat. Neutrum verò Sacramentum Gentilibus illud in extremo periculo postulantibus denegandum esse, Canon 39. edicit. Imò nec meretricibus Ethnicis, modò anteactæ vitæ turpitudinem cum honestate, & pudicitia conjugali commutassent. Alioqui enim ad Baptismum non admittebantur, nisi infamem quæstum abjurassent, ac pœnitentiâ eluissent pristinæ sordes libidinis. Obmutescentem gravi aliqua ægritudine Catechumenum, suffragante Fidelium, vel unius Clerici testimonio, baptizandum esse decernit Canon 45. etiamsi ad Ecclesiam per infinita tempora non accesserit, Baptismum cum aliis Catechumenis petiturus. Catechumenæ, quæ adulterii, & præfocati fœtus crimine tenetur, Baptismum ad finem vitæ distulerunt Illiberritani Patres Canone 68. Item Flaminibus, qui in Catechumenorum statu positi, mœchati fuissent, Baptismi gratiam in triennium differendam censuerunt Canone 4. ut Sacramenti dilatio culpæ sordes purgaret, & peccantis crimen puniret. Quia verò hæc irrepserat in Hispaniarum Ecclesias consuetudo, ut baptizandi nummos in concham, id est, in vas aquæ Baptismalis mitterent, ut ab omni Simoniæ specie caverent Sacerdotes aliique Clerici, & ne quod gratis acceperant, pretio distrahere viderentur, id in posterum ne fieret, Canone 48. Illiberritanæ Synodi prohibitum est. Sacramentum Confirmationis iterum commendat Canone 77. decernens, ut qui à Diacono plebem regente, seu curam gerente Parochiæ (quod illis temporibus ob Ministrorum paucitatem, & persecutionum angustias solitum erat) baptizati essent, ad Episcopum ducerentur, per benedictionem perficiendi, seu confirmandi. Energumenos Catechumenos, urgente periculo, baptizandos esse, Canon 37. constituit; si verò Fideles fuerint, ipsis Eucharistiam dari imperat. Eorum tamen, dum vixerint, nomina ad Altare cum oblatione recitari, illisque sacra Ministeria permitti prohibet Canon 29.

Tantam gessere curam salutis animarum Illiberritani Patres, ut quamvis quorumdam criminum reis Pœnitentiam diuturnam, quibusdam perpetuam indixissent, Pœnitentiumque reconciliationem reservatam esse voluissent Episcopis; eam tamen, imminente mortis periculo, Presbyteris, vel Diaconis etiam permiserint Canone 32. Tradit etiam Illiberritana Synodus observandam circa matrimonia Disciplinam: atque in primis eorum fidei & indissolubilitati consulit Canone 8. & 9. Fideles quacumque ex caussa secundum inire matrimonium non posse, durante primo, decernens. Aliam Ethnicorum esse rationem significat Canone 18. quo mulierem infidelem à Catechumeno dimissam statuit admitti posse ad Baptismum, etiam si maritum alterum duxerit: ipsa enim nolente cohabitare viro ad fidem converso, & ab eo discedente, prius matrimonium solutum fuerat divino jure, secundùm Apostoli Disciplinam 1. ad Corinthios 7. dicentis, *Quod si infidelis discedit: discedat: non enim servituti subjectus est frater aut soror in hujusmodi.* Sic enim Apostoli verba intellexit Ecclesia, ut constat ex Sancto Augustino, lib. de Fide & Operibus cap. 16. & Ambrosiastro in cap. 7. Epistolæ 1. ad Corinthios & ex Innocentio Can. *Quantò*, de Divortiis. Christianarum puellarum cum Gentilibus, Judæis, Hæreticis, aut Schismaticis connubia interdixit eadem Synodus Canone 15. & 16. quæ tamen irrita non declaravit. Parentes verò qui matrimonia hujusmodi conciliarint, ad quinquennii pœnitentiam damnat. Quos perpetuo multat anathemate, Canone 17. si Sacerdotibus Ethnicis eas jungerent: quòd majus esset subversionis illarum periculum.

*Matrimonii impedimenta.*

Decernit etiam de Matrimonii impedimentis illud Concilium, & prohibitum cum sorore uxoris Matrimonium significat Canone 61. Nondum tamen impedimentum dirimens in Ecclesia Hispaniensi fuisse videtur illa affinitas, siquidem dissolutionem illius Matrimonii Canon iste nequaquam imperat, sed Pœnitentiam dumtaxat indicit contrahenti, solido quinquennio peragendam. Canone 66. Matrimonium Patris cum privigna, id est, cum filia vel nepte primæ uxoris, quæ affinitas est secundi gradus, prohibetur: non tamen decernitur irritum; sed perpetua Sacræ Communionis privatione punitur contrahentis incontinentia. Ex quibus Canonibus constat, Ecclesiæ potestatem ad Matrimonii constituenda impedimenta extendi, nec jus illud mutuari à Principibus: si quidem, Ethnicorum Principum fervente persecutione, Hispani Episcopi Matrimonii impedimenta constituunt. Fidelium etiam, vel Catechumenarum fœminarum cum viris Scenicis, aut Comicis, id est, cum Histrionibus connubia, sub pœna Anathematis interdicit Canon 67. Illiberritanus. Fidem in Sponsalibus datam

tam inviolatam esse jubet Canon 54. & parentes qui filiorum Sponsalia dissolverint, triennio à communione removet.

*Censuræ Ecclesiasticæ.*

Ecclesiæ potestatem in ferendis censuris demonstrat Canon 53. qui & decernit ab uno Episcopo excommunicatos, ab aliis ad communionem recipiendos non esse, ut sua singulis Antistitibus auctoritas honorque conservetur. Excommunicatorum autem oblationes non esse recipiendas Canon 28. decernit. Dominorum erga servos mores componere curavit Illiberritanum Concilium, in quibus coërcendis, ne Christianæ pietatis & mansuetudinis obliviscerentur, Canone 5. dominam quæ zelotypiæ furore accensa, ancillam suam flagellis ita verberasset, ut intra tertium diem efflaret animam, septennii pœnitentiæ, velut homicidam addixit. Quinquennii verò dumtaxat, si casu illam occidisset. Prohibuit etiam dominis, ne servis suis Idola colere permitterent, aut propter eos aliqua suis in ædibus simulachra paterentur, quod si facerent, diris eos omnibus devovit: nisi tanta servorum cohors esset, ut vis ab illis meritò timeretur (Canone 41.) Dominus prohibet Canon 40. ne cùm rationes ab œconomis suis accipiunt, illis acceptum ferant, quod pro Sacrificiorum sumptibus dederint. A proximis peccandi occasionibus Fideles avocare satagit idem Concilium, ab omnique more qui ritibus Idololatriæ affinis videri posset. Hinc Sacerdotibus Ethnicorum ad fidem conversis coronarum usu interdicit, quas si tulerint, biennio decernit à Communione segregandos, Canone 55. Hinc etiam Magistratus, eo anno quo Duumviratum gerunt, ab Ecclesiæ ingressu & communione prohibet. Sacrificiis enim Idolorum auctoritatem præstare, sumptus ad Idololatriam spectantes procurare, spectaculorum curam gerere, ex ipsa sui muneris ratione hujusmodi Magistratus, Ethnicorum Imperatorum tempore, tenebantur. Unde ipsos in proxima Idololatriæ occasione positos, Ecclesiæ arcendos ingressu, prudenter admodum ac piè judicarunt Illiberritani Patres. Matronis etiam Christianis, earumque viris, sub anathemate prohibuerunt, Canone 57. ne vestes ad ornandam Idolorum pompam, vel ad scenam, ludosque Circenses darent, aut commodarent: ne idololatriæ ritibus, aut scœnæ impudicitiæ, aut insaniæ Circi assensum præstitisse viderentur. Aurigas qui in Ludis Circensibus equos agitabant, & Pantomimos, seu Histriones, ad Baptismum non recipi sanxerunt, Canone 62. nisi priùs artibus adeò saluti periculosis renuntiassent. Quas si post Baptismum rursus exercerent, projici eos jusserunt ab Ecclesia.

Mulierbri pudicitiæ & verecundiæ, quæ cæterarum Christianæ fœminæ virtutum custos est, consulunt Canon 35. & 81. eamque à periculis removent. Prior namque fœminis interdicit ne in Cœmeteriis pervigilent, ne specie religionis ac pietatis, crimina committant, vel impudicorum Juvenum blanditiis aures commodando, vel furtivæ libidini, tenebris faventibus, indulgendo. Canon verò posterior, ut sollicitatorum audaciæ, mulierum levitati aditum ad turpitudinem intercludat, prohibet literas, ad nomen solum fœminarum, à Laicis scriptas, ab ipsis accipi: vel ab eis, suo potiùs quàm maritorum nomine, rescribi.

Libellorum famosorum Auctores anathemate percellit Canon 52. Ludum aleæ sub eadem pœna prohibet Canon 79. sicque duorum criminum humanæ societati & Christianæ reipublicæ cùm primis exitialium radices exscindunt Hispani Antistites. Imprudenti aliquorum zelo frænum adhibet Canon 60. qui falsorum Numinum simulachra frangentes, atrociorem Ethnicorum persecutionem in cæteros Christianos provocabant. Vetat enim, ne qui, idola, frangens, fuerit occisus, in Martyrum numerum ritu solemni referatur: *Quia id in Evangelio non est scriptum, nec invenitur ab Apostolis unquam factum.*

Pietatem Christianam in Dominicæ diei celebratione fovet Canon 21. excommunicatione plectens eos, qui tribus Dominicis ad Ecclesiam non accesserint. Celebrationem Pentecostes quinquagesimo à Paschatis die, non quadragesimo, ut apud quosdam inoleverat, fieri decernit Canon 43. eos qui sacratissimum illud Festum vel celebrare omiserint, vel die ab Ecclesia secundùm Scripturæ Sacræ auctoritatem præscripto non celebraverint, quasi novæ hæreseos Auctores notans.

Jejuniorum Disciplinam sanxerunt etiam Illiberritani Patres Canone 26. quo statuunt omni Sabbati die jejunii superpositionem celebrandam. Ideo autem Sabbati jejunium superpositionem jejunii vocarunt, quòd Sextæ Feriæ jejunio superadditum in Hispaniis ex devotione fuisset. Singulis etiam mensibus aliquos jejunii dies ab Episcopis indici jusserunt Canone 23. Julio & Augusto exceptis, quos immodici calores in Betica Provincia febrium æstibus infestos reddunt, aliorúmve periculo morborum obnoxios. In his autem omnibus Decretis nihil reperiri non sanctum fatebitur, quisquis Christianæ Legis, Ecclesiasticæ Disciplinæ, & regularum, quibus Cleri, populique Christiani sanctitas formatur ac fovetur, non omnino fuerit ignarus.

*Quid Jejunii superpositio?*

Objicitur primò. Illa Synodus, quæ prohibet cultum sacrarum imaginum, non est integræ fidei: sed Illiberritana Synodus prohibet cultum sacrarum imaginum Canone 37. Non est igitur integra illius Synodi fides.

Probatur minor ex verbis illius Canonis: *Placuit Picturas in Ecclesia esse non debere, ne quod colitur, aut adoratur, in parietibus depingatur.*

Respondeo, nego minorem: Ad Canonem non una est Catholicorum Theologorum responsio. Quidam respondent, vetitum non fuisse hoc Canone cultum sacrarum imaginum, sed prohibitum esse dumtaxat ne in parietibus pingerentur; tum ne parietum decrustatione, debita sacris imaginibus reverentia subtraheretur; tum ne tempore persecutionis auferri non possent, atque ita cederent in ludibrium Gentilium. Imò supponit Illiberritana Synodus, morem fuisse Ecclesiæ, ut cultum sacris Iconibus deferret; siquidem ait: *Ne quod colitur, aut adoratur, in parietibus depingatur.* Quæ ratio nulla fuisset, nisi Christiani imagines colere consuevissent. Tunc igitur imagines colebant Christiani, sed in velis, & tabellis, non in parietibus depictas. Ita respondent doctissimi Cardinales Peronius, & Bellarminus. a

*Quo sensu Illiberritana Synodus imagines prohibuerit?*

*Card. Perronius in Act. Collat. Fontisb. Bellarm. lib. 2. de imag. c. 9.*

Verùm hæc responsio repugnat & sensui Canonis & ejus rationi. *Placuit*, inquiunt Illiberritani Patres, *Picturas in Ecclesiis esse non debere.* Numquid illud solum est in Ecclesiis, quod est in parietibus? Numquid Altare, & pulpitum, & candelabra, & vela, & tabellæ in Ecclesiis non sunt? Illud certè dicitur esse in Ecclesiis, quod est sub illarum tecto, & intra illarum parietes: atqui imagines coloribus expressæ, in velis aut in tabulis adumbratæ, sunt sub tectis Ecclesiarum, & intra illarum parietes. Cùm itaque generatim prohibeat ille Canon, ne picturæ sint in Ecclesiis, consequens est imagines, quæ in velis, aut tabellis depictæ sunt, æquè prohibitas esse ab Illiberritanis Patribus; ac eas quæ in parietibus effictæ essent. Præterea, in Concilio Tridentino a verbis prorsus contrariis imperatur sacrarum imaginum usus: *Imagines porro Christi, Deiparæ Virginis, & aliorum Sanctorum, in templis præsertim habendas & retinendas.* Atqui nemo sanæ

*Concil. Trid. Sess. 25.*

mentis asserit Tridentinos Patres jussisse, ut imagines Christi, Deiparæ, & Sanctorum, in parietibus tantùm depingerentur, non autem in velis, & tabellis: Cùm itaque Illiberritani Patres iisdem verbis usi sint, & humano locuti sint modo, imagines non à parietibus tantùm, sed ab Ecclesiis protsùs eliminari jussere, ita cùm decreverunt: *Placuit picturas in Ecclesia esse non debere.*

Tertiò, ratio Canonis hanc destruit responsionem. Prohibet nempe picturas in Ecclesiis, *Ne quod colitur, aut adoratur, in parietibus depingatur.* At si priora verba Canonis significent picturas in parietibus Ecclesiæ esse non debere, Canonis integri hic sensus erit, *Picturas in parietibus esse non debere, ne quod colitur aut adoratur, in parietibus depingatur.* Qui sensus ineptissimus est; siquidem pro ratione Decreti, ipsum Decretum assignatur.

Alii respondent, illo Canone tantùm prohiberi imagines invisibilis Dei, aiuntque id significare adjunctam rationem: *Ne quod adoratur, in parietibus depingatur:* Non autem interdici imagines Christi, & Sanctorum, quibus Latriæ cultus non defertur, sed duliæ, nec absolutus, sed analogicus & relativus.

Verùm hæc responsio non congruit cum verbis Canonis. Primò, quia Patres Illiberritani generale Decretum edunt de picturis abolendis in templis Christianorum: At imagines etiam Christi & Sanctorum, coloribus adumbratæ, picturarum nomine comprehenduntur: illas itaque absolutè prohibent. 2. In parietibus depingi vetant quicquid colitur, aut adoratur. At licet adoratio propriè sumpta soli Deo debita sit, cultus tamen sacer defertur Sanctis; & Beatæ Virgini cultus excellentior illo qui cæteris Cœlitibus impenditur: igitur imagines Deiparæ & Sanctorum depingi in Ecclesiis prohibet Canon laudatus. Tertiò, prohibent depingi, *Quod colitur & adoratur*; sed Christus Dominus colitur & adoratur: prohibent itaque absolutè depingi imagines Christi in Ecclesiis; multò magis imagines Sanctorum.

Alii respondent, Hunc Canonem esse supposititium, & ab aliquo ex Claudii Taurinensis discipulis confictum. Nam si fuisset genuinus Illiberritanæ Synodi partus, inquiunt, Claudius Hispanus Presbyter, & Felicis Urgelitani discipulus, illum adversùs imaginum cultum & usum protulisset. Illius etiam auctoritate adversùs Ecclesiam pugnassent Iconomachi, si in rerum natura extitisset. Denique Canonum antiquissimi Collectores, Ferrandus Diaconus, Dionysius Exiguus, & Cresconius, quantumlibet egregiam navarint operam, ut omnes tàm Græcos, quàm Latinos Canones colligerent, nullus tamen ipsorum hujusmodi Concilii Illiberritani Canonis, vel saltem nomine tenus meminit. Ita respondet Cardinalis Baronnius Tom. 1. Annal. ad annum Christi 57.

Verùm & hæc responsio caduca est, & manifestè falsa. Nam veteres omnes Codices MSS. Concilii Illiberritani hunc Canonem referunt. Illum citat, qui octingentis abhinc annis floruit Agobardus Episcopus Lugdunensis, libro *De picturis & imaginibus*, dicens. *Rectè nimirum ob hujusmodi evacuandam superstitionem, ab orthodoxis Patribus definitum est, picturas in Ecclesia fieri non debere, ne quod colitur, aut adoratur, in parietibus depingatur.* Nec obstat quòd Iconomachi, & Claudius Taurinensis nusquam hunc Canonem adversùs imagines protulerint. Vel enim illum suæ caussæ inutilem existimarunt, vel illum ignoraverunt. Non omnia legerunt Antiquitatis Ecclesiasticæ monumenta Hæretici: nec sapiens conjector est, sed imprudens ariolus, qui aliqua Patrum, Conciliorumve loca suppositia esse colligit ex hæreticorum silentio, quorum erroribus in speciem favere videri possunt. Nec etiam obstat quòd Ferrandus Diaconus, Dionysius Exiguus, & Cresconius illum Canonem omiserint. Si enim ideo suppositiius esset, quia illum non retulerunt veteres illi Canonum Collectores, concludendum pariter esset universos Illiberritanæ Synodi Canones esse supposititios, quia nullius omnino meminerunt. Ideo porro de Synodo Illiberritana, ejusque decretis altissimum est apud Auctores illos silentium, quòd Græca magis, quàm Latina Concilia compilaverint, & si Latina quædam recenseant, omiserunt plurima, quæ ad eorum manus forsan pervenire non potuerunt.

His itaque solutionibus prætermissis, respondeo, Patres Illiberritanos prohibuisse revera usum imaginum, non quòd colendas eas esse negarent, cùm earum cultum supponat potiùs quàm evertat laudatus Canon: sed quòd earum usus Christianæ Religioni primis illis Seculis noxius magis, quàm utilis futurus esset, si in omnibus Ecclesiis invaluisset. Existimassent enim Ethnici, Christianos idola potiùs mutasse, quàm reliquisse. Itaque duo accuratè distinguenda sunt in imaginum negotio; cultus imaginum, & earum usus. Primum, dogma spectat; alterum solam disciplinam, quia stare Ecclesia potest, etiamsi nullas Sanctorum imagines habeat, vel eas non veneretur actu, quia nullas habet. Primum immutabile est, fuitque semper ab Ecclesiæ incunabulis; id est, credidit semper Ecclesia honorariam sacris imaginibus adorationem deferendam: secundum, obnoxium fuit mutationi, ut cætera disciplinæ capita. Primis enim tribus Ecclesiæ Sæculis infrequens admodum erat apud Christianos imaginum usus; & exceptis calicibus Romanæ Ecclesiæ in quibus depicta erat parabola Boni Pastoris ovem humeris reportantis, quorum Tertullianus meminit libro de Pudicitia, vix ullum invenies imaginum usûs in illa Ecclesiæ infantia vestigium.

Illiberritana Synodus usum dumtaxat, pro tempore, non cultum imaginum prohibuit.

Tribus primis Ecclesiæ Sæculis usus imaginum infrequens.

Sed & positivis argumentis probatur istius facti veritas. Primò namque nullas tribus primis Sæculis Christianam Religionem admisisse statuas, constat ex disputationibus Veterum Patrum contra Ethnicos, in quibus iis interdum rationibus pugnant in ipsorum simulachra, quas illi in imagines nostras facilè retorsissent. Sic Tertullianus in Apologetico Paganos ob simulachorum cultum insectatur, quòd illorum *Materia sorores sint vasculorum, instrumentorumque communium, quasi fatum consecratione mutantes, licentia artis transfigurante.* Nonne, quæso, Ethnici non reposuissent idem de Christianorum statuis dici posse? Minutius Felix in Octavio, mutorum animalium naturale de falsis Numinibus judicium urget contra Ethnicos his verbis: *Quanta verò de Diis vestris animalia muta naturaliter judicant, mures, hirundines, milvi? Non sentire eos sciunt, rodunt, inculcant, insident, ac nisi abigatis, in ipso Dei vestri ore nidificant.* Numquid eadem non potuissent exprobare Christianis Ethnici, contra Christi, aut Sanctorum statuas, si tum aliquæ in Ecclesiis extitissent?

Secundò, vix ullum fuisse in Ecclesia imaginum usum tribus primis Ecclesiæ Sæculis silentium Ethnicorum probat. Cùm enim inter eos viri essent ingenio & eruditione singulari prædíti, qui omnes Christianæ Religionis ritus explorabant, nihilque omittebant quod profanarum suarum ceremoniarum causæ in speciem favere videretur, mira arte & versutia pessimam causam propugnantes: objecissent certè Christianis, illos imagines colere, picturasque venerari, si tunc frequens fuisset illarum usus in Ecclesia; proindéque immeritò illos cultum idolorum insimulare superstitionis. Scio quidem

Christianos

Christianos illam facilè profligaturos objectionem: sed eam nihilominus neglecturos fuisse Ethnicos incredibile est, quorum in mentes naturaliter irruisset: At nusquam illos negotium Christianis ob imagines facessivisse constat ex silentio S. Justini, Minutii Felicis, Tertulliani in Apologetico & Origenis in libris contra Celsum: in quibus cùm præcipuæ Gentilium contra nostram Religionem objectiones recenseantur, ac refellantur, nullum est illius objectionis vel tenue vestigium. Imò cùm Celsus objecisset, Christianos nullas aras, nulla simulachra habere, Origenes lib. 8. respondet: *Simulachra Deo dicanda esse, non fabrorum operâ, sed à Verbo Dei dedolata, formataque in nobis, videlicet virtutes ad imitationem Primogeniti totius creaturæ, in quo sunt justitiæ, temperantiæ, fortitudinis, sapientiæ, pietatis, cæterarumque virtutum exempla. Hæ sunt statuæ Deo dicatæ, in animis justitiam, juxta præceptum Dei, & fortitudinem, & pietatem, reliquasque virtutes exercentium, quibus decenter honorari credimus omnium hujusmodi statuarum Archetypum primum, imaginem invisibilis Dei, Deum Unigenitum.*

Quòd autem Ethnici speciosam objectionem minimè neglexissent, ex eo probatur, quòd obtusioris ingenii non essent, nec aliter affecti prioribus illis sæculis, quàm Ethnici sæculorum sequentium. At sequentibus sæculis Ethnici usum ac venerationem imaginum Christianis objecerunt, ut constat ex Sermone quodam Joannis Thessalonicensis, Actione 5. Septimæ Synodi relato, in quo inducitur Ethnicus dicens: *Vos ergo in Ecclesiis imagines non pingitis Sanctis vestris, & adoratis illas? Et non solùm Sanctis, sed & ipsi Deo vestro? Sic ergo æstima & nos simulachra circumfoventes, non ea adorare, sed incorporales virtutes, quæ per illa placantur.* Idem igitur objecissent Ethnici trium priorum sæculorum, si tunc frequens fuisset in Ecclesia, sive statuarum, sive pictarum imaginum usus.

Tertiò idem probatur ex disputationibus SS. Patrum adversùs Judæos. Nam Judæi imaginum hostes infensissimi, usum illarum objecissent Christianis trium priorum sæculorum, si tunc illas habuisset Ecclesia. Sed sive ex Dialogo S. Justini contra Tryphonem Judæum, sive ex libro Tertulliani adversùs Judæos, sive ex aliis Veterum Patrum monumentis, non apparet Judæos usum Imaginum Christianis exprobrasse tribus primis Ecclesiæ Sæculis. Nullus igitur, aut certè admodum infrequens tunc erat in Ecclesia sacrarum imaginum usus.

Probatur major, Judæi, quo tempore frequentes, in Christianorum Templis fuerunt imagines, Christianis earum usum venerationemque exprobrarunt: quidni ergo & tribus prioribus Sæculis idem præstitissent?

Probatur antecedens ex Disputatione Judæi & Christiani, quæ lecta est à Stephano Monacho Actione 5. Septimæ Synodi, in qua Judæus dicit: *Credo crucifixo Jesu Christo, quia est Filius Dei vivi. Scandalizor autem in vos, Christiani! quia imagines adoratis. Scriptura quippe ubique præcipit non facere sibi quemquam sculptile, vel omnem similitudinem.* Idem constat ex Leontii Episcopi Neapoleos Cypri, Sermone 5. pro Christianorum Apologia contra Judæos, cujus prolixus locus refertur in Septima Synodo, Actione 4.

Denique nullum fuisse, in multis saltem Ecclesiis, imaginum usum, tribus prioribus Ecclesiæ Sæculis, ex eo probatur, quòd illorum Sæculorum Patres Sculpturam, Picturamque, ut artes Christianis illicitas sugillarint: quod minimè fecissent, si Christi, aut Sanctorum imagines effingere apud Christianos solitum fuisset.

Antecedens constat ex Tertulliano libro contra Hermogenem, cap. 1. ubi illius Hæretici vitia perstringens, illi objicit assiduam Picturam. *Pingit illicitè*, inquit, *nubit assiduè, Legem Dei in libidinem defendit, in artem contemnit.*

Et ex Clemente Alexandrino, libro 6. Stromatum pag. 455. dicente: *Quemadmodum ergo qui aliena furatur, cùm magnam faciat injuriam, in ea quæ meretur mala meritò incidit: ita qui divina opera sibi vendicat per fingendi, vel pingendi artem, & dicens se esse effectorem animantium & plantarum, & similiter qui veram imitantur Philosophiam, sunt fures.* Cùm itaque ex his omnibus perspicuum sit, primis tribus Ecclesiæ Sæculis, nullas, vel admodum raras apud Christianos Imagines fuisse, crimini verti non debet Illiberritanis Patribus, quòd prohibuerint ne Imagines in Ecclesiis depingerentur.

Quo sensu cereorum accensionem in cœmeteriis interdiu Synodus Illiberritana prohibuerit.

Objicitur secundò. Synodus quæ Vigilantio favet, Cereorum accensionem super Sanctorum Sepulchra prohibens, suspectæ fidei est: sed Illiberritana Synodus prohibet Cereorum accensionem super Sepulchra Sanctorum, sicque favere videtur Vigilantio cultum sacrarum Reliquiarum damnanti: est igitur suspectæ fidei.

Probatur minor ex Canone 34. cujus hæc sunt verba: *Cereos per diem placuit in Cœmeteriis non incendi: inquietandi enim Spiritus Sanctorum non sunt. Qui hæc non observaverint, arceantur ab Ecclesiæ Communione.*

Respondeo distinguo majorem: Si prohibeat cereorum accensionem, absolutè, concedo. Si illam prohibeat certo tempore, & ob certum finem factam, nego. At Illiberritana Synodus prohibuit dumtaxat Cereorum accensionem factam ad inquietandos Sanctorum Spiritus, id est, ad animas evocandas gentilitio & magico ritu. Hunc enim fuisse Gentilium morem testantur Suetonius in Vita Neronis, & Plinius lib. 3. cap. 2. & lib. 28. cap. 8. Quòd autem inquietandi verbum, quo Synodus utitur, solicitationem Animarum Sanctarum significet, evocationemque superstitiosam ac impiam, indicant verba illa Samuelis sic evocati ad Saulem, 1. Reg. cap. 28. *Quare inquietasti me ut suscitarer?*

Alii respondent, per Spiritus Sanctorum intelligi Fidelium in terris degentium mentes (solemni enim & vulgata Scripturæ phrasi Fideles Sancti nuncupantur) Dicunt itaque prohibuisse Patres Illiberritanos ne per diem in Cœmeteriis Cerei accenderentur, ne Christianorum animi frequentiâ & curâ immodicâ Cereorum ardentium inquietarentur ac perturbarentur in Orationibus suis. Ita exponit hunc Canonem Garcias Loaysa Conciliorum Hispaniensium Collector.

Alii denique respondent, Illiberritanos Patres prohibuisse solùm, ne interdiu cerei in cœmeteriis à piis Fidelibus accenderentur; ne tam insolito fulgore Ethnici cognoscerent Martyrum Sepulchra, indeque sacras illorum Reliquias educerent, projicerent, cremarent, in ventos dispergerent & oblivione obruerent: quo ex eventu solicitudo maxima, incredibilisque mœror crearetur Fidelibus. & major fortè in persecutio ab Ethnicis in ipsos excitaretur. Cæterùm cereos accendere in honorem Martyrum non prohibuerunt illius Synodi Antistites, quod pium ac religiosum esse adversùs Vigilantium probat S. Hieronymus: quamvis à simplicibus dumtaxat & imperitis, necnon à mulierculis devotis interdiu accendi suo tempore solitos resferet. Quod tunc temporis ut obnoxium vel affine superstitioni, vel ut orantium attentioni incommodum, meritò prohibuerunt Illiberritani Patres. En S. Hieronymi verba: *Cereos autem non clara luce accendimus ut hoc pietatis officio Martyres è tenebris vindicemus, quorum lucerna est Agnus, sicut frustra calumniaris, sed ut noctis tenebras hoc solatio temperemus, & vigilemus ad lumen, ne cæci tecum dormiamus in tenebris,*

*bris. Quòd si aliqui propter imperitiam & simplicitatem sæcularium hominum, vel certè religiosarum fœminarum, de quibus verè possumus dicere: Zelum Dei habent, sed non secundum scientiam, hoc pro honore Martyrum faciunt, quid inde perdis? Caussabantur quondam Apostoli quod periret unguentum, sed Domini voce correpti sunt. Neque enim Christus unguento indigebat, nec Martyres lumine cereorum. & tamen illa mulier in honorem Christi hoc fecit, devotioque mentis recipitur: & quicumque accendunt cereos, secundùm fidem suam habent mercedem.... Et absque Martyrum Reliquiis, per totas Orientis Ecclesias, quando legendum est Evangelium, accenduntur luminaria, jam Sole rutilante; non utique ad fugandas tenebras, sed ad signum lætitiæ demonstrandum.*

*Synodus Illiberitana non favet Novatianis.*

Objicitur tertiò. Synodus quæ Novatianam hæresim adstruit, non est integræ fidei; sed Illiberritana Synodus Novatianam hæresim adstruit; siquidem certorum criminum reis communionem in exitu negat: non est igitur integræ fidei.

Respondeo nego minorem. Nomine enim Communionis Eucharistiam intellexisse Patres Illiberritanos, jam suprà à nobis probatum est Dissertatione 7. Et quamvis Absolutionem Sacramentalem negassent graviorum criminum reis, multùm distaret illos inter & Novatianos: quia *Non desperatione veniæ, sed rigore Disciplinæ*, sanxissent denegandam: nec Ecclesiæ claves, ut Novatiani, oppugnassent. Et certè si S. Cyprianus Epistola 52. ad Antonianum, magnum discrimen agnoscit inter Novatianos & quosdam Africanos Antistites Antecessores suos: *Qui pacem mœchis negarunt, & in totum Pœnitentiæ locum contra adulteria clauserunt*, non esset affigenda Synodo Illiberitanæ Novatiani erroris labes, etsi capitalium criminum reis Absolutionem, etiam in exitu, denegasset.

Objicitur quartò. Concilii quod Eucharistiam concedit fœminis, quæ dimisso marito adultero, eoque vivente, alterum duxerint, sancta dici non potest Disciplina: sed Illiberritana Synodus concedi jubet Eucharistiam fœminis, quæ dimisso marito adultero, alterum duxerint: sancta igitur non est illius Concilii Disciplina.

*Illiberritana Synodus prohibuit ne fideles feminæ dimissis maritis adulteris, aliis nuberent. Matrimonii vinculum indissolubile.*

Probatur minor ex Canone 9. cujus hæc sunt verba: *Fidelis fœmina, quæ adulterum maritum reliquerit fidelem, & alterum ducit, prohibeatur ne ducat: si autem duxerit, non priùs accipiat Communionem, quam is quem reliquit, de sæculo exierit, nisi necessitas infirmitatis compulerit.*

Respondeo distinguo minorem: Concedi jubet Eucharistiam illis fœminis, si in extremo vitæ spiritu vera doloris & pœnitentiæ signa ediderint, promiserintque se adulterii reatum esse deserturas, & illius viri societatem relicturas, quem primo vivente duxerunt, concedo: sin minus, nego. Itaque perpetuum conjugii vinculum agnoverunt Illiberritani Patres, nec maritum dimitti posse à Fideli fœmina, etiam ob caussam adulterii: siquidem & illis quæ maritos adulteros dimisissent, secundas nuptias illis viventibus prohibuerunt, & Evangelicæ Legis, Decretique sui prævaricatrices anathemate ferierunt, quo solvendæ non essent, nisi vel prior maritus defunctus esset (quo casu Ecclesia secundum Matrimonium pia quadam œconomia ratum habebat:) vel extremum spiritum agerent, & pœnitentiæ signa ederent, separationemque à secundi viri, vel potiùs adulteri consortio pollicerentur.

Porro Synodum istam secundum Matrimonium non permisisse uxori, quæ virum quacunque ex caussa dimisisset, vel ab eo fuisset dimissa; constat etiam ex Canone 72. *Si qua vidua*, inquit, *fuerit mœchata, & eumdem postea habuerit maritum, post quinquennii tempus, acta legitima pœnitentia, placuit eam Communioni reconciliari; si alium duxerit, relicto illo, nec in fine dandam ei esse Communionem.*

Contra. Concilium Illiberritanum, in Canone quem laudat Gratianus Dist. 31. Quæst. 1. Can. *Si qua mulier*, decernit maritum, cujus vitæ uxor insidiata fuerit, *posse ipsam dimittere, & si voluerit, aliam ducere*. Ergo existimavit Matrimonii vinculum dissolvi posse; qui non solùm error est in Disciplina, sed & in Fide gravissimus.

Respondeo, Hunc Canonem Illiberritani Concilii non esse, sed Vermeriensis, quod multis sæculis posterius est. Et quamquam esset Illiberitanæ Synodi, non esset propterea insimulanda erroris contra fidem, quia commodam explicationem patitur ille Canon: cujus nimirum sensus est, posse virum cui uxor mortem machinata est, illa defuncta alteram ducere; non posse autem illam, viro etiam defuncto alterum ducere, sed perpetua pœnitentia & Cœlibatu eluere debere admissum scelus. Erat enim hæc pœna olim in Ecclesia frequentissima, ut qui atrox aliquod crimen perpetrassent, nuptiis impedirentur, ne vel ipsi delicatiùs viverent, non ut Pœnitentes decet, vel ex ipsorum stirpe filii ejusdem criminis suspicione notabiles procrearentur, ut constat ex Concilio Moguntino, sub Rabano, Can. 20. ex Concilio Vermeriensi, Can. 4. & ex Triburiensi, Canone 44.

Objicitur quintò. Illius Synodi nec integra fides, nec sancta Disciplina dici debet, quæ Baptismum in necessitate collatum ab Ethnico, vel à Fideli bigamo censet esse irritum: atqui id decernit Illiberritana Synodus. Illius itaque Fides integra, & sancta Disciplina dici non debet.

Probatur minor ex Canone 38. quo statuitur, *Peregre navigantes, aut si Ecclesia in proximo non fuerit, posse Fidelem (qui lavacrum suum integrum habet, nec sit bigamus) baptizare in necessitate.* Arcet igitur ab administratione Baptismi eos, qui lavacrum suum integrum non habent, & sunt bigami.

Respondeo, nego minorem. Non enim negant Illiberritani Patres, Baptismum ab infidelibus, aut à bigamis, necessitatis tempore collatum, validum esse, sed Fidelem esse cupiunt, & Monogamum qui illum administret, nec infideles, & bigamos, ubi Fideles adsunt & Monogami, volunt licitè Baptismum conferre, etiam urgente periculo. Et si putassent infideles non posse conferre Baptismum, nemo propter hoc ipsos erroris contra fidem jure insimularet, cùm nec S. Augustini tempore adhuc explorata esset atque perspicua illius quæstionis veritas, ut constat ex ipsius libro 2. contra Epistolam Parmeniani, cap. 13. *Alia quæstio est*, inquit, *utrum & ab iis, qui numquam Christiani fuerunt, possit Baptismus dari. Nec aliquid temerè inde affirmandum est sine auctoritate tanti Concilii, quantum tantæ rei sufficit.*

Et libro 7. de Baptismo contra Donatistas, cap. 53. *Solet etiam quæri*, inquit, *utrum approbandum sit Baptisma, quod ab eo qui non accepit, accipitur, & forte hoc curiositate aliqua didicit quemadmodum dandum sit; sed nobis tutum non est in ea progredi aliqua temeritate sententia, quæ nullo in Catholico Regionali Concilio cœpta, nullo Plenario Concilio terminata sunt. Id autem fit cura secura vocis asserere, quod in gubernatione Domini Dei nostri, & Salvatoris Jesu-Christi universalis Ecclesiæ consensione roboratum est. Verumtamen si quis me fortè in eo Concilio constitutum, ubi talium rerum quæstio versaretur, non præcedentibus talibus, quorum sententias sequi mallem, urgeret ut dicerem quid ipse sentirem, si eo modo affectus essem, quo eram cum ista dictarem, nequaquam dubitarem habere eos Baptismum, qui ubicunque illum verbis Evangelicis consecratum, sine sua simulatione, & cum aliqua fide accepissent.*

Objicitur sextò. Non est sanctissima illius Concilii

la Disciplina, quod pœnitentiam gravissimam infligit propter factum quod nullatenus peccatum est: atqui Concilium illud gravissimam pœnitentiam infligit ob factum quod nullatenus peccatum est: illius igitur Disciplina non est usquequaque sancta.

Probatur minor. Homicidium casu admissum, peccatum non est, cùm voluntarium non sit atque liberum: Actio namque libera casum non admittit. Unde Tertullianus lib. de Pœnitentia cap. 3. ait: *Quid quod voluntas facti origo est? Viderint enim si qua casui, aut necessitati, aut ignorantia imputantur: quibus exceptis, nonnisi voluntate delinquitur.* Atqui Patres Illiberitani pœnitentiam quinque annorum imponunt pro homicidio non sponte, sed casu admisso, ut constat ex 5. Canone, quo pœnitentia præscribitur dominæ quæ ancillam occiderit: *Si voluntate*, inquit, *post septem annos: si casu, post quinquennii tempora, actâ legitimâ pœnitentiâ, ad Communionem placuit admitti.* Igitur Concilium illud gravissimam pœnitentiam imponit propter actionem quæ nullatenus peccatum est.

Vetus Disciplina pœnitentiam publicam pro facto involuntario imposuit, tametsi in illa hypothesi peccata non essent, modò aliàs & naturâ suâ vitiosa essent, seclusis justis circumstantiis temporis & rationis.

Respondeo, nego primam majorem. Vel, eam distinguo: Si factum illud nusquam sit peccatum, & non sit naturâ suâ vitiosum, divinaque lege prohibitum, concedo. Si factum illud sit naturâ suâ vitiosum, semperque peccatum sit quoties abest justa temporis & rationis circunstantia, nego. Antiquis enim Ecclesiæ moribus receptum fuit, pro his factis, etsi non voluntariis, publicam imponere pœnitentiam, si publicum erat facinus, non ob peccatum, quod illa in hypothesi nullum erat: sed ob exemplum: ut quos exemplo suo rei ad malos quodammodo mores provocaverant, pœnitentiæ testimonio ad rectam viam revocarent; & ut proclives ad peccatum hominum animi severâ hâc Ecclesiæ Disciplinâ coercerentur, & à peccato avocarentur. Nec verò ab Illiberitana tantùm Synodo sancita hæc Disciplina est: sed etiam à Concilio Ancyrano, Canone 22. *Eos verò qui non voluntate, sed casu homicidium fecerint, prior quidem regula post septem annorum pœnitentiam Communioni sociavit, secundùm gradus constitutos. Hæc verò humana definitio quinquennii tempus tribuit.*

Idem statuit Concilium Epaonense, Canone 31. Concilium etiam Nannetense eamdem viguisse probat Gallicana in Ecclesia Disciplinam. Siquidem Canone 18. decrevit ut *Si quis casu, non volens, homicidium perpetraverit, quadraginta diebus in pane & aqua pœniteat: quibus peractis, biennio ab oratione Fidelium segregatur; non communicet, nec offerat: post biennium in communione Orationis offerat; non tamen communicet: post quinquennium ad plenam Communionem recipiatur.* Hanc Disciplinam probavit Sanctus Basilius, consulens iis qui cædes in bello justo admiserint, ut triennio à Communione abstineant, quamvis hujusmodi cædes peccata non sint. Sic enim statuit Canone 13. Epistolæ Canonicæ ad Amphilochium. *Cædes in bellis factas, Patres pro cædibus non imputaverunt, ut mihi videtur, ignoscentes eis qui pro pietate, & pudicitia decertant; rectè autem fortè habes consulere, ut qui sunt manibus non puris, solâ trium annorum Communione abstineant.*

Eamdem secuti sunt Disciplinam Episcopi Provinciæ Remensis, in Concilio celebrato anno 923. gravem imponentes pœnitentiam iis qui in prælio Suessonico * inter Robertum & Carolum Crassum pugnaverant. Nec enim distinguunt inter eos qui stabant à partibus Caroli Regis legitimi & Roberti Comitis perduellis. Est autem hæc pœnitentia, videlicet, *Ut tribus Quadragesimis per tres annos agant pœnitentiam: ita ut prima Quadragesima sint extra Ecclesiam, & in Cœna Domini reconcilientur. Omnibus vero his tribus Quadragesimis, secunda, quarta & sexta feria, in pane, sale, & aqua abstineant, aut redimant. Similiter quindecim diebus ante Nativitatem S. Joannis Baptistæ, & quindecim diebus ante Nativitatem Domini Salvatoris: omni quoque sexta feria per annum, nisi redemerit, aut Festivitas celebris ipsa die acciderit, vel eum infirmitate, sive militia detentum esse contigerit.*

* Tom. 3. Concil. Galliæ.

Eamdem fuisse Anglicanæ Ecclesiæ Disciplinam, constat ex libro Pœnitentiali Bedæ, cap. 3. ubi illis qui casu, vel in bello publico, aliquem occidissent. Pœnitentiam imponit: *Qui casu*, inquit, *annum unum: Qui bello publico, dies quadraginta.* Et ex Canone Pœnitentiali Theodori Cantuariensis Archiepiscopi quo pœnitentia imponitur ei, qui in extrema necessitate cibum, aut vestem furatus est. *Si quis*, inquit, *propter necessitatem furatus fuerit cibaria, vel vestem, vel pecus, per famem, aut per nuditatem, pœniteat hebdomadas tres. Et si reddiderit, non cogatur jejunare.*

Eamdem sectata Disciplinam est Ecclesia Germanica, ut constat ex Concilio Triburiensi, Canone 34. cujus hæc sunt verba: *Unà cum interfectis Paganis perempti fuerunt Christiani captivi à Barbaris; qui in impetu belli nequeunt distingui. Idcirco justum decernentes, statuimus cum interfectoribus misericordiùs agendum, ita ut quadraginta diebus pœnitentia indulgentiùs transactis, penes Episcopum sit auctoritas & potestas ut perpendat culpam, agat indulgentiam.* Bellum autem justum fuisse constat ex eodem Canone: *Zelo*, inquit, *divinæ æmulationis accensi Christianorum exercitus procedunt ad bellum, confidentes in eum qui dixit; Vos ad certamen accedistis, ego prælior pro vobis. Fit Conventus Christianorum & Paganorum; fortiter dimicant isti pro fide, illi contra fidem.* Cædes autem illæ Christianorum inter Paganos existentium & pugnantium, erat involuntaria, spectatâ circunstantiâ religionis, quia Christiani milites non intendebant occisionem Christianorum inter Barbaros captivorum, sed solùm Paganorum; nec distinguere poterant, in impetu prælii, Christianos ab Ethnicis, & nihilominus militibus omnibus, qui in isto bello pugnaverant, quadraginta dierum pœnitentia indicitur.

Ex eadem Disciplina Concilium Wormatiense, Canone 18. insanis qui hominem occiderint, pœnitentiam imponit, si ad sanam mentem redierint. *Si quis insaniens*, inquit, *aliquem occiderit, si ad sanam mentem pervenerit, levior ei pœnitentia imponenda est, quam ei qui sana mente tale quid commiserit: cui quamvis pœnitentia sit imponenda, quia ipsa infirmitas caussa peccati fuisse creditur, tantùm tamen levior, quam ei qui sanus aliquem occiderit, quantùm inter sanum, & insanum, & irrationabile, & rationabile constat esse discrimen.*

Denique Ecclesiæ Romanæ usu & moribus hæc Disciplina consecrata est. * Pœnitentiam enim imponit Pœnitentiale Romanum, Tit. 4. c. 16. illis qui summa necessitate urgente, cibos furati fuerint. *Si fecisti furtum necessitatis caussâ*, inquit, *sic dico, ut non haberes unde viveres, & propter famis penuriam; & tantum furatus es victualia extra Ecclesiam, & non propter consuetudinem fecisti, redde quod tulisti, & sex ferias in pane & aqua pœniteas.*

* Pœnitentiale Romanum apud Antonium Augustinum.

Sacerdotibus etiam, qui sine culpa per ignorantiam inebriati fuerint, pœnitentiam imponit, Tit. 5. cap. 3. *Sacerdos quilibet*, inquit, *si inebriatur per ignorantiam, septem dies pœniteat in pane & aqua.* Pœnitentiam denique illis præscribit, qui Sacrificium evomuerint ex infirmitate. *Qui Sacrificium*, inquit, *evomuerit, quadraginta dies pœniteat; si infirmitatis caussa, septem dies.* Cùm igitur omnes Ecclesiæ illæ pœnitentiam indixerint, non solùm pro peccatis; verùm etiam pro his omnibus quæ peccati speciem naturâ ipsâ præ se ferebant, ad exemplum, ut pœnæ metu Fideles in officio continerentur,

tinetentur, iniqua censeri non debet Disciplina quæ ab Illiberitanis Patribus sancita est, ut domina quæ casu ancillam occidisset, quinquennio Pœnitentiæ subjaceret. Sine culpa enim, etsi non sine caussa, pœna imponi potest, ut indicat Regula Juris 23. in 6. Decretal. *Sine culpa*, inquit, *nisi adsit caussa, non est aliquis puniendus.*

Respondeo secundò, Patres Illiberitanos poenitentiam imposuisse pro fortuito homicidio, quod ex peccato ortum haberet, quamvis in se ipso peccatum non esset, quatenus fortuitum erat; scilicet ex ita impotenti Dominæ, quæ zelotypiæ furore accensa, jus moderatæ castigationis erga ancillam excesserat, B ipsamque flagellis verberaverat acerbiùs. Unde poenitentiam ipsi videntur imposuisse, non propter homicidium dumtaxat, quod casu contigisset, sed propter zelotypiæ furorem, propter iræ vesaniam, propter inhumanitatem & tyrannidem.

## SCHOLION I.

Ad hujus Dissertationis Articulum 11. & pag. 675. Editionis primæ, Religiosi Censores hanc notam apponunt: *Concilii Illiberritani Fides integra, Disciplina sancta.... Tota Dissertatio*, inquiunt, *expungatur.*

C R. De Ecclesia bene meritus mihi visus sum, cùm antiqui illius Concilii Fidem ac Disciplinam vindicavi, id præstitit olim Vir clarissimus & doctissimus *Ferdinandus de Mendoza*, Hispanus, tribus libris *De confirmando Concilio Illiberritano* editis, & *Clementi VIII.* Pontifici Maximo nuncupatis, quos cùm Academia Complutensis approbaverit, Pontifex gratos habuerit atque laudaverit, magnifaciat omnis eruditorum hominum natio; mirum est quòd Religiosi Censores totam illam Dissertationem expungi velint quâ Concilii Illiberritani Fides integra, Disciplina sancta ostenditur.

## SCHOLION II.

Ad eumdem Articulum, in Responsione ad primam Objectionem, Religiosi Censores hanc Propositionem notant: *Tribus primis Sæculis nullus fuit usus Imaginum in Ecclesia, aut admodum rarus.*

R. Hæc Virorum Eruditorum verior sententia, quam propugnant *Petavius* libro xv. *Theologicorum Dogmatum De Incarnatione*, cap. xiii. & *Antonius Pagi* ad annum 54. Num. xviii. & observant, *Imagines ex eorum per se numero esse, quæ ἀδιάφορα nominantur, hoc est, quæ ad salutem omnino necessaria non sunt, nec ad substantiam ipsam Religionis attinent: In potestate sunt Ecclesiæ, ut ea vel adhibeat vel ablegat, prout atque satius esse judicaverit, cujusmodi positivi vulgò juris esse dicuntur. Quocirca primis ab ortu*

A *Christianæ Religionis temporibus, cùm adhuc Gentilis in eam exardesceret furor, & in hominum mentibus hæreret adhuc Idolorum superstitio; non tam frequens fuit sacrarum usus Imaginum, ut neque Templorum atque Basilicarum..... Quod est diligentiùs observandum, quòd ad pleraque valet interpretanda memoriæ veteris exempla & testimonia, quibus ad oppugnandum Ecclesiæ Rituum abutuntur Protestantes, unumquodque commoventur interdum repugnantes illis Catholici Theologi; cùm scilicet constet Imagines repudiatas & damnatas ab Orthodoxis fuisse, pro locorum ac temporum ratione commode ipsum explicari de eas. Quare in controversia de Imaginibus, externi Ecclesiæ potius exemplorum & institutorum, quàm antiquioris duci rationem oportet. Cùm enim primis adhuc vel Gentilium superstitio ferveret, multa primis illis Ecclesiæ sæculis vel non inutilia per sese, vel etiam commoda supprimi omittique satiùs visum est, dum periculum erat, ne offensioni aliquid traheret externa quædam Rituum species, cum iis quæ ab Ethnicis celebrabantur, similitudine ipsâ congruens, velut ne Imagines Christi atque Sanctorum, pro idolis quibus erant assuefacti, à rudibus & imperitis haberentur, & ut eorum animus ab inanium simulacrorum consuetudine ac memoria longiùs avocaretur. Credibile itaque est; parum à Christianis usurpatas fuisse primis fere quatuor sæculis; per quæ nefanda dæmonum in Idolis Religio, & Christiani nominis crudelissima vexatio cursum tenuit. Quinto demùm Sæculo, postquam adepta libertate sacrorum quodammodo suos explicare cœpit Ecclesia, plerisque locis Imagines palam haberi cœptæ atque in Templis & Oratoriis propositæ sunt, cùm hactenus etsi in usu essent aliquo, non tamen adeo promiscuè ac frequenter adhiberentur.*

## SCHOLION III.

In Responsione ad sextam Objectionem, & ad pag. 703. Editionis primæ, Religiosi Censores hanc in Indiculo suo notant Propositionem: *Pœnitentia canonica imponi potest pro actu qui non est peccatum.*

R. De prisca, non de præsentis temporis disciplinâ hic ago. Sanctam fuisse contendo Illiberritani Concilii disciplinam, quamvis Pœnitentiam canonicam imposuerit propter homicidium casu admissum: *Quia etsi peccatum non sit, Ipsum tamen factum naturâ suâ vitiosum est, semperque peccatum, quoties abest justa temporis & rationis circumstantia.* D Antiquis enim Ecclesiæ moribus receptum fuisse observo pro his factis, etsi non voluntariis, publicam imponere pœnitentiam, si publicum erat facinus; *Non ob peccatum, quod illa in hypothesi nullum erat; sed ob exemplum*, &c. ut fusiùs explico & confirmo non solùm Illiberritanæ Synodi, sed & Ancyranæ, Epaonensis, Nannetensis, Remensis, Triburiensis, Wormatiensis Canonibus, & ex Pœnitentialibus libris, Romano, Bedæ, & Theodori Cantuariensis. Ex quibus evidens est, illam in Ecclesia Romana, Gallicana, Germanica, Anglicana, Hispaniensi, Orientali, viguisse Disciplinam. Ex his patet, Indiculi Censorii Auctores Propositionem meam truncasse, interpolasse, in sensum alienum detorsisse.



PANOPLIA



# PANOPLIA ADVERSUS HÆRESES PRÆCIPUAS TERTII SÆCULI

## DISSERTATIO XXII.

Adversùs Novatianos.

### QUÆSTIO UNICA.

*Utrum Ecclesia potestatem habeat remittendi peccata, nullumque sit crimen quod Ecclesiæ clavibus remitti non possit?*

### PROPOSITIO.

*Novatiani perperam Ecclesiæ negarunt potestatem remittendi peccata. Nullum enim crimen est, quod Ecclesia clavibus remitti non possit.*



PROBATUR primò ex verbis Christi, Matth. 18. *Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cœlo, & quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cœlo.* Et ex illis Joannis 20. quibus Christus Apostolis ait: *Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.* Cùm igitur Christus nulla peccata excipiat, asserendum est nullum esse crimen quod Ecclesiæ clavibus remitti non possit.

Probatur secundò, ex Tertulliano, cap. 10. Scorpiaci: *Nam & si adhuc clausam putas cœlum,* inquit, *memento claves ejus hic Dominum Petro, & per eum Ecclesiæ reliquisse.*

Probatur tertiò, ex Sancto Cypriano Epistola 73. ad Jubaianum data, ubi præmissis Scripturæ Sacræ testimoniis suprà laudatis, sic colligit: *Unde intelligimus nonnisi in Ecclesia Præpositis, & in Evangelica lege ac Dominica ordinatione fundatis licere baptizare, & remissam peccatorum dare; foris autem*

A *nec ligari aliquid posse, nec solvi, ubi non sit, qui aut ligare possit aliquid, aut solvere. Nec hoc, Frater charissime, sine Scriptura Divina auctoritate proponimus, ut dicamus certa lege ac propria ordinatione cuncta esse disposita; nec posse quemquam contra Episcopos & Sacerdotes usurpare sibi aliquid, quod non sit sui juris ac potestatis.*

Sed istius dogmatis veritatem ex professo probat contra Novatianos Epistola 52. ad Antonianum. *Miror*, inquit, *quosdam sic obstinatos esse, ut dandam non putent Lapsis pœnitentiam, aut Pœnitenti-* B *bus existiment veniam denegandam, cum scriptum sit: Memento unde cecideris, & age pœnitentiam, & fac priora opera. Quod utique ei dicitur, quem constat cecidisse, & quem Dominus exhortatur per opera rursus exurgere, quia scriptum est: Eleemosyna à morte liberat. & non utique ab illa morte quam semel Christi sanguis extinxit, & à qua nos salutaris Baptismi, & Redemptoris nostri gratia liberavit, sed ab ea quæ per delicta postmodum serpit. Alio item loco pœnitentia te opus datur, & pœnitentiam non agenti Dominus comminatur. Habeo, inquit, adversùs te multa, quòd* C *uxorem tuam Jesabel, quæ se dicit Propheten, sinis docere, & seducere servos meos, & fornicari, & manducare de Sacrificiis, & dedi illi tempus ut pœnitentiam ageret, & pœnitere non vult à fornicatione. Ecce ego mittam eam in lectum, & qui cum ea fornicati sunt, in maximam tribulationem, nisi pœnitentiam gesserint ab operibus suis. Quos utique Dominus ad pœnitentiam non hortaretur, nisi quia pœnitentibus indulgentiam pollicetur. Et in Evangelio: Dico, inquit, vobis, sic erit gaudium in cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente. Nam cùm scriptum sit, Deus mortem non fe-* D *cit, nec lætatur in perditione vivorum; utique qui neminem vult perire, cupit peccatores pœnitentiam agere, & per pœnitentiam denuo ad vitam redire. Ideo & per Joel Prophetam clamat, & dicit: Et nunc dicit Dominus Deus. Revertimini ad me ex toto corde vestro..... Et revertimini ad Dominum Deum vestrum, quia misericors & pius est, & patiens, & multa miserationis. Dominus quoque in Evangelio pietatem Dei Patris ostendens, ait: Quis est ex vobis homo, quem si petierit filius ejus panem, lapidem porriget illi?*

*Aut si piscem postulaverit, serpentem porriget illi? Si ergo vos, cùm sitis nequam, scitis bona data dare filiis vestris, quantò magis Pater vester cælestis dabit bona poscentibus se? Comparat hic Dominus carnalem paterem, & Dei Patris æternam, largamque pietatem. Quod si iste in terris nequam pater offensus graviter à filio peccatore & malo, si tamen eumdem postmodum viderit reformatum, & depositis prioris vitæ delictis, ad sobrios & bonos mores, & ad innocentiæ Disciplinam pœnitentiæ dolore correctum, & gaudet, & gratulatur, & susceptum quem ante projecerat, cum voto paternæ exultationis amplectitur: quantò magis unus ille & verus Pater bonus, misericors & pius, immo* B *ipsa bonitas, & misericordia, & pietas, lætatur in pœnitentia filiorum suorum, nec iram pœnitentibus, aut plangentibus & lamentantibus pœnam comminatur, sed veniam magis, & indulgentiam pollicetur?*

Et infra: *Neminem putamus à fructu satisfactionis & spe pacis arcendum: cùm sciamus juxta Scripturarum Divinarum fidem, authore & hortatore ipso Deo, & ad agendam pœnitentiam peccatores redigi, & veniam atque indulgentiam Pœnitentibus non denegari.*

Et infra, postquam prolatis agricolæ & nautæ exemplis ostendit, irrisorium esse hortari peccatores ad pœnitentiam, & ipsis subtrahere de satisfa- C ctione medicinam, sic concludit: *Quòd si invenimus à pœnitentia agenda neminem debere prohiberi, & deprecantibus, atque exorantibus Domini misericordiam, secundum quod ille misericors & pius est, per Sacerdotes ejus pacem posse concedi; admittendus est plangentium gemitus, & pœnitentiæ fructus dolentibus non negandus.* Denique toto libro de Lapsis, arma contra Novatianos invicta suppeditat Sanctus Cyprianus.

Probatur quartò ex Sancto Paciano Barcinonensi D Episcopo, in Epistola 1. ad Symptonianum Novatianum. *Nonne*, inquit, (David) *post cædis & adulterii reatum, pro Bersabee pœnitenti Propheta respondit: Dominus abstulit à te peccatum tuum? Num Babylonia Regem post tot Idololatriæ facinora damnatum, exomologesis non liberavit? Et quid est quod ait Dominus: Nonne qui ceciderit, resurget, & qui aversus fuerit, convertetur? Quid illa tot similitudinum dominicarum argumenta respondent? Quòd drachmam invenit mulier, & gratulatur inventam, quòd Pastor ovem reportat erraticam; quòd Filio revertenti, post prodacta omnia bona, & cum meretricibus & fornicariis nepotata, Pater blandus occurrit, & invidum* E *fratrem offensa ratione castigat? Filius, inquiens, meus hic mortuus fuerat, & revixit; perierat, & inventus est. Quid ille in via vulneratus, à Levita & Sacerdote præteritus? Nonne curatur? Revolve quæ Spiritus dicat Ecclesiis. Ephesios deserta dilectionis accusat: stuprum Tiathyrenis imputat, Sardos in opere cessantes, Pergamenos docentes diversa reprehendit. Laodicenorum divitias increpat, & tamen omnes ad pœnitentiam satisfactionis invitat. Quid Apostolus ad Corinthios, cùm ita dicit: Ne cùm venero, lugeam multos ex his qui ante peccaverunt, & non egerunt pœnitentiam ex his quæ ante gesserunt in fornicatione* F *& immunditiis suis?...... Nemo sine fructu imperat laborem. Nunquam Deus non pœnitenti comminaretur, nisi ignosceret pœnitenti.*

Deinde occupat responsionem Novatianorum, dicentium Deum quidem posse remittere peccata, non verò Sacerdotes, eamque refellit. *Solus hoc*, inquies, *Deus poterit. Verum est: sed & quod per Sacerdotes suos facit, ipsius potestas est. Num quid est illud quod Apostolis dicit: Quæ ligaveritis in terris, ligata erunt & in cælis: & quæcumque solveritis in terris, soluta erunt & in cælis? Cur hoc, si ligare hominibus, & solvere non licebat? An tantùm hoc solis Apostolis licet? Ergo & baptizare solis licet, &* A *Spiritum Sanctum dare solis, & solis Gentium peccata purgare: quia totum hoc non aliis quàm Apostolis imperatum est. Quod si uno in loco & resolutio vinculorum, & Sacramenti potestas datur, aut totum ad nos ex Apostolorum forma & potestate deductum, aut nec illud ex Decretis relaxatum est.... Si ergo & Lavacri, & Chrismatis potestas, majorum longè charismatum, ad Episcopos inde descendit; & ligandi quoque jus adfuit, atque solvendi.*

Et Epistola 3. ad eumdem hæreticum, Novatiani dogmatis falsitatem probat ex novitate doctrinæ. *Novatianus hoc docuit. At vel quando, frater, vel* B *quibus temporibus? Statim post Domini Passionem? Post Dei Principatum, id est, post trecentos prope annos Dominicæ Passionis. Quid ergo tunc? Prophetas secutus est, ut Cataphryges? An Philumenem aliquam, ut Appelles? An ipse tantum auctoritatis accepit? Linguis locutus est? Prophetavit? Suscitare mortuos potuit? Horum enim aliquid habere debuerat, ut Evangelium novi juris induceret.*

Postea contra Novatianos pugnat argumento ad hominem, ex priori Novatiani sententia desumpto, qui ante Cornelii Pontificatum potestatem in Ecclesia agnovit dimittendi peccata. *Nescio, ais, an re-* C *mitti peccatum ab Episcopis possit, cùm dixerit Dominus: Qui me negaverit coram hominibus, negabo eum coram Patre meo, qui in cælis est. Cur igitur Novatianus tuus, ne falsò quidem adhuc Episcopatu Sacerdos, longè antequam Cornelius Romæ Episcopus fieret, antequam Sacerdotio illius invideret, hæc suasit? Habes Cypriani testimonium; Cypriani quem nec vos unquam infamare potuistis. Nam quodam in loco ad Antonianum hoc modo scripsit: Additum est etiam Novatia- «no tunc scribente; & quod scripserat, sua voce reci- «* D *tante; & Moyse tunc Confessore, nunc jam Martyre «subscribente; ut lapsis infirmis, & in exitu constitu- «tis pax daretur; quæ literæ per totum mundum missæ «sunt, & in notitiam Ecclesiis omnibus perlatæ sunt. «Quid ais, Sympronianæ frater? Novatianus hæc scripsit, & ut obsequium meræ voluntatis adjungeret, etiam scripta recitavit. Testis est ejus dextera, testis quæ scripsit manus; testis lingua quæ legit. Adhuc Cornelius pro quo omnis vestra erupit invidia, Episcopus non erat. Longè posteriùs cum plurimis Coepiscopis, cum plurimis Confessoribus, statimque Martyribus, ut idem Cyprianus scribit, assensus est Senum consilio, licere dare pacem. Si pœnitentia negandus est aditus, Novatianus in crimine est, qui hæc scripsit, suasit, &* E *legit. Ubi tunc impatiens rigor? Ubi ferox illa censura? Si nemo vobis Cornelium prætulisset, maneret illa scribentis auctoritas. Nunc displicet tota sententia; nunc in nos tela jaciuntur, his ipsis subministrantibus, quorum auctoritate convaluit caussa telorum.*

Deinde, quia Novatiani illa Christi verba, *Quæcumque solveritis, &c.* ad correctionem fraternam referenda esse contendebant, propter verba præcedentia, *Si peccaverit in te frater tuus, &c.* Sanctus Pacianus ostendit illa intelligenda esse de potestate clavium Ecclesiæ concessa, seu de potestate absolvendi à peccatis in Pœnitentiæ Sacramento. *Illud*, F inquit, *uni jussit, hoc pluribus relaxavit; illud ipse solvit in quem admittetur, hoc verò Ecclesia: illud sine Sacerdote: sine fratribus hoc ab omnibus impetratur. Quæcumque solveritis (inquit) omnino nihil excipit. Quæcumque, inquit, vel magna, vel modica. Attende quod ad Petrum dicat inferiùs, id quod peccatur in hominem, septuagies & septies relaxandum; ut ostendat aliàs vel semel posse. Tamen qui in Petrum peccat, Dominum lædit; sicut ad Samuel ipse significat: Non te nullius momenti fecerunt, sed me. Conceditur ergo vel semel Ecclesiæ, quod nobis ipsis toties imperatur.*

Denique Novatianos à Christi doctrina recessisse ostendit

a Invictissimũ [illegible] omnes Hæret. cont ar-gumentum.

ostendit ex notis evidentissimis hæreseos, & sectæ hæreticæ.ª *Jam & illud attende*, inquit, *an hæc potissimum ædificata sit in fundamentis Prophetarum & Apostolorum, ex ipso angulari lapide Jesu Christo. Si ante te cœpit, si ante te credidit, si a fundamentis prioribus non recessit, si non illa migravit, si non a reliquo corpore separata suos sibi Magistros, & propria instrumenta constituit, si quid insolitum argumentata est, si quid novi juris invenit, si corpori suo repudium pacis indixit: planè tunc à Christo recessisse videatur, tunc extra Prophetas & Apostolos constitisse.*

Probatur quintò ex Sancto Ambrosio libro 1. de Pœnitentia cap. 2. ubi contra Novatianos ita scribit: *Sed aiunt se Domino deferre reverentiam, cui soli remittendorum criminum potestatem reservent. Immo nulli majorem injuriam faciunt, quàm ei cujus volunt mandata rescindere, commissum munus refundere. Nam cùm ipse in Evangelio suo dixerit Dominus Jesus: Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum detinueritis, detenta erunt; quis est qui magis honorat, utrum qui mandatis obtemperat, an qui resistit? Ecclesia in utroque servat obedientiam, ut peccatum & alliget, & relaxet. Hæresis in altero immitis, in altero inobediens, vult ligare quod non resolvat, non vult solvere quod ligavit: in quo se suâ damnat sententiâ. Dominus enim par jus & solvendi voluit esse, & ligandi, qui utrumque pari conditione permisit. Qui solvendi jus non habet, nec ligandi habet. Sicut enim, secundum dominicam sententiam, qui ligandi jus habet, & solvendi habet: ista istorum assertio seipsam strangulat, ut quia solvendi sibi jus negant, negare debeant & ligandi.* Et ibidem. *Scriptum est*, inquit, *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis. Ergo qui solvere non potest peccatum, non habet Spiritum Sanctum. Munus Spiritus Sancti est officium Sacerdotis: jus autem Spiritus Sancti in solvendis, ligandisque criminibus est. Quomodo ergo munus ejus vendicant, de cujus diffidunt jure & potestate?* Et rursus ibidem. *Quid quod insolentiores sunt? Nam cùm ad misericordiam promptior, quàm ad severitatem sit Spiritus Dei, quod ait se velle, id nolunt; quod nolle, hoc agunt: cùm vindicare Judicis sit, remittere misericordis. Tolerabilius igitur, Novatiane! remitteres, quàm ligares..... Pro quibus ergo Christus interpellat, eos Novatianus accusat. Quos Christus ad salutem redemit, eos Novatianus damnat ad mortem. Quibus Christus dicit: Tollite jugum meum super vos, & discite à me quia mitis sum: Novatianus dicit, Immitis sum: quibus Christus dicit, Invenietis requiem animabus vestris, jugum enim meum suave est, & onus meum meum leve: his grave onus, & durum jugum imponit Novatianus.*

Et cap. 6. Ita Christum affatur: *Dicis Petro excusanti ne ei pedes lavares: Nisi lavero tibi pedes, non habebis partem mecum. Quod ergo isti possunt consortium tecum habere, qui claves regni cælorum non susceperunt, negantes quòd dimittere peccata debeant? Quod quidem rectè de se fatentur: non habent enim Petri hæreditatem qui Petri fidem non habent, quam impia divisione discerpunt. Sed hoc improbò, quòd etiam in Ecclesia donari peccata negant posse, cum Petro dictum sit: Tibi dabo claves regni cælorum, &c. cùm & ipso Vas Electionis Dominica dicat: Si cui autem quid donastis, & ego quod donavi propter vos in persona Christi. Cur igitur Paulum legunt; si eum tam impiè arbitrantur errasse, ut jus sibi vendicaret Domini sui? Sed vendicavit acceptum, non usurpavit indebitum.*

Et cap. 7. *Cur baptizatis, si per hominem peccata dimitti non licet? In Baptismo utique remissio peccatorum omnium est. Quid interest utrum per Pœniten-*
A *tiam, an per Lavacrum, hoc jus sibi datum Sacerdotes vendicent? Unum in utrumque mysterium est.* Sicut igitur potestas remittendi peccata per Baptismum verè convenit Ecclesiæ, ita & eidem convenit potestas ea remittendi per Pœnitentiam: & sicut Baptismus, ita & Pœnitentia Sacramentum est Ecclesiæ administrationi concessum.

Probatur sextò ex Sancto Hieronymo, qui Sacerdotibus clavium potestatem vendicat, & judicandi auctoritatem ante extremi diem judicii, in tribunali utique pœnitentiæ. Sic enim scribit Epistola 1. ad Heliodorum: *Absit ut de his quidquam sinistrum lo-*
B *quar, qui Apostolico gradui succedentes, Christi Corpus sacro ore conficiunt, per quos & nos Christiani sumus: qui claves regni cælorum habentes, quodammodo ante Judicii diem judicant, qui Sponsam Domini sobria castitate conservant.*

Et lib. 1. adversùs Pelagianos cap. 10. *Qui ligna cadit*, inquit, *si securi ac ferro fugiente de ligno homo fuerit occisus, pergere jubetur ad urbem fugitivorum, & tandiu ibi esse, quamdiu Sacerdos Maximus oriatur, id est, redimatur Sanguine Salvatoris aut in domo Baptismatis, aut in Pœnitentia, quæ imitatur Baptismatis gratiam, per ineffabilem clementiam Salvatoris, qui non vult perire quemquam, nec delectatur mortibus peccatorum, sed ut convertantur, &*
C *vivant.*

Probatur septimò ex Sancto Epiphanio Hæresi 59. *Quamobrem*, inquit, *cùm divinus sermo, tum sancta Dei Ecclesia perpetuo pœnitentiam approbat; non quòd mollior ac dilutior sit, aut pigriores illos faciat, qui in illo stadio decurrunt, sed ut Dei gratiam, humanitatemque non rejiciat, ac cujusque caussa modum ac rationem consideret. Ut enim is qui virginitatem amisit, quod ad corpus attinet, repræsentare illam non potest, cùm id natura minimè patiatur: ita qui post Baptismum in majora quædam crimina prolapsus est: perinde ac qui virginitate excidit, secun-*
D *dum habet in continentia commendationis gradum: Sic ille post Baptismum graviore obstrictus scelere, secundum habet sanitatis genus. Quod tametsi cum tanta, quanta prius, virtute minimè conjunctum sit, non est tamen à consequenda vita spe ac salutis alienum: igitur eorum, qui in capessenda pœnitentia laborant, fructum ac præmium divinus sermo non rejicit.*

Probatur octavò ex Sancto Augustino Epistola 4. ad Vincentium Donatistam. *Si*, inquit, *quod veritas habet, & quod Ecclesia meritò tenet, rectè pœnitentibus adulteris pax dabatur, illi qui in totum locum*
E *pœnitentiæ contra adulteros claudebant, impiè utique agebant, qui membris Christi sanitatem negabant, & claves Ecclesiæ pulsantibus subtrahebant, & misericordissimæ patientiæ Dei, quæ illos propterea sinebat vivere, ut pœnitendo sanarentur, Sacrificio contriti spiritus, & contribulati cordis oblato, dura crudelitate contradicebant.*

Et Epistola 180. ad Honoratum, de persecutionis angustiis loquens, hæc habet: *Annon cogitamus, cùm ad istorum periculorum pervenitur extrema, nec est potestas ulla fugiendi, quantus in Ecclesia fieri solsat ab utroque sexu, atque ab omni ætate concursus; aliis Baptismum flagitantibus, aliis reconciliationem,*
F *aliis etiam pœnitentiæ ipsius actionem, omnibus consolationem, & Sacramentorum confectionem & erogationem? Ubi si Ministri desint, quantum exitium sequitur eos, qui de isto sæculo vel non regenerati exeunt, vel ligati?*

Et libro de Agone Christiano, cap. 31. ubi Novatianos his verbis redarguit: *Nec eos audiamus, qui negant Ecclesiam Dei omnia peccata posse dimittere. Itaque miseri, dum in Petro Petram non intelligunt, & nolunt credere datas Ecclesiæ claves regni cælorum, ipsi eas de manibus amiserunt. Isti sunt qui viduas, si nupserint, tanquam adulteras damnant, & super doctrinam*

*ctrinam Apostolicam se prædicant esse mundiores. Qui nomen suum si vellent agnoscere, mundanos se potius, quàm mundos vocarent. Nolentes enim, si peccaverint, corrigi, nihil aliud delegerunt, nisi cum hoc mundo damnari. Nam quibus veniam peccatorum negant, non eos aliqua sanitate custodiunt, sed ægris subtrahunt medicinam, & viduas suas uri cogunt, quas nubere non permittunt.*

Et Homilia 17. exponit quo sensu peccata per Sacerdotes dimittantur. *Daturus erat Dominus hominibus Spiritum Sanctum*, inquit, *& ab ipso Spiritu Sancto Fidelibus suis dimitti peccata, non meritis hominum volebat intelligi dimitti peccata. Nam quid es, homo, nisi æger sanandus? Vis mihi esse Medicus? Mecum quære Medicum. Nam ut hoc evidenter ostenderet Dominus, à Spiritu Sancto quem donavit Fidelibus suis, dimitti peccata, non meritis hominum, quodam loco sic ait resurgens à mortuis, Accipite Spiritum Sanctum. & continuo subjecit: Si cui dimiseritis peccata, dimittuntur ei: hoc est, Spiritus dimittit, non vos, Spiritus autem Deus est: Deus ergo dimittit, non vos. Sed audi Spiritum. Quid estis vos? Nescitis quia Templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis? Et iterum: Nescitis quia corpora vestra templum est in vobis Spiritus Sancti, quem habetis à Deo? Deus ergo habitat in templo suo: hoc est, in Sanctis suis fidelibus, in Ecclesia sua: per eos dimittit peccata, quia viva templa sunt. Sed qui dimittit per hominem, potest dimittere & præter hominem.* Lege ejusdem Sanctissimi Doctoris Homiliam 49. cap. 3.

Probatur nonò ex Sancto Joanne Chrysostomo, libro 3. de Sacerdotio, ubi cap. 6. de Sacerdotibus ait: *Neque enim solum cùm nos regenerant, sed postea etiam condonandorum nobis peccatorum facultatem obtinent.* Et rursus: *Corporis lepram purgare, seu veriùs dicam, haud purgare quidem, sed purgatos probare, Judæorum Sacerdotibus solis licebat....... At verò nostris Sacerdotibus, non corporis lepram, verùm animæ sordes, non dico purgatas probare, sed purgare prorsus concessum est.*

Et Homilia 57. de Pœnitentia. *Peccasti*, inquit, *Ecclesiam ingredere, atque tuum dele peccatum. Quoties cecideris in foro, toties exurgis: sic quoties peccaveris, peccati pœniteat, neque desperes. Tametsi secundò peccaveris, secundò pœniteat, neque animo consternatus, à spe repositorum bonorum cadas. Quamvis novissimo in vita die peccaveris, ingredere, pœnitentiam age: medicina locus est hic, non judicii; non pœnas exigens, sed peccatorum remissionem tribuens.*

Et Homilia 58. Postquam filii prodigi parabolam in pœnitentiæ exemplum protulit, hæc subjungit: *Hanc autem similitudinem in medium idcirco protuli, quo sciatis & peccatorum, quæ post Baptisma contrahuntur, remissionem esse, si attendamus: dico autem, non ut ad inertiam compellam, sed ut à desperatione revocem.*

Probatur 10. ex Sancto Cyrillo Alexandrino, lib. 12. Commentariorum in Evangelium Sancti Joannis, ad illa Christi verba, *Quorum remiseritis peccata*, &c. *Quonam igitur modo*, inquit, *aut qua ratione Servator dignationem quæ soli naturæ divinæ debetur, suis Discipulis attribuit? Sanè dici non potest perperam id Patrem egisse, quin potiùs perquàm rectè factum ab eo putandum est. Existimabat enim eos qui Divinum ac Dominicum jam in se ipsis Spiritum habebant, etiam remittendi peccata dominos esse debere, & ea retinendi quæ voluerint, Sancto Spiritu qui in iis inhabitat, remittente, vel retinente pro suo nutu, quamvis id per homines fortè fiat. Remittunt porrò peccata, vel retinent Spiritu afflati homines, duobus ut arbitror modis: vel enim dignos ad Baptismum vocant, vel prohibent, & à gratia divina arcent* A *eos qui nondum digni sunt; vel alio quodam modo peccata remittunt, ac retinent, nempe cum filios Ecclesiæ peccantes corripiunt, vel pœnitentibus ignoscunt.*

Lege etiam Theodoretum, lib. 5. Hæreticarum Fabularum cap. 28. & Sanctum Leonem Epistola 91. ad Theodorum Forojuliensem Episcopum, in qua sic habet: *Multiplex misericordia Dei ita lapsibus subvenit humanis, ut non solum per Baptismi gratiam, sed etiam per pœnitentiæ medicinam spes vitæ reparetur æternæ, ut qui regenerationis donum violarent, proprio se judicio condemnantes ad remissionem criminum pervenirent, sic divinæ bonitatis præsidiis* B *ordinatis, ut indulgentia Dei nisi supplicationibus Sacerdotum nequeat obtineri. Mediator enim Dei & hominum homo Christus Jesus hanc Præpositis Ecclesiæ tradidit potestatem, ut & confitentibus actionem Pœnitentiæ darent: & eosdem salubri satisfactione purgatos, ad Communionem Sacramentorum per januam reconciliationis admitterent.*

His addenda sunt Ecclesiæ auctoritas, quæ Novatianos, statim atque eruperunt, damnavit: & Conciliorum Decreta, quæ Pœnitentiam inter Sacramenta novæ Legis numerandam esse definiunt. Qua de re legendum est Eugenii IV. Decretum pro C Armenorum Instructione, & Tridentina Synodus Sessione 14. cap. 1. *Dominus autem*, inquit, *Sacramentum pœnitentiæ tunc præcipue instituit, cùm à mortuis excitatus, insufflavit in Discipulos suos, dicens: Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt. Quo tam insigni facto, & verbis tam perspicuis, potestatem remittendi & retinendi peccata, ad reconciliandos Fideles post Baptismum lapsos, Apostolis & eorum legitimis Successoribus fuisse communicatam, universorum Patrum consensus semper intellexit. Et Novatianos remittendi potestatem olim pertinaciter ne-* D *gantes, magna ratione Ecclesia Catholica tanquam hæreticos explosit, atque condemnavit. Quare verissimum hunc illorum verborum Domini sensum Sancta Synodus probans & recipiens, damnat eorum commentitias interpretationes, qui verba illa ad potestatem prædicandi Verbum Dei & Christi Evangelium annuntiandi, contra hujusmodi Sacramenti institutionem falsò detorquent.*

Et Canone 1. sic decernit: *Si quis dixerit, in Catholica Ecclesia Pœnitentiam non esse verè & propriè Sacramentum, pro Fidelibus, quoties post Baptismum* E *in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis, à Christo Domino nostro institutum, anathema sit.*

Et Canone 3. *Si quis dixerit, verba illa Domini Salvatoris, Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*, &c. *non esse intelligenda de potestate remittendi, & retinendi peccata in Sacramento Pœnitentiæ, sicut Ecclesia Catholica ab initio semper intellexit, detorserit autem contra institutionem hujus Sacramenti, ad auctoritatem prædicandi Evangelium, anathema sit.*

Objectio prima in gratiam Novatianorum petitur ex verbis Christi, Matthæi 12. *Omne peccatum & blasphemia remittetur hominibus, Spiritus autem* F *blasphemia non remittetur. Et quicumque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei: Qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei neque in hoc sæculo, neque in futuro.* Aliquod igitur peccatum irremissibile est, ad quod proinde condonandum Ecclesiæ Claves non extenduntur.

Respondeo primò, argumentum istud nihil concludere pro Novatianis. Non sequitur enim Ecclesiam peccata remittere non posse auctoritate à Christo sponso suo sibi demandata, etiamsi sit tamen aliquod singulare ita execrandum, ut veniam consequi nunquam possit illius reus. Unde SS. Patres qui Novatianorum hæresim impugnarunt, ipsis concedere

dere videntur crimen quoddam irremissibile esse.

Respondeo secundò, Peccatum in Spiritum Sanctum, blasphemiam scilicet qua manifesta Spiritus Sancti opera dæmoni tribuuntur, dici nunquam remitti, non quòd remitti non possit à Deo, & ab Ecclesia, neque quòd nusquam condonetur; sed quia remittitur difficiliùs; propterea quòd qui in Spiritum Sanctum peccant, majus apponant gratiæ impedimentum, nullamque habeant peccati excusationem. In aliis enim plerisque criminibus ignorantia, aut infirmitas culpam aliquatenus elevant. *Misericordiam consecutus sum*, inquit Apostolus, *quia ignorans feci in incredulitate*. Et, *Deus cognovit figmentum nostrum, recordatus est quoniam pulvis sumus* (inquit Regius Vates) At in peccato in Spiritum Sanctum, nihil ejusmodi reperitur, quod culpam elevare possit. Ita hunc locum explicat Sanctus Athanasius libro in illum Evangelii locum. *Qui vir fidelis est*, inquit, *& Apostolicus, cognoscens Domini in genus humanum dilectionem, cum videt ea quæ sunt deitatis signa, admiratione veneratur Dominum in corpore latentem. Rursus cum videt quæ sunt corporis propria, plusquam obstupescit, animadvertens in illis deitatis energiam. Istiusmodi cum sit Ecclesiastica fides: quidam humana ejus respicientes, videntesque ejus sitim, aut fatigationem, aut passionem, obtrectant Salvatori ut homini mero. Et magnopere quidem peccant, cum habeant pro excusatione imbecillitatem carnis. Cæterùm ubi quis deitatis opera intuens, incipit dubitare de Incarnatione Domini, & ille quidem maximè peccat, eo quòd cum videat eum comedentem, patientem, spectrum, inanemque apparitionem corporis ejus fuisse imaginatur. Verum & istiusmodi celeriter resipiscentibus veniam Christus donaverit, eò quòd & ipsi caussam erroris sui habeant ex magnitudine operum humanam naturam excellentium. At illi qui amborum istorum inscitiam cæcitatemque transcendunt, putantes se legis scientiam tenere, quales erant ejus temporis Pharisæi in insaniam versi, & Verbum quod in corpore est prorsus abnegant, & divinitatis opera diabolo ejusque dæmoniis imputant, meritò istius impietatis indeprecabilem pœnam luunt, cum & diabolum pro Deo accipiant, & verum certumque Deum nihil plusquam dæmonem operari credant. In istiusmodi impietatem delapsi erant ejus temporis Judæi, & inter Judæos Pharisæi.... Unde consequenter illos Salvator noster inevitabiliter blasphemare ostendit.*

Hanc autem fuisse Sancti Athanasii mentem, non verò quod penitus irremissibilis esset blasphemia in Spiritum Sanctum (ut ipsi affingit Morinus) constat rursus ex ipsius Libro de communi essentia Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, fol. 392. *Sunt*, inquit, *alii qui in Spiritum Sanctum impingunt, atque ita in Christi deitatem blasphemias dicunt, nimirum quod in Beelzebud Principe dæmoniorum ejiceret dæmonia. De istis intelligendum est quod ait: Non remittetur neque in præsenti sæculo, neque in futuro. Quin & hoc observandum est, non dixisse Christum, blasphemanti & pœnitentiam agenti remissionem dandam non esse, sed blasphemanti, & in blasphemia manenti. Quandoquidem nullum est peccatum irremissibile apud Deum, in illis qui verè, & ex animo, & ut par est, pœnitentiam agunt.*

Refellitur Morinus O[illegible] Patres nullum [illegible] à Deo & ab Ecclesia remitti non posse.

Non me latet Rivetum abjudicare istud Opus Sancto Athanasio; sed cùm non probet spurium esse, ipsum Patris Sanctissimi genuinum propugnamus: Ait multa in eo libro ad verbum transcripta ex Quæstionibus ad Antiochum, quas Sancti Athanasii non esse certum est. Verùm Auctorem Quæstionum illarum ex isto potiùs libro sua desumpsisse contendo, ut Athanasium mentiretur.

Eamdem solutionem suggerit Sanctus Pacianus Epistola 3. ad Sympronianum Novatianum. *Post hæc proponis*, inquit, *& dicis scriptum esse per Dominum, Omne peccatum & blasphemia remittetur hominibus. Qui autem in Spiritum Sanctum peccaverit, non dimittetur ei neque hic, neque in futuro. Aut ego fallor, aut istud exemplum contra te valet. Nam si omne peccatum & blasphemia relaxabitur, vides veniam pœnitentibus non negari. Ergo omne peccatum, ergo ipsa quoque blasphemia. Habes additum secundum Lucam: Et in Filium hominis peccaverit, remittetur ei. Quid hoc ampliùs, de clementia judicantis! . . . Sed qui in Spiritu Sancto blasphemaverit ait, non remittetur ei. Soles totas percurrere lectiones, cur hic non legisti, quid sit istud, in Spiritu? Habes supra scriptum, cum Dominus dæmonia verbo fugaret, & virtutes multas speciali vigore compleret, dixisse Pharisæos: Hic non expellit dæmonia nisi in Beelzebud Principe dæmoniorum. Hoc est in Spiritum Sanctum deliquisse, in ea blasphemasse, quæ per Spiritum Sanctum gerebantur. In cæteris quippe peccatis, aut errore labimur, aut metu frangimur, aut carnis infirmitate superamur. Hæc cæcitas est, non videre quod videat, & Sancti Spiritus opera diabolo deputare, eamque gloriam Domini, qua diabolus ipse superatur, diaboli appellare virtutem. Hoc est ergo quod non dimittetur: reliqua bonis pœnitentibus, Semproniane frater, donantur.* Ex quibus constat, Sanctum Pacianum non dixisse blasphemiam in Spiritum Sanctum non remitti, quod absolutè remitti non possit à Deo & ab Ecclesia; sed quòd excusationem non habeat quæ peccatum elevet, veniamque illius efficiat faciliorem; ut cætera peccata, quæ ex errore, aut metu, aut carnis infirmitate perpetrantur.

Montanus lib. [illegible] de Actibus [illegible] Sancti [illegible] Pœnit. cap. 5.

Illustratur eadem solutio ex Sancto Ambrosio libro 2. de Pœnitentia, cap. 4. *Perlatum est ad nos*, inquit, *etiam illud vos objicere solere, quòd dicatis scriptum esse: Omne peccatum & blasphemia remittetur hominibus, Spiritus autem blasphemia non remittetur, &c. Quo exemplo omnis assertio vestra destruitur, & absolvitur. Scriptum est enim: Omne peccatum & blasphemia remittetur hominibus: cur igitur non remittitis? Cur ligatis vincula, quæ non solvitis? Cur nodos nectitis quos non relaxatis? Remittite cæteris, & agnoscite iis quos peccantes in Spiritum Sanctum Evangelica auctoritate in perpetuum adstringi putatis, & tamen quos adstringat, consideremus . . . De iis utique expressum videmus, qui Dominum Jesum in Beelzebud ejicere dæmonia loquebantur, quibus sic respondit Dominus: Quod Satanæ hæreditas in iis esset, qui Satanæ compararent Salvatorem omnium, & in regno diaboli constituerent gratiam Christi. Et ut cognosceremus quia de hac dixit blasphemia, adjunxit: Progenies viperarum, quomodo potestis bona loqui, cùm sitis mali? Hos ergo qui hæc loquuntur, negat ad veniam pertinere. Denique Petrus Simoni, qui magicæ artis consuetudine depravatus, putasset quod gratiam Christi per impositionem manuum atque infusionem Spiritus Sancti compararet pecunia, ait: Non est tibi pars, neque sors in hac fide, quia cor tuum non est rectum apud Deum. Pœnitentiam itaque age ab hac nequitia tua, & precare Dominum, si fortè remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui. Vides quod hunc magica vanitate blasphemantem in Spiritum Sanctum Apostolica auctoritate condemnet, & eo magis quia puram conscientiam fidei non habebat: & tamen non interclusit ei spem veniæ, quem invitavit ad pœnitentiam. Responsum est igitur à Domino blasphemia Pharisæorum: & ideo his potestatis suæ gratiam negat, quæ in remissionem peccatorum est, qui cælestem ejus potestatem diabolico fultam suffragio vindicarent. Eos quoque asserit diabolico uti spiritu, qui separent Ecclesiam Dei; ut omnium temporum Hæreticos & Schismaticos comprehenderet, quibus indulgentiam negat*

*negat; quòd omne peccatum in singulos est, hoc in universos. Soli enim sunt qui volunt solvere gratiam Christi, qui Ecclesiæ membra discerpunt, propter quam passus est Dominus Jesus, Spiritusque Sanctus datus est nobis. Denique ut sciatis quia de dispersoribus dicit, sic habemus scriptum: Qui non est mecum, contra me est: & qui non colligit mecum, dispergit. Et ut sciremus de his dictum, statim subjunxit: Ideo dico vobis, Omne peccatum & blasphemia remittetur hominibus, Spiritus autem blasphemia non remittetur hominibus. Cum dicit, Ideo dico vobis: Nonne evidenter hos præ cæteris à nobis intelligi voluit?* Qui locus si à verbis subsequentibus avellatur, persuadere videtur Sanctum Ambrosium existimasse duo hæc crimina irremissibilia esse, nempe Pharisæorum qui diabolo Christum comparabant, & Schismaticorum qui Ecclesiam Christi discerpunt. Sed si verba sequentia expendantur, quæ Morinus non expendit, palam innotescet Sanctissimum Doctorem existimasse illa peccata vulgò non remitti, quia rarum est ut de iis agant pœnitentiam qui in illa sunt prolapsi, propter majus impedimentum quod gratiæ Christi apponunt; sed tamen absolutè remitti posse non solùm à Deo, verùm etiam ab Ecclesia. Statim namque subjungit Sanctus Ambrosius: *Et ideo revertimini ad Ecclesiam, si qui vos separastis impiè. Omnibus enim conversis pollicetur veniam, quia scriptum est: Omnis quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit. Denique etiam Judæorum populus qui dicebat de Domino Jesu: Dæmonium habet: in Beelzebud ejicit dæmonia; qui crucifixit Dominum Jesum, Petri prædicatione vocabatur ad Baptismum, ut sceleris tanti merita deponat.*

Laudatis Patribus concinit Sanctus Hieronymus in cap. 12. Sancti Matthæi, innuitque non remitti blasphemiam in Spiritum Sanctum, qua manifesta divinitatis opera diabolo tribuuntur, quia nihil est quod peccati gravitatem elevet. *Et quomodo*, inquit, *quidam nostrorum Episcopos neque Presbyteros post blasphemiam Spiritus Sancti in suum recipiunt gradum: cùm Salvator dicat, Omne peccatum & blasphemiam dimitti hominibus, qui autem in Spiritum Sanctum blasphemaverit, non dimitti ei, neque in præsenti tempore, neque in futuro? Nisi fortè illud de Marco Evangelista sumamus exemplum, qui causas tantæ iræ manifestius expressit dicens: Quia dicebant; Spiritum immundum habet. Ergo quicumque opera Salvatoris Beelzebud Principi dæmoniorum deputarit, & dixerit Filium Dei habere spiritum immundum, huic nullo tempore blasphemia remittetur. Vel ita locus iste intelligendus est: Qui verbum dixerit contra Filium hominis, scandalizatus carne mea, & me hominem tantum arbitrans, quòd filius sim fabri, & fratres habeam Jacobum & Joseph, & Judam, & homo vorator & vini potator sim, talis opinio atque blasphemia, quamquam culpâ non careat erroris, tamen habet veniam propter corporis vilitatem. Qui autem manifestè intelligens opera Dei, cùm Dei virtutem negare non possit, eadem stimulatus invidiâ calumniatur, & Christum denique Verbum, & opera Spiritus Sancti dicit esse Beelzebud, isti non dimittetur neque in præsenti sæculo, neque in futuro.*

Audiendus est hac de re & Sanctus Joannes Chrysostomus Homilia 42. in Matthæum, ubi eumdem locum exponens, hæc habet: *Spiritus*, *inquies, blasphemia non dimittetur Pœnitentibus? Quod omninò falsum esse patet. Nam & hoc peccatum dimissum scimus, cùm multis eorum qui talia in Spiritum dixerant, ignotum esse constet. Quid igitur est quod dicit? Significare voluit multò minùs cæteris hoc esse ignoscibile ac veniale. Quamnam ob rem? Quia videlicet quisnam esset Christus ignorabant. Spiritus autem Sancti gratia multis & magnis signis seipsam manifestaverat.*

Eodem sensu intelligendus est Sanctus Hilarius Capite 12. in Matthæum ita scribens: *Pharisæorum sententia, & eorum qui ita cum his sentiunt perversitatem severissima definitione condemnat, peccatorum omnium veniam promittens, & blasphemiæ Spiritus indulgentiam abnegans. Nam cùm cætera dicta, gestaque liberali venia relaxentur, caret misericordia si Deus negetur in Christo: & in quo sine venia peccatur, benevolentiam iterata admonitionis impendit. Omnino peccata cujusque generis remittenda, blasphemiam in Spiritum Sanctum non remittendam. Quid enim tam extra veniam est, quàm in Christo negare quòd Deus sit, & consistentem in eo paternæ Spiritus substantiam adimere?* Quæ Sancti Hilarii verba, etsi duriora prima fronte videantur, tamen peccatum illud blasphemiæ in Spiritum Sanctum nusquam remitti, aut absolutè irremissibile esse non significant, siquidem ibidem ait: *Sub secreto indulgentiæ Dei repositam esse veniam, qua omne peccatum sit remittendum.* Sed solùm innuunt, Judæos sic blasphemantes magis indignos fuisse venia, quàm Gentiles, apud quos Christus nec Evangelium suum prædicavit, nec ulla miracula edidit. Quod prolata comparatione Ninivitarum, & Reginæ Saba, quam Christus eodem in cap. 12. Matthæi urget, Sanctus Hilarius ostendit. *Cumulat igitur invidiam comparatio*, inquit, *& Judæos sine excusatione facit fides Gentium: ut cùm illic Prophetis, id est Jona, Salomonique crediderint, Christo isti non credant, Jona, Salomoneque potiori. Et idcirco in resurrectione eos judicabunt, quia in his repertus timor Dei fuerit, quibus Lex non erat prædicata: hoc magis indigni veniâ, quia ex Lege sunt infideles, quo plus fidei in eis qui Legem ignoraverunt, sit repertum.*

Denique Sanctus Augustinus peccatum in Spiritum Sanctum non esse irremissibile censet, nisi per accidens, quia nempe in eo peccator ad extremum usque spiritum perseverat, sive illud sit desperatio de misericordia Dei, vel durities cordis, qua homo recusat in unitate Corporis Christi remissionem accipere peccatorum; vel oppugnatio & invidia fraternæ charitatis. Id constat ex Epistola 50. ad Bonifacium, ubi contra Donatistas qui Christi verba de blasphemia in Spiritum Sanctum pravo sensu interpretabantur, ita scribit: *Intelligant ergo*, inquit, *non omnia, sed aliquod significatum esse peccatum in Spiritum Sanctum, quod omnino non remittetur. Sicut enim cùm dixisset, Si non venirem, peccatum non haberent: utique non omne peccatum intelligi voluit, quandoquidem pleni erant multis magnisque peccatis; sed aliquod proprium peccatum, quod si non haberent, possent illis omnia dimitti quæ habebant; id est, quod in eum venientem non crediderunt: hoc enim non haberent peccatum, si non venisset: sic etiam cùm dixit, Qui peccaverit in Spiritum Sanctum, vel, qui verbum dixerit adversus Spiritum Sanctum, non utique omne quod in Spiritum Sanctum peccatur, facto, sive dicto, sed aliquod certum & proprium intelligi voluit. Hoc est autem durities cordis usque ad finem hujus vitæ, qua homo recusat in unitate Corporis Christi quod vivificat Spiritus Sanctus, remissionem accipere peccatorum. Cùm enim dixisset Discipulis, Accipite Spiritum Sanctum: continuò subjecit, Si cui dimiseritis peccata, dimittentur ei: si cui tenueritis, tenebuntur. Huic ergo dono gratiæ Dei quicumque restiterit & repugnaverit, vel quoquo modo fuerit ab eo alienus usque in finem hujus temporalis vitæ, non remittetur ei neque in hoc sæculo, neque in futuro, hoc scilicet tam grande peccatum, ut eo teneantur cuncta peccata, quod non probatur ab aliquo esse commissum, nisi cùm de corpore exierit. Quamdiu verò hîc vivit, eum, sicut dicit Apostolus, patientia Dei ad pœnitentiam adducit. Sed si ipse perseverantissima iniquitate, sicut consequenter adjungit Apostolus, Secundùm*

*dum duritiam cordis sui, & cor impœnitens, thesaurizat sibi iram in die iræ & revelationis justi Judicii Dei, non remittetur ei neque in hoc sæculo, neque in futuro.*

Et in Enchiridio cap. 82. *Qui verò in Ecclesia remitti peccata non credens, contemnit tantam divini muneris largitatem, & in hac obstinatione mentis diem claudit extremum, reus est illo irremissibili peccato in Spiritum Sanctum, in quo Christus peccata dimittit.* Legendus est & liber primus de Sermone Domini in Monte, cap. 22.

Denique Sermone 11. de Verbis Domini, ubi hanc de irremissibili in Spiritum Sanctum blasphemia quæstionem datâ operâ expendit, postquam præmisit verba Christi de omni blasphemia intelligi non posse, *Ne Paganis, Judæis, Hæreticis, omnique hominum generi qui diversis erroribus & contradictionibus suis blasphemant in Spiritum Sanctum, spes remissionis, si se correxerint, auferatur:* subjungit cap. 12. hanc blasphemiam in Spiritum Sanctum, cui nunquam ignosci potest, secundùm Christi verba, esse impœnitentiam finalem. *Contra hoc donum*, inquit, *contra istam Dei gratiam loquitur cor impœnitens. Ipsa ergo impœnitentia est Spiritûs blasphemia; quæ non remittetur neque in hoc sæculo, neque in futuro... Hæc ergo impœnitentia (sic enim uno aliquo nomine possumus utcumque appellare & blasphemiam & verbum contra Spiritum Sanctum quod remissionem non habet in æternum)... Hæc omnino impœnitentia non habet remissionem, neque in hoc sæculo, neque in futuro: quia pœnitentia impetrat remissionem in hoc sæculo, quæ valeat in futuro. Sed ista impœnitentia, vel cor impœnitens, quandiu quisque in hac carne vivit, non potest judicari. De nullo enim desperandum est, quamdiu patientia Dei ad pœnitentiam adducit.* Post multa tandem sic concludit: *Unum ergo suffugium est, ne sit irremissibilis blasphemia, ut cor impœnitens caveatur: nec aliter pœnitentia prodesse credatur, nisi ut teneatur Ecclesia, ubi remissio peccatorum datur, & societas Spiritus in pacis vinculo custoditur.*

Contra. Blasphemia qua Dei opera diabolo tribuuntur, est blasphemia in Spiritum Sanctum: sed hæc est irremissibilis absolutè: igitur sola impœnitentia non est blasphemia irremissibilis.

S. Hieronymus blasphemiam in Spiritum Sanctû irremissibilem esse non censet.

Probatur minor ex Sancto Hieronymo, Epistola 149. ad Marcellam data, in qua exponit quodnam sit illud peccatum quod Christus dixit irremissibile; & probat contra Novatianos, Christi negationem tormentorum metu, non esse inexpiabile peccatum: *Unde*, inquit, *de toto ipsius Scripturæ ordine convincendus est, non iis irremissibilem dictam esse blasphemiam, qui tormentis compulsi, & variis eviscerati cruciatibus, Dominum denegassent; sed iis, qui cum in virtutibus videant opera Dei, calumniantur, & clamitant dæmonis esse virtutem, & omnia signa quæ facta sunt, non ad divinam magnificentiam, sed ad diabolum pertinere... Probet itaque Novatianus aliquem de iis qui sacrificare compulsi sunt ante tribunal Judicis, respondisse, omnia quæ in Evangelio scripta sunt, non à Filio Dei, sed à Beelzebud Principe dæmoniorum fuisse perfecta, & tunc poterit approbare irremissibilem in Spiritum Sanctum esse blasphemiam.*

Et infra: *Manifestum est peccatum in Spiritum Sanctum ideo non posse dimitti, quod habeat blasphemiam: ut cùm videas in virtutibus Deum, Beelzebud calumnieris in factis. Doceat igitur, aliquem negatorem Beelzebud vocasse Christum, & ultro referam gradum, negatorem non posse veniam consequi post ruinam: quia aliud est tormentis cedere, & se Christianum negare; aliud Christum diabolum dicere, sicut tibi ipsa Scriptura, atque contextus, lecta attentiùs poterunt demonstrare.* Ex quibus sic colligo. Statuit Sanctus Hieronymus blasphemiam in Spiritum Sanctum à se expositam, inexpiabilem esse, eo sensu, quo Novatianus contendebat negationem Christi, vi, aut metu tormentorum extortam, irremissibilem esse: atqui Novatianus contendebat negationem Christi esse penitus irremissibilem; non solùm quòd difficulter expiari posset: Sanctus igitur Hieronymus existimavit irremissibilem esse absolutè blasphemiam in Spiritum Sanctum, à se expositam.

Respondeo, distinguo majorem. Et Sanctus Hieronymus figurâ concessionis utitur, ut ostendat verba Christi de irremissibili blasphemia in Spiritum Sanctum Novatianis non favere, concedo; & id concedit absolutè, nego. Scilicet Novatiani peccata quælibet à Christianis post Baptismum commissa, inexpiabilia esse contendebant, maximè negationem Christi, & nominis Christiani, hoc freti argumento: Peccatum blasphemiæ in Spiritum Sanctum est irremissibile; sed negatio Christi nominisque Christiani, & Idololatria, est peccatum in Spiritum Sanctum; est itaque irremissibilis. Marcellæ piennissimæ & doctissimæ, necnon illustrissimæ fœminæ difficultatem facessebat istud argumentum, cui non poterat respondere. Quamobrem S. Hieronymum consuluit. Quid ad hæc S. Hieronymus? Negat primò Idololatriam, & negationem Christi, nominisque Christiani, esse blasphemiam in Spiritum Sanctum, quia sequeretur alioqui nullum esse discrimen inter blasphemiam, quæ dicitur in Filium hominis, & blasphemiam in Spiritum Sanctum. Qui autem Christum negat, dicit tantùm blasphemiam in Filium hominis: non dicit igitur blasphemiam in Spiritum Sanctum. Secundò, blasphemiam eorum qui Christum negant, remitti posse probat exemplo Sancti Petri, cui peccatum negationis dimissum est. Tandem semotâ illa difficultate (quam tunc se non posse expendere asserit, quia aliis curis ac studiis distinebatur) an blasphemia in Spiritum Sanctum sit absolutè irremissibilis? ait: Etiamsi illud Novatianis concederet, ipsos non evicisse quod contendebant: dato, inquam, & non concesso, quòd blasphemia in Spiritum Sanctum esset absolutè & naturâ suâ irremissibilis, negat sequi quòd omnia peccata mortalia baptizatorum irremissibilia essent, quia non sunt blasphemiæ in Spiritum Sanctum. Nam tunc solùm dicitur blasphemia in Spiritum Sanctum, cùm quis Christum in virtutibus, id est in miraculis videns, Beelzebud calumniatur in factis, id est, opera Dei refundit in diabolum, ut faciebant Judæi, dicentes: *In Beelzebud Principe dæmoniorum ejicis dæmonia.* Hæc constant ex totius Epistolæ contextu. Quòd autem non omnia scripserit ibi Sanctus Hieronymus quæ ad illius quæstionis solutionem erant necessaria, sed solùm quæ ad illud Novatianorum argumentum diluendum sufficiebant, constat ex fine ejusdem Epistolæ. *Fuerat quidem prolixius disserendum*, inquit, *sed quoniam amicis, & qui ad nostrum hospitiolum convenerunt, præsentiam nostram negare non possumus; & tibi non statim respondere, visum est arrogantis: latam disputationem brevi sermone comprehendimus.*

Origenes baptizatorum crimina, absolute irremissibilia non fecit.

Contra. Blasphemia in Spiritum Sanctum, quæ non remittetur neque in hoc sæculo, neque in futuro, est quodcumque mortale peccatum à baptizatis admissum: ergo nullum crimen baptizatorum, pœnitentiâ expiari potest.

Probatur antecedens auctoritate Origenis, & Theognosti, quos laudat Sanctus Athanasius libro in illud Evangelii: *Quicumque dixerit verbum in Filium Hominis*, &c. his verbis: *Prisci igitur homines, inter quos & Origenes, vir multarum Disciplinarum, & multùm industrius, & Theognostus ille admirandus*

*mirandus & perquam studiosus, tradunt nobis hanc esse blasphemiam in Spiritum Sanctum, cùm qui dignati sunt per Baptisma donis Spiritus Sancti, recurrunt ad peccata, atque inde esse quod remissionem non consequantur.*

Ratio autem Origenis à Sancto Athanasio ibidem laudata, ita se habet: *Deus Pater in omnia penetrat, & omnia continet, animata, inanimata, rationalia, irrationalia. Filii autem potestas in sola rationalia sese extendit, quatenus sunt: inter quæ rationalia, Ethnici sunt, qui blasphemant, nondum receptâ fide. Spiritus autem Sanctus in eos solos sese explicat, qui sui participes facti sunt, baptismatis gratiâ. Cum igitur blasphemiis Ethnici peccant; in Filium peccant, quoniam ille in illis est. Possunt tamen veniam consequi. Cum vero baptizati, in quos collatum est donum regenerationis, peccant, istiusmodi iniquitatem in Spiritum Sanctum sese extendere ait; quoniam cum Spiritu Sancto continerentur, delictum faciunt, ac proinde incondonabilem esse illorum culpam.*

Theognostum autem hanc rationem addere testatur ibidem Sanctus Athanasius: *Qui primos & secundos fines transgressus est, minori pœna dignus videri possit: qui autem tertios fines contempserit, venia excluditur.* Notat porro Sanctus Athanasius, Theognostum existimare, *Tunc primos & secundos fines transmitti, cùm quis contra Patrem & Filium loquitur.* Fines autem tertios ipsum *constituere in initiatione per baptisma, & in Spiritus Sancti participatione, & id confirmare per illud Salvatoris ad Apostolos dictum: Adhuc multa habeo vobis dicere, sed nondum recipere potestis: cùm autem venerit Spiritus Sanctus, docebit vos omnia.* Post quæ verba Theognostus, referente Sancto Athanasio, hæc subjungit: *Non propter excellentiam Spiritus præ Filio, inexpiabilis, & citra veniam est blasphemia in Spiritum: sed quia in non initiatis venia locum habet. In iis verò qui gustaverunt celeste donum, & initiati sunt, nulla ad veniam relinquitur excusatio, aut supplicii deprecatio.* Ex quibus constat, blasphemiam in Spiritum Sanctum, quæ non remittitur neque in hoc sæculo, neque in futuro, esse quodvis mortale peccatum à baptizatis admissum.

Respondeo, Origenem, & Theognostum, irremissibilia dixisse crimina baptizatorum, non absolutè, sed comparatè ad peccata Ethnicorum, & hic fortè occultior ille sensus est, quem in eorum verbis quærendum Sanctus Athanasius ait. *Arbitror*, inquit, *utriusque sententiam, nonnulla adhuc inquisitione & observatione indigere, num occultior sit aliquis & profundior in eorum verbis intellectus.* Et certè Origenem in ea non fuisse sententia, quòd peccata post Baptismum commissa irremissibilia essent, constat ex innumeris locis, quibus Fideles ad pœnitentiam & confessionem peccatorum adhortatur. Sed ad id evincendum insignis est locus ex libro 3. contra Celsum. *Jam erga peccantes*, inquit, *quàm severa est Disciplina, præcipuè contaminatos libidine, quos è sua Republica ejiciunt nostri, quantumvis Celsus eos nugacibus circulatoribus similes faciat, & Pythagoreorum quidem veneranda Schola ponebat Cenotaphia Disciplinæ suæ desertoribus, nimirum quòd haberet eos pro mortuis: hi verò ut perditos Deòque mortuos lugent eos, qui libidine, aliove simili malo victi fuerint: ac rursum resipiscentes, haud secus quàm redivivos recipiunt tandem, post longiorem melioris mentis approbationem, quàm cum primum ad religionem discendam admitterentur, ea tamen conditione, ut quoniam lapsi sunt, excludantur in posterum ab omnibus Dignitatibus & Magistratibus Ecclesiasticis.*

Et infra, Celso objicienti Christianis, quòd sentirent, hominem injustum, si se propter miseriam suam humiliaverit, à Deo recipi, respondet: *Neque de injusto docemus, sufficere ad hoc ut à Deo recipiatur, si agnoscat suam miseriam: sed qui damnatâ præterita sua vita, convertat se ad meliorem frugem, eum à Deo recipi.* Deinde Celso objicienti rursus Christianis, quòd Deum non tam veritate moveri quàm adulationibus putarent; cùm homines qui rectè præsident judicio, vetent reos uti coram se lamentis & deplorationibus, ne ex affectu magis, quàm juxta veritatis normam judicent, respondet: *An tibi videtur adulatio querula, si peccator illis divinæ Scripturæ precationibus utatur Deum alloquens: Peccatum meum fateor, & iniquitatem meam non celo: dixi, Confitebor contra me iniquitatem meam Domino, & quæ deinceps sequuntur: nunquam certè argumentis evincis, Deum non posse flecti talibus peccatoris ei se submittentis precibus.*

Denique eodem in libro, neminem malum, nisi ad virtutem conversum, docet à Deo sublevari: *Sed qui peccata sua damnant toto pectore*, inquit, *seque ipsos deflent ac lugent, tanquam ob malefacta meritò perditos, ac mox mutationem præ se ferunt, quæ resipiscentes deceat, eis demum, propter mutatam in melius mentem, condonat errata præterita; eam præteritorum oblivionem impetrante virtute, quæ in locum profligatorum ex anima vitiorum successit.* Hæc autem omnia evidenter ostendunt, Origenem existimasse, peccata post Baptismum admissa, à Deo, & ab Ecclesia remitti.

Sed quicquid ea de re senserint Origenes, & Theognostus, ante ortum Novatianæ hæreseos duriùs locuti, falsa est illa sententia, quæ ipsis tribuitur: falsum, inquam, est blasphemiam in Spiritum Sanctum quæ non remittitur, esse quodlibet peccatum à baptizatis commissum, ut multis rationibus probat Sanctus Athanasius in libro superiùs laudato. Primò, quia Sancta Trinitas indivisa est, unde sequitur, *Ut necessariò is qui peccat in Filium & blasphemat, peccet in Patrem, & in Spiritum Sanctum.* Secundò, quia in Patre & Filio, & Spiritu Sancto baptisma tribuitur, unde necessum rursus est, *Eos qui post Baptisma prævaricantur, in Sanctam & indivisam Trinitatem blasphemiam facere.* Tertiò, quia hæc verba Christi, *Quicumque dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro*, non sunt dicta de baptizatis, sed de Pharisæis: unde *Non poterit hoc dictum pertinere ad eos qui post baptisma prævaricantur: & præsertim quia eos, non in genere de peccatis, sed de blasphemia increpabat. In quibus hoc differentia est, quòd qui peccat, legem transgreditur; qui blasphemat, contra ipsam deitatem impiè agit* (inquit Sanctus Athanasius.) Quartò, si de iis qui post Baptismum peccant, id dictum est, *Cur apud Corinthios pœnitenti Communionem restituit Paulus?* (inquit idem Sanctissimus Antistes.) *Et cur Galatas retrorsum abeuntes parturiit, donec iterum formaretur in illis Christus? Cùm in hoc vocabulo, iterum, deprehendere liceat etiam primam eorum in Spiritu Sancto initiationem.... Aut quid est quod Novato succenseamus tollenti pœnitentiam, dicentique, nullam eos veniam obtinere, qui post lavacrum peccant?*

Objectio secunda petitur ex Apostolo ad Hebræos, cap. 6. dicente: *Impossibile est eos qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum cœleste, & participes facti sunt Spiritus Sancti, gustaverunt nihilominus bonum Dei verbum, virtutesque sæculi venturi, & prolapsi sunt; rursus renovari ad pœnitentiam, rursum crucifigentes sibimetipsis Filium Dei, & ostentui habentes.* Impossibile est igitur baptizatis peccata post Baptismum admissa dimitti per pœnitentiam.

Respondeo distinguo propositionem Apostoli: Impossibile est rursus renovari ad pœnitentiam, id est,

est, recuperare baptismatis gratiam, quatenùs gratia regenerationis & renovationis est, concedo, id est, obtinere veniam peccatorum per pœnitentiam, & justificari per gratiam sanationis & reconciliationis, nego. Baptismi itaque iterationem excludit tantùm illa Apostoli sententia, non pœnitentiam; quod ex contextu totius loci perspicuum est. Negat enim Apostolus se rursus jacturum fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis, quia fieri non potest, ut semel baptizati, iterum per pœnitentiam renoventur. Cum igitur priori loco pœnitentiam intellexerit cum Baptismo conjunctam, sive ad Baptismum præparatoriam, ut constat ex illis verbis, *Non rursum jacientes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis, & fidei ad Deum, baptismatum doctrinæ, impositionis quoque manuum, ac resurrectionis mortuorum, & judicii æterni*: Eandem secundo loco intellexit. Idem colligitur ex his verbis, *Qui semel sunt illuminati, rursus renovari*. Quæ ostendunt, totam sententiam ad Baptismum referri, qui Sacramentum Illuminationis, & Renovationis à Patribus priorum sæculorum vocabatur, ut constat ex Sancto Gregorio Nazianzeno Oratione in sancta Lumina, & ex aliis antiquioribus. Idem ostendunt illa verba: *Rursum crucifigentes sibimet ipsis Filium Dei*. Nam in Baptismo configuramur Christo crucifixo, unde sicut Christus non potest iterùm crucifigi: ita Baptismus non potest repeti: quod si quis tentaverit, is Filium Dei iterum crucifigit sibi ipsi, id est, ad suam renovationem, quam ex altero Baptismo sperat.

Ita hunc locum Apostoli exponit Sanctus Ambrosius lib. 2. de Pœnitentia cap. 2. *De Baptismate autem dictum*, inquit, *verba ipsa declarant, quibus significavit, impossibile esse lapsos renovari ad pœnitentiam. Per lavacrum enim renovamur, per quod renascimur, sicut ipse Paulus dicit: Consepulti enim sumus cum illo per Baptismum in mortem, ut quemadmodum surrexit Christus ex mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus. Unum ergo Baptisma docet, sicut alibi: Una fides, unum Baptisma* (inquit.) *Illud quoque evidens, quòd in eo qui baptizatur, crucifigitur Filius Dei: quia non potuit caro nostra abolere peccatum, nisi crucifixa esset in Christo Jesu. Denique scriptum est: Quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in mortem ipsius baptizati sumus*, &c. *Ergo quod ait in hac Epistola quæ scribitur ad Hebræos: Impossibile esse lapsos renovari in pœnitentiam, ac rursus crucifigentes Filium Dei, & ostentatione triumphantes; eò spectat, ut de Baptismo dictum credamus, in quo crucifigimus Filium in nobis, ut per illum nobis mundus crucifigatur: quia quadam triumphamus specie, dum similitudinem mortis ejus assumimus, qui principatus & potestates in sua cruce ostentavit, ac triumphavit, ut in mortis ejus similitudine, nos quoque de Principatibus, quorum jugum deponimus, triumphemus. Semel autem crucifixus est Christus, semel mortuus: & ideo unum, non plura Baptismata.*

Eodem modo locum illum interpretatur Sanctus Augustinus in Expositione inchoata Epistolæ ad Romanos, ubi sic ait: *Eos qui jam baptizati fuerint, curari meliùs dicimus per pœnitentiam, non renovari: quia renovatio in Baptismo est. Ubi quidem operatur pœnitentia, sed tanquam in fundamento. Manente itaque fundamento, recurari ædificium potest: si autem fundamentum iterare quis voluerit, totum ædificium subvertas necesse est. Propterea hoc dicit Hebræis, qui ex novo testamento ad Sacerdotium vetus declinasse videbantur: Ideoque remittentes*, inquit, *initio Christi verbum, in consummationem respiciamus, non iterum jacientes fundamentum pœnitentiæ à mortuis operibus, & fidei in Deum, lavacri doctrinæ, impositionis manus, resurrectionis* A *etiam mortuorum, & judicii æterni. Ista omnia in Baptismo traduntur, quæ negas esse repetenda, nisi que in consecrandis Fidelibus.* Legatur & Sanctus Joannes Damascenus, libro 4. de Fide Orthodoxa, cap. 10.

Contra. Sanctus Paulus cap. 10. Epistolæ ad Hebræos, nullam superesse hostiam asserit ad expianda illorum peccata, qui post Baptismum peccaverunt: *Voluntariè enim peccantibus nobis*, inquit, *post acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hostia; terribilis autem quædam expectatio judicii, & ignis æmulatio, quæ consumptura est* B *adversarios*. Igitur peccata post Baptismum commissa remitti non possunt.

Respondeo primò, in illa Apostoli sententia, nomine hostiæ, Baptismum intelligi, aut potiùs passionem & mortem Christi, quatenùs in Baptismo operantur: unde sensus illius est, in Ecclesia non esse locum secundo Baptismati, quo iterum, sicut priùs à peccatis abluamur. *Secundum aufert lavacrum* (inquit Sanctus Chrysostomus.) *Non enim dixit, Non est amplius pœnitentia, neque est amplius remissio. sed, Non est amplius hostia, hoc est, non est amplius crux secunda. Hoc enim* C *vocat hostiam.*

Ita etiam hunc locum exponit Sanctus Augustinus in Expositione inchoata Epistolæ ad Romanos ita scribens: *Nam & illud ad Hebræos qui diligentiùs pertractant, sic intelligunt, ut non de Sacrificio contribulatò per pœnitentiam cordis accipiendum sit, quod dictum est, Non adhuc pro peccatis relinquitur Sacrificium: sed de Sacrificio, de quo nunc loquebatur Apostolus, id est holocausto Dominicæ Passionis, quod eo tempore offert quisque pro peccatis suis, quo ejusdem Passionis fide dedicatur, & Christianorum fidelium nomine, baptizatus imbuitur: ut hoc significaret Aposto-* D *lus, non posse deinceps eum qui peccaverit, iterum baptizando purgari. Quo intellectu non intercluditur pœnitendi locus, ita sanè ut eos qui nondum baptizati sunt, nondum plenam scientiam veritatis accepisse fateamur. Ex quo conficitur, ut omnis qui scientiam veritatis accepit, etiam baptizatus intelligatur. Non autem omnis baptizatus, etiam scientiam veritatis accepit, propter quorumdam posteriorum profectum, vel miserabilem negligentiam: & tamen illud Sacrificium de quo loquebatur, id est, holocaustum Domini, quod tunc pro unoquoque offertur quodammodo, cùm ejus nomine in baptizando signatur, iterum si peccaverit, offerri non potest. Non enim possunt denuo baptizari, qui semel baptizati sunt, quamvis etiam post Baptismum* E *per ignorantiam veritatis peccaverint.*

Respondeo secundò, Hæc verba Apostoli de quocumque peccato lethali non esse accipienda, sed de peccato Apostasiæ, quia fides & religio Christiana semel susceptæ prorsus abjiciuntur. Eum esse Apostoli sensum patet, tum ex verbis antecedentibus, *Non deserentes collectionem nostram*, tum ex consequentibus, *post acceptam notitiam veritatis*. Loquitur autem Scriptura de hujusmodi peccato, velut de lapsu irreparabili; non quòd verè Pœnitenti non pateat locus veniæ per Sanguinem Christi; sed quia qui hoc peccati genere labuntur, vix unquam F ad pœnitentiam flecti solent, eo quòd ex certa malitia & in Spiritum Sanctum peccent. Nomine autem hostiæ, ibi intelligitur mors Christi, quasi dicat Apostolus: Cùm hostiam, id est, Christi mortem semel pro peccatis suis oblatam, inutilem sibi Apostasiâ suâ reddiderint; non est quòd expectent iteratam ejusdem hostiæ oblationem, id est, ut iterum pro ipsis crucifigatur Filius Dei: quòd lapsus eorum gravitas, si reparandus sit, exposcere videretur.

Objectio tertia petitur ex illis verbis 1. Regum cap. 2. *Si peccaverit vir in virum, placari ei potest*

*Deus : si autem in Dominum peccaverit vir, quis orabit pro eo?* Et ex illis 1. Joannis 5. *Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petat, & dabitur ei vita peccanti non ad mortem. Est peccatum ad mortem : non pro illo dico ut roget quis.* Sed peccata pro quorum remissione Deus orare prohibet, sunt irremissibilia : igitur quævis peccata mortalia, sed ea potissimùm quæ in Deum committuntur, irremissibilia sunt.

Respondeo, pro remissione criminum in Deum commissorum, vel pro peccatis ad mortem, non sufficere quidem vulgares orationes, sed necessarias esse orationes Sacerdotum, & ut singularis eximiique meriti ac sanctitatis viri veniam pro iis flagitent; ut denique Ecclesia hujusmodi peccatoribus veniam suis precibus obtineat; & hunc esse istorum locorum sensum : non autem quòd pro illorum criminum venia Deus nullomodo sit orandus. Audire præstat Sanctum Ambrosium lib. 1. de Pœnitentia, cap. 8. ubi Novatianis illa testimonia Scripturæ objicientibus sic respondet : *Non scriptum est : Nullus orabit pro eo, sed, Quis orabit pro eo? Hoc est, Quis ille sit, qui in tali caussa orare possit, quæritur, non excluditur. Denique habes in Psalmo 14. Domine! quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo? Non enim nullus, sed probatus habitabit : nec hoc dicit; quòd nemo requiescat, sed requiescat electus, ut scias hoc esse verum quod non multo post in Psalmo 23. ait : Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto ejus? Et ut scias quia cùm dicitur, Quis? non intelligitur nullus, sed aliquis significatur. cùm dixisset, Quis ascendet in montem Domini? subjecit, Innocens manibus & mundo corde,&c. Et alibi Deus,Quis sapiens,& intelliget hæc? Numquid dicit, quia nullus intelliget? Et in Evangelio; Quis fidelis dispensator & prudens?* &c. *Et ut comprehendas, quia de eo dixit, qui utique est, non de eo qui non est, subjunxit : Beatus ille servus, quem cùm venerit Dominus, invenerit sic facientem. Et illud ita opinor dictum, Quis similis tibi? Non utique nullus, quia imago Patris Filius est. Similiter igitur accipiendum : Quis orabit pro eo? Hoc est, singularis vitæ aliquis debet orare pro eo qui peccavit in Dominum, quia quò major culpa, eò majora quærenda sunt suffragia. Non enim quicumque de vulgo, pro Judæorum populo, sed Moyses rogavit, quando vituli caput fidei immemores adoraverunt. Numquid erravit Moyses? At certè, quia non erravit, quod rogavit, & meruit, & impetravit. Quid enim talis affectus non impetraret, quando se objecit pro populo dicens : Et nunc si dimittis illis peccatum, dimitte; sin autem, dele me de libro vitæ? Vides quia non tamquam deliciosus intercessor, & fastidii plenus sibi consulat, ne offensionem contrahat : quod Novatianus metuens se dicit : sed magis omnium memor, sui immemor, offendere non timebat ipse, ut plebem offensionis periculo liberaret. Meritò ergo scriptum est, Quis orabit pro eo? Hoc est, talis qualis Moyses, talis qualis Jeremias,* &c.

Eodem sensu intelligenda esse monet illa verba 1. Joannis 5. *Est peccatum ad mortem, non dico pro illo ut oret quis. Ast enim, non ad Moysem & Jeremiam loquebatur, sed ad populum, qui suorum peccatorum alium precatorem deberet adhibere, cui satis est si pro levioribus delictis Deum precetur, graviorum veniam Justorum Orationibus reservandam putet. Nam quomodo Joannes diceret non orandum pro delicto graviore, qui legisset Moysem rogasse & impetrasse, ubi erat prævaricatio voluntaria, qui sciret etiam Jeremiam rogasse?* &c. Atque ut ostendat non eum esse Dilecti Discipuli sensum, quem ipsi Novatiani affingebant, expendit illud ex ejus Evangelio : *Sic dilexit Deus mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. SIQUEM ergo lapsum revocare cupias,* inquit, *ut credat, an ut non credat, hortaris? Utique ut credat. Sed qui credit, juxta Domini sententiam, habebit vitam æternam. Quomodo ergo prohibebis orare pro eo cui debetur vita æterna? Qui fidem habet, habet vitam. Qui vitam habet, non est utique exclusurà venia. Ut omnis qui credit in ipsum, non pereat. Cum omnis dicitur, nullus excluditur. Non enim excipit eum qui lapsus est, si tamen postea bene credat.*

Respondeo secundò, Peccatum ad mortem dici illud, cujus remissionem reus ipse, ea qua par est humilitate, numquam deprecatur. Pro eo autem frustra quis oraret, quia obduratio & impœnitentia peccatoris irritas reddit piorum pro illius conversione preces. Hinc Sanctus Augustinus lib. 1. de Sermone Domini in Monte cap. 22. in exemplum peccati ad mortem, & peccati non ad mortem, profert peccatum Judæ, & Sancti Petri, & ita hanc Sancti Joannis sententiam exponit : *Ista differentia peccatorum, Judam tradentem a Petro negante distinguit : non quia pœnitenti, vel petenti non sit ignoscendum, ne contra illam sententiam Domini veniamus, quâ præcepit semper ignoscendum esse fratri petenti, ut sibi frater ignoscat : sed quia illius peccati tanta labes est, ut deprecandi humilitatem subire non possit, etiamsi peccatum suum mala conscientia & agnoscere & annuntiare cogatur. Cùm enim dixisset Judas, Peccavi quod tradiderim sanguinem justum : facilius tamen desperatione cucurrit ad laqueum, quàm humilitate veniam deprecatus est. Quapropter multùm interest, quali pœnitentia ignoscat Deus. Multi enim multo citius se fatentur peccasse, usque ita sibi succensent, ut vehementer se peccasse nollent : sed tamen animam ad humiliandum & obterendum cor, implorandamque veniam non deponunt. Quam mentis affectionem, propter peccati magnitudinem, jam de damnatione illos habere credendum est.*

Respondeo tertiò (quòd in eamdem solutionem recidit) illa Scripturæ Sacræ testimonia, *Ad peccata manentia pertinere, non ad eos qui aliquando peccaverint, & cœperint pœnitere, antequam quisquam pro illis roget.* Verba sunt Sancti Paciani Epistola 3. ad Sympronianum Novatianum.

Objectio quarta petitur ex Clemente Romano, libro 2. Constitutionum Apostolicarum cap. 23. dicente : *Si quis ex acie delinquat, tentans Deum, quasi non insequatur pœnis improbos, is veniam non impetrabit, quamvis illud secum dicat, Bene mihi vertat Deus, quoniam ambulabo in conversatione cordis mei,* &c. Est igitur aliquod peccatum irremissibile.

Respondeo, Constitutiones Apostolicas, nec Apostolorum esse, nec Clementis Romani, ut Tom. 2 probatum est. Sed cujuscumque sint, nego quòd earum Auctor peccatum aliquod irremissibile absolutè & ex genere suo agnoverit. Neque verba in argumento allata id probant, sed solùm illum qui ad finem usque vitæ tam pravè affectus est, ut Dei Judicium rideat, veniam non impetraturum. Sic illa verba intelligenda esse constat ex doctrina ejusdem Auctoris cap. 24. ejusdem libri, ubi iis irascitur vehementer, qui pœnitentiam peccantibus denegant. *Episcopus,* inquit, *conservet sanos pro viribus, ut qui non deliquerunt, extra peccatum maneant. & qui deliquerunt, à delictis reversos recipiat, medicinam adhibendo. Quòd si pœnitentiam crudelis non admiserit, peccabit in Dominum Deum suum, justificans seipsum supra illius justitiam, & non recipiens hominem, quem Deus per Christum recipit ... Hunc provocant ad iram, qui non recipiunt pœnitentes.*

Objectio quinta eruitur ex Sancto Cypriano, libro de Lapsis, dicente, Moysem & Danielem, &

Job

Job oraſſe pro peccatoribus, nec impetraſſe, dicente Domino: *Et ſi tres in medio eorum fuerint, Noe, Job & Daniel, non liberabunt filios, neque filias, ſed ipſi ſoli ſalvi erunt.* Orationes igitur Sanctorum, veniam Peccatoribus non impetrant, adeoque ipſorum peccata ſunt irremiſſibilia.

Reſpondeo, Novatianos illo Sancti Cypriani teſtimonio abuſos fuiſſe, illiuſque verba pravum in ſenſum detorſiſſe, ut oſtendit Sanctus Pacianus Epiſtola 3. ad Sympronianum. *Ille enim cùm Lapſos ad pœnitentiam cogeret, qui pœnitere nolebant, dicentes, à Confeſſoribus, ſive Martyribus accepiſſe ſe pacem, docuit, & oſtendit, quòd nec Patriarchæ illi pro non pœnitentibus impetrarint. Etenim quis liberare poſſit invitum? Quis pro ſuperbis humiliari, quis pro non pœnitentibus impetrare? Quod utique cùm diceret, ad pœnitentiæ cogebat remedia. Nec contra ſe locutus eſt aliquid vir illius gravitatis & meriti, ſed fundendas à peccatoribus preces docuit, & exomologeſim diligendam.* Id ex ipſis exemplis, quibus Sanctus Cyprianus uſus eſt, Pacianus probat. *Non vides Moyſen*, inquit, *pro quibus non impetraverit? Reverſus ad populum, quid audis in caſtris? Voces ebriorum, & cantus Idolothyti perſonabant. Adhuc perſeverabat in nequitia populus, adhuc in ipſo crimine permanebat, ac pœnitere non noverat. Attamen quis ſibi noſtrûm dixit, quòd Moyſes non impetr... Dixerat quidem illi Deus, Deliquit ante me, ...ebo eum de libro. Dixerat tamen auctoritate Judicis, & Domini poteſtate; ſed vide quàm citò reflexerit ſententiam adversùs populi malitiam irrogatam. Auſculta. Propheta ſtatim ibidem: Et precatus eſt*, inquit, *Moyſes in conſpectu Domini Dei ſui? Quare Domine iraſceris ita in populum tuum? . . . Et propitius factus eſt Dominus de malignitate quam dixerat facere populo ſuo. Vides lenitam ipſam iram Dei? Vides offenſam eſſe placatam! Sed Noe*, inquis, *& Daniel & Job, filios & filias liberare non potuerunt. Et hoc tale eſt: ſi pro non rogantibus petant: ſi pro perſeverante in crimine deprecentur: ſi non ſingulos, ſi non paucos, ſed millia multa defendant. Caterùm Noë domum ſuam à ruina publica liberavit: & Job recepit cuncta quæ perdidit: & Daniel inſtantem illum Sapientibus Babyloniæ gladium, oratione decuſſit. Loth certè pro ſalute oppidi, Paulus pro vectoribus navis orat. Sic abſolvuntur à Juſtis, qui pœnitere noverunt. Poſtremò vel illud aſpicito quod ſcriptum ait: Ipſi ſoli ſalvi erunt. Quis illi? Ipſi utique qui pro peccatoribus deprecantur, impiæ pro talibus poſtulabunt. Et cur Eccleſiam damnas? Cur pro pœnitentibus prohibes deprecari, ſi etiam pro his petere licet, pro quibus non licet impetrare? Lege igitur diligentiùs Cyprianum meum. Lege totam de Lapſis Epiſtolam: Lege aliam quam ad Antonianum dedit, ubi exemplis omnibus Novatianus urgetur, jam ſcies quid de Pœnitentium curatione pronuntiet:* Hæc Sanctus Pacianus.

Objectionem ſextam Sanctus Ambroſius ſubminiſtrat, libro ad Virginem lapſam cap. 8. ubi ſic eam alloquitur. *Inhære pœnitentiæ uſque ad extremum vitæ, nec tibi præſumas ab humano die poſſe veniam dari, quia decipit te, qui hoc tibi polliceri voluerit. Quæ enim propriè in Dominum peccaſti, ab illo ſolo te convenit in die Judicii expectare remedium.* In Dominum peccaſſe dicit Virginem illam Sanctus Ambroſius, quia fidem Chriſto datam de virginitate perpetuò ſervanda violaverat. Ejus autem peccatum à ſolo Deo remitti poſſe, non ab Eccleſia aſſerit.

Reſpondeo, Sanctum Ambroſium contendere dumtaxat infelicem illam Virginem ſecuram eſſe non debere de ſui remiſſione peccati, pro quo pœnitentiam agere debet ad finem uſque vitæ: nam peccata graviſſima ſtupri, & interempti fœtus, perpetuâ pœnitentiâ expianda erant: ſed non negat Sanctus Ambroſius, quin veniam obtinere poſſet, nedum à Deo, ſed etiam ab Eccleſia, cum pœnitentiam peregerit, ad quam illam his verbis adhortatur: *Cum fide conceperis prævaricatricem animam gehennæ ignibus tradi, nec aliud remedium conſtitutum eſſe poſt Baptiſmum, quàm pœnitentiæ ſolatium, quantamvis afflictionem, quantumvis laborem ſubire eſto contenta; dummodo ab æternis pœnis libereris. Ergo hæc tu tecum cogitans, & mente retractans, proprii facti tu ipſa Judex eſto crudelior. In primis omnis cura vitæ hujus intermittenda tibi eſt, & quaſi mortuam te exiſtimans, ſicut es, quomodo poſſis reviviſcere, cogita, &c. Talis vita, talis actio pœnitentiæ, ſi fuerit perſeverans, audebit ſperare, etſi non gloriam, certè pœnæ evacuationem.* Atqui fruſtra S. Ambroſius Virginem lapſam ad pœnitentiam adhortatus fuiſſet, ſi abſolutionem ac veniam conſequi illam non poſſe ab Eccleſia exiſtimaſſet. *Nemo enim poteſt bene agere pœnitentiam, niſi qui ſperaverit indulgentiam*, ut ipſe ait libro 1. de Pœnitentia cap. 1. ubi & duritiem Novatianorum redarguit, qui pœnitentiam indicebant, quam non relaxarent, cùm veniam negando, incentivum auferrent pœnitentiæ. Igitur Sanctus Ambroſius Virginis lapſæ crimen ab Eccleſia remitti poſſe non negavit. Verùm quid in exponendo Ambroſio immorari opus eſt, cùm in libris de Pœnitentia, adversùs Novatianos probet, nullum eſſe peccatum, quod remitti pœnitentibus non poſſit ab Eccleſia? Notanda ſunt hæc verba capitis primi: *Sed negant his oportere reddi Communionem, qui prævaricatione lapſi ſunt. Si unum tantum crimen exciperent ſacrilegii, cui veniam negarent: durè quidem, ſed divinis tantùm redargui viderentur ſententiis, aſſertionibus tamen ſuis convenirent. Dominus enim crimen nullum excepit, qui peccata donavit omnia.*

## SCHOLION.

In hac Diſſertatione, & ad pag. 723. Editionis primæ; Religioſi Cenſores hanc Propoſitionem notant: *Sancti Patres concedere videntur aliquod crimen irremiſſibile.*

R. Nullum crimen eſſe irremiſſibile contra Novatianos oſtendi, Patres reverà nullum agnoviſſe quod à Deo & ab Eccleſia remitti non poſſit, quantumvis aliquorum verba ſpecie tenus id præſeferre videantur: *Morinum* conſuluit aſſerentem *Antiquos Patres Pleroſque crimen unicum adeo execrabile judicaſſe, ut illius Reis veniam neque ab Eccleſia, neque à Deo unquam eſſe concedendam dixerint*; (Lib. 12. *De Adminiſtratione Sacramenti Pœnitentiæ*, Cap. XXVIII.) Ut quid igitur à Religioſis Cenſoribus vapulo?

# DISSERTATIO XXIII.

## QUÆSTIO UNICA.

### Adversùs Rebaptizantium Errorem.

*Utrum Baptiſmus ab Hæreticis collatus, irritus ſit, baptizarique iterum debeant, qui extra Eccleſiam baptizati ſunt?*

## PROPOSITIO.

*Baptiſmus ab Hæreticis collatus verbis Evangelicis, validus eſt: adeoque erraruut, qui extra Eccleſiam baptizatos, iterum eſſe baptizandos dixerunt.*

PROBATUR primò ex Traditione Evangelica, & conſuetudine Eccleſiæ, quæ Baptiſmum hæreticorum, ſi verbis Evangelicis conſecraretur,

retur, semper ratum habuit. Quam Traditionem adversùs Firmilianum, & Sanctum Cyprianum strenuè propugnavit Stephanus Primus, ita decernens: *Si quis à quacumque hæresi venerit ad nos, nihil innovetur, nisi quod traditum est, ut manus illi imponatur in pœnitentiam.* Ita testantur S. Cyprianus Epistola 74. S. Augustinus passim, in libris contra Donatistas, & Vincentius Lirinensis in Commonitorio: cap. 9. Hanc vindicat consuetudinem Sanctus Augustinus libro 2. de Baptismo contra Donatistas cap. 9. ubi post recensita Sancti Cypriani verba, commemorantis Decretum Agrippini & Coëpiscoporum in communi Concilio, ita scribit: *Hac attestatione satis ostendit, multò magis se fuisse commemoraturum, si quod de hac re transmarinum, vel universale Concilium factum esset. Nondum autem factum erat, quia consuetudinis robore tenebatur orbis terrarum, & hæc sola opponebatur inducere volentibus novitatem, quia non poterant apprehendere veritatem. Postea tamen, dum inter multos ex utraque parte tractatur & quæritur, non solum inventa est, sed etiam ad Plenarii Concilii auctoritatem roburque perducta, post Cypriani quidem passionem, sed antequàm nos nati essemus. Hanc autem fuisse consuetudinem Ecclesiæ, quæ postea multis discussis ambagibus, perspectâ veritate, Plenario Concilio confirmata est, satis ostenditur & ipsius Sancti Cypriani verbis in eadem ad Jubaianum Epistola, quæ in Concilio lecta commemoratur. Ait enim: Sed dicet aliquis, Quid ergo fiet de iis qui in præteritum de hæresi ad Ecclesiam venientes, sine Baptismo admissi sunt? Ubi certè quid fieri soleret, etsi non fieri vellet, satis ostendit, & eo ipso quòd Concilium Agrippini commemorat, apertè indicat fuisse aliam consuetudinem Ecclesiæ. Neque enim opus erat hoc Concilio velle statuere, si jam consuetudine tenebatur, & in ipso Concilio, nonnullæ sententiæ omnino declarant, eos contra Ecclesiæ consuetudinem decrevisse, quod decernendum esse arbitrati sunt.*

Et cap. 7. Sancti Cypriani errorem elevans, de eadem consuetudine, & Apostolica Traditione ita scribit: *Nondum enim erat diligenter illa Baptismi quæstio pertractata, sed tamen saluberrimam consuetudinem tenebat Ecclesia, in ipsis quoque Schismaticis, & Hæreticis, corrigere quod pravum est, non iterare quod datum est; sanare quod vulneratum est, non curare quod sanum est. Quam consuetudinem credo ex Apostolica Traditione venientem (sicut multa quæ non inveniuntur in literis eorum, neque in Conciliis posteriorum, & tamen quia per universam custodiuntur Ecclesiam, nonnisi ab ipsis tradita & commendata creduntur.) Hanc ergo saluberrimam consuetudinem per Agrippinum Prædecessorem suum dicit Sanctus Cyprianus quasi cœpisse corrigi. Sed, sicut diligentiùs inquisita veritas docuit, quæ post magnos dubitationis fluctus ad Plenarii Concilii confirmationem perducta est, veriùs creditur per Agrippinum corrumpi cœpisse, non corrigi.* Ex Apostolica igitur Traditione, Baptismum ab Hæreticis collatum, ratum esse perspicuum est.

Probatur secundò, ex Concilio Laodicæno. Canone 7. quo sancitum est, Hæreticos ad Ecclesiam redeuntes esse recipiendos, ejuratis erroribus inungendos Chrismate, & ad Eucharistiæ participationem admittendos. At si Ecclesia credidisset Baptisma Hæreticorum irritum esse, decrevissent imprimis Laodicæni Patres, ut baptizarentur, qui hæresim abjurabant. Ecclesia igitur Baptismum ab Hæreticis collatum ratum habebat. En verba Canonis. *Eos qui ex hæresibus, hoc est, Novatianis, sive Photinianis, vel Thessaradecatitis convertuntur, sive Catechumenos, sive qui apud illos Fideles dicuntur, non admitti, priusquam omnem hæresim anathematizaverint, & præcipuè eam in qua detinebantur; & tunc deinceps eos, qui apud illos Fideles dicebantur, fidei Symbola discentes, & Sancto Chrismate inunctos, sic Sancto Mysterio communicare.*

Probatur tertiò auctoritate Concilii Plenarii totius Ecclesiæ, quâ Donatistas passim urget Sanctus Augustinus: quo in Concilio, sive Arelatense fuerit, sive Nicænum, controversia de Baptismate hæreticorum finita est, statutumque, Baptismum ab iis collatum ratum esse. De quo Sanctus Augustinus multis in locis, è quibus impræsentiarum sufficit cap. 17. libri 5. de Baptismo contra Donatistas, in quo de Sancto Cypriano sic loquitur: *Neque enim ei placeo, si ejus ingenium facultatemque sermonis, & doctrinæ ubertatem sancto Concilio cunctarum Gentium, cui profectò interfuit per spiritus unitatem, præponere affectem .... Neque illius huic sententiæ, in qua ei visum est aliter suscipiendos ab hæreticis venientes, quàm vel in præteritum suscipiebantur, sicut ipse testatur, vel nunc suscipiuntur, sicut totius orbis Christiani Plenario Concilio rationabilis consuetudo firmata est, meam prapono sententiam, sed Ecclesia Catholica, quam sic ille dilexit, & diligit.*

Probatur quartò, ex Concilio Arelatensi Primo, quod Plenarii Concilii nomine à Sancto Augustino hic & alibi intellectum putant viri quidam eruditi. Sic enim decernit Canone 8. *De Afris, quod propria lege utuntur ut rebaptizent, placuit ut si ad Ecclesiam aliquis de hæresi venerit, interrogent eum symbolum, & si perviderint eum in Patre, & Filio, & Spiritu Sancto esse baptizatum, manus ei tantum imponatur, ut accipiat Spiritum Sanctum. Quod si interrogatus, non responderit hanc Trinitatem, baptizetur.* Hæreticos igitur, qui in hæresi Baptismum à Symmistis suis accepissent, si baptizati fuissent in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, non esse denuò baptizandos, sed per manuum impositionem duntaxat in Ecclesiam recipiendos, Ecclesia statuit.

Probatur quintò auctoritate Concilii Nicæni, quod Plenarii totius Ecclesiæ Concilii nomine à Sancto Augustino significatum fuisse probabilius est. Illud enim Novatianos cum sola manuum impositione recipiendos decernit Canone 8. *De his*, inquit, *qui se nominant Catharos, id est mundos, si aliquando venerint ad Ecclesiam Catholicam, placuit sancto & magno Concilio ut impositionem manus accipientes, sic in Clero permaneant.* Illorum igitur Hæreticorum Baptisma Nicæna Synodus ratum habuit. Et Canone 19. solos Paulianistas baptizari jubet, cùm ad Ecclesiam redeunt, utpotè qui Baptismum verbis Evangelicis non conferrent. *De Paulianistis*, inquit, *ad Ecclesiam Catholicam confugientibus, definitio prolata est, ut baptizentur omnimodis.* Cæteros itaque Hæreticos, cum Baptismo in propriis sectis recepto, in Ecclesiam recipiendos esse, Nicænis Patribus visum est. Quos Canones Sanctus Hieronymus spectans in Dialogo adversùs Luciferianos, ait: *Synodus quoque Nicæna omnes Hæreticos suscepit, exceptis Pauli Samosateni discipulis: & quod majus est, Episcopo Novatianorum, si conversus fuerit, Presbyterii gradum servat.*

Probatur sextò, ex Siricio Pontifice Maximo in Epistola ad Himerium Tarraconensem Episcopum, cap. primo, qui Nicænæ Synodi Decretum spectavit. *Prima*, inquit, *pagina tua fronte signasti, baptizatos ab impiis Arianis, plurimos ad Fidem Catholicam festinare, & quosdam de Fratribus nostris eosdem denuo baptizare velle, quod non licet: cum hoc fieri & Apostolus vetet, & Canones contradicant, & post cassatum Ariminense Concilium, missa ad Provincias à veneranda memoria Prædecessore meo Liberio generalia Decreta prohibeant, quos nos cum Novatianis, aliisque Hæreticis, sicut est in Synodo constitutum, per invocationem solam septiformis Spiritus, Episcopalis manus impositione, Catholicorum Conventui sociamus. Quod etiam totus Oriens Occidensque custodit.*

Probatur

Probatur septimò, ex Concilio Capuano, quod anno 389. celebratum est, cujus Decretum refert Concilium Tertium Carthaginense, cap. 36. his verbis: *Illud autem suggerimus, mandatum nobis, quod etiam in Capuensi Plenaria Synodo videtur statutum: non liceat fieri rebaptizationes.*

Probatur octavò, ex Optato Milevitano, libro 5. contra Parmenianum. *Cùm ergo dixeris*, inquit, *& unum fuisse diluvium, & circumcisionem repeti non posse, & nos docemus cæleste munus unicuique credenti à Trinitate conferri, non ab homine: & quid vobis visum est, non post nos, sed post Trinitatem, Baptisma geminari? Cujus de Sacramento non leve certamen innatum est; & dubitatur, an post Trinitatem in eadem Trinitate hoc iterum liceat facere. Vos dicitis, Licet: nos dicimus, Non licet. Inter licet vestrum, & non licet nostrum, nutant, & remigant animæ populorum. Nemo vobis credat, nemo nobis: omnes contentiosi homines sumus. Quærendi sunt Judices: Si Christiani: de utraque parte dari non possunt: quia studiis veritas impeditur. De foris quærendus est Judex. Si Paganus, non potest nosse Christiana secreta. Si Judæus, inimicus est Christiani Baptismatis. Ergo in terris de hac re nullum poterit reperiri judicium: De cælo quærendus est Judex. Sed ut quid pulsamus ad cælum, cùm habeamus hîc in Evangelio Testamentum? Quia hoc loco rectè possunt terrena cælestibus comparari: tale est quod quivis hominum habens numerosos filios. His, quamdiu Pater præsens est, ipse imperat singulis, non est adhuc necessarium testamentum. Sic & Christus, quamdiu præsens in terris fuit, quamvis nec modò desit, pro tempore quicquid necessarium erat, Apostolis imperavit. Sed quomodo terrenus Pater, cùm se in confinio senserit mortis, timens ne post mortem suam, rupta pace, litigent fratres; adhibitis testibus, voluntatem suam de pectore morituro transfert in tabulas diu duraturas. Et si fuerit inter fratres contentio nata, non itur ad tumulum, sed quæritur testamentum: & qui in tumulo quiescit, tacitus de Tabulis loquitur. Vivus is, cujus est Testamentum, in cælo est. Ergo voluntas ejus velut in Testamento, sic in Evangelio inquiratur.... Cùm lavaret pedes Discipulis suis, tacentibus cæteris, si taceret & Petrus, & solam fecerat formam humilitatis, nihil pronuntiaverat de Sacramento Baptismatis. Sed cùm Petrus recusat, nec pedes sibi lavari permittit, negat illi Christus regnum, nisi accepisset obsequium. Sed cùm cælestis regni mentio fieret, à quo pars corporis petebatur ad obsequium, totum corpus obtulit ad lavacrum. Nunc adsistote omnes turba, & singuli Christiani populi: quid liceat, discite: cùm provocat Petrus, Christus docet. Qui dubitat, discat. Christi enim vox est: Qui semel lotus est, non habet iterum necessitatem lavandi, quia est mundus totus. Et de eo lavacro pronuntiavit, quod de Trinitate celebrandum esse mandaverat, non de Judæorum, aut Hæreticorum, qui dum lavant, sordidant: sed de aqua sancta, quæ de trium nominum fontibus inundat. Sic enim ipse Dominus Christus præcepit dicendo: Ite, Baptizate omnes Gentes in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. De hoc lavacro dixit: Qui semel lotus est, non habet iterum necessitatem lavandi. Qui, semel, dixit, prohibuit iterum fieri. Et de re locutus est, non de persona. Nam si esset distantia, diceret, Qui semel bene lotus fuerit.... Sed dum non addidit verbum, Bene, indicat quia quicquid in Trinitate fuerit, bene est. Inde est quòd simpliciter à vobis venientes excipimus. Cùm dicit, Non habet necessitatem iterum lavandi: hæc sententia generalis est, non specialis. Nam si Petro hæc dicerentur, diceret Christus: Qui semel bene lotus est, non habet necessitatem iterum lavandi. Ideo quoties à vobis baptizatus aliquis ad nos transitum voluerit facere, venientem hoc Magistri exemplò tota simplicitate suscipimus. Absit enim ut jam lotum revocemus ad Fontem. Absit ut in Spiritum Sanctum peccemus: absit ut iteremus quod semel est, aut duplicemus quod unum est. Sic enim scriptum est, Apostolo dicente: Unus Deus, unus Christus, una Fides, una Tinctio. Denique vos qui Baptisma quasi libenter duplicare contenditis, si datis alterum Baptisma, date & alteram Fidem: Si datis alteram Fidem, date & alterum Christum: Si datis alterum Christum, date & alterum Deum.*

Et infra: *In quo baptizarentur Gentes à Salvatore mandatum est: per quem baptizentur, nulla exceptione discretum est. Non dixit Apostolis: Vos facite, alii non faciant. Quisquis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti baptizaverit, Apostolorum opus implevit.*

Probatur nonò, ex Sancto Hieronymo in Dialogo adversùs Luciferianos, cap. 9. ubi contra Hilarium Diaconum Luciferianum, sic loquitur: *Est præterea aliud quod inferemus, adversum quod ne mutire quidem audeat Hilarius Deucalion orbis. Si enim hæretici Baptisma non habent, & ideo rebaptizandi ab Ecclesia sunt, quia in Ecclesia non fuerunt: Ipse quoque Hilarius non est Christianus: in ea quippe Ecclesia baptizatus est, quæ semper ab hæreticis Baptismum recepit. Antequam Ariminensis Synodus fieret, antequam Lucifer exularet, Hilarius Romanæ Ecclesiæ Diaconus ab hæreticis venientes, in eo, quod prius acceperant, Baptismate suscipiebat. Nisi fortè tantùm Ariani hæretici sunt, & ab his solis baptizatum recipere non licet, ab aliis licet. Diaconus eras, ô Hilari! & à Manichæis baptizatos recipiebas: Diaconus eras, & Ebionis Baptisma comprobabas: repentè postquam exortus est Arius, totus tibi displicere cœpisti. Segregas te cum tuis vernulis, & novum balneum aperis. Si te Angelus aliquis, aut Apostolus rebaptizavit; non infringo quod sequeris. Si verò in sinu meo natus, si uberum mearum lacte nutriens, adversùm me gladium levas, redde quod dedi, & esto, si potes, aliter Christianus..... Quod si negandum quispiam putaverit, hæreticos à majoribus nostris semper fuisse susceptos: legat beati Cypriani Epistolas, in quibus Stephanum Romanæ urbis Episcopum, & inveteratæ consuetudinis lacerat errorem. Legat & ipsius Hilarii libellos, quos adversus nos de Hæreticis rebaptizandis edidit; & ibi reperiet, ipsum Hilarium confiteri à Julio, Marco, Silvestro, & cæteris veteribus Episcopis, similiter in pœnitentiam omnes Hæreticos susceptos: nec tamen sibimet veritatis consuetudinem præjudicare debere. Synodus quoque Nicæna, cujus paulo antè fecimus mentionem, omnes Hæreticos suscepit, exceptis Pauli Samosateni Discipulis: &, quod his majus est, Episcopo Novatianorum, si conversus fuerit, Presbyterii gradum servat. Quæ sententia & Luciferum impugnat, & Hilarium, dum idem & Clericus est, & baptizatus.*

Probatur decimò, ex Innocentio I. Pontifice Maximo Epistola 2. ad Victricium Rothomagensem Episcopum data, cap. 8. decernente, *Ut venientes è Novatianis, vel Montensibus, per manus tantùm impositionem suscipiantur: quia quamvis ab hæreticis, tamen in Christi nomine sunt baptizati: præter eos, si qui fortè à nobis ad illos transeuntes, rebaptizati sunt. Hi si resipiscentes, & ruinam suam cogitantes, redire voluerint, sub longa pœnitentiæ satisfactione admittendi sunt.*

Probatur undecimò, ex Sancto Augustino libro primo de Baptismo contra Donatistas, cap. 1. ubi hac ratione probat datum ab hæreticis Baptismum validum esse. Validus est Baptismus collatus ab

Apostatis, ergo & collatus ab hæreticis. *Jam quidem*, inquit, *dictum est, ita posse extrà Catholicam Communionem dari Baptismum, quemadmodum & extra eam potest haberi. Nulius autem illorum negas habere Baptismum etiam Apostatas, quibus utique redeuntibus, & per pœnitentiam conversis, dum non redditur, amitti non potuisse judicatur. Sic & illi qui per sacrilegium schismatis ab Ecclesia Communione discedunt, habent utique Baptismum, quem priusquam discederent, acceperunt. Nam & ipsi si redeunt, non eis iterum datur: unde ostenditur, illud quod acceperant in unitate positi, non potuisse amittere ab unitate separatos: Quod si haberi foris potest, etiam dari cur non potest? Si dicis, Non rectè foris datur; respondemus: Sicut non rectè foris habetur, & tamen habetur: sic non rectè foris datur, sed tamen datur. Sicut autem per unitatis reconciliationem incipit utiliter haberi, quod extra unitatem inutiliter habebatur: sic per eamdem reconciliationem, incipit utile esse, quod extra eam inutiliter datum est.*

Idem probat Sanctus Augustinus hac ratione. Sacramentum Baptismi non amittit, qui recedit ab Ecclesia: igitur nec Sacramentum dandi Baptismi amittit, id est, Ordinationem: Ac proinde collatum extra Ecclesiam Baptisma validum est. *Sacramentum Baptismi*, inquit, *est quod habet qui baptizatur. Et Sacramentum dandi Baptismi, est quod habet qui ordinatur. Sicut baptizatus, si ab unitate recesserit. Sacramentum Baptismi non amittit, sic etiam ordinatus, si ab unitate recesserit, Sacramentum dandi Baptismi non amittit. Nulli enim Sacramento injuria facienda est. Si discedis à malis, utrumque discedit: si permanet in malis, utrumque permanet. Sicut ergo acceptatur Baptismus, quem non potuit amittere, qui ab unitate discesserat: sic acceptandus est Baptismus, quem dedit ille, qui Sacramentum dandi, cùm discederet, non amiserat. Nam sicut redeuntes, qui, priusquam recederent, baptizati sunt, non rebaptizantur; ita redeuntes, qui priusquam recederent, ordinati sunt, non utique rursus ordinantur..... Quibus rebus ostenditur, & ipsos impiè facere, qui rebaptizare conantur orbis unitatem. & nos rectè facere, qui Dei Sacramenta improbare, nec in ipso schismate, audemus.*

Tertiò idem probat Sanctus Augustinus libro 3. cap. 15. hac ratione, Scriptura si sit eadem qua utuntur Hæretici & Catholici, apud utrosque integra est, etiamsi apud illos falsis interpretationibus violetur: itaque & Sacramenta, si eadem sunt apud Hæreticos & Catholicos, utrobique integra sunt, etiamsi malè intelligantur. Porro eadem sunt, si verbis Evangelicis pariter consecrentur. Sunt igitur integra. Quod si integra sint, non sunt igitur iteranda. *Quamobrem*, inquit, *si Evangelicis verbis, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Marcion Baptismum consecrabat; integrum erat Sacramentum: quamvis ejus fides sub eisdem verbis aliud opinantis quàm Catholica veritas docet, non esset integra, sed fabulosis falsitatibus inquinata.* Et infra: *Sacramenta, si eadem sunt, ubique integra sunt, etiamsi pravè intelligantur, & discordiosè tractantur: Scriptura ipsius Evangelii, si eadem ipsa est, ubique integra est, etiamsi innumerabili falsarum opinionum varietate asseratur.*

Quartò idem probat cap. 19. ex collatione Sacramentorum Novi Testamenti cum Sacramentis Veteris. Licèt enim Sacerdotes quandoque, cum populo, Dei Legem prævaricarentur, licèt in Christum jam sibi præsentem & prædicantem non crederent, tamen Sacramenta ab ipsis collata valida erant, quia non erant eorum, sed Dei. Unde etiam Christus, quos mundavit à lepra, ad eadem Sacramenta misit: ut offerrent pro se sacrificium Sacerdotibus. *Quantò magis*, inquit Sanctus Augustinus, *nos Sacramenta Novi Testamenti apud quoslibet Hæreticos, vel Schismaticos invenientes, non debemus ipsis tribuere, nec quasi non agnita reprobare; sed, quamvis apud fornicariam mulierem, dona viri legitimi agnoscere, & verbo veritatis illam fornicationem emendare, quæ propria est impudicæ mulieris, non illa culpare, quæ propria sunt Domini miserantis?*

Quintò idem probat Sanctus Augustinus libro 4. cap. 3. hac ratione. Peccatores & reprobi, qui non sunt intus in Ecclesia, Baptismum validè conferunt: igitur & Hæretici qui sunt exteriùs ab Ecclesia separati: præsertim cùm multi ex illis meliores sint Catholicis, secundùm præscientiam Dei, qui novit quos prædestinaverit ante mundi constitutionem conformes fieri imagini Filii sui. *Quòd si eos*, inquit Sanctus Augustinus, id est, peccatores, *in suis membris nec illa Columba cognoscit; & talibus, si in eadem perversitate permanserint, dicturus est Deus, Non novi vos, recedite à me qui operamini iniquitatem: videntur esse in Ecclesia; sed non sunt; imò & contra Ecclesiam faciunt. Quomodo ergo Baptismo Ecclesiæ baptizare possunt, quod nec ipsis prodest, nec accipientibus, nisi intrinsecus vera conversione mutentur, ut ipsum Sacramentum quod eis accipientibus non proderat, quando sæculo, verbis, non factis renuntiabant, prodesse incipiat, cùm & factis cœperint renuntiare: ita & illi quorum est aperta separatio: quia in membris illius Columbæ, nec hi, nec illi sunt hodie, sed aliqui eorum fortasse futuri sunt.*

Et cap. 4. ita colligit. *Non itaque Hæreticorum Baptisma acceptamus, quando post eos non baptizamus, sed quod Christi esse cognoscimus etiam in malis hominibus, sive apertè foris, sive intus occultè separatis, illis in ea re, in qua deviabant, correctis, debita veneratione suscipimus. Sicut autem urgerè videor, cùm mihi dicitur: Ergo hæreticus dimittit peccata? Sic & ego urgeo; cum dico: Ergo qui cælestia mandata non servat, avarus, raptor, fœnerator, invidus, verbis, non factis sæculo renuntians; dimittit peccata? Si per vim Sacramenti Dei, sicut & ille, ita & ille. Si per meritum suum, nec ille, nec ille. Illud enim Sacramentum, & in malis hominibus, Christi esse cognoscitur: in corpore autem unicæ Columbæ, incorruptæ, sanctæ, pudicæ, non habentis maculam aut rugam, nec ille, nec ille invenitur. Et quomodo accipienti non prodest Baptismus ei qui sæculo, verbis, non factis renuntiat: sic non prodest ei qui in hæresi, vel schismate baptizatur: utrique autem correcto prodesse incipit, quod ante non proderat, sed tamen inerat.* Plura alia ex Sancto Augustino hic possent congeri; sed ista impræsentiarum sufficiunt.

Probatur duodecimò, ex Concilio Arelatensi Secundo, quod cùm Canone 16. statuisset, *Photinianos, sive Paulianistas, secundùm Patrum Statuta, baptizari oportere*; de Bonosiacis, Canone 17. sic decernit: *Bonosiacos autem ex eodem errore venientes, quos, sicut Arianos, baptizare in Trinitate manifestum est, si interrogati, fidem nostram ex toto corde confessi fuerint, cum Chrismate & manus impositione in Ecclesia recipi sufficit.* Baptismus igitur ab hæreticis collatus verbis Evangelicis, validus est: adeòque errarunt, qui extra Ecclesiam baptizatos, iterum esse baptizandos propugnarunt.

Objectio prima petitur ex Canone 45. Apostolorum ita decernente: *Episcopum, vel Presbyterum, qui hæreticorum Baptismum, vel Sacrificium admiserit, deponi jubemus. Quæ est enim conventio Christi cum Belial? Vel quæ pars est fideli cum infideli?*

Et

Et ex Canone 46. ita statuente : *Episcopus, vel Presbyter, eum qui verè habet Baptismum, si de integro baptizaverit, vel si eum qui ab impiis pollutus est, non baptizaverit, deponatur, ut qui irrideat mortem & Crucem Domini, & non discernat Sacerdotes à falsis Sacerdotibus.* Baptismum igitur ab Hæreticis collatum, esse irritum Apostoli decreverunt.

Respondeo, Nullam esse, quoad hoc, illorum Canonum auctoritatem, cùm Ecclesia eos non habeat, nec suscipiat ut verè Apostolicos. Ratum enim semper habuit hæreticorum Baptisma, & ratum esse definivit in Plenario totius orbis Concilio. Porro contra Apostolos non decrevisset. Non sunt itaque ab Apostolis conditi illi Canones, ut Tom. 1. singulari Dissertatione probavimus : & illi, qui mox contra Baptismum ab Hæreticis collatum laudati sunt, videntur esse Concilii Iconiensis, in quo suum & Africanorum de rebaptizandis Hæreticis errorem vindicatum fuisse, Firmilianus in Epistola ad Sanctum Cyprianum testatus. Decreta autem Synodi Iconiensis transcripsit, qui Collectionem eorum Canonum adornavit in Oriente, quos inscripsit Apostolicos.

Objectio secunda nititur auctoritate Sancti Cypriani in Epistolis ad Quintum, ad Pompeium, & ad Jubaianum ; & Africanis Synodis, in quibus definitum est, Baptisma collatum ab Hæreticis, nullum esse : non est igitur approbandum.

Respondeo, nego consequens. Nam Sancti Cypriani auctoritatem, hac in causa, Ecclesia respuit, necnon Africanorum Conciliorum Decreta. Sic respondet Sanctus Augustinus libro 2. contra Cresconium Grammaticum, cap. 32. ubi de Epistola Sancti Cypriani ad Jubaianum, quam Cresconius objecerat, sic loquitur : *Ego hujus Epistolæ auctoritate non teneor, quia Literas Cypriani non ut Canonicas habeo, sed eas ex Canonicis considero, & quod in eis divinarum Scripturarum auctoritati congruit, cum laude ejus accipio ; quod autem non congruit, cum pace ejus respuo. Ac per hoc si ea, quæ commemorasti ab illo ad Jubaianum scripta, de aliquo Apostolorum, vel Prophetarum Canonico recitares, quod omnino contradicerem non haberem. Nunc vero quoniam Canonicum non est quod recitas, ea libertate, ad quam nos vocavit Dominus, ejus viri, cujus laudem consequi non valeo, cujus multis literis mea scripta non comparo, cujus ingenium diligo, cujus ore delector, cujus charitatem miror, cujus martyrium veneror, hoc quod aliter sapuit, non accipio. Non accipio,* inquam, *quod de baptizandis Hæreticis & Schismaticis beatus Cyprianus sensit, quia hoc Ecclesia non accepit, pro qua beatus Cyprianus sanguinem fudit.*

Concilia etiam Africana nullius sunt hac in causa auctoritatis, quia probata non sunt aliarum Ecclesiarum, & Romanæ præsertim consensu, & sunt à Concilio Plenario totius orbis emendata. Colligitur rursus hæc responsio ex Sancto Augustino libro 2. de Baptismo contra Donatistas, cap. 3. *Vos certè,* inquit, *nobis objicere soletis Cypriani Literas, Cypriani sententiam, Cypriani Concilium. Cur auctoritatem Cypriani pro vestro schismate assumitis, & ejus exemplum pro Ecclesiæ pace respuitis ? Quis autem nesciat Sanctam Scripturam Canonicam, tam Veteris, quàm Novi Testamenti, certis suis terminis contineri, eamque omnibus posterioribus Episcoporum literis ita præponi, ut de illa omnino dubitari & disceptari non possit utrum verum, vel utrum rectum sit, quidquid in ea scriptum esse constiterit : Episcoporum autem literas, quæ post confirmatum Canonem, vel scripta sunt, vel scribuntur, & per sermonem forsè sapientiorem cujuslibet in ea re peritioris, & per aliorum Episcoporum graviorem auctoritatem, doctioremque prudentiam, & per Concilia licere reprehendi, si quid in eis forte à veritate deviatum est : & ipsa Concilia, quæ per singulas regiones, vel provincias fiunt, Plenariorum Conciliorum auctoritati quæ fiunt ex universo orbe Christiano, sine ullis ambagibus cedere.*

Denique libro quinto cap. 17. de Sancto Cypriano sic loquitur : *Neque enim et placeo, si ejus ingenium, facultatemque sermonis, & doctrinæ ubertatem, sancto Concilio cunctarum Gentium, cui profectò intersuit per Spiritus unitatem, præponere assectem.... Neque illius huic sententiæ, in qua ei visum est aliter suscipiendos ab Hæreticis venientes, quam vel in præteritum suscipiebantur, sicut ipse testatur ; vel nunc suscipiuntur ; sicut totius orbis Christiani Plenario Concilio rationabilis consuetudo firmata est, meam præpono sententiam, sed Ecclesiæ sanctæ Catholicæ, quam sic ille dilexit, & diligit.*

Objectio tertia constat Sancti Cypriani rationibus, Epistola 74. ad Pompeium data. Primam sic proponit. *Quando Apostolus dicat : Quotquot in Christo baptizati estis, Christum induistis : qui potest apud hæreticos baptizatus Christum induere, multò magis potest Spiritum Sanctum quem Christus misit, accipere. Cæterùm major erit mittente, qui missus est, ut incipiat foris baptizatus Christum quidem induisse, sed Spiritum Sanctum non potuisse percipere : quasi possit aut sine Spiritu Christus indui, aut à Christo Spiritus separari.*

Respondetur rationibus S. Cypriani contra baptismum Hæreticorum.

Secunda ratio Sancti Cypriani sic se habet : *Cum nativitas Christianorum in Baptismo sit, Baptismi autem generatio & sanctificatio apud solam Sponsam Christi sit, quæ parere spiritaliter, & generare filios Deo possit, ubi, & ex qua, & cui filius natus est, qui filius Ecclesiæ non est, ut habere quis possit Deum patrem, ante Ecclesiam matrem ?*

Tertia ratio est hujusmodi. *Traditum est nobis quòd sit unus Deus, & Christus unus, & una Spes, & Fides una, & una Ecclesia, & Baptisma unum, nonnisi in una Ecclesia constitutum. A qua unitate quisquis discesserit, cum Hæreticis necesse est inveniatur : quos dum contra Ecclesiam vindicat, Sacramentum divinæ Traditionis impugnat.*

Quarta ratio his verbis concepta est. *Ecclesia in Canticis vocatur Hortus conclusus, Fons signatus, Puteus aquæ vivæ, Paradisus cum fructu pomorum. Si autem Ecclesia Hortus conclusus est & Fons signatus : Quomodo in eum Hortum introire, aut bibere de Fonte ejus potest, qui in Ecclesia non est ?*

Quinta ratio hæc est. *Petrus monuit, nisi per unum solum Baptisma unius Ecclesiæ, salvari nos non posse : In Arca,* inquit, *Noe, pauci, id est, octo animæ, salvæ factæ sunt per aquam, quod & nos similiter salvos faciet Baptisma. Quàm brevi & spiritali compendio unitatis Sacramentum manifestavit ? Nam ut in illo mundi Baptismo, quo iniquitas antiqua purgata est, qui in Arca Noe non fuit, non potuit per aquam salvus fieri : ita nec nunc potest per Baptismum salvus videri, qui baptizatus in Ecclesia non est, quæ ad Arcæ unius Sacramentum Dominica unitate fundata est.*

His rationibus Sancti Cypriani respondet Sanctus Augustinus libro quinto de Baptismo contra Donatistas. cap. 24. & sequentibus. Primæ sic respondet. *Induunt homines Christum, aliquando usque ad Sacramenti perceptionem ; aliquando usque ad vitæ sanctificationem : atque illud primum & bonis & malis potest esse commune ; hoc autem alterum proprium est bonorum & piorum. Quapropter si Baptisma esse sine Spiritu non potest, habent &*

*Spiritum haretici, sed ad perniciem, non ad salutem, sicut habuit Saul. Nam per nomen Christi in Spiritu Sancto ejiciuntur damonia, quod & ille poterat extra Ecclesiam, de quo Discipuli Domino suggesserunt: sicut habent avari, qui tamen non sunt Templum Dei; quoniam qua societas Templi Dei cum Idolis?* * *Si autem non habent avari Spiritum Dei, & tamen habent Baptisma, potest esse sine Spiritu Baptisma.*

Secundæ Sancti Cypriani rationi sic respondet Sanctus Augustinus ibidem. *Si propterea filios Dei generare non potest haresis per Christum, quia Christi Sponsa non est: nec turba illa malorum intus constitutorum potest, quia & ipsa Christi Sponsa non est. Designatur enim Christi Sponsa sine macula & ruga. Ergo aut non omnes baptizati filii sunt Dei, aut potest & non Sponsa generare filios Dei. Sicut autem quaritur utrum spiritaliter natus sit qui Baptismum Christi apud hareticos accepit: ita quari potest utrum spiritaliter natus sit, qui Baptismum Christi non ad Deum veraci corde conversus, in Catholica accepit; nec tamen ideo Baptismum non accepit.*

Respondeo prætereà, Ecclesiam semper generare filios Dei, quantumvis extra Ecclesiam baptizentur, licet non per seipsam, sed per Hæreticos, aut Schismaticos, sicut Sara, Lia, & Rachel filios per uterum ancillarum, jure conjugali pepererunt. Responsio colligitur ex Sancto Augustino libro primo de Baptismo contra Donatistas, cap. 16. *Sed cùm tales à spiritalibus evangelizantur,* inquit, *& Sacramentis imbuuntur, tamquam per seipsam Rebecca eos parit, sicut Esau: cum autem per illos, qui non castè annuntiant Evangelium, tales in Dei populo generantur, Sara quidem, sed per Agar. Item boni spiritales quando evangelizantibus, vel baptizantibus carnalibus generantur, Lia quidem vel Rachel, jure conjugali, eos, sed per ancillarum uterum, parit. Cùm verò per spiritales in Evangelio generantur boni Fideles, qui vel evadunt in spiritalis atatis affectum, vel eo tendere non desistunt, vel ideo non faciunt quia non possunt, sicut ex utero Sara Isaac, vel Rebecca Jacob, in novam vitam, & Novum Testamentum nascuntur.*

Tertiæ Sancti Cypriani rationi respondet Sanctus Augustinus cap. 26. ejusdem libri. *Traditum est nobis ab Apostolis, quod sit unus Deus, & una Spes, & una Fides, & una Ecclesia, & Baptisma unum: cur ergo si Apostolorum temporibus inveniamus fuisse quosdam, quibus una spes non erat, & unum Baptisma erat, non ex hoc ipso fonte ita in nos ducitur veritas, ut appareat nobis sic fieri posse, ut cùm sit una Ecclesia, sit Spes una, & Baptisma unum, habeant tamen unum Baptisma, qui non habent unam Ecclesiam sicut illis etiam temporibus fieri potuit ut Baptisma unum haberent, qui unam spem non haberent? Quomodo enim habebant unam spem cum Sanctis & Justis, qui dicebant: Manducemus & bibamus, cras enim moriemur; dicentes quod non esset resurrectio mortuorum? Et tamen in ipsis erant, quibus idem dicit Apostolus; Nunquid Paulus pro vobis crucifixus est, aut in nomine Pauli baptizati estis? Ad eos enim apertissimè scribit dicens: Quomodo quidam in vobis dicunt, quia resurrectio mortuorum non est?*

Quartæ Sancti Cypriani rationi respondet Sanctus Augustinus cap. 27. libri supra laudati. *Quòd in Cantico Canticorum Ecclesia sic describitur, Hortus conclusus, Fons signatus, &c. hoc intelligere non audeo nisi in Sanctis & Justis, non in avaris, & fraudatoribus, & raptoribus, & fæneratoribus, & ebriosis, & invidis: quos tamen cum justis Baptismum habuisse communem,* * *cum quibus com-* A *munem non habebant utique charitatem, ex ipsius Cypriani literis uberius discimus, & docemus. Nam dicat mihi aliquis, quomodo irrepserunt in hortum conclusum & fontem signatum, quos saculo, solis verbis, & non factis renuntiasse, Cyprianus, & tamen intus fuisse, testatur? Si enim & ipsi ibi sunt, & ipsi Sponsa Christi sunt: itane vero talis est illa sine macula & ruga, & illa speciosa Columba talium membrorum peste turpatur? An ista sunt spina, in quarum medio est illa sicut lilium? (Quod in eodem Cantico dicitur:) In quantum ergo lilium, in tantum & hortus conclusus, & fons signatus: in illis* B *videlicet justis, qui in occulto Judai sunt circumcisione cordis. Omnis enim pulchritudo filia Regum intrinsecùs, in quibus est numerus certus Sanctorum pradestinatus ante mundi constitutionem. Illa verò multitudo spinarum, sive occultis, sive apertis separationibus, forinsecus adjacet super numerum. Annuntiavi,* inquit, *& locutus sum, multiplicati sunt super numerum. Numerus ergo ille Justorum, qui secundùm propositum vocati sunt, de quibus dictum est, Novit Dominus qui sunt ejus; ipse est hortus conclusus, fons signatus...... Horum munera concessa divinitus, partim sunt propria, sicut in hoc* C *tempore infatigabilis charitas, & in futuro vita aterna: partim verò cum malis perversisque communia, sicut omnia catera, in quibus sunt & sacrosancta Mysteria.*

Quintæ rationi Sancti Cypriani respondet Sanctus Augustinus cap. 28. ejusdem libri, quod *Sicut non alia, sed eadem aqua, in Arca positos salvos fecit, & extra Arcam positos interemit: sic non alio, sed eodem Baptismo, & boni Catholici salvi fiunt, & mali Catholici, vel haretici pereunt.*

Objectio quarta constat rationibus ejusdem D Sancti Cypriani in Epistola ad Jubaianum, quarum primam his verbis complectitur. *Haretici foris positi & extra Ecclesiam constituti, vindicant sibi rem, nec sui juris, nec sua potestatis, cùm Baptismum conferunt: at nos nec ratum possumus, nec legitimum judicare, quod apud eos constat illicitum. Nemo potest contra Episcopos & Sacerdotes usurpare sibi aliquid, quod non sit sua potestatis, & sui juris. Nam Chore, & Dathan, & Abiron, contra Moysen, & Aaron Sacerdotem, sacrificandi sibi licentiam usurpare conati sunt, nec tamen quod illicitè ausi sunt, impunè fecerunt. Et* E *filii Aaron, qui alienum ignem Altari imposuerunt, in conspectu statim Domini indignantis extincti sunt. Quod supplicium manet eos, qui alienam aquam Baptismo inferunt falso: ut divina censura ulciscatur & vindicet, id hareticos contra Ecclesiam gerere, quod nonnisi soli liceat Ecclesia.*

Secundam rationem sic proponit. *Si baptizari quis apud hareticos potuit, utique & remissam peccatorum consequi potuit: Si peccatorum remissam consecutus est, & sanctificatus est, & Templum Dei factus est: quaro, cujus Dei? Si Creatoris, non potuit, qui in eum non credidit: si Christi, nec hu-* F *jus potest fieri Templum, qui negat Deum Christum: si Spiritus Sancti, cùm tres unum sint, quomodo Spiritus Sanctus placatus esse ei potest, qui aut Patris, aut Filii inimicus est?*

Tertia ratio Sancti Cypriani sic se habet: *Si secundum fidem suam accipere aliquid foris extra Ecclesiam potuit; utique id accepit, quod credidit. Falsum autem credens, verum accipere non potuit; sed potius adultera & profana, secundùm quod credebat, accepit. Quem locum profani & adulteri Baptismi subtiliter Jeremias Propheta perstringit dicens,* * *Facta est mihi quasi aqua mendax, non habens fidem. Qua est hac aqua mendax? Utique*

* Jerem. [illegible] secundum Vet. [illegible] 70. Interpret. Vul. [illegible]

ea

*ta qua Baptismi imaginem mentitur, & gratiam fidei adumbrata simulatione frustratur.*

Quarta ratio est hujusmodi. *Si Ecclesiæ devoti, & in Ecclesia constituti sunt hæretici, possunt & Baptismo ejus, & cæteris salutaribus bonis uti. Si autem in Ecclesia non sunt, imò & contra Ecclesiam faciunt, quomodo baptizare Baptismo Ecclesiæ possunt?*

Quinta ratio hæc est. *Cùm dicat Apostolus, sermonem eorum ut cancer serpere, quomodo potest is sermo dare remissam peccatorum, qui ut cancer serpit ad aures audientium? & cùm dicat, nullam participationem esse justitiæ & iniquitati, nullam communionem lumini & tenebris; quomodo possunt aut tenebræ illuminare, aut iniquitas justificare? & cum dicat de Deo eos non esse, sed esse de Antichristi spiritu; quomodo gerunt spiritualia & divina tractant, qui sunt hostes Dei, & quorum pectora obsederit spiritus Antichristi?*

Sexta ratio his verbis concepta est. *Numquid potest vis Baptismi esse major, aut potior, quàm confessio, quàm passio? ut quis coram hominibus Christum confiteatur, & sanguine suo baptizetur? Et tamen neque hoc baptisma hæreticis prodest, quamvis Christum confessi, & extra Ecclesiam fuerint occisi. Quòd si hæretico nec baptisma publicæ confessionis, & sanguinis, proficere ad salutem potest, quia salus extra Ecclesiam non est: quantò magis ei nihil proderit, si in latebra, & in latronum speluncâ, adultera aqua contagione tinctus, non tantum peccata antiqua non exposuerit, sed adhuc potiùs nova & majora cumulaverit?*

Septima ratio. *Ecclesia Paradisi instar arbores fructiferas intra muros suos intus includit, ex quibus, quæ non facit fructum bonum, exciditur, & in ignem mittitur. Has arbores rigat quatuor fluminibus, id est, Evangeliis quatuor, quibus Baptismi gratiam salutaris cælesti inundatione largitur. Numquid de Ecclesiæ fontibus rigare potest, qui intra Ecclesiam non est?*

Octava ratio. *Baptisma nobis & Hæreticis commune esse non potest, cum quibus nec Pater Deus, nec Filius Christus, nec Spiritus Sanctus, nec Fides, nec Ecclesia ipsa communis est.*

Nona denique ratio hæc est. *Spiritus Sanctus in sola Catholica Ecclesia datur: ergo & Baptismus.*

Hæc argumenta solvit Sanctus Augustinus passim in libris de Baptismo adversùs Donatistas. Ad primum respondet lib. 5. cap. 7. *Nos Baptismum eos non justè & legitimè possidere concedimus; non possidere autem, non possumus dicere; cum Sacramentum Domini cum Evangelicis verbis agnoscimus. Baptismum ergo legitimum habent, sed non legitimè habent. Quisquis enim eum & in unitate Catholica, & eo dignè vivens habet, & legitimum, & legitime habet. Quisquis autem, vel in ipsa Catholica, sicut palea commixta frumento, vel extra, sicut palea sublata vento, hunc Baptismum, legitimum quidem habet, sed non legitimè. Ita enim habet quemadmodum eo utitur, non autem legitime utitur, qui eo contra legem utitur: quod facit omnis qui baptizatus perditè vivit, sive intus, sive foris. Quapropter sicut de Lege dicit Apostolus; Bona est Lex si quis ea legitimè utatur: ita de Baptismo rectè dicere possumus: Bonus est Baptismus, si quis eo legitime utatur. Et sicut non faciebant tunc ut lex bona non esset, aut omnino nulla esset, qui ea non legitime utebantur: Sic nullo modo facit ut baptismus bonus non sit, quisquis eo, sive quia in hæresi, sive quia in pessimis moribus vivit, non legitime utitur. Et ideo cùm ad unitatem Catholicam, vel ad vitam tanto Sacramento dignam convertitur, non aliud baptisma incipit habere legitimum, sed illud ipsum incipit habere legitimè.*

Ad exemplum autem Dathan & Abiron sic respondet libro 3. cap. 18. *Dathan verò & Abiron, qui sibi licentiam sacrificandi usurpare conati sunt contra unitatem populi Dei; & filii Aaron, qui alienum ignem altari imposuerunt, novimus quod impunè non fecerint. Nec nos talia scelera dicimus impunita remanere, nisi se tales correxerint, si patientia Dei ad pœnitentiam adducens tempus corrigendi largitur.*

Ad secundum respondet Sanctus Augustinus lib. 3. cap. 13. *Si fit illic remissio debitorum per Baptismi sanctitatem, rursus dicta redeunt per hæresis aut schismatis obstinationem: & ideo necessarium habent hujusmodi homines venire ad Catholicam pacem, ut hæretici & schismatici esse jam desinant, & illorum quæ in eos redierant, peccatorum purgationem, in unitatis vinculo, charitate operante, mereantur. Si autem, quamvis apud hæreticos, vel schismaticos, idem sit Baptismus Christi, non tamen* [illegible] *operatur remissionem peccatorum, propter eamdem discordiæ fœditatem, & dissensionis iniquitatem: tunc incipit valere idem Baptismus ad dimittenda peccata, cùm ad Ecclesiæ pacem venerint: non ut jam dimissa non retineantur; neque ut ille Baptismus, quasi alienus, aut alius improbetur, ut alter tradatur: sed ut idem ipse, qui propter discordiam, foris operabatur mortem, propter pacem, intus operetur salutem.*

Ad tertium respondet Sanctus Augustinus libro 3. cap. 14. non interesse, *Cum de Sacramenti integritate & sanctitate tractatur, quid credat, & quali fide imbutus sit ille, qui accipit Sacramentum. Interest quidem plurimum ad salutis viam, sed ad Sacramenti quæstionem nihil interest. Fieri enim potest ut homo integrum habeat Sacramentum, & perversam fidem: sicut fieri potest ut integra teneat verba Symboli, & tamen non rectè credat, sive de ipsa Trinitate, sive de Resurrectione, vel aliquid aliud.*

Ad id quòd ait Jeremias de aqua mendaci, respondet Sanctus Augustinus cap. 15. ejusdem libri. *Si figuratè, atque allegorica locutione Prophetia, nusquam poneretur aqua, nisi quæ Baptismum significaret, laboraremus quærere quid sibi velint hæc verba Prophetiæ. Nunc autem cùm apertissimè in Apocalypsi exponantur aquæ pro populis positæ, cur non intelligam aquam mendacem & sine fide, populum mendacem ac perfidum, nescio.*

Cæterùm, ut idem Sanctus Doctor ait cap. 9. ejusdem libri 3. *Non est aqua profana & adultera, super quam nomen Dei invocatur, etiamsi à profanis & adulteris invocetur: quia nec ipsa creatura, nec ipsum nomen adulterum est. Baptismus vero Christi, verbis Evangelicis consecratus, & per adulteros, & in adulteris sanctus est, quamvis illi sint impudici & immundi: quia ipsa ejus sanctitas pollui non potest, & Sacramento suo divina virtus assistit, sive ad salutem bene utentium, sive ad perniciem male utentium. An verò Solis, vel etiam lucernæ lux, cum per cœnosa diffunditur, nihil inde sordium contrahit: & Baptismus Christi potest cujusquam sceleribus inquinari?*

Ad quartum respondet Sanctus Augustinus libro 3. de Baptismo contra Donatistas cap. 10. *Aliud est non habere aliquid, aliud non jure habere, vel illicitè usurpare. Non itaque ideo non sunt Sacramenta Christi & Ecclesiæ, quia eis illicitè utuntur, non Hæretici solùm, sed etiam omnes iniqui & impii. Sed tamen illi corrigendi aut puniendi; illa verò agnoscenda & veneranda sunt. Quapropter* (inquit idem Sanctus Doctor, cap. 19. ejusdem libri) *magis hæreticis non credimus, si quod habent de Ecclesia Christi, non esse dicamus ipsorum, nec propter scelera desertorum, Imperatoris nostri signa*

*nolimus agnoscere: magis quia Dominus Deus noster Deus Zelans est, quicquid ejus apud aliquem agnoscimus, nullo modo ei concedamus ut suum proprium esse arbitretur.* Quemadmodum autem, inquit idem Sanctus Augustinus libro 5. cap. 23. *Spiritum Sanctum sicut habent filii dilecti, non habent filii maligni, & tamen Baptismum habent: sic & Ecclesiam, sicut habent Catholici, non habent Hæretici, & tamen Baptismum habent. Nam Spiritus Sanctus disciplinæ effugiet fictum, nec tamen eum effugiet Baptismus. Itaque sicut potest baptisma esse, & unde se aufert Spiritus Sanctus: ita potest esse baptisma, ubi non est Ecclesia.*

Ad quintum respondet Sanctus Augustinus libro 4. cap. 12. Non dare remissam peccatorum, sermonem qui ut cancer serpit ad aures audientium: *Sed cùm Baptismus verbis Evangelicis datur,* inquit, *qualibet perversitate intelligat ille per quem datur, vel ille cui datur, ipsum per se sanctum est, propter illum cujus est. Et si quis per hominem perversum id accipiens, non accipiat tamen Ministri perversitatem, sed solam Mysterii sanctitatem, in bona fide, & spe, & charitate, unitati compaginatus Ecclesiæ, remissionem accipit peccatorum, non per verba sicut cancer serpentia, sed per Evangelica Sacramenta de cælesti fonte manantia.*

*Nulla itaque participatio est justitiæ & iniquitati,* inquit Sanctus Doctor cap. 13. *non solùm quæ foris, sed etiam quæ intus est. Novit enim Dominus qui sunt ejus; &, Recedat ab iniquitate, omnis qui invocat nomen Domini. Nulla etiam communio est luci & tenebris, non solùm quæ foris, sed etiam quæ intus sunt. Qui enim odit fratrem suum, ait Apostolus Joannes, in tenebris est usque adhuc. Et utique illi oderunt Paulum, qui invidia malevolentia & dissensione Christum annuntiantes, arbitrabantur se tribulationem excitare vinculis ejus: quos tamen intus fuisse, idem Cyprianus intellegit. Cùm ergo non possint tenebræ illuminare, aut iniquitas justificare, sicut idem dicit, quæro quomodo poterant isti in ipsa intus Ecclesia baptizare? Quæro quemadmodum vasa illa, quæ non in honorem, sed in contumeliam magna domus continet, intra ipsam domum magnam possint sanctificandis hominibus ministrare quod sanctum est, nisi quia illa sanctitas Sacramenti nec ab immundis pollui potest, sive cùm per eos datur, sive cùm ab eis qui corde & vita in melius non commutantur, accipitur?*

Ad sextum respondet Sanctus Augustinus lib. 4. cap. 17. *Quod si propter hoc quia charitas deest, passio nihil prodest; nec illis prodest, quos in invidia intus & malevolentia sine charitate vivere Paulus dicit, Cyprianus exponit: & tamen verum Baptisma possunt & accipere, & tradere. Salus, inquit, extra Ecclesiam non est. Quis negat? Et ideo quæcumque ipsius Ecclesiæ habentur, extra Ecclesiam non valent ad salutem. Sed aliud est non habere, aliud non utiliter habere. Qui non habet, est baptizandus ut habeat. Qui autem non utiliter habet, ut utiliter habeat, corrigendus. Nec adultera est aqua in Baptismo hæreticorum: quia nec ipsa creatura, quam Deus condidit, mala est; nec verba Evangelica in quibuslibet errantibus reprehendenda sunt, sed error in quo adultera est anima, etsi à legitimo viro Sacramenti habeat ornamentum.*

Ad septimum respondet Sanctus Augustinus libro 4. cap. 1. *Ecclesia Paradiso comparata, indicat nobis posse quidem ejus Baptismum homines etiam foris accipere, sed salutem beatitudinis extra eam, neminem vel percipere, vel tenere. Nam & flumina de fonte Paradisi, sicut Scriptura testatur, etiam foras largiter manaverunt. Nominatim quippe commemorantur, & per quas terras fluant, & quia extra Paradisum constituta sunt, omnibus notum est: nec tamen in Mesopotamia, vel in Ægypto, quò illa flumina pervenerunt, est fœlicitas vitæ, quæ in Paradiso commemoratur. Ita fit ut cùm Paradisi aqua sit extra Paradisum, beatitudo tamen non sit nisi intra Paradisum. Sic ergo Baptismus Ecclesiæ potest esse extra Ecclesiam: munus autem beatæ vitæ, nonnisi intra Ecclesiam reperitur, quæ super petram etiam fundata est, quæ ligandi & solvendi claves accepit. Hæc est una quæ tenet & possidet omnem sui Sponsi & Domini potestatem: per quam conjugalem potestatem, etiam de ancillis filios parere potest, qui si non superbiant, in sortem hæreditatis vocabuntur: si autem superbiant, extra remanebunt.*

Ad octavum respondet Sanctus Augustinus libro etiam 4. cap. 17. *Potest nobis & Hæreticis baptisma esse commune, cum quibus & Evangelium potest esse commune; quamvis a fide nostra error distet illorum: sive aliud de Patre, vel de Filio, vel de Spiritu Sancto sentiant, quàm veritas habet, sive ab unitate præcisi non colligunt cum Christo, sed spargant; quia potest nobis, si frumenta Dominica sumus, etiam intus cum avaris, cum raptoribus, cum ebriosis, & cæteris ejusmodi pestibus, de quibus dicitur, Regnum Dei non possidebunt, & Baptismatis Sacramentum esse commune; & tamen vitia, quibus à regno Dei separantur, non esse communia.*

Ad ultimum respondet Sanctus Augustinus libro 3. cap. 16. *Spiritus autem Sanctus quòd in sola Catholica per manus impositionem datur, nimirum hoc intelligi Majores nostri voluerunt, quod Apostolus ait: Quoniam charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis. Non autem habet Dei charitatem, qui Ecclesiæ non diligit unitatem; ac per hoc rectè intelligitur dici non accipi nisi in Catholica Spiritus Sanctus. Neque enim temporalibus & sensibilibus miraculis attestantibus per manus impositionem modo datur Spiritus Sanctus, sicut antea dabatur ad commendationem rudis fidei, & Ecclesiæ primordia dilatanda... Sed invisibiliter, & latenter, intelligitur per vinculum pacis eorum cordibus divina charitas inspirari, ut possint dicere: Quoniam charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis. Multa autem sunt operationes Spiritus Sancti, quas idem Apostolus cum quodam loco commemorasset, ita conclusit: Omnia autem hæc operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult. Cùm ergo aliud sit Sacramentum, quod habere etiam Simon Magus potuit: aliud operatio Spiritus, quæ in malis etiam hominibus fieri solet, sicut Saul habuit Prophetiam; aliud operatio ejusdem Spiritus, quam nisi boni habere non possunt, sicut est finis præcepti charitas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta: quodlibet Hæretici & Schismatici accipiant, charitas quæ cooperit multitudinem peccatorum, proprium donum est Catholicæ unitatis & pacis, nec ejus in omnibus, quia nec ejus sunt omnes. Præter ipsam tamen esse illa charitas non potest, sine qua cætera, etiamsi agnosci, & approbari possunt, prodesse tamen & liberare non possunt.*

Objectio quinta complectitur rationes Africanorum Episcoporum in Concilio Carthaginensi Tertio sub Sancto Cypriano, quas Sanctus Augustinus libro 2. de Baptismo contra Donatistas cap. 8. *Etsi non veras, tamen non vilies* vocat.

Prima ratio habetur in sententia Felicis à Migirpa. *Non est Baptisma nisi in Ecclesia unum & verum, quia & Dominus unus, & Fides una est, in qua sunt unum Baptisma & sanctitas, & cætera. Nam quæ foris exercentur, nullum habent salutis effectum.*

Huic rationi respondet Sanctus Augustinus libro 6. de Baptismo contra Donatistas cap. 9. *Si*

non

*non esse Baptisma unum & verum nisi in Ecclesia, non utique esset in eis qui ab unitate discedunt. Est autem in eis, nam id non recipiunt redeuntes, non ob aliud nisi quia non amiserant recedentes. Quod autem ais: Nam quæ foris exercentur, nullum habent salutis effectum: consentio, & omni[illegible]rum esse crede. Aliud est enim non ibi esse, aliud nullum habere salutis effectum. Venientibus enim ad Catholicam pacem, prodesse incipiunt quæ foris inerant, sed foris non proderant.*

Secundam rationem exponit sententia Nemesiani à Tubunis. *Baptisma, quod dant hæretici & schismatici, non esse verum, ubique in Scripturis Sanctis declaratum est: Quoniam ipsi Præpositi eorum falsi Christi sunt, & falsi Prophetæ, dicente Domino per Salomonem: Qui fidens est in falsis, hic pascit ventos, idem autem ipse sequitur aves volantes. Dereliquit autem vias vineæ suæ, & à semitis agri sui erravit. Ingreditur autem per avia loca atque arida, & terram destinet à messe, colligit autem manibus sterilitatem. Et iterum: Ab aqua aliena abstine te, & de fonte alieno ne biberis. Et in Evangelio: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest intreire in Regnum Dei. Hic est Spiritus qui ab initio ferebatur super aquam, neque enim Spiritus sine aqua operari potest, neque aqua sine Spiritu. Malè ergo sibi quidam interpretantur, ut dicant, quod per manus impositionem Spiritum Sanctum accipiant, & sic recipiantur, cum manifestum sit utroque Sacramento debere eos renasci in Ecclesia Catholica. Tunc quippe poterunt filii Dei esse, dicente Apostolo, Curantes servare unitatem spiritus in conjunctione pacis. Unum corpus, & unus Spiritus, sicut vocati estis, in una spe vocationis vestræ. Unus Dominus, una Fides, unum Baptisma, unus Deus. Item Joann. 3. Quod natum est de carne, caro est: & quod natum est de Spiritu, spiritus est. Ergo omnes hæretici & schismatici, quæcumque faciunt, carnalia sunt.*

Respondet Sanctus Augustinus cap. 12. sententiam Nemesiani à Tubunis Catholicæ veritati maximè suffragari. Nonne enim verò, *Non fidit in falsis, qui fidit in spe rerum temporalium, sicut omnes avari atque rapaces, & qui sæculo, non factis, sed verbis renuntiant? Quales tamen intus & baptizare, & baptizari, etiam Cyprianus est testis. Ipsi sequuntur aves volantes, quia non apprehendunt quæ concupiscunt. Deserit autem vias vineæ suæ, &c. non hæreticus tantum, sed omnis qui malè vivit: quia omnis justitia fructuosa est, & omnis iniquitas infructuosa. Qui verò aquam alienam de fonte extraneo bibunt, non hæretici tantum sunt, sed omnes qui non vivunt secundùm ea quæ docet Deus, & vivunt secundùm ea quæ docet diabolus. Nam si de Baptismo diceret, non diceret; Ne de fonte extraneo biberis: sed de fonte extraneo non te ablueris. Porro si non nascitur ex Spiritu, nisi qui veraci conversione mutatur, omnes qui sæculo, verbis, & non factis renuntiant non utique ex Spiritu, sed ex aqua sola nascuntur, qui tamen & intus, teste Cypriano, sunt. Necesse est enim ut unum de duobus concedatur: aut illi qui fallaciter sæculo renuntiant, nascuntur de Spiritu, quamvis ad perniciem, non ad salutem, atque ita possunt & Hæretici: aut si illud quod scriptum est, Sanctus Spiritus disciplinæ effugiet fictum, etiam ad hoc valet ut fallaciter sæculo renuntiantes non nascantur de Spiritu, potest quis baptizari aqua, & non nasci de Spiritu.*

Tertia ratio habetur in sententia Lucii à Castro Galbæ. *Cum Dominus in Evangelio suo dixerit: Vos estis sal terra, si sal infatuatum fuerit, ad nihilum valet, &c. & iterum Apostolis mandaverit, dicens: Ite, Doceto omnes Gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Cum ergo manifestum sit Hæreticos non integram Sacramenti confessionem habere: item Schismaticos non posse condire sapientia spirituali, cum ipsi, ab Ecclesia recedendo, infatuati, contrarii facti sint, fiat sicut scriptum est: Domus contrariorum Legis debent emundationem: & consequens sit eos qui à contrariis baptizati, inquinati sunt, primo purgari, & tum demum baptizari.*

Respondet Sanctus Augustinus cap. 14. hunc non esse Orthodoxæ sententiæ sensum, *Quod homines foras projecti aliquid valeant, vel ad suam, vel ad aliorum salutem. Sed & qui tales videntur intus, inquit, non solum spiritaliter foris sunt, sed etiam corporaliter in fine separabuntur. Omnes enim tales ad nihil valent: nec tamen ideo Baptismatis Sacramentum quod in eis est, nihil est. Nam & in ipsis qui projiciuntur foras, si resipiscant & redeant, salus eis, quæ recesserat, redit; baptisma verò quia non recesserat, non redit.*

Et infra: *Quid ergo raptores & homicidæ non sunt contrarii Legis dicentis: Non occides, non furaberis? Debent ergo emundationem: quis hoc negaverit? Et tamen non solum quicumque à talibus intus baptizantur, sed etiam qui tales non mutati baptizantur, quamvis adhuc purgationem debeant ut mutentur, non tamen ampliùs, cum mutati fuerint, baptizantur. Tanta vis est in Sacramento simplicis Baptismi, ut cùm fateamur aliquem baptizatum & adhuc malè viventem debere mundari; vetemus tamen ulterius baptizari.*

Quarta ratio legitur in sententia Secundini à Cedias. *Cùm Dominus noster dicat, Qui non est mecum, adversus me est: & Joannes Apostolus hos qui ab Ecclesia exierunt, Antichristos dicat: indubitanter hostes Christi, quique Antichristi nominatò sunt, gratiam Baptismi salutaris ministrare non possunt.*

Respondet Sanctus Augustinus cap. 18. libri 6. de Baptismo contra Donatistas: *Christi adversarios omnes esse, quibus dicentibus, Domine, in nomine tuo virtutes multas fecimus, &c. dicturus est. Non novi vos, discedite à me omnes operarii iniquitatis. Si ergo propterea baptizandi sunt ad Ecclesiam venientes Hæretici, ut ab amicis Dei baptizentur: numquid illi avari, raptores, homicidæ, amici Dei sunt? Aut quos baptizaverint, denuo baptizandi sunt?*

Quintam rationem proponit Successus ab Abbir Germaniciana. *Hæreticis aut nihil licet, aut totum licet. Si baptizare possunt, & Spiritum Sanctum dare possunt: Si autem Spiritum Sanctum dare non possunt, quia non habent Spiritum Sanctum datum, nec baptizare spiritualiter possunt.*

Respondet Sanctus Augustinus cap. 23. retorquendo argumentum: *Homicidis aut nihil licet, aut totum licet. Si possunt baptizare, possunt & Spiritum Sanctum dare. Si autem Spiritum dare non possunt, quia non habent Spiritum Sanctum, nec baptizare spiritualiter possunt...... At hoc non est verum. Qui enim odit fratrem suum, homicida est. Et tales noverat intus Cyprianus, qui utique baptizabant. Frustra ergo talia de baptizandis Hæreticis dicta sunt.*

Sextam rationem profert Secundinus à Carpis. *Hæretici Christiani sunt, an non? Si Christiani sunt, cur in Ecclesia Dei non sunt? Si Christiani non sunt, quomodo Christianos faciunt? Aut quò pertinebit sermo Domini dicentis: Qui non est mecum, adversus me est, & qui mecum non colligit, spargit?*

Respondet Sanctus Augustinus cap. 31. retorquendo similiter argumentum: *Iniqui Christiani sunt, an non? Si Christiani sunt, cur in illa petra non sunt, in qua ædificatur Ecclesia? Audiunt enim verba Christi, & non faciunt. Si Christiani non sunt, fiant. Aut quò*

quò pertinebit sermo Domini dicentis : Qui non est mecum, adversus me est ? &c. Spargunt enim oves ejus, qui eas ad morum suorum labem prava imitatione perducunt. Unde constat super filios alienos, qui omnes iniqui appellantur, & soboles Antichristi, Spiritum Sanctum per manus impositionem tantummodò non posse descendere, si cordis non adsit vera conversio : cùm manifestum sit iniquos, quandiu iniqui sunt, Baptisma quidem posse habere, sed salutem, cujus Sacramentum Baptisma est, habere non posse.

Septimam rationem adducit Quietus à Buruch. Scriptum est, inquit, apud Salomonem : Qui baptizatur à mortuo, & iterum tangit mortuum, quid proficit lavatio ejus ? Quod utique de his qui ab hæreticis tinguntur, & de tingentibus loquitur.

Respondet Sanctus Augustinus cap. 34. Quid sit à mortuo baptizari, sine præjudicio diligentioris ejusdem Scripturæ considerationis alibi jam diximus. Quæro autem cur hæreticos solos velint intelligi mortuos, cùm Paulus Apostolus generaliter de peccato dixerit, Stipendium peccati mors ? Et cùm mortuam dicat viduam quæ in deliciis vivit, quomodo non sunt mortui, qui sæculo, verbis, & non factis renuntiant ? Quid ergo proficit lavatio ejus qui ab istis baptizatur, nisi quia & ipse, si talis est, lavacrum habet, sed non ei proficit ad salutem ? Si autem ille à quo baptizatur, talis est, iste verò non falsò corde ad Deum convertitur, non ab illo mortuo baptizatur, sed ab illo vivo, de quo dictum est : Ipse est qui baptizat, quolibet corporaliter hoc operante baptizetur.

Octava ratio est Felicis ab Amaccurra. Si secundum cautum Christi, inquit, privatus fons noster est : qui alieni sunt, nobiscum esse non possunt. Nec duobus populis salutarem aquam tribuere potest ille, qui unius gregis Pastor est.

Respondet Sanctus Augustinus capite 40. libri 6. Scripturas divinas unquam præcepisse ut hæretici apud hæreticos baptizati denuo baptizentur ; sed multis locis ostendisse, alienos esse ab Ecclesia omnes qui non sunt in petra, nec ad Columbæ illius membra pertinent, & tamen baptizare, & baptizari, & habere sine salute Sacramentum salutis. Fons autem noster, qui similis est fonti Paradisi, quòd etiam sicut ille extra Sacramentum profluat, jam satis dictum est. Et quòd duobus populis, id est, suo, & extraneo, salutarem aquam tribuere non potest ille qui unius gregis Pastor est, concedo, atque consentio. Sed numquid quia salutaris non est extraneis, ideo ipse non est ? Aqua enim diluvii constitutis intra Arcam salutaris fuit. Et multi extranei, id est, invidi, quos ex parte diaboli esse Cyprianus dicit, & de Scripturis ostendit, velut intus videntur, & tamen nisi essent extra Arcam, non morerentur per aquam. Talis enim Baptismus, cùm eo malè utuntur, necat, sicut illis de quibus ait Apostolus, Bonus odor Christi eras in mortem. Cur ergo non suscipiunt aliquid cæleste Schismatici, vel Hæretici, sicut spinæ sive Zizania pluviam, sicut ipsi qui extra Arcam fuerunt, aquam de cataractis cæli venientem susceperunt quidem ad perniciem, non ad salutem ?

Nona ratio est Januarii Muzulensis. Eccolesia & hæresis duæ & diversæ res sunt. Si hæretici Baptisma habent, nos non habemus : si autem nos habemus, Hæretici habere non possunt.

Respondet Sanctus Augustinus cap. 31. retorquendo argumentum : Justitia & iniquitas duæ & diversæ res sunt ; si iniqui habent Baptisma, justi non habent : si autem justi habent, iniqui habere non possunt, &c. Hoc autem falsum est. Et illi quippe invidi, qui sunt ex parte diaboli intus positi, Baptismum habebant, nec ad membra illius Columbæ, quæ in petra tuta est, pertinebant.

Decima ratio est Luciani à Rucuma. Scriptum est, Divisit Deus inter lucem & tenebras. Si potest luci & tenebris convenire, potest nobis & hæreticis aliquid esse commune : propterea censeo Hæreticos baptizandos esse.

Respondet Sanctus Augustinus libro 7. de Baptismo contra Donatistas, retorquendo pariter argumentum : Si potest luci & tenebris convenire, potest justis & injustis aliquid esse commune. Censeat ergo illos injustos denuo baptizari, quos in ipsa Ecclesia arguebat Cyprianus : aut si non sunt injusti, qui sæculo, verbis, & non factis, renuntiant, dicat quis potest.

Undecima ratio est Pelogii à Lupercianæ. Scriptum est (inquit) Aut Dominus Deus est, aut Baal Deus est. Ita & nunc, aut Ecclesia Ecclesia est, aut hæresis Ecclesia est. Porro si hæresis Ecclesia non est, quomodo esse apud Hæreticos Baptisma Ecclesiæ potest ?

Respondet Sanctus Augustinus libro 7. cap. 8. retorquendo argumentum, & proferendo instantiam : Aut Paradisus Paradisus, aut Ægyptus Paradisus. Porro si Ægyptus Paradisus non est, quomodo esse in Ægypto aqua Paradisi potest ? Sed dicetur nobis, Etiam illuc exeundo pervenit. Sic ergo ad hæreticos Baptismus. Item dicimus, Aut petra Ecclesia est, aut arena Ecclesia. Porro quia non est arena Ecclesia, quomodo apud eos qui super arenam ædificant, audiendo verba Christi, & non faciendo, esse Baptismus Ecclesiæ potest ? & tamen est, sic ergo & apud hæreticos.

Duodecima ratio est Venantii à Thimisa, quæ ab exemplo ducta est. Si maritus, inquit, peregrè proficiscens, amico suo commendasset uxorem suam custodiendam, commendatam sibi ille, quanta posset diligentia conservaret, ne ab aliquo castitas ejus & sanctitas adulteraretur. Christus Dominus & Deus noster ad Patrem proficiscens, sponsam suam nobis commendavit : utrumne eam incorruptam & inviolatam custodiemus, an integritatem ejus & castitatem mœchis & corruptoribus prodemus ? Qui enim Baptisma Ecclesiæ commune cum hæreticis facit, sponsam Christi adulteris prodit.

Respondet Sanctus Augustinus libro 7. cap. 13. Quid illi, qui cùm baptizantur, labiis, non corde convertuntur ad Dominum ? Nonne adulterinam mentem gerunt ? Nonne ipsi sunt sæculi dilectores, cui non factis, sed verbis renuntiaverunt, & ideo corrumpunt bonos mores per colloquia mala ? Nonne etiam contra istos vigilavit sermo Apostolicus, ubi dicit : Timeo autem ne sicut Serpens Evam seduxit astutiâ suâ, sic & vestræ mentes corrumpantur à castitate quæ in Christo est ? Cum ergo Christi Baptisma Cyprianus habebat commune cum talibus, nunquid ideo Sponsam Christi prodebat adulteris ? An non potiùs monile Sponsi etiam in adultera cognoscebat ?

Decima tertia ratio. Ille potest dare aliquid, qui aliquid habet : Hæretici autem quid possunt dare, quos constat nihil habere ?

Respondet Sanctus Augustinus cap. 29. libri 7. Si ergo potest dare aliquid, qui aliquid habet, manifestum est posse dare Hæreticos Baptismum, quia cùm ab Ecclesia recedunt, habent lavacri Sacramentum quod ibi acceperant. Nam redeuntes non recipiunt, quia non amiserant cum recesserunt.

Decima-quarta ratio est Aurelii à Chululabi. Joannes Apostolus in Epistola sua posuit dicens : Si quis ad vos venit, & doctrinam Christi non habet, nolite eum admittere in domum vestram, & Ave ne illi dixeritis. Qui enim illi dixerit, Ave, communicat factis ejus malis. Quomodo admitti tales in domum Dei possunt, qui in domum nostram privatam admitti prohibentur ? Aut quomodo cum eis sine Ecclesia Baptismo communicare possumus, quibus si Ave tantum

*eandem dixerimus, factis eorum malis communicamus?*

Respondet Sanctus Augustinus lib. 7. cap. 45: *De hoc testimonio Joannis non est diutius differendum, quandoquidem ad quæstionem Baptismi, quam modò tractamus, omnino non pertinet. Ait enim: Si quis ad vos venerit, & doctrinam Christi non habet. Hæretici autem relinquentes doctrinam erroris sui, ad Christi doctrinam convertuntur, ut incorporentur Ecclesiæ & ad illam Columbam incipiant pertinere, cujus Sacramentum habebant: & ideo quod ejus non habebant, eis datur, id est, pax & charitas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta. Quod autem ejus habebant, agnoscitur, & sine ulla contumelia suscipitur: sicut in adultera Deus agnoscit dona sua, etiam cùm illa sequitur amatores suos, quia fornicatione corrupta, cùm ad castitatem convertitur, non dona illa culpantur, sed ipsa emendatur. Sicut se autem posset defendere Cyprianus, si hoc ei Joannis testimonium objiceretur, quando talibus communicabat: ita se defendant, contra quos dicitur. Nam ad istam quæstionem, ut dixi, omnino non pertinet. Joannes enim dicit, aliena doctrina hominibus Ave non esse dicendum; Paulus autem vehementiùs dicit: Si quis frater nominatur inter vos, aut avarus, aut ebriosus, &c. cum ejusmodi nec cibum quidem simul sumere: & tamen cum Collegis fœneratoribus, insidiosis, fraudatoribus, raptoribus, non privatam mensam, sed Dei altare habebat commune Cyprianus.*

Hæ sunt Sancti Cypriani, & Africanorum Antistitum rationes: hæ responsiones Sancti Augustini, qui falsum, quo illa omnia nitebantur argumenta, fundamentum his verbis detegit libro 6. contra Donatistas cap. 1. *Nec ob aliud illis temporibus, quando illa quæstio contra veterem consuetudinem disputationibus, salva charitate atque unitate, altercantibus discutiebatur, visum est quibusdam, etiam egregiis viris, Antistitibus Christi, inter quos præcipuè Beatus Cyprianus eminebat, non esse posse apud Hæreticos vel Schismaticos Baptismum Christi, nisi quia non distinguebatur Sacramentum ab effectu, vel usu Sacramenti. Et quia ejus effectus atque usus in liberatione à peccatis, & cordis rectitudine apud Hæreticos non inveniebatur; ipsum quoque Sacramentum non illic esse putabatur.*

S. Athanasii locus explicatur.

Objectio sexta nititur auctoritate Sancti Athanasii Oratione 3. contra Arianos ita scribentis: *Ariani autem in periculum veniunt, ne amittant integritatem Mysterii; loquor autem de Baptismate. Si enim in nomine Patris, & Filii, datur perfectio, plenaque initiatio; Patrem autem verum illi non pronuntiant, eò quod negent aliquid ex ipso existere, & similem esse illius substantia, negant quoque verum Filium, aliumque ex non entibus conditum sibi commiscentes, in Baptismate proferunt. Quî, quæso, non planè vanum, ac inutile fuerit Baptisma, quod ab illis datur, cùm id nonnisi species sit, ac inane simulachrum, ipsique ea re nihil solidæ opis afferunt ad pietatem? Non enim in Patre & Filio tribuunt Baptisma Ariani; sed in Creatore & creatura, in Factore & factura. Sicut igitur creatura diversum quiddam est à Filio, ita diversum quid à vero Baptismate est, quod ab illis existimatur dari, tametsi nomen Patris, & Filii, quia illa in Scripturis vident, simulent se nominare. Non enim qui simpliciter ait, Domine, is est qui donat legitimum Baptismum, sed qui nomen exprimit, & fidem certam habet. Ideoque Salvator, non quovis modo baptizandum præcepit: sed primùm dixit, Docete, ac deinde, Baptizate in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, ut ex doctrina recta fides oriretur, & cum fide Baptismatis, integra initiatio perficeretur. Certè alia etiam hæreses, eaque numero non exigua nomine tenus ritum istum pronuntiant; sed non recta sentientes, ut dictum est, neque sanam fidem retinentes, inutilem possident aquam, quam impertiunt, nimirum numine & religione destitutam, adeoque ut qui ab illis asperguntur, sordescant potiùs prava religione, quam redimantur.* Igitur Baptismus ab Hæreticis collatus, irritus est.

Respondeo, Sanctum Athanasium eò loci Baptisma quidem Hæreticorum nullum asserere, quoad effectum gratiæ, in adultis, qui ipsorum hæresi communicant, non verò quoad characterem; seu illegitimum quidem existimare baptisma istud, non autem invalidum, ac proinde iterandum. Id indicant hæc Athanasii verba: *Planè vanum ac inutile baptisma . . . Nihil solidæ opis afferunt ad pietatem ... Inutilem possident aquam*, &c. Hunc porro Sancti Athanasii sensum illa etiam verba demonstrant: *Ariani in periculum veniunt ne amittant integritatem Mysterii.* Nam si invalidum irritumque censuisset Baptisma collatum ab Arianis, absolutè dixisset, *Ariani amiserunt integritatem Mysterii.* Dixit autem illos in periculum venire ne Baptismi integritatem violarent, quia cùm de Filio Dei malè sentirent, eumque redigerent in ordinem creaturarum, facillimum erat, ut ipsi suum in formam Baptismi transfunderent errorem, eumque conferrent, In nomine Patris majoris & Filii minoris, vel Patris creantis, & Filii creati, quo casu, nedum illegitimum, sed etiam invalidum Baptisma extitisset.

Contrà. Baptisma, quod tam diversum est à vero Baptismate, quàm creatura diversa est à Filio, penitus invalidum est. Sed ex Sancto Athanasio Baptisma collatum ab Arianis tam diversum est à vero Baptismate, quàm creatura diversa est à Filio: invalidum igitur est.

Respondeo, distinguo majorem: Si tam diversum sit quoad omnia, concedo; quoad aliqua dumtaxat, nego. Distinguo etiam minorem: Tam diversum est à vero Baptismate, quoad effectum & usum Sacramenti, concedo; quoad substantiam Sacramenti, nego.

Respondetur testimonio S. Cyrilli Hierosolymitani.

Objicitur septimò auctoritas Sancti Cyrilli Hierosolymitani in Præfatione Catecheseon dicentis: *Non licet bis, aut ter, hoc lavacro uti ut si fortè semel fueris eo frustratus, deinceps corrigas: si enim semel illo frustraberis, ampliùs id correctionem non patitur: Unus enim Dominus, & una Fides, & unum Baptisma. Nam soli hæretici rebaptizantur: siquidem prius illud non erat Baptisma.* Quibus verbis hac in materia nihil desiderari potest luculentius.

Respondeo, Sanctum Cyrillum asserere, quòd soli Hæretici rebaptizantur, non quidem omnes, sed aliqui, nimirum qui Baptisma verbis Evangelicis non conferebant, ut Paulianistæ. Vel, si de omnibus hæreticis id intelligendum censeas, respondeo, tunc in aliquibus Ecclesiis Orientalibus nondum antiquatum fuisse morem hæreticos rebaptizandi, & in Cappadocia, necnon Hierosolymis viguisse: quia nondum à Nicæna Synodo per consequentiam definitum intelligebant, ut omnium Hæreticorum ratus haberetur Baptismus. Unde, quoad istas Ecclesias, illa controversia nondum eliquata erat Plenarii Concilii auctoritate: quam tamen in Plenario totius orbis Concilio finitam ac diremptam cùm postea cognovissent, pristinam de rebaptizandis Hæreticis consuetudinem deposuerunt.

Objectionem octavam suppeditat Sanctus Basilius Magnus Epistola prima Canonica ad Amphilochium, Canone 1. & Epistola 5. Canone 47. ubi disertè reprobat Hæreticorum Baptisma, & ab ipsis baptizatos rebaptizandos esse decernit. Priori

Sententia S. Basilii de Baptismo Hæreticorum.

in loco ait primò, varias fuisse in Orientalibus Ecclesiis de Baptismate Hæreticorum sententias. *Quæ itaque*, inquit, *ad Catharos pertinent quæstiones, & prius dicta sunt, & rectè admonuisti quod oportet uniuscujusque regionis morem sequi, quod variæ fuerint de ipsorum Baptismate dissensiones, eorum qui tunc de istis disseruerunt. Pepuzenorum autem Baptismus nullam mihi habere rationem videtur: & miratus sum quomodo hoc Magnum Dionysium, qui fuit Canonum peritus, præterit.*

Postquam autem Pepuzenorum Baptismum rejiciendum esse dixit, Veterum ea de controversia sententiam subjicit. *Antiqui enim*, inquit, *illum Baptismum suscipiendum putarunt, qui nihil à fide recedit.* Id ut probet, distinctionem exponit ab antiquis factam inter hæreses, schismata, & illegitimos Conventus. *Unde alia quidem*, inquit, *hæreses nominaverunt, alia verò schismata, alia rursus illegitimos Conventus. Hæreses quidem, eos qui omnino abrupti sunt, & in ipsa fide sunt abalienati: Schismata autem, eos qui propter aliquas Ecclesiasticas caussas, & medicabiles quæstiones inter se dissident: illegitimos autem Conventus, Congregationes quæ fiunt à rebellibus Presbyteris, vel Episcopis, & ab immorigeris populis. Ut si quis peccavisse convictus, sit à sacrorum Ministerio prohibitus, & is Canonibus se non submisit, sed sibi Præsulatum & sacrum Ministerium attribuit, & quidam cum eo recesserunt, relictâ Ecclesiâ Catholicâ, id illegitimus Conventus est. Schisma autem est, de Pœnitentia dissentire ab iis qui sunt ex Ecclesia. Hæresis autem est, ut Manichæorum, & Valentinorum, & Marcionistarum, & horum ipsorum Pepuzenorum. Statim enim de ipsa in Deum fide est dissensio.*

Hac distinctione positâ velut principio, Veterum sententias circa Baptismum, ab Hæreticis, à Schismaticis, & à seditiosis Catholicæ Ecclesiæ alumnis collatum, exponit. *Visum est ergo antiquis*, inquit, *Hæreticos quidem omnino rejicere: qui se autem absciderunt, qui Schismatici dicuntur, ut qui adhuc sint Ecclesia, admittere: eos autem qui sunt in Parasynagogis, & illegitimis Conventibus, convenienti pœnitentia & conversione correctos, rursus Ecclesiæ conjungere. Ut sæpe ii qui in gradu collocati cum rebellibus abierunt, postquam eos pœnituerit, in eundem ordinem admittantur.*

Jam quid de Pepuzenorum, Novatianorum, & Encratitarum Baptismo sentiendum sit, sigillatim suscipit exponendum. *Pepuzeni ergo*, inquit, *sunt apertè hæretici. In Sanctum enim Spiritum blasphemaverunt, Montano & Priscillæ Paracleti appellationem nefariè & impudenter attribuentes...... Quamnam ergo habet rationem verum eorum Baptisma judicari, qui in Patrem, & Filium, & Montanum, Priscillamve baptizant? Non enim sunt baptizati, qui non in ea quæ nobis tradita, baptizati sunt. Quare etiamsi hoc Magnum Dionysium latuit, nobis tamen non est servanda erroris imitatio. Ipsa enim absurditas est omnibus aperta & evidens, qui modò rationis, vel parva ex parte, sunt participes.*

De Novatianorum autem Baptismate Sancti Cypriani & Firmiliani sententiam primùm refert his verbis: *Verum enimverò Antiquis visum est, Cypriano dico, & nostro Firmiliano, eos omnes uni calculo subjicere, Catharos, & Encratitas, & Hydroparastatas, & Apotactitas, quoniam separationis quidem principium per schisma; qui autem se ab Ecclesia abjunxerunt, non habent amplius in se gratiam Spiritus. Defecit enim traditio, quod discissa sit consequentia. Qui enim primi recesserunt, Ordinationem à Patribus habebant, & per manuum impositionem habebant spiritualem gratiam. Qui autem abrupti sunt, Laici effecti, nec baptizandi, nec ordinandi habent potestatem, ut qui non possint amplius Spiritus Sancti gratiam aliis quoque præbere, a qua ipsi exciderant. Quare eos qui ab ipsis baptizati erant, tamquam à Laicis baptizatos, jusserunt, ad Ecclesiam venientes, vero Ecclesiæ Baptismo expurgari.*

Veterum opinione recensita, censet non esse sequendam, secundùm præsentem Ecclesiæ Orientalis Disciplinam, quia in Concilio Asiatico sancitum est, Novatianorum Baptisma, œconomiæ alicujus gratiâ suscipiendum esse. *Sed quoniam*, inquit, *nonnullis Asiaticis omnino visum est, propter multorum œconomiam & dispensationem, eorum Baptisma suscipi, suscipiatur.*

De Baptismate denique ab Encratitis collato, subtimidè pronuntiat, illud improbandum esse, nisi forsan universali œconomiæ obesset ista severitas: tunc enim consuetudini morem esse gerendum. Cur autem illorum Hæreticorum, sive potiùs Schismaticorum (juxta distinctionem ex Sancto Basilio præmissam) abrogandus sit Baptismus; cùm tamen Schismatici tunc temporis non rebaptizarentur, caussam hanc Sanctus Basilius assignat, quòd interdum, ritu ab Ecclesia alieno, baptizarent. Quod tamen non sic intelligendum puto, quasi Baptismi formam violaverint, quia Sanctus Basilius eorum Baptisma, hac in hypothesi, œconomicè recipiendum esse non decrevisset. *Encratitarum autem facinus*, inquit, *oportet nos intelligere, quòd ut eos reddant non suscipiendos ab Ecclesia, aggressi sunt deinceps proprio Baptismate præoccupare, unde suam quoque consuetudinem depraverunt. Existimo ergo, quod quoniam nihil est de his apertè dictum, oportet nos eorum Baptisma abrogare: & si quis ab eis acceperit, eum ad Ecclesiam accedentem baptizare. Quòd si hoc universali œconomiæ sit impedimento futurum, rursus consuetudine utendum est, & sequi oportet Patres, qui, quæ ad nos pertinent, providerunt. Vereor enim ne, ut eos volumus circa Baptismum tardos facere, eos qui servantur, impediamus, propter severitatem mandati.*

Epistola verò secunda, Canone 47. decernit Encratitarum, Saccophororum, & Apotactitarum Baptisma prorsus irritum esse. *Encratitæ*, inquit, *& Saccophori & Apotactitæ, subjiciantur eidem rationi, cui & Novatiani, quia de illis editus est Canon, etsi diversus: quæ autem ad eos pertinent, silentio prætermissa sunt: nos autem, una eademque ratione eos omnes rebaptizamus. Si autem prohibita est apud vos hæc rebaptizatio, sicut & Romanis, alicujus œconomiæ gratiâ: nostra tamen ratio vires obtineat, quia eorum veluti Marcionistarum germen sit eorum hæresis, nuptias abhorrentium & aversantium vinum, & Dei creaturam inquinatam esse dicentium. Eos igitur in Ecclesiam non admittimus, nisi in nostrum Baptismum baptizati fuerint. Ne dicant enim, In Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum baptizati sumus, qui quidem Deum esse malorum effectorem existimant, instar Marcionis & reliquarum hæresum. Quamobrem, si hoc placuerit, oportet plures convenire Episcopos, & sic Canonem exponere, ut & is qui fecit, sit extra periculum, & qui respondet, in responsione de fide dignus habeatur.* Ex his porrò omnibus evidens est, Sanctum Basilium Hæreticorum omnium Baptisma irritum existimasse. Ergò Hæreticorum Baptisma nullum est.

Responsio P. Nicolai refellitur.

Respondent quidam, Sanctum Basilium de quibusvis Hæreticis non loqui, sed de illis dumtaxat, qui circa fidem Trinitatis, adeoque circa Baptismi formam errabant, quamvis eam integrè proferrent. Nondum enim ex Ecclesiæ Decretis exploratum erat, an illorum etiam Baptisma suscipiendum

dum esset. Hujus nempe quæstionis ambiguitas Orientales adduxerat, ut posteriores illius ordinis Hæreticos rebaptizarent. Quamobrem Saccophoros, Encratitas, & Apotactitas novo Baptismo initiabant, quia Marcionitarum germen erat eorum hæresis, ut ait Sanctus Basilius. Unde in priori Epistola in exemplum rebaptizandorum Pepuzianos affert, qui in Spiritum Sanctum blasphemarunt, Montano & Priscillæ Paracleti appellationem impudenter ac nefariè tribuentes. Unde, inquiunt illi Authores, Sanctus Basilius illos Hæreticos verum Baptisma non habere ideo sensit, quia infideles prorsus illos putabat; nec erat adhuc ab Ecclesia definitum, utrum infideles, & qui verum Baptisma non habebant, conferre illud possent. Unde ad hoc decernendum, Episcopos congregari Sanctus Basilius cupiebat. Nec mirum, cùm nec Sanctus Augustinus Basilio longè posterior, id affirmare ausus fuerit, sine Concilii auctoritate, ut constat ex illius libro 7 de Baptismo contra Donatistas cap. 53. Verùm quamvis hæc solutio viris eruditis placuerit; ipsam tamen inanem esse existimo. Nam Sanctus Basilius Hæreticos definivit, *Qui omninò abrupti sunt & in ipsa fide sunt abalienati.* Illa autem definitio non iis tantum convenit quorum error circa Sanctissimæ Trinitatis Mysterium versatur, sed etiam qui circa fidem errant alio quovis modo. Unde Sanctus ipse Basilius Pepuzenos in Hæreticorum ordine recenset; quia fidem, qua in Deum credere debemus, violabant. *Statim enim*, inquit, *de ipsa in Deum fide est dissensio.* Nec tamen Pepuzeni, qui Montanistarum species erant, ullo circa Sanctissimæ Trinitatis fidem errore tenebantur, ut in Historia secundi Sæculi, Dissertatione singulari probavimus. Accedit, quòd Sanctus Basilius Apollinarium alibi hæreticum vocat, cujus tamen error non circa Trinitatis, sed circa Incarnationis Mysterium versabatur. Hæreticorum igitur nomine, quorum Baptismum rejiciendum esse scripsit, non eos dumtaxat intellexit Hæreticos, qui circa fidem Trinitatis errabant. Adde, quod si Sanctus Basilius Hæreticorum appellatione eos tantùm complexus esset, qui in fide Trinitatis errabant, vel alios Hæreticos omnino prætermisisset, quod incredibile est; tùm quia mutila fuisset ipsius divisio, tùm quia de omnium Baptismate fuerat excitata in Orientis Ecclesiis controversia: vel sub altero divisionis membro illos involvisset, nimirum sub Schismaticis. Hoc autem verisimile nullatenus est. Definit enim Sanctus Basilius Schismaticos: *Qui propter aliquas Ecclesiasticas caussas & medicabiles quæstiones, inter se dissident.* Nemo autem dixerit, hæreses quæ Mysterium Trinitatis non impugnant, sed veritatem verbi gratiâ humanitatis Christi, spectare caussas Ecclesiasticas, & medicabiles quæstiones. Necesse igitur est ut Sanctus Basilius priori suæ divisionis membro quoscumque Hæreticos fuerit complexus, & omnium Baptisma æquè irritum senserit.

Tertiò. Encratitæ, & Hydroparastatæ, & Apotactitæ, quos Sanctus Basilius inter Hæreticos recenset, quorumque Baptisma rejicit, fidem Sacrosanctæ Trinitatis non violabant. Illis enim solùm tribuit quòd Deum effectorem dicerent malorum. At potest hic error cum recta de Trinitatis Mysterio sententia cohærere. Unde etsi Calvino tribuant Polemicæ Theologiæ Authores, quòd Deum senserit mali Authorem: nemo tamen ipsi errorem contra Mysterium Sanctissimæ Trinitatis affinxit. Denique commentum est, quòd Sanctus Basilius Pepuzenos, Encratitas, Arianos, Macedonianos, Apollinaristas in Ethnicorum ordinem redegerit, ac propter eam caussam dumtaxat eorum Baptisma improbaverit, quòd incertum esset an Baptisma collatum à Pagano, & ab eo qui Baptismate initiatus non fuerat, validus esset. Cùm itaque illa responsio, tota quanta est, metum sit effugium:

Respondeo, Sanctum Basilium, & ejus Ecclesiam, tunc adhuc fuisse in errore Firmiliani, quem à Nicæna Synodo per consequentiam damnatum nondum intelligebant. Unde hac in caussa deserendus est. Ecclesiæ enim judicium, quorumdam Patrum testimoniis anteponendum est. Patribus autem *credendum est hac lege, ut quicquid, vel omnes, vel plures uno eodemque consensu, manifeste, frequenter, perseveranter, velut quodam sibi consentiente Magistrorum consilio, accipiendo, tenendo, tradendo, firmaverint; id pro indubitato, certo, ratóque habeatur: quicquid verò, quamvis ille sanctus ac doctus, quamvis Episcopus, quamvis Confessor & Martyr, præter omnes, aut etiam contra omnes senserit, id inter proprias, & privatas, & occultas opiniunculas, à communis & publicæ generalis sententiæ auctoritate secretum sit.*

Objectio nona petitur ex Optato Milevitano lib. 5, contra Parmenianum p. 38. ubi fatetur Hæreticos verum Baptisma non habere, sed Schismaticos communia cum Catholicis habere Sacramenta contendit. Unde sic Parmenianum alloquitur: *Benè,* inquit, *clausisti hortum hæreticis, bene revocasti claves ad Petrum, bene abstulisti colendi potestatem, ne arbusculas colerent ii, quos ab hortulo & Paradiso Dei constat alienos. Bene subduxisti annulum iis, quibus aperire non licet ad fontem. Vobis verò Schismaticis, quamvis in Catholica non sitis, hæc negari non possunt, quia nobiscum vera & communia Sacramenta traxistis. Quare cùm hæc omnia Hæreticis bene negentur: quid tibi visum est, hæc & vobis negare voluisse, quos Schismaticos esse manifestum est? Vos enim foras existis, quantùm in vobis est. Volebam ut soli damnarentur hæretici: quantum in se est, & jam vos ipsos cum eis una sententia ferire voluisti.* Hæreticorum igitur Baptisma irritum existimavit Sanctus Optatus Milevitanus.

5 Optatus Milevitanus Baptismum omnium hæreticorum non improbat.

Respondeo, Sanctum Optatum omnium Hæreticorum Baptisma non improbare, sed eorum dumtaxat, qui Baptismum verbis Evangelicis non conferunt, & habent varia & falsa Baptismata: quod Schismaticis non convenit, qui formam ac ritum baptizandi servant, quem ab Ecclesia didicerunt. Hic Optati sensus ex verbis antecedentibus colligitur. *Satis te mirer,* inquit, *frater Parmeniane, cùm Schismaticus sis, Schismaticos Hæreticis adjungere voluisse: aut si sic tibi videtur, & ita placet, contra illa quæ à te paulò ante sunt dicta: dixisti enim fieri non posse, ut in falso Baptismate inquinatus abluat, immundus emundet, supplantator erigat, perditus liberet, reus veniam tribuat, damnatus absolvat. Bene hæc omnia potuerunt ad solos Hæreticos pertinere, quia falsaverunt Symbolum, dum alter dixerit duos Deos, cùm Deus unus sit: alter Patrem vult in persona Filii cognosci: alter carnem subducens Filio Dei, per quam Deo reconciliatus est mundus: & cæteri hujusmodi, qui à Sacramentis Catholicis alieni esse noscuntur. Quare pœniteat te talibus hominibus etiam Schismaticos adjunxisse. In te enim convertisti sententiæ gladium, dum æstimas quia alteros appetebas. Et non attendisti inter Schismaticos & Hæreticos quàm sit magna distantia. Inde est quòd ignoras, & quæ sit sancta Ecclesia, & sic omnia miscuisti. Catholicam facit simplex & verus intellectus, intelligere singulare ac verissimum Sacramentum, & unitas animorum: Schisma verò, sponso coagulo pacis, dissipatis sensibus generatur, livore nutritur, æmulatione & litibus roboratur*

*ratur, ut deserta Matre Catholica, impii filii dum foras exeunt, & se separant, ut fecistis, à radice matris Ecclesiæ, invidiæ falcibus amputati, errando rebelles ascendant.* *Nec possunt novum aliquid aut aliud agere, nisi quod jamdudum apud suam didicerunt matrem. Hæretici verè veritatis exules, sani & verissimi Symboli desertores, de sinu Ecclesiæ sanctæ impiis sensibus depravati, contempto quòd bene fuerant geniti, ut ignorantes & rudes deciperent, de se nasci voluerunt. Et qui jamdudum vitalibus pasti fuerant cibis, corruptelâ malæ digestionis,* *in pernicie miserorum, disputationibus impiis venena mortifera vomuerunt. Vides ergo, frater Parmeniane, Hæreticos à domo veritatis extorres, solos habere varia & falsa Baptismata: quibus inquinatus non possit abluere, immundus emundare, supplantator erigere, perditus liberare, reus veniam tribuere, damnatus absolvere.*

Contra. Ex eodem Optato lib. 5. pag. 89. Fides Ministri æquè necessaria est ut sit ratum Baptisma, ac invocatio Sanctissimæ Trinitatis; sed invocatio Sanctissimæ Trinitatis ita necessaria est, ut absque illa Baptisma sit irritum: ergo & Ministri fides.

Probatur major ipsis Optati verbis. *In hoc*, inquit, *Sacramento Baptismatis celebrando, tres esse species constat, quas & vos nec augere, nec minuere, nec prætermittere poteritis. Prima species est in Trinitate, secunda in credente, tertia in operante. Sed non pari libramine ponderanda sunt singula. Duas enim video necessarias, & unam quasi necessariam. Principalem locum Trinitas possidet, sine qua res ipsa non potest geri: hanc sequitur fides credentis. Jam persona operantis vicina est, quæ simili auctoritate esse non potest. Trinitas enim semper ipsa est: fides in singulis una est: vim suam semper retinent ambæ. Persona verò operantis intelligitur duabus prioribus speciebus par esse non posse, ideo quod sola esse videatur mutabilis. Inter nos & vos vultis ejusdem personæ esse distantiam: & sanctiores vos æstimantes, superbiam vestram non dubitatis anteponere Trinitati: cùm persona operantis mutari possit, Trinitas mutari non possit.*

Respondeo, nego majorem. Ad ejus probationem respondeo, Sanctum Optatum hoc in loco postulare fidem suscipientis, qui adultus est, ut Baptisma sit ratum, non verò fidem Ministri. Cùm enim personam operantis, id est conferentis Baptisma, distinguat à persona credentis, evidens est ipsum non exigere fidem, ut absolutè necessariam in Ministro Sacramenti, sed solùm in suscipiente Sacramentum; fidem, inquam, si non omnium Articulorum Symboli, saltem Dei, Christi, & ipsius, quod suscipit, Baptismatis. *Ab hæreticorum*, inquit, *erroribus, & ab eorum varia fide fides unica separatur. Et jam vobis præscribitur, qui post semel, iterum facitis, totum ponendo in dotibus, nihil in Sacramentis. Cùm hoc nomen fidei pertineat ad credentem, non ad operantem. Quocumque enim interrogante, qui credidit, Deo credidit: & post illius unum credo, tu exigis alterum credo.*

Et infra: *Operarii mutari possunt, Sacramenta mutari non possunt. Cùm ergò videatis, omnes qui baptizant operarios esse, non dominos, & Sacramenta per se esse sancta, non per homines, quid est, quòd vobis tantum vindicatis? Quid est quod apud vos solos munus principale esse dicitis? Quid est quod Deum muneribus suis excludere contenditis? Concedite Deo præstare quæ sua sunt. Non enim potest munus ab homine dari, quod divinum est. Si sic putatis, & Prophetarum voces, & Dei promissa inanire contenditis, quibus probatur quia Deus lavat, non homo. Adest contra vos David Propheta, qui ait in Psalmo 50.*

A *Lavabis me, & super nivem dealbabor. Item in eodem Psalmo: Deus, lava me ab injustitiâ meâ, & à delicto meo munda me: Lava me, dixit: non dixit, Elige per quem laver. Et Isaias Propheta sic dixit: Quoniam abluit Dominus sordes filiorum & filiarum Sion. Non dixit, Lavabunt me qui se Sanctos putant, Dignamini ut vel Prophetæ vos vincant, vel sic agnoscite quia non lavat homo, sed Deus: Quamdiu dicitis, Qui non habet quod det, quomodo das? Videte Deum esse datorem: Videte Deum unumquemque mundare. Sordes enim & maculas mentis lavare non potest, nisi qui ejusdem fabricator est mentis.*

B Et infra: *Redeo nunc ad illud vestrum quod dicitis: Qui non habet quod det, quomodo dat? Unde hæc vox est? De qua lectione recitari potest: Vox est de vico, non de libro collecta. Qui non habet quod det, quomodo dat? Hæc verba scripta in Lege non sunt. Nam si, ut vultis, homo dat, Deus vacat. Et si Deus vacat, & apud vos est omne quod dandum est, ad vos fit conversio, quos baptizatis, in nomine vestro tinguntur ... Humana sunt opera; sed Dei sunt munera. Jam illud quàm ridiculum est, quod quasi ad gloriam vestram semper auditur: Hoc munus Baptismatis, est dantis, non accipientis. Et utinam hoc de*
C *Deo diceretis, qui hujus rei dator est! Sed quod stultum est, vos dicitis esse datores. Si ita est, & nos & vos teneamus singulos Gentiles. Vos, qui vos Sanctos dicitis, interrogate eum quem tenetis, an renuntiet diabolo, & credat Domino: & ille dicat, Nolo: contra nos peccatores, ut vultis interrogemus alterum Gentilem an renuntiet diabolo, & credat Deo, & dicat, Renuntio, & credo. Cùm vos tingatis nolentem, nos volentem: dicatur quis eorum possit ad Dei gratiam pertinere. Utique sine dubio ille consequitur qui credit, non ille pro cujus voluntate, ut dicitis, sanctitas vestra successit.*

D Id explicat subindè Optatus exemplis humanarum artium. *Operarios vos vel fere cognoscite* (inquit) *Aut si in operario est res ipsa, & non in se, hoc sibi vindicent & aliqui homines in artibus suis, ut quia sic provocatis ad res divinas, etiam artes comparemus humanas. Cum pretiosis inficitur color, natura sæpe convertitur. Dum confectione vellus candidum purpurascit, sic alba lana regalem transit in purpuram Quomodo Cathecumenus in fidelem? Utique dum incipit esse quod non erat, desinit esse quod fuerat. Lana & colorem mutat, & nomen. Homo & vocabulum mutat, & mentem. Considerata sunt effecta,*
E *retractanda sunt efficientia. Dicis à te datum esse, quòd homo fidelis effectus est. Si hoc totum meum est, dicat & operarius purpuræ, quod pretiosum colorem in manibus suis habeat, non procuret pretiosa pigmenta ex Oceano multis ignota, quibus tincta vellera, per colorem promoveantur in admirabilem dignitatem: non admixto sanguine piscis, purpuram solo tactu conficiat. Igitur ut operarius iste, per tactum solum dare colorem non potest; sic nec operarius Baptismatis, ex se, sine Trinitate, dare aliquid potest. Tale est hoc unde modo certamen est. Nam in quo baptizarentur Gentes, à Salvatore mandatum est: per quem baptizentur nulla exceptione discretum est. Non dixit Apostolis:*
F *Vos facite, alii non faciant. Quisquis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, baptizaverit, Apostolorum opus implevit.* Ex quibus omnibus evidentissimè colligitur, Optatum Milevitanum fidem aut sanctitatem Ministri minimè necessariam existimasse, ut ratum sit Baptisma, sed ratum habuisse, cum tota Ecclesia Africana, modò verbis Evangelicis collatum esset.

DISSERTATIO.

# DISSERTATIO XXIV.

## PRÆCEDENTIS APPENDIX.

De Concilio Plenario, quod controversiam de Baptismo Hæreticorum diremit, juxta sententiam Sancti Augustini.

---

## QUÆSTIO UNICA.

*Utrùm nomine Plenarii Concilii, in quo Quæstio de Baptismate Hæreticorum finita est, Sanctus Augustinus Arelatense Primum, vel Nicænum intellexerit?*

HÆc quæstio inter duos viros eruditos ab aliquot annis agitata fuit magno disputationis æstu, scilicet inter Joannem Launoium, & P. Joannem Nicolaï, in Dissertatione de Concilio Plenario. Stetit ille pro Arelatensi, hic pro Nicæno. Pertinacissima fuit ex utraque parte contentio. Scriptis ab utroque Auctore ventilata controversia est, stylo nimis acri & mordaci. Dixisses de summa Catholicæ Fidei inter illos agi, cùm tamen haud tanti res momenti viris, qui ex opinione præconcepta minimè judicant, videatur. De illa hîc judicium ferémus, ne præcedentis Dissertationis complemento & intelligentiæ aliquid desit.

## PROPOSITIO I.

*Nomine Plenarii Concilii, in quo quæstionem de Baptismate Hæreticorum finitam, & eliquatam passim scripsit Sanctus Augustinus, non intellexit ille Arelatense Concilium Primum.*

Probatur. Concilium in quo quæstio de Baptismate Hæreticorum finita est, Sanctus Augustinus non tantùm Plenarium absolutè vocavit, sed *Plenarium Ecclesiæ universæ Concilium, Plenarium totius orbis Concilium, sanctum Concilium cunctarum Gentium*, quod universalem Ecclesiam ligaret: atqui hæ Concilii Plenarii notiones Arelatensi non conveniunt, juxta Sancti Augustini sententiam, & secundùm rei veritatem: igitur Sanctus Augustinus Plenarii Concilii nomine, in controversia de Baptismo Hæreticorum, non intellexit Arelatense Primum.

Probatur minor. *Concilii Plenarii Ecclesiæ universæ, totius orbis, cunctarum Gentium* nomine, Concilium Oecumenicum intellexit Sanctus Augustinus: Et verò intelligendum esse fatebitur, quisquis Oecumenici Concilii notionem capiet. Atqui Concilium Arelatense Oecumenicum haberi, repugnat & Sancti Augustini sententiæ, & rei veritati. Illæ igitur Plenarii Concilii notiones, Arelatensi non conveniunt, juxta Sancti Augustini sensum, & rei veritatem.

Probatur major. Ille nomine Concilii Plenarii *Totius orbis, universæ Ecclesiæ, cunctarum Gentium*, Oecumenicum Concilium intellexit, qui plenarium Concilium eo sensu vocatum, opposuit Conciliis *per singulas Provincias, & regiones* celebratis, velut majoris auctoritatis atque roboris: nam Provincialibus, Nationalibusque Conciliis Oecumenica sola superiora esse, nemo nescit, qui Conciliorum divisionem novit. Atqui Sanctus Augustinus A Plenarium Concilium totius orbis, universæ Ecclesiæ, cunctarum Gentium, opposuit Conciliis per singulas Provincias & regiones celebratis. Eo igitur nomine Concilium Oecumenicum intellexit.

Probatur minor ex lib. 1. de Baptismo contra Donatistas cap. 7. *Quæstionis hujus obscuritas, prioribus Ecclesiæ temporibus, magnos viros, & magna charitate præditos Patres, Episcopos, ita inter se compulit salva pace disceptare, atque fluctuare, ut diu Conciliorum, in suis quibusque regionibus, diversa statuta nutaverint; donec Plenario totius orbis Conci-* B *lio, quod saluberrimè sentiebatur, etiam remotis dubitationibus, firmaretur.*

Sic usurpat eadem in caussa Plenarii Concilii nomen lib. 2. cap. 3. ubi ait: *Episcoporum literas, quæ post confirmatum Canonem, vel scripta sunt vel scribuntur, & per sermonem fortè sapientiorem cujuslibet in ea re peritioris, & per aliorum Episcoporum graviorem auctoritatem, doctioremque prudentiam & per Concilia licere reprehendi, si quid in eis fortè à veritate deviatum est. Et ipsa Concilia, quæ per singulas regiones, vel provincias fiunt, Plenariorum Conciliorum auctoritati, quæ fiunt ex universo orbe Christia-* C *no, sine ullis ambagibus cedere.*

Et cap. 4. *Quapropter*, inquit, *Sanctus Cyprianus tanto excellentior, quantò humilior . . . satis ostendit facillimè se correcturum fuisse sententiam suam, si quis ei demonstraret Baptismum Christi sic dari posse ab eis qui foras exierunt, quemadmodum amitti non potuit, cùm foras exirent. Nec nos ipsi tale aliquid auderemus asserere, nisi universæ Ecclesiæ concordissima auctoritate firmati: cui & ipse sine dubio cederet, si jam illo tempore quæstionis hujus veritas eliquata & declarata, per Plenarium Concilium solidaretur. Si enim Petrum laudas & prædicas: ab uno posteriore* D *Collega patienter concorditerque correctum: quantò citius ipse, cum Concilio Provinciæ suæ Universi Orbis Auctoritati, patefacta veritate, cessisset?*

Et infra in eodem capite: *Quomodo*, inquit, *potuit ista res tantis altercationum nebulis involuta, ad Plenarii Concilii luculentam illustrationem confirmationemque perduci, nisi primò diutiùs per orbis terrarum regiones, multis hinc atque hinc disputationibus & collationibus Episcoporum pertractata constaret?* Porrò nulli Concilio cessisset Sanctus Cyprianus, cum Africanis Synodis, nisi Concilio Oecumenico: igitur Sanctus Augustinus, Concilii Plenarii no- E mine, cui Sanctus Cyprianus cessisset, Oecumenicum intellexit.

Sic etiam accipit Plenarii Concilii nomen cap. 17. lib. 5. ubi de Sancto Cypriano ita loquitur: *Neque enim ei placeo, si ejus ingenium, facultatemque sermonis, & doctrinæ ubertatem, sancto Concilio cunctarum Gentium præponere affectem . . . . Neque illius huic sententiæ, in qua ei visum est aliter suscipiendos ab Hæreticis venientes, quàm vel in præteritum suscipiebantur (sicut ipse testatur) vel nunc suscipiuntur, sicut totius orbis Christiani Plenario Concilio rationabilis consuetudo firmata est, meam præpono* F *sententiam, sed Ecclesiæ Sanctæ Catholicæ, cujus universitatis ipse non fuit, sed in ejus universitate permansit.*

Sic & libro 6. cap. 13. ubi ait: *Secundùm Scripturarum Sanctarum auctoritatem, decrevit Concilium Catholicum orbis terrarum, etiam in Hæreticis inventum Christi Baptismum, non esse improbandum.*

Sic usurpat idem Plenarii Concilii nomen multis aliis in locis librorum de Baptismo contra Donatistas, ut libro 1. cap. 18. lib. 2. capp. 7. 8. & 9. lib. 4. capp. 5. & 6. lib. 5. cap. 4. lib. 6. capp. 2. 7. & 8. lib. 7. capp. 20. & 27. Eo denique sensu etiam extra hanc de Baptismo Hæreticorum con-

controversiam, Plenarii Concilii nomine nititur Sanctus Augustinus, Epistola nimirum 118. ad Januarium data, cap. 1. ubi hanc regulam statuit: *Ea qua non scripta, sed tradita custodimus, qua quidem toto terrarum orbe observantur, dantur intelligi, vel ab ipsis Apostolis, vel Plenariis Conciliis, quorum est in Ecclesia saluberrima auctoritas, commendata & instituta retineri; sicuti quòd Domini Passio, & Resurrectio, & Ascensio in Cœlum, & Adventus Spiritus Sancti, anniversaria solemnitate celebrantur: & si quid aliud tale occurrerit, quod servatur ab universa, quacumque se diffundit, Ecclesia. Alia verò, qua per loca terrarum regionesque variantur, liberas habent observationes.* Quo in loco, per Plenaria Concilia, quorum est in Ecclesia saluberrima auctoritas, & quæ universam Ecclesiam, quacumque se diffundit, suorum ad observantiam Decretorum adstringunt, Oecumenica sola intelligi, perspicuum est.

Quòd verò Concilium Arelatense Oecumenicum haberi, repugnet Sancti Augustini sententiæ, & rei veritati, quæ erat minor secundi Syllogismi propositio, probatur. Qui nusquam Arelatensi Concilio Plenarii nomen diserte tribuit, quotiescumque agit de caussa Cæciliani Carthaginensis Episcopi, ille certè non existimavit ipsum Oecumenicum, sive suo sensu Plenarium. Enimverò utilissimum fuisset Sancti Augustini consilio, ostendere Cæcilianum in Concilio Plenario, sive Oecumenico, fuisse absolutum, ut Donatistarum, qui illum falsò accusaverant, pervicacem audaciam frangeret, ipsiusque innocentiam luculentiùs vindicaret. Atqui Sanctus Augustinus, ne semel quidem, in tota caussæ Cæciliani tractatione & narratione, Concilio Arelatensi Plenarii nomen detulit; immò nec Concilium quidem, sed *Judicium Episcopale* duntaxat, nuncupavit: ergo Concilium Arelatense Oecumenicum haberi, sive Plenarium, Sancti Augustini sensu, repugnat ejusdem Sancti Augustini sententiæ.

Probatur minor ex Epistola 162. Sancti Augustini ad Eleusium data, in qua sic scribit de Romano Concilio sub Melchiade, in quo absolutus est Cæcilianus, & Donatistæ damnati. *Putemus*, inquit, *illos Episcopos, qui Romæ judicarunt, non bonos judices fuisse: restabat adhuc Plenarium Ecclesiæ Universæ Concilium, ubi etiam cum ipsis Judicibus caussa posset agitari, ut si male judicasse convicti essent, eorum sententia solverentur: quod utrum fecerint, probent: Nos enim non factum esse, facilè probamus, ex eo quòd totus orbis non eis communicat: aut si factum est, etiam ibi sunt victi; quod ipsa eorum separatio manifestat.* Id est, si Romani sub Melchiade Pontifice Concilii Patres, corrupti Judices fuerunt, & Cæcilianum injustè absolverunt, damnaruntque Donatum à Casis Nigris, ut Donatistæ queruntur; quidni Plenarium Ecclesiæ universæ Concilium, ad revisionem caussæ, ac retractationem, postulabant, in quo, cum ipsis Romanæ Synodi Episcopis, causa rursus agitari posset; ut si male judicasse convicti essent, eorum sententiæ rescinderentur? Quod utrum fecerint, id est an tale Concilium postulaverint, & an reipsa fuerit illis temporibus celebratum, probent. Nos hujusmodi Plenarium Concilium, quod Romanæ Synodi judicium in irritum miserit, coactum non fuisse, facilè probamus; quia totius orbis Ecclesiæ, quibus Plenarium Concilium constituitur, Donatistis non communicant. Aut si Plenarium istiusmodi Concilium celebratum est, in quo Romanæ Synodi judicium ad examen vocatum sit (quod tamen non fatemur) etiam ibi victi sunt, quod eorum separatio manifestè probat.

Addit evestigiò Sanctus Augustinus: *Sed tamen quid posteà fecerint, Imperatoris literis sufficientissimè ostenditur: Judices enim Ecclesiasticos, tanta auctoritatis Episcopos, quorum judicio, & innocentia Caciliani, & eorum improbitas declarata est, non apud alios Collegas, sed apud Imperatorem accusare ausi sunt, quod malè judicassent. Dedit ille aliud Arelatense Judicium, aliorum scilicet Episcoporum; non quia jam necesse erat, sed eorum perversitatibus cedens: & omni modo cupiens tantam impudentiam cohibere.* Quo in loco Sanctus Augustinus Plenarium Concilium, quod factum non est post Concilium Romanum sub Melchiade, nec à Donatistis tunc temporis postulatum, licet postulari debuisset, si de corruptela Judicum non immeritò conquesti essent, per adversativam particulam evidenter opponit Arelatensi Concilio, quod tunc celebratum est ad eamdem caussam discutiendam. Concilium igitur Arelatense, Plenarium nec dixit, nec esse existimavit Sanctus Augustinus. Quod si Plenarium existimasset, semel saltem Plenarii notionem Arelatensis Concilii nomini junxisset. At longè aliter se res habet. Nam illud tantùm *Judicium Episcopale* vocat: & nihilo solemniùs ac magnificentiùs de ipso loquitur, quàm de Concilio Romano, quod pariter *Judicium Episcopale* vocat. Unde sicut Concilium Romanum sub Melchiade, Plenarii nomine à Sancto Augustino intellectum nemo unquam somniavit: ita nec Arelatense fuisse ab ipso intellectum nomine Plenarii, quod passim contra Donatistas urget, dici potest.

Colligitur hoc ratiocinium ex Sancti Augustini verbis Epistola 68. totius Cleri Hipponensis nomine ad Januarium data. *Jussit Imperator*, inquit, *venire partes ad Episcopale Judicium in urbe Roma faciendum, ubi quemadmodum caussa dicta & finita sit, & Cæcilianus innocens judicatus, indicant gesta Ecclesiastica. Jam utique post pacificum moderamen Judicii Episcopalis, omnis contentionis & animositatis pertinacia debebat extingui: sed rursus majores vestri ad Imperatorem redierunt, & non rectè judicatum, atque omnem caussam auditam esse conquesti sunt: unde ille alterum Episcopale Judicium dedit, habendum in Arelatensi Galliæ civitate, ubi multi vestri, vana & diabolica dissensione damnata, cum Cæciliano in concordiam redierunt; alii verò pertinacissimi, & litigiosissimi ad eumdem Imperatorem appellaverunt: postea & ipse coactus Episcopalem caussam inter partes cognitam terminavit.*

Idem colligitur ex libro secundo contra literas Petiliani cap. 92. ubi ait: *Petentibus tum Majoribus vestris, Episcopale Judicium dederat Constantinus, & apud Romam, & apud Arelatem. quorum primum apud eum accusastis, ab altero ad eum appellastis.* Arelatense Concilium *Judicium Episcopale*, pariter vocat, libro 4. contra Cresconium Grammaticum, cap. 7. in Breviculo Collationum cum Donatistis, in Collatione tertiæ diei cap. 19. & lib. post Collationem cap. 25.

Probatur secundò Propositio præcipua, scilicet repugnare Sancti Augustini sententiæ, ut Arelatense Concilium, ejus sensu, Plenarium, id est Oecumenicum, intelligatur. Si Concilium, in quo Cæciliani caussa finita est, nempe Arelatense, fuisset Plenarium totius orbis, & Ecclesiæ universæ Concilium, illudque eo nomine Sanctus intellexisset Augustinus, Cæciliani caussam toti orbi terrarum incognitam non rectè dixisset. Quod enim à totius orbis Episcopis, in Concilio Plenario, sive Oecumenico considentibus, solemniter judicatum est, toti orbi terrarum incognitum nemo rectè dixerit. Atqui Sanctus Augustinus passim asserit, caussam Cæciliani, orbi terrarum, aut saltem plurimis & nobilissimis Catholici orbis Ecclesiis, fuisse incognitam: Arelatense igitur Concilium, Plenarii totius orbis, & universæ Ecclesiæ, sive Oecumenici

nici Concilii nomine, minimè intellexit.

Probatur minor, ex Sancto Augustino in libro ad Donatistas post Collationem cap. 18. *Hæc verba*, inquit, *per orbem terræ universa personat Ecclesia. Testimonium Dei novi, negotium Cæciliani non novi.* Lege capp. 4. 7. & 22. ejusdem libri.

Et libro 4. contra Cresconium, cap. 25. *Licuerit*, inquit, *Episcopis vestris, nescio quo Donatiano, vel Numidico Privilegio, de suo ignorare Collega, quicquid Africa tota conclamabat. Cum Afris, ab Afris objecta crimina (nunquam probata, toties absoluta) Orientalibus terræ finibus ignota esse non sinant. Valeat apud vos Baptismus ab Optato datus, quem sic damnare noluisti, ut non fueris ausus absolvere: & non valeat datus Baptismus in Ecclesiis Apostolico labore fundatis, Corinthiorum, Galatarum, Ephesiorum, Colossensium, Philippensium, Thessalonicensium, cæterarumque in sanctis Literis conscriptarum, ubi Cæciliani non dico falsum crimen, sed fortè nec verum nomen auditum est. Et accusetur conscientia tot tantarumque Gentium Christianarum, quia remotissimas lites ignoravit Afrorum.* Ergo S. Augustinus caussam Cæciliani orbi terrarum, aut saltem plurimis & nobilissimis Catholici orbis Ecclesiis, fuisse incognitam asserit. Idem inculcat libro de Unitate Ecclesiæ contra Petiliani Epistolam capp. 2. & 12. & lib. 3. contra Cresconium, cap. 68.

Tandem quòd Concilium Arelatense Primum re ipsa non fuerit Plenarium totius Ecclesiæ, sive Oecumenicum, probatur. Illud Concilium non est Plenarium totius orbis Christiani Concilium, sive quod idem est, Oecumenicum, cui desunt omnes conditiones ad rationem Oecumenici Concilii, omnium Authorum Ecclesiasticorum suffragio, requisitæ: sed omnes illæ conditiones desunt Concilio Arelatensi Primo. Non est igitur Plenarium, & Oecumenicum.

Probatur minor. Neque enim Romanus Pontifex huic Arelatensi Concilio, per se, vel per Legatos suos, adfuit ac præfuit, ut constat ex illius Actis à Sirmondo editis; neque ex universo orbe Catholico convocatum est, sed ex quibusdam solùm Occidentis Provinciis: nec consequenter omnes ubique terrarum obligare potuit Ecclesias suorum ad observationem Decretorum.

## PROPOSITIO II.

*Nomine Concilii Plenarii, in quo quæstionem de Baptismo Hæreticorum finitam sæpe scripsit S. Augustinus, Nicænum intelligendum est.*

Probatur primò. Concilium Plenarium toties à Sancto Augustino contra Donatistas inculcatum, idem est ac Oecumenicum, ex ipsius Augustini sensu. At nullum aliud Concilium Oecumenicum intelligere potuit Sanctus Augustinus, in quo controversia de Baptismate Hæreticorum finita esset, nec aliud ipsum intellexisse probari potest: nomine igitur Concilii Plenarii à Sancto Augustino toties indicati, Nicænum est intelligendum.

Probatur minor. Concilium illud ante Sancti Augustini nativitatem celebratum est: at nullum aliud Concilium Oecumenicum, à Nicæno, celebratum fuit, in quo finita sit quæstio de Baptismo Hæreticorum, ante Sancti Augustini nativitatem: nullum itaque Plenarii Concilii nomine, aliud à Nicæno, Sanctus intellexit Augustinus.

Probatur major ipsis Sancti Augustini verbis libro 2. de Baptismo contra Donatistas, cap. 9. ubi quibusdam Sancti Cypriani verbis recensitis, ait: *Hac attestatione satis ostendit multò magis se fuisse commemoraturum, si quod de hac transmarinum, vel universale Concilium factum esset. Nondum autem factum erat, quia consuetudinis robore tenebatur orbis terrarum, & hæc sola opponebatur inducere volentibus novitatem, quia non poterant apprehendere veritatem. Postea tamen, dum inter multos ex utraque parte tractatur & quæritur, non solùm inventa est, sed etiam ad Plenarii Concilii auctoritatem, roburque perducta, post Cypriani quidem Passionem, sed antequam nos nati essemus.*

Minor verò probatur. Nam Ephesinum Sancto Augustino recèns defuncto celebratum est. Constantinopolitanum Primum anno 381. celebratum est, Augustino annum jam 26. agente, quippe qui natus est anno 355. Sardicense Oecumenicum, ante nativitatem Sancti Augustini actum quidem est, sed controversiam de Baptismo Hæreticorum non attigit. Solum igitur Nicænum superest, quod Plenarii nomine suam ante nativitatem celebrati, Sanctus Augustinus intelligere potuerit. Nam, quòd aliqui Capuanam Synodum hoc nomine ab ipso intellectam volunt, tam indignum figmentum est, ut risu potiùs quàm refutatione dignum videatur. Sed enim Capuana Synodus anno 389. celebrata est. Natus est verò Sanctus Augustinus anno 355. ut jam notavimus: Concilium igitur Plenarium, celebratum antequam Augustinus nasceretur, nonnisi fictitiè Capuanum dici potest. Nam illa Sancti Augustini verba, *Antequam nos nati essemus*, ad spiritalem ipsius nativitatem referre, id est ad ipsius Baptismum, quasi de Concilio Plenario loquatur, quod paulò ante fuerit celebratum, quàm baptizaretur, sed eo tamen jam nato & adulto, evasio alia est per insomnium excogitata, ad locum evidentissimum Sancti Augustini excludendum. Accedit, quòd Conciliom Capuanum ex orbe universo congregatum non fuerit, ut Plenarium totius orbis, & universæ Ecclesiæ Concilium, à Sancto Augustino dictum supponatur.

Nec obstat quòd in Concilio Carthaginensi III. cap. 38. Synodus Capuensis Plenaria nuncupetur: *Illud autem suggerimus*, inquit, *mandatum nobis, quod etiam in Capuensi Plenaria Synodo videtur statutum, ut non liceat fieri rebaptizationes.* Id inquam, non obstat: quia etsi Capuana Synodus, aliquo sensu, Plenaria dicta esset; non tamen Plenaria totius orbis, & universæ Ecclesiæ, ut illa cujus auctoritatem passim contra Donatistas urget Sanctus Augustinus. Accedit quòd vox illa, *Plenaria*, in Canone Concilii Carthaginensis Tertii irreptitia non immeritò videatur, & perperam Synodo Capuensi adjuncta. Quod non inaniter me conjicere fatebitur, qui adverterit Canonem illum in Codice Canonum Ecclesiæ Africanæ, Canone 48. referri Græcè absque voce quæ respondeat isti, quam textus Latinus habet, *Plenaria*. En verba Canonis Ἐκεῖνο δὲ ἀναφέρομεν ἐντολὴν ἡμῶν τὸ καὶ ἐν τῇ συνόδῳ τῇ ἐν Καπύῃ ὁρισθὲν, ἵνα μὴ [illegible] ἀναβαπτίζειν.

Probatur secundò. In eo Concilio quæstio de Baptismo hæreticorum finita est, quod omnes Hæreticos cum illorum Baptismo suscipiendos in Ecclesiam sanxit, si ad eam ejuratis erroribus reverterentur, exceptis Pauli Samosateni Discipulis, qui cùm Baptisma verbis Evangelicis non conferrent, jussi sunt ante baptizari, quam in Ecclesiam admitterentur. Atqui Nicæna Synodus omnes Hæreticos in Ecclesiam cum illorum Baptismo suscipiendos decrevit, exceptis Pauli Samosateni discipulis: quæstio igitur de Baptismo Hæreticorum in Concilio Nicæno finita est. Cùm itaque Concilium illud totius orbis, & universæ Ecclesiæ Plenarium fuerit, & ante Sancti Augustini nativitatem, nec multùm diu post motam de rebaptizandis Hæreticis controversiam, & post Synodum Arelatensem, fuerit celebratum; non aliud à Sancto Augustino intellectum videtur nomine Plenarii Concilii, in quo controversia

troversia de Baptismo Hæreticorum diremptà est.

Probatur minor, ex Sancto Hieronymo in Dialogo adversùs Luciferianos, dicente: *Synodus quoque Nicæna, cujus paulò ante fecimus mentionem, omnes Hæreticos suscepit, exceptis Pauli Samosateni discipulis: & quod his majus est, Episcopo Novatianorum, si conversus fuerit, Presbyterii gradum servat.*

Confirmatur auctoritate Sancti Athanasii in Epistola de Synodis Arimini & Seleuciæ, ad Constantium Imperatorem data, ubi ait, quòd per Nicænam Synodum *non Ariana solùm, sed & reliqua destructa sunt hæreses.* Et in Epistola ad Africanos, propè finem: *Solam apud vos auctoritatem obtineat Nicæna Patrum de fide Confessio: ipsa enim Nicæna Synodus reverà trophæum est, sive columna triumphalis, inscripta contra omnes hæreses. quasi eas exponens ostentui.* Quomodo, quæso, Nicæna Synodus trophæum contra omnes hæreses dici posset, nisi Donatistarum hæresis, quæ tunc per Africam grassabatur, in illa confossa esset, ac palmaris eorum error de Anabaptismo damnatus?

Objicitur primò. Sanctus Augustinus Concilia quædam Plenaria vocavit, quæ tamen non agnovit ut Oecumenica: Plenarii ergo Concilii nomine semper Oecumenicum non significavit: adeoque nihil obstat quominus intelligere potuerit nomine Plenarii Concilii, in quo quæstio de Baptismo hæreticorum finita est, Arelatense Primum: præsertim cùm 8. Canone de Baptismate hæreticorum non iterando sic decernat: *De Afris, qui propriâ lege utuntur ut rebaptizent, placuit ut si ad Ecclesiam aliquis de hæresi venerit, interrogent eum Symbolum: & si perviderint eum in Patre, & Filio, & Spiritu Sancto esse baptizatum, manus ei imponatur ut accipiat Spiritum Sanctum: quòd si interrogatus, non responderit hanc Trinitatem, baptizetur.*

Probatur antecedens. Concilium Bagaiense, quod à Donatistis celebratum est, ut ortum inter eos schisma sedaretur, & cui trecenti decem illius sectæ Episcopi interfuerunt, Sanctus Augustinus passim Plenarium vocat, scilicet lib. 2. contra Epistolam Parmeniani, cap. 5. lib. 2. de Baptismo contra Donatistas, cap. 7. lib. 3. de Baptismo, cap. 2. & lib. 3. contra Cresconium cap. 53. quod etiam nomen ipsi tribuitur in Codice Canonum Ecclesiæ Africanæ, Num. 69. nec tamen S. Augustinus, & Africani Patres, Bagaiense Donatistarum Concilium Oecumenicum existimarunt. Igitur Concilium Plenarium, ex Sancti Augustini, & Africanæ Ecclesiæ sensu, non est idem quod Oecumenicum.

Confirmatur. In eodem Codice Canonum Ecclesiæ Africanæ, Conciliis Nationalibus totius Africæ tribuitur Plenariorum Conciliorum nomen, ut Numeris 19. 28. 117. 138. videre est. Quidni igitur Arelatense Concilium, Plenarii nomine intellexisset Sanctus Augustinus, quamvis Oecumenicum non fuerit; cùm ad illud variarum nationum Episcopi convenerint?

Respondeo, nego primum antecedens. Cujus probationem distinguo: Concilium Bagaiense S. Augustinus Plenarium vocavit, Plenarium Donatistarum concedo: Plenarium simpliciter & absolutè, vel Plenarium totius orbis & universalis Ecclesiæ, nego. Itaque S. Augustinus vocat Concilium Bagaiense Plenarium Hæreticorum, quia omnes Donatistarum Episcopi ad illud convenerant. Sic nempe lib. 2. contra Epistolam Parmeniani cap. 3. *Per Plenarii Concilii sui Sententiam dixerunt*, &c. & lib. 3. de Baptismo contra Donatistas cap. 1. *Maximianistas Plenario Concilio suo damnatos*, &c. Et lib. 4. contra Cresconium, cap. 8. *Qui Plenarii Concilii vestri ore veridico leguntur esse damnati*, &c. At nusquam ostendetur S. Augustinum vocasse aliquod Concilium *Plenarium totius orbis*, &c. *Universalis*

A *Ecclesiæ Concilium*, quod Oecumenicum non esset.

Respondeo secundò, rursus distinguendo eamdem propositionem. S. Augustinus, & Africani Patres, Concilium Bagaiense Plenarium vocarunt, ironicè, & ex Donatistarum sensu, quem sugillabant, concedo; seriò & ex propria sententia, nego. Donatistæ enim, cùm totam Ecclesiam in parte suâ inclusam contenderent, nec alienos à secta sua ullo modo ad Ecclesiam pertinere, partem suam *Plenariam Ecclesiam, Catholicam, Universalem* appellabant, ut colligitur ex S. Augustino passim id referente ac refellente, & maximè lib. 4. contra Cresconium cap. 58. *Quo igitur ore*, inquit, *contra Ecclesiam à solis ortu usquè* B *ad occasum promissam voce veritatis, & redditam, audes Ecclesiam Plenariam dicere partem Donati? cum ipsa non sit nisi Africa, illa verò, cùm tot gentibus, sit & Africa?* Porro sicut Sectam suam Donatistæ vocabant Ecclesiam Plenariam, ita Concilium, ad quod universi eorum Episcopi convenerant, vocabant Plenarium; quasi Plenariam, quam sectâ suâ concludi præsumebant, Ecclesiam repræsentans. Unde, ex ipsorum sensu, Bagaiense Concilium S. Augustinus Plenarium vocat ironicè, & *veridicum*, & *Præsidentis Dei arbitrio* celebratum nuncupat, lib. 3. contra Cresconium cap. 53. At quoties ex propria sententia loquitur S. Augustinus, Plenarii Concilii nomine C Oecumenicum intellexit, maximè cùm hæc verba, vel similia adjunxit ad *Plenarii* notionem determinandam, *Totius orbis, universalis Ecclesiæ, cunctarum gentium.*

Ad confirmationem respondeo, in Codice Canonum Ecclesiæ Africanæ, Synodos Africanas passim Plenarias appellari, secundùm quid, & cum aliqua limitatione, id est, Plenarias Africæ, non verò simpliciter & absolutè Plenarias, sive Plenarias totius orbis, & universalis Ecclesiæ. Id constat ex Canonibus in objectione indicatis. Nam 19. qui Concilii 3. Carthaginensis septimus est, decernit, *Ut qui ad Concilium universale anniversarium occurrere noluerit ad causam* D *suam terminandam, hoc ipso sententiam damnationis in se dixisse judicetur.* At Concilium universale anniversarium, est universale Provinciæ, vel Nationis, quod annis singulis à Primate convocabatur; non verò Oecumenicum. Nam Oecumenica Concilia quotannis non celebrabantur. Eodem sensu usurpatur universalis Concilii nomen Canone 28. laudati Codicis, qui II. Concilii Milevitani 22. est, cùm vetat Presbyteris, Diaconis, cæterisque Clericis, ne ab Episcoporum suorum judiciis, *Ad judicia transmarina unquam provocent, sed ad Primates tantùm Provinciarum suarum; vel ad universale Concilium*, utique à Primate ex universa Africa congregatum. E Unde Milevitanus Canon mox designatus, disjunctivam illam non habet, *vel ad universale Concilium*, sed iis tantùm verbis expressus est: *Non provocent nisi ad Africana Concilia, vel ad Primates Provinciarum suarum.* Sic usurpatur idem nomen Canone 117 ejusdem Collectionis, qui sic habet: *Quoniam ante aliquot annos in Ecclesia Plenario Concilio constitutum est*, &c. Græcè habetur ἐν ταύτῃ ἐκκλησίᾳ, id est, *in hac Ecclesia*, ut hujus Ecclesiæ, Africanæ scilicet Plenarium Concilium designetur. Sic denique & Canone 138. universalis Concilii nomen usurpatum videri potest, ubi & hæc verba Patrum ad Cæ- F lestinum Pontificem Maximum scribentium leguntur, *Qui in universali Africano Concilio sumus*, &c. Quo sensu & S. Augustinus Epistola 47. ad Valentinum data, Synodum Africanam, in qua Pelagiana hæresis damnata est, vocavit *Plenarium totius Africæ Concilium.* Sed nusquam ostendetur aliquam Synodum, quæ Oecumenica non esset, simpliciter & absolutè Plenariam, & *Plenariam totius orbis, universalis Ecclesiæ, cunctarum gentium*, fuisse nuncupatam à S. Augustino, vel ab Ecclesia Africana: ac proinde

certissimum

certissimum est, Concilium Arelatense Primum, à S. Augustino, Plenarii Concilii nomine, quod toties urget contra Donatistas, intellectum ac significatum non fuisse.

Nec obstat quòd Canone 8. illius Concilii sancitum sit, Hæreticorum Baptisma non esse iterandum. Ex hoc enim non colligitur Plenarium illud esse universalis Ecclesiæ Concilium, in quo finita sit & eliquata controversia de Baptismate Hæreticorum; sed solùm in eo de ista quæstione, occasione data, actum fuisse: quamvis ad quæstionem juris & dogmatis dirimendam convocatum non esset, sed solùm ad quæstionem facti discutiendam, & ad expendendum an Cæcilianus verè fuisset sacrorum Librorum Traditor: ac ejus proinde Ordinatio legitima fuisset atque canonica; an jure, an perperam fuisset à Patribus Romani Concilii sub Melchiade absolutus?

Objicitur secundò. Plenarii Concilii nomine, in quo quæstio de Baptismate Hæreticorum finita est, Sanctus Augustinus intellexit Conilium aliquod Transmarinum: Sed Concilium Transmarinum Afris, Arelatense est, non Nicænum: igitur nomine Plenarii Concilii, Sanctus Augustinus Arelatense, non vero Nicænum, intellexit.

Probatur Major ex Sancto Augustino lib. 2. de Baptismo contra Donatistas capp. 8. & 9. ubi de Sancto Cypriano sic loquitur. *Satis ostendit multò magis se fuisse commemoraturum, si quid hac de re transmarinum, vel universale Concilium factum esset: nondum autem factum erat, quia consuetudinis robore tenebatur orbis terrarum*, &c.

Respondeo, nego secundam partem Minoris, nempe quòd Concilium Nicænum, Afris Transmarinum dici non possit. Cùm enim Sanctus Augustinus lib. 2. contra Cresconium cap. 37. inter *Ecclesias Transmarinas*, quarum auctoritatem adversùs Donatistas urget, *Bythinia* Ecclesias recenseat, & Nicæa quæ Nicæno Concilio nomen dedit, sit Bithyniæ civitas; consequens est Nicænum Concilium Transmarinum fuisse Afris, adeoque nomine *Universalis*, & *Transmarini Concilii*, cujus ad examen controversia de Baptismate Hæreticorum perducta est, à Sancto Augustino intelligi potuisse.

Objicitur tertiò. Concilium quod de omnibus orbis partibus congregatum est, Plenarii totius orbis Concilii nomine potuit à Sancto Augustino intelligi, & significari: sed Concilium Arelatense Primum ex omnibus mundi partibus congregatum est: quidni igitur illud Plenarii Concilii nomine intellexerit, & designaverit Sanctus Augustinus?

Probatur Minor ex Concilio Arelatensi Secundo Canone 18. *Ad Arelatensis Episcopi arbitrium*, inquit, *Synodus congreganda: ad quam urbem ex omnibus mundi partibus, præcipuè Gallicanis, sub Sancti Marini tempore, legimus celebratum fuisse Concilium, atque Conventum.*

Confirmatur ex Constantino Magno in Epistola ad Chrestum Syracusanorum Episcopum, apud Eusebium libro 10. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 5. dicente, Se mandasse ut plurimi Episcopi *ex locis diversis, & propè infinitis*, Arelatem ad Concilium convenirent.

Respondeo, nego minorem. Ad ejus probationem respondeo, Concilium II. Arelatense per exaggerationem quamdam dixisse, Primum ex omnibus mundi partibus fuisse convocatum, ut scilicet Urbem Arelatensem commendaret, ac Arelatensis Episcopi dignitatem. Unde addidit hanc exceptionem, *Et præcipuè Gallicanis*: quæ incongrua fuisset, si partes orbis universas intellexisset absolutè. Certè Primi Concilii Arelatensis Patres, non ex omnibus orbis Christiani regionibus, sed ex diversis dumtaxat Provinciis, ad illud se convenisse Concilium testantur in Epistola sua Synodica ad Silvestrum Papam. *Et cum diversa sint Provincia, ex quibus advenimus* (inquiunt) *& ita varia contingunt, qua nos censemus observare debere.*

Ad confirmationem respondeo, Constantini verba indicare quidem numerum maximum, & diversitatem regionum, ex quibus Episcopi ad Concilium Arelatense convocavit, non autem disertè significare, quòd ex universis orbis Christiani Provinciis illos convocaverit, ut hoc Plenarium universalis Ecclesiæ Concilium esset. Quem sensum Constantini Epistola ex Græco Eusebii textu à Sirmondo Latinè reddita exhibet. *Propterea*, inquit Imperator, *Mihi sedulò providendum fuit, ut hac qua post judicium prolatum sedari voluntario assensu debuerant, vel nunc sandem, multis præsentibus, exitum sortiantur. Quoniam ergo plurimos ex diversis compluribus locis Episcopos, in Arelatensium oppido, ad Kalendas Augusti, convenire præcepimus, ubi etiam per literas significandum duximus*, &c. Vides non *ex locis diversis & prope infinitis*, sed *ex diversis compluribus locis*, plurimos Episcopos ad Concilium Arelatense Primum dici convocatos?

Præterea, verisimile non est, quòd Constantinus appellationem Donatistarum suscepisset post Arelatensis Concilii sententiam, si ad illud totius orbis Christiani Episcopi convenissent: siquidem Nicæno de Concilio ad Ecclesias scribens, id ab omnibus recipi jubet, ac observari quod in eo fuerat definitum; quia *Quod in Episcoporum Conciliis ita generaliter decernitur, divina voluntati tribui debet, ac veluti caleste divinumque Preceptum æstimari.* Cùm igitur Constantinus Donatistas ad suum tribunal, post Arelatensis Concilii sententiam, appellantes, (quamvis indignabundus) susceperit; argumento est, ad illud totius orbis Christiani Episcopos non convenisse, neque convocatos fuisse.

Objicitur secundò. In Concilio Nicæno nullus Canon extat, quo Donatistarum anabaptismus damnetur, aut quo sanciatur, omnium Hæreticorum Baptisma ratum esse: contra illos verò in Concilio Arelatensi Primo editus est Canon octavus: Plenarium igitur Concilium, in quo quæstio de Baptismate Hæreticorum finita est, non est Nicænum, sed Arelatense.

Respondeo, distinguo primam partem antecedentis: Nullus Canon extat, quo Donatistarum error damnetur, &c. explicitè & nominatim, concedo; implicitè & per consequentiam, nego. Canone enim octavo Concilii Nicæni decretum est, Novatianos ad Ecclesiam redeuntes, in Clero, ex indulgentiâ, permansuros, cùm impositione manuum reconciliati fuissent. Non est decretum ut baptizarentur, quia Baptismum verbis Evangelicis conferebant: Canone verò 19. sancitum est, Paulianistas ad Ecclesiam confugientes baptizandos esse, quia formam Baptismi legitimam non servabant. Per consequentiam igitur sancitum est, omnium Hæreticorum, qui baptizandi ritum Evangelicum servabant, ut Novatiani, ratum esse, nec usquam iterandum Baptisma: & eos solùm esse baptizandos, qui Baptismi formam, ut Paulianistæ, violassent, seu verbis Evangelicis baptizati non essent. Quæ responsio Sanctorum Athanasii, & Hieronymi verbis, inter probationes relatis, confirmatur.

Objectio tertia petitur ex Sancto Basilio in Epistola 2. Canonica ad Amphilochium, dicente, Oportere plures Episcopos simul convenire, & Canonem

Canonem condere circa iterationem vel approbationem Baptismi Encratitarum, Saccophororum, Apotactitarum, quos rebaptizari in Ecclesia sua scribit, quamvis prohibitum sit apud Romanos eos rebaptizare, alicujus œconomiæ gratiâ: atqui Sanctus Basilius non dixisset convocandum esse Concilium, quod hac de re decerneret, si jam eliquata fuisset veritas in Nicæno, quod Basilio ignotum non erat: nec prohibitionem in Romana Ecclesia factam de non iterando Baptismate, ad solam œconomiam retulisset, quæ spectasset ad fidem, si Donatistarum hæresis in Concilio Nicæno fuisset proscripta: Concilium igitur Nicænum, non est Plenarium illud, in quo quæstio de Baptismate Hæreticorum eliquata & finita est.

Major constat ex auctoritate Sancti Basilii, quæ Dissertatione superiori, argumento octavo, relata est.

Respondet Pater Nicolaï, Sanctum Basilium de quibusvis Hæreticis non loqui, sed de illis dumtaxat, qui circa Trinitatis, adeóque circa Baptismi formam errabant, quamvis eam integrè proferrent. Sed hæc expositio cum Sancti Basilii textu cohærere non potest, nec ejus sensum Vir Eruditus attigit, ut loco mox laudato ostendimus.

Respondet secundò, Sanctum Basilium, his verbis, in priori Epistola ad Amphilochium: *Sed quoniam nonnullis Asiaticis omnino visum est, propter multorum œconomiam & dispensationem, Baptismum eorum recipi, recipiatur:* Nicænæ Synodi Patres intellexisse, quam in Asia constat celebratam. Verùm hæc responsio parum verisimilis videtur, quia Sanctus Basilius Nicænos Patres non sic jejunè appellasset: nec Asiaticis dumtaxat aliquibus id visum esse dixisset, quod à trecentis decem & octo Patribus, ex toto orbe Christiano congregatis, novisset definitum.

His igitur solutionibus prætermissis, respondeo, distinguo minorem: Sanctus Basilius non dixisset convocandum esse Concilium, &c. si Nicæni Concilii Decretis sancitum fuisse intellexisset ut Hæreticorum Baptisma ratum haberetur, concedo: Si id in Concilio Nicæno definitum non intellexisset, nego. Porrò licet Nicæna Synodus decreverit, omnes Hæreticos cum suo recipiendos esse Baptismate, modò verbis Evangelicis baptizati essent; quia tamen id disertè in illius Canonibus non habetur, sed per consequentiam tantùm colligitur ex 8. & 19. Canone; Sanctus Basilius potuit ad illam Nicænorum Canonum consequentiam non advertere, & iis non obstantibus, Ecclesiæ suæ morem nondum antiquatum, de rebaptizandis Hæreticis sectari. At Pontifices, & Patres Sancto Basilio posteriores, quos excitata rursus de rebaptizandis Hæreticis quæstio, Nicænorum Canonum sensui, & consequentiis magis fecit attentos; nempè Siricius in Epistola ad Himerium Tarraconensem Episcopum, Innocentius Primus in Epistola ad Episcopos Macedoniæ, Sanctus Hieronymus in Dialogo adversùs Luciferianos, & Sanctus Augustinus passim in libris contra Donatistas, arbitrati sunt Nicænos Patres, omnium Hæreticorum, Paulianistis exceptis, & aliis, si qui essent ab Evangelico baptizandi ritu aberrantes, Baptisma ratum habuisse. Idque colligi putarunt evidenter ex Canonibus 8. & 19.

Respondeo secundò, retorqueri posse contra adversarios argumentum, & sic subsumi: Atqui Sanctus Basilius non dixisset convocandum esse Concilium, quod hac de re decerneret, si jam eliquata fuisset veritas, & finita quæstio in Arelatensi, quod Sancto Basilio ignotum esse non potuit si Plenarium fuisse totius orbis, universalis Ecclesiæ, & cunctarum Gentium Concilium supponatur: nec prohibitionem in Romana Ecclesia factam de non iterando Baptismate, ad solam œconomiam retulisset, quæ spectasset ad fidem, si in Concilio Plenario totius orbis, quale fuisse Arelatense contendunt, Donatistarum hæresis fuisset proscripta. Concilium igitur Arelatense, non est Plenarium illud, in quo quæstio de Baptismo Hæreticorum eliquata, & finita est.

Objectio quarta sumitur ex Sancto Epiphanio in Expositione Catholicæ Fidei, ità scribente: *Alii, qui audaciores videntur, ex Catholicorum partibus, privatâ sibi factione conflatâ, citra Generalis Concilii Decretum, iterum baptizare nihil verentur, cùm nondum ea res, ut dixi, judicio Synodi decisa sit.* Porrò non dixisset Sanctus Epiphanius, quæstionem de Baptismo Hæreticorum admittendo vel rejiciendo Synodi judicio finitam non fuisse, si à Nicæna Synodo probatus fuisset omnium Hæreticorum Baptismus, Paulianistis solis exceptis: in Nicæno igitur Concilio, illa quæstio non finita est; ac proindè non est illud Plenarium, cujus auctoritatem contra Donatistas tam frequenter urget Sanctus Augustinus.

Respondeo, nego hypothesim minoris, quòd scilicet Sanctus Epiphanius quæstionem de Baptismo Hæreticorum, Synodi judicio finitam non fuisse dixerit. Id enim nullatenus habet, nec de Baptismo Hæreticorum non iterando ex professo agit, nec Synodum indicat, quæ rebaptizari Hæreticos prohibuerit: sed ait solùm, nullam Synodum præcepisse ut Ariani rebaptizarentur: & propterea quorumdam temeritatem coarguit, qui illos rebaptizabant. Porrò quòd hic sit Sancti Epiphanii sensus, & quòd de solis Arianis loquatur, constat ex loco in objectione laudato. *Alii*, inquit, *qui audaciores videntur, ex Catholicorum partibus, privatâ sibi factione conflatâ, præter Ecclesiæ consuetudinem, ac citra Generalis Concilii Decretum, eos qui ab Arianis ad suas partes transeunt, iterum baptizare nihil verentur, cùm nondum ea res, ut dixi, Universalis Synodi judicio decisa sit: quòd adhuc populi promiscuè, ad hodiernum usque tempus, habeantur: inter quos multi quidem sunt Catholici, sed fictè, ac per simulationem, Sacerdotum auctoritatem sequuntur, donec execranda illa Secta ab Ecclesiæ consortio segregetur; ut tunc aliquid de illa statuatur.* Ex quibus constat, Launoium in Sancti Epiphanii loco oscitanter omisisse nomen Arianorum; unde veluti, generatim de omnibus Hæreticis ab ipso dictum obtrusit, quod specialiter de Arianis dictum est.

Objicitur quartò. Sanctus Athanasius Oratione 3. contra Arianos; & Sanctus Cyrillus in Præfatione Catecheseon, Baptisma ab Hæreticis collatum asserunt irritum prorsus esse: atqui id non asseruissent, si Concilium Nicænum contrarium definivisset: igitur Nicænum Concilium non est Plenarium illud, in quo Sanctus Augustinus quæstionem de Baptismo Hæreticorum finitam esse toties inculcat.

Respondeo, Sanctum Athanasium, eò loci Baptisma quidem Hæreticorum nullum asserere, quoad effectum gratiæ, in adultis, qui ipsorum hæresi communicant; non verò quoad Sacramentum & caracterem: Sanctum verò Cyrillum vel de omnibus Hæreticis non loqui, sed de illis tantùm qui Baptismi formam violabant; vel singularem hanc esse illius sententiam, ut & Hierosolymitanæ Ecclesiæ illius temporibus: cui nempe nondum erat exploratus Nicænorum Canonum 8. & 19. sensus, nec perspecta consequentia. Legatur superior Dissertatio in solutione argumenti sexti & septimi.

DISSERTATIO

# DISSERTATIO XXV.

Contra Praxeanos, Noëtianos, & Sabellianos.

## QUÆSTIO UNICA.

*De Personarum divinarum Trinitate.*

### ARTICULUS UNICUS.

*Utrum sint revera tres in Deo Personæ?*

### PROPOSITIO.

*Divinarum Personarum Trinitatem, utriusque Testamenti Scriptura, & Traditio contra Sabellianos probant.*

ADORANDUM illud Mysterium probatur primò ex sacris Veteris Testamenti paginis, ex illo nimirum Genesis 1. *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram..... Creavit Deus hominem ad imaginem & similitudinem suam.* Ubi alterna illa pluralis & singularis numeri usurpatio, *Faciamus ad imaginem nostram, Dixit Deus, Creavit ad imaginem suam,* Trinitatis Mysterium non obscurè indicant. Figmentum enim est, quod respondent Judæi, Deum secum locutum, & se ad agendum excitantem, dixisse, *Faciamus,* &c. Quod Sanctus Basilius Homilia 9. in Hexaëmeron disertè refellit. *Erat,* inquit, *& nunc in iis quæ dicere Judæus solet, cuivis obvia, & cognoscibilis omnibus absurditas. Quis enim faber, aut ærarius, aut lignarius, solus ipse quidem, nec alio quoquam sibi cooperante stipatus, interque sua artis instrumenta desidens, quis,* inquam, *sibi ipsi admurmurat, dicens: Faciamus gladium, aut compingamus aratrum: ac non potius silentio; suam, cum libuerit, accommodatam ad artem, exequitur operationem? Sunt enim insignes profectò nugæ, unum aliquem inveniri qui sibi imperet, sive Præceptorem desidere, ac heriliter se ipsum vehementerque urgere, & adhortari.*

Divinarum Personarum pluralitas ex Scripturis probata.

Et infra: *Numquid & nunc etiam, dic mihi, Judæe! sola perinde ut tibi placet, atque unica est ipsa persona? Non enim scriptum est, Fiat homo, sed Faciamus hominem. Hactenus nondum apparuit quid doceretur, atque ideo in abysso divina cogitationis præconium hoc celabatur ac tegebatur: deinceps jam ipsius ortus hominis certò expectatur, detegitur parumper ipsa fides, & apertius indicatur istius veritas divini Decreti, Faciamus hominem. Audis, ô tu, qui bellum indixisti perpetuum Christo, Deum ipsum, suum in creandis rebus socium alloqui, per quem fecit & sæcula, qui portat omnia verbo potentiæ suæ?*

Figmentum rursus est, quod secundò respondent Rabbini, Deum more Principum pluraliter locutum esse, demonstrandæ causâ auctoritatis. Quod egregiè refellit Theodoretus Quæstione 19. in Genesim, quia *In universa planè Scriptura divina licet audire Deum omnium singulari numero loquentem. Rarò autem pluraliter sermonem formas, nisi cùm innuit numerum personarum Trinitatis. Etenim cum linguas confunderet, non dixit singulariter, Descendam; sed, Venite, descendentes confundamus ipsorum linguas. Et hoc igitur loco, quoniam Deus animal rationale formabat, quod postea renovaturus* A *erat post multas generationes, Sanctæ Trinitatis invocationibus sacrosanctum Baptismæ instituens, cum fabricaturus esset naturam, cui hæc Mysteria crederentur, obscurè identitatem substantiæ, & personarum numerum aperuit. Dum enim* (inquit) *dixit, Deus, communionem divinæ naturæ indicavit: Subjungens autem illud, Faciamus, expressit numerum personarum. Similiter cum iterum singulari numero dixit, Imaginem, eamdem esse naturam ostendit. Non enim dixit, Ad imagines, sed, Ad imaginem. Cùm autem dixit, nostram, numerum hypostaseon manifestavit.*

B Figmentum denique est, quod quidam Hæretici responderunt, Deum Angelis locutum, cùm dixit, *Faciamus:* quod refellit Sanctus Basilius loco supra laudato: *Considera,* inquit, *quòd continenter sequitur: Ad imaginem nostram. Quid ad hæc dicere paras? Num una, & Dei, & Angelorum, imago est? Prorsus Filii, Patrisque forma eadem ut sit necesse est. Formam hic ut intelligamus necesse sit, quæ divinam addeceat majestatem: hoc est, non lineamentis constantem corporeis, sed in peculiari Numinis proprietate consistentem...... Cui dicit, Ad imaginem nostram? Cui, quæso te, alii, quàm ei qui splendor* C *est gloriæ, & figura substantiæ ejus, qui est imago Dei invisibilis? Suæ igitur imagini propriæ, quæ vivit, quæ dixit, Ego & Pater unum sumus: &c. Qui me vidit, vidit Patrem: huic dicit, Faciamus hominem ad imaginem nostram. Ubi una est imago, quem locum sibi obtinet dissimilitudo? Et fecit Deus hominem: non dixit, Fecerunt. Evitavit hoc loco personarum multitudinem. Per illa namque Judæum erudiebat: per hæc verò Gentilium excludit errorem, securè admodum ad unitatem recurrit: ut & Filium cum Patre intelligas, & multitudinem Deorum longè periculosissimam effugias. Ad imaginem Dei crea-* D *vit ipsum. Iterum Socii creationis personam adduxit. In his enim non ad imaginem suam dixit, sed ad imaginem Dei.*

II. Probatur personarum divinarum pluralitas ex illo Genesis 19. *Dominus pluit super Sodomam & Gomorrham sulphur & ignem, à Domino, de cælo.* Quibus verbis, Deum de Deo significari, videlicet Filium à Patre procedentem, à quo sicut eamdem naturam & potentiam accipit, sic etiam eandem operationem ad extra; gravissimi quique Patres observant: & inter alios Sanctus Justinus Martyr, in Dialogo cum Tryphone. *Etiam nunc non intellexi-* E *stis,* inquit, *Unum ex tribus, & Deum, & Dominum ei qui in cælo est administrare, Dominum duorum Angelorum. Pregredientibus enim illis ad Sodomam, ipse relictus cum Abrahamo, ei collocutus est, quæ descripta sunt à Moyse. Quo & ipso post colloquium recedente, Abraham in locum suum est reversus. Eoque ad Sodomam adveniente, jam non duo Angeli verba cum Lotho conferunt, sed ipse pro eo atque Verbum indicat, atque is Dominus est, qui à Domino in cælo, hoc est universorum Parente, accepit ut hæc inferret Sodomitis & Gomorrhæis, quæ Verbum recenset, sic inquiens: Dominus pluit super Sodomam & Gomorrham sulphur & ignem, à Do-* F *mino, de cælo.*

Et Sanctus Irenæus libro 3. adversùs Hæreses cap. 6. *Et iterum in eversione Sodomitarum Scriptura ait: Et pluit Dominus, super Sodomam, & Gomorrham ignem & sulphur, à Domino, de cælo. Filium enim hic significat, qui & Abrahæ collocutus sit, & à Patre accepisse potestatem ad judicandum Sodomitas, propter iniquitatem eorum.*

Et Primi Concilii Antiocheni Patres, in Epistola Synodica contra Paulum Samosatenum. *Generavit quidem Filium Pater,* inquiunt, *tanquam actum viventem, & per se existentem, omnia in omnibus operantem...... Hunc dicit Scriptura descendisse, & appa-*

ruisse

*ruisse Abraha, ad quercum Mambre, unum ex tribus, cum quo Patriarcha, tamquam cum Domino & Judice colloquebatur: ut qui omne judicium à Patre accepisset; de quo scriptum est; Dominus pluit super Sodomam & Gomorrham ignem & sulphur, à Domino, de cælo.*

Et Sanctus Athanasius libro contra Sabellii Gregales. p. 51. *Quis est qui ita loquitur: Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum? Non hominis hoc verbum, sed Dei, ostendentis genuinam sui ex Patre suo procreationem: atque ideo Domini titulum non recusat. Dominus enim est, qui ex solo Domino est genitus, ut apud Mosen dictum invenies: Pluit Dominus ignem à Domino.*

Et Sanctus Hilarius libro 4. de Trinitate pag. 20. col. 2. *Dehinc adest in Sodomam & Gomorrham justa pœna judicii. Et quid tandem momenti in eo est? Dominus sulphur & ignem pluit, à Domino: ut Dominus, à Domino, ita non discrevit natura nomine, quos significatione distinxerat. Legimus namque in Evangelio: Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio. Dedit ergo Dominus, quod Dominus accepit à Domino: Sed qui accepisti, in Domino, & Domino, judicis cognitionem, cognominis ejusdem, in Deo, & Deo, cognosce consortium.*

Et Formula prima Concilii Sirmiensis contra Photinum edita, quam Sanctus Hilarius lib. de Synodis exponit, & probat, Anathemate 16. sic habet: *Si quis, Pluit Dominus à Domino, non de Filio & Patre intelligat, sed ipsum à se dicat pluisse, anathema sit. Pluit enim Dominus Filius, à Domino Patre.* Eodem modo hunc Geneseos locum exponunt alii Patres, quos recensere longum esset.

III. Trinitatis Mysterium probant illa verba Psalmi 32. *Verbo Domini cœli firmati sunt, & Spiritu oris ejus, omnis virtus eorum.* Nomine Domini, intelligitur Pater, cujus est Verbum, quique per Verbum operatur prima Sanctissimæ Trinitatis persona. Verbum, per quod omnia facta sunt, Filius est, secunda persona. Tertia denique est Spiritus oris Dei, cui perfectio divinorum operum singulari quadam ratione tribuitur. Unde Sancti Patres ex hoc loco divinarum personarum Trinitatem probant, & inter alios Sanctus Gregorius Nyssenus, Oratione Catechetica cap. 4. *Esse enim,* inquit, *Verbum Dei, & Spiritum Dei, potestates, quæ consistant essentialiter, & sunt efficientes eorum quæ facta sunt, & ea quæ sunt, continent, ex divinitus inspiratis Scripturis evidenter ostenditur. Sufficit autem, cùm meminerimus unius testimonii, plura invenienda relinquere studiosis: Verbo Domini,* inquit, *Cœli firmati sunt, & Spiritu oris ejus omnis virtus eorum. Quo Verbo, & quo Spiritu? Neque enim dictio est Verbum, neque Spiritus anhelitus. Si enim ad nostræ naturæ similitudinem Deus quoque homo fieret, ejusmodi quoque verbo & spiritu uti universitatis Opificem statuerint. Quænam autem tanta virtus proficiscitur à verbis, & à spiritu, ut sufficiat ad cælum constituendum & quæ in eo sunt Virtutes? Si enim nostræ dictioni Dei Verbum est simile, & Spiritus spiritui, similis est omnino virtus ex similibus: & quantas nostrum, tantas vires habet Dei Verbum. Atqui & operatione sunt carentes, & minimè consistentes, qui cum verbis transeunt, spiritus. Quò fit ut non agentes, & non consistentes illos omnino constituant, qui ad nostri verbi similitudinem Dei Verbum deducunt. Sin autem, ut dicit David, Verbo Dei firmati sunt cœli, & eorum virtutes consistunt in Dei Spiritu: constat ergo Mysterium veritatis, quod dictat esse dicendum Verbum in essentia, & Spiritum in hypostasi.*

IV. Idem Mysterium probat illud Isaiæ 6. cap. *Clamabant* (Seraphim) *alter ad alterum, & dicebant, Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Exercituum.* Ubi trina illius vocis, *Sanctus*, repetitio, & *Domini* singulare nomen, Personarum divinarum Trinitatem in una essentia significant. Unde Sanctus Ambrosius libro 2. de Fide ad Gratianum, cap. 4. hunc locum expendens, ait: *Quid sibi vult, sub uno nomine sanctitatis, trina repetitio? Si trina repetitio, cur una laudatio? Si una laudatio, cur trina repetitio? Trina repetitio cur, nisi quia Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus sanctitate unum sunt? Non dixit semel, ne Filium sequestrares, non bis, ne Spiritum præterires; non quater, ne creaturas conjungeres. Et ut ostenderet Trinitatis unam esse Deitatem, cùm tertiò dixisset, Sanctus, Sanctus, Sanctus: addidit singulariter, Dominus Deus Sabaoth.*

V. Idem Mysterium probat Propheta mox laudatus cap. 48. in persona Messiæ dicens: *Ex tempore antequam fieret, ibi eram, & nunc Dominus misit me, & Spiritus ejus.* Quæ verba Sanctus Hieronymus in suis ad istum locum Commentariis sic expendit. *Quando fiebant omnia à Patre, ipse erat cum eo, qui adgaudebat, qui etiam nunc dicit: Ego qui semper eram cum Patre, & in Patre, & sine Patre nunquam eram, etiam nunc loquor, & juxta fragilitatem carnis assumptæ dico quòd Dominus Deus miserit me, & Spiritus ejus: brevique versiculo, Trinitatis nobis ostenditur Sacramentum.*

Probatur secundò ex Novi Testamenti locis evidentibus. Namque Trinitatis Mysterium disertè probant verba Christi, Matthæi ultimo: *Euntes docete omnes Gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Quo ex loco Tertullianus Praxeæ refellit errorem, cap. 26. libri contra illum editi. *Novissimè mandat*, inquit, *ut tinguerent in Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum: non in unum. Nam nec semel, sed ter, ad singula nomina, in personas singulas tinguimur.* Quo item ex loco Sanctus Athanasius Sabellianum errorem coarguit, in Oratione contra Sabellii Gregales. *Nullus igitur*, inquit, *repudians hanc Trinitatem, Unitatem existimet se invenire posse, sed in Trinitate unum existimet, habens summam fidei in Baptismate, & tribus signaculis sanctis, per quæ in salutem regeneratus est.*

II. Ex illo Matthæi 16. *Beatus es Simon Barjona; quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in cœlis est. Quo dicto*, inquit Tertullianus libro contra Praxeam cap. 21. *utriusque personæ constituit distinctionem, & Filii in terris, quem Petrus agnoverat Dei Filium, & Patris, qui in cœlis, qui Petro revelaverat, quod Petrus agnoverat Dei Filium Christum.*

III. Sancti Joannis Evangelium passim Trinitatem Personarum divinarum adstruit, cap. 1. *In Principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum*, &c. *Et Verbum caro factum est.* Quæ verba Tertullianus expendens loco mox laudato, ait: *Nam si hoc non aliter accipi licet, quàm quomodo scripta sunt, indubitanter alius ostenditur, qui fuerit à Principio, alius apud quem fuit: alium sermonem esse, alium Deum, licet & Deus sermo, sed quà Dei Filius, non quà Pater: alium per quem omnia, alium à quo omnia. Alium autem quomodo dicamus, sæpe jam edidimus; quo alium accesse est, non eundem, alium autem, non quasi separatum, sed dispositione aliam, non divisione. Hic ergo factus est caro, non ipse cujus est Sermo. Hujus gloria visa est, tanquam unici à Patre, non tanquam Patris.*

Eumdem locum urget Sanctus Athanasius, in Oratione contra Sabellii Gregales. *Si Deus*, inquit, *Verbum in mente habet, non autem revera ex ipso genitum, ut Deum ex Deo, quomodo esse poteris apud Deum,*

*Deum, Verbum? Aut quomodo Deus fuerit? Non enim Verbum in mente hominis conceptum, homo est apud hominem, cùm nec vivat, nec subsistat, sed vivi duntaxat & subsistentis pectoris motus sit, quod mox ut enuntiatum est, non subsistit: & sæpe vocatum, nequaquam permanet, cùm contra Psalmista vociferetur; Dei verbum in æternum permanet: & in ea re illi suffragator & consonus Evangelista est, cùm Verbum Deum esse profitetur, & manifestatum eum annuntiat, & advenisse indicat, & Incarnatum prædicat, non comprehendens unà cum Verbi Incarnatione ipsum Patrem. Verbum enim caro factum est..... Unigenitum igitur Verbum in mundo vides manifestatum, & in hominibus habitantem, gloriamque illi attribui ut Unigeniti à Patre: non quòd ipse Pater sit, aut Pater unà cum Verbo sese manifestaverit, quemadmodum homo sui ipsius Verbo manifestatur.*

Et Joannis 14. *Si cognovissetis me, & Patrem meum cognovissetis.... Philippe, qui videt me, videt & Patrem.... Non creditis quia ego in Patre, & Pater in me est?* Et, *Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis.* Quæ loca Sanctus Athanasius expendens, in Oratione contra Sabellii Gregales, ait: *Si una persona est, cur altera emittitur, & per carnem conspicitur, cùm Deum nemo viderit unquam, sed Unigenitus Filius qui est in sinu Patris, ipse enarraverit, & accesserit ad nos, suisque verbis sui conspectum exhibuerit: quique ob istam ex sese Patris cognitionem, inter loquendum subjunxerit; Qui videt me, videt & Patrem meum, non seipsum Patrem dicens. Qui enim id fieri posset, cùm Pater sit invisibilis? Sed talem se dicit, qualis Pater est. Nam superius dixerat: Si cognovissetis me, etiam Patrem cognovissetis, dualitatem personarum expressis verbis nobis declarans, quæ ex incommutabili deitate agnosci poterat. Quocirca qui dignus habetur conspectu Filii, non fraudatur conspectu Patris. Non enim genitor alienum, dissimilemque de se genuit, sed sibi consimilem. Si igitur unum existimas, cùm revera duo sint, Pater, & Filius, quæ tibi cum Ecclesiastica Doctrina communio superest? Quomodo voces Domini excipies. Ego & Pater unum sumus? Ac rursum de Patre loquens: Ab eo,* inquit, *sum, & ille me emisit. Addit & tertium, Ego rogabo,* inquit, *Patrem, & alium Consolatorem dabit vobis. Cùm igitur de se loquitur, Ego,* inquit: *Cùm de Patre, Ille, dicit: Cur non planè defectionis, & apostasiæ crimen sit, negare tria, & solum illum qui ista locutus est, unum esse dicere?*

Idem Christi responsum ad Sanctum Philippum urget Tertullianus libro contra Praxeam, cap. 24. *Vicarium se Patris ostenderat, per quem Pater & videretur in factis, & audiretur in verbis, & cognosceretur in Filio, facta & verba Patris administrante; quia invisibilis Pater, quod & Philippus didicerat in Lege; & meminisse debuerat: Deum nemo videbit, & vivet. Et ideo sugillatur, Patrem videre desiderans, quasi visibilem, & instruitur visibilem eum in Filio fieri ex virtutibus, non ex persona repræsentatione. Denique si Patrem eumdem Filium velles intelligi, dicendo, Qui me videt, Patrem videt: quomodo subjicit: Non creditis quia ego in Patre, & Pater in me est? Debuerat enim subjunxisse, Non creditis quia ego sum Pater?..... Igitur & manifestam fecit duarum personarum conjunctionem, ne Pater seorsum quasi visibilis in conspectu desideraretur, & ut Filius repræsentator Patris haberetur.*

IV. Distinctionem realem Personarum in Deo probant verba Christi, Joannis 8. *Solus non sum; sed ego & qui misit me, Pater. Et in Lege vestra scriptum est, Quia duorum hominum testimonium verum est. Ego sum qui testimonium perhibeo de meipso: & testimonium perhibet de me: qui misit me Pater.* Quem locum Tertullianus urgens adversùs Praxeam, cap. 22. ait: *Quod si unus esset, dum idem est Filius & Pater, non uteretur Legis patrocinio fidem imponentis, non unius testimonio, sed duorum.*

Idem testimonium urget Sanctus Athanasius, in Oratione contra Sabellii Gregales. *En tibi duas personas,* inquit. *Et nisi dicas verè duos esse, cùm hæc loquitur, non permittis testimonium verum existere. Id enim testimonium confirmat, si non ab uno, sed à duobus perhibeatur. Nam & testatus est è cælo Pater, dicens, Hic est Filius meus dilectus: & sese esse Filium Dei, Unigenitus ipse Filius contestatum facit: & cum Patre sermonem miscens, manifestè in auribus hominum loquitur: Confiteor tibi Pater, Domine cæli & terræ.*

Respondebant Sabelliani, duas quidem illo testimonio, aliisque similibus, designari personas, aliam in Patre Deo, alteram in Filio homine, sed negabant significari duas Personas divinas. Quam responsionem Sanctus Athanasius luculentissimè refellit his verbis. *Et quid istud differt à responsione Samosatensis?* inquit. *Dicant mihi, quæso, qua ratione hominibus ista de se ipso ausus est loqui: Qui videt me, videt Patrem? Aut qua ratione talia de seipso loquentem testimonio suo persequitur Evangelista, ubi refert, quòd dixerit Patrem suum Deum esse, æqualem se Deo faciens: atqui si Deus ex Deo est, fieri nequit, quin ratione naturæ paria habeat cum Genitore suo, ut & Paulus testatur, qui non de humanitate ejus, cùm eam assumpsit, sed de iis quæ humanitatem tempore antecederent, explanationem facit. Qui cùm,* inquit, *in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo. Scimus autem Dominum subinde humanitus loqui; sed non ea ratio in istis verbis, cùm sic ait: Ego sum qui testimonium perhibeo de me ipso, & testimonium perhibet de me, qui misit me, Pater. Non enim est homo ille qui missus est in mundum, & qui dicit: Ex Patre egressus sum, & venio: & qui dicit; Ita dilexit Deus mundum, ut & Filium suum Unigenitum daret, ut omnis qui in eum crediderit, non pereat, sed habeat vitam æternam: & qui dicit, Descendi de cælo, non ut faciam voluntatem meam, sed ejus qui misit me.*

V. Personarum divinarum distinctionem probant illa Christi verba Joannis 10. *Pater meus quod dedit mihi, majus omnibus est: & nemo potest rapere de manu Patris mei. Ego & Pater unum sumus.* Quæ verba Tertullianus sic urget contra Praxeam, cap. 22. *Hic ergo,* inquit, *jam gradum volunt figere stulti, immo cæci, qui non videant: primò, Ego & Pater, duorum esse significationem; dehinc in novissimo, Sumus, non ex unius esse persona, quod pluraliter dictum est, tum quòd, Unum sumus, non, Unus sumus. Si enim dixisset, Unus sumus: potuisset adjuvare sententiam illorum. Unus enim, singularis numeri significatio videtur. Adhuc cùm duo; masculini generis. Unum dicit, neutrali verbo, quod non pertinet ad singularitatem, sed ad unitatem, ad similitudinem, ad conjunctionem, ad dilectionem Patris, qui Filium diligit, & ad obsequium Filii, qui voluntati Patris obsequitur. Unum sumus, dicens, Ego & Pater, ostendit duos esse, quos æquat, & jungit.*

Eumdem locum urget vehementer Novatianus, lib. de Trinitate, cap. 22. *Si erat, ut Hæretici putant, Pater Christus, oportuit dicere, Ego & Pater unus sum. At enim, Ego, dicit, deinde Patrem infert dicendo, Ego & Pater, proprietatem personæ suæ, id est Filii, à paterna auctoritate discernit, atque distinguit, non tantummodo de sono nominis, sed etiam de ordine dispositæ potestatis. Qui potuisset dicere, Ego Pater, si Patrem se esse meminisset. Et quia dixit, Unum, intelligant Hæretici, quia non dixit, Unus. Unum enim naturaliter positum, societatis concordiam, non unitatem personæ sonat. Unum enim, non unus esse dicitur, quoniam nec ad numerum refertur, sed ad societatem*

*alterius expromitur. Denique adjicit, dicens, Sumus, non, Sum, ut ostenderet, per hoc quod dixit, Sumus, & Pater, duas esse personas.*

VI. Idem probant Mysterium illa Christi verba, Joannis 12. *Pater, salvifica me ex hac hora, sed propterea veni in horam hanc. Pater, clarifica nomen tuum. Venit ergo vox de cælo: Et clarificavi, & iterum clarificabo.* Quæ verba Tertullianus adversùs Praxeam sic urget: *Postulat Filius de terris, Pater promittit à cælis. Quid mendacem facis, & Patrem, & Filium, si aut Pater de cælis loquebatur ad Filium, cùm ipse esset Filius apud terras; aut Filius ad Patrem precabatur, cùm ipse esset Pater apud cælos? Quale est ut Filius item postularet à semetipso, postulando à Patre, si Filius erat Pater? Aut Pater sibi ipse promitteret, promittendo Filio, si Pater erat? Ut sic duos divisos diceremus, quomodo jactitatis: tolerabilius erat divisos, quàm unum Deum versipellem prædicare. Itaque ad istos tunc Dominus pronuntiavit: Non propter me ista vox venit, sed propter vos; ut credant hi & Patrem, & Filium, in suis quemque nominibus, & personis, & locis.*

VII. Probatur istud Mysterium ex verbis Christi, Joannis 14. *Rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis.... Paracletus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia; & suggeret vobis omnia, quæcumque dixero vobis.* Ex cap. 16. *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis.* Quæ verba Tertullianus urget cap. 25. libri contra Praxeam. *Paracletum quoque à Patre se postulaturum, cùm ascendisset ad Patrem, & missurum repromittit, & quidem alium, sed jam præmisimus quomodo alium. Cæterùm de meo sumet,* inquit, *sicut ipse de Patris. Ita connexus Patris in Filio, & Filii in Paracleto, tres efficit cohærentes, alterum ex altero: qui tres unum sunt, non unus: quomodo dictum est; Ego, & Pater unum sumus, ad substantiæ unitatem, non ad numeri singularitatem.* Eumdem locum urget cap. 9.

Idem probatur ex Epistola 1. Sancti Joannis cap. 5. *Tres sunt qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres unum sunt.*

Divinarum Personarum distinctio ex Traditione probata.

Probatur denique Propositio ex Traditione Patrum, qui adversùs Judæos, & illos Hæreticos pugnarunt, testimoniis roboratâ. Occurrit primò Sanctus Justinus Martyr in Dialogo cum Tryphone Judæo, ubi Tryphone indignè ferente, quòd Jesum Deum appellaret; tanquam alius esset Deus verus, & propriè dictus, quàm qui unus à Judæis colitur, quique rerum omnium Conditor est, disertè probat, *Esse alterum in Sacris Literis, qui nominatur Deus, præter universorum Opificem.* Quod innumeris probat Scripturæ locis. Denique confutatâ eorum opinione, qui vim illam Patris negabant subsistens quoddam esse ac solidum: sed efficientiam dumtaxat, neutiquam ab eo personâ distinctam, asserebant; quemadmodum lucem Solis in terra esse dicimus, statuit, *Virtutem illam esse Dei, ac Deum à Propheta nuncupari, non ita ut Solis lux solo vocabulo numeratur; sed numero alterum quiddam esse: non tamen recisione; tanquam Patris substantia secetur: uti cætera omnia divisa atque secta, non sunt eadem atque erant ante sectionem.* Quod etiam declarat exemplo ignis, à quo multi alii accenduntur ignes: *Non decrescente illo, unde facta est alterius accensio, sed in eodem statu permanente.*

II. Sanctus Irenæus lib. 5. adversùs Hæreses cap. 6. ait: *Patrem verè Dominum, & Filium verè Dominum esse:* deque iis scriptum in Genesi: *Et pluit Dominus super Sodomam & Gomorrham ignem & sulphur, à Domino.* Item Filium esse qui cum Mose collocutus est.

Et libro 2. cap. 55. *Cognoscunt enim eum,* inquit, *hi quibus revelaverit Filius: semper autem existens Filius Patri, olim & ab initio semper revelat Patrem, & Angelis, & Archangelis, & Potestatibus & Virtutibus.*

III. Dionysius Romanus Pontifex in Epistola contra Sabellianos, cujus præclaram hanc sententiam refert Sanctus Athanasius libro de Nicænæ Synodi Decretis: *Deinceps,* inquit, *adversùs eos dicam, qui dividunt, & secant, & evertunt religiosissimum dogma Ecclesiæ Dei; Monarchiam in tres quasdam virtutes partientes, & divinas hypostases, ac deitates tres. Nam audio quosdam apud vos esse Institutores, & Doctores divini verbi, qui illius sunt opinionis Authores: qui ex diametro, ut sic dicam, pugnant cum Sabellii placitis. Hic enim blasphemat, Filium ipsum asserens esse Patrem, & è converso, Patrem esse Filium. At isti tres quodammodo Deos prædicant, dum Sanctam Monadem dividunt in tres hypostases peregrinas, à se invicem planè separatas. Etenim necesse est uniri omnium Deo Dei Verbum, & in Deo manere, & habitare Spiritum Sanctum. Jam verò divinam quoque Trinitatem in unum, velut in caput quoddam ac summam, Deum universorum colligi, & coalescere prorsus est necesse. Quippe Marcionis est insani dogma, in tria principia secare, ac dividere: non autem eorum, qui revera Discipuli sunt Christi, & Salvatoris disciplinâ delectantur. Nam hi Trinitatem à Scriptura Sacra prædicari planè intelligunt. Tres autem Deos, neque in Veteri, neque in Novo Testamento doceri.*

IV. Sanctus Dionysius Alexandrinus errorem Sabellii suis lucubrationibus confixit, tanta vi ac vehementia, ut contrarium in errorem abripi visus sit nonnullis: à quo ipsum vindicat Sanctus Athanasius, libro de sententia Dionysii contra Arianos.

V. Tertullianus lib. adversùs Praxeam, cap. 11. distinctionem Personarum probat ex processionibus. *Si Filium nominas,* inquit, *Filius autem non alius erit, quàm qui ex ipso prodiit; sermo autem prodiit ex ipso, hic erit Filius, non ipse de quo prodiit. Non enim ipse prodiit ex semetipso. Porrò qui eumdem Patrem dicis, & Filium eumdem, & protulisse ex semetipso facis, & prodisse quod Deus est...... Aut exhibe probationem, quam expostulo, mea similem, id est, sic Scripturas eumdem Filium, & Patrem ostendere, quemadmodum apud nos distinctè Pater & Filius demonstrantur: distinctè, inquam, non divisè, sicut ego profero dictum à Deo; Eructavit cor meum sermonem optimum. Sic tu contra opponas, alicubi dixisse Deum, Eructavit me cor meum sermonem optimum: ut ipse sit qui & eructavit: & ipse qui protulerit, & qui prolatus sit, si ipse est & sermo, & Deus. Ecce ego propono Patrem Filio dixisse; Filius meus es tu, Ego hodie generavi te. Si velis ut credam ipsum esse Patrem & Filium, ostende sic pronuntiatum alibi: Dominus dixit ad se, Filius meus sum ego, ego hodie generavi me. Quem autem verebatur Deus Dominus universitatis ita pronuntiare, si ita res erat; an verebatur ne non crederetur, si simpliciter se & Patrem, & Filium pronuntiasset? Unum tamen veritus est, mentiri, Veritus autem semetipsum, & suam veritatem. Et ideo veracem Deum credens, scio illum non aliter quàm disposuit pronuntiasse: nec aliter disposuisse quàm pronuntiavit. Tu porrò eum mendacem efficias, & fallacem, & deceptorem fidei hujus, si cum ipse esset sibi filius, alii dabat Filii personam, quando Scripturæ omnes & demonstrationem, & distinctionem Trinitatis ostendant. A quibus & præscriptio nostra deducitur, non posse unum atque eumdem videri qui loquitur, & de quo loquitur, & ad quem loquitur: quia neque perversitas neque fallacia Deo congruat, ut cum ipse esset ad quem loquebatur, ad alium potiùs, & non ad semetipsum loquatur.*

Et cap. 14. probat Filium Dei esse personam distinctam à Patre, quia Pater invisibilis in Scripturis sacris asseritur, Filius autem hominibus visus est, etiam ante Incarnationem. *Adhuc*, inquit, *& illa regula nobis adsistit, duos vindicantibus, Patrem & Filium, quæ invisibilem Deum determinavit.....Invenimus enim & à multis Deum visum, & neminem tamen eorum qui eum viderant, mortuum.....Jam ergo alius erit qui videbatur, quia non potest idem invisibilis definiri qui videbatur. & consequens erit ut invisibilem Patrem intelligamus, pro plenitudine majestatis, visibilem verò Filium agnoscamus, pro modulo* [illegible]*ationis.*

Et cap. 15. urget idem argumentum. *Si hunc articulum quæstionibus Scripturæ Veteris non expediam, de Novo Testamento sumam confirmationem nostræ interpretationis: ne quodcumque in Filium reputo, in Patrem quoque defendas. Ecce enim & in Evangeliis, & in Apostolis, visibilem & invisibilem Deum deprehendo. sub manifesta & personali distinctione conditionis utriusque. Exclamat quodammodo Joannes; Deum nemo vidit unquam, utique nec retro. Ademit enim temporis quæstionem, dicendo Deum nunquam visum: confirmat & Apostolus de Deo, Quem nemo vidit hominum, sed nec videre potest: scilicet quia morietur, qui viderit. Idem ipsi Apostoli, & vidisse se Christum, & contrectasse testantur. Porro si ipse est Christus, & Pater, & Filius, quomodo visus est & invisus?*

Et cap. 27. probat Filium esse alium à Patre, quia unctus est, & non à semetipso, sed à Patre. *Si Pater Christus est*, inquit, *Pater unctus est, & utique ab alio. Aut si à semetipso, proba. Sed non ita docent Acta Apostolorum, in illa exclamatione Ecclesiæ ad Deum: Convenerunt enim universi in ista Civitate adversus sanctum Filium tuum Jesum, quem unxisti. Ita & Filium Dei Jesum contestati sunt, & Filium à Patre unctum. Ergo Jesus idem erit Christus, qui à Patre unctus est; non Pater, qui Filium unxit.*

Denique cap. 31. sic suam adversùs Praxeanos disputationem concludit. *Cæterum Judaicæ fidei ista res, sic unum Deum credere, ut Filium Dei adnumerare nolis, & post Filium, Spiritum. Quid enim erit inter nos & illos, nisi differentia ista? Quod opus Evangelii? Quæ est substantia Novi Testamenti, si non exinde Pater, & Filius, & Spiritus, tres crediti, unum Deum sistunt? Sic Deus voluit novare Sacramentum, ut novè unus crederetur per Filium & Spiritum, ut coram jam Deus in suis propriis nominibus & personis cognosceretur, qui & retro per Filium, & Spiritum prædicatus, non intelligebatur. Viderint igitur Antichristi, qui negant Patrem & Filium. Negant enim Patrem, dum eumdem Filium dicunt, & negant Filium, dum eumdem Patrem credunt, dando illis quæ non sunt, auferendo quæ sunt.*

VI. Novatianus libro de Trinitate cap. 1. 12. 21. & 22. tres in Deo Personas disertè adstruit contra Sabellium. Lege Dissertationis nostræ IX. Sæculi II. Articulum 4. Propositione 2. ubi Novatiani de Trinitate sententiam expendimus.

VII. Sanctus Athanasius in Oratione contra Sabellii Gregales, divinarum Personarum Trinitatem ex Scripturis sacris luculenter probat; atque inter alia, hæc habet. *Nam & Pater suum esse ad plenum possidet, & citra ullum defectum radix & fons Filii, & Spiritus Sancti. Itidem quoque Filius est, vivitque in plena, integraque deitate, ut Verbum & germen Patris sui, citra ullum defectum. Plenus quoque Filio Spiritus Sanctus, non pars alicujus, sed integer per se, atque ita verè Trinitas coadunata est sine ullis intervallis. Nihil enim est quod illos distineat, coëxistunt æternaliter, cum nullum ævum intercedat. Formam porro unam & eamdem ex se reddunt, Patre quidem in Filio spectabili, Filio vero & in Spiritu intelligibili, & ab homine in participatum recepto.*

VIII. Sanctus Basilius Epistola 64. ad Neocæsariensis Ecclesiæ Doctores data, Sabellii errorem luculenter etiam expugnat. *Judaismus est*, inquit, *Sabellismus iste, sub prætextu Christianismi in Evangelicam prædicationem subinvectus. Qui enim tres illas Patris, & Filii, & Spiritus Sancti personas rem dixit esse unam, unamque trium posuit hypostasim, quid aliud fecit? An non sempiternam, quæ ante sæcula fuit, Unigeniti essentiam negat? Negat simul & per dispensationem illius ad homines adventum, descensumque ad inferos, resurrectionem, & judicium. Negat autem & proprias ac discretas Spiritus operationes.*

Denique legendus est Sanctus Epiphanius, Hæresi 55. & 62.

Objicitur primò ingratiam Sabellianorum. Deus, Isaiæ cap. 44. sic de seipso loquitur: *Ego sum Dominus, faciens omnia, extendens cælos solus, stabiliens terram, & nullus mecum.* Sed non extendisset cælos solus, si tres in Deo essent Personæ: videtur ergo sequi tres in Deo non esse Personas.

Respondetur Objectionibus Sabellianorum, & recentium Antitrinitariorum.

Respondeo, nego minorem. Dictio enim exclusiva, *Solus*, ibi consortium creaturarum excludit, non consortium & societatem divinarum Personarum. Sic Tertullianus respondet libro contra Praxeam, cap. 19. *Quantum ad cæteras virtutes solus*, inquit, *præstruens adversus conjecturas hæreticorum, qui mundum ab Angelis & Potestatibus diversis volunt structum. qui & ipsum Creatorem aut Angelum faciunt, aut ad alia quæ extrinsecùs, ut opera mundi, ignorantem quoque subornatum. Aut si sic solus extendit, quomodo isti præsumunt in perversum Hæretici, quasi singularis non admittatur Sophia illa, dicens: Cum pararet cælos, ego aderam illi simul...... Sed & Evangelium recusetur, quòd dicat. Omnia per Sermonem à Deo facta esse, & sine eo nihil factum. Nisi enim fallor, & alibi scriptum est, Sermone ejus cæli firmati sunt, & Spiritu oris ejus, omnes virtutes eorum: Et Sermo autem, Virtus & Sophia, ipse erit Dei Filius. Ita si per Filium omnia. cælum quoque per Filium extendens, non solus extendit, nisi illa ratione, qua à cæteris solus.*

Objectio secunda petitur ex verbis Christi, Joannis 17. *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti, Jesum Christum.* Ergo solus Pater Christi est verus Deus, adeoque unica est in Deo persona.

Respondeo, nego consequentiam. Nam solus Deus verus nominatur Pater, non ut aliæ Personæ divinæ removeantur, sed ut ii tantummodo, qui ejusdem non sunt naturæ, & falsò ab hominibus putabantur Dii, excludantur. Sic explicat hunc locum Sanctus Athanasius. Oratione 4. contra Arianos, p. 257. *Quapropter*, inquit, *cum Pater solus Deus & verus appellatur, non ad exauctorationem ejus appellatur, qui dicit: Ego sum veritas, sed ad demolitionem eorum, qui ex natura tales non sunt, qualis est Pater, & Patris Verbum, neque veri Dii sunt. Ita enim illi in more est, in mentione alterutrius se cum Patre conjungere: quale est cùm dicit, Et quem misisti Jesum Christum: qui si creatura esset, non ita coaptasset se, aut connumerasset cum suo Creatore. Quæ enim communio aut societas vero & non verè? Nunc autem qui se coaptat Patri, ostendit se natura Patris esse, deditque nobis, ut illum cognosceremus esse veri Dei verum germen.* Ita etiam explicat Sanctus Epiphanius, Hæresi 62. ubi componit illa Christi verba, *Ego sum lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*; cum his, *Ut cognoscant te solum Deum verum*: atque, quòd sicut non sequitur Patrem non esse lucem veram, quia Christus de ipso non dixit, Est lux vera, sed simpliciter, Deus lux est: ita non sequitur Filium

non esse verum Deum, licet Pater dicatur solus verus Deus.

Respondeo secundò, has voces, *Solum verum Deum*, ad Christum æquè pertinere, ac ad Patrem, ut sit sensus: *Ut cognoscant te, & quem misisti, Jesum Christum, solum esse verum Deum.* Ita hæc verba intellexit Sanctus Gregorius Nazianzenus Oratione 36. *Verùm*, inquit, *hæc verba, Ut cognoscant te solum verum Deum, ad eorum qui quamquam falsò, Dii tamen appellantur, sublationem dici existimo. Neque enim adjectum fuisset: Et quem misisti Jesum Christum, si ad eum opposita distinctione submovendum, illa, Solum verum, pertinerent, ac non de communi utriusque divinitate sermo esset.* Sic exposuit & Sanctus Cyrillus lib. 11. in Joannem cap. 5. *Cùm unum*, inquit, *& verum dixit Patrem ac Deum, non exclusit seipsum. Nam cùm in ipso sit, & ex ipso, secundùm naturam, verus etiam idem erit, ac solus in solo. Præter ipsum enim nullus Deus verus erit, ac solus. Dii enim Gentium, dæmonia. Multis itaque Diis, qui falsò Dii creduntur, unus ac verus Deus opponitur, & qui in ipso, & ex ipso est secundum naturam, Filius.* Sic & Sanctus Ambrosius lib. 5. de Fide cap. 1. *Conjunctione illa*, inquit, *& Patrem utique copulavit, & Filium, ut Christum verum Deum à majestate Patris nemo secernat. Nunquam enim conjunctio separat. Et ideo dicendo: Ut cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum: & Sabellianos interfecit, & Judæos exclusit: ne aut illi eumdem Patrem putarent esse quem Filium, si non addidisset, & Christum: aut isti à Patre Filium separarent. Quare autem cur non putes subaudiendum, & ex superioribus colligendum, ut quod præmisit, solum verum Deum Patrem, subaudiamus etiam, Jesum Christum solum verum Deum? Exprimendum enim aliter non fuit, ne duos Deos dicere videretur.* Sic etiam exponit Sanctus Augustinus lib. 3. contra Maximinum Arianum, & Tractatu 105. in Joannem.

Objectio tertia petitur ex Apostolo 1. ad Corinthios 8. dicente: *Nam etsi sunt qui dicantur Dii, sive in cœlo, sive in terra, siquidem sunt Dii multi, & Domini multi: nobis tamen unus Deus, Pater, ex quo omnia, & nos in illum: & unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia, & nos per ipsum.* Et ad Ephesios 4. *Unus Deus & Pater omnium, qui est super omnes, & per omnia, & in omnibus nobis.* Una est igitur dumtaxat in Deo Persona, scilicet Pater.

Respondeo, nego consequens. Unus enim Deus asseritur ab Apostolo, ut Deos Gentium excludat, non ut Filium removeat, & Spiritum Sanctum. Sicut enim Pater non excluditur ab appellatione unius Domini, quamvis Filius *Unus Dominus* nuncupetur: ita Filius non removetur ab appellatione *unius Dei*, quamvis Pater dicatur unus Deus. Ita respondet Sanctus Epiphanius Hæresi 57. ubi illis Apostoli testimoniis, quæ Noëtus objiciebat, prolatis, ait: *Nonne iis verbis, unum significari principium vides? Ne animum nostrum ad plura cogitanda principia converteret, ac mortalium ingenia vanissimâ illa Deorum multitudine decepta, rursus ad eamdem asserendam copiam adduceret. Vides enim quemadmodum uno nomine sit usus, & appellatione una: non ut Unigenitum Deum abnegaret: Dominum quippe esse illum intelligit, eumdemque Deum. Ideo singulari quadam cautione illud adjecit: Et unus Dominus Jesus Christus per quem omnia. Quod cùm voci illi, Dominus, præcipuè affinxit, non eumdem indicavit esse Patrem, eumdemque Filium. Nam & cùm de Patre loquens, unum Deum esse dixit, nequaquam Filio divinitatem detraxit. Nam si Deus non est, neque Dominus est; cùm autem Dominus sit, Deus quoque sit oportet.*

Et infra: *Nam neque cùm de Patre agens, Unus* A *Deus*, inquit, *ex quo omnia: esse illum Dominum negavit. Neque contra subjiciens; Et unus Dominus Jesus Christus: hunc esse Deum inficiari voluit. Sed quemadmodum in Patre, una appellatione contentus, hoc tantum dixit,* Unus Deus, *qua voce etiam altera, Dominus, continetur. Ita in Filio,* Unus Dominus, *dumtaxat expressit: quâ cum voce, Dei quoque est appellatio conjuncta.* Ita etiam hæc loca Apostoli explicat Sanctus Ambrosius lib. 5. de Fide, cap. 1. *Quemadmodum*, inquit, *cùm legimus Dominum Jesum, nec Patrem à dominationis jure secernimus, quod ei commune cum Filio est: ita cùm legi-* B *mus Solum verum Patrem, nec Filium à soli veri Dei jure possumus separare, quod ei commune cum Patre est.*

Cur autem Apostolus eo loco Jesum Christum Deum disertè & apertè appellare noluerit, neque Patrem Dominum, ratio est, quia cum illis agebat hominibus, qui nuper à Gentili superstitione in plures Deos effusa, ad unius Dei professionem transierant, quibus proindè tanquam infantibus lac doctrinæ Christianæ propinandum erat, non altiora dogmata statim proponenda, & præsertim Dei ac Domini multiplex appellatio, ne plures esse Deos C ac Dominos suspicarentur, seque antiquam non deseruisse superstitionem, sed mutasse. Lege Sanctum Chrysostomum Homilia 20. in Epistolam 1. ad Corinthios.

Eodem modo exponenda sunt illa Dei verba apud Isaiam, cap. 45. *Ego sum Deus, & non est alius præter me.* Filium etenim his verbis non excludit ex eo constat, quòd ipsi quoque Dei nomen tribuat Propheta, cap. 9. *Parvulus enim*, inquit, *natus est nobis, & Filius datus est nobis, & factus est Principatus super humerum ejus: & vocabitur nomen ejus, Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater* D *futuri sæculi.* Quæ verba verum, summum, ac præpotentem Deum designant. Solùm igitur removet Propheta Deos Gentium, ut explicat Tertullianus libro contra Praxeam, cap. 18. *Non Filium negat*, inquit, *sed alium. Puta Solem dicere: Ego Sol, & alius præter me non est, nisi radius meus; nonne denotasses vanitatem; quasi non & radius in Sole deputetur. Itaque præter semetipsum non esse alium Deum, hoc propter idololatriam, tum Nationum, quàm Israelis: etiam propter Hæreticos, qui sicut nationes manibus, ita & ipsi verbis, idola fabricantur, id est,* E *alium Deum, & alium Christum. Igitur & cùm se unum pronuntiabat, Filio Pater procurabat, ne ab alio Deo Christus venisse credatur; sed ab illo, qui prædixerat; Ego Deus, & alius absque me non est; qui se unicum, sed cum Filio ostendit, cum quo totum solus extendit.*

Objicitur quartò. Nullus alius Deus est, quàm qui dictus fuit Deus Abraham, Isaac & Jacob, Deus Israëlitarum: atqui hic nullus alius est præter Patrem: igitur nulla alia est Persona divina à Patre.

Probatur minor ex iis Scripturæ locis, in quibus Deus ille Israëlitarum à Jesu Christo discernitur, ut Actuum 3. *Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Jacob, Deus Patrum nostrorum, glorificavit Filium* F *suum Jesum.* Et Epistolæ ad Hebræos cap. 1. idem ille Deus, qui per Prophetas antea locutus fuerat, *Novissimè locutus in Filio* dicitur.

Respondeo distinguo minorem: Hic nullus alius est Deus præter Patrem, concedo: Filius enim & Spiritus Sanctus non sunt alius Deus à Patre: Hic nulla alia persona est præter Patrem, nego. Deus igitur Abraham, Isaac, & Jacob, tota Trinitas est, sed non distinctè expresseque per omnes cognita personas vulgo Judæorum, sed eximiis dumtaxat, & insignibus quibusdam ex illo populo viris, ut Patriarchis, & Prophetis. Perfectior enim & explicita Sanctissimæ Trinitatis notitia, Christianis temporibus

ribus servabatur. Cujus rationem SS. Patres repetunt ex divinæ providentiæ suavitate, quæ hominum captui sese accommodavit, & per gradus quosdam ac mutationes, illos ad Evangelium sensim perduxit. Qua de re Sanctus Gregorius Nazenus Oratione 37. pag. 608. sic loquitur: *Vetus Testamentum, Patrem apertè prædicabat, Filium obscuriùs: Novum autem nobis Filium perspicuè ostendit; & Spiritus divinitatem subobscurè quodammodò indicavit. Nunc verò Spiritus ipse nobiscum versatur, sesèque nobis apertiùs declarat. Neque enim tutum erat Patris divinitate nondum confessa, Filium apertè prædicari: nec Filii divinitate nondum admissa, Spiritum Sanctum nobis ingeri; ne alioqui velut cibis ultra vires gravati, ac solis radiis hebetes oculos adjicientes, iis quoque quibus præditi eramus, viribus periclitaremur: quin tacitis potiùs accessionibus, & ut David loquitur, ascensionibus, atque ex gloria in gloriam progressionibus & incrementis, Trinitatis lumen splendidiùs illuceret.*

Theodoretus in libro de Curatione Græcarum Affectionum, Sermone 2. aliam rationem affert, cur in Testamento Veteri, obscuriùs adumbratum fuerit Sanctissimæ Trinitatis Mysterium; quia *Cùm Judæi in Ægypto diutissimè versati essent, multorumque ibi Deorum cultum ritu Ægyptiaco didicissent, Sapientissimus Deus nequaquam illis manifestè omnia Trinitatis Mysteria tradidit, ne multitudinis Deorum occasionem sumerent, ad impietatem Judæorum propendentes. Trinitatis tamen dogmata ne tunc quidem venturis in posterum penitus occultavit, perfectioris Theologiæ quasi semina quædam dispergens.*

Non absimilem hujus rei profert rationem Sanctus Cyrillus Alexandrinus libro 9. Commentariorum in Joannem, illa Christi verba exponens: *Si cognovissetis me, & Patrem meum utique cognovissetis, & amodo cognoscetis eum.* Ibi enim vim illius vocis, ἀπάρτι, id est, *amodo*, sic declarat. *Lex enim Mosaica*, inquit, *Filiis Israel inclamabat: Dominus Deus tuus, Dominus unus est: neque veteribus de Filio mentionem faciebat; sed à multorum Deorum cultu eos duntaxat abstractos, ad unius adorationem vocabat. Dominus autem noster Jesus Christus, cùm homo factus est, per multa signa & opera manifestavit nobis, per seipsum, Patrem, unamque ostendit deitatis naturam in Sancta Trinitate verè subsistentem.*

Objectio quinta petitur ex illis verbis Isaiæ, cap. 45. *Tu es Deus, & nesciebamus: & tibi servierunt, & ibunt post se vincti manicis, & in te orabunt: quoniam in te Deus est, & non est Deus præter te.* Una igitur duntaxat in Deo persona est.

Respondeo, nego consequens. Excluditur namque his verbis multitudo Numinum, sed non removetur, imò potiùs intelligitur pluralitas personarum, ut ostendit Sanctus Epiphanius Hæresi 57. ubi expendens hæc verba: *Quoniam in te Deus est*, ait: *In quo verò alio, quàm in paterno Verbo Deum inesse dicemus? Verò quippe Deus Verbum Filius est: in eoque cognoscitur Pater, quemadmodum ipse testatur: Qui vidit me, vidit & Patrem.* Deinde hæc verba, *Ego suscitavi Regem cum justitia*, quæ sententiam in objectione relatam, in illo Isaiæ loco, antecedunt, propriam Patris Æterni vocem repræsentant, *Qui*, ut Sanctus Epiphanius ibidem notat, *verum ex sese Verbum excitans, Regem omnium constituit: eum scilicet, quem verè ex se, sine ullo initio ac tempore genuit. Qui quidem eumdem rursus Regem excitavit, ut Apostolus his verbis expressit: Quòd si Spiritus ejus, qui suscitavit Christum à mortuis, habitat in vobis*, &c. *At cùm dicit: In te Deus est: quanto cum Mysterio, quamque admirabiliter omnia Scriptura proponit? Etenim in carne, velut in Templo quodam prævidebatur, atque hominum spei, per conversionem ad Deum, ostendebatur divinitas. Siquidem Dei Filius, ac Deus ipse Verbum, quasi in sancta quadam Urbe, religiosoque Templo, nimirum in assumpta hominis natura Deus existens, ita loquitur: Solvite Templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.*

Objectio sexta depromitur ex illis Dei verbis, Isaiæ 44. *Ego sum primus & novissimus, & absque me non est Deus.* Atqui non esset primus & novissimus, si tres essent in Deo personæ: unica igitur in Deo videtur esse persona.

Respondeo, nego minorem. His enim verbis plures Dii, non verò plures personæ excluduntur, ut Sanctus Epiphanius respondet, Hæresi 62. *Nimirum plures Dii nequaquam existunt*, inquit, *sed unus duntaxat primus ac posterior, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus. Non ut confusio quædam Trinitas illa sit, aut ab unitate sua discreta: sed Pater Filium verè genuit: & Filius verè à Patre genitus, in persona sua subsistens, initii omnis expers ac temporis. Item Spiritus Sanctus à Patre, & Filio, & eadem divinitate præditus à Patre procedit, & à Filio semper accipit; unus Deus, primus ac posterior.* Notat ibidem Sanctus Epiphanius, contra Judæos, qui Christum venientem repudiaturi erant, & Messiam alterum expectaturi, Deum hæc verba dixisse: *Ego sum primus & novissimus. Primus scilicet, qui hac carne præditus advenit, & novissimè venturus judicare vivos & mortuos.*

Objicitur septimò. Ubi sunt tres personæ realiter distinctæ, quarum quælibet Deus est, ibi tres Dii sunt. Porro tres Deos admittere impium est: igitur & tres personas.

Respondeo, nego majorem; *Nos enim qui & tempora & caussas Scripturarum, per Dei gratiam, inspicimus, duos quidem definimus. Patrem & Filium, & jam tres cum Spiritu Sancto, secundùm rationem œconomiæ, quæ facit numerum: duos tamen Deos & Dominos nunquam ex ore nostro proferimus*, inquit Tertullianus cap. 13. libri adversùs Praxeam; ubi & addit: *Cæterùm si ex conscientia, qua scimus Dei nomen & Domini, & Patri & Filio, & Spiritui convenire, Deos & Dominos nominaremus, exstinxissemus faces nostras, etiam ad martyria timidiores, quibus evadendi quoque pateret occasio, jurantibus statim per Deos & Dominos, ut quidam Hæretici, quorum Dii plures.*

Respondeo 2. distinguo majorem: Ubi sunt tres personæ, quarum quælibet Deus est, ibi tres Dii sunt: si divisa sit in illis divinitas, concedo; si una & individua sit ipsarum natura, nego. At in tribus personis una est numero divinitas; qua de re Sanctus audiendus Athanasius in Expositione Fidei. *Neque tres hypostases*, inquit, *separatim divisas, uti corporum more in hominibus, cogitare licet, ne quemadmodum Gentiles, Deorum multitudinem inducamus.* Quod subinde apposita similitudine declarat; *Ut enim fluvius ex fonte ortum habens ab eo non dividitur: nam una amborum est aqua: quamvis formæ duæ sint, duoque nomina: sic neque Pater Filius est, neque Filius Pater. Siquidem Pater, Filii Pater est; & Filius, Patris Filius. Atque ut fons non est fluvius; neque fluvius fons; sed ambo una eademque sunt aqua, quæ ex fonte manat in fluvium: Ita divinitas, quæ ex Patre transfunditur in Filium, perenniter & sine divisione continuatur.*

Contra. Gentilium Philosophi, divinitatem unam agnoverunt, & plures nihilominus professi sunt Deos: apud nos universum genus est una humanitas, & tamen sunt homines plures, quia sunt plures personæ: igitur plures esse Deos consequens est, si sint plures personæ divinæ,

quamvis una io ipsis divinitas adoretur.

Respondeo nego consequens, & paritatem. Ratio discriminis est, quia non perinde una est divinitas in tribus personis, ut in Diis Gentilium; vel ut natura communis in pluribus est individuis una, sola scilicet ratione; sed re ipsa una est, singularis, neque numero divisa. Nam humanæ in individuis naturæ *Communitas unitatem habet cogitatione sola considerabilem: singularia autem, & tempore, & affectionibus: atque adeo potentia & facultate, plurimùm inter se divisa sunt.* Sed divinarum quælibet personarum *Unitatem habet, non minùs ejus cum qua conjungitur, quàm sui ipsius respectu, propter essentiæ, & potentiæ identitatem:* (ut ait Sanctus Gregorius Nazianzenus, Oratione 37.)

S. Gregorii Nysseni minus accurata comparatio.

Contra. Tres persooæ sunt unus Deus, sicut Petrus, Paulus, & Joannes sunt unus homo, ex Sancto Gregorio Nysseoo in Epistola, seu in libro ad Ablavium: quo etiam exemplo usus est Sanctus Basilius: atqui Petrus, Paulus & Joannes, sunt tantùm unus homo secundùm rationem; sunt verò plures homines reipsa, quia plures sunt persooæ: igitur Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, tres Dii sunt, si tres personæ sint reipsa distinctæ.

Respondeo, Similitudinem illam, qua usi sunt laudati Patres in subjecta materia, non esse accuratam. Est enim arctior naturæ divinæ unitas in tribus personis, quàm naturæ humanæ in pluribus individuis. Hæc enim unitas dumtaxat convenientiæ est ac similitudinis: illa verò, unitas iodividua, simplicissima, & infinita: quam etsi Patres agnoverint, & adstruxerint aliquando, ipsam tamen interdum œconomiæ caussâ dissimularunt; unitatemque speciei humanæ propriam in exemplum protulere. Hac autem eò lubentiùs usi sunt similitudine, quò & ad Ariaoam hæresim refellendam sufficiebat; & ad Sabellianum errorem confodiendum accommodatior videbatur.

Præterea, Sanctus Gregorius Nyssenus in Epistola ad Ablavium, huic explicandæ unitatis ejusdem essentiæ divinæ in tribus personis rationi ita constanter noo adhæret, ut neget commodiores alias afferri posse. Imò profitetur maximas habiturum se gratiam illis, qui divinæ gratiæ lumine illustrati, faciliorem viam difficillimæ quæstionis utcumque exponendæ invenerint. Uode iniqui non erimus in Sanctum Gregorium Nyssenum, nec venerationi ipsi debitæ deerimus, si ejus explicatione posthabita, aliam afferamus. En ejus verba. *Igitur quæstio quidem Tractatu multùm difficilis est: nobiscum verò, siquidem aliquid tale possemus invenire, per quod mentis nostræ ambiguitas firmaretur, & non ampliùs ad absurdum dilemma dubia vacillaret, atque penderet, præclarè ageretur: sin autem vestra oratio proposita quæstione infirmior arguatur; traditionem quidem, quam à Patribus per successionem accepimus, servabimus in perpetuum firmatam & immotam: orationem verò quæ fidei patrocinetur, à Domino requiremus: quæ si ab aliquo eorum, qui gratia præditi sunt, inventa fuerit, gratias agemus ei qui gratiam dederit: sin minùs id nobis contigerit, nihilo secius in iis quæ decreta atque statuta sunt, fidem stabilem & firmam retinebimus.*

Tertiò. Ipsa Epistolæ Sancti Gregorii Nysseni ad Ablavium inscriptio satis ostendit, illum Tritheitarum errorem execrari. Huoc siquidem titulum præfert: *Quod non sunt tres Dii.*

Quartò. Idem Sanctus Gregorius in Oratione Catechetica, cap. 3. ait, quòd in Mysterio Sanctissimæ Trinitatis *Naturæ unitas non admittit divisionem: adeo ut neque Monarchia dominatus scindatur in diversas dissectus unitates, neque congruat id quod dicitur cum Dogmate Judaico: sed per medium duarum opinionum procedat veritas, & utramque*

A *tollens hæresim, & ab utraque accipiens id quod est usui. Nam Judæi quidem dogma tollit, & Verbum admittendo, & credendo Spiritum: eorum autem qui stant à Græcis, abolet error multorum Deorum; eâ, quæ est secundum naturam, unitate circumscribente, & arcente multorum phantasiam. Rursus autem ex Judaicâ opinione maneat naturæ unitas: ex eo autem quod Græci opinantur, sola discretio in hypostasibus; impiæ opinioni utrimque congruo adhibito remedio. Est enim veluti quædam medicina, eorum quidem qui in uno aberrant, numerus Trinitatis; eorum autem qui sunt dispersi in multitudinem, ratio unitatis.*

B Eamdem Theologiam tradit Sanctus Basilius, libro de Spiritu Sancto, cap. 18. *Aut silentio*, inquit, *honorantur ineffabilia, aut piè numerantur Sancta. Unus Deus & Pater. Et unus unigenitus Filius, & unus Spiritus Sanctus. Unamquamque personam singulariter efferimus: cæterùm ubi numerandum est, haudquaquam indoctè numerando eas proferimus, quasi plures Deos intelligamus. Neque enim juxta compositionem numeramus, ab uno ad plura facientes incrementum, ut dicamus, unum, duo, tria; neque primum, secundum, ac tertium. Ego enim Deus primus, & ego posterior. Secundum autem Deum*
C *numquam antehac, ac ne hodie quidem audimus, eo quòd Deum ex Deo adorantes, etiam proprietatem profitemur personarum, manemusque in uno Principatu, non dissipantes divinæ naturæ rationem in multitudinem subdivisam: eo quod unam in Deo Patre, & Deo Unigenito formam contemplamur, inseparabili deitatis essentiâ unitam. Filius enim in Patre, & Pater in Filio, quandoquidem hic talis est, qualis ille; & ille qualis hic: atque hac quidem in parte unum sunt. Itaque juxta personarum proprietatem, unus sunt, & unus: at juxta communem naturam, unum sunt ambo. Quando igitur si unus, & unus sunt, non sunt duo Dii? Quoniam Rex dicitur Regis imago, non*
D *autem duo Reges. Neque enim potestas scinditur, neque gloria dividitur.*

Respondetur Objectionibus Michaelis Serveti & Transylvanorum.

Objectio octava constat Rationibus Michaëlis Serveti, qui Sabellii hæresim postremo sæculo suscitavit, necnon Transylvanorum, qui ejus impietatem sectati sunt. 1. Aut persona in Deo finita est, aut infinita: si infinita, ergo una tantùm: si finita, ergo infinitæ personæ admittendæ sunt, quæ divinæ essentiæ infinitudini respondeant.

Secuodò. Vel Pater genuit Filium existentem, vel non existentem: si primum, frustra genitus est; si secundum, aliquando non fuit Dei Filius. Plures igitur non sunt in Deo personæ unius & ejus-
E dem essentiæ. Antecedens constat: alterutram enim disjunctionum veram esse necesse est.

Tertiò. Generare est summa perfectio in vivente: hanc autem perfectiooem Pater habet, Filius non habet: non sunt igitur ejusdem perfectionis & essentiæ Filius & Pater. Unde consequens est non esse in Deo plures personas ejusdem essentiæ.

Quartò. Si sint plures in Deo personæ, Deus erit genitus & non genitus, quod contradictionem involvit. Evidens est coosecutio, quia Pater ingenitus, Filius genitus erit.

F Confirmatur. Vel genitum, & ingenitum, significant accidens, vel substantiam. Si primum, Deus igitur accidentium est capax. Si secundum, substantia igitur Filii distincta erit à substantia Patris. Plures igitur non erunt personæ unius essentiæ; aut Deorum invehetur multitudo.

Quintò. Si tres personæ sint unum in essentia, quaternitas in Deo admittenda est. Cùm enim essentia, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, quatuor nomina sint nequaquam synonyma, res planè quatuor significant.

Confirmatur. In Deo nihil est præter essentiam

&c

& relationem : sed nec essentia, nec relatio, generant, aut generantur : nihil ergo in Deo generans, aut genitum est : ac proinde plures in Deo non sunt personæ.

Sextò. *Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se* : istudque principium est per se notum, & totius artis ratiocinandi basis : sed Pater & Filius sunt eadem res cum essentia divina ; sunt igitur eadem res inter se. Unde consequens est non esse personas reipsa distinctas.

Respondeo ad primum, Personam divinam infinitam esse. Nego tamen inde sequi quod sit unica : sed solùm colligitur unam esse trium personarum summam & indivisam perfectionem.

Contra. Deus unus est, quia infinitè perfectus est : cùm igitur divina persona sit infinitè perfecta, omnis una erit.

Respondeo, nego consequens. Unus enim Deus alterius perfectionem omnem non contineret : at una persona continet omnium aliarum perfectionem, propter unitatem ejusdem essentiæ, & ratione circumincessionis. *Est enim Filius in Patro*, inquit Sanctus Athanasius Oratione contra Arianos, *quatenus intelligere licet, eo ipso, quòd totum id, quod est Filius, substantiæ Patris proprium est : quemadmodum ex luce splendor, & ex fonte fluvius. Adeo ut qui videt Filium, videat id quod proprium est Patris, & intelligat esse Filii ex Patre derivari, & sic in Patre esse. Est autem & in Patre Filius, quoniam quod Patris proprium est, hoc ipsum est Filius : sicut in splendore Sol, & in Verbo mens ; & in fluvio fons. Ad hunc enim modum, qui contemplatur Filium, contemplatur id quod Patris substantiæ proprium est : & agnoscit Patrem inesse Filio. Nam enim id quod proprium est, nempe divinitas Patris, sit esse Filii, consequens est ut & Filius in Patre sit, & Pater in Filio. Etenim propterea meritò cùm ante dixisset, Ego & Pater unum sumus, adjecit, Ego in Patre, & Pater in me : ut & identitatem divinitatis, & substantiæ unitatem ostenderet.*

Respondeo ad secundum ; Patrem genuisse Filium semper existentem, quia semper genuit. Nec sequitur quod fuerit frustra genitus, quia æterna fuit ejus generatio, ut Patri coæternus esset. *In principio erat Verbum*, inquit Sanctus Joannes, *& Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Quo oraculo omnis illius objectionis argutiola dissiatur : *Qui enim non existentem eum dicit, Qui in principio est*, inquit Sanctus Basilius lib. 2. contra Eunomium, *nec sensum principii custodit, nec ipsi principio subsistentiam Unigeniti conjungit. Nihil enim excogitari potest principio antiquius, & esse Dei Verbi inseparabile est à principio. Quare quantumcumque volueris inutili mentis requisitione retro currere, pertransire tamen illud, Erat, & ultra illud ferri cogitationibus non poteris.*

Et infra : *Sed si erat*, inquit, *genitus non est. Respondeamus ergo : Imò quoniam genitus est, erat, cùm ingenitum esse non habeat : existens semper & coexistens Patri, à quo etiam habet subsistentiæ causam. Quando igitur ad esse à Patre productus est ? Ex quo Pater fuit. Sed ab æterno, inquit, Pater : ab æterno ergo & Filius, per generationem ingenitæ Patris naturæ conjunctus.*

Respondeo secundò cum Sancto Gregorio Nazianzeno, Oratione 35. Patrem neque genuisse Filium existentem, neque non existentem. *Sed argutari pergunt* (inquit) *Existentem, vel non existentem genuit Pater, ô futiles nugas ! hæc enim mihi ac tibi conveniunt, qui partim eramus, ut Levi ille in lumbis Abrahæ, partim procreati sumus : ac proinde partim ex entibus partim ex non entibus sumus. At hæc generatio cum essentia ipsa concurrit, atque à principio extitit. Quid eo quod à principio erat, antiquius esse potest ; ut illic tempus collocemus, vel quo erat Filius, vel quo non erat ? Utroque enim modo illud*, à principio, *dissolvetur, & evertetur ..... Ego quidem neutrum horum admitto. Quæstionemque hanc tuam, absurditatis multùm, difficultatis nihil habere aio.*

Ad probationem antecedentis, respondeo, Quasdam esse propositiones disjunctivas, quarum neutra pars vera est. *Quod si tu*, inquit idem Pater, *juxta tuas Dialecticas sententias, in omni argumento in alterutram disjunctionum veram esse oportere existimas, parvam quamdam interrogatiunculam à me accipe. Tempus est-ne in tempore, an non ? Si in tempore, quo tandem ? Quidque præter hoc existente ? Quoque modo hoc continente ? Si autem non in tempore, quæ hæc eximia sapientia, tempus temporis expers inducere ? Age hujus sermonis, Nunc ego mentior, da alterum, aut dumtaxat verum esse, aut falsum. Atque nullo modo hoc fieri potest. Vel enim mentiens verum dicet, vel mentietur verum dicens. Quid igitur mirum, si quemadmodum hic contraria concurrunt, ita etiam illic utraque pars à vero aberret ? Ac velim, mihi hoc Ænigma solvas : Aderasne tibi, cum gignereris ? Adesne etiam nunc tibi ? An neutrum horum ? Si enim aderas, & ades, quisnam, tandem, & cui ? Et quomodo unus, duo effectus es ? Si autem neutrum horum, quomodo à te ipso disjungeris ? Et quæ disjunctionis hujusce caussa ? Sed ineptum est, inquies, cum de uno disputatur, adsit-ne sibi, nec-ne, curiosius inquirere. Hæc enim in aliis, non in nobis ipsis dicuntur. Ineptius, mihi crede, est, id, quod à principio erat, utrum ante generationem erat, nec-ne, in quæstionem vocare. Hæc enim disputatio iis demum convenit, quæ tempore dividi possunt.*

Ad idem argumentum fusè respondet Sanctus Hilarius lib. 12. de Trinitate, ubi de æterna Filii Nativitate disserens, ait : *Id ipsum Unigenito Deo esse proprium Evangelista testatur : cùm In principio erat Verbum, cùm apud Deum hoc erat, & cùm lumen verum ; & cùm Unigenitus Deus in sinu Patris est ; & cùm Jesus Christus super omnia Deus est. Erat igitur, atque est : quia ab eo est, qui quod est, semper est. Ab eo autem esse, id est, ex Patre esse, Nativitas est. Esse autem semper ab eo qui est semper, æternitas est. Æternitas verò non ex se, sed ex æterno : ex æterno autem nihil aliud quàm æternum. Quòd si non æternum : jam nec Pater, qui generationis est auctor, æternus est*, &c.

Eamdem objectionem absurditatis convincit Sanctus Cyrillus Alexandrinus in Thesauro, Assertione 4.

Respondeo ad tertium, Summam perfectionem, quæ est generatio, Filio non deesse, nec tamen Filium generare. *Deesse nihil dicimus*, inquit Sanctus Gregorius Nazianzenus Oratione 37. *Non enim Deo quidquam deest. Verum manifestationis, mutuæque eorum Relationis differentia, diversa quoque ipsis nomina procreavit. Neque enim Filio aliquid deest ad hoc ut sit Pater (nec enim defectus est filiatio) nec propterea tamen Pater est. Alioqui eadem ratione Patri aliquid deerit ad hoc ut sit Filius. Nec enim Pater Filius est. Sed hæc defectum procul dubio non arguunt, nec essentiæ summissionem : quin potiùs ex his verbis, quòd genitus non sit, & quòd genitus, & quòd procedat, hoc effectum est, ne alius Pater, alius Filius, alius Spiritus Sanctus appelletur : atque ita inconfusa trium personarum distinctio, in una Divinitatis natura, & dignitate conservetur.*

Itaque omnis perfectio divinæ generationis est in Filio, quia in eo eadem essentia est, quæ cum generatio identificatur. Sed Filius non generat, quia generare spectat ad proprietatem Patris. Hinc S. Ambrosius libro 4. de Fide ad Gratianum, simila

Arianorum

Arianorum argumentum solvens, ait : *Cur, inquiunt, Filius Pater non est? Quia & Pater Filius non est. Cur non iste generavit? Quia nec ille generatus est. Nec ideo minus habet Filius, quia Pater non est : nec Pater minus habet, quia Filius non est. Dixit enim Filius : Omnia quæ Pater habet, mea sunt. Adeo generatio in paterna proprietate, non in jure est potestatis.*

Respondeo ad quartum, nego consecutionem majoris. Erit enim Deus ingenitus, & genitus, quod non repugnat : sed non erit genitus, & non genitus. Hæ propositiones, *Deus est genitus, Deus non est genitus*, sunt contradicentes; unde altera falsa est. Namque cùm dicitur, *Deus est genitus*, τὸ Deus, supponit pro Filio ; cum dicitur, *Deus non est genitus*, supponit pro personis omnibus indistinctè; & hic fit sensus : Nulla personarum divinarum est genita. Hæ autem Propositiones sunt contradictoriæ : Aliqua persona divina est genita, scilicet Filius. Nulla persona divina est genita. Hæ verò, *Deus est genitus, Deus est ingenitus*, non sunt contradictoriæ, quia in prima hæc vox, *Deus*, pro Filio ; in altera, pro Patre supponit. Hinc Sanctus Gregorius Nazianzenus argumentum istud solvens Oratione 35. ait : *Quomodo ingenitum & genitum non idem esse dicis? Si per hæc verba nihil aliud intelligis, quàm id quod increatum, & quod creatum, in eadem ipse quoque sum sententia. Neque enim naturâ idem est, quod principio caret, & quod procreatum est. Sin autem his verbis, eum qui genuit, & eum qui genitus est, accipis, haudquaquam rectè id abs te dicitur. Idem enim omnino esse necesse est. Hæc quippe geniti natura est, ut idem, si naturam spectes, sit cum eo qui genuit. Vel ad hunc rursus modum agamus : Quid per ingenitum, ac genitum intelligis? Si ipsam ingeniti, & geniti proprietatem, non idem sunt : sin autem ea quibus hæc insunt, quid vetat quominus idem sint?*

Ad confirmationem respondeo, *Genitum*, & *ingenitum*, nec accidens, nec substantiam significare. Quòd non significent accidens, evidens est, quia Deus incapax est accidentium. Quod non importent substantiam, viginti rationibus probat invictissimè Sanctus Cyrillus Alexandrinus, in Thesauro, Assertione 4. *Ingenitus* igitur, *non substantiam, sed existendi modum* significat, ut probat Sanctus Basilius libro 4. contra Eunomium, pag. 92. & sequentibus. Clariùs id explico. *Genitus*, relationem significat, quippe cùm sit idem quod Filius : *Ingenitus* verò, negationem relationis. Nam, ut ait Sanctus Augustinus libro 5. de Trinitate, cap. 7. *Nullum prædicamenti genus est, secundùm quod aliquid aiere volumus, nisi ut secundum idipsum prædicamentum negare convincamur, si præponere negativam particulam voluerimus. Quæ cum ita sint, si substantialiter aierem, dicendo, Filius, substantialiter negarem, dicendo, non Filius. Quia vero relativè aio, cum dico, Filius est : ad Patrem enim refero : relativè nego si dicam, Non Filius est : ad parentem enim eamdem negationem refero; volens ostendere quòd ei parens non sit. At si quantùm valet quod dicitur, Filius, tantumdem valet quod dicitur, genitus : tantumdem ergo valet quod dicitur, non genitus, quantùm valet quod dicitur, non Filius. Relativè autem negamus, dicendo, non Filius; relativè igitur negamus, dicendo, non genitus. Ingenitus porro quid est, nisi non genitus? Non ergo receditur à relativo prædicamento, cum ingenitus dicitur. Sicut enim genitus, non ad seipsum dicitur, sed quòd ex Genitore sit : ita cum dicitur, ingenitus, non ad seipsum dicitur, sed quod ex Genitore non sit, ostenditur. In eodem tamen prædicamento, quod relativum vocatur, utraque significatio vertitur. Quod autem relativè pronuntiatur, non indicat substantiam. Ita quamvis diversum sit, genitus, & ingenitus, non indicat diversam substantiam : quia sicut Filius ad Patrem, & non Filius, ad non Patrem refertur : ita genitus, ad Genitorem, & non genitus, ad non Genitorem referatur necesse est.*

Ad quintum respondeo, nego consecutionem antecedentis. Ad probationem dico, Hæc nomina, *Essentia, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus*, non esse synonyma, nec tamen res quatuor significare; sed rem unam absolutam; tres relativas. Quæ cùm ab absoluta illa indistinctæ sint, non quaternitas, sed Trinitas adnectatur. Hinc Sanctus Augustinus libro 1. de Doctrina Christiana, cap. 5. ait. *Res igitur quibus fruendum est, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus est, eademque Trinitas, una quædam summa res, communisque omnibus fruentibus ea.*

Et Concilium Lateranense IV. cap. 2. definit, *Quod una quadam summa res est, incomprehensibilis quidem & ineffabilis, quæ veraciter est Pater & Filius, & Spiritus Sanctus, tres simul personæ, ac singulatim quælibet earumdem. Et ideo in Deo Trinitas est solummodo, non quaternitas : quia quælibet trium personarum est illa res, videlicet substantia, essentia, sive natura divina, quæ sola est universorum principium, præter quod aliud inveniri non potest.*

Res nihilominus tres relativæ in Deo sunt, ut docet Sanctus Anselmus libro de Incarnatione Verbi, cap. 3. *Nihil*, inquit, *prohibet dicere, Patrem, & Filium esse duas res, si tamen intelligatur cujusmodi sunt res : non enim sic sunt Pater & Filius duæ res, ut in his duabus rebus intelligatur eorum substantia, sed eorum relationes.*

Ad confirmationem respondeo, Relationem subsistentem, seu personam, in Deo generare, & generari; non verò essentiam ; de qua laudatum caput Lateranensis Concilii sic definit adversùs Joachimum Abbatem : *Et illa res non est generans, neque genita, nec procedens : sed est Pater qui generat, Filius qui gignitur, & Spiritus Sanctus qui procedit : ut distinctiones sint in personis, & unitas in natura.*

Ad sextum respondeo, Prætermissis exceptionibus, quæ à Scholasticis ad hujusce limitationem principii afferri solent, nimirum, *Quæ sunt eadem uni tertio, eadem esse inter se* : Si sint eadem cum illo tertio re & ratione; si sint eadem cum illo adæquatè ; si tertium illud sit incommunicabile : his, inquam, prætermissis, respondeo hoc effatum Philosophiæ, locum non habere in Mysteriis, quæ cùm rationem superent, Philosophiæ Decretis non sunt explicanda, sed Scripturæ sacræ, & Traditionis oraculis. Certè commune est Philosophiæ effatum, *Ex nihilo nihil fit* : Illud tamen suam exceptionem habet, ac in iis dumtaxat quæ naturaliter agunt, verum esse illud fatentur Theologi, & Philosophi Christiani ; aliam autem esse dicunt Conditoris rationem, qui quod vult, sola voluntate perficit. Ita de illo principio dicendum est, verum esse in iis quæ sunt secundùm humanam rationem ; non in iis quæ supra rationem esse exploratum est. Unde Sancto Cyrillo Alexandrino auscultandum est libro II. in Joannem p. 99. dicenti : *Si nihil inter nos & Deum est discriminis, divina nostris metiamur. Sin autem incomprehensibile est intervallum, cur natura nostra defectus, canonem, & regulam, ac normam, Deo præfiniunt, ex eis quæ nobis impossibilia sunt necessitati subjicientes naturam omni necessitate potiorem?*

DISSERTATIO

# DISSERTATIO XXVI.

## Adversùs Manichæos.

MANICHÆORUM palmarem errorem, de duobus Principiis, impugnavimus in Panoplia adversùs hæreses secundi Sæculi, cùm egimus adversùs Marcionem: alterum hic suscipimus evertendum, quo adversùs liberum arbitrium pugnaverunt.

---

## QUÆSTIO UNICA.

*De libero Arbitrio hominis ad peccandum.*

## ARTICULUS UNICUS.

*Utrùm libero arbitrio præditus sit homo, quo peccatum vitare possit?*

NOn adversùs Manichæos tantùm: verùm etiam contra Lutheranos & Calvinistas a disputare aggredimur, qui liberum arbitrium figmentum esse, ac inane simulachrum, & titulum sine re, juxta suorum doctrinam Magistrorum contendunt; & voluntatem necessitate in malum trahi, necessarióque peccare hominem. Disputamus & contra Jansenium Yprensem, ejusque partiarios ad Calvinum proximè accedentes. Hic enim lib. III. de statu Naturæ Lapsæ propugnat, primi hominis peccato periisse non solùm libertatem ad agendum bonum, sed etiam abstinendi à peccato, & loco illius libertatis inductam esse peccandi necessitatem & indifferentiam ad bonum & malum esse penitus amissam.

a Lutherus libro 4. de servo Arbitrio, & in assertione articulorū à Leone X. damnatorū. Calvinus libro 2. Instit. cap. 2. 3. & 5. libro 2. de Libero Arbitrio contra Pighium. & in Antidoto ad Artic. 2. Parisiensiū Theologorū.

## PROPOSITIO.

*Hominem libero præditum esse arbitrio, quo & bonum operari, & peccata vitare possit, veritas est, Scriptura sacra testimoniis, & omnium sæculorum, ab Apostolicis temporibus, Traditione firmata, nec non Ecclesiæ judicio decreta.*

Liberum hominis arbitrium probatur ex Scripturis.

Probatur prima pars, proferendo Scripturæ divinæ loca, quæ Sanctus Augustinus libro de Gratia & libero Arbitrio congerit, cap. 2. quod caput maxima ex parte repræsentare operæ pretium est. *Revelavit autem nobis*, inquit, *Deus, per Scripturas suas sanctas, esse in homine liberum voluntatis arbitrium. Quomodo autem revelaverit, commemoro vos, non humano eloquio, sed divino. Primùm quia ipsa divina præcepta homini non prodessent, nisi haberet liberum voluntatis arbitrium, quo ea faciens, ad promissa præmia perveniret. Ideò enim data sunt, ut homo excusationem de ignorantia non haberet: sicut Dominus in Evangelio dicit de Judæis: Si non venissem & locutus eis fuissem, peccatum non haberent. Nunc autem excusationem non habent de peccato suo... Et liber Ecclesiasticus dicit: Ipse ab initio fecit illum, & reliquit in manu consilii sui. Si volueris, conservabis mandata, & fidem bonam placiti. Apponet tibi ignem & aquam: ad quodcumque volueris, extende manum tuam. In conspectu hominis vita & mors, & quodcumque placuerit, dabitur ei. Ecce apertissimè videmus expressum liberum humanæ voluntatis arbitrium. Quid illud, quod tam multis locis omnia mandata sua custodiri, & fieri jubet Deus? Quomodo jubet, si non est liberum arbitrium? Quid beatus ille,* A *de quo Psalmus dicit, quòd in Lege Domini fuit voluntas ejus, nonne satis indicat voluntate sua hominem in Lege Dei consistere? Deinde tam multa mandata, quæ ipsam quodammodo nominatim conveniunt voluntatem: sicut est, Noli vinci à malo, & alia similia; sicut sunt, Nolite fieri sicut equus & mulus, quibus non est intellectus. Et, Noli repellere consilia matris tuæ. Et, Noli esse sapiens apud teipsum. Et, Noli deficere à Disciplina Domini. Et, Noli negligere Legem. Et, Noli abstinere benefacere egenti. Et, Noli fabricare in amicum tuum mala. Et, Noli intendere fallaci mulieri. Et, Noluit intelligere ut* B *bene ageret. Et, Noluerunt accipere Disciplinam. & innumerabilia talia in veteribus libris divinorum eloquiorum, quid ostendunt, nisi liberum arbitrium voluntatis humanæ? In Libris etiam Novis, Evangelicis, & Apostolicis, quid aliud ostenditur, ubi dicitur? Nolite vobis condere thesauros in terra. Et, Nolite timere eos qui occidunt corpus. Et, Qui vult venire post me, abneget semetipsum. Et, quod dicit Apostolus Paulus: Quod vult faciat: non peccat si nubat: quì autem statuit in corde suo non habens necessitatem, potestatem autem habens suæ voluntatis, & hoc statuit in corde suo servare virginem suam, bene facit. Item dicit: Si autem volens hoc facio, mercedem habeo.* C *Et alio loco, Sobrii estote justè, & nolite peccare. Et iterum: Ut quemadmodum promptus est animus voluntatis, ita sit & perficiendi*, &c. *Nempe ubi dicitur: Noli hoc, & noli illud, & ubi ad aliquid faciendum vel non faciendum in divinis monitis opus voluntatis exigitur, satis liberum demonstratur arbitrium. Nemo ergo Deum causetur in corde suo, sed sibi imputet quisque cùm peccat.* Imprudens sum si prætercam insignem illum Geneseos locum, ubi Deus Cainum jam invisum sibi, & in Sacrificio propterea despectum, sic alloquitur: *Quare iratus es? Et cur concidit facies tua? Nonne si bene egeris recipies: sin autem malè statim in foribus peccatum aderit? Sed* D *sub te erit appetitus ejus, & tu dominaberis illius.* Constat Cainum, ante meditatam fratris necem, peccatum aliquod admisisse. Id enim in prima Canonica Sanctus Joannes significat. *Non sicut Cain*, inquit, *qui ex maligno erat, & occidit fratrem suum. Et propter quid occidit eum? Quoniam opera ejus maligna erant, fratris autem justa.* At hunc ipsum sceleratum, servumque peccati, Deus pronuntiat sub se habere concupiscentiam, eique posse dominari. Quem locum Sanctus Hieronymus in Traditionibus Hebraicis sic enarrat: *Tu dominaberis illius, nempe peccati. Non te invitum subjicere poterit illius* E *cupiditas: sed, si vis, superabis.*

Quæ verba item Sanctus Ambrosius libro 2. de Cain & Abel, sic expendit, cap. 7. *Non habes quod excuses. Non habes in quo necessitatem magis, quàm mentem tuam arguas. In te retorquetur improbitas. Tu princeps operis tui, tu dux criminis. Non te invitum, non imprudentem error attraxit: sed voluntarius reus, judicio, non lapsu, fecisti dolum, quo te divina injuria reum ipse convincis.*

Liberum hominis arbitrium probatur ex Traditione.

Probatur secunda pars testimoniis locupletissimis Sanctorum Patrum, qui ab Apostolorum ætate hanc ad posteros Traditionem transmiserunt. Primus F occurrit Sanctus Justinus Martyr Apologia 2. *Sed enim*, inquit, *quia liberi arbitrii & Angelorum & hominum genus ab initio creavit Deus, justo judicio pro peccatis suis supplicium in igne sempiterno reportabunt. Illa quippe orta cujusque rei natura est, ut virtutis & vitii sit capax, neque quidquam eorum quæ creata sunt, laude dignum esset, nisi vim ac potestatem alterovorsum se convertendi obtineret.*

Et Apologia 1. ad Antoninum Imperatorem pag. 80. *Supplicia*, inquit, *& cruciatus, necnon remunerationes optatas, pro operum meritis unicuique tribui, per Prophetas edocti, id quod in vero est, con-*

*nullo modo caveri potest? Peccatur autem: Caveri igitur potest.*

Et cap. 19. illis respondens qui nobis imputari peccata non posse effutiebant, quia cum ignorantiæ cæcitate & difficultatis cruciatibus nascimur, & renitente carnalis concupiscentiæ nescio quâ necessitate, præcepta justitiæ implere non valemus, hæc habet: *Recte fortasse quererentur, si erroris & libidinis nullus hominum victor existeret: cùm verò ubique sit præsens, qui multis modis, per creaturam sibi Domino servientem, aversum vocet, doceat credentem, consoletur sperantem, diligentem exhortetur, conantem adjuvet, exaudiat deprecantem: non tibi deputatur ad culpam quòd invitus ignoras, sed quòd negligis quærere quod ignoras: neque illud, quòd vulnerata membra non colligis, sed quòd volentem sanare, contemnis. Ista tua propria peccata sunt.*

Catholico de Arbitrii libertate dogmati æquè suffragatur libro de vera Religione, cap. 14. *Defectus autem iste*, inquit, *qui peccatum vocatur, si tanquam febris invitum occuparet, rectè injusta pœna videretur, quæ peccantem consequitur, & quæ damnatio nuncupatur. Nunc vero usque adeò peccatum voluntarium est malum, ut nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium: & hoc quidem ita manifestum est, ut nulla hinc Doctorum paucitas, nulla indoctorum turba dissentiat. Quare aut negandum est peccatum committi, aut fatendum est voluntate committi ..... Postremò, si non voluntate male facimus, nemo objurgandus est omnino, aut monendus, quibus sublatis, Christiana Lex & Disciplina omnis Religionis auferatur necesse est. Voluntate ergo peccatur. Et quoniam peccari non dubium est, nec hoc quidem dubitandum video, habere animas liberum voluntatis arbitrium. Tales enim servos suos meliores esse Deus judicavit, si ei servirent liberaliter. Quod nullo modo fieri posset, si non voluntate, sed necessitate servirent.*

Et libro de duabus Animabus contra Manichæos, cap. 11. *Peccatum*, inquit, *est voluntas retinendi, vel consequendi quod justitia vetat, & unde liberum est abstinere. Quamquam si liberum non sit, non est voluntas. Sed malui crassiùs, quàm scrupulosiùs definire eam rem. Nec hi libri obscuri mihi scrutandi erant, unde discerem, neminem vituperatione suppliciove dignum, qui aut id velit, quod justitia velle non prohibet, aut id non faciat, quod facere non potest. Nonne ista cantant & in montibus Pastores, & in theatris Poëtæ, & indocti in circulis, & docti in Bibliothecis, & Magistri in Scholis, & Antistites in sacris locis, & in orbe terrarum genus humanum? Quod si nemo vituperatione, vel damnatione dignus est, aut non contra vetitum justitiæ faciens, aut quod non potest, non faciens, omne autem peccatum, vel vituperandum est, vel damnandum, quis dubitet tunc esse peccatum, cum & velle injustum est, & liberum nolle?*

Et cap. 12. *Dicere animas, & esse malas, & nihil peccare, plenum est dementiæ: dicere autem peccare sine voluntate, magnum deliramentum est: & peccati reum teneri quemquam quia non fecit quod facere non potuit, summæ iniquitatis est & insaniæ. Quamobrem illæ animæ quicquid faciunt, si natura, non voluntate faciunt: id est, si libero ad faciendum, & ad non faciendum, motu animi carent, si denique his abstinendi ab opere suo potestas nulla conceditur, peccato earum teneri non possumus.* Lege eumdem lib. de Actis cum Felice Manichæo cap. 3. & 4.

Idem Fidei Catholicæ dogma confirmatur ex controversia Sancti Augustini & Ecclesiæ Catholicæ cum Pelagianis. Admittebant infensissimi illi gratiæ Christi hostes *Liberum arbitrium* in homine: & per illud *non solum ad facienda, verùmetiam ad perficienda mandata divina, humanam sibi sufficere naturam*, ut constat ex Epistola 95. Sancti Augustini ad Innocentium Primum Pontificem Maximum, ex libro de Spiritu & Litera, cap. 2. & ex aliis locis. Quid ad hæc Sanctus Augustinus? Arguit-ne Pelagianos erroris, quantùm ad hoc quòd liberum arbitrium propugnarent? Nequaquam; sed quantum ad hoc duntaxat quòd gratiæ necessitatem negarent. Liberum vero arbitrium cum ipsis confitetur. Sic enim habet Epistola mox laudata: *Ad non peccandum, id est ad non male faciendum, quamvis esse non dubitetur arbitrium voluntatis, tamen ejus potestas non sufficit, nisi adjuvetur infirmitas.*

Et libro de Spiritu & Litera cap. 3. *Nos autem dicimus*, inquit, *humanam voluntatem sic divinitus adjuvari ad faciendam justitiam, ut præter quod creatus est homo cum libero arbitrio voluntatis, præterque doctrinam, quâ ei præcipitur quemadmodum vivere debeat, accipiat Spiritum Sanctum, quo fiat in animo ejus delectatio, dilectioque summi illius atque incommutabilis boni, quod Deus est.*

Denique in libro 2. de Nuptiis & Concupiscentia cap. 3. cùm Julianus quereretur negari à Catholicis liberum arbitrium: quod si quis assereret, statim *Celestianum & Pelagianum vocari*: ita inter cætera occurrit Sanctus Augustinus: *Liberum itaque in hominibus esse arbitrium, & Deum esse nascentium Conditorem, utrique dicimus: Non hinc estis Celestiani & Pelagiani: Liberum autem quemquam esse ad agendum bonum sine adjutorio Dei, & non erui parvulos à potestate tenebrarum, & sic transferri in regnum Dei, hoc vos dicitis, hinc estis Celestiani & Pelagiani.*

Legendi etiam Sanctus Joannes Damascenus libro 2. de Fide Orthodoxa, capp. 25. 26. 27. & 28. Et Sanctus Bernardus in Tractatu de Gratia & libero Arbitrio.

Probatur tertia pars Propositionis, quòd scilicet Ecclesiæ judicio declaratum sit, hominem esse libero præditum arbitrio: primò namque id testantur SS. Patres, qui Manichæos hæreticos vocant, non ob alia tantùm errorum flagitia, verumetiam ob negatum liberum arbitrium.

*Liberum hominis arbitrium probatur ex Ecclesiæ definitione.*

Secundò, id constat ex Innocentio Primo in Rescripto ad Concilium Carthaginense. *Quid tam mortiferum*, inquit, *tam præceps videatur ad casum, tam expositum ad omnia pericula, si hoc solùm nobis putantes posse sufficere, quòd liberum arbitrium, cum nasceremur, accepimus, ultra jam à Domino nihil quærimus: id est, Auctoris nostri obliti, ejus potentiam, ut nos ostendamus liberos, abjuremus: quasi jam ampliùs quod dare possit non habeat, qui se in tuo ortu liberum fecit?*

III. Id constat ex Celestino Primo Pontifice Maximo in Epistola ad Episcopos Galliæ, sive in Collectione auctoritatum ipsis adnexa, cap. 9. ubi de gratia Dei sic loquitur: *Quo utique auxilio & munere Dei non aufertur liberum arbitrium, sed liberatur, ut de tenebroso lucidum, de pravo rectum, de languido sanum, de imprudente sit providum.*

IV. Id constat ex Concilio Arausicano II. Canone 13. ita decernente: *Arbitrium voluntatis in primo homine infirmatum, nisi per gratiam Baptismi, non potest reparari: quod amissum, nisi à quo potuit dari, non potest reddi. Unde veritas ipsa dicit: Si vos Filius liberaverit, tunc vere liberi eritis.*

V. Id constat ex Bulla Leonis X. adversùs Lutherum: in qua inter damnatos illius Hæresiarchæ Articulos hic habetur 31. *Liberum arbitrium post peccatum, est res de solo titulo.*

VI. Denique Concilium Tridentinum, Sessione 6. tribus Canonibus Catholicam de libero arbitrio doctrinam firmavit. Canone 4. sic habet: *Si quis dixerit, Liberum hominis arbitrium à Deo mo-*

*tum & excitatum, nihil cooperari assentiendo Deo excitanti, atque vocanti, quo ad obtinendam justificationis gratiam se disponat, ac præparet: neque posse dissentire, si velit, sed velut inanime quoddam, nihil omnino agere, mereque passivè se habere, anathema sit.*

Canon quintus ita decernit: *Si quis liberum hominis arbitrium post Adæ peccatum, amissum & extinctum esse dixerit, aut rem esse de solo titulo, imò titulum sine re, figmentum denique à Satana invectum in Ecclesiam, anathema sit.*

Tandem Canon sextus libertatem ad peccandum inesse homini declarat: *Si quis*, inquit, *dixerit, Non esse in potestate hominis vias suas malas facere: sed mala opera, ita ut bona Deum operari, non permissivè solum, sed etiam propriè & per se, adeo ut sit ejus proprium opus, non minùs proditio Judæ, quam vocatio Pauli, anathema sit.*

Objiciuntur primò testimonia Scripturæ Sacræ quibus Hæretici liberum arbitrium impugnant. Primum est illud Jeremiæ 10. *Non est hominis via ejus, nec viri est ut ambulet & dirigat gressus suos.* Non est igitur homo suarum actionum dominus, adeoque non est liber.

Secundum est illud Christi Servatoris oraculum, Joannis 6. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum.* Ubi verbum istud, *traxerit*, necessitatem significat peremptricem libertatis. Item illud Joannis 15. *Sine me nihil potestis facere*, libertati repugnare videtur.

Tertium est illud Joannis 8. *Omnis qui facit peccatum, servus est peccati*: & illud Apostoli 2. ad Timotheum 2. *Resipiscant à diaboli laqueis, à quo captivi tenentur ad ipsius voluntatem.* Atqui servitus, & captivitas perimunt libertatem: non est igitur in homine peccatore liberum arbitrium.

Hæreticorũ Objectionibus contra liberum arbitrium respondetur.

Respondeo ad primum, Jeremiam loqui de actionibus externis, quæ variis eventibus impediri possunt, quos humana prudentia prævidere aut avertere non potest. Unde hujus loci sensus est, non esse semper in hominis potestate ut consilia sua optatum ad exitum perducat, & quæ proposuit fœliciter exequatur. Cæterùm in hominis potestate vias ejus esse, id est, liberi esse in omnibus operationibus suis arbitrii, constat ex verbis ejusdem Prophetæ, cap. 18. *Dirigite*, inquit, *vias vestras, & studia vestra.*

Respondeo 2. Non esse in homine ut dirigat gressus suos, absque gratia Dei; sed ipsum gratia divina præveniente & adjuvante, in via salutis progredi posse: at seipso posse peccatum admittere. Qua de re Sanctus audiendus est Augustinus libro 2. de Peccatorum meritis & remissione, cap. 17. *Quapropter*, inquit, *nisi obtineamus non solum voluntatis arbitrium, quod huc atque illuc liberum flectitur, atque in eis naturalibus bonis est, quibus & malè uti malus potest: sed etiam voluntatem bonam, quæ jam in eis bonis est, quorum esse usus non potest malus, nisi ex Deo nobis esse non posse, nescio quemadmodum defendamus quod dictum est: Quid enim habes quod non accepisti? Nam si nobis libera quædam voluntas ex Deo est, quæ adhuc potest esse bona vel mala: bona verò voluntas ex nobis est, melius est id quod à nobis, quàm quod ab illo est. Quod si absurdissimè dicitur, oportet fateamur, etiam bonam voluntatem nos divinitus adipisci .... Si ergo voluntas aut bona est, aut mala, & utique malam non habemus ex Deo, restat ut bonam voluntatem habeamus ex Deo: alioqui nescio cum ab eo justificamur, quo alio munere ipsius gaudere debeamus. Et hinc scriptum arbitror: Paratur voluntas à Domino. Et in Psalmis: A Domino gressus hominis dirigentur, & viam ejus volet. Et quod Apostolus ait: Deus est enim qui operatur in nobis velle & operari pro bona voluntate. Quocirca quod à Deo nos avertimus, nostrum est, & hæc est voluntas mala: quod verò ad Deum nos convertimus, nisi ipso excitante atque adjuvante non possumus, & hæc est voluntas bona.*

Ad secundum respondeo, Patrem homines trahere ut ad Christum veniant, illæsa ipsorum libertate: unde illa verba, *Nisi Pater traxerit eum*, neque vim, neque necessitatem voluntati illatam significant, sed operationem divinæ gratiæ potentissimam. Qua de re audire Sanctum Augustinum Tractatu 26. in Joannem, operæ pretium est. *Noli*, inquit, *te cogitare invitum trahi: trahitur animus & amore. Nec timere debemus ne ab hominibus qui verba perpendunt, & à rebus maximè divinis intelligendis longè remoti sunt, in hoc Scripturarum sanctarum Evangelico verbo forsitan reprehendamur, & dicatur nobis, Quomodo voluntate credo, si trahor? Ego dico: Parum est voluntate ire: etiam voluptate traheris. Quid est trahi voluptate? Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui. Est quædam voluptas cordis, cui panis dulcis est ille cælestis. Porro si Poetæ dicere licuit: Trahit sua quemque voluptas. non necessitas, sed voluptas, non obligatio, sed delectatio: quantò fortiùs nos dicere debemus, trahi hominem ad Christum, qui delectatur veritate, delectatur beatitudine, delectatur justitia, delectatur sempiterna vita, quod totum Christus est? .... Ramum viridem ostendis ovi, & trahis illam. Nuces puero demonstrantur, & trahitur. Et quia quò currit trahitur, amando trahitur. Sine læsione corporis trahitur, cordis vinculo trahitur. Si ergo ista, quæ inter delicias & voluptates terrenas revelantur amantibus, trahunt, quoniam verum est: Trahit sua quemque voluptas: non trahit revelatus Christus à Patre? Quid enim fortiùs desiderat anima quàm veritatem? ... Videte quomodo trahit Pater: docendo delectat, non necessitatem imponendo, &c. Ecce quomodo trahit: Erunt omnes docibiles Dei: Trahere Dei est. Omnis qui audivit à Patre, & didicit, venit ad me: Trahere Dei est.*

Ad verba Christi, Joannis 15. *Sine me nihil potestis facere*, respondeo, illis evinci, hominem seipso & propriis viribus nihil boni agere posse, & gratia indigere divina ad omnium bonorum operum initium, progressum, & consummationem. Sed ex illis inferri non potest, illum gratiâ Dei præventum & adjutum, nihil agere; vel non agere liberè: aut seipso, & liberi arbitrii propensione præcipitem non labi in peccatum. Ita hunc locum explicat S. Augustinus Tractatu 81. in Joannem. *Ne quisquam putaret*, inquit, *saltem parvum aliquem fructum posse à semetipso palmitem ferre, cum dixisset, Hic fert fructum, non ait: Quia sine me parum potestis facere: sed, Nihil potestis facere. Sive ergo parum attulerit palmes, eum purgat agricola ut plus afferat. Tamen nisi in vite manserit, & vixerit de radice, quantumlibet fructum à semetipso non potest ferre. Quamvis autem Christus vitis non esset, nisi homo esset: tamen istam gratiam palmitibus non præberet, nisi Deus esset. Verùm quia ita sine ista gratia non potest vivi, ut & mors in potestate sit liberi arbitrii*, &c.

Ad tertium respondeo, distinguo minorem. Servitus & captivitas perimunt libertatem; aliqua concedo; omnis, nego. Servitus peccati perimit libertatem à peccato, servitus miseriæ perimit libertatem à miseria, sed libertatem naturæ non evertunt: sola autem servitus naturæ, id est, necessitas & determinatio ad unum, & coactio, libertatem illam destruit. De triplici illa specie libertatis S. Bernardus in Tractatu de Gratia & libero arbitrio hæc habet: *Cùm igitur triplex sit nobis proposita libertas, à peccato, à miseria, à necessitate. hanc ultimo loco positam contulit nobis in conditione naturæ, in primam restauramur à gratia, media nobis reservatur in patria. Dicatur igitur prima libertas naturæ, secunda gratiæ,*

*tertia vita, vel gloria. Primò nempe in liberam voluntatem, ac voluntariam libertatem conditi sumus, nobilis Deo creatura. Secundò reformamur in innocentiam, nova in Christo creatura. Tertiò sublimamur in gloriam, perfecta in Spiritu creatura. Prima libertas multum habet honoris: secunda plurimum etiam virtutis: tertia cumulum jucunditatis.*

De libertate deinde & necessitate hæc subjungit S. Bernardus, quæ institutum nostrum propiùs spectant. *Verum libertas à necessitate, æquè & indifferenter, Deo, universæque, tam malæ, quàm bonæ, rationali convenit creaturæ. Nec peccato, nec miseriâ amittitur, vel minuitur: nec major in justo est, quàm* B *in peccatore; nec plenior in Angelo, quàm in homine..... Manet ergo libertas voluntatis, ubi etiam fit captivitas mentis, tam plena quidem in malis, quam & in bonis, sed in bonis ordinatior: tam integra quoque pro suo modo in creatura, quàm in Creatore: sed in illo potentior.*

Objectio secunda petitur ex testimoniis Sancti Augustini luculentissimis, quibus passim asserit hominem in statu naturæ lapsæ non esse liberum, ut qui liberum arbitrium per peccatum amiserit. Sic enim habet in Enchiridio ad Laurentium, cap. 30. C *Libero arbitrio malè utens homo, & se perdidit & ipsum. Sicut enim qui se occidit, utique vivendo se occidit; sed se occidendo non vivit, nec seipsum potest resuscitare cùm occiderit: Ita cùm libero peccaretur arbitrio, victore peccato, amissum est & liberum arbitrium.* Et Epistola 107. *Liberum*, inquit, *arbitrium ad diligendum Deum, primi peccati granditate perdidimus.*

Et lib. 14. de Civitate Dei cap. 11. *Arbitrium igitur voluntatis*, inquit, *tunc est verè liberum, cùm vitiis, peccatisque non servit. Tale datum est à Deo, quod amissum proprio vitio, nisi à quo dari potuit, reddi non potest.*

Liberum hominis arbitrium peccato vulneratum est, non peremptum.

Respondeo, Ex his Sancti Augustini testimoniis D colligi quidem quòd liberum arbitrium amissum sit per peccatum, quantùm ad statum; non verò quantum ad substantiam. Duo quippe in libero arbitrio spectari possunt: primò essentia illius, quatenus ingenita facultas est, quâ pro libito potest voluntas hominis alterutrum è duobus eligere; quorum videlicet neutri necessariò est affixa. Secundò, spectari potest liberi arbitrii status multiplex: nempe fœlix ille quem habebat in Adamo, cùm nulla ipsi ad rectè agendum inerat difficultas, nullus concupiscentiæ dominatus, nulla servitus peccati, nullum vulnus, sed plenæ & integræ vires ad bonum faciendum, & præsto omnia dona ac præsidia ne- E cessaria. Alter status liberi arbitrii, est ille in quem incidit per peccatum, quo vulneratum est, & rectè agendi contraxit difficultatem, & dominantis ac urgentis cupiditatis imperio subjectum est. Quo in statu servus dicitur peccati, qui illud admittit. Tertius liberi arbitrii status est, quem per gratiam Christi medicinalem assequitur, quâ suis à vulneribus sanata voluntas & adjuta, peccati, sub quo captiva tenebatur, vinculis, & concupiscentiæ laqueis expedita, ad bonum eligendum & amplectendum eniti potest. Primum itaque liberi arbitrii statum amisit homo cùm peccavit: & in secundum detrusus est, è quo non emergit nisi per gratiam Salvatoris: sed ipsam liberi arbitrii naturam non amisit, nec id contendit Sanctus Augustinus. Ait enim hominem malè utentem libero arbitrio, & se perdidisse, & ipsum: at seipsum ita non perdidit, ut non esset, sed solùm ut deterior fieret; quo sensu dicuntur homines perdiri, id est, vita & moribus depravati. Nec igitur liberum sic amisit arbitrium, ut ejus natura destrueretur, sed ut languidum & captivum evaderet. Quod significant illa ejusdem Sancti Augustini verba, *Victore pec-* A *cato, amissum est liberum arbitrium. Amissum*, inquit, quia captivum factum est, sicut amissa dicuntur, quæ tempore belli in potestatem hostium devenerunt. Epistola autem 107. non simpliciter ait, nos perdidisse liberum arbitrium primi parentis, sed illud perdidisse ad diligendum Deum: quia nimirum voluntas hominis lapsi, nisi reparata per gratiam, Deum super omnia diligere non potest.

Porro eum esse, quem diximus, Sancti Augustini sensum, constat ex ipsius libro primo ad Bonifacium contra duas Epistolas Pelagianorum cap. 2. ubi ait: *Quis nostrûm dicat, quòd primi hominis* B *peccato perierit liberum arbitrium de humano genere? Libertas quidem periit per peccatum, sed illa quæ in Paradiso fuit, habendi plenam cum immortalitate justitiam. propter quod natura humana divinâ indiget gratiâ.* Tum illud Apostoli memorat: *Cùm essetis servi peccati, liberi fuistis justitiæ* Et subjungit: *Liberi ergo à justitia non sunt, nisi arbitrio voluntatis: liberi autem à peccato non sunt, nisi gratiâ Salvatoris.* Ibidem etiam notat S. Paulum prudenter *verba ipsa discrevisse.* Cùm enim dixisset: *Cùm servi essetis peccati, liberi fuistis justitiæ: ac liberos, justitiæ non liberatos* scripsisset: Mox *A peccato,* C *non liberos*, ait, *ne sibi hoc tribuerent, sed vigilantissimè maluit dicere liberatos, referens hoc ad illam Domini sententiam: Si vos Filius liberaverit, tunc verè liberi eritis.* Et cap. sequenti, de libero arbitrio loquens, hæc habet: *Nec liberum in bono erit, quod Liberator non liberaverit: sed in malo liberum habet arbitrium, cui delectationem malitiæ, vel occultus, vel manifestus deceptor inseruit, vel sibi ipse persuasit...... Sed hoc voluntas, quæ libera est in malis, quia delectatur malis, ideo libera in bonis non est, quia liberata non est.*

Contra. Sanctus Augustinus negat in homine esse liberum arbitrium, antequam per gratiam libere- D tur: peccator igitur libero exutus est arbitrio, & necessitate peccat.

Antecedens certum est, tum ex locis mox laudatis, tum ex Epistola 144. ad Anastasium data, ubi ait: *Quod sine gratia Dei nullo modo voluntas implet humana, quæ nec libera dicenda est, quandiu est vincentibus & vincientibus cupiditatibus subdita: A quo enim quis devictus est, huic & servus addictus est.*

Et libro 1. Retractationum, capite 15. *Qui cogenti cupiditati*, inquit, *bona voluntate resistere non potest, & ideò facit contra præcepta justitiæ, jam hoc ita peccatum est, ut sit etiam pœna pecca-* E *ti.* Et infra: *Quantum est quod valet voluntas sub dominante cupiditate, nisi fortè si pia est, ut oret auxilium: in tantum enim libera est, quia in tantum liberata est.*

Homo sine gratia Christi per se efficaci non habet potestatem proximam & ultimò completam ad bonum.

Respondeo, distinguo antecedens. Negat in homine esse liberum arbitrium, antequam per gratiam liberetur: & loquitur Sanctus Augustinus de libertate à peccato, concedo; & loquitur de libertate à necessitate, nego. Fatemur sine gratia hominem non esse liberum à peccato, & voluntatem in tantum esse liberam in quantum est liberata: sed F contendimus sine gratia manere libertatem à necessitate, quamvis ad bonum non sufficiat, nisi adjuvetur ab omnipotenti bono. Cùm autem ait Sanctus Augustinus, cogenti cupiditati bonâ voluntate resisti interdum non posse, loquitur de potestate proxima & ultimò completa, qualem non habet ad graviores tentationes vincendas, absque gratia: nec cùm gratia ipsa sufficiente, quæ bonam quidem voluntatem inspirat, sed adhuc parvam & invalidam; non verò magnam illam & robustam, quam solius efficacis gratiæ adjumento consequitur. Eam esse Sancti Augustini mentem constat ex aliis ipsius locis; præcipuè ex libro de Gratia &

libero Arbitrio, capite 17. ubi ait: *Qui vult facere Dei mandatum, & non potest, jam quidem habet voluntatem bonam, sed adhuc parvam & invalidam. poterit autem, cùm magnam habuerit & robustam.*

Et ea capite 15. *Per hanc*, inquit, *gratiam fit ut sit homo bonæ voluntatis, qui prius fuit voluntatis malæ. Per hanc etiam fit ut ipsa bona voluntas, quæ jam esse cœpit, augeatur, & tam magna fiat, ut possit implere divina mandata quæ voluerit, cum valde perfectéque voluerit. Ad hoc enim habet quod scriptum est: Si volueris, conservabis mandata* (inquit cap. 16.) *ut homo qui voluerit, & non potuerit, nondum se plenè velle cognoscat: & oret ut habeat tantam voluntatem, quanta sufficit ad implenda mandata. Sic quippe adjuvatur, ut faciat quod jubetur. Tunc enim utile est velle, cùm possumus; & tunc utile est posse, cùm volumus. Nam quid prodest, si, quod non possumus, volumus; aut si, quod possumus, nolumus?*

Et libro de Perfectione Justitiæ cap. 10. *Non aliam ob causam Scriptura commemorat, non esse gravia divina Præcepta, nisi ut anima quæ illa gravia sentit, intelligat se nondum accepisse vires, quibus talia sint præcepta, qualia commendantur, levia scilicet atque suavia. & oret gemitu voluntatis, ut impetret donum facultatis.*

Et libro 1. Retractationum capite 15. *Invenit ergo se*, inquit, *ligatum difficultatibus cupiditatum, & non posse viam propter compedes ambulare. Inclusum se sentit difficultate vitiorum, & tanquam muro impossibilitatis erecto, portisque clausis, quà evadat, ut rectè vivat, non invenit.*

Contra. Qui non potest bonum operari, non habet libertatem ad bonum: sed homo sine gratia non potest bonum operari, ex Scriptura sacra, & ex Sancto Augustino: liberum igitur arbitrium ad bonum non habet.

Respondeo distinguo majorem. Si non possit absolutè, concedo; Si non possit potestate proximâ & ultimò completâ, nego. Distinguo etiam minorem. Homo sine gratia non potest bonum operari, potestate proximâ & completâ, concedo: non potest absolutè, nego. Unde Sanctus Augustinus Epistola 89. contra Pelagianos, qui liberi arbitrii vires immodicè jactabant, ita scribit: *Desinant ergo sic insanire, & ad hoc se intelligant habere quantùm possunt, liberum arbitrium, non ut superba voluntate respuant adjutorium: sed ut piâ voluntate invocent Dominum. Hæc enim voluntas libera, tantò erit liberior, quantò sanior: tantò autem sanior, quantò divinæ misericordiæ gratiæque subjectior.* Et Epistola 107. *Si verè volumus defendere liberum arbitrium*, ioquit, *non oppugnemus unde fit liberum. Nam qui oppugnat gratiam, quâ nostrum ad declinandum à malo, & faciendum bonum liberatur arbitrium, ipse arbitrium suum adhuc vult esse captivum.*

Objicitur tertiò. Homines ex peccato primi Parentis fatalem peccandi necessitatem contraxerunt; ergo liberum arbitrium ad bonum & ad malum non habent.

Fatalis & absoluta peccandi necessitas primi hominis peccato non est invecta.

Probatur antecedens ex Sancto Augustino pluribus in locis, ubi illam definitionem peccati à se adductam, *Peccatum est voluntas retinendi quod justitia vetat, & unde liberum est abstinere*, ait spectare dumtaxat naturæ integræ statum, qualis fuit in Adamo; quasi solus habuerit libertatem abstinendi à peccato. Id patet ex libro primo Retractationum cap. 15. ubi definitionem illam exponit. *Quod propterea dictum est*, inquit, *ut hac definitione volens à nolente discerneretur, & sic ad eos referretur intentio, qui primi in paradiso fuerunt humano generi origo mali, nullo cogente peccando, hoc est libera voluntate peccando. quia & scientes contra præceptum fecerunt, & ille tentator suasit ut hoc fieret, non coegit.*

Et libro 1. Operis Perfecti contra Julianum cap. 45. *Ipse est Adam*, inquit, *quem vestra illa definitio, quæ tibi placuit, intuebatur, cum diceremus: Peccatum est voluntas retinendi, vel consequendi, quod justitia vetat, & unde liberum est abstinere. Adam quippe omnino quando peccavit, nihil in se habebat mali, quo nolens urgeretur ad operandum malum: & propter quod diceret, Non quod volo facio bonum, sed quod nolo malum, hoc ago. Ac per hoc id egit quod justitia vetat, & unde illi liberum fuerat abstinere. Nunc ei qui dicit: Quod nolo malum, hoc ago, abstinere inde liberum non est.*

Et loco laudato Retractationum, de eadem definitione loquens: *Propterea vera est*, inquit, *quia id definitum est, quod tantummodo peccatum est, non quod etiam pœna peccati.*

Denique libro 3. de Libero Arbitrio cap. 18. cùm dixisset, Neminem peccare in eo quòd caveri nullo modo potest, addit continuò: *Et tamen etiam per ignorantiam facta quædam improbantur, & corrigenda judicantur. Sunt etiam necessitate facta improbanda, ubi vult homo rectè facere & non potest.* Censet igitur Sanctus Augustinus hanc sententiam, *Nemo peccat in eo quod caveri non potest*, ad statum naturæ lapsæ oon esse referendam; proindeque hominem in illo statu necessariò peccare.

Respondeo, Illam Sancti Augustini definitionem Adamum quidem præcipuè spectasse, sed Adami posteros exclusisse nusquam; imò illa comprehendisse peccata, quæ ab ipsis deliberatò committuntur. Id patet primò ex lib. 1. Retractationum cap. 15. ubi ait: *Peccatum quod nusquam est nisi in voluntate, illud præcipuè intelligendum, quod justa damnatio consecuta est. Hoc enim per unum hominem intravit in mundum.* Si convenit præcipuè, proculdubio & aliis, quamvis minùs præcipuè convenit. Id sequentia Sancti Augustini verba clarissimè demonstrant. *Quamquam*, inquit, *& hoc peccatum, quo consentitur concupiscentiæ, nonnisi voluntate committitur.*

Secundò, Id patet etiam ex alio capite. Cùm enim objecisset Sancto Augustino Julianus: *Peccatum, secundum definitiones tuas, jam nec in moribus invenitur:* Sanctus Antistes hanc à se calumniam depellit libro 1. Operis Perfecti contra Julianum. *Cum igitur & illa fateamur in hominibus esse peccata, quæ committuntur, non necessitate, sed voluntate, quæ tantummodo peccata sunt, unde ab eis liberum est abstinere. & peccatis de ignorantia & affectionum necessitate venientibus, quæ jam non solùm peccata sunt, verumetiam pœnæ peccatorum, plenum sit genus humanum: quomodo dicis, definitionibus nostris, peccatum nec in moribus inveniri?*

Tertiò id constat ex eodem libro, ubi ait Sanctus Augustinus: *Multa sunt, quæ agunt homines mala, à quibus eis liberum est abstinere, sed nulli tam liberum est, quàm illi fuit.* Quibus verbis continetur argumentum à minori ad majus; quasi diceret: Multa sunt quæ agunt homines mala, à quibus eis liberum est abstinere: ergo à fortiori liberum erat Adamo.

Respondeo secundò: Per peccatum, quod etiam pœna peccati est, & à quo Sanctus Augustinus negat liberum esse abstinere, non intelligi omnia peccata, quæ in hoc naturæ lapsæ statu deliberatò à nobis fiunt, sed ea solùm quæ ex omnium opinione caveri non possunt, videlicet Originale Peccatum, quod propriè peccatum est, & concupiscentiam

cum

tum motibus ejus indeliberatis, atque iis peccatis, quæ ex ignorantia invincibili committuntur, quæ licet propriè peccata non sint, vocat tamen peccata, quòd primi peccati fructus sint & pœnæ. Id ex eo compertum est, quòd Pelagiani ex superiori definitione solum Peccatum Originale impugnaverint, & quòd illud tantùm, & concupiscentiam, ab ea definitione Sanctus segregaverit Augustinus.

Ista ex argumento Juliani, & responsione Sancti Augustini magis elucescent. Ita porro disputat Julianus libro 1. Operis Perfecti, cap. 43. & 48. *In libro cui titulus est, de duabus Animabus, sic loqueris: Peccatum est voluntas admittendi vel retinendi quod justitia vetat, & unde liberum est abstinere. O lucens aurum in stercore! Quid plenius dici à quoquam vel Orthodoxo potuisset? Ostende ergo hæc duo in parvulis posse constare, si nullum est sine voluntate peccatum, si nulla voluntas ubi non est explicata libertas, si non est libertas ubi non est facultas per rationem electionis, quo monstro peccatum in infantibus invenitur, qui rationis usum non habent? Igitur nec eligendi facultatem, ac per hoc nec voluntatem: atque his irrefutabiliter concessis, nec aliquod omnino peccatum.*

Hoc autem Juliani argumentum ita solvit Sanctus Augustinus, cap. 47. *Si tria ista discernas, & scias aliud esse peccatum, aliud pœnam peccati, aliud utrumque, id est, ita peccatum, ut ipsum sit etiam pœna peccati; intelligis quid horum etiam pertineat ad illam definitionem, ubi voluntas est agendi quod justitia vetat, & unde liberum est abstinere. Peccatum namque isto modo definitum est, non pœna peccati, non utrumque. Habent autem tria ista genera etiam species suas, de quibus nunc longum est disputare. Horum sanè trium generum si requirantur exempla, primi generis in Adam sine ullo modo quæstionis occurrit. Multa quippe sunt quæ agunt homines mala, à quibus eis liberum est abstinere, sed nulli tam liberum est, quàm illi fuit, qui Deo suo, à quo erat conditus rectus, nullo prorsus vitio depravatus adstabat. Secundi autem generis, ubi tantummodo est pœna peccati, exemplum in eo malo est, quod quisque ex nulla parte agit, sed tantummodo patitur, velut cùm pro suo scelere, qui peccavit, occiditur, sive aliâ corporis pœnâ quacumque cruciatur. Tertium verò genus, ubi peccatum ipsum est & pœna peccati, potest intelligi in eo qui dicit: Quod nolo malum, hoc ago. Ad hoc pertinent etiam omnia, quæ per ignorantiam cùm aguntur mala, non putantur mala, vel etiam putantur bona....... Proinde originale peccatum nec ad illud pertinet quod primo loco posuimus, ubi est voluntas malum operandi, unde liberum est abstinere; alioquin non esset in parvulis, qui nondum voluntatis utuntur arbitrio: nec ad aliud quod secundò commemoravimus: de peccato enim nunc agimus, non de pœna, quod non est peccatum, quamvis peccati merito subsequatur. Adhuc genus tertium, ubi sic peccatum est, ut ipsum sit & pœna peccati, quod inest quidem nascentibus, sed in eis crescentibus incipit apparere, quando est insipientibus necessaria sapientia, & mala concupiscentibus continentia: origo tamen etiam hujus peccati descendit à voluntate peccantis: Fuit enim Adam, & in illo fuimus omnes: periit Adam, & in illo omnes perierunt.* Ex quibus colligitur, Pelagianos ex supra dictâ peccati definitione adversùs originale dumtaxat peccatum pugnasse, & Sanctum Augustinum ab illa peccatum originale tantùm, & ejus appendices, segregasse.

Ad locum ex libro 3. de libero Arbitrio cap. 18. respondeo, loqui Sanctum Augustinum de sola necessitate morali, quæ ex concupiscentia fluit, à qua unusquisque tentatur abstractus & illectus. Id patet ex hominum insipientium querela, quam eodem in capite subtexit his verbis: *Hic occurrit illa quæstio, quam inter se murmurantes homines rodere consueverunt, qui quodlibet aliud in peccando, quàm se accusare parati sunt. Dicunt enim: Si Adam & Eva peccaverunt, quid nos miseri fecimus, ut cum ignorantiæ cæcitate, & difficultatis cruciatibus nasceremur? Et primò erraremus nescientes quid nobis esset faciendum: deinde ubi nobis inciperent aperiri præcepta justitiæ, vellemus ea facere, & renitente carnalis concupiscentiæ nescio qua necessitate, non valeremus?* Si Sanctus Augustinus in ea fuisset opinione, quam ipsi Novatores affingunt, respondisset; ideò homines non excusari à peccato, licet necessariò peccent, quia non est de ratione peccati, in statu naturæ lapsæ, ut caveri possit. An ita respondeat, expendamus. *Quibus*, inquit, *breviter respondetur ut quiescant, & adversùs Deum murmurare desistant. Rectè enim fortasse quererentur, si erroris & libidinis nullus hominum victor existeret. Cùm verò ubique sit præsens, qui per creaturam sibi Domino servientem, aversum vocet, doceat credentem, consoletur sperantem, diligentem exhortetur, conantem adjuvet, exaudiat deprecantem, non tibi deputatur ad culpam, quòd invitus ignoras, sed quòd negligis quærere quod ignoras. Ista tua propria peccata sunt.*

Respondeo secundò: Ibi loqui Sanctum Augustinum de sola concupiscentia, & motibus ejus indeliberatis, quæ impropriè solùm peccata sunt, cùm protinus adjiciat: *Nam unde sunt illæ voces? Non enim quod volo facio bonum, sed quod odi malum, hoc ago.* Sed hoc peccatum de quo sic locutus est Apostolus, *Ideo peccatum vocatur, quia peccato factum est, & pœna peccati est. Quandoquidem hoc de concupiscentia carnis dicitur*, (inquit ipse Augustinus, libro 1. Retractationum cap. 15.)

Id confirmatur ex alio Sancti Augustini principio, lib. 3. de libero Arbitrio cap. 20. Ait enim quòd, *Ignorantia & difficultas, quamvis essent hominis primordia naturalia, nec sic culpandus, sed laudandus Deus esset: Quia*, inquit, *anima facultatem habet ut, adjuvante Creatore, seipsam excolat, & pio studio possit omnes acquirere & capere virtutes, per quas & à difficultate cruciante, & ab ignorantia cæcante liberetur. Etiam in ipsa ignorantia & difficultate, liberam voluntatem petendi, quærendi, & conandi non abstulit, daturus petentibus, demonstraturus quærentibus, pulsantibus aperturus.* Ex mente igitur Sancti Augustini, gratiæ dantur omnibus hominibus, quibus frænare concupiscentiam, & peccatum quodvis cavere possint.

Denique nihil omninò probarent Sancti Augustini argumenta allatæ definitioni peccati innixa, si ad solum primi hominis peccatum referretur. Duplici continentur illa genere. Alia enim Manichæorum de anima substantialiter mala commentum directè impugnant, & ad hunc Syllogismum possunt revocari. Malum quod caveri potest, & unde liberum est abstinere, non potest esse ab anima substantialiter mala: atqui primi hominis peccatum est malum quod caveri potest, & unde liberum est abstinere: non potest igitur esse ab anima substantialiter mala. Sanè si Sanctus Augustinus illam definitionem de peccato hominis ignorantia & concupiscentia carentis intellexisset, nihil egisset adversùs Manichæos, qui primo homini ignorantiam & concupiscentiam velut naturæ primordia tribuebant, ideóque peccatum referebant ad animam substantialiter malam. Secundi generis argumenta, Catholicam de libero arbitrio propugnant sententiam; & hoc uno Syllogismo comprehendi possunt. Malum quod caveri potest, & unde

homini

homini liberum est abstinere, debet esse à libero arbitrio : atqui primum hominis peccatum est hujusmodi : ergo debet esse à libero arbitrio. At si illa definitio conveniret solùm peccato hominis nullâ concupiscentiâ irretiti, ne feriret quidem Manichæos illa argumentatio ; cùm ipsi solum hominis concupiscentiâ implicati peccatum negarent à libero arbitrio proficisci.

Instabis. Sanctus Augustinus disertè in homine lapso peccandi necessitatem agnoscit : censet igitur in ipso non remanere liberum arbitrium ad bonum & ad malum.

Probatur antecedens ex Disputatione ipsius contra Fortunatum Manichæum. *Liberum*, inquit, *voluntatis arbitrium in illo homine fuisse dico, qui primus formatus est. Ille sic factus est, ut nihil omnino voluntati ejus posset resistere, si vellet Dei præcepta servare. Postquam autem liberâ ipse voluntate peccavit, nos in necessitatem præcipitati sumus, qui ab ejus stirpe descendimus.*

Respondeo, Sanctum Augustinum his verbis moralem dumtaxat peccandi necessitatem adstruere, non physicam & absolutam. Unde ipsam comparat cum illa peccandi necessitate, quæ ex consuetudine fluit. Addit enim post verba laudata : *Potest autem unusquisque nostrûm mediocri consideratione invenire verum esse quod dico. Hodie namque in nostris actionibus, antequam consuetudine aliqua implicemur, liberum habemus arbitrium faciendi aliquid vel non faciendi. Cùm autem ista libertate fecerimus aliquid & facti ipsius tenuerit animum perniciosa dulcedo & voluptas, eadem ipsa consuetudine sic implicatur, ut postea vincere non possit, quod sibi ipsa peccando fabricata est.* Quæ sit autem peccandi necessitas à mala consuetudine profecta, accipe à Sancto Thoma Q. 6. de Malo, Articulo unico ad 24. ubi cùm sibi objecisset illud Sancti Augustini in Confessionibus ; *Et dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas :* respondet : *Dicendum, quòd consuetudo facit necessitatem, non simpliciter, sed in repentinis præcipuè. Nam ex deliberatione, quantumcumque consuetus, potest contra consuetudinem agere.*

Respondeo secundò, Loqui Sanctum Augustinum in hoc aliisque similibus locis, de necessitate peccandi in genere, non de necessitate peccandi hic & nunc, & absoluta. Peccandi enim necessitas quædam hypothetica, & in genere, invecta est ex peccato primi Parentis, quatenus homo in statu naturæ lapsæ diu vitare non potest mortalia peccata ; nec omnia collectivè cavere, absque gratia medicinali Salvatoris ; qua carendi meritum invehit peccatum originale : & quatenus ipsi homines justi peccata venialia vitare generatim non possunt absque singulari Privilegio ac Gratiæ dono, quod soli Beatæ Virgini concessum est. Sed necessitas peccandi absoluta nulla est etiam in homine lapso, quia singula peccata mortalia hic & nunc vitare potest, & justus à singulis venialibus hic & nunc cavere. Porro necessitas illa peccandi in genere, & hypothetica, in statu naturæ lapsæ, antequam voluntas divinâ gratiâ visitetur, sanetur, liberetur, multis in locis adstruitur à Sancto Augustino, ut libro 3. ad Bonifacium cap. 8. ubi ait : *Liberum arbitrium captivatum, nonnisi ad peccatum valet : ad justitiam verò, nisi divinitùs liberatum, adjutumque, non valet.*

Id confirmat ex dominatu concupiscentiæ, & tyrannide diaboli in liberum arbitrium : cujusmodi dominatus, qui viribus humanis excuti non potest, directè repugnat libertati ad bonum. Hinc Epistola 89. ad Hilarium, de voluntate loquens, ait : *Ipsa quippe fideliter orat, & dicit : Itinera mea dirige secundùm verbum tuum, & ne dominetur mihi omnis iniquitas. Quomodo enim libera est, cui dominatur iniquitas ? Ut ei autem non dominetur, vide ab illa quis invocetur.* Hinc frequenter illam ad bonum libertatem per peccatum amissam dolet : quò spectant illa verba libri de Correptione & Gratia cap. 12. *Nunc posteaquam illa magna, peccati merito, amissa est libertas, etiam majoribus donis adjuvanda remansit infirmitas.*

Eamdem veritatem confirmat celebris quatuor statuum populi Dei distinctio, ante legem, sub lege, sub gratia, & in pace. * *Ante legem actio est*, inquit, *cùm peccatum ignoramus, & sequimur carnales concupiscentias. Sub lege est actio, cùm jam prohibemur à peccato, & tamen consuetudine victi peccamus, quoniam nondum nos adjuvat fides. Tertia actio est, quando jam firmissimè credimus Liberatori nostro, nec meritis nostris aliquid tribuimus, sed misericordiam ejus diligendo, non jam vincimur delectatione consuetudinis mala. In prima ergo actione quæ est ante legem, nulla pugna est cum voluptatibus hujus sæculi. In secunda, quæ sub lege est, pugnamus, sed vincimur. In tertia, pugnamus, & vincimus. In quarta, non pugnamus, sed perfectâ & æterna pace requiescimus.* Hoc ex principio probatur gratiæ liberatricis necessitas. Nam ex ipsis Christianæ Fidei principiis constat, arbitrium non posse esse liberum à dominante sibi carnalium rerum concupiscentia, sub qua post peccati ruinam jacet, nisi per Spiritum gratiæ & fidei, secundùm illud Apostoli : *Lex Spiritus vitæ in Christo Jesu liberavit me à lege peccati & mortis.* Unde cùm exclamasset idem Apostolus : *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus ?* Respondet : *Gratia Dei per Jesum Christum.* Hinc Sanctus Augustinus libro 4. ad Bonifacium, cap. 3. ait : *Non potest captiva voluntas, nisi Dei gratiâ, respirare in salubrem libertatem.*

* Lib. 83. Quæstionum Quæst. 66.

Rom. 8. 2.

Rom. 7. 24.

Objicitur quartò. Præscientia Dei, providentia, Prædestinatio, Gratia efficax, libertatem perimunt. Cùm enim præscientia divina & providentia falli non possint, nec prædestinatio, & gratia efficax deficere, sed suos effectus infallibiliter ponant (ut Theologi de Schola loquuntur) necessitatem imponunt hominibus, quâ destruitur libertas. Igitur solus remanet libertatis titulus, & inane nomen.

Respondeo, nego antecedens. Libertatem namque lædere non possunt, cujus actibus obstetricantur, non solùm quoad ipsorum actuum substantiam, sed etiam quoad modum, ut Scholastici loquuntur. Jus enim singulare est supremi Entis & primæ Causæ, ut aliarum de actionibus decernat, illas ordinet, illas moveat, sese illarum indoli attemperando, ut cum necessariis necessariò, cum liberis liberè, cum contingentibus contingenter quadamtenus agat : quia rerum naturas non destruit, sed servat & perficit. Unde necessitatem tantùm hypotheticam & consequentem, præscientia, prædestinatio, & gratia invehunt, non antecedentem, & absolutam. Hæc Theologicè explicat S. Anselmus libro de Concordia Præscientiæ & Prædestinationis, nec non Gratiæ Dei cum libero arbitrio, ubi de præscientia divina hæc habet : *Si aliquid est futurum sine necessitate, hoc ipsum præscit Deus, qui præscit omnia futura : quod autem præscit Deus, necessitate futurum est sicut præscitur : necesse est itaque aliquid esse futurum sine necessitate. Nequaquam ergo rectè intelligenti hæc repugnare videntur, præscientia quam sequitur necessitas, & libertas arbitrii à qua removetur necessitas : quoniam & necesse est, quod Deus præscit, futurum esse, & Deus præscit aliud aliquid esse sine omni necessitate.*

Præscientia Dei, providentia, Prædestinationis, & Gratiæ concordia cum libero arbitrio.

Et infra : *Si quis intellectum verbi propriè consideraret, hoc ipso quod præsciri aliquid dicitur, futurum esse pronuntiatur. Non enim nisi quod futurum est, præscitur,*

*scitur, quia scientia non est nisi veritatis. Quare cùm dico, quia si præscit aliquid, necesse est illud esse futurum, idem est ac si dicam, Si erit, ex necessitate erit: Sed hæc necessitas non cogit, nec prohibet aliquid esse aut non esse. Ideo enim quia ponuntur res esse, dicuntur ex necessitate esse; aut quia ponuntur non esse, affirmantur non esse ex necessitate: non quia necessitas cogat aut prohibeat rem esse, aut non esse. Nam cùm dico, Si erit, ex necessitate erit, hic sequitur necessitas, quæ rei positionem non præcedit. Idem valet si sic pronuntietur: Quod erit, ex necessitate erit. Non enim aliud significat hic necessitas, nisi quia quod erit, non poterit simul non esse.*

Et infra: *Quoniam quod Deus vult, non potest non esse, cùm vult hominis voluntatem nulla cogi vel prohiberi necessitate ad volendum, vel non volendum, & vult effectum sequi voluntatem, tunc necesse est voluntatem esse liberam, & esse quod vult. In hujusmodi ergo verum est, quia necessitate fit opus peccati, quod vult homo facere, quamvis non necessitate velit.*

De concordia verò liberi arbitrii cum Prædestinatione hæc subjungit: *Quamvis necesse sit fieri quæ præsciuntur & prædestinantur: quædam tamen præscita & prædestinata non eveniunt ea necessitate, quæ præcedit rem & facit, sed eâ quæ rem sequitur. Non enim ea Deus, quamvis prædestinat, facit, voluntatem cogendo, aut voluntati resistendo, sed in sua illa potestate dimittendo. Quamvis tamen sua voluntas utatur potestate, nihil facit, quod Deus non facit; in bonis, suâ gratiâ; in malis, non suâ, sed ejusdem voluntatis culpâ. Et sicut præscientia, quæ non fallitur, non præscit nisi verum, sed erit aut necessarium aut spontaneum; ita Prædestinatio, quæ non mutatur, non prædestinat nisi sicut est in præscientia. Et quemadmodum quod præscitur, licèt in æternitate sit immutabile, tamen in tempore aliquando, antequam sit, mutari potest, ita est per omnia de prædestinatione.* Et infra multa habet de concordia gratiæ cum libero arbitrio, & concludit: *Deo largiente, invenimus gratiam ejus, ad salvandum hominem, cum libero arbitrio concordare.*

Eamdem Gratiæ & Prædestinationis divinæ cum voluntate concordiam disertè explicat Sanctus Bernardus in Tractatu de Gratia & Libero Arbitrio, ubi hæc habet: *Si ergo Deus tria hæc, hoc est bonum cogitare, velle, perficere, operatur in nobis; primum profectò sine nobis, secundùm nobiscum, tertium per nos facit. Si quidem immittendo bonam cogitationem nos prævenit, immutando etiam malam voluntatem, sibi per consensum jungit. Ministrando & consensui facultatem, foris per apertum opus nostrum internus Opifex innotescit... Valet itaque inceptio ad meritum, actio ad exemplum, utramque præveniens cogitatio tantummodo ad exercitandum. Cavendum ergo ne cùm hæc invisibiliter intra nos ac nobiscum actitari sentimus, aut nostræ voluntati attribuamus, quæ infirma est, aut Dei necessitati, quæ nulla est, sed soli gratiæ, qua plena est. Ipsa liberum excitat arbitrium, cùm seminat cogitatum, sanat, cum immutat affectum; roborat, ut perducat ad actum, servat, ne sentiat defectum. Sic autem ista cum libero arbitrio operatur, ut tantùm illud in primo præveniat, in cæteris comitetur. Ad hoc utique præveniens, ut jam sibi deinceps cooperetur. Ita tamen, quod à sola gratia cœptum est, pariter ab utroque perficitur, ut mixtim, non sigillatim, simul, non vicissim, per singulos profectus operentur. Non partim gratia, partim liberum arbitrium; sed totum singula opere individuo peragunt. Totum quidem hoc, & totum illa: sed ut totum in illo, sic totum ex illa.* Et infra: *Deus igitur Author est meriti, qui & voluntatem applicat operi, & opus explicat voluntati.*

Illius concordiæ modum Sanctus Augustinus explicatu difficillimum professus est libro de Gratia A Christi, cap. 47. *Ista quæstio ubi de libero arbitrio voluntatis, & de Dei Gratia disputatur, ita est ad discernendum difficilis, ut cum defenditur liberum arbitrium, negari Dei gratia videatur; quando autem asseritur Dei gratia, liberum arbitrium putetur auferri.* Semper tamen contestatus est gratiam Dei jura liberi arbitrii illæsa servare. Sic enim habet Epistola 89. ad Hilarium: *Neque enim voluntatis arbitrium ideo tollitur, quia juvatur: sed ideo juvatur, quia non tollitur.*

Et Epistola 105. ad Sixtum: *Quòd enim putant auferri sibi liberum arbitrium, si nec ipsam bonam vo-* B *luntatem sine adjutorio Dei hominem habere consenserint, non intelligunt non se firmare humanum arbitrium, sed impellere ut per inania feratur, non in Domino tanquam in petra stabili collocetur. Paratur enim voluntas à Domino.*

Et libro de Correptione & Gratia, cap. 8. de oratione Christi pro Sancto Petro loquens, ait: *Quando rogavit ergo ne deficeret fides ejus, quid aliud rogavit, nisi ut haberet in fide liberrimam, fortissimam, invictissimam, perseverantissimam voluntatem?* Et infra: *Ecce quemadmodum secundùm gratiam Dei, non contra eam, libertas defenditur voluntatis. Voluntas quippe humana, non libertate consequitur* C *gratiam, sed gratiâ potiùs libertatem, & ut perseveret, delectabilem perpetuitatem, & insuperabilem fortitudinem.*

Eidem concordiæ liberi arbitrii cum gratia Sanctus Prosper suffragatur in Epistola ad Ruffinum: *Liberum arbitrium*, inquit, *cùm solum esset, sibique permissum, nonnisi in suam perniciem movebatur. Ipsum enim se excæcaverat, & ipsum se illuminare non poterat. Nunc autem idem arbitrium conversum est, non eversum, & donatum est ei aliter sapere, aliter agere.*

Et Sententia 6. post Responsionem ad Capita Gal- D lorum: *Qui dicit quòd liberum arbitrium in homine, nihil sit, sed sive ad bonum, sive ad malum Prædestinatio Dei in hominibus operetur, non est Catholicus. Arbitrium enim hominis gratia Dei non abolet, sed adolet, & ab errore in viam revocat ac reducit, ut quod suâ libertate erat pravum, Spiritu Dei agente sit rectum.*

Et in Carmine de Ingratis Cap. 26. Pelagianorum inanem querelam refellit, qui liberum arbitrium per gratiam destrui effutiebant.

*Hic vanam insano profertis corde querelam,*
*Omne opus arbitrii sublatum vociferantes,*
*Currere currentum, si non & velle volentum est,*
E *Nec vitiis pœnam deberi, aut præmia laudi:*
*Nunquid non eadem sapiunt, eademque perorant*
*Vestri illi quorum ructatis verba Magistri?*

Et Cap. 28.

*Hoc itaque arbitrium cùm sanat gratia, tolli*
*Dicitis, & perimi, vita aspirante, putatis.*

Et Cap. 45.

*Et tamen in sanctos animum cùm intendimus actus,*
*Cùm desideriis carnis mens casta repugnat,*
*Cùm tentatori non cedimus, & per acerbas*
*Vexati pœnas, illæso corde manemus;*
*Libertate agimus: sed libertate redemptâ,*
*Cui Deus est rector, summoque ex lumine lumen,*
F *Si quid enim recti gerimus, Domine, auxiliante*
*Te gerimus, tu corda moves; tu vota petentis,*
*Quæ dare vis tribuis, servans largita, creansque*
*De meritis merita, & cumulans tua dona coronis.*
*Non autem hoc curam minui studiumque resolvi*
*Virtutum, aut opus ingenii torpere putandum est.*
*Quòd bona Sanctorum tua sunt: & quicquid in illis*
*Aut sanum, aut validum est, de Te viget, ut videatur*
*Nil actura hominis, Te cuncta gerente, voluntas.*
*Quæ sine te quid agit, nisi quo procul exules à te?*
*Præcipites semper calles, & devia motu*
*Ingreditura suo: nisi fessam, Tu bone, & ægram*

*Suscipiat, referns, fovens, tuearis, honestes.*
*Tunc fiet cursus velox, oculique videntes,*
*Libera libertas, sapiens sapientia, justum*
*Judicium, & fortis virtus, & sana facultas.*

Cælestinus Primus Pontifex Maximus in Epistola ad Episcopos Galliæ, cap. ultimo, ejusdem concordiæ testis est. *Quo utique auxilio & munere Dei*, inquit, *non aufertur liberum arbitrium, sed liberatur, ut de tenebroso lucidum, de pravo rectum, de languido sanum, de imprudente sit providum.* Ex quibus omnibus colligitur, Gratiam Dei, Prædestinationem, Providentiam, & Præscientiam, non officere libertati.

## SCHOLION.

In Responsione ad quartam Objectionem, & ad pag. 898. & 900. Editionis primæ, Religiosi Censores Propositiones istas in Indiculo suo notant: *Gratia sufficiens non importat potentiam proximam ad resistendum, sed ulterius requiritur gratia efficax. Homo sine gratia non potest operari bonum proximè.*

R. Veram & propriè dictam tentationibus resistendi, & bonum operandi potestatem per gratiam sufficientem dari censeo; proximam quodam sensu esse non nego: sed *completam* non esse dixi, & eo sensu *proximam*, ut nova gratia, scilicet efficax, ad resistendum tentationibus, & ad bonum operandum necessaria non sit. Propositionem meam truncarunt & interpolarunt Indiculi Censoris Auctores, & vocem illam, *completam* suppresserunt. En verba mea: *Cum autem ait Sanctus Augustinus, urgenti cupiditati bona voluntate resisti interdum non posse, loquitur de potestate proxima & completa, qualem non habet ad graviores tentationes vincendas absque gratia: nec cum gratia ipsa sufficiente, quæ bonam quidem voluntatem inspirat, sed adhuc parvam & invalidam; non verò magnam illam & robustam, quam solius efficacis gratiæ adjumento consequitur.* Hominem libero arbitrio, quo & peccata vitare, & bonum operari possit, præditum istâ Dissertatione probavi contra Manichæos. Objectionibus inde petitis contra necessitatem gratiæ respondi ex principiis *Sancti Augustini*; hominem quidem sine gratiâ posse absolutè bonum operari dixi, quia liber est; non posse proximè & completè sine gratiâ, quia voluntas ejus ægra est & infirma; & ad actus supernaturales per se impotens. Quo verò sensu potestas per gratiam sufficientem collata sit proxima, quo sensu proxima non sit & completa modis omnibus, sed necessaria sit ulterius gratia efficax illam applicans, perficiens & complens ad bonum opus exequendum, explicare non erat hujus loci, nec id meum patiebatur institutum, Dogmaticam, non Scholasticam Quæstionem tractantis. Fateor hominem in statu etiam naturæ „corruptæ posse per virtutem suæ naturæ aliquod bonum „particulare agere (sicut ædificare domos & plantare vi„neas, & alia hujusmodi) non tamen totum bonum sibi „connaturale, ita quòd in nullo deficiat: sicut homo in„firmus potest per seipsum aliquem motum habere, non „tamen perfectè potest moveri motu hominis sani, nisi „sanetur auxilio medicinæ. *Sic igitur virtute gratuita superaddita virtuti naturæ indiget homo in statu naturæ integræ quantùm ad unum, scilicet ad operandum & volendum bonum supernaturale. Sed in statu naturæ corruptæ quantùm ad duo, scilicet ut sanetur, & ulteriùs ut bonum supernaturalis virtutis operetur: quod est meritorium. Ulteriùs autem in utroque statu indiget homo auxilio divino, ut ab ipso moveatur ad bene agendum.* Doctrina est Sancti Thomæ Prima Secundæ, Quæstione 109. Articulo 2. Denique si gratia absolutè & simpliciter necessaria est ad bonum supernaturale volendum & operandum, si dicendum est, *Gratiam Dei ad faciendam justitiam nos per actus singulos adjuvare*, ut Fides Catholica contra Pelagianos confitetur. Propositio ista, quam Religiosi Censores notant. *Homo sine gratia non potest operari bonum proximè*, ad Fidem pertinet: contrarius Pelagianus error est, scilicet, *Homo sine gratia proximè potest bonum operari.* Propositionem alteram quod spectat: Si gratia sufficiens tribuit potestatem modis omnibus *proximam & completam*, sequitur secundùm Sancti Thomæ principia Gratiam efficacem non esse simpliciter necessariam ad bonum supernaturale volendum & perficiendum. *Illud* enim *simpliciter necessarium dicitur* (inquit Sanctus Thomas) *sine quo finem consequi non possumus*: Illud simpliciter necessarium ad agendum, sine quo agere non possumus, illâ potestate *quæ cum effectu in factum provenit* (ut Sanctus Augustinus loquitur.) Verum potestas quæ per gratiam sufficientem confertur, quam veram & propriè dictam profiteor, vocetur etiam *proxima & expedita*; non repugno: (Quæstio fortè erit sic de nomine) modò gratiam per se efficacem Salvatoris ulteriùs necessariam esse ad volendum & perficiendum bonum mihi detur, sive ad *actus primi complementum*, utque potestas illa, quam *actum primum* Theologi de Schola vocant, *compleatur*, & ad actum secundum reducatur, ut vulgò loquuntur Thomistæ. Hoc uno sensu dixi & censeo Gratiam sufficientem non tribuere potestatem modis omnibus *proximam & completam*.

# DISSERTATIO XXVII.

## Contra Origenistas.

---

### ARTICULUS PRIMUS.

*Utrum Animæ creatæ fuerint ante corpora, & propter peccata ante Mundi corporei creationem commissa, fuerint in illa velut in carceres detrusæ.*

### PROPOSITIO.

*Origenis errorem de Animarum creatione ante corpora, & de illarum in corporibus quasi in ergastulis reclusione, Scriptura Sacra coarguit, Sancti Patres refellunt, Ecclesia damnat.*

PROBATUR prima pars ex illis verbis, Genesis 2. cap. *Formavit Dominus Deus hominem de limo terræ, & inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ, & factus est in animam viventem.* Quibus verbis creatio animæ rationalis significatur, ut constat ex Sancto Augustino libro 12. de Civitate Dei, cap. 23. Ergo primi hominis anima non est ante corpus ipsius creata, idemque de aliis animabus dicendum est.

Idem colligi potest ex illis verbis Zachariæ 12. *Ego Dominus formans spiritum hominis in medio ejus.* Si enim animam hominis in medio ejus format, ante productionem corporis eam non condidit.

Probatur secunda pars ex Sancto Gregorio Nysseno, libro de Opificio hominis cap. 29. ubi Catholicum Dogma contra Origenem sic adstruit: *Sed cùm unus & idem homo sit, qui corpore & animo constat: unum esse communeque tribuendum ei dicimus existendi principium, ne parte hac seipso prior, alterâ junior sit & posterior. Dei scilicet vim cuncta prospicientem, initio speciem totam in creatione complexam esse. Quocirca alterum alteri præponi non debere, quasi singularum in partium creatione, vel animus sit ante corpus conditus, vel è contrario corpus ante animum: idque hanc potissimum ob caussam, ne secum ipse dissidere videatur homo, tanquam diversas in partes, ob temporis in harum ortu discrimen, divisus. Nam cùm, de Apostoli sententiâ, alia sit ejus hominis natura qui cerni a nobis potest, alia hominis interiùs velut abditi, & occultati: Si statueremus alterum de his aliquantò prius ortum extitisse, quàm alterum esse inciperet, planè hoc indicio foret, Conditoris potestatem non omnino perfectam esse, propterea quòd operi universo simul absolvendo non suffecerit, ideoque operas quasi interruperit, ac vicissim in perficiendis singulis partibus ex semisse prius absolutis, occupata fuerit.*

Probatur secundò ex Sancto Hieronymo Epistola 61. ad Pammachium data. *Si fuit anima*, inquit, *antequam Adam in Paradiso formaretur, in quolibet statu & ordine & vixit, & egit aliquid (neque enim possumus incorporalem & æternam in modum glirium, immobilem torpentemque sentire:) necesse est ut aliqua caussa præcesserit, cur quæ prius sine corpore fuit, postea*

*ta circundata sit corpore. Et si anima est naturale esse sine corpore: ergo contra naturam est esse in corpore. Si contra naturam est esse in corpore, ergo resurrectio corporis contra naturam erit. Sed non fiet resurrectio contra naturam: ergo juxta sententiam nostram, corpus, quod contra naturam est, resurgens, animam non habebit.* Lege eumdem Libro 5. Commentariorum in Jeremiam ad caput 28.

Probatur tertiò ex Sancto Augustino in libro contra Priscillianistas & Origenistas ad Orosium, capite 8. *Quod autem dicunt*, inquit, *de rationalibus creaturis, id est, sanctis Angelis & immundis dæmonibus, & ipsis animabus hominum, quòd majorem locum minor culpa promeruerit, quâ impudentia conentur Ecclesiæ Christi persuadere, non video. Meliùs itaque credimus, Deum non peccatis rationalium Spirituum adductum esse ad fabricam mundi, ne illa sequantur absurda, quòd duo Soles, vel tres, vel quatuor, vel quotlibet nobis esset necesse, si plurimorum spirituum per liberum arbitrium tanta culpa præcederet, quantum illos in similibus corporum cœlestium globis oporteret includi: sed factum esse mundum Dei bonitate, magnum bonum, à summo & non facto bono; in quo fierent omnia bona valde secundum naturam, & aliis alia meliora, à summis creaturis usque ad infima, distinctis gradibus ordinata.*

Et libro 11. de Civitate Dei, cap. 23. de Origenistis loquens, ait: *Sed animas dicunt, non quidem partes Dei, sed factas à Deo, peccasse à Conditore recedendo; & diversis progressibus, pro diversitate peccatorum, à cœlis usque ad terras, diversa corpora, quasi vincula meruisse. Et hunc esse mundum, eamque caussam mundi fuisse faciendi, non ut conderentur bona, sed ut mala cohiberentur. Hinc Origenes jure culpatur. In libris enim, quos appellat περὶ ἀρχῶν, id est, de Principiis, hoc sensit, hoc scripsit. Ubi plusquam dici potest, miror hominem in Ecclesiasticis literis tam doctum & exercitatum, non attendisse, primùm quàm hoc esset contrarium Scripturæ hujus tantæ auctoritatis intentioni, quæ per omnia opera Dei subjungens: Et vidit Deus quia bonum est: completisque omnibus, inferens: Et vidit Deus omnia quæ fecit, & ecce valde bona: nullam aliam caussam faciendi mundi intelligi voluit, nisi ut bona fierent à bono Deo. ubi si nemo peccasset, tantummodo naturis bonis esset mundus ornatus & plenus.*

Secundam rationem addit Sanctus Augustinus: *Deinde*, inquit, *videre debuit Origenes, & quicumque ita sapiunt, si hæc opinio vera esset, mundum ideo factum, ut animæ pro meritis peccatorum suorum tanquam ergastula quibus pœnaliter includerentur, corpora acciperent, superiora & leviora, quæ minus, inferiora verò & graviora quæ amplius peccaverunt: dæmones quibus deterius nihil est, terrena corpora, quibus inferi & gravius nihil est, potius quam homines etiam malos habere debuisse. Nunc verò ut intelligeremus animarum merita, non qualitatibus corporum esse pensanda, aërium possidet pessimus dæmon: homo autem & nunc licet malus, longè minoris mitiorisque malitiæ, & certè ante peccatum, tamen luteum corpus accepit.*

Tertiam denique rationem, quam ex libro contra Priscillianistas & Origenistas superiùs promisimus, hîc nitidius proponit. *Quid autem stultius dici potest*, inquit, *quàm per istum Solem, ut in uno mundo unus esset, non decori pulchritudinis, vel etiam saluti rerum corporalium consuluisse artificem Deum, sed hoc potius evenisse, quia una anima sic peccaverat, ut tali corpore mereretur includi? Ac per hoc si contigisset ut non una, sed duæ, imò non duæ, sed decem, vel centum, similiter, æqualiterque peccassent, centum Soles haberet hic mundus.*

Probatur quartò ex Sancto Cyrillo Alexandrino



A libro 1. in Joannem cap. 9. ubi rationibus viginti quatuor Origenis refellit errorem, & Catholicum dogma probat.

Primam sic proponit. *Si anima hominis ante fabricationem corporis existebat, sed in vitium delapsa, ut quidam suspicantur, pœnæ loco in corpus detrusa est: quomodo quæso, Evangelista ipsam in hunc mundum venientem illuminari dicis? Honor enim istud est, & illustrium gratiarum accessio. Sed nemo plectitur, dum honoratur. Neque punitur, cùm diviniorum bonorum fit particeps, sed cum in punientis iram incurrit. Cum autem homo veniens in hunc mundum* B *minimè puniatur: sed contra, potius illuminetur, patet utique pœnæ loco ei non esse corporationem, quæ in carne honoratur.*

Secunda ratio est hujusmodi. *Si ante corpus anima mens erat pura in felicitate degens, sed conversione in vitium delapsa est, atque idcirco innexa est carni, quomodo veniens in hunc mundum illuminatur? Necessario enim dicendum est, ipsam lucis expertem esse, antequam veniat. Quod si ita est, quomodo mens pura erat, quæ vix tum primum illuminari incipit, cùm venit in mundum, idque non absque carne?*

C Tertia ratio. *Si ante corpus anima hominis extitit, & proinde mens pura erat bonorum cupiditati propiùs conjuncta, sed conversione in vitium terreno corpori impacta est, & in eo existens peccare non vult amplius: quomodo non ei fit injuria, quæ tum maximè id facere jussa non sit, cùm ad virtutem erat expeditior, nondum malis corporis illigata, sed intempestivè id præstare cogitur, cùm est inquinata peccato? Atqui Deus nihil intempestivè jubet, neque injuriam facit is qui naturâ sua nocere nequit. Opportunè igitur & justè à nobis exigit ut in hac carne non peccemus, cùm existendi tempus istud solum habeamus quo in hunc mundum venimus, illud prius non esse, sed locum quemdam* D *relinquentes.*

Quarta ratio. *Libenter ab eis quærerem, qui consentaneum sit animam quæ ante corpora peccavit, in corpus detrudi, ut experimento ipso discat cupiditatum suarum turpitudinem. Atqui ab ipso malorum aspectu avellenda potiùs esset, quàm in ipsum turpissimarum voluptatum profundum detrudenda. Illud etiam remedii genus est, potiùs quàm istud. Si ergo ut corporeis voluptatibus immergatur, malorum accessionem habet, quod in corpus detruditur: Nemo laudaverit Medicum, qui ægrum adjutum iri putat per ea ipsa* E *quibus ei nocet. Sin autem ut peccandi finem faciat: quomodo in ipsum cupiditatis delapsa profundum, emergere potuit, ac non potius ipsum morbi initium depulit, cùm nihil adhuc esset quo ad peccandum pertraheretur?*

Quinta ratio. *Si ante corpus existens anima peccavit, ideòque impacta est carni & sanguini, loco pœnæ id accipiens: quomodo non oporteat credentes in Christum, & idcirco peccati remissionem consecutos, illicò de corporibus exire, & sarcinam istam pœnæ loco impositam excutere? Quomodo enim, quæso, perfectam peccati remissionem consecuta est anima hominis, si pœnæ adhuc tenetur obnoxius? At videmus tantum* F *abesse ut Fideles corporibus liberari velint, ut cum fidei Christi confessione carnis resurrectionem conjungant. Non erit ergo pœnæ loco id quod fidei quoque confessione honoratur, & ad Salvatoris omnipotentiæ testimonium affertur, ex eo quòd sic ad vitam redierit.*

Sexta ratio. *Si ante corpus existens anima peccavit, & idcirco innexa est carni, quam ob caussam lex graviora quidem peccata morte pl[illegible]i, innocentem verò vivere permisit? Præstaret quippe permittere turpissimorum criminum reos diu in corporibus karere, ut hoc pacto gravius punirentur, innocentes verò corpori-*

 *bus*

*bus exsolvi, si pœna loco inclusæ sunt in corporibus animæ. Sed contra, morte quidem punitur homicida, Justus autem corpore nihil patitur: non est igitur supplicii loco inclusa corpori anima.* Cæteras rationes apud ipsum lege.

Probatur quintò secunda pars Propositionis ex Sancto Joanne Damasceno libro 2. Fidei Orthodoxæ, cap. 12. dicente: *Porro corpus & anima unà creata sunt: non autem, ut Origenes deliravit, hoc prius, illud posterius.*

Probatur tertia pars, quòd scilicet Origenis error de Animarum creatione ante corpora, fuerit ab Ecclesia damnatus: primò ex Sancto Leone, Epistola 93. ad Turribium Asturicensem Episcopum, cap. 10. ubi contra Priscillianistas illum errorem suscitantes, hæc habet: *Decimo capitulo referuntur asserere animas, quæ humanis corporibus inseruntur, fuisse in corpore, & in cœlesti habitatione peccasse, atque ob hoc à sublimibus ad inferiora delapsas, in diversæ qualitatis Principes incidisse, & per aereas & sydereas potestates, alias duriores, alias mitiores, corporibus esse inclusas, sorte diversa & conditione dissimili, ut quicquid in hac vita variè & inæqualiter provenit, ex præcedentibus caussis videatur accidere. Quam impietatis fabulam ex multorum sibi erroribus texuerunt: sed omnes eos Catholica Fides à corpore suæ unitatis abscidit, constanter prædicans, atque veraciter, quòd animæ hominum priusquam suis inspirarentur corporibus, non fuere, nec ab alio incorporentur, nisi ab Opifice Deo, qui & ipsarum est Creator, & corporum.*

Probatur secundò ex Concilio Bracarensi II. quod anno Christi 563. contra Priscillianam hæresim celebratum est, Canone 6. ita decernente: *Si quis animas humanas dicit prius in cœlesti habitatione peccasse, & pro hoc in corpora humana, in terram dejectas, sicut Priscillianus dixit, anathema sit.*

Probatur tertiò ex Anathematismo primo inter eos qui leguntur ad finem Tractatus Justiniani Imperatoris adversùs Origenis errores, quique à Synodo Quinta Oecumenica sunt probati. *Si quis dicit aut sentit præexistere hominum animas, utpote quæ antea mentes fuerint, & sanctæ Virtutes, satietatemque cepisse divinæ contemplationis, & in deterius conversas esse, atque idcirco refrixisse à Dei charitate, & inde animas esse nuncupatas, demissasque esse in corpora, supplicii caussâ, anathema sit.*

Probatur ultimò ex Concilio Lateranensi Tertio, cap. *Firmiter, de Fide Catholica*, ubi decernit: *Deum simul ab initio temporis utramque de nihilo condidisse creaturam, spiritualem & corporalem, Angelicam videlicet & mundanam: ac deinde humanam, quasi communem, ex spiritu & corpore constitutam.* Ergo ab Ecclesia damnatus est Origenis & Origenistarum error, asserentium animas ante corpora conditas fuisse.

Objiciuntur momenta Origenis. Regius Vates perspicuè significat animas ante corpora creatas fuisse, & propter admissa peccata, corporibus veluti carceribus addictas. Quid enim aliud indicant illa verba Psalmi 65. *Induxisti nos in laqueum?* Et illa Psalmi 118. *Priusquam humiliarer, ego deliqui?* Et illa Psalmi 141. *Educ de custodia animam meam ad confitendum nomini tuo?*

Respondeo, Illa Sacræ Scripturæ loca nequaquam Origenis errori favere. In priori namque, laquei nomine corpus significari falsum est: sed vel captivitas Israëlitici populi in Ægypto intelligitur, cujus ob solutionem Regius Vates Deum laudat, vel Martyrum passiones & cruciatus: vel denique omnes ærumnæ quibus Justi ipsi in hac mortali vita obnoxii sunt, quibus eos resurrectio æternùm liberabit. Hunc sensum verba Psalmi antecedentia & consequentia indicant: *Qui posuit animam meam ad vitam, & non dedit in commotionem pedes meos. Quoniam probasti nos Deus, igne nos examinasti, sicut examinatur argentum. Induxisti nos in laqueum, posuisti tribulationes in dorso nostro, imposuisti homines super capita nostra. Transivimus per ignem, & aquam, & induxisti nos in refrigerium.* Lege Sancti Augustini Commentarium in illum locum.

Neque etiam Origenis errori suffragatur alter locus, ibi enim loquitur David de peccatis commissis in corpore, priusquam humiliatio per flagella accederet, maximè per filii persecutionem; non verò de peccatis quæ patrata sint ab anima antequam in corpore degeret, cùm non existerit antea, sed tunc tantùm creata & immissa sit in corpus, quando id per generationem dispositum est. Quo temporis puncto, propter Originale Peccatum quod contrahitur, & ratione cujus omnes in Adamo peccasse censentur, verè humiliari dicuntur, & excidere ab eo honore in quo fuissent, si status innocentiæ perseverasset. Unde Sanctus Augustinus Concione 17. in Psalmum citatum, ait hæc verba *Ad illam humiliationem meliùs referri, quæ facta est in Adam: in quo omnis creatura humana tanquam in radice vitiata, quoniam veritati subjecta esse non voluit, subjecta est vanitati. Quod vasis misericordiæ profuit experiri, ut dejectâ superbiâ, diligatur obedientia, & pereat non reditura miseria.* Lege Sanctum Ambrosium Enarratione in eumdem Psalmum. Denique posterior locus, Origenis errorem non juvat. Verba enim illa non sunt animæ postulantis liberationem à corpore, tanquam è carcere, sed Davidis orantis Deum, ut è spelunca, in qua latebat, Saülis persecutionem declinans, evaderet. Ea namque occasione Psalmum illum fuisse à Davide conscriptum, constat ex ipsius inscriptione, quæ est hujusmodi: *Intellectus David. Cum esset in spelunca, Oratio.* Quanquam & corpus ipsum carcer dici potest, non in quem detrudatur præexistens anima, sed quo simul condita, propter corruptionem, aggravetur. Qua de corruptione ut eruatur Justus rogat. Sic explicat Sanctus Augustinus Enarratione hunc in Psalmum. *Duo considerandu sunt*, inquit, *in nostro corpore, figmentum Dei, & pœna meriti. Tota ista forma, status, incessus, membra ordinata, sensuum dispositiones, omnis hæc compago & fabrica distinctio, non potuit fieri nisi à Deo. Quid ergo ibi pœnale nostrum? Quòd corruptibilis caro, quòd fragilis, quòd mortalis, quòd indigens: hoc non erit in præmio. Non enim corpus non erit, cùm corpus resurgat. Sed quid ibi non erit? Corruptio: Corruptibile enim hoc induet incorruptionem. Ergo si caro tibi carcer est, non corpus est carcer tuus, sed corruptio corporis tui. Corpus enim tuum fecit Deus bonum, quia bonum est: corruptionem intulit justus, quia Judex est: illud habes de beneficio: illud habes de supplicio. Hoc ergo fortè dixit: Educ de carcere animam meam. Si sic intelligamus, non est blasphemia, intellectus constat.* Lege & alias istius loci expositiones apud Sanctum Augustinum, ibidem.

Objectio secunda petitur ex illis verbis, Joannis 1. cap. *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Quibus significatur animam extitisse antequam veniret in mundum, & lumen divinum ipsi affulsisse, cùm primùm in corpus delapsa est.

Respondeo, Istud S. Joannis oraculum Origenis errorem non confirmare. Non enim dicitur homo venire in mundum, quasi ante extiterit: sed venire in mundum, idem est ac nasci, secundùm modum loquendi Hebræorum: & illuminare omnem hominem venientem in hunc mundum, idem est ac illuminare omnem hominem nascentem. *Locum enim velut quemdam creaturarum animo concipimus*, inquit Sanctus Cyrillus Alexandrinus, *nimirum aliquando non esse, unde ad esse quodammodo producuntur*,

*prodeuntes, alium tandem locum in existentia capiunt. Accommodatiùs ergo, atque decentiùs de natura hominum dici potest, primis statim temporibus illuminari, & unà cum ipso esse, vim etiam intelligendi, ab ea quæ in mundo est luce, nimirum Unigenito suscipere.* Quòd si de anima præexistente hæc verba Sancti Joannis intelligenda essent, malè diceretur anima illuminari, quæ in corpus velut in carcerem punienda truderetur, ut Sanctus Cyrillus adversùs Origenistas urget.

---

## ARTICULUS II.

### *Utrum finem habitura sit dæmonum, & hominum impiorum damnatio?*

### PROPOSITIO.

*Æternam fore dæmonum, & hominum impiorum damnationem, Scriptura Sacra disertè asserit, cæterique Patres contra Origenem propugnant.*

PRobatur prima pars, ex Isaiæ ultimo cap. *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur.* Et ex sententia Christi in supremo judicio, Matthæi 25. *Ite maledicti in ignem æternum.* Et ex Servatoris ejusdem verbis Marci 9. *Bonum est tibi debilem introire in vitam, quàm duas manus habentem ire in gehennam, in ignem inextinguibilem.*

Probatur secunda pars, primò ex Sancto Justino Martyre, Apologia 2. *Sed enim*, inquit, *quia liberi arbitrii & Angelorum & hominum genus ab initio creavit Deus, justo judicio pro delictis suis supplicium in igne sempiterno reportabunt.*

Probatur 2. ex Tertulliano, Apologetici cap. 45. *Enim verò nos qui sub Deo omnium speculatore dispungimur, quique æternam ab eo pœnam providemus, meritò soli innocentiæ occurrimus, & pro scientiæ plenitudine, pro latebrarum difficultate: & pro magnitudine cruciatus, non diuturni, verùm sempiterni, cum timentes.*

Et libro de Carne Christi, cap. 14. *Homo perierat, hominem restitui oportuerat? Ut hominem gestaret Christus, nihil tale de caussa est: nam etsi Angelis perditio reputatur, in ignem præparatum diabolo & Angelis ejus, numquam tamen illis restitutio repromissa est. Nullum mandatum de salute Angelorum suscepit Christus à Patre. Quod Pater neque repromisit, neque mandavit, Christus adimplere non potuit.*

Probatur tertiò ex Minutio Felice in Octavio: *Et tamen*, inquit, *admonentur homines doctissimorum libris, & carminibus Poetarum, illius ignei fluminis, & de stygia palude sæpius ambientis ardoris, quæ cruciatibus æternis præparata, & dæmonum indiciis, & de oraculis Prophetarum cognita tradiderunt. Et ideo apud eos etiam ipse Rex Jupiter per torrentes ripas, & atram voraginem, jurat religiosè. Destinatam enim sibi cum suis cultoribus pœnam, præscius perhorrescit. Nec tormentis aut modus ullus, aut terminus. Illic sapiens ignis membra urit, & reficit: carpit, & nutrit: sicut ignes fulminum corpora tangunt, non absumunt. Sicut ignes Ætnæ & Vesuvii Montis, & ardentium ubique terrarum flagrant, nec erogantur: ita pœnale illud incendium, non damnis ardentium pascitur, sed inexesa corporum laceratione nutritur.*

Probatur quartò ex Sancto Hilario Capite 27. in Matthæum, ubi de impio sic loquitur. *Quod si contuens longam Dei patientiam, quæ in profectum humanæ salutis extenditur, adversùm conservos insolescet, & sæculi malis, vitiisque se tradet, præsentium tantùm curam in cultu ventris exercens, desperata die Dominus adveniet, eumque à bonis quæ spoponderat, dividet, portionemque ejus cum hypocritis in pœnæ perennitate constituet, quia mandatis non obtemperaverit, quia præsentibus studuerit, quia vitâ Gentium vixerit.*

Missum facio Sancti Joannis Chrysostomi testimonium Homilia 9. in Epistolam 1. ad Corinthios.

5. Probatur ex Sancto Hieronymo, contrariam sententiam velut hæresim, in Origene, & Origenistis, refellente, tum in Apologia adversùs Rufinum, tum alibi passim, ut ex multis ipsius testimoniis à nobis recensitis in Dissertatione de fide Origenis, compertum est.

Et libro 4. Commentarii in Matthæum. *Prudens Lector attendat*, inquit, *quòd & supplicia æterna sint, & vita perpetua metum deinceps non habeat ruinarum.*

Probatur octavò ex Sancto Augustino, libro de Hæresibus ad Quodvultdeum. *Sunt & alia*, inquit, *Origenis dogmata, quæ Catholica Ecclesia omnino non recipit: in quibus nec ipsum falsò arguit: nec potest ab ejus defensoribus excusari: maximè de purgatione, & liberatione, ac rursus post longum tempus ad eadem mala revolutione universæ rationalis creaturæ. Quis enim Christianus Catholicus, vel doctus, vel indoctus, non vehementer exhorreat eam quam dicit purgationem malorum? Id est, etiam eos qui hanc vitam in flagitiis, & facinoribus, & sacrilegiis, atque impietatibus quamlibet maximis finierunt: ipsum etiam postremo Diabolum, atque Angelos ejus quamvis post longissima tempora, purgatos, atque liberatos, regno Dei, lucique restitui: & rursus post longissima tempora, omnes qui liberati sunt, ad hæc mala denuo relabi & reverti: & has vices alternantes beatitudinum & miseriarum rationalis creaturæ, semper fuisse, semper fore?*

Et libro 21. de Civitate Dei, cap. 17. *Nunc jam*, inquit, *cum misericordibus nostris agendum esse video, & pacificè disputandum, qui vel omnibus illis hominibus, quos justissimus Judex dignos gehennæ supplicio judicabit, vel quibusdam eorum, nolunt credere pœnam sempiternam futuram, sed post certi temporis metas pro cujusque peccati quantitate longiores, sive breviores, eos inde existimant liberandos. Qua in re misericordior profectò fuit Origenes, qui & ipsum Diabolum atque Angelos ejus, post graviora pro meritis & diuturniora supplicia, ex illis cruciatibus eruendos, atque sociandos sanctis Angelis credidit. Sed illum, & propter hoc, & propter alia nonnulla, & maximè propter alternantes sine cessatione beatitudines & miserias, non immeritò reprobavit Ecclesia: quia & hoc quod misericors videbatur, amisit, faciendo Sanctis veras miserias, quibus pœnas luerent, & falsas beatitudines, in quibus verum ac securum, hoc est, sine timore certum sempiterni boni gaudium non haberent.*

Et cap. 23. *Quamobrem prorsus nec alia caussa, nec justior, nec manifestior inveniri potest, cur verissima pietate teneatur fixum & immobile, nullum regressum ad justitiam vitamque Sanctorum Diabolum & Angelos ejus habituros, nisi quia Scriptura quæ neminem fallit, dicit eis Deum non pepercisse, & sic ab illo esse interim prædamnatos, ut carceribus inferni retrusi traderentur servandi, atque ultimo judicio puniendi, quando eos æternus ignis accipiet, ubi cruciabuntur in sæcula sæculorum. Quod si ita est, quomodo ab ejus æternitate pœnæ, vel universi, vel quidam homines, post quantumlibet temporis subtrahentur, ac non statim enervabitur fides, quâ creditur sempiternum dæmonum futurum esse supplicium? Si enim quibus dicetur: Discedite à me maledicti in*

*ignem æternum qui paratus est diabolo & Angelis ejus: vel universi, vel aliqui eorum non semper ibi erunt: quid caussa est cur Diabolus & Angeli ejus semper ibi futuri esse credantur? An fortè Dei sententia, quæ in malos & Angelos, & homines proferetur, in Angelos vera erit, in homines falsa? Ita planè hoc erit, si non quod Deus dixit, sed quod suspicantur homines, plus valebit. Quod fieri quia non potest, non argumentari adversùs Deum, sed divino potiùs, dum tempus est, debent parere præcepto, qui sempiterno cupiunt carere supplicio. Deinde quale est, æternum supplicium pro igne diuturni temporis existimare, & vitam æternam credere sine fine? Cum Christus in eodem ipso loco, in una eademque sententia dixerit, utrumque complexus. Sic ibunt isti in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam.*

Probatur nonò ex Sancto Fulgentio, libro de Fide ad Petrum Diaconum, cap. 43. & lib. 2. de Remissione peccatorum, cap. 13. 15. & 21. Loca sunt insignia, quæ per otium legere poteris: tot enim exscribere capita necesse non arbitror: ea ubi indicasse satis.

Probatur decimò ex Sancto Gregorio Magno libro 34. Moralium, cap. 16. & libro 4. Dialogorum cap. 44. cujus verba protulimus in Dissertatione de liberatione Trajani ab inferis, Sancti Gregorii precibus.

Objicitur primò. Sanctus Gregorius Nyssenus Origenis sententiam de pœnis dæmonum, hominumque damnatorum aliquando finiendis, sectatus est, & propugnavit. Non fuit igitur hæc opinio cæteris à Patribus erroris damnata.

S. Gregorius Nyssenus Origenis errorem de pœnis dæmonum hominumque damnatorum aliquando finiendis non propugnavit.

Probatur antecedens. Qui censet post longos temporis circuitus auferendum è natura malum, hominem à malitia liberandum, ipsum inventorem malitiæ sanandum, ut omnibus in pristinum statum restitutis, una voce creatura omnis gratias agat, Origenis sententiam de pœnis dæmonum, hominumque damnatorum aliquando finiendis sectatur: atqui Sanctus Gregorius Nyssenus asseruit, post longos temporis circuitus auferendum è natura malum, hominem à malitia liberandum, ipsum inventorem malitiæ sanandum: sectatus est igitur sententiam Origenis.

Probatur minor ipsius Sancti Gregorii Nysseni verbis in Oratione Catechetica, cap. 26. ubi Deum opponens dæmoni, sic loquitur: *Ille quidem fraude usus est ad perimendam naturam: hic autem simul & justus, & bonus, & sapiens, excogitatam adhibuit deceptionem ad salutem ejus qui perierat; per hac beneficio afficiens, non solum eum qui perierat, sed eum quoque qui nobis attulerat interitum. Nam ex eo quod vita quidem morti appropinquavit, luci autem tenebra, interitus incorruptioni, deletur quidem id quod est deterius, & ad id, quod non est, transitur, & juvatur id quod ex iis expurgatur. Quomodo enim si vili materia auro admixta, aurifices, per ignem, eò consumptô quod erat alienum & rejiciendum, ad naturalem splendorem præstantiorem reducunt materiem: Neque tamen citra laborem fit illa secretio, cum ignis suâ consumendi potestate, tempore deleat id quod est adulterinum; Verùmenimverò auri quædam est medicatio, quòd in ipso eliquetur id quod, ad boni exitium, in eo positum fuerat: Eodem modo etiam, cum mors & interitus, & tenebræ, & si quis est alius vitii fœtus, inventori adnata essent: divinæ virtutis appropinquatio, tamquam ab igne, deletô eô quod est præter naturam, naturam incorruptionis afficit beneficio, etiamsi laboriosa sit secretio. Ergo ne ipse quidem dubitare poterit adversarius, quin quod factum est, sit justum & salutare, si venerit ad sensum beneficii. Nunc enim quomodo ii qui, ut curentur, secantur & uruntur, irascuntur iis qui curant, ut quibus acris & aspera sentiatur sectio: Quòd si acciderit ut per id sani fiant, & dolor transeat sectionis, habebunt gratiam iis qui ipsos curaverint: Eodem modo, cum per longum temporis ambitum ablatum fuerit naturæ malum, quod nunc est iis immixtum & coalitum, & eorum qui nunc jacent in malis, in antiquum statum facta fuerit restitutio, unâ voce agentur gratiæ ab universa creatura, & ab iis qui castigati fuerint in purgatione, & ab iis qui ne omnino quidem opus habuerunt ut purgarentur.* Et infra: *Per hoc quòd mixtus fuit humanitati,* Dei Filius, *effecit ea omnia quæ priùs dicta sunt, & hominem à vitio liberans, & vitii medens inventori.*

Præterea. Qui asserit vitium & nequitiam aliquando in rerum naturâ non futuram, quia Deus erit omnia in omnibus, & dæmones, post longos sæculorum anfractus, dominationem Christi concorditer confessuros, ille Origenianam de pœnis dæmonum, & hominum damnatorum quandoque finiendis, doctrinam propugnat: sed Sanctus Gregorius Nyssenus id asserit: sententiam igitur Origenis tantùm abest ut damnet, quin potiùs eam propugnat.

Probatur minor ipsius verbis libro de Anima & Resurrectione, ubi explicans illa verba 1. ad Corinthios 15. *Deus erit omnia in omnibus*, hæc habet: *Hoc in loco mihi videtur perfectum & absolutum interitum vitiositatis ac nequitiæ tradere Scriptura. Si enim in omnibus Deus erit, vitiositas nequitiaque in rerum naturâ non erit. Nam si quis vitiositatem etiam & nequitiam esse posuerit, quomodo servabitur ea sententia, quâ dicitur, quòd in omnibus Deus sit? Illius enim videlicet vitiositatis nequitiæque exemptio atque subtractio, imperfectam, ac non plenam efficit omnium comprehensionem.*

Et in eodem libro, pertractans locum illum Pauli ad Philippenses 2. *In nomine Jesu omne genu flectatur*, &c. Triplex ibi genus ratione præditorum complexum esse dicit Apostolum; Angelos, qui cælestium nomine continentur; homines qui in terra degunt: & animas corpore solutas, necnon dæmones, qui subterranei censentur: *Subterraneum est*, inquit, *id quod jam à corpore separatum atque disjunctum sit: aut certè si alia quoque præter enumeratas, natura inter ratione præditas animadvertitur: quam sive quis dæmonas, sive spiritus, sive aliquid tale voluerit denominare, non contendimus. Persuasum est enim tam ex communi opinione, quàm ex Scripturarum traditione, esse quamdam naturam extra talia corpora, quæ recto atque honesto adversa contrariaque sit, & in humanæ naturæ detrimentum atque perniciem incumbat. quæ sponte sua à meliore sorte exciderit atque defluxerit, & in locum boni & honesti à quo defecit, id quod ex contrario intelligitur, in se substituerit: quam aiunt Apostolum inter subterranea & inferiora numerare, id illo sermone significantem, quòd vitiositate longis sæculorum anfractibus, & circuitionibus aliquando abolitâ, atque extinctâ, nihil præter bonum relinquetur. Sed etiam dæmones concorditer dominationem Christi confitebuntur.* Sanctus itaque Gregorius Nyssenus asserit vitium & nequitiam aliquando in rerum naturâ non futuram, quia Deus erit omnia in omnibus, adeòque in ipsis dæmonibus, qui post longos sæculorum anfractus, imperio Christi subjicientur.

Respondeo ad primum, nego minorem. Idemque dico ad secundum. Hæc namque verba, quibus Origenis error manifestè adstruitur, non sunt Sancti Gregorii Nysseni, sed sunt Origenistarum, qui ejus Opera violaverunt, & in ea suos errores intruserunt, præsertim verò in librum de Anima & Resurrectione, & in librum Catecheticum. Id asserit Sanctus Germanus Patriarcha Constantinopolitanus, in libro qui inscribitur, *Retribuens & Loquimus*,

S. Gregorii Nysseni Opera ab Origenistis violata.

*legitimus*, id est, de vera, & legitima retributione, quæ rependitur hominibus prout vixerint. Eo in Opere, ut testatur Photius in Bibliotheca, Codice 233. Sanctus Germanus contendit, *Gregorium Nyssæ Episcopum, ejusque scripta, ab Origenis errore esse immunia. Etenim quibus delirium illud placet, dæmonibus & hominibus in æternam pœnam conjectis liberationem inde expectandam: illi (quod virum doctrina singularem & eloquentia insignem eum agnoscerent, claramque sanctitatis existimationem per omnium ora decantatam viderent) aggressi sunt claris & salutaribus ejus Scriptis, obscura ac perniciosa Origeniani somni venena admiscere, virtutique hominis & doctrina celebri hæreticam occultè amentiam subjicere. Quare partim additamentis falsis, partim rectis argumentis violenter detortis, multa ex irreprehensibilibus ejus monumentis calumniari conati sunt. Contra quos Germanus pietatis patronus acutum veritatis gladium stringens, & vulnere prostratos hostes relinquens, victorem superioremque eum constituit, in quem hæretica colluvies insidias struxerat & posuerat.*

Et infra, de eodem Sancti Germani Opere Photius: *Hac porro sacras sententiae adducens de Origenistis in propriis sententiis convictis, quibus illi malè utebantur, triumphum egit: reprehendens, tum quòd legitima quidem audacibus & impudentibus additamentis illegitima redderent, tum verò quod additamenta continuantes, magnâ arrogantiâ & stupiditate, ad hæreticam suam opinionem ea audacter detorquerent. Et ut breviter dicam, omnia sancti hujus Patris Scripta ab omni hæretica pravitate & calumnia, quæ in impietatem vergit, immunia esse declarat. Hæc porro immunitas & improbitatis refutatio, & ex antecedentibus locis depravatis, & ex consequentibus conficitur, & demonstratur, & ex aliis sexcentis Beati Gregorii Nysseni libris, qui orthodoxè & legitimè sentiunt, rectè excutiens, ut nemo meliùs, in salutares preces ac laudes Dei laborem finiit. Libri autem quos insidiis excipere hæretici moliti sunt, & quos Germanus veritatis Propugnator primarius ab latronum insultu sine noxa servavit, sunt Dialogus ad Macrinam sororem, de Anima, & liber Catecheticus, & ille qui de perfecta vita rationem continet.* Hæc Photius. Interpolatum etiam ab hæreticis, & Origenicis dogmatibus inspersum librum de Anima, quem Sanctus Gregorius Nyssenus Macrinæ sorori dicavit, Nicephorus testatur libro 11. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 19.

Quòd autem Sanctus Gregorius Nyssenus pœnarum inferni crediderit æternitatem, constat ex illius Oratione *In eos qui differunt Baptisma*, ubi dicit: *In electione malorum magis est eligendum ut salutare lavacrum assecutus, rursus sit in peccato, quàm ut gratia expers vitam finiat. Nam peccatum quidem veniam fortasse consequitur, aut clementiam, cujus magna est spes apud bonos: alteri autem est omnino vetita salus ex certâ ac definitâ sententiâ. Nam cùm audiero vocem, quæ non mentitur, dicentem: Amen, amen dico vobis: nisi quis natus fuerit desuper, non potest videre regnum Dei: nihil boni possum expectare iis qui Mysteriis non sunt initiati.* Et infra, de illius anima, qui absque Baptismate decedit, hæc habet: *Cùm non sit obsignata, quam est verisimile per aerem ferri errantem, & minimè quæsitam, ut quæ Domino careat, quærentem quietem & locum in quo maneat, & non invenientem, frustra deflentem, & inutiliter pœnitentem, non secus atque divitem qui induebatur purpura & bysso, quemque lautus ac delicatus omnis generis cibus alebat, materiam ignis qui non potest extingui.*

Obscuriora S. Gregorii Nazianzeni loca explicantur.

Objectio secunda petitur ex S. Gregorio Nazianzeno, Oratione 39. *In sancta Lumina.* In qua Novatianis, nisi resipiscant, & Christi viam incedant, supplicia post mortem comminatur, sed purgatoria, minimèque perpetua. *Atque hi quidem, inquit, nostrâ, si velint, atque adeo Christi viâ, sin minùs, suâ insistant. In altero ævo igne fortasse baptizabuntur, qui postremus est baptismus, nec solum acerbior, sed & diuturnior, qui crassam materiam instar fœni depascitur, vitiique omnis levitatem absumit.*

Et Oratione 40. dubium saltem esse significat an pœnæ inferni æternæ sint, & liberum cuique esse ea de re, quod voluerit, opinari: *Est alter ignis, inquit, non purgans, sed scelerum vindex, sive Sodomiticus ille, quem sulphure & procella permixtum Deus in peccatores omnes fundit: Sive ille qui Diabolo ejusque Angelis paratus est: Sive etiam ille qui ante faciem Domini procedit, & in circuitu inimicos ejus inflammat: Sive denique ille omnibus his formidabilior, qui cum insomni illo verme conjunctus est, nec unquam extinguitur, verùm in sceleratorum hominum pœnam perennis est & sempiternus. Hi enim omnes eam vim habent ut perdant ac deleant: nisi tamen hoc quoque loco quispiam ignem mitius, atque ut Deo vindice dignum est, intelligendum putet.* Origenis igitur opinio de pœnis damnatorum aliquando finiendis, non est à cæteris Patribus damnata.

Respondeo, Sanctum Gregorium Nazianzenum in priori loco impropriè & obscurè locutum esse, & per baptismum ignis postremum & diuturniorem, intellexisse ignis sempiterni supplicia, qui terrenam & crassam materiam tamquam fœnum comedit, hoc est, crassis & obscœnis corporis voluptatibus servientes exurit, atque homines peccato leves & aridos ita excruciat, ut tamen non absumat, ut explicat Nicetas in suis ad illam Orationem Commentariis. In Oratione autem quadragesima, pœnarum tartarearum æternitatem disertè adstruit, his verbis: *Omnibus his formidabilior ignis, qui cum insomni illo verme conjunctus est, nec unquam extinguitur, verùm in sceleratorum hominum pœnam perennis est & sempiternus.* Quod autem addit, *Nisi quispiam ignem mitius, atque ut Deo vindice dignum est, intelligendum putet*: Non refertur ad æternitatem supplicii, quasi arbitrarium sit asserere, pœnas damnatorum finiendas esse, nec adeo acerbas esse ut in perpetuum durent; sed ad pœnæ magnitudinem & intensionem referendum est, quam si quis nostrorum atrocitati scelerum non adæquari concedat, sed minorem intelligi velit quàm criminum immanis magnitudo mereatur, quia Deus vindex justam pœnam misericordia & lenitate temperare solet; Sanctum Gregorium Nazianzenum repugnantem non habebit. Porro quòd æternitatem pœnarum inferni propugnaverit, constat ex illius Oratione 15. *Mitto*, inquit, *dicere futura vitæ tribunalia, quibus hujus vitæ indulgentia & impunitas eos tradit: ita ut satius sit nunc castigari ac purgari, quàm ad cruciatum illum transmitti, cùm jam pœnæ tempus erit, non purgationis. Quemadmodum enim, qui Dei memor hic est, morte superior est, idque à Davide optimè dictum est: ita his qui è vita excesserint, non est in inferno confessio, nec morum correctio. Hic enim Deus vitam & actionem, illic rerum gestarum censuram conclusit.* Et infra de damnatis sic loquitur: *Hoc autem simul cum aliis, vel potiùs ante alia istud excruciabit, quòd à Deo projecti sint, atque insignem in conscientia sempiterna ignominiæ notam gerant.*

Objectio tertia nititur auctoritate Sancti Ambrosii in Psalmum 118. Octonario 20. v. 3. ubi diaboli quidem æterna fore supplicia censet; Ideoque pœnam illius differri, ut sempiterna sit: hominum verò, quia misericordiâ temperari, ac circumscribi supplicia debent, subinde post obitum

*ctionem vitæ : qui autem mala egerunt, in resurrectionem judicii. Unde & Apostolus eodem sensu, quia eodem Spiritu, loquitur ad Romanos : Quicumque enim sine lege peccaverunt, sine lege peribunt : & quicumque in lege peccaverunt, per legem judicabuntur. Sine lege impius est, qui in æternum peribit. In lege peccator credens in Deum, qui per legem judicabitur, & non peribit.*

Porrò non de Purgatorii pœnis intelligendus est hic Sancti Hieronymi locus, ut quidam respondent, sed de inferorum cruciatu. Etenim ignem illum intelligere se dicit, quo Hæretici & impii solì in sempiternum cremantur. Deinde peccatores & impios eos ipsos in æternum perituros esse negat, qui in gloria non resurgent, neque in resurrectionem vitæ, sed in resurrectionem judicii. Judicium autem pro condemnatione hîc sumitur. Tertiò, solos impios, hoc est infideles, excludit à judicio : eos autem qui in judicio sistentur, per legem judicandos ait, non tamen perituros in æternum. Igitur illi quibus dicturus est Dominus, *Ito maledicti in ignem æternum*, &c. qui utique judicantur, & in resurrectionem judicii veniunt, à pœnis longo intervallo liberi fient.

Confirmatur ejusdem Sancti Hieronymi testimonio in calce Commentariorum in Isaiam, ubi postquàm sententiam Origenis tacito ejus nomine proposuit, ostenditque quibus Scripturæ locis nitantur, qui asseverant, post cruciatus & tormenta, futura refrigeria quæ nunc abscondita sunt ab his, quibus Dei timor utilis est, ut dum supplicia reformidant, peccare desistant : Primùm sententiam hac de re suam suspendit. *Quod nos*, inquit, *Dei solius debemus scientia derelinquere, cujus non solùm misericordia, sed & tormenta in pondere sunt, & novit quem, quomodo, aut quamdiu debeat judicare.* Deinde verò eò descendit, ut solos dæmones, & impios homines; hoc est à fide alienos, sempiternis mactandos esse cruciatibus affirmet : Christianos verò post expiationem operum suorum esse liberandos. *Et sicut diaboli*, inquit, *& omnium negatorum atque impiorum, qui dixerunt in corde suo, Non est Deus, credimus æterna tormenta : sic peccatorum atque impiorum, & tamen Christianorum, quorum opera in igne probanda sunt, atque purganda, moderatam arbitramur, & mixtam clementiâ sententiam Judicis.* Hæc autem de Purgatoriis ignibus intelligi non possunt, ut patet ex orationis contextu. Nam de illis agit suppliciis, quæ Origenistæ aliquando finiri, licet post multa tempora, sentiebant : ea verò damnatorum sunt : quæ illi nonnisi purgatoria, Platonicorum more, esse volebant.

Respondeo, Sanctum Hieronymum contendere solùm Christianos, quantumvis peccatores & impios, salvari posse per ignem; non tamen omnes, sed qui pœnitentiam egerint. Opponit namque Christianos peccatores Ethnicis, Hæreticis, & Apostatis, qui perihunt omnes in æternum : ut autem ea salvetur oppositio, satis est quòd Christiani peccatores, omnes in perpetuum non pereant; sed quidam, quos scelerum in hac vita pœnituit, Purgatoriis expiati flammis evadant : quamvis tam eminentem gloriæ gradum ac cæteri Justi non consequantur. Sic autem exponi debere hæc Sancti Hieronymi loca, hancque interpretationem ipsa pati posse, quantùmvis difficilia videantur, ex eo constat, quòd Sanctus Hieronymus, quem sibi in re tanti momenti contradixisse & pugnantia scripsisse nequaquam verisimile est, æternitatem pœnarum Inferni disertè asseruit, etiam quoad Christianos, qui mortalibus illigati peccatis moriuntur. Ubi enim hæc verba [Isaiæ 5.]

A *Dilatavit infernus animam suam*, ad Judæos retulit, qui non habuerunt scientiam Filii Dei, quos ait *infernum absque ullo numero & satietate devorasse in perpetuum puniendos* : Addit continuò : *Quicquid de populo diximus Judæorum, tropologicè referri potest ad eos, qui sæculi deliciis occupati, nec respicientes opera Dei, captivi ducuntur in peccatum, & non habent scientiam Dei : & idcircò fame, & siti pereunt bonorum operum atque virtutum : & detrahentur in gehennam : ibique æternis cruciatibus deputati, potentiam & superbiam miseriâ cernent & humilitate mutari.* Quod etiam in cap. 25. B Matthæi profitetur, ut ex nostris probationibus constat.

Sed luculentissimus locus est ex Commentariis in Jonam Prophetam, ad illa capitis quarti verba, *Et pervenit verbum ad Regem Ninive, & surrexit de solio suo*, &c. Ubi Origenistarum errorem impugnans, qui illa verba de diabolo allegoricè interpretabantur, qui in fine mundi descendens de superbia sua, acturus sit Pœnitentiam, & in locum pristinum restituendus, hæc habet : *Sed hoc quia Scriptura sacra non dicit, & evertit penitus timorem Dei, dum facilè homines labuntur ad vitia, putantes etiam* C *diabolum qui auctor malorum est, & omnium peccatorum fons, actâ pœnitentiâ posse salvari, de nostris mentibus abjiciamus, & sciamus peccatores in Evangelio mitti in ignem æternum, qui præparatus sit Diabolo, & Angelis ejus, & de his dici : Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur. Scimus quidem clementem esse Deum: nec, qui peccatores sumus, crudelitate illius delectamur : Sed legimus : Misericors & justus Dominus, & Deus noster miseretur. Justitia Dei vallatur misericordiâ, & tali ad judicium ambitione procedit : sic parcit ut judicet, sic judicat ut misereatur. Mi-* D *sericordia & veritas obviaverunt sibi, justitia & pax osculata sunt se. Alioquin si omnes rationabiles creaturæ æquales sunt, & vel ex virtutibus, vel ex vitiis, sponte propriâ aut sursum eriguntur, aut in ima merguntur; & longò post circuitu, atque infinitis sæculis, omnium rerum restitutio fiet, & una dignitas militantium : Quæ distantia erit inter virginem & prostibulum? Quæ differentia erit inter Matrem Domini & (quod dictu quoque scelus est) victimas libidinum publicarum? Idemne erit Gabriel & Diabolus? Idem Apostoli & dæmones? Iidem Prophetæ & Pseudoprophetæ? Idem Martyres &* E *Persecutores? Fingo quod libet : annos & tempora duplica, & infinitas ætates congere cruciatibus : si finis omnium similis est, præteritum omne pro nihilo est: quia non quærimus quid aliquando fuerimus, sed quid semper futuri simus.*

Cùm autem ait Sanctus Hieronymus, in cap. ultimum Isaiæ, *Quod nos debemus Dei solius scientiæ derelinquere, cujus non solùm misericordia, sed & tormenta in pondere sunt, & novit quem, quomodo, aut quamdiu debeat judicare :* Id ait de pœnis peccatorum generatim sumptis, non autem de pœnis Inferni, de quibus eodem loco paulò ante dixerat: F *Qui prævaricati sunt in Domino, æternis tradentur ardoribus. Vermis autem qui non morietur, & ignis qui non extinguetur, à plerisque conscientia accipitur peccatorum, quæ torqueat in suppliciis constitutos: ita dumtaxat ut non negem prævaricatorum, & Dominum negantium æterna supplicia : dicente Domino in Evangelio : Ite in ignem æternum, qui præparatus est Diabolo, & Angelis ejus.*

Denique hæc Sancti Hieronymi verba : *Christianorum, quorum opera in igne probanda sunt, atque purganda, mixtam clementiâ arbitramur sententiam Judicis* : ad pœnas Purgatorii referenda sunt, non ad pœnas Inferni, quibus Christianorum opera non purgantur, atque probantur. Vel, si quis ad

ad pœnas Inferni ea referenda esse pertinaciter contendat, dicam Sanctum Hieronymum solùm velle quòd Deus damnatos ipsos Christianos citra condignum puniat, & mitioribus pœnis eos plectat; quàm Diabolum, & omnes negatores & impios, *Qui dixerunt in corde suo, Non est Deus*. Id autem Origeniano errori nequaquam favet, asserenti dæmonum & hominum impiorum damnationem ac supplicia, finem aliquando habitura.

QUÆ quidem supplicia meorum numero & gravitate peccatorum, cùm fuerim promeritus, A Filium Dei Christum Dominum ac Salvatorem omnium hominum, ad misericordiæ ipsius tribunal postratus, humillimè precor, ut Passionis suæ merito, Sanguinisque pretiosi virtute, quem pro hominibus universis, & pro me peccatore miserrimo fudit: nec non Virginis Mariæ Matris suæ Sanctissimæ, cujus in clientelam me contuli, patrocinio ac suffragiis, ab iis me eripiat, meque suo dignum efficiat Regno, ut ipsum amare, laudareque æternùm possim; cui laus, honor & gloria in sæcula. AMEN.

FINIS HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ SÆCULI III.



INDEX.

# INDEX

## RERUM PRÆCIPUARUM

### quæ hoc Volumine continentur.

*Arithmetica nota Paginam, literæ verò a. b. Columnas indicant.*

## A

# C



Dionysii

# D

# E



 habeat

# F



# G

# H



# I

# L



*Libertas*

# M

## N



## O

# Q



# R

## S

## T

## V



## X



## Z



FINIS.

